UAB
Biblioteca de Ciències Socials

UAB
Biblioteca de Ciències Socials

UAB
Biblioteca de Ciències Socials

UAB
Biblioteca de Ciències Socials

BENEDICTI XIV.

PONT. OPT. MAX.

OPERA OMNIA

IN QUINDECIM TOMOS

DISTRIBUTA.

UAB
Biblioteca de Ciències Socials

UAB
Biblioteca de Ciències Socials



UAB
Biblioteca de Ciències Socials



UAB
Biblioteca de Ciències Socials

BENEDICTI XIV.

PONT. OPT. MAX.

OLIM

PROSPERI CARDINALIS

DE LAMBERTINIS

OPERA OMNIA

IN UNUM CORPUS COLLECTA,

ET NUNC PRIMUM IN QUINDECIM TOMOS DISTRIBUTA.

EDITIO NOVISSIMA

ANTEACTIS OMNIBUS AUCTIOR, CASTIGATIOR, ET MELIORI ORDINE DISPOSITA,

ADDITIS PRÆTEREA TRIBUS INTEGRIS VOLUMINIBUS, QUÆ NUNC PRIMUM PRODEUNT,

Et pluribus aliis factis luculentissimis accessionibus, quas Præfatio huic Tomo præfixa melius docebit.

TOMUS PRIMUS

CONTINENS

DE SERVORUM DEI BEATIFICATIONE, ET BEATORUM CANONIZATIONE

LIBRUM PRIMUM, UNA CUM APPENDICIBUS AD EUM PERTINENTIBUS;

Necnon veteres Præfationes, Epistolas Dedicatorias, Litteratorum virorum Judicia, & de Auctoris nostri rebus gestis & scriptis Commentarium nunquam antea editum.



BIBLIOTECA

IN TYPOGRAPHIA BASSANENSI,

MDCCLXVII.

SUMPTIBUS REMONDINI VENETI.

SUPERIORUM PERMISSU, AC PRIVILEGIO.

R.11.475

UAB
Biblioteca de Ciències Socials

UAB
Biblioteca de Ciències Socials



JOHANNI BAPTISTÆ REZZONICO,

SS. D. N.

CLEMENTIS XIII.

PONT. OPT. MAX:

FRATRIS FILIO,

SACRI PALATII APOSTOLICI PRÆFECTO,

EX INCLYTO HIEROSOLYMARIORUM EQUITUM ORDINE

MAGNO IN URBE PRIORI

PRÆSULI AMPLISSIMO

JOHANNES BAPTISTA REMONDINI
FELICITATEM.



CONSILIUM *atque institutum meum compellandi sive potius interpellandi* TUI, PRÆSUL AMPLISSIME, *breviter aperiendum*

riendum eſt mihi : breviter , inquam , ne ,

Quum tot ſuſtineas ac tanta negotia ...

... in publica commoda peccem ,

Si longo ſermone morer tua tempora .

Illud igitur inter eos , qui ſua , atque eos , qui aliena ſcripta , alicujus præſtantis Viri nomine inſcripta edunt , intereſſe animadverti , quod alteri , offenſionem fortaſſe aliquam ſcriptorum ſuorum , atque invidorum hominum minuſve æquorum reprehenſionem veriti ac præcaventes , Patronum ſibi adſciſcunt , cujus auctoritate ac nomine obtrectatorum audacia comprimatur : alteri vero , alienorum ſcriptorum præſtantia , ac doctorum hominum de iiſdem conſentiente judicio atque adprobatione confiſi , non Patronum ac vindicem requirunt , ſed eum , cujus nomine inſcripta ac nobilitata majore cum commendatione venire in manus hominum illa poſſint .

Alterius hujus generis vir mihi , BENEDICTI XIV. *Pont. Max. doctrinæ Opera univerſa , quindecim voluminibus comprehenſa , edituro , quærendus fuit ; nam quid ego de ejuſmodi lucubrationum defenſore ullo conſtituendo parandoque cogitarem , quas a nemine , niſi impudentiſſimo aut inſaniſſimo , accuſari ulla in re poſſe intelligebam ? qui eas viderem ab ipſis catholici nominis hoſtibus non modo non reprehenſas , ſed etiam ſummis laudibus celebratas ; quique meminiſſem , quid de iis* CLEMENS XIII. *(quo Catholici quotquot ſumus Patre ,* TU *vero* AURELII REZZONICI , *clariſſimi ac ſingularis viri filius , etiam Patruo gloriaris) ſentire ſeſe oſtenderit , quamque omnibus numeris abſolutas*

perfe-

perfectaſque judicarit ; qui , Patavinorum tum Antiſtes ac S. R. E. *Cardinalis , quatuor earum ingentia ac ſpiſſa volumina ea in Urbe typis elegantiſſimis imprimenda , & ubivis gentium vulganda curavit .*

Nihil igitur neceſſe fuit ad Benedicti XIV. *Operum famam , quæ in tuto locata eſſet , aſſerendam , contraque obtrectatorum , qui nulli futuri eſſent , conatus atque impetus muniendam , cujuſquam a me patrocinium expeti aut advocari , ſed unum modo aliquem excellentem cumprimis Virum deligi atque conſtitui , cujus nominis dignitate atque ſplendore nova quædam illis dignitas ac ſplendor accederet .*

De quo quidem ego viro deligendo conſtituendoque quum cogitarem , Tu *mihi ſtatim ,* Johannes Baptista Rezzonice , *ſumma cum animi mei voluptate occurriſti , cujus ex ſolo nomine , doctiſſimis voluminibus inſcripto , dignitas iis illa ac ſplendor arceſſeretur . Videbam enim , tantum in* Te *ornamentorum ac tamquam lucis eſſe ac redundare , ut quibuſcumque* Tu *rebus præſtantiæ* Tuæ *aliquid impertires , exornare atque illuſtrare eas poſſes . Generis atque Familiæ claritatem , opes , affinitates , clientelas , cætera , quæ fortunæ bona eſſe exiſtimantur , præclara in* Te *atque eximia ſuſpiciebam . Ea etiam , quæ a Natura hominibus tribuuntur , in eumdem* Te *affatim congeſta eſſe perſpiciebam , acutiſſimum ingenium , judicium acerrimum , memoriæ vim pene incredibilem , ſummam gravitatem , facilitatem affabilitatemque plane mirificam . Quæ vero ipſi per ſe homines , Fortuna Na-*

turaque

UAB
Biblioteca de Ciències Socials

turaque adjuti, ſibi comparant & aſſumunt, in iis tantum profeciſſe TE *atque excellere animadvertebam, multæ ut* TIBI *graviſſimæque Reipublicæ partes commiſſæ fuerint, præcipuique magiſtratus atque honores mandati. Quorum quidem honorum, qui eſt atque habetur ampliſſimus ſummoque proximus, eo carere adhuc* TE, *mirabar non nihil quidem, neque tamen moleſte admodum ferebam; dilatus enim aliquamdiu, quam propere delatus, multo* TIBI *cum uberior atque glorioſior, tum & eidem* TIBI, *& deferenti eum, & cæteris, maximæ cumulatiſſimæque* TUÆ *laudis ſtudioſis ac cupidis, jucundior futurus erat: quem nempe non generi aut imaginibus, non ſanguinis communioni, non fortunis neque Fortunæ delatum, ſed diu ſpectatæ, certiſſimiſque indiciis & argumentis probatæ, neque vero unquam defecturæ Virtuti tributum fuiſſe, mortales omnes, ea ipſa de re* TIBI *ſibique gratulantes, intellecturi eſſent;* TUQUE *dignitate potius* TUA, *quam* TUO *illo ipſo honore lætarere.*

Cujus ego lætitiæ maturitatem, quam tamen non longe abeſſe & opto & ſpero, exſpectandam mihi eſſe non duxi: ſed iis nunc quidem honoribus, quos adhuc adeptus es, contentus, & certa ſpe, adepturum TE *illum quoque, qui reliquus eſt,* TIBIQUE *omnium judicio ac confeſſione debetur, ſuſtentatus, omnia* BENEDICTI XIV. *quæ dixi, Opera* TUO *nomine honeſtare atque inſignire properavi: quorum editionem hanc meam, multo quam reliquas omnes, quæ non uno in loco ad hanc uſque diem plurimæ apparue-*

runt,

runt, locupletiorem, ac niſi forte conatus me meus fruſtratus eſt, etiam accuratiorem, TIBI, JOHANNES BAPTISTA REZZONICE, *obſequentiſſimus cliens, Nominis admirator ac venerator* TUI, *ſiſto; cumque ea me quoque Libens Merito, Do, Dico, Dedico, Conſecroque.*

Venetiis IX. Kal. Decemb. MDCCLXVII.



UAB
Biblioteca de Ciències Socials

NOI RIFORMATORI

Dello Studio di Padova.

AVendo veduto per la Fede di Reviſione, ed Approvazione del P. Serafino M.ª Maccarinelli Inquiſitor Generale del Sant' Offizio di Venezia nel Libro intitolato: *Benedicti XIV. Pont. Opt. Max. olim Proſperi de Lambertinis Opera Omnia*, non v' eſſer cos' alcuna contro la Santa Fede Cattolica, e parimente per Atteſtato del Segretario Noſtro, niente contro Principi, e buoni coſtumi, concediamo Licenza a *Giambatiſta Remondini* Stampator di Venezia, che poſſa eſſer ſtampato, oſſervando gli ordini in materia di Stampe, e preſentando le ſolite Copie alle Pubbliche Librerie di Venezia, e di Padova.

Dat. li 22. Luglio 1761.

(Angelo Contarini Proc. Rif.
(
(Franceſco Moroſini 2.° Cav. Proc. Rif.

Regiſtrato in Libro a Carte 94. al Num. 307.

Giacomo Zuccato Segret.

Adi 24. Detto.

Regiſtrato appreſſo gli Eccell. Eſecutori contro la Beſtemmia.

Gio: Pietro Dolfin Segret.

UAB
Biblioteca de Ciències Socials

IN OMNIA
BENEDICTI XIV.
OPERA
RECENTIS EDITORIS
PRÆFATIO.



TAM egregia ſunt Benedicti XIV. Pontificis Optimi Maximi, qui antea dictus fuit Proſper de Lambertinis, in univerſam Litterariam Rempublicam merita, tantaque eſt doctrinæ, qua ipſe in omni fere ſtudiorum genere, ſed præcipue in rebus ſacris mirifice excelluit, amplitudo, atque præſtantia, ut nulla ſit provincia, nulla civitas, Academia nulla, aut Litteraria Societas, quæ ſummum hunc Romanæ Eccleſiæ Præſulem propterea magnis laudibus non extollat. Neque ſolum Romanæ communionis homines eum magnopere prædicant, ſed, quod plane ſingulare eſt, Heterodoxi quoque non pauci, iique doctiſſimi viri illum in ſuis libris plurimum celebrant, ac veneratione quodammodo proſequuntur. Id præter cetera ſatis ſuperque teſtantur tria illa Judicia, quæ de aureo ejus Opere *de Servorum Dei Beatificatione, & Beatorum Canonizatione* ediderunt clariſſimi Actorum eruditorum Scriptores Lipſienſes an. 1740. & 1741. quæque initio primi hujus noſtri Voluminis legi poſſunt. Nil igitur mirum, ſi ſtatim ac ſingula ejus ſcripta publicam lucem primum aſpiciebant, communi ubique Litteratorum virorum plauſu excipiebantur, adeo ut ea illico pluribus in locis recudere neceſſe fuerit, quemadmodum a nobis infra diſtinctius enarrabitur, dum ſingillatim omnia illius Opera recenſebimus. Litur-

gica

gica etiam Academia Conimbricenſis in Luſitania Canonicorum Regularium S. Crucis non ita pridem inſtituta ſecum reputans, maximam Auditores ſuos ex Lambertinianorum librorum lectione utilitatem capturos, eorum omnium ſuis ſumptibus Romæ typis iterandorum conſilium prorſus nobiliſſimum cepit, eamque provinciam demandavit cl. P. Emanueli de Azevedo, qui tunc Romæ morabatur, eratque Auctori noſtro acceptiſſimus. Is, re cum Pontifice communicata, non ſolum ab eo veniam impetravit, ſed præterea juſſus eſt omnia ejus Opera ſedulo recognoſcere, & ſi quid mutatione dignum exiſtimaret, ad ipſum deferre. Ita factum, & in ſolum Tractatum *De Beatificatione*, *& Canonizatione* mutationes ſexies mille circiter inductæ ſunt. Res fuit laboris immenſi, qui tamen in ultimis tomis aliquantulum imminutus fuit, cum omnes Editionem urgerent, quæ tandem duodecim Tomis in quarto maximo abſoluta fuit. Priora octo illius Editionis volumina Opus continent *De Beatificatione*, *& Canonizatione*; quatuor enim antiquis, Editionum nempe Bononienſis, & Patavinæ, alia quatuor tunc primum addita fuere, ſcilicet V. quod continet Acta Canonizationis SS. Fidelis a Sigmaringa, Camilli de Lellis, Petri Regalati, Joſephi a Leoniſſa, & Catharinæ de Ricciis a Benedicto XIV. celebratæ: & VI. quod complectitur Acta & Decreta in cauſis Beatificationum, & Canonizationum, aliiſque ad ſacrorum Rituum materiam pertinentibus. Judicia vero Litteratorum virorum de Opere *De Beatif. & Canoniz.* veteres Præfationes, Epiſtolæ dedicatoriæ, necnon Appendices ad quatuor priores libros in peculiarem Tomum, nempe VII. rejecta ſunt. Tomus autem VIII. eſt Index alphabeticus generalis eorum omnium, quæ in quatuor prioribus libris continentur. His octo Tomis alii quatuor in Editione illa ſuccedunt, ſcilicet Tom. IX. qui exhibet commentarium de ſacroſancto Miſſæ Sacrificio; Tom. X. quo continetur alter ejus commentarius de Feſtis Chriſti Domini, & B. M. Virginis una cum Appendice nonnullo-

rum

UAB
Biblioteca de Ciències Socials

rum Sanctorum, de quibus Officium & Missa celebratur in Bononiensi Diœcesi; Tom. XI. comprehendens Institutiones Ecclesiasticas, & tandem XII. qui habet Tractatum de Synodo Diœcesana, qui tunc primum editus fuit.

Post Editionem tam elegantem, tantaque diligentia Romæ sub Auctoris nostri tum viventis oculis, auspiciisque confectam, alicui fortasse videatur, nihil novo Lambertinianorum Operum Editori faciendum supereſſe. Verum aliter se res habet; nam præter tres integros Tomos, qui in Editione illa desiderantur, quique a nobis nunc primum additi sunt, de quibus infra fusius verba faciemus, plurima alia sunt, quæ recentem hanc Collectionem nostram Romana illa longe præstantiorem, magisque commendandam efficient, quemadmodum unicuique facile patebit, qui ad ea, quæ de singulis Pontificis nostri Operibus præfabimur, paulisper animum advertat. Ceterum Romanam illam Editionem in nostra concinnanda semper præ manibus habuimus, neque ab illa umquam ne latum quidem unguem discessimus, nisi aliter evidens ratio, aut major legentium utilitas suaserit.

Editio igitur nostra quindecim in folio voluminibus constat, de quibus aliquid singillatim præfari juvat, ut totius Collectionis nostræ quidam quasi prospectus, ac œconomia quædam in ipsa fronte quodammodo Lectoribus appareat. Primum omnium, præter elegantissimam Pontificis nostri effigiem ab egregio Artifice ære insculptam, tanquam Editionis totius decus quoddam ac ornamentum præmittimus brevem de ejus vita, & scriptis Commentarium a præstantissimo viro elucubratum, qui diu multumque cum eodem Auctore nostro familiariter vixit; ad cujus Commentarii calcem ex Museo Mazzuchelliano tribus æneis tabulis triginta quinque Numismata exhibemus, quæ præclariores Benedicti XIV. res gestas a primo ejus Pontificatus anno usque ad postremum complectuntur, una cum singulorum Numismatum explicatione, quam exaravit cl. Comes Joannes Maria Mazzuchellius. Deinde subsequitur Opus vere aureum *De Servorum Dei Beatificatione*, & *Sanctorum*

UAB
Biblioteca de Ciències Socials

Canonizatione. Illud Bononiæ primum editum eſt quatuor in folio voluminibus, ipſius Auctoris cura, qui tunc archiepiſcopalem ejuſdem Urbis Eccleſiam moderabatur. Sed quoniam docti viri numquam fere ſolent ingenii ſui fœtibus penitus acquieſcere, Opus immenſo labore, atque omnigena eruditione elucubratum novis curis Auctor ipſe recognovit, & curante celeberrimo viro Jacobo Facciolati ſub auſpiciis Eminentiſſimi Caroli Cardinalis Rezzonici tunc Patavini Epiſcopi, nunc Clementis XIII. feliciter regnantis, iterum Patavii recuſum eſt in quatuor item Tomos magni folii diſtributum. Editio, ſi typos ſpectes, elegantiſſima eſt; vix Typothetarum errata reperias, charta nitida, & characteres ſelecti. Gratiſſima vero Auctori tum Romano Pontifici fuit Eminentiſſimi Cardinalis, atque aliorum, qui Editionem curaverant diligentia, ut ex Apoſtolicis ejuſdem Litteris in forma Brevis ad ipſum Facciolatum datis perſpicuum eſt. Quod tamen ſæpe uſu venire ſolet in Opere ab Auctore ſuo dictato, vel Exſcriptorum, vel etiam Auctoris ipſius plura mente revolventis inconſiderantia non pauci irrepſere lapſus, præſertim in citandis SS. Patribus unum pro alio nominando, quod non ſolum Operis accurationi, ſed Hiſtoriæ quoque ipſius veritati non parum adverſatur. Invenies etiam quandoque verba, *curſivo*, ut ajunt, charactere citata, cum tamen Auctor, abſoluta citatione, ex propria ſententia loquatur. Sæpenumero aliorum Auctorum ſcriptis nimium fidens, eorum errata in citandis Patribus tranſcripſit. Cum vero de expenſis in Canonizatione fieri ſolitis verba facit, facile allucinatus eſt vir doctiſſimus, qui ſtudiis penitus addictus numquam pecuniæ pretium, nec pecunias ipſas cognovit. Multa igitur ſupererant in Opere celeberrimo corrigenda, quæ licet intimæ ejus præſtantiæ nihil detraherent, illud tamen ſuis nævis aliquantulum obfuſcabant. In Romana vero, de qua ſupra diximus, Editione ad uſum Academiæ Liturgicæ Conimbricenſis adornata, hæc aliaque plura ſumma diligentia emendata ſunt, Auctore ipſo vi-

dente,

dente, & penitus probante. Nos igitur, quod ſpectat ad Opus *De Beatificatione*, & *Canonizatione*, Romanam illam Editionem omnino ſecuti ſumus, ſi Tomorum numerum, atque ordinem excipias, nec non aliquarum rerum diſpoſitionem, quas aptiori loco ex doctiſſimorum virorum conſilio collocavimus. Totum enim hoc Opus ſeptem juſtæ molis voluminibus concluſimus, ad ſua loca revocantes quæcumque ad Tomum VII. in Editione illa inconſulto rejecta fuerant. Ordo autem, quem in partitione tenuimus, eſt hujuſmodi.

Priora quatuor volumina quatuor Auctoris noſtri Libros ſingula ſingulos continent; ad uniuſcujuſque autem Libri calcem Appendices ad eum pertinentes ex antedicto Tomo VII. Romanæ Editionis revocavimus tamquam ad opportuniorem locum, & ſtudentibus commodiorem. Judicia vero Litteratorum de noſtri Auctoris Operibus, veteres Præfationes, Epiſtolaſque dedicatorias aliarum Editionum, quæ omnia in Romana ad eundem Tomum VII. translata fuerant, primo volumini præfigenda curavimus.

Sequitur Tomus V. qui generales præcedentium quatuor Tomorum uberrimos, atque accuratiſſimos Indices complectitur (nam reliqui omnes Tomi ſuum ſinguli adnexum habent in fine Indicem peculiarem). Cum enim quamplurima in quatuor illis Libris contineantur non ſolum ſacrorum Rituum ſtudioſis, ſed ceteris quoque, præſertim qui Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ, ſacræque Antiquitati cognoſcendæ dant operam, utiliſſima, commodum viſum eſt longiori Indice, immo pluribus Indicibus accuratiſſime elaboratis inſtruere, in quibus non modo præcipuæ res, ſed Scriptores etiam, & quæ Servorum Dei Cauſæ in Opere nominantur, indicentur. Nemo enim ignorat, indices hujuſmodi diligenter confecti, quantum levent eorum laborem, qui vel jamdiu Opus legerunt, ſingulas vero res memoria retinere non potuerunt, vel Opere nondum lecto, an ibidem aliquid adſit quod ad rem ſuam faciat cognoſcere

UAB
Biblioteca de Ciències Socials

gnoſcere volunt. Et certe ſine his ſubſidiis multa excellentium Auctorum ſcripta eo fructu carent, qui poterat in plurimos redundare.

Succedit Tomus VI. in quo Benedictus XIV. Decreta omnia cum generalia, tum particularia quæcumque ipſe ſuper Cauſis Beatificationum, & Canonizationum variis temporibus ediderat, ſummo ſtudio in unum collegit, & in certas quaſdam veluti claſſes diſtribuit, cui etiam addidit plurimas Epiſtolas, Decreta, Apoſtolicas Litteras, Conſtitutiones, aliaque Monumenta, in quibus argumenta in SS. Rituum Congregatione agitari ſolita pertractantur, vel aliquid hujuſmodi conceditur, vel decernitur. In fine hujus Tomi nos novam Appendicem nunc primum adjecimus nonnullorum Decretorum, Conſtitutionum, atque Epiſtolarum, quæ poſt Romanam Editionem prodierunt, quæque inſerta fuerant in Appendice ad Tom. IV. Bullarii Benedicti XIV. ea præmiſſa monitione, ut ſi quando nova horum Operum editio fieret, huic Tomo adjungerentur.

Tomus VII. exhibet Acta Canonizationis quinque Sanctorum a Pontifice noſtro celebratæ, nempe Fidelis a Sigmaringa, Camilli de Lellis, Petri Regalati, Joſephi a Leoniſſa, & Catharinæ de Ricciis. In eo inſuper Decretales Benedicti XIV. Litteræ de ſingulorum eorumdem Beatorum Canonizatione ſub plumbo datæ integræ recenſentur, & Vaticanæ Baſilicæ ornatus graphice deſcribitur, plurimis etiam æneis tabulis adjectis affabre elaboratis. Quidquid in ſuperioribus Libris Auctor noſter ſapientiſſime docuerat, in hoc Volumine quomodo ad praxim redactum, atque executioni mandatum ſit, unico veluti obtutu perſpicitur: quare ad univerſæ materiæ complementum maxime conducit. Hoc autem Tomo VII. qui in Romana V. inſcribitur, tandem concluditur totum Opus de Beatificatione, & Canonizatione; nam cum omnia, quæ in eadem Romana Editione peculiarem Tomum, nempe VII. efficiunt, a nobis partim in primo, partim in reliquis tribus Tomis ſuo loco appoſita fuerint, uti jam

ſupra

UAB
Biblioteca de Ciències Socials

ſupra dictum eſt, illud non amplius in octo, ut in Romana, ſed in ſeptem ſolummodo Tomos diſpertitum eſt.

Hactenus de Opere *de Servorum Dei Beatificatione, & Beatorum Canonizatione*; nunc ad reliqua progrediamur. Tomus VIII. complectitur doctiſſimum Pontificis noſtri Commentarium *De Sacroſancto Miſſæ Sacrificio*. Commentarius hic, non ſecus ac alter qui mox ſubſequetur *De Feſtis D. N. & B. M. Virginis &c.* italice ab Auctore noſtro conſcriptus fuit, dum eſſet Archiepiſcopus Bononienſis, & Bononiæ primum prodiit an. 1740. Hunc ipſe laborem eo conſilio ſuſcepit, ut Clericos ſuos Bononienſes, quibus præerat, ad Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ, & rerum Polemicarum ſtudium excitaret, præſertim cum nullus tunc temporis eſſet in illa Metropolitana Canonicus, qui Theologica Dogmata explicaret, quemadmodum fuſius Auctor in Præfatione Italicæ illi Bononienſi Editioni præfixa teſtatur. Poſt plures Italicas variis in locis factas Editiones, illum deinde latinitate donavit cl. vir Michael Angelus Giacomelli, tunc ab intimo Sacello Pontificio, nunc a Ss. D. N. Clemente XIII. creatus Secretarius Brevium ad Principes, atque Archiepiſcopus Chalcedoniæ, atque ita latine verſus quadriennio poſt Patavii recuſus fuit, multis, iiſque ſane non inutilibus acceſſionibus auctus: quæ quidem additamenta Auctor tum ſummus Pontifex ſubciſivis paravit temporibus, cum ipſi a publicis curis in domeſtica Bibliotheca ſecluſo paulum licuit reſpirare. Tandem Romanus omnium Benedicti XIV. Operum Editor tredecim utiliſſimis Appendicibus locupletavit, atque uberrimo Indice inſtruxit. Romanæ huic Editioni nos adhæſimus, eamque ad amuſſim ſecuti ſumus.

Tomum IX. occupat Commentarius alter *De Feſtis Domini Noſtri Jeſu Chriſti, & B. M. Virginis &c.* In hoc Opere conſcribendo idem Auctori noſtro conſilium fuit, quod de altero ejus Tractatu *De Miſſæ Sacrificio* ſupra diximus, ſcilicet Clerum ſuum inflammandi ad ſacras Hiſtorias, & Controverſias, quæ in iis diſceptantur, cognoſcendas. Prodiit primum an. 1740. italice typis Bononienſibus, & ſtatim Venetiis, & Pa-

tavii

tavii recuſus fuit. Latine deinde verſus ab eo, quem ſupra nominavimus, præſtantiſſimo Præſule Michaele Angelo Giacomelli, ſæpe cum Patavii, tum alibi impreſſus fuit una cum altero Commentario *de Sacroſancto Miſſæ Sacrificio*. In poſtrema Editione Romana Operum Benedicti XIV. additus fuit alius ejuſdem Pontificis Tractatus de nonnullis Sanctis, quorum Officium, & Miſſa in Bononienſi Diœceſi celebrantur, quem Auctor italice ſcripſerat, & deinde ejuſdem juſſu latinitate donavit P. Emanuel de Azevedo; locupletiſſimo præterea Indice inſtruxit P. Hieronymus Lombardus. In Patavina Editione hic Tractatus penitus prætermiſſus fuerat, non alia ratione, niſi ne præter modum excreſceret voluminis magnitudo, & propterea quod ad ſolam Bononienſem Eccleſiam pertinere viſus eſt. Nos in hoc etiam Opere recudendo Editionem noſtram ad Romanam illam plane exegimus.

Tomus X. Inſtitutiones Eccleſiaſticas comprehendit. Hæ nihil aliud ſunt, quam Edicta, Notificationes, & paſtorales Epiſtolæ, quæ ab Auctore, dum Bononienſem Cathedram moderabatur, ad rectum Eccleſiæ ſuæ regimen identidem divulgabantur. Singulæ primum Bononiæ ſeorſum editæ ſunt, quo unaquæque tempore proponebatur. Deinde omnes ſimul collectæ, & in quinque Tomulos diſpertitæ ibidem typis excuſæ ſunt: Iterum Venetiis anno 1740. ad normam Editionis Bononienſis, ſed unico Tomo in 4. comprehenſæ. Quarto Romæ an. 1742. in duos Tomos in 4. diſtinctæ. Poſt quatuor iſtas hujus Operis Italicas Editiones eruditiſſimus vir Idelphonſus a S. Carolo Scholarum Piarum, Collegii de Propaganda Fide Rector, Pontificis noſtri juſſu eas in latinum ſermonem elegantiſſime convertit, ac Romæ typis S. Congregationis de Propaganda Fide impreſſit an. 1747. Editio hæc latina Romæ iterum prodiit an. 1750. ad uſum Academiæ Liturgicæ Conimbricenſis, paucis quoad ordinem immutatis meliuſque diſpoſitis. Hanc nos Editionem omnino ſecuti ſumus.

Duo, qui ſequuntur Tomi, nempe XI. & XII. in egregio Opere impenduntur *De Synodo Diœceſana*. Prima hujus Tractatus lineamenta cl. Auctor adumbrare cœpit, imo ad aliquod complementum adduxit, dum

Cardi-

UAB
Biblioteca de Ciències Socials

Cardinalatus honore insignitus, Metropolitanæ Bononiensis Ecclesiæ gubernacula susceperit, sed illud non perfecit nisi aliquot post annos, ex quo ad Romanum Pontificatum evectus est, anno scilicet 1748. quo illud Romanis typis evulgavit. Mirum quanta cum approbatione ab ecclesiasticarum rerum studiosis ubique eximium Opus exceptum fuerit; quare Romanam illam Editionem statim altera subsecuta est, Patavii scilicet typis Seminarii, atque alibi etiam recusum fuit. Aliquot post annos, idest an. 1755. doctissimus Auctor novam Operis Editionem in folio maximo curavit plurimis additamentis auctam, quæ necessaria ipsi aut opportuna visa sunt, quæque in ejus Præfatione eidem Editioni præmissa plenius cognosci possunt. Hæc etiam nova Editio Patavii primum, & deinde pluribus aliis in locis non semel recusa fuit. *Postrema hac* Romana ceteris multo locupletiore nos modo usi sumus. Quare hoc etiam ex capite nostra hæc omnium Benedicti XIV. Operum Collectio longe præstantior erit ultima Romana eorumdem Operum Editione, in qua Opus istud *de Synodo Diœcesana* reperitur octo solum libris constans, prout primum ab Auctore elucubratum fuit, & propterea quinque integris libris mancum, qui postea additi fuerunt.

Præter ea, quæ hactenus enumeravimus, alia quoque supersunt Auctoris nostri Opera, quæ Romanus Lambertinianorum Operum Collector, initio Tomi XII. separatim in alio *volumine* Appendicis nomine se exhibiturum promiserat, sed deinde nescio qua de causa omnino prætermisit; ea scilicet, quæ ab Auctore nostro conscripta sunt, dum Secretarii Sacræ Congregationis Concilii munere fungeretur, & Opuscula bene multa, peculiares nempe Dissertationes, Epistolæ, Allocutiones, atque alia hujus generis non pauca, quæ publicam profecto lucem promerentur. Ad priora quod spectat, de iis Auctor noster ita loquitur in Præfatione præfixa noviſſimæ Editioni egregii sui Commentarii *de Synodo Diœcesana*: „ Cum nos olim munere Secretarii præ-

„ dictæ

„ dictæ (Concilii) Congregationis ornati fuerimus, „ eam inſtituimus conſuetudinem, quæ deinde a Se- „ cretariis ſucceſſoribus noſtris ſervata fuit, ut in „ foliis cauſarum, quæ ante ſingulas ipſius Congre- „ gationis ſeſſiones typis impreſſa diſtribuuntur, an- „ tiquiores ejuſdem Tribunalis reſolutiones adnota- „ remus, ſi quæ ad alicujus controverſiæ tunc ver- „ tentis deciſionem facere viderentur; adjectis et- „ iam nonnullis præſtantiorum Canoniſtarum aucto- „ ritatibus, quæ ad propoſitam quæſtionem illuſtran- „ dam conferrent. Hinc factum eſt, ut hujuſmodi „ folia tam a nobis, quam a Succeſſoribus noſtris „ exarata, utpote ſtudioſorum uſibus proficua, dein- „ de in unum veluti corpus collecta ſimul ederen- „ tur, hoc inſcripta titulo: *Theſaurus Reſolutionum Sa-* „ *cræ Congregationis Concilii*, cujus Theſauri jam plura „ Volumina extant; & quatuor quidem priora no- „ ſtris lucubrationibus conſtant, reliqua ad eos per- „ tinent, qui nobis in eodem Secretarii munere ſuc- „ ceſſerunt „. Hæc igitur Auctoris noſtri ſcripta o- mnia opportune nunc primum novo *Quæſtionum Canonicarum* titulo inſignita, ex Theſauro illo Reſolutionum Sacræ Congregationis Concilii in Collectionem noſtram transferre neceſſarium duximus, paucis duntaxat, ad ordinem quod pertinet, immutatis, & nova, magiſque conſentanea inducta forma. Quæſtiones continent fere ſexcentas, omnes ab Auctore noſtro nervoſe atque erudite de more tractatas, una cum ejuſdem ſacræ Congregationis Reſolutionibus in fine ſingularum appoſitis. In duos Tomos Quæſtiones illas omnes diſpeſcuimus, qui XIII. & XIV. erunt noſtræ hujus Editionis. Quanta ſit hujuſce Operis utilitas, atque præſtantia ex ejus titulo ſatis apparet. Ut autem faciliori ſtudioſorum uſui conſuleremus, duplici Opus illud Indice, eoque locupletiſſimo inſtruximus, quorum alterum, nempe Quæſtionum, initio præfiximus, alterum, ſcilicet rerum & verborum, in fine ponendum curavimus.

Editionem noſtram tandem claudit Tomus XV. & poſtremus, qui plura continet Auctoris noſtri Opuſcula Miſcellanea partim edita, partim inedita, quæ undi-

que

que ſummo ſtudio collegimus. Si quis de iis Opuſculis plura diſcere, & quænam illa ſint plenius cognoſcere cupiat, Præfatiunculam illam adeat, quam Tomo huic peculiariter præfiximus: ea enim, quæ ibi diximus, hic repetere ſupervacaneum exiſtimamus.

Ex his, quæ hactenus a nobis dicta ſunt, facile quiſque videre poteſt, quantum Editio hæc noſtra, quam modo adornavimus, ſuperioribus omnibus, atque etiam ultimæ Romanæ antecellat. De ſolertia vero noſtra, quam adhibuimus, ut elegans, & quoad fieri poteſt, emendatiſſima prodiret, nihil dicimus: ii enim qui lecturi ſunt per ſe poterunt facile dijudicare.



DE BENEDICTO XIV. P. O. M.

ATQUE DE EJUS SCRIPTIS, ET VITA

BREVIS COMMENTARIUS.



INTER primas Bononienſis Urbis familias præclara maxime ſemper extitit Lambertinorum Stirps, eo potiſſimum quod omnium virtutum genere heroas ornatiſſimos, pace ac bello viros egregios, humanarumque rerum doctiſſimos Juriſconſultos celeberrimi nominis quamplurimos, ac de Patria benemerentes in lucem dederit. Teſtis eſt D. Joanna Lambertini S. Catharinæ Bononienſis Sodalis, ac illius virtutum Religioſa æmulatrix. Teſtes Eganus Lambertini, Aldraghetus, Albertus, aliique viri inſignes, qui ob ſingularia in Regem Aragoniæ merita, plura in Regno Neapolitano feuda poſſederunt; antiquiſſimum vero in agro Bononienſi Podii Rhenatici Feudum a Guidone Aldragheti filio acquiſitum in hac præclara familia adhuc perſeverat. Eganus vero Lambertini eo dignitatis, & opinionis in Patria devenit, ut anno 1383. ampliſſimum Conſervatoris Patriæ titulum a Conſulibus Bononienſibus fuerit aſſecutus. Videndus Wadding. Annal. FF. Min. t. x. pag. 184. §. 20. Dulfius de familiis Bononienſibus, Maſſini *Bononia illuſtrata*, Franciſcus Amadi *della nobiltà di Bologna*, pag. 124., ubi etiam exactam Lambertinorum genealogiam reperies.

Ex hac nobili ſtirpe Patre præclariſſimo viro Marcello Lambertini majorum ſuorum ſtrenuo æmulatore, Matre vero Lucretia Bulgarini nobili etiam, ac præclaræ originis fœmina editus eſt Proſper Laurentius Lambertini 31. Martii, anno 1675. cujus virtutes, ac geſta præclare omnia pro dignitate proſequi ſi vellem, in tanta rerum copia, & dicendorum ubertate mihi propoſitas Epitomes leges præterirem, integrumque annalium corpus texerem; quare donec felicior calamus exurgat, qui plenam, & abſolutam hiſtoriam ſcribere aggrediatur, quæ mihi tantiſper cogitanti ſe ſe ſponte ſua obtulerunt paucis attingam.

Confecto vix primo ætatis curriculo, Paulo Paſi erudito viro primum, poſtea Sancto Stancari Presbytero Proſperum, ut in primis elementis latinæ linguæ eum inſtituerent, Parentes tradiderunt. At induſtriæ, & labori præter omnem expectationem adeo reſpondebat puer, ut non ſolum veluti exemplar a Magiſtro Stancari reliquis pueris proponeretur, ſed tanquam futuri præſcius, ſupremam in Patria dignitatem, aliaſque in Urbe etiam maximas, jam tunc

puero

puero auſpicaretur. Primis ſub hiſce Præceptoribus latinitatis, & humaniorum artium rudimentis imbutus, Romam mittitur, ubi ſub diſciplina PP. Congregationis de Somaſcha in Collegio Clementino Rhetoricæ, Philoſophiæ, Theologiæ, ac reliquis ſublimioribus diſciplinis animum applicuit. Nec ſpem fefellit eventus; cum enim præſente Pontifice Maximo Innocentio XII. a Superioribus inter reliquos Juvenes delectus aliquando oraret, ſumma, qua pollebat facundia, ac in dicendo ſuavitate, & venuſtate, Pontificis animum ita ſibi devinxit, ut omnia per id temporis vacantia beneficia in Diœceſi Bononienſi Lambertino libentiſſime contulerit, quamvis eorum annui reditus vix centum aureorum ſummam æquarent. Humanis igitur, ac divinis litteris apprime excultus, boniſque moribus mirifice ornatus PP. Somaſchis valedixit, ſuique jam compos factus incepta ſtudia perfecit, aliaque quæ nondum attigerat pari animi alacritate, atque ardore proſecutus eſt.

Juriſprudentiæ tam Civili, quam Canonicæ operam dabat aſſiduam, atque ut ad ſtudia ſacra peculiari quodam animi impetu ferebatur, quidquid ex eccleſiaſtica diſciplina, & Conciliis in practicos uſus traduci poſſet, diligenter inveſtigavit, magnam etiam Patrum, & veteris hiſtoriæ notitiam acquiſivit. Hac de cauſa mirum in modum delectabatur Sapientum colloquio; quorum autem doctrina non poterat perfrui loquendo, eorum libris, ac ſcriptis legendo reficiebatur. Sicque doctiſſimus eſſe, atque ab omnibus eruditiſſimus haberi cœpit. Ut igitur tanti viri doctrina, ac eruditione univerſa frueretur Reſpublica, in pluribus Urbis Magiſtratibus illius opera uſus eſt Summus Pontifex, vixque ulla Congregatio erat, quam Lambertinus non moderaretur, dirigeret, ac cæterorum excitaret attentionem, ne ab illius ſententia diſſentirent. His ſemper ſtudiis addictus, pietatem nunquam deſeruit, & mirum ſane fuit adoleſcentem omnibus charum, & in deliciis habitum, ingenio fœcundo, vultu ſemper hilari, indole dulci, alloquio ſemper ſalibus referto, candorem innocentiæ, ac vitæ integritatem ita ſervaſſe, ut ad extremam uſque ætatem nihil in ſe ipſo unquam potuerit offendere hac in re, quod flagitii loco notari poſſet, ac reprehendi contra hujus eximiæ virtutis jura commiſſum; ut ab ipſomet ipſemet audiviſſe teſtor in circumſtantiis quæ loquentis fidem confirmabant. Unicus in tanto viro nævus dici poſſet, quod ſi aliquando iraſceretur, verba in ore vulgi, hac noſtra præſertim ætate familiaria nimium, quam par eſſet, nec ſatis caſtigata ei exciderent. Sed vix ad ſe redibat, veniam ſubito poſtulabat, & officiis, ac beneficiis contumelias, atque iracundias verbis iracundis illatas actis emollire ſtudebat. Quem morem in ſummo etiam Pontificatu retinuit, ita ut amabilis ex ipſo unico nævo redderetur, ut ipſemet expertus ſum tribus vicibus in decennio quo me familiaritate ſua dignatus eſt. Semper etiam obſervavi iraſci Pontificem, cum aliquid ab ipſo peteretur, quod negandum exiſtimaret; tunc enim eum interna animi lucta qua optabat annuere, & cogebatur oranti diſplicere, ad innocentem illam iracundiam incitabat. Incredibile enim eſt quantum optimus adoleſcens gauderet cum aliis benefacere poſſet, vel aliquem gaudere intelligeret: hunc animum in omnes propenſum, ac mirifice benevolum ad extremum uſque ſervavit. Cum enim Pontifex Summus jam eſſet, Bacchanalium tempore, quam-

vis

vis domi ſemper delituit, ſemper tamen hilari, ac feſtivo animo erat, eo quod ſciret reliquos illis diebus lætari. Ad id alia etiam addebatur cauſa ut lætiſſimus ipſe eſſet, quod nihil per illos dies eum a ſuis ſtudiis revocaret, quibus ei nihil poterat eſſe jucundius. Verum ut ad pietatis curam redeamus; aſſiduus in primis cultor fuit SS. Sacramenti Euchariſtiæ, quod ſingulis diebus inviſebat, atque ibi ſumma devotione pronus in preces morabatur. Beatiſſimam Virginem, cujus cultum miris modis promovit Pontifex, jam tunc adoleſcens ſtudioſe coluit, & in Nobilium Congregatione Domus Profeſſæ SS. Jeſu non minus pietatis quam ingenii ſpecimen præbuit.

Hæc omnia in Romana Curia jam tunc ei in ipſo ætatis flore omnium amorem, ac venerationem conciliarunt, quinimo magnam de illo ſpem tota Civitas concipiebat. Primum itaque conciſtorialis Advocatus creatur, mox Promotoris Fidei decoratus munere diu in eo permanſit. Theologalem præbendam in Baſilica Principis Apoſtolorum, a Clemente XI. qui illum de graviſſimis controverſiis ſæpe conſulebat, paulo poſt obtinuit; atque inter Prælatos Curiales adnumeratus ad ferendum Urbis Magiſtratibus ſuffragium raro exemplo ſtatim aſſumitur, retentis Conſultoris S. Officii, ac Fidei Promotoris dignitatibus. Immunitatis Eccleſiaſticæ, Reſidentiæ Epiſcoporum, ac de duodecim viris qui tribunal Signaturæ gratis conſtituunt, unus eligitur. Tandem Congregationis Concilii a Clemente XI. creatur Secretarius. His omnibus ſuperior erat illius animus, & licet tot tantiſque occupationibus diſtentus vitam ageret actuoſam, in gravioribus Fidei controverſiis, præſertim quæ ad Servorum Dei Beatificationes, ac Beatorum Canonizationes attinebant, doctiſſimas lucubrationes multoties edebat. Romanæ Publicæ Univerſitatis Rector electus, plurimum in ea ſcientias, ac bonas artes promovit. Modicum temporis, quod ad vacandum aſſumebat, inter eruditiores Curiæ Præſules, alioſque doctrina præſtantes viros de Eccleſiaſtica Hiſtoria, Polemica, ac Dogmatica Theologia, quibus multum profecerat, ac delectabatur, ſermocinando trahebat: hujuſmodique ſermones interjectis ſalibus, ac venuſtate jocorum ita condiebat, ut omnes ſcientiarum amatores ad eum ſæpenumero convenirent, ac illius colloquio recrearentur. His omnibus tamen ſummam gravitatem, ac modeſtiam, ſeveramque morum integritatem, ut Eccleſiaſtico viro par erat, ſemper conjunxit. Anno itaque 1722. ab Innocentio XIII. qui Deceſſoris ſui in Lambertinum benevolentiam æquabat, Sacræ Pœnitentiariæ Canoniſta renuntiatur.

Ne igitur tot labores indonati præterirent, a Benedicto XIII. cui jamdiu propter peritiam, eruditionem, ac conſilii vim erat acceptus, Archiepiſcopus Theodoſiæ primum, deinde die nona Decembris Anno 1726. S. R. E. creatur Cardinalis, eo in pectore diu detento, ac anno 1728. evulgato; quod tamen a Summo Pontifice factum fuit, ut in Magiſtratibus, quos tanquam Præſul gerebat, providentia, ac doctrina graviora negotia dirigeret, ac occurrentes difficultates enodaret. Licet enim ad Anconitanum Epiſcopatum Lambetinum promoverit, eoſdem tamen in Urbe Magiſtratus retinere juſſit. Illius induſtria in Concilio Romano multum enituit; ejus etiam conſiliis factum eſt, ut quamplurimæ inter Apoſtolicam

Sedem,

Sedem, ac Principes Chriſtianos contentiones evaneſcerent. Tandem ut a tot occupationibus, ac laboribus feriaretur aliquantulum, & ad ſuam Eccleſiam ſe conferret, libens annuit Summus Pontifex.

Alacer igitur ſuam adiit Anconitanam Eccleſiam, multaque in illius commodum, ac utilitatem partim egit, partim meditabatur. Romam iterum evocatus evulgatur Cardinalis S. Crucis in Hieruſalem, atque Congregationibus S. Officii, Concilii Tridentini, Epiſcoporum & Regularium, Sacrorum Rituum, ac diſciplinæ adaugetur. Mortuo Pontifice Benedicto XIII. Comitiis adſtitit Vaticanis pro electione Clementis XII. a quo ab Anconitana ad Bononienſem Eccleſiam translatus, & ibi in Patriæ bonum totus occupatus, quamplurima optime curavit; adſcitis operariis, quos ſuis expenſis alebat, diœceſim luſtravit; aliquorum præſertim in Eccleſiaſticis morum licentiam compreſſit; Eccleſiaſticæ diſciplinæ inſtaurator editis Paſtoralibus litteris, Inſtitutionibus, edictis, quæ pluries Bononiæ recuſa, alibi modo in duo, modo in plura volumina digeſta, in aliis Epiſcopis paſtoralem ſollicitudinem excitarunt; eadem vero latine reddita, ac ſæpius in folio impreſſa, decimum tomum ex quindecim editionis noſtræ noviſſimæ conficiunt. In pauperes facilis, ac liberalis; omnibus etiam minimis illum adeundi ſemper patuit aditus. Artium, ac litterarum munificentiſſimus Protector; Seminarium in nobiliorem, ac præſtantiorem formam reſtituit, optimoſque viros præpoſuit, ut ſcientiæ omnes, bonique mores magis in dies florerent. Domum Bononiæ, ubi exercitia S. Ignatii traderentur perpetuo, inſtitui curavit; atque ad illa Bononienſis Diœceſis Parochos per octiduum ſecedere quotannis, gratum ſibi fore mirum in modum oſtendit. Exteros Religioſos, novoſque verbi Dei præcones in urbem invexit, collatiſque ſubſidiis nova Oratoria, ac novas Eccleſias conſtrui curavit. S. Petri Metropolim ampliſſimo ædificio, ac nobili fronte exornavit. Ædes S. Joannis *del mercato*, veteremque ædiculam *la croce dei Santi* nuncupatam reparavit, amplificavit. Omnes denique Eccleſiæ, vel Oratoria, promovente Archiepiſcopo zelantiſſimo, vel opem ferente, picturis, aliave Eccleſiaſtica ſupellectili decorata, atque exornata fuerunt. Miſſiones per totam Diœceſim frequenter haberi voluit: nec minus ſuorum Civium temporali commodo invigilabat oculatiſſimus Paſtor; Urbis vias, quod prius Anconæ egit, reparavit; ac Palatium *del ſaſſo* dictum ſuo ære extructum Bononienſium Antiſtitum commodo ac levamini ædificavit.

Inter has Paſtoralis muneris curas propenſum in litteras animum nunquam remiſit; ſed ultra prædicta volumina Notificationum, Edictorum, & Inſtitutionum, quatuor alia magna volumina de Servorum Dei beatificatione, ac Beatorum canonizatione eruditionis ac doctrinæ a ſacris fontibus petitæ abunde referta, addita etiam recenti praxi in qua verſatiſſimus erat, evulgavit. Opus illud jampridem delineaverat, cum Promotor Fidei Sanctorum Cauſas evolveret, ſed poſtea evectus ad officium Secretarii Congregationis Concilii illud intermittere coactus fuit, atque aliis ſtudiis operam navare ad exponendas ſcilicet canonicas controverſias, quæ in ea Sacra Congregatione agitari ſolent. Plurima ea occaſione ſcripta elucubravit, quæ ſimul collecta quatuor efficiunt priora volumina

in 4.

in 4. magni illius Operis, quod inſcribitur : *Theſaurus Reſolutionum S. Congregationis Concilii*; quæque in noviſſima hac Editione in meliorem formam diſpoſita, & *Canonicarum Quæſtionum* titulo inſignita, duobus Tomis in folio comprehenduntur, nempe XIII. & XIV. Prædictum autem Opus *De Servorum Dei Beatificatione, & Beatorum Canonizatione* jam Archiepiſcopus Bononienſis tandem perfecit, & typis edidit Bononiæ quatuor tomis in fol. Illud deinde Patavii magnificentiſſime recuſum fuit, demum mirifice auctum ad ſeptem juſtæ molis volumina in fol. excrevit in hac noſtra Editione, ut ex ſuperiori Recentis Editoris Præfatione melius innoteſcet. Diſſeruit etiam Auctor noſter de Sacroſancto Miſſæ Sacrificio, de Feſtis D.N.J.C., ac B.V.M. & aliquorum Sanctorum, quorum officia in Bononienſi Diœceſi celebrantur. Hoc etiam Opus aliæ editiones in plura volumina, aliæ in pauciora redegerunt; ſed in noſtra tomos octavum & nonum conficiunt latinitate donata, quæ Archiepiſcopus italice ſcripſerat præcipue in gratiam Parochorum, ut idoneo doctrinæ apparatu inſtructi facilius in commiſſo grege devotionem excitarent. Celeberrimum illud Opus de Synodo Diœceſana, quod jam Pontifex Summus dictavit, & primo evulgatum fuit, in tomo XII. Romanæ Editionis omnium Operum, ac iterum novis curis locupletatum ſeorſum edendum curavit, jam Bononiæ moliebatur, ſed totius Orbis, & Eccleſiæ bonum ad alias curas, ac graviores multo eum traduxerunt.

Cum igitur decem rexiſſet annos Eccleſiam Bononienſem, mortuo Clemente XII. ad Vaticana Comitia acceſſit, ubi poſt diuturnam ſex menſium diſcuſſionem, ſubita Patrum conſenſione renunciatus eſt Summus Pontifex die 17. Auguſti anno 1740. In ejus electione ſingularem Dei providentiam nemo non agnovit; certe nulla humanæ induſtriæ tentamina injecerat (illa etiam ſi qua innocua ſunt) vir a principatu omnino alienus; immo ut omnibus compertum ſemper fuit, atque ipſe ſincero quo pollebat animo ſæpe confirmavit, nunquam ipſi in mentem venerat neque ante Comitia, neque in ipſa Comitiorum diuturnitate, eventurum, ut de illius promotione ageretur. Attamen vix in Solium evectum Benedictum XIV. Chriſtianus Orbis aſpexit, omnes ſibi invicem gratulabantur, quod Principem omnium virtutum genere ornatiſſimum, pium, ſapientem, ſtrenuum, circumſpectum, cunctiſque iis dotibus, quæ ad ſummum Pontificatum integre, riteque adminiſtrandum, atque ad populum ſibi concreditum verbo, & exemplo paſcendum, neceſſaria ſunt, præditum, ac munitum a Deo eſſent conſecuti.

Talis profecto erat Benedictus; ille ſanctiſſimis edictis, decretis, legibus, conſtitutionibus foris extinxit licentiam, ab orbe chriſtiano errores expulit, libertatem proſcripſit, æquitatem invexit in tribunalia, religionem accendit in templis, ambitionem in Aula repreſſit, a Curia expulit ſimoniam, chriſtianoque in orbe pietatem, pacem, concordiam ſeminavit. In Cælites pius, exteris Principibus charus, Sacro Purpuratorum Collegio comis, populo amabilis, omnibus humaniſſimus. Alexandrum Saulium, Hieronymum Æmilianum Patricium Venetum Somaſchæ familiæ inſtitutorem, Joſephum Calaſantium Congregationis Scholarum piarum parentem, Joſephum a Copertino Sacerdotem ex ordine Conventua-

lium,

lium, Joannam Franciſcam Fremiot de Chantal Monialium a Viſitatione inſtitutricem Beatorum faſtis adjunxit; Fideli vero a Sigmaringa Capucino Sacræ Congr. de propaganda Fide Protomartyri, Camillo de Lellis Regularium miniſtrantium infirmis inſtitutori, Petro Regalato ex ordine Minorum de Obſervantia, Joſepho a Leoniſſa e Capucinorum familia, & Catharinæ de Ricciis Moniali ex ordine S. Dominici Sanctorum honores adſcripſit. Cultum præterea ab immemorabili tempore publice habitum B. Joannæ Valeſiæ Francorum Reginæ, & B. Nicolao Albergati S. R. E. Cardinali Bononienſium Antiſtiti novo item decreto aſſeruit, ut pluribus aliis, qui in ipſius Opere de Servorum Dei Beatificatione videri poſſunt. Erga B. V. ſine macula conceptam egregie propenſus ipſius feſtum Summi Pontificis, & Purpuratorum aſſiſtentia ſollemnius celebrari in Urbe conſtituit. Sic Congregationes in ipſius Virginis honorem a PP. Soc. Jeſu erigi ſolitas, & Primæ primariæ, ut ajunt, aggregatas pluribus indulgentiis, & gratiis promovit edita Bulla aurea, atque ipſam primariam Congregationem ſumma cum pompa, & comitatu adire voluit. Nec minori in Principes Apoſtolorum obſervantia SS. Petri & Pauli Natalem, perpetuis ſeptem diebus, quibus eorum Octava continetur, modo, ac ordine diverſis Urbis Eccleſiis per ipſum præſcripto celebrari juſſit. Eorum Baſilicam Vaticanam ad Beatificationes, Canonizationeſque peragendas ſtatuit, Palliique benedictionem, cujus ritum firmavit, primis Veſperis feſti eorundem SS. Apoſtolorum addixit. Sanctum Leonem cognomento Magnum proprio Doctorum ritu decoravit. S. Franciſco Xaverio Indiarum Apoſtolo, ut principali ibidem Patrono cultum haberi voluit, atque indulſit. Eccleſiam Patriarchalem Ulyſſiponenſem tot beneficiis, gratiis, prærogativis decoravit, ut ſicut nulla in orbe chriſtiano ditior, ita nulla privilegiis ornatior reperiatur: occaſione Terræmotus S. Franciſcum de Borgia a Luſitanis Protectorem coli, ut alibi jam colebatur, conceſſit: item S. Aloyſii Gonzagæ feſtum cum indulgentia plenaria ubique, & quocumque anni die celebrari permiſit. Aſiſienſe Templum, ubi ſacrum Sancti Franciſci corpus aſſervatur, Baſilicæ Patriarchalis honore, & pontificiæ Capellæ honeſtavit. Omnibus Sacerdotibus in Dominiis Regum Fideliſſimi, & Catholici indulſit, ut in die Commemorationis omnium Fidelium Defunctorum tres Miſſas celebrarent ex devotione ſublevandi animas, non ex eleemoſynæ cupiditate; & cum dies hiberni breviores ſint, ad duas poſt meridiem horas celebrandi tempus extendit.

Sunt & alia, quæ non minus Pontificis pietatem, quam magnificentiam commendant. Primariam Liberianæ Baſilicæ frontem opere marmoreo extrui curavit, ſtatuis decorari, duplici porticu, lectiſſimis lapillis, & columnis ornari, pertinentibus ad hanc ædificiis ab imis fundamentis erectis, atque ad totius Ædis formam exactis; interiora vero magno ſumptu a nimia vetuſtate vindicavit, Pontificio poſito altari, quod pridie Kal. Oct. anno 1750. ſollemni ritu ſacravit. Lateranenſe Triclinium Clemente XII. regnante dirutum, ſacraſque imagines, quæ in ipſo erant, inſtauravit, miro artificio antiquitatis damna ſuperante. Ædibus Seſſorianis, vulgo S. Crucis in Jeruſalem, cujus titulum purpuratus ſuſtinuerat, porticu, & laquearibus renovatis, diruraque, & explanata ad

Lateranum via, dignitatem adjecit. S. Pauli Templum Via Oſtienſi muſivo opere reſtituto, picturis, & Pontificum ſerie ad nos uſque perducta inſtruxit. Vetuſtiſſimam S. Marcelli, & Petri ædem a fundamentis reſtituit; Lauretanam B. V. Domum turri marmorea, & ampliſſimo porticu exornavit. Sacellum majus S. Martini in Montibus refecit. Exædificatum ipſius ſumptu in nova Eccleſia S. Apollinaris Sacellum, marmoribus, auroque conſpicuum reddidit, ac ſacravit. Pauperum uſibus, ac utilitati proſpiciens Xenodochium S. Spiritus in Saxia amplificavit, magnificoque Cœmeterio auxit. Ædes a fundamentis erexit, in quibus publica, quam ipſe inſtituit, delineandi Schola haberetur, ære ad impenſas, & præmia attributo. Infinitus eſſem, ſi innumera quæ in Urbe munificentiſſimi Principis monumenta paſſim occurrunt, non laudando deſcribere, ſed numerando recenſere vellem. Non prætereunda tamen præclara ad fontem aquæ virginis ædificia, ſingulare Urbis ornamentum, quæ ab aliis Pontificibus inchoata hic tandem abſolvit.

Jam externis Principibus, quibus ſupra modum charus erat, officioſam animi propenſionem multis probavit. Joannem V. Luſitaniæ Regem, cujus præclara erant in Eccleſiam, & Apoſtolicam Sedem merita, & Succeſſores ejus Fideliſſimi titulo, ut etiam Apoſtolicæ Auguſtiſſimam Imperatricem inſignivit. Carolum III. nunc Hiſpaniæ, tunc utriuſque Siciliæ Regem Velitris, ubi belli cauſa fuerat, Romam profectum perhumaniter ad pedum oſcula excepit, atque brevi tempore, quo immoratus eſt, magnifice habuit, ab eoque poſtea inſtitutam S. Januarii militiam verbis ampliſſimis confirmavit; tunc etiam actum de feſtorum dierum imminutione, de qua in ipſius Pontificis Operibus agitur. Controverſias inter Hiſpanos Reges de jure Patronatus in Hiſpaniarum beneficia, & Romanam Curiam opportunis indultis benigne compoſuit, quibus præterea poſtulantibus conceſſit, ut pro Regnis Caſtellæ, Legionis, & Indiarum carnibus ſabbato veſci liceret extra præfinitas tamen Eccleſiaſtico Jejunio dies. Magno Melitenſium Equitum Duci, ac Magiſtro pro navata ſtrenue opera in propaganda, ac defendenda re chriſtiana Enſem, & Galerum dono miſit, honorificentiſſimum Præclaro Viro præmium. Lucenſi Reipublicæ facultatem conceſſit in perpetuum nominandi tres Viros Eccleſiaſticos, eoſque Romano Pontifici præſentandi, ut ex iis unum in Archiepiſcopum Lucenſem eligere poſſit.

Eccleſiaſticum cœtum mirifice coluit, atque ornavit. Sacrum in primis Purpuratorum Collegium, plurimum obitu diminutum, ſepties diverſis temporibus habitis electionibus, Viris ſexaginta quatuor, iiſque præſtantiſſimis inſtauravit, quos inter, Joannem Theodorum Bavarum Caroli VII. Imperatoris fratrem, Ratisbonæ, & Leodii Antiſtitem, ac Principem. Novos Epiſcopatus in America inſtituit, Fuldenſem in Germania, Pinarolienſem, & Terlitienſem in Italia, Utinenſem præterea Archiepiſcopatum, & Goritienſem, Aquilejenſi Patriarchatu extincto, atque ea occaſione Sereniſſimæ Venetorum Reipublicæ conceſſit, ut ad Senatus ipſius arbitrium Torcellanus, Clodienſis, & Caprularum Epiſcopi nominarentur. Epiſcopis Varmienſi, Herbipolenſi, & Quinque Eccleſiarum Pallium, & erectæ crucis ferendæ honorem Archiepi-

ſcopo-

UAB
Biblioteca de Ciències Socials

ſcoporum more contulit. Ad electorum preces tres Ciliciæ Armenorum Patriarchas admiſit, confirmatiſque pallium geſtare indulſit. Maronitis etiam Patriarcham dedit, quumque de duobus, qui ad eam dignitatem aſpirabant, ingens eſſet animorum diviſio, iis repulſis, tertioque adhibito, ſchiſma ſuſtulit. Epiſcopis, & locorum Ordinariis facultatem dedit plenariæ Indulgentiæ concedendæ in mortis articulo tum per ſe ipſos, tum etiam per quemcumque alium Sacerdotem ab ipſis delegatum. In tota America, & Aſia orientali Miſſionariis Soc. Jeſu conceſſit, ut Sacramento Confirmationis Fideles perficerent, ubi Epiſcopi deeſſent, amplioribus clauſulis, quam in ſimili conceſſione uti conſueverat. Jam prius Miſſiones Sinicas, & Malabarenſes circa ritus inſtruxerat, & ſublatis, quos improbavit, abuſibus, normam deinceps ſtabilivit omnino obſervandam.

Erga Religioſos Ordines benevolentia ferebatur ſingulari, optime noſcens nullos alios viros unquam extitiſſe de Fide catholica, & de Romana Eccleſia adeo benemeritos: Præclaram S. Dominici familiam, in qua plurimos viros doctrina præſtantes agnoverat, ſæpe libens laudare ſolitus, quin alios cum ſe dediſſet occaſio præteriret: Congregationem Clericorum Excalceatorum, eorumque conſtitutiones approbavit. Singularia ſunt quæ Patavinæ Eccleſiæ Canonicis privilegia conceſſit, dum eos ampliſſimis honoribus cumulatis Protonotariorum participantium in album retulit. Bononienſi vero Eccleſiæ auream Roſam ſolemni ritu benedictam miſit, ejuſque Archiepiſcopatum nonniſi decimo quarto Pontificatus anno, Seminario jam extructo, & Baſilica Metropolitana, ut ſupra dictum eſt, magnifice adaucta, ingentique ſupellectile locupletata, dimiſit, Vincentioque Cardinali Malvezio, viro apprime nobili, & ſapientia, ac prudentia, non minus quam pietate eximia ſibi ipſi diu probato, regendum contulit. Anconitanam etiam ſuam Eccleſiam beneficiis, ac donis decoravit. Salutaria multa Eccleſiæ totius bono decrevit, illudque in primis memorabile occurrit Tribunal, quo ſex Purpuratis, ne indigni ad regendæ Eccleſiæ munus forte obrepant, cura demandata eſt in eorum vitam & mores ſedulo inquirendi, qui ad Epiſcopalem dignitatem promoveri debent. Edita conſtitutione decrevit, ut omnes animarum regimini præpoſiti Parochi, Vicarii, Œconomi perpetui, vel ad tempus conſtituti, etiam Regulares, quamvis congruis præfinitis reditibus deſtituantur, Sacrificium Miſſæ pro populo celebrent, & applicent in dominicis, aliiſque per annum diebus feſtis de præcepto. Extra caſum neceſſitatis extremæ ademit Sacerdotibus facultatem excipiendi confeſſionem complicis in peccato turpi, atque inhoneſto, contra ſeptimum Decalogi præceptum commiſſo. Confeſſarios, ſi qui forte eſſent, qui nomen complicis a pœnitentibus extorquerent, ut ejus emendationem indiſcreto zelo procurarent, vel alia de cauſa, acerbe increpuit, ne Sacramentum Confeſſionis maxime neceſſarium redderent odioſum. Ad duellum provocantes, & provocati non abnuentes Eccleſiaſticis cenſuris terruit, atque compeſcuit, propoſitionibus quinque damnatis, quæ hujuſmodi hominibus pro aliqua rerum circumſtantia favebant; quas propoſitiones poſtea in aliis litteris Apoſtolicis non ab uno, ſed a pluribus Auctoribus ſe decerpſiſſe declaravit. Jejunii Eccleſiaſtici leges

præſcripſit, & laxam circa illud opinandi licentiam coercuit; illud enim ſummopere optabat, & crebris uſurpabat ſermonibus, ac Marchioni Scipioni Maffejo, cum quo familiaritatem jampridem contractam in ſummo dignitatis culmine non deſeruit, aliquando ſcripſit, ut nempe Moralis Scientia a laxioribus opinionibus, quæ paulatim irrepſerant, expurgaretur.

Liturgicos libros, ſicuti ultimum etiam Decretalium novis curis recognoſcere meditabatur; licet enim accuratiſſimis Pontificum Prædeceſſorum ſtudiis Miſſale, & Breviarium correctum, & emendatum ſit, tamen aliqua ſaltem in Breviario immutanda, & ordinanda judicabat. Eam ob rem doctos aliquos viros delegerat, qui collatis inter ſe ſtudiis, ſtatis diebus omnia in commemoratis libris juxta ſanioris Critices leges accurate perpenderent. Verum opinionum varietas, & ſubinde occurrentium negotiorum copia poſtremam hanc Pontificis curam retardarunt; facilius tamen fuit Martyrologii Romani correctionem expedire, cum verſatus ipſemet optime in controverſiis eſſet, quæ agitari poſſent de Sanctis vel in illo addendis, vel ab illo expungendis. Cum vero editionem moliretur, Joannes V. Luſitaniæ Rex Pontifici addictiſſimus, & in expenſis ad Cultum Dei, & Sanctæ Sedis obſequium liberalitate vere Regia ſingularis, voluit ut editio Romæ Regiis ſumptibus perquam magnifica prodiret. Apoſtolicæ litteræ ibi præfixæ rationem operis eruditiſſime declarant. Rituale, Cæremoniale, & Pontificale qua occaſione explicanda erant in recenti ſchola inſtituta ſacrorum rituum correcta, & reformata prodierunt, ut Litteræ Apoſtolicæ teſtantur. Omnia Opera, quæ privatus Auctor adornaverat, & diverſis editionibus partim Latino partim Italico idiomate impreſſa erant, P. Emanueli de Azevedo S. J. mandavit, ut in unicum Corpus collecta, atque in duodecim tomos diſtributa typis ederet ad ipſius mentem accurate recognita. Sed in his voluminibus minime continentur ea Pontificis noſtri ſcripta, quæ exaraverat dum Secretarii S. Congregationis Concilii munus obiret, neque plurima alia Opuſcula variis temporibus elucubrata, quæ omnia in hac noviſſima Editione ſimul collecta tribus Tomis, nempe XIII. XIV. & XV. comprehenduntur. In colligendis iis quæ ipſi opus erant ad ſcribendum ſæpe aliorum opera uſus eſt, ita ut alienos labores poſtea ſcribendo ſuos faceret. Neque ita aliorum adnotationibus fidebat, ut ad fontes non ipſe ſæpenumero confugeret. De mira dictandi facilitate teſtem me ipſum proferre poſſum; cum enim in prima Synodi editione aliqua fortuito excurriſſent emendatione ut mihi videbantur digna; e veſtigio dictavit Epiſtolam ad me inſcriptam, qua propoſita a me dubia ſapientiſſime exemit; typis edita Epiſtola fuit, & primæ editioni addita; ſed deinde omiſſa in ſecunda, utpote non amplius neceſſaria. Epiſtola illa tam celerrime fuit dictata, ut vix eum Scriptor ſequi calamo poſſet. Ipſius in obſervandis libris attentionem ſæpe miratus ſum, cum in privata Bibliotheca plurimos conſulens, aliis in menſa expoſitis, plurimos ſupra ſiniſtram elevatos ſimul ſuſtinebat. Acciderat non raro ut dum reliquis ſuprapoſitum legeret, atque evolveret, ad humum aliquis elaberetur, cadentem vel ſuſtinebat dextra, vel elevabat ex humo, aliis ſupponens, nunquam oculos, & attentionem ex libro quem legebat divertendo. Inter-

ea

ea tam mentis, quam brachiorum vires obſervabam. Et certe quantum ad mentis comprehenſionem illum ſimul librum legere, & aliud plane diverſum dictare non ſemel vidi, atque perlecti, & optime intellecti libri non ſolum ſenſus, ſed verba ipſa ad opportunum tempus retinere.

Hinc perſpicuum fiet unicuique, cur vix intelligeret, poſſe opus aliquod ad longum tempus produci; ut ipſe nulla in re vehementius delectabatur, quam in libris evolvendis, & materiis litteraris elucidandis, ita ex ſe judicium ferre de aliis conſueverat, unde ſi quid exponendum alteri, atque tractandum committebat, rem omnibus numeris abſolutam illico expectabat. Cum enim animo liberali, ne dicam prodigo donatus eſſet, ita ut pecuniarum pretium, neque ipſius Aurei Papalis teneret, immo cum adhuc privata fortuna uteretur, an ære alieno liber vel gravatus eſſet, nunquam animadverteret, rerum ſuarum adminiſtratoribus tribuenda laus eſt, quod optima ſemper proceſſerit œconomica redituum diſtributio, atque multum ſupereſſet, quod vir nullius rei cupidus in eleemoſynas libenter diſtribueret. Sic in Pontificatu, magnifica quæ Principes viri dona ſæpe ad eum tranſmittebant, una manu excipiens, alia continuo alteri tradebat; unde aliquando avarus videri potuit, qui nihil opportunius diſtribuendum reſervabat. Ut ipſe nulla ſpe lucri, aut præmii ſtudiis addictus ſemper fuerat, ita omnes, ut jam notavi, ex ſola voluptate, atque ſcientiarum amore litterariis laboribus abſque alio fine operam libenter impendere arbitrabatur. Nepotibus, & Conſanguineis nihil ipſe donavit unquam; quamvis ſæpe memoraret Innocentii XII. præſcriptum, lepide addebat, opus eſſe ad illius obſervantiam, ut aliqui Pontifices præſcripto detraherent, quod alii copioſe adjunxerunt. Quocirca ſiquid ad Conſanguineos pervenit, Miniſtrorum Pontificiæ Curiæ, vix ipſo Pontifice conſcio, totum induſtriæ tribuendum eſt. Enituit induſtriæ ejus pietas, & eruditio Anno Jubilæi, præmiſſis litteris, quibus nonnullas difficultates, & theologicas controverſias explanavit, fideliumque animos ad lucrandos Jubilæi theſauros præparavit. Ad omnes inſuper Chriſtifideles anno ſequenti ampliavit beneficium, ratione præſcripta, qua inſigni hoc, ubicumque eſſent, indulgentiarum theſauro diteſcere, fruique poſſent.

Litteratiſſimus ut erat litteratis hominibus ſummopere delectabatur, graviſſimaſque inter Pontificiæ dignitatis curas doctorum hominum conventum ſingulis Lunæ diebus celebrare conſuevit, in quibus de Eccleſiaſtica Hiſtoria, de Conciliis, & de liturgicis rebus agebatur, quod tamen eruditionis genus, ut in perpetuum vigeret, triplici inſtituta Academia conſuluit. Prima de Conciliis habenda in urbano Collegio de propaganda fide, altera de catholicæ Eccleſiæ Hiſtoria apud PP. Congregationis Oratorii ad S. Mariam in Valliſcella, tertia de re liturgica in Piorum Operariorum domo. Ita pariter publicas lectiones de Hiſtoria Eccleſiaſtica, & Sacris Ritibus in Collegio Romano Soc. Jeſu ſtabilitas ſummis laudibus, & honoribus decoravit. Neque ſolum Cathedris in Collegio Romano erectis crevit ſacrarum rerum ſtudium; ſed etiam Romano Archigymnaſio novas ipſe Pontifex adjecit Cathedras; & Vaticanam Bibliothecam non minus etiam

locu-

locupletavit. Reverendiſſimo P. Richini Ordinis Prædicatorum tunc Sacræ Congr. Indicis Secretario, nunc Sacri Palatii Magiſtro, quem ſummis laudibus ſæpe efferebat, & ejus opera utebatur, reformationem Indicis librorum prohibitorum commiſit; Patri Joſepho Blanchini Congregationis Oratorii eximiæ eruditionis ac pietatis viro commendatiſſimo annales Baronii ad noſtra hæc tempora deducendi onus impoſuit. Plura in quibus facile diſtrahebatur P. Blanchini opus impedierunt, ſed in tanti viri honorem memorare juvat ſingularem illam animi propenſionem, quod ſi quis opus in lucem proderet, cui opportuna eſſent documenta ab eo multo tempore, labore, & expenſis collecta, ipſe unice Dei gloriam intendens omnia ſponte non cogitanti, neque expetenti tranſmittebat. De ejuſdem P. Blanchini Patruo inter Præſules Romanos adſcripto ſæpe idem Pontifex non ſine lepore ſermonem injiciebat; vir equidem fuit inter eruditos celeberrimus; Viros enim doctos vel jam vita functos, vel abſentes ſæpe Summus Pontifex cum laude commemorabat. Illis vero qui in Urbe degebant, veſpertino tempore facilis erat acceſſus; neque tunc ut Princeps, ſed ut amicos (ut ita dicam) & rei litterariæ ſocios excipere videbatur. Teſtatus ſæpe ſum quanti fecerit P. Fabii Danzeta eruditionem, & qua aviditate ejus animadverſiones obſervaret. P. Hieronymi Lagomarſini opuſcula aliquot ſumma voluptate audivit, cum ſibi ab auctore legerentur; eumque frequenter hortabatur modo ad unius, modo ad alterius operis editionem. P. Hieronymum Lombardi ſæpius conſulebat, cum de aliquo opere quæſtio oriretur, optime intelligens quantum in dignoſcendis auctorum editionibus verſatus eſſet; ſic plures alios recenſere poſſem ex Præſulibus doctiſſimis, & ex omnibus Religioſis familiis.

Antiquitatum Romanarum amœniſſimæ eruditionis Academiam in Capitolio inſtituit, ædeſque ibi diverſas picturis, ſtatuis, ſignis analypticis, aliiſque antiquitatis monumentis auxit. Hæc ſtudia, ut philoſophicas etiam, & mathematicas diſciplinas, non adeo colebat verſatiſſimus in re Canonica, & in omni Eccleſiaſtica eruditione, ita ut omnes forſan ſui ſæculi ſuperaret; ſed præcipue adnitente Eminentiſs. Cardinali Silvio Valenti Gonzaga, Pontifex ad commune bonum propenſus non minus amavit, ac protexit; unde PP. Chriſtophoro Maire, & Ruggiero Joſepho Boſcovich S. J. celeberrimis tota Europa Mathematicis in toto Statu Eccleſiaſtico injunxit, ut gradum Meridiani metirentur, & chartam geographicam quam accuratiſſime deſcriberent. Utrumque ſumma cura, & laude peractum teſtatur opus editum ab ipſo P. Boſcovich, quem Pontifex ſemper plurimi habuit. Joannem etiam Poleni in gymnaſio Patavino Matheſeos Profeſſorem advocavit, ut de fabrica maximi fornicis Vaticanæ Baſilicæ ſcriberet, poſt celeberrimum Mathematicorum Concilium Romæ habitum de recuperanda ipſius fornicis mole ſua laborantis ruina. Quadrium conſiliis, & pecunia adjuvit, Muratorium, & Maffejum litteris honorificentiſſimis ſæpe teſtatus eſt quanti viros eruditiſſimos faceret: quod etiam Apoſtolica Epiſtola in forma Brevis data ad N. V. Excellentiſs. D. Flaminium Cornelium Senatorem Venetum fuſe, & erudite oſtendit, in eaque laudat rationibus, & exemplis viros ſæculares, qui ſacrarum rerum ſtudiis delectantur; plurimum enim ſemper fecit prædictum N. V.,

quod

quod in ſummis Patriæ Magiſtratibus quin illis unquam deeſſet, viginti & amplius tomos Eccleſiaſtica eruditione refertos in lucem ediderit. Tandem vix invenietur qui eximia ſapientiæ laude floreret, qui ab amantiſſimo illuſtrium virorum Pontifice benevolentiæ ſigna non ſit expertus. Nec perſonas tantum, ſed cœtus ipſe doctorum hominum pari benevolentia proſecutus eſt. Publicæ Bibliothecæ S. Luciæ Bononiæ, ut aliis etiam Litteratis Viris præſertim Sorbonicæ Academiæ adſcriptis, quem illuſtrium virorum cœtum plurimi ſemper fecit, ſcripta ſua honoris, & benevolentiæ cauſa dono miſit, quæ utpote ſingularis perſpicuitatis, ac doctrinæ plena, & a ſapientiſſimis hominibus plurimi fuerunt habita, & Benedictum XIV. non rebus geſtis tantum, ſed ſcriptis etiam clarum prædicant, atque demonſtrant. Sed quod intra Romanæ Urbis terminos non comprehenderetur mira Pontificis in litteratos animi propenſio, illuxit maxime in ſtudio, quo Bononienſe Inſtitutum mirifice adjuvit, auxit, locupletavit; quidquid enim Hiſtoriæ illuſtrandæ in ipſius manus perveniebat, perveniebant autem quamplurima, ſtatim illuc tranſmittebat, ita pariter plura ad antiquarum rerum cognitionem ſpectantia donavit, & ornamenti cauſa tablinum multis vetuſtatis ornamentis adjecit; nobiliores Romanæ Urbis ſtatuas gypſo fuſo affabre ad imitationem expreſſas adjungi curavit; magnificam Bibliothecam additis plurimorum Auctorum voluminibus ita auxit, ut ſpectato librorum tum numero, tum præſtantia, Bibliotheca fundata appellari poſſit; Academiam ipſe de novo inſtituit, quam de ſuo nomine Benedictinam appellari voluit, ubi Alumni annuorum præmiorum magnitudine ad ſtudia mirum in modum allicerentur; quantum vero in optatis haberet, ut Bononienſes ſtudiis florerent, & nomen a majoribus acquiſitum non modo ſervarent, ſed augerent in dies, crebris ſermonibus teſtabatur.

At ut aliorum ſapientum æſtimator ſemper extitit, ita Pontificis eruditionem admirati ſapientes, illius colloquiis, & ſcriptis ſummopere delectabantur. Cum vel in aliqua Congregatione, vel qualibet alia de cauſa verba faceret, mirum erat qua voluptate ab omnibus exciperetur. Sed ut hæc omnibus nota omittam, illud memorare oportet, quod vel ipſi Heterodoxi, quibus Pontificia auctoritas ſemper diſplicuit, hujus ſapientiam, & ſincerum, ut ajebant, animum venerarentur. Ipſe quidem plurimos audivi, qui ab oſculo pedum revertentes tanta animi ſuavitate, & admiratione perfuſi erant, ut palam teſtarentur, hunc unicum eſſe, qui ſparſas inter Hæreticos contra Pontificem Romanum ſiniſtras opiniones diluere poſſet, & adlecta primum voluntate faciliores fieri ad intellectum aditus. Cum deinde per Germaniæ civitates divagatus plures Heterodoxos litteratos viros allocutus eſſem, omnes de illo ſermones ſubito injiciebant, eumque ſummis evehebant laudibus. Mirum inſuper erat, quod cum amabilis adeo redderetur, venerationem ſimul incuteret, & dignam Chriſti Vicariis perſonam ſuſtineret; atque ut nonnullos omittam, qui editis libris ad ipſum dicatis, maximam Pontificiæ eruditionis æſtimationem publice conteſtabantur, Cl. Walpol Londini in Palatio ſuo Pontifici ob ſingularem viri ſapientiam, ſtatuam poſuit, atque perpulcro elogio ſubſcripſit elogium hoc ſane moribus Benedicti XIV. accommoda-

modatum a Filio ejuſdem Cl. Walpol ingenioſe compoſitum lingua Anglica, Lambertinum in Principatu innocentem prædicabat, qui gloriam Pontificiæ Tiaræ reſtauraverat; a Catholicis ſummo amore, a Proteſtantibus ſumma æſtimatione habitum, Eccleſiaſticum minime inſolentem, ab omni cupiditate, & ambitione alienum, Principem ſine partium ſtudio, Pontificem ſine Conſanguineis, Auctorem ſine vanitate, virum quem nec ingenium, nec poteſtas elevaverat, Tandem his verbis elogium abſolvitur: *Filius Miniſtri in Aula bene accepti, ſed qui nulli unquam Principi adulari conſuevit, nullum unquam Eccleſiaſticum veneratus eſt, in libera Proteſtantium regione hoc debitum laudis tributum optimo Pontifici Romanorum P.* Cum vero hujuſmodi elogium Summo Pontifici oblatum eſſet, ſimulque de ſincero auctoris animo certior factus eſſet: Videor, inquit, ad normam Statuarum, quæ in foro D. Petri proſpiciuntur, procul enim optime elaboratæ apparent, atque oculos, & admirationem ad ſe rapiunt, at cum prope inſpiciuntur, deformi ſtructura horrorem incutiunt. Sic exteris apparebat, atque in Urbe degentibus Pontifex Summus, neque tot ſtudiis diſtractus intermittebat aut Paſtoralis curæ, aut Pontificiæ pietatis officia. Epiſcopos Sacro chriſmate inungere, Templa, & Altaria conſecrare, pia loca inviſere, atque ubi ſolemnia Sanctorum feſta recurrebant, ſic ſimilia in quibus vel pietatis, vel benevolentiæ ſigna oſtenderet, libens exercere ſtudebat. Certus humanæ ſapientiæ viribus univerſalis Eccleſiæ regimen ſuſtineri non poſſe, frequentes ad Deum preces fundebat, longoque temporis ſpatio orationi vacabat; ſæpius Sacramentali confeſſione expiabat animum, exercitiis ſpiritualibus aliquanto liberius vacabat, quod præcipue curavit ut ſe ipſum ad Annum Sanctum Jubilæi Univerſalis præpararet, aſſiſtente Ven. P. Fr. Leonardo de Portu Mauritio Ordinis Reform. S. Franciſci, quem Miſſiones habere voluit in foro, & deinde Miſſionarios aliquos Soc. Jeſu per Urbis Eccleſias diſtribuit. Divino Officio recitando nunquam defuit. A divino Sacrificio peragendo etiam in ſumma ſenectute nunquam abſtinuit, ipſique ſaltem intererat, ſi ob negotiorum multitudinem celebrare non poterat. Cum ultimis vitæ ſuæ annis Miſſam ſtando peragere impediretur, ſedens ſupplebat, de quo argumento eruditam ſcripſit Epiſtolam. Summo mane e lecto ſurgebat, & primitiis diei Summo Deo perſolutis ad negotia publica intentus nemini aditum interdixit. Mexicano potu mane hauſto, nihil aliud præter prandium ſumebat, neque etiam æſtivo tempore frigidæ aquæ potum. Solo juſculo, & duobus ferculis, quorum uno utebatur, conſtabat prandium, quod herbis aliquot, & fructu ſaccharo condito abſolvebatur, atque Fabæ Turcicæ potu; quod ſi tardius Miſſam celebraverat, tunc poſt gratiarum actionem Fabæ Turcicæ potu, poſt prandium Mexicano utebatur. A vino fere ſemper abſtinuit. Unde etiam in victu moderationis eximiæ ſpecimen præbuit. Juvat hic partem elogii ſubjungere, quod Typis Remondinianis prodiit, cum pridem de edendis ejus operibus ageretur. Ita enim illius editionis Proſpectus incipiebat.

„ Benedictus XIV. P. M. antea dictus Proſper Lamberti-

„ nus

UAB
Biblioteca de Ciències Socials

„ mus quam ſit in Republica litteraria celebris, ac de ſcientiis
„ fere omnibus benemeritus nemo eſt qui ignoret. Literas ipſe
„ ſtudioſe excoluit, literatos viros ſemper laude, præmiis at-
„ que omni induſtria excitavit, ut ingenii ſui partus ederent,
„ atque ipſe a prima juventute omnibus exemplar ſe præbuit.
„ Sed quod mirum eſt, in ipſo Pontificatus culmine, inter
„ immenſas Orbis catholici curas ſemper ad litteraria ſtudia li-
„ ber eſſe videbatur: quaſque alii ad remittendum curis op-
„ preſſum animum diverſas tempus fallendi artes ſibi quæri-
„ tant, ipſe inter libros, & lucubrationes ſuas tamquam in
„ deliciis habebat. Mirum ſane (ſi qua temporis fragmenta
„ ſupererant matutino tempore) inter negotia tractata, & Car-
„ dinalium, Præſulum, & Oratorum ex Aulis Principum col-
„ loquia de graviſſimis rebus, ſubito ad dictanda quæ mente
„ conceperat revertebatur, poſt prandium vero divinum officium
„ devote abſolvens, epiſtolis reſpondere, deinde litteratorum
„ hominum colloquio familiariter frui; donec duobus ante oc-
„ caſum Solis horis ad viſitandum per Urbem Auguſtiſſimum
„ Euchariſtiæ Sacramentum apparatu (ut ajunt) ſemipublico
„ ſe conferebat. Hæc Benedicti XIV. methodus toto Pontifi-
„ catus tempore, & ut erat ingenio promptus ac mentis pene-
„ tratione incredibili, cum de negotiis agebatur, nihil aliud
„ curare exiſtimares, ſed tractatione finita, quæ antea dictare
„ cœperat, eadem facilitate dictare pergebat. Si quando ta-
„ men (quod præterquam Bacchanalium, & vacationum tempore
„ raro accidebat) totum matutinum tempus ſtudiis ſuis liberum
„ ſortiretur, reliquo die hilaris ac feſtivus quantam ex ſtudiis volu-
„ ptatem caperet teſtabatur.

„ Adde profundo ingenio memoriam ſingularem. A Sixto V.
„ diviſa ſunt omnia negotia Romæ tractanda per Congregatio-
„ nes, quibus quidquid vel ex Statu, vel ex tota Eccleſia ad
„ fidem, ad lites, ad cæremonias, ad diſciplinam, vel ad quod-
„ cumque aliud pertineat, occurrit diſcutiendum, atque ſtabi-
„ liendum defertur. Tot Congregationes, in quarum ſingulis
„ ſaltem ſingulis menſibus plurima examinantur, a duobus fere
„ ſæculis, adeo Pontifici in promptu erant, ut negotio expoſi-
„ to, quo anno ſimile aliud tractatum, quæ rationum momenta
„ pro utraque parte adducta, quot utrinque ſuffragia, tamquam ſi
„ ipſe præſens fuiſſet, referret. Sic igitur tot occupationibus, &
„ Eccleſiaſticis dignitatibus præpeditus, quin aliquid ſuo muneri
„ detraheret, plurima potuit ſcribere, ſeu potius dictare eruditione
„ ſingulari „.

Duodeviginti annis Univerſalis Eccleſiæ Regimen ſuſtinuerat Benedictus XIV. cum paulatim inceperat ultimo triennio variis infirmæ valetudinis moleſtiis affici, ac tandem ætate, æque ac meritis cumulatus, dum nova, majoraque in Fidei, ac Religionis augmentum animo evolveret, communi ſapientum, ac bonorum omnium luctu ſanctiſſimis Eccleſiæ præſidiis munitus extremum diem clauſit ſecunda die Maii anno 1758. Illius corpus triduo ut moris eſt expoſitum fuit, ac inferiis de more Eccleſiæ perſolutis magnificentia Pontificiæ dignitati pari in Templo Vaticano (omnibus optimi Principis deſiderio commotis) tumulo ejus Ca-

daver mandatum. Obiit quidem ut debitum naturæ tributum perſolveret, ſed vivit adhuc, atque vivet perennis in omnium memoria, vivet illius fama omnium ore pervulgata, vivet ejus eruditio ſingularis, & ſapientia, vivent ejus Opera ſæpe typis conſignata, publicæ admirationi, atque utilitati expoſita, & inter prima Litterariæ Reipublicæ lumina, Benedictus XIV. veluti ſol inter micantia ſydera.



EX.

EXPLICATIO
TRIGINTA QUINQUE NUMISMATUM ILLUSTRIORES
BENEDICTI XIV.
RES GESTAS COMPLECTENTIUM, UNA CUM BREVI EJUSDEM ELOGIO,
AUCTORE CLAR. VIRO COM.
JOANNE MARIA MAZZUCHELLI.



RIBUS iſtis integris Tabulis collegimus triginta quinque Numiſmata præclariores res geſtas Sanctiſſimi, Doctiſſimique Pontificis Benedicti XIV. complectentia, quæ omnia Mazzuchellianum Muſeum ſuppeditat, quæque ab ejus Pontificatus anno primo ad poſtremum excurrentia, hiſtoriæ vices ſupplere poſſunt, & appendicis inſtar ad clariſſ. Rudolphinum Venetum eſſe, ut jam in præfatione innuimus. Hæc autem licet nulla putemus explicatione indigere, cum Inſcriptiones & ſymbola ſint ex ſemetipſis perſpicua, cunctorumque ingeniis obvia, geſta vero, in quorum memoriam cuſa ſunt, ignota nemini; quædam tamen de ſingulis attingere non omittemus vel rudioribus morem geſturi. Primum igitur indicat ejus aſſumptionem ad Pontificatum, cujus ut eſt ampliſſima dignitas, ita grave curarum pondus cum imponat ſcapulis & cruci comparari poteſt; eaque de cauſa in altero latere cernitur Jeſus Chriſtus primus aſſiſtens Pontifex futurorum bonorum, ut Paulus inquit, crucem ad Calvariæ locum deferens exaltandus, inſcriptis ſupra verbis; FACTUS EST PRINCIPATUS SUPER HUMERUM EJUS. Secundum eodem anno cuſum, quodque inaugurale eſt, ad Juſtitiam alludit, quam decet perpetuam eſſe comitem omnium Principum, ejuſque præſertim, qui univerſæ Eccleſiæ regimini præponitur, unde ad figuram Pontificis Paſtorale baculum, Libramque in poſtica parte tenentis leguntur verba Pſ. LXXXXV. JUDICABIT IN ÆQUITATE. Tertium Sanctæ Crucis in Hieruſalem ſacram Ædem, quam Seſſorianam appellant, eodem anno reſtauratam, & ornatam ſignat, cui addi debet & aliud ſub num. III. Tab. III. ad eandem rem alludens. Quartum Sapientiam, ſive Providentiam habens ab altero latere una cum lemmate: UT MECUM LABORET ex Lib. Sapient. ſignatum fuit, cum primum Pontifex ad Baſilicam Sancti Joannis in Laterano Pontificatus poſſeſſionem accepit. Quintum frontem oſtendit novæ Porticus, quam ipſemet ad Eccleſiam S. Mariæ ad Præſepe, ſive Baſilicam Liberianam, reſtituit. Sextum indicat Vectigalia ad Portum Centum Cellarum remiſſa, unde fieret ex libero commercio Romanis abundantia, cujus ideo typus in poſtica cernitur. Septimum oſtendit magnificum ſepulchrum Mariæ Clementinæ Jacobi III. magnæ Britanniæ Regis defunctæ uxoris juſſu Pontificis erectum apud Sanctum Petrum in Vaticano. Octavum cum tribus ſequentis Tab. II. & ſeptimo Tab. III. ad ſemel, iterumque, ac tertio ſumpta monetæ ſpecimina refertur, ne ſub fide publica fraudibus locus eſſet, ſubditiſque ex minus probata inferretur detrimentum. Nonum reſpicit Triclinii Leoniani apud Sanctum Joannem in Laterano reſtitutionem. Decimum, aucto, ditatoque novis, atque innumeris antiquitatum cymeliis Capitolio, ut uberius eſſet ſtudioſis doctrinæ pabulum, in memoriam Liberalitatis, Munificentiæque Principis percuſſum fuit. Undecimum ad novam alludit Archinoſocomii Sancti Spiritus in Saxia conſtructionem, quod capaciſſimum effecit, atque Orphanorum, & Infirmorum multitudini aptiſſimum. Duodecimum ſacram quinque Sanctorum Apotheoſim repræſentat, quos anno 1746. III. Kalen. Julii ſimul ad Fidelium cultum evexit. Decimum tertium, primum nempe Tabula II. deſignat profectionem Pontificis ad Centum Cellas anno 1746. ut portum inviſeret, iiſque conſuleret, quæ ad ejus commoditatem, ſecuritatemque neceſſaria eſſent. Decimum quartum ob Officium Signaturæ Gratiæ reſtitutum, quod antea ſublatum fuerat; Decimum ſextum ob condecoratum picturis

Ca-

Capitolium; decimum ſeptimum ob Inſtitutum, ſive Academiam Albritianam, quam Romam invehere conatus eſt, incaſſo tamen eventu, cuſa fuerunt. Decimum octavum num. VII. in eadem Tab. II. notatum, Protectori ſuo dedicavit Academia Pictorum, Sculptorum, & Architectorum Urbis. Decimum nonum, vigeſimum, vigeſimum primum, & vigeſimum ſecundum Jubilæum anni MDCCL. annuntiatum, inchoatum, multo populorum concurſu celebratum, & tandem clauſum exhibent. Vigeſimum tertium ad ejuſdem magni Pontificis Præſidentiam in Comitiis Generalibus Franciſcanorum anno ſequenti habitis alludit. Vigeſimum quartum, ideſt Primum Tab. III. reſtaurata Urbis Mœnia, vigeſimum quintum vero fines ad Padum, cum Venetis conſtitutos reſpicit. Vigeſimum ſeptimum, & vigeſimum octavum ſpectant cum ſublatum Aquilejenſem Patriarchatum, & conſtitutos ejus loco geminos Archiepiſcopatus, Utinenſem ſcilicet, & Goritienſem; tum concordia Hieroſolymitanæ Religionis Equitum Melitenſium cum Eccleſia. Vigeſimum nonum oſtendit ablutionem pedum, quam exemplo Chriſti, imitatur Pontifex, ad cœnam Apoſtolorum inſtar vocatis tredecim pauperibus quotannis Feria V. in cœna Domini. Trigeſimo primo ædificatum Anconæ portum, noviſque munimentis auctum, & trigeſimo ſecundo ornamenta ad Agrippæ Pantheon, ſive ad eccleſiam, quam vocant *Santa Maria Rotonda*, addita repræſentantur. Trigeſimum tertium, & trigeſimum quartum numiſmata ſunt Bononienſia gratum Bononienſium animum exprimentia erga optime de ſe meritum Civem; ob exornatam Patriam, Scientiarumque ejus Urbis Inſtitutum multimode ab eo locupletatum. At poſtremum non tam pertinet ad Benedictum XIV. quam ad Academiam Capitolinam, vulgo *Del Diſegno*, cujus munus, præmiumque eſt peritioribus ejus Sociis certis temporibus de more diſtributum. Cæterum ſi quis iſtorum omnium Numiſmatum uberiorem habere declarationem averet, conſulere poterit hujus Pontificis Bullarium, nec non præcipuorum Operum ipſimet inſcriptorum dedicationes. Quod ſi fiat umquam ut Cl. Abbas Battaglinus Illuſtriſſimi Patriarchæ Antiochenſis Ludovici Calini Brixiani nunc Auditor, ſuum edat de hac re Librum, quem vivente eodem Pontifice, ad calcem perduxerat, tunc nihil erit reliquum, quod a quoquam amplius deſideretur. Sane multo ab hinc tempore Petri Cathedra doctiorem in omnique ſacra, & eccleſiaſtica antiquitate magis verſatum, atque humani, divinique Juris peritiorem illuſtrioremque Pontificem non habuit, cui vel Romanæ Eccleſiæ hoſtes acerrimi promeritas laudes liberaliter impendere coacti ſunt. Decem fere & octo annis maximam illam ſupremi Sacerdotii dignitatem adminiſtravit, ubique ſive in graviſſimis gerundis negotiis, ſive in quotidiana omnium Eccleſiarum ſollicitudine, ſive in aſſerenda veteri diſciplina, renovandiſque Canonicis Legibus, ſive in Templorum, totiuſque adeo Romæ ſplendore augendo, ſive in populis inſtruendis, ſive in optimis quibuſque ſtudiis artibuſque promovendis, Subditorum commodis quærendis, commerciorum facilitate invehenda, ſive denique in iis omnibus procurandis, quæ tanto muneri cohærent, vere magnus. Bononiæ natus anno 1675. ex clariſſima Lambertina Familia, nomineque donatus Proſperi Laurentii, ab ipſa ineunte ætate literarum ſtudiis addictus, eo brevi pervenit doctrinæ, atque ſapientiæ, ut quidquid bonarum artium, & ſcientiarum fuit, acriter pervaſerit, omnifque Minervæ homo, Guarnacii ſententia, haberi cœperit. Romam profectus gradatim Advocatus Conſiſtorialis, Fidei Promotor, Canonicus Baſilicæ Vaticanæ, Præſul Aulæ Pontificiæ, Sancti Officii, Congregationis ſacrorum Rituum, Immunitatis Eccleſiaſticæ, Reſidentiæ Epiſcoporum Conſultor, XII. vir Signaturæ Gratiæ, a ſecretis Congregationis Concilii, Rector Publicæ Romanæ Univerſitatis, Archiepiſcopus Theodoſiæ, anconæ Epiſcopus, Cardinalis, Archiepiſcopus Bononienſis, ac demum ſummus Pontifex renuntiatus eſt anno 1740. Tot autem, tamque varia, tantique ponderis conſcripſit, & edidit, ut merito cum Sanctis Leone, atque Gregorio Magno, cumque ſanctorum Patrum doctiſſimis non comparari modo, ſed etiam verbo abſit invidia, æquari poſſit, Stranguria correptus diu elanguit, identidem convaleſcere viſus; verum tandem ingraveſcenti, furentique morbo concedere compulſus eſt anno 1758. Romanis, Univerſiſque Catholicis lugentibus, nobiſque præſertim, qui paucos ante menſes, ad manus oſculum propter ejus decubitum admiſſi, coram majeſtatem, ſapientiam, gravitatem, ſimulque comitatem atque clementiam demirati, expertique fueramus.

DE-

UAB Biblioteca de Ciències Socials

DEDICATIO

PRÆFIXA ROMANÆ

OMNIUM OPERUM EDITIONI

ANNI 1747.

SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO

BENEDICTO XIV.

P. O. M.

EMMANUEL DE AZEVEDO SOCIETATIS JESU.

LAUDANDUM arbitror eorum consilium, BEATISSIME PATER, qui opus nacti doctissimi hominis vigiliis ac labore partum, hanc in se curam cogitationemque susceperunt, ut quam latissime posset propagaretur ad hominum usum & cognitionem. Nam cum ab ingeniis virorum eruditorum atque industria multa existere egregia opera optandum est, tum nisi ea ad omnes homines nationesque longo terrarum vel maris tractu disjunctas pervadant, intercipitur qui hauriri poterat utilitatis fructus, quemque omnino omnibus instituti operis ratio offerebat: quod par est, ne eveniat, cavere; idque Auctores ipsi vel novis elucubrandis cudendisque intenti, vel aliis quibusdam curis distracti præstare non possunt, nec vero volunt modestia quadam ingenua ac verecundia impediti. Quamobrem veterum moribus institutoque, utili sane atque egregio, fuisse accepimus qui eam omnem curam ad se transferrent, librosque veluti de scriptoris sinu susciperent, educatosque sive descriptos & recensitos atque in partes quas videretur tributos, in hominum lucem aspectumque proferrent: quod in Homero præsertim factum, multorum testimonio constat. Sed nostrorum quoque sacrorumque scriptorum multa sunt, quæ ad nos aliorum cura industriaque edita pervenerunt; ut Ammonii libri, sive Tatiani, sive cujuscumque demum Auctoris, qui Evangelii scriptorum unum quasi contextum, quam Harmoniam vocat, elaboravit; quos libros Victor Capuanus se protulisse atque in vulgus edidisse, in præfatione narrat: nec contemnendam equidem arbitror opinionem eorum, qui Lactantii opus divinarum Institutionum ab alio quopiam quam a suo Auctore divulgatum suspicantur; qui quidem ultimam præfationis partem nuncupationemque eorum librorum Constantino Magno addiderit, quæ in multis mss. codd. desideratur; nec vero temporibus videtur, quibus illa Lactantius scribebat, convenire. Atque hoc non eo tantum valet, ut eorum rationibus consultum sit, ad quorum manus nullo modo libri illi pervenirent, sed ceterorum quoque omnium; ut majori cum fructu legere, & tractare opera hominum eruditissimorum possint. Cum etenim, ut Patrem filii, sic Auctorem suum scripta, similitudine atque adumbratione quadam referant, juvat scriptoris ipsius personam nosse; tum aliorum quoque de ejus libris judicium; & si insigne aliquod animadversum notatumque fuerit, non ignorare: quæ omnia ab alio potius quam ab Auctore suo facienda sunt. Vides opinor, BEATISSIME PATER, quorsum a me hæc pluribus verbis dicta, & cujus potissimum causa delapsus sim in hunc sermonem; cui alienorum operum edendorum cura commissa est, quam cupio probatam omnibus. Neque tamen necesse est ne muneri meo desim ut de opere ipso atque Auctore, qui omnium sermonibus litterisque celebratur, ingrediar fuse dicere. Itaque hoc solum; habituram non modo Italiam, sed transalpinas regiones, potissimum vero & præcipuo quodam nomine Lusitanos homines & Conimbricensem Academiam opus mole ingens, argumento præstantissimum, doctrina atque eruditione omnino egregium ac singulare. Magnitudo quidem operis est hujusmodi, ut tomis justis duodecim comprehendi vix possit; argumentum varium & multiplex, quo quicquid ad informandos Christianorum hominum mores, quicquid ad imbuendum valet rerum Ecclesiasticarum cognitione animum, continetur. De doctrina quid dicam? Mirum est unum hominem aut scientia comprehendere, aut memoria retinere, aut scripto complecti tantas res, tam varias, tantis difficultatibus atque obscuritate & dissensione Auctorum impeditas potuisse: unum tot vetusta & posteriorum ætatum monumenta inspicere, scriptores legere, libros diversi adeo argumenti, exterarum linguarum, editos remotissimis regionibus, nosse, solerter examinare, quæ scitu utilia proponebantur amplecti, respuere ac refutare contraria. Atque eum quidem hominem, qui aliarum omnino rerum curis fuerit semper implicitus, gravissimis periculosissimisque muneribus occupatus; qui nobilissimo genere natus, opulenta domo, illo veluti honorum cursu perfungi debuit, qui est hujusmodi hominibus propositus; qui post eas artes, quibus informari nobilium juvenum ætas ad ingenuum corporis habitum cultumque animi consuevit, Jurisprudentiæ traditus pernoscere eam penitus & scrutari ejus mysteria ac rimari debuit; qui inter Consistorialis Aulæ Advocatos cooptatus, mox ad Fidei Promotoris dignitatem evectus, ac sacræ Congregationis Concilii Tridentini Interpretum a secretis factus, non dico aliena omnino studia a sacræ antiquitatis cognitione secutum, sed ea certe quæ multam præterea alio in genere operam cogitationemque requirunt; qui deinque in augustissimum amplissimorum Patrum Collegium adlectus primo Anconitanam, deinde Bononiensem Ecclesiam regendam susceperit; ut his vitæ conditionibus, vix de interioribus his litteris cogitare, nedum tam multa scribere potuisse videatur. Quamobrem non in illo eximia quædam, qua pollet, ingenii vis, non excellens memoria, non incredibilis in studiis assiduitas, atque antelucanæ vigiliæ, somnique parcitas tantum valuisse dicenda est; sed Divini Numinis singulare auxilium, quod commentantem scribentemque prosequeretur. Nunc ad Te

Te vertor, BEATISSIME PATER, non tam equidem ſuſcipiendæ editionis hujus conſilium Tibi ut probem, quod jampridem benignitate Tua atque humanitate ſingulari uſus non improbaſti; quam ut Tuo nomini inſcriptum opus, Tibi conſecratum dedicatumque exire in vulgus patiaris. Tibi illud profecto debetur, non ſolum illo communi more, quo ad celſiſſimam iſtam ſanctiſſimamque dignitatis Sedem, pro Eccleſiæ defenſione ſive inſtitutione Chriſtianorum hominum ſuſcepta opera ab antiquiſſimis ipſis Patribus delata videmus; ut Damaſo ſe librum ſuper parabola de filio illo prodigo dedicaſſe narrat Hieronymus, & Bonifacio librum contra Pelagianos Auguſtinus; ſed præcipuo quodam jure atque operis hujuſce proprio. Etenim quæ tam præſenti, tamque perſpicuo Numinis afflatu ſcripta ſunt, cui æquius fuit deferri quam ad eum, cui Eccleſiam docenti informantique adeſſe ſanctiſſimum illum Spiritum Numenque Divinum confitemur? Quod ſi argumentum ſpectetur, ſunt quæ his libris continentur inſtitutiones quædam vel ad Chriſtianorum omnium mores emendandos diſciplinamque reſtituendam utiles, quales a ſupremo morum magiſtro atque inſpectore prodire potuiſſent, vel Eccleſiæ attingunt nobiliſſimam partem; ut de Miſſæ Sacrificio, de Synodo, de ſervorum Dei Beatificatione & Beatorum Canonizatione. Hoc poſtremum totum eſt auguſtiſſimæ, ampliſſimæque Sedis, atque, ut cum Auguſtino loquar in eo ipſo opere quod Bonifacio Papæ dedicavit, *altius præſidentis, & præeminentis celſiore faſtigio ſpeculæ paſtoralis*: in quo quidem cum poteſtas ejus maxima, docendique ab errore immunis facultas cernitur; tum vero quæ ejus rei cauſa in examen vocantur, fidei noſtræ ſinceritatem veritatemque aperte demonſtrant. Vitæ enim ſanctitas morumque integritas, atque in perferendis duris quamlibet rebus extremiſque cruciatibus ſingularis fortitudo; tum miræ res quæ neminem præter Deum, auctorem habere poſſunt (quæ ſunt veræ Eccleſiæ certiſſimæ notæ, æque manifeſtiſſimæ) ſolemni judicio habito & legitima quæſtione inſtituta, inter eos qui Romanæ Eccleſiæ fidem ſequuntur, inveniri atque exiſtere deprehenduntur: quæ omnia ita hic tractantur ac luculenter explicantur, ut non modo Auctor ceteros qui eum præceſſere diligentia, eruditione, ſcientia earum rerum vicerit; ſed nemini eas deinceps retractandi, atque omnino de eodem argumento differendi reliquerit locum. Quam enim accurate ibi de virtutibus heroicis cum univerſis, tum ſingulis, de cardinalibus quæ vocantur, atque moralibus diſſeritur? Quam docte de Martyrio agitur, iiſque omnibus quæ ad illud, ut verum legitimumque cenſeatur, requiruntur, ut non tormenta ſola ſed cauſa; nec ſola mors, nec ſola voluntas ſit ſatis; & quamplurimi Martyrum ſimiles fuerint, nec veris tamen Martyribus accenſeantur? Quam luculenter de Miraculis tractatio inſtituitur, & ſingula eorum genera recenſentur atque expenduntur ad Phyſicorum leges, & dogmata Theologorum; quibus ea adjunguntur quæ ad Gratias gratis datas ſpectant, ad ſpirituum diſcretionem, ad multiplicem orandi modum & ſpeciem; quo loco de Contemplatione multa, de Extaſi, de Raptu, de Viſionibus & Apparitionibus, de Revelationibus & Prædictionibus. Neque hæc ſola ſunt, in quibus ſcriptoris hujus cura diligentiaque verſatur. Quid enim cum totum judicii ordinem, qui noſtris atque antiquis temporibus adhibebatur, perſequitur; cum de proceſſibus agit tum Ordinariis tum Apoſtolicis, de multiplici genere teſtium, eorumque numero, & conditionibus; cum veterem Eccleſiæ diſciplinam confert cum nova, ac rationem utriuſque & convenientiam declarat; cum decreta Urbani VIII. exponuntur, illuſtrantur, vindicantur; cum de ſacra rituum Congregatione lector informatur ejuſque actis atque adminiſtris? Quid de Cultu cum dicitur tum privato tum publico; quæ res eum ſive conſtituant, ſive demonſtrent; quam ſit ejus genus multiplex; quibus rationibus, quibus cauſis, qua auctoritate ſive inducatur primum, ſive amplificetur, ſive confirmetur? Quid cum Beatificationis & Canonizationis origo explanatur, natura & vis explicatur, eorumque differentiæ expenduntur? Quid cum auctoritas Romani Pontificis in hujuſmodi cauſa exponitur, aſſeritur, illuſtratur? Infinita ſunt, quæ in his libris cognitu digna, pro inſtituti operis ratione uberrime declarantur; præter ea, quæ veluti ſegetis alienæ germina carptim attinguntur, ſumma tamen legentis vel utilitate vel voluptate; ut omnes ingenii, omnes doctrinæ ac prudentiæ copias in illis effudiſſe Auctorem ſuum certe conſtet: Theologica loca omnia excuſſa; ex omni antiquitate atque Eccleſiaſtica hiſtoria inſignia maxime exempla repetita; ubique aſſertionum producti teſtes idonei; in medium adductæ reconditæ tabulæ ac vetuſta monumenta; omnia ſuis locis ordine poſita ac veluti in lumine, ut de picturis dicitur, collocata: rerum diſtributio, conſenſio, comprehenſio plane admirabilis. Quamobrem niſi hoc librorum ipſorum argumentum, niſi quod condendo operi adfuit ſingulare Dei auxilium, niſi multa præterea idem ſuaderent; excellentia, gravitas, doctrina eſt hujuſmodi, ut Te potiſſimum, cujus nomini hi libri conſecrentur, unum depoſcere videantur: Sed nimirum perinde agimus, quaſi aliæ quæpiam rationes quærendæ atque advocandæ alicunde ſint, cur ad Te potiſſimum opera hæc pertineant, quam quæ omnium certiſſima veriſſimaque; quod ſunt conſcripta a Te, Tuoque multorum annorum labore atque induſtria elaborata. De quo quid dicam? niſi diſſimulationem hanc, ſi ea uti poſſem, mihi utilem judicaviſſe; & maluiſſe, cum Tibi hos libros offerebam, alium quempiam potius quam Te, parentem atque auctorem habere. Nota eſt enim omnibus conſtantia illa, nota animi fortitudo atque ſeveritas, qua uteris in Tuos; & cum alienos omnes paterna quadam ac ſingulari cura complectaris quaſi eſſent Tui, his vix adduceris ut communia debitaque omnibus officia ſolicitudinemque impendas: quam ego laudem niſi tantam eſſe fatear, ut in maximo amantiſſimoque Principe ſit omnium difficillima, communi videar hominum ſenſu judicioque carere. Solent enim vel fortiſſimorum hominum animi, maxime cum provectiores ætate ſunt, in ſuorum amore remolleſcere, atque indulgentia quadam erga illos ferri; ut multa eorum gratia faciant, aliqua remittant, plurima impertiantur; nonnunquam etiam totos ſe illis regendos gubernandoſque tradant. Quorum nihil ſimile vidimus in Te; cumque merito acceſſiones fieri ſoleant Pontificum Romanorum Neceſſariis vel copiarum, vel dignitatis; ne hoc quidem largitus es Tuis, ut Te ſumma dignitate ornatum viderent, ut Tu in eorum complexu conſpectuque conquieſceres. Hanc eximiam & ſingularem laudem Tuam mihi adverſariam maxime arbitrabar; & cum eodem amoris ſenſu erga libros noſtros afficiamur ac

in

in filios parentes ſui, metuebam videlicet ne ſeveritate illa Tua in hos utereris, atque hoc quod Tui dicerentur, minori a Te vel clementia vel amore exciperentur. Itaque diſſimulabam antea, eoſque quaſi alienos Tibi offerebam. Sed dum eas laudes colligo, quibus neceſſe eſt inſtructum fuiſſe qui hæc ſcripſerit, ſenſi me imprudentem ſæpius incurrere in Te, eaque deſignare quæ iis qui ignorarent Auctorem ſuum manifeſto referrent. Quis enim tanto ingenio, tanta eruditione, tanta Eccleſiaſticæ hiſtoriæ ſcientia, tanta rerum prudentia atque experientia ſit, qui hæc ediſſerere, explicare, conſtituere, definire poſſit? Itaque non laborabo fruſtra diutius, & quoniam tueri non poſſum, me iſta cura libero, ac confiteor a Te libros hos eſſe conſcriptos. Neque tamen vereor ne his excipiendis duriorem Te ſevérioremque præbeas. Nam idem ego qui Te Auctorem illorum librorum fateor, pernego nunc eſſe Tuos. Quorum igitur ſunt? Liturgicæ Academiæ Conimbricenſis, Canonicorum Regularium S. Crucis, Luſitaniæ noſtræ. Quo loco ſine me, Beatissime Pater, commemorare, quanto hos omnes beneficio afficeris cum id perfeciſti, ut in Regni totius communi Athenæo ad ceteras artes quæ ibi traduntur, illæ quoque, in quibus maxime excellis ſacrorum Rituum & Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ, novis patefactis ſcholis duabus adjungerentur. Cum vero utramque diſciplinam quas ibi quaſi filiolas Tuas collocaveras, indotatas eſſe nolles, auxiſti non ſolum ampliſſimis reditibus ut Magiſtri ali quatuor commode poſſent; ſed ſcientiæ doctrinæque Tuæ ampliſſimis copiis. In Te enim onus recepiſti ut quæcumque ad earum ſcholarum conſtitutionem pertinent, ad argumentorum quæ tractanda ſunt electionem & partitionem, ad librorum lectionem commentationemque, id omne Tu ipſe curares; eoque deſcenderes quo demitti tantum hominem eoque loci ſitum vix credibile Poſteris videatur; ut Te utriuſque ſcholæ moderatorem, præfectum, magiſtrum exhiberes. Quo vero perpetuum in eo munere fungendo auſpicem præceptoremque haberent, nec quæ corporis compagibus finem, eadem beneficio Tuo dies afferret, libros in quibus ſapientiæ doctrinæque Tuæ opes copiaſque concluſiſti, quaſi hereditario quodam jure ad Canonicos Regulares & Conimbricenſem Academiam Liturgicam pertinere voluiſti, facta eis poteſtate ut rurſus in lucem ederent & ſcholarum earum uſui dedicarent. Atque hoc præclariſſimum munus Tuum amplius adhuc majuſque effeciſti, cum recenſeri illos denuo & nonnullis acceſſionibus locupletari voluiſti; cum recens editæ Canonizationis commentarios ſive acta adjunxiſti; cum recentem novumque qui ederetur tractatum de Synodo egregium doctiſſimumque, denique Tuum, tradidiſti. Eſt quidem hoc beneficium ex illo genere quo omnes quotidie cumulas; atque ad eam pertinet laudum Tuarum, cujus illuſtria exempla eademque frequentiſſima in Te admirantur & ſuſpiciunt univerſi: quemadmodum in ſummo negotio cum ſis, litteris tamen ſemper & litteratis viris velis eſſe otioſus; eamque inter maximarum curas admittis tamquam graviſſimam fructuoſiſſimamque qua ratione litterarum ſplendorem augeas propageſque, & liberales omnes diſciplinas juves. Cum vero in tempora offendiſſes moleſtiarum turbarumque plena præſertim vero armorum fœta tumultibus, in quibus litteræ conticeſcere aut minus celebrari ſolent; per Te tamen effectum eſt, ut quæ vix ſe tutas hujuſmodi temporibus arbitrarentur, non ſolum in Capitolio, & celeberrimis Romæ ædibus, ſed in Palatio ipſo Tuo ſtabilem quietamque ſedem nanciſcerentur, inſtitutis quatuor præcipuarum facultatum Academiis, quarum conventibus cœtibuſque ſingulis intereſſes; ut circumſonare inter maximas negotiorum turbas patiaris aures Tuas litterarum & diſciplinarum ſono. Itaque in Tua maxime tempora Teque ipſum conveniunt quæ de Magno illo deceſſore Tuo Gregorio prædicat Joannes Diaconus. *Tunc rerum ſapientia Romæ ſibi templum viſibiliter quodammodo fabricarat & ſeptemplicibus artibus veluti columnis nobiliſſimorum totidem lapidum Apoſtolicæ Sedis atrium fulciebat. Quiritium more ſeu trabeata latinitas ſuum latium in ipſo latiali palatio ſingulariter obtinebat: reflоruerunt ibi diverſarum artium ſtudia.* Verum ſi inter res geſtas, quæ maximæ ſunt ac peræque omnes laudandæ, aliqua inſtitui collatio & comparatio poteſt; in reliquis ad litterarum gloriam amplificandam reſtituendamque geſtis a Te; diſcedere tamen a privata fortuna Tua non multum videris. Habuit hoc enim ſuperior ſtatus ſive conditio Tua ut ubicumque eſſes litteræ diligentius excolerentur. Itaque & dum Romæ junior eſſes, litteratorum conventus celebrabantur habendis de Eccleſiaſtica hiſtoria ſermonibus quæſtionibuſque tractandis; & Anconæ ac Bononiæ eadem, cum illis Eccleſiis præeſſes, ſtudia floruerunt; quorum Tu ipſe in quodam libro Tuo optimus es teſtis; ut mirum non ſit, cum Romam eſſes ad Imperium & orbis univerſi capienda gubernacula revocatus, Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ novam ſcholam in Collegio Romano Tua maxime auctoritate de novo conditam fuiſſe atque inſtitutam. Nunc vero majus quiddam atque altius proſpexiſti animo; ut remotiſſimas terras regioneſque longe ab Italia disjunctas cura ac ſolicitudine complectereris, his quoque latioribus amplioribuſque terminis ſcientiarum patrocinium quod jamdudum ſuſceperas prorogares; idque non ad breve tempus ſed ad memoriam temporum omnium ad beneficium poſterorum ſempiternum. Itaque ut nobis prodeſſes, ut Canonicos Regulares, & Conimbricenſem Liturgicam Academiam ornares, nunc denique in litteris ac liberalibus diſciplinis tuendis ſuſcepiſſe Romani Pontificis perſonam atque univerſi Chriſtiani orbis moderatoris videris. Sed quo majus iſtud eſt ac præſtantius beneficium, eo ſolicitiores de referenda quoquo modo poſſunt gratia Canonicos præſertim S. Crucis, quos hæc maxime attingunt, reddidiſti, ut extaret aliquod teſtimonium quo gratum animum & meritorum in ſe Tuorum memorem profiterentur. Subventum tamen, ut ad primum illud revertar, eſt opportune a Te cum librorum Tuorum quaſi poſſeſſionem abdicaſti; atque ad illos, tradita Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ ſacrorumque Rituum ſchola, tranſtuliſti. Nam eoſdem illi libros Tibi nunc pro meritis in illos Tuis reddunt atque illorum nomine a me donari Tibi ac dedicari volunt; quos utique Tibi acceptos, dignoſque iſta, quam tenes, celſiſſima omnium ſanctiſſimaque dignitatis ſede futuros plane perſpiciunt. Habes hoc Dei O. M. cujus vices geris ferme ſimillimum, ut Tibi ſuppetant quæ aliis largiaris; Tibi vero nihil donari poſſit niſi a Te ipſo proficiſcatur. Horum ergo librorum primum, ſi humaniter, ut ſoles omnia, ſuſcipies; meque &, quibus ſingulari benevolentia junctus ſum, Canonicos Regulares, ac Conimbricenſem Academiam, denique Luſitaniam omnem novo maximoque beneficio cumulabis.

LITERÆ APOSTOLICÆ
IN FORMA BREVIS
AD P. EMMANUELEM DE AZEVEDO S. J.
EIDEM ROMANÆ EDITIONI PRÆMISSÆ.

BENEDICTUS PP. XIV.

DILECTO FILIO RELIGIOSO VIRO EMMANUELI DE AZEVEDO SOCIETATIS JESU.

Dilecte Fili Salutem & Apoſtolicam Benedictionem.

CONCEPTA *de noſtris rerum Eccleſiaſticarum præſertim ſtudiis ab ineunte ætate inſtitutis apud omnes non modo Italiæ, ſed aliarum etiam nationum homines opinio, quod plura certe, quam quæ ad hanc uſque diem in lucem prodierunt, Opera ſcripſerimus, effecit, ut nonnulli, quemadmodum accepimus, expoſcerent nedum novam noſtrorum typis impreſſorum voluminum, ſed aliorum etiam a Nobis exaratorum librorum, ac potiſſimum illius, quem de Synodo ſatis bene longum alias adornatum nuper inter graviſſimas ſacroſanctæ Apoſtolatus curas furtim abſolvimus, tractatus, atque omnium in unum veluti corpus colligendorum editionem. Inter ceteros vero pietate & Eccleſiaſtica eruditione clariſſimos viros, quorum poſtulata excepimus, dilecti etiam Filii Religioſi viri Congregationis S. Crucis Canonicorum Regularium Ordinis S. Auguſtini in Luſitania Reformatorum ſupplices Nobis offerendas preces curarunt. Nos autem, qui Conimbriæ, ad quam Civitatem ob florentiſſimæ Academiæ commodum frequentiſſima totius Luſitaniæ Juventus ſtudiorum cauſa confluit, ad publicam utilitatem duas itidem Cathedras, alteram quidem ſacrorum Rituum, alteram vero Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Apoſtolica noſtra auctoritate ac liberalitate fundavimus, vehementer lætamur, quod ejuſdem Academiæ ſive Univerſitatis Cancellarius pro tempore, atque in præſentia inſimul Rector ſit ille idem, qui laudatæ Congregationis Canonicorum Regularium Prior Generalis reperitur. Præterea, cum Congregatio hujuſmodi per reformationem a dilecto Filio Gaſpare ab Incarnatione Fratrum Minorum Ordinis S. Franciſci ſtrictioris Obſervantiæ Fratre expreſſe profeſſo propter religioſas virtutes commendatiſſimo Apoſtolica auctoritate inceptam etſi nondum abſolutam ad priſtinum Regularis diſciplinæ & ſacrarum Literarum ſplendorem reſtituta, novis in dies pietatis & doctrinæ argumentis inclareſcat; fore in Domino confidimus, ut ejuſdem Congregationis Alumni potiſſimum, aliique Adoleſcentes ſedulam in utraque facultate operam navantes, deinceps uberem laborum ſuorum fructum percipiant. Quem ſane ampliorem etiam iidem Canonici Regulares ſibi ex nova ejuſmodi omnium Operum noſtrorum editione pollicentes, atque ad majorem Divini cultus propagationem majoremque Eccleſiaſticæ diſciplinæ notitiam ipſo Gaſpare ab Incarnatione auſpice & duce ceſſurum fore ſperantes; ita precibus inſtiterunt, ut Nos, qui eamdem Congregationem præcipuo Apoſtolicæ caritatis ſtudio proſequimur, grato libentique animo annuamus, ut per Te, cui ab iiſdem Canonicis Regularibus præclare de tua ſcientiarum peritia ſentientibus commiſſa fuit, ipſa curetur editio. Te enim in iis, quæ ad Sanctorum Canonizationes, in quibus rite ſanctèque habendis maxima lucubrationum noſtrarum pars inſumitur, ſpectant, non mediocriter verſatum eſſe non ignoramus: cum ſæpe Te, quem ad cauſam Venerabilis Servi Dei Sancti Alphonſi primi Luſitaniæ & Algarbiorum Regis cariſſimus in Chriſto Filius noſter Joannes eorumdem Regnorum Rex Illuſtris hac in parte laudatiſſimus, atque nonnulli per eadem Regna venerabiles Fratres Antiſtites ad non paucas inſimul aliorum Servorum Dei cauſas in hac alma Urbe noſtra promovendas delegerunt, peculiari cum animi noſtri voluptate de iiſdem cauſis ceteriſque ad literaria negotia nobiſcum colloquentem audiverimus. Quem vero in univerſa ſacrorum Rituum cognitione in unum pariter corpus redigenda, & in duodecim tractatus veluti totidem doctrinæ capita ſeorſim dividenda ordinem tenendum eſſe exiſtimaſti, mirum in modum laudamus. Præterea Tibi injungimus, ut ad Liturgicas inſtitutiones, ad quas adornandas Te alias hortati ſumus, abſoluta eorumdem Operum noſtrorum editione, iterum manum admoveas, atque publici juris facias. Partitionem inſuper omnium noſtrorum Operum in duodecim tomos faciendam, quemadmodum in primo tomo per Te ſumma induſtria in lucem propediem prodituro indicaſti, non probamus modo, ſed collaudamus etiam, non ſecus atque Vitas aliquot Sanctorum, qui in Metropolitana Eccleſia & Diœceſi noſtra Bononienſi coluntur, Italico ſermone conſcriptas, & a Te in Latinum translatas. Porro ſuperſedemus Te admonere de iis omnibus, quæ in recudendis Operibus jam editis, atque in novis evulgandis neceſſario adhibenda ſunt; ſatis enim ſuperque de tua diligentia docti ſumus: cupimus tamen, ut in eodem primo tomo imprimantur Apoſtolicæ noſtræ in ſimili forma Brevis literæ datæ ad dilectum Filium Jacobum Facciolatum, qui ſuam in altera de Canonizatione Sanctorum editione operam impendit; in quibus ſane literis ſententiam noſtram de eodem Opere, ſicut de omnibus aliis intelligi volumus, apertiſſime declaravimus. Perge itaque, dilecte Fili, una cum dilecto Filio Religioſo viro Petro Lazzeri Societatis tuæ in Romano Collegio Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ profeſſore aliiſque tecum adlaborantibus ea, qua decet, ſedulitate, vigilantia, prudentia, & contentione ſuſceptum negotium ad optatum finem adducere; ut non tam noſtram erga Te ſtudioſam voluntatem amplius demerearis, quam ut publicam ab iis, qui in evolvendis Operibus hujuſmodi quam correctiſſime editis nullum erratum maxime in adducendis Auctorum dictis ſententiiſque offenderint, commendationem conſequaris: & laudatorum Canonicorum Regularium Patriæque tuæ expectationem ſuperans, ab iiſdem debitam gratiam ineas, ac Tibimetipſi ſatisfacias. Nos interea ad proſperi ſucceſſus auſpicium, & ad laborum ſubſidium Apoſtolicam benedictionem cum cæleſtium munerum copia conjunctam Tibi, dilecte Fili, peramanter impertimur.*

Datum in Arce Gandulphi Albanenſis Diœceſis ſub annulo Piſcatoris die XV Junii MDCCXLVIII. Pontificatus noſtri anno ſeptimo.

Cajetanus Amatus.

AUCTO-

UAB Biblioteca de Ciències Socials

AUCTORIS EPISTOLA AD CLEMENTEM XII. PONTIFICEM SUMMUM

Præmissa Volumini Primo editionis primæ anno 1734.

ETsi non pauci sive Theologiæ sive Juris peritissimi Scriptores ita multa, eaque præclara, de Sanctorum Canonizationibus tradiderunt, ut jam prope nihil in hac gravi difficilique materia videri reliquum potuisset; fecit tamen ratio ipsa, diligensque cura diuturni officii mei (quippe quod in his Causis maxime versabatur) ut eximiis illorum doctisque cogitatis, quo aptiora fierent atque absolutiora, quædam adjicienda esse non modo comprehenderim animo, verum etiam haud semel re expertus probaverim. Nam, cum de quibuscumque id genus quæstionibus aut a sacris Congregationibus rituum, aut a summis Pontificibus Clemente XI., Innocentio XIII., & Benedicto XIII. pro eo, ut Fidei Promotoris est, publice privatimque consulerer; mihi, causa diu multumque discussa, veterumque Scriptorum placitis sedulo perquisitis, non quidem ab eorum studio ac voluntate, sed ab opera & providentia plerumque aliquid deficere perspiciebam. Quamobrem, quibus in elucubrationibus *illorum* aut animadversio, aut experientia defuerat, & in quas ego spatium longissimi temporis, & labores certe non parvos contuli; eas accurate colligere, dilucide, quoad ejus fieri poterat, disponere, præloque in plures libros digestas committere, neque incongruum neque inutile judicavi. Horum prior, cum jam typis excusus, & in publicam lucem prodire paratus esset, continuo se, quemadmodum moris est, aliquo ornari & illustrari nomine postulavit. Neque vero mihi admodum laborandum esse intellexi, ut probo huic & honesto satisfacerem desiderio. Ad quem etenim potius, aut dignius hæc qualiacumque Scripta deferri possent, quam ad Sanctissimi Apostolorum Principis Successorem, Christi Vicarium, Romanum Pontificem; cujus maxime, immo proprie solius esse, supremum, integrum, certum, atque adeo *infallibile* de hujusmodi Causis ferre judicium, fuit a me in eodem libro satis luculenter, ut arbitror, demonstratum? Tibi vero in primis, Beatissime Pater, ut *illa* eadem inscriberem & offerrem, quam multæ me rationes, non dico communes & publicæ, sed plane peculiares & propriæ impellebant. Prætereo clarissimi, quo natus es, Generis antiquitatem, Patriæque dignitatem atque splendorem! Prætereo Avorum Tuorum illustria nomina, resque ab illis pro Apostolica Romana Ecclesia magnifice & utiliter gestas, magistratus, legationes, officia, quibus apud maximos Reges, Maximosque Pontifices præclare admodum & laudabiliter functi sunt. Mitto amplissima doctrinæ consiliique argumenta, religionis studium, morumque sanctitatem, quibus & universæ Familiæ decus singularem in modum amplificarunt, & eximiis Nepotibus ad bene decoreque vivendum facem nitidissimam prætulerunt. Neque prædicabo, quanta Ipse assiduitate, vigilantia, prudentia, felicitate, ardua quæque & magna negotia Tibi ad Pontificiam dignitatem nondum evecto concredita & commendata perfeceris; quanta maturitate judicii, quanto animi candore & impetu, quæ honestati videbantur veritatique consentanea, promere, suadere, postulare consueveris; quanta moderatione, constantia, gravitate, quæ Te ad summum Pontificatum vocabant, mire conformia & consentientia Cardinalium suffragia susceperis. Nihil dicam de paterna admirabili providentia & charitate, qua Apostolicæ Sedis, totiusque Ecclesiastici Imperii fortunas difficillimis hisce temporibus protegis, moderaris, ac sustines. Nihil de recta æquabilique clementia, qua exteros perinde prosequeris, & cives, alienos pariter, & propinquos; ut exploratum jam perspectumque sit omnibus, Te nullius adjuncti rationem, ceteroquin vel integerrimam, in præmiis proponendis habere, nisi bene factorum atque virtutum. Nihil denique de spectata singularique magnificentia, qua non tam Urbis commodo & ornamento, quam Dei optimi maximi, aliorumque Superum cultui ædificia incredibilium sumptuum, & exquisitæ artis constituis; inter quæ præ aliis Sacellum eminet, quod in Lateranensi Basilica Sancto Andreæ Corsino splendidissimum ponis atque ditissimum. Hæc porro cuncta ita per se clara, illustria, & in omnium ore atque oculis posita sunt, ut neque exornari dicendo valeant, neque plus meam, quam universi Christiani orbis admirationem & laudem mereantur. Quod omnino meum est, minimeque mihi cum aliis commune, id nempe est, series prope infinita promeritorum, quibus me omni tempore mirifice auctum cumulatumque voluisti, quorum quando aliquod recolendum est, non possum quin illud in primis commemorem, fuisse me ab Anconitana Ecclesia, cui ab optimo Pontifice Benedicto XIII. præfectus fueram, ad celeberrimam hancce Metropolim jucundissimæ Patriæ meæ tua divina largitate non modo non rogantem, sed plane inscium delatum. Hinc, prima quacumque occasione data memorem gratumque animum publice declarandi, eam consulto & libens arripio, prorsum confidens, sin minus Opus ipsum per sese, mentionem certe, quæ haud raro incidit, Andreæ Corsini ab Urbano VIII. rite inter Sanctorum cœtum relati fore gratissimam. Te ergo, Beatissime Pater, enixe oro atque obsecro, hanc, vulgarem licet & tenuem, observantiæ meæ significationem clementissime, ut soles cetera, excipias. Quod si, ut spero, contigerit, cum reliquis beneficiis tuis novum cumulum accessisse, tum uberrimum laborum meorum fructum extare arbitrabor.

AUCTORIS EPISTOLA AD CLEMENTEM XI. PONTIFICEM SUMMUM

Præmissa Volumini Secundo editionis primæ anno 1735

NON dubito, plerosque illorum, qui primam mei Operis partem summo & optimo Pontifici CLEMENTI XII. feliciter imperanti inscriptam legent, admiraturos hanc alteram, quam prælo recens emittimus, clarissimo CLEMENTIS XI. nomini commendatam. Quorsum enim (inquient) homini multos jam annos vita functo hæc inscriptio Operis, & commendatio? At hi erunt fere, apud quos, extincto Benefactore, grata promeritorum ejus memoria simul

simul extinguitur. Ego vero, cujus interitum neque lacrymis, neque votis prohibere non potui (quis enim possit mortalium?) recordationem certe miræ ejusdem erga me largitatis atque clementiæ nullo tempore patiar interire. Adstant, & vero alte in animum immissa, quoad vixero, adstabunt innumera, eaque splendida, quibus me jam ab ineunte ætate augeri voluit, ornamenta; ut si in horum præsentia acquiescam, ipsum propemodum adesse putem Benefactorem. Hujus scilicet ampliſſimo munere primum in Advocatorum Consistorialium Collegium relatus, post Promotor fidei constitutus, tum Prælatus domesticus, Basilicæ Sancti Petri Canonicus, sancti Officii Consultor, sacræ Concilii Congregationis a Secretis electus sum. Quæ porro tam multa tamque eximia beneficia quicumque paululum attenderit, non modo mirari desinet, quare tanti Largitoris memoriam, ut ut jam diu morte sublati, quo licet studio, etiamnum observem & colam, verum etiam consilium hoc meum in secunda Operis parte inscribenda, ut opinor, probabit.

Quid, quod & Opus ipsum per sese, & materia in primis, quæ in universo Opere continetur, hunc maxime Patronum expetunt, & suo quodam veluti jure videntur exposcere? Nam primum, singulas quod attinet, sive quæ adhuc prodierunt, sive quæde inceps prodibunt, qualiscumque hujus laboris mei partes, si quid in iis satis elucubratum, si quid integrum, si quid præclarum, & aliqua laude dignum reperitur, id videlicet, ut identidem in ipso fatemur Opere, inter publicos privatosque cum illo congressus, in quibus Beatificationis aut Canonizationis Causæ, earumque causarum rationes, &, si quæ forte inciderent difficultates exponebantur, ab excellenti ipsius ingenio præstantique eruditione arripuimus, hausimus, expressimus. Neque vero materiam solum segetemque doctrinæ uberrimam, sed consilia quoque & monita CLEMENTI XI. accepta referimus longe utilissima. Quartus a collata in me Promotoris Fidei dignitate agebatur annus, cum hujusce Operis institutum doctissimo Pontifici patefeci, & quædam ejusdem veluti semina & fundamenta quæ jeceram, cum exquisito & acuto illius judicio communicavi. Cogitatum ille non probavit modo, sed, qua erat admirabili benignitate, laudibus cumulavit. Vires præterea, animumque adjecit, quo res ad exitum perduceretur. Exitum vero plus æquo præcipitem cavit, voluntatemque, supra quam rei amplitudo & dignitas postulabat, forte properantem consulto retardavit, hortatus, ut honestum conficiendi Operis atque edendi studium in aliud tempus rejicerem. Interim quæ ad hanc materiam pertinerent, sedulo & mature colligerem: ita quippe doctrinam hanc beneficio ætatis, officii, atque usus solidiorem effectum iri atque pleniorem, neque indignam, quam Eruditorum oculis aliquando subjcerem. Cui porro consilio statim adhærendum esse intellexi propter maximam litteratissimi Principis auctoritatem, quæ cum in omni ferme eruditionis genere, tum vero, in quo ego potissimum elaborarem, valebat plurimum.

Verumtamen, quantum ille vel in Græco Latinoque idiomate versatus fuerit, vel in loquendi Arte excelluerit, vel in sacris Litteris, gravioribusque Scientiis profecerit, universæ Litterariæ Reipublicæ sit judicium, cujus profecto utilitati egregiis illius Operibus eximii Cardinalis HANNIBALIS ALBANI cura & liberalitate editis non mediocriter consultum est. Quod enim summorum Virorum studium, quæ laus, quæ admiratio est consecuta, cum Menologii Basiliani Semestre circumferri cœpit, quod ille ab antiquis Monasterii Cryptæ Ferratæ eductum codicibus, Græcaque lingua conscriptum puber adhuc latine reddidit? cum elegantissimæ gravissimæque Orationes in Consistorio habitæ, cum Apostolicæ Constitutiones, & Homiliæ, cum selectiores Epistolæ, & Brevia in omnium oculis manibusque versari? in hac autem ampliſſima, de qua agimus, difficilique Beatificationis & Canonizationis materia non est, cur aliorum expectem, qui tot & tam illustria tum eruditionis tum diligentiæ ipsius proferre possim argumenta; ut (si ingenue, quod sentio, & libere dicendum est), prædicare non dubitem, neminem in eo genere illi vel doctrina vel opera præstitisse. Incredibiles profecto sunt labores, curæ, solicitudines; admirabiles constantia, gravitas, prudentia, & prorsus innumera pietatis, & religionis officia, quæ ad excutiendas expediendasque hujusmodi Causas Sanctissimus Pontifex adhibebat. Quæ porro, quoniam & illi decora, & utilia ceteris judicamus, digna sunt, quæ paulo fusius commemoremus.

Notum est, id genus Causas, cum ad extremas deductæ sunt sive Virtutum, sive Martyrii, sive Miraculorum quæstiones, ab illarum Procuratoribus & advocatis sic ad summum Pontificem afferri atque exponi solere, ut ex alia parte Causæ firmamenta, ex alia difficultates appareant, & quæ contra ad has tollendas excogitatæ sunt comparatæque, rationes. Itaque in prima hac Causæ disceptatione, qui multis sæpe vel Advocatus consistorialis, vel Fidei Promotor affuerim, nescio, an jucundum magis, an mirum auditu fuerit, a CLEMENTE XI. modo novum plane, idemque gravissimum dubium repente suscitari, modo opportunum inexpectatumque responsum adjungi, nunc sacrorum Patrum, & Canonum auctoritatem, nunc annalium Ecclesiasticorum historiam, nonnumquam ipsam Congregationis rituum consuetudinem advocari.

Quid vero dicam de constanti assiduitate atque patientia, qua cum annos supra viginti Pontifex vixerit, Congregationi, quæ (ut mos est) a Cardinalibus, rituumque Consultoribus coram Pontifice habetur, non solum interesse nunquam destitit, sed ita adfuit, ut neque moræ longissimæ videretur impatiens, neque cum quoquam acerbus, verum & se vigilem semper, alacremque, & æqualem omnibus, gratum, facilem, benignumque præberet? Neque prætermittendum est, cum singulorum, qui sententiam ferebant, opinio longa oratione prolata esset, eamdem paucis ab illo perstringi, & Prælato a Secretis sacræ Congregationis dictari consuevisse; neque prius eos dimitti, qui convenerant, quam & gratias cum dignitate referret, & denique hortaretur, quo supplices humilesque Deo preces pro integro rectoque Causarum judicio porrigerent. Quod ille sic plerumque faciebat, ut ex ipsis, qui præcesserant in eodem illo conventu, sermonibus dicendi occasio educta atque suscepta esset; ut facile agnoscerес Orationem ipsius non multo ante exaratam, & memoriæ concreditam, sed tum primum atque ex tempore elaboratam atqueconfectam.

Causa posthac ad Pontificem ipsum omnino delata, vix dici potest, quantum in eamdem accurate

UAB Biblioteca de Ciències Socials

curate & ſedulo perpendendam operæ ſtudiique conferret. Nam & quæ Cauſæ favebant, & quæ contra oppoſita fuerant, diligenter notabat ipſe, & bene longas ſcripturas, quin & ipſos nonnumquam, ut vocant, Proceſſus perlegere non dubitabat. Quid multa? Non ante ad Cauſæ judicium unquam acceſſit, quam ſive Theologorum, ſive Cardinalium, ſive Conſultorum placita in dubiis obſcuriſque rebus ſeorſum poſtulaverit; quæ conſuetudinis eſſent, a Promotore Fidei in ſcriptis afferri juſſerit; ubi de prodigiis ſignifque ageretur, Philoſophorum quoque & Medicorum ſenſa perceperit; privataſque univerſæ Chriſtifidelium familiæ, publicaſque preces indixerit.

Cum autem ferendi decreti illuxerat dies, ſic idem inſtituit: ſacræ Congregationis Secretarium, & Fidei Promotorem privatim alloqui; his audientibus, Cauſam ab ultimis principiis repetere; rationes deſcribere; controverſias narrare; dubia & aliorum, & ſua recolere; reſponſiones adjungere; novum quidpiam & inauditum ſubjicere; Decretum denique conficere atque dictare. Cujus quidem præclari inſtituti inſignis Prælatus Tedeſchius, Liparienſis quondam Epiſcopus, nunc Archiepiſcopus Apamenus, ſacræ rituum Congregationis a Secretis (quoniam ceteri, qui, Clemente xi. Pontifice, id muneris obierunt, morte ſublati ſunt) ampliſſimum teſtimonium eſto atque graviſſimum: quippe qui mecum una non ſemel, quæ hucuſque leviter indicata potius, quam enarrata ſunt, perſpexit, & admiratus eſt ſingula.

Denique, Cauſis in ſacra rituum Congregatione diu multumque diſcuſſis, matureque expeditis, & inſtante jam ſolemnis Canonizationis tempore, Conſiſtoria de more coguntur, ad quæ Cardinales, & Epiſcopi, quicumque Romæ verſantur, fere conveniunt. Exhibetur ſingulis Virtutum, ſeu Martyrii, Miraculorum, quæ probata ſunt, & univerſæ Cauſæ Epitome, quæ a ſacrorum rituum Congregationis Secretario confici ſolet. Forte, quo tempore Sanctorum Pii V., Andreæ Avellini, Felicis a Cantalicio, & Catharinæ Bononienſis Canonizatio agebatur, cum Inghiramius, is Prælatus, qui tum ejuſdem Congregationis erat a Secretis, huic oneri tum propter ætatem, tum propter infirmam valetudinem potis non eſſet, ego Pontificis juſſu ſuffectus ſum: quo in opere ſingularem illius ſedulitatem ac diligentiam in perlegendis, acumen atque doctrinam in emendandis iis, quæ in quatuor compendia congeſſeram, ſi unquam alias, ſuſpexi. Qua vero dignitate, qua elegantia, qua copia in hiſce Cauſis dicentem in Conſiſtoriis audivimus! Quam aptæ ornatæque periodi ex tempore oranti exciderunt, quibus ad Græcos Epiſcopos repente orationem convertens, celeberrimam Catharinæ Bononienſis prophetiam de excidio Conſtantinopolitano commemorat! Ipſa demum Canonizationis die, quæ gravitas! (proh Deum immortalem!) quæ religio! qui ordo! qui geſtus! qui vultus! qui decor totius corporis! Ut perbelle appoſita, ut nitida, ut venuſtatis & doctrinæ referta, quam inter Sacrum recitavit, Homilia! Quæ profecto nihil habet, reliquis ſuperiorum temporum quod invideat.

Jam ergo non modo non incongruum & abs re alienum, ſed omnino æquum videbatur, qui in hac Beatificationis & Canonizationis materia nitidiſſimam quaſi facem ad bene accurateque judicandum ceteris prætuliſſet, illi, etiamſi mortuo, ſin minus materiam ipſam, quantacumque erat, at certe aliquam ipſius materiæ partem conſecrari. Reſtat, ut, quem ſperare licet a procelloſis diuturni & ardui Pontificatus fluctibus in portum æternæ & placidiſſimæ quietis receptum, Is pro ea, qua in cælis immortali gloria & immutabili felicitate perfruitur, hoc qualecumque grati & obſervantis animi teſtimonium acceptum habeat, meque tum ad reliquum iſtiuſmodi laborum curſum conficiendum, tum vero (quod caput eſt) ad Diœceſim hanc meam conſilio, opere, exemplo illuſtrandam atque augendam precibus ad Deum fuſis confirmet & adjuvet: quod equidem pro mea, pro gregis mihi concrediti utilitate atque ſalute & enixe oro, & vehementer deſidero.

AUCTORIS EPISTOLA AD BENEDICTUM XIII. PONTIFICEM SUMMUM

Præmiſſa Volumini Tertio editionis primæ anno 1737.

ERAT ſane, cum ſecundam hujuſce Operis partem Clementi xi. Pontifici Maximo commendatam typis emitterem, quare inita ratio conſilii mei ab illorum ſive admiratione, ſive reprehenſione vindicaretur, quibus id officii genus erga Principem de me optime meritum multos jam ante annos morte ſublatum intempeſtivum videri forte & inſolens potuiſſet. Nunc, quando rem ab ipſo ſuperioris Libri aditu repetens difficilium hominum exſpectationi & judicio ſatis per me factum, & vero ingenuis omnibus & honeſtis perſuaſum etiam probatumque eſſe magnopere exiſtimo, non iiſdem memoris gratique animi in benefacta ſignificationem, quibus benefacientis vita, finibus coercendam, nihil me ea cura & ſolicitudine liberatum vel impediet, vel remorabitur, quominus Volumen hoc tertium jucundiſſimo Benedicti xiii. inſcriptum nomini in apertam lucem & publicam educatur. Poſtulat id recolenda promeritorum ejus dignitas & amplitudo, quibus non perſonam modo meam, verum & genus, & Patriam mirifice auxit & honeſtavit. Nam quis eſt demum, cui non perſpecta & explorata ſint omnia? Cujus non in animo uſitatoque ſermone verſetur admirabilis illa mei ornandi voluntas ſtudiumque ſingulare, quem Anconitanæ Eccleſiæ Epiſcopum nominatum non ante paſſus eſt ad illius fines concedere, ceteriſque, queis Romæ fungebar, ceſſare muneribus, quam ad eximium Cardinalatus gradum evexerit, perinde ac vel decori meo, vel oneris mihi impoſiti magnitudini, vel humanitati potius & largitati erga me ſuæ haud ſatis videretur eſſe proſpectum, niſi Epiſcopalem illum cum Cardinalitio honore conjungeret? Quæ cum ita ſint, quo licebat obſervantiæ genere, eo declarari denique æquum erat, quantum Pontifici optimo debere me & intelligerem & ſentirem, & quam alte beneficorum memoriam fideli repoſitam animo continerem.

Verumtamen non committam (id quod plerique facere ſolent, qui libros a ſe editos magnis præclariſque nominibus inſcribunt & efferunt) ut ſive Generis, quo ille natus eſt, antiquitatem atque ſplendorem, ſive Avorum præſtantiam

tiam & famam, non dico amplificando, ſed ne breviter quidem recenſendo, commemorem. Urſinam Familiam dicito. Quid opus eſt pluribus? Multo, quam aut ingenii vis aut eloquentiæ valeat, luculentius & dignius ipſa ſe prædicat, ſuoque terram univerſam pervadit completque nomine. Sic Majorum virtutes præclaræ illæ quidem & admirandæ. At, ſi vel paululum Benedicti facta & mores attenderis, Virum ſuſpicies propriis ſic undique fulgentem micantemque luminibus, ut alienam lucem non deſideret.

Ita porro induſtri, & Divino prope conſilio factum videtur, ut, quoniam de excelſo ſummoque gradu, quem ſimul atque virtutes contigerint, merito heroicarum nomen audiunt, in hoc tertio Volumine diſceptatum eſt, Volumen ipſum tali Viro, in quo id genus virtutes emineret ut cum maxime repertæ ſint, commendare inſtituerim. Quin mihi ipſe plane ſuccenſeo, propterea quod ex tam apto & uberi fonte exempla ducere prætermiſi, qui ceteroqui pleraque illuſtria facta tum Virorum, tum Fœminarum, licet ſine ulla vel Canonizationis, vel Beatificationis commendatione, identidem interſerere non dubitaverim, non quo novi & indebiti cultus, qui ſupremum & ſolum Apoſtolicæ Romanæ Sedis judicium expectat & poſtulat, cuiquam auctor exiſterem, verum ut rei difficultatem exemplorum uſu minuerem, & ſingula probe diſtinguerem incrementa virtutum, quæ ut ut ſummæ, vel a Viris, vel a Mulieribus, etiamſi neque in Sanctorum, neque in Beatorum numerum relatis, neque fortaſſe in poſterum referendis, ſi Deo placet, non prohibentur. Verum, quæ una reliqua eſt erroris emendatio, hanc ex animo amplector & libens; neque poſſum præcipua, quæ hoc libro continentur, leviter, ut fit, & curſim attingere, quin me ſtatim ad Benedicti XIII. laudes, ipſa rerum, quæ indicantur, trahente natura, vocatum, adductum, & quaſi abreptum intelligam.

Scilicet in hoc libro ſermo fit a me de ingreſſu ad eum vitæ ſtatum, quem Regularium appellant, de congruis ejus vitæ generis inſtitutis & moribus, de Epiſcoporum & Cardinalium muneribus, de officio & dignitate Romani Pontificis: quis horum poſſit non idem probitatis, conſtantiæ, religionis, pietatis, ceterarumque Benedicti XIII. meminiſſe virtutum? Sunt, qui cum vulgaribus negotiis & curis ſolvuntur, ſeſeque ad clauſa & ſolitaria loca recipiunt, omnino nullum, ſunt, qui exiguum, ſunt etiam, qui opimum & pingue patrimonium relinquant. Alii, qui nullis, aut non ita magnis, alii, qui inſignibus vel ornamentis, vel commodis valedicant. Quoſdam reperias, quos naturæ bonitas, vel docilitas ad illud vitæ genus inclinet; nonnullos contra, quos mira vis, ardorque animi agat, incitet, urgeat. Quorum e numero quis ambiget Benedictum fuiſſe, quem in tanta Familiæ nobilitate priorem natu, præſtantem ingenio, firma utentem valetudine, deliciis & opibus omnis generis affluentem, neque Parentis cariſſimæ monita, ſuſpiria, lacrymæ, quibus illa neſcia tum futuræ & Gnati, & univerſi Chriſtiani orbis utilitatis & gloriæ currentem a propoſito fine detorquere aut retardare viribus omnibus contendebat, neque blanditiæ & oblectamenta nuptiarum, neque rei domeſticæ adminiſtrandæ ſtudium tenuerunt, quominus iter, quo properabat, conficeret, & religioſo Divi Dominici Cœtui ſeſe alacer & ovans adjungeret.

Par eſt, velut hoc ipſo annotamus Volumine, par eſt Eccleſiaſticarum dignitatum ratio, quas pro eo, ut diverſa hominum indoles & inſtitutio magnam affert morum & affectuum diverſitatem, plerique uſque adeo excupiunt aventque perdite, ut non modo ſine ulla cunctatione delatas arripiant, verum nimio fortaſſe expetant opere, totoque conquirant animo. Secus alii, iique perpauci, vel plane refugiunt, vel, quantum modeſtos decet, minimeque pugnaces, a ſe removent ultro mandatas & reſpuunt. Quid ea de re Benedictus ſenſerit, non admodum procul a nobis teſtimonia quærenda ſunt. Nam in hac ipſa juvenis adhuc Civitate morabatur, cum nihil tale cogitanti allatus eſt nuncius, eum a Pontifice maximo Clemente X. Cardinalem factum. Tum vero recuſare palam, & deprecari, quo tanta dignitas cum honoris ſplendore, & muneris officio a ſeſe abjudicaretur. Rem ſane incredibilem! Sed & nonnullis ſcribimus, qui tum adfuerunt, ſuperſtitibus graviſſimis viris; notumque eſt, mandatum fuiſſe a Clemente X. ne diutius ille Pontificiæ auctoritati refragaretur, ejuſque mandati monumentum exſtat certiſſimum. Itaque Divino Numini, quod nutu & voluntate Pontificis non obſcure referebatur, tandem, ut par erat, obſecutus in ſacrum cooptatus eſt Cardinalium Collegium.

Cardinales porro (quemadmodum a nobis hoc eodem libro memoratum eſt) aut Romæ in multiplici negotiorum, quæ illic gerunt, procuratione, rerumque agendarum tumultu, aut extra Urbem in ardua Eccleſiarum, Provinciarumque illorum fidei curæque concreditarum adminiſtratione verſantur. Benedictus pauliſper Romæ commoratus, maximum vitæ ſpatium egit Epiſcopus; primum, idque breviuſculum Siponti, & Cæſenæ, reliquum, ſane diuturnum, Beneventi. Cui in primis Eccleſiæ quo ſtudio, Deus bone, qua vigilantia, qua ſolicitudine præfuit! Quam præclara geſſit! Quam multa! Quam nova! Quam difficilia! Quam neceſſaria tum ad ipſius Eccleſiæ decus & ornamentum, tum vero, quod caput eſt, ad animarum utilitatem atque ſalutem! Quæ ſi perſequi ſingula aggrediar, plane futurum ſit, ut ea ipſa in quam Volumen excrevit, moles hujuſce orationis copia & longitudine ſuperetur.

Jam quæ potiſſima Epiſcopi cura debet eſſe, non tulit ille, niſi quantum neceſſitate coactus eſt, divelli ſe, & a grege ſibi cariſſimo diutius abeſſe. Itaque & perraro Benevento abfuit, & breviſſime. Ad hæc aliquam Diœceſis ſuæ partem quotannis inviſere, magnifica Templa vel excitare, vel reficere & renovare, Aras ad Rem Divinam faciendam conſecrare, Religioſos Cœtus conſtituere, Hoſpitia, Noſocomia publica exſtruere, pauperum egeſtatem non iis modo, quas ab Eccleſiæ regimine percipiebat, verum & ſuis plerumque facultatibus ſublevare, eſurientes animas dulciſſimo panis Evangelici pabulo explere, Concilia nunc Provincialia, nunc Synodalia cogere, leges in utriſque, quæ formis excuſæ circumferuntur, integerrimas condere, Confirmationem ſacram conferre, omnino cunctis ampliſſimi Sacerdotii ritibus, cæremoniis, officiis ſedulo & continenter adeſſe, nimirum hæc vitæ fuit, hæc temporis inſtitutio, quæ navum & induſtrium & impigrum Epiſcopum ſic exercuit & comparavit,

UAB Biblioteca de Ciències Socials

ravit, ut poſt hominum memoriam pares pauciſſimos, neminem fortaſſe reperias Divini cultus, & muneris pie ſancteque obeundi ſtudioſiorem.

Ceterum victu uſus eſt perquam tenui & auſtero, atque adeo carnis moleſtias, quæ cum infirmitate & ægritudine humanæ naturæ fere junguntur, non abſtinentia modo & temperantia compreſſit, ſed laboribus, ſed vigiliis, ſed jejunio maceravit. Spiritu nobili, non ambitioſo; conſtanti, non elato; blando, non imbecillo; &, quantum de aliis liberaliter & ſplendide prædicante, tantum modeſte de ſemet (quæ Chriſtiana humilitas eſt multo Deo, quam magnitudo animi, acceptior) & demiſſe ſentiente. Quo videlicet factum eſt, ut in tanto vel Epiſcopatus vel Cardinalatus ſplendore priſtini vitæ ſtatus, unde ad eas dignitates aſcendit (ceu Regularem decet, & a nobis in hac Operis noſtri parte propoſitum eſt) numquam non meminerit, Dominicani cœtus inſignia retinuerit, inſtituta, mores, conſuetudines ſervaverit, ut accuratum Divi Thomæ Aquinatis auditorem & ſocium facile poſſis agnoſcere. Sic enim Magiſter ille, neſcio, an doctrina, an ſanctimonia præſtantior quoſcumque ad eximios honoris gradus e mediis Regularium cœtibus extrahi & elevari intelligeret, iiſdem plane, quibus antea tenebantur (ſi modo cum officio novæ dignitatis conſentiant) teneri adhuc præceptis & regulis, cum probabat maxime, tum vero etiam palam edicere non dubitabat.

De pietate autem Benedicti erga Deiparam Virginem, & Philippum Nerium quid plura commemorem? Hoc miſſis ceteris non præteribo. Cum ingens terræmotus Beneventi obortus eſſet, illeque, vehementer concuſſo, disjecto, hiante ſolo, non ejus duntaxat, quo deambulabat, cubiculi, ſed inferiorum quoque ædium præceps ageretur, deorſumque ſaxa inter & trabes rueret, protinus de illius ſalute deſperatum eſt; quippe quem non prius extinctum, quam ipſis intercluſum, obrutum, ſepultum cæmentis omnes judicaverint. Mirandum dictu, & quod cuivis facile monſtri ſimile videatur! Poſt aliquot horas e tanta, qua circum operiebatur, lapidum lignorumque mole non modo vivus, ſed præter omnium exſpectationem evaſit incolumis. Quo ſane ex periculo non ſua illum, ſed, quemadmodum ipſe beneficii magnitudinem prædicare ſolitus identidem profitebatur, Nerii virtus eduxit. Præclarum enim vero & indubium, quanti apud Nerium Benedicti cultus, & pietas eſſet, argumentum.

Bono igitur numine contigit, & optimo jure dignus eſt habitus, ut, qui cunctis admirabilium virtutum facile præibat exemplo, Imperio quoque Chriſtianæ Reipublicæ aliquando præficeretur, ardentiſque inſtar lampadis, non humili anguſtoque deliteſceret loco, ſed in aprico & excelſo poneretur, unde nitidiſſimum lumen provide lateque diffunderet. Itaque ſumma Cardinalium conſenſione Pontifex maximus dictus eſt. Nunc vero tempus eſſet, ut, quoniam multiplices virtutum, quæ Romano Pontifice dignæ ſunt, gradus hoc quoque Libro proſequimur, &, vulgares inter, & heroicas quid interſit, exponimus, de illis, quæ in Benedicto XIII. poſteaquam is ad ſummum Pontificatum delectus eſt, refulſerunt, & quo quæque loco conſtitui debeant, videremus. Quamquam id quidem eorum, qui me legerint, & hujus Pontificis facta vel ſpectarint ipſi, vel ex aliis perceperint, ſit judicium. Mihi vero ſatis eſt præcipua quædam veluti capita colligenti non aptiſſimam illam quidem, ſed neque obſcuram, neque prorſus alienam inſignium illius virtutum imaginem, & quaſi ſpeciem effingere.

Jam neminem unum, ut ego arbitror, latet, non nova profecto, non inaudita, ſed eximia tamen, hocque rarior, quo plerumque minus ſincera, ſimplex & candida, & quam ſera poſteritas numquam ſatis vel admiratione vel laudibus proſequatur, moderationem ne dicam, an veram animi fortitudinem atque conſtantiam, qua Pontificium honorem, quoad potuit, recuſavit. Quippe res eſt cum ab ipſius ingenio & conſuetudine non abhorrens, tum vero maxime nota, & crebris eorum uſurpata ſermonibus, qui tum magna opera, collatiſque ſtudiis ejus dignitatis accipiendæ, ad quam non tam ſuffragiis hominum, quam duce & volente Deo vocaretur, vehementer illi diu multumque hærenti & reluctanti auctores fuerunt.

Quid quod clariſſimis Alexandri II. veſtigiis inhærens, qui Pontifex maximus factus Lucæ Epiſcopatum numquam dimiſit, haud ſecus ille Archiepiſcopatum Beneventi retinuit, manens non in dignitate ſolum, ſed (quod multo præſtabilius eſt) in officio? Nam & quo illo fungeretur, nihil a ſenili ætate, nihil ab infirma valetudine, nihil a viarum & tempeſtatum incommodis metuens ſemel atque iterum ad Beneventi Eccleſiam profectus eſt, & eam in primis magnis locupletavit muneribus, & cetera civitatis ejuſdem pia & religioſa loca facultatibus auxit boniſque cumulavit.

Paucis laudationem concludo maximam. Quod familiari tritum eſt vulgatumque ſermone, honoribus mutari mores conſueviſſe, ab hoc videlicet fœdiſſimo vitio tam longe Benedictus abfuit, ut vitæ ratio, quam Pontifex maximus ſecutus eſt, vix quidquam differre ab ea viſa ſit, quam vel Epiſcopus, vel Cardinalis jampridem inierat. Tanta fuit omni tempore ingenii, morum, victus, habitus ſimilitudo. Quod ſi cuipiam forte videbitur rei veritatem paulo accuratius inveſtiganti, quamdam in his ſubeſſe diſſimilitudinem, idem fateatur denique neceſſum erit, non modo nihil e priſtino vitæ genere pro diverſis honorum gradibus detractum eſſe, ſed magnam potius laborum, moleſtiarum, ſolicitudinum acceſſionem factam. Quin & induſtriæ & diligentiæ non parvam, quas ad Populorum inſtitutionem, Deique cultum in conſuetis Sacerdotii & religionis officiis ſemper adhibuit, ut mirarentur omnes, quemadmodum Vir jam prope ſenio confectus, & (quod pluris æſtimo) vigiliis curiſque graviſſimis debilitatus utramque vitam alacri promptoque animo coleret, & eam, quæ in Dei cæleſtiumque rerum contemplatione verſatur, & eam, quæ rebus agendis, moribuſque hominum ab omni labe purgandis, & ad vitæ integritatem probitatemque informandis incumbit.

Ut nihil dicam de Romano Concilio, ſanctiſſimiſque, quæ, illo præſertim auctore, inibi ſancitæ ſunt, legibus; nihil de vehementi animi contentione & ardore, quo Beatorum Sanctorumque numerum amplificavit; nihil de Noſocomio ad ægrotantium curationem aut ſcabie aut impetigine affectorum ædificato; nihil de ſexcentis aliis largitatis ejus erga mendicos & pauperes, & miſerationis prope inauditæ notis & argumentis: quibus ille non admirationem & obſequium duntaxat, ſed omnium voluntates &

ſtudia ſingularem in modum devinxerat. Cujus rei teſtimonium eſto ampliſſimum idemque jucundiſſimum, quod, cum ejus corpus a Divi Petri Baſilica, ubi depoſitum fuerat, hoc ipſo Pontifice optimo Clemente XII. comprobante, ad templum Dominicani Ordinis penes ſepulcra Collegarum ſuorum humandum comportaretur, tantus fuit fere univerſæ civitatis confluxus, tanta omnium exſpectatio, tanta lætitiæ & benevolentiæ ſignificatio, ut ſi vel nuperrime ille, non ab aliquot annis occubuiſſet, vel ſuperſtitem adhuc aut redivivum intueri ſibi quodammodo populus perſuaderet, vel hæc forte apud pleroſque opinio invaleſceret, pompam illam haud multo ſecus colendam, atque aliæ ſuſcipi ſolent, in quibus cineres & oſſa Cælitum beatæ jam æternæque vitæ conſortium efferantur. Profecto quicumque actam cunctam illius vitam reſpiciat, qui poſſit non magnum capere ad bene de cæleſti perpetuaque ejuſdem felicitate ſperandum argumentum? Præter ergo qualemcumque illam, quam ipſa ſibi inſcriptio Operis vindicat, grati animi famam, quemadmodum in altera Operis mei parte Clementem XI. Pontificem optimum maximum, quem ſperare licebat a procelloſis diuturni & ardui Pontificatus fluctibus in portum æternæ & placidiſſimæ quietis receptum, etiam atque etiam exoravi, ut precibus ad Deum fuſis me confirmaret & adjuvaret ad Diœceſim hanc meam conſilio, opere, & exemplo illuſtrandam; ſic & in hac Operis mei parte ſummum Pontificem Benedictum XIII. quem ad perennis gloriæ & gaudii ſedem fauſtiſſime evectum ſperare fas eſt, enixe precor, ut a Deo optimo maximo lumen mihi præſidiumque impetret, quo difficile Epiſcopatus officium integre & fideliter obeam, Eccleſiæ ornamenta & commoda amplificem, animarum incolumitati atque ſaluti & voce præſto ſim & exemplo, idque ad extremum perficiam, ut, ſingularium ejus virtutum me non tam laudatorem, quam æmulatorem exſtitiſſe, & ipſe in primis, cui hæc noſtra, quantum poſſumus, commendamus, & omnino ceteri intelligant.

AUCTORIS EPISTOLA

AD EMINENTISSIMOS CARDINALES

SACRORUM RITUUM CONGREGATIONI PRÆPOSITOS,

Et Reverendissimos ejusdem Congregationis Consultores

Præmiſſa Volumini Quarto editionis primæ anno 1738.

BONO denique Numine, cujus admirandum in primis, & latiſſime patens fatemur auxilium, ſtudio quoque & labore certe non parvo univerſum de Beatificatione Servorum Dei, & Sanctorum Canonizatione Opus abſolvimus. Cujus quidem Operis, quæ tria typis excuſa Volumina hucuſque prodierant, glorioſis maximorum Pontificum (quorum præclara in nos extant promerita) primum Clementis XII. feliciter regnantis, ſecundum Clementis XI., tertium Benedicti XIII. nominibus ſcripta ſunt. Nunc prælo quartum emittimus; idque in duas partes diviſum Eminentiſſimis Cardinalibus ſacrorum rituum Congregationi Præpoſitis, & Reverendiſſimis ejuſdem Congregationis Conſultoribus commendamus. Hæc videlicet ea Congregatio eſt, ad quam ſummus Pontifex Sixtus V. non modo Cauſas Beatificationis & Canonizationis univerſas, ſed cetera etiam ejuſdem generis ad cultum Servorum Dei, Beatorum, Sanctorum quomodocumque pertinentia deferri mandavit. Hæc, cujus immenſis laboribus ſingularique diligentia obſcura quæque & difficillima, quæ paſſim in hanc materiam cadere ſolent, mature diſcuſſa atque explicata ſunt, & ad hæc tempora mirifice, ſupra quam aut optari aut excogitari poterat, illuſtrata. Hæc, cui noſtram ipſi, dum Advocati Conſiſtorialis munere functi ſumus, & ſcribendo, & vero etiam dicendo præſtitimus operam non ſolum in notiſſimis Cauſis Bononienſium Civium Pii V. & Catharinæ Vigriæ, quæ noſtro qualicumque patrocinio fauſte ceſſerunt, ſed & in aliis permultis, in quibus quantum ſtudii diligentiæque poſuerimus, noſtra, quæ publice circumferuntur, Scripta declarant. Quid quod ampliſſimo Clementis XI. beneficio ad eximium Promotoris Fidei munus evecti, quæcumque a nobis per integrum viginti annorum ſpatium in Cauſas Beatificationis & Canonizationis, & in Beatorum Sanctorumque cultum animadverſa ſunt, hujuſmet Congregationis judicio credidimus omnia, atque ſubjecimus? Sic vero per idem tempus in Conſultoris officio verſati ſumus, ut nullus fuerit ex crebris, qui in conſpectu vel ſummorum Pontificum, vel Cardinalium palam haberentur, conventibus, qui præſentiam noſtram aliquando deſiderarit: ut alios mittamus non paucos, quibus ſive cum Cardinali in aliqua ex hujuſmodi Cauſis Ponente, ſive cum earumdem Cauſarum Poſtulatoribus rem privatim agentes adfuimus. Neque porro aut multiplicia Romanæ Curiæ negotia, quæ nos primis a ſuſcepto Promotoris, & Conſultoris officio temporibus mediocriter exercebant, aut nova, quibus deinceps liberaliter auctı ſumus, eaque graviſſima munera a Secretis ſacræ Congregationis Concilii, Conſultoris ſancti Officii, Doctoris ſacrorum Canonum in Foro Pœnitentiariæ, aut alia quamplurima, in quibus ſive conſiderandis ſive gerendis noſtra aſſidue opera ſummi Pontifices utebantur, nos aliquando tenuerunt, quominus & (quod Promotoris eſſet) accurate ſcribendo, & (quod Conſultoris) ad ſingulos ſacrorum rituum conventus ſedulo accedendo utriuſque officii partes impleremus. In quo ſane a Benedicto XIII. ſacra donati Purpura, & in Cardinalium numerum eidem Congregationi Præpoſitorum relati, quamdiu Romæ fuimus, vel illo ipſo ceteroqui breviſſimo temporis intervallo, numquam defecimus. Quæ cum ita ſint, plane non dubitamus, fore, ut, hanc Epiſtolam quicumque legerit, facile intelligat, quo potiſſimum nomine Volumen hoc quartum in duas partes, uti diximus, diſtributum, vobis, Eminentiſſimi Cardinales ſacræ rituum Congregationi Præpoſiti, vobis, Reverendiſſimi ejuſdem Congregationis Conſultores, commendare inſtituerimus. Neque aliam diſſimulabimus, quæ hanc maxime inſcriptionem Operis ſibi vindicat, non exiguam neque obſcuram rationem, fructum nimirum, quem, ut ingenue fateamur, uberrimum cepimus ex ipſis doctiſſimorum Cardinalium, & ſapientum Conſultorum conventibus, quorum alii morte (heu nimium!) ſublati ſunt, alii etiamnum Congregationem hanc exornant mirum in modum atque perficiunt. Quod quantum dicamus ex animo, tum ſententiis manifeſtum eſt, quas, nunc Cardinali, nunc

Con-

Conſultore aliquo auctoribus, in hæc Volumina identidem, ut occaſio tulit, conferre non prætermiſimus, tum vero etiam Decretis, quæ fideliter a nobis relata, & tamquam firmiſſimum opinionis noſtræ fundamentum propoſita & conſtituta ſunt. Hem ergo vobis, Eminentiſſimi Cardinales, & Conſultores Reverendiſſimi, univerſum Opus, dignum videlicet, quod veſtrum potiori jure, quam noſtrum appelletur, quando veſtra magis, quam doctrina noſtra comparatum atque confectum eſt. Hem propterea magnum ad bene ſperandum argumentum, ut vobis hoc ſaltem nomine non modo non inviſum, ſed gratum etiam atque jucundum futurum ſit: quod tamen ipſum veſtræ erit humanitatis. Sed illud omnino erat obſervantiæ noſtræ, quantum vobis deberemus, hoc præſertim tempore meminiſſe, omnibuſque palam facere, quanto animi ſtudio dignitatem, ſapientiam, pietatem veſtram merito coleremus.

CAROLI CARDINALIS REZZONICO

EPISCOPI PATAVINI

EPISTOLA AD SS. D. N.

BENEDICTUM XIV. PONT. MAX.

Præmiſſa Volumini Primo editionis ſecundæ anno 1743.

PATAVINUM Epiſcopatum ineunti mihi hoc ſtatim accidit optatiſſimum, ut primos fructus ab eo profectos publico grati animi teſtimonio ei potiſſimum offerre poſſem, ad quem maxime ſpectant. Offero enim Tibi, BEATISSIME PATER, *occaſionem opportuniſſimam mihi exhibente inſigni Opere hoc Tuo, cujus abſolutionem ad ipſa curarum mearum primordia miro quodam conſilio Superi reſervarunt. Jam inibi hoc erat ut e Seminarii mei typis diſcederet, nec, ut rediret ad Te, quidquam requirebatur aliud, niſi ut is præſto eſſet, qui ejuſdem Seminarii legitimam tutelam & curam amplexus, Tibi hoc officium gratiæ & dignitatis pleniſſimum rite perſolveret. Acceſſi ego ad hoc munus, & his auſpiciis in Patavinam Provinciam mihi nihil tale opinanti ſingulari clementia tua demandatam ingreſſus, hoc in primis curavi, ut illa grati animi officia, quæ pro amplitudine Tuæ Dignitatis in Te ipſum conferre non poſſem, in Opera ſaltem Tua ſummo ſtudio & voluntate a me collata invenires. Quidni autem ſtudioſiſſime id facerem ejus Operis gratia, quod* PONTIFICI *de me divinitus merito incredibilem gloriam, litterariæ Reipublicæ eximium ſplendorem, univerſæ Catholicæ Eccleſiæ ſummam utilitatem & ornamentum parit? Invideo,* BEATISSIME PATER, *Seminario meo, quod talis tantique Operis edendi cogitationem & curam ſuſceperit, antequam ego de tali re quidquam poſſem non dicam præcipere, ſed cogitare. Quanto enim alacrius ſiſterem ego me* SANCTITATI TUÆ, *ſi Tibi hanc editionem ita demum offerre poſſem, ut gloriari mihi liceret, eam me auctore & principium & exitum habuiſſe! Sed ego hercule ſatis felix, cui, ſi incipiendi laudem aliena cura præripuit, ultimus ſaltem actus, qui quidem mihi videtur omnium pulcherrimus, relictus eſt. Ad hunc igitur divino quodam munere ego potiſſimum deſtinatus, tollo libenter Opus & nobis & poſteris omnibus admirandum, & Tibi Auctori ſuo, ſi non tam magnifice, quam tanta res poſtulabat, ſaltem accurate & diligenter excuſum defero ac trado; & ſi quid gratiæ hinc derivari in nos licet, me, & Seminarium meum per hunc optimum atque acceptiſſimum quaſi oratorem & internuncium* SANCTITATI TUÆ *enixe commendo.*

XIII. Cal. Octobris MDCCXXXXIII.

BENEDICTI XIV.

LITTERÆ APOSTOLICÆ

IN FORMA BREVIS

AD V. C. JACOBUM FACCIOLATI

Præmiſſæ Tomo I. Editionis Patavinæ an. 1743.

BENEDICTUS PP. XIV.

DILECTO FILIO

JACOBO FACCIOLATI.

DILECTE Fili ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Cum Archiepiſcopalem Bononienſem Eccleſiam præſentes gubernabamus, magnis licet oppreſſi curis, quas munus illud ampliſſimum ſecum affert, aliquot antelucanas horas vix non quotidie ſomno ſubtraximus, opus non ſane exiguum lucubraturi de Canonizatione Sanctorum, quod quatuor in volumina diſtributum typis edidimus in eo digeſtis tot rerum monumentis ad hujuſmodi ſcientiam pertinentibus, quæ ſummo labore accuratiſſimoque ſtudio collegeramus, dum per tres Pontificatus maximos Promotoris Fidei munere geſſimus. Quin etiam inſuavem moleſtiam ſuſcepimus Indicis conficiendi, quo complexi ſumus quidquid præcipue reſpicit curſum & proſequutionem cauſarum, quæ de ſacra Apotheoſi aguntur in Romana rituum Congregatione. Prætermiſimus autem indicare tot per omnem lucubrationem agitatas ac diſſolutas quæſtiones Theologicas, Philoſophicas, Phyſicas, ſacræque Hiſtoriæ, quæ congruentes noſtro tractando explicandoque argumento ſeſe obtulerunt. Conſcii tenuitatis noſtræ, verecunde intelleximus ab omni eruditi orbis parte ac plurimorum litteris, lucubrationem noſtram non inutilem, non injucundam, non levis momenti fuiſſe reputatam, ac ſuſtinuiſſe benevolam expectationem, quæ de ipſa, fortaſſe immerito, commota fuerat; verum a pluribus deſiderari locupletiorem Indicem rerum ibi diſceptatarum, quo non parum ſublevarentur, qui ſua in multiplex negotium partiri tempora, neceſſe habent. Quocirca operæ pretium exiſtimavi, librum rurſus, auctо ſyllabo, prælo ſubjicere, ut communi commodo, omnium deſiderio ſubſervire poſſit. Facile tecum ipſe perpendes, poſſemus ne cogitare, nedum animum adjicere ad recolligendum e tam varia diffuſiſſimaque materia novum Indicem, dum prope immenſa univerſi Chriſtiani gregis ſolicitudine ac vigilantia, tantaque rerum graviſſimarum mole, hoc præſertim difficillimo tempore, vix non obruimur. Quidpiam tamen ſubduximus nocturnæ quieti, ac neceſſariæ relaxationi, qua inſtaurari animi vires oportet, ut ad agendum ſufficiant. Tunc enim abditi in privatam noſtram bibliothecam, ac nobis propemodum reſtituti, plura magni momenti addidimus inſtituto pridem Operi, a Nobis deinceps congeſta in adeo feraci argumento, aut ſuppeditata recenti aliquo caſu, poſt libri Noſtri editionem expenſo atque examinato. Hæc autem additamenta ſuo loco a Nobis inſerta deferri ad te identidem juſſimus; quandoquidem de noſtro eodem litterario

fœtu rursus evulgando cogitaveras. Te simul hortati sumus, ut, Nobis gratificaturus, permolestum uberioris condendi conficiendique Indicis negotium susciperes. Utrumque a te singulari adeo diligentia, peritia, studio patratum est, ut nihil ultra nobis optandum reliqueris, nec spem fefelleris, quam de tua virtute solertiaque conceperamus. Quæ perhonorifica de te sententia ut neminem lateat, maneatque grati animi Nostri memoria, atque eximiæ tuæ laudis publicum documentum, Apostolicis litteris in forma Brevis testari voluimus; quibus etiam palam facere, ac declarare opportunum duximus, Nos quicquid præcipuum ac ponderosius in Codicem istum digessimus, elaborasse, dum Cardinalatus honore fungeremur. Quocirca non aliam præseferre auctoritatem, quam privati Auctoris; eosdemque intra privatæ auctoritatis fines ea quoque contineri, quæ adjunximus in hac iterata Operis editione, in lucem prodeunte, dum in suprema D. Petri Sede, licet prorsus immerentes, locati sumus; exceptis Decretis, quæ a Nobis Pontificatum Maximum gerentibus de hujusmodi argumento interposita, illic inserta sunt. Hæc enim pari volumus pollere jure, quo pollent reliquæ Decessorum Nostrorum Sanctiones, ista ipsa super re promulgatæ. Perge itaque, dilecte Fili, urgere susceptum laborem iis fortasse non supervacaneum, nec inanem aut inopportunum, qui Ecclesiasticam eruditionem, severiores disciplinas, & sacræ Apotheosis illustrem scientiam colunt. A nobis profecto plurimam inibis gratiam debitamque tuæ virtuti benevolentiam, cujus pignus Apostolicam Benedictionem tibi peramanter impertimur.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XX. Julii MDCCXLIII. *Pontificatus Nostri Anno Tertio.*

Jo. Vincentius Luccheſinius.

JACOBI FACCIOLATI V. C.

EPISTOLA AD SS. D. N.

BENEDICTUM XIV. PONT. MAX.

Præfixa Volumini Primo editionis ſecundæ, ubi reſpondetur ſuperioribus Litteris Apoſtolicis.

ACCEPTO BREVI tam liberali atque honorifico, ita mihi, Beatissime Pater, *eodem tempore obversari animo cœpit & virium mearum infirmitas, & Pontificis summi Majestas, ut quid potissimum reponerem, quod simul grati animi loco esset, simul editionis hujus rationem aliquam redderet, non invenirem. Cum enim ego, ut Patavini Seminarii rationibus consulerem, de hoc tam insigni Opere rursus edendo cogitassem, ausus & edendi veniam, & additamenta a* Sanctitate Tua *petere, videbar mihi immane quoddam debitionis onus non satis fortasse prudenter suscepisse. Nunc cum id ipsum ad gratiam aliquam valuisse videam, ita perfundor verecundia, & nescio qua animi perturbatione commoveor, ut mihi ipse non plane constem. Equidem sæpe mecum reputavi, ad eam nos temporum felicitatem deveniſſe, ut summi Principes, non de Civitatibus modo, sed de singulis hominibus bene mereri studeant; suumque illud dignitatis fastigium non extra humanam sortem, ut apud barbaros adhuc usuvenit, sed paullo supra positum existiment. Atque inter Principes ipsos siquis est unus, qui ad Superos proxime accedat, idemque de se moderate sentiat, Tu certe is es,* Beatissime Pater; *multisque jam rebus ostendisti, nihil homini, quamdiu cum mortalibus versatur, magis convenire, quam se hominem agnoscere, & cum hominibus pro mortali conditione agere. Mittamus cetera, & ad litterarum studia, hoc est ad rem nostram veniamus. Ibi Te rerum domina Divina Providentia collocavit, unde satis ad bonas artes commodi afferas, si alios ad scribendum impellas: at ipse quoque scribis, & ea scribis, quæ viam hanc Ecclesiasticam ineuntibus documento ad agendum, & ad scribendum exemplo sint. Nam & ea, quæ nunc damus, & ea, quæ brevi daturi sumus, sunt ejusmodi, quibus nihil hac ætate nec præstantius, neque utilius ex hoc quidem genere litteraria Respublica vidit. Hæc si in summo otio scripsisses, quis tamen tantam doctrinæ copiam ex omnibus litterarum atque artium fontibus derivatam non admiraretur? Quis plura ab uno homine requireret in Jure Canonico, in Historia, in Theologia, addo etiam in Physica disciplina, unde præsertim volumen hujus Operis quartum excrevit? At omnia fere inter gravissima primum Romanæ Curiæ, deinde Anconitanæ & Bononiensis Ecclesiæ munia, quasi ad levamen quoddam animi, scripta sunt. Verum de his alios judicare malo: illos dico, qui ex instituto libros expendere atque æstimare solent; & hunc ipsum examinarunt, ut ex tribus Judiciis, quæ deinceps subjiciam, apparebit. Illud videtur mearum partium esse, ut de iis aliquid dicam, quæ curis secundis adjicienda judicasti. Ea profecto sunt hujusmodi, ut mihi quidem, qui in hoc doctrinarum genere nunquam antea versatus sum, sed tamen quantum contendi studio & industria possit in genere omni, certe non ignoro, vix persuadere queam, inter summas totius Catholicæ Religionis, & Ecclesiastici Imperii curas, temporum difficultatibus in immensum auctas, colligi, exponi, exornari, & suis quæque locis apte congruenterque distributa concinnari potuisse. Non est opus, ut ea singillatim recenseam, quandoquidem ex gemino Indice cognoscuntur. Ac primum quidem, in quo summa rerum capita continentur, non tam reficiendum, quam augendum duxi; alter, quem* Indicem Indicis *voco, eorum gratia conditus a nobis est, qui singula sibi incurrere in oculos statim volunt, & nisi incurrant, deesse putant.*

Ceterum tua hæc, Beatissime Pater, *non modo ad Auctorem, sed mehercule tamquam ad Auspicem redeunt ac Patronum: idque nunc primum post natas litteras fieri puto, vel certe raro admodum factum esse, ut litterarium opus ad Auctorem ipsum auspicii causſa deferretur. Non es, opinor, valde rogandus, ut Tua benevole excipias, nisi forte quod minus compta & expolita ad oculos alliciendos, pro eo, quod sæculum tenet tabularum studio, videantur. Curavimus, ut nitida essent, & quantum typographica industria valet, etiam castigata.* Multa ferunt anni venientes commoda ſecum: *proindeque si editioni tertiæ locus erit, quod sane sperare juvat, fortasse etiam magnifice, Præside illo ac Moderatore, quem Patavinis Sacris proxime præfecisti, cogitare poterimus. Interim ego* Pedibus Sanctissimis *provolutus, quascumque comprehendere animo, & explicare verbis possum, laudes Tibi grateſque ago; meque novi hujus beneficii memoria sempiterna obstrictum* Sanctitati Tuæ *deditumque profiteor.*

Patavii prid. Kal. Sextil. MDCCXLIII.

JUDI-

UAB Biblioteca de Ciències Socials

JUDICIA III.
GERMANICUM, GALLICUM, ET ITALICUM
DE PRIMA HUJUS OPERIS EDITIONE

Præfixa Tomo primo a pag. XI. usque ad pag. XLI. *edit. Patavinæ anno* 1743.

I. GERMANICUM.
EX ACTIS ERUDITORUM

Publicatis Lipsiæ Calendis Octobris Anno MDCCXL.

ADDITIS EDITORIS ANIMADVERSIONIBUS

De Servorum Dei Beatificatione & Beatorum Canonizatione Liber I. Auctore PROSPERO DE LAMBERTINIS, *S. R. E. Cardinali Tit. S. Crucis in Hierusalem, Anconæ primum Episcopo, postea Bononiæ Archiepiscopo.*

Bononiæ, formis Longhi, Excusoris Archiepiscopalis. 1734. fol.

Alph. 6. pag. 8.

QUOD felix faustumque & perenne sit, jam literæ bonæ & mansuetæ in Italia vigent, iique, quorum ad exemplum cuncti ora animosque convertunt, Musarum non solum sunt patroni, sed magna etiam ex parte operam ipsi studiumque scriptis operose nitideque evulgandis impendunt. Eminentissimos Curiæ Romanæ patres, *Vincentium Ludovicum Gotti*, & *Prosperum de Lambertinis*, designaturi eramus, cum ille multis suffragiis summæ dignitati destinatus, hic vero prosperrima concordia communibusque suffragiis ad maximos, quos Ecclesia habet Romana, honores evectus fuerit. Quantis in posterum in illa Ecclesia incrementis status literarius videatur effulsurus, ex tantorum Virorum Operibus, diligentissime conscriptis, læti ominamur. Eminentissimus *Prosper*, nunc *Benedictus XIV.* in formula Dedicationis, ipsi Operi præmissa, *Clementi XII.* Pontifici suo optimo maximo, omnigenam prosperitatem apprecatus, nihil observantiæ & pietatis omisit, quam ex filio in patrem proficisci oportet. *Liber* hic *primus capitibus* 47. constat, quæ singula sic indicabimus, ne argumenta eorum potiora prætermittamus indicta. *In primo capite* Auctor summus de superstitiosa Gentilium Apotheosi exponit, quæ erat solennis alicujus hominis inter Deos adscriptio, vulgo *consecratio* dicta. *Tiberium* tentasse Christi apotheosim, Senatu respuente, ex *Tertulliano*, *Eusebio*, *Joanne Chrysostomo*, & *Gregorio Turonensi* demonstrat. *Hadrianus* idem cogitasse fertur: *Alexander Severus* Christo templum facere voluit, eumque inter Deos recipere. Utrumque summus Pontifex ex *Lampridio* ostendit, addens, suorum Canonizationem non convenire cum Gentilium Apotheosi, nec ab ea suam deducere originem. In Apotheosi, suffecit productus testis juratus, affirmans, se Consecrandum vidisse ex igne rogoque redivivum reverti, & penetrasse in cælum. In Canonizatione multorum testium affirmatio de horoicis facinoribus & miraculis Sanctorum producenda, dictaque eorum serio perpendantur & examinantur. Ut in consecratione mendacium animis fortius insideret, combusto Imperatoris corpore, & in cineres redacto, aquila dimittebatur, quæ animam Principis in æthera evehere perhibebatur, teste *Herodiano lib. IV.* Homines quoque, multa vitiorum illuvie inquinatos, Diis a Gentilibus adscriptos esse, ipse credidit *Marcus Varro* apud *Augustinum de civ. Dei lib. VI. cap.* 2. Addidit hoc quoque Auctor maximus, Consecrandum in Apotheosi Gentilium inter Deos recensitum fuisse; Canonizandos vero solemni judicio ab Ecclesia referri in album Servorum & amicorum Dei. Quare *Augustinus* docuit *de civ. Dei lib. XXII. cap.* 10. *Nobis Martyres non sunt Dii, quia unum eumdemque Deum & nostrum scimus & Martyrum*. Cyrilli Alexandrini testimonium *contra Julianum lib. VI. tom. VI. pag.* 202. sic habet. *Sanctos porro Martyres neque Deos esse dicimus, neque divino cultu scilicet illos adorare solemus, sed affectus & honoris; quin potius summis honoribus illos ornamus, puta, quod pro veritate strenue certaverint, sinceritatemque fidei eo usque servaverint, ut animam ipsam contempserint, repudiatisque mortis terroribus, periculum omne vicerint .... Nos autem non dicimus, sanctos Martyres fuisse Deos, sed illos omni veneratione prosequi solemus, eorumque locutos honoramus, tam claræ virtutis remuneratorem veluti quandam ac præmium, ipsis immarcescibilem memoriam reponentes*. Epiphanii quoque locum Auctor maximus laudat, qui *adversus hæres. lib. III. contra Collyridianos hæresi* 59. (sive 79.) *num.* 9. de sancta Deipara subdidit: *Honoretur sane Maria; Pater vero, Filius, & Spiritus Sanctus adorentur. Mariam adorare nemo velit. Non enim mulieri, ac ne vivo quidem, sed uni Deo, mysterium illud cultusque tribuitur, adeo, ut nec Angeli ipsi tanto honori pares esse videantur*. Denique *in Synodo Nicæna II. Actione III.* sic statutum fuit: *Apostolicas autem Ecclesiæ traditiones, per quas honorare & adorare Sanctos & salutare docemus, suscipimus & ampletimur, venerantes eos, ut famulos, & amicos, atque filios Dei*. Ex his aliisque Patrum sententiis maximus Auctor arbitratur ortum habuisse, quidquid Romana Ecclesia de Latria, de Dulia, de Hyperdulia docet, istam soli Deo, illam Sanctis, hanc soli Humanitati Christi, & Beatissimæ Virgini tribuens. Latriam soli Deo competere, jam tradidit Augustinus *de civ. Dei lib. X. cap. I. & lib. XX. contra Faustum cap.* 21. En locum posteriorem: *At vero illo cultu, qui Græce* Latria *dicitur, Latino uno verbo dici non potest, cum sit quædam propriæ Divinitati debita servitus, nec colimus, nec colendum docemus, nisi unum Deum*. Joannes Damascenus *orat. III. de Imaginibus* eandem de Latria notionem animo informavit. Monet Auctor maximus, vocem adorationis nunc designare latriam, strictequе sumi, nunc late sumptam pro dulia & hyperdulia etiam capi, exemploque, ex *I. Par. XXIX.* desumto, ubi in Vulgata legitur: *Adoraverunt Deum, & deinde Regem*, rem illustrat. Alio idem quoque argumento utitur, ut Canonizationem ab Apotheosi derivatam fuisse, neget. En Pontificis summi verba: *Sanctorum Canonizatio fundatur in doctrina Catholica de cultu, invocatione, & intercessione Sanctorum, & ab antiquissima Ecclesiæ disciplina originem habet, secundum quam sapienter animadversum est, permissum esse non debere unicuique juxta proprium arbitrium quemcunque sibi bene visum publico cultu, tanquam in cœlis existentem, apud Deum intercessorem colere & venerari, sed Ecclesiasticum judicium accedere debere, in quo, visis videndis, statuatur, an hic vel ille publice colendus sit*. De religioso cultu Sanctis præstando hæc profert sacri Codicis testimonia: *num. XXII. 27. 31. Jos. V. 14. 1. Reg. XVIII. 7. 2. Reg. IV. 37. II. 15.* tandemque subdit: *Quamvis nostri non sit instituti, de controversiis Catholicæ fidei cum Hæreticis agere in præsenti, & Divinæ Scripturæ testimonia ad impugnandam eorum pertinaciam congerere; alios tamen Divini eloquii locos, arrepta opportuna occasione, pro Sanctorum invocatione & intercessione alibi afferemus*. Fatetur tamen, non ita frequentem in Scripturis haberi mentionem invocationis Sanctorum, eo quod populus admodum proclivis fuerit ad Polytheismum stante Vet. Testamento, Codex autem Nov. Testamenti in doctrina fidei ad Christum redemptorem dirigenda sit occupatus. Fatetur porro, cultum Sanctorum in Ecclesia fuisse substitutum, abjectis falsis Numinibus & Apotheosibus impuris. Theodoretus certe ita *serm. VIII. de Martyribus: Suos mortuos Dominus Deus noster in templa pro Diis vestris induxit, ac illos quidem cassos vanosque redidit*. Hæc fusius duximus repetenda. *Capite secundo* Auctor maximus exposuit *de Martyrum secundum antiquam Ecclesiæ disciplinam differentiis, & eorum cultu*, præmisso discrimine inter Lapsos, eorumque diversa fata, unde dicti fuere *idololatræ, sacrificati, thurificati, & libellatici*. Pertinent hæ differentiæ cumprimis ad seculum tertium. Libellatici fuerunt generum duorum. Alii enim libellum tribunalibus offerebant, quo, sese religionem Christianam dereliquisse, confessi eximebantur ab onere publice sacrificandi, aut tribunalibus sese sistendi. Alii soluta pecunia sese a vexatione redimebant, palam tamen confessi, sese Christianos esse, & se nolle a Christo recedere. *Extores* autem dicti fuerunt, qui exilium sponte elegerunt, ne cogerentur Christo maledicere, ejusve doctrinæ renuntiare; certe illi, qui nomen Christi coram Magistratibus libere confessi, patria per eosdem Magistratus expellebantur, expulsione in pœnam confessionis irrogata & accepta. *Professores* dicti, qui non interpellari coram Præsidibus comparebant, & sese martyrio subeundo offe-

offerebant. *Confessores* vero dicti, qui Christum palam & coram tyrannis seu fidei hostibus confessi, quolibet tormentorum vel pœnæ genere affecti; superstites tranquillam mortem obibant. *Martyres*, qui sanguine suo veritatem doctrinæ Christi obsignarunt, alii fuerunt *designati*, alii *consummati* sive *coronati*, alii *vindicati*. Designatis mortis sententia declarata, effectui licet haud data. De consummatis triumphavit insontibus pœna capitalis, a tyrannis constituta. Dies, quo Martyres morte sua quondam Christum gloria affecerunt, religiose celebratus, ut ex Actis martyrii Polycarpi ac aliunde constat. *Vindicatus Martyr* est, qui declaratus est talis communi piorum sententia. Optatus Milevitanus *lib. I. adversus Parmenianum* Martyrem vindicatum commemoravit. *Capite tertio* maximus Auctor exposuit de collectione Actorum martyrii, & eorum examine, Ecclesiasticoque super illis judicio. Acta eorum, qui olim pro Christi fide mortui fuerunt, sincera collecta fuisse, ex libro *de Pontificibus Romanis* docuit, ubi locus insignis legitur de S. Clemente Papa: *Hic fecit septem regiones dividi Notariis fidelibus Ecclesiæ, qui gesta Martyrum sollicite & curiose unusquisque per regionem suam diligenter perquirerent*. Conferri possunt, quæ ibi de S. Fabiano & S. Antero perscripta extant. Cyprianus *in Epistola, tempore sui processus scripta Clero Carthaginiensi*, mandavit, ut Acta Martyrum scriberentur, & dies consummati agonis diligenter annotarentur. Huc spectant Acta proconsularia, a Notariis Gentilibus scripta, nec non a Christianis consignata, qui sese Gentilibus immiscuerant. Actorum collectioni successisse Examen, Auctor maximus ostendit. Examini vero successisse Ecclesiasticum judicium, docet idem. Quomodo Martyrum notitia ab una Ecclesia ad aliam per literas encyclicas fuerit transmissa, exemplis haud unis demonstrat. Ab hisce Epistolis tabulæ Ecclesiasticæ, quibus natalitia Martyrum conscripta habebantur, quæque *Fasti* a Tertulliano fuerunt appellatæ, suam originem habuerunt. A Fastis vero Calendaria, Martyrologia, & Passionalia ortum duxerunt. Addidit Vir summus: *Si ab una ad aliam Ecclesiam Epistolæ transmittebantur, ut unaquæque certior fieret de iis, qui mortem pro Christo passi fuerant, nemo est qui jure sibi suadere possit, consimiles Epistolas ad Ecclesiam Romanam, aliarum Ecclesiarum matrem, centrum Catholicæ unitatis, ad Romanum Pontificem, Christi in terris vicarium, & Apostoli Petri successorem, non fuisse transmissas*. Argumenta, quibus hoc edoceri posse videtur, vel spuria, vel incerta, sollicite declinat, provocans eo fine ad Acta S. Ignatii Martyris, quæ a Ruinarto inter sincera & selecta Martyrum Acta recensentur. Eodem referenda est Epistola S. Cypriani, in qua hic respondit Clero Romano, qui ad illum de martyrio S. Fabiani literas dederat. Ut comprobet, Acta ad summum Pontificem transmissa fuisse, ut cultus in honorem Martyrum aut introduceretur, aut introductus confirmaretur, laudat locum Gregorii Turonensis *de gloria Martyrum I.* 51. 64. *pag.* 782. 794. *edit. Ruinarti*. *Capite quinto* Vir summus maximusque *de Confessoribus, & eorum cultu* disseruit. De confessoribus multa cum laude locuti fuerunt Cyprianus & Isidorus Hispalensis. At initia cultus ipsorum nondum satis sunt in expedito. Mabillonii testimonium ex *Præfatione ad seculum quintum Ordinis S. Benedicti* §. 6. *num.* 97. est admodum commemorabile, ac sic habet: *Ut Martyribus, sic etiam Confessoribus, honos publico cultu delatus ab Ecclesia est, id fieri cœptum seculo quarto*. Jam vero ante Sec. IV. honorem publici cultus Martyribus fuisse delatum, putarunt Justus Fontaninus, aliique. Seculo IV. Martyrum reliquias sollicite jam asservari, transferri, atque in honore esse cœpisse, festosque martyriorum dies agitatos fuisse Pontifex maximus haud unis docuit exemplis. Ordo autem Romanus eos tantum Martyres semper admisit, qui sunt in hodierno Canone, Confessoribus semper exclusis. In liturgia Mozarabica, cujus ignoratur initium, post Martyres fit mentio *omnium pausantium*, atque recitantur nomina *Hilarii, Athanasii*, & aliorum plurimorum, quorum alii in album Sanctorum relati sunt, alii minus. Ea enim ætate par erat utrorumque causa, nec in Ecclesia declarari cœptum, quemquam ex illis æterna frui Dei visione. In Synodo Atrebatensi, quam attulit Mabillonius *Sec. V. Benedictino*, inter Hæreticos condemnatos illi jam leguntur relati, qui asseruere, solis Apostolis & Martyribus venerationem ab Ecclesia esse impendendam, exclusis Confessoribus. Auctor summus *pag.* 45. *col.* 1. hæc intexuit: *De examine initii cultus SS. Annæ & Joseph alibi habebitur sermo*. Unde conjectamus, ipsi fuisse in animo, accuratius in hoc argumentum inquirere publice. Hieronymus *in sermone de Assumptione Mariæ* de cultu tunc Mariæ exhibito sic sensit: *Neque dubium est illam, quæ meruit pro liberandis ferre pretium, posse impertiri suffragium libertatis. Nostra inter hæc jugis oratio ad Dominum dirigatur*. Et rursum: *In Christo fuit plenitudo gratiæ, sicut in capite influente; in Maria vero sicut in collo transfundente*. Addit Auctor maximus tandem, quæstionem de initio cultus Confessorum nihil habere commune cum cultu Beatissimæ Virginis & Apostolorum; communi quippe omnium Ecclesiarum consensu in ipso Ecclesiæ principio cultus tum Beatissimæ Virgini, tum Apostolis delatus est, quod ipsum existimat demonstrari a Mabillonio *in Præfatione ad sec. V. Ordinis S. Benedicti* §. 6. *num.* 92. *Capite sexto* disseruit de Ecclesiastico judicio requisito, antequam cultus religiosus Confessoribus fuerit exhibitus. Judicii hujus originem repetit ex antiquis, iisque solennibus corporum Confessorum translationibus & elevationibus, auctoritate Episcopali factis, in quibus initium Ecclesiastici cultus constituit. Argumentum desumit ex Episcoporum decretis, pro remotione cultus eorum promulgatis, qui ex errore populi, nulloque præcedente Episcopali examine inter Confessores beatos cultu publico fuerint recensiti. Ex Concilio enim Agrippinensi apud Ivonem *part. III. Decreti cap.* 54. hæc habentur: *De Ecclesiis seu Sanctis noviter inventis, nisi Episcopo probante, in cujus territorio, minime venerantur*. In *Capitulari Caroli M. ad A.* 801. de Sanctis recens inventis statuitur, ut non colantur, *nisi Episcopo probante .... salva de hac & de omnibus Ecclesiis canonica auctoritate*. In *Synodo Atrebatensi A.* 1025. *cap.* 2. decretum fuit, *ne sepultis temere divina solvantur, nisi per provinciatem Episcopum vita sepulti examinetur, si secundum Evangelium fuit*. Translationes corporum solennes, seculo VI. antiquiores, Auctor maximus deprehendere haud valuit. Antiquissima earum est translatio corporis Joannis, Abbatis Reomensis, opera Leopardini Abbatis, & sociorum, *qui cum consilio Episcoporum sanctum altare construxerunt*. *Capite septimo* Pontifex summus exponit *de interventu auctoritatis summi Pontificis in cultu decernendo erga Martyres & Confessores*, ratus, singulorum Episcoporum decreta de cultu Martyrum & confessorum vim obtinere non potuisse in universa Ecclesia, nisi accessisset tacita aut expressa summi Pontificis auctoritas. Primus is videtur actus, cum Acta Passionis Vigilii, Episcopi Tridentini & Martyris, ad summum Pontificem transmissa sunt prò cultu erga eumdem statuendo. In hoc actu fieri consuetudinis mentionem, annotavit Honoratus de Sancta Maria, Carmelita Discalceatus, *tomo II. animadversionum super usa Criticæ lib. I. diff. I. art.* 5. *num.* 1. Idem de Joanne Chrysostomo ostendere laborat Auctor maximus. Non est nostri instituti reliquos quoque percensere & adjungere Actus. *Capite octavo* Auctor summus agit *de ejusdem interventu auctoritatis*, exorsus inde a Joannis XV. ætate, & progressus ad Alexandrum III. usque, qui inter Sanctos retulit Eduardum, Regem Anglorum. Cœpit ea ætate auctoritas Pontificis summi esse maxima in causa Beatificationis & Canonizationis. Exempla enarrantur inde ab Alexandri III. ævo in *capite nono*. *Capite* vero *sequenti* in eo totus est Auctor maximus, ut ostendat, Canonizationes in generalibus Conciliis fuisse peractas, & extra ea etiam a Papa Romano effectui datas. Primates Archiepiscopi, & Episcopi olim per Episcopalem jurisdictionem ad tempora usque Alexandri III. jure proprio & citra subjectionem in hoc momento exhibendam summo Pontifici, Beatificationis negotium in provincia, & diœcesi sua administrarunt. Contendit vero Auctor maximus cultum illum exstitisse particularem, siquidem Episcopi illi limitata gavisi fuerint jurisdictione. Nolimus tamen inficiari, cultum ejusmodi sæpissime ab una diœcesi perveniisse ad aliam citra universale decretum, ac inde dari admodum multos Sanctos & canonizatos in Romana Ecclesia, quos universæ Latinæ & Romanæ Ecclesiæ Episcopus Cælitibus haud adscripsit. Id ipsum declaravit uberius Auctor summus loco alio, qui hoc in loco negotium Canonizationis ob cultum universalem ei adhærentem, soli Pontifici assignat. (1) *Capite undecimo* cumulat pronuntiata eorum, qui jus beatificandi & canonizandi Pontificibus Romanis reservatum arbitrantur. *Capite duodecimo* exequitur fundamenta, quibus potestas canonizandi innixa apparet. Sanctos esse invocandos, hæc regula est prima, prora, puppisque. Ut itaque maximus Auctor ostendat, Sanctos esse invocandos, provocat ad Vulgatam, & hæc loca: *Gen. XLVIII.* 16. *Exod. XXXII.* 13. 2. *Paral. VI.* 42. *Dan. III.* 35. 2. *Reg. XIX.* 34. *Jer. XV.* 1. *Matth. XXVII.* 47. *Ap. I.* 4. *V.* 8. *VIII.* 4. Irenæum laudat, qui *Mariam Evæ* vocaverit, apud Deum *advocatam*. *Lib. V.* Origenem addit; qui *lib. VIII. contra Celsum pag.* 432. ostenderit, Sanctos Deum exorare pro hominibus, eumque hisce placatum reddere. Approbat eo nomine Epistolam Cypriani ad *Cornelium* 5. *edit. Pamel.*, existimantis, *per Sanctorum, apud Deum regnantium, Orationes hic degentes adjuvari*. Protestantes etiam, Sanctos in regno gloriæ pro Ecclesia militante optima quævis generatim exoptare & expetere, largiuntur. At, inde sequi Sanctos esse invocandos, eosque uniuscujusque desideria & necessitates nosse sibi ut persuadeant, animum inducere non possunt. *Capite decimo tertio* summus Auctor declarat beneplacitum, quo aliquando solennia Canonizationis explentur. *Sequenti* exponit de Canonizationum subjecto. *Capite decimo quinto* differit de gravitate causarum Canonizationis, & de his, quorum opera & consilio summi Pontifices in definiendis illis olim usi fuere. *Capite decimo sexto* exponit de sacrorum rituum Congregatione. *Capite decimo septimo* plana reddit ea, quæ ad Protonotarium & Secretarium sacræ Congregationis, & Rotæ Romanæ Auditores attinent, qui eidem Congregationi sunt adscripti. *Capite decimo octavo* agit de Fidei Promotore, & ejus

ANIMADVERSIONES.

(1) Per *locum alium* significant eruditi Lipsienses caput VI. hujus libri, cujus loci verba referre volo, ne existimetur Auctor libri contraria dicere. Sunt autem num. 9. *Inferri quoque posse videtur, cultum ab uno Episcopo in sua diœcesi statutum, accedente aliorum Episcoporum, & sic universalis Ecclesiæ approbatione, una cum assensu expresso, vel tacito summi Pontificis, ad Canonizationis terminos perveniisse*. Loquitur autem de antiquis Ecclesiæ sæculis.

UAB Biblioteca de Ciències Socials

& ejus Subpromotore, quorum uterque expetit Sancti alicujus Beatificationem vel Canonizationem, ab amandante quodam ad fidem miraculis a Beato factis faciendam missus Romam. *Undevicesimo capite* differit de Notario & Archivi Inspectore, Interpretibus Processuum, Procuratoribus, Advocatis, & Medicis, aliisque Ministris Congregationis rituum sacrorum. *Vicesimo* differit de diligentia multiplici per Romanos Pontifices antiquiori tempore adhibita in discussione causarum Beatificationis & Canonizationis, atque de serie Actorum, qua antiquiori tempore eadem pertractantur. *Sequenti* differit de Consistoriis, quæ olim ad causas Canonizationis definiendas cogebantur. *Capite vigesimo secundo* tractat de serie Actorum in causis Beatificationis & Canonizationis secundum præsens Sedis Apostolicæ institutum, atque de diligentia, quæ examini eorum solet impendi. *Vicesimo tertio* exponit de nonnullis momentis, ad institutum Congregationis sacrorum rituum spectantibus, quæ ante tempora Clementis XI. viguerunt. *Sequenti* agitur de solemnitate Beatificationis. *Caput vigesimum quintum* proprium est expositioni transitus a Beatificatione ad Canonizationem. *Capite vigesimo sexto* exponitur de serie Actorum in causis Martyrum, quæ sunt introductæ post decreta Urbani VIII. atque procedunt per viam non cultus. *Vigesimo octavo* agitur de Auctorum opinionibus, quantum attinet ad signa & miracula in Martyrum causis. Id quod sequitur, *caput* exponit de Ecclesiastica disciplina in miraculorum necessitate pro Martyrum causis. *Caput trigesimum* agit de sacræ Congregationis rituum consuetudine, quantum attinet ad miraculorum necessitatem in causis Martyrum. *Trigesimum primum* spectat ad Actorum seriem in causis sive Confessorum, sive Martyrum, quæ introducta fuisse constat post decreta Urbani VIII., & quæ procedunt per viam casus excepti. *Trigesimum secundum* inde agit de serie Actorum in causis Confessorum, sive Martyrum, introductorum post decreta Urbani VIII., & quæ procedunt per viam casus excepti in transitu a Beatificatione æquipollenti ad formalem Canonizationem. *Sequenti* differitur de eadem serie Actorum. *Trigesimo quarto* instituitur tractatio de Consistoriis, tum privato, tum publico, nec non semipublico, habendis pro absolutione causarum Canonizationis. *Trigesimo quinto* agitur de nonnullis aliis orationibus, quæ fiunt in publicis Consistoriis a Consistorialibus advocatis. *Trigesimum sextum caput* fuit inscriptum *de solemnitate Canonizationis*. *Trigesimum septimum* exponit de actibus cultus, qui servis Dei post Beatificationem defertur. *Trigesimo octavo* agitur de actibus cultus, qui Beatis post Canonizationem exhibetur. *Trigesimum nonum* edisserit differentias, quæ Beatificationem inter & Canonizationem intercedunt. *Capite quadragesimo* explicatur Sedis Apostolicæ permissio, quæ per Beatificationem obtinetur. *Quadragesimo primo* nonnulla indicantur momenta de Sedis Apostolicæ definitiva sententia, quæ in Canonizatione profertur. *Quadragesimo secundo* illustratur Ecclesiasticum judicium, quod in Beatificatione interponitur, an scilicet id falli possit, & an ad fidem Catholicam pertineat, nec ne. *Quadragesimum tertium* exponit de Ecclesiastico judicio, quod interponitur in Sanctorum Canonizatione, atque disquirit, an illud extra fallendi pericula sit constitutum. In *capite quadragesimo quarto* objectiones, huic sententiæ vulgo opponi solitæ, refelluntur. *Capite quadragesimo quinto* disquiritur, an sit de fide, summum Pontificem non posse errare in Sanctorum Canonizatione; & an sit de fide, Canonizatum esse Sanctum. Prius Doctores Pontificii ad unum omnes largiuntur; posterius vero inter eosdem adhuc controversiis est implicatum. Sylvius certe *tom V. quæst. 2. art. 14. pag. 338. col. 2.* hæc habet: *Cæterum qua certitudine sit tenendum, Pontificem non posse in Canonizatione Sanctorum errare, non prorsus liquet*. Posterius tamen assensu suo corroborare annisi fuerunt Ricciolus in libro: *Immunitas ab errore tam speculativo, quam practico, definitionum sanctæ Sedis Apostolicæ*, ac Cardinalis de Lauræa in *lib. sentent. Tom. III. disput. VI. artic. 3.* nec non Maurus *Theolog. tom. II. lib. VII. quæst. 140. num. 17.* Fide divina omnino est credendum, eum qui in fide viva, & legis divinæ custodia obierit, salvum fore, æternaque fruiturum beatitudine. Pontifex olim solitus fuit, ipse adhuc *Leo X.* hæc præmittere, cum Cælitibus adorandis aliquem esset adscripturus: *Antequam ad pronuntiationem veniamus, protestamur publice apud vos præsentes, quod per hunc actum Canonizationis non intendimus aliquid facere, quod sit contra fidem, aut Ecclesiam Catholicam, sive honorem Dei*. Jo. Albertus Fabricius *in bibliographia antiquaria cap. 8. §. 25.* ex hac protestatione collegit, Pontifices fuisse confessos se in Canonizationibus Sanctorum falli posse. Idem momentum acrius urfit & confessus fuit Joannes Launojus *in Epistolis* Cantabrigiæ editis A. 1689. nominatim *in ep. 5.* alibique. Auctor maximus Launojum ideo (2) vocat *Romanorum Pontificum & Sedis Apostolicæ hostem apertissimum*, additque, opuscula ejusdem a sacra Indicis Congregatione merito fuisse proscripta. Ut hoc telum Pontificii Scriptores Doctoresque evitarent, varias excogitarunt respondendi rationes. Alii strenue negarunt, historia invita, protestationem ejusmodi unquam a Pontifice summo adhibitam fuisse. Verum ea habetur *in libro sacrarum Ceremoniarum* Archiepiscopi Corcyrensis, qui liber tempore Leonis X. in lucem publicam prodiit. Addimus testem Petrum Amelium, *in Ordine Romano* docentem a Bonifacio IX. eandem adhibitam fuisse protestationem in Canonizatione sanctæ Brigittæ. Alii finxere, Pontificem olim ad Canonizationes a Principibus fuisse coactum, ideoque illam protestationis formulam adhibitam esse. At quis Pontificem cogere voluisset? Et ubinam de illa coactione extat exempli vola vel vestigium? (3) Diffident præterea Doctores Romanæ Ecclesiæ in hisce duabus quæstionibus dijudicandis: an Papa falli queat in Canonizatione Sanctorum; an sit de fide, Canonizatum esse re vera in gloria. Postquam attulit Noster in utramque partem tum sententias Doctorum, tum sententiarum argumenta, ipse subdidit hæc tandem: *Videtur nobis utraque opinio in sua probabilitate esse relinquenda, usquequo Sedis Apostolicæ judicium prodeat*. Marcum Antonium de Dominis appellavit *apostatam execrabilem, eo quod* (4) hic in libro de *Republica Ecclesiastica lib. VII. cap. 5. num. 58.* ita scripserat: *Eos Papæ canonizant, hoc est ferme deificant, quos ambitio Romana, quos avaritia deificandos suadet. Quantum vero vim pecuniæ Canonizatio requirat, novit Curia Romana, ita, ut jam non nisi magni Principes, aut amplæ Civitates (novit hoc nuper Mediolanum) sumtus promoveant*. Impensas illas esse gravissimas, maximus Auctor haud inficiatur; at eas necessitatibus rei publicæ sacræ Romanæ propulsandis esse necessarias & accommodatas putat. Affert deinde locum Paridis de Grassis, olim Ceremoniarum summi Pontificis Magistri, ex *Diariis Manuscriptis*, in quibus hic egerit de Canonizatione S. Francisci de Paula, testati, se Leoni X. Papæ interroganti, cur tantæ fierent in Canonizationibus expensæ, ita respondisse: *Hanc expensam sic amplam ideo ab Ecclesia, sive a Sede Apostolica, & a Pontificibus non solum toleravi, sed etiam quodammodo præcipi, ut ex ea quasi impossibili, vel saltem dura absterreantur Principes & populi ad petendum, hujusmodi Canonizationes fieri*. An Paris genuinum consilii scopum attigerit ex toto, videtur esse ambigendum. Examinationi miraculorum tempus est impendendum, virisque ea expendentibus, conferenda sunt honoraria. Expensis moderandis Pontifices Romanos studuisse, Noster indicat, spem suggerens, posse nonnullas, si eas pro superfluis habiturus sit Pontifex Romanus, inde refecari. Hadrianus VI. ut adscriberet Cælitibus Antoninum & Bennonem, expensas exegit nullas, easque fieri vetuit, teste Blasio Ortizio Canonico Toletano, *tom. VII. Act. Sanctor. Bolland. Maji pag. 555.* Auctor summus *pag. 416.* arbitratur, a præsentia Spiritus sancti summum Pontificem in negotio Canonizationis dirigi, *reductive ad fidem pertinente, atque universam Ecclesiam respiciente*. Ipse vero *pag. 424. seq.* enumerat ordinem judicialem, in causis Beatificationis, & Canonizationis statutum, ad veritatem eruendam aptiorem, atque expensas in eum faciendas. Ii, qui nomine urbis, familiæ, Capituli, desiderant, ut civis suus quidam Cælitibus adscribatur, vocantur *Postulatores*. Hisce sumtus suppeditant, qui rebus suis eos præesse voluerunt. Procuratorum, Advocatorum, & Notariorum laboribus æstimatio fuit Romæ dudum præscripta. In *Alexandri VII. taxa*, quæ Appendicis loco hic accessit, decernitur accurate, quid Excusori, quid Fidei Subpromotori, pro sua revisione & subscriptione, quid Correctoribus pro correctione sua, sit solvendum. Hujus taxæ viget in hunc diem usus & consuetudo. Potuit maximus Auctor hæc eo accuratius exponere, quo diligentiori ratione ipse olim munus *Promotoris fidei* gessit. Hoc olim conjunctum erat cum munere Advocati fiscalis. At Clemens XI. A. 1708. utrumque munus voluit esse disjunctissimum. Fidei Subpromotor peculiaribus suis gaudet emolumentis, quæ ipsi a Postulatoribus solvuntur; nempe stipendium decem ducatorum pro *processu* quolibet forensi, qui ab eodem Substituto est examinandus, secundum Urbani VIII. decreta *pag. 62.* ac recentiorem Innocentii XI. expositionem. Subjungit idem nonnihil de propinis, seu sportulis, quæ olim solvebantur ab eis, qui ordinibus Cælitum aliquem adscribendum curabant, decretisque Romanorum Pontificum sunt sublatæ, nominatim ab Innocentio XI. & Alexandro VIII. Mansere tamen sportulæ solvendæ Secretario, ac Fidei Promotori. Singulis solvuntur aurei centum: Fidei vero Subpromotori 15. Hodie itaque Papæ, Cardinalibus, & Consultoribus nil datur a Postulatoribus, nisi tabula picta, Imaginem Beati, qui Cælitibus inseritur, repræsentans. Consecratio illa celebratur in basilica Vaticana. Postulatorum olim erat, ante Decretum Alexandri VII. supellectilia comparare, ac dono dare Canonicis basilicæ illius Ædituis. Sed ex ejusdem decreto solvendi aurei quingenti in Beatificatione & aurei mille in Canonizatione, ut ædis sacræ supellectilia, quotidiano cultui impendenda, inde comparentur. Oratori, qui virtutes ac miracula Canonizandi in Consi-

storio

ANIMADVERSIONES.

(2) Non *ideo* tantum, sed aliis quoque de causis, & quidem gravissimis, ut locum legenti facile apparebit.

(3) Non erat hic omittendum, Protestationem hujusmodi ab Auctore ita explicari eodem capite 44. ut esset precatio Deo fusa, ne Pontificem sineret in errorem incidere; & hanc explicationem idoneis monumentis confirmari. Utcumque autem sit, ex ea inferri non potest; Pontifices se errori obnoxios agnovisse. Hic enim, inquit Auctor, ejus rectus & legitimus sensus esse videtur: Protestor, me non decernere cultum Sanctis, qui Deo debetur, esse impendendum; quod quidem esset contra fidem & Ecclesiam Catholicam, & contra honorem Dei. Protestatio hoc modo declarata similis est protestationi septimæ Synodi, in qua Patres declarant, se Sanctorum Imaginibus colendis latriam non afferere soli Deo debitam.

(4) Appellat sane Auctor Marcum Antonium de Dominis *apostatam execrabilem*, non tamen duntaxat *eo quod ita scripserit*.

storio prædicat, persolvendum est honorarium aureorum decem a curia criminali Gubernatoris Romæ. Advocato consistoriali peroranti dandæ sunt a Postulatoribus centusses centum. Strenæ etiam persolvuntur ceremoniarum Magistris. Præterea consuetudo invaluit dandi novam vestem Officialibus nonnullis & familiaribus Papæ, ut consecrationis solennitas appareat augustior. Nostrum non est repetere apparatum basilicæ Vaticanæ ac pretiosarum vestium Pontificalium, in consecrationis solennitate adhiberi solitarum. Hæc enim apud summum Auctorem sunt legenda. Ipse exponit deinceps statutas expensas a quocunque Postulatore solvendas ad æs alienum dissolvendum, quod fuit contractum in parandis basilicæ Principis Apostolorum splendidis aulæis. *Paris de Prassis* retulit, se legisse in libris Rabioli & Augustini Patritii, Magistrorum Ceremoniarum, erogatos fuisse in consecrationem Bonaventuræ ducatos auri 27000. in libris vero ejusdem Augustini & Joannis Burchardi, in consecrationem Leopoldi impensos fuisse ducatos 25000. Dominicus Capellus ad calcem *Actorum Canonizationis S. Francisci de Sales* memorat expensas centussium monetæ Romanæ 31903. Hodie sumtus, Canonizationi insumendi, complectuntur summam centussium circiter 14000. *Capite* tandem *ultimo* disseruit summus Auctor de quibusdam cautionibus necessariis ad custodiam & erogationem pecuniarum, ex pia fidelium largitate collectarum, pro causis Beatificationis & Canonizationis, atque de quæstionibus nonnullis, ad materiam eandem spectantibus atque referendis. *Appendix*, Operi subjuncta, exhibet monumenta memoratu satis digna. Principatum tenet *Relatio facta in Consistorio secreto coram Urbano Papa VIII. a Francisco Maria, Episcopo Ostiensi, Cardinali a Monte, die* 13. *Januarii A.* 1625. *super vita, sanctitate, actis Canonizationis & miraculis Beatæ Elisabethæ, Lusitanorum Reginæ*. Secundo loco apparent publica Instrumenta solennium Beatificationum *S. Rosæ Limanæ & S. Turribii*. Tertio loco sese offert *Beatificatio servæ Dei Catharinæ de Ricciis* Virginis votivæ, Dominicanæ. Quarto legitur *Breve Beatificationis Martyrum Gorcomiensium*, A. 1675. d. 14. Nov. perscriptum. Quinto loco exhibentur *Compendia vitæ, virtutum, & miraculorum, nec non Actorum in causis Canonizationis Beatorum Pii V. Andreæ Avellini, Felicis a Cantalicio, & Catharinæ de Bononia*, ex mandato Clementis XI. compositа ab Eminentiss. Auctore, tunc Fidei Promotore, ægrotante Inghiramio, Secretario Congregationis sacrorum rituum. Sexto occurrunt *Responsiones Præsulum a secretis Brevium ad Principes latæ in publicis Consistoriis: nomine scilicet Clementis VIII. in Canonizatione S. Hyacinthi, nomine Sixti V. in Canonizatione S. Didaci, & nomine Gregorii XV. in Canonizatione S. Teresiæ*. Septimo sese offerunt *Summorum Pontificum Allocutiones, habitæ in semipublicis Consistoriis, Pauli videlicet Papæ V. cum agebatur de canonizanda B. Francisca Romana, & Urbani Papæ VIII. cum de canonizando B. Andrea Corsino*. Octavo suppeditantur loco *suffragia, in semipublicis Consistoriis lata a Venerabili viro Cardinali Bellarmino tempore Clementis VIII. & tempore Pauli V. cum agebatur de Canonizatione S. Raymundi, & S. Franciscæ Romanæ*. Accedunt *suffragia, in semipublicis Consistoriis ab Auctore lata, non tamquam Fidei Promotore, sed ut Archiepiscopo Theodosiæ, dum tempore Benedicti XIII. pertractabantur Canonizationes Sanctorum Peregrini Latiosi, Aloysii Gonzagæ, Stanislai Kostkæ, Jacobi de Marchia, Joannis a Cruce, Agnetis Politianæ, Francisci Solani, Alphonsi Turribii*. Nono loco exhibentur *responsiones in solenni Canonizatione datæ a Præsulibus Secretariis Brevium ad Principes Postulatorum petitionibus nomine summorum Pontificum, hoc est pro Clemente VIII. in Canonizatione S. Raymundi, pro Sixto V. in Canonizatione S. Didaci, & pro Benedicto XIII. in Canonizationibus Beatorum ab eo factis*. Accedit *brevis relatio ceremoniarum, quæ habitæ fuerunt in Canonizatione Beatorum Isidori, Ignatii, Francisci Xaverii, Teresiæ, & Philippi Nerii, dum in Sanctorum album a Gregorio XV. relati sunt* A. 1622. Accedunt determinationes mercedis duæ. Primo loco occurrit *Taxatio mercedis Procuratorum, & Advocatorum*, A. 1678. promulgata; secundo legitur *Taxatio pro mercede scripturarum Excusoris, nec non Fidei Subpromotoris pro earum revisione, Correctorumque pro correctione*, A. 1661. d. 19. Julii a Pontifice decreta. Liceat nobis, in exitu positis, hoc addere, quod nostris haud adeo perspicuum est, scilicet Pontifices Romanos usque ad Leonis X. ætatem solenniter publiceque ante Canonizationem significasse: *Protestamur publice, quod non intendimus aliquid facere, quod sit contra fidem*, (5) ipsos vero bullaris litteris, quibus Beatificatio, vel Canonizatio peragitur, dudum subjicere hanc formulam: *non obstantibus Constitutionibus Apostolicis ac Decretis de & super non cultu editis, ceterisque contrariis quibuscumque*. Revocamus nobis merito in memoriam *sessionem* 13. *Concilii Constantiensis*, qua *Christi institutio*, Apostolica constitutio & consuetudo, ac primæ Ecclesiæ modus agendi, eadem fere formula abrogatur. (6) De reliquo avemus videre *novum Codicem Canonizationum*, quem a sese conscriptum adornatumque fuisse summus Pontifex *pag.* 357. videtur significasse. Vix supperunt nobis vires ad verba utcunque invenienda, quibus diligentiam adamantinam, notitiam antiquitatum Christianarum vastissimam, Theologiæ scholasticæ ac liturgicæ peritiam insuetatam, quam summus Pontifex in hoc Opere elaborando posuit, jure suo meritoque prædicemus. Prospicimus jam auream illam ætatem, quam summus hic maximusque rei literariæ & eruditionis pulcherrimæ stator & fautor orbi erudito est infusurus, atque largissime cum omnibus bonis communicaturus. Quæ spes plurimos adeo alit, obfirmatque, ut ipsi honores novos quoque congratulemur.

EX ACTIS ERUDITORUM

PUBLICATIS LIPSIÆ CALENDIS JANUAR. MDCCXLI.

De Servorum Dei Beatificatione, & Beatorum Canonizatione, Liber Secundus, Auctore PROSPERO DE LAMBERTINIS, *S. R. E. Cardinali, titulo S. Crucis in Hierusalem, Anconæ primum Episcopo, postea Archiepiscopo Bononiæ.*

Bononiæ, formis Longhi, Excusoris Archiepiscopalis 1735. fol.

Alph. 10.

Librum hunc *secundum*, particularibus doctrinis destinatum, *Clementi XI.* dudum demortuo, inscribendum dicandumque maximus Auctor judicavit, extincto benefactore memoriam beneficiorum, ab illo acceptorum, haud penes se intercidisse, declaraturus. Clementis enim XI. favore adjutus ipse Eminentiss. Cardinalis nunc Pontifex summus, primum in Advocatorum Consistorialium Collegium relatus, post Promotor Fidei constitutus, tum Prælatus domesticus, Basilicæ S. Petri Canonicus, S. Officii Consultor, & sacræ Concilii Congregationis a Secretis electus fuit. Atque eam ob causam in merita Clementis illius honorificentissime prædicanda excurrit. Ex libro ipso summa decerpemus capita, atque in unum alterumque eorum longius recensendum operam nostram insumemus. Tractationis ipsius decursus ad *caput* usque 54. pertinet. Exorditur maximus Curiæ Romanæ Præsul scriptum hoc suum ab *Ordinariorum* facultate, eorumdemque in conficiendis causis Beatificationum ac Canonizationum auctoritate. Exponitur *capite secundo* de iis, qui veniunt appellatione *Ordinariorum*. Subjungitur consuetudo Sedis Apostolicæ antiquior in causis *Ordinariorum*. Ordinarius autem vocatur ille judex, in cujus diœcesi est corpus Canonizandi, nec non ille in cujus diœcesi miracula contigisse perhibentur, aut degunt homines, qui de sanctitate & miraculis illius, quem concilio Cælitum esse adscribendum dictitant, sunt examinandi. Sede Episcopali vacante, Capitulum Ecclesiæ Cathedralis, sive Vicarius Capitularis locum Ordinarii explet. Vicarius quoque Apostolicus, qui a Sede mittitur Romana ad gubernandam aliquam diœcesim, sive Sede plena, sive vacante, ordinaria potitur jurisdictione, ita tamen, ut a sententiis ejus non provocetur ad Papam, sed ad Metropolitanum. Ordinariis ipse porro inserit Max. Auctor *Præsules inferiores*, qui, licet characterem non habeant Episcopalem, jurisdictionem tamen obtinent quasi Episcopalem, habentque territorium separatum cum exclusione cujuscumque Episcopi, ita, ut in eo omnia peragant, quæ perageret Episcopus, exceptis his, quæ spectant ad Ordinis Ecclesiastici seu Sacerdotalis conferendi potestatem. Et, licet *in Concilii Trid. sess.* 25. decretum legitur, nemini licere insolitam ponere ullo in loco Imaginem, nisi ab Episcopo ea fuerit approbata, nec ulla nova admittenda esse miracula, nisi eodem recognoscente & approbante Episcopo; tamen Auctor summus credit, quasi Episcopos per ea verba haud excludi. Nomine autem Ordinariorum non veniunt Vicarii Episcoporum generales, Nuntii Apostolici, Religiosi. Prima Processus ordinarii mentio referenda videtur ad petitam Canonizationem *S. Raymundi de Pennafort* sub Nicolao III. anno 1279. At juridica testium examinatio ea ætate adhuc abfuit. Recentiora sunt tempora, quibus ipsæ Canonizationum causæ ad normam veritatis & quodammodo contentiosi judicii redactæ fuerunt. *Caput quartum* inscriptum est de viribus Processuum, qui fiunt ab Ordinariis: *Quinto* scisciturur de conformitate inter Processum ordinarium & Apostolicum. *Sexto* agitur *de Ordinariorum Processuum singularitate*, hoc est, an aliquando eorum ope tantum

ANIMADVERSIONES.

(5) Non erat opus hanc protestationem, de qua supra, rursus inculcare; qua usi aliquando Pontifices sunt: sed alio plane sensu, quam sibi ipsi eruditi Lipsienses persuadent. Ceterum justis de causis postea omitti cœpit, & nunc plane omittitur, ut Auctor ostendit *cap.* 44. *num.* 20.

(6) In Brevi Beatificationis post factam protestatem celebrandi solemnia ad cultum Beati certo die cum Officio & Missa adduntur hæc verba: *Non obstantibus Constitutionibus & ordinationibus Apostolicis & Decretis de & super non cultu editis, ceterisque contrariis quibuscumque*. Si eruditi Lipsienses reputassent, quid revera significent hoc loco *Constitutiones & ordinationes Apostolicæ*, & quo referantur, inanem laborem concinnandæ formulæ Constantiensis non suscepissent. Sed bene habet, quod ajunt, se id facere suorum gratia.

UAB Biblioteca de Ciències Socials

tum & citra Apoſtolicum Proceſſum veniri poſſit ad Beatificationes & Canonizationes. *Septimum* edifſerit argumentum de non cultu, ac de rebus nonnullis ad ornatum materiæ de non cultu præmittendis. Ante Alexandri III. tempora coli cœperunt Chriſtiani nonnulli defuncti ex conſenſione Eccleſiarum, & conſuetudine diuturna. Hic vero Papa edixit, ut etiamſi per Sanctum miracula plurima fierent, non liceret tamen ulli aliquem pro Sancto ſine auctoritate Romanæ Eccleſiæ habere vel colere veneratione publica; quanquam nemini non liceat Sanctis privatum impendere cultum citra illam auctoritatem. Repetit denuo ſummus Auctor argumentum illud: *Si circumſtantia loci publici illicitum non effecit cultum, qui viro pietate conſpicuo adhuc viventi exhibetur, cum ad ejus genua in foro & in eccleſia provolvi poſſimus, ejuſque precibus nos commendare; multo minus illicitum poterit efficere cultum, qui eidem poſt obitum impenditur.* *Capite octavo* exponit diligentiam, quæ ſolet adhiberi, poſtquam cauſæ Beatificationis & Canonizationis Sedi Apoſtolicæ fuerunt reſervatæ, ne iis cultus præſtetur, qui eum minime merentur. Bonifacius enim VIII. juſſit, ut *Hermanni* cujuſdam corpus, apud Ferrarienſes jam viginti annis pro Sancto culti, e ſepulcro erueretur atque conbureretur, quæſtione prius habita de ejus hæreſi. Urbanus quoque VIII. in litteris Apoſtolicis ad Archiepiſcopum Ravennatenſem & Epiſcopos ejus ſuffraganeos præcepit abrogari cultum, qui a Fratribus Prædicatoribus cuidam Fratri *Jacobo* publice impenſus fuerat. *Capite nono* exponitur de moderatione cultus erga non Beatificatos, nec a Sede Apoſtolica Cœlitibus adſcriptos. In horum enim memoriam nequeunt templa ſtatui, altaria erigi, ſacrificia celebrari, feſta publica fieri, Reliquiæ conſtitui publice honorandæ; licet poſſit non-Canonizatus appellari *Sanctus*, ejus Imago pingi ac honorari, Reliquiæque coli, ut extra templum & cultum publicum. Cum vero quidam Sanctis ejuſmodi quoque cultum publicum impertirent, Clemens VIII. A. 1602. d. 25. Nov. peculiarem inſtituit Congregationem ſuper titulis & honoribus conferendis in pios viros, a Sede Apoſtolica nondum approbatis, eamque ad d. 20. Dec. coram ſeſe coire juſſit. Paulus V. diſputationem reſumſit, cui a Clemente VIII. impoſitum fuerat ſilentium, atque nonnihil de ea re ſancivit decretorum A. 1615. Juſſit hic, ne per Urbem fierent aut collocarentur in templis picturæ, neve quid pingeretur ſuper muros viarum publicarum, niſi prævio Cardinalis Vicarii permiſſu, atque adeo non niſi re communicata cum ipſo, vel cum Præſule, ejus vicem gerente. Ferunt, plebeculam Venetam tabellas votivas appendere cœpiſſe ad ſepulcrum Fratris *Pauli Sarpii*. Tum vero Urbanum VIII. juſſiſſe Zacchiam, Faliſcorum Epiſcopum, ſuum Venetiis Nuntium, ut cum Senatu ageret, ne indebitus ille cultus continuaretur; Senatumque Venetum in eo morem Pontifici geſſiſſe. Addunt alii, ea re Urbanum VIII. motum fuiſſe ad edenda ea generalia Decreta, quæ hic proferuntur, quæ tamen conjectura infirmo ſtat talo. Id eſt certum, Urbanum A. 1625. d. 2. Oct. cultum prohibuiſſe atque venerationem illis præſtari ſolitam, qui a Sede Apoſtolica nec Beati pronuntiati, nec Cælitibus adſcripti fuere. Vetuit ipſe, ne quis Servorum Dei ante illas Beatificationis vel Canonizationis cerimonias depingeret Imagines cum laureolis, radiis ſeu ſplendoribus, neque ipſæ retinerentur ſive in ſacellis, ſive aliis in locis publicis cujuſcumque Ordinis, Inſtituti, Societatis, neque lumina ad ſepulcra ipſorum incenderentur. Adjunxit ſummus Auctor *caput duodecimum* de nonnullis expoſitionibus ad dicta Urbani VIII. decreta, ac de nonnullis quæſtionibus, quæ ad eorum funus & ſepulcra, qui Servorum Dei appellatione veniunt, pertinent. Quæſtiones alias, quæ ad anniverſariam obitus Servorum Dei memoriam, eorundemque Reliquias faciunt, enodat *capite* XIII. Negat Max. Auctor, quod Papebrochius *in conatu chronico-hiſtorico ad catalogum Romanorum Pontificum*, & Pagius *in critica Baroniana ad A. 67. num. 18.* falſi fuerunt, ſcilicet, veteres fere omnes Sanctos Pontifices alio die coli, quam quo obierunt, ratus, in caſu dubio Deum manifeſtaſſe diem; cujus rei exemplum ex Gregorio Turonenſi *lib. II. de miraculis Martyrum cap.* 29. depromit. Nos non poſſumus, rei veritate commoti, quin a Papebrochio ſtemus. (7) Differuit Pontifex maximus *capite* 14. de quibuſdam aliis controverſiis reſpectu Imaginum, quibus Servi Dei ſolent coli, nec non actuum ſine ulla dubitatione ad cultum publicum referendorum, ideoque vetitorum. Exemplis, decretis, & expoſitionibus omnia hic niteſcunt. Illuſtrat eadem ratione ea omnia, quæ capitulatim breviuſque *in libro primo* edifſeruerat. Excipit tractationem Appendix, quæ monumenta complectitur, ad hunc *tomum ſecundum* referenda. Primo loco apparent *Decreta ſanctiſſimæ Inquiſitionis*, edita A. 1625. d. 13. Martii, & 2. Oct. ab Urbano VIII. nec non alia ejuſdem Decreta, per Breve promulgata d. 5. Julii A. 1634. quibus cultus publici determinatio fuit expoſita. Diſci exinde poteſt recentior methodus Beatificationis ac Canonizationis. Succedunt Decreta noviſſima ſacræ rituum Congregationis, ſervanda in cauſis Beatificationum & Canonizationum Sanctorum, edita juſſu Innocentii XI. Tertio loco exhibetur antiqua Vita *B. Archangeli Canneti*, Canonici Regularis Congregationis Salvatoris, inſerta in Proceſſum auctoritate ordinaria confectum die 2. Maji A. 1617. a Vicario generali Epiſcopi Eugubini. Tum ſeſe offert Vita Sancti *Bononii* ſeu *Bononii*, producta ex Archivo Capituli Cathedralis S. Euſebii Vercellenſis, & ad Auctorem miſſa ab Eminentiſſimo Cardinali Ferrerio, Epiſcopo Vercellenſi. Succedit Officium proprium *S. Bononii*, quod olim in Eccleſia Vercellenſi recitabatur. Sequuntur *propriæ lectiones*, quæ recitantur in Officio *S. Petri*, Epiſcopi Vercellenſis, & in quibus plura habentur de *S. Bononio*. Additur loco ſeptimo *Relatio Rotæ Auditorum in cauſa B. Petri Regalati, in qua ante judicium latum de caſu excepto a Decretis Urbani VIII. jam fuerunt diſcuſſæ & approbatæ virtutes.* Edita fuerat hæc relatio ipſa a Bollandianis ad diem 30. Martii, at minus integra. Hic vero datur integra ex typis Romanis anni 1630. Additur *Relatio Rotæ Auditorum in cauſa B. Gregorii Papæ X. in qua approbatis virtutibus ante Decreta Urbani VIII. poſt eadem Decreta pronuntiatum fuit ſuper caſu ab iiſdem excepto.* Relatio ipſa MSta extat apud Auctorem, & edita etiam fuit poſt vitam ejuſdem Beati, compoſitam ab Antonio Maria Bonuccio, Presbytero Societatis Jeſu. Agmen claudit *Exemplar tabellæ teſtium*, quæ ſcilicet ſacrorum rituum Congregationi exhibetur, cum agitur de validitate Proceſſuum auctoritate Apoſtolica & Ordinaria confectorum, ubi teſtium nomen, cognomen, ætas, inductio, citatio, jusjurandum, & examen indicantur.

EX ACTIS ERUDITORUM

PUBLICATIS LIPSIÆ CALENDIS AUGUSTI MDCCXLI.

De Servorum Dei Beatificatione, & Beatorum Canonizatione, Liber Tertius, Auctore PROSPERO DE LAMBERTINIS, *S. R. E. Cardinali, titulo S. Crucis in Hieruſalem, Anconæ primum Epiſcopo, poſtea Archiepiſcopo Bononiæ.*

Bononiæ, formis Longhi, Excuſoris Archiepiſcopalis 1737. *fol.*

Alph. 9. plag. 3.

SUMMUM illum Eccleſiæ Romanæ Pontificem, quem ii, qui nomen illi cœtui Chriſtiano dederunt, mirifice venerantur & obedientia proſequuntur, cujuſque eruditionem & multijugas virtutes exteri quoque admirantur jure, videmus nunc occupatum in operis prorſus egregii *Libro tertio* luci exponendo. Inſcripſit eum *ſanctæ memoriæ Benedicto* XIII. qui quippe ſummi Auctoris non perſonam modo, verum & genus & patriam mirifice auxit & honeſtavit, nec eum, Anconitanæ Eccleſiæ Epiſcopum nominatum, ante paſſus eſt ad illius fines contendere, ceteriſque, quibus *Proſper* proſperrime Romæ functus fuerat, decedere muneribus, quam ipſum ad eximium purpuratæ amplitudinis gradum evexiſſet. Cum vero beneficiorum memoria debeat eſſe immortalis & ſempiterna, ſummus Pontifex ſeſe tenere non poteſt, quin *Benedicti* laudes recenſeat, probitatemque, conſtantiam, religionem, pietatem, ac ceteras illuſtres virtutes faciat ſummi. Admiratur *inſigne ejus ſtudium*, quo, ſpretis mundi deliciis, religioſo Divi Dominici cœtui ſeſe alacer ovanſque adjunxerit. Commendat & prædicat ejus modeſtiam, qua, a Clemente X. in ordinem Purpuratorum Antiſtitum cooptatus, deprecatus fuit tantum honoris culmen, exoratus potius, ut illi tandem ſeſe aggregari pateretur, quam exorans, ut reciperetur. *Benedictus*, id quod ſummus Auctor in laudibus ejus ponit, pauliſper Romæ commoratus, maximum vitæ ſpatium egit Epiſcopus; primum, idque breviuſculum, Siponti & Cæſenæ: reliquum, ſane diuturnum, Beneventi, ubi Eccleſiæ maxima ipſum vigilantia & ſollicitudine præfuiſſe, commemorat: *Non tulit Benedictus*, prædicat ita Vir maximus, *divelli ſeſe & a grege Beneventano ſibi cariſſimo diutius ſe abeſſe, niſi quantum neceſſitate magiſtra inde revocatus fuit*, quippe qui quotannis, licet ſupremum Eccleſiæ ſuæ jam faſtigium aſſecutus, aliquam diœceſis ſuæ partem viſit; magnifica templa vel excitavit, vel refecit, vel renovavit; aras ad rem divinam faciendam conſecravit; cœtus conſtituit Religioſos; hoſpitia & noſocomia publica exſtruxit; pauperum egeſtatem non iis modo, quas ex Eccleſiæ moderatione

ANIMADVERSIONES.

(7) Caput hoc XIII. parum attente percurriſſe videntur Actorum Scriptores. Ait Auctor contra Pagium & Papebrochium, ſanctos viros uſque ad ſæculum V. coli ritu ſolemni conſuevisſe eo ipſo die, quo mortui eſſent, *non ratus in caſu dubio Deum manifeſtaſſe diem*, ſed ratus attendenda eſſe verba Gregorii Turonenſis, qui morem & diſciplinam ejus ætatis nobis aperit. Scribit enim, Chriſtianum populum mœſtum fuiſſe, quod cum ignoraret emortualem diem S. Martyris Juliani, non poſſet ejus memoriam pro Eccleſiæ more celebrare; additque, ignorantiam hanc, ſimulque populi mœſtitiam ſublatam denique fuiſſe per Germanum Antiſiodorenſem Antiſtitem, cui dies manifeſtatus divinitus eſt. Ex hac igitur Gregorii narratione argumentum, & quidem validiſſimum ſumſit Auctor; quod ne pluribus urgeret, monuit, legi poſſe Muratorii diſſertationem, quæ eſt XIX. *lib. I. Anecdotorum*. Si ipſi quoque eruditi Lipſienſes diſſertationem iſtam iterum legent (legerunt enim alias, & in Acta ſua retulerunt anno 1698.) non dubito, quin *rei veritate commoti* ad Auctorem noſtrum, deferto Papebrochio, *regrediantur*.

percipere consueverat, verum & suis plerumque facultatibus sublevavit; Concilia nunc provincialia, nunc synodalia coegit, leges in utrisque, quæ formis excusæ publicis circumferuntur, condidit diligentissime; confirmationem sacram ipse expedivit, ac omnino cunctis amplissimi Sacerdotii ritibus, cerimoniis, officiisque sedulo adfuit ac continenter. Pontifex ille eo etiam nomine laudatur, quod victu usus est perquam tenui & austero, carnisque adeo luctas & molestias, quæ cum infirmitate & ægritudine naturæ humanæ solent esse conjunctissimæ, non abstinentia modo & temperantia compressit, sed laboribus quoque, sed vigiliis, sed jejunio maceravit. Ipse in honore dignitatis Cardinalitiæ, ac fastigio Pontificatus retinuit insignia cœtus Dominicani, ejusque instituta, mores, consuetudines haud quaquam exuit, ut accuratum Divi Thomæ Aquinatis auditorem sociumque facile potuerint agnoscere universi. Addit summus Auctor præterea nonnihil de *Benedicti* erga Deiparam Virginem & Philippum Nerium pietate; (8) Numenque *Benedicti XIII.* in exitu formulæ dedicatoriæ enixe precatur, ut hic ipsi a Deo optimo maximo lumen præsidiumque impetret, quo difficile Episcopatus officium integre fideliterque obire, Ecclesiæ ornamenta & commoda amplificare, animarum incolumitati atque saluti & voce & exemplo præsto esse, idque ad extremum perficere queat, ut, singularium *Benedicti* virtutum se non tam laudatorem, quam æmulatorem extitisse, & ipse *Benedictus* & omnino ceteri intelligant. Hæc est summa Dedicationis, magnifice scribendi nitore condecoratæ. Nunc arcem causæ ipsius aggrediendam esse dubitat nemo unus. Et primo quidem capitulatim argumenta recensere studebimus. *Capitibus* 53. tractatio constat universa.

(*Hic referunt viri eruditi singulorum capitum titulos: tum ita pergunt.*)

Hæc tanti Operis est summa, hoc ejus est argumentum. Restat, ut singula propius intueamur, judicio nostro qualicumque in præsens nuntium plane missuri, angustissimis quippe cancellis inclusi. Quantum hic ad testes attinet, tres potissimum se offerunt difficultates. Primum quæri solet de auctoritate testium examinatorum ordinaria. In censum deinde quæstionis veniunt testes de auditu. Ad ultimum de testibus singularibus controversiæ solent exoriri. Primam tractavit summus Auctor *libro secundo*. In præsens itaque ad duas difficultates reliquas descendit. Testes oculati præstant utique auritis. Teste enim, qui rei interfuit & vidit, non potest dari evidentia physica major. Et ex hoc testimonio profluit evidentia in judice moralis, qua nulla exstat major. Sæpius vero ab obitu Servorum Dei effluxere tot anni, ut soli adhuc reflent testes de auditu. Quæri itaque potest, an hisce inniti liceat, quoties virtutes ac miracula Servorum Dei sunt in dubio, ac in ambiguo latent. Quamplurimi Scriptores, ipsique Rotæ Auditores affirmando hanc sententiam propugnant. Alii definiunt temporis elapsi intervallum. Cardinalis de Lauræa testimonium de auditu ponderis alicujus esse posse intra centum adhuc annos, pronuntiavit. Alii malunt spatium 70. immo 60. annorum. Cum vero hic agatur de bono & æquo, nec de ullius præjudicio, Auctor summus tradit exproprio, testes de auditu, in causis præsertim antiquis, *haud videri rejiciendos*; siquidem probatio plenissima hic haud requiratur, nec testes de visu hic reperiri possint; præterea etiam propter temporis antiquitatem testes de auditu admittantur per textum *in c. Licet 47. de testibus*, nec deficiat nubes testimoniorum & idem sentientium. Bellarminus quidem probe pervidit, non posse in eo certam adorandi fiduciam collocari, de cujus perpetua sanctitate haud satis certo constet, ideoque *in suo suffragio pro Canonizatione S. Franciscæ Romanæ*, typis impresso ad calcem *libri primi*, ad hoc Opus referendi, docuit ita: *Neque enim ad hanc excellentiam satis est, ut coram Deo sancti sint; sed oportet, ut certissimis documentis probetur, eos, dum viverent, vera sanctitatis gloria aliis præluxisse, & in eadem sanctitate diem extremum clausisse*. At in suffragio pro *S. Raymundo* ac *Hyacintho* in diligentia gravissimorum Patrum, & decisione Pontificis summi acquievit. Nec sane desunt exempla Canonizationum, ad quas peragendas nulli testes de visu potuerunt conquiri vel superesse, e. g. *Hyacinthi*, *Raymundi*, *Isidori*, *Elisabethæ Lusitanæ*, *Andreæ Corsini*, *Philippi Benitii*, *Cajetani*, *Laurentii Justiniani*, *Joannis a Capistrano*, *Catharinæ Bononiensis*, *Agnetis de Monte Politiano*, *Peregrini Latiosi*, *Joannis Nepomuceni*, de quorum virtutibus ac martyrio testes auriti duntaxat potuerunt adhiberi. Difficultas alia sese hic, quantum ad testes singulares attinet, offert. Si unius testimonium testimonio alterius obstat, fides ipsis haud habenda: Hæc singularitas vocatur *obstativa*. Exstat autem & alia gemina, quam vocant *adminiculativam*, vel *cumulativam*, aut *diversificativam*. Adminiculativæ exemplum hoc habe. Si quis ostendere vellet, Missam ab excommunicato fuisse celebratam; unusque testis perhiberet testimonium de initio Missæ, alter de medio, tertius de fine. Singularitas diversificativa est ea, cum testes pronuntiant visa vel audita de actibus diversis, quorum unus alteri non obstat. Singularitas & adminiculativa & diversificativa in judiciis valet ad probationem integrandam, licet vel maxime in causis criminalibus de probandis rei moribus agatur. In crimine tamen solicitationis comprobando, qua is, qui a Confessionibus est, ad turpia solicitaverit *Pœnitentes*, testes singulares haud esse admittendos, sed plenam requiri probationem ex concursu complurium præsumptionum, indiciorum, ac adminiculorum, præcepit decrevitque summus Pontifex Gregorius XV. *in sua Constitutione* 34. §. 5. Ad virtutes vero Servorum Dei comprobandas testes sufficere singulares, haud obstantes, Riminaldus junior *consil. 7. num. 27. seq.* & *num. 132.* copiose ostendit, quem Auditores Romani solent sequi. Ad probationem miraculorum non solum plures testes socios requiri, sed necessum esse, ut iisdem testes *contestes* testimonium reddant de omnibus miraculis divinitus editis ad preces ejus Servi Dei, de cujus Beatificatione aut Canonizatione tractatur, putavit Vincentius *in cap. Venerabili, tit. de testibus*. Adversatur huic opinioni Bellamera, nec non Castellanus, ille *in commentariis ad caput 1. de Reliquiis & veneratione Sanctorum*, hic in Opere *de Canonizatione Sanctorum*, immo ipse Contelorius; siquidem fieri haud potuerit, ut aliquis Dei Servus, dum vixit, eosdem semper testes adhibuerit comites, qui ipsum vidissent miracula facientem, vel ut ipsi testes semper juncti in eis, & quidem diversis, locis fuerint præsto, ubi Servus Dei ab obitu suo miracula patrasse existimetur. Miracula ejusmodi posse per testes singulares probari, credidit Jacobus Simonetta, Rotæ Auditor, in relatione, quam exhibuit Pontifici Leoni X. *super vita & miraculis S. Franciscæ de Paula*. Nec dissentierunt Auditores Rotæ in relatione *S. Raymundi art.* 8. Quæri autem potest, quid sentiat Congregatio sacrorum rituum de testibus ejusmodi auritis in causis Beatificationis & Canonizationis super examine virtutum aut miraculorum speciatim. Contelorius scisci, in jure non æquiparari probationem in causa Canonizationis probationi causis criminalibus propriæ, sed requiri probationem, quæ sit æqualis diligenti probationi in causa civili. Refragatur autem ei Scacchus *de notis & signis sanctitatis sect. II. cap.* 5. cum Matta. Uterque statuit, cautissime in re tam ardua esse agendum, rigidasque probationes adhibendas, quæ sint æquales probationibus in causis criminalibus in quibus agatur de irroganda reo pœna ordinaria. Addit summus Pontifex hæc: *Ipse, qui tot annorum spatio interfui Congregationibus sacrorum rituum uti Fidei Promotor ac Congregationis Consultor, testari possum, me semper ab antiquioribus Cardinalibus & Consultoribus audivisse, quod in causis procedentibus per viam non-cultus probationes in dubio virtutum debeant esse, quantum fieri possit, æqualis ponderis probationibus in causis criminalibus*. Adæquata itaque probatio hic constituitur in testibus contestibus de visu. Subdit deinde idem: *Ipse testari possum, nonnullas Beatificationum causas procedentes per viam non-cultus, utpote carentes testibus de visu in dubio virtutum, me tanquam Fidei Promotore urgente pro insufficientia testium de auditu minime felicem exitum habuisse: neque pariter urgente in causis Martyrum, ut mors probetur per testes de visu experimentes omnes circumstantias, ex quibus dignosci posset, Martyrem in fide & dilectione perseverasse usque ad obitum, Postulatores omnem operam navasse, ut ostenderent, testes de visu mortem & perseverantiam optime comprobasse*. Testes examinandi sunt super vita & miraculis Servi Dei ea diligentia, quæ solet ac debet in testium receptione adhiberi, immo majori, siquidem hic agitur de re, quæ in Ecclesiæ præjudicium potest redundare. Subdit tandem summus Auctor: *Uno verbo, in causis procedentibus per viam non-cultus virtutes probari debent per testes de visu. Si vero aliqui actus probentur per testes de auditu ab iis qui viderunt, vel de auditu ab his qui audiverunt; si alii testes de publica voce & fama concordent: si, stante præcedente obitu aliquorum testium de visu, non potuerint aliqua probari, nisi per testes de auditu; non idcirco causa derelinquenda est, nec insuperabilis oppositio ex prædictis hauriri poterit eo quod videlicet, probata actuum serie in hac aut illa virtute per testes de visu, actus, qui probantur per testes de auditu, adminiculi vicem subibunt vel quoad actus, qui fuerunt probati per testes de visu, si testes de auditu de iisdem locuti sint, vel quoad virtutem ipsam, in cujus probatione nonnulli testes testimonium de ejus actibus dederint ex visu & sensu proprio, alii autem alios actus testati sunt, aut de auditu ab his qui audiverunt*. Si autem sermo transfertur ad causas procedentes per viam casus excepti a Decretis Urbani VIII. & causæ sunt antiquæ, probationes super virtutibus, aut de martyrio speciatim, non in testibus de visu, sed in testibus vel de auditu ab iis qui viderunt, vel de auditu ab his qui audiverunt, solent necessario constitui. Aliquæ omnino tempore antiquiori expeditæ fuerunt causæ per solos testes de auditu in dubio virtutum, e. g. *Bonaventuræ*, *Hyacinthi*, *Raymundi de Pennaforti*, *Elisabethæ* Lusitanorum Reginæ, & *Petri Regalati*. At in dubio miraculorum testes de visu proprio admodum sunt necessarii, nisi causa procedat per viam casus excepti. Urbanus II. testes oculatos ad miraculorum comprobationem requisivit, nec non Julius I. *in Epistola ad Orientales*, Matthæuccius *in Practica theologo-canonica ad causas Beatificationis & Canonizationis tit. 3. cap. 5. §. 1. num. 19. 20. 24.* cum aliis. Examinantur autem miracula, si res agatur de causis per viam non-cultus procedentibus, ante Beatificationem; hac obtenta, perpenduntur ea quæ supervenerunt, ut Canonizatio possit obtineri: in causis

ANIMADVERSIONES.

(8) Non *Numen*, sed Benedictum ipsum, hoc est ejus animam cælo receptam.

UAB
Biblioteca de Ciències Socials

cauſis vero procedentibus per viam caſus excepti miracula ponderantur, quæ poſt venerationem indultam acceſſere. In unoquoque miraculo comprobando ſocii requiruntur teſtes, nec ſufficit, unum teſtem teſtari de miraculo uno, alium de alio. Solet etiam inquiri, an hoc vel illud genuinum ſit miraculum, vireſque naturæ excedat. In dubio virtutum non agitur de judicio ferendo ſuper hoc vel illo actu, ſed potius ſuper habitu. In quo rerum ſtatu ſufficere videtur ſcopo, ſi teſtis unus de uno actu virtutis, alius de alio teſtimonium perhibuerit. Collectio enim multorum teſtimoniorum conficere valet gradum plenæ probationis. Relationes Auditorum Rotæ non demonſtrant, uſum rei ad ſententiam ipſorum accommodari ſolere, ſed oſtendatur neceſſum eſt, hoc vel illud pronuntiatum a ſacra Congregatione fuiſſe receptum, ac a ſummo Pontifice confirmatum. Numerus teſtium ita ineundus, ne uni ſolive fides habeatur, ſed ut duo treſve ſint præſto. Congruunt huic veritati jura eccleſiaſtica. Sin vero homines vitæ improbæ crimina impingant viris de Eccleſia, adhibentur 72. teſtes ad Præſulem condemnandum, 64. ad damnandum Presbyterum Cardinalem, & 24. ad proſcribendum Diaconum Cardinalem, ſecundum, *Can. Præſul.* & *Can. Nullam* 2. *quæſt.* 4. Summus autem Pontifex ſolide monet, hos Canones deſumptos eſſe ex Actis Concilii Romani, a Silveſtro Papa coacti, quod inter merces Iſidori Mercatoris referunt Eruditi. Inter hæc notatu dignum, nullam hucuſque legem eſſe latam, quæ decreverit, in unoquoque negotio rem duobus teſtibus abſolvi poſſe & debere, ſiquidem caſus dantur, in quibus amplior teſtium numerus requiritur. Miraculum vero Servi Dei exiſtimatur ſufficienti robore eſſe comprobatum, ſi duo eorum extrema probata ſint per duos ad minimum idoneos teſtes de viſu *contoſtes*. Contigiſſe miraculum hoc vel illud, hic parum ad rem facit. Oſtendatur oportet, illud editum fuiſſe ad preces & deſideria ejus Servi divini, de cujus inter Beatos Cæliteſve adſcriptione agitur. Stylo Rotæ id ſic efferendum: *Oportet probare, quod miraculum fuerit factum ad interceſſionem Servi Dei*. Interceſſionis hujus porro veritas probatur per invocationem. Invocatio eſt gemina. Alia enim fit ab eo, qui ſanitati eſt redditus, alia ab illo, qui preces pro ægroto ad Deum emittit. At, ſive invocatio fiat ab ægroto, ſive ab alio pro eo, ſolo tunc dicto invocantis comprobata exiſtimatur. Uſus enim Eccleſiæ Romanæ ita fert, ut in probatione invocationis admittere ipſa ſoleat vel ipſum ſanatum, vel aliquem ex parentibus, cognatis, aut amicis, quo faciente vota pro ſanando miraculum contigit, dummodo extrema, & ſanatio ſubita plene probentur. Ne vero Hæretici irrideant ſacras apotheoſes Sanctorum, nec ullus ambitus, avaritia ulla, ſubornatio, falſa pietas, aut alia vitia irrepant cerimoniæ tam ſolenni, providere voluit Roma, præcipiens, examinandos eſſe teſtes, non unum vel alterum, ſed quamplures, ſocios, exquiſitiſſime, pari accuratione, immo diligentius, majoremque ſecundum numerum, quam teſtes in Officio Sancto examinantur. Quare teſtes ii, qui in aliis judiciis a ferendo teſtimonio repelluntur, multo magis in graviſſimis hiſce cauſis ſolent a teſtimonio perhibendo arceri. Teſtimonium feminæ hic quoque in cenſum venit, quatenus factum ipſum ſimpliciter reſpicitur, ejuſque momentum haud unum, dummodo femina ſit honeſta & fide digna, interrogationibuſque judicum fecerit ſatis. Nec pauperes a teſtimonio ferendo repelli poſſunt, ſi ipſi vitam agant honeſtam. Teſtimonium conſanguineorum & affinium ejus, qui interceſſione Servi Dei vel Beati modo miraculi pleno ſanitatem recepit, rejici non poteſt, eo quod hi in primis rerum illarum conſcii exſtiterunt. Religioſorum ac Virginum votivarum teſtimoniis hic eſt locus in cauſa, quæ pertinet non ad negotium ſingulorum, ſed tantum ad negotia univerſitatis. Sin vero agitur de Beatificatione alicujus Servi Dei, qui aliquod Regulare inſtitutum profeſſus eſt, tum probanda venit exacta Regularis diſciplinæ obſervantia, & ad hanc quidem rem probandam teſtes Religioſi ſatis ſunt apti habileſque. Sacerdos, qui Confeſſiones peccatorum excipit, tacere debet ea, quæ ipſi in Confeſſione fuerunt expoſita, dummodo ea ad materiam confeſſionis ejuſque ſigillum faciant. Licet igitur ipſis in Beatificationis cauſa teſtimonium reddere de conſcientiæ puritate, quam Servo Dei fuiſſe, experti fuere, nec non de ejus Immunitate a peccatis tum mortalibus, tum venialibus, & de revelationibus, viſionibus, aliiſque chariſmatibus, gratis Servo Dei datis. Medicorum ac Chirurgorum eſt, de morbo, cujus ſanatio miraculi plena in cenſum deducitur, teſtari. Difficile profecto eſt definire, quid in morborum momentis ſit naturale, quid ſupernaturale. Miracula hujus vel illius per ſolas hiſtorias probari non poſſunt, ſive ſermo ſit de cauſis procedentibus per viam non cultus, ſive de procedentibus per viam caſus excepti. Hiſtorici enim plerumque ſunt teſtes de auditis. Sin vero Hiſtoricus tanquam teſtis oculatus miraculum expoſuerit, interceſſione Servi Dei vel Beati patratum, ideo nec vel ipſe ſolus, vel alius etiam Hiſtoricus, ſimili modo rem exponens, vim probationis in his judiciis habere poteſt. Secus pronuntiatur, cum judicium eſt ferendum in cauſis procedentibus per viam caſus excepti de virtutibus atque martyrio, cum ob temporis antiquitatem & cultum, Servis Dei exhibitum, probationes ſubſidiariæ admittantur. Quatuor vero ſunt claſſes Hiſtoricorum. Alii ea ſcripſere, quibus interfuerunt, quæque viderunt geri; alii ea quæ narrant, haud viderunt, accepere tamen ab eis qui viderunt; alii referunt ea, quæ nec viderunt, nec audiverunt ab eis qui viderunt, ſed ab iis, quibus illi, qui viderant, narraverunt; alii ex Hiſtoricis, quos indicavimus, ſua collegerunt colliguntve. *Legendis* quoque ineditis fides eſt,

dummodo ea a Majoribus pro genuinis & integris, nequaquam vitiatis, fuerint reputatæ, ac criticum ferant examen. Opuſculi vel operis, quod nomine Auctoris caret, ac martyrium Servi Dei vel Beati complectitur, pretium quoque aliquod eſſe poteſt, nec obſtat ulla ratione Decretum Papæ Gelaſii I. ex *Cap. Sancta Romana, diſt.* 15. quod vulgo legitur aliter, ac in antiquiſſimo codice Palatino bibliothecæ Vaticanæ, & collectione codicis Herovalliani. In poſteriori leguntur iſthæc hunc in modum: *Geſta ſanctorum Martyrum, qui mirabilibus cruciatibus & triumphis irradiant, & a Catholicis viris conſcripta ſunt, omnimodis veneramur; ea vero, quæ ab Hæreticis vel Idiotis compoſita, vel adulterata ſunt, nullatenus recipiantur; quæ in ipſis eorum dictis ab Eccleſiaſticis viris ſint nova deprehendi poſſunt*. Summus Auctor de vitis Sanctorum, quæ Simeoni Metaphraſtæ tribuuntur, in tranſitu diſſerit, laudatis teſtimoniis etiam eorum, qui fictionis crimen ei impingunt cum Bellarmino, Auberto Miræo, Ruinarto, ac Baillieto, nec non illorum, qui fidem Simeoni tribuendam credunt cum Bollando, Guilielmo Cavæo, Honorato a S. Maria, aliiſque. Rejiciendam putat Baronius hiſtoriam, in qua referuntur geſta Confeſſoris aut Martyris, ob adjectum unum alterumque errorem, *in annotationibus ad Martyrologium Romanum ad 9. Octobris*. Reclamat vero Bollandus *in præfatione generali ad vitas Sanctorum menſis Januarii cap.* 3. §. 4. ſi in ea reperiatur aliquis error circa loca aut tempora, de reliquo autem bene ſefe habeat. Huic aſſentit Joann. Mabillonius *in tract. de Studiis monaſticis cap.* 8. *num.* 5. Diſcordia Auctorum non eſt generis ejuſdem. Diſſenſus enim vel rem ipſam ſpectat, vel ejus momenta circumſtantia; Hiſtoria generis poſterioris non eſt rejicienda, fatente Natale Alexandro *in hiſtoria Eccleſiaſtica ſeculi I. diſſ. XIII. prop.* 3. Dicti Joannei 1. Ep. V. *adSerrium* ſummus Pontifex propugnat. Argumenti negativi vim alii recuſant; alii cum Joanne Launojo, Papebrochio, Baronio ad annum Chriſti 237. Guidone Grando, Saxio, Fratre Raymundo Miſſorio, & Ludovico Antonio Muratorio eam credunt magnam; alii media incedunt via pro rei rationibus diverſis. Argumentum negativum præterea eſt vel pure ejuſmodi, vel aliquid habet admiſtum. Alterius major vis eſt, quam primi. Vitiata eſſe exempla Mariani Scoti, & Martini Poloni, in quibus fabula *de Joanna Papiſſa* legitur, ſummus Pontifex exiſtimat. Eadem ſententia nuper a Cl. Chriſtophoro Auguſto Hermanno in peculiari diſſertatione, qua illam fabulam profligavit, fuit propugnata. Viſionem celeberrimam S. Franciſci una cum indulgentia, quæ dicitur *Portiunculæ*, ſummus Auctor putat perperam repudiari, eo quod de ea ſileat Bonaventura, ac Auctorum ætate æqualium cohors, ratus, Baluzium eam in *ſuis miſcellaneis tomo IV.* ex antiquis bibliothecis, & quidem ex monumento Auctoris coævi, edidiſſe. Calculum quoque album adjicit traditioni de translatione Domus almæ ex Galilæa in Liburniam. A Gregorio Magno animam Trajani Imperatoris a pœnis inferorum fuiſſe liberatam, tradit Joannes Diaconus, 300. annis junior. At alii Scriptores tacent. Vim hic ineſſe credit ſummus Pontifex argumento negativo. Si quis Fidei Promotor contendit, malum aliquod a Dei Servo fuiſſe patratum, producto alicujus recentis Auctoris teſtimonio, ſilentium antiquiorum Poſtulatoribus prodeſſe poterit, *ſi aliæ non deſint circumſtantiæ, eorum aſſumto faventes*, uti contigit in cauſa Gregorii X. Bollandus id dedit conſilii, ut vitæ Sanctorum, in quibus aliqua ridicula aut improbabilia ſunt inſerta, corrigerentur, & emendarentur. Sacrorum vero rituum Congregatio ad probationem virtutum aut martyrii ſtatuit admittendos haud eſſe alios ac Hiſtoricos, qui ſcripſerunt ea quæ viderunt, aut quæ ab iis, qui viderant audiverunt, adeoque Scriptores ſunt coævi. Ad martyrium concurrunt duæ perſonæ. Perſecutor ſeu Tyrannus, & Martyr. Putant nonnulli, dari martyria poſſe ſine Tyranno infectante. Huc referunt Mariam Deiparam, martyres patientiæ, religioſæ obſervantiæ, virginitatis, divinæ charitatis, ægritudinis toleratæ, peſtis ex officio charitatis contractæ, &c. At ſimilitudo martyrii quædam in hiſce exſtitit, haud martyrium genuinum. Alii martyria nondum conſummata huc revocant. At hi *Confeſſores* ſunt dicendi, qui martyrio haud interierunt. Quid vero de eis eſt ſentiendum, qui pœnam a Tyranno infligendam occuparunt? quæ, ne pudicitiam violari paterentur, necem præverterunt paratam? Diſtinguit ſummus Auctor inter martyria ordinaria atque extraordinaria. Hæc ad ſpecialem Dei *impulſum* refert. Ad veri martyrii indolem requiruntur momenta duo, unum, ut Tyrannus re vera mortem inferat, aut ſaltem cauſam mortis proximam neceſſariamque ponat; alterum, ut id faciat ex odio in Fidem Chriſtianam, vel in rem aliquam, quæ ad Fidem ſpectat. Non ſemper Tyranni ipſos ſectatores Chriſti illico interimunt, ſæpius eos carceribus, exilio, & ærumnis pro Chriſto conſtringunt, ad obitum miſerorum uſque continuandis. Is quoque cenſendus eſt martyr, qui illæſus mortem, cui fuit traditus, evaſit divina virtute. Hoc in numero collocandi ſunt Joannes, Thecla, Felix Nolanus, Gregorius Magnæ Armeniæ Epiſcopus, tres Pueri in fumum ardentem Babylonicum conjecti &c. Martyrem & Perſecutorem conſtituit *cauſa*, non fucus, non nomen, non velamentum. Martyris enim eſt, propter genuinam Chriſti doctrinam, Fidemque & profeſſionem ejus, illi ſuperſtitioſam, voluntariæ morti exponi, eaque, ni miraculum Dei intercedat, interimi. Error, fundamento Fidei oppoſitus, licet quis pro eo voluntariam, a Tyranno expromptam, necem ſuſcipiat, cauſa martyrii dicendus non eſt. Si Tyrannus putet, ſe verum in Chriſtiano vindicare crimen, cauſa martyrii ceſſat. Sufficit, ſummo Auctore decernente, ſi Tyrannus ex odio in

Christi Doctrinam accendatur ad Christianum vita privandam, licet ipse causam omnino disparem præseferat, ritu Neronis, qui abolendo rumori de incendio, ipsius consiliis tribuendo, reos subdidit Christianos. Odium illud comprobari potest ex sententia & decreto Persecutoris; ex ipsa disceptatione, Tyrannum inter & Martyrem habita in Actis descripta; ex beneficiis seu muneribus, Martyri a Tyranno ante mortem, ut a proposito resiliat, oblatis; ex impunitate seu liberatione Martyri a Tyranno oblata; ex Actis martyrii genuinis ita testantibus, & ex recusatione agendi id, quod Christianæ religioni e diametro est oppositum. Martyrium esse *baptismum sanguinis*, ac in infantibus non baptizatis supplere vices baptismi aquæ, ideoque peccatum insitum secundum culpam & pœnam ex opere operato delere, Pontifex summus docet. Pueri certe ab Herode interfecti in Ecclesia Romana recensentur ac coluntur inter Martyres. Idem indicat, fugam, si ea pateat divexato ob Fidei professionem, juste arripi posse; Episcoporum vero esse ceterorumque, qui hominum animis invigilant, remanere, si prævideant, gregem fructibus abundaturum, ac eodem in loco perstiturum, ipsorum quoque ob fugam dispersum iri. Recte contra faciunt, qui sine detrimento gregis fuga salutem quærunt. Si alii quoque Fide adeo sunt firmati, ut possint perstare in loco ad majorem Dei gloriam Ecclesiæque salutem, ipsorum est perdurare. Martyri futuro haud licet vel dictis vel factis Tyrannum insultantem ad martyrium ipsi inferendum provocare. Excipit ab hisce provocationibus summus Pontifex eas, quæ in ipso martyrii actu contingunt, quando videlicet Martyr aut statim tormentis est subiciendus, aut jam tormentis cruciatibusque afficitur, ac tum Tyrannum objurgat, crudelitatem ejus insimulat, vindictamque Dei ipsi minatur. Cum Hæreticis seu Schismaticis summus Auctor ita versandum suis putat: *eos, præmissis præmittendis, diligentiis videlicet & suavibus aptisque modis, ut ab errore recedant, hisque omnibus inutiliter adhibitis, ad Fidem demum compelli posse minis & terroribus, & pertinaces demum morte puniri, implorato brachii secularis auxilio, concors est Patrum & Theologorum sententia.* Addit deinde Augustini, qui sententia mutata priori, sic sensit, consensum, quem quoque Gratianus repetivit *in can. Dispicet & sequentibus 23. quæst. 4.* At si eodem sensu imbuti sint statores & custodes aliarum quoque religionum? Quid? si Mahummedani idem sentiunt, Deoque ita permittente, viribus ac numero Christianis aliquando antecedunt? At succurrit Thomas Aquinas, qui Augustini sententiam exponit de iis, qui Ecclesiæ Romanæ dederunt nomen, ac postea ab ea discesserunt, causam interponens, ipsorum esse promissa servare, videlicet salutaria & justa. Causam martyrii, respectu Martyris exponendam, summus Pontifex persequitur copiose, ratus, Hæreticis & Schismaticis deesse martyrii causam. Fatetur, Heterodoxis haud deesse viros & homines, qui pro religionis Christianæ veritate, pro sensu ipsorum accepta, intrepide mortem obierint, Romanæ autem Ecclesiæ existimat exstitisse Martyres ab initio Ecclesiæ usque ad hæc nostra tempora, & eam numero præstare. Addit præterea, omnia, quæ jam ab Ecclesia Romana reputantur pro credendis & agendis, semper ab initio Ecclesiæ Christianæ fuisse pariter credita. Post hæc causas Confessorum exponere Pontifex summus aggreditur. Ipse ad *heroicitatem*, seu heroicam magnitudinem virtutum requirit, *ut eam habens operetur expedite, pronte, & delectabiliter supra communem modum, ex fine supernaturali, & sic fine humano ratiocinio, cum abnegatione operantis, & affectuum subjectione.* Specie eam differre a virtute non heroica, negat. Aliquem virtute heroica fuisse instructum, ostenditur sane difficulter. Sufficiunt tamen demonstrationi testes incorrupti, docentes, Servum Dei quemdam integrum vitæ cursum inter pericula peccandi exegisse cum insigni innocentia spectabilique morum sanctitate, cumque exacta præceptorum Dei & consiliorum perfectionis observatione, quæ spectantibus ingesserit admirationem. Non vacat de heroica indole specialium virtutum hic nonnihil repetere. De iis, qui vel quæ matrimonia inierunt, perpetua tamen castitate servata, permulta summus Pontifex produxit, Cunegunda, Henrici II. uxore, eis inserta. Adjungit hisce non pauca de oratione mentali & vocali, in primis Cardinalem de Laurea secutus. Contemplationem infusam, seu mysticam theologiam vocat cum aliis sponsalitium animæ cum Deo, osculum Dei, ingressum animæ in caliginem divinam, annihilationem, *experimentalem Dei cognitionem*, habitam de Deo per amoris unitivi complexum. Notitiam vero de Deo divisque rebus extrinsecus suppeditatam haud facile quisquam *cognitionem Dei experimentalem* dixerit. Ad momenta dicentium preces summus Auctor jubet attendi. In signis enim ardentissimarum precum hoc deputat, si Servus Dei inter orandum vultum præ se tulerit tanquam flamma accensum. Donum lacrymarum deinde expendit, monens, cavendum hic sibi esse ab arrogantia & animo pusillo. Præcat præterea frequentiam Confessionis auricularis præstitæ, & Eucharistiæ sumptæ, nec ex cerimonia, nec ex consuetudine profluentem. Irenæum, Cyprianum, aliosque Patres, jam de incruento Missæ sacrificio, qualis ea nunc est, locutos existimat. Carnis corporisque mortificationem ponit in abstinentia, jejunio, cilicio, vigilia, chameuniis, spontaneis flagellationibus, quæ *disciplinæ* dicuntur, & similibus rebus, quibus caro affligitur. Morinus credidit, usum flagrorum obtinuisse in Ecclesia, sed aliena manu, non propria, corpori admotorum. Jacobus Boileus in eo totus est, ut ostendat, Dominicum Loricatum, & Petrum Damianum auctores extitisse disciplinarum, sponte aut propria manu inflictarum, & ante eos flagra quidem in usu fuisse, sed ita, ut quis ab alio vapularet, ratus, consuetudinem propriæ flagellationis minus esse approbandam, cum flagellorum ictus dorso incussi oculis officiant, methodusque flagellandi lumbos femorales incitamento sit ad venerem appetendam. Consentiunt Joannes Henricus Meibomius, pater & filius, atque Thomas Bartholinus. Petrum Damianum Baronius *ad An.* 1056. habet pro ritus hujus propagatore, non auctore. Spontaneas flagellationes jam adhibitas fuisse a Guidone Pomposejano Abbate, & a S. Poppone Abbate, animadvertit Mabillonius *in præfat. I. ad sæculum sextum Ordinis Sancti Benedicti*, ejusque assectator Graveson, *in historia Ecclesiastica tomo V. p. I. sæc. X. & XI. pag. 365. seq.* Quod perpendendum relinquimus Clar. Joanni Friderico Mickelio, qui A. 1733. *de Mastigosi religiosa* edidit libellum. Quid vero summus Pontifex de hac flagellatione arbitrandum credat, ex ejus verbis innotescit: *Si Petrus Damiani, Rodolphus, Episcopus Eugubinus, Dominicus Loricatus, Gualbertus, Abbas Pontissariensis, sanctimoniæ fama illustres, spontaneis corpus suum verberationibus affixerunt, ut ipse Boyleau in* historia flagellantium *admittit, si nonnulli, inter Sanctos relati, hoc ipsum præstiterunt; ecquis erit, qui spontaneo flagrorum usui, ejusque laudabili consuetudini obloqui ulterius audeat?* Constitutio Urbani VI. adversus flagellantes edita est adversus eos, qui circa A. 1349. ex Hungaria progressi vagabantur per provincias, ac bis palam de die, histrionice quidem, aculeatis funibus sese ad sanguinem usque flagellabant. Traditionem de Ampullæ Remensis oleo perenni, argumentis utrinque adductis, in medio summus Auctor relinquit, addens, Reges ungi, sed non inungi chrismate illo quo inunguntur Episcopi, sed simplici oleo benedicto, hoc est, *oleo Catechumenorum*. Inter virtutes Regibus dignas, ac eas, quarum habetur ratio in adscriptione inter Cælites cultu prosequendos, collocat obedientiam erga Romanum Pontificem. Ludovici Sancti, Galliarum quondam Regis, *pragmaticam sanctionem* vel ex toto existimat apocryphum, vel rejicit certe illum articulum, in quo nonnulla traduntur minus plena observantiæ *erga sanctam Sedem*. Haud definit, quis Pontificum primus sæculo XI. jus gladii assumpserit, militesque conscripserit, monens, Christianum Lupum principatum hunc deferre Gregorio VII. Henrici III. Imperatoris adversario. Affert idem ex Pontificali Romano de benedictione & coronatione Regis nonnulla, ac ea inter hæc Antistitis coronantis verba ad Regem: *Christianam religionem ac Fidem catholicam ad finem usque inviolatam retinebis, eamque contra omnes adversantes pro viribus defendes: Ecclesiarum Prælatis ac reliquis Sacerdotibus condignam reverentiam exhibebis: Ecclesiasticam libertatem non conculcabis.* Item: *Accipe gladium --- vice & auctoritate sanctorum Apostolorum consecratas --- ut sanctam Dei Ecclesiam, ejusque Fideles propugnes ac protegas, nec minus sub fide falsos, quam Christiani nominis hostes, exsecreris ac dispergas.* Videtur accedere Mabillonio, qui *in Annalibus Benedictinis tomo I. pag.* 114. contendit, unicam duntaxat panis Eucharistici speciem ex antiquo loquendi more designatam fuisse nomine corporis & sanguinis Christi. Plerosque Sanctos ab infidelitatis caligine & a peccatorum cœno, divina gratia adjutos, ad veritatis lucem & ad apicem sanctitatis perveniisse, largitur, monens, prævaricationes, ante emendationem admissas, referri posse & verbo & scripto, ut nefaria multitudo ne desperet medicinam, & ut Sancti misereantur miserorum. Arigius, Episcopus Lugdunensis, utrum scelestus pluriumque criminum reus, an recte a Cointio excusatus fuerit, in media relinquit, falsus, eum in Beatorum ordine collocatum. (9) Scilcit porro maximus Auctor de iis, quæ Sancti de vitæ suæ gloria confessi fuerunt, eum in modum, ut rem, scopum, reique modum respiciat ac exempla Pauli, Jacobi, Ezechiæ, Tobiæ, ac Nehemiæ præmittat. Actiones morales indifferentes & largitur & tollit, docens: *Communior est sententia, dari actus humanos ex objecto & specie sua indifferentes, hoc est nec determinate bonos, nec determinate malos, & qui demum boni vel mali reputantur ex fine aut bono aut malo.* Gratiæ gratis datæ eam ponit essentiam, ut ea sit sensibilis & evidens in suis effectibus. Nec negat, hanc gratiam, quam Græci vocant χάρισμα, communem esse peccatoribus & justis ob 1. *Cor.* 13. 2. 3. & *Matth.* 7. 22. 23. Quid de *arte notoria* sit sentiendum, per quam, præmissis nonnullis precibus ad Deum aliisque rebus, quæ ad pietatem spectare videntur, omnes disciplinæ liberales illico disci traduntur, haud expedit, (10) adjungens tamen Thiersi opinionem ex *tract. de superstitione*, qui statuit, actum & conclamatum esse de arte notoria ex sola experientia, in primis vero ob argumenta e sacris Literis depromenda. Fidem, qua est gratia gratis

ANIMADVERSIONES.

(9) Auctor neque collocat Arigium in ordine Beatorum, neque collocatum fatetur, nisi quatenus ait, ejus nomen legi in Ecclesiæ Lugdunensis Martyrologio. Contendit autem, non a Cointio solum fuisse purgatum, sed & a Sennerto, & a Theophilo Raynaudo.

(10) Imo vero expedit ex S. Thoma 2. 2. quæst. 96. art. 1. ubi ostendit, *artem hanc esse illicitam & inefficacem.*

UAB
Biblioteca de Ciències Socials

gratis data, probabiliter, præeunte Cardinali de Lauræa, habet pro fervore & illa Fidei constantia, quam Martyres in conspectu tyranni soleant exhibere, & qua, divinitus miracula datum iri ad suas preces, sint certi. Miracula edi posse ab Infidelibus quoque, fatetur, at in confirmationem erroris & mendacii ea divinitus edi, negat. Propheram, tradit, esse eum, qui aut futura prænuntiat, aut præterita, vel præsentia, ceteris abdita, patefacit. Rationem, qua intellectui Prophetæ ea, quæ debet cognoscere, innotescunt, determinat triplicem: 1. si per sensus externos, auditum vel visum, res percipiantur, ac inde transeant ad imaginationem & intellectum; 2. per sensionem internam, qua imaginatio movetur; 3. per præsentationem intellectui duntaxat obiatam. Præexistere in hominibus ad prophetandum facultatem naturalem, negat. Copiose ex Scholasticis recenset differentiam cognitionis Dei, Angelorum, dæmonum, & hominum, naturalis, ratione eventuum futurorum, eorumque vel necessariorum, vel contingentium, & in suis causis, & in actu. Dæmonem olim petentibus responsa vel ex antris, vel ex statuis dedisse, haud abnuit, licet Porphyrii, Origenis, & Eusebii quoque meminerit, qui, impostoris sacerdotum oracula illa deberi, haud inficiati fuerunt. Prophetias nihili esse habendas, quæ repugnent legibus divinis humanisque, præcipue ecclesiasticis, ex Cardinali Cajetano docet. Eugenius Pontifex audierat, & viderat ea, quibus putabatur confirmatus de suadenda expeditione cruciata in Palæstinam suscepta, eamque ob causam *Bernardum* Abbatem permoverat, ut hic Ludovico regi spem ingererent peregrinationis faustæ. At haud respondit eventus promissis. Ut nodum hunc solvat summus Auctor, monet, fieri posse, ut revelatio sit vera & a Deo profecta, falsa autem interpretatio ab homine fuerit exorta; addens, Deum respexisse ad æternam eorum salutem, qui in illa expeditione pro Fide & ecclesia fuerint mortui. Gratiam discretionis spirituum putat esse mentis illustrationem, qua persuasus homo facile & sine errore dijudicet, a quonam principio motus animi, tum proprii, tum alieni, cogitationesque, ad electionem pertinentes, excitentur, quid scilicet a bono, quidve a malo spiritu suggeratur. Tandem subdit: *Non videtur dubitandum, posse, Deo permittente, similia a dæmone fieri*, nempe varias excitari linguas, proferrique diversas dialectos ab homine imperito vel intra aerem. Vulgo existimant, eos, qui a cacodæmone sunt obsessi, linguis speciei exoticæ, ac ipsis obsessis ignotæ loqui posse. Ecstasin divinam a diabolica solicite distinguendam esse, tradit summus Pontifex, ac momenta huic familiaria profert. Illam oriri credit ex admiratione, magnitudine amoris, & exultationis magnitudine. Effectus omnino causæ evidens est testis. Difficillimæ autem res est disquisitionis, ecstasis utrum sit naturalis, an supernaturalis. Pendent hic omnia ab eo statu animi corporisque, qui ecstasin præcessit. Si enim meditatio in unicum quid defixa, si vehementior affectus præcesserit, ecstasis videtur esse naturalis. Apparitiones Dei in veteri Testamento secundum sententiam Theologorum communiorem non fuisse ullius Personæ e divinis, sed per Angelos peractas, hosque potuisse dicere in apparitionibus: *Ego sum Dominus Deus tuus*, existimat, laudatis Duranto & Thyreo suffragatoribus, nec non ipso Cardinali Bona *de discretione spirituum cap. 19. num.* 3. Favet hæc sententia *duliæ*, qua cives Ecclesiæ Romanæ Angelos prosequuntur. Apparitiones Christi externas summus Pontifex solicite enumerat. Potissimas apparitiones Christi, quæ Sanctis contigerunt, commemorat, nempe Paulo *I. Cor. XV.* S. Petro, S. Benedicto, aliisque. Exempla colligit Thyræus *de Apparitionibus Sacramentalibus*. Summus Pontifex subtexit nonnulla de aliis visionibus & apparitionibus, quæ a dæmone, vel a causis naturalibus originem traxerunt, inseritque longam Baldelli de hac causa tractationem e manuscripto Italico. Quomodo visiones ac apparitiones naturales a supernaturalibus discernantur, monet, sedulo examinat, an causa aliqua præcesserit, visionis vel apparitionis materies. Dantur quoque præternaturales, vel Deo vel diabolo auctore hominibus immissæ. Summus Pontifex de singulis hisce speciebus solicite tractat, easque distinguere docet. Ex distinctionis notam: *Dæmones a columbæ vel agni specie abstinent.... Si formam humanam assumunt, ea atra plerumque est, deformis, mutila, & inusitata.... aliquando se transfigurant in Angelos lucis & Christi Domini Beatissimæque Virginis & Sanctorum*. Revelationibus novis locum esse ad integrandum doctrinæ Christianæ complexum negat, privatas tamen dari largitur, addens: *Fides quippe nostra non crevit quoad substantiam, licet nunc quædam explicite credantur, quæ antea latebant*. Rejicit auctoritatem revelationum, quæ adversantur sacris Litteris, Apostolicæ traditioni, unanimique Patrum atque Theologorum consensui. Appendix complectitur monumenta ad hunc *Tomum* pertinentia. Nostrum vero est, hic respirare, postquam hunc *Librum* omni diligentia versavimus, & inde delibavimus potiora, summam *Libri IV.* qui est ultimus, propediem daturi.

EX ACTIS ERUDITORUM

PUBLICATIS LIPSIÆ CALENDIS JANUAR. MDCCXLII.

De Servorum Dei Beatificatione, & Beatorum Canonizatione, Liber Quartus, & Ultimus, Auctore PROSPERO DE LAMBERTINIS, S. R. E. Cardinali, titulo S. Crucis in Hierusalem, Anconæ primum Episcopo, postea Archiepiscopo Bononiæ.

Bononiæ, formis Longhi, Excusoris Archiepiscopalis 1738. fol.

Alph. 8. plag. 18.

ACCEDIMUS tandem felicibus auspiciis ad enarrandum *Tomum* Operis copiosi & doctissimi *postremum*, Eminentissimis Cardinalibus, sacrorum rituum Congregationi præpositis, & Reverendissimis ejusdem Congregationis Consultoribus inscriptum. Hæc enim ea est Congregatio, cui summus Pontifex Sixtus V. non modo causas Beatificationis & Canonizationis universas, sed cetera etiam ejusdem generis momenta, ad cultum Servorum Dei, Beatorum, Sanctorum quomodocumque pertinentia, demandavit, & deferri mandavit. Auctor maximus ipse, dum Advocati Consistorialis munere functus fuit, & scribendo & dicendo præstitit huic operam suam non solum in causis Bononiensium civium, Pii V. & Catharinæ Vigriæ, quæ ipsius patrocinio fausse cesserunt, sed etiam in aliis permultis, quæ scriptis ejus publicis declarantur. Idem, amplissimo Clementis XI. beneficio ad eximium Promotoris Fidei munus evectus, quæcunque a sese per integrum viginti annorum spatium in causas Beatificationis & Canonizationis, & in Beatorum Sanctorumque cultum animadversa sunt, hujusmet Congregationis judicio credidit omnia atque subjecit. *Primæ Partis* hæc sunt capita. Differitur hic 1. de miraculis, & miraculorum gradibus, 2. de causa miraculorum efficiente, 3. de malis Angelis, Infidelibus, Hæreticis, & Antichristo, qua ad miraculorum materiem res attinet, 4. de causa eorum finali, ac differentiis vera inter & falsa miracula, 5. de miraculorum necessitate in causis Beatificationis & Canonizationis, 6. de miraculorum numero & qualitate in causis Beatificationis & Canonizationis requisita, 7. de scriptis Gallorum, quibus isthæc confirmantur, 8. de miraculosa sanatione a morbis & infirmitatibus, 9. de miraculosa cæcorum illuminatione, 10. de mutis, surdisque miraculo restitutis, 11. de claudorum, gibbosumque sanatione miraculosa, 12. de paralyticorum, 13. epilepticorum, & hysterica imbecillitate laborantium, 14. mania, & hydrophobia conflictantium, ac 15. hydrope, empyemate, & hernia laborantium miraculosa sanatione. Tum oratio sese convertit 16. ad miraculosam liberationem a fluxu sanguinis, & generatim ab hæmorrhagiis, & vulnerum curationem miraculosam, 17. sanationem a lepra, cancro, gangræna, aliisque morbis, 18. a febri, 19. a variis infirmitatibus, 20. immo ad partum miraculosum, & 21. ad revocationem mortuorum in vitam. Porro differitur 22. de miraculis negativis, 23. de rerum multiplicatione, & rerum in alias res conversione, 24. de miraculis respicientibus dominatum in elementa & res creatas, destitutas ratione, simulque animatas, 25. de quibusdam miraculis, quæ in cælis ac terra contingunt, 26. de sudore sanguineo & lacrymis sanguineis a corpore & oculis Servorum Dei manantibus, & de lumine ac splendore, quo eorum facies aliquando refulget, ac 27. de longa abstinentia a cibo & potu. Tandem exponitur 28. de quibusdam spiritualibus miraculis, 29. de ejectione dæmonum a corporibus obsessis, 30. de cadaverum ἐφθαρσίᾳ, 31. de nonnullis cadaverum qualitatibus, sanguine, liquore, & odore, 32. de Beatorum & Sanctorum apparitionibus, qua inter miracula recensendis, atque 33. de imaginatione, ejusque viribus. Succincte jam Auctor maximus dixerat de miraculis *Libro & primo & tertio*; at nunc longius latiusque hoc argumentum suscepit pertractandum. Ipse opera sublimiori, quam naturæ ordine fieri solita, refert in miraculorum classem, e. g. pii justificationem. Miraculo, ipsius judicio, proprium est, esse arduum, insolitum, & admirandum, excedere facultatem naturæ & ordinem rerum naturalem, dum Deus producit effectus causarum secundarum sine ipsis, aut producit aliquos effectus, ad quos causæ secundæ sese non extendunt. Creationem respectu Dei esse miraculum, rigide loquendo esse negandum credit. Thomam Aquinatem in hac doctrina sequitur, & veram miraculi indolem constituit in eventus excessu supra vires & facultatem naturæ, ratus, excessum illum esse triplicem, unde alia miracula sint supra naturam, alia contra naturam, & alia præter naturam. Qui triplex miraculorum gradus ab ipsis Rotæ Auditoribus assensu roboratur. Hostes Josuæ non grandine, sed lapidibus per Angelos fuisse percussos, quorum Josuæ cap. x. fit mentio, Auctor summus arbitratur. Idem admittit connexionem causarum secundarum, earum subordinationem, & partium universi inter se dispositionem fixam & constantem a Deo, libere dirigi solitam, ita tamen, ut miracula & prodigia sint opus liberæ Dei voluntatis. Largitur ac fatetur præterea, 1. non omnem naturæ creatæ virtutem nobis esse notam, 2. miraculum, respectu ad nos habito, esse, cum aliquid fiat præter ordinem naturæ creatæ, 3. a Spiritibus edi posse nonnulla, quæ vires vel hujus partis vel illius mundi excedant, 4. dari quædam vera miracula, quæ vires totius naturæ creatæ non superent. Deus omnino solus edere potest miracula genuina. A Chri-

sto ve-

sto vera, eaque non una, edita fuisse miracula, Auctor summus contra Thomam Woolstonum & empœctas tum ex sacris Literis, tum ex Josephi & Juliani Apostatæ testimoniis docet. Ab Angelis bonis posse fieri miracula generis secundi virtute propria, sed jussu Dei, docet idem. Adjungit deinceps hæc: *Ab hominibus quoque sanctis, sive dum viverent, sive post eorum obitum, miracula edita fuisse, undequaque exploratum est. Fidem huic veritati faciunt sancti Patres, testes oculati, Irenæus videlicet II. 66. Chrysostomus tom. V. serm. 67. Hilarius in libro adversus Constantium Imperatorem, Gregorius Nazianzenus orat. 18. Augustinus de civ. Dei XXII. 8. Hieronymus in libro contra Vigilantium, & Theodoretus orat. 8. adversus gentes. Pollicitus est Christus cap. ult. Marci, donum miraculorum in Ecclesia sua esse perseveraturum.* Testimoniis deinde Gregorii Magni ac Augustini fultus, docet, miracula, postquam Tyranni Ecclesiam vexare intermiserunt, esse minus crebra, nec tamen nulla. Miracula esse signum Ecclesiæ veræ, ac eorum, qui Cælitibus adorandis adscribuntur, addit idem. Controversiæ, an Christus homo, Angeli boni, & homines sint causa miraculorum vel physica, vel potius moralis, recenset argumenta in utramque partem, nec tamen eam decidit. Subdit potius tandem: *Docere sufficiet, Deum solum esse veram efficientem, independentem, auctoritativam miraculorum, & creaturas in operatione miraculorum esse divinæ potentiæ instrumenta, sive id referatur ad causam moralem, sive ad physicam. Etenim, etiamsi sententia admittatur, quæ creaturam agnoscit tamquam causam cooperatricem physicam miraculorum, id porro tamen supremæ divinæ majestati nullum affert præjudicium, eo modo quo vera remanet idea Dei, uti auctoris gratiæ, in Sacramentis, licet dicatur, Sacramenta esse causas physicas gratiæ.* Quæri solet, an cacodæmones patrare possint miracula. Thomas, ea ab illis propria virtute edi posse, negavit; posse tamen ab eis nonnihil fieri, affirmavit, quod humanam facultatem & considerationem excedat, quodque large & improprie miraculum possit dici. Recit tamen semper quæstio, quænam homini suppetant signa, quibus instructus hæc miracula improprie dicta a divinis & genuinis possit discernere. Prodigia, a Magis Ægypti edita, Calmetus pro offuciis & illusionibus oculorum reputat. Thomas autem vere serpentes ranasque existimat ab eis fuisse productas. Auctori maximo haud lubuit, alterutri sententiæ deferre principatum. Id vero contendit, vera miracula a dæmone fieri haud posse, licet ab eo nonnunquam ea sint facta, quæ vires excedant facultatemque naturæ visibilis atque corporeæ. Receptam esse & veram sententiam, existimat, uxorem Loti quæ dicitat vere in saxum, sive in lapideum salem fuisse conversam & immutatam, qui non modo pluviis liquefactus non sit, verum etiam æmulans duritiem cujuslibet durissimi lapidis adhuc perstet. Incertum esse pronuntiat, an Christus Dominus a Sarana fuerit per aera translatus, siquidem Jesus assumserit tres discipulos, & duxerit *in montem altum. Matth.* 17. 1. licet id de deportatione intelligi nequeat. Miracula vera a falsis internoscere docet ex efficacia, duratione, utilitate, modo, & fine. Scopum certe malum præstigiarum & prodigiorum cacodæmonis declarant ejus mendacia, pravitas, intentata veritati clades, degener mens, statim patefieri solita; veritas, firmissimis Dei miraculis innixa. Diabolum per serpentem ad Evam locutum, largitur. Addit tamen: *Quomodocumque res sese habuerit, dæmonis locutio per serpentem fuit aliquid excedens vires & facultatem naturæ corporeæ ac sensibilis, sed, deficientibus circumstantiis utilitatis & finis, ea locutio verum miraculum dici non potest. Uno verbo, nec Angelus bonus, nec Angelus malus sua naturali virtute possunt miracula facere, quæ excedant vires & facultatem cujuscunque naturæ creatæ. Angelus bonus naturalem & integram habet facultatem plura faciendi, quæ excedant vires & facultatem naturæ visibilis & corporeæ; & cum obsequens Deo ea utatur, si id, quod efficit, supra vires & facultatem naturæ corporeæ & visibilis, arduum, insolitum, & ab unoquoque admirandum est, hoc utique classi miraculorum minorum, sed quæ vera sunt miracula, erit adscribendum, & potissime, cum efficacia, duratio, utilitas, modus, & finis in eo nunquam desint, hujusque effectio miraculi erit in Deum referenda, tanquam in causam efficientem principalem miraculorum, qui Angelo, sibi obsequanti, imperavit, ut sua naturali facultate, vires & facultatem naturæ visibilis & corporeæ excedente, uteretur. Angelus malus sua naturali virtute plura facere posset, quæ excederent vires naturæ visibilis & corporeæ ad instar Angeli boni. At cum Deus ei interdixerit in pœnam peccati, & ne ob suam malitiam totum mundum perderet, prædicta uti facultate, necesse est interdictum relaxari, ut ea uti valeat. Cum autem, relaxato interdicto, & effectis a dæmone nonnullis excedentibus vires naturæ visibilis & corporeæ, semper in eis deficiant veri miraculi characteres, modo recensiti, hinc est, quod effecta nunquam vera miracula dici poterunt, & etiam locus erit præsumtioni, quod facta fuerint per modum artis, quæ obstat miraculo. Miracula enim sunt testimonium divinæ virtutis & veritatis; & divinam bonitatem non decet ea dæmoni permittere secundum doctrinam Divi Thomæ.* Operæ pretium est, nosse sententiam Ecclesiæ Romanæ ratione hujus dogmatis. Addit summus Auctor, ordinem universi, semel a Deo institutum, non posse ab ulla particulari causa immutari; nec non illud Augustini *de Trinitate III. 9.* difficile admodum esse, quin & impossibile, scire, quid dæmones per naturam facere, & quid per Dei interdictum non facere possint. Miracula, ab Hæreticis & Infidelibus patrata, reputat fere pro meris dæmonum ludibriis. Pendet itaque fere miraculorum veritas, ipso judice, ab Ecclesiæ notione, &, hac in hunc vel illum sensum accepta, variare etiam debet dijudicatio de miraculi hujus vel illius veritate. Affert summus Auctor has rationes: 1. gratiam miraculorum dari membris Christi; 2. ad ea edenda necessariam esse fidem supernaturalem; qua utraque careant Hæretici & Infideles. (11.) Efsius tamen *in lib. II. sent. dist. 7. §. 19.* largitur, Deum uti posse Paganis, Hæreticis, & Schismaticis, tanquam instrumentis in patratione miraculorum, ut per ea veritas aliqua, ad Fidem aut ad mores pertinens, approbetur. Huc referri solent loca *Marc. IX.* 38. *Luc. IX.* 49. Castaldi hæc sunt: *Possibile est, Deum supernaturaliter concurrere ad miracula patrata ab Hæretico vel Idololatra ad justam defensionem, vel ad comprobandam veritatem catholicam.* Negat vero maximus Auctor, Hæreticos vel Schismaticos posse a Deo assumi tanquam instrumenta miraculorum patrandorum. (12.) Eadem est sententia Thomæ *Quodlibet. II. quæst. 4. art. 6.* Noster ita: *Gratia miraculorum fere semper confertur membris Christi.* Laudat tamen illa Baronii *ad A. 765. n. 1.* verba: *Quid aliud vera miracula, quam vox Dei, cælitus clamans, & comprobans ex eis fidem, cum ejusmodi gratia negata sit semper Hæreticis, ut vera miracula possent edere.* Miracula quæ Apollonio Thyanensi, Vespasiano, & Hadriano tribuuntur, esse fictiones arbitratur, testesque probatissimos sibi adjungit. De Antichristi miraculis, *Matth. XXIV. in Apocalypsi, & 2. Thess. II.* memoratis, sedulo exponit, ea existimans fore ludibria & fallaces præstigias. Miracula vera fieri ad Dei gloriam, confirmationem doctrinæ Fidei, copiose demonstrat. Canonistæ quidem transubstantiationem e numero miraculorum eximunt; attamen Pontifex Ecclesiæ Romanæ maximus ait, *Eucharistiæ Sacramentum esse memoriale omnium miraculorum*, juxta *Ps.* 110. 4. De differentiis vera inter & falsa miracula varias Doctorum sententias producit, acquiescens in Thomæ pronuntiato, qui miracula Bonorum hominum ac Magorum differre tradidit efficacia, duratione, utilitate, modo, ac fine. Dubitationes addit, quæ de miraculis oriri possunt, respectu 1. testium, quorum fides potest esse subiesta, 2. rei ipsius ac facti an vires naturæ id superet, an sit verum, vel laboret contradictione. Omittimus reliqua, eo quod intra angustos conclusa est oratio nostra cancellos. Lectio multijuga, ordo, mascula & argumento dignissima dictio, doctrina admodum vasta, eruditio ex omni parte diffusa, atque peritia Historiæ, Philosophiæ, Theologiæ, Jurisque Canonici amplissima, hic adeo emicant lucemque spargunt, ut licet hoc Opus a Pontifice Romanæ Ecclesiæ haud fuisset literis commendatum, universi tamen rerum literariarum æstimatores haud iniqui aperte fateri debeant, libro huic in suo genere ac argumento ab Ecclesia Romana principatum esse deferendum, hunc-que illis ipsis, qui vel plusculum, vel nonnihil ab ea diffident, summam ingerere admirationem posse, multamque discendi materiam suppeditare universis.

Progrediendum nunc est ad *Partem secundam*, seu *posteriorem*. *Triginta & uno Capitibus* constat tractatio universa. *Primo* quidem exponitur de concessione Officii & Missæ in honorem Beatorum Beatificatione formali. *Secundo* agitur de nonnullis quæstionibus, quæ fiunt a Doctoribus ratione momentorum eorumdem. *Tertium* tractat de concessione Officii & Missæ in honorem Beatorum per Beatificationem æquipollentem & signanter per cultum, memoria hominum antiquiorem. *Quarto* differitur de causa eadem, quantum ad eos attinet, qui tales habentur per Indulta Apostolica, & per Patrum virorumque sanctorum scripta, immo quantum ad omnes. *Capite quinto* agitur de concessione Officii & Missæ in honorem nonnullorum Beatorum, qui sunt in antiqua cultus possessione, vel antiqua habent venerationis Indulta, licet in eorum causis nunquam confectus fuerit processus super casu excepto. *Sexto* exponitur de concessione Officii & Missæ in honorem Sanctorum canonizatorum. *Septimum* inscriptum est nonnullis aliis Officiorum concessionibus, in gratiam locorum quorundam particularium promulgatis. *Octavo* argumentum continuatur idem. *Nono* agitur de Officiorum concessione, ex iisdem titulis facta, pro Ecclesia universali. *Decimo* repræsentatur concessio Officiorum propriorum. *Undecimo* exponitur de titulis Apostoli aut Doctoris, quibus nonnulli Sancti appellantur in divinis, aut in Ecclesiis particularibus, aut in Ecclesia Romana omni. *Duodecimo* alia adduntur de titulo Doctoris, alia vero exponuntur de titulo Martyris, & de titulo Virginis. *Tertio ac decimo* agitur de Breviario

---

ANIMADVERSIONES.

(11) Itane ex fide bona? verba Auctoris ex doctrina Cardinalis de Lauræa hæc sunt: *Nullum Infidelem, aut Hæreticum* juxta ordinariam Dei legem, *miraculum aliquod facere; tum quia gratia miraculorum, sicut & aliæ gratis datæ* fere semper *conferuntur membris Christi, tum quia ad facienda miracula necessaria est fides supernaturalis, qua ipsi carent.*

(12) Adde: *ad confirmandum errorem vel peccatum.* Quæ Auctoris verba Lipsienses obtutum fefellerunt.

UAB
Biblioteca de Ciències Socials

rio Romano, & ejus auctoritate, aliisque nonnullis rebus, quæ ad Officia divina pertinent. *Decimo quarto* exponitur de electione Sanctorum in Patronos. *Decimo quinto* disseritur de cultu Sanctis, in Patronos electis, exhibendo. *Sequenti* agitur de Martyrologio Romano. *Decimum septimum* exhibet nominum descriptionem in eodem Martyrologio. *Duodevicesimo* agitur de elogiis, quæ in martyrologio Romano nominibus Sanctorum, in eo descriptis, adduntur, & de nonnullis Decretis sacræ Congregationis, ad idem Martyrologium pertinentibus. *Undevicesimo* disseritur de nominum Sanctorum additione in Litaniis. *Vicesimo* exponitur de sacris Imaginibus, ac nonnullis controversiis, ad eas referendis. *Sequenti* agitur de translatione corporum. *Vicesimo secundo* tractatur de modo, quo fieri debeant sanctorum corporum translationes. *Vicesimum tertium* perpendit identitatem sanctorum corporum & reliquiarum. *Vicesimum quartum* inscribitur de nonnullis quæstionibus, pertractatis in sacrorum rituum Congregatione, quantum ad sanctorum corporum identitatem pertinet. *Sequenti* exponitur de loco, in quo sancta corpora sacræque reliquiæ debeant conservari, ac de momentis aliis, ad corpora & reliquias Sanctorum pertinentibus. *Vicesimo sexto* agitur de Sanctis baptizatis. *Vicesimo septimo* suppeditatur commentarius de extractione, custodia, & distributione sanctorum corporum ac reliquiarum, quæ extrahuntur ex cœmeteriis Urbis, & de cultu illis debito. *Duodetricesimo* exponitur de cultu Sanctorum veteris Testamenti. *Undetricesimo* exponitur de Angelis, & eorum cultu. *Tricesimum* inscribitur de nonnullis piis, sed periculi plenis petitionibus a sacrorum rituum Congregatione plerumque non admissis. *Ultimo* tandem disseritur de examine nonnullorum miraculorum, quod aliquando peragitur in sacrorum rituum ordinaria Congregatione. *Priori Parti* accessit Appendicis loco Dissertatio Academicorum instituti Bononiensis de longis jejuniis. Quæstiones ea excutiuntur duæ: una, an abstinentia longa ab omni cibo potuque, in plures non solum dies, sed etiam menses atque annos possit solis naturæ viribus produci; altera vero, an nonnullorum, qui & id fieri posse affirmant, & quomodo possit, exponere conantur, opiniones firmæ stabilesque permansuræ sint, si a veterum doctrinis, unde ab Auctoribus suis depromptæ fuerunt, ad recentium Medicorum dogmata transferantur. Philosophemata III. *Christiani Wolfii* hic fundamenti loco inserviunt. Recensentur observationes & rationes passim *Boerhaavii*, *Hoffmanni*, ac Medicorum nostræ ætatis florentissimorum. Demorsos hic omnia sapiunt ungues. Quantum ad Martyrologii lectionem attinet, ea a Canonicis, in Capitulum, aut in Chorum convenientibus, Prima finita, dudum fuit peracta. Martyrologium Romanum Gregorius XIII. correctum auctoritate instruxit. Antiquissimum tribuitur Hieronymo. Exemplar ejus extraxit Bollandus e monasterio Epternacensi S. Willebrordi, illuc ab hoc ex Anglia allatum. Alterum exemplar Lucæ inventum. Edidit illud Franciscus Maria Florentinius Ann. 1678. Martyrologio, quod vulgo tribuitur Ven. Bedæ, correctores Romani, ut Romanum emendarent, usi sunt. Genuinum Bedæ Martyrologium ab Henschenio A. 1618. *tom. II. mens. Martii* publicatum est. Florus id nominibus auxerat. Contexuerunt quoque Martyrologia Rabanus Maurus, Wandelbertus Diaconus, Ado Viennensis, Usuardus, Benedictinus seculi IX. medii Monachus, B. Notkerus. Postremum auctoritatis summæ erat in fine seculi XV. ejusque multiplex exstat editio. Eo correctores usi sunt quoque Silvius Antonianus, Robertus Bellarminus, Cæsar Baronius, Ludovicus de Torres, aliique. Triplex facta est editio novi Martyrologii correcti. Sed cum prima & secunda erroribus scateret, purior & sincerior habita est illa, quæ A. 1584. in lucem exiit, teste Baronio *in præf. ad Martyrol. Rom. cap.* 8. Denuo eam emendavit, notisque ac præfatione instruxit idem Baronius, ediditque Romæ A. 1586. Clemens VIII. id denuo A. 1602. edendum curavit, adjectis ad 6. Augusti *Stephani Abbatis*, *& aliorum* 200. *Monachorum nominibus* Exemplaria omnia recentissimæ hujus editionis in Hispaniam missa. Philippus Ferrarius, Servita, hortante Federico Cardinali Borromæo, Archiepiscopo Mediolanensi, catalogum generalem Sanctorum, qui in Martyrologio Romano descripti non sunt, edidit A. 1625. & Urbano VIII. Papæ inscripsit. Eodem Pontifice recognita fuit editio Baroniana, ac addita fuerunt nomina post hæc Cælitibus adscriptorum, expunctusque est Sulpicius Severus. Innocentius XI. A. 1681. edi fecit typis Reverendæ Cameræ Apostolicæ Martyrologium Romanum, denuo recognitum, & consecratis nominibus auctum. Addenda sunt pancula de erroribus Martyrologii Romani, vel veris, vel fictis. Accurate hosce percenset & dijudicat Auctor summus. Operæ pretium fuerit, in gratiam eorum, qui pretioso hoc Opere carere debebunt, potiora huc transferre. Ad d. 25. Januarii fiebat in Martyrologio Romano commemoratio Sanctæ Xynoridis, Martyris. Xynoris hæc fuerat inducta ex loco Chrysostomi *hom. XIV. de Lazaro*, male intellecto, ubi Xynoris par Martyrum designat, Juventinum scilicet & Maximum, qui Antiochiæ coronam martyrii invenerunt, imperante Juliano. Monuerunt Baronium de errato Petrus Pithœus, Nicolaus Faber, & Petrus Ducæus. Quapropter correxit errorem. Ad d. 31. Julii ibidem injicitur mentio S. Firmi, Episcopi Tagastensis. Bollandiani videntur *tom. VII. Julii ad d. 31. Jul. p.* 120. appositionem hujus nominis improbasse. Verum Firmus ille stat & vindicatur auctoritate Augustini *lib. XIII. de mendacio*. Ad diem 2. Novembris in Martyrologio Romano hæc habentur; *Laodiceæ in Syria S. Theodoti, Episcopi, qui non solum verbis, sed etiam rebus & virtutibus fuit ornatus*. Fuit quoque ejus commemoratio in Martyrologio, edito a Rosweido, in illo Adonis, ac Usuardi. Theodotum vero Ariana labe infectum fuisse, existimant, qui eum volunt expunctum, Valesius *in notis ad Eusebium pag.* 317. Florentinius *in notis ad Martyrologium Hieronymi pag.* 497. & 448. Pagi *ad A.* 318. *num.* 17. 18. & Continuatores Bollandiani *tom. VI. Junii pag.* 24. & *tom. VII. part. II. pag.* 645. præcipue quod ipse Baronius *in annalibus ad A.* 318. *num.* 48. 50. & *ad A.* 325. *num.* 40. Theodorum fuisse Arianum, aperte demonstravit. Respondent alii, fautorem illum Arii appellatum esse non Theodotum, sed Theodorum, nominatim Philippus Labbeus, Gabriel Cossartius, & Harduinus. Obiit certe Theodotus, antequam hæresis Ariana pullularet, teste Eusebio *hist. Eccl. VII.* 32. Ad diem 25. Augusti legitur in Martyrologio, sacrum corpus S. Bartholomæi primo ad Liparam Insulam, deinde Beneventum, postremo Romam ad Insulam Tiberinam translatum. Postrema hæc translatio usquequaque impugnatur a Cardinali Vincentio Maria Ursino, primum Archiepiscopo Beneventano, deinde Pontifice summo, cui nomen novum fuit Benedicti XIII. in dissertatione, typis impressa inter Concilia provincialia Romana. Alteruter certe Pontificum in hoc momento est corrigendus, ut quibusdam videtur. At ostendit Auctor summus, Gregorium XIII. non affirmasse, omnes & singulos errores jussu suo in Martyrologio fuisse sublatos. Ipse sic judicat: *Est aliqua in Martyrologio occurrunt correctione digna, non tamen est cujusque agere censorem; sed Ecclesiæ Romanæ judicium est expectandum*. Distinguit præterea appositionem nominis in Martyrologium a Canonizationis judicio, ratus, in hoc errari haud posse, si vel maxime in illa aliquid humani evenerit. Decretum Gratiani Trithemius ab Eugenio III. approbatum credidit. Sed, erasse eum, ostendit Florens *in præfatione methodi & de auctoritate Collectionis Gratiani pag.* 44. Successu temporis animadversum fuit, Opus Gratiani mendis non carere, quare Antonius Democrates & Antonius Contius ejus emendationem fuere aggressi. Ipse etiam Antonius Augustinus suos edidit libros *de Emendatione Gratiani*, de qua jam scribere cœperat Didacus Covarruvias, uti significavit *lib. IV. variar. resolut. cap.* 11. Admoverunt ab hisce excitati manum operi Pontifices per viros peritissimos, Pius IV. Pius V. & Gregorius XIII. Nihilo minus docti viri multa adhuc alia post Gregorianam illa correctionem & editionem emendanda censuere in Opere Gratiani, e. g. Donjatius *in prænotionibus canonicis IV.* 13. *num.* 3. Schelstratenius *in Antiquitate illustrata diss. II. cap.* 13. *num.* 238. Cardinalis Bellarminus de Scriptoribus ecclesiasticis, ac fratres Pithœi, Petrus & Franciscus, qui scrupulose singula loca recognoverunt, & plurima emendarunt. Restant quoque in Martyrologio Romano nævi typothetarum, ac additamenta privata, quibus tamen maximam partem tollendis jam operam dedit Congregatio rituum sacrorum. Enumerat nonnulla ejus Decreta, eum in finem ab eo ordine edita, Auctor summus. Intelligitur ex hoc limbo, quanta in Opere tanto passim recondita sit rerum historicarum & ecclesiasticarum supellex. Accessit quoque *Parti posteriori* Appendix, quæ exhibet nonnullas literas Apostolicas summorum Pontificum, in quibus, Postulatoribus exorantibus, confirmarunt sacræ Congregationis Responsa, quibus indulta fuit concessio Officii & Missæ in honorem Beatorum Beatificatione æquipollenti. Excipiunt eam additiones ad universum Opus, & in primis Bulla Canonizationis B. Vincentii a Paulo, fundatoris Presbyterorum Secularium Congregationis a Missione dictæ, & Societatis Puellarum, quæ *Charitatis* vocatur, a Clemente XII. promulgata. Index condecorat Opus ampliffimum geminus, quod ad amussim Concilii Tridentini, & institutorum Curiæ Romanæ est conscriptum. Restant complura inde decerpenda. At brevitatis nos admonet ratio instituti. Delibavimus universa, lectoribus cetera permittentes, & laudantes summopere Opus universum omni laudum genere dignissimum, aut, quod verius dici potest, laude omni majus.

JUDICIUM II.
GALLICUM
EX ACTIS TREVOLTIANIS

Menſis Julii MDCCXXXV.

De Servorum Dei Beatificatione & Beatorum Canonizatione Liber I. Auctore PROSPERO DE LAMBERTINIS, *S. R. E. Cardinali Tit. S. Crucis in Hieruſalem, Anconæ primum Epiſcopo, poſtea Archiepiſcopo Bononiæ. Bononiæ* 1734. *Formis Longhi Excuſoris Archiepiſcopalis, Superiorum Facultate.*

C' eſt-à-dire,

DE LA BEATIFICATION DES SERVITEURS DE DIEU, ET DE LA CANONISATION DES BIENHEUREUX, Livre premier par S. E. Monſeigneur le Cardinal PROSPER LAMBERTINI, d' abord Evêque d' Ancone & depuis Archevêque de Bologne. A Bologne 1734. chez Longhi, Imprimeur de l' Archevêque, *in-foglio*. Tome premier, pages 592.

ARTICLE LXXIII.

LE Sçavant Cardinal qui donne au public cet important & ſolide Ouvrage, n' a été effrayé ni de ſon immenſe entrepriſe, ni du nombre prodigieux de Théologiens, de Juriſconſultes & d' autres qui ont écrit avant lui ſur la beatification & la Canoniſation des Saints. Nous diſons, de ſon entrepriſe immenſe, parce qu' elle ſuppoſe de grandes lumieres, & une expérience très-longue. Auſſi cette matiere produira-t' elle pluſieurs Volumes *in-folio*, dont nous n' avons encore que le premier. C' eſt celui que nous annonçons. A l' égard des Auteurs qui ont traité ce ſujet, quelques nombreux qu' ils ſoient, ils n' ont pû nous laiſſer que l' ébauche d' une Juriſprudence Eccleſiaſtique très-neceſſaire, & réſervée au travail & à l' expérience de l' illuſtre Ecrivain qui en donne un tableau complet. Les principaux de ces Auteurs, parmi les Théologiens, ſont, un Anonyme en manuſcrit de l' année 1592. Angelo Rocca, Auguſtin; Fortunatus Scacchus, Hermite de S. Auguſtin; Luc Caſtellini Dominicain; François Victoni Minime; Jean B. Riccioli Jeſuite; Phil. Marie de S. Paul, Carme déchauſſé; le Card. de Lauræa; Charles Felix de Matta Evêque; François Bordon du Tiers-Ordre de S. François; Jean-Baptiſte Memmi Jeſuite; le Cardinal d' Oſtie; Troilus Malvetius; Jacques Caſtellano de Fara Chanoine; Virgilio Cepari Jeſuite, Ouvrage manuſcrit; Felix Contelorius, Avocat en Cour de Rome. Le plus ancien de tous eſt le Card. d' Oſtie. Il écrivoit vers l' an 1254. Parmi les Canoniſtes, l' on compte Roſa, Miget, Caſtagnori, Quintanilla, Caralaps, Lapius, Zacchia, Pignatelli, Mattheuccio. Ajoutez à cela quantité de Rélations tant imprimées que manuſcrites. Ajoutez enfin les Décrets, les ordres des Procés, & autres actes, par exemple, *l' Ordo Romanus*, attribué au Card. Cajetan.

Cette foule d' écrits dont nous ne citons qu' une partie, loin de faire tomber la plume des mains du Card. Lambertini, n' a fait que l' encourager un ſeul corps de tant de membres épars. Après avoir rendu à ſes prédéceſſeurs la juſtice qu' il croit leur être duë, il obſerve la néceſſité de travailler après eux, & il la prouve: 1. Par les nouvelles lumieres qu' on a acquiſes depuis leur tems. Il cite pour exemples les Bollandiſtes, & d' autres Sçavans qui ont extrêmement éclairci l' Hiſtoire Eccleſiaſtique, par l' impreſſion d' une quantité très-conſiderable de monumens enſévelis avant eux dans les Archives & les Bibliotheques. 2. Il la prouve par le peu d' étenduë des traités précedens. Il n' y en a que quatre ou cinq de ceux qui ont écrit *ex profeſſo* de la Canoniſation, qui ayent aſſiſté à la Congregation des Rites, autrement que comme ſimples conſulteurs au plus. 3. Il la prouve par la multitude de Décrets autoriſés par les ſouverains Pontifes ou la ſacrée Congregation, poſterieurs à ceux d' Urbain VIII. & d' Innocent XI. & peu connus. Il la prouve enfin 4. par le ſilence de tous les Auteurs ci deſſus nommés, ſur l' uſage preſent du S. Siege dans ces materies, ſur la conceſſion de la Meſſe, de l' Office, & des noms à placer dans le martyrologe Romain, ou des autres eſpeces de culte reſpectif qu' on accorde en faveur des Bienheureux ou des Saints. Nul autre n' étoit plus capable de remplir ces vuides & de conſommer un ſi vaſte ouvrage qu' un laborieux & éclairé Théologien Canoniſte, occupé infatigablement durant vingt-ſept années dans les Charges ſucceſſives d' Avocat Conſiſtorial & de Promoteur de la Foi, devenu Evêque d' Ancone, puis Archevêque de Bologne, & Cardinal. Les travaux inſéparables de l' Epiſcopat, n' ont pas empêché qu' il ne donnât à ſon projet litteraire pluſieurs heures avant le lever du ſoleil; & par ce moyen la pourpre ſacrée s' eſt trouvée enrichie d' un nouvel Ecrivain, digne d' entrer dans la liſte de Sçavans qui l' ont immortaliſée.

Son premier Livre remplit tout le volume dont nous parlons. Il eſt diviſé en quarante-ſept Chapitres, & terminé par un Appendice qui comprend les monumens cités dans ce Tome. L' Auteur employe le premier Chapitre à refuter ſolidement l' erreur des Héterodoxes, qui oſent comparer la Canoniſation des Saints avec l' Apothéoſe des Gentils. En effet le parallele eſt inſenſé, ſoit que l' on ait égard à la choſe même, ou à la maniere, ou aux ſujets poſoſés, ou au culte. L' Apothéoſe faiſoit de nouveaux Dieux, & la Canoniſation appelle ſes Saints, les ſerviteurs & les amis de Dieu. L' une ſe faiſoit ſans autre précaution qu' un témoignage ſuſpect & ſouvent ſuborné. L' autre ſe fait ſur un examen juridique, long & ſévere, de vertus & de merveilles conteſtées. Celle-ci veut des hommes irréprobables pour les déclarer Saints ſur la voix de Dieu même; celle-la déifioit ſouvent de hommes très-vicieux. Le culte enfin dont nous honorons les SS. eſt bien différent de celui de *Latrie*, qui n' appartient qu' à Dieu. D' où il ſuit en réſumant tous les paſſages ſur leſquels cette doctrine eſt appuyée, que la Canoniſation n' a point tiré ſon origine de l' Apothéoſe; mais ſeulement que le culte des Saints, & les ſolemnités autoriſées en leur honneur, ont pris la place de faux Dieux, & des fêtes profanes. Tout cet article eſt traité à fonds, auſſi bien que l' examen du paſſage de Joſeph, cité par Euſebe, S. Jerôme, S. Iſidore de Peluſe, Soſomene, & Nicephore au ſujet de J. C. & la compilation de tous les paſſages à l' occaſion des tentatives de Tibere, d' Hadrien & d' Alexandre Severe, pour défier Jeſus-Chriſt.

Paſſons à la matiere du Second Chapitre. Il s' agit de l' ancienne diſcipline à l' égard des Martyrs. Pour la bien diſcerner, il faut ſçavoir le parallele que l' on faiſoit des Martyrs avec les Chrétiens foibles à qui l' ont donnoit differens noms, ſuivant le degré de leur foibleſſe ou de leur chûte. La chûte de fait qui les faiſoit renoncer à la force des tourmens ou la crainte de la mort, leur attira le nom de *Négateurs*, *tombés*, *blaſphemateurs*. S' ils adoroient les idoles, on les appelloit *Idolatres*, s' ils leur ſacrifioient, *Sacrificati*; s' ils leur offroient de l' encens, *Turificati*; s' ils recevoient des Magiſtrats un *libelle*, c' eſt-à dire, un acte d' exemption de ſacrifier, parce qu' ils renonçoient volontairement au chriſtianiſme, ou bien s' ils préſentoint eux-mêmes aux Juges un acte ou *libelle* de renoncement, on les nommoit *Libellatiques*. Tous en un mot, étoient compris ſous le titre general de *tombés*, *lapſi*.

Autre eſpece bien différente de celle dont nous venons de parler, c' eſt celle des fugitifs, *extorres*, ſoit qu' ils s' exilaſſent d' eux mêmes, ſoit qu' ils fuſſent exilés après s' être déclaré chrétiens. On appella encore *libellatici*, ceux qui ſe rédimoient de la vexation à prix d' argent, ſans rougir de la foi. Aucun de ceux-la n' étoit condamnable, ni condamné par l' Egliſe, comme on le déduit du Canon 22. de S. Pierre martyr. Le ſentiment particulier de Tertullien, qui condamnoit la fuite volontaire, & le ſoin de ſe racheter de la perſécution, étoit réprouvé par l' Egliſe univerſelle.

Venons aux Chrétiens plus genereux, qui par leur courage méritoient les noms glorieux de *Profeſſores*, *Confeſſores*, *Martyres*. Les *Profeſſeurs* avoient comparu devant les Juges, & *profeſſé* la Foi ſans être cités. Les ſublimes motifs dont ces Chrétiens fervens étoient animés, mettent leur conduite à couvert de toute cenſure. Les *Confeſſeurs* après avoir été cités *confeſſoient* librement J. C. & il ne faut pas les confondre avec ceux que

l' Egliſe

UAB Biblioteca de Ciències Socials

l' Eglise appelle aujourd' hui *Confesseurs* dans ses Liturgies. Enfin les *Martyrs* dans toute l'antiquité, sont ceux qui meurent pour la défense de la Foi, ou qui survivent à de cruelles tortures, souffertes pour le même sujet. Aussi voyons nous que de saints Evêques se sont intitulés de leur vivant ; *Confesseurs* ou *Martyrs*. Une légere épreuve n'a jamais suffi pour mériter ce beau nom de Martyr. Tertullien montre que Praxeas ne l' a pas mérité par un court emprisonnement. Eusebe cite aussi S. Apollonius qui s'éleve contre les Montanistes, sur ce qu'ils se vantoient qu'un certain Temison de leur secte étoit véritablement martyr. Il s'est tiré, dit-il, de la prison par argent : il a continué de défendre la cause des Novateurs, & il ose se donner pour martyr.

Il y avoit des Martyrs *désignés*, & c'étoient ceux à qui l' on avoit prononcé leur arrêt de mort, sans qu'il fût encore executé : des Martyrs *consommés* ou *couronnés*, c'étoient ceux qui étoient morts dans les tourmens ou peu après : des martyrs reconnus par authorité, *vindicati*. C'étoient ceux aux quels après une meure discussion l' on avoit décerné un culte par sentence Ecclesiastique. L'Epître de l' Eglise de Smyrne, sur le martyre de S. Polycarpe, nous instruit de tout cela. 1. Du culte prescrit & du jour marqué pour honorer le *Saint*. 2. De ce genre de culte nous honorons les *Martyrs comme Disciples & imitateurs du Seigneur*. Cela s'appelloit, *Martyri communicare*. 3. De la vénération pours les réliques. Origene, Tertullien & S. Cyprien, sans compter les Peres posterieurs, détaillent toute cette doctrine. Optat qui écrivoit au quatrième siécle suffiroit seul pour faire voir que dès les premiers siécles de l' Eglise, la discipline étoit de n' honorer d' un culte réligieux aucun martyr qui ne fût reconnu tel par un jugement Ecclesiastique. Car Optat raconte que l' Archidiacre Cecilien, reprit une femme attachée à la secte des Donatistes, la quelle avant la communion baisoit les ossemens d' un mort qui n'étoit peut-être pas martyr, & ceux d' un martyr véritable, mais non encore reconnu. Il ajoute que cette femme entêtée de son culte, & irritée de cette correction, se retira avec courroux, c'est-à-dire, qu'elle ne communia point. Au reste, telle est l'assertion des Théologiens de tous les tems, à descendre jusqu' à Baillet, Ruinart, Tillemont, Mabillon, &c. pour ce qui regarde les martyrs.

Il est question dans le troisième Chapitre de la collection des Actes du martyre, de leur examen, & du jugement Ecclesiastique. Nous voyons dès le tems du Pape S. Clement, des précautions extraordinaires pour s'assurer de la verité & de la sincerité de ces Actes. Il y avoit des Scribes ou Notaires établis pour cela seul, aussi-bien que des Diacres & des Soûdiacres. Les chicanes de Baillet sur le Livre *de Romanis Pontificibus*, sont abondamment réfutées par une foule des plus respectables Sçavans. Il accorde lui-même que cet usage de l' Eglise Romaine, passa aux autres Eglises.

Au recueil des Actes succedoit l'examen. On examinoit si le mort avoit vécu dans l' unité d' Eglise Catholique (voyez S. Ciprien dans son Epître à Antonien, & celle au Pape S. Corneille). Si le motif étoit par, exempt de vanité, &c. (voyez S. Jerôme in *comment. Epist. ad Gal. l. 3. c. 5.*) Si la défense de la foi étoit la cause de la mort. (voyez S. Epiphane *hæresi 76.* S. Augustin, &c.)

Quant au jugement Ecclesiastique, il appartenoit de droit à l' Evêque du lieu, comme le prouvent Bellarmin, Lupi, Phœbeus, Vanespen, Pappacoda ; quoique la Saussaye prétende que cela régardât le Primat à la tête d'un Concile ; & il est vrai que telle étoit la coutume des Provinces d' Afrique, & que cette coutume n' avoit point lieu ailleurs. Et cela est demontré par S. Gregoire de Nisse au sujet du décret de S. Gregoire Thaumaturge, par Sozomene au sujet de S. Jean Chrysostome, par le Poëte Prudence, & par des Actes cités chez Bollandus & Mabillon.

L'usage des Lettres circulaires des Eglises pour notifier les Martyrs, est prouvé dans le chapitre 4. & il s'accorde avec la coutume dont nous venons de parler. Cela n'a pas besoin de beaucoup de citations, puisqu' il y a au moins sept de ces Lettres existantes & reconnues par les critiques, à commencer par celle de l' Eglise de Smyrne sur le martyre de S. Policarpe. Elle étoit adressée à une Eglise particuliere & à toutes les Eglises Catholiques *omnibusque ubicumque terrarum*. Il en est de même des autres d' où il suit qu' elles étoient envoyées au Siege de Rome, d'autant plus que sans alleguer des preuves qui pourroient être contestées, il est certain par les Actes reconnus de S. Ignace martyr, que l' Eglise de Rome envoyoit ses Lettres circulaires aux autres Eglises. Ce qui se confirme encore par les exemples de Sainte Felicité & de S. Justin, martyrisés à Rome au second Siécle, & cités l' une dans les antiques Litanies d' Angleterre, chez Mabillon (*vetera analecta p. 68.*) l' autre au même siécle second, dans Tatius, (*orat. contra Græcos*) dans S. Irenée (*lib. 1. contra hæreses c. 31.*) au commencement du troisième siécle dans Tertullien ; & depuis par Eusebe, S. Epiphane & S. Jerôme. On trouve la même chose des saints Laurent & Hippolyte, & de Sainte Agnès. Or, si les Martyrs de Rome étoient notifiés aux autres Eglises, n' est-il pas plus que vraisemblable que les autres Eglises faisoient le réciproque à l' égard de Rome? Mais outre ces preuves négatives, on en a de positives tirées 1. des Actes de S. Vigile, Evêque de Trente, & Martyr au quatrième siécle. Ces Actes reconnus bons & contemporains par les critiques, font voir la communication du martyre au Pape, la demande d' en approuver le culte, & l' ancien usage de cette demande. Voyez Mabillon (*in præfat. ad secul. v. §. 6. n. 93.*) Et M. Fontanini, Archevêque d' Ancyre (*in præf. ad novum codicem Canonizationum*). 2. La demande d' Euloge d' Alexandrie au Pape S. Gregoire, prouve la même chose. Euloge prioit le Saint de lui envoyer les Actes des Martyrs recûeillis par Eusebe de Cesarée. Le Pontife répond que cet ouvrage ne se trouve point dans les Bibliotheques Romaines. „ Nous avons, ajoute-t-il, dans un volume les noms de „ presque tous les Martyrs distingués, suivant le jour de leur martyre, & nous célebrons tous les jours la Messe en leur memoire. „ Mais dans ce volume on ne voit l' histoire de leurs souffrances. „ On n' y trouve que le nom, le lieu, & le jour. Ainsi nous „ sçavons seulement que dans diverses Provinces plusieurs ont étés „ couronnés du martyre, tel ou tel jour, mais nous croyons „ que votre Beatitude a tout cela. „ *Epist. 19. lib. 7. indict. 1.*

La conclusion, est très-claire, quoique le livre d' Eusebe de Cesarée n' existe plus, ou ne soit pas encore trouvé.

L' on objectera un Calendrier reputé du tems du Pape Libere, où l' on voit les noms de peu des Martyrs. Mais outre quantité d' autres raisons, il suffit de faire remarquer la difference des Calendriers & de Martyrologes. Ceux-ci comme celui de S. Gregoire le grand, contiennent tous les Martyrs connus ; ceux-là comprenoient uniquement les Martyrs des Eglises particulieres, encore y en manquoit-il beaucoup. Cette difference est demontrée par Pagi, Ruinart, Jos. Aug. Orsi &c.

L' Auteur tire de Gregoire de Tours de nouvelles preuves de son assertion, sçavoir qu' on en envoyoit au souverain Pontife, pour introduire le culte d' un Martyr, ou pour le confirmer s' il étoit introduit ; de sorte que toutes ces preuves discutées & réünies forment une sorte de démonstration.

Des Martyrs il passe aux Confesseurs dans le chap. 5. & il prend ce terme, suivant l' acception présente pour désigner les Chrêtiens morts en paix après l' exercice des vertus héroiques. „ Il est certain, dit Bellarmin, que dès l' origine de l' Eglise, „ l' on commença à invoquer publiquement les Martyrs, à établir des fêtes en leur nom, & à leur bâtir des basiliques. „ Il ne l' est pas moins que les Confesseurs ont reçû plus tard de l' „ Eglise ces honneurs. „ Mabillon, Fontanini, Durant, fixent le commencement de ce culte au siécle quatrième ; l' on en trouve en effet des monuments, soit dans l' Orient, soit dans l' Occident. C' est assez de citer S. Hilarion & S. Martin. Le silence du Canon de la Messe sur les Confesseurs, ne vient que de son antiquité au-dessus du quatrième siécle ; & il est vrai que dans les trois premiers, les monumens Ecclesiastiques ne font aucune mention de ces Saints. Si l' on en trouve de cités dans quelques Liturgies très-anciennes, comme la Mosarabique, on n' en sçauroit conclure autre chose, si non que l' usage de quelques Eglises particulieres, les y introduisit après que leur eût été autorisé. Remarquez qu' on ne parle ici que des Confesseurs, & non de la sainte Vierge & des Apôtres, dont le culte est constamment aussi ancien que l' Eglise.

Pour terminer ce qui regarde en particulier les Confesseurs, le Cardinal Lambertini employe le chap. 6. à faire voir que l' Eglise en usa sur le culte des Confesseurs, comme sur celui des Martyrs : c' est-à-dire, qu' on exigea également un jugement Ecclesiastique, porté ou confirmé par le souverain Pontife. Il le prouve par les anciens Canons, par les translations solemnelles des corps des saints Confesseurs, par les Décrets Episcopaux pour abolir un culte populaire & non autorisé, par les examens juridiques, & les vies écrites sous les yeux des Evêques, par les sacrés diptyches & les lettres circulaires aux Eglises. De tout cela il conclut que les Evêques dans leur Dioceses avoient le droit de faire ce qu' on appelle des Canonizations particulieres ou plutôt des Beatifications : qu' un culte ainsi établi dans un Diocese & devenu général par l' accession des autres Evêques, & consequemment de l' Eglise universelle avec le consentement exprès ou tacite du Pape, devenoit Canonisation, proprement dite.

Le statut de S. Anselme à Etienne Diacre est remarquable. „ Je vous ordonne de vous transporter à (*Rumesci*) & de déclarer de notre part à la Dame Abbesse & aux Religieuses, „ *Dominæ Abbatissæ & sanctimonialibus*, que si elles ne veulent „ que je leur interdise le divin Office, elles ayent à defendre „ qu' on rende aucun des honneurs dûs aux Saints, à ce mort „ que quelques-uns veulent faire passer pour un saint, & qu' „ elles ne souffrent pas qu' aucune d' elles ni quiconque les lui „ rende. Chassez le fils du mort de la Ville, & faites qu' il „ n' y séjourne plus. *Nec amplius conversetur in illa.*

Les Chapitres 7. 8. 9. traitent à fond de l' intervention du souverain Pontife, pour décerner le culte des SS. On y examine avec critique tous les actes, qui prouvent la necessité & l' usage de cette intervention. L' on juge bien que cette discussion nous meneroit presqu' aussi loin que l' Auteur même. Observons seulement : 1. Qu' il se trouve peu d' Actes depuis le commencement de l' Eglise jusqu' à Jean XV. beaucoup plus depuis ce Pape jusu' à Alexandre III. & davantage encore depuis Alexandre III. jusqu' à nos jours.

Le petite nombre des premiers Actes, suivant la conjecture des Bollandistes, vient de ce que „ la décision de ces sortes de „ causes se faisoit dans les Synodes que les souverains Pontifes „ assembloient en leur présence une ou plusieurs fois par chaque „ année.... Et comme on n' écrivoit gueres les actes de ces „ Synodes, & que l'on décernoit beaucoup de choses de vive voix, „ l' on y approuvoit de la même maniere la pieté des peuples à l' „ égard de ceux dont la sainteté & les miracles avoient étés annoncés au Synode. „ *In propyleo ad Acta Maji dissert. 20. n. 3.*

La verité est que le premier acte solemnel d' une Canonisation regulierement faite par le Pape, est de l' aveu des Sçavans celle de S. Udalric, faite par Jean XV. On voit cet acte entier dans le bullaire Romain, chez les Bollandistes, & dans le cinquième siécle des Saints de l' Ordre de S. Benoît. On en compte environ quatorze ou quinze posterieurs, jusqu' à Alexandre III. & depuis une si grande quantité d' autres que l' Auteur se restraint presque

à finir par Honorius III. se contentant d'indiquer les sources des actes suivans. Il fait remarquer en passant que sainte Brigitte morte en 1391. fut canonisée par Boniface IX. & depuis par Jean XXIII. à la requisition des Orateurs d'Ecosse, de Dannemarck & de Norvege, à cause des nuages du schisme qui avoient rendu douteuse l'autorité de Boniface IX. Cette même raison engagea Martin V. à faire un nouvel acte pour canoniser de nouveau cette Sainte. Il observe encore que parmi les dernieres Canonisations, il ne manque qu'une bulle qui n'a jamais été expédiée. C'est au sujet de sainte Elisabeth, Reine de Portugal, solemnellement canonisée par Urbain VIII. l'an du Jubilé 1625.

De tous ces actes consécutifs, l'Auteur conclut qu'il est insoutenable d'assurer, comme quelques-uns le font, que l'origine des Beatifications ne remonte qu'à Gregoire X. puisqu'on ne peut plus douter de la beatification de Guillaume, Hermite de Malaval en Toscane, par Alexandre III. Voyez le Bref d'Innocent III. au sujet d'Alexandre dans la vie de Guillaume, mise au jour par Wahe.

ARTIC. LXXV.

LE Chapitre X. démontre d'abord l'autorité du Pape, même sans Concile, pour les Canonisations. Cette autorité est appuyée sur un si grand nombre de faits & de témoignages connus de tout le monde, qu'il seroit superflu d'en citer quelques-uns, & plus encore de citer tout. A l'égard du droit de béatifier & de canoniser reservé au Pape seul, c'est ce qui ne souffre aujourd'hui aucune difficulté. Un seul fait le montre. Arnolphe, Evêque de Lisieux, écrit à Alexandre III. entr'autres scandales arrivés dans un Monastere, qu'un Procureur substitué à la place de l'Abbé absent, s'étant enyvré au Refectoire, & ayant frappé du couteau deux Moines, ils prirent une perche qui se trouva sous leur mains & le tuerent. (*Baronius à l'année* 1181. *num.* 8. *&* 9.) Le mort fut honoré comme martyr par les gens du pays. Alexandre III. envoya un Bref inseré dans les Décretales, (*tit.* 45. *de Reliq. & Vener. Sanctorum.*) Nous avons appris, dit-il, que quelques-uns de vous seduits par une fraude diabolique, honorent en qualité de Saint un certain homme tué en buvant & dans l'yvresse: coûtume payenne, puisqu'à peine l'Eglise permet de prier pour ceux qui meurent ainsi dans la crapule: l'Apôtre disant qu'ils ne possederont point le Royaume de Dieu. Ne présumés donc plus de rendre un culte religieux à un tel mort, d'autant que quand même il seroit vrai qu'il fit plusieurs miracles, il ne vous seroit pas permis de l'honorer comme un Saint, sans l'autorité de l'Eglise Romaine.

La question n'est donc pas de sçavoir si le Pape a le droit de canoniser & de beatifier privativement à tous les autres Evêques, qui avoient droit de Beatification dans leurs Dioceses, ainsi qu'on l'a dit. Il s'agit ve voir si ce droit privatif a été établi par cette Décretale d'Alexandre III. ou s'il a été anterieurement par quelqu'autre acte, ou par une coûtume ancienne. Bellarmin est du premier sentiment, aussi-bien que Vanespen, Mabillon, d'Acheri, la Saussaye. D'autres en plus grand nombre croyent que le fait d'Alexandre suppose un droit ancien & connu. Le Cardinal Lambertini fait cependant bien voir qu'Alexandre établit un nouveau droit, puisque de son tems même les Evêques firent des Beatifications, ou *élevations de corps*; mais qu'il les priva de ce droit en se le reservant par l'acte ci-dessus. Les actes d'Innocent III. & de ses successeurs y sont conformes, jusqu'à ceux d'Urbain VIII. qui confirment ce droit privatif en prohibant tout culte religieux pour les canonisés ou beatifiés par d'autres que les souverains Pontifes. Mais il est à remarquer qu'il excepte ceux qui avant ses décrets de 1634. auroient eû la possession de cent années d'honneurs publics de l'aveu ou plutôt de la tolerance des Papes ou même des seuls Evêques. Par où l'on voit que depuis le décret d'Alexandre, il y eut encore quelques beatifications Episcopales tolerées.

Le Cardinal dans le chapitre XI. deduit l'étenduë & les restrictions du droit en question, selon le sentiment de tous les Docteurs. 1. Ce droit est interdit aux Patriarches, aux Primats, aux Metropolitains, aux Archevêques, aux Evêques. 2. Il l'est interdit au sacré College, & même le Siege vacant. 3. Il est au Légat à *latere*. 4. Au Concile même soit Provincial soit Général sans l'intervention de l'autorité du souverain Pontife. Et il ne s'agit point ici des Auteurs qui prétendent que les décrets des Conciles généraux tant sur la Foi que sur les mœurs & la discipline, sont sans force, s'il ne sont confirmés par le Pape. Il n'est question que des Docteurs qui se bornent au pouvoir de décerner les honneurs de la beatitude ou de la sainteté. Ils inferent 5. que ce droit n'appartient point au Concile général, même durant la vacance du Siege.

Les raisons de cette reservation au Pape sont alleguées au nombre de cinq ou six. On examinera dans la suite si la question des miracles (ou la canonisation) est une question de Foi. On remarque seulement que cette question étant une cause majeure par son objet, sa difficulté & son obscurité, appartient de droit à celui qui a la principale autorité dans l'Eglise.

L'auteur se fait une objection tirée du Concile de Costance. 1. Il canonisa, dit-on, S. Roch. Cela signifie que l'image de S. Roch fut portée en pompe dans la ville durant la peste, & non pas qu'il fut, à proprement parler, beatifié ou canonisé alors. Il étoit mort en 1327. & il avoit fait quantité de miracles, suivis d'un culte public, avec l'approbation des Evêques, longtems avant ce culte du Concile de Costance en 1414. Nous omettrons les autres raisons. 2. On traita au Concile de la beatification de Pierre de Luxembourg. Réponse. Cette affaire étoit entre les mains de Clement VII. Antipape, deux ans après la mort de Pierre, qu'il avoit fait Cardinal en 1389. Martin V. s'en saisit ensuite, & elle ne fut conclue qu'en 1527. par Clement VII. legitime Pape. D'ou il faut inferer que les actes attribués au Concile de Costance, le devoient être au Pape Martin V. déja élu, qui présidoit au Concile. On le chargea même de la commission pour la beatification de trois autres, dont il faut dire la même chose, d'autant plus qu'en 1418. Martin V. expédia une nouvelle commission dans laquelle il confirma & approuva ce qui s'étoit fait, suppleant à tous les défauts qui pourroient s'y être glissés.

L'on examine au chapitre XII. le fondement du pouvoir de canoniser; & l'on trouve que c'est l'invocation des Saints, invocation tellement liée avec le culte, que Daillé même (*Dissertation sur l'objet du culte religieux l. 3. ch.* 21.) ne fait pas difficulté de dire, tout Ministre qu'il a été; que „ si le sentiment & la tradition des Chrêtiens des trois premiers siecles sur l'invocation des Saints étoient les mêmes que pour les Latins d'aujourd'hui, il a été séant & même necessaire, que suivant leur singuliere prudence, pour rendre ce culte solemnel & légitime, ils établissent quelqu'un qui présidât à toute l'Eglise, & qui prononçât publiquement sur les Saints qui seroient véritablement dignes de ces honneurs, pour les canoniser, comme les Latins aujourd'hui le font sagement en conséquence de leur supposition. „ Or l'un & l'autre de ces chefs est bien fondé. L'on ne peut douter du culte après ce que nous avons dit & quant à l'invocation qui lui est liée, l'Auteur allegue tous les passages de l'Ecriture & des Peres, surtout de ceux des premiers siecles: passages formels que l'hérésie ne sçauroit éluder. A l'égard des motifs du pouvoir de canoniser laissé à l'Eglise par Jesus-Christ, il est inutile de les rapporter tous. Il n'y a de vraye sainteté, & de vraye communion des Saints que dans l'Eglise véritable. Cela seul suffit pour faire entrevoir les autres raisons. Ce pouvoir n'est donc pas, comme la disent les hérétiques, une usurpation du pouvoir divin. Ce n'est qu'une déclaration simple de la grace que Dieu a faite à tel ou tel de ses Serviteurs, de les introduire dans le sein de la beatitude éternelle, & conséquemment c'est une permission de les invoquer & de les honorer, comme Saints.

De ce pouvoir communiqué à l'Eglise & au souverain Pontife, comme au Chef visible, il suit qu'il est convenable & utile qu'il y ait quelquefois des canonisations. Les avantages en sont déduits dans les Bulles, & reduits à six principaux par l'Auteur, sans compter la fin proposée par la Sentence. 1. En l'honneur de la sainte Trinité. 2. A l'exaltation de la Foi Catholique. 3. A l'accroissement de la Religion Chrêtienne. Voilà la matiere du 13. chapitre sur l'usage du pouvoir de canoniser. On y refute avec force ceux qui admettant ce pouvoir se révoltent contre l'usage frequent que l'on en a fait. Nous disons avec eux frequent, mais avec plus de restriction qu'eux. Ils disent 1. que les nouveaux Saints ne valent pas les anciens. Chicane né de la présomption, comme s'il nous appartenoit de décider du mérite & du rang des Saints, quand la voix de Dieu & de l'Eglise les a déclarés tels. Jesus-Christ se rend témoignage en tout tems. Les exemples modernes sont souvent plus frappans pour des hommes que les anciens. Et peut-on se plaindre de la multiplication de nos intercesseurs? Les Saints Peres confondent cette vaine objection. Dire que Dieu peut nos exaucer & faire des miracles par l'intercession des Saints anciens, sans qu'il soit besoin d'en déclarer de nouveaux, c'est dire vrai. Dieu peut tout. Mais c'est prouver trop, & par conséquent rien du tout. Car à ce compte il n'auroit été besoin d'aucune canonisation, puisque la Vierge, les Apôtres qui sont des Saints, n'ont pas été canonisés, & qu'ils peuvent nous obtenir ce que nous demandons. Ne nous reglons donc point sur ce que Dieu peut; mais sur ce qu'il a voulu. Qu'ils ne disent donc plus: 2. ce qu'a avancé l'apostat Antoine de Dominis, que les nouveaux Saints ont fait oublier les anciens. Ce seroit pure ignorance. Les Fêtes solemnelles de ces anciens subsistent toujours. Qu'ils disent encore moins: 3. Que tant de canonisations rendent cette œuvre sainte, en quelque sorte vile & mépriſable. Gerson a paru le penser ainsi. Mais il n'a pas fait attention aux difficultés des Papes à écouter les sollicitations des Roys & des Peuples. La liste de ces canonisations faites par les souverains Pontifes confond leur exageration. Si l'usage présent est de canoniser plusieurs Saints ensemble, c'est un effet de la prudence de l'Eglise, qui épargne la grandeur des frais necessaires pour ces sortes de cérémonies, & qui ferme la bouche aux Détracteurs de la Cour Romaine. Qu'ils ne disent pas enfin que l'usage des canonisations est condamnable, parce qu'il y a des Saints auxquels on ne pense pas, & qui sont plus grands Saints que ceux dont on poursuit la canonisation. S. Antonin leur répondra que Dieu seul connoît les degrés du merite, & que la canonisation que Dieu veut pour les uns & non pour les autres n'ajoute rien au merite, ni ne détermine le degré de sainteté.

Chapitre XIV. *Du sujet de la canonisation.* Il est évident que tout Martyr, & tout Confesseur, d'une sainteté reconnue ou attestée par de vrais miracles, est un sujet propre à être canonisé. Mais l'Auteur, pour ne rien omettre, croit de voir discuter quelques questions plus curieuses qu'utiles que se font les Théologiens sur cet article: par exemple, si les Saints de l'ancien Testament, si les enfans baptisés, ou Martyrs, si les Saints actuellement existans dans le purgatoire, ou qu'on sçait y avoir passé, si les Saints qui vivent encore, comme Elie, peuvent être canonisés. On voit ce qu'on peut répondre à de pareilles questions.

Le chapitre suivant est d'une toute autre importance. Car il traite d'abord de la gravité & du poids des procedures usitées pour les canonisations, chose attestée par les Papes mêmes, à

UAB Biblioteca de Ciències Socials

remonter à Celestin III. en descendant de là jusqu'à nos jours. Quelle maturité, quelles précautions, quels préparatifs pour l'examen? Quelle lenteur à prononcer, & quelle dignité dans la Sentence? La simple inspection de semblables causes a converti quantité d'hérétiques. Il traite en second lieu de ceux dont les Papes se sont servis dans ces procedures. L'Auteur pour plus grande netteté distingue deux tems, celui d'apresent, & celui qui s'est passé avant l'établissement de la Congregation des Rites. L'établissement & les usages de cette Congregation sont reservés aux chapitres qui suivront. Le Cardinal établit cinq propositions sur l'usage anterieur. 1. Les souverains Pontifes ont fait beaucoup de canonisations dans des Synodes ou particuliers ou généraux, ou mesme avec les Peres du Synode, avant la tenuë des assemblées générales. Dans ces cas ils se servoient du conseil & des soins de ces Peres. 2. Dans ces mesmes tems & depuis il s'est fait beaucoup de canonisations sans Concile assemblé. Alors les Papes ont employé des Cardinaux, des Archevêques & des Evêques, témoin l'acte d'Eugene III. au sujet de S. Henri, Empereur. 3. Avant que les causes fussent proposées au Consistoire du souverain Pontife, la coûtume s'introduisit que la procedure toute faite fût remise à l'examen de quelques Auditeurs de Rote, nommés Chapelains du Pape, ou à d'autres personnes pieuses & éclairées. Témoin Honorius III. qui differa d'un jour la canonisation de S. Laurent de Dublin, à cause de l'absence de ses Chapelains & de quelques Prélats. On passe beaucoup d'autres preuves authentiques. 4. Outre cet examen des Auditeurs de Rote avant la proposition des causes au Consistoire, on ajouta un nouvel examinateur Cardinal. Voyez le monument cité par Guillaume Beffin dans la collection des Conciles de la Province de Rouen, au sujet de S. Laurent de Dublin. 5. A ce nouvel examinateur Cardinal on en subrogea trois dans la suite, sçavoir un Cardinal de chaque ordre, des Evêques, des Prêtres, & des Diacres. Il y en avoit mesme plus sous Boniface VIII. pour la canonisation de S. Loüis, Roy de France. Et il ne faut point objecter qu'il y a des Bulles, où il n'est pas fait mention de ce conseil, puisqu'il y a tant d'actes d'ailleurs qui en prouvent l'usage, mesme pour les Saints dont il est question dans les Bulles objectées

Nous passerons légerement sur les chapitres XVI. XVII. XVIII. XIX. où il est parlé de la sacrée Congregation des Rites, & des Officiers de tout rang, qu'on employe aux causes dont nous parlons. La Congregation des Rites fut établie par Sixte V. avec quatorze autres Tribunaux, l'an 1587. un de ses offices est de prendre connoissance des causes de Beatification & de Canonisation avant l'examen du Consistoire composé de tous les Cardinaux, Archevêques & Evêques qui sont en Cour de Rome. Elle ne le fit pourtant point au sujet de la Canonisation du B. Didaque, l'an 1588. Mais Sixte V. garda un milieu entre l'ancienne & la nouvelle institution, nommant huit Cardinaux assistés de Théologiens & de Canonistes pour faire ce que fit depuis la Congregation. On l'appelle *ordinaire*, *avant-préparatoire*, *préparatoire*, *générale*, *particuliere*, suivant le tems, le lieu de l'assemblée, & le nombre de ses membres qui doivent s'y trouver. Cela est connu de biens des gens, & seroit long à expliquer: c'est assez de dire que tous les doutes sur les vertus, sur les miracles, &c. sont examinés trois fois, sçavoir dans les assemblées *avant-préparatoire*, *préparatoire*, *& générale*. La derniere se tient en présence du Pape. Nous n'entrerons point ici dans le détail des Officiers & de leurs Offices. Il y a un Cardinal Préfet, des Cardinaux rapporteurs de causes, qu'on appelle *Ponens*, un Sacristain, un Protonotaire, un Secretaire, un Promoteur de la Foi, un Soûpromoteur, des Maitres de cérémonies, des Consulteurs, des Auditeurs de Rote, sans compter le Notaire, l'Archiviste, les Interprètes des procès, Procureurs, Avocats, Médecins & autres Ministres.

Finissons par le chapitre XX. dont l'objet est plus utile, puisqu'on y rassemble des preuves de la diligence & de l'attention extrême des anciens souverains Pontifes dans la discussion de ces sortes de causes. 1. A remonter aux canonisations faites par les Papes dans les Conciles, les Diplomes de Jean XV. de S. Leon IX. d'Innocent II. & les Actes de plusieurs Conciles font foi de ces précautions extraordinaires sur l'examen des miracles, des Actes, des témoins, &c. 2. Depuis que les Papes ont examiné & jugé les procedures de Canonisation sans Conciles, voici de l'aveu de tous les Docteurs Catholiques, quelle a été leur conduite.

D'abord, disent-ils, des personnes de poids exposent au souverain Pontife les mérites & les vertus de celui dont ils demandent la canonisation. Ils réitérent souvent leurs prieres. Le Pape n'accorde pas sur le champ la permission d'informer. Il la differe longtems, & aussi longtems qu'il le juge à propos, pour s'assurer par lui-même de la fréquence & de la continuation des Miracles. Enfin après avoir été sollicité avec quelque sorte d'importunité, s'il juge que les miracles ayent continué, il propose l'affaire aux Cardinaux dans un Consistoire secret, & il commet quelques Evêques, ou du moins des personnes prudentes & irréprochables de la patrie ou du voisinage du mort, pour s'informer en général ou en particulier de l'opinion commune sur la vie & les miracles de celui qui est proposé, avec ordre d'écrire à sa Sainteté tout ce qu'ils auront apris, ensuite d'une information sage & exacte, & de lui marquer leur jugement personel, sçavoir s'ils croyent qu'on puisse permettre une information juridique & speciale de chaque fait.

Lib. I.

S'ils écrivent de fortes & d'importantes raisons d'où l'on puisse conclure que cette information juridique se peut faire, le Pape après avoir communiqué secretement l'affaire aux Cardinaux, & demandé leur avis, décerne l'information; & suivant les avis & le décret, Sa Sainteté charge les mêmes personnes ou d'autres d'informer juridiquement, 1. De la reputation, 2. De la vie, 3. Des miracles. Elle exige de l'exactitude, de l'attention, de la fidelité, de la prudence, & l'execution de la forme qu'on leur prescrit. Ils font leurs recherches, & ils les envoyent au Pape qui les remet à quelques Chapelains ou autres personnes d'autorité pour les examiner mûrement, & en former une procedure juridique. Le Pape ensuite pese par lui-même, ou par les Cardinaux, toutes les conclusions de cette procedure. L'affaire est discutée entr'eux & on ne néglige rien dans l'examen des preuves pour s'assurer si elles sont valables. Cela fait, si le souverain Pontife juge de leur validité pour la canonisation, il la décide dans un Consistoire secret. Puis il assemble un Consistoire public, où sans dire sa resolution il demande les avis des Prélats presens en Cour de Rome. On assigne enfin un jour, & une Eglise qu'on pare avec pompe. Là le Pape fait un discours, récite la procedure, énonce les preuves, & ordonne des prieres. On chante le *Veni Creator*, ou quelqu'autre Hymne, ou Antienne convenable. Le Pape se réleve & prononce sa décision, que tel mort est Saint, & doit être honoré comme Saint. Il fixe un jour pour celebrer sa Fête. La Sentence de Canonisation prononcée, on chante le *Te Deum*, & le Pape dit la Messe du nouveau Saint.

Tout cela est tiré presque mot pour mot des Actes de la canonisation de S. Didaque, & de ceux de S. Raymond. Nous omettons quantité d'autres actes particuliers, & d'autres précautions sur les témoins, sur les procedures, sur les Beatifications anciennes, & sur les Consistoires anciens, dont l'article occupe tout le chapitre XXI. Il nous paroit suffisant d'avoir exposé en général ce qui s'est pratiqué avant l'établissement de la Congregation des Rites. Quant à l'usage present & à la suite de ce volume, *nous le remettons à un autre extrait.*

ARTIC. CII.

NOus avons détaillé les précautions que prenoit anciennement le S. Siege pour la Beatification & la Canonisation des Saints. Nous en sommes à celles qu'il prend aujourd'hui depuis l'établissement de la Congregation des Rites. C'est la matiere du chapitre XXII. L'Auteur ne se propose que de les représenter d'un coup d'œil. Car il réserve au volume qui suivra, la conviction entiere des soins extrêmes qu'on employe à ce sujet. Elle resultera de l'exposé de chaque Acte, & de la méthode dont on y a procedé.

Le simple coup d'œil dont nous allons parler mérite une trés-grande attention. Il faut en soûdiviser l'objet. Il y a des causes qui regardent les Confesseurs, il y en est qui concernent les Martyrs. Il y en a d'introduites avant les Decrets d'Urbain VIII. Il y en est de posterieures. Il y en a qui procedent par la voye ordinaire de *non culte*, & d'autres depuis Urbain par voye extraordinaire de *cas excepté*. A commencer par la premiere espece, le S. Siege ne prononce point le décret d'information qu'il n'y ait eû préalablement deux procés faits par l'Ordinaire: l'un sur le bruit général de Sainteté & de Miracles, l'autre sur le *non-culte*; c'est-à-dire, que l'Ordinaire est obligé d'attester par Sentence qu'on n'a point rendu de culte public au mort proposé; & cela pour obéir aux Décrets d'Urbain VIII. Notez qu'il s'agit ici des Confesseurs. Notez encore que si l'Ordinaire fait le procès du *non-culte*, sans prononcer la sentence, la sacrée Congregation lui mande de la prononcer de droit, comme il est arrivé aux Indes au sujet du Venerable Denis de la Nativité, 13. Juillet 1675. Notez enfin, que si l'on permet à l'Ordinaire d'omettre le procès du *non-culte*, on le fait ensuite par authorité Apostolique. Ce n'est-là au reste qu'un préliminaire.

Quelqu'exact & quelque long qu'il ait été, les choses vont à Rome avec plus de lenteur & de précaution. Il y a des cérémonies pour l'ouverture de ces procès. Il y en a pour obtenir du Pape, un Cardinal rapporteur & les Consors necessaires, pour sçavoir si le mort a laissé quelques ouvrages & les revoir, pour regler le tems (a) qu'on laissera écouler depuis la présentation du procès jusqu'à la signature de la commission, pour la signer & faire droit sur cette cause, pour la demande & l'expédition des Lettres, qu'on appelle *Remissoriales*, *&c.* & ce n'est qu'après toutes ces démarches que le saint Siege commence à prendre possession de l'affaire. L'on voit bien qu'il est impossible d'exposer ici tout le reste. Nous renvoyons à l'ébauche qu'on en a donnée au second Extrait.

Nous passons par la même raison le chapitre où l'on traite de quelques usages que Clement XI. a fixés. Il étoit extrêmement habile & sage en cette matiere. L'Auteur le montre par le fait. Nous passons ceux où il s'agit de la solemnité des Beatifications, du passage de la Beatification à la Canonisation, des causes des Martyrs par voye de *non-culte*, de l'opinion de differens Auteurs sur la necessité des Miracles dans le procès des Martyrs. Nous dirons seulement qu'il est certain qu'anciennement on expedioit les causes des Martyrs sans exiger la recherche des Miracles, mais qu'aujourd'hui on l'exige, non pour blâmer l'ancienne maniere, qui étoit accompagnée de mille précautions; mais pour fermer la bouche aux détracteurs, com-

(a) Dix années, *positis ponendis*.

me le dit le Cardinal, *ad obſtruendum os loquentium iniqua*. Qu'ainſi la diſcuſſion des diſputes de tant d'Auteurs ſur ce ſujet, eſt du moins inutile, puiſqu'ils conviennent tous que la voye des Miracles jointe à tout le reſte, eſt la plus ſûre.

Diſons quelque choſe de ce qu'on nomme *cas excepté* dont il s'agit au trente-uniéme chapitre. Il faut ſe ſouvenir que quand Urbain VIII. exigea le *non-culte* bien vérifié, il excepta de cette loi les Chrêtiens morts & honorés d'un culte public, ſoit de tems immémorial, ſoit par indult Apoſtolique, ſoit par les écrits des Peres & des Saints. Voilà le *cas excepté*. Si la Sentence de l'Ordinaire ou du Délégué, dénontre l'exception, & que la Congregation l'approuve, (ainſi que le Pape) le mort eſt *cenſé équivalement beatifié*. En effet, la Beatification n'étant autre choſe que la permiſſion du culte public en quelques lieux, cette permiſſion n'eſt plus douteuſe, des que l'exception eſt prouvée & reçue. Depuis Urbain VIII. juſqu'à Clement XII. on compte quantité de Bienheureux dans ce cas. Le B. Jean de Dukla a été declaré de ce nombre par ce dernier Pape, à titre de culte immémorial. Ne diſſimulons pas qu'il y a eû, & qu'il y a encore quelques-autres exceptions, dont l'Auteur promet de parler dans la ſuite, & qui ne ſe font que ſur des preuves très-graves. C'eſt ce qu'il indique dans le chapitre XXXII. où il poſe beaucoup de raiſonnemens & d'aſſertions ſur le paſſage de la Beatification *équivalente* à la Canoniſation *formelle*, le tout dans les *cas exceptés*. Car c'eſt particulierement en ce point que les ſentimens étant partagés, les Canoniſtes ont trouvé, ou un peu trop de facilité ou un peu trop de ſévérité dans le procedé (d'ailleurs ſi exact) de la Congregation. C'eſt une diſpute de droit Eccleſiaſtique, dans la quelle il eſt peu utile d'entrer, les uns, & les autres convenant pour le fonds, à peu près comme les Caſuiſtes approuvés par l'Egliſe, qui ayant fait une déciſion de cas que l'on ne ſçauroit conteſter, s'exercent à examiner des ſpéculations propres à éclairer les eſprits ſubtils, & à guider les cœurs droits, ſans préjudice du vrai chemin qu'il faut ſuivre, & que chacun d'eux montre pour la pratique.

Le Chapitre XXXIII. eſt entierement de pratique. Il n'eſt pas aiſé d'en rendre compte ſans tomber dans des redites, qu'il eſt bon d'épargner ici aux Lecteurs; mais qui ſont néceſſaires dans l'ouvrage meſme. On y trouve avec préciſion le procedé qu'il faut tenir, quand on pourſuit une cauſe de Beatification, ou de Canoniſation, commencée avant les Décrets d'Urbain VIII. & réſumée après ces Décrets, ſoit qu'il s'agiſſe de Confeſſeurs, ou de Martyrs, de *non-culte*, ou de *cas excepté*. La pratique eſt fort nette, à quelques difficultés près, que l'Auteur leve par une diſcuſſion fondée ſur des faits récens.

Il arrive ſouvent qu'une Canoniſation eſt commencée en quelque maniere par un Pape, & n'eſt achevée que longtems après, par quelqu'un de ſes Succeſſeurs, comme il eſt arrivé dans l'affaire du B. Stanislas Kottka. Le Décret du progrès à la Canoniſation avoit été porté par Clement XI. Ce fut Benoit XIII. qui en fit la ſolemnité. En ces ſortes de cas le Succeſſeur ne touche point à ce qu'a fait ſon Prédeceſſeur. Il paſſe outre. Il tient conſeil avec les Cardinaux & les Evêques. *Puis il fait la* cérémonie de la Canoniſation. Voici la maniere d'y proceder. Il appelle tous qui ſont à Rome, les Patriarches, Archevêques, Evêques, & meſme les Titulaires qui s'y trouvent, pour prendre conſeil, & recueillir les ſuffrages. On commence, d'ordinaire, par le Conſiſtoire ſecret des Cardinaux ſeuls, où l'affaire étant propoſée, ils diſent ces ſimples mots *placet* ou *non placet*. On lit les Actes précedens ou un ſommaire fait par le Secretaire, ou bien en cas de maladie, par le Promoteur de la Foi. Ce Sommaire imprimé a été communiqué auparavant à chaque Cardinal. Tel eſt en général le Conſiſtoire ſecret. Il eſt ſuivi du Conſiſtoire public, qui ſe tient autant de fois qu'il y a de Bienheureux qu'on ſe propoſe de canoniſer enſemble. Le Conſiſtoire *ſemi-public*, précédé de Prieres ordonnées, ſe tient enfin pour recueillir les ſuffrages. Les abſens retenus par quelque raiſon valable, envoyent le leur au Secretaire de la Congregation. Le cérémonial conſiſte en ce que les Cardinaux l'un après l'autre ſe levent & ſe découvrent pour commencer leur Sentence. Ils s'aſſient & ſe couvrent pour la pourſuivre. Les Patriarches, Archevêques, & Evêques ſont aſſis & couvers, tandis que les Cardinaux parlent. Ils ſe levent, ſi c'eſt le Pape qui prononce. Chacun d'eux fait la genuflexion avant & après le ſuffrage particulier qu'ils donnent. Ils ſont debout quand les Patriarches s'expliquent, & ils y demeurent juſqu'a ce que le dernier Evêque ait ceſſé de parler. Il eſt reglé par le Pape Pie II. que les Evêques auront le pas ſur les Protonotaires. Telle eſt la ſubſtance du chapitre XXXIV. qui eſt ſuivi d'un autre, où l'on parle des diſcours que font les Avocats Conſiſtoriaux, dans les Conſiſtoires publics. On y développe l'étendue de leur Charge, & les points ſur leſquels ils doivent haranguer, auſſi bien que les oppoſitions du Promoteur (*a*). Le Cardinal Lambertini ayant paſſé un tems fort long dans ces offices, ne pouvoit manquer de les bien connoître & de les définir exactement.

La ſolemnité de la Canoniſation, eſt un article plus eſſentiel à traiter, qu'il ne le paroît à la premiere vûe. On le ſoûdiviſe en quatorze paragraphes. 1. Quelle eſt la Ville où l'on doit faire la cérémonie? C'eſt d'ordinaire celle où le Pape réſide: Rome aujourd'hui & preſque toujours: Avignon, lorſque les Papes y réſidoient. On l'a faite quelquefois ailleurs, durant les voyages des Souverains Pontifes. 2. Quel lieu ou quelle Egliſe choiſi-t-on? Durant les Conciles, on a prononcé le Décret ſolemnel dans le lieu meſme de l'Aſſemblée. Innocent IV. étant à Peroſe, prononça le Décret pour S. Pierre Martyr, dans la place devant l'Egliſe des Dominicains; puis ſe trouvant à Aſſiſe, il canoniſa S. Stanislas, dans l'Egliſe meſme où il dit la Meſſe. C'eſt le premier qui ait introduit cet uſage. On l'a perpetué depuis, en l'attachant à l'Egliſe de S. Pierre de Rome, lors que les Papes s'y ſont trouvés. Ils ne ſe ſont écartés que deux fois de cette coûtume, qui eſt paſſée, (ce ſemble) en loy. Boniface IX. canoniſa ſainte Brigitte, dans la Chapelle du ſacré Palais, près de S. Pierre. C'eſt qu'il étoit incommodé ce jour-là. Le lendemain, il célebra la Meſſe dans l'Egliſe. Tout récemment Benoit XIII. a canoniſé S. Jean Népomucene, dans la Baſilique de Latran, qu'il avoit conſacrée, & comme cette Egliſe étoit toute ornée, pour éviter les dépenſes ſuperflues, il y célebra encore la Beatification du B. Fidele de Sigmaringa, Capucin. 3. Quel jour prend-t-on? Le jour depend du Pape. Cette diſpute fut terminée ſous Leon X. Peut-on canoniſer pluſieurs Bien-heureux en meſme tems? L'on fit cette queſtion ſous Gregoire XV. qui la réſolut par le fait. Le Peuple eſt encore imbû en Italie d'un préjugé ſuperſtitieux. Il s'imagine qu'un Pape ne peut canoniſer qu'une fois, & qu'il meurt peu après la premiere cérémonie. Benoit XIII. ſans remonter à ſes Prédeceſſeurs, a eû ſoin de détruire cette fable. 4. Dans quel rang faut-il nommer les Saints, qu'on déclare tels, par une ſeule Canoniſation? Gregoire XV. qui commença cet uſage, ſuivit l'ordre d'*anaiquité* qui fut tel; S. Iſidore, Profez-Lay, S. Philippe de Neri, S. Ignace de Loyola, S. François Xavier, tous trois du Clergé Séculier, enfin Sainte Thérèſe. Clement X. jugea plus à propos de ſuivre l'ordre Hierarchique. Ainſi les Saints Cajetan & François de Borgia, étant du Clergé Séculier, paſſerent devant les Saints Philippe Béniti, & Louis Bertrand, du Clergé Régulier. Le Décret en fut approuvé le 6. Decembre 1670. Les peres Dominicains, & les Servites reclamerent. Mais on confirma le Décret, en déclarant que c'étoit ſans préjudice de la preſéance ordinaire de droit dans les Actes & Offices, ſoit publics, ſoit particuliers. Tout cela eſt fondé ſur ce que dans les Ordres de l'Egliſe, ceux du Clergé Séculier, quoique plus récens, précédent ceux du Clergé Régulier, bien que plus anciens. „ Les Peres Dominicains inſiſterent ſur les „ Conſtitutions Apoſtoliques de S. Pie V. & de Clement VIII. „ par leſquelles on leur donne la primauté ſur les autres Or„ dres Mendians. On leur répondit que ce privilège ne s'étend „ point ſur les Ordres conſiderés comme Religieux, mais ſim„ plement comme Mendians; que dans la célebre cauſe ſur la „ preſéance entre les Benedictins de Mont-Caſſin, & les „ Chanoines Réguliers de Latran, la preſéance ſur les Moi„ nes avoit été adjugée aux Religieux réputés du Clergé Sé„ culier; & qu'en conſéquence ceux-ci ont le pas ſur tous „ ceux-là; & qu'ainſi à plus forte raiſon ils ont le pas, ſoit ſur „ les Mendians, ſoit ſur tous les autres qui ſont cenſés du Cler„ gé Régulier, par la regle de droit, *ſi vinco vincentem te*, „ *multo magis vinco te*: comme l'a très-bien remarqué le Car„ dinal de Luca, *diſcurſu 40. num. 10. in miſcell. Eccleſ.* Ainſi parle le Cardinal Lambertini.

Nous ne ſuivrons point les autres paragraphes ſur les Indulgences; ſur la Proceſſion; ſur l'Acte de Canoniſation, ſuivant le Rite ancien & le moderne; ſur la célébration de la Meſſe par le Pape; ſur les oblations de pain, de vin, & de cire; ſur le retranchement que fit Benoit XIII. de l'oblation des Tourterelles, des Colombes & d'autres oiſeaux; ſur la Bulle de Canoniſation. Arrêtons-nous un moment au Décret d'Alexandre VII. ſur le culte des Bienheureux non encore Canoniſés. Défenſe d'expoſer leurs images de quelque nature qu'elles ſoient dans les Egliſes, ſur les Autels, & les Oratoires, particulierement ceux où l'on dit la Meſſe, ou bien l'Office, (ſans avoir conſulté préalablement le ſaint Siége.) S'il le permet pour les Egliſes, on attachera les Images au mur, non ſur l'Autel. Si l'on permet l'érection d'un Autel, il faudra une nouvelle permiſſion, pour la Meſſe & l'Office. Il en faudra pour étendre ce culte en d'autres lieux. Il en faudra pour la récitation publique de l'Office. Les Meſſes ſont interdites à tout autre Prêtre (fut-il Cardinal) qu'à ceux à qui le S. Siége veut bien accorder de les dire. Il faut une permiſſion ſpeciale pour la célebration de la Fête. Le nom du Bienheureux, ne ſera mis que dans le Kalendrier particulier de ceux à qui l'on aura permis la Meſſe & l'Office. On n'en ſera point mémoire dans les Prieres Eccleſiaſtique meſme en les recitant dans les Oratoires particulieres. On ne les invoquera que par des Prieres que le S. Siege aura approuvées. On ne portera point leurs Reliques dans les Proceſſions. (Obſervez qu'il s'agit ici des vrais Bienheureux, Beatifiés par le S. Siége.)

Voyons les honneurs qu'on leur rend lorſqu'ils ſont Canoniſés. On les place dans le Catalogue des Saints, avec ordre de les appeller Saints, & de les regarder comme Saints. On les invoque dans les Prieres qui ſe font au nom de toute l'Egliſe. Défenſe de prier pour eux. Si quelques Oraiſons ou Liturgies paroiſſent demander à Dieu quelque choſe en leur faveur, c'eſt l'accroiſſement de leur gloire ſur la terre, & l'utilité de leur exemple, ou leur protection pour les fideles. On éleve à Dieu des Temples ou des Autels en leur mémoire. C'eſt dans le meſme ſens qu'on célebre des Meſſes, que l'on chante des Offices, & qu'on établit des Fêtes annuelles. Cela mériteroit une longue diſcuſſion que le Cardinal a étendue, juſque ſur ce qui concerne l'

(*a*) *Promoteur*, appellé vulgairement, l'Avocat du Diable.

UAB Biblioteca de Ciències Socials

ne l'Eglise Orientale. Elle est obligée de regarder comme Saint celui qui est Canonisé. Il n'en est pas de même pour l'Office & la Messe. On ne touche point à ses Rites.

Quelle difference y a-t-il aujourd'hui entre Beatification & Canonisation? La premiere porte avec elle la permission d'honorer le mort, & la seconde en impose le précepte. Mais quelle est cette permission? Est-ce approbation positive? Est-ce simple tolerance? L'Auteur conclut de deux exemples célebres, que pour qu'un Chrêtien soit censé béatifié, la tolerance simple ne suffit pas, surtout s'il y a des preuves de la *non-approbation* du S. Siége, comme il y en a pour l'affaire de Lucifer de Cagliari, & celle de Raymond Lulle. Ce sont deux difficultés de l'Histoire Ecclesiastique, dont il est bon de dire un mot.

L'on sçait que le premier défendit vivement la Foi au Concile de Milan l'année 355. qu'il fut exilé, qu'il eut le glorieux nom de Confesseur, & que ses œuvres contre l'Empereur Constance, sont des preuves de sa catholicité. L'on sçait qu'au sujet de Paulin, qu'il fit Evêque d'Antioche, & qui gâta tout, il se brouilla avec saint Eusebe, & se separa de sa Communion, sans qu'on soit bien assuré qu'il soit revenu à l'unité d'Eglise. L'on sçait, en un mot, ce que c'est que le schisme Luciferien. Lucifer a ses partisans, tels que Socrate & Sosomene qui attribuent tout le mal à ses Sectateurs & qui garantissent sa Foi. S. Jerôme n'ose le condamner. Il l'appelle même Bienheureux. D'un autre côté Sulpice Sévére, S. Ambroise, S. Augustin se déclarent contre ce Prélat, comme contraire au sentiment de S. Hilaire, & separé de Communion d'avec les Evêques qui avoient reçû ceux du Concile de Rimini, après leur desaveu de l'erreur. L'on a prétendu que l'an 1615. on trouva dans Cagliari une Eglise soûterraine dédiée à S. Lucifer, qu'en 1623. on trouva son corps, qu'il y a eû même des miracles. Tout cela loin de terminer la dispute des Sçavans, pour ou contre la sainteté de Lucifer, n'a servi qu'à la rallumer. L'*Eglise* & *le corps* sont devenus suspects, on les a attribués à un autre Lucifer, aussi Evêque de Cagliari, mort Confesseur ou martyr durant la persecution des Vandales. L'on a voulu que le culte rendu au premier ait pris sa naissance du fanatisme des Schismatiques, qu'il ait eté aboli avec le schisme, & qu'il se soit renouvellé après l'invention de l'Eglise soûterraine & du corps. L'on a cité le silence du Martyrologe Romain. Les écrits se sont multipliés de part & d'autre. Si les Bollandistes exposent juste, quand ils disent que l'an 1641. l'Inquisition de Rome défendit sous de grieves peines de ranimer cete contestation, avec ordre de laisser le culte du Lucifer, sur le même pied qu'auparavant. L'Auteur estime qu'en ce cas la tolerance du S. Siége pourroit être interprétée comme une permission de *culte limité*, c'est-à-dire comme une Beatification *équivalente*. Mais en examinant de plus près le fait, & les Décrets d'Urbain VIII. il semble décider qu'on ne peut avec sûreté regarder Lucifer comme beatifié. En effet vû le procés des contestations trop vives sur cette matiere, & transporté de Tribunal en Tribunal, jusq'à Urbain VIII. Vûs les Décrets de ce Pape qui rappellent la connoissance de cette affaire au S. Siége; la tolerance ne paroît pas avoir les conditions requises pour établir une Beatification *équivalente*.

Il en est de même à plus forte raison de Raymond Lulle. Il est vrai qu'Artur dans le Martyrologe Franciscain en fait mention, comme d'un homme qui a souffert le Martyre chez les Sarrasins, qui a été transferé, & qui est honoré comme tel à Majorque. Mais l'antiquité du culte, & la tolerance des Evêques peuvent-elles suffire pour la Beatification? Oui, si l'on sçait que le S. Siége y accede tacitement. Mais si l'on a lieu de soupçonner le contraire, la Beatification est plus que suspecte. Or tel est le cas de Raymond Lulle. On a le jugement de Gregoire XI. qui condamna d'erreur & d'héresie manifeste, deux cens articles des Oeuvres de Raymond. Dire que Nicolas Eymeric, qui cite la Bulle, est un faussaire, qui l'a forgée, ou bien que cette Bulle étant supposée vraye regarde un autre Raymond Lulle de Tarragone, come le prétend Theophile Raynaud, c'est s'avancer témérairement & sans la moindre preuve. Eymeric étoit un homme grave, zélateur de la catholicité alors Inquisiteur, Rapporteur sur l'affaire de Raymond Lulle, & Auteur d'un Livre contre ses erreurs. Mais la bulle est-elle dans les Regîstres? Qu'elle s'y trouve ou non, il n'y a point de preuve de supposition. Il y en a une contraire de la perte de cette Bulle. Elle fut faite la sixiéme année du Pontificat de Gregoire (1376) & le Regîstre de cette année se perdit dans le transport du Siége d'Avignon à Rome. Ajoutez qu'on en trouve des exemplaires dans differentes Archives très-peu propres à conserver des Bulles supposées par un particulier, qui n'avoit d'ailleurs nul interêt à la supposition. Joignez à cela que dans ces Constitutions Apostoliques les deux Raymonds sont parfaitement distingués. Celui de Tarragone étoit Juif. Il se convertit & se fit Dominicain. Quelques hérésies qu'il prêcha (sans les écrire) le conduisirent aux Prisons de l'Inquisition de Barcelone, & son procès lui fut fait par Nicolas Eymeric, alors Inquisiteur dans la Province de Tarragone, la premiere année du Pontificat de Gregoire XI. Il est nommé simplement Raymond de Tarragone dans les Bulles, L'autre Raymond, au contraire, y est toujours appellé Lulle. Il étoit Citoyen de Majorque; il n'a jamais été empriſonné. Mais ses Livres ont été fletris. Voyez sur cela Antonin Bremond, Dominicain, *Tom. II. du Bullaire de son Ordre*, dans ses notes sur la Bulle de Gregoire, & ailleurs. Voyez les autres condamnations de ce Raymond Lulle, sous Paul V.

Il ne faut pas dissimuler qu'il y a de sçavans Défenseurs de la Sainteté de cet homme, par exemple Belleur, Sequi, Salelles, Wading, le P. Sollier, *au 30. de Juin.* Mais il y a aussi de doctes opposans, Bzovius, Echard, Eymeric, Galterius, Graveson, &c. D'où il faut conclure avec l'auteur, qu'on ne sçauroit assurer que Raymond Lulle soit réellement Beatifié.

Il en est des Canonizations, comme des Beatifications, c'est-à-dire, qu'il y en a de *formelles* & d'*équivalentes*: celles-ci consistent en ce que le Pape sur la foi d'un culte ancien, sur le témoignage constant des Historiens au sujet des vertus héroiques ou du Martyre, sur la continuité des miracles, prescrit la Messe & l'Office en mémoire d'un Serviteur de Dieu, sans autre Sentence, procedure, ou cérémonie. L'Auteur éclaircit ce fait par les exemples des Saints Romuald, Norbert, Brunon, Pierre Nolasque, Raymond Nonnat, Jean de Matha, Felix de Valois, Marguerite Reine d'Ecosse, Etienne Roy de Hongrie, Wenceslas Duc de Boheme, Gregoire VII.

Le jugement sur la Beatification & la Canonisation est-il infaillible, & appartient-il à la Foi? Question fort agitée de part & d'autre. Le Cardinal prend là-dessus un parti fort sage. 1. Pour remonter à l'ancien Rite, suivant lequel un Evêque beatifioit un Chrêtien mort en odeur de sainteté, il dit qu'il est „ très-difficile de soûtenir que les jugemens d'alors fussent exempts „ de quelque erreur, tant parce que le jugement d'un E„ vêque particulier n'a jamais passé dans l'Eglise pour infail„ lible, que parce qu'en effet l'histoire nous apprend que quel„ques-uns d'eux se sont trompés en cette matiere.„ Il promet d'en rapporter ailleurs bien des exemples. Il se contente ici de citer celui de Saint Martin, qui par un miracle désabusa le peuple du culte d'un scélerat réellement Beatifié par les Prédecesseurs Evêques, en qualité de Martyr. 2. Quant au Rite présent, la Beatification de tel ou tel, est-elle une affaire de Foi? Non, reponds l'auteur. On seroit téméraire de taxer d'erreur une Beatification *équivalente*, & à plus forte raison une Beatification *formelle*. Mais l'une & l'autre ne portant qu'une permission de culte, permission bornée à quelques lieux, permission qui n'est pas un dernier jugement, ne sçauroit appartenir à la Foi. Nous n'entrerons point dans les objections de ceux qui pensent autrement.

A l'égard de la Canonisation, la question est plus délicate, car la Canonisation porte précepte pour l'Eglise universelle par un jugement complet & definitif. L'Auteur traite à fonds cette matiere, & il y employe trois chapitres fort étendus. Il examine 1. si le jugement Ecclesiastique est infallible. Le pour & le contre est discuté par des argumens tirés de la raison, de l'autorité, des faits mêmes. Il conclut qu'indépendamment des opinions sur l'infallibilité prétendue du Pape en matiere de Dogme, le sentiment commun des Théologiens, & des Canonistes, est que le Pape ne sçauroit errer dans la Canonisation des Saints. Il demande en second lieu, s'il est de Foi qu'il ne puisse s'y tromper, & que tel ou tel Canonisé soit Saint. Il y a des Docteurs pour l'affirmative, & il y en a pour la negative. Il pese leurs raisons. Il balance leur autorité. Il prend enfin le parti au quel les uns & les autres se réunissent. *Le voici*: „ Nous disons que celui qui oseroit soûtenir „ que le Pape s'est trompé dans telle ou telle Canonisation, „ & que tel ou tel Canonisé, ne doit pas être honoré du cul„ te de Dulie, seroit si non hérétique, du moins téméraire, „ portant scandale à toute l'Eglise, outrageant les Saints, fa„ vorisant les Héretiques, qui ôtent à l'Eglise le pouvoir de „ Canoniser sentant l'héresie & donnant lieu aux Infidéles de „ railler les Chrétiens; Auteur d'une proposition erronée, & „ digne de très-griéves peines. Tel est le sentiment de ceux mê„ me qui *enseignent qu'il n'est point de Foi que le Pape soit* „ infaillible dans les Canonisations, ni que tel ou tel Canoni„ sé soit Saint.

Nous sommes enfin arrivé aux deux derniers chapitres, le XLVI. & le XLVII. chapitres qui méritent attention, à cause du préjugé peu avantageux au S. Siége, à l'occasion des dépenses qu'on fait pour les Beatifications & les Canonisations. „ On s'imagine avec bien de injustice, que le Thresor Pon„ tifical regorge de biens superflus, & des contributions de tout „ le monde Chrêtien, chose peu digne du Souverain Pontife, „ & qui ne sert qu'à augmenter les revenus de ses neveux. Il „ est aisé, continue l'Auteur, de répondre à ces injustes plain„ tes. Ceux qui connoissent le Thresor du Pape, sçavent com„ bien il est epuisé & chargé de dettes contractées pour subve„ nir aux besoins de la Republique Chrêtienne..... Les reve„ nus des Terres du Pape ne suffisent pas à beaucoup près, „ pour les charges dont il est tenu. L'expedition des Bulles „ pour les Benefices, loin de l'enrichir, ne le met point en „ état de porter ces Charges. On donnoit les Decimes aux Le„ vites, on subvient aux necessités d'un Evêque, & l'on „ plaindra au Souverain Pontife, qui est réellement pauvre, „ des subsides necessaires pour soûtenir sa dignité, & pour pro„ curer le bien du Christianisme? Ces raisons toucherent Jean „ Gerson & le Cardinal Pierre Daillé. Quelque peu favora„ bles qu'ils fussent à l'exaction des Annates, ils avoüerent „ qu'on devoit s'y tenir, jusqu'à ce qu'on put par une autre „ voye, subvenir aux besoins des Papes. Les profusions de cer„ tains Pontifes en faveur du Nepotisme, ne doivent point ti„ rer à conséquence. La Chambre Apostolique en a rarement „ souffert. Les neveux ont eû des Benefices que d'autres au„ roient possedés. Enfin, Innocent XII. a réglé que les Pa„ pes pouvoient aider leurs parens peu riches, comme de pau-

„ vres étrangers. Il a taxé un revenu moderé pour le neveu „ qu'on feroit Cardinal; & tous ſes Succeſſeurs, juſqu'a pre„ ſent, s'en ſont tenus à cette regle.

Venons au fait. Il eſt impoſſible & injuſte que le Pape faſſe ſeul les dépenſes des Beatifications & Canoniſations. On a tort de taxer la Cour Romaine d'avarice, parce qu'elle exige ces dépenſes, comme abſolument neceſſaires. Enfin on a tort de s'imaginer que cet argent ſeroit mieux employé à la conquête de quelque Terre des Infidéles. Les trois plaintes formées par quelques perſonnes ou raiſonnables, ou paſſionnées, telles qu'Antoine de Dominis, & Gui Patin, tombent d'elles-mêmes par le detail ou nous allons entrer avec le Cardinal Lambertini.

Dépenſe pour l'inſtruction du Procès.

Le Procès s'inſtruit par l'autorité tant de l'Ordinaire, que du Pape. Pour cela il faut des voyages, des témoins, des Juges ordinaires, ou délégués, un Soûpromoteur de la Foi, des Notaires, des Ecrivains, &c. De cent pareils Procès, il s'en fait quatre vingt-douze hors de Rome, & il en revient peu d'argent à cette Capitale. Ceux qui ſe font à Rome, ſont de deux ſortes, l'ordinaire ſous les yeux du Cardinal Vicaire, & l'Apoſtolique par autorité de la ſacrée Congregation. Dans l'un & l'autre, tout eſt taxé. Les Juges font leur Office gratuitement. Pour le reſte la taxe eſt ſevérement obſervée, & les abus ſont prevénus par des ſermens, & punis par de griéves peines. Les Décrets ſont publics. Cette taxe conſiſte à donner à l'Interpréte & au Réviſeur, un Carlin, pour chaque page d'écriture de vingt-quatre lignes, & ſeize ſyllabes chacune. Le Carlin n'excede gueres l'Obole Romaine. On donne au Soûpromoteur un Ducat d'or pour chaque aſſiſtence, qui dure pluſieurs heures. La taxe du Notaire conſiſte en vingt-huit Reglemens, trop longs pour les expoſer, mais extrêmement ſages.

Honoraire du Poſtulateur, du Procureur, de l'Avocat, du Medecin, & de l'Imprimeur.

Le Poſtulateur, eſt celui qu'un Etat, qu'une Ville, qu'un Ordre, &c. chargent de pourſuivre le Procès. La ſacrée Congregation ne ſe mêle point de ſon Honoraire. Elle a ſeulement ſongé à lui donner un frein pour être fidéle Econome du dépôt qui lui eſt confié. La taxe de l'Avocat & du Procureur, contient dix-ſept Articles, tous ſi modiques, que les Avocats, ou Procureurs, occupés, refuſent leur miniſtere. Celle de l'Imprimeur, du Reviſeur, & du Correcteur des épreuves, eſt bornée ſur le pied de ſoixante exemplaires ſeulement. Le nombre des lignes & des ſyllabes y eſt marqué. L'Honoraire du Medecin, quoique non taxé, ne paſſe gueres celui des Avocats.

Honoraire du Promoteur & du Soûpromoteur.

Le Cardinal Lambertini qui a été Promoteur, aſſure que bien que cet Honoraire ne ſoit point taxé, les préſens des Poſtulateurs vont à très-peu de choſe, vû la peine & la dépenſe du Promoteur. Il lui a paſſé pluſieurs procès par les mains. Il appelle publiquement à témoin tous ceux qui en étoient chargés, & les comptes qu'ils ont rendus, pour prouver l'extrême modicité de ces preſens. Quant au Soûpromoteur, ſon ſalaire eſt reglé, & pourtant ſujet à conteſtation, parce que pour chaque procès, ſoit long, ſoit court, il a chaque fois dix Ducats d'or, c'eſt-à-dire, trois fois la même ſomme (trente Ducats.)

Des préſens, nommés propinæ, *ou* ſportulæ, *que l'on faiſoit autrefois, qui ſont abolis.*

Ces préſens ſe faiſoient autrefois par un motif de réconnoiſſance pour les longues & incroyables occupations de ceux qui ſont employés au travail dont nous parlons. Au ſujet de S. François de Paule, l'on offrit à Leon X. un preſent du prix de deux cens vingt-cinq Ducats d'or. Il le refuſa. On en donna cent à chacun des trois Cardinaux, Commiſſaires, & vingt-cinq à chacun de deux Auditeurs de Rote. L'uſage de ces préſens alla ſi loin qu'on en donnoit à tous les Cardinaux, & les Conſulteurs, de ſorte qu'à la Beatification & à la Canoniſation de S. François de Sales, il coûta en purs dons 3612. *Centuſſes* (*a*) de monnoye Romaine.

Innocent XI. abolit cet uſage. Alexandre VIII. ſon Succeſſeur, confirma le Décret. Il n'y eut d'exceptés que le Secretaire de la Congregation, le Promoteur de la Foi, & le Soûpromoteur. Le Secretaire, & le Promoteur ont cent Ducats d'or chacun. Le Soûpromoteur n'en reçoit que quinze. Ce ſont eux qui portent preſque tout le poids du travail qui eſt immenſe & continuel. Il a eû des diſputes ſur ce préſens, lorſqu'un procès commencé par un Promoteur, par exemple, a été fini par un autre. A qui les donner? On les a quelquefois doublés. Mais le Cardinal Lambertini, qui s'eſt trouvé dans le cas, ne l'a jamais ſouffert pour lui. Il en a uſé ſi noblement, qu'il a veritablement grace à ſoutenir le déſintereſſement de la Cour de Rome, en cette matiere. Sa parole ſeule vaut tous les Regiſtres, qu'il eſt d'ailleurs aiſé de conſulter.

Du préſent que l'on fait à la Sacriſtie de S. Pierre.

La magnificence avec laquelle on pare l'Egliſe de S. Pierre, entraîne néceſſairement une grande dépenſe. Outre celle ſi que l'on diminuë par la jonction de pluſieurs Saints, il y en a une autre reglée par Alexandre VII. Elle conſiſtoit ſuivant ſon Décret, en fourniture d'ornemens du prix de cinq cens Ducats d'or, pour une Beatification, & de mille pour une Canoniſation. Le même Pape conſentit qu'on donnat l'argent au lieu d'ornemens d'Egliſe. C'eſt ce qui ſe pratique aujourd'hui, & cet argent eſt fidelement employé aux uſages de la Sacriſtie. L'équité de ce payement eſt parfaitement connue de ceux qui ſçavent que la *Menſe Capitulaire* eſt fort obérée.

Des Etrenes.

Ce ſont des préſens que l'on fait à quelques Officiers néceſſaires. On donne à l'Avocat Conſiſtorial cent *Centuſſes*, qui ſe partagent entre le corps des Avocats Conſiſtoriaux. L'Orateur a une plus grande part. On en donne aux Maîtres des Cérémonies, au Prélat Secretaire des Brefs; au Prélat Secretaire du ſacré College; au Prélat qui écrit la Bulle, aux Officiers de la Maiſon du Pape. La Congregation modere ces préſens quand on s'adreſſe à elle. Le Cardinal Lambertini avoit ſoin d'y tenir la main, lorſqu'il étoit en fonction. Il faiſoit éconduire les demandeurs à qui il n'étoit rien dû. On donnoit des habits à quelques Officiers & *familiari* du Pape, afin de rendre la cérémonie plus auguſte. C'étoit un uſage qui fut depuis reſtraint en cette maniere. Un Calice d'argent au Maître de Chambre. Un autre au Maître du ſacré Palais. Des habits d'Office aux *Cubicularii*, au Secretaire de la Congregation, au Promoteur de la Foi, & à quelques Maîtres de Cerémonies. La dépenſe des habits a été enfin reduite par Clement XI. à un ſeul pour chaque Officier, quand même il y a pluſieurs Saints enſemble, & cela afin de borner la magnificence des *Poſtulateurs*; & de faire taire les mediſans.

De l'appareil de l'Egliſe.

Vaſte amphithéatre, Hiſtoire du Saint en tableaux, quantité prodigieuſe de cierges, Autel fait exprès, habits précieux pour la celebration de la Meſſe. Voilà en quoi conſiſte la dépenſe pour l'Egliſe & le Pape. Elle eſt reglée par la Congregation deſtinée à la moderation des frais.

Contribution pour les dettes contractées au ſujet des tapiſſeries de l'Egliſe de S. Pierre.

Alexandre VII. fit la dépenſe de ces ſuperbes ornemens. Il endetta la Fabrique, & il ordonna en dédommagement, qu'à chaque Canoniſation l'on payeroit ſix mille *Centuſſes* de Monnoye Romaine. La Fabrique fut bientôt dédommagée. Ainſi quoique les ornemens ne fuſſent pas auſſi complets qu'on le ſouhaitoit, les Papes remirent entierement cette ſomme, où l'exigerent beaucoup moindre, c'eſt-à-dire, 4000. ou même 3000. *Centuſſes* pour être employés, en œuvres pies, par exemple, à la decoration des Egliſes. Cela s'eſt pratiqué fidelement.

Concluſion. 1. Ces dépenſes ſont néceſſaires. Cela eſt viſible par l'importance de l'affaire, & des précautions incroyables qu'on prend pour la porter à ſa perfection. 2. Les Papes ont retranché, autant qu'il a été poſſible, les frais ſuperflus. 3. La plupart des threſors deſtinés à l'affaire en queſtion ſont les fruit des aumônes: la pieté des Fideles (& des Romains en particulier) y fournit. Il faut faire attention q'on dépenſa pour la Canoniſation de Saint Bonaventure 27000. Ducats d'or. Pour celle de S. Leopold 25. mille. Pour celle de S. François de Sales 31903. *Centuſſes*, de Monnoye Romaine: & que depuis la réformation d'Innocent XI. & de ſes Succeſſeurs, la ſomme n'excede gueres 14000. *Centuſſes*, quoiqu'il y ait pluſieurs Saints enſemble.

Le Dernier chapitre (XLVII.) traite des *Monts*, ſoit ceux qu'on appelle *Loca montium*, ſoit celui qui eſt proprement dit, *le Mont de Pieté*, & tout par rapport aux Beatifications & aux Canoniſations. Il agit encore quelques queſtions de cas de conſcience & de droit dont la reſolution prouve de plus en plus le déſintereſſement de l'Etat Eccleſiaſtique ſur le ſujet, dont nous avons parlé. Comme ces ſortes de diſcuſſions ne peuvent être abregées, nous nous contentons d'exhorter le Connoiſſeurs en pareille matiere à lire le Livre, & à juger. Le Cardinal vit, & il expoſe ſans crainte ſon Ouvrage à la critique des Peuples Chrétiens.

J U-

(*a*) *Centuſſis*, ſignifie ici cent fois *de Monnoye Romaine*. C'eſt en ce ſens qu'il faut prendre ce mot dans la ſuite. L'on n'en fait point la reduction, de peur de ſe tromper au Change qui varie. Obſervez la même choſe pour les *Ducats d'or*. Il faut les fupputer ſur le taux préſent de *la Monnoye Romaine*.

UAB Biblioteca de Ciències Socials

JUDICIUM III. ITALICUM

EX OBSERVATIONIBUS LITTERARIIS

VERONÆ EDITIS.

Tom. V. Art. II.

De Servorum Dei Beatificatione & Beatorum Canonizatione.

DI questa grand' Opera, da quattro tomi in foglio compresa, il primo de' quali uscì nel 1734. ecco il termine, e il compimento: parleremo però qui di tutti e quattro. Autore n' è l' Eminentissimo Cardinale Prospero Lambertini Arcivescovo di Bologna. Senza leggere questi volumi, niuno s' indurrebbe a credere, quanta dottrina, quanto studio, e quanto sapere in essi contengasi. Chi crederebbe mai, che in così fatto argomento tanta parte non solamente di Giurisprudenza, e d' Istoria Ecclesiastica, e di Controversia, ma di Filosofia, e d' ogni specie di profane lettere venga a cadere? Che infinità di libri, e d' Autori d' ogni genere, che sceltezza di documenti, qual notizia e de' moderni, e degli antichi, qual varietà di questioni, quali sugosi ristretti delle contrarie opinioni, e de' fatti? In tal materia niun altro per verità potea mai esser così pienamente informato, poichè il nostro Autore, oltre agli uffizj importantissimi per molto tempo sostenuti in Roma di Avvocato Concistoriale, di Consultore della Congregazion de' Riti, di Segretario della Congregazione del Concilio, e altri simili, fu per lo spazio di vent' anni Promotor della Fede, al quale debbono esser comunicati tutti i processi di questo genere in forma autentica, e il quale è tenuto ad opporre, e a promuovere *tutte le possibili difficoltà* in gius, e in fatto. Tutto quello adunque, che in quest' Opera si tratta, e si espone, è fondato in verità sicura, e vi riluce per entro sempre la prudenza, la pietà, l' onestà, la sincerità, e si può dire anche la nobiltà del sangue dell' Autor suo. Quanto desiderabil sarebbe, che chi vive fuor della comunion Cattolica, si prendesse l' incomodo di scorrere questi volumi, e di vedere, quanto diversa in fatti sia la condotta de' sacri tribunali di Roma da quello, che vien disseminato, e con quanta circospezione, e rigore, e quanto lontano da motivi politici, o d' interesse in tal proposito si proceda.

Nel principio del primo tomo si annoverano tutti quelli, che di tal materia hanno scritto. Appresso si mostra quanto a torto la Canonizzazione venga per alcuni dedotta dall' Apoteosi de' Gentili. Si tratta dell' antica disciplina nel culto de' Martiri, del raccoglier gli atti loro, e del comuniçare così fatte notizie per via di lettere Circolari. Si passa al culto de' Confessori, dove cade menzione del rito de' Mozarabi. Per dar culto publico ed universale nella Chiesa è sempre stata fin da' primi tempi necessaria l' approvazione, e l' autorità de' sommi Pontefici. Dopo l' uccisione di S. Vigilio Vescovo di Trento del quarto secolo, *Gesta Beatiss. Martyris, ut moris erat, urbis Romæ Episcopo transmissa sunt, ut sacris Martyrum memorialibus inderentur*. Vien monstrandosi di tempo in tempo, come l' autorità di canonizzare fu sempre de i soli Papi, i quali alle volte ciò fecero in pieni concilj, ed alle volte senza nissun Concilio, ma sempre con diligentissime perquisizioni. Confermasi da ciò a maraviglia quanto nel precedente Articolo si è dimonstrato: e in fatti comparazione si apporta qui dell' uso Pontificio nel condannar l' eresie, quali, dice il Thomassin, ora furon condannate *con Sinodi, ora senza Sinodi*, ma sempre con l' approvazione, e consenso della Chiesa principale, *cujus unius jus erat confirmare, & promulgare, quod omnes Ecclesiæ sequerentur*. E così il Duval altro egregio Dottor Francese: *molti Pontefici varj errori condannarono senza alcun Concilio generale*: e in fatti nissun Concilio generale si ragunò ne' primi tre secoli, ne' quali ereticali errori non mancarono, condannati da i Papi, e aboliti. Si tocca poi quanto vane siano le opposizioni, che a tale instituto Cattolico fanno gli Eretici, a che diede principio Vicleffo, e quanti sieno i vantaggi, che la Chiesa, e la pietà Cristiana ne ritrae.

Le cause di questo genere si considerano come gravissime, e con somma pesatezza, e cautela, e con l' opera d' una sceltissima Congregazione detta de' Riti, e non senza molto studio di Cardinali, di Prelati, e di dotti Consultori è instituito che si conducano. Trattasi qui di tutto questo partitamente, e si mette innanzi l' ordine che si tiene, con le varie professioni che vi hanno parte, e tutto si compara co' modi antichi, e con gl' instituti anteriori. Du Bellay, e Bodino attribuiscono al Cardinal Bessarione un detto, che offende la sicurezza delle Canonizzazioni; ma il nostro Autore mostra con più ragioni, che a quel degno Cardinale l' attribuiscono falsamente. Principalmente il sommo Pontefice fa orazione e ordina anche ad altri di orare, perchè Dio l' illumini a scoprire il vero. Gli esami, e le pruove due punti si prefiggono: di rilevare nel Servo di Dio le tre virtù Teologali, e le quattro Cardinali in grado eroico: e di rilevar poi con sicurezza almeno due miracoli per la Beatificazione, e due altri per la Canonizzazione. Con la prima si permette il culto a qualche città, o provincia, o famiglia religiosa, con la seconda il culto s' impone, e si ordina a i Fedeli tutti. Parlasi a lungo della serie degli Atti, e del modo nelle cause di vario genere, e della solennità, e d' ogni circostanza. E' da vedere nel capo 40. ciò che sia da tenere circa la venerazione, che è stato preteso doversi prestare verso Lucifero Calaguritano, e verso Raimondo Lullo.

Ma perchè s' introdusse una specie di *Canonizzazione equivalente*, che avviene quando il Papa approva, e comanda, che si continui il culto di qualche Santo, sopra il quale non furon fatte le discussioni ch' ora si praticano, ma che se ne trova in possesso antico, e le virtù, e miracoli del quale da Storici autorevoli, e degni di fede si attestano, e da continuata fama si confermano, anche di queste ragionasi. Lungo catalogo si propone de' Santi in tal modo canonizati, e si fa vedere con quanta ragione, e con quanta sicurezza ne fossero. E' tra questi il Pontefice S. Gregorio settimo. La sua vita scritta non più di 45. anni dopo la morte, è inserta con l' altre da' Bollandisti, e tra gli *Atti de' Santi Benedettini*. Più Scrittori gravi di que' tempi Italiani, e Oltramontani de' suoi miracoli fanno fede avanti e dopo morte operati. Vegganſi nel capo 41. nuove *notizie in tal proposito e nuovi lumi*. E vegganſi ne' susseguenti le varie sentenze, e la più sana dottrina intorno all' infallibilità del giudizio nelle Canonizzazioni: tutta questa parte è da studiare con particolar attenzione, e massimamente dove con ottimi fondamenti si monstra che la protesta fatta altre volte da alcuni Pontefici di non intendere canonizando di far contra la Fede, nè contra la Chiesa cattolica, altro non era, che una preghiera a Dio, perchè non permettesse, che in questo prendessero errore; onde il Cardinale Ostiense, da cui prese chi quella protesta riferisce, spiega, che il Papa recitato il processo, ordinava al popolo di orare, *Quod Deus non permittat ipsum errare in hoc negotio*. Negli ultimi capi si vede la qualità, e le ragioni, e insieme la giustificazione delle spese, che nelle Canonizzazioni occorrono.

Il secondo volume tratta legalmente della facoltà degli Ordinarj in così fatti processi, e dell' antico rito in ciò, e del modo loro, e se alle volte con essi soli si possa devenire alle Canonizzazioni. Tratta del Culto, e del *non Culto*, de i decreti sopra ciò emanati, e d' alcune questioni per le Reliquie, e per le Immagini. Si passa al *Caso eccettuato* per li Decreti di Urbano ottavo, e al modo di provare il Culto centenario. Molta materia somministra l' esame dell' Opere, quando chi si propone da canonizare n' abbia scritte; molta la *Segnatura della Commissione*, cioè la supplica del Postulante presentata, e dal Papa sottoscritta, acciocchè la Congregazione proceda; molta le pruove della fama, la validità degli Atti, le *Lettere Remissoriali, e Compulsoriali, l' esame de' testimonj, il giuramento*, e molt' altre circostanze.

Nel terzo volume tratta l' Autore di proposito delle Pruove e del Martirio, delle Virtù, e delle Grazie gratis date. S' incomincia da' testimonj, e sette capi intorno ad essi si spendono. Per tre altri si esamina qual fede si debba alle *Storie*; dove parlando della forza dell' argomento negativo, tocca la ridicola novella della Papessa Giovanna, che si suol' addurre per esempio del negativo misto di positivo; perchè si dice: Scrittor niuno avanti Martin Polono fece menzione di tal favola: ecco il negativo: anzi tutti gli autori coevi dopo Leone IV. mettono Benedetto III. ecco il positivo. Nè però è da dire, che a Martino Polono sia da ascrivere tal impostura, anzi nè pure a Mariano Scoto, poichè gli esemplari antichi e puri dell' opere loro non ne fan motto; ma solamente gli adulterati da Eretici posteriori. A proposito dell' affermare, che fanno alle volte francamente gli Scrittori, ricorda il Launojo, che attribuì a Vincenzo Bellovacese la Somma di S. Tommaso a motivo che Clemente VI. non la rammenti, dove recita il catalogo dell' Opere sue, quando il P. Echard fece vedere, che la rammenta benissimo, e con l' altre l' annovera.

Entrasi poi a trattar del Martirio, e delle molte circonstanze che si richieggono, perchè sia tale. Indi si passa alle virtù, e a dichiarare quando ciascuna delle Teologali, e delle Cardinali, e così delle subordinate, possa dirsi eroica. Viene appresso l' Orazione tanto necessaria ne' servi del Signore, e le sue varie specie, e i varj gradi della mentale. Così la frequenza de' Sacramenti, necessaria assolutamente per provar Santità. Dall' antica disciplina, e dagli esempi, e dalle dottrine che a questo proposito si recano, ben si può imparare, e riflettere, quanto empio sia, e quanto contrario agl' instituti Cristiani l' artificio di que' falsi Sacerdoti, e di que' Parochi, che celando il Calvinis-

nismo nel cuore, e avendo preso per pretesto i mal pretesi errori della santa Bolla *Unigenitus* per disseminarlo, hanno in qualche paese introdotto di differir sempre l'assoluzione a chi si confessa, e di far con questo insensibilmente dismettere l'uso di confessarsi, e comunicarsi; asserendo ancora, che ciò non sia necessario, e che troppo ci vuole per esser degni di tanto; e spacciando per Santo taluno, che non si comunicava nè pur la Pasqua, e nè pur lo fece in morte; con che nuovo sistema di cattolica religione si fonda, attribuendo i peccati mortali a umiltà, e avendo con tal segreto maneggio ridotte in una gran Città le comunioni Pascali a scemare in qualche Parrocchia per la metà, e in alcun'altra per due terzi. Tale è la condotta di coloro, che si vogliono far credere difensori della divina Grazia, mentre tentano d'abolire que' Sacramenti, col mezzo de' quali abbiamo dalla sana Teologia, che la misericordia divina principalmente conferisce la Grazia.

Ove si parla delle penitenze, e macerazioni del corpo, è raccolto in breve quanto è stato scritto sopra l'uso delle discipline, e del batterli. Ma non breve è il trattato delle avversità, e tribolazioni, e del modo con cui debbano tolerarsi. E perchè obblighi diversi sono addossati agli varj stati, avverte l'Autore, a quali cose debba farsi particolar'osservazione, quando il processo corre sopra chi sostenne ecclesiastiche dignità, o fosse Pontificia, o Cardinalizia, o Vescovale, o di minor grado ed anche sopra Principi temporali, overo altri secolari che furono ammogliati, o che vissero in altro stato. Grand'esame dee sopra tutto farsi intorno alla morte di ciascheduno, ed a quanto è avvenuto in essa. Belle dottrine si adducono per occasione de' peccati, che nelle vite de' Santi s'incontrano; e così nell'esaminare, se a vanagloria possano riferirsi alcuni detti loro, e come debbano riceversi quelle straordinarie azioni, che a particolare impulso si riferiscono. Trattasi poi ampiamente delle molte e differenti Grazie, che si chiamano gratis date, e fino a qual segno debba sopra di esse farsi considerazione nella proposta materia. Così dicasi delle visioni, delle apparizioni, e delle rivelazioni. Mostra l'Autore con quanta cautela in tutte queste cose si soglia procedere, e quante circostanze si ricerchino, perchè di queste nelle Canonizzazioni si possa far'uso.

L'ultimo tomo si divide in due parti, e la prima tratta de' Miracoli. Spinosa gli negò tutti, adducendo, che se si pervertissero le leggi della natura, verrebbe a farsi contra i decreti di Dio, e verrebbe a farsi Dio mutabile, ed incostante: ma il misero non comprese, che con tal sua dottrina si verrebbe a far Dio di ente libero ente necessario, e di Signore della natura servo di essa; e non comprese, che non per questo si fa Dio incostante, poichè fin da quando stabilì le leggi della natura, stabilì ancora di alterarle per sua maggior gloria qualche volta. Unicamente Iddio, come causa efficiente, può far veri miracoli, e non già i Santi, nè gli Angeli; ma i Santi gli fanno come instrumenti d'Onnipotenza divina, e come cause secondarie, e morali. Tratta l'Eminentiss. Autore a lungo de' fatti maravigliosi operati da Demonj, che si hanno nella sacra Scrittura, e de' pretesi miracoli de' Gentili, e del modo di distinguere i falsi da i veri: poscia della *necessità de' miracoli per le Canonizzazioni*, e del numero, e qualità di essi che si ricerca.

Essendo pochi anni fa dal partito de' Giansenisti stato eccitato e finto un diluvio di miracoli in Francia, attribuiti a un certo Diacono, ch'era morto Appellante, e ch'era stato de' più avversi alla condanna del Quesnel; essendo usciti infiniti libercoli, e fogli, per imprimere il volgo di mille falsità in tal proposito, non mancarono in quel dotto Regno soggetti di vaglia, che scrivessero per disgombrar tanto errore, e per illuminare ognuno del vero. Si segnalarono tra gli altri l'Arcivescovo di Parigi ne' suoi *Editti*, il Vescovo di Marsiglia nel *Discorso sopra i miracoli*, e l'autor delle *Lettere Teologiche*, ma sopra tutti Monsignor Languet Arcivescovo di Sens nella sua *Instruzion Pastorale* stampata in Parigi l'anno 1734. Ora dalle scritture di questi il nostro Autore prende, e riferisce lunghi pezzi di dettato, co' quali pienamente conferma ciò, che avea stabilito intorno alle condizioni, che i veri miracoli debbono avere, e spezialmente intorno alla causa finale. Sarà veramente incredibile ne' secoli avvenire, che potessero regnare, e acquistar tanta voga racconti così stravaganti, e così bizzarri, secondo i quali continue maraviglie avvenivano non per risanare, ma per far'ammalare, e per far patire da un momento all'altro convulsioni orribili, quali però partecipavano più del Comico che del Tragico.

Entra poi l'Autore nel minuto esame delle circostanze, quali debbono accompagnare un risanamento, perchè possa asserirsi miracoloso, e va scorrendo di capo in capo i principali morbi di ciascheduno ragionando fisicamente, e con le autorità de' Medici, e de' Filosofi più rinomati così nostri come stranieri; e tutto accompagnando con le Storie sacre e profane, e con casi avvenuti, ne' quali spesso ciò che il commune della gente credea miracolo, dalla sacra Congregazione profondamente speculando si è ritrovato non essere, o non poterli per tale affermare. Trattasi ancora de' miracoli avvenuti, o pretesi sopra gli elementi, e ne' corpi inanimati, ove occasionalmente si parla dell'origine de' fonti, delle Comete, e di più altre cose. I sudori strani, le lagrime sanguigne, i raggi al volto, le mutazioni interne, il discacciamento de' maligni spiriti, le qualità insolite de' cadaveri, tutto a fondo si esamina. E' notabile, che l'incorruzione non si considera nelle Canonizzazioni per miracolosa, quando i corpi son diseccati, e inariditi, nel qual modo moltissimi si trovano conservati naturalmente; ma solamente, quando le parti son consistenti, morbide e flessibili. Il penultimo capo si aggira sopra le Apparizioni, e l'ultimo lungamente ed eruditamente sopra le forze dell'immaginativa, che son mirabili, e dalle quali effetti stimati miracolosi ben sovente produconsi.

Nella seconda Parte si tratta prima del concedere Uffizio, e Messa, che si fa nelle Beatificazioni, anche per ragion di culto immemorabile, e del concederlo per ragion di Reliquie insigni scoperte, dove a lungo si ragiona del Sangue che da molti secoli si venera in Mantova, e d'altre Reliquie; così della tradizione, che S. Giacopo andasse a predicar nella Spagna, e d'altre questioni e di varj fatti, che a questa materia appartengono. Più decreti ci son per gli Uffizj proprj, richiesti da famiglie religiose, o da paesi. Dell'istituzione del Rosario conchiude, che a San Domenico debba attribuirsi. Difende con forti autorità, e ragioni la verità, e la santità della stanza di Maria Vergine, che si venera a Loreto. Parla de' titoli d'Apostolo, o di Dottore, e di Martire dati ad alcuni Santi. Nel capo duodecimo si tocca la disputa, che corse sopra una parola de' libri di S. Ilario, cioè, s'egli veramente scrivesse *adoratur*, ovvero *adoptatur*, sopra di che veggasi la Prefazione all'edizion Veronese di quel santo Padre.

La concessione dell'Uffizio nella Chiesa universalmente porta seco, che tale Uffizio s'inserisca nel Breviario Romano; opportunamente però l'Eminentiss. nostro Autore soggiunse in breve l'istoria di esso, e delle correzioni per ordine de' Pontefici più volte fattevi. Non si dee per certo temerariamente, e senza motivi gravi rigettare la sua autorità, ma per altro ne' fatti storici non si ha obbligo d'accettare quanto vi si narra. Il Cardinale Orsini, ch'è poi stato Benedetto XIII. trattando della traslazione a Roma delle Reliquie di S. Bartolomeo, scrisse, *maximæ quidem auctoritatis esse Breviarium Romanum in iis, quæ per se ad cultum Ecclesiasticum attinent, minoris tamen ponderis esse in privatis factis aut gestis, quæ in vita Sanctorum ex occasione referunt*. Per tacer d'altro, falsa è per certo la caduta di S. Marcellino Papa, e fittizio il Concilio di Sinuessa, che nelle Lezioni si mentovano. Dopo alcune osservazioni sopra l'elezione de' Santi tutelari delle Città, si passa al Romano Martirologio, e con tutta erudizione di esso, e degli altri Martirologj si tratta. Anche di cotesto più correzioni ordinarono i Papi, nè la Sede Apostolica tiene d'infallibil verità quanto in esso si contiene, nè vieta, che si ricorra, qualch'altra emendazione suggerendo; siccome appunto anche della collezion de' Canoni fatta da Graziano può dirsi. Del registrare i nomi nel Martirologio, dell'ammettergli nelle Litanie, delle Immagini, e di più avvertenze intorno ad esse, delle translazioni de' corpi santi, dell'identità di essi, e d'altre Reliquie, del modo ancora con che debbono custodirsi, diligenti perquisizioni si fanno. Molte e molte son le cautele, senza delle quali non si giudicano di Martiri i corpi ritrovati nelle catacombe. Non dovea terminar l'Opera senza trattare del culto de i Santi del Testamento vecchio, e degli Angeli, dopo di che nell'ultimo capo molte richieste si annoverarono fatte più volte alla Congregazion de' riti, e non mai ammesse.

Questa voluminosa, e dotta fatica viene impreziosita ancora da molti documenti originali di vario genere, che ci sono sparsi per entro, o registrati nel fin de' tomi, e da pezzi d'opere inedite, che più volte si adducono. Bella Dissertazione è nell'ultimo degli Accademici dell'Istituto delle Scienze di Bologna, se sia possibile naturalmente il digiuno di mesi, e d'anni.

UAB Biblioteca de Ciències Socials

TRIA ALIA JUDICIA
SUPERIORIBUS ADJECTA
IN TERTIA OMNIUM OPERUM

BENEDICTI XIV. EDITIONE ROMANA AN. 1749. TOM. VII. PAG. LV.

JUDICIUM I. HISPANUM.

Ex Bibliographia Critica, Sacra, & profana Tom. III. littera P. pag. 519. Matriti anno 1740. Authore Reverendiſſimo P. Fr. Michaele a S. Joſeph Ordinis PP. Excalceatorum in tota Hiſpania Sanctiſſimæ Trinitatis Redemtionis Captivorum Generali &c. &c.

PROSPER DE LAMBERTINIS, quem nominare laudare eſt, Italus, Patricia atque ſplendida familia Bononiæ natus, novum Patriæ ſuæ decus, Romanæ quondam Curiæ Os, Ingenium & Eruditio, ex Epiſcopo Anconitano S. R. E. Cardinalis titulo S. Crucis in Jeruſalem & Archiepiſcopus Bononienſis renunciatus, præter *Paſtorales intimationes*, quibus gregem ſuum tamquam ſalubertimo doctrinæ pabulo alere & Chriſto nutrire ſtuduit, edidit non ita pridem Opus mole magnum, perfectione vero maximum & in ſuo genere vere ſummum *De Servorum Dei Beatificatione & Beatorum Canonizatione*, 4. libris ac totidem magnis voluminibus in fol. comprehenſum, cum variis *Appendicibus & Additionibus*. Univerſum Opus Bononiæ excuſum eſt formis Typographiæ Archiepiſcopalis. I. volumen prodiit an. 1734. II. 1735. III. 1737. IV. 1738.

Eminentiſſimus Author, cujus eximiam erga me benevolentiam, & collata mihi Ordinique meo beneficia, dulcis quidem ac numquam moritura excolit memoria, in limine abſolutiſſimi Operis ſyllabum præmittit Authorum tum Theologorum, tum Juriſconſultorum, tum etiam ceterorum, qui Tractatus ſcripſerunt de Beatificatione & Canonizatione Sanctorum, & priori loco meminit cujuſdem Theologi Anonymi, quem Opus ſuum exaraſſe, ac Vincentio Laureo Cardinali Montis Regalis nuncupaſſe refert, an. 1592. nempe ante ceteros alios Theologos, qui de eo argumento diſſeruerunt. Poſtquam vero recenſet ſingulos qui ſe præceſſerunt Scriptores, ingenue quidem admittit, imo & ſuſpicit editorum ab aliis Scriptorum diligentiam, eruditionem, doctrinam, utilitatem; atque adeo, ab iis plura eaque maxima commoda in ſuum hunc tractatum derivata eſſe, ultro confitetur. Multa nihilominus ſapientiſſimi Cardinalis animum movere potuerunt, ut rem a multis tractatam, plenius, accuratius, ac plane exactiſſime retractaret. 1. ſiquidem poſt excuſa *Acta SS. Bollandiana*, plurima quæ in Archivis latebant, in hanc emerſere lucem, iiſque plurimum præſens materia ditescit & illuſtratur. Deinde, cum Egregius Author Advocati Conſiſtorialis munere per 8. ferme annos & per 20. Fidei Promotoris officio, ſumma cum laude perfunctus fuerit, talem tantamque harum rerum cognitionem exhauſit, qualem quantamque nemini concedendam eſſe exiſtimem. Tanta eſt Viri Optimi ſolertia, cum judicii acumine & ſoliditate, indefeſſoque ſtudio conjuncta.

Liber I. capita complectitur 47. In hoc libro fuſe differitur de differentiis Martyrum, & eorum cultu. De collectione Actorum martyrii, & eorum examine & Eccleſiaſtico ſuper illis judicio; quod non ad quemcumque Epiſcopum, in cujus Diœceſi aliquis mortem ſuſtinuiſſet, & de quo quæreretur, an ſuſtinuiſſet pro Chriſto, ſpectaſſe; ſed examen ad Primatem delatum fuiſſe, qui, adhibito Conſilio aliorum Epiſcoporum, decernebat quid de martyrio ſentiendum eſſet, Noſter admittit, uſum limitando cum Chriſtiano Lupo *ad IV. Concil. Rom. S. Leonis IX.* ad Eccleſiam Africanam, in qua hæc conſuetudo invaluerat, ut colligitur ex S. Auguſtini *Breviculo Collationum cum Donatiſtis, collat.* 3. cap. 13. namque in aliis Eccleſiis examen ad ſingulos in propriis reſpective territoriis Epiſcopos pertinebat, qui & de martyriis judicabant, & cultum Martyribus probatis decernebant, ut aperte liquet ex adductis a S. Gregorio Nyſſeno in *vita* S. Gregor. Thaumaturgi, & a Sozomeno lib. 7. cap. 15. de S. Jo. Chryſoſtomo. Obſervat, Altaris erectionem in loco martyrii jam a primis Eccleſiæ ſæculis in uſu fuiſſe; tum & ipſum Altare inſignitum *Menſæ* nomine: Unde *Menſa Cypriani*, ap. S. Aug. *ſerm.* 310. alias 113. dicebatur locus, in quo S. Martyr immolatus fuerat, quia ipſa immolatione ſua paraverat *Menſam*, in qua Sacrificium Dei, cui & ipſe oblatus eſt, offeratur. Probat ulterius Altarium uſum in honorem SS. Martyrum ex *Actis S. Patrocli* ap. *Boll.* ad d. 21. Januar. & ex Mabillon. *Muſei Italici* Tom. I. pag. 250. de SS. MM. *Nicandro & Marciano*: cujus rei etiam Teſtem adducit Ammianum Marcellinum lib. 22. cap. 21. qui Chriſtianos carpit, quod Oratoria ſuper Corporibus Martyrum erigerent. Quo item honore Donatiſtas proſecutos eſſe ſuos Circumcelliones, quos Taurinus Comes, propter ſcelera ab ipſis patrata, authoritate publica occidi fecerat, notat ex Optati Milev. lib. 3. num. 4. & ex adductis a Card. Noriſio, Tom. 4. part. 2. cap. 2. Edit. Veron. an. 1722.

In cap. 4. ſermo a Noſtro inſtituitur de *Literis Encyclicis*, quibus Martyrum notitia in primis Æræ Chriſtianæ ſæculis, ab una ad alias Eccleſias tranſmittebatur, expreſſis in ipſis Literis Martyris nomine, mortis genere, tum & decreto in una Diœceſi Martyri cultu, ut, accedente aliorum Epiſcoporum approbatione, ad Diœceſes alias idem cultus extenderetur. De hujuſmodi Literis cum plura adnotaſſet Florentinius in *Admonit.* 2. de vetuſtioris Martyrologii vulgandi propoſito; & ex profeſſo egiſſet Franciſcus Dominicus Bencinus in peculiaribus *De Encyclicis* Diſſertationibus; potiora Emin. meus delibat, & in priſcæ conſuetudinis confirmationem obſervat, ne ipſum quidem Henricum Dodwellum, heterodoxum, qui Diſſertationem, incredulo homine dignam, *De paucitate Martyrum* vulgavit, auſum eſſe exploratiſſimæ veritati obſiſtere: unde palam agnoſcit, pro Catholicarum Eccleſiarum commercio, ſingulas Eccleſias ad exteras etiam Provincias conſueviſſe literas mittere, ut in illis Martyrum Natale celebraretur. Nonnullas quoque ex ejuſmodi Encyclicis ad nos uſque perveniſſe teſtatur. Tales Noſtro ſunt, illa Eccleſiæ Smyrnenſis de Martyrio S. Polycarpi; illa Eccleſiarum Viennenſis & Lugdunenſis de Martyrio S. Potini Epiſcopi, & alior. plurimor. Illa S. Dionyſii Alex. Epiſc. ad Fabium Antioch. de Martyrio SS. Metræ, Apolloniæ, & alior. plurimor. Illa Eucherii Epiſcopi ad Salvium Epiſc. de Paſſione SS. Mauritii & Socior. Illa Theodori Epiſcopi Iconii de Martyrio S. Cyrici, & ejus matris Julittæ; Illa Eccleſiæ Gothicæ de Martyrio S. Sabæ; Illa S. Vigilii Epiſc. Trident. ad Simplician. Epiſc. Mediolan. de Martyrio SS. Siſinii, Martini & Alexandri. Monet, Eccleſiam, quæ prior Epiſtolam de Paſſione alicujus Martyris acccepiſſet, hanc aliis vicinioribus Eccleſiis, & iſtas aliis ſibi proximis communicaſſe: quod ſatis evidenter colligitur ex citata Smyrnenſis Eccleſiæ Epiſtola, quæ non ſolum Philomellenſi Eccleſiæ, verum etiam omnibus ubicumque terrarum Sanctæ & Catholicæ Eccleſiæ populis inſcribitur. Monet inſuper, ex Encyclicis originem duxiſſe Tabulas Eccleſiaſticas, quas *Faſtos* Tertullianus appellat in lib. *de Corona Militis*: atque a Faſtis deſumpta eſſe Kalendaria, Martyrologia, & Paſſionalia. Quocirca ſciendum eſt, eo Kalendaria a Martyrologiis differre, quod in illis eorum tantummodo Martyrum nomina indicentur, qui in ea Eccleſia, ad quam pertinebat Kalendarium, annua Feſtivitate celebrabantur; in iis vero ſeu Martyrologiis omnium Martyrum agones recenſentur, tametſi illorum memoriæ anniverſaria celebritate minime recolantur. Differentiam hanc Noſter exprimit verbis P. Antonii Pagii ad an. Chr. 64. num. 6. qui rem luculenter exponit. Cujus differentiæ ignoratio in cauſa fortaſſe fuerit Dodwello, ut paucos eſſe Veteres Martyres, & ipſe crediderit, & aliis perſuadere voluerit. Cum enim homo audax incidiſſet in Kalendarium Bucherianum, quod Martyrum Feſta Romanæ Eccleſiæ propria continet; nec ibi inveniſſet copioſam SS. Martyrum multitudinem, quam Fideles jure merito prædicamus; putavit, Eccleſiam non alios Martyres habuiſſe, niſi quos Romanum illud Kalendarium exhibet. At lapſum hæretici plene evincit Purpuratus noſter Scriptor, liquidoque oſtendit, in illo Kalendario Bucheriano, quod ad tempora Papæ Liberii ſeu ad medium Sæc. IV. refertur, illa tantum Martyrum nomina fuiſſe contenta, qui ſpeciali cultu Romæ colebantur: atque idcirco merito gloriari Virum doctum P. Joſephum Auguſtinum Orſi, Italum, in ſua *Diſſertat. Apolog. adverſ. Samuelem Baſnagium, pro SS. Perpetua, Felicitate & Sociis Martyribus*, his ſolis & Cypriano ex Martyribus exteris locum datum fuiſſe in Kalendario Bucheriano: quod Joſephus tribuendum jure exiſtimat præfatarum Sanctarum famæ ac celebritati.

Ceterum, præter propriæ Eccleſiæ Kalendarium, Romam quoque habuiſſe Codicem alium ſeu Martyrologium, in quo pene omnium Martyrum diſtincta per dies ſingulos Paſſion. collecta nomina eſſent, & in quorum veneratione quotidianis diebus Miſſarum ſolemnia agerentur, teſtis eſt locupletiſſimus loco ſupra allegato idem S. Gregorius, cujus aſſertionis veritas, collecta undique eruditione, ſtrenue (inquit noſter Cardinalis) propugnatur ab Egregio Viro Ludovico Antonio Muratorio Tom. 2. *Anecdotorum erutorum ex Bibliotheca Ambroſiana*, & ex *Mediolanenſi Muſeo Septaliano*, ubi latitabat *Index* Oleo-

rum Sanctorum Martyrum, quorum Corpora S. Gregorii M. temporibus Romæ quiescebant. *Index* scriptus erat papyro Egyptiaca.

Sed antequam tractationem de Literis Encyclicis Purpuratus Pater absolvat, hoc potissimum omni argumentorum vi statuit, nempe ab Ecclesia Romana, & a Summis Pontificibus admonitas fuisse ceteras sibi subditas Ecclesias de pretiosa morte illorum, qui in Urbe sanguinem pro Christo fundebant. Argumenta, quæ rem plenissime demonstrent, desumit ex *Actis S. Ignatii M.* quæ vel Ruinartii palato delicatissimo sincera visa sunt; Tum & ex *Epistola* S. Cypriani, qui Clero Romano testatur, accepisse Literas per Clementium Hypodiaconum, quibus plenissime de glorioso exitu S. Fabiani instructus fuit. Alia item his similia cumulat locupletissima ejusdem veritatis Testimonia.

In ejusd. libri cap. 5. copiose etiam de Confessoribus disseritur, de iis videlicet qui post virtutum heroicarum exercitium dum viverent, in pace mortui sunt, morte eis a Tyranno Christi fidem aut virtutum professionem persequente nullatenus inflicta. Notat Dominus meus, Confessores, quos hoc sensu vocamus, clare agnovisse & eleganter prædicasse D. Cyprianum in libro *De Zelo & Livore*, ubi describit multiplices Servorum Dei congressiones, Triumphos & Coronas in pace reportatas. S. Isidorus lib. 8. *Origin.* cap. 11. Confessores inter eos Martyres recenset, qui, non in aperta Passione, sed in occulta animi virtute, hostes vicerunt, & de ipsis triumpharunt. In eodem cap. luculentissime probat, Confessoribus publicum Ecclesiam Cultum non exhibuisse ante Seculum Christi IV. ut docuit Innocentius III. lib. 3. *De Mysteriis Missæ*, cap. 10. cujus sententiam Doctores communiter amplectuntur, nec ea satis fundate a nonnullis limitatur, ut bene Noster ostendit num. 8.

Caput 6. est *de Ecclesiastico judicio requisito, antequam Cultus Religiosus Confessoribus exhiberetur*. Aliquale Ecclesiæ judicium semper Cultum hujusmodi præcessisse, Noster ex variis Juribus colligit, & imprimis laudat Decretum Concilii Agrippinensis, apud Ivonem part. 3. *Decreti* cap. 54. quod, nisi Episcopo probante, vetat novos Sanctos venerari. Item aliud Concilii Atrebatensis, anni 1025. cap. 2. Docet insuper, Confessorum Nomina descripta in Diptychis Sanctorum ejus Ecclesiæ, in qua feliciter in Domino mortui fuerant, & in qua post obitum Miraculis claruerant, delata horum omnium fama sinceris testimoniis innixa ad alios Episcopos, admissa quoque fuisse ac descripta in Diptychis aliarum Ecclesiarum.

In cap. 7. Noster, data opera, agit *de Interventu Auctoritatis Summi Pontificis in Cultu decernendo erga Martyres & Confessores*. De hoc nonnulla in superioribus opportune dixerat, laudaveratque Ven. Servi Dei Roberti Cardinalis Bellarmini sententiam paucis quidem verbis, sed luculenter expositam in *Dissertatione* impressa ap. Pignatell. *Consult.* 38. num. 16. & seqq. Tom. 5. ibi Doctissimus Purpuratus, vindicans a siniſtra cujusdam Galli interpretatione, quæ scripserat in Opusculo *de Sanctis*, lib. 1. cap. 8. ita inquit: (Integer igitur sensus verborum meorum hic est, eos Sanctos, qui colebantur in particularibus Locis Decreto particularium Episcoporum, cœpisse paulatim coli in Ecclesia universali, non certa aliqua Lege vel Decreto, sed consuetudine a Summis Pontificibus consensu tacito approbata.) Bellarmini doctrinam ab Episcopo Sernello in sua *Epist.* 35. Tom. 2. esse illustratam, monet ibi Dominus meus Cardinalis; qui rem hic ulteriori indagine discutiens, præcipuos Actus singillatim exponit, quibus memorata Papæ Authoritas intervenit. Primus respicit S. Vigilium Episcopum Tridentinum & Martyrem, cujus Passionis *Acta* ad Summum Pontificem transmissa sunt, pro Cultu erga eumdem statuendo. Secundus ad D. Jo. Chrysostomum attinet, constituique potest in *Epistola* Innocentii I. ap. Card. Baron. ad an. Chr. 407. in qua disertis Papæ verbis Præsulis Sanctissimi felix exitus & æterna gloriæ Corona declarantur.

In capite VIII. afferuntur ulteriores probationes de ejusdem interventu authoritatis, specialisque mentio fit de Canonizatione B. Udalrici, Episcopi Augustæ Vindelicorum, qui a Joanne XV. in Synodo Lateranensi Sanctorum Catalogo adscriptus fuit; quæ Canonizatio a peritioribus prima censetur, id testante Cardinali nostro Doctissimo.

Caput IX. ad eandem pertinet materiam, & ibi proximiora nostræ ætatis exempla illustrantur. Postremo loco ponitur Canonizatio B. Birgittæ, quæ in Domino mortua est an. 1391. quæque bis canonizata dicitur, semel scilicet a Bonifacio IX. & iterum in Constantiensi Concilio a Joanne XXIII. Porro, hanc duplicem Birgittæ Canonizationem, quam schisma tum maxime vigens dubiam reddere posset, tertia excepit a Martino V. celebrata, ut constat ex ejus *Constitutione*, quæ edita est Florentiæ post Concilium Constantiense an. 1419. inveniturque impressa ante *Revelationes* S. Birgittæ. Circa Canonizationem S. Elisabethæ Reginæ Portugalliæ, quæ anno Jubilæi 1625. a S. memor. Urbano VIII. solemnissime peracta fuit, monet Dominus meus Cardinalis, ipsam Canonizationis Bullam nunquam fuisse expeditam; unde, ut ejus defectum suppleat, ad calcem hujus I. Tomi, exhibet Relationem de ejus Sanctitate & miraculis factam in Consistorio secreto per Cardinalem a Monte, Sacri Collegii Decanum. Monet præterea, nullatenus subsistere, quod a nonnullis asseritur, nempe initia Beatificationis esse referenda ad Gregorium Papam X. qui concessit, ut corpus B. Lucchesii posset processionaliter deferri; abs dubio enim Beatificationem hanc præcessit illa Guilielmi Eremitæ a Malavalle in Tuscia facta ab Alexandro III. de qua Noster luculentissime.

In capite X. stabilitur Pontificia Authoritas extra Concilium, agiturque de jure beatificandi & canonizandi Summo tantum Romano Pontifici reservato. Licet enim Romani Pontifices in plenariis Conciliis plurium Sanctorum Canonizationes celebraverint, ut Joannes XV. illam S. Udalrici: Leo IX. illam S. Gerardi: Innocentius II. illas Sanctorum Godehardi & Stormii: & quamvis quidam Summi PP. non raro responderint, vitam & miracula Canonizandorum esse in Concilio Generali perpendenda antequam eorum fiat Relatio in Album Sanctorum, certum nihilominus esse videtur, etiam per illa ipsa tempora, plures Canonizationes fuisse factas extra Concilia, de quarum numero fuerunt illæ Sanctorum Wolfangi & Erhardi a Leone IX. illæ duplicis Simeonis a Benedicto VIII. & Benedicto IX. illæ Sanctorum Petri Anagnini, & Angilramni a Paschale II. illa Sancti Henrici Imperatoris ab Eugenio III. ac denique illæ Sanctorum Eduardi, Thomæ Cantuariensis & Bernardi Abbatis ab Alexandro III. etiam sine prævia Virtutum ac Miraculorum discussione in Concilio Generali alias facienda, legitime celebratæ. Sicut ergo quasdam hæreses Papæ in Conciliis damnarunt; quasdam vero sine Conciliis proscripserant, eorumque proscriptio, licet non Synodice facta, a tota Ecclesia fuit recepta, ut patet ex primis trecentis annis, quibus nulla unquam Concilia Generalia propter ingruentes persecutiones coacta leguntur; cum tamen multæ in fide quæstiones toto hoc tempore feliciter sopitæ & determinatæ fuerint per Pontificum definitiones; sic etiam non minus firmæ habitæ sunt Canonizationes a Summis Pontificibus extra Concilia Generalia factæ, quam quæ peractæ fuerunt ab ipsis cum Synodali Declaratione, interventu ac suffragio. Egregia sunt loca Duvallii & Thomassini in hujus veritatis confirmationem, a Sapientissimo Cardinali laudata.

In hoc capite ea quæstio discutitur, an videlicet per Alexandri III. *Decretalem Audivimus*, quæ inserta fuit Titulo 45. *De Reliq. & Venerat. Sanctor.* qua decernitur, nemini licere aliquem pro Sancto colere, aut publice venerari, absque authoritate Romanæ Ecclesiæ, injunctum fuerit jus novum Sedi Apostolicæ reservans privative quoad Primates & Episcopos & ceteros omnes; vel an jus hoc privativum fuerit ante prædictam *Decretalem* introductum, & antiquo usu receptum? Monet in ea *Decretali* jus novum agnoscere Bellarminum, Wan-Espen, Mabillonium, Dachetium, Juniorem Pagium, Gravinam & Saussajum; contra vero nihil novi per eam constitui, judicare Gonzalez, Victonum, Authorem anonymum Tractatus *Canonizationis Sanctorum*, ac Cardinalem Montis Regalis, Bivarium, Henschenium & Papebrochium, qui in *Propyæo ad Acta Maji Dissert.* XX. num. 6. diserte affirmat, Alexandri loquendi formam Decretum non facere, sed factum & vulgo notum supponere: quod nos existimamus omnino sapienter esse dictum: frustra enim quis quærat in ea *Decretali* novam reservationem, quæ tunc primo inceperit, & deinceps generaliter invaluerit, cum nihil hujusmodi Pontificia verba sonent. Sapientissimus Cardinalis summa, qua pollet, perspicuitate item facile dirimit, & quid in hac celebrosa controversia tuto tenendum sit, magistraliter docet. Et primo, certum esse, inquit, nunquam Episcopos potuisse veras peragere Canonizationes, cum ea essentialiter includant universale præceptum Ecclesiæ datum, quod a nemine ferri potest non habente jurisdictionis Ecclesiæ plenitudinem. Secundo ait, non minus constare, Primates, Archiepiscopos, aut Episcopos olim potuisse cultum publicum indulgere erga Martyres & Confessores in sua Provincia aut Diœcesi, hoc est, illis Beatificationis honores concedere: atque id potuisse, etiam jure suo, & independenter a Romani Pontificis beneplacito. Tertio dicit, perstitisse hanc Episcopalem jurisdictionem beatificandi jure proprio, nec advocata Summi Pontificis authoritate, usque ad tempora Alexandri III. cujus etiam ætate plures Beatorum Corporum elevationes sola Episcopali authoritate factæ leguntur, quarum plures hic recensentur ex Molano in *Natalib. Sanctor. Belg.* ex Jacobo Meyero in *Annal. Flandr.* & ex aliis Actis authenticis. Ubi bene refellitur Baluzii opinio asserentis anno Domini 1112. authoritate Episcopali, canonizatum fuisse Odonem sive Othonem, Urgellæ in Hispania Tarraconensi Episcopum. Nam Diploma editum in *Marca Hispanica* nequaquam continet Decretum Canonizationis, imo nec Beatificationis Decretum; sed solum Decretum de Festo in honorem Odonis, ritu solito elevationis inter Beatos pridem relati, deinceps celebrando.

In capite XI. privativum Papæ jus DD. assertionibus confirmatur, variæque propositiones ad rem illustrandam statuuntur. Prima propositio est, quod hodie ita pertinet ad Summum Pontificem Dei Servos atque Beatos, in Beatorum & Sanctorum numerum referre, ut id interdictum sit Patriarchis, Primatibus, Metropolitanis, Archiepiscopis, & Episcopis. Pro hac citantur præcipui de hac materia scribentes, nec scimus, aliquem Orthodoxum huic sententiæ refragari. Secunda propositio est, neque id pertinere ad Sacrum Collegium Cardinalium, etiam Sede vacante, quod patet ex Textu in cap. *Ubi periculum, de Election.* in 6. & in Clementina, *Ne Romani eodem Titulo*. Tertia propositio est, quod Legatus de Latere, suæ Legationis authoritate, devenire non potest ad actum Beatificationis aut Canonizationis, quemadmodum desumitur ex Textu in cap. *Quod Translationem de Offic. Legat.* Quarta propositio est, quod nec Beatificatio nec Canonizatio fieri possunt a Concilio Generali aut Provinciali, absque interventu autho-

UAB Biblioteca de Ciències Socials

authoritatis Pontificiæ. Quinta propositio est, quod beatificare, & canonizare non pertinet ad Concilium Generale, etiamsi Sedes Apostolica vacet, cum in eo casu Concilium, tametsi legitime coactum, tantummodo exequi valeat ea, quæ pro regimine Universalis Ecclesiæ sunt executioni demandanda. Firmat hanc propositionem Eruditissimus Dominus meus Cardinalis insignium Canonistarum & Theologorum suffragiis, calculisque Virorum in Ecclesiasticis Historiis peritissimorum, a quibus unanimi consensu probatur celebris Doctrina *Glossæ* in cap. *Gloriosus*, in verbo *Sedis Apostolicæ De Reliq. & Venerat. Sanctor.* in 6. Inter alios Scriptores allegatur Christianus Lupus in *Notis ad Concil. General. & Provincial. Tom. III.* pag. 367. ubi cum doctus Author asserit, quod ante Decretalem *Audivimus, quilibet Episcopus suum Sanctum solemniter canonizavit*, & quod in Africa non quibuslibet Episcopis, licet Provinciarum Primatibus, licuit canonizare, sed quod eminens hæc facultas Primatiali Carthaginensium Sedi fuit reservata; intelligendus venit de Canonizatione particulari seu Beatificatione; nam, si loqui intelligatur de Canonizatione stricte sumpta, falsum est, hanc potuisse solemniter peragere Primatem Carthaginensis Ecclesiæ.

Occasione hujus juris Pontificii, quod inter potissima Sedis Apostolicæ jura censetur, hic etiam selectiora a Nostro adducuntur circa Dissertationem de Causis majoribus, pridem luculenter tractatam a Lælio Jordane Episcopo Acernensi, & a Joanne Gervasio, quem constat in authoritatem Pontificiam parum fuisse propensum.

Quoniam vero nonnulla in authenticis Historiis occurrunt, quæ pugnare videntur cum negata Concilio Generali authoritate beatificandi & canonizandi, Noster observat, Concilium Constantiense Beatum Rochum minime beatificasse aut canonizasse, licet ei publicum Cultum exhibuerit: nec Martinum V. in eodem Concilio Petrum de Luxemburgo Beatorum catalogo adscripsisse, quod postea fecit Clemens VII. legitimus Pontifex, die 9. Aprilis anni 1527. nec tandem Concilium ipsum Beatificationis honores indulsisse Nicolao Lincopensi, Brimulpho Scadensi, Episcopis, & Ingridi Monali Sacri Ordinis Prædicatorum. Etenim præfatos Beatos nonnisi Martini V. Decreto legitime beatificatos novimus, ex adductis a P. Antonio Bremond in *Bullar. Ordin. Prædicator. pag.* 543.

In cap. XII. declaratur tanquam de fide vera Ecclesiæ potestas, quæ in Romano Pontifice plenissime residet ad Sanctos canonizandos, eaque causam & fundamentum habere dicitur in utilitate Sanctos in nostris necessitatibus invocandi: atque hic ut notatu dignum, opportune observatur, tam apertam esse ac necessariam connexionem inter utrumque hoc Dogma Catholicum, ut eam agnoverit, utroque professus fuerit Joannes Dallæus, licet heterodoxus in Dissert. *De objecto Cultus Religiosi* lib. 3. cap. 21. Porro Catholicam veritatem de Sanctorum invocatione Noster luculentissime confirmat, perspicuis utriusque Paginæ testimoniis & irrefragabilibus priscorum Patrum sententiis, nempe S. Irenæi libr. 5. *Contra Hæres.* post med. Origenis lib. 8. *Contra Celf.* S. Cypriani in *Epist. ad Cornel.* in Pameliana Editione ordine 57. S. Maximi Martyris in ejus *Actis* ap. Theodoricum Ruinart, ut ceteros omittamus, non ita antiquos, qui citati hic exhibentur.

In capite XIII. fuse demonstratur, congruere, expedire & utile esse Sanctorum Canonizationes aliquando peragere: nec frustra datam esse a Christo Ecclesiæ Sponsæ suæ potestatem Sanctos canonizandi, illisque Cultum decernendi. Inde nonnullorum male feriatorum hominum temeritas jure reprehenditur, qui cum potestatem canonizandi negare non audeant, ejus tamen usum satis insipienter condemnant; sive quia putant, novorum Sanctorum merita meritis antiquorum esse inferiora: sive quia existimant modernorum Sanctorum intercessionem utilem nobis non esse nec necessariam, cum veterum interceffio abunde sufficiat, ut Deus preces nostras exaudire dignetur, & etiam miracula pro nobis patrare velit: aut quia judicant, novorum Sanctorum accessione antiquorum Cultum imminui, fereque obscurari; imo & ipsum Canonizationis actum per se sublimissimum quodammodo contemptibilem reddi: denique, quia sibi persuadent, nonnullos his nostris temporibus in Album Sanctorum referri, qui, licet virtutibus heroicis & Miraculis excelluerint, sunt nihilominus inferiores aliis, qui majoribus virtutibus prædili fuerunt, vel ampliori Miraculorum dono a Deo insigniti sunt, de quorum relatione in Album Sanctorum nemo est, qui cogitet. Has pseudo-Criticorum quorundam tricas & cavillationes, religioni pietatique non parum adversantes, imo & ipsam fidem quodammodo imminuentes, invictis hic rationibus conterit sapientissimus Dominus meus Cardinalis, illud sapientissime urgens, quod *Christus Jesus heri & hodie ipse & in æternum*, tam sit nunc beneficus & magnificus Ecclesiæ suæ Sponsus, quam fuerit transactis retro sæculis; nec minus velit amicos suos novos ab Ecclesia honorari quam antiquos: ipsi autem curam esse de amicis suis singularem; & cum ipse solus spirituum mensurator sit, & singulorum merita optime discernat, ejus quoque providentiæ est fidelium devotionem erga hunc potius Sanctum, quam erga illam excitare, & per hoc hunc & non illum Sanctum illustrioris famæ in Ecclesia reddere, atque ita illum disponere, ut prudentissime ipsi potius quam alii Beatificationis & Canonizationis deferantur honores.

Quod Canonizationum copia mysterium ipsum Canonizationis vilescat, jam olim existimarunt Henricus de Hassia, Gersonius, & Petrus de Alliaco in Tract. *De Reform. Eccles.* c. 3.

Verum, quæ Theologi isti queruli, & nimium haud raro deferentes falsis hæreticorum lamentationibus & calumniis, in propriæ opinationis confirmationem adduxerunt, hic efficacissime refutantur. Et quoniam Cistercienses & Carthusiani in eadem fuisse aliquando sententia videntur, qui non tam soliciti fuisse dicuntur, multos Sanctos suos patefacere, quam multos Sanctos facere; sapientissime monet Dominus meus Cardinalis, in Cistercienstum & Carthusianorum, & aliorum Solitariorum Cœnobiis multos Sanctos fuisse in eo, quod attinet ad Ecclesiam Triumphantem; paucos vero fuisse & esse, quoad Ecclesiam Militantem, in qua, ut quis canonizandus sit, probatio est necessaria virtutum in gradu heroico ex actibus exterioribus deducta, & plurium testium assertionibus innixa; quæ probatio difficilis est in Solitariis, uti cuique consideranti patebit. Ex Carthusianis quidem habemus Hugonem Episcopum Lincolniensem, & Brunonem ejusdem Sacri Ordinis Fundatorem, Sanctorum Fastis solemniter adscriptos. Sed Bruno per aliquot annos non semper in solitudine quasi lucerna sub modio latuit, sed diu in publico refulsit, cum per aliquot annos consiliis & doctrina Urbanum Papam II. quem auditorem habuerat, mirifice adjuvit, & Sanctimoniam suam notam fecit; in Hugone vero quamvis Solitarii Virtutes latere debuerint, tamen notæ fuerunt virtutes muneris Episcopalis, quæ in eo fuerunt valde eximiæ. Præterea in introductione Causæ Canonizationis Beati Nicolai Albergari, ejusdem Carthusiensis Instituti alumni, & S. R. E. Cardinalis, sapientissimus Scriptor noster, qui tunc Fidei Promotoris Officio fungebatur, censuit Sanctitatis probationes fore desumendas non tam ex gestis in solitudine, quam ex patratis coram aliis, nempe in diuturna Ecclesiæ Bononiensis administratione, & in multiplicibus, quibus per universum Orbem functus fuit Legationibus.

In cap. XIV. tractatio instituitur de subjecto Canonizationum, sive de iis qui canonizari possunt. Quia vero in hac parte variæ a Scriptoribus quæstiones excitantur, quæ interdum ab ipsis non satis clare resolvuntur, Noster dubia singula aptissime proponit, & unicuique dubio congrua responsione satisfacit. Primo ergo censet, inutiliter a quibusdam dubitari, an Sancti Veter. Testam. possint esse subjectum Canonizationis a Summo Pontifice celebrandæ, si agatur de his, quos Sanctos esse Deus in Scripturis suis hominibus manifestavit. Secundo, pueros in aqua & Spiritu Sancto regeneratos, & ante usum rationis decedentes, non esse Canonizationis capaces, cum ii sola Baptismali gratia obierint, nec virtutes per Baptismum illis infusas nullatenus augere potuerint. Alioquin omnes pueri sic decedentes, utpote in gratia æquales, unum & idem jus haberent ad Canonizationem. Tertio, pueros in odium Christi & ejus Fidei occisos & sanguinis Baptismo regeneratos, digne & congrue canonizari, ipsisque Ecclesiasticum Cultum jure exhiberi: quod certissimum esse nos docet traditio & usus Ecclesiæ, quam traditionem hic Noster luculentissime confirmat exemplo Sanctorum Innocentium; item Urbani, Prilidiani & Epolonii puerorum, qui tertio Ecclesiæ Sæculo una cum S. Babyla, Episcopo Antiocheno, Martyrio coronati sunt; item Simeonis Tridentini pueri, cujus Miracula plene referuntur ex Jano Pyrrho, Pincio Mantuano ap. Bolland. ad d. 24. Martii, item Joannetti pueri, in odium Fidei a Judæis necati, incerto anno & die; denique Richardi, pueri Parisini; Guilielmi, pueri Angli, & pueri quinque annorum Sancti Aretæ socii, ex *Martyrolog. Roman.* ad d. 24. Octobris. Nihilominus quædam difficultates circa adducta exempla occurrunt, quas candidissimum Scriptoris pectus aut dissimulare aut occludere noluit, atque adeo ingenue animadvertit S. Babylæ historiam multis esse difficultatibus implicatam; tum quia nonnulli duos Babylas Martyres distinguunt; tum quia Eusebius Babylæ Antiocheno nullos designat socios, tum demum, quia si qui fuerunt, omnes illi ad usum rationis pervenerant, ut colligitur ex veteri MS. Ripatorii & Mombrici cap. 2. ap. Bolland. Simeonem Tridentinum puerum, non canonizatum, sed solum beatificatum censet, vixque hunc titulum agnoscit in Socio illo S. Aretæ, etiamsi includatur in narratione ejusdem Martyrii.

Quarto censet, Sanctos, qui aliquando fuerunt, vel adhuc sunt in Purgatorio, non canonizari, juxta sensum & usum Ecclesiæ. Hinc videtur ut apocryphum rejicere illud, quod de S. Severino Episcopo Colonienti narrat Petrus Damianus lib. 2. *Epistolar.* illum scilicet Purgatorii pœna mulctatum fuisse, eo quod horarum Canonicarum pensum intempestive & non per distincta spatia persolverat. Et videtur quidem absolute possibile, quod homo virtutum heroicitate præditus, & miraculorum gloria clarus, in leve aliquod peccatum incidat, eoque admisso illico moriatur: idque posse contingere, necessario fateri debent, qui putant, posse justos morte temporali a Deo puniri ob solum peccatum veniale. Ceterum, de homine sic mortuo posset fortassis dubitari, an post ejus mortem, ad ipsius merita declaranda Deus miracula esset facturus; nam laudatus Lupus docere videtur, gratiam miraculorum suspensam esse in iis justis, quorum animæ adhuc in Purgatorio detinentur. Quæ ratio, si vera sit, ad summum probare potest, quod justus ille miracula non patraret, dum in Purgatorio pœnas lueret; bene tamen ea facere posset, postquam a peccato purgatus, æterna Beatitudine perfruitur. Etenim Paschasius ille Diaconus, qui teste S. Gregorio M. lib. 4. *Dialogor.* cap. 40. fuit Vir maximæ Sanctitatis, & eo tempore mortuus est, quo per errorem Schismati favebat, in ipso feretro per Dalmaticæ contactum Dæmoniacum liberavit: quo ex facto inferre licet,

aut illum nunquam fuisse in Purgatorio, aut saltem tunc in eo non fuisse, cum illud miraculum patravit; vel denique verum non esse, non posse animas, cum actu purgantur, signa facere miraculorum.

Quidquid vero sit de hujusmodi dubiis speculativis, in praxi ea Nostro sententia placere videtur, quæ docet, pertinere ad paternalem & amicabilem providentiam, quam Deus habet erga amicos suos maxime dilectos, ut in vitæ extremo, vel ab omni illos culpa præservet, vel si quam forte admiserunt, non ipsos morti tradat, nisi condigna satisfactione præmissa. Unde, de justis specialiter Deo dilectis accipienda esse, docet verba illa *Psalmi: Cum dederit dilectis suis somnum, ecce hæreditas Domini filii merces fructus ventris*. Præterea, ad Canonizationem maxime inspicitur gloriosus variisque circumstantiis nobilitatus Servi Dei exitus, quo vix ex hac vita migrare valeat, nisi qui recta in cælum tendat. Mors enim Sanctorum, quæ pretiosa dicitur in conspectu Domini, est quædam velut prægustatio appropinquantis jam Beatitudinis, quæ morientes ineffabili replet gaudio, & eximia quadam hilaritate perfundit. Qui simili morte justi decedunt, vel nihil jam Divinæ justitiæ debent, vel per ipsius mortis acceptationem & per heroicos virtutum actus illam comitantes, nedum plenissime purgantur, verumetiam ad æternam felicitatem maxime disponuntur.

Jure ergo merito docet Eminentissimus meus Cardinalis, plura esse, quæ comprobent canonizari non posse justos illos, quorum animæ adhuc in Purgatorio torquentur: nam pro Canonizato, inquit, non oratur, & pro animabus in Purgatorio degentibus preces Deo offeruntur. Canonizatus honoratur erectione altarium, celebratione Missarum, & recitatione Officiorum in ejus honorem, quæ profecto congruere non possunt statui animæ purgantis, qui satisfaciens est & pœnalis. Denique Canonizati sunt nostri apud Deum intercessores, & orant pro nobis, juxta receptam Theologorum doctrinam, a D. Thoma expresse traditam in 4. *dist.* 15. *quæst.* 4. *art.* 5. *quæstiunc.* 2. *Ad secundum*: porro animæ Purgatorii non sunt in statu merendi, & ideo magis indigent, quod pro eis oretur, quam ut ipsæ possint orare, quod laudatus Divus Thomas aperte docet 2. 2. *quæst.* 83. *art.* 11. *Ad tertium*, diserte asserens, *animas in purgatorio non esse in statu orandi*, quia non sunt totaliter nobis superiores, sed ratione pœnarum inferiores, & egentes nostris orationibus, ut ibi notat Cardinalis Cajetanus, cum quo consentiunt plerique alii AA. fuse cumulati a Jo. Frescobaldo in suis *Dissertationibus* super hoc argumento editis, quarum cum laude meminit Sanctæ memor. Benedictus XIII. in suo Serm. 28. *De Purgatorio*.

Quinto censet, neminem adhuc in hac mortalitate viventem, etiam si de eo per revelationem Papæ factam constaret, ad magnam gloriam esse prædestinatum, dici posse Canonizationis subjectum: Canonizatio enim est veluti Corona quædam gloriæ accidentalis, qua a Militanti Ecclesia Triumphantis æmula honorantur, qui jam in Cælo corona gloriæ essentialis insigniuntur: & sicut hæc adhuc Militantibus non conceditur, sic nec illa iisdem datur. Quapropter quidquid nonnulli dicant de Henoch & Elia adhuc viventibus, & nondum consummatis, omnino probamus judicium Sapientissimi Domini mei Cardinalis, asserentis, neque illos proprie loquendo posse Ecclesiam canonizare, quamvis bene possit Cultum illis decernere, eosque tanquam intercessores implorare: sunt enim in statu orandi pro nobis, & cum valde Deo accepti sint, etiam exaudiri merentur, & velut amici Dei, quorum finalis perseverantia ex Divina Scripturarum revelatione nobis est nota, merito a nobis, si adsit indultum Ecclesiæ, majori vel minori cultu honorantur. Excipimus a communi regula gloriosissimam Deiparam, cui forte adhuc viventi Altaria fuerunt erecta, exhibitique alii honores, qui sunt Canonizatorum peculiares. Cæterum, cum Canonizatio proprie & in rigore accepta importet judicium certum & irreformabile de alicujus actuali Beatitudine; neque Beatissimæ Virgini potuit hæc Canonizatio convenire, cum adhuc in via esset.

In capite XV. gravissime, ut solet, Noster agit de gravitate causarum Canonizationis, & de his quorum opera & consilio Summi Pontifices olim usi sunt in earum definitione. Summa rerum, quas hic plena manu cumulat, hæc est. Docet primo, in pluribus Canonizationibus, Summos Pontifices usos fuisse opera & consilio Patrum Synodorum, vel particularium vel generalium. Secundo, plerasque Canonizationes factas fuisse a Romanis Pontificibus extra Concilium, per ea ipsa tempora, & per posteriora, & tunc Romanos Pontifices usos fuisse opera & consilio tum Cardinalium, tum Archiepiscoporum & Episcoporum ad id vocatorum. Tertio, in Canonizationibus peractis in Pontificio Consistorio, præmittebatur examen Processus per nonnullos Rotæ Romanæ Auditores, aut per alios probos & doctos Viros ad id specialiter deputatos, ut aperte colligitur ex adductis a Cardinali Ostiensi in *Commentar. ad Cap. Audivimus De Reliq. & vener. Sanctor.* cum quo concordant passim sæculo XIII. & deinceps scribentes. Quarto, quod ultra examen Rotæ Auditorum, antequam Causæ Canonizationum in Consistorio proponerentur, in quo Cardinales, Archiepiscopi & Episcopi suffragaturi congregabantur, superadditum fuit examen unius ex Cardinalibus, qui a Romano Pontifice ad hoc munus eligebatur, quod Dominus meus Cardinalis probat testimonio Guillelmi Beslin in *Collect. Concilior. Provinc. Rothomagens.* ex Monumento in Archivo S. Mariæ Augensis asservato, pariterque testimonio Joannis Longini, Canonici Cracovienſis in *Vita S. Stanislai Ep. & Mart.* edita ap. Bolland. ad d. 7. Maji. Quinto, quod examini unius Cardinalis trium Cardinalium examen procedente tempore subrogatum fuit; unius videlicet ex ordine Episcoporum, alterius ex ordine Presbyterorum, & ultimi ex ordine Diaconorum, qui ultra Rotæ Auditores rem totam sedulo penderent & examinarent. Ita factum fuit in Canonizatione S. Ludovici Regis Franciæ sub Bonifacio VIII. ut liquet ex Concione ab ipso habita & ap. Raynald. impressa ad ann. 1297. num. 58.

In Capp. subsequentibus usque ad XXIV. exclusive ea exponuntur, quæ ad sacrorum Rituum Congregationem spectant: item quæ pertinent ad Protonotarium & Secretarium ejusdem S. Congregationis: ad Rotæ Romanæ Auditores, eidem S. Congregationi adscriptos: ad Fidei Promotorem & ejus Subpromotorem: ad Notarium & Archivi Inspectorem: ad Processuum Interpretes, Procuratores, Advocatos, & Medicos, aliosque ejusdem S. Congregationis Ministros. Præterea exponuntur diligentiæ per Romanos Pontifices antiquiori tempore adhibitæ in discussione Causarum Beatificationis & Canonizationis; seriesque Actorum, qua eædem pertractabantur, a tempore Pontificatus Joannis XV. Denique traduntur nonnulla ad institutum Congregationis Sacrorum Rituum spectantia, quæ ante tempora Sanct. memor. Clementis XI. vigebant. Hæc summatim sunt 1. quod in una eademque Congregatione generali proponebatur dubium de Miraculis. 2. quod in eadem Congregatione ferebatur a Summo Pontifice judicium de iisdem. 3. quod in ipsa Congregatione tam Cardinales quam Consultores suum ferebant suffragium super progressu ad Beatificationem. 4. quod dubium de tuto progressu ad Canonizationem aliquando propositum fuit in Congregatione Ordinaria, accitis Consultoribus; resolutionis autem relatio Summo Pontifici fiebat per secretarium ejusdem Congregationis. 5. demum, quod Summi Pontificis voluntas de Beatificatione explenda, non uno eodemque modo exprimebatur, nec uno eodemque Ritu ipsa Beatificatio peragebatur: Hæc omnia aliter se habent ex instituto felic. recordat. Clementis XI. ut tum in vigesimo tertio, tum in vigesimo quarto capite, quod est *De solemnitate* Beatificationis, accuratissime ac plenissime Noster exponit.

In capite XXV. ab eodem enucleatissime differitur de transitu a Beatificatione ad Canonizationem, pro qua obtinenda, nova post indultam Beatificationem Miracula requiruntur, quæ a S. Congregatione & a Summo Pontifice examinentur atque approbentur.

In capite XXVI. texitur series Actorum, quæ in eodem transitu conficiuntur.

In Capite XXVII. quæ peculiaria sunt in Causis Martyrum exactissime declarantur. Pro his Causis ad normam Decretorum Urbani VIII. pertractandis, & procedendo per viam non Cultus, requiritur Processus auctoritate Ordinaria factus super fama Martyrii, Causæ Martyrii, & Miraculorum seu signorum, cui expedit, quamvis in jure præscriptum non sit, aliqua inferere de Virtutibus Martyris, cum facilius pronuntiari possit de Martyrio & causa Martyrii, si earum notio habeatur. Præterea requiritur Processus de non cultu, vel Ordinaria vel Apostolica Auctoritate factus: & nisi Summi PP. in hoc facile dispensarent, conficiendus esset Processus Apostolicus super fama Martyrii, & signorum seu Miraculorum. Post hæc disputatur dubium, *An constet de Martyrio & causa Martyrii*, loco dubii quod in Causis Confessorum discutitur; *An constet de Virtutibus*. Porro, si de Martyrio & Causa Martyrii constet, licet publicanda non sit affirmativa sententia, priusquam probentur duo saltem Miracula seu signa, tamen judicio Sapientissimi nostri Cardinalis, minime suspendenda est resolutio præfati dubii, ut quibusdam visum est; 1. quia id cederet in maximum causarum detrimentum, in quibus substantiale dubium de Martyrio & Causa Martyrii, quod favorabiliter resolvi posset, vel aliquando resolutum fuisset unanimi vel fere unanimi suffragatorum consilio, periculoso iterum experimento subjiceretur, dilata ejus resolutione ad tempus, quo agitur de approbandis signis seu Miraculis, ob factam videlicet interim mutationem Consultorum Sacræ Congregationis, ex causa vel obitus, vel discessus ab Urbe vel similium: 2. quia ea suspensio resolutionis adverſaretur usui Sacræ Congregationis, quæ in Causa Beati Josaphati Pollocensis, in Causa B. Joannis de Prado, & in Causa S. Joannis Nepomuceni, respondit, constare de Martyrio & Causa Martyrii, antequam fieret discussio Miraculorum seu signorum.

Quoniam vero quorumdam opinio fert, quod, statim ac responsum fuerit, constare de Martyrio & Causa Martyrii, approbata censeatur perseverantia finalis in Fide & Charitate, itaut superflua sit futura discussio dubii de signis seu Miraculis; ad hoc Noster respondet, resolutionem primi dubii in Martyribus correspondere approbationi virtutum in Confessoribus; atque adeo, sicut post approbatas Confessorum Virtutes, non frustra inquiritur super miraculis, ita nec superflue post approbationem Martyrii & Causæ martyrii, signa seu miracula Martyrum discutiuntur, per quæ prioris dubii resolutio firmior tutiorque reddatur, ex accessione, scilicet, signorum seu Miraculorum, quæ sunt velut voces Dei legitimam Martyrii Causam, verumque Martyrium quodammodo testantis.

Peculiare est in Causis Martyrum, ut pro eis pertractandis & expediendis Sedes Apostolica facile indulgeat, quod simul cum dubio de Martyrio & causa Martyrii, alterum proponatur de signis seu miraculis, cujus rei plura hic exempla afferuntur. Et quamvis nonnulli opinentur, saltem in quibusdam cir-

UAB Biblioteca de Ciències Socials

circumſtantiis congruum & utile videri, ut pari indulgentia permitteretur, quod in Cauſis Confeſſorum, ſuſpenſa reſolutione dubii, *An conſtet de Virtutibus*, illud de Miraculis agitetur, & utrumque unico contextu reſolvatur; illorum opinationem improbat Dominus meus Cardinalis. Et certe eam in praxi nunquam Sacra Congregatio admittere voluit, ut liquet ex Decreto edito d. 6. Decembr. 1712. in Cauſa Viterbienſi Beatificationis & Canonizationis Servæ Dei Sororis Hyacinthæ de Mareſcottis. Unde Noſtro minime probatur effatum Cardinalis de Lauræa admittentis Canonizationem ob ſola Miracula, quin conſtet de Virtutibus, ſicut ipſi diſplicet aſſertio illorum, qui ap. Patrem a Panormo in *Scrutin. Doctrinar.* cap. 3. art. 14. num. 18. Canonizationem admittebant ob ſolas Virtutes, quin conſtaret de Miraculis.

Ad calcem hujus Capitis obſervatur, etiam poſtquam conſtitit de Martyrio & Cauſa Martyrii, aut de uno miraculo ſeu ſigno, noluiſſe S. memor. Clementem XI. procedere ad Beatificationem Joannis de Prado; quamvis minime per hoc declaraverit, an ea ſufficerent, ut tuto procedere poſſet. Obſervatur etiam, approbatis pro Martyre B. Fidele de Sigmaringa ſignis ſeu miraculis, S. memor. Benedictum XIII. ab ea diſputatione Poſtulatores Cauſæ ſolviſſe, qua inquiri de more ſolet, an tuto deveniri poſſit ad Beatificationem. Qua indulta, Martyres æque ac Confeſſores adhuc egent novis Miraculis, ut Canonizationis honoribus donentur.

In cap. XXVIII. erudita recenſio fit Authorum, qui diverſimode opinantur quoad ſigna & Miracula in Cauſis Martyrum neceſſaria vel non. Negantes neceſſitatem Miraculorum pro Canonizationibus Martyrum, citantur Auguſtinus Triumphus, Turrianus, Rocca, Rodulphus, Macedo, Verricellus, Carena, Lozano, Molpheſius, Gonzalez, Bordonus, Cardinalis de Lugo, Paſqualigus, Silveira, Baldellus, Pavinus, Auditores Rotæ, in *Relatione Martyrum Japonenſium* art. 3. & in Relatione Martyris Joſaphat Pollocenſis Part. 2. §. *Quam aſſertionem*, & Chriſtianus Lupus Tom. III. *ad IV. Concil. Rom.* ſub S. Leone IX. a pag. 570. Hi moventur 1. quia in Martyribus inquiritur per Cauſam, quod plus eſt, quam inquirere per ſigna ſeu Miracula, quæ non ſunt per ſe Cauſa atteſtationis ſanctitatis, cum facere Miracula poſſit etiam malis convenire: contra vero pro Chriſto pati, & pro confeſſione Fidei vitam ponere, eſt per ſe Cauſa ſanctitatis, qua exiſtente abſque ullo ſigno miraculoſo, tuta eſt Martyrii Canonizatio; 2. quia Sancti Epiſcopi olim Miracula in cauſis Martyrum non exigebant, ſed tantum pœnam & cauſam; 3. quia ipſa Eccleſia in Officio Martyrum nullam Miraculorum mentionem facere conſuevit, cum nulla ſit major certiorque ſanctitatis & charitatis finalis certificatio, quam ſanguinem pro Chriſto fundere; 4. quia Martyribus a Chriſto Domino facta eſt ſingularis promiſſio, pro quo mortem obiiſſe, conſummata ipſorum gloria & juſtitia eſt, uti ſcripſit D. Cyprianus.

Adſtruentes neceſſitatem Miraculorum in Cauſis Martyrum allegantur Cardinalis Oſtienſis, S. Antoninus, Roſella, Author *Candelabri aurei correcti*, Albericus, Caſtellanus, Malvetius, Maſcardus, Caſaneus, Eminentiſſimus Cardinalis Petra in Doctiſſimis ſuis *Comment. ad Conſtit. Apoſtolic.* Tom. II. pag. 108. num. 16. & Tom. III. pag. 130. num. 20. Carolus Felix de Matta, Pignatellus, Piringh, Anacletus, Hurtado, Clericus Regularis Minor, & Mattheuccius. Adde Molanum & Mabillonium, quorum primus in *Natali Sanctor. Belg.* ad d. 4. Aprii. fatetur, plures fuiſſe in Belgio Martyres, quorum Martyria non celebrantur, forte quia poſt ipſa Miraculis non claruerunt: ſecundus in *Epiſt. ad Theophil. Gall.* ſub nomine Euſebii Galli *De Cultu Sanctor. ignotor.* aperte innuit, Miracula eſſe neceſſaria, ut Sancti pro certis & veris habeantur & colantur.

Poſt recenſitos utriuſque extreme oppoſitæ ſententiæ Patronos, & ſingulorum locos accurate deſignatos, opiniones alias veluti medias Noſter commemorat ac dilucidat. Prior eſt Fortunati Scacchi, qui in Opere ſuo MS. *De Confeſſorib. & Martyrib.* Sect. 10. cap. 2. docet, Miracula non eſſe neceſſaria in Canonizatione Martyrum, qui ſervata judicii forma, de Religione interrogati, invictam pro Chriſto mortem acceptarunt; cum hæc acceptatio certam reddat Eccleſiam de ultimo in fide & charitate illorum agone, & ſancto ipſorum fine. Eſſe vero neceſſaria ad illorum Canonizationem Martyrum, qui, nulla ſervata judicii forma, in odium Religionis Catholicæ interficiuntur, eo ſcilicet modo, quo interfectos fuiſſe ſcimus, S. Petrum de Verona & S. Thomam de Cantuaria. Nobis olim hæc media a Scaccho probata ſententia plurimum arriſit, & ſpeculative quidem loquendo adhuc maxime placet, præſertim, cum ea ſatis commode concilietur modernus Eccleſiæ uſus cum uſu veteri Epiſcoporum, qui Miracula pro decernendo Martyribus Cultu non exigebant, eo forte, quod per ea tempora quibus tyrannorum perſecutiones vigebant, notoria eſſet Martyrum Cauſa.

Secunda opinio eorum eſt, qui, etſi affirment, in ſolemni Martyrum Canonizatione ſimpliciter & abſolute non eſſe neceſſaria Miracula etiam poſt mortem patrata; eſſe tamen utilia, ut clarius & tutius cunctis pateat per hujuſmodi ſigna, Martyres, de quibus agitur, pro fide Chriſti, & in fide charitate formata, corporis mortem ſuſtinuiſſe. Pro hac opinione ſtant Caſtellinus, Gravina, & Lauræa, qui tamen idem ferme ſentiunt ac prioris ſententiæ authores; nam & ii aſſerunt, quinimo omnes afferere tenentur, quamvis ſigna ſeu Miracula non requirantur, cum evidenter pleneque conſtat de Martyrio & Cauſa Martyrii, tamen cum adeſt dubium, an pro Fide vel pro motivo Politico aliquis Catholicus interficiatur, ad tollendum dubium Miracula eſſe requirenda. Porro, in omni caſu utilia eſſe Miracula, quis neget?

Tertia opinio Miracula diſtinguit a ſignis & prodigiis, docetque, Miracula non eſſe neceſſaria, niſi quando cum Martyrio prodigium aut ſignum aliquod non contigit, quo præter humana teſtimonia etiam ſupernò quodam modo vera Martyrii cauſa comprobetur. Favent huic opinioni ap. Dominum meum Cardinal. P. Blanchus ex Dominicana Familia, Secretarius olim Congregationis Indicis, Conſultorque Sacrorum Rituum Congregationis, & ſupra laudatus Eminentiſſimus Cardinalis Petra Tom. I. pag. 231. num. 28. diſerte aſſerens, ſufficere prodigia & ſigna, ſi adſint concludentes probationes Martyrii. Sed neque hæc opinio ſatis differre videtur ab ea, quæ in Cauſis Martyrum non excludit neceſſitatem Miraculorum ſeu ſignorum, niſi quatenus ejus propugnatores Miracula a ſignis forte non diſtinguunt.

Quarta opinio eorum eſt, qui Miracula ſolum requirunt pro Canonizatione illorum Martyrum, qui vel dignitate aliqua, vel vitæ ſanctitate inſignes non fuerunt; ſecus vero in Canonizatione illorum, quos vel muneris vel vitæ ſanctitas commendavit. Ita quidam opinati ſunt ap. Baldellium *Theolog. Moral.* Tom. II. lib. 3. diſp. 14. num. 18. qui ibidem merito illos refutat, tanquam inducentes diſtinctionem plane novam & voluntariam, quæque nullum habet Authorem claſſicum, ſive Theologum ſive Canoniſtam, qui habita dignitatis perſonarum ratione, vel certiora vel minus certa Martyria declaret.

Quinta denique opinio requirit quidem Miracula pro Canonizatione, non vero pro Beatificatione Martyrum. Verum neque hujuſmodi diſtinctio placet egregio noſtro Scriptori, loquendo de ſolemni Beatificatione a Pontifice M. peragenda; nam ſi in cauſis Martyrum Miracula requiruntur, ut certius conſtet de Martyrio & cauſa Martyrii; & de Martyrio & Cauſa Martyrii nequaquam agatur poſt Beatificationem, ſed antequam Beatificatio indulgeatur, conſequens eſt, ut ſine prævia approbatione, Miraculorum, Papa concedere non debeat Beatificationis indultum.

Diſplicet etiam ſapientiſſimo Cardinali diſtinctio a quibuſdam excogitata & a Contelorio admiſſa inter vera Miracula, & ſigna ſeu prodigia admiranda; nam hæc, ſi reipſa ſuperent vires naturæ, vel quoad ſubſtantiam vel quoad ſubjectum vel quoad modum, non poſſunt non pertinere ad aliquod genus veri Miraculi. Quare, non ipſi probatur eorum opinio, qui ap. Silveſtrum Petra Sancta in *Thaumaſia veræ religionis* Tom. I. in *Prolegom.* §. 19. Miracula quadrifariam partiuntur, ut nimirum quartam Claſſem eorum conſtituant effecta quædam, in quibus neque res ipſa, neque modus vim & poteſtatem naturæ aut averni ſuperant, ſed ex adjunctis aut ex circumſtatiis liquet ea Numini dumtaxat adſcribi debere: cujus generis Miracula aut prodigioſa ſigna vocant flammas de cælo ad imperium Eliæ deſcendentes; pluvias repente e cælo dilapſas ad Chriſtianorum ſitim extinguendam, fulminaque eodem tempore ejaculata ad atterendas acies Barbarorum, ut contigit in bello, ſub Marco Aurelio, ad preces Chriſtianæ Legionis, quæ *Fulminatrix* nuncupabatur, ut habetur ap. S. Juſtin. in *Epiſt. Ejuſd. Imp.* edita poſt *II. Apologiam*, & conſtat ex Tertulliano, Euſebio, & S. Gregorio Nyſſeno. Similia enim poſſent & mali Genii efficere, licet non in illis circumſtantiis, quibus probari debuit & veri Dei Majeſtas, & vera ejus Divinitas. Ceterum, ex hoc ipſo potius infertur, præfata ſigna & prodigia ſaltem quoad modum vere fuiſſe ſupernaturalia: naturalia enim ſupernaturalium operationum ſigna eſſe non poſſunt. Nec ulla veri Miraculi ratio inveniri poteſt in illis ſignis, quæ ſaltem quoad modum non ſint ſupernaturalia: alioquin ſigna eſſent ambigua, cum non minus tam quoad ſubſtantiam quam quoad modum emanare poſſent a concurſu & nexu cauſarum naturalium, quam a Deo ut ſupra naturæ modum & ordinem operante. Hinc S. Thomas, qui non niſi tria Miraculorum genera agnoſcit, *Part. I. quæſt.* 115. *art.* 8. ad tertium & infimum genus reducit, non ſolum inſtantaneam a febri curationem, verum etiam repentinas pluvias, ex aere abſque naturalibus cauſis denſatas, ſicut factum eſt ad preces Samuelis & Eliæ. Recte igitur Noſter concludit, Miracula & ſigna ex parte cauſæ inter ſe convenire, ſolumque ſecundum diverſos reſpectus ab invicem differre variaque vocabula ſortiri: quippe Miracula, ſigna ſunt, inquantum manifeſtant aliquid ſupernaturale: Virtutes autem dicuntur, in quantum eorum effectus facultatem naturæ excedunt. Similiter portenta appellantur, vel prodigia, propter majora & excellentiora opera quaſi procul aliquid oſtendentia.

Jam ſi aliquis quærat, cur ſi inter Miracula & ſigna nullum ſit verum & reale diſcrimen, uſus obtinuerit in Sacrorum Rituum Congregatione, ut quando diſcutiuntur Cauſæ Martyrum, proponatur dubium: An conſtet de Miraculis ſeu ſignis? Quando autem diſcutitur Cauſa alicujus Confeſſoris, nude ac ſolitarie dubitetur: An conſtet de Miraculis? Reſpondet Dominus meus Cardinalis, præfatam dubiorum differentiam non eſſe deſumptam ex eo, quod S. Congregatio Miracula a ſignis diſtinguat; ſed ex eo quod retinere voluerit, vel noluerit mutare, in proponendo dubio in Cauſis Martyrum, modum loquendi Auditorum Rotæ Romanæ, qui in ſuis Relationibus eam opinionem plerumque amplexi ſunt, quæ in Cauſis Martyrum excludit neceſſitatem Miraculorum, & ſolum requirit

ſigna

UAB Biblioteca de Ciències Socials

signa quædam insolita & mirabilia, quæ in rigore dici nequeant Miracula. Præterea, dubium sub his verbis conceptum: *An constet de Miraculis seu signis?* importat particulam *seu*, quæ, etsi aliquando *disjunctiva* sit, frequenter etiam vel *copulativa*, vel *declarativa & expositiva* est. Denique, cum vera & propria Miracula creberrime in Sacris Litteris appellentur *Signa*, convenientissime Divinæ Scripturæ usum retinere voluit Sacra Congregatio, ideoque saltem in Martyrum Causis vulgari nomini Miraculorum adjunxit sacratius *Signorum* vocabulum. Adhuc tamen sacra Congregatio minime decrevit, vera & rigorosa Miracula esse necessaria in Causis Martyrum, nullumque super argumento Miraculorum statuendum esse discrimen inter Causas Martyrum & Confessorum.

In capp. XXIX. & XXX. fuse disseritur de Miraculorum necessitate in Martyrum Causis, tum spectata Ecclesiastica Disciplina, tum inspecta Sacræ Rituum Congregationis consuetudine. Omnia eo collimant, ut liquido constet, jure optimo Sacram Congregationem in omnibus & singulis Causis Martyrum vera Miracula exquirere, tum pro Beatificatione, tum pro Canonizatione, ab eo scilicet tempore, quo cognitio Causarum Beatificationis & Canonizationis ad Sedem Apostolicam privative delata est.

In capite XXXI. series attexitur Actorum in Causis sive Confessorum sive Martyrum, quæ introducuntur post Decreta Urbani VIII. & quæ procedunt per viam Casus excepti. In cap. XXXII. de eisdem Causis agitur, signanter quoad transitum a Beatificatione æquipollenti ad formalem Canonizationem. Hic Noster erudite confirmat sententiam & praxim Sacræ Congregationis, quæ in Causis procedentibus per viam Casus excepti, sufficere docet duo Miracula tertii generis, quæ post indultam venerationem supervenerint, pro obtinendo Canonizationis Decreto.

In reliquis hujus I. Tomi Capitibus accuratissime describuntur, quæ de Consistoriis, privato, publico, & semipublico habendis pro absolutione Causarum Canonizationum sciru necessaria & utilia sunt: Orationes etiam, quæ in illis fiunt, memorantur: ipsa quoque Canonizationis solemnitas graphice & nativis, ut ita dicam, coloribus depingitur: designantur præterea varii Cultus Actus Servis Dei post Beatificationem, & Beatis post Canonizationem exhibendi. Ulterius notantur in quibus Beatificatio & Canonizatio differant. Sed quia in his differentiis assignandis Scriptorum Cœtus non est labii unius & sermonum eorumdem, Sapientissimus Dominus meus Cardinalis, qui ad obscura quæque illustranda natus videtur (tanta est eximii Viri perspicacia,) tempora optime distinguens, & vocum ambiguitates tollens, facile Jura conciliat, & quid rei cuique jure tribuendum sit, nullo negotio explanat. Quare prima ejus assertio est: *Quamvis regulariter Beatificationis Actus non præcipiat, sed solum indulgeat Cultum Beatificato exhibendum: ideoque per hoc soleant Doctores communiter distinguere Beatificationem a Canonizatione: Negari tamen nequit, quod aliquando Cultus simpliciter Beatorum non modo permissus, verum etiam fuerit præceptus.* Hoc liquet ex Litteris Apostolicis Alexandri PP. III. quibus respondet Martino Episcopo Goslenensi supplicanti pro Canonizatione B. Guilielmi Eremitæ a Malavalle, se ejus preces tempore opportuno exauditurum, & *interim mansuevit eidem*, ut refert Innocentius PP. III. ap. P. Guilielmum de Waha Presbyterum Societatis Jesu in *Vita ejusd. Beat.* pag. 236. *ut in Anniversario pro Divini Nominis gloria & ejusdem Sancti memoria, Officium Confessoris solemniter celebraret, & in sua Diœcesi faceret solemniter celebrari.* Cujus mandati executionem idem Innocentius III. præcepit. Præterea Leo PP. X. qui Hosannam Virginem beatificavit, nedum concessit, sed & mandavit, ut in die ejus Natalis fieret illius in Divinis Officiis commemoratio. Ulterius Clemens PP. IX. in suis Litteris in forma Brevis expeditis die 2. Januar. 1669. pro Beatificatione S. Rosæ Limanæ, non solum diem ejus Natalem festum de præcepto constituit, verum etiam ejus Officium ab Universo Clero Regni Peruviani recitari mandavit.

Secunda assertio est: *licet Cultus Beatorum fere semper limitetur ad determinatam Provinciam, Diœcesim, Civitatem, aut Religiosam familiam; exemplum tamen non deest de concessione Cultus pro universa Ecclesia in honorem alicujus simpliciter Beatificati.* Hoc constat ex Diplomate Sixti IV. pro Beatificatione Servorum Dei Berardi, Petri, Othonis, Accursii & Adjuti Ordinis Fratrum Minorum: clariusque ex Litteris Beatificationis S. Joannis Boni & S. Rosæ Limanæ.

Tertia assertio est: *Canonizatio est Summi Pontificis sententia definitiva, qua præcipiendo, adhibitionem Cultus decernit.* De hujus assertionis veritate dubitandum non esse, recte Noster pronunciat; nam licet nonnunquam in Bullis Canonizationum verba non præceptiva inveniantur, hæc tamen semper cum aliis præceptivis conjunguntur.

Quarta assertio est; *Cultus in Canonizatione extenditur ad universam Ecclesiam.* Quæ propositio universaliter vera est, etiamsi nonnulla Canonizationum Diplomata particularibus aliquibus personis, & non omnibus Christi fidelibus, inscripta reperiantur. Quidquid enim sit de inscriptione, in corpore Litterarum Canonizationum, verum Cultus & honoris præceptum continetur, quod cunctis Christicolis imponitur.

Quinta assertio est; *Canonizatio est Summi Pontificis sententia ultimo definitiva, qua Cultus præcipitur in universa Ecclesia*, & in hac ratione extremæ definitivæ sententiæ vere & proprie consistit Canonizatio, qua talis, & essentialiter distinguitur a Beatificatione, cui non potest convenire, quod sit sententia ultimo definitiva, tametsi ex speciali Summi Pontificis indulto alia, quæ propria esse solent Canonizationis, etiam cum Beatificatione non semel jungantur.

Ubi Sapientissimus Cardinalis explicare aggreditur, qualis sit Sedis Apostolicæ permissio, quæ per Beatificationem habetur, circumspectissime agit de Causa Luciferi Calaritani; nec prætermittit quidquam eorum, quæ sive Veteres sive Recentiores Scriptores pro illo & contra illum literis consignarunt. Pro Luciferi orthodoxia ex Antiquis Socratem & Sozomenum refert: adversus ejus pravum vel in hæresi vel in schismate sensum citat Sulpitium Severum, & SS. Ambrosium, Augustinum & Hieronymum, qui tamen, post obitum, illum appellavit Beatum. Rursus pro ejus Cultu plura indicat ex fuse adductis a Bollandianis, & a Spondano ad an. Chr. 362. Nec dissimulat suspicionem Natalis Alexandri & Baillet, qui duos Luciferos, ambos Calaritanos Episcopos obtrudere volunt, quorum posteriori exhibitus fuerit Cultus, cujus etiam nunc hodie clara vestigia supersunt. Meminit præterea exortæ super hac re pugnæ inter duos Sardos Archiepiscopos; ex quibus, qui Turritanæ Ecclesiæ præfuit, contra Luciferum calamum acuit; qui vero Calaritanam rexit, nempe Ambrosius Machinus, pro Lucifero strenue sterit, & anno 1639. suas pro Lucifero vindicias Urbano Papæ VIII. obtulit, quas etiam Bollandiani pluribus illustrarunt; & quidam Canonicus, Nurra cognominatus, pro ejusdem Luciferi causa complura cumulavit, quæ nondum prælo, matura morte præoccupatus, inedita reliquit. Ea ad Sanctæ memoriæ Clementem XI. ab Apostolico Florentiæ Nuntio transmissa, inter selectissima ejusdem Pontificis monumenta, forte nunc asservantur.

In re nimis obscura, Nostri sententia est: Si integra facti series recte perpendatur, difficile admodum erit tuto asserere, Luciferum Calaritanum habendum esse tanquam Beatificatum. Certe hodie non licet quæstionem hujusmodi agitare; aut imaginem Luciferi populo venerandam & adorandam exponere, & præcipue in Diœcesibus & Provinciis, ubi nondum fuit expolita nec venerata, multoque minus licitum est in ejus honorem Officium aut Missam celebrare.

Non minus caute & erudite ab eodem Domino meo Cardinali pertractatur causa Raymundi Lulli, in qua sententiæ inhærens Petri Francisci de Rubeis, egregii olim Fidei Promotoris, asserit, quidquid sit de Cultu prætato Raymundo exhibito, atque etiam supposita ejus Cultus antiquitate, una cum Episcoporum Majoricensium tolerantia, nunquam forte dimissa, majorum timore malorum, illum inter Beatificatos recenseri non posse: ad hoc quippe ut inter Beatificatos recenseretur, judicio Sapientissimi Domini, satis profecto non esset, publici Cultus antiquitatem, pariterque scientiam & tolerantiam Episcoporum demonstrare, loquendo scilicet in casu nostro: tunc enim ea & similia sufficerent, cum suspicio legitima non haberetur de sensu Sedis Apostolicæ potius adverso, quam favorabili Cultui prædicto. Scilicet, quanquam præclarissimus Auctor optime noverit, diligentissimeque perscrutatus fuerit, quid in defensionem Lulli scripserit Antonius Bellver, Canonicus Majoricensis, in vulgata pro ipso *Apologia*; quidque de eodem argumento posteris transmiserint Joannes Sequi in ejusdem *Raimundi Vita*, Salelles Tom. II. *De Sanctis. Inquisit.* Wadingus in *Annal. Minor.* Tom. III. & novissime P. Jo. Baptista Sollerius in *Act. Bollandian.* ad d. 30. Junii: hæc omnia bene perpensa non sufficere existimat, ut omnem excludant prudentem dubitationem de prætensa Raymundi sanctitate, quæ satis obscura ambiguaque reddi videtur per contrariam opinionem aliorum qui non infundate adversus illam scripserunt. Nec Nostro probatur conjectura Theophili Raynaudi persuadere volentis, errores cujusdam Raymundi Lulli de Tarraga a Gregorio XI. condemnatos, fuisse Raymundo Lullo, de quo nunc est quæstio, falso adscriptos: observat enim, Raymundi Lulli de Tarraga nunquam in Diplomatibus Pontificiis mentionem fieri, sed appellari Raymundum Lullum, illumque de Judaismo ad Christianam fidem conversum, & sacro Ordini Prædicatorum adscriptum, propter errores sacrilegos ac perversos, quos publice prædicabat, carceribus Barcinonensis Inquisitionis fuisse mancipatum anno 1. Pontificatus præfati Gregorii XI. hoc est an. 1371. Hæc autem, ut liquet, minime conveniunt Raymundo alteri, qui, præter nomen, nihil habuit commune cum Raymundo de Tarraga: proindeque prorsus est inverisimile, ut docti & eruditi Scriptores tam facile unum cum altero confundere potuerint. De hoc plura nos dicemus Tomo IV. sub nomine *Raymundus Lullus*.

De judicio Ecclesiastico pro Beatificatione interposito, post exacte relatos aliorum dicendi modos mentem suam Cardinalis doctissimus exponit, utque distinctius procedat, 1. agit de Beatificatione olim ab Episcopis vel Martyribus vel Confessoribus indulta, de quorum judicio docet, difficile admodum videri, tuto asseri posse illud ab erroris labe immune aut fuisse, aut semper esse debuisse; tum quia nullum particularis Episcopi judicium unquam fuit in Ecclesia Dei habitum pro infallibili; tum etiam, quia nonnullos Episcopos hac ipsa in re fuisse deceptos, certum est ex Historiis, uti constat ex narratis a Sulpitio Severo in *Vita S. Martini*, & a Socrate in *Histor. Eccles.* lib. 7. cap. 14.

2. Agit de Beatificatione æquipollenti, asseritque, judicium in ea a Summo Pontifice interpositum ad fidem pertinere non videri: nam non modo judicium Summi Pontificis in hac æquipollenti Beatificatione non est præcipiens, cum indulgens tantum sit atque permittens: sed nec etiam terminale est atque

UAB Biblioteca de Ciències Socials

que extremum, quale profecto ex suo conceptu debet esse omne judicium infallibile, quod qua tale inutilem ac supervacaneam reddit ulteriorem omnem veritatis indaginem & inquisitionem. Porro, post Beatificationem æquipollentem, ulterius de Beatificati sanctitate inquiritur, & nisi præcessisset discussio Virtutum & Miraculorum, adhuc pendet judicium de Virtutibus heroicis, aut de Martyrio, quod idem est, ac de re substantialiter requisita ad irrevocabilem Cultus concessionem. Inde nata est consuetudo apponendi in quibusdam Litteris Apostolicis Beatificationis æquipollentis hanc clausulam: *Salva tamen in præmissis auctoritate Congregationis eorundem Cardinalium*. Nihilominus Noster prudentissime subjungit, certum esse, a nota temeritatis immunem eum non esse futurum, qui Summum Pontificem erasse in eo judicio contenderet, & Cultum reprobaret, quem ille indulsit: grave quippe est ac ponderosum in eo negotio Papæ judicium magnique momenti probationibus suffultum, quod falsum appellare, eo solum, quod falsum esse, absolute non repugnet, prorsus temerarium est.

3. Agit de Beatificatione formali, in qua gravissimum certe est Summi Pontificis judicium, quod utique non absolvitur, nisi constet ex Processibus de Virtutibus aut de Martyrio, & de Signis seu Miraculis, quæ sunt substantialia requisita Canonizationis; quin & de Summorum Pontificum Apostolicis Literis ea deest clausula jus servans Congregationi Sacrorum Rituum. Nihilominus censet, adhuc hujusmodi judicium metas non excedere moralis certitudinis, licet pertingat ad summum, ut ita dicam, ejusmodi certitudinis gradum: proindeque nec esse infallibile, neque ad fidem pertinere. Saltem desunt principia, ex quibus tuto inferatur, summi Pontificis hac in re judicium esse finale & extremum, consequenterque irreformabile & infallibile. Assertionem suam invictis profecto argumentis probat Sapientissimus Cardinalis, qui etiam expeditissime solvit objectiones illorum, qui aliter opinari videntur; ex quibus etiam aliquid indistincte & confuse loqui ac æquivocatione laborare convincuntur. Illud in hac materia merito observandum, nempe, Cultum a Sede Apostolica indultum vel etiam præceptum, quantumvis ad Ecclesiam universalem extendatur, non necessario regulari per judicium infallibile, aut illud necessario supponere; nam, uti Noster aptissime differit, plura sunt exempla Cultus universalis a Sede Apostolica indulti & præcepti, sola morali certitudine de veritate aut sanctitate objecti colendi. Etenim passivus Deiparæ Conceptus Cultu publico ac solemnissimo in universa Ecclesia de præcepto celebratur, & tamen certa de fide non est, sed ad summum morali quadam certitudine Sanctitas Conceptionis Deiparæ. Nam ad statuendam primam Virginis animationem pro objecto Cultus solemnis, & laudabilis erga Deiparam pietatis, sufficit, ut Pontifici visum sit pium ac probabile, quod Beata Virgo semper labe caruerit, ejusque prima animatio fuerit immaculata, ut cum P. Theophilo Raynaudo latius prosequitur Cardinalis doctissimus, a quo pariter laudantur verba P. Natalis Alexandri in *Histor. Eccles. Sæc. II.* dissert. 26. §. 21. ajentis: (Ecclesia tamen decernendo, ut non amplius sub Sanctificationis, sed sub Conceptionis nomine illa Deiparæ solemnitas celebraretur, & singulare quoddam Officium probando, quo Immaculata recolitur Conceptio, in eam se magis propendere partem ostendit, quæ Immaculatam opinatur. Pietatis ergo sit Ecclesiæ sequi propensionem, & Deiparæ Virginis Conceptionem Immaculatam prædicare, &c. Sed Officii est ultra non progredi, cum Ecclesia quæstionem illam nondum finierit, nec Immaculatam Deiparæ Virginis Conceptionem, ut Dogma fidei, credendam proponat.) Ceterum, ut Ecclesia in eam partem propensior sit, multa facere potuerunt, quæ P. Dionysius Petavius *Theolog. Dogmat.* lib. 14. cap. 2. num. 10. summatim exposuit, dicens: (Movet autem me, ut in eam sim partem propensior, communis maxime sensus Fidelium omnium, qui hoc intimis mentibus, atteque defixum habent, &, quibus possunt, indiciis officiisque testantur, nihil illa Virgine castius, purius, innocentius, alienius denique ab omni sorde ac labe peccati procreatum a Deo fuisse; tum vero nihil cum inferis & horum rectore Diabolo, adeoque cum qualicumque Dei offensa & damnatione commune unquam habuisse.) Quæ omnia plane sunt suasibilia, & pietati erga Matrem Dei plurimum consentanea, minime tamen fide Divina certa, cum non innitantur vel explorata revelatione, vel definitione aliqua Ecclesiæ. Simile quoque exemplum desumi posset ex objecto cultus universalis ab Ecclesia decreti pro festo Assumptionis ejusdem Virginis Deiparæ: licet enim probabilissime credatur, hujus solemnitatis objectum esse Assumptionem in Cælum Corporis animati Sacratissimæ Virginis; hujus veritatis Divina fide certi minime reddimur, quanquam ei libentissime valdeque rationabiliter suffragamur, propter communem Ecclesiæ consensionem, cui non absque petulanti temeritate quisquam repugnare auderet. Ut alia autem prætermittamus, quæ congruentissime in hanc rem a Nostro promoventur, constat, fideles omnes religiose plane ac laudabiliter hanc individuam & determinatam Hostiam adorare, quinimo adorare teneri; de cujus tamen vera consecratione non habemus certitudinem fidei, sed tantum certitudinem quandam moralem, eamque juxta plurimorum sensum imperfectam, hoc est, non in positivis argumentis fundatam, sed carentia omnis fundamenti ad negandum aut dubitandum innixam.

4. Agit de Ecclesiastico judicio, quod interponitur in Sanctorum Canonizatione, utrum sit infallibile. De hac autem gravissima quæstione censet, eam partim quidem a celebri illa differre, sed partim etiam cum eadem convenire, quæ tantis scilicet animorum motibus agitata est, de infallibili Summi Pontificis judicio in Doctrina fidei & morum, de ejusdem judicii infallibilitate atque authoritate absque eo, quod dependeat a consensu Ecclesiæ, deque necessitate intellectum eis subjiciendi, sub hæresis nota adversantibus imposita, eis, inquam, quæ tanquam de fide a Romano Pontifice declarata sunt, & declarantur. Licet enim, quicumque admittunt judicium Papæ infallibile in Sanctorum Canonizatione, eo ipso certam supponant sententiam de Pontificia inerrantia, quam complures profecto insignes ex omni tribu, & lingua & populo Doctorum summi momenti rationibus propugnant; non tamen omnes, qui pro Papæ infallibilitate stant, eamque ut nobile fidei Dogma defendunt, eo ipso illam agnoscunt in Canonizationis negotio quantumvis gravissimo. Nam vel illi, qui infallibilitatem hanc, non Papæ, sed Concilio Œcumenico tribuerunt, non ideo judicium Canonizationis etiam de consensu Concilii Œcumenici peractæ, infallibile esse affirmarunt. Imo de hoc dubitarunt nonnulli, eo quod Canonizatio non sit quæstionis juris, sed facti resolutio, in qua vel Synodum Generalem errare posse censuerunt.

Negantes apud nostrum infallibile esse Canonizationis judicium, sunt Glossator in *cap. unic. in verb. Sedis Apostolicæ de Reliq. & Venerat. Sanctor.* in 6. Innocentius *in cap.* 1. num. 4. Ostiensis ibi num. 10. Felinus in *cap. Venerabili*. Cardinalis Cajetanus in *Tract. de Indulgent. advers. Luther.* cap. 8. Vincentius Baronius *Theolog. Moral.* parte altera, Disp. 11. Sect. 2. §. 2. denique, re bene inspecta, cum iisdem sentit Augustinus Triumphus seu de Ancona *De Potest. Eccles.* sect. 14. art. 4. ubi etsi probare contendat, Papam nunquam mentiri aut simulare in Sanctorum Canonizatione, quia id decernit ac definit, quod ipse sentit & credit: absolute tamen posse judicium Papæ non esse conforme judicio Dei, censet. Hoc enim sonant hæc Authoris hujus verba: Ecclesia ergo non errat canonizando aliquos Sanctos; quia non canonizat, eos esse Sanctos judicio divino secundum determinatam sententiam, sed judicio humano secundum præsentem justitiam; secundum quem modum Sancti sunt, hominum reputatione & veneratione.) Hæc ille satis quidem periculose & contra communem sensum Ecclesiæ, quæ in canonizandis Sanctis non quiescit in hominum opinione, sed potissimum quærit quonam pacto res ipsa coram Deo se habeat; ideoque ne fallatur, opem & assistentiam a Deo implorat, quam ipse rite ei postulanti promisit.

Rectissime ergo Noster cum communi ferme omnium Canonistarum & Theologorum, quorum accuratissime nomina locaque recenset, sententia, docet, hujusmodi Papæ judicium esse prorsus infallibile, tanquam in re ad Religionem pertinente, vere definitivum, ultimum & irreformabile. Quanta vero sit certitudo, qua constat, Canonizatum vere esse Sanctum, & beata visione perfrui, hactenus operose disputatur; nec doctiores sive Theologi sive Canonistæ in eadem sunt sententia; nam plures, iique fama & scriptis celebres, asserunt, non esse formaliter de fide Papam errare non posse in Sanctis canonizandis. Ita quidem censent locis a Nostro citatis Joannes a S. Thoma, Antonius de Corduba, Ludovicus a Paramo, Franciscus Suarez, Gabriel Vasquez, Rabaudius, Dominicus a SS. Trinitate, Vincentius Ferre, Dominicus Maria Marchesius, Salmanticenses & Theophilus Raynaudus. Alii vero, non minus plane insignes, de fide esse sentiunt, Summum Pontificem falli non posse in Canonizatione Sanctorum, & de fide esse Canonizatum esse Sanctum, & in Cælis cum Christo regnare. Sic Angelus Maria Verricellus, Lucas Castellinus, Rodericus de Arriaga, Adamus Tannerus, Aloysius Turrianus, Gregorius de Valentia, Alfonsus a Castro, & plenius Ricciolus, Cardinalis de Lauræa & Silvester Maurus. Utriusque sententiæ fundamenta exactissime Noster perpendit, varioque sive affirmativam sive negativam explicandi modos perspicue exponit; deindeque, quasi in medio positus, quid tandem sit tenendum, tam docte, tam circumspecte, tamque plene tradit, ut in hac gravissima Controversia, nihil plane dici possit vel doctius, vel eruditius, vel moderatius, vel pientius. Quare operæ pretium judicamus, integra Sapientissimi Viri hic subjicere verba.

Videtur igitur nobis, *inquit*, utraque opinio, in sua probabilitate esse relinquenda, usquequo Sedis Apostolicæ judicium prodeat; quia scimus quidem, de fide esse quod Sancti sunt colendi, ut definitum est, in Conciliis Generalibus *Constant. I.* cap. 7. *Chalcedon. Act. 8. Nicæn. II. Act. 6. & Trident. Sess.* 25. scimus item de fide esse, Venerationem eorum Reliquiis esse exhibendam: scimus, sententiam a Summo Pontifice prolatam in Canonizatione Sanctorum esse definitivam, necnon ad universam Ecclesiam pertinere, & errori, juxta superius dicta, esse non posse obnoxiam ob specialem Spiritus Sancti afflatum: insuper scimus, in Concilio Constantiensi inter ceteros Joannis Wicleffi errores, hunc etiam condemnatum fuisse; *Augustinus, Benedictus, Bernardus damnati sunt, nisi pœnituerunt de hoc quod habuerint possessiones, & instauraverint Religiones: & sic a Papa usque ad minimum Religiosum, omnes sunt hæretici*: scimus denique, anathematis pœnam impositam illis fuisse, qui declarationi sanctitatis, seu Canonizationi alicujus refragarentur, veluti legitur in Bulla Canonizationis Beati Udalrici expedita a Joanne XV. in Concilio Lateranensi. *Si quis interea, quod non credimus, temerario ausu contra ea, quæ ab hac Nostra authoritate pie ac firmiter per hoc Privilegium constituta sunt, contraire tentaverit; vel hæc, quæ a Nobis ad laudem Dei pro*

reverentia jam dicti Epiſcopi conſtituta ſunt, refragari aut in quoquam tranſgredi, ſciat, ſe authoritate Beati Petri Principis Apoſtolorum, cujus vel immeriti vices agimus, anathematis vinculo innodatum. Quæ ſcilicet anathematis pœna hæreticorum propria eſſe videtur, ut habetur in cap. *Cum Chriſtus*, & in cap. *Ad abolendam, de Hereticis*; neque ſolum hæc omnia ſcimus, verumetiam libentiſſime admittimus, ea non parum prodeſſe ſententiæ docenti, eſſe de Fide, quod Canonizatus ſit Sanctus, & ſit in æterna Gloria: attamen cum agatur de Dogmate fidei ſtatuendo, Sedis Apoſtolicæ, Matris & Magiſtræ ceterarum Eccleſiarum, Summique Pontificis, ad quem privative pertinent fidei definitiones, judicium expectandum eſſe cenſemus, antequam hæreſis nota inuratur oppolitam ſententiam ſequentibus. Eo autem magis id cenſemus, cum tot Viri docti & Pontificiæ authoritatis intrepidi aſſertores, atque adeo infallibilitatis Summi Pontificis, nedum in Fidei ac morum definitionibus, verumetiam in ipſo Canonizationis actu, defenſores, Sanctorum utique Cultum Reliquiarumque Venerationem inter fidei Dogmata recenſeant; ſed & inſimul aſſerant, de fide non eſſe, hunc aut illum, licet Canonizatum, eſſe Sanctum; nec pariter de fide eſſe; huic aut illi Reliquiæ Venerationem eſſe exhibendam: fateantur ſane corde & animo, obtemperandum eſſe ſententiæ Papæ definientis, hunc aut illum eſſe Sanctum; ſed una ſuſtineant, eandem definitionem non proxime, verum *reductive* tantum ad fidem ſpectare; reſpuant profecto damnatum errorem Wicleffi; ſed hæreſim ejus rejiciant in cauſas, quas affert. Summos tandem Pontifices dicant, recte potuiſſe & poſſe anathematis pœnam imponere debitam negantibus obedientiam Canonizationis Bullæ, abſque eo, quod hinc inferatur hæreſis; cum pro pœna anathematis alicui infligenda ſatis ſit, ſi is proferat propoſitionem male ſonantem, pias aures offendentem, blaſphemam, de hæreſi ſuſpectam, quo circa videmus Sanct. memor. Clementem XI. in famigerata Bulla *Unigenitus*, per quam centum & unam propoſitiones condemnavit, etſi non omnes tanquam hæreticas, ſed aliquas tanquam de hæreſi ſuſpectas, ſchiſmati faventes, erroneas, & hæreſi proximas, anathematis tamen pœna omnes infectatum fuiſſe ſequentibus verbis: *Mandantes omnibus utriuſque ſexus Chriſti fidelibus, ne de dictis propoſitionibus ſentire, docere, prædicare aliter præſumant, quam in hac eadem noſtra Conſtitutione continetur; ita, ut quicumque illas, vel illarum aliquam, conjunctim vel diviſim docuerit, defenderit, ediderit, aut de eis etiam diſputative, publice aut privatim docuerit, niſi forſan impugnando, Eccleſiaſticis Cenſuris, aliiſque contra ſimilia perpetrantes a jure ſtatutis pœnis ipſo facto abſque alia declaratione ſubjaceat.*

Itaque, ut tantæ quæſtioni finem denique imponamus, ſi non hæreticum, temerarium tamen, ſcandalum toti Eccleſiæ afferentem, in Sanctos injuriolum, faventem hæreticis negantibus authoritatem Eccleſiæ in Canonizatione Sanctorum; ſapientem hæreſim, utpote viam ſternentem Infidelibus ad irridendum Fideles, aſſertorem erroneæ propoſitionis, & graviſſimis pœnis obnoxium dicemus eum, qui auderet aſſerere, Pontificem in hac aut illa Canonizatione erraſſe, hunceque aut illum Sanctum ab eo canonizatum non eſſe Cultu Duliæ colendum: quemadmodum aſſentiuntur etiam illi, qui docent de Fide non eſſe, Papam eſſe infallibilem in Canonizatione Sanctorum, nec de fide eſſe, hunc aut illum Canonizatum eſſe Sanctum. Melchior quippe Canus *de Loc. Theolog.* lib. 5. c. 5. pag. 171. Edit. Patav. ſic loquitur: *Qui fidem in his*, hoc eſt Canonizationibus, *Eccleſiæ detrahunt, eos non hæreticos quidem, ſed temerarios, impudentes, irreligioſos eſſe, credimus.* Theophilus pariter Raynaudus Operum tom. 10. *in Corona aurea Roman. Pontif.* pag. 153. ita fatur: *Igitur, quod alicui decernatur Canoniſmus, non facit ex fide certum, quod talis ſit Cælo illatus & potiatur beatitudine. Tametſi nemo ſanus refragabitur, quin vere pronunciatum ſit a S. Bonaventura, referente Catharino lib. 1. De Certa Sanctor. Glor. fore incredibiliſſimum & horribiliſſimum ambigere de vera beatitudine Sancti Canoniſmo donati, & vindicati. Sed aliud eſt, rem eſſe de fide, ita ut abſque injuria authoritatis Divinæ per Eccleſiam propoſitæ negari non poſſit.* Item Scacch. *De Not. & Sign. Sanctitat.* Sect. 1. cap. 8. pag. 47. ait: *Et tanti ponderis eſt iſte Canonizationis actus, ut qui Cultum Canonizato negaret, de hæreſi ſuſpectus eſſet.* Pritanius demum *De Ingenior. moderat.* lib. I. cap. 17. pag. 130. Venet. Edit. poſt multa, concludit: *Quare a ſuſpicione hæreſis ille non abſit, atque intolerandam & pœnis dignam temeritatem atque impudentiam præferat, qui rite Cælitum Catalogo adſcriptos explodat, & in iis, ut ajunt, canonizandis Eccleſiam reipſa & Romanum Pontificem erraſſe dicat. Suſpicionem hæreſis memorazi, non tamen hæreſim formalem.*

Secunda magni Operis Pars, ſeu Liber ejus II. Capita LIV. complectitur, in quibus magna Dubiorum copia uberrima ac ſelectiſſima eruditione illuſtratur ac reſolvitur. Nam primo de Ordinariorum Facultate & Authoritate in conficiendis Proceſſibus pro Beatificatione & Canonizatione luculentiſſime diſſeritur: deinde, qui nomine Ordinariorum quo ad hoc intelligantur, diligentiſſime inquiritur; ſucceſſiveque, recto ordine, claraque methodo deſcribitur ſeries ſeu Proceſſus Actorum, quibus rite ac legitime promoventur Beatificationis & Canonizationis Cauſæ. Et, ut innumera paucis verbis complectar, habet in hoc libro ſtudioſus Lector, quæ potiora & uſu frequentiora ſunt pro conficiendis rite Proceſſibus ſive Remiſſorialibus ſive Compulſorialibus; & pro vitandis, quæ committi poſſunt in eorumdem conſtructione, vitiis.

Tertia Pars capitibus LIII. abſolvitur, quorum 9. priora integrum ac luculentum continent Tractatum de Teſtibus, in ordine ad Beatificationem & Canonizationem. Porro, ad negotium Eccleſiæ graviſſimum, tales Teſtes requirit prudentiſſimus Cardinalis, quales jure exigit ſummi momenti Cauſa, quam Eccleſia merito tractare conſuevit maximo rigore ac diligentia. Hinc, juxta Sacrorum Rituum Congregationis praxim, ſingularia Teſtimonia ab hujuſmodi Cauſis tamquam inſufficientia excludit, ſi nempe agatur de probando certo actu ſpeciali: admittit tamen Teſtium ſingularitatem velut ſufficientem, cum agitur de probando Habitu virtutis, vel Dono Prophetiæ, &c. inhærendo doctrinæ a Romanæ Rotæ Auditoribus non ſemel probatæ, ex adductis a Riminaldo juniore quæſt. 7. num. 27. & ſeqq. Verumtamen non idcirco admitti poſſe exiſtimat opinionem Jacobi Simonettæ Rotæ olim auditoris, qui in *Relatione*, quam exhibuit Summo Pontifici Leoni X. ſuper Vita & Miraculis S. Franciſci de Paula, cenſuit, Miracula ſufficienter probari per ſingulares Teſtes. Quamvis enim Noſter optime noverit, aliquos eſſe in jure Caſus, in quibus unicum ſufficit Teſtimonium; nam Conſecratio Eccleſiæ unico Teſte probatur, Can. *Solemnitates de Conſecrat. diſt.* 1. Et unico Teſti aſſerenti, defunctum dediſſe ſigna pœnitentiæ, creditur, Can. *Qui recedunt* 26. *quæſt.* 6. Et unicus Teſtis ſufficit, ut probetur, talem hominem fuiſſe baptizatum, Can. *Pueros* 110. Can. *Cum itaque* 112. *de Conſecrat. diſt.* 4. & Cap. *Nuper* 51. *de Teſtib.* & denique unius Teſtimonio defertur, ne Matrimonium contrahatur, cap. *Super, de Teſtib.* & cap. *Preterea, de Sponſalib.* Regula tamen eſt, ne unius Teſtimonio credatur, & cum eo ſolum negotium terminetur. Et hanc Regulam non oportet arbitratu noſtro limitare, & niſi in caſibus a jure expreſſis reſtringere, hoc eſt, cum unius Teſtimonium utilitatem alicui affert ac nemini præjudicium. Cererum, hujus naturæ eſſe Miraculorum probationem, licet Simonetta nimium confidenter crediderit, Noſter graviter refellit; videturque numquam facror. Rituum Congregationem recipere voluiſſe Miracula unius Teſtimonio etiam de viſu proprio probata. Rigidiorem ſane Miraculorum probationem requiri cenſuit Vincentius in cap. *Venerabili, de Teſtib.* quatenus non ſolum plures Teſtes conteſtes exigit in probatione Miraculi, ſed ulterius vult, ut iidem Teſtes conteſtes Teſtimonium reddant de omnibus Miraculis a Deo patratis interceſſione ejus Servi Dei vel Beati, de cujus Beatificatione aut Canonizatione tractatur; ita ut in re & ad effectum de quo agitur, non dicantur probata Miracula, ſi duo Teſtes ex. gr. de uno, duo Teſtes de alio, alii duo de alio Miraculo Teſtimoninm reddant, & non omnes de omnibus & ſingulis. Enimvero exoticus Vincentii ſenſus a nemine probatur aut admittitur, &, ſi admitteretur, impoſſibiles redderet Miraculorum probationes ad effectum Servos Dei beatificandi, & Beatos canonizandi. Quare jure optimo Auditores Rotæ dixerunt in *Relatione Cauſæ S. Hyacinthi*, art. 8. Vincentii ſententiam impoſſibilem eſſe in praxi, eamque nunquam Sedem Apoſtolicam in Canonizatione alicujus Sancti ſervaviſſe.

Quoniam vero Sapientiſſimus Cardinalis probatiſſima ubique ſectatur, & per viam regiam ſemper incedit, nec ad dexteram aliquando declinat mollioris aut benignioris doctrinæ, nec ad ſiniſtram rigidioris & ſeverioris, etiam ad Cauſas Beatificationis & Canonizationis extendit ſolemnem regulam vel ipſo Dei ore probatam, quod ex duobus Teſtibus legitima & ſufficiens habeatur probatio. Quod verum eſſe, aſſerit, quamvis ſimul fateatur, nullam uſque adhuc Legem latam eſſe, quæ decernat, in unoquoque negotio rem duobus teſtibus abſolvi poſſe & debere; agnoſcit enim aliquos eſſe Caſus, in quibus amplior numerus Teſtium requiritur, eoſque recenſet, docteque diſcutit, ex can. *Præſul*, & ex can. *Nullum* 2. *quæſt.* 4. Item ex cap. 9. Concilii Troſlejani, ac inſuper ex Can. *Relatum*, & ex cap. *Cum eſſes, de Teſtamentis*. Sed nihilominus illorum numero Caſum noſtrum minime judicat adſcribendum, id docente Romanæ Sedis conſuetudine, quæ in Beatificatione & Canonizatione probationes ex duobus conteſtibus reſultantes, ſi tamen ii nulli ſint exceptioni obnoxii, tanquam legitimas & concludentes admiſit.

Unde, in Noſtri ſententia, ſufficienter, & ad effectum Beatificationis & Canonizationis probatus dici poterit actus Virtutis, de quo deponant duo Teſtes conteſtes de viſu, aut de proprio audita, ſi res, quam teſtantur, pertineat ad ſenſum auditus. Martyrium quoque ſufficienter probatum dicendum erit, ſi duo Teſtes conteſtes de viſu id teſtentur. Item de Miraculo ſatis conſtare dicendum eſt, ſi duo Teſtes conteſtes de viſu Teſtimonium reddant de duobus extremis, ut puta, de morte & de reſuſcitatione; de defectu panis & vini, & de ejus multiplicatione; de ſanitate jam proclamata, & de inſtantanea ſubſequenti bona valetudine. Bene tamen monet, contra Molphenium, Paſqualigum & Pignatellum, Miraculum plene probatum dici non poſſe, ſi unus Teſtis idoneus deponat de uno extremo, hoc eſt de ſtatu antecedenti; & alter de ſecundo extremo, hoc eſt de ſtatu ſubſequenti; eo enim caſu, neuter ſtatus ſeu neutrum extremum plene probabitur, ſed uterque vel utrumque ſolum ſemiplene. Nec ad rem eſſe offendit exemplum de non promoto ad Sacerdotium, cujus irrita & ſacrilega Miſſæ celebratio ſufficienter probari dicitur, ſi unus Teſtis de una parte Miſſæ, alius de alia teſtetur: agitur enim hic de actione ſucceſſiva, quæ pluribus partialibus actionibus peragitur, & cujus facti actiones eundem locum, & determinatam temporis menſuram reſpiciunt. Porro inter Miraculi extrema

UAB Biblioteca de Ciències Socials

trema nulla datur naturalis connexio & unio; ideoque, probatis solum singulariter duobus extremis, utriusque connexio, & ex uno ad alterum executio vel improbata manet, vel ad summum probatur tantum semiplene. Addit doctissimus Cardinalis, quamvis Contelorius & Castellanus generaliter loquendo existimaverint, Miraculum fore probatum, si duo Testes contestes deponerent de primo extremo, alii autem duo Testes contestes deponerent de secundo, eorum doctrinam recipi non posse in probatione Miraculorum tertii generis, quorum effectus debet esse instantaneus; nam, stante plena utriusque extremi probatione, adhuc non constat de modo, sive de immediato transitu ex uno ad alterum extremum.

Prudens Nostri consilium est, ut in Causis, de quibus agimus, plures quam duo Testes contestes exhibeantur, si id fieri possit: & quatenus hoc possibile non sit, exponatur simul quare non plures quam duo Testes contestes produci possint. Si namque agatur de miraculo, quod nonnisi in præsentia duorum patratum fuit; hoc monere & probare oportet, ne ad tutiorem Causæ resolutionem ulteriora exigantur testimonia, quam quæ de jure & consuetudine sunt sufficientia. Etenim, si non solum duo, verum tres & plures Testes examinari potuerunt, & duo tantum examinati fuerunt, fortassis Summus Pontifex, ad majorem facti certitudinem, requiret aliorum Testium examen: quod utique non exiget, si jam constet, nullos alios fuisse Testes, qui examinari potuerint. Sic Sanct. memor. Clemens XI. in Causa Sancti Stanislai Kostkæ approbare noluit repentinam sanationem P. Andreæ Fausti Ordinis S. Benedicti, per duos Testes contestes probatam, & per uniformia Purpuratorum Patrum suffragia jam admissam, quoadusque legitime constitit, non plures Testes Miraculi patrationi interfuisse. Hinc, quia communiter impossibile est plurium Testimoniis probari Revelationes, Apparitiones & similia; vel talia Sacra Congregatio ut plurimum omittit, & eorum etiam in Miraculorum Approbationibus mentionem non facit; vel singulare unius personæ gravis Testimonium ad ea quodammodo commendanda admittit. Id quod etiam facere consuevit, cum agitur de probanda invocatione, quæ unus est ex illis actibus, qui ut plurimum aliter probari non possunt. Si tamen contingat, mortuum jam fuisse, qui invocavit, antequam de propria invocatione juratum testimonium reddidisset; Noster semper se opinatum fuisse dicit, & adhuc in præsentiarum opinari, in ea facti specie necesse esse, ut duo Testes contestes deponerent, se audivisse invocantem, dum invocabat; vel audivisse ab ipso invocante, quod *Dei Servum* vel *Beatum* invocaverat. Si tamen duo Testes reperiri non possint, oportet saltem, ut adsit mutum aliquod monumentum, ut puta votiva tabella ad Altare delata, vel aliud invocationis signum, quo Testis singularis Testimonium adjuvetur & roboretur.

Cum Noster docet, duos Testes de jure sufficere in probationem Miraculi, etiam censet, binalium Testium numerum constare posse ex ipso, qui Miraculosam sanitatem recepit, & ex alio qui præsens fuit Miraculi patrationi, juxta illud quod S. Augustinus *Tract. 2. in Joan.* de Cæco a Christo illuminato loquens, scripsit: *Qui adeptus fuerat sanitatem, idoneus erat beneficii Testis.*

Mira profecto est eruditio, qua Noster plane evincit, in Causis Beatificationis & Canonizationis admittendos esse Testes beatificandi seu canonizandi consanguineos & affines, domesticos item ac familiares. Plurima sunt exempla tam antiqua quam recentiora, quibus rem mirifice illustrat. Chrysostomus namque parentis, Basilius fororis, Ambrosius Satyri fratris, Augustinus Monicæ matris, Bernardus Gerardi fratris egregia facinora retulerunt, & scriptis editis illustrarunt. Posteriore quoque tempore S. Laurentii Justiniani Vitam posteris transmisit Bernardus Justinianus ejus nepos ipsiusque Testimonio non parum detulit Sacror. Rituum Congregatio. Item Carolus Augustus Salesius Tullianus, *nepos S. Francisci Salesii*, Vitam ejus conscripsit, quæ in magno pretio habita fuit, cum de ejus Beatificatione actum est. Unde Optimus Theologus in *Gorgoniæ Sororis Laudatione* admonuit, Sanctorum laudem, a cognatis quoque & necessariis delatam, improbandam non esse. Professores etiam ejusdem cum Beatificando seu Canonizando Instituti, eosque maxime, esse admittendos tanquam præcipue idoneos præsertim in probanda Regulæ observatione, quæ solis professis solet esse bene nota, prorsus efficaciter Noster suadet; qui etiam prudenter monet, quod, si in similibus casibus omitteretur consodalium examen, suspicio esset (nisi contrarium idonee probaretur, ut probatum fuit in Causa Beati, nunc Sancti, Francisci Regis) quod data opera fuisset prætermissum, ne imperfectiones aperirent, quas potuissent observare in eo, de quo ageretur; nemini enim notior est Vita vel in Religione vel in Monasterio peracta, quam contemporaneis ejusdem Instituti Alumnis, & ejus, de cujus causa agitur, Sociis. Magnum quoque momentum reponi jure potest in traditione & fama in Religiosa familia de alicujus Sanctitate vigente; nam quæ hujusmodi est traditio nunquam in Religiosis Cœtibus ex vanis rumoribus enascitur, sed ex severissimo Provectorum judicio, quo bona Consodalis fama innititur, confovetur, & in perpetuam hominum memoriam deducitur. Magnum similis argumenti pondus agnovit Sixtus IV. *in Bulla Canonizat. S. Bonaventuræ* §. 13. utque ad rem Noster ponderat. Potens etiam adminiculum delumi pro probanda alicujus sanctitate ex Historiis quoque domesticis, & maxime ex publicis Regularium Ordinum Chronicis, Superiorum Authoritate vulgatis, & communi piorum & doctorum Virorum plausu receptis. Noster plane ostendit ex probata a Sede Apostolica consuetudine, quæ Scriptorum domesticorum Testimonia sæpius recepit, nempe Fr. Stanislai Cracovienſis, Dominicani, in Causa S. Hyacinthi, P. Nicolai Eymerici, ejusdem Ordinis, in Causa S. Raymundi de Pennafort; Fr. Antonii Daza, Minoritæ, in Causa B. Petri Regalati; & P. Zachariæ Boverii, Capuccini, in Causa B. Seraphini de Asculo.

Quoad examen Confessariorum, Sapientissimi nostri Cardinalis sensus est, illud non esse necessarium, cum ex Bulla Canonizationis S. Francisci de Assisio, a Gregorio IX. expedita, constet, non ex Testimonio Confessarii, sed ex Miraculis hausisse tutoque definivisse Summum Pontificem, illius Vitam fuisse Deo acceptam, & illius Memoriam esse a Militanti Ecclesia venerandam: utile tamen esse præfatum Confessariorum examen, quia ex Testimoniis Confessariorum plura desumi possunt, quæ resolutioni Dubii super Virtutibus, & recto de istis judicio favere valent, & quia concors est praxis Sedis Apostolicæ Confessarios in Testes admittendi. Exemplorum censum habes in Capite VII. a pag. 64. In tribus autem seqq. Capitibus aurea & numeris omnibus absoluta exhibetur tibi Dissertatio De fide Historiis habenda, & de probationis gradu, quem illæ constituunt in judicio Beatificationis & Canonizationis. Ibi Lector inveniet & perfecte digesta, & cujusque captui accommodata quæcumque vel erudite vel sapienter scripserunt peritiores nostrorum temporum Critici. Ibidem etiam quæ Joannes Launojus immoderatius docuit, aut omnino refelluntur, aut, adhibito prudenti quodam ac rationabili temperamento explicantur.

Jam quoad gradus Historicorum, ea Nostri mens est, quam sequentia exprimunt verba: (Quatuor, *inquit*, sunt gradus Historicorum; primus, scilicet, eorum, qui ea, quibus interfuerunt, quæque geri viderunt, literis tradiderunt, qua ratione Possidius Episcopus S. Augustini Vitam didicit & scripsit. Etsi Joannes Clericus homo heterodoxus *Tom. 11. in Append. ad Oper. S. August.* pag. 622. Vitam S. Doctoris scriptam a S. Possidio insimulat, quasi in Augustini exponendis gestis aliquid gratiæ dederit & amicitiæ; Verum calumniam ipsam strenue repellit Joannes Salinas, Canonicus Regularis Lateranensis, nuper bonorum omnium mœrore vita functus, *in Præfat. ad Vitam S. D. scriptam a S. Possidio*, quam *Notis* illustravit. Secundus gradus est eorum, qui utique non viderunt ea, quæ narrant, sed ab iis acceperunt, qui viderunt; qua ratione S. Bonaventura composuit Vitam S. Francisci, & S. Hieronymus S. Hilarionis. Tertius gradus est eorum, qui referunt ea, quæ non viderunt, nec audiverunt ab iis, qui viderunt; sed ab iis, quibus, qui viderant, narraverunt; ad quod genus multa pertinent ex iis, quæ referunt Joannes Moschus in *Prato Spirituali*, S. Gregorius in *Dialogis*, Venerabilis Beda in *Histor. Anglic.* Quartus tandem gradus est eorum, qui ex Historiis in gradibus jam enumeratis consistentibus monumenta, quæ edunt, collegerunt. Porro Jo. Bollandus in sua *Præfat. General. in Vit. Sanctor. Tom. I. mens. Januar.* cap. 3. post enumeratos prædictos gradus Historicorum, inquit; *Et hi quidem omnes fidem merentur, si sunt Viri boni, si prudentes, si pura, eorumque minime adulterata scripta sunt.* Repetitque id ipsum *in Præfat. ad Vit. Sanctor. Tom. I. Februar.* cap. 1. ubi addit, nonnullas etiam reperiri Sanctorum Historias ex fama a Majoribus accepta, aut vulgaribus monumentis, nec satis certis collectas, quas, inquit, se non respuere omnino, sed examinare, & authenticarum Historiarum calculis expendere).

In his autem Historicorum gradibus æqualis non est Historicorum authoritas: nam illorum profecto major est, qui res scripserunt, quibus interfuerunt, vel quas ab eis, qui viderant, audiverunt. Et priorum quidem majus est authoritatis pondus; si tamen de ipsorum probitate & integritate constat, quippe quod attinet ad secundos, qui scilicet aliorum fidem sectantur, eaque scribunt, quæ ipsimet non viderunt; quamvis ii per seipsos fidem mereantur, si communiter probi, sinceri prudentesque Viri habentur; adhuc tamen eorum authoritas nutare potest, si videlicet, non satis exploratum sit, an alii, ex quibus sua hauserunt, fuerint & ipsi probi ac fide digni. Quare optime Noster advertit, plus primis Historicis, quam secundis esse deferendum: saltem facilius est, illos tuto admittere quam istos; nam qui de visu proprio testantur, semel explorata ipsorum probitate ac prudentia, protinus ad faciendam fidem admittuntur; qui vero ea narrant, quæ a videntibus audierunt, quamquam ipsi nulli sint exceptioni obnoxii, adhuc plenam fidem non faciunt, nisi etiam qui vidisse dicuntur, veraces & ipsi probentur. Ex quo liquet, minus quoque facile admitti debere Historicos illos in tertio gradu constitutos, illos nempe, qui referunt ea, quæ non viderunt, nec audiverunt ab his, qui viderunt; sed ab iis, quibus, qui viderant, narraverunt. Ut enim constet de Historica talium Scriptorum veritate, amplior inquisitio requiritur, nec sufficit compertum habere, ejus generis Scriptores esse veraces; nisi simul exploratum sit, tales etiam fuisse, & eos, qui audita a videntibus narrarunt, & eos pariter, qui eadem se vidisse scripserunt.

Jam in infimo authoritatis gradu collocari debent Historici recentiores, eas scribentes, quæ legerunt in præcedentium temporum Historiis; horum enim authoritas pendet ab aliorum authoritate, quæ si integra in aliqua tandem Historia reperiatur, huic potius fides nostra innititur, vixque quidquam in hoc Recentioris authoritati defertur. Quod si nuperus Author scribat, se ea tradere, quæ ab Antiquioribus accepit, nec Vetustio-

tuſſiorum teſtimonia proferat; nec aliunde conſtet, quænam ſint Hiſtoriæ illæ, ex quibus ſua haurire potuerit; is facile contemnetur, niſi tantæ ſit authoritatis, ut noſtram quodammodo extorquere fidem. Etenim ſi Auguſtinus, vel Hieronymus, aliique æqualis authoritatis Viri teſtentur, ſe aliquod factum legiſſe, injurius eſſet, qui talibus fidem ſuam negaret, etiamſi illi non dicerent, in qua Hiſtoria factum illud legerunt.

De ultimo Hiſtoricorum gradu a Bollando inſuper addito, eorum ſcilicet, qui Sanctorum Hiſtorias ſcribunt ex fama a Majoribus accepta, recte Noſter concludit, quod ejuſmodi Hiſtoriæ poſſunt quidem probabilitatem, ſed non vim concludentis probationis habere. Non tamen propterea reſpuit Scriptor prudentiſſimus traditiones illas humanas, quæ ab aliquo traditionis monumento originem trahunt, atque a communi alicujus ſive Nationis, ſive populi, ſive particularis Eccleſiæ fide muniuntur; præſertim ſi præcedat prudens earundem traditionum examen, ipſaſque Authores probitate ac prudentia præditi teſtentur. Quod ſi hujuſmodi conditionibus accedat pia quædam & conſtans fidelium devotio, ſupernis quibuſdam gratiis ac mirabilibus ſignis confirmata, tunc traditio minus contemnenda erit, quamvis de ejus exortu ac principio hiſtorica authoritate non ſatis ſecuri reddamur.

De Operibus MSS. quæ in Archivis & Bibliothecis inedita adhuc ſervantur, vel quæ poſt longa temporum ſpatia in lucem exierunt, opera & induſtria Eruditorum hominum, ut nempe in *Collectaneis Veter. MSS. P. Martene*; in *Collectione Actorum Martyrum P. Ruinart*; in *Nova Bibliotheca MSS. Librorum P. Labbei*, &c. hoc eſt doctiſſimi Cardinalis judicium, praxi Congregationis Sacror. Rituum omnino conſentaneum, ilinirum, multa etiam MSS. Opera eſſe fide digna, & præſtantiora multis, quæ ſæpius impreſſa ſunt, vimque proinde habere poſſe probationis, vel admiriculi, juxta Regulas ſuperius traditas; dummodo tamen habita fuerint a Majoribus pro genuinis & integris & nequaquam vitiatis, graviterque peccare eos, qui receptum a Majoribus tanquam genuinum Opus aliquod, aut ſine idonea probatione accuſant falſi, aut ſine legitima cauſa ſuſpectum habent. Hoc Noſter dicit ex ſententia, quam probat, P. Petri Coutlant, Benedictini, in *VI. Part. Vindiciar.* cap. 1.

Anonyma Scripta qua talia non eſſe authoritate deſtituta, quamvis non abſque ſingulari cautela admitti debeant, ex veteri uſu Eccleſiæ, probat Sapientiſſimus Cardinalis; qui etiam monet, talia recipere, cum nihil ſuſpicione dignum in eis reperiri potuit, minime adverſari Decreto Gelaſiano, cui perperam Jacobus Petitus in *Notis ad Pœnitentiale* Theodori Cantuarienſis Tom. I. 106. contradictionem objecit. Gelaſius enim ibi non dicit, quod in Sancta Romana Eccleſia Acta Martyrum anonyma minime leguntur ex hac unica ratione, quod ignorentur nomina Scriptorum; ſed quoniam vel ab Infidelibus compoſita fuerunt, vel eorum dolo fuerunt interpolata. Unde idem Gelaſius ibidem tradit, Hiſtoriam S. Silveſtri Papæ licet ejus, qui conſcripſit, nomen ignoretur, in Urbe & extra Urbem, paſſim a Catholicis legi. Monet præterea, caute admodum eſſe recipienda quædam Sanctorum encomia, quæ in eorum Actis plerumque immixta inveniuntur, & ſignanter apud Metaphraſtem; laudatque, ac plane probat monitum S. Baſilii, qui in *Orat. in S. Gordium Martyrem* inquit: *Illorum enim, qui in fide claruerunt, Hiſtoria ſimplex veluti lucem quandam, Dei Cultoribus ac virtutis iter oſtendit.* Et infra; *Quod ſi reliquorum facta Virorum eloquentiæ floribus ornantur; Sanctis tantum ad ea, quæ maxima geſſere, demonſtranda, ſat erit Oratio ſimplex.*

A Probationibus Cauſarum Martyrum ſeu Confeſſorum recto ſane ordine Noſter progreditur ad diſcuſſionem eorum, quæ ad rationem veri Martyrii requiruntur, tam ex parte Tyranni quam ex parte Martyris. Hoc feliciter exequitur per novem ſubſequentia Capita ab undecimo ſcilicet uſque ad decimum novum. Et in decimo quarto accuratiſſime differit de modo quo probari poteſt, Perſecutorem ſeu Tyrannum ex odio in fidem motum fuiſſe ad mortem Martyri infligendam. Atque id primo inquit demonſtrari poteſt ex ſententia Perſecutoris, ſi mortem publica authoritate decreverit: ut ſi nempe in ea exprimatur, fidelem morti addici, quia Diis ſacrificare noluit, vel quia Chriſtianum ſe eſſe profeſſus eſt. Quæ cauſæ, aliæque ſimiles frequenter reperiuntur expreſſæ in Actis veterum Martyrum, Symphoriani, Maximi, Luciani & Martiani: item in Actis Proconſularibus Cypriani, &c. Secundo ex ipſa diſceptatione habita inter Tyrannum & Martyrem, ac in Actis ſcripta, ex qua clare deſumitur, mortem fuiſſe a Tyranno inflictam Martyri propter odium in fidem Chriſtianam utpote Cultui Idolorum adverſam. Hujus generis Acta ſunt illa Sanctorum Pionii & Sociorum, & illa Sanctorum Fructuoſi Epiſcopi, Auguſii & Eulogii Diaconorum. Obvia quoque ſunt Acta Paſſionis S. Andreæ Apoſtoli, quæ neſcio cur Noſter in exemplum non adduxerit, niſi forte non ſatis authentica judicaverit. Tertio, ex beneficiis ſeu muneribus Martyri a Tyranno ante mortem oblatis, ſi a propoſito reſiliret. Cujus rei exempla ſuppeditant Acta S. Theodori expoſita a S. Gregorio Nyſſeno, & Acta S. Claudii & Aſterii.

Quarto, ex impunitate ſeu liberatione, Martyri a Tyranno oblata, ſi a fide Chriſti recederet. Quinto, ex eo quod probetur, Martyrem noluiſſe aliquam rem a fide Chriſtiana vetitam, vel cum ea ratione circumſtantiarum quomodolibet pugnantem, vel ei detrimentum afferentem, perpetrare. Ubi Noſter obſervat, licuiſſe quidem Chriſtianis per ſalutem Cæſaris jurare, nullatenus vero per Fortunam aut Genium Cæſaris, quod hæc a Gentilibus pro diis haberentur. Monet etiam, etſi licuerit Chriſtianis ſub Imperatoribus Ethnicis militare, cum Militia per ſe mala non ſit; id tamen licitum non fuiſſe in iis circumſtantiis, quæ Militantes conjicerent in frequentia peccandi pericula; eaque ratione S. Maximilianus vere dixit: *Mihi non licet militare, quia Chriſtianus ſum.*

Loquendo autem de requiſitis in Martyre neceſſariis ante Martyrium, nihil fere Noſter intactum relinquit ex iis, quæ probatiſſimi Theologi tradidere. Sed an in peccatore ſufficiat attritio ſupernaturalis cum Martyrio conjuncta, ut juſtificetur, & Martyrii Lauream aſſequatur, quamquam quidam affirment cum Cardinali Bellarmino, melius Noſter incertum pronuntiat cum Cardinali de Lauræa, ex doctrina Eximii Patris Suarez. Citat etiam Hurtado in *Reſolut. 31. §. 3. de Vero Martyrio*, aſſerentem, ita certum non eſſe, attritionem ſupra naturam ſufficere cum Martyrio, ſicuti certum eſt, eam ſufficere cum Sacramento Pœnitentiæ. Minus certe difficile videtur, quod attritio ſufficere poſſit per accidens, ſive intercedente bona fide per ignorantiam probabilem Juris aut Facti. Ceterum cum Noſter allegat Eminentiſſimum Dominum Cardinalem Gotti docentem, probabile eſſe, aliquando ſufficere contritionem virtualem inclusam in fervore Dilectionis, quo quis pro Deo eligit animam ſuam ponere, noluit ſuum nobis ſenſum aperire, cui nos libentiſſime tutoque acquieſceremus. Si tamen ſermo eſt de vero & efficaci actu ſupernaturalis charitatis, quæ virtutum omnium maxima eſt; cum videatur de fide certum eſſe hujuſmodi charitatis actum pugnare cum omni peccato lethali, juxta illud Apoſtoli dilecti: *Qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo*: in hoc quidem ſenſu, non probabile, ſed certiſſimum videri poteſt, ſupernaturalem Dilectionem, quamvis ſolum ſit contritio virtualis, aut per ſe ipſam peccatorem formaliter juſtificare, aut ſaltem formalem juſtificationem ſecum ipſam afferre; proindeque non cum Martyrio tantum, verumetiam ſine illo ſufficere ad juſtificationem impii: ſicut enim *qui non diligit, manet in morte*: ita e contrario mortuus eſſe nequit, qui diligit. Igitur, vel non eſt admittendus caſus exiſtentiæ ſupernaturalis Dilectionis Dei ſuper omnia, quæ conjuncta non ſit cum formali contritione de peccatis commiſſis; vel ſi hujuſmodi caſus admitti debet, etiam aſſerendum eſt, poſſe peccata deleri per actum Dilectionis, quæ ſit tantum Pœnitentia virtualis. Unde videmus, quod in converſione Magdalenæ, non Pœnitentia ejus, aut Contritio, ſed dilectio a Domino commendatur; Dilectionique tribuitur, quod veniam obtinuerit ſuorum peccatorum, juxta illud, *Dimiſſa ſunt ei peccata multa, quoniam dilexit multum.* Quare non ſatis percipimus cur Eſſius in medio reliquit controverſiam de ſufficientia virtualis contritionis, in caſu de quo loquimur: curve Pater Hurtado eam ſufficientiam tantum admiſit pro caſu in quo peccatorum memoria Martyri non occurrat. Etenim, ſi Martyrium inſtet, nec adſit copia Confeſſarii, Martyr vero ſuorum peccatorum conſcius, toto corde ad Deum per Dilectionem convertatur, optime proculdubio ad Martyrium diſponetur. Licet forte frequentius ac velut connaturalius ſit, ut homo admiſſi delicti memor excitetur ad formalem contritionem, quam ad formalem Dilectionem. Si tamen formalis Contritio, quia ſimul eſt virtualis Dilectio, ſufficit ad juſtificationem impii, cur non etiam ſufficiat ad eandem juſtificationem formalis Dilectio, quia ſimul eſt virtualis Contritio?

Igitur ſi poſſibile eſt, ut de homine in mortali peccato exiſtente verificetur verum Martyrium, & legitima Cauſa Martyrii; vel ex hoc uno probaretur neceſſitas miraculorum in Cauſis Martyrum. Cum enim per media humana probari nequeat qualis fuerit interna diſpoſitio hominis pro Chriſto occiſi, fierique poſſit, ut ſupponitur, ut aliquis ſine debita diſpoſitione pro Chriſto occidatur; inde eſt, ut merito recurrendum ſit ad miracula, quæ ſunt velut teſtimonia Dei, quibus certi reddimur non ſolum de vero Martyrio & de legitima Cauſa Martyrii, verumetiam de prærequiſita in Martyre diſpoſitione ad obtinendam Martyrii Lauream. Minime tamen affirmare audemus, dabilem eſſe ejuſmodi caſum, in quo ſcilicet conſtet de Martyrio & cauſa Martyrii reſpectu hominis in peccato mortali exiſtentis. Sed de hoc ſatis.

Porro circa materiam actuum externorum, qui judicio ſubſunt Eccleſiæ, Sapientiſſimus Dominus meus Cardinalis docet, 1. ſi in Cauſa Martyrii alicujus Servi Dei adhuc Catechumeni, fidei Promotor offenderet, eum potuiſſe recipere aquam Baptiſmi, ſed non recepiſſe, imponendum eſſe Cauſæ ſilentium, ob voluntariam tranſgreſſionem præcepti Divini. Docet 2. ſi conſtaret, Martyrem, de cujus Cauſa agitur, aliquod grave peccatum commiſiſſe, de eo autem dolorem non habuiſſe, vel, habita copia Confeſſarii, Sacramentalem Confeſſionem non expleviſſe, non poſſe in eadem cauſa ad ulteriora proceſſi. Docet 3. idem judicium ferendum eſſe de Cauſa Martyris, qui Sacram Euchariſtiam recipere potuiſſet ante Martyrium, & non recepiſſet. Morem recipiendi Euchariſtiam, ut ea protecti Confeſſores, non inermes & nudi ad prælium pro fide deſcenderent, egregie Noſter confirmat, tum ex luculento S. Cypriani loco in *Epiſt. II.* lib. 1. tum ex *Actis* finceris Sanctarum Perpetuæ, Felicitatis & Sociorum, in quibus narratur, Chriſtum Dominum in habitu Paſtoris Oves mulgentis apparuiſſe, & de caſeo, quem mulgebat, dediſſe Perpetuæ quaſi buccellam, quam ipſa accepit junctis manibus & manducavit, tunc univerſi adſtantes dixerunt *Amen*. Noſter obſervat ex adductis

UAB Biblioteca de Ciències Socials

ductis a Bollandianis & Ruinart, quod in ea visione adumbratus fuit ritus Eucharistiæ ministrandæ iis, quos certum erat brevi morituros. Atque hic satis opportune nonnulla Noster inserit de his, quæ olim fidelibus præstabantur erga Dei Servos in Carceribus detentos, & Martyrium expectantes. En verba eximii Scriptoris: (Fideles ad carceres, in quibus Confessores detinebantur, conveniebant, ut eos visitarent; cumque non caute, sed aliquando incaute id fierent, S. Cyprianus *Epist. IV.* modum, qui sequitur, præscripsit: *Nam etsi fratres pro dilectione sua cupidi sunt ad conveniendum & visitandum Confessores bonos, quos illustravit jam gloriosis initiis Divina dignatio, tamen caute hoc & non glomeratim, nec per multitudinem simul junctam puto esse faciendum, ne ex hoc ipso invidia concitetur, & introducendi aditus denegetur, & dum insatiabiles totum volumus, totum perdamus.* Opera potissimum Diaconorum prædictis Dei Servis necessaria ad victum & vestitum ex Fidelium eleemosynis administrabantur; quod adeo effusa liberalitate aliquando factum est, ut nonnulli vino, quod myrrha conditum Confessoribus exhibebatur, ut fortiores in tormentorum tolerantia essent, inebriati Præsidibus de fide eos interrogantibus responsum dare non potuerint. De prædicta scilicet Diaconorum cura illustre, extat documentum in *Histor. Passion. SS. Dativi, Saturnini & Sociorum* apud Albaspinæum scripta a quodam Donatista, in qua Mensurius Episcopus graviter redarguitur, quia utebatur opera Cæciliani Diaconi, quem, licet per enormem calumniam, nonnulli insimulabant, quod cibos Martyribus non pararet, uti tenebatur, sed deferentes per vim averteret; *Etenim hic Tyrannus ferebat, carnifice crudeliori idoneum sceleris sui ministrum Diaconum suum elegit Cæcilianum; idemque lora & flagra cum Armatis ante fores carceris posuit, ut ab ingressu atque aditu cunctos, qui victum potumque in carcerem Martyribus offerebant, gravi affectos injuria propulsaret; & cædebantur a Cæciliano passim, qui ad alendos Martyres veniebant. Sitientibus intus in vinculis Confessoribus pocula frangebantur ante carceris limina, cibi passim lacerandi canibus spargebantur.* De ebrietate vero ejus, qui Præsidi interroganti respondere non potuit, testis est Tertullianus sequentibus verbis: *Postremo ipso Tribunalis die, luce summa, condito mero tamquam antidoto præmedicatum ita enervastis, ut paucis unguis titillatus, hoc enim ebrietas sentiebat; quem Dominum confiteretur interroganti Præsidi respondere non potuerit amplius, atque ita de hoc jam extortus, cum singultus & ructus solos haberet, in ipsa negatione digessit.* Quamobrem, ut hæc scandala amoverentur, S. Cyprianus *cit. Epist.* 4. enixe commendavit, ut necessaria tantummodo Confessoribus indigentibus, non autem superflua subministrarentur: *Quantum autem ad sumptus suggerendos sive illis, qui gloriosa voce Dominum confessi in carcere sunt constituti, sive iis, qui pauperes & indigentes laborant, & tamen in Domino perseverant, peto, nihil desit, cum summula omnis, quæ redacta est, illic sit apud Clericos distributa propter ejusmodi casus, ut habeant plures, unde ad necessitates & pressuras singulorum operari possint.* Et *Epist. V.* postquam iterum dixit, subministranda esse eis quæcumque necessaria, subdidit: *Modo ut sciant ex vobis, & instruantur & discant, quid secundum Scripturarum magisterium Ecclesiastica disciplina deposcat, humiles & modestos & quietos esse debere, ut honorem sui nominis servent, & qui gloriosi voce fuerunt, sint & moribus gloriosi, faciantque se dignos, ut in omnibus Dominum promerentes ad Cælestem Coronam laudis suæ consummatione perveniant.*

Temporalem Diaconorum curam sequebatur cura spiritualis Sacerdotum, qui carceres ingrediebantur, ut coram Confessoribus in illis detentis Sacrificium Deo offerrent: & hic quidem etiam sæpe memoratus S. Cyprianus in allegata *Epist.* 4. prudenter admonuit, ut non semper iidem Presbyteri carcerem ingrederentur Missas celebraturi, sed mutatis Personis, alter alteri succederet ad invidiam declinandam; *Consulite ergo, & providete, ut cum temperamento hoc agi tutius possit, ita ut Presbyteri quoque, qui illic apud Confessores offerunt, singuli cum singulis Diaconis per vices alternent, quia & mutatio Personarum & vicissitudo convenientium minuit invidiam.* Ad Sacerdotes præterea pertinebat salutaribus monitis detentos in carceribus ad mortem pro Christo ferendam præparare: & Tertullianus quidem Presbyter Carthaginensis hoc officio forte functus est, cum in suo *Libro ad Martyres* inscripto dicat, se non cibum & potum, sed utilia quædam spiritualia eis subministrare velle: *Inter carnis alimenta, benedicti Martyres designati, quæ vobis, & Domina Ecclesia de uberibus suis, & singuli fratres de operibus suis propriis in carcerem subministrant, capite aliquid a nobis, quod faciat ad spiritum quoque educandum: Carnem enim saginari, & spiritum esurire non prodest.* Tum, postquam protestatus est, se non esse dignum, ut eos alloqueretur, inquit, operam suam non inutilem esse futuram, cum experientia constiterit, Gladiatores ad pugnam fuisse aliquando utiliter incitatos etiam ab illis, qui præliandi artem & robur non habebant: *Nec tantus ego sum, ut vos alloquar: verumtamen & Gladiatores perfectissimos non tantum Magistri & Præpositi sui, sed etiam idiotæ, & supervacue quique adhortantur de longinquo, ut sæpe de ipso populo dictata suggesta profuerint.* Item in Ecclesiasticis Monumentis laudabilis fit commemoratio Sacerdotum Germanici, Numidici, Tertulli, qui supra expositam Martyrum spiritualem curam strenue gesserunt: de Germanico enim legitur in Epistola Ecclesiæ Smyrnensis *De Martyrio S. Polycarpi*: *Fortissimus Germanicus tolerantiæ suæ magnitudine ceterorum imbecillitatem roborabat*; de Numidico in Clerum Carthaginensem cooptato sic loquitur S. Cyprianus *Epist.* 35. *Nam admonitos nos & instructos sciatis dignatione Divina, ut Numidicus Presbyter adscribatur Presbyterorum Carthaginensium numero, & nobiscum sedeat in Clero luce clarissima confessionis illustris, & Virtutis ac fidei bonore sublimis, qui hortatu suo copiosum Martyrum numerum lapidibus & flammis necatum ante se misit.* Idemque S. Cyprianus *Epist.* 37. meminit Tertulli Presbyteri, quem vocat fidelissimum & devotissimum pro solicitudine & cura, quam Fratribus in carceribus pro Christo detentis in omni obsequio operationis impertiebatur. Nec Episcopi ipsi se ab onere similia peragendi liberos esse existimarunt, eo quod Sacerdotes & in carceribus Sacra facerent, & spiritalia monita Martyribus suppeditarent, quemadmodum desumitur ex *Epist. Cler. Roman. ad S. Cyprian.* quæ est trigesima prima inter eas prædicti Sancti: En ejus verba: *In quo loco maximas tibi atque uberes gratias referre debemus, & reddimus, quod illorum carceris tenebras literis tuis illuminasti, quod ad illos venisti, quod modo introire potuisti, quod illorum animos sua fide & confessione robustos tuis allocutionibus literisque recreasti; quod felicitates eorum condignis laudibus prosecutus accendisti ad multum ardentiorem Cælestis Gloriæ cupiditatem, quod pronos impulisti, quod, ut credimus, & optamus, victores futuros viribus tui sermonis animasti, ut, quamquam hoc totum de Fide confitentium, & de Divina indulgentia venire videatur, tamen in Martyrio suo tibi ex alio debitores esse videantur.*)

Pulcherrima sunt, scituque dignissima, quæ eruditissimus Cardinalis ex Antiquitatis Thesauro plena manu eruit in Dissertatione plane doctissima ac prudentissima, de spontanea ad Martyrium oblatione. Et primo quidem merito supponit Martyrii desiderium opus esse laudabile, sicut & laudabilis est ipsa acceptatio mortis, cum datur occasio moriendi pro Christo. Deinde prudenter monet, etiam admisso quod Fidelis occisus ex odio in Christum, dum somno erat correptus, Martyr esse possit coram Deo, si præcedentem formalem voluntatem subeundi Martyrium habuisset; ejusmodi Martyrium non facile ab Ecclesia fore admittendum, quæ jure exigit liquidas probationes mortis & causæ mortis tum in Martyre, tum in Tyranno. Postea ad difficiliora procedit, & loquendo de spontanea ad Martyrium oblatione, docet, hanc fuisse vetitam juxta antiquam Ecclesiæ Disciplinam, ut luculenter constat ex Epistola Ecclesiæ Smyrnensis *De Martyrio S. Polycarpi*, ubi relata cujusdam Cointi, Phrygii hominis, Martyrium avide expetentis, & tamen in Passione deficientis, voluntaria oblatione, statim subjicitur: *Ideo non eos fratres laudare debemus, qui se ultro offerunt; sed eos, qui inventi latentes, in passione potius perseverant. Sic nos namque Evangelicus sermo confirmat, & hoc hortatur exemplo, quo vidimus cessisse ultroneum, & victisse compulsum.* Eadem Ecclesiæ Disciplina uti sacris literis consona inculcatur in *Actis Proconsularibus S. Cypriani Episcopi & Martyris*, de quo loquens D. Augustinus *contra Epistolam Gaudentii*, scite dixit: *His sacris litteris eruditus Beatus Cyprianus in confessione dixit, Disciplinam prohibere, ne quis se offerat.* Unde & Mensurius, Carthaginensis Episcopus, laudabiliter decrevit, eos non esse Martyrum Catalogo adscribendos, licet fuissent a Tyranno interfecti, qui se Persecutoribus offerrent, ac dicerent, se habere Scripturas Sacras, quas tradere nollent; contra vero Cultum Martyrum illis esse deferendum, qui a Persecutoribus intercepti, mortem potius subire voluerunt, quam sacros Codices prodere, uti Augustinus diserte tradit in *Breviculo Collationis cum Donatistis collat. tertiæ diei*, cap. 13.

Nihilominus, ab hac Disciplinæ regula exceptos fuisse monet Doctissimus Cardinalis, qui Fidem ante abnuerunt; nam iis, inquit, permittebatur, ut se offerrent Tyranno, & prælium reintegrarent, ut, scilicet, qui pro Tribunali Christum abnegaverant, eo ipso in loco illum confiterentur. Quare sæpe recensitus S. Cyprianus in *Epist. ad Antonian.* dicit, se lapsis pacem promiscue dare noluisse, ut publica potius coram Tyrannis confessione, & sanguine suo, quam habita a Sacerdotibus absolutione patratum publice scelus abluerent. Pro cujus rei ulteriori confirmatione Lectores suos remittit ad Vercellensi Tractatum *De Apostolicis Missionibus*, qui ad rem comprobandam plura collegit *tit. 1. q. 9. sect. 3. n. 29.*

Ceterum, cum in historia Ecclesiastica non desint aliorum exempla, qui tamquam Martyres coluntur, etiamsi se Tyrannis obtulerint; atque hoc non ut illicitum reprehendatur, sed potius ut laudabile commendetur, tum a Luciano in *Peregrino*, tum a Justino Martyre, Tertulliano & Chrysostomo locis ab Eminentissimo nostro indicatis; ex iis idem Sapientissimus Pater infert, etiam præscindendo a speciali Spiritus Sancti impulsu & inspiratione, quæ certissime honestam reddit ac laudabilem spontaneam Martyris oblationem, circumstantias esse aliquas, quæ eandem bonam & laudabilem possint efficere. Nam si quis, inquit, se sponte sua offerendo Martyrio, alios ad idololatriam ruentes se retrahere posse sic agendo probabiliter existimet, laudabiliter & merito se offerret, exemplo S. Romani Martyris, ap. Euseb. Cæsar. in lib. *De Martyrib. Palestinæ*. Item, si aliquis, se sponte sua ad Martyrium offerendo, exemplo suo nutantes in Fide Christianos, se putat posse confirmare, pie & laudabiliter se offeret, quemadmodum S. Gorgonius ultro morti se obtulit, ut Christianos a profano Paganorum spectaculo averteret, uti refert S. Basilius Magnus in Oratione de eodem Sancto Martyre. Porro, neminem luculentius aut efficacius pugnasse pro spontanea Martyrum oblatione, ex fervore Fidei procedente, Inclyto Martyre Hispano Sancto Eulogio, electo Toletano Archiepiscopo, recte cum

Cardinali Baronio obſervat Scriptor noſter Eruditiſſimus ; veramque omnino cenſemus utriuſque Purpurati patris ſententiam, quæ prorſus improbat Concilium in Hiſpania, hortante Recafredo Epiſcopo, qui a Fide defecerat, coactum, Abdarameno Mahumetano Cordubæ regnante, in quo pſeudo-Concilio damnatum fuit Martyrium eorum, qui ſe ſponte ſua obtulerunt ; atque adeo prohibitum fuit, ne in poſterum fieret hæc oblatio. Ita quidem ſtatuerunt modicæ vel nullius Fidei pſeudo-Epiſcopi, cum maximo Chriſtianæ rei detrimento ; ideoque callidiſſimam Satanæ conſilium ut Eulogias penitus exterminaret, *Memoriale* ſuum conſcripſit, in quo invictiſſime pugnat pro oblatione Martyrum ſpontanea, qua ſcilicet Paganorum perfidia deprimitur, Fides Chriſtiana roboratur, & Confeſſio ſancta erigitur. Neque enim vitio jure datur, Vitam pro Chriſto ultro fundere, quoties ad id vel fervor Fidei impellit, vel invitat proximi utilitas, vel trahit vehemens in Deum charitas, vel denique publicam confeſſionem exigit Religionis noſtræ, a Malis *depreſſæ*, gloria. Quare omnino probamus Noſtri ſenſum de honeſtate ſpontaneæ oblationis, ſi malum aliquod inſtet, quod per illam averti poſſit. Libenterque ejusdem judicio ſuffragamur, quatenus cenſet, quod laudabiliter quis ſe ſponte ſua offert, ne pro eo alii Fideles ad ſupplicia & tormenta trahantur, exemplo S. Marci Epiſcopi Arethuſii, qui præſtantiſſimo, maximeque Philoſophico conſilio, cum videret alios ſua cauſa periclitantes, ex fuga redit, ſeſeque ultro plebis arbitrio tradidit, atque adverſus temporis difficultatem velut aciem inſtituit, ut loquitur Nazianzenus *Orat. III.* Generaliter loquendo permiſſum eſt Chriſti Fidelibus, ſe exponere Martyrio pro Chriſti nomine tempore congruo ſuſtinendo, dum gravis & proportionata cauſa concurrit, propter quam heroice vita temporalis contemnitur, ac meliori bono præponitur.

Operoſior ſane longeque difficilior eſt diſputatio, quam Noſter cap. XVII. aggreditur de provocatione Tyranni, an ſcilicet & qua ratione licitum eſſe poſſit, ut nedum quis ſe voluntarie Martyrio offerat, verumetiam Tyrannum verbis aut factis provocet aut inflammet? Et certe plura ſunt Sanctorum Martyrum exempla, qui dictis & factis Tyrannos provocarunt; nec licet de legitimo illorum Martyrio ambigere, *cum* ipſorum nomina Sanctorum Martyrum Catalogo ſint adſcripta. Et de his quidem nonniſi nimium temere quis præſumeret, Tyrannos provocaſſe, vel ex animi levitate aut impatientia, vel ex quadam deliberationis præcipitantia. Unde in talibus tuto id tribuendum Spiritus Sancti impulſui, qui pro bono Fidei Athletas ſuos non ſolum facit tormentorum & ipſius mortis victores, ſed etiam Tyrannorum contemptores & Irriſores, ut ſcilicet per infirma mundi fortia confundat, ſimulque oſtendat, quam ſit celſior potentiorque Majeſtas, quæ latet in Martyribus, etiam cum torqueri & occidi ab impiis permittuntur. Hoc autem, quamvis licite non fiat, ſecundum communes rationis leges, fieri tamen poteſt honeſte ac laudabiliter juxta ſpeciale dictamen ſuperioris rationis, qua homo ſupra hominem agitur, & velut inſtrumentum Supremæ ac Divinæ Majeſtatis a Deo ipſo aſſumitur, quo humana retundatur ſuperbia, & contemptibilis reddatur arrogantia.

Quoniam vero non poteſt cognoſci in ſe ipſa vera hujuſmodi provocationis cauſa, omnino prudenter prorſuſque neceſſario recurrendum erit ad ſubſequentia ſigna. Cumque videatur, non eſſe ſatis tutum Divinæ inſpirationis ſignum perſeverantia ipſa Martyris in Confeſſione, & in ſecutæ mortis acceptatione; quamvis ſi Vercellio credimus, omnes ſic perſeverantes, ut Martyres venerantur a Sancta Eccleſia; tutiora proculdubio ſigna erunt miraculoſa ſigna, interceſſione ejus, qui Tyrannum provocavit, & pro Fide occubuit, a Deo patrata.

Ceterum prudentiſſime Noſter provocationes a provocationibus ſecernit, nam aliæ præcedere poſſunt Martyrium ipſum; aliæ vero contingere in ipſo Martyrii actu. Si de his ſermo fiat, cenſet cum laudato Vercellio, ſimiles Martyrum objurgationes, quibus vel Tyrannorum crudelitas infimulatur, vel ipſis Dei vindicta tamquam jamjam imminens indicitur, aut eorumdem immanitas & crudelitas duris verbis carpitur, vero Martyrio obſtare minime poſſe, quamvis Tyrannus ex talibus provocationibus occaſionem ſumat crudelius deſæviendi. Neque enim Martyr, qui in tormentis poſitus recenſitis modis Tyrannum objurgat, intendit illum inflammare, & iram ejus magis accendere, ſed potius illum corrigere, duriori increpatione, ex Fidei zelo & fervore Charitatis procedente. Quod irrefragabiliter credimus confirmari exemplo adoleſcentis Machabæi, qui Tyrannum vocavit *inventorem omnis malitiæ, & omnium hominum flagitioſiſſimum*. Talia enim illuſtris ille juvenis, non vitioſe, ſed generoſe, & ex quadam animi celſitudine, in Tyrannum Regem eructavit, quibus ſi ille crudelior factus eſt, & quaſi derifus crudelius deſæviit; id quidem malitiæ ipſius imputandum. Similiter licet Stephanus Vir eſſet mitiſſimus, & ſpirito Chriſti plenus, tamen Principes qui in eum ſæviebant, proditores & homicidas vocavit, Legis quoque tranſgreſſores, qui *dura cervice & incircumciſis cordibus & auribus ſemper Spiritui Sancto reſtitiſſent*. Quæ duo ex utroque Teſtamento deſumpta exempla, & alia ab Eminentiſſimo Domino meo ex fonteris Martyrum Actis coacervata, ſatis ſuperque oſtendunt, vero Martyrio nequaquam obſtare eas provocationes, quæ, urgentibus legitimis cauſis, a Martyribus fiunt, dum ſunt in poteſtate Tyrannorum: idque admiſſum Scriptori noſtro videtur ab ipſa Sacrorum Rituum Congregatione in diſcuſſione Cauſæ Joannis de Prado in numerum Beatorum Martyrum ſolenniter cooptati, cum in eo quidem Fidei Promotor vim oppoſitionum deſumpſerit ex provocationibus, tum dictis tam factis ab eo emiſſis, quibus aſſerebatur, Tyrannum ad mortem illi inferendam motum fuiſſe; at Poſtulatores ſtrenue reſponderunt, provocationes contigiſſe, cum Martyr non modo erat in poteſtate Tyranni, ſed etiam tormentis erat fidem abjurare adactus; & Tyrannus qui nomen dederat Mahumeticæ ſuperſtitioni, de Fide Chriſtiana obloquebatur.

Jam de provocationibus, quæ Martyrium præcedunt, quæque a Fidelibus fiunt, antequam in Tyrannorum poteſtatem deveniant, difficilior utique quæſtio eſt; quoniam, qui ita Tyrannos provocant, nec eos inveniunt paratos ad mortem illis inferendam, ſed ipſi potius Perſecutores excitant, verbiſque aut factis quodammodo impellunt, ut adverſus Religionem arma ſumant, & in provocatores ipſos ita exardeſcant. Porro, perdifficilis quæſtionis perſpicua ſolutio a Noſtro exhibetur, aurea quadam regula ex multiplici Sanctorum exemplo deprompta. Cenſet igitur, provocationem dictis aut factis, quæ fit, antequam Fidelis deveniat in poteſtatem Tyranni, non obſtare vero Martyrio, ſi ex ſignis dignoſcatur, eam ex ſpeciali Spiritus Sancti impulſu proceſſiſſe, ſive circumſtantiæ non deſint, ex quibus oſtendatur, Dei Servum ſic agere debuiſſe pro bono Fidei & Religionis, ſive denique, publica Principum intercedente authoritate, prædictis provocationibus locus factus fuerit. Ex hac autem regula ſequitur, quod, licet non videatur humanæ prudentiæ conſonum, privata authoritate Idola confringere aut eorum delubra templave incendere, vel infidelium Principum Edicta contra Eccleſias diſcerpere, poſſint tamen hæc & ſimilia laudabiliter a Fidelibus perpetrari, vel ex ſpeciali Dei inſtinctu, vel in circumſtantiis illis, quæ opus alioquin non licitum, licitum & honeſtum reddunt, tanquam veræ Religioni utile aut neceſſarium, vel quolibet alio modo legitimum, ut ſi, nempe, quis in Chriſtianorum Ditione Simulacrorum Fana, publica Principum auctoritate prohibita, deſtruat. De quo argumento fructuoſe legi poſſunt plurima ab Eminentiſſimo Scriptore erudite collecta, doctiſque obſervationibus illuſtrata. Qui non ſatis probare videtur factum celeberrimi Cardinalis Franciſci Ximenii, qui ductus fortaſſe opinione Subtilis Doctoris, Scoti, in 4. *Sent. diſt. 4. quæſt. ult.* aſſerentis, Infideles, qui fidem Chriſtianam nunquam ſuſceperunt, & ſubditi ſunt Principibus Chriſtianis, ad Fidem Catholicam recipiendam compelli poſſe, Mauros Granatæ, vinculis ac carceribus adhibitis, per vim adegit Fidem Chriſtianam capeſſere, quod, uti Noſter obſervat ex addictis a Gomeſio lib. 2. *De Geſtis* prælaudati Cardinalis pag. 958. etiam eum fiebat, quibuſdam indignum videbatur, prorſusque ab inſtituto Chriſtiano alienum; præſertim cum Toletanis Conciliis, quorum tam celebris apud omnes Chriſtianos authoritas eſt, ſevere admodum ſancitum ſit, nemini vim ad credendum Chriſtum inferendam. Quapropter Sapientiſſimus Dominus meus Cardinalis Scoticæ opinationi merito præfert oppoſitam D. Thomæ de Aquino ſententiam, cui ſuffragari dicit Jura Pontificia *in Can. De Judæis, diſt. 45.* in *Cap. Sicut Judæi, Tit. De Judæis:* & in *cap. Majores, Tit. de Baptiſmo*. Denique prælibatiſſima ſunt veteſque ſapientiæ plena, quæ Noſter in eodem Capite circumſpectiſſime differit circa modum quo Principes ſe gerere debent in tolerandis vel non tolerandis profanis Infidelium Ritibus ac Ceremoniis, quemve ſervare tenentur in prædicatione Evangelii Miſſi Apoſtolici, quibus certiſſime licitum eſt, in eam ſtrenue ac prudenter incumbere, ſi ſperent ſe proficere poſſe, nec debent ab ea deterreri injuſtis Tyrannorum præceptis de Fide Chriſti nequaquam annuntianda.

Poſt abſolutum loculentiſſimum de Cauſis Martyrum Tractatum, a capite XXI. inchoatur a Noſtro abſolutiſſima Diſſertatio de Virtutibus requiſitis in Beatificandis & Canonizandis, & de ſpecialibus, quibus ſinguli fulgere & eminere debuerunt juxta proprios ſingulorum Status. Et in hac parte Eximii ac Magni Operis Inclytus noſter Canoniſta egregium agit Theologum in omni materia inſtructiſſimum. Et primo quidem Virtutis heroicæ naturam & indolem mirifice exponit ac tradit; ſubindeque ſingillatim differit de heroicitate ſingularum Virtutum Theologalium & Cardinalium. Atque harum expoſitioni immediate adnectit aureum profundumque diſcurſum *De Oratione & ejuſdem ſpeciebus*, necnon de triplici Vita, Activa, Contemplativa & Mixta; de tribuſque Statibus Incipientium, Proficientium & Perfectorum; denique de aliis nonnullis pertinentibus ad Orationem, in qua omnium Virtutum actus exercentur, quæque proinde jure optimo in Beatificandis & Canonizandis maximopere commendatur. Generaliter circa Orationem duo certa hic Noſter ſtatuit: alterum eſt, Orationem eſſe neceſſariam, ut æternam ſalutem conſequamur, juxta plene collecta in *Catholicis Inſtitutionibus* Franciſci Amati Ponget, Tom. 2. pag. 613. §. 2. *De neceſſitate Orationis*, & juxta Doctrinam D. Thomæ in 4. *Diſt.* 15. *art.* 2. *quæſtiunc.* 3. Alterum eſt, de utilitate vocalis Orationis non eſſe dubitandum, juxta eundem D. Thomam 2. 2. *quæſt.* 83. *art.* 12. ubi docet, utilem eſſe Vocalem Orationem primo ad excitandam interiorem devotionem; ſecundo, ut homo Deo ſerviat ſecundum illud totum, quod ex Deo habet; tertio, ob quandam redundantiam ab anima in Corpus, vehementem ſcilicet affectionem, juxta illud Pſalmi: *Lætatum eſt cor meum, & exultavit lingua mea*. De hoc pulchre differit in peculiari Tractatu *De conditionibus orationis*, deſumpta ex litera S. Thomæ, P. Ildephonſus Manrique, ejuſdem Familiæ Dominicanæ. An autem detur verum præceptum privatæ vocalis Orationis,

UAB Biblioteca de Ciències Socials

tionis, quæ scilicet a singulari persona offertur sive pro se, sive pro aliis, Noster non resolvit, quamvis optime viderit, Angelicum Doctorem pro negante sententia stare ubi supra *quæst.* 83. *art.* 12. cui tamen opponit opinionem aliorum Theologorum & signanter Cardinalis de Lauræa, qui Opusculo 1. *De Orat.* cap. 7. censuit, præceptum vocaliter orandi cuilibet Christiano capaci esse impositum, & esse innixum exemplo Christi & praxi universalis Ecclesiæ, cum Christus Dominus pluries vocaliter oraverit, & ab Apostolis rogatus ap. Luc. cap. 11. *Doce nos orare*, responderit: *Cum oratis, dicite: Pater noster, qui es in Cælis*: quo in loco Lauræa inquit, absque dubio sermonem habuit de Oratione vocali; Matthæi quippe cap. 6. inquit: *Cum oratis, nolite multum loqui, sicut Ethnici faciunt, sed sic orabitis: Pater noster, qui es in Cælis, &c.*

Occasione differendi de Oratione vocali, sermo Nostro occurrit de Dei Famula in Ditione Florentina existente, & in ætate decem & octo annorum tunc constituta, quæ in privata vocali Oratione se commendaverat Fratri Hieronymo Savonarolæ (Noster *Savonarolam* constanter scribit) Dominicanæ Familiæ Alumno jam defuncto, ut a morbo, quo vexabatur, liberaretur. Noster tanquam Fidei Promotor opposuit, eam in præfata Oratione peccasse, cum certis documentis constet, præter alia crimina ipsi falso imputata, illum re ipsa cum duobus sociis fuisse brachio Sæculari traditum, laqueo strangulatum, flammisque in Civitate Florentia exustum, propter contumacem illius inobedientiam & affectatam prophetici Spiritus gratiam. Ceterum Postulatores Causæ præfatæ famulæ Dei, quatenus verum esset factum, quod constanter negabant, responderunt, plura esse, quæ ostendant Savonarolam pie sancteque vixisse, & post mortem ignominiosam ipsi illatam, sanctitatis famam apud plerosque bonos reliquisse; tum & alios quoque cordatos sanctosque Viros hoc ipsum fecisse, quod a Dei Serva factum supponitur. Narrat enim Bzovius ex probatis testibus ad annum Chr. 1597. Sanctum Philippum Nerium Imaginem Savonarolæ in Sacrario sui Cubiculi radiis in capite circumdatam retinuisse, ut ex alio teste id ipsum asseritur ap. Bollandian. Tom. V. mensis Maii. De eodem quoque Sancto Philippo Nerio narratur, quod, excitata de Doctrina & Libris Savonarolæ tempore Pauli IV. Summi Pontificis gravissima controversia, ipsaque magnis animorum motibus agitata tempore Summi Pontificis Pii IV. preces ad Deum fundens, ne Opera prohiberentur, & ut inconcussa starent eorum doctrina, reportatæ victoriæ cognitionem a Deo accepit & exclamavit (Deus, gratias agimus omnes Altissimo. Vicimus, Fratres. Frustra contra Hieronymum, ejusque doctrinam arietarunt adversarii. Stat inconcussa illa, sanctissimique Domini nostri judicio comprobata.) Quæ verba Noster referens ex Gallonio, qui S. Philippi Vitam conscripsit, monet, quamvis in ea factum narretur, & mentio Hieronymi omittatur; revera tamen revelationem contigisse occasione disputationis & sententiæ prolatæ in favorem Scriptorum Savonarolæ, ut non modo testatur Additionator ad cap. 15. Vitæ ejusdem a Pico Mirandulano conscriptæ, sed etiam referunt Testes nonnulli recensiti in Processu Canonizationis S. Philippi Nerii. Addit insuper Dominus meus Cardinalis, Responsionis vim fere omnes suffragium habentes agnovisse; recte tamen stare posse factum famulæ Dei absque eo, quod Savonarolæ damnatio tanquam injusta declaretur, nam ad illud excusandum satis esse poterat & erat, quod Savonarola pie vixisset, & in exitu vitæ pœnitentiæ non ambigua signa dedisset, & mortem ea, qua debebat, Christiana humilitate accepisset, & in Vita & post obitum fama de ejus sanctitate increbuisset. Demum concludit, re delata ad Sanct. memor. Benedictum PP. XIII. placuisse Sanctitati suæ, postquam omnia summa diligentia & prudentia examinavit, & postquam omnia, quæ hinc inde allata fuerant, a Nostro tunc Fidei Promotore fideliter scriptis compendiose relata perlegit, ne de justitia vel injustitia condemnationis Savonarolæ quæstio jam olim excitata, & quasi extincta revivisceret, Decretum edere, in quo, impositio super prece a Dei Serva exhibita Savonarolæ, silentio, ita ut ex ea nihil amplius deduci posset pro vel contra ejus Causam, demandavit, ut ad ulteriora in ea procederetur; atque hoc Decretum a fel. recordat. Clemente PP. XII. fuit confirmatum. Ex quibus omnibus colligere licet, quod mitius se gesserit in Causa Savonarolæ Summus PP. Benedictus XIII. quam P. Hieronymus Feijoo, qui mordicus contendit, vix non evidenter constare, illum fuisse hominem flagitiosum, suoque fato dignissimum. Recole quæ diximus sub nomine *Hieronymus*, eaque sic intellige, ut de justitia vel injustitia damnationis lis sub Judice maneat.

Præter innumera alia in reliquis hujus Tomi capitibus scitissime a Nostro dicta, docta plane sunt ac lectu jucunda, quæ ab eodem cumulantur capite XXXIX. ubi signanter agit de peccatis, quæ aliquando occurrunt in perscrutanda serie Vitæ Servorum Dei. Ibi Disertissimus Auctor, cum recte supponat, etiam insignes peccatores posse dignos pœnitentiæ fructus facere, & per virtutum gradus ad culmen Christianæ perfectionis ascendere, prudentissime tamen non audet definire, quanto tempore heroice quis vivere debuerit, ut Beatificationis & Canonizationis honores promereri possit. Nihilominus in Beatificando & Canonizando exposcit non momentaneam, sed diuturnam heroicitatem; nam quamvis non temporis longitudine, sed affectus sinceritate pœnitudo censeatur, ut ajebat Chrysostomus lib. *De reparatione hominis*; & idem præmium interdum detur etiam sero laborantibus, ut notavit Hieronymus in *Comment. ad cap.* 20. *Matth.* tamen ad tutius Ecclesiæ judicium de heroica peccatoris pœnitentia, recte exigitur sensibile aliquod ac diuturnum temporis spatium; quamvis forte in quibusdam circumstantiis minime necessum sit, ut extendatur ad numerum ultimum decem annotum, ut quidam censuerunt. In minori siquidem spatio temporis haberi possunt certissima signa heroicæ pœnitentiæ alicujus peccatoris, eademque potest confirmari cælestibus ac mirabilibus signis, quibus tuto innitatur Ecclesiæ judicium, ut luculentissime nos docet Boni Latronis exemplum.

Subtilissime præterea a Nostro exploratur in capite XL. nota jactantiæ & vanagloriæ, de qua sæpe disputandum occurrit in examine Virtutum Servorum Dei, & signanter illorum, qui suorum Superiorum jussu propriam Vitam descripserunt, in qua sua laudabilia gesta enarrarunt, & præterea retulerunt charismata & dona sibi a Deo collata, & eorum, qui saltem ore proprio similia aperuerunt aut Confessariis, aut Sodalibus, aut aliis hominibus. Et quamvis hæc patefacere ex suo genere peccatum non sit, cum constet, & Paulum Gentium Apostolum Gesta sua laudabiliora, necnon suas passiones, atque visiones & Revelationes Domini fuse prædicasse; & Jobum, Virum simplicem ac justum ab ipsoque Deo commendatum, præcipuas Virtutes suas diserte extulisse, idemque alios Sanctos tum recentiores fecisse, absque fumo jactantiæ & vanagloriæ, ita ut propterea recte dixerit Gregorius Magnus lib. 36. *Moral.* cap. 16. *Sæpe contingere, quod sibi justi & injusti habeant verba similia, sed tamen cor longe dissimile*: quia vero cor hominis non patet hominibus, sed soli Deo, qui singulorum verba a cogitationibus pensat, quique solus novit, an quæ superbe sonant, humili corde proferantur; prudentissime Noster admonet, animadvertenda esse nonnulla, quorum ope, quantum homini fas est, loquentis, aut scribentis intentio patere possit. Et primo quidem, necesse est, ut videatur, quid sit id, quod refertur a Dei Servo, de quo gloriari videtur; si enim gloriaretur de re caduca & fragili, quæ gloria non est digna, vana esset ejus gloriatio ex parte ipsius rei, nec facile excusari posset a labe inanis gloriæ. Secundo, investigari debet, an quis, necessitate aut utilitate honesta ductus, bona sua prædicet; nam prudens potest sine noxa seipsum commendare, vel ad depellendam calumniam, vel ad aliorum profectum: idque non solum apud sæculi sapientes receptum probatumque est, ut videri potuit apud Plutarchum in Opusculo, cui titulus: *Quomodo quis suas noxa commendare se ipsum queat*. Et apud Mazzonium in *Apologia Dantis* Tom. II. lib. 4. cap. 45. & 46. necnon apud Mendoza in *Viridarii* lib. 3. problem. 9. verumetiam idem licitum & honestum censuere Christiani Doctores, quorum omnium nomine S. Gregorius PP. lib. 19. *Moral.* cap. 18. consultissime dixit: *Occultentur ergo studio gratiæ a Deo acceptæ, necessitate publicentur; & eorum occultatio sit custodia propriæ, eorumque publicatio sit utilitas aliena*. Tertio, diligenter examinandum est, utrum verba eorum, qui de se loquuntur, sobrietatem & modestiam redoleant, coactumque & invitum loquentium animum patefaciant; nam, qui humili corde, nec ex vitio jactantiæ, sed causa necessitatis vel utilitatis, in sui commendationem erumpit, nonnisi timide & quasi vi adactus id facit; ac plerumque propriæ laudationi vel præmittit vel subjungit quædam verba, quæ vel laudationem ipsam imminuant, vel quam sit ab elatione alienus loquentis animus satis aperte probant. Egregium hujus rei exemplum Noster desumit ex *Epist.* 2. *ad Corinth.* cap. 11. & 12. atque ex luculenta ejus loci expositione Sancti Joannis Chrysostomi *Serm.* 25. & S. Gregorii lib. 17. *Moral.* cap. 7. Quarto, cum, juxta Doctrinam D. Thomæ, etiam appetitus gloriæ propriæ possit esse honestus, si videlicet in debitum finem referatur, puta ad honorem Dei vel proximi salutem; valde circumspecte examinanda sunt verba sese laudantis, an videlicet sint humilia, pudorata, modesta, & ad Dei gloriam, virtutis commendationem, ac proximi utilitatem referibilia: ex abundantia enim humilitatis, quæ latet in corde Justi, os ejus loquitur; & quia cor ipsius Bonorum suorum recordatione non exaltatur, etiam in eorum prolatione humilis invenitur.

Ad calcem hujus Capitis Noster commemorat quædam egregia opera a Dei Servis palam & coram populo facta, quæ excusanda dicit, si idoneis argumentis constet, ad Dei glorificationem ea fuisse ordinata; si enim Bona nobis dantis, qui solus Deus est, gloriam quærimus, etiam publica nostra opera in conspectu illius occulta servamus. Verumtamen nonnisi perfectorum est innoxie hominibus laudabile opus ostendere, & in ipso laudabili opere vel laudem non quærere, vel impensam calcare. Denique, cum plurima occurrant exempla Virorum etiam sanctitate illustrium, qui propria stemmata, & Insignia, & Inscriptiones usurparunt, atque in publicis locis & rebus posuerunt, nempe in Sacro Donario, vel in Ædibus aut Templis a se extructis, Noster, ne illorum imiteur severitatem, qui talia facientes damnat, tenendum esse docet, minus certe laudabile esse similia facere; posse tamen esse honestum & commendatione etiam dignum, si id fiat absque ulla superbiæ, aut ostentationis laude & intentione; si id sobrie fiat, & ut ceteri excitentur ad opera similia facienda, utque perenne extet monumentum patrocinii, quod quis implorat, Sanctorum, in quorum honorem Ædificium construxit.

In Cap. XLI. verba Noster facit de quibusdam extraordinariis actionibus, quæ a speciali Dei impulsu factæ asseruntur. Hic magistraliter docet, primo, qualiter Servi Dei laudabiliter potuerint peccatores reprehendere. Secundo, qua ratione prudenter se gesserint in Hæreticorum conversione. Tertio, quan-

quando & quibus circumſtantiis honeſtum fuerit ac laudabile, impactas ſibi calumnias, aut modeſte repellere, aut patienter diſſimulare, ſine eo, quod illis jure imputetur, ipſos curam non habuiſſe de bono nomine, & propriam famam neglexiſſe. Quarto, an ſine Juſtitiæ violatione, & cum laudabili fervore charitatis, quidam Servi Dei pro delinquentibus, & ad exilium, vel ad mortem damnatis, intercellores facti, pro pœnæ remiſſione preces ſuas libenter exhibuerint. Atque ibi quomodo a via perfectionis per hoc non declinaverint, nec curſum juſtitiæ impedire voluerint, apte pulchreque declarat, egregio loco S. Auguſtini, *Epiſt.* 153. alias 54. *ad Macedonium* cap. 1. ubi S. Doctor explicat, quomodo ad Officium Sacerdotale pertinet intervenire pro reis, & quomodo culpæ ſocius non ſit habendus, qui eum vult impunitum, quem ſcit eſſe culpæ obnoxium. Verba Auguſtiniana minime *ſunt prætermittenda*; (Nullo, *inquit*, modo culpas, quas corrigi volumus, approbamus, nec, quod perperam committitur, ideo volumus impunitum eſſe, quia placet; ſed hominem miſerantes, facinus autem ſeu flagitium deteſtantes, quanto magis nobis diſplicet vitium, tanto minus volumus inemendatum interire vitioſum, &c. Non eſt igitur iniquitatis, ſed potius humanitatis ſocietate devinctus, qui propterea eſt criminis perſecutor, ut ſit hominis liberator. Morum porro corrigendorum nullus alius, quam in hac vita, locus eſt; nam poſt hanc quiſque id habebit, quod in hac ſibimet conquiſierit. Ideo compellimur humani generis charitate intervenire pro reis, ne iſtam vitam ſic finiant per ſupplicium, ut, ea finita, non poſſint finire ſupplicium.) Ad exemplum a Noſtro adductum de famoſo latrone precibus S. Bernardi Abbatis ab imminente morte liberato, & & ab ipſo in Monaſterium ſuum recepto, hoc monere voluimus pro filiali erga Patrem noſtrum Sanctum Felicem de Valois devotione, nempe, illum pro præfato latrone exoraſſe, & Avunculo ſuo Theobaldo futuram Viri ſanctimoniam prædixiſſe, juxta quod canitur in *Sequentia Officii proprii*, ejuſdem Sancti: *Adhuc puer prophetavit, & latronem indicavit, Sanctum fore moribus.*

Quinto, enucleate explicat, an aliquo defectu notari poſſint illi Servi Dei, qui alicui Inſtituto Regulari nomen dederunt, ſi ad aliam Religionem tranſitum fecerunt, vel ſi aliquando promptam Superiorum mandatis obedientiam non præſtiterunt; vel ſi Inſtitutum, cui nomen dederunt, adeo laudibus extulerunt, ut illud ceteris dixerint præferendum. Pro ſingulorum dubiorum ſolida reſolutione habes hic uberrimam ac ſelectiſſimam doctrinæ & exemplorum copiam.

Sexto, an & qua ratione pugnet cum heroica paupertate Servorum Dei Regularium habere peculium? Ubi noſter obſervat, licet debitis circumſtantiis non ſit vetitus aut illicitus bonus peculii uſus in Regularibus, tamen Sanctitatis argumentum in Dei Servo Regulari non eſſe deſumendum a peculio & ejus uſu, ſed ex heroicis Virtutum actibus, quorum fulgor non obruitur minori excellentia ac perfectione alicujus particularis virtutis. In fine ſapienter monet, ab una Charitatis radice mores ſpecie diverſiſſimos floruiſſe; & alios quidem Viros Sanctos uno bono fine munditias neglexiſſe & deteſtatos eſſe; alios decentem cultum & ornatum altero bono fine affectaſſe: illos ab Optimatum menſa & conſortio abhorruiſſe, iſtos Magnatibus epulas etiam præparaſſe: quæ actiones, etſi contrariæ videantur, in una eademque finis & intentionis bonitate quaſi amicabiliter uniuntur. Cetera hujus Tomi inviti prætermittimus, ne in immenſum creſcat Oratio, ſi fulgentes per ſingula folia gemmas colligere, & hic exhibere conemur.

Quartus præclariſſimi Operis Tomus, ſeu Liber ejus quartus, in duas partes commode dividitur, & in priori quæ Capita XXXIII. complectitur, copioſe prorſuſque eruditiſſime Noſter diſſerit De Miraculis & Miraculorum generibus: De Cauſa efficiente Miraculorum: De patratione Miraculorum quoad malos Angelos, Infideles, Hæreticos, & Anti-Chriſtum: De Cauſa finali miraculorum, & de differentiis inter vera & falſa Miracula; ubi Lector habet plura plane ſelecta, ſolida, curioſa & utiliſſima pro rite diſcernendis ſinceris Theologicisque Miraculis a præſtigioſis ſignis arte aut malo dolo patratis, & ab effectibus mirabilibus, naturæ vires nequaquam excedentibus: De Miraculorum neceſſitate in Cauſis Beatificationis & Canonizationis, deque eorumdem numero & qualitate, pro eiſdem cauſis requiſita: De diviſione Miraculi in illud, quod vires totius naturæ tam viſibilis quam inviſibilis ſuperat, & in illud, quod tantum excedit vires naturæ viſibilis Noſter obſervat, duo hæc Miraculorum genera, diſerte memorari in *Inſtructione Paſtorali* Domini Archiepiſcopi Senonenſis, Pariſiis edita an. 1734. pag. 20. & in *Epiſtola*, quæ octava numeratur inter Theologicas, cujuſdam Eruditi Galli. Noſter libenter admittit utriuſque generis Miracula eſſe vere ac proprie Miracula, licet fateatur, illud eſſe majus, quod excedit vires totius naturæ creatæ, ſive viſibilis ſive inviſibilis. Ceterum, quæ ſolum naturæ corporeæ & viſibilis vires ſuperant miracula, adeo Noſtro videntur propria, ut cenſeat, ea recipi debere in judicio Beatificationis & Canonizationis, cum inſolita, inquit, ſint, & admiranda, & a Deo procedant, qui ſicuti cohibet naturalem malorum Angelorum Virtutem, ut in hominis & Univerſi perniciem abutantur, ita Angelis bonis mandat, ut in ſui gloriam, hominumque utilitatem aliqua faciant, quæ propriam naturalem virtutem non excedunt, licet excedant vires naturæ corporeæ ac ſenſibilis. Nec refragari audemus Sapientiſſimi Viri judicio, quamvis illud minus forte conſentaneum Scholaſticorum notionibus videri poſſit Theologica in Scholis verſantibus. Certe, quæ Angeli boni propria naturali virtute efficiant, *licet* ea videantur prorſus mirabilia, vereque excedant facultatem totius naturæ corporeæ, vera eſſe ac propria Miracula in rigore Theologico loquendo, fortaſſis non omnes fatebuntur: tamen ejuſmodi ea eſſe in vero aliquo ſenſu, pro præſenti materia minime improprio, nos lubentiſſime concedimus, omninoque ſapienter dictum exiſtimamus: *Dum vero conſtat, aliquod Miraculum Dei juſſu, licet Angelorum miniſterio, patratum fuiſſe, nihil ad Religionem, utrum vel ſupernaturali poteſtate, vel naturali, quam acceperunt, illud ediderint.*

Notatu dignum eſt, quod Noſter hic obſervat, nempe ex hac Miraculorum diſtinctione, quod videlicet, alia excedant vires totius naturæ creatæ, & alia excedant vires naturæ tantum viſibilis & corporeæ, nullum inferri præjudicium Miraculis a Chriſto Domino patratis, cum plura patraverit abſque dubio excedentia vires totius naturæ creatæ: nec ratio ferat, ut ex Miraculis Chriſti minus decretoriis Divinitatem in aliis ejus Miraculis elucentem inficiemur.

Si vero ex admiſſa doctrina quis inferat, etiam malos Angelos, etſi non poſſint excellentiora Miracula facere, ea ſcilicet, quæ ſuperant Vires totius naturæ creatæ, ſaltem poſſe patrare Miracula, ſed tamen vera & propria, illa videlicet quæ excedunt tantum vires naturæ corporeæ ac viſibilis; quandoquidem & ipſi virtute naturali pollent, qua poſſint juſſi vel permiſſi a Deo ſimilia iis facere, quæ propria naturali virtute præſtare poſſunt Angeli boni, nempe turbines ac procellas excitare, pluvias repente emittere, cæcitate turbas hominum percutere, peſtem mortiferam inducere, brutorum linguas articulate movere, ignem e cælo jaculari, ut prætereamus innumera alia viſibilis naturæ facultatem prorſus excedentia, quæ ſi naturali virtute fieri poſſint, æque bene præſtari poſſe videntur tam malorum quam bonorum Angelorum virtute ac potentia naturali. Si, inquam, quis ex ſuperioribus colligat, pares eſſe Angelos bonos & malos in ordine ad patrationem Miraculorum, vires tantum naturæ corporeæ excedentium, hoc Noſter omnino inficiabitur, cum libenter ſectetur Doctrinam S. Thomæ aſſerentis 1. *part. quæſt.* 114. *art.* 4. vera a Dæmonibus propria virtute edi Miracula non poſſe, cum Miraculum proprie ſit illud, quod fit præter ordinem totius naturæ creatæ, ſub quo ordine omnis natura creata continetur; poſſe tamen a malis Angelis aliqua fieri, quæ humanam facultatem & conſiderationem excedunt, & ſic quæ large & improprie Miracula dici poſſunt. Laudetque præterea locum ejuſdem S. Doctoris *in QQ. diſputatis, quæſt.* 6. *De Miraculis*, *art.* 5. ubi docet, quod ſicuti Angeli boni per gratiam aliquid poſſunt ultra naturalem virtutem, ita Angeli mali minus poſſunt ex Divina Providentia eos reprimente, quam poſſent ſecundum virtutem naturalem; & quod quædam non poſſunt, etiam ſi agere permittantur, quia naturæ modus eis a Deo præſtitus hoc non permittit: & concludit, quod idcirco ipſi vera miracula facere non poſſunt, cum nulla detur eis a Deo poteſtas quoad illa, quæ ſunt ſupra facultatem naturæ. Hoc unum diſſimulare non poſſumus, nempe Noſtrum quadamtenus a doctrina D. Thomæ, vel ſaltem a modo ejus loquendi diſcedere in hoc, quod vera agnoſcit Miracula, quæ vires totius naturæ creatæ non excedant; cum tamen Angelicus Doctor quæ ejuſmodi ſunt Miracula, non videatur appellare niſi Miracula large & improprie dicta. Nihilominus magnum eſſe diſcrimen malos inter ac bonos Angelos etiam in ordine ad patrationem hujus generis Miraculorum, ſive hæc talia dicenda ſint ſtricte ac proprie, ſive ſolum improprie ac large, ſatis commode, dilucide & efficaciter Noſter probare & ſuadere conatur cap. 3. cujus ne unum quidem verbum prætereundum duximus. Igitur, cum ſapientiſſimus Pater adduxiſſet Doctrinam Ven. Servi Dei Cardinal. Bellarmini, lib. 3. *De amiſſione gratiæ & ſtatu peccati*, cap. 3. ajentis, quod, tametſi Dæmonis locutio per Serpentem fuerit aliquid excedens vires & facultatem naturæ corporeæ & ſenſibilis, Miraculum dici non poteſt ob defectum circumſtantiarum utilitatis & honeſti finis; immediate ſubjungit: (Uno verbo, nec Angelus bonus nec Angelus malus ſua naturali virtute poſſunt Miracula facere, quæ excedant vires & facultatem cujuſcumque naturæ creatæ. Angelus bonus naturalem & integram habet facultatem plura faciendi, quæ excedant vires & facultatem naturæ viſibilis & corporeæ, & cum obſequens Deo ea utatur, ſi id, quod efficit ſupra vires & facultatem naturæ corporeæ & viſibilis, eſt arduum, inſolitum, & ab unoquoque admirandum; hæc utique claſſi Miraculorum minorum, ſed quæ vera ſunt Miracula, erit adſcribendum; & potiſſimum, cum Efficacia, Duratio, Utilitas, Modus & Finis in eo nunquam deſint: hujuſque effectio Miraculi, uti quoque ſupra dictum eſt, erit in Deum referenda, tamquam in cauſam efficientem principalem Miraculorum, qui Angelo ſibi obſequenti imperavit, ut ſua naturali facultate, vires & facultatem naturæ corporeæ & viſibilis excedente, uteretur, Angelus malus ſua naturali virtute plura facere poſſet, quæ excederent vires & facultatem naturæ viſibilis & corporeæ ad inſtar Angeli boni. At, cum Deus ei interdixerit in pœnam peccati, & ne ob ſuam malitiam totum Mundum perderet, prædicta uti facultate, neceſſe eſt, interdictum relaxari, ut ea uti valeat; cum autem relaxato interdicto, & effectis a Dæmone nonnullis excedentibus vires naturæ viſibilis & corporeæ, ſemper in eis deficiant veri Miraculi characteres, modo recenſiti, & infra latius referendi, hinc eſt, quod effecta vera Miracula nunquam dici poterunt, & etiam locus erit præſumptioni,

UAB Biblioteca de Ciències Socials

ni, quod facta fuerint per modum artis, quæ obstat Miraculo. Miracula enim sunt testimonium Divinæ Virtutis & Veritatis, & Divinam Bonitatem non decet ea Dæmoni committere juxta Doctrinam D. Thomæ in *QQ. disputatis, quæst. 6. De Miraculis, art. 5.* ubi proposita quæstione; *Utrum etiam Dæmones operentur ad Miracula facienda*; respondet id fieri non posse: *Quia cum operatio miraculosa sit quoddam Divinum testimonium, indicativum Divinæ Virtutis & Veritatis; si Dæmonibus, quorum est tota voluntas ad malum, aliqua potestas daretur faciendi Miracula, Deus falsitatis eorum testis existeret, quod Divinam Bonitatem non decet*: Cumque immediate S. Doctor nonnullas referat operationes a Dæmone factas, quæ Miraculo adscribi possent, tandem concludit: *Neutra tamen operatio est miraculosa, sed est per modum artis, ut supra diximus: & ideo simpliciter dicitur quod per Dæmones vera Miracula fieri non possint.*

Quod si dicatur, Doctrinam mox relatam D. Thomæ loqui de Miraculis, quæ excedunt vires & facultatem totius naturæ creatæ; item, Utilitatem, Modum, Finem & ceteras circumstantias, quæ verum a falso Miraculo secernunt, posse etiam concurrere in his, quæ a Dæmone sua fiunt naturali virtute supra vires & facultatem naturæ visibilis & corporeæ, si Deus videlicet interdictum relaxet, eique mandet, ut prædicta efficiat; & demum, præter allata, tot alia exstare a Dæmone effecta supra vires & facultatem naturæ visibilis & corporeæ, ut impossibile quodammodo videatur, ab unoquoque eorum veri Miraculi ideam avertere; respondemus, nos non invitos admittere, allegatum Textum D. Thomæ loqui de Miraculis, quæ excedunt vires totius naturæ, Deo authore, Dæmonique mandante, ut hæc & alia efficiat supra vires & facultatem naturæ visibilis & corporeæ, posse in sic effectis adesse circumstantias, quæ verum a falso Miraculo secernant; alia multa, præter allata, adesse a Dæmone facta supra vires & facultatem naturæ visibilis & corporeæ; sed hisce minime obstantibus, contendimus, verum Miraculum sua naturali virtute a Dæmone fieri non posse, sive sermo sit de Miraculo excedente vires totius naturæ, sive de Miraculo excedente tantum vires naturæ visibilis & corporeæ.

Dictum est, nos non invitos admittere, Doctrinam D. Thomæ procedere in Miraculis, quæ excedunt vires totius naturæ creatæ, sed, hoc minime obstante, non posse a Dæmone fieri sua naturali virtute verum Miraculum, excedens tantum vires naturæ visibilis & corporeæ: cum enim D. Thomas doceat, non posse a Dæmone fieri verum Miraculum, excedens vires totius naturæ creatæ, ne Deus falsitatis Dæmonis testis sit, & hæc eadem ratio sibi quoque vindicet locum in vero Miraculo, licet excedente tantum vires naturæ visibilis & corporeæ, suo marte sequitur, a Dæmone sua virtute naturali verum hujusce generis Miraculum fieri non posse, etiamsi admittatur, Doctrinam D. Thomæ loqui de Miraculis alterius generis, ejus videlicet, quod excedit vires totius naturæ creatæ. Non possunt Angeli sistere Cælum, vel contrario motu celerius tardiusve ipsum movere, quam secundum inclinationem naturalem movetur, aut Stellam Cælo deducere: id enim postulat connexio & ordo Universi semel a Deo institutus, quem nulla causa particularis immutare valet, juxta Doctrin. D. Thomæ *De Potent. quæst. 6. art. 8. Opusc. 10. art. 16.* & *Opusc. 11. art. 5.* quam late exornant Victoria *Relect. 12. De Art. Magic. n. 33.* Estius *lib. 2. sentent. dist. 7. §. 16. vers. Quiatum*: possunt tamen sua naturali virtute Angeli, etiam mali, ignem ex superiori aeris parte demittere, quo multa conflumantur; possunt vehementes & turbulentos ventos immittere, qui magna diruant Ædificia, unde *Job. 1.* legitur: *Ignis Dei cecidit e Cælo, & tactas oves puerosque consumpsit, &c. Repente ventus vehemens irruit a regione deserti, & concussit quatuor angulos domus*: pluribus prosequitur Gastald. *de Potest. Angel. Tom. 1. disp. 1. quæst. unic. art. 5. num. 15.* unde videmus, Ecclesiam in suis precibus Deum exorare, ne prædicta sinat, a Dæmone fieri. Ignis ergo de Cælo dæmissio, quæ fiat Angeli nutu aut virtute, Miraculum est, non quidem excedens facultatem totius naturæ creatæ, sed excedens facultatem tantum naturæ visibilis & corporeæ; cumque ignis de Cælo demissio, orante Elia, facta sit, & voraverit holocaustum, & ligna, & lapides, nec ea facta sit, frustra clamantibus Prophetis Baal, in eo videlicet rerum eventu, in quo agebatur de veri Dei cultu, & in quo, si ad preces falsorum prophetarum cecidisset, Deus falsitatis testis fuisset, ut habetur lib. 3. *Regum* cap. 18. ex his infertur, verum a Dæmone Miraculum fieri non posse, etiam si sermo sit de Miraculo excedente tantum vires naturæ visibilis & corporeæ, & D. Thomæ Doctrinam loquentem de veris Miraculis excedentibus vires totius naturæ creatæ procedere etiam in veris Miraculis excedentibus tantum vires naturæ visibilis, & corporeæ, quæmadmodum, ponderato hoc exemplo, bene adnotavit Pater Putignanus *part. I. De redivivo sanguine Sancti Januarii*, cap. 3. n. 19.)

Hæc profecto sunt profunde excogitata & diserte exposita; atque ex iis semper subsistere videtur, verum a Dæmone non posse sua naturali virtute fieri Miraculum, etsi tantum excedens vires & facultatem naturæ visibilis & corporeæ, quippe, uti Noster prudenter observat, de singulis effectis admirandis virtute naturali Dæmonis, etiam Deo mandante, productis, verificantur quæ Estius, a Nostro sæpius laudatus, in lib. 2. *Sentent. dist. 7. §. 19.* insinuat loquendo de falsis Miraculis: (Falsa Miracula, aut solam habent admirationem, aut humanæ curiositati serviunt, aut talia sunt, quibus tantum nocetur hominibus, aut, si prodesse videantur, hactenus tantum id faciunt, quia eorum authores Dæmones a nocumento desistunt, vel pro qualicumque beneficio corporali, cujus tamen naturales causæ possent a sagacioribus inveniri, gravissima superstitione & impietate animas obligant. Quæ omnia contrario modo reperiuntur in Miraculis veris, quæ a Christo & Ministris ejus, Prophetis & Apostolis facta legimus:) Quid autem Dæmones possint per naturam, nec possint per prohibitionem, & quid per ipsius naturæ suæ conditionem facere non sinantur, homini explorare difficile est, imo vero impossibile, nisi per illud Donum Dei, quod Apostolus commemorat dicens: *Alii dijudicatio spirituum*, ut ex Augustino, & cum Augustino, cujus hæc sunt verba in lib. 3. *de Trinit. cap. 9.* sobria utique sapientia Noster declarat.

Postquam Noster accuratissime ac plenissime disseruit de natura & generibus Miraculorum, deque eorum causis, Finali & Efficientibus, sermonem convertit ad tractationem de miraculosis sanationibus a morbis & infirmitatibus: de quo quidem argumento, mirum profecto est, quanta doctrinæ copia ex abditis Philosophiæ, Medicinæ ac Theologiæ eruta, quamque selecta eruditione exactaque crisi disputet. Videtur sane nihil hactenus in lucem editum sive luculentius sive eruditius præsenti Tractatu, in quo recto ordine ac perspicuo stylo selectissima quæque cumulantur, quæ ab Illustrioribus cujusvis Facultatis Scriptoribus sparsim traduntur. Primum ergo in octavo hujus primæ partis capite agit de miraculosa sanatione in genere, eaque requisita præscribit, quæ concurrere debent ad hoc, ut sanatio morbi miraculosa censeatur. Ex requisitis autem ab eo enumeratis primum est, ut morbus sit gravis; & vel impossibilis vel curatu difficilis: secundum, ut morbus, qui depellitur, non sit in ultima parte status, ita ut non multo post declinare deberet; tertium, quod nulla fuerint adhibita medicamenta, vel, si fuerint adhibita, certum sit: ea non profuisse: quartum, quod sanatio sit subita & instantanea: quintum, ut sanatio sit perfecta, non manca aut concisa: sextum, ut nulla notabilis evacuatio seu crisis præcedat temporibus debitis & cum causa; ultimam, ut recidiva, sublato morbo, non contingat. Addit Gaspar de Reyes *in Elysio, quæst. 24. n. 1.* etiam requiri ad miraculosam sanationem, quod potissimum ægrorum sanitas, non in corpore tantum sed etiam in anima appareat: quod Noster merito non admittit, cum hoc proprium fuisse videatur Miraculorum a Christo Domino patratorum, qui per hoc maxime Divinitatem suam patefecit, quod ejus virtus media corporum sanatione, etiam animas immutaret, eisque medelam afferret, juxta Doctrinam D. Thomæ *3. part. quæst. 44. art. 3. ad 3.* Singula præfata requisita fingillatim hic exponuntur, & peritissimorum Medicorum judicio confirmantur. Diligenter notanda sunt, quæ circa quartum requisitum, quod videlicet sanatio miraculosa sit instantanea, prudentissime Noster observat. Cum enim retulisset, antiquiores Canonistas, Archidiaconum in *Can. Nos mirum, 26. quæst. 5.* Martinum Laudensem in *Tract. De Canoniz. Sanctor.* Troilum Malvetium in simili *Tractatu*, Castellanum de Fara, Pavinum & alios, amplexos fuisse sententiam, quæ in Miraculo non exposcit subitam & instantaneam sanationem, eo maxime quod constare crediderint, nonnulla Miracula Veteris & Novi Testamenti non fuisse facta subito & in instanti: posteaque subjecisset contrariam eorum opinionem, qui censent, derogari Miraculi quidditati, si sanatio in tempore fiat, etiam si cetera requisita concurrant: tandem concludit, quod hodie cessare videtur quæcumque difficultas, necnon posse conciliari opiniones hinc inde pugnantes, asserendo, instantaneitatem non requiri necessario in Miraculis primi & secundi generis, sed omnino esse necessariam in Miraculis tertii generis, & sic ut plurimum in sanationibus ab infirmitatibus, cum ut plurimum Miraculum in his contingens consistat tantum in modo. Addit sapientissimus Cardinalis, hanc distinctionem omnino tenere Sacrorum Rituum Congregationem, & quidem tanto cum rigore, ut aliquando abstinuerit a recensendo inter Miracula nonnullas sanationes, in quibus Medici aut testes asserebant, ægrum post invocationem Servi Dei aut Beati cœpisse melius se habere, & perfectam deinde sanitatem consecutum fuisse. Et quamvis nostrum minime latuerit, etiam in quibusdam Bullis Canonizationis, & signanter in illis S. Thomæ de Aquino, & S. Ignatii, Sanationes quasdam a Summis PP. commendari, quæ instantaneæ fuisse non videntur, siquidem his verbis ab ipsis exprimuntur: *Cœpit tunc linguam movere, meliorari & convalere, ac brevi temporis intervallo curatus perfecte fuit*. Item: *Statim melius se habuit, depulsusque est morbus obstructionis & hydropisis, ut intra tres vel quatuor dies detumuerit venter, & exinde ille bene se habuerit, &c.* non propterea recedendum esse putat a præjacta de instantaneitate sententia; nec ipsi lubet indagare, an sanationes in prædictis Bullis relatæ fuerint Miraculi tertii & secundi generis, & an illis innixum vere fuerit Decretum Canonizationis. Ceterum, venia Sapientissimi mei Domini, satis aperte constare videtur nisi nimium fallor, quod sanatio obstructione & hydropisi laborantis, si miraculosa est, non secundi, sed tertii generis Miraculum sit. Utut res se habeat, praxis S. Congregationis tutiorem partem elegit, quæ in re adeo gravi omnino est amplectenda. Nihilominus, cum de instantanea sanatione mentio fit, sermonem non esse de mathematico, sed de morali ac sensibili temporis instanti, optime Noster observat, licet simul Peritos judicesque admoneat, ad pronuntiandum pro instantaneitate, seu pro subita sanatione, curent accuratissime observare, an in eo temporis spatio sanatio advenerit: in quo

per

per naturæ vires aut artis auxilia contingere minime posset. Solicite quoque Testium verba pensanda sunt, nam cum ii non satis proprie sæpius loquantur, possunt verbis minus dicere, quam per illa vellent significare, nec raro *meliorationis* verbo utuntur, cum dicere intendunt, ægrum a morbo protinus fuisse liberatum. Rem ita contigisse in Causa S. Francisci Solani, testatur Eminentissimus Scriptor, eo tempore quo discutiebatur, Fidei Promotor. Quoniam vero contingere potest, & de facto non raro contingit, ut post fusas semel & iterum preces sanatio illico non sequatur, Deo sic disponente, ut durante necessitate, & dilato beneficio, infirmus majori fide, spe & devotione inflammetur, uti adnotavit Garzias de Caralaps *De Canonizat. Sanctor. in Digress. de Miracul.* §. 23. in hoc rerum themate Nostro omnino probatur sententia Cardinalis de Laurea, asserentis, miraculosæ sanationi neutiquam officere, quod *non in* prima invocatione, sed in postrema eventus accidat, quia id provenire poterit, vel ex defectu fidei aut fiduciæ in patiente aut invocante; vel ex Dei providentia exigente majorem dispositionem in patiente, vel probante illius patientiam. Quod uterque doctissimus Cardinalis intelligi vult, quando inter primas & subsequentes preces, quibus sanatio instantanea impetratur, nulla remedia fuerunt adhibita, nec ullum sanitatis initium apparuit: si namque post primas non exauditas preces æger ab invocatione desistat, seque ad remedia naturalia convertat, post quorum applicationem aliquod sanitatis initium appareat, cui tandem perfecta sanatio succedat; in his circumstantiis sanatio non erit inter Miracula recensenda ex defectu instantaneitatis; siquidem non infundate dubitari potest, an sanatio adscribenda sit naturæ viribus, aut efficaciæ remediorum. Quamvis enim fieri posset, ut etiam in prædictis circumstantiis sanatio miraculose proveniat, nec ullam terminorum implicationem involvat, quod vere sit miraculosa sanatio, quæ non contingit in temporis momento; ad ferendum tamen de Miraculo judicium, non sufficit, quod illud fieri potuerit, sed requiritur, quod factum esse probetur.

Circa quintum requisitum, quod videlicet sanatio debeat esse perfecta, non manca aut concisa, ita ut post morbi curationem miraculosam, nulla morbum consequentia remaneant, Noster, laudatis aliorum sententiis, sensum suum variis assertionibus exponit. Primo igitur asserit, si agatur de Miraculo tertii generis, obstare perfectioni sanitatis, virium lassitudinem, & ægri imbecillitatem remanentem; idemque dicendum esse, si depulso morbo, adhuc perseverent graviora morbi symptomata, ut inappetentia, languor, debilitas. Secundo, non esse contra rationem Miraculi, si ablato repente morbo, & depulsa in instanti omni ejus malitia, adhuc supersint leviores quædam ægritudinis reliquiæ, cum quibus homo absolute bene se habet, bonaque perfruitur valetudine, cui certe non officiunt vulnerum cicatrices aut labia, & si quæ sunt similia. Tertio, debilitatem virium, quæ, depulso morbo, supereat, non obstare approbationi Miraculi, cum Miraculum est secundi generis. Atque de hoc genere Miraculorum Noster existimat, loqui Scriptores illos, qui indistincte asserunt, *sanationi* miraculosæ non obstare, si repentinæ cessationi morbi non sequatur subita cessatio omnium morbi symptomatum, & præcipue imbecillitatis virium. Discriminis ratio esse potest, quod in Miraculo secundi generis ipsa morbi cessatio secundum se, & independenter ab eo, quod remaneant vel non morbi symptomata, naturæ viribus aut artis remediis haberi non possit: proindeque semel ac constet de principalis morbi ablatione, etiamsi cetera deficiant, de Miraculo dubitari nequit. Etenim resurrectio mortui, quæ miraculum est secundi generis, semper censenda est miraculosa, etiamsi mortuus resurgat in corpore non sano. E contra, cum sanatio a morbo, quæ ad tertium Miraculorum genus pertinet, absolute induci possit per artis remedia naturæ viribus adjuta, totaque Miraculi ratio in modo sanationis consistat; nequit modus iste probari supernaturalis ac miraculosus, nisi ægrum in pristinum statum repente restituerit, perinde ac si numquam morbosus fuisset. Quarto, si fermo sit de ægro variis morbis & ab invicem separabilibus laborante, non esse contra rationem miraculosæ liberationis ab uno morbo, quod alio vel aliis morbis laborare sinatur. Assertionem suam Noster desumit ex D. August. lib. 22. *De Civit. Dei* cap. 18. & ex S. Gregor. Turon. de *Miracul. S. Martin.* lib. 2. cap. 3. Augustinus enim refert, hominem a Dæmonis obsessione miraculose liberatum, qui tamen non tunc sed postea, cum oculum in maxillam fusum jam tunc eo tempore habuisset, novo & separato Miraculo, oculi sanationem obtinuit. Gregorius vero narrat, fœminam quandam retortos ad crura pedes habuisse, simulque oculorum lumine caruisse, ipsaque delata ad pedes S. Martini, statim laxata fuisse fila nervorum arentium, oculorum lumine non recepto; & post duos annos accedentem ad ejusdem Sancti sepulcrum, oculorum lumen recepisse. Et lib. 4. cap. 19. mentionem facit hominis cæci ac paralytici, qui uno anno membrorum directionem accepit, & nonnisi sequenti potentiam visivam miraculose recuperavit. Unde loquendo etiam de miraculis Christi Domini, quæ in proprio genere perfectissima fuere, adhuc constare non videtur, quod quotiescumque cæcum v. gr. illuminavit, ab aliis quoque, si quos cæcus patiebatur, morbis simul liberaverit. Forte enim, visum ei perfectissimum restituit, & morbosum corporis habitum minime solvit.

Quinto, quamquam plurimorum opinio teneat, mancam esse & imperfectam sanationem, si cum dolore contingat, & idcirco non censeri miraculosam, Noster, qui non severiora, sed veriora sectatur, hujusmodi opinionem minime amplectitur, quinimo validis argumentis, atque idoneis testimoniis, ipsaque Sacrorum Rituum Congregationis praxi demonstrat, sanationem cum dolore contingentem, si cetera ad Miraculum requisita adsint, a Miraculorum classe arceri non debere; tum quia vel ipse Dominus Dæmoniacum liberavit, qui multa passus est in ipso actu liberationis; tum quia dolor in patiente nihil conferre potest ad repentinam morbi solutionem; ideoque nec impedire vel quoquomodo tollere rationem Miraculi. Nec obstat, quod Regula desumenda sit non ex iis, quæ raro, sed quæ plerumque contingunt; nam licet plures inveniantur sanationes sine dolore contingentes, fortasse paucæ non sunt, quæ cum dolore contigisse narrantur. Utut sit, cum rationem Miraculi dolor non destruat, & ad illam quasi impertinenter se habeat, nihil juvat ad pronuntiandum tuto de Miraculo, an dolor in miraculosis sanationibus frequenter vel raro occurrat; sat est enim ad Miraculi essentiam productio sanationis sub illis circumstantiis, in quibus neque a natura, neque ab arte sperari posset. Sexto, posse contingere, ut quis ab uno morbo miraculose liberetur, cui tamen alius succedat. Contrarium docuit Zacchias in *QQ. Medico-Legalibus*, *Tom.* 4. *tit.* 1. *quæst.* 8. *num.* 9. *& seqq.* idemque tenuit Pignatelli *tom.* 15. *Consultat.* 16. *num.* 10. putans, quod metastasis de uno morbo in alium etsi leviorem minime sit habenda pro miraculosa. Sed vera est Nostri sententia, cum sanatio ab uno morbo, a quo liberari infirmus exoravit, repente consurgit; tota enim ratio Miraculi salvatur in hac repentina liberatione, nec impeditur per subrogationem alterius morbi, ad quem non se extendit limitata ægri petitio. Præsertim, quia potest esse valde utile ægrotanti, eique ad salutem animæ maxime expedire, ut ita ab uno morbo liberetur, ut integram valetudinem non consequatur. Unde bene laudatus Zacchias metastasim miraculosam agnoscit, cum hæc contingit post invocationem alicujus Servi Dei vel Beati, in qua aliquis peteret, ut morbus, quo affligitur, recedat, & alius succedat.

Sextum Miraculi requisitum ex doctrina Medicorum de crisibus a Nostro dilucide explicatur, estque cuique obvium, sanationes, non miraculosas, sed naturales esse censendas, quoties adsunt naturales ac sensibiles causæ, quibus rationabiliter adscribi possint. Non ita in promptu est ratio ultimi requisiti, ut nempe morbus ita deficiat, ut non amplius redeat. Videtur enim non esse contra rationem miraculi, quod sanatus, per aliquod accidens culpabile & inordinatum, etiam de proximo in eundem morbum incidat. Videtur etiam minime repugnare, quod sanatio miraculosa ex Divina dispositione sit momentanea, & parum duratura. Rursus videtur, non satis percipi posse, cur de essentia sanationis miraculosæ sit, quod sublato morbo, recidiva non contingat, ut contendit Gaspar de Reyes, & alii post ipsum docent: nisi forte, cum recidiva a Medicis dicatur morbus factus ex reliquiis præcedentis morbi jam prætergressi, & hujusmodi reliquiæ non supersint ex miraculosa sanatione; inde inferatur, quod sanatio morbi, cui recidiva successit, miraculosa esse non potuit, quandoquidem constat illam perfectam non fuisse. Ceterum, cum Nostri scopus sit, non tam naturas rerum in se ipsis explorare, quam ad recte & tuto de rebus judicandum legentes dirigere ac instruere, missis Physicorum speculationibus, crebro quoque fallacibus, examen suum restringit ad modicum tempus, quod intercessit inter primam & secundam sanationem, una cum concursu novæ causæ. In cujus facti contingentia censemus (ait vir prudentissimus) stricte admodum procedendum esse in approbandis similibus sanationibus tamquam miraculosis; licet enim tales in se & coram Deo esse possint, tales tamen non apparent coram Ecclesia, quæ judicat de externis, & saltem locus est dubitationi, an fuerint naturales, quod satis est pro excludenda Miraculi approbatione. Addimus (multa cum circumspectione subjungit) magna quoque cum cautela esse procedendum, etiamsi pro adstruendo Miraculo, in medium afferatur nova morbi causa, cum ea semper in promtu esse possit; offensio enim aeris crassioris, aut frigidioris, aut calidioris superveniens post primam sanationem, vel etiam levis animi afflictio accedens, & prava aliqua victus ratio juxta Medicos esse possunt causa recidivæ. Quapropter, si probatis rigorose extremis primæ miraculosæ sanationis, Fidei Promotor opponat recidivam, & Postulatores, ut satisfaciant animadversioni novæ causæ morbi seu recidivæ innitantur, solertissima diligentia opus est, ut videatur de veritate & viribus novæ causæ, & an morbus supervenions sit potius novæ causæ attribuendus, quam causæ veteri seu insensibilibus primi morbi reliquiis, quæ adhuc permansissent. Si tamen constet, ad majorem Dei gloriam esse referendum, quod morbus redierit, vel quod æger nonnisi ad breve tempus ab eo liberari deprecatus est, in hac vel simili hypothesi difficultas pene omnis cessabit, & de veritate miraculosæ sanationis poterit tuto pronuntiari. Namque ille profecto miraculose sanatus fuit, cui post restitutam sanitatem Dominus dixit: *Vade, & noli amplius peccare; ne deterius tibi aliquid contingat*. Ex hoc enim liquet, quod etiam miraculose sanatus, ob hoc ipsum quod miraculose sanatus fuit, non solum in similem vel in eundem, verumetiam in pejorem morbum paulo post potest incidere, propter novam causam moralem, de qua, si certis documentis constet, vix dubitandum est, quod prior sanatio fuerit miraculosa. Illustre est exemplum a Nostro laudatum de filio Valentis Imperatoris, qui ad præsentiam Magni Basilii convaluit, eoque recedente, vocatisque hæreticis ad eum visendum, rursus in mor-

UAB Biblioteca de Ciències Socials

morbum incidit, & tandem e vita excessit. Neque ullus, opinor, pueri sanationem a Miraculorum classe excludet, quod restituta sanitas non diu duraverit, cum aperte constet de nova causa supervenientis morbi. Notat Eminentissimus Dominus meus, aliqua afferri exempla eorum, qui mortui ad vitam per Miraculum revocati, paulo post mortui sunt, absque eo, quod ex morte paulo post novam vitam subsecuta inferri possit, quod mortuus non fuerit per Miraculum ad vitam revocatus. Nos pro nostra tenuitate existimamus, nullum ex hoc loco argumentum desumi posse pro casu nostro de sanatione miraculosa cum recidiva. Si enim constet de utroque extremo Miraculi secundi generis, hoc est, si vera resurrectio verificetur, cum hæc in indivisibili consistat, nec suscipiat magis aut minus, ex subsecuta brevi nova morte nullum dubium resultat contra resurrectionis veritatem; nec necessum esse videtur recurrere ad alias circumstantias, quæ de Miraculi verificatione securos nos reddant. E contra cum sanatio a morbo aliquo habeat quandam latitudinem, possitque & perfecta & imperfecta esse; & recidiva seu repetitio morbi sit plerumque effectus vel signum imperfectæ sanationis: hinc fit, quod si hæc contingat, in suspicionem prudentem nos trahat de eo, quod sanatio non fuerit perfecta, & consequenter nec miraculosa.

A disputatione de Miraculosis sanationibus in genere, Noster progreditur ad Dissertationem de similibus sanationibus in particulari; & primo loco agit de Miraculosa cæcorum illuminatione, quæ Miraculum est secundi generis, & inter Opera, quæ arte Medica præstari non possunt, jure optimo recensetur. Hæc, loquendo de illuminatione cæci nati, qui talis re vera fuerit, & non ratione alicujus impedimenti natura aut arte auferibilis, omnino certa sunt. Si autem sermo sit de eo, qui visum, quo pollebat, amisit, videtur procedendum esse cum distinctione. Si enim cæcitas inducatur, non per destructionem Organi, seu potentiæ visivæ, sed per ipsius Organi impedimentum, non facile probari poterit ex illius ablatione Miraculum. Si vero ex alia quacumque causa amissa fuit potentia visiva, quatenus de hoc plene constiterit, locus non est de Miraculo ambigendi; præsertim si illuminatio contingat in instanti; cum vel morbi in oculo causati ex inspissatione & confusione humorum, intra & ante pupillam, sanatio, si subita sit & instantanea, vix aut ne vix quidem naturalis esse possit, ut bene admittit Pignatelli. Qui tameu censet, ac mordicus propugnat, quod recuperatio visus, quæ paulatim succedit, etiam ope alicujus Sancti implorata, non est Miraculo adscribenda: quod ego limitarem ad casum, in quo non fuisset concludenter probata amissio & destructio potentiæ visivæ; cum enim hæc nullo medio naturali restitui possit, non potest Miraculo officere, quod recuperatio illa visus, non in momento, sed in tempore contingat. Verum tamen est, difficillime probari posse, quod cæcitas proveniat ex destructa potentia visiva, quæ in qua parte oculorum consistat, adhuc in Democriti puteo delitescit. Quare in similibus oculorum sanationibus prorsus rationabiliter exigitur, quod in instanti contigissent: cum enim vix non semper remaneat dubitatio, utrum in illis detur vera potentiæ visivæ jam amissæ recuperatio, consequenter locus ambigendi relinquitur, an Miraculum secundi generis in eisdem sanationibus inveniatur, atque idcirco similes oculorum sanationes, si ex circumstantiis miraculosæ probentur, prudentissime ad Miracula tertii generis reducuntur, tamquam opera mirabilia, quæ, licet forte quoad substantiam non sint miraculosa, ejusmodi tamen sunt secundum modum operationis. Bene ergo Matthæuccius in sua *Practica Theologo-Canonica* ad Miracula tertii generis revocavit sanationes ab oculorum cæcitate, etiam ex amissione potentiæ visivæ procedente, præsertim cum ejus sententiam Sacror. Rit. Congregatio praxi sua firmaverit in Causa tunc Beati, nunc Sancti Vincentii a Paulo, inter Miracula tertii generis recensens subitam sanationem Claudii Josephi Campoin a cæcitate. Quo procedendi modo semel statuto, unusquisque facile videt, quod in similibus sanationibus maxime sit ponderis concludenter probare, eas in instanti contigisse, ne excludantur a ratione Miraculi. Neque dictis obstat, quod Christus Dominus, ap. S. Marc. cap. 8. cæcum non unica actione, sed duplici distincta perfecte sanaverit, atque adeo non in instanti sed in tempore sanationem perfecerit. Prætermisso enim, quod duplex illa actio una & eadem moraliter fuit, quodque plena fuerit mysterio, quippe, ut ajebat Euthymius: Primo cæcum hunc imperfecte curavit, utpote imperfecte credentem, ut, qui parum adhuc respiciebat, per modicum aspectum crederet perfectius ac sanaretur perfectius, ita ut augmentum fidei augmentum promeruerit sanitatis; his, inquam, prætermissis, nullum dubium est, quin vera fuerit & naturæ viribus insuperabilis cæcitas illius hominis; nam credendum est, omnes, qui Christo Domino curandi fuerunt propositi, per media naturalia sanari non potuisse. Qua de re Guilielmus Ader Opus edidit sub titulo *De morbis Evangelicis*, in quo pro virili ostendit, omnes a Christo sanatos, arte Medica fuisse incurabiles. Et ab hac sententia ne lato quidem ungue peritissimi alii Medici discessere, ut Mercurialis, Jordanus, Zacchias, Vecchius, &c.

Diximus, sanationem cæci nati, si præcedat ex vera privatione potentiæ visivæ, esse Miraculum secundi generis, quia fieri potest, ut quis cæcus nascatur propter impedimentum vel natura vel arte auferibile, v. gr. propter palpebrarum adhæsionem, cataractam, & his similia. Hæc enim posse visum ab ipsa hominis nativitate impedire, & progressu temporis posse vel a natura superari, vel ab arte removeri, Noster facile admittit, probatque testimoniis Zacchiæ sæpius laudati, & Hieronymi Marini, Lithotomi Archihospitalis S. Spiritus in Saxia, in sua *Pract. Chirurgic.* cap. 2. num. 6. qui plures ejusmodi curationes se vidisse testatur; & illustre ejusdem rei exemplum traditur in *Specimine Transaction. Philosophicar.* Tom. 4. Edit. Neapol. anni 1734. pag. 129.

Secundo, in capite X. agit de Mutorum & Surdorum miraculosa sanatione, beneque observat, non semper eos, qui Muti nascuntur, etiam Surdos esse, idque probat ex late adductis a Scholiaste Petri a Castro, qui in *Notis* ad hujus *Observationes* plura facta mirabilia collegit, quæ vel perperam vera supponit, vel male naturæ viribus attribuit. Certe vix unus in millibus invenietur, qui ineptus ad loquelam natus, non simul privatus sit auditu; licet hactenus incompertum sit, an id proveniat ex conjunctione nervi septimæ conjugationis, cujus surculus major ad aurem, minor ad linguam & laryngem excurrere solet; an potius ex eo, quod mutus, quamvis læsa non habeat vocis organa, nequeat articulate loqui, vocesque imitari, quas numquam audivit. At quidquid sit de hoc, prorsus mira sunt, & quibus non facile fidem tuam accommodes, quæ tamquam artis prodigia aut naturæ portenta, curiosi quidam homines referunt de homine absque lingua expedite loquente; de aliis non ore loquentibus, sed ventre, quod nonnemo adscribi posse existimavit divisioni membranæ Mediastini in duas partes, quæ regulariter in homine sunt unitæ; de surdis natis, quorum surditas a bono Chirurgo & Anatomico sanari possit: si videlicet proveniat ex membranula quadam firma & superflua, meatus auditorii parietes occludente, de quo videndus Valsalva in celebri *tract. De aure humana* cap. 1. n. 13. de Mutis a nativitate, simulque auditu destitutis, qui certa arte loqui & audire didicerint; denique de Mutis & Surdis, qui loquelam & auditum naturaliter receperint. Hæc & alia non minus mira & insolita a Nostro eruditissime conglomerantur, & Authores, apud quos inveniri possunt, fidelissime referuntur. Quibus non obstantibus, nunquam illis subscribemus, qui de Mutis ac Surdis, qui tales sunt ob naturale vitium nervorum, similia jactitant: potiusque suspicamur, ex iis plurima studiose esse conficta, vel ad exaggerandam artis potentiam, vel ad extenuandam Miraculorum, quibus fulget vera Religio, gloriam. Neque tamen propterea inficiamur, Mutos & Surdos, etiam sic natos, alios esse tales ratione alicujus impedimenti natura aut arte auferibilis, alios ex defectu organi proprii; & de his contendimus, non debere admitti curationem naturalem, ut supra diximus loquendo de cæcitate ex defectu potentiæ visivæ. Atque ex Nostri sententia, si constet, remotionem impedimenti miraculoso modo fuisse factam, tunc sanationem Muti vel Surdi recensendam esse inter Miracula tertii generis, licet sanatio Muti vel Surdi ex essentiali defectu organi sit Miraculum in secundo genere. Ut autem miraculosa probetur vocis recuperatio, constare debet, nullam in Muto præcessisse vehementem passionem, cui juxta Physicorum doctrinam tribui possit solutio impedimenti; nam inter alios Zacutus lib. 1. *Medic. Princ. Histor. Histor.* 34. *in Paraphrasi*, contendit, subitam loquelæ receptionem haud inepte referri posse ad vehementiorem iracundiam, timorem & similia alia, vocis impedimentum removere potentia; in cujus rei confirmationem adducitur ex Herodoto vulgatissimum illud de filio Crœsi: qui videns Peram in patrem irruentem, furore vel metu repente correptus, ex Muto vocalis evasit. Præterea diligenter observari debet, an defectus loquelæ possit provenire ex nimia organi humiditate, quæ non raro progressu ætatis consumpta fuisse dicitur, apud Schenckium lib. 1. *Observat. Medicinal. Tit. de Sermone & Voce* pag. 207. vel ex lapillo in auriculam fortuito ingesto, qui etiam tractu temporis, ejusdem auriculæ foramine dilatato, arte vel natura, aut extrahi, aut expelli naturaliter potest. Unde in Causa S. Stanislai Novitii Societatis Jesu probatum non fuit prætensum Miraculum instantaneæ sanationis cujusdam fœminæ a surditate, quam contraxerat, dum erat in ætate trium annorum, lapillo ex levitate puerili in sinistram auriculam injecto, & quem post lapsum annorum viginti septem ejecit, invocato Beato Stanislao, quem numquam ejicere potuerat, licet Medici & Chirurgi peritissimi, miris ad eam rem factis instrumentis, ejicere tentassent.

Tertio, in XI. capite erudita prorsusque jucunda Dissertatio a Nostro exhibetur de miraculosa sanatione Claudorum, nec non aliquorum ambulare impotentium. Hic ex Physicis apte explicat, quid sit & quomodo peragatur motus progressivus, subindeque designat varias claudicationis causas, quarum primam desumit ex impedimento affluxus vel spirituum vel sanguinis, vel utrorumque ad articulos coxendicis, genu, tibiæ, aut pedum, juxta tradita ab Etmullero tom. 2. pag. 734. Quod si in utraque articulorum parte impedimentum sit, non solum sequetur claudicatio, sed omnis cessabit incessus. Secundam causam dicit, quæ potest articulos e sinu suo detorquere, & quoquomodo actionem impedire, vel abbreviando articulum e sede sua dimotum, vel eumdem nimis, quam par est, elongando. Abbreviatur autem articulus, ut bene explicatur ab Aquapendente in *Oper.* suo *Chirurgic.* lib. 5. cap. 1. pag. 167. quoties tendines distumpuntur, ligamenta solvuntur, musculi convelluntur; & ex opposito articulus elongatur, quoties laxantur tendines, musculi resolvuntur & præsertim inter os & os articulatum concrescit materia gypsea, ossea, alteriusve naturæ, quæ sensim & sensim dimovet articulum e si-

nu, & illud elongat. Tertiam causam constituit in osse, vel cum circa articulum fractum apparet, vel multa tenetur carie, vel ossium cartilagines circa capita sunt arefactæ & induratæ, vel denique os in sui substantia exesum, divisum aut fractum est, ut fusius exponit Munich in suo *tract. de Fraction.* pag. 329. Tandem ultimam causam claudicationis a nativitate ponit in depravatione ossis, articuli, tendinis aut musculi vel in nimia brevitate aut longitudine musculorum. Ubi doctissimus Cardinalis, qui plene novit mirabilem structuram corporis humani, optime observat, innumerabiles ferme esse posse claudicationis causas, sed quæ facile referri valeant ad quatuor prædictas.

Porro, præfatas causas claudicationis tales esse Noster fatetur, quæ vix possint vel ab arte vel a natura subito removeri, recto progressionis motu in instanti restituto; nisi forte claudicatio procedat ex pura vasorum obstructione, quæ plerumque dissipata dicitur ab unione nativi caloris, qui mirabiles effectus solet producere; vel ex debilitate tibiarum & musculorum, quæ beneficio ætatis evanescit, firmatis a robustiori natura articulis, altiusque progressionis instrumentis, ut loquendo de Valgis, Varis & Gibbis, multis exemplis probant illustres Medici a Nostro recensiti. Si vero sermo est de claudicationibus, quæ proveniunt ex tendinibus vel nervis ruptis, has citra Miraculum, præsertim in instanti superari non posse, Noster tamquam quid certum pronunciat, confirmatque authoritate Hippocratis *Aphor. 19. Sect. 6.* afferentis, dissectum os, cartilaginem aut nervum, neque augeri, neque coalescere. Atque idem fert judicium de claudicationibus omnibus proventibus ex vitio ante nativitatem contracto, ex ossibus videlicet distortis, & male in utero materno conformatis articulis. Denique generaliter docet, quamvis essentialis nativa claudicatio, & etiam, quæ postea supervenit ex causis instrumenta progressionis lædentibus, quia in subjecto illam patiente per naturæ vires superari non potest, & ideo neque gressus eidem restitui, nisi per miraculum, quod etiam, si non in instanti, sed in tempore contingat, inter ea, quæ secundi generis dicuntur, jure sit recensendum; omnes etiam alias subitas sanationes a diuturna quacumque claudicatione, ex alia qualibet causa proveniente, recte adscribi tertii generis Miraculis, quoties concludentibus probationibus ostenditur, tales repentinas sanationes nullis naturalibus causis posse rationabiliter adjudicari. Nec aliter sentit de repentina & instantanea sanatione a Gibbositate; nam hæc, si antiqua sit, tametsi ex sola vertebrarum luxatione processisset, in instanti sanari non posse dicitur a peritissimis Medicis, qui data opera, de Gibbositate tractarunt.

Quarto, in capite XII. Noster disserit de miraculosa sanatione Paralyticorum, & postquam de Paralyticis a Christo Domino sanatis egregie de more disputat, & loca Evangelica ad literam medullitus interpretatur, transit ad explicationem morbi Paralysis, in abolitione motus, & nervorum ac spirituum animalium vitio, consistentis; rectèque vocat Paralysin fortiorem & graviorem, in qua non solum motus, sed etiam sensus amittitur. Deinde, loquendo de Paralysis causis, notat, etiam a flatibus provenire posse, tuncque solum durare, quanto tempore flatus durant, cessareque, cessantibus flatibus, juxta illud Hippocratis in lib. *De flatibus*, num. 180. (Cum ergo flatus frigidi multi penetrent ac inflent carnes, partes corporis stupidæ fiunt; &, si quidem plurimi flatus per universum corpus discurrant, totus homo sideratur; atque ubi abierint flatus, cessat & morbus. Quamdiu autem permanserint, consistit & morbus: idque sic se habere, indicat perpetuus sideratorum hiatus.) Præterea notat, Paralysin non semper ab humore frigido & viscido causari, verumetiam a vaporosa materia ad principium nervorum transmissa, atque adeo non raro a crapula, quæ proinde, crapula soluta, brevi & ipsa resolvi solet. Affert quoque varia exempla Paralyticorum, qui repente a morbo liberati sunt ex quodam improviso timore, aut ira concepta. A quacumque autem causa Paralysis proveniat, si fuerit inveterata, & cum partis ariditate conjuncta, quam Medici Atrophiam appellant, tuto credi potest, neminem ab ea, nisi per Miraculum, repente & in instanti liberari: sanationes enim Paralyticorum, quæ naturalibus causis tribuuntur, aut in momento temporis minime contingunt, aut signa quædam naturalis solutionis præseferunt. Missa facimus, quæ in sequentibus Capitibus usque ad vigesimum secundum Noster eruditissime cumulat, loquendo de miraculosis sanationibus ab Epilepsia, passione Hysterica, Mania, Hydrophobia, Hydropisi, Empyemate, Hernia, Hæmorrhagiis, Vulneribus, Lepra, Cancro, Gangræna, Febri, & aliis infirmitatibus, quarum omnium naturas & differentias dilucide exponit, causas designat, & curationes describit, naturales & artificiosas: ut, his omnibus probe notis, riteque perpensis ac discussis, unusquisque haud difficulter judicare possit, quæ & quales, a quibuslibet morbis sanationes, queant esse ac pronuntiari miraculosæ, saltem quo ad modum, in quo potissimum consistere solet ratio Miraculi.

Porro, caput XXII. est de Miraculis negativis, illis nempe, in quibus nihil de novo ponitur, alteratur, vel immutatur, sed conservatur tantum primus rei status, absque transitu a termino a quo ad terminum ad quem. Negativa Miracula dicuntur, præservatio Rubi ardentis a combustione, & trium Puerorum a fornacis incendio, & quæcumque aliæ præservationes a morte, ruinis, casibus, submersionibus, atque similibus. De his Miraculis loquens Carolus Felix de Matta *in Oper. de Canonizat. SS. part. 4. cap.* 13. satis singulariter opinatus est, ea locum non habere, quando agitur de Miraculis pro Beatificatione aut Canonizatione requisitis. Primum ejus fundamentum est, quod juxta Juris dispositionem non admittuntur duo specialia in eodem subjecto, seu binæ præsumptiones, quæ tamen essent admittendæ, si Miraculum negativum admitteretur; præsumendum enim esset, aliquid physica necessitate fieri debuisse, quod non effet factum, & præsumendum esset, illud miraculose factum non fuisse. Alterum est, quod quæcumque præservationes a ruinis, ab incendiis & submersionibus, aliisque similibus infortuniis, fieri possunt ministerio Angelorum propria naturali virtute operantium; quod satis ipse putat pro Miraculi exclusione. Nostro Mattæ opinio jure optimo non arridet, qui etiam utrumque, quo innititur, fundamentum facile evertit. Et primum quidem, quippe non præsumptio, sed evidentia est, ignem v. gr. combustibili materiæ applicatum, physica necessitate eandem comburere debere: deficiente autem in tali casu combustione, si cetera ad Miraculum necessaria concurrant, non præsumitur, sed tuto supponitur Miraculum. Quare, ex quo admittatur Miraculum negativum, minime sequitur, quod præsumptio præsumptionis admittatur. Secundum vero, quia, si licet in similibus præservationibus, ad Angelorum virtutem recurrere, pari ratione opera alia mirabilia, quæ ad invocationem alicujus Sancti contingunt, non huic sed Angelis tribuere poterimus. Itaque, Miracula negativa, si debita concurrant requisita, rejici non posse a Miraculorum classe, Noster multipliciter ostendit, restaturque, Mattæ sententiam a Sacror. Rit. Congregatione non fuisse admissam, immo expresse facto ipso fuisse rejectam, siquidem eadem S. Congregatio multa Miracula negativa, quæ in Causis Beatificationis & Canonizationis fuerunt proposita & examinata, approbavit, ac pro veris Miraculis admisit, ex quibus plurima hic recenset.

Porro, inter Miracula negativa a Sacror. Rit. Congregatione approbata, non semel occurrit præservatio, seu liberatio alicujus Urbis seu Oppidi a grassante peste, quæ tunc censenda est miraculosa, juxta solertissimum Nostri judicium, cum sequentia concurrunt. Primum scilicet, quod pestis sit in suo majori vigore. Secundum, quod facta fuerit invocatio alicujus Servi Dei, vel Beati. Tertium, quod statim secuta sit sanatio, hoc est, cessatio pestis. Posset tamen contingere, quod, citra invocationem, lues miraculose cessaret, sicut accidit in Indiis ad præsentiam sacri Cadaveris S. Francisci Xaverii, cum in Urbem Malacæ delato, pestiferus morbus, qui jam diu grassabatur, illic extinctus fuit, Deo Optimo Maximo Servi sui Sanctitatem demonstrare volente. Forte nec defuerunt preces multorum, quamvis in facti discussione nullæ commemorentur. Quid autem sit pestilentia, & per quod essentialiter constituatur; an a solo contagio provenire possit: vel an possit saltem a contagio incipere, & ab aeris corruptione propagari, an potius semper a corrupto aere dependeat, quanto tempore perdurare soleat; & utrum in æstate acrius quam in hieme grassetur, seu an hiberno algore plerumque extinguatur, reviviscenteque anni calore, sæpius reviviscat, Noster succincte quidem, sed accurate expendit, productis ferme omnium testimoniis, qui de peste Tractatus ediderunt. Unde ipse citat, præter Zacchiam & Mercurialem, Donatum Antonium ab Alto Mari, qui de pestilente febri disseruit; Horatium Rugen, qui in lib. 6. *De febrib.* cap. 20. observat, pestilentiam aliquando incipere ab una Regione, & per multas Regiones distantissimas pervagari, ventis pestilentialem affectionem deducentibus; P. Athanasium Kirker, qui in suo *Opus. de peste* eodem fere modo philosophatur: Cardinalem Castaldum, Joannem de Bustamante, Philibertum Machinum, Gasparem Caldera de Heredia, Joannem Lazarum Butler, Ludovicum Septalam, Carolum Marasium, Taurelium, Alexandrum Massariam, Antonium Sacaron, Andream Gabrielem, Diemerbroechium, Lazarum Riverium, & celeberrimum Ludovicum Antonium Muratorium, qui licet curandæ pesti operam non dederit, egregium tamen edidit *Tractatum Politicum, Medicum, & Ecclesiasticum de pestis gubernio*, quem ego non videram, cum hujus famigerati Scriptoris Opera recensui. Fortasse, nec Eminentissimus Dominus meus Cardinalis videre Dissertationem Epistolarem *De peste*, quam jam ab aliquot annis Typis vulgavit Bartholomæus Curtius, Medicus Mediolanensis, qui veram pestilentiæ causam aliam non agnoscit, nisi infecta quædam animalcula minutissima, quæ in partibus Æthiopiæ ac Libyæ, quasi in propria Regione generantur, & cum mercibus præsertim Laneis adhæreant, in alias partes advehuntur, miroque modo propagantur. A qua opinione forte non longe Galenus abest, quatenus refert, ex Æthiopia quædam effluxisse seminaria contagionis, quæ Universam Asiam invaserunt. Verum quidem est, Galenum nihil de Vermiculis pestilentibus dixisse, sed quia defectu microscopii, ea ætate nondum inventi, parum noverat de insectis animalculis, quorum innumerabiles pene differentiæ armatis postea oculis detectæ sunt. At, omissis hujusmodi controversiis, bene Noster docet, quod, si morbus cito ægros interimit, si ulterius bubonibus & carbunculis defœdatus est, signa hæc sunt peculiaria pestis, considerata ab iis, qui non scribendæ tantum, verumetiam curandæ potissimum pesti operam dederunt. Ab hujus naturæ morbo grassante, cum populus lue infectus, ad invocationem alicujus Servi Dei, repente, & præter omnem spem, liberator, miraculose liberari dicitur, præsertim, si post invocationem nullum morbo illo tactum perire contingat. Quinquam-

UAB Biblioteca de Ciències Socials

in quibuſdam circumſtantiis poſſit Miraculo non obſtare, quod, poſt invocationem, nonnulli peſte infecti, ſed pauci fuiſſent mortui; ita enim accidit in liberatione Civitatis Montiliæ a peſte, poſt ſolemnem S. Franciſci Solani invocationem, eamque nihilominus Sacror. Rit. Congregatio miraculoſam declaravit. Ut enim noſter prudenter differit, in Miraculo liberationis Civitatis a peſte non agitur de præſervatione unius aut alterius hominis, ſed de præſervatione Communitatis, quæ præſervatio verificatur, etiamſi aliqui, ſed pauci, ex eadem Communitate moriantur. Unde in ſerie Miraculorum S. Genovefæ, ap. P. Thophil. Raynaud. in *Heteroclitis Spiritualibus* Tom. 15. tamquam verum miraculum recenſetur ceſſatio peſtis poſt ſolemnem ſupplicationem, qua durante, nonnulli mortui fuerunt, quaque finita, tres tantum extincti fuiſſe narrantur.

Circa præſervationem a morte eorum, qui in aquas delabuntur, plura Noſter obſervat, tum de neceſſitate reſpirationis, tum de tempore, quo quis vivere poteſt ſine reſpiratione, tum denique de foramine ovali, & aliis rebus Phyſicis, plenius hac noſtra tempeſtate cognitis; eaque depromit ex Modernis Philoſophis, Medicis, Anatomicis. Notat, in feliciori hac noſtra ætate magnam lucem rebus Anatomicis acceſſiſſe, innotuiſſeque aeris gravitatem & vim elaſticam. Laudat duas celebriores ſententias de præcipuo aeris uſu; alteram, quæ ſanguinis motum inteſtinum omnino reponit in aere per reſpirationem hauſto, cui adhærent Lowerus in *Tract. de Corde* cap. 3. & Truſton *De reſpirationis uſu, ſect.* 12. alteram, quæ, muſculorum motum, eodem aere ſublato, prorſus extingui, affirmat, ut videri poteſt ap. Jo. Nicolaum Pecklinum *De aeris & alimenti defectu* cap. 9. & ap. Jo. Thabot *Exercit. Medic. Tract.* 2. cap. 3. Contendit cum Roberto Boyle in *Tract. De Reſpiratione*, nonniſi modico tempore poſſe vivere animalia ſine aere; idque potiſſimum verificari de homine, qui inter ceteros animantes motuum varietate atque excellentia præſtantiſſimus cum ſit, longe concitatiori indiget motu ſanguinis inteſtino, quo non modo tot munia corporis obeat, ſed & mentis cogitationibus obſecundet & inſerviat; animalia autem, quæ ſolent diutius ferre aeris jacturam, ſegnia ſint, hebetia, & pigra, frigidæque adeo conſtitutionis, ut eorum fluida lentiſſime inteſtino motu agitentur, qui motus, longe parciori aeris copia adhuc reſidua, conſervari poteſt. Et hanc reſpirationis neceſſitatem etiam extendit ad puerulos maternis viſceribus incluſos, de quibus cum peritioribus Anatomicis aſſerit, quamvis in eo ſtatu non indigeant munere pulmonum, adhuc tamen vivere non poſſe, niſi aer ipſorum ſanguini jugiter miſceatur; quem aerem ex ſanguine materno in placentam influentem per venam hauriunt umbilicalem, juxta ea, quæ plene habentur ap. Verheyen Tom. 2. *Anatom.* Tract. 5. cap. 18. Et ejuſdem veritatis alias probationes ducit Stalpartius in ſuis *Obſervationibus* pag. 354.

Ceterum, an ſaltem beneficio ovalis foraminis, quod fortaſſe in quibuſdam infantibus adhuc apertum conſervari dicitur, poſſit teneræ ætatis homo vitam ad aliquod ſenſibile temporis ſpatium, puta, ad horam, ſine reſpiratione producere, aliquando inter Illuſtres Romæ Profeſſores acriter diſputatum eſt, occaſione cujuſdam puellæ ætatis annorum ſex cum dimidio, quæ fortuito deciderat in flumen Wattavæ, & per integram horam manſerat ſub aquis, & extracta nullum dederat vitæ ſignum, ad proximam ædem adducta ebibitam aquam evomuit, & paulo poſt ſenſum reſumpto uſu, ab omni læſione apparuit libera, licet aquæ impetu ad anguſtum canalem cujuſdam molendini tranſvecta, ubi duplex rota volvebatur, earum primam ſubter prætergreſſa, ad alteram pervenerit, ſub qua ſemihoræ ſpatio permanſit. Puella hæc Roſalia nomine, a morte præſervata aſſerebatur interceſſione S. Joannis Nepomuceni; cumque celebris Lancifius, Pontificius Archiater, ex quorumdam aliorum Medicorum doctrina, aliquando docuiſſet, quod diximus de ovali foramine, idque Noſter tunc Fidei Promotor contra prætenſam Miraculi veritatem oppoſuiſſet; Aſſaltus, publicus Medicinæ Lector in Archigymnaſio Sapientiæ Romanæ, Vir, ut Noſter ait, ſumme Literatus, & ampliſſima præditus Eruditione, quique, modeſtiſſimus cum eſſet, Lancifium ipſum, tum viventem tum mortuum magnopere coluit, in *Diſſertatione*, quam in Cauſa ejuſdem Sancti edidit, vehementer excandeſcens, dixit, certum eſſe, infantes ſine reſpiratione vivere non poſſe, & fruſtra haberi recurſum ad foramen ovale adhuc apertum, cujus ne veſtigium quidem reperire eſt in celebrioribus Anatomicis, Harvejo videlicet, Lowero & Diemerbroek, qui in Anatome Corporis humani lib. 2. cap. 10. pag. 285. diſerte teſtatur, foramen ovale, quod in fœtu amplum eſt, cum in hominibus natis uſum non habeat, intra paucas hebdomadas ita coaleſcere & aboleri, ut nullum ejus veſtigium uſpiam appareat. Similia produnt Bartholinus & Pecklinus; iſque addit, a foraminibus ovalibus apertis nullum præſidium deſumi poſſe ad Urinatores, qui longiori tempore vivunt ſub aquis, a morte vindicandos; cum Urinatores ſint peculiare hominum genus, quorum ſanguis frigidior eſt, ac ſegniori motu agitatur. Hoc tamen mihi videtur parum exploratum, prorſuſque incertum, quinimo experientiæ minime conſonum, cum inter famoſiores Urinatores etiam plures fuerint calidioris naturæ; licet & ii, cum frequentius ſub aquis degerint, tractu temporis frigidiores fortaſſe evaſerint. Porro, licet Aſſalti argumenta eo tendere viderentur, ut Roſalia cenſeretur a morte ad vitam revocata, Sacra tamen Congregatio ſecutiori via procedens, cum certa indicia ſecutæ mortis deeſſent, Miraculum quidem approbavit, ſed in tertio genere, & non tamquam revocationis mortuæ ad vitam, ſed tamquam præſervationis a ſubmerſione & imminenti morte.

Difficilius ſane eſt judicium de miraculoſa præſervatione a caſibus. Unde præter obſervata a Bordono in *Tract. De Miraculis Medit.* 3. num. 9. quæ vera Noſter pronuntiat, alia ipſe addit, quæ diligenter examinari debent: nempe, an quis cadat corpore erecto; vel juxta murum prolabatur & ruat, dorſo ad murum aliqualiter incumbente; vel murus ipſe in modum anteridis conſtructus ſit; vel corpus cadens cœmentorum acervo occurrat, & ſic collecta ſaxa e loco impellat; aut per veſtium inflationem a vento ſuſtentetur, & ſic non vehementer in ſolum collidatur. Hæc enim omnia & ſingula impetum percuſſionis corruenti corpori diminuunt, ita ut vel modica læſio, vel etiam totalis illæſio viribus naturæ ſit adſcribenda. Subjungit, quod licet corpus projectum & impetu deſcendens gravitatis vim Projectioni conjunctam ſervet, & in corpus allidens durum, immobile, & magis reſiſtens, debeat neceſſario percuſſionem pati; poteſt tamen ex ea percuſſione nullum perſentire, vel ſaltem leve incommodum, modo aut in punctо, aut in paucis tantum punctis tangat, & allidat in corpus reſiſtens; & puncta corporis reſiſtentis æqualem vim habeant corporis projecti & impulſi: quocirca videmus aliquando cyathum vitreum aut vas fictile ex alto decidens percuſſionem quidem a terra pati, nullam tamen rimam, nullamque fracturam contrahere, modo terram impetat aut in punctо, aut paucis in punctis æqualiter reſiſtentibus. Rurſus homo ex alto loco cadens, ſive ad cadendum impulſus, poteſt ſine noxa caſum pati, primo, ſi ad modum avium ducat corpus, & membra perpendiculariter ad motus directionem; ſecundo, ſi extendat crura aut brachia, & caput, pectus aut ventrem inclinet, ita ut ſeſe reſtituat ad æquilibrium; tertio, ſi aerem ad latus oppoſitum percutiat tali vi, per quam vis impetus projectitii infringatur; quarto, ſi pedes reliquoſque articulos elonget & extendat, & ſubito cedendo, vim lapſus impediat. Et quamvis Noſter ultro fateatur, hæc conſequi difficillimum eſſe, non propterea negari debet, quod aliquando natura, timens grave periculum, nobis inſciis, ea præſtat, & legibus mechanicis utitur avertendo damno maxime accommodatis. Quemadmodum iiſdem legibus per artem utuntur Saltatores & Funambuli, qui ſe ex alto loco projiciunt, terram pertingunt, nec ullum contrahunt corporis damnum. Quod ergo arte fieri poteſt, etiam abſque artis præſidio, licet rarius, a natura præſtatur. Et hæc Noſter prudentiſſime animadvertit, non ut penitus excludat negativa hujus generis Miracula, quæ fatetur, ſæpius eſſe vera, & quodammodo a Deo in Scripturis ſuis juſto promiſſa, juxta illud Pſalmi: *Si ceciderit non collidetur, quia Dominus ſupponit manum ſuam*: ſed ut Conſultores Congregationis Sacrorum Rituum, cum de his agitur, oculorum aciem intendant, videantque, ne Miraculo adſcribant, quod caſui vel naturæ adſcribendum eſt.

In Capite XXIII. ſermo eſt de miraculoſa rerum multiplicatione, & in alias res converſione. Plura hujus generis Miracula hic recenſentur, doctiſque reflexionibus illuſtrantur. Inquiritur etiam quonam modo ejuſmodi multiplicationes fiant, an videlicet per creationem novæ materiæ, vel per materiæ refactionem, vel per additionem materiæ præexiſtentis ab alio corpore ſeparatæ, & multiplicato additæ. Noſter modum tertio loco expreſſum probabiliorem autumat, miraturque Rotæ Auditores, qui magnitudinem Miraculi multiplicationis extulerunt in Relatione Cauſæ S. Franciſcæ Romanæ, & in Relatione Cauſæ S. Thomæ de Villanova, nihil ſtatuere voluiſſe quo ad modum, relicta unaquaque ſententia in ſua probabilitate: & in ſubſequentibus Relationibus adhæſiſſe ſententiæ, quæ in multiplicatione expoſcit novæ materiæ creationem ſub obtentu potiſſimum, quod ſententia creationis novæ materiæ ſit ſententia D. Thomæ: quod verum non eſſe, noſter aperte evincit ex ejuſdem S. D. tertia parte *Summæ*, *quæſt.* 44. *art.* 4. ubi expreſſe docet, *quod multiplicatio panum non eſt facta per modum creationis, ſed per additionem extraneæ materiæ in panes converſæ*; idque probat authoritate S. Auguſtini *ſuper Joannem*, dicentis: *Unde multiplicat de paucis granis ſegetes, inde in manibus ſuis multiplicavit quinque panes*. Ut autem S. Thomas ſubſumit, *Manifeſtum eſt, quod per converſionem grana multiplicantur in ſegetes*; non vero per novæ materiæ creationem, aut per antiquæ rarefactionem. Unde utrumque iſtum modum multiplicationis idem S. D. excludit 1. *part. quæſt.* 92. *art.* 3. ubi explicat, quomodo mulier facta fuerit ex coſta Viri.

Jam ut multiplicationis Miracula, quæ ut plurimum ſunt valde popularia & plauſibilia, talia tuto cenſeantur, tria tamquam extrema concludenter probanda ſunt: primum, res præexiſtentes in tali determinata quantitate: ſecundum, multiplicatio rei in tali alia quantitate: tertium, excluſio cujuſcumque poſſibilitatis, quod videlicet res, quæ ſuperadditur, potuerit naturaliter aliunde haberi. Hæc ſummatim de miraculoſa rerum multiplicatione, poſt quæ Noſter verba facit de rerum in alias res converſione, tam accidentali quam ſubſtantiali. Accidentalem converſionem vocat, in qua rei accidentia mutantur, ut cum aquæ amaræ in dulces convertuntur, vel cum aquæ, quæ erant peſſimæ, fiunt ſalubres, ſicut contigit in facto Eliſæi, *lib.* 4. *Reg.* cap. 2. ſubſtantialem appellat, in qua ipſa rei eſſentia mutatur, vel mutari videtur, ſicut cum Uxor Lot in ſtatuam ſalis verſa eſt, & Virga Moyſis in colubrum, & aqua in vinum. In utroque genere converſionis Miracula plurima referuntur in Eccleſiaſtica Hiſtoria, nec panca commendantur in Bullis Canonizationum, & ſignanter in Bulla

Canonizationis S. Chunegundis, in qua mirabile dictu est, quod pulvis de tumulo ejus assumptus sæpius conversus fuit in frumentum.

Ut aliqua conversio probetur miraculosa, hæc ex Nostri præscripto sunt observanda: Primum, ut conversio, de qua agitur, sit insolita, & præter consuetum naturæ cursum, quæ nobis perpetuo conversionibus innovatur. Secundum, quod eadem conversio non apparens tantum, sed vera & realis sit. Tertium, quod per concludentes probationes status præcedens demonstretur. Quartum, quod in conversione nulla res naturalis intercedat, quæ conversionem efficere valeat. Ob defectum enim *hujus circumstantiæ* Franciscus Vallesius cap. 15. *De Sacr. Philosoph.* a ratione Miraculi exclusit factum Moysis, cum, immisso in aquas ligno, dulces illas reddidit. Probabilius namque existimavit, Deum Moysi indicasse lignum, quod sua naturali virtute efficere poterat, ut aquæ dulces fierent. De quo ligno locutus est Ecclesiasticus cap. 38. ubi postquam dixerat: *Altissimus creavit de terra Medicinam, & vir prudens non abhorrebit illam*: statim subdidit: *Nonne a ligno indulcata est aqua amara?* Vallesii opinioni Noster libenter suffragatur, ultro prætermissis pluribus, quæ de præfato ligno dicunt Hebræi apud P. Augustinum Calmet in *Commentar. ad cap.* 15. *Exod.*

Miraculosis rerum multiplicationibus & conversionibus subnecti debent deportationes & translationes rerum usui humano servientium, quæ, jubente Deo, fiunt ope ac ministerio Angelorum, nec raro etiam animalium, ut cum panes aut carnes Servis Dei deferebantur ministerio corvorum: & in hoc casu, præter communem Miracula rationem, quæ in similibus rerum delationibus elucet, *etiam maxime* splendet novum quoddam Miraculum, quo vel corvorum natura mutatur, vel superiori vi cohibetur, ne præsenti præda vescatur.

Ubi noster in hoc ipso capite explicat, qua ratione fiat conversio, *tum accidentalis*, tum substantialis, opportune admonet, male Durandum, qui circa an. 1325. scripsit, transubstantiationem, quæ est quædam singularis conversio, & aptissime eo nomine appellatur, ut definit Tridentin. *Sess.* 13. *can.* 2. eodem modo fieri dixisse, quo fit quævis alia conversio, v. gr. nutritio; ita ut in Sacramento remaneat panis materia, solaque ejus forma vi verborum consecrationis deficiat; cum Catholicum dogma sit, quod in eo deficit tota panis substantia.

In capite XXIV. Miracula a Nostro exponuntur, quæ respiciunt dominium supra Elementa & irrationales creaturas animatas. Quæ in utroque genere prodigia, tam in Sacris Literis, quam in sinceris Sanctorum Actis descripta inveniuntur, non sine delectu a Nostro indicantur. Fontes Sanctorum meritis exortos collegisse Gretserum lib. 1. *Rer. Variar.* cap. 11. & de nonnullis sermonem fecisse Nierembergium in *Hist. Natur.* lib. 2. cap. 33. ibique luculentius scripsisse de celeberrimo fonte illo Anglicano, qui dicitur S. Winefridæ Virginis & Martyris, quique a Povelo Calvinista inter Monachorum fabulas, avaritiæ causa inventas, stultissime reponitur, Noster observat. Qui postquam mira tradidit de virtute ac dominio, quod complures Viri Sancti in Elementa singula exercuerunt, ne increduli, ut solent, similia adscribenda esse blaterent singulorum quorumdam hominum constitutioni; talia ineptientium effugia, docet, mera esse vigilantium somnia, proindeque falsa esse & ludrica dicit, ex adductis a Majolo in *Dieb. Canicular. Tom.* 1. *Colloqu.* 22. & a Pignatello *Consultat.* 110. Tom. 4. quæ a nonnullis circumferuntur de corporis humani constitutione, quæ ab igne naturaliter non læditur. Licet enim quædam vere sint, ut noster fateri videtur cum Lævino Lemnio *De Occult. Natur. Miracul.* lib. 2. cap. 12. quæ incombustibilia suapte natura sunt, talis incombustibilitas de humano corpore nonnisi fabulose prædicatur.

In capite XXV. Noster subtiliter sagaciterque perscrutatur naturam quorumdam Miraculorum, quæ in Cælis & in Terra contingunt. In eorum classe primo loco ponit Stellam, quæ Magis apparuit, illosque motu luceque sua ad Christum recens natum perduxit. De hac Stella cum communi Patrum calculo affirmat, non fuisse ex genere earum, quibus Cælos videmus ornatos: nec etiam ex illis, quæ ut minus fortasse recte olim putabatur, ex vaporibus coagmentatis accensæ in aere Cometæ dictæ sunt; sed Divinam quamdam Virtutem, quæ non tantum aspicientium oculos sui fulgoris radiis illustraret, sed quæ & mentes illorum Divina Luce perfunderet, atque ad Christum natum perquirendum excitaret, uti plene habetur ap. Cardin. Baron. ad an. J. Chr. num. 35. *Si quæras*, quid per *Divinam quamdam Virtutem* hoc in loco Noster intelligat? respondet, præfatam Stellam, aut fuisse aliquod Meteorum ab Angelo efformatum in modum & Speciem Stellæ, ingenti lumine perfusum, ab eodem Angelo ex Oriente in Occidentem motum in media aeris regione, ut Magis signaret iter, ac instar columnæ ignis, quæ filios Israel per Desertum deduxit; vel fuisse Stellam de novo creatam, non in Cælo, sed in aere vicino Terræ, quæ secundum Divinam Voluntatem movebatur, uti perspicue docet D. Thomas 3. *part. quæst.* 36. *art.* 7. Et hæc ultima sententia tutissima visa est Friderico Spanhemio heterodoxo *in Dubiis Evangelicis*, *Dub.* 27. pag. 297. Eamdemque confirmarunt solo rationis naturalis ductu insignes Astronomi Keplerus & Tycho Brahe, qui ultimus Tom. 1. *Progymnasmatum* Stellam illam vocavit *peculiare atque admirandum Dei Opus*. Quamquam fortasse non inepte quis diceret, absque nova Stellæ creatione, potuisse Angelum aliquam ex Stellis errantibus novo & convenienti ad finem motu circumducere, & sic omnia & singula nullo discrimine præstare, quæ motu novi Sideris efficere potuit; & quidem in rigore literæ, promissus nobis est novus Stellæ ortus, sed non nova Stellæ creatio. Omnino tamen probandus est communis Patrum sensus novo Eminentissimi mei Domini suffragio confirmatus.

In secundo loco recenset tenebras in Morte Christi Domini factas, quas Origenes *tract.* 35. *in Matth.* non ad universam, sed solam terram Judææ extendendas esse putavit. Origenem nonnulli quidem secuti sunt, sed plerique fere omnes deseruerunt, *& per universam terram*, non Judæam tantum, sed totum Mundum intelligi debere existimarunt. Noster bina magni utique ponderis expendit testimonia, ex quibus comprobari posse videtur, tenebras, non ad Judæam restricta, sed ad universum Orbem extensas fuisse. Alterum est 3. Dionysii Areopagitæ, qui *Epist.* 7. *ad Polycarp.* dicit *Eclipsin* hanc a se fuisse observatam & ab Apollophane in Ægypto: *Eramus una ambo, & stabamus ad Heliopolim, ac cernebamus, nec opinato, cum Luna se Soli objiciebat, neque enim conjunctionis tempus erat, rursusque, cum eadem ab hora sexta ad vesperam se mediæ Solis lineæ præter naturæ ordinem opponebat.* Alterum Phlegontis, Hadriani Imperatoris Liberti, qui in *Historia* per Olympiades in libros 16. distributa cap. 13. ait: *Quarto anno centesimæ secundæ Olympiadis magna & excelsa inter omnes, quæ antea eam acciderunt, defectio Solis facta. Dies hora sexta ita in tenebrosam noctem versus, ut Stellæ in Cælo visæ sint, Terræque motus in Bithynia Nicææ Urbis multas Ædes subvertit.* Ceterum de priori testimonio non parum Noster dubitare videtur, motus opinione plurimorum Criticorum, qui Opera Dionysio Areopagitæ adscripta, vel an genuina sint ambigunt, vel prorsus commentitia esse, credunt. Nos, quid in hac Controversia probabilius videatur, fuse & accurate pro modulo nostro differuimus in articulo *Dionysius Areopagita*. Ex posteriori autem testimonio putat validum desumi posse argumentum; nam, etsi ab Eruditis quibusdam disputetur, an Phlegon loquatur de eadem Eclipsi, de qua Evangelistæ loquuntur, eo potissimum, quod ille non dixerit, Eclipsim Solis in plenilunio contigisse; Nostro tamen invicta videntur argumenta, quibus ponitur in aperto, Phlegontem de eadem Eclipsi locutum fuisse, de qua sermonem habuerunt Evangelistæ: incidit enim utraque in eumdem annum, Tiberii scilicet decimum nonum; utraque respicit eamdem horam, horam scilicet sextam; utramque demum comitatus est insignis Terræ motus: & ad *Historiam* Phlegontis respexisse videtur Tertullianus in *Apologetico* cap. 21. ubi ita scriptum reliquit: *Eodem momento dies, medium Orbe signante Sole, subducta est. Deliquium putaverunt, qui id quoque super Christo prædicatum non scierunt; & tamen eum Mundi casum relatum ad Archivis vestris habetis.* Concordat Lucianus Martyr, qui sic ait: *Consulite Annales vestros, & invenietis, Pilati temporibus, dum pateretur Christus, media die fugatum Solem, & interruptum diem*: &, quamvis Phlegon non dicat, Eclipsim contigisse plenilunio, ac nec tamen dicit interlunio factam: ex quo proinde rationabiliter inferri potest, eum plenilunii non meminisse, cum rerum Astrologicarum esset ignarus. Fuse hæc omnia prosequitur Natalis Alexander in *Hist. Eccl. Sæc.* I. cap. 1. art. 5. Legi potest Huetius in *Demonst. Evang. propositi.* 3. pag. 48. & seqq. ubi late vindicat testimonium Phlegontis, & probat, eum loqui de eadem Eclipsi, de qua loquuntur Evangelistæ, & pag. 49. hæc addit: *Accuratissima vero & attentissima observatione dignum est, quod habet nuperus Sinensis Historia Hadriani Grossii, annotasse Sinas in rerum suarum monumentis, ad id tempus, in quod annum ætatis Christi trigesimum secundum nos Christiani conferimus, circa mensem Aprilem Solare deliquium præter ordinem naturæ, & leges curriculis Astrorum præfixas contigisse, qua rei novitate Quamvutium Imperatorem vehementer fuisse commotum.* Vide quæ diximus sub nomine *Phlegon*.

Porro ipsas tenebras, moriente Christo, factas, non ex eo, quod Sol radios suos retraxerit, nec ex eo, quod nubes densissimæ fuerint interpositæ, ut quidam putaverunt, contigisse decernit; sed inductas dicit per veram & intempestivam Solis Eclipsim, quæ non minus miraculosa fuerit, quam repentina terræ commotio, aliaque stupenda signa ab Evangelistis relata, ut quod petræ fuerint excisæ, velum Templi in duas partes divisum, monumenta aperta. Hæc miraculosa fuisse negare, erroneum & quodammodo impium Noster jure optimo declarat. Sed quoniam in aliis hujus generis eventibus, non ofcitanter, sed summa cum diligentia procedere oportet, antequam Miraculo adscribantur, miranda plurima, quæ in hoc genere naturaliter accidere possunt, opportune hic a Nostro notantur. Et imprimis explicat, quidnam sint, & qua ratione Cometæ fiant, quod nos alibi fuse explicavimus, ex Observationibus illustrium nostræ ætatis Astronomorum. Eos esse fodicia alicujus memorabilis casus, ut antiqui Historici crediderе, videtur minime probare. Loquitur dein de novis Stellarum apparitionibus, quas rerum Cælestium imperiti facile mirantur, quamvis revera juxta ordinem cælestium motuum contingant. Similiter, absque Miraculo accidere posse observat, quod Luna in Eclipsi sanguinea appareat, quod circa Solem in sua maxima obscuratione anulus lucidus videatur; quod tenebræ in hoc rerum eventu magnum terræ tractum obfuscent; quod aliquando extra Eclipsim Sol aspiciatur in Cælo sereno cum debili lumine, & quasi obtenebratus & coopertus, quemadmodum contigisse legitur temporibus Caroli Magni. Apud Cedrenum quoque narratur, quod septimo anno Imperii Ma-

gni

UAB Biblioteca de Ciències Socials

gni Juſtiniani Sol per annum integrum ſine radiis apparuit ad inſtar Lunæ; & plura alia ſimilia collecta habentur apud Gaſſend. Tom. I. *Phyſic. Sect.* 2. lib. 2. Præterea, de Phænomenis ſcitiſſime diſſerit, & qua ratione Sol aut Luna duplicari videatur, ſi Parhelion aut Paraſelene in aere formetur, curioſe ac erudite exponit. Item de variis luminis refractionibus, quæ ſolent contingere in nubibus, ex quibus multiplices reſultant apparentiæ Animalium, Monſtrorum, &c. Similes apparentias in cauſa fuiſſe putat, quod Hiſtorici nimium imaginationi indulgentes, aliquando literis conſignarint, viſos fuiſſe in nubibus Dracones volantes, Exercitus ſeſe invicem aggredientes, ſicut cum Plinius lib. 2. cap. 57. ſcripſit: *Spectata arma Cæleſtia ab Ortu Occaſuque inter ſe concurrentia*. Ulterius, luculenter tradit, quid ſint Boreales auroræ in Septentrionalibus partibus valde frequentes, in Germania & Gallia non admodum raræ, atque in Italia non prorſus inſolitæ. Phænomeni hujus adeo multiplex eſt apparentia, ut recte Noſter dixerit: Vix explicari poteſt diverſitas apparendi, quæ inter unum & alium horum mirabilium Meteororum interceſſit. Vix Phaſium varietas explicari poteſt, quæ in una eademque aurora boreali eadem nocte videtur, ſive aurora ab uno, ſive a pluribus locis obſervetur. Die 19. Octob. an. 1726. viſa eſt quædam aurora borealis, quæ multos terrore affecit, ob magnum & ignitum, quod emittebat, lumen; ita ut objecta media nocte videri poſſent, ſicut media die videntur. Plura de his Phænomenis collegerunt Celſius & Mairanus.

Neque noſter prætermittere voluit effectus funeſtiſſimos, ſummeque violentos, qui tum in Mari, tum in Terra a Turbinibus producuntur, quique non Miraculo, ſed ventorum viribus merito adjudicantur. Lectorem remittit ad Montanarii Opus *de Viribus Æoli*, ubi nonnullas refert de prædictis effectibus hiſtorias. Denique noluit ſilentio involvere ignea alia Meteora, ut Stellas, quas cadentes vulgo appellant, caſus Flammarum & Globorum volantium, qui varii ſunt in magnitudine, in velocitate, in directione, in caudis quas ſecum ducunt, in fragore, qui aliquando ex eis erumpit, in diſtantia a Terra, quæ tamen aliquando deprehenſa fuit ab eorum Parallaxi, ex obſervatione Balbi, Bononienſis Medici a Noſtro laudati, relata inter *Commentaria* celebris Franciſci Zanotti; ignes fatuos ſeu flammulas parum ſe a Terra extollentes, quæ, cum moventur, eos fugiunt, qui ipſas ſequuntur; quæque non raro domos incenderunt; demum eructationes Vulcanorum, ruinas & lapſus aliquarum partium Montium, ex quibus aliquando Voragines, aliquando Lacus prodierunt, aliquando Civitates Maritimæ ſubmerſæ ſunt, aliquando inter medias aquas Inſulæ de novo apparuerunt. Quæ omnia, quamvis naturaliter ut plurimum contingant, non inde Noſter infert, ſimiles effectus non poſſe ratione circumſtantiarum ſupernaturales eſſe, & naturam Miraculi induere. Quare, inſpectis circumſtantiis, Miraculum pronuntiat, quod aperta Terra Dathan & Abiron deglutivit; quod Petrus increpatione ſua Ananiam & Saphiram de medio ſuſtulit; quod Diluvium univerſum Orbem Terrarum aquis ſubmerſit; quod ſulphureus ignis Sodomam & Gomorrham abſumpſit; quod Columna nubis & ignis populum Iſrael per Deſertum die ac nocte circumduxit; & quod per dies quadraginta Equites per aera diſcurrentes, &c. apparuerint, ut legitur in lib. 2. *Machabæor.* cap. 5. His a Noſtro graviſſime ponderatis, licet fateatur, nullam ſe illi occurriſſe occaſionem ſcribendi ſuper hoc argumento, & audiendi, quid a doctis Conſultoribus Congregationis Sacror. Rit. in eam rem ſapienter judicaretur, quid tamen ipſe cogitaverit, ſequentibus verbis exponit, e quibus ne jota unum præterire voluimus.

(Si quis ergo, *inquit*, futurum caſum ſeu Phænomenon prævideat, aliiſque illud prænuntiet, ut ceteros moneat de malo aliquo vitando, & malum evitetur vi prædictionis, & manifeſtationis, & prædicens, & manifeſtans fuerit Virtutibus præditus, ejuſque Virtutes in gradu heroico fuerint diſcuſſæ & approbatæ, certum hoc videtur indicium rei a Deo factæ præter ordinem naturæ, & ejus vires tranſcendentis, quemadmodum plene colligitur ex facto ſupra relato Lot.

Item, ſi Phænomenon, quod apparuit, & de quo eſt quæſtio, ſit vere rarum, & vere Aſtronomorum ſcientia inſolitum, idemque apparuerit, jubente aut orante Dei Servo, aut Beato (de quo tamen nulla ſit amplius quæſtio de Virtutum heroicitate, aut vero Martyrio) ut aliquid ad gloriam Dei fiat, & exitus, ſeu finis concupitus obtineatur, indicium hoc erit rei ſupernaturalis: pro quo non modo prodeſt factum Joſue alibi relatum (quatenus illud ab aliquo male feriato in Phænomenon naturale detorqueretur) qui juſſit Soli, ne moveretur, quæ actio habita eſt adverſus Gabaonitas hoſtes Populi electi; ſed etiam prodeſt, quod habetur *lib.* 4. *Regum cap.* 1. ubi ad preces Eliæ ignis de Cælo deſcendit, & devoravit Quinquagenarium, & una cum eo quinquaginta alios Viros in vindictam ſceleris; iverant enim ad conſulendum Beelzebub Deum Accaron, relicto vero Deo Iſrael.

Rurſus, ſi etiam, nullo accedente imperio, nulla accedente prece, aliquod videatur Phænomenon, quo duce, aliqua fit operatio ad laudem & gloriam Dei, & ſine quo talis operatio non fieret, aut cum majori fieret difficultate, hæc erunt potentiſſima indicia rei ſupernaturalis. Plura ſunt, quæ ſuadent, Miraculum interfuiſſe in apparitione Stellæ, quæ Magis facta eſt juxta ea, quæ in ſuperioribus dicta ſunt, & in apparitione Columnæ nubis & Columnæ igneæ, de quibus quoque ſupra habitus eſt ſermo: ſed inter cetera Miraculi ſigna nullo modo omitti poteſt, quod, Stella duce, Magi Bethlehem devenerunt, & indicio Stellæ cognoverunt locum, ubi erat Jeſus, quem, oblatis muneribus, adoraruntur, & quod ope Columnæ nubis, & Columnæ ignis populus electus iter tuto perfecit, verique Dei potentiam recognovit.

Proderunt quoque pro Miraculo adſtruendo, ſi alia quoque Miracula indubitata eodem tempore & ad eumdem finem directa a Deo fiant. Exemplum eſſe poteſt in terræmotu, qui licet a cauſis naturalibus producatur, de quibus latiſſime apud Fortunium Licetum *de quinto quæſitis per Epiſtolas*, cap. 31. in eo tamen, qui contigit Chriſti Paſſione, tot alia eo tempore contigerunt Miracula, cum multi Sancti reſurrexerint, & ſanctam Civitatem ingreſſi ſint, & poſt triduum Chriſtus ipſe Dominus reſurrexerit, ut & ipſe terræmotus ſupernaturalis & miraculoſus dicendus ſit.

Major erit profecto difficultas, ſi tamquam miraculoſa proponatur apparitio alicujus Stellæ ſtantis ſuper domum, in qua naſcitur Dei Servus, aut in qua moritur. Difficile enim eſt, aſſerere poſſe, eam, quæ apparuit, eſſe Stellam, cum Stellæ non dentur, quæ non participent de motu, qui communis eſt ceteris Corporibus Cæleſtibus, & difficilius ſit dicere, novam Stellam a Deo fuiſſe creatam. Stella quoque, quæ ſtare ſupponitur ſuper domum, & uti ſtans ſuper eam videtur ab illis, qui in domo ſunt, vel prope domum, ſi aſpiciatur ab alio in loco, qui non admodum diſtet a domo, non apparebit uti ſtans ſuper domum, ſed ſupra ipſius aſpicientis caput. Facile erit hoc Phænomenon ad aliquam flammulam referre, quæ ſit ex genere ignium fatuorum. Caute ergo procedendum erit in approbatione hujus rei tamquam miraculoſæ, & ſuſpendendum videtur judicium, niſi forte Phænomenon longo tempore permanſerit, ejus ſplendor fuerit extraordinarius, & de die etiam viſus ſit; & manifeſtationis occaſio concurrerit, & (quod maxime advertendum) præter approbationem Virtutum aut Martyrii, alia Miracula concomitantia non defuerint. In Actis Martyrum ſæpe occurrunt turbines, fulgura & terræmotus tempore mortis ipſorum. Pro ſignis ſupernaturalibus hæc habita ſunt, & haberi poterunt, ſi tempore prædicto acciderint, ſi Cælum ex ſereno repente nubilum & turbidum factum ſit, ſi fulgura eruperint, ſi terræmotus Urbem concuſſerit: conſtito quippe de morte in odium Chriſti illata, de morte ob Fidem Chriſti patienter tolerata, de injuſtiſſima nece a Tyranno inflicta, quæ omnia præcedere debent, antequam de Signis & Miraculis feratur judicium; fulmina, tonitrua, & terræmotus, qui ex intrinſeca qualitate vires naturæ non excederent, tuto & fidenter recenſeri poterunt inter ſigna ſupernaturalia a Deo aſſumpta ad manifeſtandam Martyris innocentiam, & mortem ei injuſtiſſime illatam: nec enim novum eſt, aliquod naturale a Deo aſſumi, & elevari in ſignum ſupernaturale, uti patet in Iride, quæ nihil aliud eſt, quam arcus diſcolor apparens ex receptione, & reflexione luminis Solaris in nube rorida, quemque Deus aſſumpſit, in ſignum fœderis inter Deum & homines, & amplius non futuri univerſalis Diluvii, uti habetur *Geneſis* cap. 9.)

In capite XXVI. Noſter accuratiſſime exponit, an & qua ratione ſit vel miraculoſus vel potius naturalis ſudor ſanguineus, ſeu ſanguineus fletus in aliquibus Servis Dei obſervatus? Opinio Noſtri eſt, immo communis Interpretum ſententia, adverſus Theophylactum in *Cap.* 22. *Lucæ*, & Euthymium in *Cap.* 4. *Matthæi*, Chriſtum Dominum vere ſanguinem ſudaſſe, & Evangeliſtas, qui hoc teſtantur, non hyperbolice, ſed proprie locutos eſſe. Quod autem in nonnullis veuſtis Græcis exemplaribus, & in multo pluribus Latinis, teſte S. Hilario *De Trinit.* lib. 10. cap. 41. deſideraretur, quod modo in Evangeliis legimus de Angelo adveniente & de ſanguineo ſudore Chriſti; id Noſter tribuendum cenſet indiſcreto quorumdam *fidelium zelo, qui hæc expunxerant, ne* Chriſtiani nominis Olores ea hiſtoria aboterentur, ut indigna Jeſu Chriſto incommoda tribuerent. De qualitate autem ſudoris prædicti, poſtquam in medium affert ejuſdem S. Hilarii & Ven. Bedæ ſententiam, qui nefas putant illum infirmitati deputare, & non potius contra naturam & miraculoſum aſſerere, obſervat ex adductis a Gaſpare a Reyes *quæſt.* 86. *num.* 25. varias eſſe cauſas, ex quibus ſudor ſanguineus promanare poſſit; & primam quidem refundit in ſanguinem crudum multo fero dilutum, & ab hepate non probe confectum; ſecundam in ebullitione fervidiorum ſpirituum, animique immodicam excandecentiam; tertiam in maximam animi anxietatem & triſtitiam: quæ cauſa, ſi huic Scriptori credimus, ſanguineum ſudorem producere nequit, niſi morboſam diſpoſitionem in corpore invenerit. Ex quo concludit, cum Corpus Chriſti Domini fuerit optimæ conſtitutionis naturalis, nec ab intrinſeco capax ægritudinis, non potuiſſe in eo ſudorem ſanguineum cauſare imminentium malorum timorem, aut profundum animi mœrorem & anxietatem, proindeque ſudorem illum Miraculo eſſe adſcribendum. Quibus non obſtantibus placuit Noſtro aliorum opinio, qui prædictum ſudorem a naturalibus cauſis productum crediderunt. Pro hac ſententia citat S. Bernardinum Senenſem *Tom.* 1. *Serm.* 51. *De Paſſione Domini*, cap. 2. pag. 310., ubi, quamvis fateatur, quod plena ratio naturalis non poſſit reddi de tam ſtupendo doloris ſigno in ſudore ſanguineo; nihilominus dici poſſe affirmat, *Quod aliqualiter diſpoſitive timor & amor bellantes in corde Jeſu, quoad ſuum ſenſitivum, in cauſa exiterunt: dum enim attenderet, tam grave bellum ſuper ſe veriſſime imminere, timore concuſſit ſenſitivum ſuum, ex quo ſanguineus humor fuit ad interiora reductus. Super hunc autem timorem rejiciendum fortiſſi-*

tissimus & ferventissimus amor, tamquam mirae magnitudinis malleus, repercutiens, & ipsum excludens, omnes poros Corporis Jesu Christi, & venas largiter relaxavit, ut sic de toto Corpore flueret sanguineus sudor decurrens in terram. Allegat etiam Cardin. Cajetanum, Eximium Suarez, & Eruditissimum Calmet pro eadem opinione strenue pugnantes. Cajetanus in *Luc. cap.* 22. sanguineum sudorem tribuit, tamquam causae naturali, defectui aquositatis in sanguine Christi, quae est materia sudoris, eo quod ejus corpus esset exhaustum: unde magnitudo passionum pellens vehementer sudorem, pepulit simul aliquid sanguinis, deficiente sudoris materia. Suarez probat argumento ab inconvenienti desumpto, quo sanguineus sudor naturalis fuerit: si enim, inquit, sanguis ille miraculose esset emissus, & non ex vi interioris afflictionis, non fuisset signum certum & evidens maximi angoris & tristitiae interioris; miraculose quippe potuisset cum minima afflictione, immo sine ulla, emitti. Calmet in peculiari *Dissertatione* rem enucleatissime indagat, & collatis studiis cum Domino Alliot de Mussey Medicinae Doctore in Facultate Parisiensi, modum naturalem, quo factum probabilissime contigit, luculenter exponit, dicens: Tot simul consertas passiones cursum animalium spirituum intercepisse, sanguinis motum, ac secretiones tandem omnes repressisse; confirmatum Jesum ab Angelo, ac voluntati Divinae se totum submittentem, hominum insuper charitate inflammatum, ad amplectendam mortem animo convolasse; redditum tunc pristinum spirituum cursum, reclusos cutis meatus, & sanguinem una cum sudore defluxisse. Ita Calmet, penes quem videri possunt exempla sanguinei sudoris, & sanguineatum lacrymarum citra ullum Miraculum profluentium, atque Anatomicae & Physicae similium effectuum rationes. Alia Noster haberi indicat apud Marcellum Donatum lib. 1. *De Medic. Histor. mirabil.* cap. 2. & apud laudatum Gasparem a Reyes dicta *quaest.* 86. quae, juxta purgatissimum Nostri judicium, perfecte demonstrant, non solum ex infirmitate corporis, sed etiam ex moestitia animique dolore naturaliter lacrymas sudoremque sanguineum manasse. Unde Joannes Maldonatus *in cap. 26. Matth. n. 38.* ex testibus de visu narrat, Lutetiae Parisiorum hominem robustum ac bene valentem, audita in se capitis sententia, sudore sanguineo fuisse perfusum. Similia referunt Thuanus lib. 11. *Historiar.* & Jonstonus in *Thaumatographia, class. 10. art. 5.*

Ex his Noster concludit, quod, si aliquando in evolvendis Actis Servorum Dei sive Beatorum similia occurrant, haec a classe Miraculorum arcenda sint, quemadmodum etiam annotavit Pignatellus *Consultat. 42.* Tom. 5. Aliquis tamen fortasse excipiet casum, in quo Deus alicujus Servi vel Famulae suae Corpus miraculose assumeret ad repraesentandam in ipso Passionem D. N. J. C. ut, nisi fallor, contigit in quadam Sanctimoniali, *Veronica* nomine, paucis retro annis magna cum opinione sanctitatis in Italia defuncta; si enim, ut ferebatur, verum est, statutis anni diebus, in ejus Corpore signa omnia Passionis sensibiliter apparuisse, Corpusque ipsius sudore quoque sanguineo perfusum fuisse; videntur haec causis naturalibus adscribenda non esse; vel, si cetera Passionis signa, ut livor in facie, plagae & vulnera in aliis membris miraculosa erant, assignanda erit ratio, ob quam dicendus non sit miraculosus sudor sanguineus. Verum de hoc libentius audiremus Sapientissimi Cardinalis nostri judicium. De sanguineo autem sudore, qui a quibusdam sacris Imaginibus non raro promanavit, fortasse hic Noster tractare noluit, quia hoc nullo modo pertinet ad Causas Beatificationis & Canonizationis. Nos tamen pro loci opportunitate Lectori non ingratum fore existimamus, ut paucis perstringamus casum vere mirabilem, ac prorsus certum de sudore sanguineo, qui anno 1715. per plures dies perpetuo fluxit e Simulacro Sanctissimi Redemptoris, quod magna Populorum frequentia colitur in Ecclesia Monasterii Sacri N. Ordinis, Oppidi de Herbas, Placentinae Diaecesis. Factum fuit toti Populo conspicuum, ac diligentissime examinatum per Officiales Episcoporum Placentiae & Coriae; amboque Domini Episcopi, omnibus circumstantiis accuratissime perpensis, Miraculosum fuisse declararunt. Extantque penes Fideles plurimae papyraceae Imagines, quae exceptum sudorem sanguineum hactenus conservant.

In hoc ipso Capite Noster mentis contemplationem vertit ad lumina, radios & splendores, quibus Servorum Dei facies aliquando refulgent: qua occasione eruditissime differit de Dominica Transfiguratione, eamque, non in Monte Oliveti, qui excelsus & elevatus non est, nec in Monte a lacu Genezareth parum remoto, ut Lamy & Calmet crediderunt, sed in Monte Thabor contigisse docet. Item observat cum S. Hieronymo in *cap. 17. Matthaei*, Christum per hoc, quod transfiguratio dicitur, nec pristinam formam & faciem perdidisse, nec amisisse Corporis veritatem, nec assumpsisse Corpus spirituale vel aereum; sed ostendisse eadem membra Solis fulgore rutilantia, & vestimenta in candorem nivis mutata, itaut sicut ejus facies conspiciebatur, similiter & cetera membra essent conspicua. Qua vero ratione Transfiguratio dici possit connaturalis Christo; & an claritas Corporis Christi transfigurati fuerit claritas gloriosa vel claritas gloriae; non autem claritas Corporis glorioси vel glorificati, expendit cum Abulensi *ad cap. 17. Matth. quaest. 31. & 34.* Laudat Cajetanum *ad 3. part. D. Thom. quaest. 45. art 2.* docentem, ex dispensatione Divina factum esse, ne Anima Christi ab initio beata ex sua naturali redundantia Corpus clarificaverit; agnoscentemque duplex miraculum in Transfiguratione; alterum scilicet in ipsa Incarnatione factum, & per totum mortalis vitae cursum continuatum, quod Corpus Christi non semper fulgeret ex redundantia gloriae Animae; alterum breve & momentaneum, quod sic fulgeret in Transfiguratione, licet esset Corpus passibile, nec praeditum dotibus gloriae.

Vultus quoque Moysis splendorem contemplatur, moremque fugillat quorumdam Pictorum, qui ad literam accipientes, quod *Moysis facies cornuta esset ex consortio sermonis Domini*, fronti ejus cornua affingunt. Quod inepte fieri monet, laudato D. Thomae loco sup. 2. *ad Corinth.* cap. 3. ubi per *faciem cornutam* nil aliud intelligit quam faciem splendidam, quae *cornuta dicitur propter radios, qui videbantur esse quasi cornua.* Et pro hac Sacri Textus intelligentia stare dicit a Lapide, Calmet, Molanum, Lipomanum, Steuchum, aliosque collectos ab Erudito Viro Jo. Interian de Ajala in suo *Pictore Christiano Erudito*, lib. 3. cap. 13. num. 4. & in *Appendice*, cap. 2. n. 3. Cum autem D. Thomas asserat, melius dici secundum aliam Literam, quod *Moyses haberet faciem splendidam*, mirum forte aliquibus videbitur, quod Vulgata nostra Canonica, quae omnium Versionum est excellentissima, hujusmodi Literam non receperit, sed constanter illam retinuerit, quae minus bene, juxta S. Thomae opinionem, *cornutam* dicit *Moysis faciem*. Et, licet Apostolus 2. *ad Corinth.* cap. 3. evidenter testetur, vultum Moysis gloriosum apparuisse, ac proinde negari non possit, illum splendidam habuisse faciem, fortasse Scripturae nostrae verba semel & iterum in Textu posita, non sunt mysterio vacua, & plus aliquid per *cornutam faciem* significant, quam merum vultus lumen radios emittens. Sed, quidquid sit de hoc, Noster asserit cum Abulensi, Moysis splendorem perduravisse usque ad ejus mortem, neque fuisse claritatem gloriae, sicut fuit claritas Corporis Christi Transfigurati, sed tantum habuisse aliquam similitudinem cum claritate gloriae, vereque miraculosum fuisse.

Sicut Moysi ex consueto Sermone Domini caelestis quidam vultus splendor accessit, & sicut Stephano pleno Spiritu Sancto, ex quo vidit Caelos apertos & Jesum stantem a dextris Virtutis Dei, accessit nova quaedam forma pulcritudine ac venustate plusquam humana, qua non tam homo quam Angelus conspicientibus apparebat; ita & in quamplurimos Dei Servos, quorum conversatio in Caelis esse solet, ex intima unione cum Deo, qui lux est ineffabilis, tenebras omnes essentialiter excludens, etiam superna quaedam lumina redundant, quibus Deus testatum vult suum erga illos amorem, & tamquam amicos coram populis honorare. An lux ista sit ejusdem speciei cum nostra, consistatque in vera & physica qualitate, praesertim si diuturna sit, neque evanida, Noster non tam ex proprio, quam ex alieno resolvit judicio; allegatque Pignatellum *Consult.* 43. Tom. 5. splendorem a splendore distinguentem; si enim splendor per diuturnum tempus fuit a multis visus, reale ac physicum accidens ab eo creditur; si autem ad breve tempus conspiciendum se praebuit, accidens tantum intentionale ab ipso judicatur, ac meae lucis apparentiae tribuitur. Nobis tamen magis probatur opposita sententia, quae non spectrum lucis, sed veram lucis qualitatem in similibus splendoribus sive longioris sive brevioris durationis agnoscit; nec videmus solidam ullam rationem, quae movere potuerit P. Theophilum Raynaudum ad asserendum *Tom. 9. punct. 3.* pag. 71. lucem, quae in Sanctis aliquando notata est, plusquam apparentiam, nudaque lucis spectra minime fuisse. Licet enim fateamur, nullam in illis fuisse intrinsecam lucis causam, sicut est in Corpore Christi, non inde sequitur, quod vera in illis lux non potuerit causari ab extrinseco agente, nempe Angelo vel ipso Deo, qui facit de tenebris lumen splendescere, quique, cum miraculose operatur, non solet spectris sensus fallere, sed vel nova entia modo insolito producere, vel producta jam & latentia extraordinario modo manifestare. Certe videtur, igneos globulos in Sanctis apparentes, eosdem perfaepe effectus ostendisse, quos habet ignis noster elementaris: quare proclive est credere, tales effectus, non a nudis spectris, lucisve apparentiis, sed a vera & reali causa caloris promanare. Rursus, cum nondum constet, lambentes ignes, qui innocui sunt, & minime urentes, esse pura accidentia intentionalia, meraque ignis aut lucis spectra; non est, cur talia esse asseramus lumina, splendores ac flammulas, quibus modo insolito Deus utitur ad ostendendum maximum erga servos & amicos suos fideliissimos amorem. Hinc libenter suscipimus sententiam Thomae Bartholini in *Tract. de Luce hominum, & brutorum* lib. 3. cap. 7. *Probl.* 1. existimantis, Sanctorum splendores, qui in eorum facie aut corpore saepe visi sunt, miraculoso modo fieri, non creata videlicet luce immediate a Deo, sed Deo in ejus productione causis naturalibus utente.

Mittimus plurima alia, quae in hoc ipso Capite Noster solertissime scrutatur de origine & natura lucis, & de naturalibus quibusdam viventium ignibus, de quibus copiose agunt, praeter citatum Bartholinum, Marcellus Donatus, Petrus Borellus, nonnullique recensentur in *Actis Medico-Physicis*, Codaniae anno 1673. pag. 203. num. 116. & in *Ephemer. German. anno decimo*, pag. 53. continuationis Joannis Christophori Sturmii.

In Capite XXVII. plane eruditissime & enucleatissime a Sapientissimo Domino meo Cardinali differitur de longa abstinentia a cibo & potu, & an & quando ex Miraculo sit adscribenda. Dissertationem suam Noster exorditur a narratione famosae abstinentiae B. Nicolai de Flue, Eremitae, de qua copiose scripsit Michael Angelus Lapius in sua *Epistola* Italice exa-

UAB Biblioteca de Ciències Socials

exarata, & in Latinum versa a Valentino Steber, & Romæ edita an. 1661. Noster fatetur, neque menstruum hujus Beati jejunium, neque jejunia alia ad longum tempus protracta, miraculosa fuisse definita judicio Sedis Apostolicæ, quamvis nefas sit dubitare, vere miraculosa fuisse jejunia Moysis, Eliæ, & Jesu Christi ad dies quadraginta absque omni cibo & potu producta. Licet enim Evangelistæ de abstinentia a potu expresse non loquantur, de ea tamen dubitandum non esse, bene Noster docet; cum apud Hebræos non modo abstinentia a cibo, sed etiam a potu pro constituendo jejunio esset necessaria, ut fuse probat Calmet ad cap. 4. *Matthæi*: immo, juxta antiquam Ecclesiæ Disciplinam, etiam jejunia Ecclesiastica solvi credebantur potu æque ac cibo, uti constat ex Rufino *de Vitis Patrum*, apud Rosweydum pag. 508. & ex Prudentio, qui loquens de S. Fructuoso Tarraconensi Episcopo, narrat, illum prohibuisse iis, qui ad Martyrium ducebantur, oblatum poculum sumere, ne jejunium sumendo solverent. Porro de jejunio Christi recte observat, non sicut homines supernaturali virtute extrinsecus accepta, sed virtute sibi propria & intrinseca quadragesimalem sustinuisse inediam: qua durante, numquam Dominum esuriisse, censet cum communi ac fere certa Doctorum opinione, contra Cajetanum asserentem, Dominum singulis diebus famem sensisse, & contra Franciscum Lucam opinantem, aliquam quidem quotidie sensisse famem, ad majus jejunii meritum, & ad exemplum eorum, qui in jejunio famem patiuntur; sed non tantum, quantam post quadraginta dies, quæ eum incitaret ad quærendum cibum. Neutri ex his opinionibus favent verba Evangelistæ diserte affirmantis: *Cum jejunasset quadraginta diebus & quadraginta noctibus, postea esuriit*. Et, ut ex terminis liquet, minus ea adaptari possunt sententiæ Cajetani, quæ proinde Suarez visa est improbabilis, & ut minimum temeraria, utpote verbis Evangelii repugnans. Francisci Lucæ interpretationem suffragio suo Cornelius confirmavit, ab omnique censura immunem esse ostendit.

Jejuniis in Scripturis sanctis celebratis alia Noster subnectit prorsus mirabilia, quæ famosa habentur in Historia Ecclesiastica, præsertim apud Bollandistas, in quorum Actis miraculosa plane est abstinentia S. Gerasimi Abbatis, qui quadraginta diebus absque cibo vixit, sola Eucharistia recepta; S. Patritii Hiberniæ Apostoli, qui, ne cibis idolis sacrificatis vesceretur, ad viginti dies jejunium protraxit; ut cetera prætermittamus, quæ Noster refert ex Theodoreto, de Simeone Stylite; ex Raynaldo ad annum Christi 1225. de puella inclusa, & instituto Regulari addicta, quæ per septennium ante obitum, nullum omnino gustavit cibum, recepta tantum diebus Dominicis sacra Eucharistia; ex Bozio, de Maria Æginiensi, &c. Ne autem quis forte putet, sacræ Dominici Corporis alimoniæ sumptione potuisse Sanctos prædictos, plurosque alios abstinentia celeberrimos, tam longa jejunia naturaliter sustinere; ob hanc videlicet causam, quod species Sacramentales re vera sumentes nutriant, ut consentiunt Theologi cum D. Thoma 3. *part. quæst. 77. art. 5.* quamvis non omnes concedant quantitatem, quam multi indistinctam a materia prima ponunt, supplere vices materiæ, esseque primum subjectum subsequentium formarum: bene ponderat cum Bordono in *Tract. de Miraculis, Medit. 16.* num. 12. species panis & vini Eucharistici adeo esse exiguas, ut stultum esset credere, sufficere ad hominem diu in hac vita conservandum. Deinde refutat Nicetæ Pectorari errorem, qui sæculo XI. Latinos reprehendit, quod in Quadragesima quotidie celebrarent, & per Sacrificii sumptionem jejunium solverent. Verba Nicetæ habentur Tom. XVIII. *Biblioth. Patrum*, pag. 408. Ex quibus Goarus in *Notis ad Eucholog. Græc.* Allatius *de Missa Præsanctificatorum*, pag. 1546. Thomassinus *de Jejunio*, pag. 476. inferunt, Græcos erronee credidisse, Divino cibo jejunium solvi. Et in *Triodio*, hoc est, Græcorum Libro continente Officia, quæ a Dominica proxima Septuagesimæ ad Sabbatum Sanctum recitari solent, legentur hæc verba, quæ præfatum errorem supponunt: *Ex Traditione accepimus, non celebrari Præsanctificatorum Missam usque ad feriam quartam, eo quod omnis fraternitas ex antiqua Traditione jejunet*. Porro, *Missa Præsanctificatorum* a Græcis ea dicitur, in qua Christi Corpus non conficitur, sed confectum antea absumitur. Græca enim Ecclesia Dominicis Quadragesimæ diebus panem consecrat, & in tot particulas dividit, quot sunt dies, in quibus *Præsanctificatorum Missæ* celebrantur. Eas particulas in Christi sanguine intinctas Presbyter celebrans in Pyxide reponit. Qui mos utcumque esset tolerabilis, nisi errorem involveret de dissolutione jejunii Ecclesiastici per sumptionem Eucharistiæ incorruptibilis. Noster monet, *Triodii* Librum expurgari jussu sacræ Congregationis, a tempore Urbani VIII. ab eoque relata verba forte expungenda, nisi bonum aliquem sensum admittant. Cardinal. Humbertus, in Oriente Legatus Apostolicus, Nicetam acriori stylo refellit in *Opusculo* adversus illum exarato, quod profert in citato volumine *Bibl. Patrum*, pag. 412.

Pauca noster attingere voluit de quibusdam jejuniis arte Dæmonum, vel dolo hominum confictis, nonnulla tantum referens ex pluribus coacervatis a Gasp. a Reyes *quæst.* 58. & a Stalpartio P. 1. *Centuriæ posterioris Observationum*, a pag. 151. Similia enim non tam vera jejunia fuerunt, quam fallaciæ ac simulationes jejuniorum. Non posse autem jejunium naturaliter protrahi ultra septimum diem, Noster probat ex Hippocrate, cui adhæret Vallesius *de Sacr. Philosoph.* cap. 13. ubi in Hippocratici afferti confirmationem ponderat, misisse Deum die sexta cibum Danieli in lacu Leonum existenti, ne scilicet, si septimum attingeret, periret fame; nam, ut prudenter subjungit, etiam in his, quæ Deus miraculose agit, habet rationem aliquam naturæ, ne plura, quam opus sit, eveniant Miracula. Ceterum, quamvis hæc sententia ut in pluribus vera sit, bene Noster observat, habendam esse rationem varietatis temperamenti, ætatis, regionis, temporis anni, consuetudinis. Nam, si quibusdam Medicis fidem præstare velimus, ut Fortunio Liceto in *Oper. de Hit, qui diu vivunt sine alimento*, Schenckio, Lib. 3. *Observat. Medicar. Tit. de Asitis*, Marcello Donato lib. 4. *de Medic. Histor. Mirab.* cap. 12. Stalpartio ubi supra pag. 135. Zacchiæ lib. 4. *Tit. 1. quæst. 7. a n. 19.* & Gaspari a Reyes *quæst. 58. num. 7.* & 28. multum præfatæ circumstantiæ valere possunt ad naturalem abstinentiam per longe majus temporis spatium sine vitæ jactura tolerandam. Et hinc plura ipsi exempla concervant eorum, qui per decem, per viginti dies, per octo, per quindecim menses, per plures item annos absque omni cibo & potu naturaliter vixerunt: hæc tamen & similia falsa esse & commentitia, nulloque facto naturalibus causis adscribenda, contendit Joannes Vierus in Opere Basileæ edito ann. 1582. *De Lamiis, & commentitiis jejuniis*, ubi non admittit jejunia naturalia ultra septem dies, & pro viribus suadere conatur, oppositas narrationes esse fabulas vel illusiones, & quod, si desint Dæmonis afflus, & jejunium per septem dies sufferatur sine vitium amissione, id sit Miraculo adscribendum. Et quamvis Vieri incredulitas aliis non placeat; magis certe nobis displicet credulitas eorum, qui talia nulla difficultate devorare solent, præsertim, cum nesciant causas naturales designare, quibus tam insoliti, tamque mirabiles effectus adscribi possint rationabiliter. Quod verissimum esse comperiet, quisquis attente lectitaverit, quæ hic Sapientissimus meus Cardinalis animadvertit in singulorum Medicorum opiniones: neque enim facile est, duos de præsenti argumento Scriptores invenire, qui inter se plene consentiant, nam Licetus a Zacchia improbatur; Zacchias a Reyes refellitur: atque ii tres a Cardinali de Lauræa rejiciuntur. De quibusdam brutis animantibus levior forsasse quæstio est, hæc namque diuturniori tempore inediam sustinuisse, Redius *Tract. de Animalib.* pag. 83. experimentis edoctus, nos docet. At de homine excellentissimo Animalium, & ad innumera fere munia obeunda, calore novisque spiritibus indigente, aliter omnino esse philosophandum, nos pro certo tenemus, nondumque exploratum dicimus, an vere Plinius lib. 11. cap. 54. contra Hippocratem scripserit, homini in septimo die lethalem inediam non esse, & duasse etiam plerosque ultra undecimam. Si tamen hoc vere fuerit dictum, præcipue de iis est accipiendum, quos neque labor, neque æstus, neque vigiliæ, neque sitis exercuerint. Hinc enim nonnullos e speluncis & cryptis, in quibus solam aquam ad potandum nacti, delituerant, vivos adhuc post vigesimam quartam diem eductos fuisse, vere fortassis narratur a Marsilio Cagnato lib. 1. *de Sanitate tuenda*, cap. 15. & a Francisco Bacono in *Histor. Vitæ & Mortis*. Nisi quis potius contendat, vel ipsa Aquæ & Terræ elementa virtutem nutriendi habere, & eorum usu præfatos homines vivere potuisse.

Denique loquendo de jejuniis, a Dei Servis ultra consuetum naturæ cursum protractis; hæc per varia signa dignosci posse miraculosa, nullus profecto inficiabitur, cum plerumque sic jejunantes comitentur faciei venustas, color vividus, agilitas & promptitudo ad operandum, vultus hilaritas, meditatio jugis, & his similia, quæ in sustinentibus naturæ Viribus, opeve aliarum circumstantiarum naturalium, longas illas inedias a plerisque in sensu historiarum relatas, frustra quæras.

In capite XXVIII. discutiuntur quædam spiritualia Miracula, nempe Liberationes quædam instantaneæ a variis tentationibus, diu ac sine intermissione quosdam homines vexantibus, quæ si ad invocationem Servi Dei, aut Beati, sive ad ejus Reliquiarum applicationem repente contingant, & deinceps nunquam illos molestent similes tentationes, recte spiritualia censeantur Miracula, ex genere suo præstantissima, cum respiciant non Corporis, sed Animæ sanitatem, ut bene ponderat Beatus Raymundus de Capua, Confessarius S. Catharinæ Senensis, in ejus *Vita*, part. 2. cap. 7. loquens de variis Miraculis virtute Divina ab eadem Sancta patratis in ordine ad spiritualem Animarum salutem. Et ad hoc altissimum Miraculorum genus pertinent repentinæ Peccatorum Conversiones, quæ sunt vere Opera Excelsi. Celebris est ap. August. lib. 22. *De Civitat. Dei* cap. 8. conversio Martialis, Viri infidelis, quæ ab eodem Augustino adscribitur intercessioni Sancti Stephani, & tamquam miraculosa recensetur. Nec dissimilis est altera Monachi in hæresim prolapsi conversio, quæ intercessione S. Bernardi Abbatis contigisse dicitur, & etiam Miraculosa creditur, de qua in *Vita Melliflui Patris*, lib. 7. de Opere inscripto, *Exordium magnum Cisterciense*, quod habetur post Opera Sancti Doctoris Editionis Joannis Mabillonii. Judicium Nostri est, & plane Theologicum, repentinas Peccatorum conversiones, & universim Miracula omnia spiritualia, ut pro talibus habeantur, deberi aliquo signo extrinseco confirmari & corroborari, de quo testes contestes deponant: si enim conversiones nullo modo fiant sensibiles, nec sint insoliæ, nec præter ordinariam in eodem ordine legem contingant, Miraculo proprie non adscribuntur, licet dubio procul excedant facultatem & vires totius naturæ creatæ; & hinc tres sunt conversiones, quas Theologi communiter inter Miracula recensent, conversio videlicet Sancti Latronis, conversio Sancti Mat-

Matthæi, & conversio sancti Pauli. Sed in his omnibus & singulis aliquod extrinsecum mirabile non defecisse, Noster satis perspicue ostendit.

In capite XXIX. fusius a Nostro differitur de ejectione Dæmonum a corporibus obsessis. Quæ hic plenius traduntur, summatim sic colligo. Initio explicat, quinam dicantur obsessi a Dæmone, resolvitque, ut aliquis obsessus dici possit, duo requiri; alterum, ut in eo Dæmon sit, alterum, ut in eum aliquam etiam potestatem acceperit; quam potestatem, ut ex Thyræo exponit, in corpora potissimum obsessorum Dæmones exercent. Deinde refutat paucos illos Medicos, qui apud Guilielmum Parisiensem in Opere *de Universo*, inficiari ausi sunt, vere esse homines obsessos & arreptitios. Quorum temeritatis reus factus est Lævinus Lemnius lib. 2. *de Occultis Naturæ*, cap. 2. Laudat strenuum horum incredulorum impugnatorem P. Theophilum Raynaudum, qui adversus illos librum conscripsit, cui titulum fecit, *Angelus malus hominem colaphizans*. Extat liber ille, sed imperfectus, in Tom. 9. Operum ipsius. Nostet obsessorum existentiam, salva eloquiorum Dei veritate, negari aut in dubium verti non posse, prorsus Orthodoxe affirmat. Nec tamen negat, multos dici & haberi obsessos, qui revera obsessi non sunt, aut quia se vafre obsessos simulant, aut quia tales imperiti Medici declarant. Contra primos loquitur *Canon sextus Trullanus*; de secundis vero agit Vallesius *de Sacr. Philosoph.* cap. 28. lateque Joannes Baptista Silvaticus in suo Opere *de lis, qui morbum simulant, deprehendendis*, cap. 17. Quare prudentissime monet *Rituale Romanum ad Tit. de Exorcizandis obsessis a Dæmonio*, ne Exorcista facile credat, aliquem a Dæmone obsessum esse, sed nota habeat ea signa, quibus obsessus dignoscitur ab iis, qui vel atra bile, vel morbo aliquo laborant. Quænam vero sint signa veræ obsessionis, Noster declarat ex eodem *Rituali Romano*, in cujus citato *Titulo* hæc leguntur: *Signa autem Dæmonis obsidentis sunt, ignota lingua loqui pluribus verbis, vel loquentem intelligere, distantia & occulta patefacere, vires supra ætatis seu conditionis naturam ostendere, & id genus alia, quæ, cum plurima concurrunt, majora sunt indicia*. De certitudine prioris signi perperam dubitasse Schenckium & Hecquetum, a quodam Theologo Gallo fundatissime impugnatum in *Epistola decimaquarta Theologica* a n. 56. Noster hic monet, qui recte etiam subjungit, si inter signa obsessorum recensetur, & jure optimo recensetur, quod aliquis ignota lingua loquatur, vel loquentem intelligat, a fortiori hoc ipsum dicendum erit, si rusticus, si fœmina, quæstionibus Philosophicis & Theologicis, quarum nunquam cognitionem habuerunt, apte respondeat. Consequentiæ vim jam pridem observaverat Joannes Pontas in *Dictionar. Casuum Conscientiæ*, in verbo *Possessus*. Pro uberiori notitia signorum Lectorem Noster remittit ad Thyræum, Martinum del Rio, Clericatum & Monacellum.

Ulterius sermonem facit de modis, quibus liberantur obsessi, & incertos superstitiososque pronuntiat Exorcismos Salomonis nuncupatos, de quibus apud Estium in 4. lib. *Sentent. dist.* 24. §. 12. Incertos pariter declarat alios a Cardinali Baronio ad *ann.* 56. & a Josepho *Antiquit.* lib. 8. cap. 2. recensitos. Admittit tamen ex adductis a S. Justino Martyre, pluribus in locis, in Ecclesiæ primordiis, cum magna erat energumenorum multitudo, & undique etiam e Gentibus & Paganis ad Ecclesiam adducebantur, ut suis Exorcismis & Precibus, invocato Christi nomine, liberaret, exorcizandi munus fuisse commune omnibus Christi Fidelibus, etiam non ordinatis, eo quod omnes tunc ex gratia gratis data pollerent dono abigendi Dæmones e corporibus arreptitiorum in invocatione nominis Christi. Eamdem rem confirmat ex Tertull. *ad Scapulam Carthaginis Præfectum*, ubi præter alia dicit: *Edatur hic aliquis sub Tribunalibus vestris, quem Dæmone agi constet: jussus a quolibet Christiano loqui spiritus ille, jam se Dæmonem confitebitur*. Et post multa alia subdit, loquens etiam de Dæmonibus: *De corporibus nostro imperio excedunt inviti, & dolenter, & vobis præsentibus & erubescentibus*. Restricta subinde exorcizandi, & Dæmones abjiciendi potestate ad Exorcistas, postquam scilicet Ecclesia longe latque propagata erat, minusque necessaria, atque adeo non ita frequens Miraculorum patratio & similium liberationum usus, duplicem fuisse modum obsessos adjuvandi & eos de potestate Diaboli liberandi per Exorcismos, Noster observat cum P. Marino, qui in *Commentar. Histor. De Sacram. Pœnitent.* lib. 6. cap. 7. per totum, congesta undique eruditione, utrumque exorcizandi modum, fuse declarat, ac valide confirmat. Unus modus erat solemnis, fiebatque inter Missarum solemnia post dimissos publicos Pœnitentes, necnon Catechumenos, completa recitatione Evangelii & prædicatione; vocatisque in medium Templi qui erant obsessi, quibus genuflexis, Diaconus populum monebat, ut Deum pro eorum liberatione rogaret, & subinde Episcopus seu Sacerdos solemniter celebrans nonnullas recitabat super eos publicas preces, ut Deus hostem humani generis ab obsessis illis expellere dignaretur; complerisque precibus Energumeni ab Ecclesia dimittebantur, cum eis permissum non esset sacris adstare Mysteriis, aut oblationes facere ad Altare. Alter modus erat privatus, eumque adhibebant Exorcistæ ad hunc effectum ab Ecclesia ordinati, qui manus imponebant, & exorcizabant obsessos, tam Catechumenos quam Baptizatos, sive in privatis domibus, sive etiam intra Ecclesiam, sed extra Missam. Quoniam vero de Exorcistis sermo occurrit, Noster haud importune monet, utramque Ecclesiam, Occidentalem scilicet & Orientalem, suos olim Exorcistas habuisse, ut de Occidentali constat ex *Epistola* Cornelii Papæ *ad Fabium Antiochenum* apud Euseb. lib. 6. *Histor.* cap. 35. ubi, juxta morem tunc, secundo nempe Christi sæculo, in Latina Ecclesia vigentem, dicitur: *In Ecclesia unum Episcopum esse debere . . . . . Presbyteros quadraginta sex, Diaconos septem, Subdiaconos septem, Acolythos quadraginta duos, Exorcistas, & Lectores cum Ostiariis quinquaginta duos*. De Orientali vero idem liquet ex *Can.* 24. *Concilii Laodiceni*, ineunte Sæculo quarto celebrati, dicente: *Quod non oportet, Sacratos, a Presbyteris usque ad Diaconos, & deinceps quemlibet Ecclesiasticci Ordinis usque ad ministros, vel Lectores, vel Cantores, vel Exorcistas, vel Exercitatores Ordinis in Camponam ingredi*. Hoc tamen inter utramque Ecclesiam discrimen Noster agnoscit, quod scilicet in Occidentali Exorcistæ Ordo adhuc perduret, secus vero in Orientali, quæ ab annis mille supra centum inter Ordinum Ministros solum recenset Episcopos, Presbyteros, Diaconos, Subdiaconos & Lectores, ita ut ab eo tempore nulli extent apud Græcos Acolythi, Exorcistæ, & Ostiarii, sed horum munera partim Lectores, partim Subdiaconi inter se dividunt, uti late ostendunt Joannes Morinus *Part. III. De Sacr. Ordinationib. Exercit.* 14. Christianus Lupus *ad Concilia* Tom. V. Carolus Witasse *De Sacram. Ordin.* Part. I. quæst. 2. art. 2. & Honoratus Tournely *in Prælect. Theolog. De Sacram. Ordin.* quæst. 6. conclus. 2. Et quamvis Summus Pontifex Innocentius III. expresse præceperit in *Epist. ad Othonem Tusculanum Cardinalem* Sedis Apostolicæ in Cypro Legatum quæ habetur *Tom. XI. Concilior.* Editionis Labbeanæ, pag. 611. ut Episcopi Græci septem Ordines secundum morem Ecclesiæ Romanæ de cetero conferrent; hoc Noster, ex citatis Authoribus, restrictum fatetur ad Episcopos Græcos Latinorum Ditioni subjectos.

Nihilominus negari non posse videtur etiam in Occidentali Ecclesia, nonnulla inferiorum Ordinum Officia aliquando per Laicos, fœpiusque per diversos etiam altioris gradus Clericos adimpleta fuisse, modoque plerumque adimpleri; sed tunc solum a propriis Ministris exerceri dicuntur, cum geruntur ab illis, qui ad ea munera obeunda fuerunt ordinati. Quare Concilium Tridentinum *Sess.* 23. *de Reformat.* cap. 17. gravissimis verbis ponderat, quantum Ecclesia detideret, ut, restituto more pristino, Sanctorum Ordinum a Diaconatu ad Ostiariatum functiones ab Apostolorum temporibus in ipsa laudabiliter receptæ, & pluribus in locis aliquandiu intermissæ, in usum juxta Sacros Canones revocentur, nec ab hæreticis tamquam otiosæ traducantur. Quapropter, optat Sancta Synodus, ut hujusmodi Ministeria nonnisi per constitutos in dictis Ordinibus exerceantur; hortaturque in Domino omnes & singulos Prælatos Ecclesiarum, ut quantum fieri commode poterit in Ecclesiis Cathedralibus, Collegiatis & Parochialibus suæ Diœcesis, si populus frequens, & Ecclesiæ proventus id ferre queant, hujusmodi functiones curent restituendas. Hinc Noster, quamvis minime ignorarit, inter Theologos controverti, An pro Dæmonibus abjiciendis uti possint Ecclesiæ Exorcismis non modo initiati Ordine Exorcistatus, prævia superiorum licentia, sed etiam omnes alii Fideles, dummodo id faciant, non ex professo aut publice, sed in aliquo particulari casu ex Dei interiori instinctu; lectoremque remiserit ad clericatum *De Sacram. Ordin.* qui *Decis.* 19. num. 41. Authores uni aut alteri sententiæ suffragantes recenset, probabiliorem tamen putat eorum opinionem, qui potestatem exorcizandi ad Exorcistas & alios Superiores Ministros tantum extendunt, juxta *Can.* 26. *Concil. Laodicen.* quo decernitur, *Quod ii, qui non sunt ab Episcopis ordinati, tam in Ecclesiis, quam in Domibus exorcizare non possint*. Gratianus Concilii verba *Can.* 2. *dist.* 69. ita expressit: *Non oportet, exorcizare eos, qui necdum ab Episcopis sunt promoti, neque in Ecclesiis, neque in Domibus*.

Celebriorem Noster vocat controversiam illam, An scilicet virtute rerum naturalium Dæmones a corporibus obsessis expelli possint? Et pro affirmativa sententia ponderat factum Davidis, qui usu musici Instrumenti, cum Spiritus malus arripiebat Saulem, Regis animum refocillabat, & statim Spiritus malus ab eo recedebat; affertque verba P. Calmet in *Dissert. De Musica veterum, & potissimum Hebræorum*, dicentis: *Quæ de Saule narrantur sono Instrumenti & vocis Davidicæ relevato, nihil habent supra naturam*. Ponderat etiam consilium Raphaelis Archangeli, & factum Tobiæ Junioris, qui fumo piscis contra Dæmonem prævaluit, impleta Angeli promissione, de eo, quod fumus ille posset extricare omne genus Dæmoniorum, tam a Viro, quam a Muliere, ablata etiam eis potestate redeundi. Allegat præterea in favorem ejusdem sententiæ affirmativæ Scotum *in Physicæ Curiosæ* lib. 4. cap. 15. §. 2. Scriptores citantem, qui virtutem Dæmones pellendi tribuunt pluribus Herbarum generibus, diversisque Lapidibus. Nec prætermittit præsidium pro eadem sumere ex illorum opinione, qui tradunt, Catholicos Hispaniarum Reges insignem adversus malos Spiritus vim obtinere, adeo ut sola præsentia illos ab Obsessorum Corporibus fugare, atque abjicere valeant. Hujus rei Testes producit Carolum Tapia *De Constit. Princip. in Rubrica* cap. 1. n. 3. Borellum *De præstantia Reg. Catholic.* cap. 55. n. 2. & Hernandum Cathrillo *in Magia naturali*.

Pro negativa tamen sententia ponderat, quod, cum Dæmones penitus sint incorporei, nullam idcirco a Corporibus naturaliter passionem possint accipere. Dictum est autem *naturaliter* (subjungit) quia Prima Causa, quæ nullis naturæ legibus tenetur, potest corporibus præstare vim attingendi etiam incorpoea, uti patet in igne, qui torquet damnatos. Ex hoc

autem sequitur, nulla arte, nulloque remedio naturali ex obsessis corporibus Dæmones ejici posse: & quamvis Animabus, dum in corporibus sunt, a sensibilibus rebus vis afferri possit, & possint etiam vi a corporibus separari, nemo tamen est, qui non videat, longe aliam Animarum, quam Dæmonum in corporibus conditionem esse, cum Animæ corporibus conjunctæ sint, ut formæ, & Dæmones tamquam motores & rectores, Animæque propterea quasdam dispositiones in corporibus postulent, quæ Dæmones non requirunt, nec eis indigent. Communis hæc est tum Theologorum, tum Medicorum sententia. Inter Theologos ita autumant Thyræus in suo *Tractat. de Dæmoniac.* part. 3. cap. 28. Cardinalis de Lauræa in 3. *lib. Sentent.* Tom. 4. disp. 20. *de Miraculis*, art. 7. sub num. 134. Clericatus *De Sacram. Ordin. decis.* 19. num. 30. Martinus del Rio *Disquisition. Magicar.* lib. 3. sect. 2. cap. 2. & inter Medicos Vallesius *De Sac. Philosoph.* cap. 28. pag. 229. Edit. Lugdun. anni 1588. Zacchias *Quæst. Medico-Legal.* lib. 4. tit. 1. quæst. 8. n. 25. & pluribus seqq. Gaspar a Reyes in suo *Jucundar. Quæst. Elysio Campo*, quæst. 28. conclus. 1. quod tamen nonnulli ita explicant, ut nihil certe naturale sit, quod directe Dæmonem expellere possit, licet aliquid naturale possit id indirecte præstare: cum enim Dæmon pessimis & feris humoribus delectetur, & præcipue melancholicis, purgato per remedia naturalia humore, per accidens sequi potest, ut Dæmon recedat, vel adeo molestus non sit, veluti prosequuntur Thyræus loco citato sub n. 15. §. *Potest quoque dici*, & Gaspar a Reyes loco citato §. *Secunda conclusio*, cum aliis, quos cumulat & sequitur Matta *de Canonizat. Sanctor.* Part. 3. art. 16. n. 14. & bene annotavit Martinus del Rio *Disquisit. Magic.* lib. 2. qu. 30. sect. 3. ubi hæc habet: *Igitur, quæcunque res corporeæ inducunt in corpus patientis dispositionem contrariam dispositioni requisitæ ad actionem Dæmonis, illæ corporeas humores purgant directe, & corpoream ægritudinem pellunt naturaliter: cur vero Dæmon fugiat, & corpus illud deserat, sunt solummodo causæ indirectæ, & sine quibus non*: atque prosequitur Badus in *Defensione Chinæ Chinæ*, lib. 1. cap. 14. §. 4. ubi hæc habet: *Melancholicus humor vel nimior redditus vel depulsus, qui a Theologis merito vocatur sedes Diaboli, fomentum detrahit Dæmoni & materiam, unde postea cogitur abscedere.* Et in eo, quod attinet ad citharam Davidis, ad cujus sonitum Spiritus malus recedebat, respondet Thyræus, citharæ harmoniam voluptatem quamdam Regi attulisse, quæ dolorem haud parum frangebat, quem ex Dæmonis tyrannide Saul patiebatur, & hoc sensu dici posse, Dæmonem fuisse per Musicam expulsum. Cornelius a Lapide in citat. cap. 16. *lib.* 1. *Regum* docet, Davidem psallendo fugasse Dæmonem Saulis vi partim naturali, partim supernaturali: naturali, quia Musica exhilarabat, & pellebat melancholiam, qua Dæmon utebatur ad Saulem cruciandum; supernaturali, quia David citharæ pulsu mentem suam excitabat, ut ferventius oraret Deum pro salute Saulis, & Deus eum exaudiens, Dæmonem abegit a Saule; subditque Cardinalis de Lauræa, David non modo citharam percussisse, sed etiam cecinisse, & sic spiritum malum recessisse per Divinas laudes, quas David canebat: in eoque, quod spectat ad factum Tobiæ respondetur, non fumum, sed Raphaelem Angelum profligasse Dæmonem, & sic Dæmonem fuisse expulsum non a fumo excitato, sed ab Angelo, quando excitatus est fumus, juxta sententiam Lyrani & aliorum, quos sequitur Martinus del Rio *Disquisit. Magic.* lib. 2. qu. 30. sect. 8. Quod si sermo sit de ejectione Dæmonum, quæ contingere dicitur, cum obsessi adstant coram Rege Catholico Hispaniarum, quatenus id in facto consistat, referendum erit ad Gratiam gratis datam consimilem illi, qua Galliæ Reges potiuntur strumas sanandi. Hæc plane optime Sapientissimus Cardinalis.

His vero præmissis, quærit: An in obsessorum liberatione & Dæmonum ejectione aliquod Miraculum intercedere possit? Et imprimis a ratione proprii & rigorosi Miraculi aperte excludit Dæmonis ejectionem, quæ fit per Exorcismos, virtute & potestate Ordinis, qui confertur Exorcistis. Modus enim sic ejiciendi Dæmones, cum sit ordinarius, & tam peccatoribus quam justis communis, Nostro videtur minime miraculosus, contra quod Bordonus inquit *Meditat.* 11. *de Miraculis*, ubi Miraculo adscribit liberationem obsessorum, etiamsi fiat virtute Ordinis, & per Exorcismos ab Ecclesia institutos. Adeo autem Noster in sua firmus est opinione, ut constanter asserat, si Servus Dei, cujus causa discutitur, dum erat in humanis, Ordine Exorcistatus insignitus, in Dæmonum expulsione usus fuit Exorcismis ab Ecclesia approbatis; tunc nullam rationem Miraculi habendam esse in expulsionibus ab ipso factis; tum quia hic est consuetus modus; tum quia sequeretur, quod Exorcistæ omnes Miracula facerent, quando per adjuvationes eorum obsessi liberarentur. Cuperem tamen audire a Sapientissimo Purpurato, An etiam, cum in Ecclesiæ primordiis tam mali quam boni fideles, virtute gratis ipsis a Deo concessa, energumenorum corpora liberabant, hoc absque omni Miraculo præstitissent, cum hoc præstare fuerit tunc quid commune justis & peccatoribus, modusque eo tempore consuetus liberandi energumenos. Ceterum, cum intentio Nostri sit agere de Miraculis, non sub qualibet consideratione, sed quatenus signa sunt sanctitatis alicujus Servi Dei vel Beati, omnino consequenter non admittit tamquam miraculosas liberationes, ex quibus nullum desumi potest pro sanctitate adstruenda argumentum: atque idcirco, quamvis fateatur, plures Sanctos Episcopos aut Sacerdotes e corporibus hominum Dæmones ejecisse præmissis Ecclesiæ Exorcismis, has tamen ejectiones ut vera Miracula non recipit, quia scilicet hic modus ejiciendi Dæmones tam Sanctis, quam non Sanctis est communis; proindeque asseri non potest in commendationem & confirmationem sanctitatis. In his ergo terminis verissimum est, liberationes obsessorum vera non esse Miracula, prout hæc ad Beatificationem & Canonizationem sunt requisita: quidquid sit, an in alio aliquo sensu, & non ad hunc effectum, dici possint vel proprie vel saltem late Miracula Theologica, seu Opera modo non naturali, sed Divina virtute facta. Quod enim mediis Exorcismis frequenter liberentur obsessi, forte non est contra rationem Miraculi Theologici; semper enim similes Dæmonum ejectiones, licet frequentissimæ, secum afferunt, excitantve in hominibus admirationem, naturaliter resultantem ad conspectum operis humanas vires excedentis. Et quidem humanæ potestatis non est, quod Dæmon obedire compellatur Exorcistæ imperio & adjurationibus; neque pugnat cum ratione Miraculi, quod hoc Exorcista non faciat propria, sed aliena, hoc est, Exorcismorum virtute, sive potestate, quæ illi data est cum recepto Ordine. Nam hujusmodi potestas, etiam ab Exorcista ex dono Dei habetur, & potestas ejiciendi Dæmones, quæ communiter inter gratias Miraculorum annumeratur, teste D. Thom. *de Potent. quæst.* 6. *art.* 9. *argum.* 15. *Donum Dei* dicitur 1. *ad Corinth.* cap. 12. Verum hoc transmisso, & restringendo sermonem ad miraculosas hominum liberationes, quæ sint argumenta sanctitatis, has plane Noster agnoscit, quoties modo extraordinario, & superante vires naturæ visibilis Dæmones e corporibus expelluntur, vel sola præsentia & imperio alicujus Servi Dei, vel ad contactum Reliquiarum aut vestium, vel ad invocationem nominis ejusdem, vel ad ipsius sepulcrum. Similes enim Dæmonum electiones sunt plane mirabiles, certaque testimonia sanctitatis eorum, qui sic Dæmones ejicere meruerunt; magnumque piaculum esset negare, Christum Dominum & ejus Apostolos vera Miracula fecisse, cum obsessos a Dæmonum vexationibus liberarunt. Certum quippe est, Dominum Jesum *in digito Dei* ejecisse Dæmonia; nec dubitari potest, quod Sancti, Divina etiam virtute, paria, forsanque majora ediderunt signa; nam & sudaria & semicinctia Pauli languores fugabant; & spiritus nequam ab obsessis expellebant. Quo in genere summe resplenduit Sanctus quidam Anonymus, de quo Sulpitius Severus *Dialogo* 1. sequentia scribit; (Quidam Sanctus fugandorum de corporibus obsessis Dæmonum incredibili præditus potestate inundita per singulos dies signa faciebat. Non solum enim præsens, nec verbo tantum, sed absens quoque, interdum cilicii sui fimbriis, aut Epistolis missis corpora obsessa curabat. Hic ergo mirum in modum frequentabatur a populis, ex toto ad eum Orbe venientibus. Taceo de minoribus. Præfecti Comitesque, ac diversarum Judices potestatum præ foribus illius sæpe jacuerunt. Episcopi quoque Sanctissimi Sacerdotali auctoritate depositi, contingi se ab eo, atque benedici humiliter postulantes, sanctificatos se, atque Divino munere illustratos, quoties manum illius vestemque contigerant, non immerito crediderunt. Hic ferebatur, omni potu in perpetuum penitus abstinere, ac pro cibo septem tantum caricis sustentari.) Subditque, eundem Sanctum tantæ potestatis occasione aliquando gloriolæ sensu titillatum, ut se ab eo purgaret a Deo impetrasse, ut mensibus quinque a Dæmone possideretur, quod & factum est:) Ita, ut in vinculis eum tenere, necesse esset. Quinto demum mense purgatus est non tantum Dæmone, sed quod illi erat utilius atque optatius, vanitate.)

Concludendum igitur est, plures energumenorum liberationes vere fuisse & esse miraculosas, pro talibusque in Ecclesia receptas, insertasque non raro in ipsis Bullis Canonizationum, ut constat ex illa S. Ulderici, ex illa S. Homoboni, & ex illa S. Birgittæ. In quo autem Miraculorum genere ponendum sit Miraculum liberationis energumeni, videtur Nostro noluisse disputare, quamvis, nisi fallimur, satis innuere videtur, in ea fuisse sententia, quæ solum quo ad modum miraculosas esse censet similes obsessorum liberationes. Ceterum, Cardinalis de Lauræa Tom. 4. disp. 20. *de Miraculis*, art. 7. tria asserit circa expulsionem Dæmonis, quæ nos olim, oblata occasione, non omnino probanda putavimus. Primum est, quod nulla virtute naturali potest Dæmon ab obsesso corpore expelli. Secundum, quod expulsio facta potestate Ordinis miraculosa non est, & in hoc plures sibi consentientes habet, ipsisque expresse Noster suffragatur. Tertium, quod quando aliter expulsio Dæmonis fit, ac proinde miraculosa est, pertinet ad Miracula secundi generis. Circa primum discurrit sic n. 138. Ex Salvatoris Oraculo, *Lucæ* cap. 11. constat, per Dæmonem non posse alium Dæmonem ejici; id enim Salvator significare voluit, dum dixit: *Si Satanas in se ipsum divisus est, quomodo stabit regnum ejus?* Ad hoc nos respondebamus, quod D. Thomam minime latuit Oraculum Salvatoris, & tamen ex eo nullatenus eruit allatam Interpretationem; immo huic expresse contradixit; asserens *quæst.* 6. *de Miraculis art.* 10. *in corpore*, posse Angelos superiores, sive bonos sive malos, virtute naturali cogere & expellere inferiores Spiritus a corporibus obsessorum. Aliter ergo Oraculum interpretatus est Præceptor sane Angelicus, cujus doctrinam vel citare noluit doctissimus Cardinalis. Et tamen D. Thomas hic non a semetipso locutus est, sed, uti solet, ex antiquorum Doctorum sensu sententiam suam deprompsit, eamdemque Theologis fere omnibus persuasit. Videantur Origines *Homil.* 23. *in Numer.* Athanasius lib. *de Corporali Adventu Christi*, & ad locum

cum *Lucæ* Cardinalis Toletus, & Vincentius Regius; Ad octavum vero Caput *Exodi* Benedictus Pererius, qui omnes ita verba Christi exponunt, ut per ea minime excluſa intelligatur poteſtas naturalis Spirituum ſuperiorum, quam expreſſe confitentur, in inferiores ſpiritus. In materia quoque de Canonizatione Sanctorum D. Thomæ doctrinam libenter amplectuntur Fortunatus Scacchus *de Notis & Signis Sanctitatis*, ſect. 8. cap. 1. & Carolus Felix de Matta *Part.* 3. cap. 16. Veramque a fortiori ſupponunt paſſim Theologi in *Tract. de Exorciſmis*, ubi diſputant, An & qua ratione poſſint licite Exorciſtæ compellere Dæmones ſuperiores, ut inferiores ab energumenis expellant? Et, licet major ſaniorque Doctorum pars teneat ap. celeberrimum noſtrum Leandrum de Sanctiſſimo Sacramento *Tom. I. in Decalog. Tract.* 11. diſp. 5. *quæſt.* 63. & 64. id licite fieri non poſſe, aut omnino non expedire; nullus tamen, quem viderim, præter doctiſſimum Lauræam, dixit, hujuſmodi diſputationem eſſe de ſubjecto non ſupponente, qualis procul dubio foret, ſi inferiores Dæmones ſuperiorum poteſtati ac viribus non ſubjacerent. Similiter, niſi admittatur hujuſmodi ſubordinatio inferiorum ad ſuperiores Dæmones, quam videntur Theologi communiter agnoſcere, cum Caſſiano *Collat.* 8. cap. 14. & D. Thoma *Part.* 1. *quæſt.* 10. *art.* 1. & 2. ſtatuentes inter Angelos malos Ordinem Hierarchicum licet materialem & imperfectum ex defectu ordinationis meliorum in finem ultimum; non facile explicari poterit, unde naſcatur Magorum quorundam in alios Magos vis atque poteſtas, qua vel aliorum Dæmones cogunt, vel effectus aliorum impediunt, vel invicem arte ſua male mulctant, ut multis exemplis abunde demonſtrat P. Martinus del Rio *Diſquiſ. Magic.* lib. 2. quæſt. 30. ſect. 1. qui ea ſemper adſcribit naturali robori ac Ordinis præcellentiæ Dæmonum ſuperiorum. De quo, præter ſupra allegatos, videri poteſt Abulenſis *qu. 61. in cap.* 12. *Matth.* & Thyræus *Tract. de Dæmoniac.* part. 3. cap. 34. & 35. ubi expreſſe admittit aſſertam a nobis ſuperiorum Dæmonum in inferiores poteſtatem, licet videatur de ejuſdem exercitio ambigere, quaſi fieri non poſſit (ſuppoſito odio, quo omnes naturam humanam proſequuntur) quod inter eos diſſidium ullum ſit ſuper liberatione obſeſſi. Putat enim, quoties ſuperior Dæmon vult ab inferioris vexatione liberare energumenum, cum id prava intentione velit, nullam reſiſtentiam reperire in inferiori, qui proinde ultro illi cedit. Nos tamen, quamvis libenter concedamus, omnes Dæmones in hominum perniciem pluſquam vatiniano odio conſpirare, exinde tamen minime colligi videmus, omnes prorſus convenire debere in electione mediorum pro aſſecutione intenta perditionis humanæ. Neque Dæmones uſque adeo dociles ſunt, ut tam facile alter alterius judicio deferat, in materia præſertim adeo obſcura, in qua nimirum nonniſi probabilibus ad ſummum conjecturis uti poſſunt. Unde facile continget, quod non diverſimode ſolum, verumetiam interdum contrarie opinentur. Tunc autem, niſi inferior vi cogatur a ſuperiore, proprio judicio inſiſtet, & corpus vexare non deſinet. Nunquam ergo Satanas in ſeipſum diviſus eſt, cum ſemper & pravam ipſe intentionem habeat, & ſimilem in aliis Dæmonibus confoveat.

Circa ſecundum Lauræa ita diſcurrit num. 125. Etſi virtute Divina accidat liberatio hominis a Dæmone, quando procedit virtute Ordinis Exorciſtatus, tamen cum non in inſtanti, ſed admodum difficulter accidat; & alias hic modus expellendi Dæmones conſuetus & antiquus in Eccleſia ſit; deficit hujuſmodi expulſioni una ex conditionibus requiſitis ad Miraculum, ſcilicet, quod ſit opus inſolitum. Ad hoc reſpondebamus, liberationem, quoties accidit virtute Divina, ut quodammodo annexa poteſtati Ordinis, in inſtanti accidere: licet enim Exorciſtæ plerumque per dies multos irrito conatu laborent; quando vero Dæmon tandem ipſis cedit, & obſeſſum corpus relinquit, id inſtantanee facit. Præterquamquod, ipſa Dæmonum Exorciſtis ſubjectio, quam frequenter experimur, etiam toto illo temporis ſpatio, quo durat Exorciſmorum negotium, eſt quoddam Miraculum: non enim naturaliter poteſt Dæmon cogi, ut juſſionibus illis, quaſi interlocutoriis obtemperet. Quod autem expulſio Dæmonis per Exorciſmos facta miraculoſa eſſe non poſſit, quia non raro, ſed frequenter contingit, quamvis a pluribus, nec abſque fundamento, dicatur, forte non vere dicitur: non enim iteratio ſeu repetitio, frequentiſſima licet, alicujus miraculoſæ operationis, eam excludit a vera ratione Miraculi; ut enim optime obſervat Averſa *quæſt.* 84. *ſect.* 1. *in 1. Part.* & expreſſe aſſerit D. Thomas *1. Part. quæſt.* 101. *art.* 7. *ad* 2. Miraculum, non quia raro accidit, dicitur *inſolitum*, ſed quia eſt præter naturalem uſum, & curſum cauſarum naturalium: unde poteſt Miraculum fieri frequentiſſime, & eſſe vere inſolitum, eo ſenſu, quo inſolitum debet eſſe Miraculum. Sane *Tranſubſtantiatio* in Euchariſtia, quam D. Thomas *quæſt.* 6. *de Potent. art.* 2. ad 2. *Miraculum* vocat, quamque in *Officio Corporis Chriſti Miraculorum ab ipſo factorum maximum*, appellat, ſi, ſecundum communem acceptionem Miraculum dicenda non ſit, non ideo eſt, quia quotidie pluries in Eccleſia fit, ſed quia Miraculum vulgo dictum debet eſſe aliquo modo manifeſtum, ut poſſit admirationem gignere, ut inquit D. Thomas *quæſt.* 101. *art.* 7. ad 3. Similiter philoſophari poteſt de juſtificatione, quæ non ſinit eſſe miraculoſa, quia frequenter fit, ſed ex defectu aliarum conditionum ad rationem Miraculi pertinentium. Sic ebullitio ſanguinis S. Januarii ad conſpectum Capitis ejuſdem Martyris, licet quadam quaſi ſtatuta lege eveniat, non ideo cenſetur non miraculoſa. Præterea, modus ejiciendi Dæmones per Exorciſmos, qui modo eſt conſuetus & ordinarius, aliquando fuit novus & inſolitus, rogo, vel tunc modus iſte fuit miraculoſus, vel non? Si hoc ultimum pro Lauræa reſpondeas, jam ejus rationem deſeris, nec amplius negas miraculoſe operari Exorciſtas; eo quod modo conſueto agant. Si primum dicas, tuum erit demonſtrare, poſſe operationem aliquam uno & eodem modo factam, eſſe & non eſſe miraculoſam; & quod abſque miraculo ſit hodie id ipſum, quod ab initio fieri non potuit ſine miraculo. Quod vero addit Lauræa, numquam audiri in Eccleſia dici Exorciſtas Miracula operari, id verum non eſt, cum hoc & audiatur, & legatur, & fortaſſe ſupponatur a *multis*.

Circa tertium idem Author ſequenti modo diſcurrit n. 135. Miraculum ſecundi generis eſt opus ſupra, ſeu præter ſpem naturæ ratione ſubjecti, non ratione ſubſtantiæ ſeu totius facti: talis eſt liberatio a Dæmone, cum homo ſecundum ſe careat aſſiſtentia Dæmonis, & natus ſit ea perpetuo carere: ergo. 2. idem confirmat paritate aliarum ſanationum, quæ ſunt ſupra naturam ratione ſubjecti incapacis naturaliter redire ad priſtinum ſtatum, ut ſanatio Paralytici confirmati, cæci, vel nati, vel facti, & alia hujuſmodi. 3. inductione, quia non eſt primi generis, nec tertii: ergo ſecundi. Non eſt primi generis, quia hominem eſſe ſine Dæmone, nedum non eſt contra naturam, ſed valde conforme naturæ; imo eſt contra naturæ ordinem, ut Dæmon uniatur cum homine ad eum torquendum in hac vita. Non tertii, quia tale Miraculum conſiſtit ſolum in modo, quando ſcilicet opus alias fieri poteſt a cauſa aliqua naturali, ſed non eo modo, quo fit, quando miraculoſe fit.

Ad hoc reſpondebamus, & imprimis non bene cohærere hujuſmodi doctrinam cum alia primo loco tradita a Lauræa: Si enim Dæmon nulla naturali virtute poteſt expelli a corpore obſeſſi: ergo expulſio Dæmonis non ratione ſubjecti, ut dicit, excedit vires naturæ, ſed ratione præcellentiæ naturæ Dæmonis, quæ nullius vi cedit, ſed ſolius Dei virtuti, cui nemo reſiſtere poteſt. Et quidem, ſuppoſito quod Dæmones nonniſi Divina virtute cogi poſſint, omne cogere Dæmonem ſecundum ſe Miraculum eſt, nec a ſubjecto habet Miraculum dici, ſicut nec a ſubjecto eſſe ſupra totius naturæ vires. In Miraculis ergo ſecundi generis exceſſus ſumitur a ſubjecto, quia ſubſtantia facti non excedit facultatem naturæ. Natura enim poteſt vivificare aliquod ſubjectum, ſed non mortuum. Sed nunquid poterit natura liberare aliquod ſubjectum a Dæmonio, ſi vere Dæmon nulli virtuti naturali ſubditur? Sane in hac ſuppoſitione, omnis vis allata Dæmoni, ſive in hoc, ſive in alio ſubjecto, ſemper erit excedens totius naturæ vires. Nec minus miraculoſa erit expulſio Dæmonis ab uno angelo Domus, quam a corpore humano, licet revera nulla exigentia ſit in illo angulo, ut careat Dæmonis præſentia, quæ utpote ſpiritualis ſine corporum violentia præſentari poteſt in quolibet loco, immo & penetrari cum alio ſpiritu.

Rurſus illuminatio cæci ideo eſt Miraculum, quia ex una parte productio viſus ſecundum ſe continetur in virtute naturæ: ex alia vero ſubjectum ſemel viſu privatum, nullo naturali modo poteſt viſum recipere. Si enim cæcitas vel a natura ipſa, aut medicamento aliquo naturaliter operante, vel arte magica poſſet fugari ab homine, ſanatio cæcitatis non eſſet Miraculum ſecundi generis, etiam quando virtute Divina contingeret, ſed eſſet tertii generis: talia enim ſunt omnia illa opera, quæ cum fieri poſſint naturali modo, excedente atque inſolito modo fiunt: nunc ſic: ſed expulſio Dæmonis, licet vi illata fieri nequeat, niſi virtute Divina (ſuppoſita Authoris ſententia (aliter tamen contingere poteſt virtute naturali: poteſt enim Dæmon vel ex ſe ipſo energumenam relinquere, vel ex pacto cum ipſo obſeſſo, vel cum, alio inito, ut ex clariſſimo Auguſtini Teſtimonio tradit D. Thomas 2. 2. *quæſt.* 178. *art.* 2. ad 3. Ergo Miraculum in expulſione Dæmonis ſemper ſe tenet ex parte modi expellendi, ac per conſequens ſemper eſt Miraculum tertii generis. Hoc pacto, licet ſupponamus, Principem Dæmoniorum nullum habere ſuperiorem in ordine naturæ inter Angelos ſive bonos ſive malos, & aliquem hominem poſſideri ab illo, ejus tamen expulſio ſemper eſſe tertii generis Miraculum; nam, etſi talis Dæmon a nemine, naturali virtute, poſſet coacte expelli, poſſet tamen medio pacto, ac proinde modo non miraculoſo.

Ex his conſtat, argumentationem præcitati Authoris, non ſolum eſſe inefficacem, verumetiam aliqua continere, quæ partim vera non ſunt, partim vero minus circumſpecte ſunt dicta. Sane, nonniſi improprie homo obſeſſus dicitur ſubjectum Dæmonis obſidentis, qui minime corpori humano unitur, ſed ei unice aſſiſtit præſentialiter & media operatione. Similiter, non ſatis congrue aſſeritur, quod homo natus ſit perpetuo carere aſſiſtentia Dæmonis: hoc enim ſonat, hominem ſuapte natura exigere carentiam aſſiſtentiæ Dæmonis. Quod verum non eſt, ſiquidem nulla violentia fit naturæ hominis per hoc, quod Dæmon ſit illi intime præſens: immo juxta ordinem naturæ eſt, quod purus ſpiritus, qualis eſt Dæmon, præſentari poſſit quolibet loco, etiam corpore aliquo inibi collocato. Conſulto omitto alia, quæ facile adducere poſſem adverſus aſſerta a Cardinali Lauræa, ſufficiant ergo hæc pauca.

Circa annum 1725. bonæ memoriæ Cardinalis Gregorius Selleri, eo tempore Sacri Apoſtolici Palatii Magiſter, excitata Romæ hujuſmodi controverſia, ſuum mihi in hac quæſtione judicium benigne communicavit, omninoque voluit, ut quid de eo

UAB Biblioteca de Ciències Socials

de eo ſentirem, Theologica libertate exponerem. Summam ſententiæ ac rationum Sapientiſſimi Magiſtri, & Reſponſionis a me datæ, paucis complector. Contendebat ille, expulſionem Dæmonis conſideratam quatenus fit virtute Divina, ſemper ex ſe ordinari & exigere expulſionem Spiritus nequam ab Anima, & ſub hac conſideratione computandam eſſe inter primi generis Miracula, quippe ut talis includit exigentiam ſpiritualis ſalutis, quæ tranſcendit facultatem totius naturæ creatæ. Ex eo autem probabat hujuſmodi ordinem & exigentiam, quod ſcilicet, operationes Divinæ virtutis, quaſi ſuapte natura tendant in ſalutem animæ, nec ſiſtant in bonis externis & infimis. Et licet perdoctus Auctor optime viderit, hoc non ſolum expulſioni Dæmonis miraculoſæ factæ convenire, ſed quid commune eſſe cunctis operationibus miraculoſis, cum omnes ſint effectus Divinæ virtutis: tamen in expulſione Dæmonis, quia nullum aliud prædicatum agnoſcit, quod illam conſtituat in eſſe Miraculi, putat, hujuſmodi exigentiam, quamvis alias communem omnibus Miraculis, eſſe primum & unicum prædicatum excedens & inſolitum, per quod ea expulſio apte conſtitui poſſit in ratione expulſionis miraculoſæ ſeu veri Miraculi.

Porro hujuſmodi doctrinam exiſtimabat, non utique infundate, Author, ſe haurire ex clariſſimo fonte doctrinæ D. Thomæ, qui 3. *part. quæſt.* 43. *art.* 2. *ad* 3. loquens de expulſionibus Dæmonum patratis a Chriſto Domino, eaſque conditinguens ab expulſionibus factis virtute Dæmonum ſuperiorum; nullum aliud diſcrimen inter utraſque agnoſcit, vi cujus primæ vere ſint miraculoſæ, ſecus vero ſecundæ; niſi quod in iſtis expulſio Dæmonis ſit a ſolo corpore obſeſſi, in illis autem a corpore ſimul & anima. Hæc ſunt verba D. Thomæ: *Chriſtus alio modo expellebat Dæmones, quam virtute Dæmonum expellantur: nam virtute ſuperiorum Dæmonum ita Dæmones a corporibus hominum expelluntur, quod tamen remaneat dominium eorum quantum ad animam. Non enim contra Regnum ſuum Diabolus agit: ſed Chriſtus Dæmones expellebat non ſolum a corpore, ſed multo magis ab anima.* Et quidem Angelicus Magiſter apprime noverat, quod Chriſtus non ſolum in expulſionibus Dæmonum, ſed in aliis etiam Miraculis, ſalutem Animæ operabatur; ideo enim poſtea ſubjunxit, *quæſt.* 44. *artic.* 3. *ad* 3. *Quod Chriſtus Miracula faciebat virtute Divina: Dei autem perfecta ſunt opera: ut dicitur Deuteronomii* 32. *Non eſt autem aliquid perfectum, ſi finem non conſequatur; finis autem exterioris curationis per Chriſtum factæ, eſt curatio Animæ.* Nihilominus, hanc Animæ curationem, quam S. Doctor communem agnoſcit cunctis operibus miraculoſis Divinæ virtutis, modo quodam ſpeciali conſiderat in expulſione Dæmonis, quaſi ea ſola diſcernat miraculoſam expulſionem a non miraculoſa; quod non utique faceret, ſi quid aliud eluceret in expulſionibus per Chriſtum factis, quod, ſecluſo omni reſpectu ad Animæ ſalutem, illas conſtitueret ſub conceptu veri miraculi. Supponit igitur D. Thomas, expulſionem Dæmonis virtute Divina factam eatenus eſſe miraculoſam, quatenus ſic facta non ſiſtit in liberatione corporis, ſed ulterius in ſalutem Animæ tendit: & hanc tendentiam, quæ eſſentialiter ſuperat facultatem totius creatæ naturæ, eam conſtituere in eſſe veri Miraculi, ſimulque in eſſe Miraculi primi generis. His paucis ſatis expreſſam credo mentem graviſſimi Magiſtri, quæ, ut videtur, non uſque adeo aliena eſt a verbis D. Thomæ. Quid autem ego pro mea tenuitate cenſeam, paucis etiam explicabo, & ex nunc ea aliorum judicio ſubmitto.

Cenſeo igitur primo, ſatis Theologice dictum eſſe ab Auctore, expulſionem Dæmonis a corpore, ut miraculoſe ſeu Divina virtute factam, tendere qua ſuapte natura ad Animæ ſalutem, proindeque ad liberationem Animæ a poteſtate Dæmonis; quod intelligo proportionaliter juxta ſtatum liberandi, tendunt enim operationes Divinæ virtutis in ſalutem Animæ, ſed aliter & aliter operantur in Anima, juxta illius diſpoſitionem & indigentiam. Et, præterquamquod veritas hæc ſatis conſtare videtur ex locis D. Thomæ ſupra citatis, eadem etiam ſupponi, admittique videtur communiter a Theologis. Hi namque cum ipſo D. Thoma 1. 2. *quæſt.* 111. *art.* 1. *in corpore*, de gratia generice accepta, & prout continet gratiam gratum facientem, & gratiam gratis datam, unanimiter definiunt; quod *Gratia ad hoc dirigitur, ut homo Deo conjungatur.* Genius ergo & quaſi natura omnis veræ gratiæ eſt, *reducere hominem in Deum. Unde ſecundum hoc* (inquit D. Thomas) *duplex eſt gratia: una quidem, per quam ipſe homo Deo conjungitur, quæ vocatur gratia gratum faciens. Alia vero, per quam unus homo cooperatur alteri ad hoc, quod ad Deum reducatur. Hujuſmodi autem Donum vocatur gratia gratis data; quia ſupra facultatem naturæ, & ſupra meritum perſonæ, homini conceditur. Sed quia non datur ad hoc, ut homo ipſe per eam juſtificetur, ſed potius ut ad juſtificationem alterius operetur, ideo non vocatur gratum faciens.*

Habemus igitur ex S. Thoma, quod gratia gratis data, licet non habeat juſtificare hominem, in quo recipitur, quod unice convenit gratiæ gratum facienti, habet tamen cooperari ad aliorum utilitatem, utique ſpiritualem, ſcilicet juſtificantem. Atqui Donum Miraculorum eſt gratia gratis data: ergo per tale Donum datur homini cooperari ad alterius ſalutem: ergo & per expulſionem Dæmonis, prout effectus talis Doni eſt, cooperatur expellens ad liberationem Animæ, quæ fit media juſtificatione.

Cenſeo ſecundo, licet, juxta phraſem D. Thomæ receptam a Theologis communiter, ſatis Theologice dixerit Auctor, expulſionem Dæmonis a corpore ut miraculoſe ſeu virtute Divina factam, tendere quaſi ſuapte natura ad Animæ ſalutem, proindeque ad liberationem Animæ a poteſtate Dæmonis; id tamen eo ſenſu intelligi debere, quo ipſe S. Doctor dixit *per gratiam gratis datam cooperari hominem ad alterius ſalutem.* Unde idem Angelicus Præceptor nihil quoad hoc diſtinguens inter gratiam & gratiam, de omnibus ab Apoſtolo numeratis 1. *ad Corinth.* cap. 12. univerſaliter pronuntiavit dicta *quæſt.* 111. *art.* 4. *in corpore*, non poſſe hominem cooperari ad hoc, quod alter reducatur ad Deum, *interius movendo*, cum id ſolius Dei ſit, *ſed ſolum exterius docendo vel perſuadendo.* Et ita exponit, quod dixerit *art.* 1. Poſtmodum vero tranſiens ad explicandum qua ratione ſingulæ gratiæ gratis datæ deſerviant (ſcilicet exterius) ad ſalutem aliorum, Miraculis attribuit vim confirmandi inviſibiles veritates, quæ per argumenta confirmari non poſſunt, quia rationi non ſubduntur.

Dices: D. Thomas in expulſione Dæmonis Divina virtute facta videtur aliquid ſpeciale inveniſſe, quod non competat aliis Miraculis: nam ut vidimus ſupra 3. *Part. quæſt.* 43. *art.* 2. *ad* 3. Chriſtum Divina virtute ejeciſſe Dæmones a corporibus hominum, ex eo probat, quod illos ſimul expellebat ab eorum Animabus. Ergo ſignum eſt, quod in via D. Thomæ non præciſa expulſio Dæmonis a corpore obſeſſi, ſed ſolum ut conjuncta cum liberatione animæ, pertinet ad effectum Divinæ virtutis, & conſequenter ad rationem veri Miraculi. Ergo expulſio Dæmonis, ut miraculoſa, ſpecialius reſpicit ſalutem Animæ, quam alia miracula reſpiciant.

Reſpondeo, quod, juxta doctrinam D. Thomæ, non ſolum quando Chriſtus ſanabat corpus, illud liberando a poteſtate Dæmonis; verumetiam quando corpus ipſum ſanabat, liberando illud ab aliqua corporali ægritudine, ſalutem Animæ operabatur: id autem minime faciebat, quia ad rationem Miraculi pertineat conjunctio operis Divinæ virtutis cum ſalute Animæ; ſed quia Chriſtus, ut Salvator hominum, omnia opera ſua ſpeciali quodam titulo ordinabat ad ſalutem Animarum, eo maxime tempore, quo operabatur Redemptionem generis humani. Ideo autem, quoties operationes Chriſti attingebant corpus, inviſibiliter tranſibant ad Animam, quaſi Sacramenta quædam tranſeuntia, quæ aliud exterius præferebant, aliud vero interius operabantur. Unde idem D. Thomas *quæſt.* 44. *art.* 3. *ad* 3. aptiſſime dixit: *Non conveniebat Chriſto, ut alicujus corpus curaret, niſi ejus curaret Animam.* Dixit, *non conveniebat Chriſto*, quia videlicet non id Miracula ipſa exigebant, quaſi quid pertinens ad ipſa, ſed quia Chriſto, ut Salvatori & Redemptori hominum, Dæmonumque Victori ac Triumphatori omnino expediebat, omnia opera ordinare ad ſalutem humanam, & extinctionem tyrannidis, quam Satan in homines exercebat.

Hinc, quando D. Thomas diſtinguit expulſiones Dæmonum a Chriſto factas ab iis, quæ fiunt virtute Dæmonum, ex eo, quod per illas & non per iſtas Dæmones expellebantur a corpore ſimul & Anima; non ideo talem diſtinctionem adſtruit, quia exiſtimet, non aliter fieri poſſe, quod expulſio Dæmonis ſit miraculoſa, niſi in quantum per eam corpus ſimul & Anima liberentur; ſed quia nullo aptiori & efficaciori medio expulſiones Dæmonum a Chriſto factæ, probantur factæ Divina virtute, quam oſtendendo, quod per tales expulſiones non ſolum corpus, ſed Anima ſimul liberatur a poteſtate Dæmonum, quod fieri ſane nequit, niſi ſolius Dei virtute. Propterea, ſicut etiam dicit D. Thomas *quæſt.* 44. *art.* 4. *in corpore: Miracula Chriſti ad hoc ordinabantur, quod virtus Divinitatis cognoſceretur in ipſo ad hominum ſalutem*: in nullo autem ita ſplendet virtus Divinitatis, ſicut in liberatione Animæ a poteſtate Dæmonis, quæ eſt opus ſolius Divinæ virtutis. Igitur, aliud eſt, quod expulſio Dæmonis a corpore probetur miraculoſa & virtute Divina facta, ex eo, quod in liberationem Animæ tendat: aliud vero, quod talem liberationem requirat, ut vere ſit miraculoſa. Primum certiſſimum eſt: Secundum vero non ita facile videtur admitti poſſe etiam loquendo de expulſionibus a Chriſto factis, quibus peculiare fuit ſemper conjungi cum Animæ liberatione: decebat enim Chriſtum, cujus poteſtas æqualiter ſe extendit ad corpus & Animam hominis, non ſic apponere manus ad hominis curationem, ut neglecta Animæ ſalute, id ſolum, quod deterius in homine eſt, puta corpus, ſanaret. Et quidem ad hujuſmodi decentiam videtur reſpexiſſe D. Thomas, cum dixit ubi ſupra: *Non conveniebat Chriſto, ut alicujus corpus curaret, niſi ejus curaret Animam.* Quod ſignanter merito dixit de curationibus corporis, non vero de aliis operationibus miraculoſis, quæ licet ſimiliter fierent Divina virtute, quæ omnia opera ipſi propria ſemper quodammodo ordinat ad ſalutem hominum; non tamen ideo ſalutem operabantur interius movendo, ſed ſolum veritatem prædicationis exterius confirmando: ut patet in Miraculis, quæ attribuuntur gratiæ gratis datæ, quæ appellantur *operatio virtutum*, & fiunt ad oſtenſionem Divinæ virtutis, ſicut Solem repente obſcurari, Maris undas calcabiles reddi, & alia hujuſmodi: in his enim Miraculis nec debito convenientiæ debebatur conjunctio ſalutis Animæ cum exterioribus ſignis, quamvis ipſa exteriora ſigna miro quodam modo juvabant homines ad Divinam fidem, quæ eſt radix, fundamentum, atque initium ſalutis humanæ.

Cenſeo tertio & ultimo, quod licet admittatur in omni expulſione Dæmonis a corpore, facta Divina virtute, exigentia liberationis Animæ a Dæmonis poteſtate, non ideo poteſt per talem exigentiam conſtitui in eſſe Miraculi primi generis.

Probo primo, quia ex dictis ipſa expulſio Dæmonis a corpore *poteſtative* ab homine facta, & omni alio ſecluſo, portat ſecum, fieri modo miraculoſo. Unde videntes Hebræi, quod Chriſtus Dominus poteſtatem exercebat in Dæmones, *Marc. cap.* 1. mirati ſunt, & dixerunt: *Quidnam eſt hoc? Quænam doctrina hæc nova? Qua in poteſtate etiam Spiritibus immundis imperat, & obediunt ei?* Nihil profecto homines videbant de ſalute interius operata in Anima hominis a Spiritu immundo liberati; videbant tamen, Chriſtum *poteſtative* imperaſſe Dæmoni, & compuliſſe ab homine exire; & in hoc modo expellendi Dæmonem, Miraculum agnoverunt, & confeſſi ſunt.

Probo ſecundo, quia licet talis exigentia liberationis Animæ in expulſione Dæmonis a corpore ut facta Divina virtute, deberet primo & per ſe conſtituere expulſionem ipſam in eſſe miraculoſæ, nec inveniret jam conſtitutam in eſſe talis; non poterat ſane efficere, quod expulſio pertineret ad Miraculum primi generis: exigentia enim hujuſmodi ſe tenet ex parte modi operandi, non vero ex parte ipſius operis; unde nec illud reddit entitative ſupernaturale, & excedens omnem facultatem naturæ, ſi ſumatur præciſive a modo illo, & excedente & ſupernaturali quo fit, quoties Divina virtute fit. Et quidem aliud eſt exigentia liberationis Animæ, aliud vero ipſa Animæ liberatio. Hæc ſane ex ſe excedens & ſupernaturalis entitative eſt, licet miraculoſa non ſit, quia vel inſolita non eſt, vel non eſt contra ordinem naturæ, licet ſupra naturæ ordinem ſit. Illa autem ex parte modi ſe tenet, & ad ſummum eſt quædam quaſi ſequela operationis Divinæ virtutis, quæ de ſe tendit in ſalutem Animæ. Hinc licet juſtificatio hominis, quæ inter Miracula non annumeratur, conſiderata in ſe ipſa poſſit quandoque miraculoſa cenſeri a modo extraordinario, quo fit, ut de Converſione Saulis concedit D. Thomas 1. 2. *quæſt.* 11. *art.* 10. *ad* 2. tunc tamen remanet etiam extra rationem Miraculi quoad ſubſtantiam, & ſolum redditur quoad modum miraculoſa. Placuit, pauca hæc pro mea tenuitate exponere, quæ libentiſſime & ex animo ſubmitto cenſuræ Sapientiſſimi Domini mei Cardinalis.

In capite XXX. de Cadaverum incorruptione ampliſſime planeque eruditiſſime Noſter diſſerit. Nec facile eſt uberrimam Viri magni doctrinam in Epitomen & ſumma rerum capita coarctare. Selectiora excerpam, certoque ordine hic ſubjiciam. Docet igitur primo, a Scribentibus de Canonizatione Sanctorum paſſim admitti, Cadaveris incorruptionem eſſe Miraculo adſcribendam, cum agitur de Cadavere illius, cujus heroicæ virtutes jam fuerunt approbatæ: & ita inter alios opinatos eſſe Scacchum, Mattam, Contelorum, Caſtellinum, Bordonum, Pignatellum, & Reyes. Hi omnes putant, ab incorruptione Cadaveris non leve aut perfunctorium ſanctitatis argumentum educi poſſe, præſertim cum agitur de Cadavere illius, quem conſtat heroicis virtutibus fuiſſe præditum.

Docet ſecundo, pro hac aſſertione facere doctrinam D. Thomæ, qui 3. *part. quæſt.* 51. *art.* 3. Divinæ virtuti attribuit, quod ejus ſacratiſſimum Corpus ab Anima ſanctiſſima ſeparatum, permanſerit penitus incorruptum; tum ad oſtenſionem Divinitatis, utrique Humanitatis parti in triduo mortis indiviſe cohærentis; tum in teſtimonium, quod non ex naturæ infirmitate, ſed ex propria electione mortem ſubiiſſet. Citat deinde Durandi opinionem aſſerentis, Corpus Chriſti non fuiſſe in ſepulchro corruptum, quia Verbum Divinum noluit aſſumere illam corruptibilitatem, quæ ex peccato originali proficiſcebatur, quamvis aſſumpſerit mortem. Notat præterea, Medinam redarguiſſe Durandum, quia, licet Chriſtus fuerit expers peccati originalis, mortem tamen incurrit, ita ut, ſi violenter non fuiſſet occiſus, naturaliter mortuus eſſet, & in ſenium veniſſet; eoque mortuo, Corpus fuiſſet natura ſua in cineres ſolutum, niſi Divina virtus obſtitiſſet. Addit, de hoc argumento profunde diſſerere P. Graveſonum *in Tract. de Vita, Myſteriis & Annis Jeſu Chriſti, Diſſert.* 21. ubi, inter alia, definitum eſſe obſervat, contra Julianum Halicarnaſſi Epiſcopum, alioſque hæreticos, Corpus Chriſti, quantum ad conditionem naturæ paſſibilis ante Reſurrectionem, potuiſſe corrumpi, doctrinamque Medinæ confirmat egregio teſtimonio S. Auguſtini, qui lib. 2. *de Peccator. Merit. & Remiſ.* cap. 29. hæc ſcribit: (Quia in eo (nempe Chriſto) erat ſimilitudo carnis peccati, mutationes ætatum perpeti voluit ab ipſa exorſus infantia, ut ad mortem videatur, etiam ſeneſcendo, illa caro pervenire potuiſſe, niſi juvenis fuiſſet occiſus.) Noſter quoque in medium affert noſtri Henrici opinionem *Quodlibeto* 12. dicentis, Chriſti Corpus, ex vi ſolius unionis cum Perſona Verbi, non potuiſſe naturaliter corrumpi. Et licet Scotus *in* 3. *diſt.* 21. *quæſt. unic.* Henricum reprehendat; Suarez tamen *in* 3. *part. D. Thomæ*, Tom. 2. quæſt. 51. oſtendit, quæſtionem inter Henricum & Scotum non eſſe circa rem ipſam, ſed circa modum loquendi; ceterum adeo Noſtro placuit ita loqui, ut certum eſſe pronuntiet, ex communi Theologorum ſententia, Corpus Chriſti mortuum, ac ſuæ naturæ relictum, naturaliter fuiſſe corrumpendum, atque adeo Divinæ virtutis fuiſſe, ut omnino integrum conſervaretur. Quod nos prorſus vere dictum exiſtimamus, inſpecta Chriſti natura humana ſecundum ſe, quæ ut talis certiſſime erat ab intrinſeco defectibilis; ex quo autem unita fuit cum Perſona Verbi, & in Divino ſubſiſtebat ſuppoſito, quamvis, non infirmitate, ſed dignatione carnem haberet paſſibilem, eidem tamen debebatur omnimoda incorruptio, ſicut debebantur dotes Gloriæ, quæ non ſine magno Miraculo fuerunt ipſi denegatæ, & non niſi in Transfiguratione ad breve tempus conceſſæ. Namenti Noſter pag. 566. cum Cajetano ajebat, ex diſpenſatione Divina factum eſſe, ne Anima Chriſti ab initio beata ex ſua naturali redundantia Corpus clarificaverit. Quo poſito, non male videtur Henricus noſter aſſeruiſſe, Chriſti Corpus ex vi ſolius unionis cum Perſona Verbi non potuiſſe naturaliter corrumpi; quia ſcilicet talis unio poterat Chriſti Corpus etiam ab Anima ſeparatum continere in unum. An vero Chriſtus, niſi in juventute fuiſſet violenter abſciſſus de terra viventium, tractu temporis ſenio confici, tandemque mori naturaliter deberet, ſuppoſito ſcilicet quod carnem paſſibilem aſſumere voluit, nos dehinc minime audemus; præſertim cum credamus, Chriſti humanitatem jus habuiſſe ad perpetuam ſui conſervationem, & poteſtatem ponendi & non ponendi Animam ſuam, & ſemel poſitam iterum ſumendi eam. Nec Auguſtinus videtur nobis contrarius; non enim dixit, debuiſſe Chriſtum, ſed voluiſſe mutationes ætatum perpeti; quid autem de ſe ipſo vellet, ſi juvenis crucifixus non fuiſſet; an nempe pateretur ſe incommodis ſeneclutis, quæ & ipſa vere eſt morbus, conteri, & abſumi, nec tantum ætatem ſenilem habere, verumetiam ſuſtinere ſenilem Corporis conſtitutionem, qua in propriæ vitæ interitum naturaliter properaret, Auguſtinus minime reſolvit. Nec ad hoc tuto reſolvendum ſufficit credere, quod aſſumpta hominis a Verbo Divino natura fuerit per ſe corruptelæ obnoxia, ut late probat Leontius lib. 2. *adverſus Aphthardocitas*. Aliud quippe eſt aſſerere, Chriſtum habuiſſe carnem paſſibilem, atque adeo mortis & corruptionis capacem, ſi vellet vel mortem ſubire, vel Corpus mortuum corruptioni tradere; aliud vero longe diverſum definire, quidnam in ſe Chriſtus permittere voluiſſet, ſub hac vel illa hypotheſi. Sed de hoc ſatis.

Tertio, præfatæ Scriptorum doctrinæ ſuffragari docet exempla Sanctorum, quorum Corpora incorrupta remanſerunt, de quibus videri poſſunt P. Theophilus Raynaudus in *Opuſc. de Incorrupt. Cadaver.* cap. 8. Tom. Oper. 13. Petra Sancta in *Thaumaſ. Verb. Religion.* Boldettus in *Obſervationib. ad Martyrum Cœmeteria*. Eidem quoque ſuffragari fatetur Auditores Rotæ in Relatione Cauſæ S. Iſidori Agricolæ, & in Relationibus Cauſarum Canonizationum SS. Bonaventuræ, Franciſci Xaverii, Paſchalis Baylon, Thereſiæ & aliorum; item varias Bullas Canonizationum, & ſignanter illas SS. Didaci, Franciſci Xaverii, Ludovici Bertrandi, & Sanctarum Thereſiæ & Mariæ Magdalenæ de Pazzis.

Quarto docet, veram non eſſe incorruptionem, quæ non raro primo aſpectu viſa eſt apparere in illorum Cadaveribus, quæ longo annorum ſpatio in ſepulchris recondita, iis denique apertis, ſtatim ac aeri fuerunt expoſita, in cineres fuere reſoluta, quemadmodum contigiſſe dicitur in Cadavere Tulliolæ Ciceronis filiæ, de quo agit Cœlius Rhodiginus *Antiquar. Lection.* lib. 3. cap. 24. refertque ſub Pontifice Sixto hujus nominis IV. inventum fuiſſe præfatæ Tulliolæ, ut ex inſcriptione conjectatum eſt, Corpus aromatibus conditum, quod in Urbem delatum tridui mora computruit, medicamine annoto, aut vitiato; & in Cadavere enormis magnitudinis in Antro Siciliæ prope Drepanum invento, in ſede repoſito, & ſiniſtra manu innixo prægrandi baculo, uti refert Boccacius, Author coætaneus lib. 4. *Genealog. Deor.* cap. 68. denique in alio Cadavere die 15. Junii anni 1699. in territorio Cluſino reperto. De ſimilibus enim Cadaveribus bene Noſter affirmat cum Sueſſano in 4. *Meteorolog.* cap. ult. Raynaudo cap. 2. num. 2. & Scacho pag. 685. ſpecie tantum externa fuiſſe integra & incorrupta, revera tamen fuiſſe putrefacta aut exſiccata.

Docet quinto, ſi ſermo ſit de Cadavere, quod incorruptum reperitur, & poſtquam aeri fuit expoſitum, in eodem permanet incorruptionis ſtatu; adhuc duo omnino videri eſſe perpendenda: primum eſt, an aliqua cauſa naturalis præceſſerit, cui incorruptio poſſit adſcribi; plures enim eſſe cauſas naturales, quæ Cadavera a corruptione præſervare poſſint, Noſter ultro admittit, eaſque in poſterioribus ex illo & cum illo recenſebimus: ſecundum eſt, cujus generis ſit incorruptio Cadaveris, de quo quæſtio aſſumitur; nam ſi in Cadavere deſit quidem putrefactio, exſiccatio tamen adſit, etſi conjuncta cum membrorum integritate, tale corpus dici non debet abſolute, minus vero miraculoſe, incorruptum; cum de ratione miraculoſæ incorruptionis ſit, quod Corpus ita incorruptum nullam paſſum ſit alterationem, neque in colore, neque in carne, neque in oſſibus, neque quoad odorem; & quod omnino integrum etiam quoad contactum perſiſtat, ut bene Noſter ponderat ex doctrina Scacchi, Zacchiæ, & Gaſparis de Reyes; quibus conſentire videtur Sanctorellus *in Poſtpraxi Medica*, cap. 42. qui tamen, ubi quærit, cur etiamſi omnes partes corporis ſint incorruptæ, extrema tamen pars narium fere ſemper deſideretur? Reſpondet, non eſſe partem illam corruptam, quamquam videatur corrupta, quia ſcilicet cartilago, cui hæret, exſiccatione contrahitur, ſecumque contrahit carnem, atque illi innixam cutem. Ceterum, quod hæc circumſtantia exſiccationis & contractionis præfatæ partis ſatis officiat miraculoſæ incorruptioni, quatenus hæc marcoris etiam corruptelam excludit, Noſter putare videtur cum Jacobo Sinibaldo in ſuo *Suffragio* edito *in Cauſa S. Jacobi de Marchia*. Videtur etiam Noſter ſupponere, ejuſmodi extremæ narium partis defectum non fuiſſe obſervatum in Cadaveribus miraculoſe incorruptibilibus, nempe in illo S. Cuberti ap. Ven. Bedam lib. 4. *Hiſtor. Anglor.* cap. 30. in illo Sanctæ Edildridæ, ſive, ut Raynaudus loquitur cap. 16. Glitrudis, quæ bis nupta, cum utroque tamen

men conjuge, virgo permansit, ap. eumd. Bedam cap. 19. & ap. Adonem & Roman. Tabulas ad d. 23. Junii. Ut prætermittamus recentiora alia exempla admirabilis incorruptionis, qua redditur defunctum Corpus prodigiose integrum, flexibile, agile, tractabile, odorifero liquore suffultum, & mirifico odore plenum; quibus incorruptionis dotibus singulariter eminet Sacrum Teresiæ Corpusculum, Hispaniæ nostræ pretiosum pignus, cui tota Indiarum opulentia merito comparari non valeat. Nec dissimilis est incorruptio Corporis S. Mariæ Magdalenæ de Pazzis, quod inventum fuit molle & tractabile, & præservatum non solum a putrefactione, sed etiam ab ariditate, ita ut in manibus & brachiis cernerentur venæ, capilli adhuc suo fulvo rutilarent colore, candorem servaret caro in artubus, qui vestibus tegebantur, quæ & pium inflammarent affectum, & sanctæ devotionis stimulos accenderent, ut loquitur Pontifex in Bulla Canonizationis ejusdem Sanctæ.

Sexto docet, quamvis multa sint, quæ concludenter probent, Corpus B. Catharinæ de Bononia fuisse olim miraculose incorruptum, eaque in juventute Dominus meus Cardinalis maxima, qua vel tunc pollebat, energia, extulerit, cum patrocinium ejusdem Causæ suscepit; omnia tamen incassum cecidisse, cum responsum fuerit, communi scribentium sensui non esse deferendum, cum scripserint, quæ audiverant, aut quæ viderant, sed vel puncto non examinato, vel errantes forsasse ob experientiæ vel cognitionis materiæ defectum; Fortunii Liceti, & nonnullorum aliorum Physicorum, qui pro miraculosa Sanctæ Virginis incorruptione scripserunt, tempore potuisse incorruptionem esse miraculosam; sed Miraculum non perduravisse usque ad tempus, quo ejus approbatio petebatur, cum mollities & flexibilitas partium beati Corporis antiquiori quidem tempore non deesset, ut ex variis Monumentis desumebatur, sed ea tempore, quo instantia promovebatur, non adesset, ut testati sunt Medici insignes pro veritate scribentes, Albertus de Fabris, Joannes Galeatius Manzius, & celeberrimus Marcellus Malpighius; quorum tanta fuit in Sacror. Rit. Congregatione in Re Medica authoritas, ut Noster ultro fateatur, eam maximopere profuisse in aliorum Miraculorum approbatione, quæ Canonizationis fundamentum fuerunt.

Septimo docet, plures esse Causas, tum nativas tum artificiosas, quibus adscribi possit humanorum incorruptio cadaverum. Has effusissima eruditione recensct P. Theophilus Raynandus in prælaudato Tractatu a cap. 5. ubi hoc vel Ethnicos agnovisse probat ex Tertulliano, qui lib. *de anima*, cap. 51. allegat Platonem in *Politica* referentem cujusdam insepulti cadaver longo tempore sine ulla tabe servatum, nullo adhibito artificiali præsidio. Quo in loco Pamelius censet, Platonem allegare exemplum Eris, Ægyptii, genere Pamphilii, qui aliquando in bello occisus (ut fabulatur Plato lib. 10. *de Repub.*) decima post die cum commilitonum corpora jam putrefacta tollerentur, integer corpore sublatus est, duodecima vero die ab obitu, postquam domum delatus est, jam in Pira locatus, revixit. Alia incorruptorum cadaverum exempla apud Ethnicos famosa collegerat idem Author cap. 2. ubi inter præservatos a corruptione recensuit ex Aristotele in 4. *Physicorum*, Interprete Simplicio, novem filios Herculis, ex Thestiæ Thespiensis filiabus susceptos, quorum corpora in Insula Sardiniæ per longissimum tempus remanserunt integra & absque ulla putredine, ita, ut dormire viderentur: Item ex Pausania lib. 5. seu 1. *Eliacorum*, citato Aristarchi testimonio in *Olympicis*, Militem, qui in pugna intra Altim contra Lacedæmonios commissa occubuerat, cujus cadaver in Junonis Fano repertum fuit adeo integrum, quod neque per æstatem vaporum, neque per hyemem in illis latebris aditum frigoris noxam contrahere potuisset: Item Pallantem Evandri filium a Turno interfectum, cujus Corpus mole gigantea & proceritate Mœnium Romanorum altitudinem superante, a multis proditur inventum sub Christi annum 1055. cum hiante in pectoris medio vulnere magno, adeo tamen integrum, ac si ea ipsa die occubuisset. Mittimus quod ex Ammiano refert de interfectis Persarum Cadaveribus, quæ in modum stipitum ita inarescebant, ut nec liquentibus membris, nec sanie persusa madescerent; talia enim corpora, tametsi non putrefacta, non proinde esse incorrupta, jam supra observatum est. Noster ex plurimis a Raynaudo coacervatis, quæ ad rem sufficere videbantur, consulto selegit; & tam ex illo, quam ex aliis Authoribus sobrie & graviter ponderavit, quantum ad incorruptionem Cadaverum conducere possit, vel naturalis aeris temperies, vel locus ipse, in quo Cadavera sepulta fuerunt; nam compertum est, siccioris temperamenti corpora difficilius putrefieri, faciliusque Cadavera diu integra permanere in quibusdam locis, ratione diversi generis exhalationum a globo terraque provenientium. In cujus rei confirmationem, præter plura, quæ in hoc ipso Capite videri possunt, refert ex Philippo Camerario *Centur.* 1. *Horar. Subsec.* pag. 87. in Artanicis Hiberniæ Insulis hominum Cadavera non putrescere, ideoque non humari, sed diu exposita permanere incorrupta: & sic homines avos, atavos, tritavos, longamque stirpis suæ seriem admiratione magna cognoscere: quod Giraldus Cambrensis narrat lib. 4. cap. 6. *Hiberniæ mirabilium*, de sola *Aren* Insula, in Occidentali Conactiæ solo posita, & a S. Brendano (ut ajunt) consecrata. Notat, ex Petro Martyre, quod idem mos est quibusdam Indis Occidentalibus in Comagra. Multum quoque juvare Cadaverum incorruptionem, si terræ mandata, alte defossa fuerunt, refert ex Felice Platero in *Centur. posthuma quæst.* 9. ubi Magnates reprehendit, quod, neglecta hac naturali Corpora a putredine vindicandi ratione, artificiali per balsama utantur. Felicis judicio acquiescunt, apud Nostrum, Georgius Hornius *Histor. Natural. & Civil.* lib. 1. cap. 9. pag. 29. & Joannes de Mey *Physiolog. Sacr.* loco 30. *super Genesim* cap. 50. cap. 86. Quibus adde ex Raynaudo cap. 5. num. 7. Sanctorellum, qui in *Postpraxi Medica*, cap. 41. existimat, omnem terram, si Corpus ei alte infodiatur, posse, Corpus a corruptione præservare, supra saltem & omnia aromata; nam, ut ille putat, terra in profundo est frigida & sicca, & alte excavata vacat externis permutationibus & impressionibus, quæ est constitutio peropportuna ad optime conservanda Cadavera. Verum hanc rationem Raynaudus minime probat; nam intermixtio, inquit, aquarum obstabit, ne uspiam terra occurrat adeo pura, qualem Sanctorellus sibi fingit. Aqua enim occulte intermixta terræ, est ei veluti glutinum, ut Philo in *Cosmopœia* loquitur, qui id etiam pro miraculo habet lib. *de Plantat. Noe*; alioqui enim terra abierit in pulverem. Accedunt irrigui elices, quibus omnem terram differtam esse, ac subterfossam cuniculis quaquaversum ad aquas e mari proliciendas, admonuit S. Basilius *Homil.* 4. *in Hexaemeron.* Itaque, terra quæ sit tantum frigida & sicca, & idcirco conservationi Corporum commodet, frustra, Raynaudo judice, quæritur, quantumvis alte excavetur.

Diuturnam quoque incorruptionem Cadaveris posse provenire ex naturali ejusdem dispositione, vel ex inducta præternaturaliter a præcedentibus morbis, ut puta, ab Hectica, Marasmo, aliisque similibus, quibus tota pene corporis humiditas caloris & siccitatis morbosæ vi, depascitur, magnaque durities in residua carne relinquitur, quæ propterea difficilime putredine infestetur, Noster notum esse ait, confirmatque quorumdam Medicorum testimoniis. Et quidem dubitari non potest, quosdam esse homines salso humore scatentes, & propter ariditatem perpetuo sitientes, quorum corpora ad tempus longissimum perstare incorrupta, minus mirum esse videtur; sicut nec incredibile est, quod aliorum humor tenacius illigetur sicco, ex peculiari temperie & symmetria qualitatum. Et ejusmodi substantiæ & compactionis carnem esse Pavonis, minime putrescentem, verisimile putat Raynaudus, citato S. Augustini loco ex lib. 21. *de Civit. Dei*, cap. 4. qui propria experientia didicit, Pavonem mortuum etiam post annum non putrefieri, licet ejus corpulentia siccior & contractior aliquantulum reddatur. Idem Raynaudus subjungit, etiam frigus, Cadaveri conciliatum a potu frigidissimo hausto ante mortem, valde ad incorruptionem ejusdem conferre, idque haud inepte probari posse existimat exemplo Cadaveris Alexandri Magni, quod diu hæsit incorruptum, non alia ex causa (juxta Cardan. in Oper. *de Subtilit.*) quam quia Alexander frigidissimo stygiæ aquæ humore extinctus fuit, ut tradunt Vitruvius lib. 8. & Tertullianus lib. *de Anima*, cap. 50. Et quamvis Cardani ratio contemptui fuerit exposita a Scaligero, illam tamen & olim probavit Tassonus lib. 9. *Variar.* quæst. 2. & postea a contrario Scaligeri ratiocinio vindicavit Raynaudus, allegato ex Pompilio Placentino l. 5. *Rerum Natural. & Mirabil.* exemplo mulieris Venetæ, cui ex pomi venenati comestione, intra proximam noctem mors obtigit, & venter lapiduit, ita ut nullo ingenio flecti, nullo adacto gladio incidi quoquomodo potuerit. Inde subdidit: si potuit succus pomi venenati saxeum efficere ventrem, quidni aqua stygia obstare potuerit putredini Cadaveris per ipsam ad aliquod saltem tempus durati? Porro Scaligerum male argumentari, cum ex qualibet nativi caloris extinctione, corporis putredinem infert, satis aperte Raynaudus ostendit, quandoquidem putrefactio non est quævis profligatio interni caloris, sed quæ fit ab ambiente calido educente humidum, cui calor insidet; sic enim intelligenda est causalis putredinis definitio, ab Aristotile tradita 4. *Meteor.* cap. 1. quam insulse reprehendi a Cardano & a quibusdam aliis apud Vicomercatum & Buccafferreum perspicue demonstrant Julius Cæsar Claudinus, Thomas Erastus, & Zacutus; penes quos vel ipse Galenus lib. 2. & 11. *Methodi medendi* & sæpe alibi, Aristotelis doctrinam de putrefactione tantopere probavit, ut eam plane expresserit & suam fecerit. De incorruptione cadaveris Alexandri M. testimonium perhibet Eustathius in *Commentariis ad Dionysium de Situ Orbis*, dicens diu post tumulationem, repositum fuisse in Arca vitrea per Ptolemæum, qui *Cocles* est cognominatus; in eaque Arca Augustum inspexisse integrum Alexandri corpus & attrectasse, ita ut nasi quoque particulam fregerit, scribit Dio Cassius lib. 51. Sed quod Alexandri corpus duraverit incorruptum, Statius 3. *Silv.* adscribendum censuit Hyblæo nectari, hoc est melli, cujus beneficio Cadavera putredine prohiberi, Democritus docuit: ut Plinius notavit lib. 7. cap. 55. Unde Varro *in Sicomachia*, ad Democriti opinionem alludens, lepide dixit: (Heraclides Ponticus plus sapit, qui præcepit, ut comburerent, quam Democritus, qui ut melle servarent, quem si vulgus secutus esset, peream si centum denariis calicem mulsi emere possemus.)

Videtur Noster sine hæsitatione admittere, quod cunctis pene notum esse Plutarchus dixit in 4. *Sympos.* q. 2. scilicet, Corpora fulmine icta non sentire putredinem, quia nimirum caloris vis humiditates Corporis absumit, easque putredini ineptas reddit. A Plutarcho non dissentit Matthiolus, qui sub finem *Præfationis ad Dioscoridem*, universe affirmat, Corpora mortua fulmine percussa numquam putrescere, ideoque ait merito reprehensioni patuisse Euripidem, qui dixerat, Phaetontis,

cum

cum ictus de Cælo obiisset, corpus computruisse in Italia. Atque hoc plane verum esse pluribus demonstrat Raynaudus contra Senecam, qui in lib. 2. *Natural. QQ.* cap. 31. cum dixisset, malorum Serpentium & aliorum animalium, quibus mortifera vis inest, cum fulmine icta sunt, venenum omne consumi, postea subjunxit, fulmine icta, intra paucos dies verminare, quod evidens signum est corruptionis.

Non parum etiam adversus putredinem valere corporis dispositionem, quæ acquiritur ex parsimonia victus & austeritate vitæ, admittere Noster non renuit, cum Reyes & Taglino; sustentato quippe corpore tenuissimo victu & nutrimento, ob debitæ quantitatis alimoniæ defectum naturalis calor, qui pabulo necessario indiget, omnem corporis humorem devorat, & velut arefactum, quod reliquum est, dimittit; quo tempore ob humidi defectum homo tandem moritur. Subditque: & huc referri possunt, quæ multoties observata sunt in Cadaveribus Anachoretarum, & Discalceatorum Fratrum, quæ, apertis sepulcris, ubi diu antea posita fuerant, prorsus incorrupta inventa sunt. Post hæc laudat Franciscum Baconem, Baronem de Verulamio qui in *Silva Silvar.* vel *Histor. Natural. Centur.* 8. *Experiment.* 771. multa paucis complectens, nervose philosophatur, quomodo putredo diutius a corpore prohibenda sit, idque fieri posse ait, si tria putrefactionem causare solita prohibeantur: primum est, ut excludatur aer, qui corpus tacite subruit, & in ejus dissolutionem quasi conjurat: secundum, ne corpus, quod in ambitu est, aut adjacet, ejusdem sit materiæ, sed heterogeneum plane quoad corpus conservandum: unde statuitur, corpora in ambra splendente, mercurio, balsamo, succino, cera, melle, gemmis, & forte nivium conditoriis diu servari (de singulis Raynaudus fuse disserit, recensitisque medicamentis, alia plura superaddit, quæ non minus sunt inhibitiva putredinis, nempe nitrum & aphronitrum, sive spumam nitri, cujus forte loco posuit vitrum Pierius Valerianus lib. 5. quamvis nec male vitrum inter cetera putredini obstantia poneretur; succum cedrinum; asphaltum & pissasphaltum; myrrham; aloen; acetum; vini spiritum; solem exsiccantem; æs, cui vim quandam remedialem & specificam inesse, post Homerum censuit Aristoteles; denique calcem, quæ ratione præcalidæ & valide exsiccantis naturæ potest adhiberi cum fructu ad conservationem Cadaveris, sed ita ut illud reddat prorsus exsuccum & arens, ac velut utrem in pruina); tertium est, ut corpus conservandum non sit ea mole, ut sponte diffluere possit in corruptionem, etiam nihilo egrediente in adsitum corpus: ultimum, ut corpus continens sit præditum facultate attrahendi, & exsiccandi humidum corporis contenti, ne putredo interius inchoata invalescat.

De aliis causis, quæ a nonnullis creduntur reddere Cadavera incorruptibilia, ut si quis moriatur sub certo Planetarum aspectu; aut si quis natus fuit vel sexto Kalendas Februarii, vel tertio Kalendas & Idus Februarii, quorum Corpora integra dicuntur conservari usque ad diem Judicii, Nostri judicium est, ea omnia vel esse fabulosa, vel superstitione minime vacua; idemque ferme sentit de incorruptibilitate eorum, qui sub Excommunicatione obierunt; quod etiam fabulosum censeri ait a Viris cordatis. Hoc autem licet verissime Noster dixerit, saltem negari non posse videtur, rem Ita contigisse cum Corporibus aliquorum in Excommunicatione obeuntium. Nam id de visu proprio testatur de Corpore cujusdam mulieris, quod jacuerat annis septuaginta in terra, P. Goresalcus Holon, S. Ordinis D. Augustini *serm. 62. partis hyemalis, litera* C. qui florebat anno 1480. & tunc in Conventu Senarum in Italia morabatur. Krantzius quoque lib. 3. *Metropol.* cap. 42. & 48. & Matthæus Paris *in Vita Henrici III.* quid simile referunt de Suenone Rege Daniæ, & de quodam Guilelmo bonorum sacrorum sacrilego usurpatore. Apud Græcos vero maxime prævaluit opinio illorum, qui excommunicatorum Cadavera credunt permanere incorrupta. Unde apud Crusium lib. 4. *Turco-Græciæ* refertur Epistola Metrophanis CPolitani, qui de Cretensibus a se excommunicatis loquitur his verbis (Illos tales ejici de Ecclesia Dei Omnipotentis, & execratos esse veniæque expertes, nec post mortem Corpora ipsorum in terram resolvi.) Alia exempla ex eodem Crusio ponderat Raynaudus, quo teste, etiam annuæ Jesuitarum Literæ anni 1618. Missionis CPolitanæ Res describendo, idem produnt de Exturbatoribus Neophyti Patriarchæ, ab eo excommunicatis. Et concludit, non satis assequi, cur Petrus le Loyer lib. 4. *de Spectris*, cap. 13. rem tot suffragiis confirmatam Græcanicis fabulamentis annumerare videatur.

Octavo, Noster docet, etiamsi verum sit arte quoque Dæmonis posse Cadavera incorrupta conservari, aut solum similitudinaria & apparente, aut etiam vera & physica incorruptione, ut Raynaudus non raro contingere credit, cum possit Dæmon, nisi vi superiore impediatur, extrahere per motum localem a Cadavere causas putredinis, & amovere per applicationem localem activa ad incorruptionem idonea; nullum inde argumentum desumi posse adversus incorruptiones Servorum Dei, de quorum heroicis virtutibus plene constitit. Quod Eminentissimus Dominus in decursu permagni Operis sæpius inculcat, loquendo de Miraculis pro Beatificatione aut Canonizatione, & tam in præsenti, quam in qualibet alia materia discutiendis.

Ex his omnibus non obscure colligi videtur, Sapientissimum Dominum meum Cardinalem in ea fuisse sententia, quæ docet, incoruptiones Cadaverum Servorum Dei, præsertim si ex plenæ & perfectæ sint, & tam exsiccationem quam putredinem, etiam quoad partes natura sua corruptibiliores, excludant, & corpora ostendant integra, vivida, mollia, flexibilia, tractabilia, nec horrido pallore suffusa, sed potius florida; nihil commune habere cum incorruptionibus Cadaverum, quæ sive ab internis, sive ab externis, naturalibus seu artificialibus causis incorrupta permansisse dicuntur. In nullo enim Cadavere naturaliter incorrupto inveniuntur præfata incorruptionis signa; vel etiam aderunt in omnibus, si bene observentur, signa aliqua, certaque alicujus dissolutionis argumenta: & hæc sensibiliora in his Corporibus, seu Corporum partibus, quæ in vindictam admissi in vita sceleris, ad Divinæ Justitiæ ostensionem, præservata a corruptione dicuntur: talia quippe Cadavera, sic, ut ajunt, incorrupta, quamvis inventa fuerint quodammodo integra, & absque læsione lineamentorum, mutato tamen colore, cute siccata, aut tumida & livida carne, semper reperta fuere, quemadmodum produnt, qui de similibus Cadaverum incorruptionibus aliquid literis consignarunt, ut videre est apud Franciscum Richardum *de Sacra expeditione ad Insulam S. Ireneæ*, cap. 15. in fine; apud Christophorum Vischer, *Concione in 2. Præceptum Decalogi*; & apud Henricum Roth. in suo *Catechismo*, fol. 107.

Monet prudentissimus Cardinalis, 1. non omnes incorruptiones corporum, quarum mentio fit in Bullis Canonizationum, eo ipso Miraculo fuisse adscriptas: atque hoc probat exemplo desumpto ex Causa S. Didaci, cujus corporis integritas in Bulla Canonizationis memoratur, & tamen de ea censuerunt Rotæ Auditores, miraculo adscribendam non esse, ut testatur Franciscus Penia in *Tract. de ejus. Sancti Canonizatione*, lib. 3. pag. 147. Monet 2. in Bullis Canonizationum aliquando, non assertive aut definiendo, sed enunciative & referendo, mentionem fieri incorruptionis, ut constat ex Bulla Canonizationis S. Margaritæ de Cortona, quæ refert, ejus corpus fuisse inventum miro odore perfusum, vegetum, incorruptum & illæsum, & tamen, cum discussa fuit ejusdem corporis integritas, Miraculo non fuit adscripta. Monet 3. in Bullis Canonizationum aliquando fieri commemorationem mirabilis incorruptionis juxta statum antiquum corporis, non juxta statum præsentem; & hic cautus loquendi modus adhibitus est in Bulla Canonizationis S. Catharinæ de Bononia, cujus corporis incorruptio non fuit inter Miracula recensita juxta statum præsentem, uti supra visum est. Monet 4. & ultimo, sæpe in Bullis Canonizationum mentionem fieri incorruptionis tamquam miraculosæ, sed una cum odore & aliis Miraculis approbatis; ita ut incorruptio fuerit quidem approbata, sed uti Miraculum supra numerum, cui Decretum Canonizationis innixum non est.

Quæ de incorruptione integri cadaveris dicta a Nostro sunt, pariter sunt intelligenda de partialibus quibuscumque incorruptionibus, ut de dextris Manibus incorruptis Sanctorum Nicolai Myrensis, Stephani Regis Hungariæ, & Oswaldi Regis Angliæ, de quo Venerabilis Beda lib. 3. *Histor. Eccles. Anglor.* item Richardi Angli Cistercensis, apud Cæsarium lib. 14. cap. 47. de Oculo, quo B. Ludovicus seu Ludemitus, Catalaunensis Præsul, solicitantem ad turpitudinem Galliarum Reginam repulerat, apud Cantiprat. lib. 2. *Apum*, cap. 30. n. 33. de Oculis B. Rosellinæ Carthusianæ, qui e suis locellis exempti, ac separatim in pyxide asservati, raro miraculo æque vividi perstant, ac cum Virgo superstes erat: de Digito, quo Præcursor Sanctissimus Agnum Dei indicavit, qui apud Maurianenses asservari dicitur, a corruptione prorsus liber. In Græcorum Menæis 7. Sept. & 7. Januar. legitur manum ejusdem dexteram, quam Christus super caput suum extulit, munus incorruptionis a Deo accepisse. Dexter quoque Pollex S. Edithæ, Edgarii Regis filiæ, incorruptione donatus legitur, quod illo frequenter signum crucis in fronte, cum viveret, efformaret. Idemque refertur de quadam Sanctimoniali, cujus Pollex dexter nunquam computruit, in Tractatu, qui inscribitur: *Doctrina S. Bernardi*, pag. 1749. Noster specialiter agit de celeberrima incorruptione Linguæ S. Antonii Patavini; Linguæ S. Cataldi, Tarentini Archiepiscopi, mortui anno 1170. a Partu Virginis, quæ ad hæc usque temporum cernitur integra & subrubens, quasi recens ab ejus ore avulsa; Linguæ denique S. Joannis Nepomuceni, qui ann. 1343. Martyrium subiit, ne proderet sigillum Sacramentalis Confessionis. Hæc anno 1725. inventa est integra & retinens figuram & formam linguæ humanæ, cum mollitie, flexibilitate & colore linguæ hominis viventis. Unde incorruptio hujusmodi tamquam miraculum secundi generis approbata fuit in Sacr. Rit. Congregatione, uti defumitur ex Decreto edito die 11. Januar. 1729. Apostolica Authoritate roborato a sanct. mem. Benedicto Papa XIII. die 16. Feb. ejusdem anni.

Quamquam Noster, cum munere fungeretur Fidei Promotoris, eam opinionem promovisset, quæ in continuatione incorruptionis miraculosæ novum non agnoscit Miraculum, exemplo ejus, qui per Miraculum resuscitatur, aut qui ex cæco videns factus est, in quibus nec vitæ nec visus duratio novo Miraculo adscribitur, cum sit quasi naturalis sequela prioris Miraculi; tamen, inhærens sententiæ & praxi Sacrorum Rituum Congregationis, tuto asserendum dicit, quod, supposita miraculosa incorruptione, continuatio haberi debeat pro novo & distincto Miraculo pro Canonizatione obtinenda; rationemque disparitatis perspicue designat, inquiens: (Ut enim bene docent Theologi, quædam solum exigunt virtutem supernaturalem ad sui productionem, primamque existentiam, & quæ-

UAB Biblioteca de Ciències Socials

quædam præterea ad sui conversionem. Exemplum priorum est in ipsa vita restituta, aut oculo reddito per Miraculum, quo supposito, tum vita, tum visus naturaliter durant instar naturalis vitæ, aut oculi per naturalem generationem accepti. Exemplum posteriorum est in duplici quantitate penetrata, aut duabus qualitatibus contrariis in gradu intenso conjunctis; unio enim illarum non solum miraculosa est in initio, sed etiam in progressu, seu in continuatione, quoniam nudum est instans, in quo una quantitas naturaliter non repugnet compenetrationi cum altera quantitate, eodemque pacto una qualitas non exigat expulsionem alterius qualitatis contrariæ in gradu intenso a suo subjecto, veluti totidem verbis inquit claræ memoriæ Cardinalis de Aguirre in *Theologia S. Anselmi*, Tom. 1. Disput. 9. sect. 1. num. 9. Cumque vera incorruptio ad multum tempus perseverans, non ad primum, sed ad secundum Miraculorum genus pertineat, hinc est, unum miraculum in incorruptione, aliud in continuatione & duratione esse constituendum.)

Ut hoc melius percipiatur, subtiliter Noster disputat, quanto tempore naturaliter corpus remanere possit incorruptum, secluſa qualibet causa naturali aut artificiali; optimeque resolvit cum Zacchia, nullam posse designari regulam, quæ sit omnibus Corporibus communis, cum varia sint eorum temperamenta, nec omnia æque ad corruptionem disposita. Quærit etiam, qua ratione Corpus miraculose reddatur incorruptum, an videlicet per infusionem qualitatis naturalis, quæ suapte natura resistat extrinsecis qualitatibus corpora corrumpentibus, quemadmodum in sententia D. Thomæ 1. *part. quæst. 97. artic. 4. in corpore*, naturalis fuit virtus Ligni vitæ, & tamen non naturalis, sed supernaturalis erit primi hominis immortalitas, utpote non naturæ debita, sed gratiæ beneficio ipsi a Deo collata. Nihilominus Nostro magis probari videtur sententia eorum, qui miraculosam incorruptionem explicant, asserendo, eam effici, seu potius sequi naturaliter ex extraordinaria & miraculosa subtractione Divini concursus, sine quo causæ naturales corruptionis absolute nequeunt corruptionem ipsam operari, & in subjectum inducere. Videtur tamen, quod nonnullæ miraculosæ incorruptiones, in quibus scilicet elucet aliquid Miraculi positivi, ut venustas in colore, in odore suavitatis, & alia hujus generis, intelligi & explicari non possint per solam Divini concursus negationem; talis enim negatio concursus reddit quidem impotentes causas corruptionis ad corrumpendum subjectum, sed nihil operatur in subjecto ipso supra hoc, quod est, non esse corruptum. Quare si aliquid aliud eminet in ipsa incorruptione, præter purum non esse corruptionis, id utique alicui causæ positivæ adscribi debet.

In capite XXXI. quod videtur quædam esse Appendix præcedentis, Noster explicat nonnullas Cadaverum qualitates, quæ comitari non raro solent miraculosas Sanctorum Corporum incorruptiones. Hic summa Anatomes peritia, magnaque terminorum proprietate exponit, unde proveniat in viventis Corpore flexibilitas carnium & flexibilitas articulorum; & cur utraque in Mortuo Corpore deficiat. Hinc infert, mortui Corporis flexibilitatem, quæ ad longum tempus perduret, miraculosam censendam esse, sed non Miraculum diversum ab ipsa incorruptione. Postea subdit, Cadavera aliquando sese movere, secundum partes, vel secundum totum; rubore perfundi; commaculari; rubris stigmatibus conspergi; calida per multum tempus permanere; & in quibusdam etiam ungues & capillos crescere, & etiam dentes augeri. De vero capillorum in mortuis incremento insignis est Synesii locus in *Calvitii Encomio*, ubi ait, ab Ægyptiis Sacerdotibus in omnes hujus rei famam percrebuisse, & quod ad cutem rasus aliquis cum obiisset, sequente anno prolixa coma barbaque inventus est. Nec repugnat Aristoteles 3. *Histor.* cap. 11. & lib. 2. *de Generat. Animal.* cap. 6. favetque apud Nostrum Christianus Fredericus Germannus in Tract. *de Miraculis Mortuorum*, lib. 1. tit. 1. & 10. Refragantur tamen Alexander & Mercurialis, quibus verior videtur Tertulliani opinio de modo, quo ungues crescere videntur; quamvis enim admittat pilos vero in mortuis incremento augeri, non idem de unguibus asserit, sed hos, nervis resolutione correctis, provectiores videri ait, & quotidie deficiente carne videri expelli. Hoc plane modo etiam pilos crescere videri in mortuis, placuit olim Alexandro & Mercuriali, placuit quoque Fortunio Liceto & Zacchiæ; neque forte immerito, nisi obstet nimia excrescentia a Synesio notata, confirmataque illustri exemplo apud Paræum lib. 28. & apud del Rio lib. 2. *quæst.* 25. Noster, ex Philopono raro contingere admittit, quod adsit prope radices pilorum & unguium suliginosum & mucosum recrementum, ex qua materia crescere deberent capilli & ungues in mortuis, siquidem vere augerentur, præsertim cum vix supersint, nisi ad breve tempus post mortem vel paucæ spirituum reliquiæ, sine quibus fieri non possunt similes generationes. Refert præterea ex Marcello Donato *de Medica Historia mirabili*, lib. 2. cap. 3. *in fine*, Monialem, quæ credebatur prorsus mortua, manus alterius fortiter strinxisse, quod videlicet adhuc in corpore illius remanerent vitæ fomites, quidamque vitales igniculi, quales in præfocatis, & valida apoplexia detentis inveniuntur, etiam deficientibus sensu, motu, pulsu, ac respiratione; & ex Matthæo Villano in *Historia sui temporis*, lib. 3. cap. 46. Cadaver Gualterii Bustaccii capite Florentiæ a Carnifice dissectum, dum ad Ecclesiam S. Crucis humandum gestaretur, adeo repente concussione valida sponte exagitatum, ut tabulata, super quibus erat impositum, invicem fuerint disjuncta, ipsumque ex gestantium humeris pene deciderit, quod ad jactum sagittæ, dum sanus progrederetur, perseveravit, non sine omnium adstantium ingenti admiratione: Quod factum ne putetur miraculosum, subjungit. (Experientia quoque testis est, pleraque animalia recens mortua aliquandiu aliquos motus edere. Horas & dies moventur Ranæ exsecto capite, corde avulso, detracto cortice. Moventur Viperæ & Viperarum frusta. Motus & saltus edunt Vituli novissime jugulati, hominesque ipsi recens interfecti, atque in patibulis capite diminuti, & vere mortui non carent motibus, cum artus subsiliant, & truncus concutiatur. Omnes hi motus non sunt effectus principii vitalis animantium, sed fatui quidam musculorum saltus, producti a reliquiis spirituum animalium, inter fibrarum recessus delitescentium & oscillantium: quocirca vanum profecto esset ea inter Miracula recensere, quemadmodum bene ponderat Zacchias *Quæst. Medico-Legal.* lib. 4. Tit. 1. *quæst.* 10. n. 31. & 32. & pluribus seqq.

A classe quoque Miraculorum arcendum docet sanguinem a Cadavere emanantem non longe ab obitu, cum neque excedat imaginationis vires, quod sanguis sæpe manet ex Corporibus mortuorum post horas nonnullas, & aliquando etiam post triduum. Nihilominus libenti animo subscribit sententiæ Ambrosii, Augustini, Cyrilli Alexandrini, & Theophylacti, qui miraculosum agnoscunt aquæ fluxum ex latere Christi lancea aperto, a Georgio Bertino & Thoma Bartholino causæ naturali adjudicatum. Unde omnino probare videtur, quod aqua illa non fuerit humor aquosus in pericardio contentus, qui, juxta quosdam Medicos, naturaliter fluit, corde vulnerato, vel etiam sola pleura sine pericardii cordisque læsione lancea perforata: sed vera & naturalis aqua, ab omni humore bilioso & phlegmatico condistincta, miraculoso modo a Deo producta. Magis tamen dubitari a quibusdam videtur, an fluxus sanguinis fuerit vere miraculosus, posito, quod sanguis intra horas aut paucos dies naturaliter effluere possit e Cadavere, propter vitalem quandam virtutem adhuc in illo remanentem. Et quamvis Noster laudet opinionem Suarez & A Lapide, qui in utroque fluxu miraculum profitentur, eo quod crediderint, de Corpore mortuo naturaliter sanguinem effluere non posse; hoc Noster non probat, sed potius eorum sententiæ adhæret, qui volunt, Miraculum in hoc consistere, quod non admixti defluxerint gemini liquores, sed plane distincti, ac per vices, primum quidem sanguis, tum aqua, ut scribit Nonnus *Paraphr. in Joan.* aut contra primum aqua, tum subinde sanguis, quod Tertulliano, Ambrosio, Hieronymo & Damasceno visum est.

His non obstantibus, si sanguis post longum a morte tempus, cum naturaliter omnino riget, e Cadavere defluat, & agatur de Corpore Servi Dei magna sanctitatis fama præmortui, haud difficulter Noster concedit ejusmodi sanguinis fluxum Miraculo esse adscribendum, taleque Miraculum agnoscit loquendo de Sancto Triphillio Episcopo Nicosiæ, de Sancto Modoaldo Trevirensi Episcopo, apud *Bollandianos*; de Sancto Eligio, apud Surium; de Sancto Nicolao de Tolentino, apud Nicolaum Hieronymum Ceppium & Ægidium Crapols; de Sancto Francisco Xaverio, apud Auditores Rotæ in *Relatione Causæ*, de Sancto Petro Regalato, apud Auditores Rotæ in *Relatione Causæ*, *Miraculo* 2.

Jam vero sermonem instituens de ebullitione sanguinis a corpore separati, quæ de quibusdam Sanctis prædicatur, refert, quod de sanguine S. Andreæ Avellini non satis constare potuit, post annos quatuordecim incorruptum, ac rubicundum in ampulla permansisse, quin & octavo post obitum die, atque iterum triennio post nempe die 10. Novembris 1611. anniversaria obitus, & alias etiam liquescere, & ebullire, ac spumare visum fuisse, ut persuadere conabatur Felix Contelorius, qui Advocati munere tunc fungebatur. Docet tamen, nullatenus dubitari posse de perenni Miraculo sanguinis S. Januarii Episcopi & Martyris, cujus testis est universa Italia, & totus pene Terrarum Orbis. Ingens & stupendum Miraculum in hoc consistit, quod Sanguis pro Christo effusus, & in ampulla vitrea repositus, in qua ad hæc nostra tempora servatur, idem semper manet concretus atque durus: sed, cum primum ad caput Martyris admovetur, quasi exoptet eo recurrere, unde fluxit, illudque iterum animare festinet, veluti moræ resurrectionis impatiens, protinus liquefieri, mox fluere & ebullire maxima omnium admiratione conspicitur. Factum adeo prodigiosum, ne increduli Miraculum fateri cogantur, insulsissime, ne dicam stultissime, attribuunt clandestinæ calcis in sanguinis phialam injectioni, vel Magneticæ virtuti, aut antipathiæ & sympathiæ. At, qui ita ineptiunt, debuissent utique ostendere, cur hæc in sacro illo sanguine adeo prodigiose operari possint, in nullo alio possint? Incredulorum tricas ex Petro Molinæo in suo *Vate Calviniano*, lib. 5. cap. 14. exque aliis collectas Noster proponit, ac validissime refellit, ex observatis a Fortunio Liceto *de Secundo quæsitis per Epistolas*, cap. 45. Hic enim Scriptor a Nostro sæpe laudatus, etsi patria Genuensis fuerit, Bononiæ tamen Philosophiam glorioſe docuit, repetitisque experimentis comprobavit, nunquam posse a calce fieri, ut sanguis concretus liquefiat & ebulliat. Cessat autem omnino recursus omnis ad Magneticam virtutem, sive ad occultas antipathiæ & sympathiæ qualitates, exemplo miraculosæ ebullitionis sanguinis D. Joan-

Joannis Baptiſtæ, qui in eadem Neapolitana Urbe, non ad præſentiam Capitis Sanctiſſimi Præcurſoris, ſed ſemper ac ſuper Altare exponitur, & in eo in honorem ejuſdem Sancti Miſſa celebratur, magno intuentium ſtupore liquefcit. Videndi idem Licetus, & in *ejus* cap. 47. *Epiſtola Marci Aurelii Severini*; Petra Sancta Tom. 3. *de Miraculis perpetuis Eccleſiæ Catholicæ*, a pag. 171. & ibi *Epiſtola Joannis Rho*; P. Joannes Dominicus Putiganus in Oper. *de Rediviva Sanguine D. Januarii*, & Eminentiſſimus Cardinalis Gottus in *Tract. de Vera Eccleſia adverſus Jacobum Piceninum*, Tom. 1. cap. 2. §. 4. num. 38. S. Pantaleo Martyr mirabili quoque ebullitione Sanguinis anniverſaria die quotannis contingente illuſtris jam habetur, tum apud Exteros, tum apud noſtros Hiſpanos, qui in hac Regia Matritenſi perenne Miraculum vident.

Sacrorum Liquorum e Corporibus Sanctorum, cineribus & aridis oſſibus manantium, quibus medicamenti vis ineſt ad curandas malas valetudines, & impios agiomachos convincendos, exempla complura, eaque ſelecta, & idoneis Teſtibus comprobata Noſter hic exhibet. Primum obtinet locum grande S. Julittæ Miraculum, cujus Encomiaſtem egit Magnus Baſilius *Homilia* in eamdem Martyrem. Ejus ſepulchrum *aquam* emittebat *generoſiſſimam, quæ & volentibus ſanitas, & modeſte delicatis voluptatis promptuarium, & ægris conſolatio eſſet*. Neque juſe poſteriori loco memoraretur *Manna ſalutaris* e ſepulcro S. Joannis Evangeliſtæ profluens, ſi Gregorio Turonenſi prodigium narranti (*de Gloria Martyrum*, lib. 1. cap. 30.) teſtata ab aliis traditio acceſſiſſet. Ejuſdem Gregorii authoritate (cap. 31. præfati Libri) innititur Manna cum odore nectareo e Tumulo S. Andreæ Ap. non jugiter, ſed in die ei ſacro profluens, & pro majori vel minori quantitate aut uberes anni fructus, aut exiguos agrorum proventus portendens. Nicolai Myrenſis Barienſe ſepulchrum toto in Orbe celeberrimum eſt, propter Mannæ fluenta per univerſum Mundi ambitum diffuſa. Noſter narrat ex *Hiſtoria* P. Antonii Beatilli S. J. quod, ſtatim ac Corpus Myræ conditum fuit in marmoreo ſepulchro, cœperunt, admirantibus omnibus, effluere duo Liquores, alter a parte capitis ſub olei ſpecie, alter a parte pedum ſub aquæ forma, uterque ſuavis odoris & contra quoſcumque morbos, ut experientia comprobavit, mirabiliter efficax. Addit ex eodem Authore, quod, a Barienſibus pio furto oſſibus ſublatis, & Barium translatis, ſemper roridus liquor ex illis emerſit, ægris ſanitatem conferens, etiam poſt lapſum trium & ultra ſæculorum. In *Novella* 2. Emmanuelis Commeni Imperatoris *Tit. de Feriis*, §. 4. mentio habetur Mannæ S. Nicolai, appellaturque *unguentum ſcaturiens*. In *Brev. Telet.* ap. Baron. in *Notis ad Martyr. Rom.* ad diem 6. Decembr. idem Miraculum hiſce verſibus celebratur.

Cujus Tumba fert Oleum,
Matres Olivæ neſciunt;
Quod natura non protulit,
Marmor ſudando parturit.

Unus inter Orthodoxos Bailletus viſus eſt exprobrare Baronio, quod, ſine prævio rei examine, Miraculum hactenus durare aſſeruit; ſed Doctiſſimum Annaliſtam id affirmaſſe, quod in Italia & extra Italiam notiſſimum eſt, Noſter demonſtratum ſupponit a Beatillo, Liceto, Petra Sancta, Bordono, Ferrando Anicienſi in *Diſquiſitione Reliquiaria*, *lib. 2. pr. Part. art. 4.* quibus refragari auſus non eſt vel ipſe modernus Scriptor *Hiſtor. Neapolit.* merito a S. Sede proſcriptæ, Tom. 1. pag. 525. In Bulla quoque Canonizationis B. Wilhelmi, Eboracenſis in Anglia Archiepiſcopi ſub Honorio III. dicitur Sepulchrum ejus Olei ubertate pingueſcere, quo ægri complures inuncti, a ſuis infirmitatibus ſunt ſanati. Idem veteres Scriptores teſtati ſunt de Romano Sepulchro Sanctiſſimi Fundatoris Ordinis Sanctiſſimæ Trinitatis Redempt. Capt. Joannis de Matha, de cujus Sacro Corpore, hodie in Hiſpania noſtra in Ara maxima Conventus noſtri Matritani, ſingulari Dei beneficio, ac Sanctæ Sedis & Reverendiſſimi Capituli Vaticani gratia, quieſcente, hæc Franciſcus a S. Auguſtino Macedo in ejus *Vita*, cap. 20. ſcribit: *Clavos eſſe oportuit cineres, a quibus Oleum diu manavit, ne quis putaret extinctum lumen, quod Oleo nutriebatur.*

Antiquioribus hujuſce generis Miraculis merito Noſter accenſet odoratum liquorem, quo incorruptum S. Tereſiæ Corpus perenniter deſudat; tum & ſimilem liquorem odoriferum e Corpore S. Mariæ Magdalenæ de Pazzis jugiter profluentem, quos Sacræ Rotæ Auditores miraculoſos agnovere.

Porro, ut ſimiles liquorum e ſacris lipſanis effuſiones miraculoſæ probentur, demonſtrandum eſt, Noſter inquit, quod ex oſſibus jam aridis, & extra locum humidum conſtitutis emanent, prudenterque ſubjungit: quod ſi forte ad omnem ſubmovendam difficultatem oſſa Servi Dei, vel Beati e Tumulo vel fovea educerentur, eorumque fieret translatio ad alium locum, de quo ſuſpicari non poſſet, quod tellus ad inſtar ſpongiæ combibens aquas, iiſque veluti repleta turgens, eaſdem evometet, cautela hæc non eſſet omnino ſpernenda: ſi enim, oſſibus ſubductis, liquor ceſſaret, nec amplius e loco emanaret, e quo emanabat, dum oſſa erant in eodem repoſita, ſignum evidentiſſimum hoc eſſet, quod liquor non a loco, aut a natura loci, ſed ab ipſis aridis ac ſiccis oſſibus ſcaturiebat. Unde bene Author *Epigrammatis* in Sepulcro S. Laurentii Presbyteri & Puerorum Martyrum, hujuſmodi cautelam præſcripſit, ut omnem de aſſerto a ſe Miraculo excluderet dubitationem. *Epigramma* hujuſmodi eſt:

Aſpicis hoc marmor Tumuli de more cavatum?
Id ſolidum eſt intus; rima nec ulla patet,
Unde queat tellus occultas mittere lymphas.
Manat ab ingeſtis oſſibus iſte liquor.
Si dubitas, medio ſudantes tolle Sepulchro
Reliquias, dices: Unda ſalubris ubi eſt?

Pro complemento hujus Capitis Noſter, more ſuo, hoc eſt eruditiſſime, differit de ſuavi odore e Cadaveribus Servorum Dei, Beatorum, aut Sanctorum ſive corruptis ſive incorruptis, aut ex eorum Reliquiis manante. Sed nos, ne Volumen iſtud æquam aliorum menſuram molemque plus juxto excedat, compellimur vel inviti, tam, quæ ex hac prima Libri IV. Parte ſuperſunt, quam univerſa, quæ Pars ſecunda in Capita XXXI. divila complectitur, prætermittere, quamvis non ſine ingenti detrimento præſentis *BIBLIOGRAPHIÆ*, quæ in his ſelectiſſimis acceſſionibus maxime diteſceret. Nihilominus, non pauca ex eadem ſecunda Parte præfati IV. Libri ſparſim in Opere noſtro inſeruimus; quare hic ſolum monere operæ pretium judicavimus, nuper in Hiſpania Typis vulgatam fuiſſe Hiſpali in 4. Diſſertationem Theologico-Criticam *de Argumenti ex Brev. Rom. in Rebus Hiſtoricis petiti valore*, quam Reverendiſſimo D. P. Guilielmo Clarcke, Societatis Jeſu, Catholicæ Majeſtatis a Confeſſionibus & conſiliis nuncupavit ejuſdem Author D. Didacus del Corro, Eccleſiæ Metropolitanæ Hiſpalenſis Portionarius, Scriptor ſane non proletarius, ſed multa & ſelecta eruditione, ac ſolido Vir judicio. Authoris ſcopus eſt, opinionem evertere Reverendiſſimi P. Emanuelis Cajetani de Souſſa, qui in *II. Appendice* Expeditionis Hiſpanicæ S. Jacobi Apoſtoli, graviſſimam authoritatem Breviarii Romani in Re Hiſtorica, eo, uti Author conjicit, conſilio, fundare annixus eſt, ut firma redderet, ſi poſſet, mira ac fide omni humana majora Acta S. Petri de Rates & alia hujus commatis, quæ in *Hiſtoria ſua de Adventu S. Jacobi* probanda ſuſcepit. De Souſſæ opinione quid nobis ſentiendum videatur, forte nonnihil ſub cognomine *Souſſa* in quarto & ultimo hujus *Bibliographiæ* volumine dicemus, ubi & ejus argumenta parum efficacia videri monſtrabimus; quæ vero pro ſua ſententia affert Author Diſſertationis, omnia ferme prudentiſſime & eruditiſſime ponderavit Eminentiſſimus Dominus meus Purpuratus in Cap. XIII. ſecundæ Partis libri IV. *de Breviario Romano & ejus authoritate, aliiſque nonnullis rebus quæ pertinent ad Officia Divina*. Hæc ſi Author Diſſertationis vidiſſet, vel abſtinuiſſet forſan ab incepto ſeu meditato Opere, vel novo lumine illuſtratum, maximique ponderis authoritate ſuffultum evulgaſſet. Vide in hac *BIBLIOGRAPHIA* ſub titulo *Bibliotheca Occulta Concionum*.

UAB Biblioteca de Ciències Socials

JUDICIUM II.

ROMANUM

DE SS. D. N.

BENEDICTI XIV.

OPERIBUS

IN DUODECIM TOMOS DISTRIBUTIS

Editionis tertiæ auctioris, & castigatioris

AD USUM ACADEMIÆ LITURGICÆ CONIMBRICENSIS

ROMÆ APUD NICOLAUM, ET MARCUM PALEARINOS.

I Reverendissimi PP. Canonici Regolari della Riforma ultimamente fatta in Portogallo, bramosi d'insinuare tra loro stessi, e in tutto quel Regno un miglior gusto ne' studj sacri e provvedere insieme di un erario inesausto della più rara, e scelta erudizione la nuova Cattedra di Sacri Riti eretta da essi in Coimbra: fin da tre anni applicaronsi a far eseguire in Roma una terza vie più esatta, e copiosa ristampa di tutte le immortali Opere del fu nostro Sommo Pontefice BENEDETTO XIV. felicemente regnante, divenute oramai già rare, anche dopo la seconda edizione fattane in Padova non ha gran tempo. Mercè l'assidua, e diligente cura del Reverendissimo P. Emanuele de Azevedo Gesuita Consultore, e Lettore de' Sacri Riti nel Collegio Romano, e già sul publicarsi il settimo Tomo, che contiene alcune Appendici alla celebre, nè mai bastevolmente esaltata Opera sulla Beatificazione, e Canonizzazione de' Santi. Noi nel ragguagliare il Pubblico de i felici progressi di questa terza edizione assai più delle altre corretta, e di bellissime aggiunte notabilmente accresciuta, stimiamo di non dispensarci dal commendare il saviissimo pensiero di que' degni Religiosi, che con tanto impegno l'han procurata. E che di meglio poteasi scegliere per luce e scorta de i sacri studi Liturgici, che queste Opere pregiatissime? Quella sola, che tratta della Canonizzazione de' Servi di Dio, bastar potrebbe a giustificare, e render paghe le loro idee, per quanto si fossero grandiose. Opera invero è ella questa di tanta importanza per una parte, e insieme per l'altra di tanta pienezza, erudizione, e profondità, che non solo serve al presente, e servirà in tutti i tempi avvenire di Norma, e Testo irrefragabile su cotal fatta di Cause le più scabrose, che trattinsi in questa Curia; ma si ha riscossi meritamente i più vivi applausi, & ammirazioni di tutte le Accademie, e Letterati di Europa. Eransi non v'ha dubio, ne' passati tempi ancora applicati molti Valenti Uomini ad illustrare chi una parte, e chi un'altra di tal materia; l'esaurirne però tutta la vastità sua, il trattarla con un ordine, e precisione la più aggiustata, con una chiarezza incomparabile, con una critica saviissima insieme, e penetrante, l'arricchirla di nuovi metodi, e lumi interessantissimi, il fornirla di quante mai cognizioni potea somministrarle, o la Teologia tanto Dogmatica, che Scolastica, o la Storia sì profana, che sacra, o il Jus tanto Canonico, tanto Civile, e Criminale, o finalmente la più moderna, e soda Filosofia: era riservato al nostro illuminatissimo secolo, e in esso al singolarissimo ingegno, finissimo giudizio, e vastissima erudizione di questo Sovrano Scrittore. Non può scorrersene senza un'attonita ammirazione anche un solo volume, tanti sono i sacri Canoni, i Concilj, i SS. Padri, i Teologi, gl'Istorici, i Filosofi, i Giuristi, i Medici, gli Anatomici, gli Scrittori in somma di qualunque sorta, i quali tratto tratto, secondo le opportunità, con non minore scelterza, che abbondanza, in conferma delle dottrine vi son citati. Potria parere impossibile, come mai un sol' Uuomo tanto avesse letto, e raccolto di erudizione in ogni genere, se già nota al Mondo non fosse la vasta mente, e i prolissi, non interrotti studj, ne' quali l'immortal Pospero Lambertini ha passato, e tuttavia passa a comun vantaggio il più, e il meglio del viver suo.

Sortì egli dalla natura uno spirito a maraviglia elevato, per non acquietarsi su qualunque punto gli si affacci da esaminare, finchè a forza di accurate ricerche, non ne giunga alla pieniissima cognizione, e alle più accertate idee, che fia possibile ad un Uomo di concepirne. Quindi nei 20. anni, che da Prelato occupò il posto di Promotor della Fede, non contento di quelle notizie, che per le cause de' Santi Somm.i istruir poteva al suo impiego la pura pratica di quel Tribunale, ne andò con indefessa applicazione, e lettura investigando da se tante altre, che potè poi compilarne que' maravigliosi Tomi, de' quali ora parliamo, e che anche soli basterebbon o a dichiarar portentoso il suo sapere. Se poi vi si aggiunga ciò che in mille altri generi ha dato a luce in tempo del suo Cardinalato, & anche nella suprema Dignità di Pontefice, che occupa adesso con tanta gloria, si vedrà chiaramente, che nessuno Scrittore mai de' passati, e presenti tempi potrà rinvenirsegli superiore, ed assai pochi da porglisi al paragone, o sia per acutezza d'ingegno, o per sodezza, e varietà di dottrina, o per isquisitezza, e vastità di rara erudizione. Poco sembrò a lui lo scorrere colla più profonda penetrazione quanti Scrittori Cattolici potean somministrargli delle opportune notizie; passò in oltre con sagacissimo accorgimento ad esaminare altresì le Opere de' più accreditati tra gli Settarj, e non lasciando di confutarle con egual sodezza, e moderazione, ove le scorge apposte a i Cattolici insegnamenti, nè ricusandone il peso, e l'autorità, ove le ritrova giuste, ed esatte: mentre in tal modo per una parte vie più illustra, e corrobora le sue dottrine, disarma per l'altra quello spirito di partito, e di avversione, che negli Eretici suol venir fomentato dal disprezzo, ed aspre maniere, che usan taluni con esso loro.

Non farebbe, che un effetto di cieca prevenzione, o mancanza di cognizioni e di lettura, il non riconoscere tra gli Eterodossi, nulla meno, che tra i Gentili, Uomini per ingegno, e sapere così eccellenti, che molte materie han trattate colla più fina esattezza, e ad essi si debbono molte belle scoperte nelle scienze. Per la qual cosa o chi scrive non si prende briga di scorrerli, e già priva le sue opere di una interessantissima parte di erudizione, e ponsi a rischio di stabilire sentenze già da altri riconvenute manifestamente per false: o le scorre, e ne ricava de' lumi, ma senza citarne gli Autori, e già manca a quella sincera onestà, che professar deve un Letterato, e si espone ad essere con rossore deriso per Plagiario. Oltre di che è scioco bastevolmente, perchè tal si ravvisi da ogni Uom di senno, quel vanissimo zelo di alcuni, che stimano offesa fatta alla Religione il citare un Eretico, l'approvarne anche un sol detto, il non mostrar dell'orrore a i lor nomi, e a qualsivoglia loro dottrina: e quando al più al più ne han riferite, e confutate con delle insipide befle le più viete loro opinioni, e gli han tutti spacciati per una man d'ignoranti; allor si lusingano, se piace al Cielo, di aver messi i Cattolici dogmi al sicuro da i loro assalti, e senza curarsi di risapere, o i nuovi errori, o le nuove conferme, che pur troppo di giorno in giorno van producendo, vagar le lasciano impunemente, con isvantaggio gravissimo della vera

 Legge

Legge di Gesù Cristo. Certamente rifletter dovrebbon costoro, che nulla men' empj, e dalla nostra Fede lontani son que' Platoni, quegli Aristotili, que' Seneci, e que' Tulli, i testi de' quali miran pur' essi con del piacere addotti, e lodati frequentemente dagli Scrittori. Anzi presso un S. Tommaso d' Aquino, uno Scoto, ed altri Scolastici in gran numero, che hanno trattata la Cristiana Teologia, non incontransi ad ogni passo addotte con approvazione, e in conferma de' Cattolici insegnamenti, le dottrine de i Stagiriti, degli Averroi, deli Avicenni, empj Filosofi, e maestri pestilentissimi? Non trovansi ne' Cattolici libri sovente citati gli Origeni, i Tertuliani, gli Arnobj, i Lattanzj, e gli Eusebj, tuttochè errato abbiano in molti punti di Religione? Non leggonsi nelle pregiatissime opere del Mabillon, del Bossuet, del Calmet, e di altri celebri e dotti Scrittori de' nostri tempi, ove seguiti, ove lodati gli Erasmi, i Grozi, i Bustorfj, i Cappelli, i Bocharti, i Vossi, ed altri Settarj, come pure i Rabbini Ebrei? Convien dunque distinguere le sentenze opposte in qualche modo alla religione, e quelle, che non lo sono in verun conto; nelle prime van senza dubbio lontani dal vero gli Eretici, e quella qualunque forza, che sembra a loro di riconoscervi, non è, che effetto di false prevenzioni: nelle seconde però sono a portata di conseguire la verità nulla meno, che noi, e forse più ancora, se più vi si applicano con impegno, nè al certo cangia natura la verità, sol chè rinvenuta fu da un Eretico: *Numquid*, dice Gelasio Papa, e lo rafferma il Baronio sul fine della Prefazione a' suoi Annali, *numquid in ipsorum Hereticorum libris non multa, quæ ad veritatem pertinent, posita relegantur? Numquid ideo veritas refutanda est, quia illorum libri, ubi pravitas est, refutantur?*

Per la qual cosa siccome un esatto Scrittore Cattolico, che tratti materie di Religione, legger dee, colle debite licenze, e riferire ciò, che in contrario van producendo i Settarj massimamente moderni, per applicar prontamente al veleno colla confutazione l' Antidoto; così in materie indifferenti ogni equità richiede, che approvi le loro scoperte, se le rinviene vantagiose, e conformi al vero. Anzi alle cose stesse di Religione giova sovente volte assaissimo il confermarle colle dottrine degli Eretici, e mostrar così, che la verità, e rettitudine de i Cattolici Dogmi, e Costumanze tanto più merita di esser da loro riconosciuta, quanto che si confà con certi principj, ch' hanno essi stessi insegnati. Per cotal modo Giustino, Tertuliano, S. Clemente Alessandrino, S. Gregorio Nisseno, S. Girolamo e S. Agostino, singolarmente nella Città di Dio, costumarono spesso di lodare alcuni fatti, e di ammettere alcune Massime sì degli Eretici, che de i Gentili, per così meglio convincere e gli uni, e gli altri della Santità del Vangelo, e disporli ad entrare nella vera Chiesa. In somma quel mostrar di far conto del lor sapere, quel citare con opportuna, e giusta lode le loro opere, quel rigettarli bensì, ove si oppongono alla nostra Fede, o a' nostri Riti, ma con rispetto, e moderazione, e colla sola forza de' documenti, non solo è conformissimo a quello spirito di mansuetudine, e carità, che dee formar la Caratteristica della vera Chiesa di Gesù Cristo, ma serve mirabilmente a ficurar gli animi de' Settarj, e disporli così, se non a risolversi di abbracciare, al manco a riguardar con meno di avversione la comunion nostra. Ove al contrario il vederli trattati con un contegno di soverchio sprezzante, ed imperioso, posposti agli Scrittori meno accurati, ed esatti, caricati di villanie e derisioni, talmente non giova punto a rimuoverli da' loro errori, che anzi vie più ve li rende ostinati, ed inasprendone gli animi, fa sì, che ci riguardino, non come zelanti di lor salute, ma come vogliosi di loro depressione, ed avilimento.

Animato da simili pur troppo vere riflessioni il nostro insigne Scrittore, nella dottissima Prefazione messa innanzi a' suoi maravigliosi Commentarj *de D. N. Jesu Christi, Matrisque ejus Festis &c.* dell' edizion Padovana, rendendo ragione del perchè *Auctores Hæretici in hoc Opere ita nominantur, ut in eos nihil inclementer dictum sit*, altamente protesta, che *auctori persuasissimum est, injuriis & maledictis nihil quicquam profici*; anzi che *ab omni honestate alienum fuisset, heterodoxos Auctores maledictis proscindere, qui vel in ea re, de qua agitur cum Catholicis sentiunt, vel in aliqua quæstione, de qua inter se Catholici digladiantur, eas sequuntur partes, a quibus Auctor stare se profitetur*. Noi esortiamo chiunque a leggere questa magistral Prefazione, anche perchè resti persuaso, meritar la sua lode, ed aver ben' egli il suo vantaggio il farsi uso nell' Opere Cattoliche dell' Erudizione, tratta da' libri de protestanti. Quindi il nostro chiaro Scrittore oltre applicarsi a scorrere i più dotti, e recenti lor libri, se n' è poi valuto, non tanto di splendido ornamento alle divine sue Opere, quanto di conferma alle sodissime sue dottrine, e di rinforzo ai più celebri Autori Cattolici: con tal savierza però, e circospezione, che o ne rigetti, o ne approvi i sentimenti, non altro si ravvisi in lui, che un sincero amore di verità, senza dar' ansa a i Settarj che cita, nè d' insolentirsi, come meglio addottrinati nelle sacre cose, nè di esacerbarci, come trascurati, e vilipesi in ciò, che dottamente han trattato. Sarebbe desiderabile, che un così giusto esempio seguito fosse in appresso dagli altri Cattolici, che scriveranno, sì per lo gran Personaggio, che lo autorizza, come ancora per l' ottimo evento che ha poi sortito. Conciossiachè con prodigio (siami lecito così chiamarlo) raro certamente, e maraviglioso, si è visto, che i più celebri tra gli eruditi Eretici, sorpresi non meno da una sì saggia maniera di scrivere, che dalla singolare erudizione, e sapere dello Scrittore, deposto ad un tratto quell' astio innato, che avevano con tutto ciò, che appartener potesse a i Romani Pontefici, nel solo BENEDETTO XIV. han cominciato a venerarli, e a mostrarne publicamente mille magnifiche significazioni di vera stima.

Basta legere i tre Ragguagli della suddetta Opera sopra la Beatificazione, e Canonizzazione de' Santi, stampati in Lipsia da que' savissimi Giornalisti, all' anno 1740. e 1741. per vedere, con qual rispetto, e venerazione abbiano essi riguardate le materie spettanti alla Religion Cattolica, tosto che se le son viste presentare, quasi in una nuov' aria, dal gran Prospero Lambertini. Non mai ramentano l' Autore, che con Epiteti onorevolissimi: non altrimenti cominciano il primo ragguaglio, che di questa foggia: *Quod felix, faustumque, & perenne sit, jam literæ bonæ & mansuetæ in Italia vigent, iisque, quorum ad exemplum cuncti ora animosque convertunt, Musarum non solum sunt patroni, sed magna etiam ex parte operam ipsi studiumque scriptis operose nitideque evulgandis impendunt*. Così lo cominciano, nè altrimenti lo terminano, che colle seguenti splendidissime espressioni: *Vix suppetunt nobis vires ad verba utcumque invenienda, quibus diligentiam adamantinam, notitiam antiquitatum Christianarum vastissimam, Theologiæ scholasticæ ac liturgicæ peritiam insuetatam, quam Summus Pontifex in hoc Opere elaborando posuit, pari suo meritoque prædicemus. Prospicimus jam auream illam ætatem, quam summus hic maximusque rei literariæ & eruditionis pulcherrimæ Stator & Fautor orbi erudito est infusurus, atque largissime cum omnibus bonis communicaturus. Quæ spes plurimos adeo alit, obfirmatque, ut ipsi bonores novos nos quoque congratulemur*. Sul terminare poi la relazione della prima Parte del Tom. IV. così si esprimono: *Lectio multijuga, ordo, mascula & argumento dignissima dictio, doctrina admodum vasta, eruditio ex omni parte diffusa, atque peritia Historiæ, Theologiæ, Jurisque Canonici amplissima, hic adeo emicant lucemque spargunt, ut, licet hoc opus a Pontifice Romanæ Ecclesiæ haud fuisset literis commendatum, universi tamen rerum literariarum æstimatores haud iniqui aperte fateri debeant, libro huic in suo genere atque argumento ab Ecclesia Romana principatum esse deferendum; hunc que illis ipsis, qui vel plusculum, vel nonnihil ab ea dissident, summam ingerere admirationem posse, multamque discendi materiam suppeditare universis*.

Non mostrossi punto men parziale di questa grand' Opera il Predicante Gio. Filippo Essich in una sua Dissertazion Teologica *de eo quod licitum est circa picturam imaginum SS. Trinitatis, & Personarum Divinarum*, recitata da lui, e stampata in Tubinga l' anno 1746. In più, e più luoghi, ove ne cita de' passi, se n' esprime con termini di profondo rispetto, e di stima, come alla pag. 5. con le seguenti parole: *Modernus Ecclesiæ Romanæ Pontifex BENEDICTUS XIV. quo per multa sæcula non fuit eruditior alter; in vasto doctrinæ Opere de Beatificatione & Canonizatione &c.* E nelle note alla pag. 12. disputando, chi deva intendersi sotto il nome *Domenedius* usato da S. Paolino Vescovo di Nola, così favella: *S. Petrum significari existimat BENEDICTUS XIV. tum lib. IV. part. 2. cap. 20. §. 3. fol. 188. libri vastissimi de Beatificatione, & Canonizatione Servorum Dei, tum in epistola ad Episcopum Augustanum fol. IX.* Finalmente dopo più altre citazioni; che di mano in mano ne va facendo, per confermare l' opinion sua, che possansi dipignere, o scolpire le tre Persone della SS. Trinità, pag. 16. scrive: *Ipsemet, cum adhuc Cardinalis esset, Prosper de Lambertinis in vasto illo de Canonizatione Servorum Dei opere, l. c. & illas adprobat imagines &c.* Dal che si raccoglie, quanto letta sia, ed in che conto tenuta questa grand' Opera dagli eruditi Eretici, non senza vantaggio di nostra Religione.

Si odan' ora que' recenti Giornalisti di Olanda, che preso l' impegno di ragguagliare il Mondo Letterario de' soli libri, che di mano in mano van dando a luce gl' Italiani, pubblicarono già l' anno scorso 1748. il primo Tomo, nè pensarono di poterlo meglio condecorare, che dandogli principio col ragguaglio di un' Opera di SUA SANTITA' sopra le Feste del Signore, e di Maria Vergine, e sopra il Santissimo Sacrifizio della Messa. Parlano essi tanto dell' Opera, che dell' Autore, con sentimenti così devoti, che più non si farebbe in qualunque Città Cattolica, e in Roma stessa. Eccone per disteso l' espressioni. „ Nous ne saurions commencer nôtre Journal par „ un Ouvrage plus illustre que celui ci. Si l' on veut faire at„ tention à son Auteur, il sera difficile d' en trouver d' aussi „ respectable, puisque c' est BENOIT XIV. Souverain Pon„ tife aujourd' hui regnant. Il est bien rare de trouver des „ Princes parmi les Auteurs. Les Oeuvres de celui ci convain„ cront aisement qu' il égale tous ses Prédécesseurs en zèle, & „ qu' il les surpasse en érudition; quoique plusieurs de ceux „ qui ont occupé la Chaire de S. Pierre avant Lui, aient été „ regardé avec justice comme trés-savans. Si l' on veut s' ar„ rêter à la matiére, on ne peut que la trouver des plus in„ téressantes, & des plus dignes de la curiosité. Elle contient „ non seulement l' Histoire de JESUS CHRIST, & de MARIE „ sa Mere; mais encore les points les plus beaux de l' Histoi„ re Ecclesiastique, & de la Critique sacrée. Le Pape écrivit „ cet Ouvrage dans le tems qu' il n' étoit encore qu' Archevê„ que de Bologne. Son intention étoit d' engager son Clergé „ à se livrer à l' étude de l' Histoire Ecclesiastique, & à celle „ des matieres de Controverses. Ce beau Livre sortit de ses „ mains en l' année 1740. Il étoit écrit en Italien, imprimé

„ à Bo-

UAB Biblioteca de Ciències Socials

„ à Bologne, & il fut dabord réimprimé à Veniſe. On en
„ commença bientôt après une verſion latine a Wirzbourg
„ dont le public vit paroître avec plaiſir le premier Volume
„ in 12.; il lui aplaudit. L'Edition que nous annonçons fut
„ enſuite miſe au jour, & le latin fut regardé comme très
„ beau & très pur **** Rien ſans contredit de plus néceſſai-
„ re, rien de plus à ſouhaiter pour l'Egliſe, que de la voir
„ ſervie par des perſonnes inſtruites à fond de tous les Myſté-
„ res qui la regardent. L'ignorance, où il n'a été que trop
„ commun de voir croupir les Eccleſiaſtiques, la malice & l'
„ orgueil des méchants, ont été la Tige d'où tous les mal-
„ heureux Schiſmes qui ont déchiré l'Egliſe de DIEU, & la
„ déchirent encore de nos jours, ont pouſſé leurs pernicieuſes
„ racines. Combien ne ſeroit il pas à ſouhaiter, que tous les
„ Evêques entraſſent dans les vûës de leur Souverain Chef?
„ Ces Saintes vûës produiroient ſans doute beaucoup d'admi-
„ rables fruits, ſur tout dans ce ſiécle, où nous avons vû
„ avec admiration d'excellens Théologiens, même parmi les
„ Seculiers **** L'Illuſtre Auteur parcourt ſelon l'ordre du
„ Calendrier toutes les Fêtes de Nôtre Seigneur. Il fait non
„ ſeulement l'Hiſtoire du Myſtére que l'Egliſe a eû inten-
„ tion de rappeller aux fideles, & de leur faire célébrer, mais
„ il traite auſſi au long les queſtions qui dépendent de ce Mi-
„ ſtére: ce qu'il y a de beau, c'eſt qu'il les traite avec la
„ derniere clarté, & l'érudition la plus vaſte. Nous ne préten-
„ dons point lui donner de loüanges; nous voulons ſeulement ca-
„ racterîſer par là autant qu'il nous eſt poſſible, ſon heureux ge-
„ nie, & ſa maniére d'ecrire, qui eſt des plus admirables &c.

Succeda il ragguaglio, che della ſteſſa Opera *ſopra le Feſte del Signore &c.* fu dato dal celebre Federico Willelmo Krafft all'Accademia Giorgio-Auguſta, ed è regiſtrato in lingua Teſca nella nuova Biblioteca Teologica: *Præſens Caput*, così egli favella: *Præſens Caput ſuppremum Eccleſiæ Romanæ Catholicæ magno ei honori eſt. Nam preterea, illud uſque ad hanc diem de ſcientiis adhuc bene meritum eſſe, jam Cardinalis, magnis, & a Doctis bene acceptis Operibus, nomen ſuum in orbe erudito & Eccleſia ſua immortale reddiderat* **** *Jam mihi contigit, ut duplex opus de Feſtis Jeſu Chriſti Matriſque ejus & de Miſſæ Sacrificio, quod, ut ſupra dixi, Patavii eodem prælo, & quidem uno titulo, ſubjectum eſt, perluſtrare potuerim. Minime credendum, quaſi in illo relationis ſolum aut mandata legantur, quæ ad ordinationem cultus divini publici pertinent. Præter hoc, explicantur loca Scripturæ ſacræ, diſquiruntur quæſtiones controverſæ, res momenti ex Hiſtoria Eccleſiaſtica decidunturs, & multæ allegantur ſententiæ eruditorum, ad Eccleſiæ deciſiones, vel celeberrimorum & maxime piorum Doctorum ipſius, confirmandum aut explicandum* **** *Opus illud Catholicis atque Proteſtantibus uſui eſt. Ambo in illo ordinem, Scriptorem multa lectione exercitatum, bene adplicatam antiquitatum cognitionem, id, quod plerumque eruditio vel potius literatura adpellatur, nec non, exceptis ſcolaſticis obſcuritatibus, quas Auctor in ſcriptis ſtudioſe verſatus paſſim intermiſcuit, perſpicuitatem laudabant. Ubi vero Proteſtantes datis explicationibus rebuſque pertractatis aliquo modo aſſentiantur, ſecundum promiſſum, abſque vituperatione, attamen etiam ſine laude, allegantur.* Dal che non ſolo confermaſi l'alta opinione, che del noſtro Autore nutriſcono i Proteſtanti, ma per confeſſion de' medeſimi altresì raccogliesi, eſſere ſtato sì moderato l'uſo, cui de' loro Scrittori ha fatto il Pontefice nelle ſue Opere, ch'eſſi non ſan chiamarſene appieno ſoddisfatti.

Nè i ſoli Eretici Giornaliſti, e que', che portati ſono per gli ſtudj ſacri, ma i Profeſſori altresì de' profani, moſſi dalla ſtrepitoſa fama del vaſto ſapere di queſto noſtro Gran Pontefice, han gareggiato nel fargli le più diſtinte dimoſtrazioni di oſſequio, e di ſtima. Quindi il celebratiſſimo Profeſſore di Fiſica in Vittemberga Giorgio Mattia Boſe ſi recò a vanto di trammettergli una copia nobilmente legata de' ſuoi feſtoſiſſimi, e dotti Commentarj ſopra gli Elettrici eſperimenti, e le nuove ſcoperte da lui fatte ſu tal materia, mettendo di proprio carattere in fronte alla ſteſſa copia la ſeguente nobiliſſima Iſcrizione.

BEATISSIMO PATRI
BENEDICTO XIV. LAMBERTINO
PONTIFICI MAXIMO,
APOLLINI ITALICO,
PROTECTORI MUSARUM,
SCIENTIARUM STATORI
DEVOTISSIMA MENTE
OFFERT, CONSECRATQUE

Humillimus Servus
Boſe Prof. Wittemberg.

Che più? Un elegante Poeta Latino avendo nel 1742. dato in Londra alle ſtampe una raccolta di ſpiritoſi componimenti col titolo: *Senilia, ſive Poetria aliquot varii generis tentamina*, godè toſto di preſentarne per fin di là a queſto Apollo della Letteratura una ſuperbiſſima copia con una lettera, cui ci è poi riuſcito di qui traſcivere, affinchè ognun riconoſca, quali ſentimenti di ſincero applauſo, e di venerazion abbia per un tal Pontefice concepiti fin la remota Inghilterra, più che pel mare, diviſa ora da noi per la Religione. Eccone adunque la lettera. *Michael Maittaire SS. Patri D. Papæ BENEDICTO XIV. P. O. M. S. P. D. Memoriæ traditum eſt, aquam a paupere colono oblatam Alexandro non diſplicuiſſe: Neque tua,* BEATISSIME PATER, *egre feret Clementia, ſibi hoc mitti ab extraneo homine ignoto, & apud Britannos toto Orbe penitus diviſos commorante, munuſculum. Non iterum diffitebor me ambitione quadam, haud tamen (ut puto) illaudabili & erubeſcenda, fuiſſe inductum, ut hic in extremis Europæ oris plurimos ex viris primariis fautores nactus, in regionibus quoque tranſmarinis conarer illius, qui ſummum Principatum obtinet, gratiam mihi conciliare. Ab hoc propoſito me fere abſterruerat ingens inter celſiſſimum Sedis Apoſtolicæ culmen, & humillimam meæ conditionis tenuitatem ſpatium. Mihi nihilominus ſpero condonatum iri: fas enim eſt mortalibus ſua dona exilia ad aras ipſas Numini conſecratas ſuppliciter deferre. Porro cum norim, Te non minus propter ſingularem erga litteras benevolentiam, quam propter omnes reliquas virtutes primo Eccleſiæ Pontifici neceſſarias eminere; neutiquam dubitavi* TUÆ BEATITUDINI *offerre hoc officii mei quantulumcumque pignus, exiguum hoc literarium ex hortulo meo excerptum florilegium. Si Tibi in arduis permagni momenti negotiis (Europa præſertim nunc temporis periclitante) occupatiſſimo vacaret, aliquot hujus libelli paginas evolvere; nonnulla forſan occurrerent, quæ (gloriole modo detur locus) poſſent legentem aliquantiſper detinere. Fuit mihi religio argumenta eligere nonniſi ſeria; nulla aut nimis ludicra, aut honeſtis caſtiſque moribus repugnantia; plurima ex ſacris Codicibus deprompta, ſaniſque Fidei Catholicæ ſcitis convenientia: qualia (ſi venia impetraretur) non fuiſſet temerarium,* TUÆ SANCTITATI *dedicaſſe. At utinam ſublimia illa argumenta prout dignum eſt, fuiſſent a me tractata. Utinam Chriſtum* ΑΡΩΝΙΖΟΝΤΑ (*pag.* 22.) *& Crucifixum* (*pag.* 24. *verſibus materiæ tam excelſæ paribus enuntiare, aptiſque coloribus depingere liciſſet! Sed hic labor humano captu, viribus humanis ſuperior Angelicam lyram, pennicillum poſtulat Angelicum: requirit eloquium D. Pauli in Paradiſum rapti inimitabile; & (2. Corinth. XII. 4.)* ὁήματα ἄρρητα, ἃ οὐκ ἐξὸν ἀνθρώπῳ λαλῆσαι. *Vale Pontifex Maxime. Te diu ſervet incolumem Dei Optimi Maximi Providentia. Londini. Ex muſeolo* CIↃ. ↃCC. XLIII. XIX. *Kalend. Septemb.*

Chiuda finalmente la ſchiera de' Paeſi Proteſtanti il famoſo Ottone Menckenio noto al Mondo per le ſue eruditiſſime Opere Filologiche, il quale ſcrivendo di Lipſia, ad un inſegne Perſonaggio di queſta Corte così ſi eſprime. *Id unum ab humanitate Tua haud difficilime impetraturus ſpero, ut facti audacius ſuſcepti mihi veniam concedas, nec indignum me habeas, quem aut ipſe in numerum Tuorum referas, aut, cum tuleris occaſio, ſummo Pontifici* BENEDICTO XIV. *Sanctiſſimo illi virtutum exemplari, & litterarum per Europam omnem tutelæ Deo, commendes. Vidiſti fortaſſe, Princeps illuſtriſſime, quæ nuper in Actis noſtris de hujus Virorum Maximi immortali Opere, feſtorum, quæ Chriſto, & Mariæ ſacra ſunt, antiquitates enarrante, non ſine mentione virtutum tanti Pontificis, ex inſtituto diximus. In quibus cum illud nobis in primis curæ fuerit, ut Auctori ſummo eum, quo vere omnium confeſſione dignus eſt, honorem haberemus, eidemque noſtrum & pietatem, & commemorandi ſolertiam probaremus; videbimur nobis, ſi idipſum aſſecuti fuerimus, ex voto noſtro, ſupremum felicitatis, quæcumque nobis exſpectari unquam poteſt, apicem attigiſſe.* Poteaſi con più di ſincera ſtima, e di venerazione parlar del noſtro Pontefice da qualunque Cattolico oſſequioſiſſimo?

Or da tutti queſti magnifici applauſi è facile ad ognuno il raccogliere, quanto egli col ſuo ſapere, col ſodo e convincente proſpetto, in cui ha meſſe le ſue dottrine, e finalmente col ſincero e ſpaſſionato modo di ſcrivere, abbia tolto nell'eretiche Provincie di quella riſentitiſſima avverſione a i primi Perſonaggi della Chieſa Romana: e quanto in vece coll'ammirazione delle ſue Opere vi abbia eccitato di ſtima, e di veneratione non meno alla ſua perſona, che a' ſuoi Cattolici inſegnamenti. Per verità i Giudizj fin qui deſcritti a così alto pregio ſollevano la di lui dottrina, ed il nome, che ſuperiore di lunga mano lo rendono a qualſivoglia invidia, ed eccezione. Giacchè ſe, eſſendo veriſſimo, che *qui inimicus eſt, etiam in ſcirpo nodum quærit*, giuſta l'avvertenza di S. Girolamo *in Epiſt. ad Pammach.*: tuttavolta i Settarj, mal grado l'innata contrarietà, che nutriſcono per quanto appartiene a queſta Santa Sede, pur ſi ſon viſti coſtretti a tanto encomiare ed applaudire alle Opere non ſolo di un Pontefice, ma, quel che è più, intereſſantiſſime la Cattolica Religione: non in vero rinvenir non ſapremmo teſtimonj di queſti o più onorifici, o più accertati, per ingerire una degna ſtima del ſingolar merito di queſt'Opere iſteſſe, eſſendochè per conferma del ſopraccitato S. Girolamo, *illud verum eſt teſtimonium, quod ab inimica voce profertur.*

Che ſe i Regni, e le Provincie Eretiche tanto di merito han ſaputo riconoſcere ne' Libri di queſto noſtro Scrittore veramente Maſſimo, penſi ognuno, con qual ſtima, e venerazione ſieno ſtati ricevuti dalle nazioni Cattoliche, le quali ne reſtano inſtruite, ed ammaeſtrate in tanti punti rilevantiſſimi. Noi tralaſceremo il lungo Dettaglio, e gli Encomj fattine in Francia dai Giornaliſti Trevultiani nel meſe di Luglio 1735.: tralaſceremo ancora la nobile verſion Franceſe, che ne ſta travagliando l'eruditiſſimo P. Demenous Geſuita inſiem con altri ſuoi Colleghi, ſomminiſtrandoci un aſſai più ſplendido ed auto-

revole monumento dell'alta ſtima, che gode in que' Stati il noſtro Sovrano Scrittore, nulla meno, che dal gran Parlamento di Parigi in un Arreſto ſotto i 25. Giugno 1748. In eſſo quell' Auguſto Senato sì perſpicace conoſcitore, e vero, degli altrui meriti, ma inſieme, a riguardo della pubblica autorità, che gode, sì riſervato, e cauto nell' encomiare, conteſtando l'obbedienza, e il riſpetto di quel Criſtianiſſimo Regno al capo viſibile della Chieſa, non dubitò di aggiugnere „ reſpect qui reçoit un nouvel accroiſſement par les vertus, „ & la profonde ſageſſe du Pontif, qui remplit aujourd' hui „ ſi dignement le ſiege Apoſtolique „. Teſtimonio è egli queſto, a chi attentamente per ogni verſo il conſideri, d'immortal vanto, e ſingolariſſimo.

Paſſiam'ora a dar ſaggio dall'ammirazione, che il chiariſſimo noſtro Scrittore ſi è riſcoſſa ne' Cattolici Regni di Spagna, e ne vien manifeſtata dall'eruditiſſimo P. Girolamo Feyoo Benedettino, noto al mondo Letterario per varie belle Opere, che ha date a luce. Riſaputo queſti, che dal noſtro Pontefice nel dottiſſimo Breve diretto a tutti i Veſcovi dello Stato Eccleſiaſtico ſopra il regolamento da tenerſi nelle Muſiche delle Chieſe, era ſtato fra gli altri citato un ſuo libro: a tanto onore ſel reputò, che in una lettera ſcrittane ad un Prelato Domeſtico di S. S. ſe n'eſpreſſe con queſti termini. *Præ magnitudine gaudii commota ſunt omnia viſcera mea, ut conſpexi Summum Pontificem, & talem Pontificem, tantis totque dotibus ornatum, nempe ſummam dignitate, ſummum doctrina, ſummum pietate, ſummum prudentia, ſummum dexteritate politica, ſummum fortitudine, ſummum ceſtitudine animi, non dedignatum eſſe ſcripta mea quandoque oculis admovere, aliquidque ex illis decerpere, tali non inepcum ad oſtendendam dominis Epiſcopis, quanam deceat in divinis officiis vocum & inſtrumentorum modulatio. Cum nuper Rex Catholicus tutuitu operum, quæ in lucem edidi, quaſi hæc Hiſpaniam eruditionem aliquatenus aſpectabilem reddiderint apud exteras nationes, me titulo Conſiliarii ſui decoravit, adjunctis omnibus præeminentiis huic muneri annexis, quod nulli hucuſque ſcriptori in Hiſpania conceſſum, exiſtimo nihilominus, quod apud omnes æquos rerum æſtimatores multo magis me nobilitare in republica literaria Pontificis erga mea ſcripta favor, quam premium, licet eximium, iiſdem Regia liberalitate præſtitum, cum nemo ſit alicujus inter Eruditos nominis, qui non ſuſpiciat in Sanctiſſimo Domino noſtro, præter omnigenam ſapientiam, ad normam rationis delicatiſſimam & ſolidiſſimam criticem &c.* Or da eſpreſſioni così vive, e gloriose può riconoſcerſi di leggieri quell'alta ſtima, in cui tengonſi in Iſpagna le Opere, ed il ſapere del noſtro egregio Scrittore.

Egualmente viva fu la gioja, che dal ſolo avere ſcorſi i primi Tomi di queſte Opere ſperimentò Monſignor Veſcovo di Coimbra, gran vanto, e ſplendore della nuova Riforma de Canonici Regolari di Portogallo, ond'egli fu il primo Generale: ed eletto poſcia al Veſcovado, lo eſercita ora con univerſa fama di ſingolariſſimo zelo, eſemplarità, e dirittura. Egli adunque in una lettera, che di là ne ſcriſſe in Roma al Rev. P. Azevedo così dice: *Significare tibi vix poſſum, quanta perfuſus ſim animi voluptate, cum prima volumina Operum BENEDICTI XIV. Pontificis vere maximi, huc a te tranſmiſſa in manu habui, avidiſſimeque pervolvi. Equidem ſic exiſtimo, nihil præſtari huic Regno utilius potuiſſe, quam eorundem copiam; in iis quippe quidquid ſacræ doctrinæ, atque eruditionis eſt, tam ſplendide, tam appoſite, tam ſapienter collectum video, ut his ſolis voluminibus pene mihi ſtare videatur poſſe Catholica Religio, ac diſciplina. Proh! quanta Sanctorum Patrum, quanta ſacrorum Canonum, quanta Conciliorum, Theologumque, & quam profunda cognitio! Proh quæ ſacræ vetuſtatis omnigena monumenta! Quæ legum, rituum, morumque Eccleſiaſticorum fere omnium ſcientia! Quanta in exponendis ſententiis perſpicuitas! Quanta in agitandis eruditio! Quanta in ſtatuendis ſolliditas, & conſilium! Et ne quidquam ad ſacram ſpectans eruditionem, quod in his libris pro dignitate non tractetur? Æruditum, mihi crede, eruditum tu Theologicarum rerum omnium locupletiſſimum hoc tranſmiſiti, ſola hæc volumina tranſmittendo. Quare totius quodamodo Luſitaniæ nomine oro obteſtorque te, ut quam citiſſime editionem iſtam expedias; præſertim vero Operis de Sacrificio Miſſæ, quod impenſiſſime aveo, atque expecto, ut præclaram & utiliſſimam illius doctrinam, in eos omnes diffundam, qui divinitus curæ meæ commiſſi ſunt &c.*

Con eſpreſſioni del pari onorifiche ne ſcriſſe pure di Portogallo il Rev. Sig. Ab. Diego Barboſa Machado molto celebre, e benemerito della nazion Portogheſe per la ſua Biblioteca Luſitana, che va dando di mano in mano alla luce: *Non miror*, dic' egli, *ſi BENEDICTUS XIV. non tam Pontifex, quam magiſter, ac doctor Catholicæ Eccleſiæ maximus ubique habetur; vix enim fauſta ſors legendos mihi obtulit quoſdam præclariſſimos ejus libros, ſtatim ſumma cum admiratione cognovi, & incredibilem eſſe tanti Viri eruditionem, & ſingularem ingenii acrem, & univerſalem doctrinam: adeo ut ſpeciali amantiſſimi Numinis providentia datus mihi videatur ad Eccleſiam his temporibus illuſtrandam, ad Pontificatus amplitudinem atque ſplendorem augendum, ad Italiam totam penes nationes reliquas commendandam. Sic Deus ad plures adhuc annos conſervet magnam iſtam, ac pene divinam mentem, a qua tot Opera prodeunt plauſum, & admirationem totius Orbis ſibi jure domerentia, ut ego illam ſingulari æſtimatione ſuſpicio. Utinam ad tanti Pontificis pedes me dejicere poſſem, os vultumque illius auguſtum ſpectare, doctrinam atque oracula coram audire! Sed quoniam Patriæ longinquitas, & initæ vitæ meæ rationes hoc non ſinunt, ſtatui ſaltem, appellas nonnullas meas iſthuc mittere, ut illi meo nomine in obſequentiſſimi animi argumentum offerantur &c.* Così di Portogallo ne ſcrive il Sig. Barboſa.

Se poi conſiderar ſi vogliono i Giudicj, che ne han dati varj Giornaliſti, ed Eruditi della noſtra Italia, crediamo di poter francamente aſſerire, non avervi Città, o Perſona di lettere, la quale applaudito non abbia con maniere le più ſingolari a i dottiſſimi Scritti di queſto gran Perſonaggio. Il Signor Marcheſe Maffei ſplendore luminoſiſſimo dell' Italiana Letteratura nelle ſue *Oſſervazioni Letterarie* di Verona tom. 5. artic. 2., così parla della grand' Opera ſopra la Canonizzazione de' Santi. „ Senza leggere queſti volumi, niuno s' indurrebbe a credere, quanta dottrina, quanto ſtudio, e quanto ſapere in eſſi contengaſi. Chi crederebbe mai, che in così fatto argomento tanta parte non ſolamente di Giuriſprudenza, e d' Iſtoria Eccleſiaſtica, e di Controverſie, ma di Filoſofia, e d' ogni ſpecie di profane lettere venga a cadere? Che infinità di Libri, e d' autori d' ogni genere, che ſcelterza di documenti, qual notizia e de' moderni, e degli antichi, qual varietà di queſtioni, quali ſugoſi riſtretti delle contrarie opinioni, e de' fatti? &c. „ Indi ſcorgendo il perſpicaciſſimo Signor Marcheſe l'utilità grande, che da quell' Opere può ritrarre il nome Cattolico, ſoggiunge. „ Quanto deſiderabil ſarebbe: che chi vive fuor della comunion Cattholica, ſi prendeſſe l' incomodo di ſcorrere queſti volumi, e di vedere, quanto diverſa in fatti ſia la condotta de' ſacri Tribunali di Roma da quello, che vien diſſeminato! &c.

Nelle *novelle della Republica Letteraria*, che ci provengono da Venezia, all' anno 1738. pag. 324. dandoſi notizia della ſteſſa Opera ſu la Canonizzazione de SS., in cotal modo ſi ſcrive: „ Molti furono gli Scrittori, che hanno trattata la materia *della Beatificazione, e Canonizzazione de' Santi*, ſiccome ſe ne può apprender diſtinta notitia dall' Avvertimento quivi premeſſo; ma niuno fino ad ora ha ſaputo dare in tale propoſito, o coſe più ordinate, o iſtruzioni più acconcie e più vantaggioſe agli Avvocati, e Conſultori della Sacra Congregazione de' Riti ſpezialmente, quanto di preſente appariſce per opera dell' Eminentiſſimo *Lambertini*, Autore in ciò tanto più riſpettabile, e maggiore d'ogni eccezione, quanto che ſotto il felice Pontificato di *Clemente XI.* ebbe campo e motivo di ſoſtener per più anni il grave officio di Avvocato conſiſtoriale con particolar gloria e commendazione. Egli per tanto in queſti quattro volumi noſi tomi non ſolo eſibiſce più e più fatti di Storia Eccleſiaſtica, e molti Decreti emanati dalla Sacra Congregazione, i quali per eſſer recenti, non poterono eſſer regiſtrati dagli antecedenti Scrittori; ma eziandio ei va introducendo argomenti non più finora eſpoſti, e circa l' aſſegnazione della Meſſa e dell' Offizio, e circa altri culti, che nuovamente ſi concedono a' Servi del Signore Beatificati; il tutto deſcrittoci con una maniera chiara, polita, e degna della maeſtà dell' Antico Lazio. Ognun rimarrà perſuaſo della dignità e utilità della preſente Opera; e molto più ne creſcerà la ſtima, qualora ſi voglia riflettere al tempo ed al luogo, in cui eſſa fu condotta a fine, vale a dire, *non inter otium*, come ſiamo ſul principio avvertiti, *ſed inter Paſtorales Anconitanæ primum, poſtea Bononienſis Eccleſiæ curas, eaſque non paucas utique, nec levis momenti; atque adeo horis ut plurimum ſubciſivis, nec ſine induſtria ante ſolis ortum ſæpiſſime ſomno ſubtractis.*

Nelle ſteſſe Novelle all' anno 1740. pag. 369. ſiam ragguagliati di un' altr' Opera dello ſteſſo inſaticabile Scrittore intitolata: *Raccolta di alcune Notificazioni, Editi, & Inſtruzioni &c.* con queſte precile formole. „ Queſti documenti ſpettanti „ a varie materie, e divulgati dal Venerando Autore in diverſi tempi, giuſta il biſogno e decoro migliore della Chieſa Arciveſcovile cui preſedeva, ben meritavano eſſer raccolti „ tutti in un Corpo, onde ſerviſſero di modello altrui per „ regger il Clero e 'l popolo Criſtiano *in fide, in integritate, in doctrina ſana, verbo irreprehenſibili* ec. e d' altra parte „ formaſſero eziandio corona alla ſerie delle altre Opere ricercatiſſime d' un tatto Scrittore **** In tanto per nota „ generica della preſente Opera ſoggiugneremo, darſi quivi un „ erudito Comentario dell' Eccleſiaſtica diſciplina, una perpetua e dottiſſima dilucidazione de' Sacri Canoni, e delle „ Regole principalmente ſtabilite nel Concilio di Trento; „ una varietà in ſomma di materie che utilmente allettano, „ ed una ſodezza di dottrine che dolcemente iſtruiſcono. „

Veduto ſi di lì a non molto lo ſteſſo Autore delle Novelle nuovamente in obbligo di far nota al Publico l' edizione fatta in Padova dell' Opera intitolata: *Delle Feſte di Gesù Criſto Signor Noſtro, e della Beata Vergine Maria Trattato iſtruttivo &c.* ecco come ne parla. „ Venendo alle Diſſertazioni „ contenute nel I. Tomo, il quale comincia dalla Feſta della *Circonciſione* del Signore, e finiſce in quella del *Sabbato Santo*, è coſa mirabile il veder, con quale apparato di erudizioni ſacre ogni Rito e miſtero venga illuſtrato, con „ quanta chiarezza le queſtioni più difficili ed oſcure vengan „ trattate, e come riſparmiata ſia a' lettori eziandio i più „ dotti la fatica di conſultar altrove i ſentimenti de' Dottori, „ de' Padri, e de' Concilj, nelle materie più ſcabroſe ed „ importanti. Chiaro eſempio ne ſia la lunga ed eruditiſſima „ Iſtruzione, che ci viene recata nel capitolo VII. intorno „ la Feria Seſta *in Paraſceve*, poichè ivi de' ſacri Riti uſati

„ in

UAB Biblioteca de Ciències Socials

„ in quel giorno dalla Chiesa, della Passione e morte del Sal-
„ vatore, ogni punto e circostanza talmente si esamina, che
„ si può dir quel Capo un perpetuo Comentario de' sensi con-
„ cordi che trovansi ne' quattro Evangelisti. Nulla diremo
„ d' Capi ritoccati nel II. Tomo, e molto meno dell' im-
„ portanza de' Trattati medesimi, dovendo bastare per ogni
„ altro discorso l' utilità e malagevolezza de' tre assunti (1)
„ Dell' *Assunzione* della Beatissima Vergine: (2) Dell' *Im-*
„ *macolata Concezione* della medesima: (3) Della *Transla-*
„ *zione della S. Casa* di Loreto. Chi sa da una parte gli ob-
„ bietti che in sì fatti articoli s' incontrano spezialmente per
„ ciò che rimane tuttavia indeciso dalla S. Sede Apostolica,
„ e dall' altra scorge quì sciolta ogni opposizione de' Critici,
„ e diradata qualunque piccola tenebra, certamente non può
„ se non ammirare il preclarissimo ingegno dell' eccelso Scrit-
„ tore, che sopra gli altri come Aquila vola.

Nè punto meno espressive, e magnifiche son le formole, colle quali il Sig. Giovanni Lami celebre per gli eruditi libri dati a luce, in più e più luoghi delle sue *Novelle Letterarie* di Firenze, significa al mondo la stima, e l' ammirazione, ch' egli riconosce dovuta ad ogni parto della mente sublime del nostro insigne Scrittore. Noi rimettiamo il Lettore a i tomi di quelle Novelle, assicurandolo, che li troverà ad ogni tratto fregiati di splendidissimi Encomj spettanti all' eccelso Personaggio, di cui parliamo. Intanto abbiam giudicato di quì riferir per disteso i sentimenti di un altro celebre Letterato Fiorentino, qual' è il Sig. March. Giovanni Giraldi. Questi in una lettera scritta al Rev. P. Azevedo Gesuita così mostra il desiderio, e la stima, che tanto egli, quanto quel Monsig. Arcivescovo Incontri nutriscono per le Opere di questo immortale Pontefice. „ S' Io, dice, non temessi, che com-
„ parisse sfacciatagine mostruosa il pretendere di posseder per
„ giustizia ciò, che da mera liberalità si diparte, io mi que-
„ relerei pur volentieri con V. P. Reverendissima, poichè do-
„ po avermi cominciato a donare nei due primi Tomi le pre-
„ gevoli Opere novellamente costà ristampate del Glorioso
„ Sommo Pontefice BENEDETTO XIV. e da lei vagamen-
„ te adornate di leggiadre eruditissime prefazioni, mi vedo
„ privo della sospirata continuazione delle medesime, le quali
„ aveva io riserbate ad essere l' ornamento più bello della pri-
„ vata mia Libreria. Somigliante spirito di rispettosa querela
„ io concepj nell' animo, quando, secondo il mio solito, es-
„ sendo andato, pochi dì sono, ad ossequiare il nostro zelantis-
„ simo, e dottissimo Pastore Monsig. Arcivescovo Incontri,
„ seco lui trattenendomi a ragionare del merito, e della soda
„ dottrina, che si ravvisa in esse, mi fece Egli vedere il To-
„ mo, che da tanto tempo aspettavvasi del Sinodo Diocesano;
„ e l' utilità particolare di questa Insigne Opera descrivendo-
„ mi, m' invogliò a leggerla, per tutta assaporarne la gran
„ dottrina. Ho ben compreso di poi perchè Egli la commen-
„ dasse a sì alto segno; e considerandola per una legge a tut-
„ ti i Vescovi opportunissima si monstrale preso dalla rico-
„ noscenza di quanto Essi tutti dovevano alla gran mente del
„ sublime Autore, il quale per le sue Opere tutte, e special-
„ mente per questa, aveva loro additata la via più facile, e
„ più sicura di governare provvidamente le loro diocesi, sol
„ che ponessero mente a ciò, ch' Egli insegna, e l' adempies-
„ sero fedelmente. Egli in fatti propostosi di seguirla, ed ac-
„ costumato già da gran tempo a dipendere da' suoi oracoli
„ sicuramente potrebbe di se affermare:

. . . . . alla mia guida
Mi volsi, come parvol, che ricorre
Sempre colà, dove più si confida.

„ E per verità se si osservi la descrizione fedelissima dei sacri
„ Riti, e delle cerimonie, le quali si adoperano in qualunque
„ sorta di sinodo; il novero di tutte le persone, che interven-
„ gono, e delle loro incumbenze, e varj uffici; il copioso
„ trattato di tutte le controversie le più minute, e delle cose
„ più gravi, che in somiglianti venerabili congressi si debbono
„ esaminare, e poi stabilire solennemente: e la gran dovizia
„ delle più auguste determinazioni fatte dalle respettive Sacre
„ Congregazioni per l' universal buon governo, e provvedi-
„ mento, è assai manifesto, che l' Opera è così commendevo-
„ le, e necessaria, che Ella a buona equità si può nominare
„ la somma, e l' epilogo della venerabile disciplina di Chie-
„ sa santa su tale articolo, non mai finora così maestrevol-
„ mente e con tanto di erudizione discussa, e divisata. Si
„ degni Ella dunque, poichè ne la supplico instantemente, di
„ continuarmi le sue grazie, transmettendomi e il detto libro,
„ e quanto giornalmente viene in luce, parto della dottrina
„ di così Augusto Pontefice, che in mezzo alla Chiesa aprен-
„ do la bocca sua dà a conoscere, che il Signore lo ha ripie-
„ no del suo fecondo spirito di sapienza, e d' intelleto. Stu-
„ piscono tutti, che in mezzo alle spinose, e vaste cure dell'
„ Apostolico suo Principato promulghi da per se stesso leggi
„ così frequenti, e pensi a far rifiorire con tanto di avvedu-
„ tezza l' utilissimo studio della Ecclesiastica Storia, pubbli-
„ candone Egli stesso le più belle memorie; siccome recava
„ gran maraviglia, che il Pontefice S. Gregorio nel tempo
„ stesso, in cui sovrastavano a Roma dei gran pericoli, senza
„ punto sbigottirsi, provvendendo a questi, attendesse insieme
„ tranquillamente a comporre con pari diligenza la più bella
„ parte, e la più difficile del suo Comento sopra la Profezia
„ di Ezechiello. Ma ben ridonda in encomio di amendue il
„ sentimento di S. Bernado, il quale fu di parere, che assai
„ commendevoli fossero i Romani Pontefici, quolora seguitan-
„ do le costumanze di quelli, che governavano la primitiva
„ Chiesa, *sibi otia inter maxima negocia invenirent*. Anche il
„ celebre Cardinal Piccolomini, detto il Pavese per tal ragio-
„ ne esalta, e commenda il Sommo Pontefice Paolo II. *Si*
„ *quando a curis vacet*, disse Esso di Lui, ed io con esso del
„ Regnante; *lectionem sacram assumere, identidem scribere, col-*
„ *ligere quæ memoratu sunt digna, laborare ad præsentem pari-*
„ *ter & futuram utilitatem. His titulis, & numismatibus pa-*
„ *ratur, solida, & perennis gloria.*

„ Nell' innumerabile stuolo di coloro, i quali fan plauso
„ alla dottrina, ed al merito del Gran Pontefice BENEDET-
„ TO XIV.

Che col cor veggio, e colla lingua onoro,

„ Io sopra gli altri, Riveritissimo Padre Azevedo, sono in
„ obbligo di magnificarlo, specialmente per quella dote singo-
„ larissima, che l' adorna, di farsi tutto a tutti, e di tutto
„ darsi al beneficio comune, avendolo io veduto scendere per
„ così dire, dalla Maestà del suo Trono, quando si compiac-
„ que di accogliere con paterno amore il picciol tributo di cer-
„ ti miei volgarizzamenti, che ebbi l' ardimento di presen-
„ targli per mezzo di Monsignore Arcivescovo di Damasco
„ mio Zio, da esso riguardato sempre colla maggior clemen-
„ za; e qualora per detto mezzo mi ha dispensati altri mille
„ contrassegni della sua Benignissima Affabilità. Oh quanto
„ è desiderabile, che un così degno Monarca, così vegliante
„ al bene della sua Greggia, così sollecito di condurla a pa-
„ scoli salubri e buoni, e così industrioso nel tenerle lontano
„ ogni più rio veleno atto ad infettarla, viva felice per lunga
„ serie di anni al governo della Chiesa, a cui presiede con
„ tanta lode; che io rivolgendomi intanto dal più parlar
„ de' suoi pregi, poichè ben riserto, che in faccia a questi
„ posso valermi per mio avviso dell' espressioni del gran Poeta.

E se le fantasie nostre son basse
A tanta altezza; non è maraviglia,
Che sovra 'l sol non fu occhio, che andasse;

„ Finisco con desiderare ogni bene a V. P. Reverendissima,
„ che così utilmente si adopera pel ben della Chiesa, e a pro
„ delle lettere &c.

Sarebbe lo stesso, che non mai finirla, se tutti riferir vo-lessimo gli onorifici giudicj, e gli encomj fatti da quanti vi sono Letterati più insigni nell' Europa alle Opere tutte del Gran Prospero Lambertini, ora Sommo Pontefice, insigne Maestro, e singolare ornamento, e splendore di questa Corte. Stimiamo però bastevoli i riferiti fin quì, per far concepire a chiunque una giusta stima del profondo sapere, della vasta, e sopraffina erudizione in ogni genere, della somma, e particolare utilità pel dogma, e per la disciplina Cattolica, che in tutte queste Opere son racchiuse. Ci lusinghiamo, che non sia per dispiacere a' Parziali delle stesse Opere l' aver noi per cotal modo interrotto il minuto Estratto, che in questo Giornale avevamo cominciato a darne fin dall' anno 1747. e che prima di ripigliarlo, abbiam qui messi in vista tutt' insieme racolti varj pareri, qua, e là dispersi de' Letterati. Abbiam creduto con ciò di meglio ingerire, senz' ombra alcuna di adulazione, una giusta idea del gran merito, che l' Europa tutta ha riconosciuto ne' dottissimi scritti del nostro Sommo Pontefice. Conciossiachè quell' essere in essi scifrati punti rilevantis-simi, e date vantaggiosissime regole per le sacre Congregazioni Romane, e singolarmente per la Congregazione de' Riti, in una delle più scabrose sue materie, come è quella delle cause de' Servi di Dio, cosicchè possa in appresso co' soli Tomi Lam-bertinani procedere con piè franco e sicuro sì in questa, che in altre spezie di Giudizj: quel venirvi a maravilia illustrate e consolidate varie prattiche di Cattolica disciplina: quell' aver riportate approvazioni così magnifiche per fin dagli Eretici, obbligati dall' equità, e dalla sodezza della dottrina a riguar-dar finalmente con venerazione un Pontefice, e i Theologici insegnameri di un Letterato Cattholico: quel sovrano splen-dore, che per esse diffonde adesso dovunque questa S. Sede, vedendosi con ispecialissima Provvidedza di Dio occupata da un Pontefice, il quale non meno per la dottrina, e pel vasto sapere, che per la rettitudine, e Santità di vivere è già dive-nuto l' ammirazione del mondo tutto: così fatti pregj luminosis-simi troppo interessavano i vantaggi di questa Città, perchè noi a fin di scansare ogni eccezione di parzialità, amassimo meglio di pubblicarne un Giudizio, anzi che de' nostri, tessu-to de i sentimenti di Persone straniere, massimamente Prote-stanti, e in tal modo scorgesse ognuno, che i singolari applau-si a queste Opere, e all' eccelso loro Autore non da propen-sione di genio, o d' interesse, che alcuno vi abbia, ma dal pu-ro lor merito singolarissimo son derivati.

Quanto poi alla presente Edizion terza, noi non sapremmo darne contezza, o più esatta, o più distinta, o più autorevo-le di quella, che ne han data gli accuratissimi Giornalisti di Lipsia nel Gennajo di questo anno appunto 1749. Che però contenti di quì riferirla tutta per disteso, con essa termineremo il presente nostro ragguaglio. „ Splendidissima „ dicon' eglino „ Splendidissima, ut dicamus, quod res est, & ex omni

„ parte

UAB Biblioteca de Ciències Socials

„ parte commendabilis Operum ſummi Eccleſiæ Romanæ Præſulis „ editio ſub prælo ſudat, cujus prima hic oculis Lectorum „ ſubjiciuntur initia, omni laude, & ornatiſſimis congratula„ tionibus excipienda. Nos pro pietate, literatiſſimo Princi„ pi debita, laudatiſſimi hujus inſtituti, in gloriam & Maxi„ mi Pontificis, & literarum, ſuſcepti, rationes exponemus, „ tanto majori cum voluptate hoc labore defuncturi, quo ju„ ſtius exiſtimamus, quicquid in literis ſummum & egregium „ magnus ille Italiæ ſacræ arbiter præſtitit, omni, ſi qua fu„ tura eſt, poſteritati ſtudioſiſſime commendari. Tanta *BE„ NEDICTI XIV.* in literas ſunt merita, tanta eſt doctrinæ, „ qua, ut in omni pene ſtudiorum genere, ita in rerum ſacra„ rum maxime Hiſtoria, mirifice excellit, dignitas & ampli„ tudo, ut nulla ſit provincia, nulla civitas, nec Academia „ ulla, aut Societas, quæ non maximum hunc Eccleſiæ Ro„ manæ rectorem eo nomine in cælum uſque laudibus efferat & „ in eo prædicando quemdam quaſi principatum affectet. Ni„ hil igitur mirum, ex ultimis Luſitaniæ finibus catervatim „ ad BENEDICTUM, ſagaciſſimum & prudentiæ fama ce„ leberrimum Principem, advolare Eccleſiæ Romanæ cives, „ uberrimis beneficiis ab ipſo ad certamen pietatis provocatos, „ jamque publica, & in ſe præclara, hujus pietatis documen„ ta edituros. Principalem iſtam BENEDICTI XIV. munifi„ centiam experta fuerat aliquot annis ante Liturgica Acade„ mia Conimbricenſis Canonicorum Regularium S. Crucis, cujus „ Academiæ nomine publicum jam grati animi ſpecimen da„ turus eſt *Emmanuel de Azevedo*, Societati Jeſu adſcriptus. „ Is, venia a Pontifice ſummo impetrata, in uſum Academiæ, „ Operum omnium BENEDICTI typis iterandorum, & *Tomis „ XII.* abſolvendorum, conſilium prorſus nobiliſſimum cepit. „ Præcipuum illorum Operum jure habetur illud *de Servorum „ Dei beatificatione, & Beatorum canonizatione*, quippe rara & „ multiplici doctrina expolitum, quod ita hic exhiberi cœptum „ eſt, ut duo priores Libri *Tom. I. & II.* Operum conficiant. „ Species illorum externa & interna jam olim a nobis non „ male, ut ſperamus, delineata eſt in his *Novis Eruditorum „ Actis An.* 1740. *Menſ. Octob. & A.* 1741. *Menſ. Januar.* unde „ Lectores noſtri facile repetent, quæ lectu digniſſima in tan„ ta egregie dictorum copia videri poſſint. Accedit autem jam „ demum huic Operi nova Rev. Editoris Præfatio, cujus æ„ que ac reliquorum, quæ jam recens ſunt addita, nobis ha„ benda ratio eſt. Prætationi ipſi præmiſſa eſt Epiſtola *Em„ manuelis* ad BENEDICTUM XIV., dedicandi cauſa ſcripta, „ plurimum & gravitatis, & elegantiæ, & venuſtatis habens „ De doctrina laudatiſſimi Principis ita ex vero ſcribit: *Mirum „ eſt, unum hominem aut ſcientia comprehendere, aut memoria „ retinere, aut ſcripto complecti tantas res, tam varias, tan„ tis difficultatibus atque obſcuritate & diſſenſione Auctorum „ impeditas, potuiſſe; unum tot veteſta & poſteriorum ætatum „ monumenta inſpicere, ſcriptores legere, libros diverſi adeo ar„ gumenti, exterarum linguarum, editos remotiſſimis regionibus, „ noſſe, ſolerter examinare, quæ ſcitu utilia proponebantur, „ amplecti, reſpuere ac refutare contraria.* Augetur hujus rei „ admiratio ex graviſſimis muneribus, quibus præeſſe longis „ inde a temporibus juſſus eſt *Benedictus*, poſtquam eas artes, „ quibus nobilium juvenum ætas ad ingenuum ſive corporis ha„ bitum, ſive cultum animi, formari conſuevit, ſolide perce„ perat. Hinc Juriſprudentiæ traditus, eam penitus pernoſce„ re, & ejus myſteria ſcrutari, ſuum eſſe duxit, ex quo inter „ Conſiſtorialis aulæ Advocatos cooptatus, atque ad fidei Pro„ motoris dignitatem evectus, ſacræque Congregationi Conci„ lii Tridentini Interpretum a ſecretis eſſe juſſus eſt. In hac „ vitæ conditione, & in his a ſacra antiquitate alienis fere ſtu„ diis, admiranda eſt opera, a *Benedicto* in ſacrorum Cano„ num, & Hiſtoriæ ſacræ, tam veteris, quam novæ, cogni„ tione collocata, quibus in ſtudiis etiam tum fuiſſe totum „ ſcimus, cum in auguſtiſſimum ampliſſimorum Patrum Colle„ gium adlectus, primo Anconitanam, deinde Bononienſem, „ eccleſiam regendam ſuſcepiſſet. Nec nunc inter concatenatos „ Apoſtolicæ Sedis labores doctiſſimorum ſcribendorum operum „ curas abjicit; cui rei indicio eſt liber compoſitiſſimus *de Sy„ nodo*, inter Apoſtolatus labores, furtim quaſi, ipſo *Benedicto* „ teſte, abſolutus. Quæ omnia, ut in unum colligerentur cor„ pus; non ſolum ob perſonæ dignitatem, ſed ob rei etiam „ gravitatem, utilitatem, & neceſſitatem, digna eccleſiæ Roma„ næ ſociis, & quidni omnibus? quam maxime videbantur. Has „ *Emmanuelis* ad *BENEDICTUM XIV.* literas aliæ *Benedicti* „ ad *Emmanuelem* ſequuntur, modeſte, prudenter, atque dilige„ tiſſime, perſcriptæ, in quibus, præter alia, a Sanctiſſimo „ Patre ſplendor literarum, in Academia Conimbricenſi efful„ gens, celebratur, & in Deo fiducia ponitur, fore, ut Con„ gregationis hujus alumni, aliique adoleſcentes, ſedulam porro „ in utraque facultate operam ponant, & laborum aliquando „ fructus eximios percipiant. Collaudat deinde Pontifex Max. „ diſtributionem *Operum* in *Tomos XII.* faciendam, & appro„ bat Vitas, alliquot Sanctorum, a Clariſs. Editore in Latinam „ linguam ex Italica converſas. Tandem efflagitat, ut in *pri„ mo* Operum *Tomo* imprimantur Apoſtolicæ ſuæ literæ, in „ forma Brevis ad *Facciolatum*, Virum Celeberrimum, datæ, „ qui ſuam alteri *de Canonizatione Sanctorum* editioni operam „ impendit, nec, ſi rumor ad nos vera attulit, ſatis, ſe æquum „ in judicio de noſtris ſtudiis ferendo præbuit. Tum ſpectanda „ nobis exhibetur Pontificis Maximi imago, æri affabre inci„ ſa, cum addita hac Inſcriptione:

BENEDICTO XIV. P. O. M.

QUOD

ACADEMIAM. LITURGICAM

MAGNO. LUSITANIÆ. TOTIUS. BONO

CONIMBRICÆ. INSTITUERIT

REDDITIBUS. LIBERALITER. ATTRIBUTIS

PERPETUAM. EFFECERIT

SUO. ET. APOSTOLICÆ. SEDIS. PATROCINIO

COMMUNIVERIT

CANONICI. REGULARES. REFORMATI

CONGREGATIONIS. SANCTÆ. CRUCIS

POSUERUNT.

„ Excipiunt hæc pietatis monumenta literæ, a Rev. Edi„ tore ad auditores Liturgicæ Academiæ Conimbricenſis per„ ſcriptæ, in quibus is multa de conditione univerſitatis i„ ſius, & de viris doctis ſuæ Congregationis, diſſerit. De „ Academia Conimbricenſi in univerſum ſcribit, eam propter „ auditorum frequentiam eſſe nobilem, & tanta Magiſtrorum „ copia ornatam, ut cum præclariſſimis totius Europæ eo no„ mine videatur comparanda. Septem Magiſtri, ut ipſe dicit, „ tradunt Theologiam, ſeptem Jus Canonicum, decem civi„ le, quinque Medicinam, duo Anatomiam, & Chirurgiam, „ unus Muſicam, quinque Mathematicam & Philoſophiam, „ duo Rhetoricam, duo linguas Hebraicam, & Græcam, no„ vem humaniores literas & Grammaticæ rudimenta, præter „ eos, qui honorificentioribus in Academia muneribus fungun„ tur, & centenarium numerum exſuperant. Omittendum „ hic loci id ea de cauſa non putavimus, ut Lectores noſtri „ Luſitaniæ de literis auſpicato redeuntibus gratulentur. Huc „ accedit Pontificis Romani gratia, qua uberiores Academiæ „ Liturgicæ redditus attribuit, non ſolum ut Magiſtris qua„ tuor perpetuo inſtructa ſit, ſed ut auditorum etiam diligen„ tiæ remuneratio ne deſit, utque ſplendor Academiæ conſer„ vetur. De ipſa novæ liturgicæ ſcholæ ratione hic longiores „ literæ *Benedicti* leguntur, ex quibus harum rerum cupidi „ habebunt, quo exſatientur. Denique recenſio *XII. Tomo„ rum Operum BENEDICTI XIV.* ſpendide edendorum ad„ ditur, quorum *quatuor* priores de Servorum Dei Beatifica„ tione, & Beatorum Canonizatione, agent. *Tomus quintus* „ exhibebit Acta Canonizationis, ab eodem Pontifice Max. „ celebratæ; *ſextus* dabit Appendices lectu digniſſimas; *ſepti„ mus* documenta, huc pertinentia, ſuppeditabit; in *octavo* „ Index copioſiſſimus rerum præcedentium occurret; *nonus* „ Commentarium de S. S. Miſſæ ſacrificio continebit; *decimus* „ occupabit Commentarius de Feſtis Chriſti Domini, ſanctiſ„ ſimæque ejus Matris; cui acceſſio fiet nonnullorum Sancto„ rum, de quibus officium & Miſſa celebrabitur in Bononien„ ſi Diœceſi, *undecimus* repræſentabit Inſtitutiones Eccleſiaſti„ cas, a SS. Patre, cum Bononienſi, tum Anconitano Epi„ ſcopo, editas. Ultimus denique, ſeu *duodecimus*, *Tomus* „ librum diu multumque expetitum *de Synodo* comprehendet. „ Hæc ſunt, quæ ſcire intererat Lectorum. Nos communibus „ orbis & Chriſtiani & litterati plauſibus noſtros jungimus, „ immortalia Summi Pontificis, quo fortaſſe melior & bonis „ artibus ferventior nunquam exſtitit, in omne genus literarum, „ merita venerantes, & Rev. Editoris, illa ad ſeram po„ ſteritatem tranſmittendi ſtudium, præclarum iis laudibus pro„ ſequentes, quibus, qui bona & utilia conantur, jure meri„ toque ſunt condecorandi.

UAB Biblioteca de Ciències Socials

JUDICIUM III.

LUSITANUM

Excerptum ex Epiſtola Antiſtitis Conimbricenſis, quæ una cum multiplici elogio Operum BENEDICTI XIV. habetur in Præfatione Operis, cui titulus: CÆLUM NOVUM, *ſeu Congregatio Canonicorum Regularium S. Auguſtini in Luſitania ad priſtinam obſervantiam reſtituta.*

JAMDIU publica Conimbricæ ſtudia, tum in genti Auditorum frequentia, tum facultatum, ſelectorumque Doctorum copia ſeſe fecerant in Europa celebratiſſima. Ex quo tamen beneficio immortalis Pontificis BENEDICTI XIV. bonarum artium, ſcientiarumque omnium Patroni, ac luminis fulgentiſſimi, Liturgica Accademia in ea Urbe erecta eſt, & Liturgicarum rerum theſaurus doctiſſimis, atque eruditiſſimis ſuis Operibus ſuppeditatus: tanta iiſdem facta eſt ſplendoris & commodi acceſſio, ut nihil jam ſupereſſe videatur deſiderandum. Fuere quidem certe in omni ætate viri Principes, qui Academias magnis redditibus vel a fundamentis erexerunt, vel novis adjectis commodis, ac Profeſſoribus, amplificarunt; ſed qui præter commoda ac redditus, materiam quoque præſtantiſſimam, circa quam Profeſſores verſarentur, ſuis ſcriptis exhibuerit, ſolum hunc fortaſſe Pontificem ſera poſteritas recenſebit. Enimvero quid eſt, quod ad ſacros Ritus, remque omnem Liturgicam, imo ad univerſam Catholicæ Religionis doctrinam pertineat, & a BENEDICTO XIV. in ſuis Operibus profundiſſimo ingenio, mira eruditione, ſummo conſilio collectum non fuerit, ac pertractatum? Is de Sanctorum cultu, & Canonizatione, is de ſublimiſſimis Chriſti Domini, ac Deiparæ Myſteriis, diebuſque feſtis, is de auguſto Miſſæ ſacrificio, is de Synodorum Diœceſanarum celebratione, is demum de innumeris ad Eccleſiæ Fidem, ac diſciplinam ſpectantibus tanta cum perſpicuitate atque excellentia ſcripſit, ut Magiſter iiſdem de rebus jam paſſim audiat, & a cordato quolibet viro jure optimo cenſeatur. Hinc ſi Magiſter ſententiarum, ſi Angelicus Aquinas, ſi ſubtiliſſimus Scotus, ſi eximius Suarez tantum doctrina ſua apud doctiores homines ſunt promeriti, ut Cathedræ, ac Scholæ integræ erectæ ſint in Academiis, quibus ſanctum eſſet eorum doctrinam ſequi, rextuſque explicare: non minore profecto jure id ipſum debeſi viſum eſt *admirabili Proſpero Lambertino*, ut nimirum cum in Romana Societatis Jeſu Academia, tum in Conimbricenſi hoc noſtro Sanctæ Crucis Lycæo Doctores conſtituerentur, quorum munus eſſet tanti viri doctrinam de re præſertim Liturgica Auditoribus tradere, Commentariiſque explanare. Quantæ vero utilitatis Fideliſſimo huic Regno id ſit futurum, vel ex eo conjectare licet, quod jam Clerus non ſolas Scholaſticorum quæſtiones, atque ſubtilitates, ſed ipſa Religionis dogmata, ſed Eccleſiaſticam Hiſtoriam ac diſciplinam, ſed ſanctiſſimos veteſtiſſimoſque Ritus ſumma cum alacritate addiſcat, & callere penitus incipiat. Quapropter nullum puto iniri potuiſſe conſilium opportunius, omnibuſque Luſitaniæ Eccleſiis conducibilius, quam de diligenti Lambertinianorum Operum editione ad harumce Scholarum uſum procuranda; plus namque ſacræ ac perneceſſariæ doctrinæ in his Operibus collectum vidimus, quam in integris, ut ita dicam, Bibliothecis. Et ſane quanta Theologicarum Virtutum, & quam profunda cognitio, quanta ſacrorum Canonum ſcientia, quanta ſolidæ atque utilis Theologiæ peritia in aureo illo Opere *de Servorum Dei beatificatione, & Canonizatione* ſeſe offert conſiderandum? Si vero opus alterum percurramus, quod *de Chriſti Domini, ac Deiparæ diebus Feſtis* inſcripſit, nullum occurret ſublimius Religionis noſtræ Myſterium, quod ſumma perſpicuitate, profunditate, atque eruditione non explicetur. Quid dicam de eximia illa doctrina, quæ in præclariſſimo Commentario *de Sacrificio Miſſæ* paſſim effulget? Quid de pulcherrimis quæſtionibus in Opere *de Synodo Diœceſana* mirifice enodatis? Quid demum de incredibili Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ, ſacrorum Scriptorum, veteriſque diſciplinæ ſcientia, qua ubique ſcatent *Eccleſiaſticæ Inſtitutiones* a SS. Patre cum Anconitano cum Bononienſi Epiſcopo olim editæ, & ad reformandos Eccleſiarum mores appoſitiſſimæ? Hoc eſt vere ſapere: hæc eſt vera Eccleſiaſticorum hominum eruditio: hæc ſolida Catholicæ Religionis Theologia, quæ ſummo Dei Optimi Maximi beneficio ex libris BENEDICTI XIV. Luſitaniæ noſtræ aliquando tandem innotuit. Evulgantur jam, omniumque manu ſumma cum admiratione teruntur præclara Opera: jam in hac noſtra Urbe doctrina in iiſdem contenta publice edicitur ac circumfertur: jam Eccleſiaſtici homines ingenti cum gaudio atque utilitate illi aſſueſcunt, quod ſane tanta fit cum animi mei voluptate, ut inter difficiles Epiſcopatus curas nihil unquam jucundius evenire mihi potuiſſe, plane ſentiam. Quid enim Epiſcopo optabilius, quam Religionis doctrinam ex libris ſupremi Eccleſiarum omnium Paſtoris videre deductam? Quid jucundius, quam aſpectare Eccleſiaſticos homines non ſubtiles tantum commentationes, ſed res maximi uſus atque momenti callere? . . . Faxint ſuperi ut a quo tantum boni accepimus, is ad totius Eccleſiæ commodum diu ſoſpitetur incolumis.

INDEX CAPITUM
HUJUS LIBRI PRIMI.

Cap. I. DE ſuperſtitioſa Apotheoſi Gentilium. *Pag.* 1
Cap. II. De Martyrum juxta antiquam Eccleſiæ diſciplinam differentiis, & eorum Cultu. 4
Cap. III. De Collectione Actorum Martyrii, & eorum Examine, & Eccleſiaſtico ſuper illis Judicio. 7
Cap. IV. De Martyrum notitia ab una ad aliam Eccleſiam per Literas Encyclicas tranſmiſſa. 10
Cap. V. De Confeſſoribus, & eorum Cultu. 14
Cap. VI. De Eccleſiaſtico judicio requiſito, antequam Cultus Religioſus Confeſſoribus exhiberetur. 16
Cap. VII. De interventu auctoritatis Summi Pontificis in Cultu decernendo erga Martyres, & Confeſſores. 18
Cap. VIII. De ejuſdem *interventu* auctoritatis. 22
Cap. IX. De Pontificiæ iterum auctoritatis in Beatificationis, & Canonizationis *negotio, interventu*. 25
Cap. X. De Pontificia auctoritate extra Concilium, & de jure Beatificandi, & Canonizandi Summo tantum Romano Pontifici reſervato. 28
Cap. XI. De eodem privativo Jure juxta ſcribentium aſſertiones. 30
Cap. XII. De poteſtate Canonizandi. 32
Cap. XIII. De beneſacto, ut aliquando Solemnia Canonizationis expleantur. 35
Cap. XIV. De ſubjecto Canonizationum. 38
Cap. XV. De gravitate Cauſarum Canonizationis, & de his, quorum opera, & conſilio Summi Pontifices olim uſi ſunt in earum definitione. 42
Cap. XVI. De Sacrorum Rituum Congregatione. 45
Cap. XVII. De Protonotario, & Secretario Sacræ Congregationis, & de Rotæ Romanæ Auditoribus eidem Congregationi adſcriptis. 49
Cap. XVIII. De Fidei Promotore, & ejus Subpromotore. 52
Cap. XIX. De Notario, & Archivi Inſpectore, Interpretibus Proceſſuum, & Procuratoribus, Advocatis & Medicis, aliiſque Miniſtris Congregationis Sacrorum Rituum. 55
Cap. XX. De diligentiis per Romanos Pontifices antiquiori tempore adhibitis in diſcuſſione Cauſarum Beatificationis, & Canonizationis, & *de ſerie* Actorum, qua eædem antiquiori tempore pertractabantur. 59
Cap. XXI. De Conſiſtoriis, quæ olim cogebantur *pro* definiendis Cauſis Canonizationis. 63
Cap. XXII. De *Serie* Actorum in Cauſis Beatificationis, & Canonizationis juxta præſens Sedis Apoſtolicæ inſtitutum, & de diligentiis, quæ in earum examine fiunt. 67
Cap. XXIII. De nonnullis ad inſtitutum Congregationis Sacrorum Rituum ſpectantibus, quæ ante tempora ſanctæ memoriæ Clementis XI. vigebant. 71
Cap. XXIV. De Solemnitate Beatificationis. 73
Cap. XXV. De tranſitu a Beatificatione ad Canonizationem. 75
Cap. XXVI. De Serie Actorum in tranſitu a Beatificatione ad Canonizationem. 76
Cap. XXVII. De Serie Actorum in Cauſis Martyrum, quæ introducuntur poſt Decreta Urbani VIII. & quæ procedunt per viam non Cultus. 79
Cap. XXVIII. De Auctorum opinionibus quoad Signa, & Miracula in Cauſis Martyrum. 81
Cap. XXIX. De Eccleſiaſtica diſciplina quoad Miraculorum neceſſitatem in Martyrum Cauſis. 85
Cap. XXX. De Sacræ Congregationis Rituum conſuetudine quoad Miraculorum neceſſitatem in Cauſis Martyrum. 88.
Cap. XXXI. De Serie Actorum in Cauſis ſive Confeſſorum, ſive Martyrum, quæ introducuntur poſt Decreta Urbani VIII. & quæ procedunt per viam Caſus excepti. 91
Cap. XXXII. De Serie Actorum in Cauſis ſive Confeſſorum, ſive Martyrum, quæ introducuntur poſt Decreta Urbani VIII. quæque procedunt per viam Caſus excepti, in tranſitu a Beatificatione *æquipollenti* ad formalem Canonizationem. 92
Cap. XXXIII. De Serie Actorum in Cauſis Beatificationis, & Canonizationis introductis ante Decreta Urbani VIII. & quæ poſt eadem Decreta reſumuntur, ſive ſint Confeſſorum, ſive Martyrum, ſive procedant per viam non Cultus, ſive per viam Caſus excepti. 96
Cap. XXXIV. De Conſiſtoriis privato, publico, & ſemipublico habendis pro abſolutione Cauſarum Canonizationis. 98
Cap. XXXV. De nonnullis aliis Orationibus, quæ fiunt in publicis Conſiſtoriis a Conſiſtorialibus Advocatis. 101
Cap. XXXVI. De Solemnitate Canonizationis. 103
Cap. XXXVII. De Actibus Cultus Servis Dei poſt Beatificationem deferendis. 114
Cap. XXXVIII. De Actibus Cultus Beatis poſt Canonizationem exhibendis. 118
Cap. XXXIX. De Differentiis inter Beatificationem, & Canonizationem. 120
Cap. XL. In quo explicatur Sedis Apoſtolicæ permiſſio, quæ per Beatificationem habetur. 124
Cap. XLI. in quo nonnulla indicantur de Sedis Apoſtolicæ definitiva ſententia, quæ in Canonizatione profertur. 126
Cap. XLII. De Eccleſiaſtico Judicio, quod in Beatificatione interponitur, utrum videlicet ſit *infallibile*, & ad Fidem Catholicam pertinens. 140
Cap. XLIII. De Eccleſiaſtico Judicio, quod interponitur in Sanctorum Canonizationem, utrum ſit *infallibile*. 144
Cap. XLIV. In quo repelluntur oppoſita iis, quæ dicta ſunt in capite præcedenti. 147
Cap. XLV. An ſit de Fide, Summum Pontificem errare non poſſe in Canonizatione Sanctorum; & an de Fide ſit Canonizatum eſſe Sanctum. 153
Cap. XLVI. De Expenſis, quæ fiunt tum in pertractandis Cauſis Beatificationis, & Canonizationis, tum in ſolemnitate, hoc eſt, cum in Beatorum, aut Sanctorum numerum aliqui Servi Dei, vel Beati referuntur. 156
Cap. Ultimum. De quibuſdam cautionibus neceſſariis ad cuſtodiam & erogationem pecuniarum ex pia Fidelium lagitate, collectarum pro Cauſis Beatificationis, & Canonizationis; deque nonnullis Quæſtionibus ad hanc eamdem materiam pertinentibus. 164

UAB Biblioteca de Ciències Socials

DE AUCTORIBUS
TUM THEOLOGIS, TUM JURISCONSULTIS, TUM ETIAM CETERIS,
QUI SCRIPSERUNT
DE BEATIFICATIONE,
E T
CANONIZATIONE
SANCTORUM,
DEQUE TOTA HUJUS OPERIS RATIONE
AD LECTOREM.

INnumeros propemodum Theologos inveniemus, qui aliquid in ſuis operibus de Sanctorum Beatificatione atque Canonizatione ſcripſerunt, ſi velimus ſingulos recenſere, qui inter diſputandum de hac ipſa materia diſſeruerunt. Sed in præſenti illos tantum indicaſſe ſat erit, qui juſtos de re hac tractatus compoſuerunt: deinde de Scriptoribus Juriſperitis agemus, qui argumentum idem ex profeſſo pertractarunt: ad extremum vero eos etiam memorabimus, qui de ſolemni apparatu pro Beatificatione, vel Canonizatione enarrationes ediderunt.

Antiquiſſimus igitur inter Theologos, quos viderim, qui tractatum de Canonizatione compoſuerit, eſt Auctor anonymus, cujus apud me extant mss. Hic enim opus ſuum exaravit anno 1592. idque dicavit Vincentio Lauræo Cardinali Montis Regalis, & plura quidem eo in opere habentur Theologico more pertractata de ſanctitate, tum autem aliqua de virtutibus, necnon multa de miraculis, & horum natura: quare in hujus noſtri Operis decurſu, quotieſcumque occaſio ſe offeret, hunc Auctorem laudabimus, ejuſque ſenſum exponemus.

Proxime ſuccedit Angelus Rocca ex Auguſtiniana familia, Apoſtolici ſacrarii Præfectus, quippe cum ſcripſerit temporibus Clementis VIII. cui etiam opus ſuum dicavit. Porro plura in eo ſunt erudite collecta tum quoad requiſita Canonizationis, tum quoad gradus & differentias miraculorum.

Sequitur Fortunatus Schacchus ex Ord. Eremitarum S. Auguſtini, pariter Apoſtolici ſacrarii Præfectus. Scripſit nempe hic temporibus Urbani VIII. cui opus ſuum nuncupavit, inſcriptum *de notis & ſignis ſanctitatis Beatificandorum & Canonizandorum*. In eo autem opere non ſolum fuſe agitur de ſanctitate in genere, verum etiam de virtutibus tum Theologicis, tum Cardinalibus, quæ ad gradum heroicum pervenerunt. Præterquamquod ex ipſius operis argumento ac diviſione colligitur, eum præterea compoſuiſſe ſecundum librum de Martyrio, tertium de miraculis, quartum de Beatificatione, quintum de Canonizatione, ſextum de ordine judiciario harum cauſarum, ſeptimum de Congregationibus, in quibus cauſæ pertractantur, octavum vero, quem nondum abſolverat, de Miſſa Pontificia. Sed ex omnibus his operibus hujus inſignis viri tria tantum ſuperſunt mss. quorum unum eſt *de Martyrio*, alterum *de natura, quidditate, inquiſitione, auctoritate, antiquitate, cultu, & quibuſdam aliis annexis ad Beatificationem, & Sanctificationem ſpectantibus*; tertium, *in quo quidquid ad Judicum directionem tam ordinariorum, quam delegatorum, & ſubdelegatorum ad*

theoriam & praxim proceſſuum in cauſis Servorum Dei requiritur, quantum fieri poteſt, dilucide explicatur. MSS. ſcilicet iſta extant in bibliotheca Angelica Urbis, cui dono data ſunt a Petro olim Cardinali Ottobono, qui poſtea ad ſummum Pontificatum evectus Alexandri VIII. nomen aſſumpſit: is autem acceperat ex bibliotheca Cardinalis Corradi, uti apparet ex ipſorum operum inſcriptione; qua oſtenditur inſuper ardens tanti Pontificis deſiderium, ne quid occultum remaneret, quod ſtudioſis poſſet expedire.

Quartus porro inter auctores Theologos eſt Lucas Caſtellinus ex Dominicana familia, & ſui quidem Religioſi Ordinis Procurator Generalis. Scripſit & ipſe ſub Urbano VIII. cui etiam dicavit opus *de certitudine gloriæ Sanctorum*; additis ſubinde duobus aliis tractatibus, id eſt *de inquiſitione miraculorum in Sanctorum Martyrum Canonizatione*, & *de dilatione Canonizationis*. Hæc autem Caſtellini opera, etſi methodo carere videantur, cum ſaltuatim ſcripta ſint, plura tamen habent notatu digna non modo ex Theologis, præſertim vero ex D. Thoma, ſed & ex Brevibus, & Romanorum Pontificum bullis, quæ maximopere prodeſſe poſſunt tum Procuratoribus & Advocatis, tum Fidei Promotori, tum etiam ceteris, qui ex officio in Beatificationum & Canonizationum cauſis judicium ferre tenentur.

Quintus eſt Franciſcus Victonius ex FF. Minimorum familia, qui pariter tractatum *de Sanctorum Canonizatione* conſcripſit tempore Urbani VIII. Sed ejus opus Gallico idiomate eſt exaratum; in quo tamen, etſi in Romana Curia Procuratoribus, Advocatis, & Congregationis ſacrorum rituum Conſultoribus non magno adjumento ſit, plura ſunt erudite collecta.

Sextus eſt Joannes Baptiſta Ricciolius Soc. Jeſu Theologus, qui ſcripſit ſub Clemente IX. eique opus ſuum nuncupavit. Ex ſolidis ſcilicet ſacræ Theologiæ principiis unice oſtendit *immunitatem erroris tum practici, tum ſpeculativi* in judicio, quod ſummi Pontifices ferunt in Canonizationum cauſis.

Septimus eſt Philippus Maria a S. Paulo Carmelita Diſcalceatus. Edidit anno 1677. *diſſertationem*, in qua plura ſunt utilia quoad viſorum materiam; utpote cum eam compoſuerit, ut demonſtraret, quædam viſa, de quibus actum fuit in cauſa Beatificationis S. Joannis a Cruce, fuiſſe ſupra naturam, ideoque inter miracula recenſenda.

Octavus eſt Cardinalis de Lauræa, qui *in ſuo curſu Theologico*, quem Innocentio XI. inſcripſit, non ſolum agit de *heroicitate* virtutum in Beatificandis & Canonizandis requiſita, verum etiam de miraculis & horum conditionibus, ut a ſacra Congregatione poſſint approbari, necnon de Martyrio. Auctor nimirum iſte minime compoſuit juſtum de Beatificatione & Canonizatione tractatum; &, quod conſequitur, prima facie non videtur de eo hic facienda mentio; attamen, quia fuit ſacræ rituum Congregationis Conſultor, & non modo inſtitutionem, ſed etiam uſum eorum, quæ neceſſaria ſunt ad virtutem heroicam, ad miracula, atque ad Martyrium perfectiſſime cognovit, non abs re exiſtimavimus ejus etiam meminiſſe; & eo quidem magis, quod non perfunctorie, ſed ex profeſſo de virtutibus ipſis egerit, de miraculis, ac de Martyrio.

Nonus eſt Carolus Felix de Matta Epiſcopus S. Severi. Edidit quippe temporibus Innocentii XI. tractatum *de Canonizatione Sanctorum*, in quo ſpeciatim de ſanctitate, de virtutibus, de gratiis gratis datis, & de miraculis differit: ideoque opus utilitate non caret.

Decimus eſt Franciſcus Bordonus ex Tertio Ordine S. Franciſci, qui tractatum exaravit *de miraculis, ratione habita Beatificationis, & Canonizationis*. Poſt ejus obitum formis excuſus fuit, & Clementi Papæ XI. dicatus.

UAB Biblioteca de Ciències Socials

catus. Aliqua nempe eo in opere notatione digna reperiuntur; ſed plura fortaſſe reperirentur, ſi opus ipſum a ſuo Auctore perfectum fuiſſet.

Ex Theologis demum undecimus eſt Jo. Baptiſta Memmius e Soc. Jeſu; quippe qui, arrepta occaſione Canonizationum Sanctorum, quas peregit Benedictus XIII. tractatum Italico ſermone edidit *de Sacro ritu Sanctos canonizandi*. Nec omitti debet Auctor anonymus *dogmatici diſcurſus de Sanctorum Canonizatione* formis Pariſienſibus Gallico idiomate impreſſi anno 1739. poſt primam noſtri hujus Operis editionem.

Juris autem Pontificii Profeſſorum, qui de Canonizatione tractarunt, agmen ducit Cardinalis Oſtienſis *in comment. ad cap. Audivimus: de Reliq. & venerat. Sanctorum* Scripſit enim circa annum 1254. cum hortatu Alexandri IV. Summi Pontificis jura Pontificia commentariis & notis illuſtraret: ceteri, qui idem caput *Audivimus* explicarunt, ea ſolummodo animadverterunt, quæ ab eodem Cardinali Oſtienſi jam adnotata fuere, ordinem procedendi in Beatificationis & Canonizationis cauſis potiſſimum reſpicientia. Peculiarem poſtea de *Canonizatione* tractatum edidit circa annum 1446. Troilus Malvetius; quod quidem opus typis impreſſum eſt inter tractatus, qui *magni* vulgo appellantur, & in quo, præter ordinem procedendi in dictis cauſis, quædam etiam quoad virtutes, necnon plura quoad miracula examinantur: & per eadem circiter tempora Martinus Laudenſis parvum conſcripſit tractatum *de Canonizatione S. Bernardini Senenſis*. Allata vero tum a Cardinali Oſtienſi, ceteriſque juris Pontificii Profeſſoribus, tum a Troilo Malvetio, collecta fuerunt, & recte digeſta a Jacobo Caſtellano de Fara Canonico Lateranenſi, dum tractatum pariter *de Sanctorum Canonizatione* exaravit, quem Leoni X. ſummo Pontifici dicavit, in cujus præfatione hæc habentur: *Tacuit materia Canonizationis, Beatiſſime Pater, a tempore Sixti IV. Prædeceſſoris tui uſque ad Apoſtolatum tuum auguſtiſſimum, eaque, veluti in remotis locata, ſitu quodam obducta jacebat. Tantum enim ex ea ſumebatur quantum ad corroborandas alias materias frequentiores ac magis quotidianas conducere videbatur; ipſa vero principaliter & per ſe nunquam expetebatur. At nunc in feliciſſimo Pontificatu tuo in tanta celebritate verſatur, tantum per ora Fidelium fere omnium evolat, ut quæ antea neglecta jacebat, nunc tanquam de tenebris & ſitu in lucem & claritatem evecta, per ſe quam maxime expetatur; &, ſi inter ſacros canones ea ipſa occurrat, affigitur eidem animus, multoque avidius ipſam, quam aliam, contemplatur: quamobrem accendebatur mihi animus magnopere ad eam, ſi vires meæ tuliſſent, per diverſa loca diſperſam, in unum ac breve compendium redigendam. Quod effeci tandem, Dei beneficio & ope, brevemque tractatum de canonizatione Sanctorum ſecundum traditiones Canoniſtarum pro ingenii facultate compoſui*. Item ante decreta generalia Urbani VIII. P. Virgilius Ceparius Soc. Jeſu *directorium Canonizationis Sanctorum* compoſuit, quod nunquam tamen editum fuit; in quo profecto & plura adnotata ſunt de modo ac ratione conficiendi proceſſus in Beatificationis, & Canonizationis cauſis, ut ex ejus præfatione deprehenditur (*Licet enim*, inquit, *Doctores multa de Canonizatione ſcripſerint, & peritiſſimi aliqui Canoniſtæ præclaros de hac materia tractatus ediderint, nonnulli quoque relationes diverſarum cauſarum Canonizationis evulgaverint, quas in hoc directorio adducemus, rationem tamen coficiendi proceſſus informativos primos apud Ordinarios locorum, expediendi literas remiſſoriales pro formandis proceſſibus ſecundis in genere, & tertiis in ſpecie auctoritate Apoſtolica, compulſandi ſcripturas ex publicis tabulariis & archivis, & agitandi has cauſas in Romana Curia intactam omnino reliquerunt*) & adhuc plura extant de Romani Pontificis poteſtate in Canonizatione Sanctorum. Sed, cum major pars operis hujus verſetur in expendendo, cujuſmodi cultus præſtandus ſit Dei Servis nondum beatificatis, aut canonizatis (quod argumentum

poſt decreta & Breve Urbani VIII. in quibus fere omnes de eo quæſtiones definitæ fuerunt, nullum amplius ſibi vindicat locum) hac forte de cauſa factum eſt, ut directorium ipſum, quod ab Auctore vivente minime vulgatum fuit, neque poſt ejus obitum fuerit unquam typis impreſſum, atque ideo quaſi inutile evaſerit : quapropter & ſupervacui quodammodo haberi debeant eximii hujus viri labores, ſpatio licet triginta annorum fuerit Poſtulator cauſarum Beatificationis & Canonizationis Servorum Dei e Soc. Jeſu, quemadmodum teſtatur ipſemet in eadem præfatione: *Quamobrem*, inquit, *cum ego aſſiduo triginta jam annorum ſtudio & labore, & longa harum cauſarum tractatione & uſu didicerim, qua ratione hæ cauſæ ſint ad gloriam Dei & Sanctorum honorem inſtituendæ, inchoandæ, proſequendæ, ad optatum finem perducendæ, ut hæc mea experientia multis adjumento eſſe poſſit, decrevi hoc directorium conſcribere, quo lectores inſtruantur*. Tandem Felix Contelorius tractatum edidit *de Canonizatione Sanctorum*, in quo de poteſtate ſummi Pontificis, de virtutibus, de miraculis, ac de proceſſibus tractat. Et ſane, cum fuerit inſignis in Romana Curia Advocatus, aptior ceteris eſſe potuiſſet ad univerſam materiam enucleandam ; ſed id minus perfecit, vel quia aliis curis & negotiis fuit diſtentus, vel quia, cum intuitu cauſarum, quæ ſubſequentibus temporibus fuerunt in ſacrorum rituum Congregatione diſcuſſæ, ſe obtulerit occaſio alia ſemper, eaque nova dubia examinandi, præteritorum, quam probe habuit notitiam, habere nequaquam potuit & futurorum.

Alia plura ad argumentum præſens pertinentia a juris Pontificii peritis conſcripta fuere. Roſa quippe nonnullas compoſuit additiones ad ſuum tractatum *de Executoribus literarum Apoſtolicarum*, ubi ſatis apte diſſeruit de validitate proceſſuum in Beatificationum & Canonizationum cauſis; & quidem non perfunctorie, ſed ex profeſſo. Joannes Migetius olim in Romana Curia Advocatus inſtitutionem exaravit *de modo conficiendi proceſſus in eiſdem cauſis*, quæ fuit typis impreſſa opera Monialium Viſitationis B. Mariæ, utpote comparata ad probe conficiendos proceſſus edocentes, quos *informativos* dicunt, de cauſa venerabilis Servæ Dei Joannæ Franciſcæ de Chantal ipſarum Fundatricis. Frigidianus Caſtagnorius diſertus olim in Romana pariter Curia cauſarum Beatificationis & Canonizationis Patronus inſtitutionem conſcripſit *pro recte conficiendis auctoritate Apoſtolica proceſſibus ſuper virtutibus & miraculis*, quæ & typis edita fuit Cracoviæ, ſiquidem compoſita occaſione cauſæ Cracovienſ. Canonizationis B. Joannis Cantii. Petrus de Quintanilla idiomate Hiſpano edidit opus *ſuper decretis Urbani VIII. de non cultu*. Joannes Garzias de Caralaps tractatum condidit *de Canonizatione Sanctorum*, in quo quippe cum factus fuerit occaſione, qua Romæ pertractabatur cauſa cultus immemorabilis B. Ollegarii, quædam appoſite ſpectant ad caſum exceptum a decretis Urbani VIII. ratione cultus immemorabilis. Denique Michael Angelus Lapius olim Fidei Subpromotor opuſcula typis vulgavit, quorum unum *de heroicitate virtutum in Beatificandis & Canonizandis requiſita*, alterum *de inedia B. Nicolai de Flue*, tertium *de tempore, quo quis degere valeat ſub aquis, & non mori*: quæ quidem poſteriora eo ſpectant, ut ſcilicet tuto dignoſci queat, & quando inedia ad longum tempus protracta excedat naturæ vires; & quando inter miracula id recenſeri poſſit, cum quis, prævia alicujus Servi Dei invocatione, incolumis evadit ab aquis, quibus aliquandiu fuit immerſus. Præterquamquod inter *quæſtiones medico-legales* Pauli Zacchiæ pleraque ſunt, ex quibus perſpicuum fit, utrum ſanationes ſint naturæ, an miraculo adſcribendæ; quemadmodum & hujuſmodi aliqua, de eodem videlicet argumento, formis excuſſa ſunt poſt *conſuetudines Neapolitanas* Molpheſii *tom.* 2. ut & inter *canonicas* Jacobi Pigna-

UAB Biblioteca de Ciències Socials

gnatelli *consultationes* multæ extant ad Canonizationis materiam universim pertinentes; nec enim omittenda est *practica Theologico-Canonica ad causas Beatificationum & Canonizationum pertractandas* edita a Fr. Augustino Matthæuccio ex Minor. Observ. familia olim sacrorum rituum Congregationis Consultore.

Porro, cum, juxta dicenda in hujus Operis progressu, Canonizationum causæ olim committerentur tribus antiquioribus Rotæ Auditoribus, qui suas proinde relationes conficiebant, nonnullæ adhuc supersunt ex ipsis relationibus, quæ insuper memorari merentur. Nempe quæ sequuntur, typis impressæ sunt: relatio causæ S. Bonaventuræ *inter ejus opera tom.* 2. S. Francisci de Paula *post ejus vitam* conscriptam ab erudito viro Josepho Maria Perimezzi Episcopo Oppidensi; S. Thomæ de Villanova post Contelorium *de Canonizatione Sanctorum*; S. Andreæ Corsini apud Lezanam *consult.* 1. B. Gregorii post ejus *vitam* affabre, ut solebat, exaratam a P. Antonio Maria Bonuccio Soc. Jesu; S. Aloysii Gonzagæ *in Actis Bollandianis*, quibus etiam aliæ editæ comprehenduntur; S. Pii V. *in ultimo tomo annalium Bzovii*; binæ demum in causa S. Teresiæ, quarum una super ejus miraculis, altera super virtutibus, formis excusæ fuerunt. *Viennæ in Austria anno* 1628.

Aliæ vero, præter typis impressas, manuscriptæ circumferuntur, quæ spectant ad causas tum SS. Andreæ Avellini, Caroli Borromæi, Didaci, Mariæ Magdalenæ de Pazzis, Philippi Nerii, Hyacinthi, Cajetani, Isidori Agricolæ, Franciscæ Romanæ, Teresiæ, Petri de Alcantara, Elisabeth Reginæ Portugalliæ, Philippi Benitii, Raymundi de Pennafort, Paschalis de Baylon, Felicis a Cantalicio, Joannis de Deo, Ludovici Bertrandi, Francisci Borgiæ, Francisci Xaverii, Jacobi de Marchia, Joannis a Cruce, Catharinæ de Ricciis: tum BB. viginti-sex Martyrum Japonensium, Josaphat Archiepiscopi Pollocensis; tum demum Servorum Dei, Nicolai Factor, Hieronymi Æmiliani, Juliani a S. Augustino, Joannæ de Cruce.

In hisce nimirum Rotæ Auditorum relationibus, quandoquidem continent examen tum validitatis processuum, tum virtutum, tum etiam miraculorum, utcumque aliqui obloqui ausi sint, non modicum inest pondus: ideoque iis in rebus, in quibus non fuit ipsis derogatum vel a subsequenti & posteriori sacræ rituum Congregationis consuetudine, vel ab ejusdem sacræ Congregationis, aut summorum Pontificum Urbani VIII. & Innocentii XI. decretis, absonum profecto esset, easdem non admittere alia inter scripta auctoritate pollentia. Quapropter de relationibus ipsis merito ita loquitur Castellinus *in tractatu de inquisitione miraculorum in Sanctorum Martyrum Canonizatione pag.* 132. *num.* 36. *Denique veritas explicata, & modo prædicto corroborata, quæ continetur in prædictis relationibus magna diligentia editis, nunquam legitur, quod fuerit infirmata, sed approbata; &, illa duce, processum sit fere semper, ne dicam verius simpliciter & semper, ad actum solemnis Canonizationis.* Item *pag.* 331. *Idem quoque suaderi potest, spectata conditione personarum, ac munerum eorum præstantissimorum virorum, per quos regulariter eduntur consimiles relationes; nam fere semper editæ fuere per amplissimos Patres sacræ Rotæ Romanæ Auditores, quorum spectata doctrina & eximia dignitas cunctis quidem explorata est. Præterea eamdem eximiam auctoritatem dictarum relationum satis aperte declarat præstantia finis, ad quem seu propter quem conduntur, ut scilicet per illas perducatur ad desideratum exitum negotium tanti momenti, quale est in Ecclesia sancta Dei illud solemnis Canonizationis Justorum, ad quem effectum offeruntur Pontifici Romano pro tempore existenti.*

Et hæc quidem de Jurisperitis, qui de Sanctorum Canonizatione tractatus, aut opera composuerunt. Sequuntur decreta, & ordo confi-

cien-

UAB Biblioteca de Ciències Socials

ciendi proceſſus in cauſis Beatificationis & Canonizationis Sanctorum, quæ edita fuere auctoritate ſummi Pontificis Urbani VIII. aliaque noviſſima decreta ad idem inſtitutum pertinentia, auctoritate ſummi Pontificis Innocentii XI. promulgata, de quibus in hoc Opere agendi ſæpenumero occaſio dabitur.

Earum porro relationum, quæ editæ ſunt, quotieſcumque ab aliquo ſummo Pontifice aut alicujus Servi Dei Beatificatio, aut Beati alicujus Canonizatio peracta fuit, potiſſimum quæ Italico idiomate conſcriptæ ſunt, & quarum latent Auctores, nullam hic rationem habere inſtituimus: ſed eas tamen loculentiores enarrationes proſequemur, quæ vel propter Auctorum antiquitatem, vel propter eorum auctoritatem, fidem ſibi maxime conciliant; quare & eſſe queunt tanquam regula, ut ipſa Beatificationis & Canonizationis ſolemnia rite recteque perficiantur.

Antiquior ſcilicet ex his, quas prætereundas eſſe minime ducimus, eſt Ordo Romanus Jacobo Cardinali Cajetano, qui mortuus eſt ſub Clemente VI. attributus, atque editus a Mabillonio *in Muſeo Italico tom.* 2. Hunc excipit Ordo Auctoris, qui in aula Pontificia rituum formulis præerat anno 1347. typis impreſſus apud Raynaldum *in annal. ad eumdem annum*. Tertio venit Ordo Romanus Petri Amelii ex Ordine Eremitarum S. Auguſtini, Æditui Urbani V. qui a Mabillonio pariter evulgatus fuit *in eodem muſeo Italico tom.* 2. Sequitur liber Volaterrani, in quo deſcripta fuit Canonizatio S. Bonaventuræ, qui & extat apud Raynaldum *ad annum* 1482. *num.* 46. Quinto adeſt Ordo Canonizationis Sanctorum ſcriptus anno 1494. typis autem excuſus *tom.* 3. *collect. CC. Britanniæ*. Occurrunt ſexto liber ſacrarum cæremoniarum, ſive rituum Eccleſiaſticorum Eccleſiæ Romanæ, qui nomen præfefert Chriſtophori Marcelli Archiepiſcopi Corcyrenſis, quique editus fuit tempore Leonis X. & ipſi dicatus; necnon Diaria Paridis de Craſſis cæremoniarum Magiſtri ſub eodem Leone X. in quibus ad amuſſim expoſita ſunt omnia ſolemnia, quibus Canonizatio S. Franciſci de Paula peracta eſt. Septimo loco recenſeri debent Acta tum Latino, tum Italico idiomate binis libris conſcripta a Franciſco Penia Rotæ Auditore *de Canonizatione S. Didaci*; atque etiam ejuſdem Canonizationis Acta, quæ fuerunt a Petro Galeſinio Apoſtolico Protonotario compoſita, & Sixto V. nuncupata. Octavum tenet locum opus Marci Aurelii Grattarolæ, cujus eſt inſcriptio, *Succeſſi maravigliosi della venerazione di S. Carlo*. Nono autem referenda ſunt Acta Canonizationis S. Hyacinthi, collecta & edita a Severino Cracovienſi ex Ord. FF. Præd. Decimo Acta Canonizationis S. Raymundi de Pennafort, quæ extant in ejus vita formis excuſa, & notis illuſtrata a ſupra citato Franciſco Penia Rotæ Auditore. Undecimo Acta Canonizationis S. Andreæ Corſini condita opera Petri Dominici ab Jeſu Carmelitæ. Duodecimo Acta Beatificationis S. Andreæ Avellini, relata in opere, cujus titulus, *Succeſſi maravigliosi della venerazione del Beato Andrea Avellino*, edita vero ab Joanne Antonio Caggiano Clerico Regulari. Tum autem decimus tertius in hoc elencho locus debetur Actis Canonizationis S. Thomæ a Villanova evulgatis a P. Andrea Aznar ex Ordine Eremitarum S. Auguſtini. Decimus quartus deinceps Actis Beatificationis & Canonizationis S. Franciſci de Sales, publica donatis luce a Dominico Cappello. Poſtremus Actis Canonizationis SS. Petri de Alcantara, & Mariæ Magdalenæ de Pazzis collectis atque in lucem prolatis ab eodem Cappello; ad quorum calcem extat etiam diſſertatio Franciſci Mariæ Phœbei Archiepiſcopi Tarſenſis de Sanctorum Canonizatione, haud inſuper habenda.

Et

Et omnes quidem modo enuntiati libri ſolemnia exhibent Beatificationis & Canonizationis. Quamquam & multa ejuſdem generis habentur apud Cardinalem Oſtienſem, reliquoſque Pontificii juris Interpretes *in commentariis ad cap. Audivimus: de Reliquiis & veneratione Sanctorum*; tum autem in ſupra memorato Angeli Roccæ opere *de Canonizatione Sanctorum*; necnon in Bzovii tractatu *de Romano Pontifice*, cum perhibeat ſuffragia omnia tum Cardinalium, tum Epiſcoporum, tum etiam aliorum pro Canonizatione S. Franciſcæ Romanæ, & S. Caroli Borromæi, una cum ceteris, quæ ad ſolemnia ipſarum Canonizationum perfecta fuerunt. Sed & Jo. Baptiſta Marius Canonicus Collegiatæ eccleſiæ S. Angeli in Foro Piſcium diatribam exaravit & edidit *de myſtica rerum ſignificatione, quæ in Sanctorum Canonizatione ad Miſſarum ſolemnia ſummo Pontifici offerri ſolent*. Quin etiam, cum typis Rev. Cameræ Apoſtolicæ impreſſæ fuerunt anno 1712. *Preces dicendæ per SS. D. N. Clementem Papam XI. in Canonizatione SS. Pii V. Andreæ Avellini, Felicis a Cantalicio, & Catharinæ Bononienſis*, eis addita eſt tota cæremoniarum ea in celebritate habitarum ſeries. Præterquamquod Acta Canonizationis modo memoratorum Sanctorum una cum Actis Beatificationis Servi Dei Joannis Franciſci Regis inter Beatos relati ab eodem ſummo Pontifice Clemente XI. collecta fuerunt, & Romanis typis in lucem emiſſa anno 1720. ab Juſtiniano Chiappono Apoſtolicarum cæremoniarum Præfecto. Quæ nimirum omnia auctoritatis loco habenda certe ſunt: ne illum poſtremo prætermittamus, qui juſſu ſan. mem. Benedicti XIII. accurante Juſto Fontanino Archiepiſcopo Ancyrano, anno 1729. prodiit, *Conſtitutionum codicem*, quas ſummi Pontifices in ſolemni Sanctorum Canonizatione ediderunt ab anno 993. ad annum uſque 1729.

Cum igitur tot & tanta de Sanctorum Canonizatione univerſim conſcripta & edita ſint, alicui fortaſſe videri poſſit, nihil ea de re ſcribendum amplius ſupereſſe; noſque idcirco oleum atque operam perdidiſſe, quod labores ſuſceperimus quacumque utilitate carituros. At Operis noſtri conſilium atque rationem prius noſcere oportet: quod ut aperiamus, in præſenti relinquum eſt. Nam ingenue quidem admittimus, quin & ſuſpicimus editorum ab aliis ſcriptorum diligentiam, eruditionem, doctrinam, utilitatem; atque adeo ab iis plura, eaque maxima commoda in noſtrum hunc tractatum derivata eſſe, ultro confitemur: ſed poſt evulgata ingentia volumina de Sanctorum Actis, quæ primo collegit Bollandus e Soc. Jeſu, tum autem eruditiſſimi alii viri ex eadem Societate proſecuti ſunt, & laudabiliter proſequuntur, necnon poſt illuſtratam aliorum magni nominis virorum laboribus longe lateque Eccleſiaſticam hiſtoriam, quoniam non pauca ſane, ſed bene multa publici juris facta ſunt, quæ antea in bibliothecis & archivis latebant, quæque ad amplitudinem ac lucem Canonizationis negotio aſſerendam non parum conducere poſſe videbantur, hæc ipſa ſaltem haud inopportunum fore exiſtimavimus ſuis locis diſponere; quod etſi profecto melius a quovis ex tot illis antea recenſitis Auctoribus præſtari potuiſſet, nunc jam, quandoquidem obiere, nullo pacto poteſt. Accedit, immo vero rei caput eſt, quod, exceptis quatuor aut quinque ex memoratis ipſis Auctoribus, qui de Canonizatione Sanctorum tractatus condiderunt, nemo inter eos ſacrorum rituum Congregationi, in qua ipſæ Beatificationis & Canonizationis cauſæ perpenduntur & ſedulo examinantur, interfuit; aut, ſi quis eorum interfuit, non aliam quam Conſultoris perſonam ſuſtinuit. Accedit præterea, quod poſt Urbanum VIII. & Innocentium XI. ſummos Pontifices, qui jam indicata ſanxerunt decreta, alia plura a ſummis Pontificibus

eo-

eorum Succeſſoribus, necnon a ſacrorum rituum Congregatione edita ſunt, quæ paſſim ignorantur. Poſtremo illud quoque accedit, quod de præſenti Apoſtolicæ Sedis conſuetudine in Servorum Dei Beatificatione, & Beatorum Canonizatione, de conceſſione Miſſæ, ac Officii, de nominum in Martyrologio Romano deſcriptione, aut de aliis publici cultus ſpeciebus, quæ Beatis, aut Sanctis, ſervato ordine, ab Apoſtolica ipſa Sede indulgentur, nemo adhuc tractavit. Quam ob rem non uſquequaque inutilem provinciam nos aggreſſuros eſſe putavimus, ſi, poſtquam ab anno 1701. uſque ad 1708. Conſiſtorialis Advocati munere ex Clementis XI. beneficentia fungentes multis Sanctorum Canonizationis cauſis, præſertim vero S. Catharinæ de Bononia, & S. Pii V. patrocinium feliciter præſtitimus; deinde poſtquam ab anno 1708. ex ſingulari memorati Pontificis beneficio ad ſpectabile Fidei Promotoris Officium evecti, eodemque perfuncti uſque ad annum 1728. ea, qua per noſtrarum virium imbecillitatem nobis licuit, diligentia, nedum voce, ſed & ſcriptis plane innumeris in evolvendas Beatorum & Sanctorum cauſas, necnon in perpendenda ſacræ rituum Congregationis decreta atque inſtituta noſtram, qualiſcumque fuerit, operam contulimus; poſtquam demum per tot annos ex officio aſſertiones eorum, qui pro Beatificatione & Canonizatione ſcribebant, impugnavimus, totque doctiſſimos viros tum ex collegio S. R. E. Cardinalium, tum ex cœtu ſpectabilium Romanæ Curiæ Præſulum, tum etiam ex Regularibus familiis loquentes, & in ſacris Congregationibus ſuffragium ſuum pro rei veritate ferentes audivimus; ſi, inquam, poſt hæc omnia, de Canonizationis argumento & nos aliqua ederemus, quæ ejus ſaltem cauſarum Patronis, & Conſultoribus uſui fore nobiſmet ipſis viſa ſunt. An autem id e re ceſſerit, lectores porro viderint; quos ex animo obſecramus, ut erratis, ſi qua irrepſerint, velint non gravate ignoſcere: ſcripſimus enim non inter otium, ſed inter Paſtorales Anconitanæ primum, poſtea Bononienſis Eccleſiæ curas, eaſque non ſane paucas, nec levis momenti, ideoque horis ut plurimum ſucciſivis, nec ſine incommodo ante ſolis ortum ſæpiſſime ſomno ſubtractis. Finem tandem facimus, omnia & ſingula Apoſtolicæ Sedis judicio ſubjicientes, ideoque ratum habentes, quod Oraculo illo probabitur, irritum vero, ſiquid reprobari forte contigerit.

DE



DE SERVORUM DEI BEATIFICATIONE, ET BEATORUM CANONIZATIONE

LIBER PRIMUS,

IN QUO PRÆLIMINARES EXPONUNTUR CONTROVERSIÆ.

CAPUT PRIMUM.

De ſuperſtitioſa Apotheoſi Gentilium.

1. MOS eſt eorum, qui de Sanctorum Canonizatione Tractatum inſtituunt, aliqua præmittere de ſuperſtitioſa Apotheoſi Gentilium. Apotheoſis, quæ etiam Conſecratio dicta eſt, nihil aliud erat, quam ſolemnis alicujus hominis inter Deos adſcriptio: unde apud Ciceronem *de Natura Deorum* l. 2. c. 24. *Conſecrare Liberum*, & ſimilia paſſim. Apotheoſis ritum Herodianus, & Dio fuſe deſcribunt; tum apud Livium, Plutarchum in *Vita Romuli*, & Lactantium *de falſa Religione* plura habentur de Romuli Apotheoſi: Tacitus etiam refert, Divinos honores Auguſto Imperatori poſt obitum delatos. Scribentium mori & nos obſequemur; dumque ex probatiſſimis & antiquioribus Authoribus tentatam apud Senatum Romanum Chriſti Domini Noſtri Apotheoſim exponimus, potiora de ejus ritu innuimus. Tentatam diximus Chriſti Domini Apotheoſim, cum Divini Judicii ſapientia effecerit, ne Chriſtus inſtar falſorum Numinum Divinitatem ab hominibus accepiſſe videretur, & Chriſtiana Religio per univerſum orbem ſtatim effundenda, propagationem judicio & authoritate Romani Senatus obtinuiſſe.

2. Pilatus Judææ Præſes ad Cæſarem ſcribere ſolitus res magni momenti, quæ illic contigerant, narrationem miſit ad Tiberium patratorum a Chriſto prodigiorum, Divinarum Virtutum, excitationis ipſius a mortuis, & novæ ab eo conditæ Religionis, teſte Tertulliano in *Apologetico adverſus gentes cap.* 21. ubi, præmiſſa analyſi prodigiorum a Chriſto patratorum, ait: *Ea omnia ſuper Chriſto Pilatus & ipſe jam pro ſua conſcientia Chriſtianus Cæſari tunc Tiberio nunciavit; ſed & Cæſares credidiſſent ſuper Chriſto, ſi aut Cæſares non eſſent ſæculo neceſſarii, aut ſi & Chriſtiani potuiſſent eſſe Cæſares:* & Sanctus Juſtinus Martyr *in Apologia ad Antoninum Imperatorem*, (quæ paſſim in vulgatis editionibus *ſecunda* inſcribitur, etſi jamdiu communi ferme Eruditorum conſenſu *prima* habeatur) nonnullis relatis Chriſti prodigiis, ſubjungit: *num.* 35. *Atque hæc ita geſta eſſe, ex Actis ſub Pontio Pilato confectis diſcere poteſtis*: & multis interjectis *num.* 48. *quæ quidem ab eo facta eſſe, ex confectis ſub Pontio Pilato Actis diſcere poteſtis.* Diximus *narrationem*, & diximus *Acta*: eorum quippe tranſmiſſio vetuſtiſſimis & graviſſimis Auctoribus innixa, Tertulliano videlicet, & Juſtino relatis, & Euſebio mox referendo, certa eſſe videtur, uti bene ponderat Calmet *in ſua Diſſertatione de Actis Pilati ad Tiberium tranſmiſſis*. Nullam autem fecimus mentionem epiſtolæ Pilati ad Tiberium, ut falebroſam de ea quæſtionem evitaremus, cum varia ipſius ſint exemplaria, aliud apud Cardinalem Baronium *ad ann. Chriſti* 34. *n.* 223. aliud apud Sixtum Senenſem *lib.* 2. *Bibliothecæ Sanctæ*, & aliud emendatius apud Florentinium *in Notis, & Exercitationibus ad Apoſtolorum indiculum pag.* 113.

3. Cæſar Chriſti Apotheoſim tentavit apud Senatum Romanum; ſed obtinere non potuit, eam potiſſimum ob cauſam, quod ante ejus Decretum affulgens Crucifixi potentia univerſum Orbem ad ſui Cultum attraxerat: Tiberius autem a ſua ſententia diſcedere noluit, publicato edicto adverſus accuſatores Chriſtianorum, uti teſtatur Tertullianus *in Apologetico cap.* 5. ubi ſic ſcribit: *Apud vos de humano arbitratu Divinitas penſitatur. Niſi homini Deus placuerit, Deus non erit. Homo jam Deo propitius eſſe debebit. Tiberius ergo, cujus tempore nomen Chriſtianum in ſæculum introivit, annuntiatum ſibi ex Syria Palæſtina, quod illic veritatem illius Divinita-*

tis revelaverant, detulit ad Senatum cum prærogativa suffragii sui. Senatus, quia non in se probaverat, respuit. Cæsar in sententia mansit, comminatus periculum Accusatoribus Christianorum.

4. Eusebius Cæsariensis *lib. 2. Hist. Eccles. c. 2. ex vers. Rufini* rem totam sic exponit: *Cum per omnem jam locum de resurrectione, & mirabilibus Domini Jesu Christi, & de Ascensione ejus ad Cælum felix fama loqueretur, ac per omnium aures beati hujus rumoris volveretur opinio; quoniam antiqui moris erat apud Romanos, ut Provinciarum Judices, si quid forte novi in his, quas regebant, Provinciis accidisset, vel Principi, vel Senatui nuntiarent, ut ne ex his, quæ gerebantur, ignorare aliquid viderentur; de Resurrectione a mortuis Domini, & Salvatoris nostri Jesu Christi, quæ jam in omnem locum fuerat pervulgata, Pilatus Tiberio Principi refert. Sed & de cæteris mirabilibus ejus, & ut, post mortem cum resurrexisset, a quamplurimis jam Deus esse crederetur. Tiberius, quæ compererat, retulit ad Senatum: Senatus autem sprevisse dicitur pro eo, quod non sibi prius hujus rei judicium fuerit delatum; sed authoritatem suam prævenit vulgi sententia. Lex enim erat antiquitus designata, ne quis apud Romanos Deus haberetur, nisi Senatus Decreto, atque sententia confirmatus. Porro autem pro vero hoc erat, quod gerebatur, ne Divina Virtus humanis putaretur assertionibus indigere. Cumque, secundum ea, quæ supra diximus, renuisset Senatus, Tiberius tamen tenuit sententiam suam, ut ne quid adversus Doctrinam Christi contrarium moliretur.*

5. Concordat Sanctus Joannes Chrysostomus *hom. 26. in epist. 2. ad Corinthios tom. 10. pag. 624.* ubi sic loquitur: *Romanorum Senatus . . . . hanc potestatem habebat ut Deos crearet atque conscriberet. Cum res omnes a Christo gestæ nuntiatæ sunt, Romam misit is, qui Judæorum Nationi præerat, sciscitans ex ipsis, num eum quoque Deum creare placeret. Id vere illi facere recusarunt, quod iniquo, atque infenso animo ferrent, ante Decretum suum, atque sententiam Crucifixi potentiam effulgentem universum Orbem ad sui Cultum attraxisse.*

6. Paulus Orosius *lib. 7. Histor. cap. 4. tom. 6. Biblioth. PP.* sic loquitur: *Postquam passus est Dominus Christus, atque a mortuis resurrexit, & discipulos suos ad prædicandum dimisit, Pilatus Præses Palæstinæ Provinciæ ad Tiberium Imperatorem, atque ad Senatum retulit de passione, & resurrectione Christi; consequentibusque virtutibus, quæ vel per ipsum palam factæ fuerant, vel per Discipulos ipsius in nomine ejus fiebant, & de eo, quod certatim, crescente plurimorum fide, Deus crederetur. Tiberius cum suffragio magni favoris retulit ad Senatum ut Christus Deus haberetur. Senatus indignatione motus, cur non sibi prius secundum morem delatum esset, ut de suscipiendo Cultu prius ipse decerneret, Consecrationem Christi recusavit, Edictoque constituit, exterminandos esse Urbe Christianos; præcipue cum & Sejanus Præfectus Tiberii suscipiendæ Religioni obstinatissime contradiceret: Tiberius tamen edicto accusatoribus Christianorum mortem comminatus est.*

7. Sanctus Gregorius Turonensis *lib. 1. Histor. cap. 23.* factum narrat: *Pilatus autem gesta ad Tiberium Cæsarem mittit, & ei tam de Virtutibus Christi, quam de passione, vel resurrectione ejus insinuat. Quæ gesta apud nos hodie retinentur scripta. Tiberius autem hoc ad Senatum recensuit; quod Senatus cum ira respuit pro eo, quod non ad eum primitus advenisset.*

8. Nicephorus Callistus *lib. 2. Histor. cap. 8.* hæc habet: *Consuetudo autem inde a plurimis annis obtinuerat, ut, qui Præfecturas, ac Provincias sortiti essent, res novas, quæ sub eis accidissent, singulas summum Imperium habenti Cæsari significarent, ut illum nihil prorsus rerum lateret. Itaque de Resurrectione ex mortuis, aliisque prodigiis Jesu Christi Tiberio Cæsari scribens Pilatus, cum res ejus pleraque, tum quod ex mortuis rediisset, sibique ipsi superstes, Deus jam a multis, & quidem præcipuus, inter alios Deus esse crederetur, renuntiavit. Quam rem Tiberius ad Senatum Romanum retulit. Senatus autem non esse deliberandum de ea censuit, sub illo quidem prætextu, quod ille non prius, veteri more ipsius Senatus sententia in Deos esset relatus, re autem ipsa, quod Divinæ Doctrinæ disciplina humano prorsus non indigeret auxilio. Sed enim, etiamsi Senatus ad eum modum verbum de Servatore rejecisset, Cæsar tamen in sententia sua perstitit, salutarique prædicationi impedimento non fuit.*

9. Denique apud Lampridium in *Alex. Severo* c. 43. legitur, id ipsum fieri voluisse ab Imperatore Hadriano, & subinde ab ipso Alexandro Severo: *Christo Templum facere voluit, eumque inter Deos recipere, quod & Hadrianus cogitasse fertur, qui Templa in omnibus Civitatibus sine Simulacris jusserat fieri; quæ hodie idcirco, quia non habent Numina, dicuntur Hadriani, quæ ille ad hoc parasse dicebatur: sed prohibitus est ab iis, qui consulentes sacra, repererant, omnes Christianos futuros, si id optato evenisset, & Templa reliqua deserenda.* Fama quippe mirabilium a Christo Domino patratorum percrebuerat; nec ea a solis Christianis, sed etiam ab aliis Historicis non Christianis non sine laude fuerant exposita. Ut ceteros prætereamus, illustre est de Christo testimonium Josephi Hebræi *lib. 18. antiquitatum cap. 4.* Nec enim nos præclarum Josephi de Christo testimonium credimus, pio dolo a priscis Christianis historiæ Josephi assutum; siquidem ipsum ut genuinum exhibent Eusebius *in hist. Ecclesiastica*, Hieronymus *in lib. de script. Ecclesiast.* Isidorus Pelusiota *in epist.* Sozomenus, & Nicephorus, atque adeo ut genuinum vindicant Valesius *in notis ad Eusebium*, Huetius *in demonstratione Evangelica*, Tillemontius *not. 40. in ruinam Judæorum tom. 1. hist. Imperatorum.*

10. Hucusque adducta, ni fallimur, nedum ostendunt, quid esset Apotheosis apud Gentiles, sed & cujus fieret auctoritate. Heterodoxi recentiores, Catholicæ Religioni, & Apostolicæ Sedi infensissimi, superstitiosam prædictam Gentilium Apotheosim, seu Consecrationem pluribus prosequuntur, & audent asserere, Sanctorum nostrorum Canonizationem cum ea convenire, & ab ea suam originem desumpsisse; quemadmodum videri potest apud Rodulphum Hospinianum *in tract. de origine, progressu, cæremoniis, & ritibus Festorum c. 6.* & Joannem Albertum Fabricium *in bibliograph. antiq. c. 8. n. 24.* Sed toto cælo aberrant, cum nec nostrorum Canonizatio conveniat cum Apotheosi Gentilium, nec ab ea suam deducat originem.

11. Dictum est, nostrorum Canonizationem non convenire cum Apotheosi Gentilium: primo, quia heroica nostrorum facinora, & miracula eorum intercessione a Deo patrata, multorum testium de visu proprio, & de rebus potentiæ visivæ subjectis innituntur affirmationi, quorum etiam dicta serio perpenduntur & examinantur; in Apotheosi vero Gentilium res ut plurimum conficiebatur per testis assertionem referentis, se consecrandum vidisse ex igne redivivum cælum penetrare. Prima Apotheosis, quæ facta sit a Romanis, Romuli fuit. In honorem quippe Romuli sacrificia expleta sunt, uti bene observat Saubertus *de sacrificiis c. 5.* quidquid in contrarium opinatus sit Vossius *de idololat. lib. 1. cap. 12.* Et prædicta Apotheosis soli innixa est testimonio Julii Proculi, qui suggerentibus senibus illis, qui Romulum occiderant, quippe timebant, ne ipsorum facinus prodereretur, affirmavit, seipsum vidisse splendidis vestibus indutum, ipsumque audivisse sibi imperantem, ut templum in sui honorem erigeretur, utpote inter Divos adscripti, & ut in posterum non Romulus, sed Quirinus appellaretur; uti referunt Minutius Felix *in Octavio*, Livius *l. 1.* Plutarchus *in vita Romuli*. Similia contigerunt in Apotheosi Octaviani Augusti: *Nec defuit vir Prætorius* (verba sunt Suetonii in ejus *vita c. 101.*) *qui se effigiem cremati euntem in cælum vidisse jurasset;* ideoque S. Justinus Martyr *in apol. cit. n. 21.* scribit: *Nam & morientes apud vos Imperatores semper immortalitati consecrandos judicatis, ac producitis, qui etiam juratus vidisse se crematum Cæsarem in cælum abeuntem dicat.* Eodem sæculo mortua Drusilla Caji Caligulæ soror consecrata est, atque ut ait Dio *l. 59. p. 648. Panthea vocata, & Divinis honoribus per omnes urbes culta.* Et Vossius quidem eam habitu Veneris cognomine Pantheæ consecratam putat, & Lipsio assentitur, qui eodem refert veterem inscriptionem, in qua *Venus cælestis Augusta* nominatur. Jam vero idem Dio asserit fuisse virum quemdam Senatorii ordinis, qui eam se vidisse in cælum ascendentem juravit; sic enim subdit: *Livius etiam quidam Geminius Senator, vidisse se eam in cælum ascendentem, ac cum Diis conversantem juravit, perniciem sibi liberisque, si vanum id asseruisset, imprecatus.* Id quoque indicat Seneca *in lusu de mort. Claud.* atque in aliis aliorum Augustorum Augustarumque consecrationibus contigit. Ut vero hoc mendacium animis fortius insideret, combusto Imperatoris corpore, & in cineres redacto, aquila dimittebatur, quæ animam Principis deferre in æthera dicebatur, teste Herodiano *l. 4. num. 3.* ubi post longam cæremoniarum descriptionem sic concludit. *Mox ab extremo, minimoque tabernaculo, tamquam a fastigio quodam simul cum subjecto igni, aqui-*

aquila dimittitur, quæ in cælum creditur ipsam Principis animam deferre.

12. Secundo, Augustorum tantum, aut Augustarum, aut aliarum mulierum sanguine Imperatoribus conjunctarum, factæ sunt a Gentilibus Apotheoses. Monumenta extant Apotheoseum Liviæ, quæ Julia est appellata, & Faustinæ; ut ex marmoribus, inscriptionibus, & numismatibus evidenter desumitur. Unius tantum privati hominis Apotheosis est celebrata, Domitiani videlicet, sed qui Imperio renuntiaverat, privatamque vitam adeo dilexerat, ut ad Imperium revocatus, purpureum indumentum resumere recusaverit. Existimarunt nonnulli, factas aliquando fuisse Apotheoses privatarum personarum; cum Trajani Pater *Divus* appellatus sit in admodum raro numismate, quod invenitur in Mediceo Musæo: & ita opinatur eruditus Vaillant *tom. 2. numismatum Imperialium pag.* 124. *edit. Amstelodam.* 1699. At, ex *Divi* appellatione argumentum non desumi ad Apotheosim, late comprobavit Vignolius, dum viveret, singulari nobis amicitia carus, in suo opere *de columna Antonina cap.* 5. ita ut quicumque inter Divos solemni Apotheosi fuisset relatus, *Divus* dicendus esset; sed non omnis appellatus *Divus*, habendus esset tamquam inter Divos relatus per solemnem Apotheosim: cum *Divi* appellatio hominem exhiberet ceteris hominibus superiorem, & ob virtutis excellentiam hominem quasi cælestem, sicuti loquitur Lactantius *lib.* 1. *cap.* 15. Hoc proinde sensu nonnulli Christiani Imperatores in legibus per ipsos editis, *Divi* dicti sunt (incredibile quippe est, eos *Divorum* nomen obtinuisse, ex quo per solemnem Apotheosim inter Divos a successoribus fuerint relati); & eodem sensu, sed per execrabilem undequaque adulationem, adhuc hodie in Civitate Ariminensi in Ecclesia Patrum Minorum Conventualium in quadam marmorea inscriptione Isotta amica Sigismundi Pandulphi Malatestæ dicitur *Diva*; & a Porcello, qui erat in famulatu Malatestæ, & qui fortasse inscriptionis auctor fuit, Paulus Secundus *Divus* est appellatus in quodam opere, quod illi dicavit, & cujus mentio habetur apud Gaddium *de scriptoribus vol.* 2. *pag.* 180. Ex quibus obiter adnotare fas sit, infirmam undequaque esse assertionem Maffei, nostri, dum viveret, singularis amici, *tom.* 3. *antiquarum gemmarum, pag.* 214. opinantis, profanum Apotheosis ritum perdurasse longo tempore etiam post publicum & liberum exercitium Christianæ Religionis, idque deducentis ex nomine *Divi*, quod habetur in inscriptionibus & numismatibus prædictorum temporum. Apotheosis ergo Gentilium ad Imperatores, & feminas Augustas erat adstricta: nec in ea celebranda ullam habitam fuisse considerationem virtutum & operum egregiorum, ex eo aperte convincitur, quod homines multa vitiorum illuvie inquinati inter Deos a Gentilibus relati sint, teste S. Augustino *tom.* 7. *de Civitate Dei a lib.* 1. *ad* 7. ubi *lib.* 6. *cap.* 2. observat, eos in tantam cæcitatem abiisse, ut vel Marcus Varro multis a Tullio laudibus commendatus, talia de Diis gentium litteris tradiderit, *ut si verum, velut divinarum, de quibus scribit, oppugnator esset, atque destructor, easque, non ad Religionem, sed ad superstitionem diceret pertinere, nescio* (ait) *utrum tam multa in eis videnda, contemnenda, detestanda conscriberet.* Nostræ vero Canonizationes non tantum fiunt de summis Pontificibus, de Regibus, de Episcopis, sed de quocumque, nulla habita ratione dignitatis, aut generis, sed habita tantum consideratione virtutum, quibus, dum viverent, effulserunt, aut mortis pro Christi Fide initæ, necnon signorum & miraculorum, quæ ipsorum intercessione facta sunt.

13. Tertio, quia consecrandus in Apotheosi Gentilium in Deos recensebatur, Canonizandus autem solemni judicio ab Ecclesia refertur in album servorum & amicorum Dei. S. Eusebius Emissenus *in serm. de S. Romano Martyre tom.* 6. *Bibl. PP. pag.* 671. *quem alii S. Eucherio Lugdunensi tribuunt*; ait: *Beatus Romanus, cujus admirabilem triumphum præsentia exultantis Ecclesiæ festa concelebrant, dudum famulus, nunc etiam amicus Dei.* Præclare subdit S. Augustinus *lib.* 22. *de Civit. Dei cap.* 10. *Nobis Martyres non sunt Dii, quia unum eumdemque Deum & nostrum scimus, & Martyrum*: & S. Cyrillus Alexandrinus *contra Julianum lib.* 6. *tom.* 6. *pag.* 203. inquit: *Sanctos porro Martyres neque Deos esse dicimus, neque Divino cultu scilicet illos adorare solemus, sed affectu, & honoris; quin potius summis honoribus illos ornamus, puta, quod pro veritate strenue certaverint, sinceritatemque Fidei eo usque servarint, ut animam ipsam contempserint, repudiatisque mortis terroribus, periculum omne vicerint &c. Nos autem . . . . non*

dicimus, Sanctos Martyres fuisse Deos; sed illos omni veneratione prosequi solemus, eorumque loculos honoramus, tam claræ virtutis remunerationem veluti quamdam, ac præmium ipsis immarcescibilem memoriam reponentes. His addendus Theodoretus *de Græc. affect. ser.* 3. *de Angelis pag.* 522. *tom.* 4. ubi de Angelis quidem agens sic fatur: *Nos tamen Deos non appellamus, nec Divinum illis cultum tribuimus, nec in Deum verum, & istos Divinam adorationem partimur, sed, hos quidem pluris esse, quam homines, putamus, at conservos tamen opinamur*; tum *ser.* 8. *de Martyribus pag.* 597. ubi de ipsis porro Martyribus differens hæc habet: *Quid vos igitur, qui tot numero mortuos homines Deos appellastis, nobis succensetis, qui non Deos facimus, sed honoramus Martyres, tamquam Dei testes, servosque amantissimos? pag.* autem 599. *At nos, o viri, nec hostias Martyribus, nec libamina deferimus: sed, ut Sanctos, Deique amantes honoramus.* Qui ad Martyrium hortabantur, hortabantur ad illud obeundum, non ut Martyr fieret Deus, sed amicus Dei. *Quis ergo non omnibus viribus elaboret ad tantam claritatem pervenire, ut amicus Dei fiat, ut cum Christo statim gaudeat, ut post tormenta & supplicia terrena, præmia divina percipiat?* verba sunt S. Cypriani *de exhortatione martyrii p.* 526. Concordant acta vetustissima passionis S. Felicitatis, & ejus filiorum, ubi sic legitur *ap. Ruinart. pag.* 24. *Pro Dei amore, minas hominum, pœnas, & verbera contemnentes, Christi amici facti sunt in regno cælorum.* S. etiam Epiphanius *lib.* 3. *adversus Collyridianos hæresi* 59. *sive* 79. *num.* 4. de ipsa B. Virgine Maria subdit: *Sanctum erat Mariæ corpus, fateor, non tamen Deus illa fuit. Eadem & virgo extitit, minime tamen nobis ad adorandum proposita, sed Deum adorans ipsum, qui e sua carne genitus e cælo, ac paterno sinu descenderat*; necnon *num.* 7. *Verbum e Virgine susceptum corpus induens, non ideo tamen, ut hæc adorari debeat, aut, ut eam Divinam ad naturam, conditionemque transferat, neque, ut sacrificium illius in nomen offeratur &c. honoretur sane Maria; Pater vero, Filius, & Spiritus Sanctus adorentur. Mariam adorare nemo velit. Non enim mulieri, ac nec viro quidem, sed uni Deo mysterium illud, cultusque tribuitur: adeo ut nec Angeli ipsi tanto honori pares esse videantur.* Denique in Concilio Nicæno secundo *actione tertia tom.* 4. *collect. Hard. col.* 150. sic statutum est: *Apostolicas autem Ecclesiæ traditiones, per quas honorare, & adorare Sanctos, & salutare docemur, suscipimus & amplectimur, venerantes eos ut famulos & amicos atque filios Dei. Honor enim, qui circa devotos conservorum agitur, probationem habet bonæ voluntatis erga communem exhibitæ Dominum. Isti enim cellaria Dei, & habitacula munda, Sanctique Spiritus purissima specula facti sunt.*

14. Nempe ex his, aliisque Sanctorum Patrum sententiis ortum habuit nostrorum Theologorum doctrina de cultu, qui dicitur *Latria*, de eo, qui vocatur *Civilis*, & *Observantia quædam humana*, de alio, qui appellatur *Dulia*, necnon de alio *Hyperdulia* dicto. Tres enim sunt species excellentiæ, Divina videlicet & infinita, cui respondet prima cultus species, qui vocatur *Latria*; humana, seu naturalis, quæ posita est in virtutibus, ac dignitatibus humanis, & cui quidem respondet cultus, qui dicitur *Civilis & Observantia quædam humana*; tum vero media quædam excellentia inter Divinam, & humanam, qualis est gratia, & gloria Sanctorum, quæ sunt dona supra naturam, ideoque excellentissima, cui nimirum excellentiæ respondet cultus *Dulia* nuncupatus. Quia porro Sanctis creaturis Humanitas Christi, si seorsum consideretur, singulariter excellit propter unionem Verbo; & similiter Beata Virgo, ut Mater Filii Dei, ita præstat aliis Sanctis, ut dici possit Domina, & Regina nostra, quod Sanctis aliis nequaquam convenit, nisi admodum imperfecte, hinc est, quod iidem Theologi dividentes *Duliam* in *Duliam* proprie dictam, & *Hyperduliam*, illam Sanctis ceteris, hanc vero soli Humanitati Christi, necnon Beatissimæ Virgini competere docent: quod argumentum late persequitur S. Thomas 2. 2. *q.* 103. *art.* 3. & 4. & 3. *part. qu.* 25. *per totam.*

15. Latriæ jam meminit Sanctus Augustinus *lib.* 1. *de Civit. Dei cap.* 1. *Latriam quippe nostri, ubicumque sanctarum Scripturarum positum est, interpretati sunt servitutem. Sed ea servitus, quæ debetur hominibus, secundum quam præcipit Apostolus, servos Dominis suis subditos esse debere, alio nomine græce nuncupari solet: Latria vero secundum consuetudinem, qua locuti sunt, qui nobis Divina Eloquia condiderunt, aut semper, aut tam frequenter, ut pene semper, ea dicitur servitus, quæ pertinet ad colendum Deum. Proinde, si tantummodo Cul-*

tus ipſe dicatur, non ſoli Deo deberi videtur. Dicimur enim etiam colere homines, quos honorifica vel recordatione, vel præſentia frequentamus. Idem l. 20. *contra Fauſtum cap.* 21. *tom.* 8. *At vero illo Cultu, qui græce Latria dicitur, latine uno verbo dici non poteſt, cum ſit quædam proprie Divinitati debita ſervitus, nec colimus, nec colendum docemus, niſi unum Deum.* De cultu autem inter Latriam, atque Duliam medio ſic loquitur S. Joannes Damaſcenus *orat.* 3. *de Imaginibus tom.* 1. *pag.* 361. *Neminem tamquam Deum adorare fas eſt, præter illum, qui naturæ Deus eſt; omnibus autem debitum honorem habere oportet propter Dominum &c. Solum creatorem, & rerum opificem Deum adoremus, cui Latriæ cultum exhibeamus, tamquam Deo pro ſua natura adorando. Sanctam quoque Dei Genitricem adoremus, non tamquam Deum, ſed tamquam Dei Matrem ſecundum carnem: adhæc omnes Sanctos ceu electos Dei & amicos, quibus facilis ad ipſum patet aditus, adoremus.* Conſuli poteſt venerabilis Dei Servus Card. Bellarminus *de beatit. & canoniz. Sanctor. lib.* 1. *cap.* 11. *& pluribus ſequentibus.* Hadrianus quoque & Petrus de Walemburch *tom.* 2. *de Fidei controverſiis lib.* 12. punctum hoc adverſus Hæreticos ſolidiſſime elucidarunt; & recte ſtatuerunt, cum adorationis nomen ſignificet honorem ſive Deo, ſive creaturis exhibitum, aſſerentes, ſoli Deo adorationem deberi, & non Sanctis, ab iis intelligi nomine adorationis actum Latriæ; contra vero, qui promiſcue loquuntur, & tam Deo, quam Sanctis adorationem tribuunt, eos ita non eſſe intelligendos, ut cenſeant, tam Deo, quam Sanctis eumdem religioſum cultum eſſe exhibendum, ſed Latriæ cultum Deo, & cultum Duliæ Sanctis exhiberi debere; cum uterque ſub generali nomine adorationis comprehenſus ſit, juxta illud 1. *Paral. cap.* 29. *v.* 20. *Et benedixit omnis Eccleſia Domino Deo patrum ſuorum, & inclinaverunt ſe, & adoraverunt Deum, & deinde Regem.* Ibi quippe eadem vox adorationis tribuitur Deo, & Regi; licet Deo cultus Latriæ, & Regi cultus Civilis conveniret.

16. Dictum eſt quoque, noſtras Canonizationes ſuam non deducere originem a ſuperſtitioſa Gentilium Apotheoſi: ut enim alibi videbitur, Sanctorum Canonizatio fundatur in doctrina Catholica de cultu, invocatione, & interceſſione Sanctorum, & ab antiquiſſima Eccleſiæ diſciplina originem habet, juxta quam ſapienter animadverſum eſt, permiſſum eſſe non debere unicuique ex arbitrio, quemlibet unum, ut ſibi videtur, publico cultu tamquam in cælis exiſtentem, & apud Deum interceſſorem colere, & venerari; ſed Eccleſiaſticum judicium accedere debere, in quo, viſis videndis, ſtatuatur, an hic, vel ille publice colendus ſit. De religioſo cultu Sanctis exhibendo extant ſacræ Scripturæ teſtimonia: *Numer.* quippe *cap.* 22. *v.* 31. legitur: *Aperuit Dominus oculos Balaam, & vidit Angelum ſtantem in via evaginato gladio, & adoravit ipſum pronus in terram;* & *Joſue cap.* 5. *v.* 13. 14. 15. hæc habentur: *Cum eſſet Joſue in agro urbis Jericho, levavit oculos, & vidit virum ſtantem contra ſe evaginatum tenentem gladium, perrexitque ad eum, & ait: Noſter es, an adverſariorum? Qui reſpondit: Nequaquam, ſed ſum Princeps exercitus Domini, & nunc venio. Cecidit Joſue pronus in terram, & adorans, ait &c.* Item 3. *Regum cap.* 18. *v.* 7. cum Abdias Eliæ occurriſſet, & eum cognoviſſet, *cecidit ſuper faciem ſuam;* quod utique civilis obſervantiæ non fuit tantum teſtimonium, ſed religioſæ venerationis, qua eximiam viri Deo acceptiſſimi ſanctimoniam proſequebatur. Abdias quippe inter aulæ proceres conſpicuus civili dignitate Eliam antecedebat. Demum 4. *Regum* 2. cum filii Prophetarum, qui erant in Jericho, cognoviſſent, ſpiritum Eliæ ſuper Eliſeum requieviſſe, venientes in occurſum ejus adoraverunt eum proni in terram; & *cap.* 4. narratur, Sunamitidem, poſtquam filium ſuum ab Eliſeo ſuſcitatum recepit, corruiſſe ad pedes ejus, & adoraviſſe ſuper terram: & quamvis hæc Divinæ Scripturæ teſtimonia ſanctos homines adhuc viventes, & non mortuos reſpiciant; nemo tamen eſt, qui non videat, quod, ſi in viventibus, præter vitam bonis, maliſque communem, Sanctitas religioſum cultum promeruit, multo magis eum promereri debebit eadem Sanctitas ob gratiam æternum duraturam & conſummatam, & ob immortalem gloriam, quam poſt obitum obtinuerunt; uti ſatis apte Walenburchici *loc. cit.* argumentantur *pag.* 221. *n.* 33.

17. Quamvis noſtri non ſit inſtituti de controverſiis Catholicæ Fidei cum Hæreticis agere in præſenti, & divinæ Scripturæ teſtimonia ad impugnandam eorum pertinaciam congerere: alios tamen divini eloquii locos, arrepta opportuna occaſione, pro Sanctorum invocatione & interceſſione alibi afferemus; intereaque duo fas ſit adnotare. Primum, non ita frequentem in Scripturis haberi mentionem invocationis Sanctorum, quod Scriptura quidem vetus tradita fuerit populo admodum proclivi ad cultum Idolorum, & ſuperſtitionem multorum Deorum, cuique proinde non parum periculi fuiſſet, ſi doctrina de Sanctorum interceſſione ſtudioſius eſſet inculcata; ne ad Divinos honores mortuis exhibendos, quos etiam ignibus & lapidibus ſæpe exhibuit, prolaberetur: novi autem Teſtamenti Scriptura in fundamento Fidei, ideſt in doctrina Fidei in Chriſtum Redemptorem tradenda, potiſſimum ſit occupata; nec multum expediret, ut Gentilibus recenter a cultu Deorum ad unius Dei Fidem converſis, de mortuorum hominum patrociniis & invocatione multa ſtatim initio proponerentur; ne forte a vera Religione fierent alieni, quaſi Deos non abjicerent, ſed mutarent; uti arguit Thomas Valdenſis *to.* 3. *de ſacramentalibus tit.* 14. *c.* 123. & ſequitur Eſtius *in lib.* 4. *ſent. diſt.* 45. §. 14.

14. Alterum eſt, noſtras Canonizationes originem ſuam non ſolum non deſumpſiſſe a Gentilium Apotheoſi, uti ſupra viſum eſt; ſed per eaſdem, abjectis falſis Numinibus, ablegatiſque feſtivitatibus impudentibus, quæ in eorum honorem fiebant, ſubſtitutum fuiſſe Sanctorum cum Chriſto regnantium cultum, indictaſque pias & laudabiles in eorum honorem ſolemnitates; uti adverſus Ethnicos demonſtrat Theodoretus *ſerm.* 8. *de Martyribus pag.* 609. *tom.* 4. ubi ſic eos alloquitur: *Suos mortuos Dominus Deus noſter in templa pro Diis veſtris induxit, ac illos quidem caſſos, vanoſque reddidit &c. Pro Panditis enim, Diaſtiſque & Dionyſiis, & aliis Feſtis veſtris, Petri, & Pauli, & Thomæ, & Sergii, & Marcelli, & Leontii, & Panteleemonis, & Antonini, & Mauritii, aliorumque Martyrum ſolemnitates peragunt; & pro illa veteri pompa, turpique rerum ac verborum obſcœnitate, modeſtæ celebrantur feſtivitates, non ebrietatem, & jocos, riſuſque exhibentes, ſed divina cantica, ſacrorumque ſermonum auditionem, & preces laudabilibus lacrymis ornatas.* Templa ipſa idolorum converſa ſunt in baſilicas Martyrum, & aliorum Sanctorum. Romæ quippe templum omnium Deorum in templum omnium Martyrum, & templum Caſtoris, & Pollucis in templum SS. Coſmæ, & Damiani converſa ſunt; & S. Gregorius *lib.* 2. *dialogorum cap.* 8. *tom.* 2. teſtatur, a S. Benedicto converſum fuiſſe fanum Apollinis in oratorium S. Martini; & *lib.* 9. *epiſt.* 71. *ad Mellitum tom.* 2. præcipit Auguſtino Epiſcopo Anglorum, ut fana Idolorum non deſtruat, ſed aqua benedicta aſpergat, & Reliquiis Sanctorum ornet, ac demum in templa Dei veri convertat.

CAPUT SECUNDUM.

De Martyrum juxta antiquam Eccleſiæ diſciplinam differentiis, & eorum Cultu.

1. UT Martyrum idea habeatur, operæ pretium eſt, aliqua præmittere de Lapſis, ceteriſque, qui dicto, vel facto a Fide Chriſti recedebant.

2. Ferventibus itaque Tyrannorum perſecutionibus, nonnulli, qui nomen dederant Chriſto, vi tormentorum, aut metu mortis Chriſtianam Fidem derelinquebant; & hi *Negatores*, *Lapſi*, *Blaſphemi* appellati fuerunt. Nonnulli quoque ex publico cultu, quem Idolis exhibebant, particulare nomen obtinuerunt: *Idololatræ* quippe dicti ſunt, ex quo Idolum coluerunt; *Sacrificati*, ex quo Idolo ſacrificium obtulerunt; *Thurificati*, ex quo thus Idolo adolere auſi ſunt; uti erudite obſervat Gabriel Albaſpineus *lib.* 1. *obſervat. Eccleſ. cap.* 21. parique eruditione proſequuntur Franciſcus Dominicus Bencinus Abbas S. Pontii *in ſua diſſert.* 2. *de litteris encyclicis cap.* 6. §. 2. *pag.* 272. *&c.* & P. Joſeph Auguſtinus Orſi Ordinis Prædicatorum in ſua celebri *diſſertatione de capitalium criminum abſolutione ſect.* 3. *cap.* 1. *n.* 2. ubi etiam omnibus ſupra enumeratis commune aſſerit adhæſiſſe Lapſorum nomen, & in claſſe horum reponendos eſſe Libellati-

laticos, qui, audito Præfulum, aut Proconſulum edicto de offerendo Idolis ſacrificio, coram illis proteſtabantur, ſe Chriſtum non ſequi; &, emiſſa proteſtatione, a Magiſtratibus obtinebant libellum, per quem eximebantur ab onere publice ſacrificandi, aut ſe tribunalibus ſiſtebant, exhibito in manibus Judicum libello, in quo afferebant, ſe Chriſtianam relinquere religionem. De primis loquitur Cardinalis Baronius *in annalibus ad annum Chriſti* 253. *num.* 21. ubi ſic ait: *Qui igitur hunc in modum Fidem prodidiſſent, ac ſimiliter perdidiſſent, Libellatici dicebantur, quod libellum ſecuritatis a Magiſtratu conſcriptum accepiſſent, cum negaſſent*; & multa ſcitu digna leguntur collecta a modo memorato Bencino *loc. cit. a n.* 9. *uſque ad finem*. Ad ſecundos autem reſpicit Plinius *lib.* 10. *epiſt.* (97. *ex recenſ. Cortii, & Longolii; ex recenſ. Catanii epiſt.* 101.) *ad Trajanum*, ubi ſic loquitur: *Propoſitus eſt libellus ſine auctore, multorum nomina continens, qui negant, ſe eſſe Chriſtianos, aut fuiſſe; cum præeunte me Deos appellarent, & imagini tuæ, quam propter hoc juſſeram cum ſimulacris Numinum afferri, thure ac vino ſupplicarent; præterea maledicerent Chriſto*. Legendus eſt Natalis Alexander *ad ſæculum tertium diſſert.* 5. *art. unico, propoſit.* 1. ubi, allatis teſtimoniis Tertulliani, & S. Cypriani, necnon Concilii Illiberitani, latiſſime oſtendit gravitatem criminis horum Libellaticorum, utpote quod ad Idololatriam accedebat.

3. Alii erant, qui tempore perſecutionum Chriſti Fidem non derelinquebant, ſed ne tormenta ſubirent, aut violentiæ Tyrannorum ſuccumberent, fugam arripiebant, aut ſe celabant, relictis omnibus quæ poſſidebant; & hi Extorres dicti ſunt, teſte citato Cardinali Baronio *in notis ad Martyrologium Romanum ad diem* 2. *Januarii*, ubi hæc habet: *Si adhuc autem quis timore correptus, ne Fidem proderet, ſua ſuoſque relinquens, exilio ſponte procul a patria vitam ageret, hic appellabatur Extorris; cujus non erat deſpicienda conditio: nam & numero Martyrum recenſendus erat, ſi ea de cauſa mortem oppetiiſſet*; unde S. Cyprianus *epiſt.* 56. *ad Tibaritanos* ſubdit: *Solus non eſt, cui Chriſtus in fuga comes eſt; ſolus non eſt, qui templum Dei ſervans, ubicumque fuerit, ſine Deo non eſt; &, ſi fugientem in ſolitudinem, ac montibus latro oppreſſerit, fera invaſerit, fames, aut ſitis, aut frigus afflixerit, vel per maria præcipiti navigatione properantem tempeſtas, ac procella ſubmerſerit, ſpectat militem ſuum Chriſtus ubicumque pugnantem, & perſecutionis cauſa pro nominis ſui honore morienti præmium reddit, quod daturum ſe in perſecutione promiſit &c. ſufficit ad teſtimonium Martyrii ſui teſtis ille, qui probat Martyres, & coronat*. Cardinali Baronio adhærent Du Cange *in gloſſario ad verbum Extorres*; Gujet *de feſtis propriis Sanctorum lib.* 2. *cap.* 7. *quæſt.* 11. ubi hoc modo inter Martyres recenſiti ſunt illi, quorum fit commemoratio in Martyrologio Romano *ad diem* 23. *Junii*, qui in montibus, & ſpeluncis tempore Diocletiani latitantes pro Chriſti nomine læto animo mortem ſubierunt; Hurtado *de vero Martyrio tract.* 2. *reſolut.* 18. *n.* 4. At aliis placet, Extorres eos non fuiſſe, qui, ne Fidem proderent, dimiſſis omnibus, ſe ſubtrahebant; ſed eos, qui nomen Chriſti coram Magiſtratibus libere confeſſi, patria per eoſdem Magiſtratus expellebantur, ita ut expulſio in pœnam confeſſionis irrogata eſſet, & accepta, juxta illud S. Cypriani in litteris de Mappalico (*epiſt.* 8. *ad Martyr. & Confeſſ.*) *Gloriata eſt & nuper quidem* (Eccleſia) *cum confeſſione perſtante ſuſcepta pœna eſt, quæ Confeſſores Chriſti fecit extorres*; & ſic hanc vocem *Extorres* explicant Pearſonius *in annalibus Cyprianicis ad annum Chriſti* 250. *num.* 7. & Pagi ſenior *ad ann. Chriſti juxta Baron.* 252. *num.* 9.

4. Alii ſoluta pecunia ſe a vexatione redimebant, palam tamen confitentes, ſe Chriſtianos eſſe, & ſe nolle a Chriſto recedere; & hi Libellatici quoque dicti fuerunt. Quare bene Petrus Annatus *in apparatu ad poſitivam Theologiam lib.* 3. *art.* 7. *tit. de lapſis a Fide* ſcribit: *Duo fuere Libellaticorum genera, alii, qui Fidem negabant, alii vero, qui non negabant, ſed palam profiteri non audebant, &, ne ad id cogerentur, id pecunia redimebant, ſecuritatis accipiendo libellos, ut ſupplicia evaderent*. Tertullianus *in lib. de fuga ad Fabium cap.* 12. hos condemnavit; quippe ſentiebat, tempore perſecutionum licitum non eſſe fugam arripere: *Ultro igitur & de hoc tibi ſuggeram, definiens perſecutionem, quam conſtat non eſſe fugiendam, proinde nec redimendam. Pretium intereſt. Ceterum, ſicut fuga redemptio gratuita eſt, ita redemptio nummaria fuga eſt. Certe & hujus, timiditatis conſilium eſt. Quod times, redimis, ergo fugis. Pedibus ſtetiſti, cucurriſti nummis. Hoc ipſum quod ſteteriſti ex redemptione, fugiſti*. Sed hanc particularem Tertulliani opinionem communis Eccleſiæ conſenſus reprobavit, quemadmodum colligitur *ex can.* 12. S. Petri Martyris & Epiſcopi Alexandrini *t.* 1. *collect. Harduin. col.* 231. *Iis enim, qui pecuniam dederunt, ut ab omnis improbitatis moleſtia omni ex parte remoti eſſent, crimen intendi non poteſt. Damnum enim, & jacturam pecuniarum ſuſtinuerunt, ne animæ detrimento afficerentur, vel ipſam etiam perderent*: quem S. Petri Alexandrini textum ſic explicat Natalis Alexander loco allegato propoſitione ſecunda in fine: *Nullum quidem crimen illis intendi potuit, qui Fidem Chriſti palam confeſſi pecunias dabant, ne ad aras traherentur, & de his loquitur S. Petrus Alexandrinus. At graviſſimi tenebantur criminis rei, qui Fidem Chriſti palam profiteri erubeſcentes, nondum ſæviente in caput ſuum perſecutione, pecunias offerebant, vel dabant, ne ad Fidem publice profitendam cogerentur; quamvis Chriſtum non negarent, immo ſe eſſe Chriſtianos dicerent, illicitaque ſibi eſſe profana Sacrificia. Denique illa vitæ redemptio, dato munere Judicibus Ethnicis, licita erat, cum aberat periculum Fidei, Religionis, Eccleſiæ, vel Fratrum offendiculum, cum uberior ex hac redemptione fructus ſpiritualis in eos, qui munus dabant, vel in Eccleſiam redundaturus ſperabatur . . . . Quæ Sancti Petri Alexandrini hypotheſis eſt; alias illicita erat*.

5. Ceteri demum, qui ſe Chriſtianos eſſe proteſtabantur, & pro Fide Chriſti pœnas, & mortem ſuſtinebant, titulum obtinuerunt Profeſſorum, Confeſſorum, & Martyrum. *Profeſſores* erant illi, qui non interpellati coram Præſidibus comparebant, & ſe Martyrio offerebant. *Juxta ejuſdem Cypriani ſententiam* (ait Cardinalis Baronius *in notis ad Martyrologium Romanum ad eamdem diem* 2. *Jan.*) *qui non interpellatus ſe Martyrio ingerebat, hic dicebatur Profeſſor*. Adhæret Spondanus Epitomator Annalium Cardinalis Baronii *ad annum Chriſti* 253. *num.* 11. & ſeq. Gujet *de Feſtis propriis SS. lib.* 2. *cap.* 7. *q.* 12. Nec enim improbandum, quin potius commendatione dignum erat, & eſt, Chriſtianos ſponte procedere, quando eis expedire viſum eſt, & videbitur, ad actus Fidei exteriores, puta prædicationem, Confeſſionem, vel ad actus fraternæ charitatis; licet pro eo temporis articulo actus prædicti non eſſent, aut ſint in præcepto, & licet hinc Tyranni ſumpſerint, aut ſumpturi ſint occaſionem eos occidendi; cum hæc non ſit occaſio data, ſed accepta, juxta doctrinam Cardinalis Cajetani *ſecunda ſecundæ q.* 124. *art.* 1. de qua alibi, & quam late exornat Hurtado *de vero Martyrio Tract.* 5. *veſol.* 27.

6. Confeſſoris nomen hodie adſcribitur illis, qui ſancta & laudabili vita vixerunt, & ſancto demum fine in pace quieverunt. Unde Ecgbertus Epiſcopus Eboracenſis in *Excerpt. cap.* 28. *collect. Hard. t.* 3. *col.* 1964. ait: *Sancti Patres, quos Confeſſores nuncupavimus, ideſt Epiſcopi, & Presbyteri, qui in caſtitate ſervierunt Deo*; & Odo Cluniacenſis *in Præfat. ad lib.* 2. *Vitæ Sancti Geraldi tom.* 1. *Biblioth. Cluniacenſ. & ap. Surium ad diem* 13. *Octob.* addit. *Cum igitur Confeſſor a confitendo vocetur . . . . . Geraldus tanto rectius Confeſſor dici poteſt, quanto juſtioribus factis Deum eſt confeſſus*. Non ſic autem olim res ſe habebat: cum enim Sanctus Hieronymus titulo Confeſſoris inſignivitſet Sanctum Iſidorum Epiſcopum Nitrienſem in Ægypto, id animadvertens Cardinalis Baronius *in notis ad Martyrologium Romanum ad diem* 2. *Januarii D*, ait: *Ne quid lateat, ſciendum eſt, diverſa admodum ſignificatione a præſentis temporis uſu hanc vocem a majoribus uſurpatam; illi enim neminem eo nomine appellabant, niſi eum, qui Chriſti Fidem interpellatus coram Fidei hoſtibus confeſſus eſſet*. Quocirca proprie Confeſſores olim dicebantur illi, qui Chriſtum palam, & coram Tyrannis, ſeu Fidei hoſtibus confeſſi, quolibet tormentorum, vel pœnæ genere affecti, ſuperſtites tranquillam mortem obibant; juxta illud Sancti Cypriani *de unit. Eccleſ. pag.* 259. *Confeſſio exordium gloriæ eſt, non meritum jam Coronæ, nec perficit laudem, ſed initiat dignitatem*: & paulo inferius: *Poſt confeſſionem periculum majus eſt, quia plus adverſarius provocatus eſt*; cui conſonat Lactantius, ſive alius a Lactantio Lucius Cæcilius *de mortibus Perſecutorum nu.* 16. *Novies enim tormentis, cruciatibuſque variis ſubjectus, novies adverſarium glorioſa confeſſione viciſti*. Atque hinc factum eſt, quod in ſacra Antiquitate aliquando Confeſſoris nomen veris Martyribus communicatum eſt, teſte Petro Galeſinio in *Notis ad ſuum Martyrolog.* 17. *Kal. Februarii ad S. Felicem Confeſſorem*: *Non deſunt*

sunt qui Martyris, & Confessoris nomen olim synonymum fuisse contendant. Adhæret Franciscus Amatus Pouget in *suis Catholicis Institutionibus par. 2. sect. 4. cap. 2. §. 22. Olim Confessores Christi dicebantur ii solum, qui, cum testimonium perhibuissent veritati cum carceris, exilii, rei familiaris, suppliciorum, ipsiusque vitæ periculo, non tamen morti traditi fuerant; Confessores autem dicebantur, propter gloriosam, & publicam nominis Christi confessionem. Martyres quoque appellabantur, propter exhibitum veritati testimonium:* Et exempla collecta legi possunt *in Defensione Librorum Liturgicorum Ecclesiæ Romanæ* editorum a Venerabili Dei servo Cardinali Josepho Maria Thomasio, quæ fuit in Urbe exarata a viro pio, & docto, & *Typis Panormitanis impressa anno 1723.* uti videri potest *in cap. 5. §. 3. num. 12. & pluribus sequentibus.*

7. *Martyres* tandem erant illi, qui pro vera Fidei defensione moriebantur, aut qui atrocissima tulerant pro Fide tormenta; licet fuerint superstites, & in pace quieverint; teste Divo Thoma 2. 2. *quæst. 124. art. 4. ad quartum.* Quocirca in Conciliis habitis sub Sancto Cypriano nonnulli Episcopi se subscripserunt titulo Confessorum, nonnulli titulo Martyrum: & Tertullianus in *Libro adversus Praxeam cap. 1.* probat, Praxeæ nomen Martyris nullatenus competere, non quia fuisset post tormenta superstes, sed quia brevem tantum passus fuerat carcerationem: *de jactatione*, inquit, *Martyrii inflatus ob solum, & simplex, & breve carceris tædium*: & famigeratus Ecclesiæ Doctor Sanctus Apollonius apud Eusebium *lib. 5. hist. c. 18.* invehitur adversus Montanistas, qui contendebant, quemdam Themisonem, hominem de cœtu ipsorum, Martyris titulo esse decorandum, licet viventem; & probat, eum Martyrem non esse appellandum, non quod post tormenta supervixisset, sed quia data pecunia e carceribus evaserat, & in libertate constitutus novam eructare cœperat doctrinam sensui Ecclesiæ adversantem: *Præterea* (inquit) *Themison speciosa avaritia obvelatus, qui Confessionis signum non pertulit, sed magna pecuniæ vi erogata vincula abjecit, cum ob eam causam modestius deinceps, ac submissius agere deberet, tamquam Martyr se se efferens, ausus est exemplo Apostoli, conscripta Epistola Catholica, eos quidem, qui fideliores ipso extiterant, instruere, novæ autem doctrinæ patrocinari.* Et hæc ipsa consuetudo Martyres appellandi etiam eos qui tormentis superstites fuerunt, comprobatur ex Epistola Ecclesiæ Viennensis apud Eusebium *lib. 5. hist. c. 2. p. 211.* ubi nonnulli præ humilitate dictum nomen recusarunt, contendentes, illud tantum deberi mortuis pro Christo: *Quamvis ignium impressa vestigia, quamvis vibices & vulnera toto corpore circumferrent, tamen nec se ipsos Martyres prædicarent, nec a nobis ita se appellari paterentur. Verum si quis nostrum per litteras, aut in familiari colloquio, eos Martyres appellasset, objurgabant graviter, atque increpabant; Martyris enim appellationem libentissime concedebant Christo, utpote fido veroque Testi, & primogenito mortuorum, vitæque cœlestis Principi & Authori; eos quoque qui jam ex hac vita migraverant, Martyres nobis commemorabant, ajebantque: Hi jam sunt Martyres, quos in ipsa confessione Christus assumi voluit, professionem ipsorum tamquam annulo obsignans.*

8. Aliæ in sacra Antiquitate occurrunt Martyrum differentiæ; cum alii fuerint appellati Martyres *designati*, alii Martyres *consummati*, sive *coronati*, & alii Martyres *vindicati*.

9. Martyres *designati* erant illi, quibus mortis sententia fuerat notificata, & adhuc non fuerat executioni mandata, uti colligitur ex Tertulliano in *Libro ad Martyres*: ita prorsus ut in Romana rep. Magistratus designati erant illi, qui jam fuerant ad Magistratus electi, sed adhuc Magistratus possessionem non fuerant adepti. Martyres *consummati*, sive *coronati* erant illi, qui vel in tormentis, vel paulo post tormenta ipsorum tormentorum violentia moriebantur, quemadmodum desumitur ex Sancto Cypriano *Epist. 37.* ubi ait: *Cum voluntati, & confessioni in carcere & vinculis accedit moriendi terminus, consummata Martyris gloria est.* Martyres demum *vindicati* erant illi, quorum felix in Domino exitus fuerat discussus, & approbatus, & quibus jam fuerat Cultus Ecclesiastico Judicio delatus; & de hisce Martyribus vindicatis, de quibus etiam infra habebitur sermo, intelligenda sunt primorum sæculorum monumenta, quæ Religiosi Cultus exhibitionem erga Martyres, & ipsorum cineres, & memoriam præseferunt. Smyrnensis Ecclesiæ Epistolæ de Sancti Polycarpi Martyrio amplum fragmentum in Historia Eusebii insertum est, principio tamen, ac fine mutilum, cumque suas ita pridem Jacobus Usserius Armacanus ex vetustissimis Codicibus integram Smyrnensem Epistolam evulgasset, & Valesius in *Notis ad locum Eusebianum*, quæ desiderabantur, attexuisset, & magno Ecclesiasticæ Disciplinæ illustrandæ lucro vulgasset, ex ea primum quidem desumitur, Christianos omnes sollicitos fuisse de Sancti Polycarpi Reliquiis, *ut communicarent Sancto Cadaveri*, hoc est ut eas Cultu Religioso prosequerentur. Hinc in Actis Martyrii Sancti Ignatii *ap. Ruinart. in Act. MM. pag. 19.* prope finem legitur, Ecclesiam multis visionibus certiorem fuisse factam de recepta a Sancto Martyre beatæ vitæ retributione; & additur: *Sanctum Beatum diximus, vobisque diem, & tempus indicavimus, ut tempore ejus Martyrii convenientes, Athletæ, & generoso Christi Martyri communicemus.*

10. Deinde ex eadem Epistola Smyrnensi *ap. Euseb. lib. 4. hist. cap. 15. pag. 170.* accipitur, Paganos, atque Judæos sollicite curasse, ne Beati Senis Polycarpi cineres a Fidelibus colligerentur, apposita calumnia, quod illum essent tamquam Deum adoraturi: *Quidam igitur suggesserunt Niceræ Herodis Patri, Fratri autem Dulces* (in eadem epistol. apud Ruinart. num. 17. legitur *Alces*) *ut Proconsulem adiret, moneretque, ne Cadaver illius donaret, ne forte, ut ajebant, relicto Crucifixo, hunc deinceps Christiani colere inciperent. Et isti quidem hæc dicebant, suggerentibus, atque instantibus Judæis, qui etiam nostros sollicite observaverunt, cum e rogo corpus auferre tentarent;* repulsam autem fuisse a Smyrnensibus Clericis calumniam, qui bene aperuerunt, quo Cultus genere Sanctorum Martyrum Reliquiæ a Fidelibus honorarentur: *Stulti, qui ignorarent, nos nec Christum unquam posse relinquere, qui pro salute omnium, quotquot ex genere humano salvi futuri sunt, mortem pertulit, nec alium quemquam colere: illum enim utpote Filium Dei adoramus, Martyres vero tamquam Discipulos & Imitatores Domini merito amore prosequimur ob eximiam ipsorum benevolentiam, quam erga Regem, ac Magistrum suum declararunt. Quorum nos quoque consortes, & condiscipulos fieri omnibus modis optamus.*

11. Tertio ex eadem Epistola Smyrnensi habetur Religiosa celebratio diei, quo Polycarpus vitam cum morte pro Domino feliciter commutavit: *Atque ita nos demum ossa illius gemmis pretiosissimis cariora, & quovis auro puriora colligentes, ubi decebat, condidimus, quo etiam in loco nobis, si fieri poterit, convenientibus concedet Deus natalem ejus Martyrii diem cum hilaritate & gaudio celebrare, tum in memoriam eorum, qui glorioso certamine perfuncti sunt, tum ad posteros ejusmodi exemplo erudiendos, & confirmandos.*

12. Suffragantur Tertullianus, & Cyprianus. Tertullianus, qui Chiliastis, seu Millenariis accessit asserentibus, æternam Beatitudinem Justis non conferri, nisi post generalem corporum resurrectionem, uti legi potest in ejus *Libro de Anima*, ab hac æternæ Beatitudinis dilatione Martyres excepit in *Libro de resurrectione Carnis cap. 43.* ubi ait: *Nemo enim peregrinatus a corpore statim immoratur penes Dominum, nisi ex Martyrii prærogativa, Paradiso scilicet, non inferis, deversurus; &* in *Scorpiaco cap. 12.* subdit de Martyribus: *Residere cum Domino in throno ejus &c. Sed & interim sub Altari Martyrum Animæ placidum quiescant:* cujus exceptionis fundamentum non alia profecto in re constitui potuit, quam in publico Religioso Cultu, quo tunc Fideles Martyrum memoriam prosequebantur; teste erudito Thomassino in suo Tractatu *de Celebratione Festorum lib. 1. c. 8. n. 2.* ubi hæc habet: *Maximum illi negotium facessere debuit cultus, & honor, quo suos Ecclesiæ Martyres prosequebatur: nam qui fieri poterat, ut Festi dies dedicarentur, & honores exhiberentur Animabus a Cælo adhuc exultantibus, & inferis locis degentibus?* Legi potest eruditus Muratorius in suo Opere *de Paradiso* post primam nostrorum Voluminum impressionem edito, ubi *c. 10. p. 87.* erudite ostendit commemorationem Martyrum, quæ fiebat in antiqua Ecclesia, fuisse *Eucharisticam*, hoc est gratulatoriam, & lætitiæ testem, reliquorum vero fidelium *Propitiatoriam*, ut fidelium in terra viventium orationibus illorum animæ in altera vita juvarentur, qui adhuc misericordia Dei indigerent. Sanctus Cyprianus vero *Epist. 38.* dies natales Martyrum jubet adnotari cum omni cura, & diligentia, promittitque, illorum memoriam se religiose celebraturum: *Denique & dies eorum, quibus excedunt, adnotate, ut Commemorationes eorum inter memorias Martyrum celebrare possimus; quamquam Tertullus fidelissimus, & devotissimus Frater noster, pro cetera sollicitudine, & cura*

sua,

ſua, quam Fratribus in omni obſequio operationis impertit, qui nec illis circa curam corporum deeſt, ſcripſerit, & ſcribat, ac ſignificet mihi dies, quibus in carcere Beati Fratres noſtri ad Immortalitatem glorioſæ mortis exitu tranſeunt; & celebrantur hinc a nobis oblationes, & ſacrificia ob commemorationem eorum, quæ cito vobiſcum, Domino protegente, celebrabimus.

13. Facile eſſet, ſubſequentium Patrum teſtimonia congerere, cum religioſum Martyrum cultum ubique patentem commendent SS. Baſilius Magnus *epiſt.* 291. *ad Epiſcopos Ponticæ diœceſeos*, Gregorius Nazianzenus *orat.* 6. *in Martyrum feſto*, & *orat.* 18. *de Sancto Cypriano*, Gregorius Niſſenus *orat. de Sancto Theodoro Martyre*, Ambroſius, ſive Auctor alius ſermonum, qui eidem attribuuntur, *ſerm.* 6. *in finem*, & *ſerm. de Sanctis Nazario*, & *Celſo*. Cum autem in ſuperioribus dictum ſit, hæc omnia eſſe intelligenda de Martyribus vindicatis, de hoc non videtur ulla rationabilis inſtitui poſſe controverſia; cum primis etiam Eccleſiæ ſæculis inter mores receptum eſſet, & ad Eccleſiaſticam pertineret diſciplinam, quod nulli putativo Martyri religioſus cultus exhiberetur, niſi ille vindicatus eſſet, hoc eſt non privato, ſed publico Eccleſiaſtico judicio approbatus; uti deſumitur ex Optato Milevitano ſcriptore ſæculi quarti *lib.* 1. *adverſus Parmenianum*, ubi loquens de Lucilla opulenta & factioſa muliere, quæ Donatiſtis adhærebat, ſcribit, fuiſſe correptam ab Archidiacono Cæciliano, quia ante ſacram Communionem oſſa cujuſdam vel non Martyris, vel Martyris non vindicati oſculabatur: *Cum correptionem Archidiaconi Cæciliani ferre non poſſet, quæ ante ſpiritualem cibum, & potum os neſcio cujus Martyris, ſi tamen Martyris, libare dicebatur, & cum præponeret os neſcio cujus hominis mortui, etſi Martyris, ſed necdum vindicati, correpta cum confuſione irata receſſit.*

14. *Vindicatum Martyrem* (inquit Gabriel Albaſpineus Epiſcopus Aurelianenſis ad citata verba Optati) *Optatus vocat, qui declaratus ſit communi piorum ſententia in eam ſummam dignitatem, relatus jam inter cœli indigetes.* Ideoque, ſi Archidiaconus dignam reprehenſione exiſtimavit nobilem feminam, quæ privato judicio & arbitrio cultum publicum exhibebat ei, quem Martyrem putabat, cujuſque Martyrii cauſa non fuerat diſcuſſa & approbata; nec Archidiaconus reprehenſionis fundamentum repoſuit in aliqua lege tunc lata, ſed antiquiorem quodammodo ſuppoſuit legem & conſuetudinem falſæ pietati mulieris adverſantem; nil clarius afferri poſſe videtur ad ſuadendum, nunquam permiſſum fuiſſe privato judicio & arbitrio aliquem uti Sanctum publico cultu venerari; quemadmodum, perpenſo Optati textu, ad rem bene adnotarunt viri eruditi Franciſcus Victon. *in ſuo tractatu de Canoniz. Sanctor. cap.* 7. Sauſſajus *in ſuo apologetico Theologico pro Sanctorum cultu poſt Martyrologium Gallican. p.* 30. Lupus *in notis ad quartum Concilium Romanum S. Leonis IX. tom.* 3. *antiquioris editionis*, Baillet *in præfatione ad vitas Sanctorum* §. 94. Ruinart *in præfatione ad acta Martyrum ſincera* §. 71. Mabillon *in præfatione ad ſæculum quintum Ordinis S. Benedicti* §. 6. *num.* 95. ubi: *Vindicatos ergo volebant Martyres, ideſt ab Epiſcopis agnitos, & approbatos:* quibus concordant ſequentium ſæculorum monumenta alibi referenda.

CAPUT TERTIUM.

De Collectione Actorum Martyrii, & eorum Examine, & Eccleſiaſtico ſuper illis Judicio.

1. INTER ceteras Epiſcopalis ſollicitudinis partes non ea profecto fuit poſtrema, ut Acta eorum, qui pro Chriſti Fide moriebantur, ſincera colligerentur. Id deſumitur ex his, quæ habentur in libro de Romanis Pontificibus. In eo quippe de S. Clemente Papa legitur: *Hic fecit ſeptem regiones dividi Notariis fidelibus Eccleſiæ, qui geſta Martyrum ſollicite & curioſe, unuſquiſque per regionem ſuam, diligenter perquirerent;* de S. Fabiano: *Hic regiones diviſit Diaconibus, & fecit ſeptem Subdiaconos, qui ſeptem Notariis immminerent, ut geſta Martyrum in integro colligerent;* & de S. Antero: *Hic geſta Martyrum diligenter a Notariis exquiſivit, & in Eccleſia recondidit, propter quod a Maximo Præfecto Martyrio coronatus eſt.*

2. De harum regionum diviſione, & quomodo quatuordecim antiquæ Urbis regiones, ſeptem Notariis fuerint a Clemente diſtributæ, aſſignato videlicet duabus regionibus uno Notario, videri poteſt *in prolegomenis* eruditi viri Franciſci Blanchini *ad Anaſtaſium tom.* 2. *pag.* 138. Panvinius *in ſua diſſertatione impreſſa apud Cardinalem Raſponum de baſilica Lateranenſi l.* 3. *cap.* 14. colligit ex Actionibus Synodi Romanæ ſub Sancto Silveſtro Papa celebrata, Romanam Eccleſiam Notarios aluiſſe, qui res geſtas Martyrum diverſorum conſcriberent. Sed Hincmarus Remenſis, Petrus de Marca, Labbeus, Lupus, Cabaſſutius, Pagi junior eam Synodum probant eſſe ſuppoſititiam, & multa ſuppoſitionis capita referuntur a Schelſtrat *in* 2. *parte antiquit. illuſtr. diſſert.* 3. *cap.* 8. Ad ulteriora progreditur Baillet *in ſua præf. ad vitas Sanctorum* §. 4. & audaciſſime aſſerit, narrata de Pontificibus Clemente & Fabiano ſolidiori robore eſſe comprobanda, innuens, ſe non multum deferre citato libro de Romanis Pontificibus. Satis tamen ſuperque, & Clementem Notarios, & Fabianum Diaconos & Subdiaconos pro Actis Martyrum colligendis ſtatuiſſe, & Anterum Martyrio fuiſſe ex dicta cauſa coronatum, comprobari ex allegato libro ſenſerunt eruditione & pietate præſtantes viri Cardinalis Baronius, & Florentinius *in præfatione ad Martyrologia ab ipſis edita*, Molanus *ad Martyrologium Uſuardi cap.* 21. Polydorus Virgilius *de rerum inventoribus*, Bollandus *in præfatione generali* §. 2. Mabillonius *in ſæpe citata præfatione*, & Juſtus Fontaninus Archiep. Ancyranus *in præfatione ad codicem Canonizationum*. Et merito: ſive enim liber ille ſit Anaſtaſii, ſive Damaſi, ſive fuerit a variis Auctoribus collectus juxta varias Eruditorum ſententias, magnæ nihilominus eſt auctoritatis, & magno in pretio habetur; uti, eum vindicando a calumniis Caroli Molinæi, Hoſpiniani, Petri Halloix, & aliorum, recte contendit amicus olim noſter, dum viveret, Joannes Ciampinus *in examine libri Pontificalis ſect.* 12. Additur, quod in Bucheriano catalogo juxta exemplar Foſſatenſe, & alterum Reginæ Svecorum ſic legitur de Fabiano: *Hic regiones diviſit Diaconibus, & fecit ſeptem Subdiaconos, qui ſeptem Notariis immminerent, ut geſta Martyrum fideliter colligerent:* & quamvis nonnulli ſuſpicentur, verba hæc fuiſſe catalogo Bucheriano ſuperaddita; cum nihilominus ſub Fabiani ſucceſſore Cornelio habeamus ex Euſebio, fuiſſe in Romana Eccleſia ſeptem Diaconos, & totidem Subdiaconos; veriſimile admodum eſt, prædicta officia Diaconibus & Subdiaconibus fuiſſe a Fabiano aſſignata; uti videri poteſt apud Petrum Couſtant *tom.* 1. *epiſtolarum Romanorum Pontificum*, *pag.* 120.

3. Mos ille Acta Martyrum colligendi, & ſincere adnotandi ab Eccleſia Romana ad alias manavit Eccleſias, ut ipſe Baillet *loc. cit.* admittit: porro incertum eſt, utrum manaverit Lege ſtatuta, an potius exemplo. Fabianus Pontifex *in ſua prima Epiſtola Decretali* Epiſcopos admonet, ut collectioni Actorum Martyrum invigilent; *Quod etiam vos omnes agere monemus*; & deinde præcipit: *Et ideo fideliſſimis hæc negotia committi præcipimus, ne aliqua in eis illuſio inveniatur.* Sed, cum nonnullis commentitia hæc Epiſtola videatur, ſinceriora ex Sancto Cypriano addenda ſunt. In Epiſtola tempore ſui ſeceſſus ſcripta Clero Carthaginenſi mandavit, ut Acta Martyrum ſcriberentur, & dies conſummati agonis diligenter adnotarentur, uti ſupra viſum eſt; & Pontius Diaconus, qui S. Cypriani Martyrium deſcripſit, teſtatur, *n.* 1. moribus jam receptum fuiſſe, ut non ſolum nobilium, ſed etiam plebejorum hominum Martyria adnotarentur: *Ut cum majores noſtri Plebejis, & Catechumenis Martyrium conſecutis tantum honoris pro Martyrii ipſius veneratione dederunt, ut de Paſſionibus eorum multa, aut prope dixerim pene cuncta conſcripſerint, ut ad noſtram quoque notitiam, qui nondum nati fuimus, pervenirent.* Niſi forte Plebejorum nomine ibi Laici ſint intelligendi, nullum in Clero Ordinem adepti: ſic enim Pontius paulo inferius ait *num.* 3. *Multa ſunt, quæ adhuc Plebejus, multa, quæ jam Presbyter fecit;* ſicuti bene adnotarunt Holſtenius *in Notis ad Paſſionem Sanctarum Perpetuæ, Felicitatis &c.* §. 2. *v.* 1. & Pater Joſeph Auguſtinus Orſi *in Diſſertatione Apologetica pro prædictis Sanctis pag.* 20.

4. Huc ſpectant, quemadmodum late explicavit Pa-

ter

ter Honoratus de Sancta Maria Carmelita Discalceatus in suo Opere *de Criticæ Regulis tom. 1. diss. 4. art. 1.* spectant, inquam, Acta Proconsularia, quorum nonnulla adhuc extant; Acta videlicet a Notariis Gentilibus scripta, in quibus juridicus Processus condemnationis Martyrum ad mortem, qui ab Ethnicis Magistratibus fiebat, continebatur; & quæ ad manus Christianorum deveniebant, vel quia emebantur numerata pecunia; unde Valerius alumnus & comes S. Pontii Senatoris & Martyris, ejus Acta, quæ edita sunt a Bollandistis *ad diem 14. Martii*, se descripsisse fatetur, prout ea redemerat numerata pecunia ab exceptoribus: vel quia aliquando ea consignari contingebat a Christianis artem Notariatus exercentibus in tribunalibus Magistratuum Gentilium, sed tali modo, ut certamina describerent, quæ ad decus & splendorem veræ pietatis amplificandum referebantur, a describendis autem edictis persecutionum, & pœnæ mortis abstinerent, ne se impietatis præberent ministros. Hinc de S. Genesio Arelatensi legitur *in Act. ap. Ruinart pag. 473.* quod eam officii partem amplexus est, qua patronorum verba vel nova signorum velocitate, vel dexteræ celeritate sonum vocis æquante persequeretur (abbreviatis quippe notis verba Tyranni interrogantis, & Martyris respondentis, dum proferebantur, scribebantur, quæ subinde notæ, expleto certamine, clare & fideliter explicabantur per eosdem Notarios, qui Acta conservare tenebantur; uti, congesta undique eruditione, illustrarunt Joannes Dartis *in observatione ad annales Cardinalis Baronii*, Altaserra *in notis ad Anastasium in vita S. Clementis tom. 2. editionis Romanæ pag. 42.*) & quod idem S. Genesius, abjectis tabulis, edictum persecutionis scribere noluit: *Accidit autem ut, eodem ante tribunal Judicis exceptoris munus implente, impia atque sacrilega mandatæ persecutionis jussa legerentur: quæ cum devotus Deo repudiaret auditus, & imprimere ceris manus sancta respueret. Abjectis ergo ante pedes Judicis tabulis, triste ministerium sacrata jam Deo mens refugit.*

5. Huc pertinent alia, quæ supersunt, Acta Martyrum a Christianis scripta, qui se Gentilibus immiscebant, dum Martyr a Judice interrogabatur, & dum Judex pœnas & tormenta decernebat; cujus generis esse dicuntur Acta SS. Martyrum Tergeminorum, quæ fuerunt descripta a SS. Neone, & Turbone; necnon Acta sincera passionis SS. Jacobi, & Mariani Martyrum Numidarum *apud Ruinart pag. 194.* Auctor enim, qui ea scripsit, rebus gestis interfuit, & cum Martyribus in ipso agone versatus est: scripsisse quippe se testatur tum ad preces Christianorum, tum ad jussa eorumdem Martyrum; *Qui contra sævientes sæculi pressuras, & Gentiles impetus habituri tam sublime certamen, prælium suum, quod instinctu cælestis Spiritus inierunt, in notitiam fraternitatis per nos venire jusserunt: non quod in terris vellent coronæ suæ gloriam per jactantiam prædicari, sed ut præcedentibus experimentis multitudo plebis, & Dei populus ad exemplum Fidei posset armari.* Et paulo superius: *Quanto modestius petierunt, tanto efficacius impetraverunt, & nobis hoc prædicandæ gloriæ suæ munus Testes Dei nobilissimi reliquerunt.* Concordant Eusebius *lib. 8. hist. Ecclesiast. cap. 7.* loquens de Martyribus Palæstinæ: *Quæ cum gererentur, nos ipsi præsentes aderamus.* Huc tandem respicit antiqua & communis fere omnium Ecclesiarum consuetudo recitandi in conventibus publicis eorum Martyrum gesta, quorum festa peragebantur. De hac consuetudine legi potest Ruinart *in præfatione ad Acta Martyrum num. 5.* Et adeo diligens erat observatio de Actis in Ecclesia recitandis, quæ essent sincera, ut Gelasius I. summus Pontifex lectionem eorum in Ecclesia Romana prohibuerit, si conscripta fuissent ab infidelibus, & ignotis, aut ab hæreticis. Decretum hoc a nonnullis non Gelasio, sed Damaso, aut Hormisdæ Romanis Pontificibus tribuitur; sed uterque Pagi bene probant, Gelasium esse certum & indubitatum auctorem memorati decreti; & laudatus Justus Fontaninus in antiquissimo codice bibliothecæ Palatinæ illud invenit notatum nomine Gelasii, & edidit *post antiquitates Hortæ pag. 324.* En verba decreti *num. 4. Item gesta Sanctorum Martyrum, quæ multiplicibus tormentorum cruciatibus, & mirabilibus Confessionum triumphis irradiant. Quis ista Catholicorum dubitet, & majora eos in agonibus fuisse perpessos? Nec suis viribus, sed Dei gratia, & adjutorio universa toleravisse? Sed ideo secundum antiquam consuetudinem singulari cautela in sancta Romana Ecclesia non leguntur, quia & eorum, qui conscripsere, nomina penitus ignorantur, & ab infidelibus, & idiotis superflua, aut minus apta, quam rei ordo fuerit, esse putantur. Sicut Quirici cujusdam, & Julitæ, sicut Georgii, aliorumque ejusmodi passiones, quæ ab hæreticis perhibentur compositæ; propter quod, ut dictum est, ne vel levis subsannandi oriretur occasio, in Sancta Romana Ecclesia non leguntur.* Sensus autem horum verborum est, non quod in Ecclesia Romana gesta Martyrum non legerentur, sed quod ea non legerentur, quorum Auctores erant ignoti; uti erudite ostendit Mabillonius in *Disquisitione de Cursu Gallicano §. 1.* & sequitur Ruinart *loc. cit. §. 5.* & comprobatur ex *Epistola* Hadriani Romani Pontificis *ad Carolum Magnum* apud Mabillonium *loc. cit. num. 10. Vitæ Patrum sine probabilibus Auctoribus minime in Ecclesia leguntur; nam ab Orthodoxis titulatæ & suscipiuntur, & leguntur;* in quo Pontifex se conformasse visus est Concilio Carthaginensi *Canon. 50.* ubi sic decretum est: *Liceat etiam legi Passiones Martyrum, cum anniversarii dies eorum celebrantur.* Ad quæ verba Balsamon sic notat: *Etiamsi in vigesimo quarto Canone præsentis Synodi Patres definierint Libros, qui legi debeant, nunc tamen adjiciunt, esse quoque legendas Commemorationes Passionum Martyrum in anniversariis eorum memoriis.*

6. Actorum Collectioni succedebat Examen; quocirca supra memoratus Franciscus Dominicus Benedictus, quem nedum eruditionis Ecclesiasticæ, sed amicitiæ gratia compellare gestio, *Dissertat. 2. de Litteris Encyclicis cap. 3. §. 1. n. 6.* hæc habet: *Honor autem his tributus Martyribus in Ecclesia primitiva, summumque omnium ordinum in Martyres æstimium, pars quædam Religionis fuit, & quin cultum religiosum involveret, nihil est dubitandum. Idcirco Ecclesiarum Antistites magna semper solertia, summoque studio caverunt, ne cui religiosum hunc cultum decernerent, qui suo re ipsa merito tractandus hoc honore non esset, ejusque rei gratia invigilarunt, ut ex certis indiciis merita uniuscujusque dijudicarent, & causam Martyrii, vitamque Martyris penitus internoscerent.* Prosequitur citatus Auctor *in §. 4.* ea omnia, quæ sedulo perpendebantur, antequam aliquis inter veros Martyres recenseretur. De his alibi a nobis agetur; & interea adnotare fas sit, quod non omnes, qui tormentis afficiebantur, & ex eis, vel in eis moriebantur, Martyrum consortio adscribebantur. Sæpissime quippe factum est, ut ad Martyrii laudem aut piorum Christianorum subsidia ambientes, aut scelerum suorum pœnas effugientes, aut æris alieni gravitatem declinantes, pravis studiis consiliisque præposteris, sese carceribus mancipandos offerrent. Et quidem notissimum est, quod de Peregrino, quem Protheum appellat, narrat Lucianus. Tertullianus Martyrum flagitia in carceribus detentorum gravissime exaggerat, qui, obtentu quidem dandorum libellorum pro pace obtinenda, patrandorum criminum opportunitatem captabant, quæ tametsi Montanista Tertullianus acerbius urget, & Catholicæ Ecclesiæ, quæ Confessorum ejusmodi preces audiebat, impudentius objicit, non sunt tamen eis miranda, qui humanam partim imbecillitatem, partim malitiam reputant. Calumniatur ille quidem Ecclesiam, quod falsorum Martyrum officia pro lapsis exciperet, sed vitia illorum fortasse verissima describit. Examen ergo requirebatur, ut boni a malis discernerentur. Hinc Cyprianus *in epistola 6. ad Rogatianum Presbyterum, & alios Confessores*, inquit: *Quosdam audio inficere numerum vestrum, & laudem præcipui nominis prava sua conversatione destruere.* Et *in epistola 4. ad Presbyteros & Diaconos* diserte bonos Confessores memorat, ut nimirum a malis falsisque discernat: *Si fratres pro dilectione sua cupidi sunt ad conveniendum & visitandum Confessores bonos, quos illustravit jam gloriosis initiis Divina dignatio.* Necessitas insuper examinis ex eo facile confirmari potest, quod oportebat dignoscere, an in Ecclesiæ Catholicæ unitate mortui essent, juxta illud Apostoli *ad Corinth. 1. cap. 13. v. 3. Si tradidero corpus meum ita ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest:* quod argumentum late prosequitur S. Cyprianus *in epistola ad Antonianum, & in epistola ad S. Cornelium Papam.* Quærebatur præterea, an, qui tormenta passus erat, passus fuisset inani gloria, aut alio sæculari motivo ductus, juxta illud S. Hieronymi *in comment. epist. ad Galatas lib. 3. cap. 5. v. 14. Vide, quantum bonum sit charitatis! si ita Martyrium fecerimus, ut nostras velimus ab hominibus Reliquias honorari, si opinionem vulgi sectantes intrepidi sanguinem fuderimus, & substantiam nostram usque ad mendicitatem propriam dederimus, huic operi non tam præmium, quam pœna debetur, & perfidiæ magis tormenta sunt, quam corona victoriæ.* De causa demum mortis quæstio instituebatur, juxta illud S. Augustini: *Martyrem non*

facit

UAB Biblioteca de Ciències Socials

facit pœna, ſed cauſa. Unde, cum S. Epiphanius *in lib. adverſus hæreſes, hæreſi 76. n.* 1. graviſſimas pœnas expoſuiſſet, quas Georgius Patriarcha Alexandrinus paſſus fuerat a Gentilibus: *Primum* (inquit) *a Gentilibus circumſeptus, ac multa perpeſſus, atque ad eum, quem diximus, modum, circumductus, & fuſtibus percuſſus, totaque propemodum urbe tractus, in iis ſuppliciis extinctus eſt, ac poſt obitum concrematus, & cum multis pecudum, ac beſtiarum oſſibus in cinerem redactus, atque in ventos diſperſus, talem exitum vitæ conſecutus eſt*. Quæſtionem deinde propoſuit, an inter Martyres eſſet adſcribendus: *Objicere* (inquit) *nobis quiſpiam poteſt, cum hæc a Gentilibus paſſus ſit, nonne Martyrium obiiſſe videri poteſt?* Et inter Martyres non eſſe recenſendum dixit, cum morte multatus fuiſſet patrati ſceleris cauſa, hoc eſt propter injurias, quibus populum ſibi commiſſum affecerat: *Sed hæc minime propter Chriſti confeſſionem ſuſtinuit; quin potius ob omnem illam injuriam ac violentiam, qua Epiſcopatus ſui tempore, quoquo eum tandem modo geſſerit, civitatem omnem ac populum oppreſſit*.

7. Actorum Examini ſuccedebat Eccleſiaſticum Judicium, quo cultus decernebatur illis adhibendus, de quorum obitu pro Chriſti Fide nulla ex Actorum revolutione ſupereret dubitatio. Judicium hoc in unaquaque diœceſi ad ſuum pertinebat Epiſcopum; uti bene adnotarunt Cardinalis Bellarminus *de Sanctor. beat. lib.* 1. *cap.* 8. Lupus *in notis in quartum Concilium Romanum tom.* 3. *antiquioris editionis pag.* 565. Joſeph Maria Suareſius *in notis ad S. Lini opera pag.* 705. Phœbeus *in diſſertatione de Canoniz. Sanctor. impreſſa poſt Acta Canoniz. S. Petri de Alcantara, & S. Mariæ Magdalenæ de Pazzis pag.* 331. Van-Eſpen *in Jus canonicum part.* 1. *tit.* 21. *cap.* 7. *num.* 11. Pappacoda Epiſcopus Lycienſis *in diſſertat. impreſſa inter allegationes Juris Conſultorum collectas a Donato Antonio de Marinis allegat.* 15. *num.* 21. Putat tamen Sauſſajus *in apolog. Theolog. pro Sanctor. cultu pag.* 32. *ad calcem Martyrol. Gallicani*, judicium hoc non ad quemcumque Epiſcopum, in cujus diœceſi aliquis mortem ſuſtinuiſſet, & de quo quæreretur, an ſuſtinuiſſet pro Chriſto, ſpectaſſet, ſed examen ad Primatem delatum fuiſſe, qui adhibito conſilio aliorum Epiſcoporum decernebat, quid de Martyrio ſentiendum eſſet: *Verum*, inquit, *ex ſelectiori venerandæ antiquitatis penu, quin & exquiſitiori Patrum teſtimonio, hoc Jus non ita paſſim creditum, ſed majoribus Prælatis duntaxat conceſſum fuiſſe, certo liquidius apparet: moris enim erat, ut, cum aliquis Martyrio occubuiſſet, rem geſtam ſcriberet Epiſcopus, ſub cujus ditione id accidiſſet, ad Primatem Epiſcopum, a quo, mature adhibitis, in conſilium collegiis Epiſcopis, an inter Martyres is eſſet recipiendus, decernebatur*. Favet huic aſſumpto Sancti Auguſtini teſtimonium in *Breviculo Collationum cum Donatiſtis Coll.* 3. *c.* 13. *n.* 25. *t.* 9. ubi deſcribendo ritum & ordinem, quo Acta Martyrum ad Primatem transmittebantur, ait: *Recitarunt etiam reſcripta Secundi Tigiſitani ad eumdem Menſurium pacifice data, ubi & ipſe narravit in Numidia perſecutores quæ egerint, & qui comprehenſi, & Scripturas Sanctas tradere nolentes, & multa mala paſſi, & graviſſimis ſuppliciis excruciati, & occiſi ſunt, eoſque honorandos pro Martyrii ſui merito commendavit, laudans, eos non tradidiſſe Scripturas Sanctas*. Sed hæc erat Africanæ Eccleſiæ conſuetudo, quemadmodum adnotavit Lupus ad *quartum Conc. Rom. S. Leonis IX. par.* 3. *antiquioris editionis p.* 568. ubi, recitato Auguſtini teſtimonio, ait: *Non quoſvis in Africa Epiſcopos, licet Provinciarum Primates, potuiſſe canonizare, ſed eminentem hanc facultatem Primatiali Carthaginenſium Sedi fuiſſe reſervatam*. At extra Africanam Eccleſiam in aliis Eccleſiis examen ad unumquemque Epiſcopum in ſua Diœceſi pertinebat, & ad eumdem Epiſcopum ſpectabat, peracto examine, decernere, an, qui occubuerat, inter Martyres eſſet recenſendus, & an Cultus ei eſſet adhibendus, quod Altaris potiſſimum, aut Oratorii erectione in ejus honorem expleri conſueverat. S. Greg. Niſſenus, qui floruit ſæculo quarto, in *Vita S. Greg. Thaumaturgi*, qui ſæculo tertio floruerat, hæc de eo ſuam Diœceſim viſitante refert *p.* 1006. *t.* 2. *Deſcendit rurſus ad Urbem, & omni circa Regione undique peragrata, ac perluſtrata, additamentum, & quaſi corollarium ſtudii erga Numen Divinum inſtituebat, apud omnes ubique populos ſanciens, ut nomine eorum, qui pro Fide decertaſſent, dies feſti, atque ſolemnes Conventus celebrarentur*. De S. Joanne Chryſoſtomo, qui vixit ſæculo quarto, refert Sozomenus Scriptor quinti ſæculi, dignos honore Martyres cenſuiſſe Paulum Conſtantinopolitani Epiſcopi Subdiaconum, & ejus Lectorem Martianum per Arianos trucidatos, & Miraculorum gratia poſt mortem coruſcantes. Alia multa & infra, & alibi habebimus, quæ ſuadebunt, ad unumquemque Epiſcopum pertinuiſſe, vitam, & exitum perpendere eorum, qui Martyrii, & Sanctitatis fama celebres in ſua Diœceſi moriebantur. Alia quoque alibi fuſe exponentur de ſpeciebus cultus, qui authoritate Epiſcopali erga Martyres exhibendus decernebatur. Nunc, cum de erectione Altarium, aut Oratoriorum ſuper eorum ſepulcrum ſermo in ſuperioribus habitus ſit, præſto eſt authoritas Prudentii Poetæ Chriſtiani, qui vixit ſæculo quarto, quique *de Paſſione S. Vincentii* ita cecinit *hymn.* 5. *de coronis, apud Ruinart in Act. MM. pag.* 335.

Sed mox ſubactis hoſtibus,
Jam pace juſtis reddita,
Altar quietem debitam
Præſtat beatis oſſibus:

Quod ipſum comprobatur *ex Ser.* 310. *alias* 113. S. Auguſtini in *Natali Cypriani Martyris, c.* 2. *n.* 2. *tom.* 5. *oper.* ubi laudat menſam in loco, ubi ille obierat, extructam: *Et tamen menſa dicitur Cypriani, non quia ibi eſt unquam Cyprianus epulatus, ſed quia ibi eſt immolatus, & quia ipſa immolatione ſua paravit hanc menſam, non in qua paſcat, ſive paſcatur, ſed in qua Sacrificium Deo, cui & ipſe oblatus eſt, offeratur*. Quapropter Donatiſtæ, qui Circumcelliones ſuos, quos Taurinus Comes publica authoritate compeſcuerat, Martyres occubuiſſe jactabant, honore erectionis Altarium eos proſequi auſi ſunt, teſte Optato *lib.* 3. *pag.* 60. *quorum Corpora uſque in hodiernum per dealbatas aras, aut Menſas poterunt numerari*: quod & advertitur in *Hiſtoria Donatiſtarum* præclariſſimi & eruditiſſimi viri Cardinalis Noriſii *part.* 2. *t.* 4. *Operum ejuſdem*.

8. Concordant antiquiſſima Acta S. Patrocli apud Bollandum ad diem 21. Januar. *c.* 3. *n.* 12. *Euſebius qui eum in ſepulcro recondiderat, ipſe ædificavit ſuper Corpus ejus parvam cellulam ſecundum quod poſſibilitatem habebat*; itemque Acta SS. Martyrum Nicandri, & Marciani, quæ ex Vaticana, & Vallicellana bibliothecis edidit Mabillon in ſuo *muſeo Italico t.* 1. *p.* 2. *pag.* 250. *Requieverunt autem Chriſti Martyres, Nicander, & Marcianus, & Daria uxor Nicandri cum filio ſuo in Civitate Venafro. Tunc Chriſtiani abſtulerunt corpora eorum, & ſepelierunt ea prope locum, in quo decollati fuerant, in quo loco fabricata eſt Baſilica ad honorem nominum ipſorum*; & Ammianus Marcellinus, qui vixit ſæculo quarto, quique Chriſtianos non una vice in ſua hiſtoria carpit, plene teſtatur de erectione Oratoriorum ſuper Corporibus Martyrum lib. 22. c. 11. *Cadavera peremptorum Camelis impoſita vexit ad litus* (Gentilium multitudo) *iiſdemque ſubito igne crematis, cineres projecit in mare* (nempe Draconii, & Diodori) *id metuens, ut clamabat, ne collectis ſuprenis, Ædes illis extruerentur, ut reliquis, qui deviare a Religione compulſi, perſulere cruciabiles pœnas, ad uſque glorioſam mortem intemerata fide progreſſi, & nunc Martyres appellantur*. Suffragatur Epiſtola Eccleſiarum Viennenſis, & Lugdunenſis ad Eccleſias Aſiæ & Phrygiæ apud Euſebium *lib.* 5. *hiſt.* c. 1. *p.* 209. in qua late exponitur Gentilium ſollicitudo, ne Martyrum corpora, membra & reliquiæ a Chriſtianis ſepelirentur: *Sed ne ſic quidem furor illorum & immanitas adverſus Sanctos conquievit . . . . . torum enim corpora qui in carcere ſuffocati perierant, canibus objecerunt, ſollicite obſervantes noctu, atque interdiu, ne quis noſtrorum ea ſepulturæ mandaret. Poſt hæc quidquid aut a beſtiis, aut ab igne reliquum fuerat, partim laniata, partim ambuſta membra exponentes, reliquorum denique capita cum ipſis corporum truncis ſimiliter inſepulta per plurimos dies additis militum excubiis cuſtodierunt . . . . Nos vero graviſſimo interim dolore premebamur, quod humare cadavera nobis non liceret: nam neque noctis tenebræ nos juvare, neque auri vis flectere, neque preces ullæ animos eorum commovere potuerunt. Sed omni ſtudio atque induſtria cadavera cuſtodiebant, quaſi ingens lucrum facturi, ſi ſepultura caruiſſent*. Et Joſeph Scaliger *in animadverſionibus ad chronicon Euſebii* ſcribit, *Martyrium* proprie eſſe altare impoſitum Martyrum cineribus, quod latine *Confeſſio* dicitur; etſi procedente deinde tempore, in omni Eccleſia Martyrii nomen obtinuerit: unde Euſebius *lib.* 4. *vitæ Conſtantini cap.* 40. templum Salvatoris a Conſtantino exſtructum appellat *Martyrium*.

UAB Biblioteca de Ciències Socials

CAPUT QUARTUM.

De Martyrum notitia ab una ad aliam Ecclesiam per Litteras Encyclicas transmissa.

1. CONCORS est Eruditorum sententia, ab una ad aliam Ecclesiam primis æræ Christianæ sæculis tum Martyrum nomina, tum pretiosæ mortis seriem per encyclicas litteras transmissa fuisse; ut nedum glorioſa certamina omnibus innotescerent, sed & cultus, Ecclesiastico judicio in una diœcesi ab uno Episcopo introductus, ad alias, assentientibus ipsarum Episcopis, extenderetur. Florentinius *in admonit. 2. de vetustioribus Martyrologii vulgandi proposito* ait *pag.* 8. *Hinc frequenter de Martyribus epistolæ ultra citraque ex provinciis in provincias transmittebantur*. Ruinart autem *in præfatione ad Acta Martyrum* §. 1. *num.* 3. subdit: *Tandem Ecclesiæ, quæ tantis viris ornatæ fuerant, post consummatum eorum Martyrium, totam rerum gestarum seriem in epistola encyclica descriptam ad alias Ecclesias transmittebant; ut non solum apud se, verum etiam apud exteras regiones tam illustrium virorum memoria celebraretur*. Adhæret Franciscus Dominicus Bencinus sæpe laudatus *in dissert. 1. de litteris encyclycis* §. 4. *n.* 14. ubi hæc habet: *Sedula quoque erat primis temporibus Ecclesiarum sollicitudo dirigendi per encyclicas in universum orbem Martyrum nomina, eorumdemque Acta, & glorioſos agones, & quidquid ad Fidei, Disciplinæque integritatem ab illis fuisset præstitum denuntiandi; illa quidem, ut diptychis sacris inserta, & perpetua, atque anniversaria solemnitate recolerentur; hæc vero, ut Fideles novam, peregrinamque doctrinam abs exemplis, & dictis Martyrum discerent evitare:* & ipsemet Henricus Dodwellus scriptor heterodoxus, qui inter Cyprianicas dissertationes unam edidit inscriptam *de paucitate Martyrum*, (quam, congestis undique argumentis, Pagi senior *ad annales Cardinalis Baronii*, & Ruinart strenue ac laudabiliter profligaverunt) memoratam litterarum transmissionem admittit. *Quin & pro Catholicarum Ecclesiarum commercio, Ecclesiæ exteras etiam provincias faciebant certiores, ut eorum natale celebraretur, idque per epistolas encyclicas, quarum nonnullæ ad nos usque pervenerunt*; inquit, *apud cit. Ruin. in præf.* §. 2. *num.* 13. Dodwellus. Mos hic fortasse probari posset Epistola Presbyterorum Achajæ de S. Andreæ Apostoli Martyrio, quod ipsi oculis suis conspexerunt. Tillemontius *in notis ad vitam S. Andreæ* velut suppositititiam impugnat. S. Philastrius Brixiensis Episcopus sæculo quarto scribens, dolet, epistolam de S. Andreæ Martyrio ab ejus discipulis primitus compositam, corruptam deinde fuisse ab Hæreticis: proindeque agnoscit hoc ipso, unam aliquam germanam vere extitisse. Videndi Bellarminus de scriptoribus Ecclesiasticis primi sæculi *tit. de Presbyteris Achajæ*, & Joannes Baptista Sollier *tom.* 7. *Julii Bollandiani in notis ad Martyrologium Usuardi ab se editum, purgatumque ab additamentis aliorum, ad diem* 30. *Novembris*: quodque caput est, cum a nemine epistola fuerit suspicionis accusata hoc nomine, quod a discipulis S. Andreæ data sit ad alias Ecclesias de rebus in ejus morte gestis docendas, ex hoc infertur, nullum esse unquam suspicatum, fuisse alienum a primi sæculi more similes litteras conscribere.

2. Hunc morem respexisse videtur Prudentius *in hymno S. Hyppoliti ad Valerianum Cæsarauguſtanum Episcopum hymn.* 11. *de coronis, apud Ruin. in Act. MM. pag.* 150.

Prisco more diem, quem te quoque, sancte Magister,
Annua festa inter dinumerare velim.
Inter solemnes Cypriani, vel Chelidoni,
Eulaliæque dies, currat & iste tibi.

Sed quod caput est, exstant adhuc nonnullæ ex dictis epistolis; illa videlicet Ecclesiæ Smyrnensis de Martyrio S. Polycarpi; illa Ecclesiarum Viennensis & Lugdunensis de Martyrio S. Pontini Episcopi, & aliorum plurimorum; illa S. Dionysii Alexandrini Episcopi ad Fabium Antiochenum de Martyrio SS. Metræ, Apolloniæ, & aliorum plurimorum; illa Eucherii Episcopi ad Salvium Episcopum de Passione SS. Mauritii, & Sociorum; illa Theodori Episcopi Iconii de Martyrio S. Quirici, & ejus matris Julittæ; illa Ecclesiæ Gothicæ de Martyrio S. Sabæ; illa S. Vigilii Episcopi Tridentini ad Simplicianum Episcopum Mediolanensem de Martyrio SS. Sisinnii, Martini, & Alexandri: nec epistolæ, quæ ab una ad aliam Ecclesiam transmittebantur, in ea, ad quam transmittebantur, Ecclesia expositæ relationis cursum sistebant; sed Ecclesia per epistolam de Martyrio admonita receptam epistolam ad alias transmittebat Ecclesias: ideoque encyclica Smyrnensis Ecclesiæ de S. Polycarpi Martyrio *ap. Euseb. lib. 4. hist. cap.* 15. *pag.* 162. inscripta est quidem *Ecclesiæ Philomeliæ*, quæ forte a Smyrnensi postulaverat, ut Acta Martyrii sibi transmitteret; sed ad ulteriora progreditur, cum inscripta sit etiam omnibus aliis Catholicis Ecclesiis: *Ecclesia Dei quæ est Smyrnæ, Ecclesiæ Dei apud Philomelium, & omnibus ubicumque terrarum sanctæ & catholicæ Ecclesiæ populis misericordia pax & charitas Dei Patris & Domini nostri Jesus Christi multiplicetur:* &, postquam in fine dictum est *p.* 171.: *Hæc de Beato Polycarpo qui cum aliis duodecim Philadelphensibus apud Smyrnam Martyrio est coronatus;* subditur (*in eadem epistola ex edit. Usser.*) *Quæ vos postea quam acceperitis, rogamus ut ad fratres ulterius positos epistolam transmittatis: quo & illi Dominum benedicant, qui ex suis famulis quoscumque vult eligit*. Ita in epist. 82. Sancti Cypriani, postquam is Clero suo Martyrium notificavit Xysti Pontificis, dicitur: *Hæc peto per vos, & ceteris collegis vestris innotescant*. Epistola autem supra citata Ecclesiæ Gothicæ de Martyrio S. Sabæ *ap. Ruinart pag.* 527. *num.* 6. scripta est Ecclesiæ Dei, quæ est in Cappadocia, & omnibus Ecclesiæ Catholicæ Christianis ubique gentium habitantibus, & in ejus fine leguntur hæc verba: *Quam ob rem qua die Martyr coronatus est, sacrificantes, hoc reliquis fratribus nuntiate, ut in omni Catholica atque Apostolica Ecclesia exultantes collaudent Dominum, qui proprios servos suos elegit*.

3. Atque ab his epistolis tabulæ Ecclesiasticæ, quibus Martyrum natalitia conscripta habebantur, quæque *Fasti* a Tertulliano fuerunt appellatæ, suam originem habuerunt; uti erudite adnotavit Pamelius *ad epistolam* 37. *Cypriani*, interpretans illud Tertulliani *in libro de corona militis*, ubi ait: *Habes tuos Census, tuos Fastos, nihil tibi cum gaudiis sæculi*. A Fastis porro Kalendaria, Martyrologia, & Passionalia, de quibus alibi, ortum duxerunt.

4. Verum, si ab una ad aliam Ecclesiam epistolæ transmittebantur, ut unaquæque certior fieret de iis, qui mortem pro Christo passi fuerant; nemo est, qui jure sibi suadere possit, consimiles epistolas ad Ecclesiam Romanam aliarum Ecclesiarum matrem, centrum Catholicæ unitatis, ad Romanum Pontificem Christi in terris Vicarium, & Apostoli Petri successorem non fuisse transmissas. S. Cyprianus litteras dedit hortatorias Moysi, Maximo, aliisque Confessoribus Romanis, maceratis in carceribus ob Christi nomen, ut alacres essent & prompti ad superanda tormenta, & mortem subeundam; & ipsi ad illum aliam dederunt epistolam, quæ est 26., ubi hæc habent: *Ex tuis ergo litteris vidimus glorioſos illos Martyrum triumphos, & oculis nostris quodammodo cælum ipsum ipsos petentes prosecuti sumus, &c. Hoc est ergo, quod & nobis animum in dies erigit, & ad consequendos gradus tantæ dignationis incendit*. Contextus harum epistolarum viam sternit, ut jure ac merito existimare possimus, fuisse ad Ecclesiam Romanam transmissam notitiam eorum, qui in exteris regionibus Martyrium subibant pro Christo. Si enim Cyprianus Martyres in carceribus Romanis constitutos sedulo hortabatur, ut pro Christo libenter morerentur, verisimile admodum est, hoc ipsum etiam ab aliis factum esse; & si exteri Episcopi hortatorias dabant epistolas ad Martyres Romanos, cur, quæso, credi non potest ipsos ad Episcopos urbis Romæ, summosque Pontifices, per epistolas indicasse nomina eorum qui in suis regionibus Martyrium subibant? Epistolam S. Ignatii Episcopi Antiocheni ad Romanos principio sæculi secundi scriptam nonnulli afferunt pro comprobatione ejus rei, de qua modo dictum est. At, cum Ignatius Antiochenæ Ecclesiæ post Evodium Petri successorem Episcopus, a Trajano Imperatore tunc temporis Antiochiæ existente Romam missus, ut ibi in ludis publicis a bestiis devoraretur, dederit

derit ad Romanos epistolam, in qua inter cetera leguntur hæc verba *apud Ruinart in Act. MM. pag.* 11. *Timeo charitatem vestram, ne ipsa me lædat. Vobis enim facile est quod vultis facere; mihi autem difficile est. Deo potivi, siquidem vos non parcitis mihi:* sensus eorum est obsecrandi, ut Romani abstinerent a largitione pecuniæ, amicorum intercessione, & ceteris, quæ passionem & Martyrium impedire possent, uti bene adnotavit Ruinart *ad dictam epistolam;* vel ne ad Deum preces funderent, ut feræ, a quibus mortem expectabat, mansuescerent, sicuti prosequitur Tillemont *tom.* 2. *in vita prædicti S. Ignatii art.* 5. quod profecto nihil habet commune cum re, de qua nunc agitur.

5. Alii pro ea suadenda utuntur monumentis S. Dionysium Areopagitam respicientibus, ex cujus passionis Actis Hincmarus Remensis Archiepiscopus *in sua epistola impressa apud Surium ad diem 9. Octobris pag.* 131. *num.* 5. *edit. Colonien. ann.* 1618. hæc habet: *Quos* (sermo est de lictoribus transmissis ad eum perquirendum) *cum B. Dionysius ad fines Parisiorum appropinquare comperit, Sanctinum & Antoninum ad se accersivit, quibus præcepit, ut sermones & agones ipsius solerter intenderent, & memoriæ commendarent; ac quibus tormentorum generibus per passionum supplicia corporis vitam finiret, conspicientes, Romanæ Sedis Pontifici & Fidelibus, quos tunc ibidem invenerint* (*quia, unde in Orbem Christianorum persecutio procedebat, illic ardentius conflagrabat*) *per ordinem nuntiare quantocius studerent; eosque obnixe deposcerent, ut Athenienſium civibus ea nota facerent, quatenus & ipsi Domino pro cursu laborum ejus impleto gratias agerent, & erga cultum ejus bono animo fierent.* At, cum hujus facti veritas ab Actorum sinceritate dependeat, & a quæstione satis nota de duobus Dionysiis, in qua Sirmondus *in editione Conciliorum Galliæ, & dissertatione de duobus Dionysiis*, & Launojus quoque *in libro de duobus Dionysiis*, & alii, Dionysium Parisiensem Episcopum negant eumdem esse cum Dionysio Areopagita, quem Episcopum Athenienſium esse volunt, quibus alii strenue se opposuerunt, & utriusque partis rationes summatim referuntur a Schelstrat *in* 2. *parte antiquitat. illustr. circa Concil. dissert.* 3. *cap.* 3. *art.* 3. unusquisque facile cognoscere poterit, tutum pro re fundamentum in citatis monumentis constitui non posse.

6. Saussajus epistolam ejusdem Dionysii exhibet, in qua S. Pontificem Clementem de Martyrio S. Eutropii Santonum Apostoli pie & reverenter admonet: *Eutropium, quem mecum in has oras ad prædicandum Christi nomen misistis, Martyrii coronam per manus Gentilium apud Santonas urbem vobis notificamus pro Domini Fide accepisse.* S. Gregorius Turonensis *lib.* 1. *de gloria Martyrum cap.* 56. loquitur de Martyrio S. Eutropii, quem a S. Clemente in Gallias missum ait, ut Christi Fidem annuntiaret: sed fabulosa ab Eruditis reputatur vita S. Eutropii scripta a S. Dionysio, ab eodem missa ad Clementem, quæque dicitur fuisse Constantinopoli reperta in schola Græcorum, & a Callisto II. in latinum versa, & in Gallæciam ad Ecclesiam S. Jacobi transmissa; uti videri potest apud continuatores Bollandianos *ad diem* 30. *Aprilis*. Bollandus autem, qui *in præfatione generali ad vitas Sanctorum* §. 2. transmissionem Actorum ad Romanum Pontificem admittit, Actorum, inquam, Martyrii eorum, qui in provinciis passi fuerant, ut in arce Religionis extarent monumenta gentium omnium Christo subjugatarum, ut gratiæ Deo pro victoria agerentur, ut Romani Pontificis examini supponerentur, ut denique facilius cum ceteris orbis Christiani Ecclesiis fortia Martyrum gesta communicarentur; quia & ipse dubitat de veritate Actorum S. Eutropii, ad suæ assertionis præsidium advocat epistolam Martyrum Lugdunensium, de qua Eusebius *lib.* 5. *hist. cap.* 3. & 4. Sed, cum hujus epistolæ a Martyribus Lugdunensibus ad Eleutherium Papam transmissæ solum supersit apud Eusebium fragmentum, in quo S. Irenæum tunc Presbyterum Lugdunensem enixe commendant (*Te per omnia ac perpetuo optamus in Deo valere, pater Eleuthere. Has litteras ut ad te perferret fratrem & collegam nostrum Irenæum hortati sumus. Quem quidem ut commendatum habeas rogamus, utpote æmulatorem Testamenti Christi. Quod si nobis compertum esset, locum cuiquam conferre justitiam, cum tamquam Presbyterum Ecclesiæ* (*hunc enim gradum obtinet*) *tibi imprimis commendassemus.*) Nemo est, qui non videat, ex eo epistolæ, quod tantum supereſt, fragmento Martyriorum longinquorum notitiam, & Actorum transmissionem ad Romanum Pontificem sufficienter non esse probatas.

7. Cardinalis Baronius *ad annum Christi* 166. duas recitat epistolas Pii Papæ I. ad Justum Episcopum Viennensem datas, in quarum altera hæc leguntur: *Attalus epistolas Martyrum portans ad nos venit, gaudium nobis inæstimabile faciens de triumpho eorum. Qui dixit nobis S. Verum, collegam nostrum, victorem de mundi Principe triumphasse . . . . Cura autem sanctorum Martyrum corpora sicut membra Dei, quemadmodum curaverunt Apostoli Stephanum . . . . Martyria sancta Spiritu Sancto proba . . . . Fratres nostri, quos per Attalum recognosces de Tyranni sævitia jam liberati, requiescunt in Domino. Presbyter Pastor Titulum condidit, & digne in Domino obiit.* Ex his commercia apparent mutua litterarum inter Ecclesias de Martyribus jam probatis, & illæ præsertim ad Romanum Pontificem perscribi solitæ: illudque potissime observandum est; prudentissimum Pontificem sapienter monuisse, vera & Sancta Martyria esse diligenter discernenda a falsis, & mature probanda ad regulas a Spiritu Sancto traditas: *Martyria sancta Spiritu Sancto proba.* Sunt quibus Pii Epistolæ, de quibus agitur, suspectæ sunt, & hi præcipue sunt Tillemontius in *Notis ad Vitam Sancti Pii I.* & Petrus Coustant *tom.* 1. *Epistolarum Romanorum Pontificum in Appendice pag.* 19. Sed quæ ab eis opponuntur, levia sunt, uti legenti patebit, & Epistolarum sinceritatem Cardinales Baronius & Bona libenter admittunt.

8. Succedunt validissimæ pro assumpto argumento conjecturæ, nec positiva desunt cetera pro eo adstruendo fundamenta. Porro si a nobis demonstrabitur, ab Ecclesia Romana, & a Summis Pontificibus admonitas fuisse ceteras sibi subditas Ecclesias de pretiosa morte illorum, qui in Urbe sanguinem pro Christo fundebant; unusquisque sanæ mentis admittere debebit, ceteras inferiores Ecclesias, Romanam, Summumque Pontificem certiorem reddidisse de illis, qui apud ipsas Martyres moriebantur. Porro id pleniſſime demonstratur ex Actis Sancti Ignatii Martyris, quæ inter sincera & selecta Acta Martyrum recensentur a Ruinart *p.* 19. *numer.* 6. Mortuus ille est Martyrio coronatus in Urbe; & Actorum Scriptores, qui Martyrii fuerunt spectatores (*horum nos ipsi spectatores facti*) cuncta, quæ contigerant, exposuerunt; & vel ab illis, qui socii fuerant, vel ab Ecclesia Romana, uti bene ponderat Bencinus *de litteris encyclicis dissertat.* 2. *cap.* 3. §. 2. *num.* 8. ceteris Ecclesiis denuntiata sunt: *vobisque diem, & tempus indicavimus, ut tempore ejus Martyrii convenientes, Athletæ, & generoso Christi Martyri communicemus.* Succedit epistola 3. S. Cypriani in qua respondet Presbyteris & Diaconis Romæ consistentibus, qui de Martyrio S. Fabiani ad eum litteras dederant: *Cum de excessu boni Viri collegæ mei rumor apud nos incertus esset, fratres carissimi, & opinio dubia nutaret, accepi a vobis litteras ad me missas per Crementium Hypodiaconum, quibus pleniſſime de glorioso ejus exitu instruerer.* Alia quoque se offert ejusdem Sancti Epistola 82. in qua ad Successum scribens notum facit, Xystum Pontificem Martyrio fuisse coronatum: *Xystum autem in cœmeterio animadversum sciatis octavo iduum Augustarum die.* Id factum est, postquam nuntius de ejus Martyrio venit ab Urbe, teste Pontio in vita memorati S. Cypriani *num.* 14. *Jam de Xysto bono & pacifico Pastore, ac propterea beatissimo Martyre ab Urbe nuntius venerat.*

9. Confirmantur hucusque adducta ex eo, quod ab exteris scriptoribus celebrata legimus Martyria eorum, qui in Urbe occubuerant, & ab exteris monumentis propagatum extra Urbem eorum cultum deprehendimus; quod absque dubio patefacit delatam ad remotas etiam regiones prædictorum Martyriorum authenticam ab Urbe notitiam. S. Felicitas una cum septem filiis, & S. Justinus Martyrio in Urbe coronati sunt sæculo Ecclesiæ secundo: prædictæ autem S. Felicitatis nedum mentio habetur in Martyrologio nomine Hieronymi vulgato, sed etiam in antiquissimis litaniis Anglicanis *inter vetera analecta Mabillonii pag.* 68. Sanctique Justini Martyrium laudibus ornaverunt eodem, quo mortuus est, sæculo secundo Tatianus Assyrius *in oratione contra Græcos post opera S. Justini*, & S. Irenæus Lugdunensis Episcopus *lib.* 1. *contra hæreses cap.* 31. ineunte sæculo tertio Tertullianus *in libro adversus Valentinianos*; sæculo quarto Eusebius Cæsariensis Episcopus *lib.* 4. *hist. Eccles. cap.* 16. S. Epiphanius *hæresi* 46.; & exeunte sæculo quarto S. Hieronymus *in catalogo scriptorum Ecclesiasticorum.*

10. Sancti Laurentius, & Hippolitus sæculo tertio pro Christi Fide gloriosam mortem in Urbe subierunt; & certamen S. Laurentii cecinit Aurelius Clemens Prudentius

tius ſcriptor ſæculi quarti, & illud quoque laudibus proſecutus eſt S. Auguſtinus eodem ſæculo *in ſermonibus* 302. *& tribus ſequentibus*; & ſæculo quinto Fortunatus Pictavienſis *lib.* 9. *poemate* 14. meminit baſilicarum in Galliis Deo Optimo Maximo nomine S. Laurentii conſecratarum, & eodem ſæculo quinto S. Maximus Epiſcopus Taurinenſis glorioſam S. Laurentii mortem debitis extulit præconiis *in tribus homiliis editis in biblioth. PP. tom.* 6. ſicque S. Hippolytus Miles inter alios Sanctos recenſetur in Kalendario Carthaginienſi, quod eſt ſæculi quinti, & quod editum fuit a Mabillonio *tom.* 3. *veterum analectorum*; & S. Gregorius Turonenſis ſcriptor ſæculi ſexti de hujus S. Hippolyti cultu loquitur *lib.* 1. *hiſt. cap.* 28. Prudentius, qui ſub Theodoſio juniore floruit, *lib.* 2. *hymn.* 11. Hippolytum Martyrem Portuenſem carminibus ſuis celebravit, cujus cœmeterium in agro Verano ſitum ætate ſua ſummopere venerabantur Romani, exterique. Cardinalis Baronius Prudentio vitio vertit, quod tres Hippolytos in unum confuderit, Epiſcopum videlicet Portuenſem, Militem ſub Valeriano paſſum, & demum Hippolytum Presbyterum Antiochenum, prius Novati diſcipulum, poſtea glorioſum Chriſti Martyrem ſub Decio. Theodoricus vero Ruinartius, Sebaſtianus Tillemontius, Remigius Ceillierius, & alii contrariam prorſus tuentur ſententiam, & Prudentium ab hoc confuſionis vitio vindicare conantur, dum unicum Hippolytum Presbyterum ab ipſo laudatum dicunt, qui Novatianorum ſectæ laqueis quondam irretitus, poſt eorum hæreſim ejuratam, Martyrii palmam in Portu Romano adeptus eſt; & demum Fronto Ducæus mediam inter hos ſecutus eſt ſententiam, dum Hippolytum Epiſcopum Portuenſem a Prudentio carmine laudatum cenſuit, quem Novati erroribus captum, & ante Martyrii coronam exſolutum tradidit. Dum hæc ſcribimus, typis Romanis editur erudita diſſertatio de Portuenſi Sede S. Hippolyti Epiſcopi & Martyris, in qua evincitur, Epiſcopum Portuenſem, quem Prudentius elegantiſſimo carmine laudavit, ejus urbis prope Romam Epiſcopum fuiſſe.

11. S. Agnes in Urbe mortem pro Chriſto paſſa eſt, & nedum ejus nomen in citato Kalendario Carthaginienſi repoſitum eſt: verum etiam ante tempus dicti Kalendarii S. Auguſtinus *ſerm.* 273. *& ſerm.* 274. ejuſdem Sanctæ Martyrium celebravit, & Sulpitius Severus *in vita S. Martini* teſtatus eſt, ab eo memoriam hujus glorioſæ Virginis cultam fuiſſe, & memoratus Aurelius Clemens Prudentius *hymno* 14. *de coronis* ſanctitatem tantæ Virginis carminibus illuſtravit.

12. Conjecturis, & præſumptionibus poſitiva ſuccedunt argumenta; quorum primum deſumitur ex Actis S. Vigilii Epiſcopi Tridentini, & Martyris, qui ſæculo quarto mortuus eſt, *apud Bollandianos ad diem* 26. *Junii cap.* 2. *num.* 11. *Conſcripta ſunt autem geſta beati Viri ab his qui Martyrio ejus interfuerunt; gratiaque roborationis, ut mos erat, Papæ Romano tranſmiſerunt, ut ſacris Martyrum memorialibus inſererentur: quæ ſuſcepta venerabilis Epiſcopus Apoſtolicus, omnia digna memoria ſubſcribens adjudicavit.* In fine autem Actorum habentur hæc verba: *Paſſus eſt tandem B. Vigilius Tridentinæ civitatis Epiſcopus, Martyr glorioſus, Theodoſii & Honorii Auguſtorum regnantium tempore, Stilicone Conſule urbis Romæ, nec non Hormiſdæ Papæ Sedis Apoſtolicæ.* Codex ab Obrechto Argentoratenſis urbis generali Advocato commodatus fuit erudito viro Joanni Mabillonio, qui eum cenſuit bonæ notæ, & annos ſeptingentos ſuperare; apographum quoque a Mabillonio communicatum fuit ſæpe memorato Juſto Fontanino Archiepiſcopo Ancyrano, ut ipſe teſtatur *in præfatione ad novum codicem Canonizationum*; & ex illo codice clariſſime infertur, non ſolum notitiam Martyrii accepti, ſed etiam Acta ipſa Martyrii S. Vigilii fuiſſe ad Romanum Pontificem tranſmiſſa, ut examinarentur, & cultus approbaretur. Examen deſumitur ex verbis *quæ ſuſcepta venerabilis Epiſcopus Apoſtolicus, omnia digna memoria ſubſcribens adjudicavit*; & petita cultus approbatio ex aliis colligitur verbis, *ut ſacris Martyrum memorialibus inſererentur*. Cum autem hæc Actorum tranſmiſſio ad Romanum Pontificem facta ſit, antiquioris conſuetudinis inhærendo veſtigiis, quemadmodum præfeferunt verba Actorum, *ut mos erat*; certum ex his eſſe videtur, tam ſæculo quinto, quam aliis præcedentibus tranſmiſſa fuiſſe ad Romanum Pontificem Acta Martyrum, ut, prævio examine, cultus in eorum honorem vel introduceretur, vel, ſi jam auctoritate Epiſcopali eſſet introductus, Apoſtolicæ Sedis approbatione roboraretur. De his Actis S. Vigilii legi poteſt Mabillonius *in præfatione ad ſæculum quintum Ord. S. Bened.* §. 6. *num.* 93. & legi etiam poteſt ſupra citatus Juſtus Fontaninus *in allegata præfatione*; nec ulla de eorum ſinceritate quæſtio movetur a Baillet *in præfatione ad vitas Sanctorum* §. 4. ubi de eis loquitur.

13. Secundum deducitur argumentum ex petitione Eulogii Alexandrini facta S. Gregorio Magno, videlicet ſæculo Eccleſiæ ſexto. Petierat Eulogius a S. Gregorio cunctorum Martyrum geſta, quæ piæ memoriæ Conſtantini temporibus ab Euſebio Cæſarienſi collecta erant. Pontifex Gregorius reſpondit, ſe in Romanis bibliothecis petitum opus Euſebii inquiſiviſſe, nec inveniſſe, & innuit *epiſt.* 29. *lib.* 8. *indict.* 1. quid haberet, quod exhibere poſſet, niſi exiſtimaret ab Eulogio jam haberi: *Nos autem pene omnium Martyrum diſtinctis per dies ſingulos paſſionibus collecta in uno codice nomina habemus, atque quotidianis diebus in eorum veneratione Miſſarum ſolemnia agimus: non tamen in eodem volumine quis, qualiter ſit paſſus, indicatur, ſed tantummodo nomen, locus, & dies paſſionis ponitur: unde fit, ut multis ex diverſis terris, atque provinciis per dies, ut prædixi, ſingulos cognoſcantur Martyrio coronati, ſed hæc habere vos beatiſſimos credimus.* Putarunt nonnulli, Euſebium nil aliud de Martyribus ſcripſiſſe, quam quod in hiſtoria proſtat; ſed falluntur, cum collectionem de Martyribus ſeparatim ab hiſtoria compoſuerit, in qua non nomen tantum, locus & dies paſſionis indicabantur, ſed Acta, locus, dies, integrum certamen, & alia ad Martyris & Martyrii notitiam pertinentia continebantur; ut ſolide oſtendit Florentinius *in admonit.* 3. *de veteſtioris Martyrologii vulgandi propoſito*. Voſſius *in appendice ad lib.* 2. *cap.* 17. *de hiſtoricis Græcis* memoratum Euſebii librum latitare cenſuit in Eſcuriali S. Laurentii bibliotheca; ſed eruditus Holſtenius oculatus teſtis *in epiſtola ad Magnum Ducem Etruriæ* teſtatus eſt, in ea bibliotheca antiquiſſimum & pulcherrimum exemplar reperiri hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Euſebii, & fragmentum hiſtoriæ de Martyribus Palæſtinæ, quod ab Hiſpanis aliquando habitum fuit pro illo libro, quem de Martyribus ſeorſum a ſe ſcriptum, non uno loco fatetur Euſebius. Hiſtoria de Martyribus Palæſtinæ edita eſt apud Ruinart *in Actis Martyrum ſinceris & ſelectis*; ſed aliud opus Euſebianum, quod tempore S. Gregorii Magni non inveniebatur, uſque adhuc inventum non eſt. Veruntamen, cum ex allegata S. Gregorii epiſtola deprehendatur, omnium pene Martyrum nomina in uno codice fuiſſe collecta, & codicem in Eccleſia Romana aſſervatum fuiſſe, ſatis hoc ſuperque eſſe videtur, ut ab aliis Eccleſiis & ab aliis Epiſcopis delata ad eam cenſenda ſit notitia eorum, qui in ſuis diœceſibus moriebantur pro Chriſto per Actorum, vel authenticæ ſaltem epiſtolæ tranſmiſſionem, ut Apoſtolico munimine cultus eorum introduceretur, aut introductus confirmaretur.

14. Quod ſi adverſus hucuſque adducta aliquis audacter opponeret, narrata per S. Gregorium Magnum de codice, in quo omnium pene Martyrum nomina continerentur, & de quotidiana eorum memoria in ſacrificio Miſſæ, non bene cohærere cum Kalendario Bucheriano, quod ad tempora Papæ Liberii, ideſt ad medium ſæculum quartum refertur, in quo paucorum Martyrum nomina continentur; ſciat, Dodwellum heterodoxum ab iſtiuſmodi Kalendariis argumentum deduxiſſe pro adſtruenda ſomniata Martyrum paucitate. Præterquamquod autem magna noſtrorum Martyrum multitudo ſatis aperte demonſtratur auctoritate Euſebii *l.* 8. *c.* 6. qui loquens de perſecutione Diocletiani, ait: *Cum innumerabilis ubique hominum multitudo cuſtodiæ manciparetur, & carceres olim homicidis, & ſepulcrorum expilatoribus deputati, tunc Epiſcopis, Presbyteris, Diaconis, Lectoribus, atque Exorciſtis compleventur, adeo ut iis, qui ob crimina condemnati fuerant, nullus jam locus ſupereſſet*; & de geſtis poſt ſecundum edictum ſubdit: *Vix jam iniri numerus poteſt omnium, qui deinceps in ſingulis provinciis paſſi ſunt Martyrum, ac præſertim eorum, qui per Africam, & Mauritaniam, per Thebaidem, & Ægyptum ſunt interfecti*: S. Gregorii aſſertio, congeſtis undique per eruditos viros argumentis, ab oppoſitione vindicatur. Legi poteſt egregius vir Ludovicus Antonius Muratorius *pag.* 200. *tom.* 2. *anecdot. erutorum ex bibliotheca Ambroſiana*, ubi non ſolum affert teſtimonium S. Leonis Magni, qui *in ſerm.* 1. *de natali Apoſtolorum* ait: *Unde duo iſta Divini ſermonis germina in quantam ſobolem germinarint, beatorum millia Martyrum proteſtantur, qui Apoſtolicorum æmuli triumphorum Urbem noſtram purpuratis, & longe lateque rutilantibus populis ambie-*

ambierunt, & quasi ex multarum honore gemmarum conserta uno diademate coronarunt; itemque S. Paulini, & Prudentii: sed etiam indicem profert oleorum, sanctorumque Martyrum, quorum corpora S. Gregorii Magni temporibus Romæ quiescebant, qui in museo Septaliano Mediolani latitabat scriptus papyro Ægyptiaco, & cujus meminerat Mabillonius in suo itinere Italico. In eo autem, quod attinet ad paucos Martyres in Kalendario Romano supra citato memoratos, a peritis viris jam adnotatum est, Kalendaria a Martyrologiis differre, cum in Martyrologiis omnium Martyrum, sed in Kalendariis eorum tantummodo Martyrum nomen indicetur, qui in ea Ecclesia particulari, ad quam pertinebat Kalendarium, annua festivitate celebrabantur. Sozomenus *lib. 5. cap. 3.* scribens de Gaza, & Constantia Palæstinæ civitatibus, viginti tantum stadiis inter se dissitis, & communem rempublicam habentibus, inquit: *Utraque enim suum seorsum habet Episcopum, suum Clerum, dies item festos Martyrum suorum, & commemorationes Episcoporum, qui ipsis præfuerunt.* Rursus Kalendarii Mabilloniani titulus hæc habet: *Hic continentur dies natalitiorum Martyrum, & depositiones Episcoporum, quorum Ecclesia Carthaginensis anniversaria celebrat.* Differentiam denique inter Martyrologia, & Kalendaria late exponit Pagi senior *ad annum Christi 64. num. 6. Verum hæc Kalendaria longe a Martyrologiis differunt; singulæ enim Ecclesiæ, ut dixi, sua habuere Kalendaria, in quibus digesta erant nomina Episcoporum, & Martyrum, diesque notati, quibus memoria eorum anniversario cultu celebraretur; Martyrologia vero non unius loci propria, sed totius Ecclesiæ fuere communia, quippe quæ totius orbis Martyres, Confessoresque generaliter continerent; & in Kalendariis quidem nomen urbis nunquam adscribitur, cum in usum duntaxat unius Ecclesiæ comparata sint, at in Martyrologio nomina singularium urbium, & oppidorum adscribuntur, propterea quod ad usum totius Ecclesiæ institutum est.* Addit Ruinart *in præfatione generali in Acta Martyrum §. 2. numer. 17.* memoratum Kalendarium Bucherianum ad solam Ecclesiam Romanam spectasse, & ad ejus festivitates, & aliquorum etiam Martyrum nomina in eo desiderari, qui Martyrium in Urbe receperant; quod contigisse putat aut propter eorum multitudinem, aut quia eorum nomina ignorabantur: *Bucherianum quippe ita Romanæ Ecclesiæ proprium fuit, ut, cum Sancti Cypriani nomen profert, statim subjiciat locum, ubi Romæ ejus festivitas celebretur, Romæ celebratur in Callisti; unde liquet, de iis tantummodo Martyribus in eo agi, quorum festivitas in aliquibus Urbis titulis, aut ecclesiis colebatur;* Et num. 18. *Porro adeo exterarum regionum Martyres in ejusmodi fastis locum non habebant, ut aliquot etiam ex iis ipsis, qui in eadem Urbe, ubi hæc confecta sunt, Martyrium compleverant, desideraventur; quod ob ingentem eorum multitudinem evenisse arbitramur, aut certe quod ob persecutionis fervorem plerorumque Martyrum nomina, aut sepulcra tunc ignorarentur.* Unde merito vir doctus Pater Josephus Augustinus Orsi *in sua dissert. apologet. adversus Samuelem Basnagium* pro SS. Perpetua, Felicitate, & Sociis Martyribus gloriatur, solis illis, & Cypriano ex Martyribus exteris locum datum fuisse in Kalendario Bucheriano: *In antiquissimis Kalendariis suos duntaxat, paucis exceptis, aut finitimarum provinciarum unaquæque Ecclesia Martyres exhibet;* & paulo inferius: *Sed, ut ad Perpetuam, & Felicitatem redeamus, quisquam ne ibit inficias, dandum id esse earum famæ, atque celebritati, quod solæ cum Cypriano ex Africanis, immo & aliarum provinciarum Martyribus in Romano Kalendario locum habuerint priscis illis temporibus, quibus unaquæque Ecclesia suis contenta Martyribus, exterorum Martyrum solemnitates nonnisi variissimas adscisceret?* Quocirca, si Bucherianum Kalendarium eorum tantum Martyrum nomina exhibet, quorum festivitas annua celebritate in aliquibus Urbis titulis, aut ecclesiis colebatur, bene cohærere potest cum assertione Magni Gregorii de codice, in quo omnium fere Martyrum nomina continebantur, & quorum quotidiana fiebat in Missa commemoratio. De hac commemoratione loquitur S. Augustinus *serm. 159. alias 17. de verbis Apostoli*, ubi ait *cap. 1. tom. 5. Habet Ecclesiastica disciplina, quod Fideles noverunt, cum Martyres eo loco recitantur ad altare Dei, ubi non pro ipsis oretur: pro ceteris autem commemoratis defunctis oratur. Injuria est enim pro Martyre orare, cujus nos debemus orationibus commendari.* Particulares autem Martyrum festivitates, & annuæ solemnitates ultra Missæ celebrationem multa alia complectebantur, recitationem videlicet passionis, uti supra visum est, & hymnorum, psalmorumque cantum. Alia item plura peragebantur, de quibus in hujus operis decursu habebitur sermo.

15. Pro comprobanda Actorum transmissione ad summum Pontificem, ut cultus in honorem Martyrum aut introduceretur, aut introductus confirmaretur, ponderatione digna videntur ea, quæ habentur apud S. Gregorium Turonensem, qui obiisse dicitur anno 595. *lib. 1. de gloria Martyrum cap. 51. pag. 782. & cap. 64. pag. 794.* S. Benignus, cujus festum celebratur die prima Novembris, discipulus fuit S. Polycarpi, & Martyrio coronatus est sub Marco Aurelio sæculo Ecclesiæ secundo. Describitur a S. Gregorio Turonensi *in allegato cap. 51.* cultus, qui S. Benigno exhibebatur. In eodem capite refertur, S. Gregorium Episcopum Lingonensem, qui eodem sæculo sexto floruit, cum nonnullis interfuerit Conciliis dicto sæculo habitis, basilicam in ejus honorem ædificasse (*de qua in spicilegio Acheriano pag. 353.*) sed tantum, postquam Acta passionis fuerant ex Italia allata, & S. Benigni intercessione Deus nova miracula patraverat: *Post paucos autem annos ab euntibus in Italiam passionis ejus historiam adlatam beatus Confessor accepit, sed & deinceps S. Martyr multis se virtutibus manifestavit in populis; nec moratus, super cryptam illam basilicam magnam jussit ædificari.* De cujus veritate facti nemo est qui dubitet, cum tota controversia in hoc sita sit, an Acta, quæ nunc supersunt, ea sint, quæ ex Italia ad sanctum Episcopum Lingonensem delata sunt, non autem, an in substantialibus fide digna sint; Tillemont *tom. 3. monument. Eccles. in not. ad vitam S. Benigni, nota prima*, Baillet *in notis criticis ad eamdem vitam num. 3.* Pro hoc eodem assumpto considerari possent narrata ab eodem S. Gregorio Turonensi *in historia Francorum lib. 10. cap. 31. num. 4.* de S. Briccio Episcopo Turonensi, quem nonnulli docent Romam venisse, ut sibi potestas fieret ædificandi basilicam super corpus S. Martini. Sed hoc mittamus, cum Gregorius nihil aliud referat, quam a Briccio Roma reduce ædificatam fuisse ecclesiam super corpus S. Martini. *Briccius vero septem apud Papam Urbis annis degens, idoneus inventus a crimine ad urbem suam redire jussus est. Hic ædificavit basilicam parvulam super corpus B. Martini.* Facto S. Benigni aliud simile factum habetur S. Patrocli Martyris, de quo idem S. Gregorius Turonensis *lib. 1. de gloria Martyrum citato cap. 64.* De tempore passionis hujus Sancti incertum est Eruditorum judicium, cum nonnulli eam referant ad annum 259. nonnulli ad annum 273. & alii ad quartum Ecclesiæ sæculum. Probabiliter existimari potest, ea, quæ infra narrabuntur, contigisse anno 539. quo Theudebertus, seu Theodebertus Gallorum Rex in Italiam venit, uti narrat idem S. Gregorius Turonensis *hist. Francorum lib. 3. cap. 32. pag. 133.* Id autem, quod contigit, est, noluisse Episcopum fidem adhibere Clerico multa de S. Patrocli passione ex quadam historia narranti, & dictis tantum assensum præstitisse, cum historia passionis ad se fuisset ab Italia delata, quæ conformis erat historiæ penes Clericum existenti, ædificatamque statim fuisse ecclesiam super ejus corpus, & festum per singulos annos celebratum: *At ille non credens, nisi confictum æstimans, cæsum, increpatum Clericum abscedere jubet, dicens: Te hæc juxta votum tuum dictasse manifestum est; nam nunquam ea cum ullo homine reperisti. Post multum vero tempus, ut virtus Martyris non esset occulta, abiit exercitus in Italiam, & detulit passionis hujus historiam, sicut a Clerico tenebatur scripta: tunc confusus valde Episcopus cognovit vera esse, quæ a Clerico dicebantur, populus autem ex hoc magis honorare cœpit Martyrem, constructaque super eum basilica, festivitatem ejus per singulos annos devote concelebrat.* S. Patrocli festum celebratur die 21. Januarii, ejusque nomen prædicta die memoratur in Martyrologio Romano; Cardinalis autem Baronius *in notis* ex S. Gregorio Turonensi narrat, & admittit ea, quæ supra dicta sunt. Et quamvis Baillet *in vita S. Patrocli* audacter asserat, tam Episcopum Lingonensem, quam Gregorium Turonensem a Clerico fuisse deceptos, utpote qui nedum primam S. Patrocli, sed etiam secundam pro adstruendo S. Patrocli cultu composuit, aut componi curavit historiam; nemo tamen cordatus poterit huic audacissimo, & recentissimo dicto assensum præstare, contempta antiquorum & sanctorum virorum auctoritate, quæ historiarum prædictarum somniatæ confictioni adversatur.

CA-

UAB Biblioteca de Ciències Socials

CAPUT QUINTUM.

De Confeſſoribus, & eorum Cultu.

1. COnfeſſorum nomine, juxta præſentem loquendi modum, uti ſupra viſum eſt, comprehenduntur illi, qui poſt virtutum heroicarum exercitium, in pace mortui ſunt, morte eis a Tyranno nullatenus inflicta. Sumpto itaque Confeſſorum nomine hoc modo, de eis, & de eorum cultu agitur in præſenti.

2. Certum eſſe videtur, primis etiam Eccleſiæ ſæculis multa cum laude de illis Patres locutos fuiſſe. Inquit etenim S. Cyprianus *in libro de zelo, & livore col.* 509. *Non enim Chriſtiani hominis corona una eſt, quæ tempore perſecutionis accipitur: habet & pax coronas ſuas, quibus de varia & multiplici congreſſione victores, proſtrato & ſubacto adverſario, coronantur. Libidinem ſubegiſſe, Continentiæ palma eſt. Contra iram, contra injuriam repugnaſſe, corona Patientiæ eſt. De avaritia triumphus eſt, pecuniam ſpernere. Laus eſt Fidei, fiducia futurorum, mundi adverſa tolerare.* Sanctus autem Iſidorus Hiſpalenſis ſæculi ſexti ſcriptor *lib.* 7. *originum cap.* 11. eos inter Martyres recenſet: *Duo autem ſunt Martyrii genera, unum in aperta paſſione, alterum in occulta animi virtute; nam multi hoſtis inſidias tolerantes, & cunctis carnalibus deſideriis reſiſtentes, per hoc quod ſe Omnipotenti Deo in corde mactaverunt, etiam pacis tempore Martyres facti ſunt, qui, etiamſi perſecutionis tempus exiſteret, Martyres eſſe potuerunt:* quod deſumptum videtur ex ſpuriis S. Joannis Chryſoſtomi *in pſal.* 95. *num.* 6. *tom.* 5. *Martyrium, fratres, non eventu tantum æſtimatur, ſed etiam propoſito.*

3. Verum, quidquid ſit de his, incertum admodum eſt, quo præciſe tempore horum Confeſſorum cœperit cultus in Eccleſia, teſte Cardinali Bellarmino *lib.* 6. *de Euchariſtia: vel* 2. *de Miſſa cap.* 20. *num.* 5. *tom.* 3. *controv.* 3. ubi inquit: *Certum eſt, Martyres cœpiſſe publice invocari, & eorum nominibus dies feſtos coli, & baſilicas erigi ab initio plane Eccleſiæ; Confeſſores autem multo ſerius hunc honorem in Eccleſia meruiſſe.* Sed ſi aliis adhærere velimus, concors eſſe videtur eorum ſententia, hujus diſciplinæ initium ad ſæculum quartum eſſe referendum. Agmen ducit Innocentius III. *lib.* 3. *de Myſteriis Miſſæ cap.* 10. ubi ait: *Eccleſia vero poſt tempus B. Silveſtri cœpit ſanctorum Confeſſorum memoriam venerari;* & B. Silveſter quidem non ante ſæculum quartum ſummus Pontifex factus eſt. Sequitur Cardinalis Bona *rerum liturgicarum lib.* 2. *cap.* 12. *num.* 3. ubi teſtatur, *monumenta Eccleſiaſtica trium primorum Eccleſiæ ſæculorum de cultu Confeſſorum ſilere.* Mabillonius *in præfatione ad ſæculum quintum Ordinis S. Benedicti §. 6. num.* 97. hæc habet: *Ut Martyribus, ſic etiam Confeſſoribus honos publico cultu delatus ab Eccleſia eſt, id fieri cœptum ſæculo quarto.* Et Juſtus Fontaninus Archiepiſcopus Ancyranus *in præfat. ad novum codicem Canonizationum* ita ſcribit: *Hunc enim ſolennem & maximum honorem in Eccleſia militanti quatuor primis Chriſti Domini ſæculis in unos Martyres præ cæteris collatum fuiſſe, veterum Patrum ſcripta teſtantur. Sæculo deinde quarto Confeſſoribus quoque tribui cœpit.* Concordat Durant *de ritibus Eccleſiæ lib.* 2. *cap.* 35. Et quamvis in Concilio Romano *anni* 597. cujus Acta legi poſſunt apud Labbè *tom.* 5. *Conciliorum col.* 1198. & 1199. extet decretum S. Gregorii Papæ, ut plebem coerceret, quæ in colendis ſummis Pontificibus recens defunctis nimis facilis erat, & de qua timeri poterat, ut non tam conſilio, quam impetu quodam pio & reverentia dignitatis magis, quam prudenti æſtimatione Sanctitatis, in ea obſequia prorumperet: *Sicut indignos nos pro B. Petri Apoſtoli reverentia mens Fidelium veneratur, ita noſtram infirmitatem decet ſemetipſam ſemper agnoſcere, & impenſæ ſibi venerationis onera declinare: ex amore quippe Fidelium hujus Sedis Rectoribus mos ultra meritum erupit, ut cum eorum corpora humanda deferuntur, hæc dalmaticis contegant, eaſdem dalmaticas pro Sanctitatis reverentia ſibimet partiendas populus ſcindat: & cum adſint multa a ſacris corporibus Apoſtolorum, Martyrumque velamina, a peccatorum corpore ſumitur, quod pro magna reverentia reſervatur. De qua re præſenti decreto conſtituo, ut pheretrum, quo Romani Pontificis corpus ad ſepeliendum ducitur, nullo tegmine veletur. Quam decreti mei curam gerere Sedis hujus Presbyteros ac Diaconos cenſeo. Siquis vero ex eorum ordine hæc curare neglexerit, anathema ſit; & reſponderunt omnes: anathema ſit:* ex cujus decreti verbis inferri poſſe videtur, nondum tunc temporis datum fuiſſe initium cultui Confeſſorum, facta videlicet a S. Gregorio mentione Apoſtolorum tantum, & Martyrum, nec ullo modo Confeſſorum; id tamen non obſtat initio cultus Confeſſorum, quod ſæculo IV. adſcripſimus: vel quia cauſam decreti Cardinalis Baronius repetit ex impenſo ſtudio humilitatis, qua S. Gregorius cultum ab ſe omnem poſt obitum avertere conabatur; vel quia, ſi manus admoveatur ad libros dialogorum ejuſdem Sancti, quos circa annum 543. elucubravit, ut probat auctor præfationis ad eoſdem dialogos in nova Pariſienſi editione, unuſquiſque facili negotio deprehendere poterit, eos de quibus in dialogis diſſerit, maximam partem Confeſſores eſſe, quorum alii uno, vel altero ſæculo prius, nonnulli paulo ante ipſum Gregorium floruerunt, & eoſdem, cum hæc ſcriberet, non uno in loco ſignificare Sanctorum honoribus publice fuiſſe exornatos, uti deſumitur ex lib. 1. cap. 14. & fuſius ex lib. 3. cap. 15. ubi narrat, Euthicium ſanctiſſimum Monachum tanta apud Nurſiæ populos in veneratione poſt mortem fuiſſe, *ut quoties pluvia deerat, & æſtu nimio terram longa ſiccitas exurebat, collecti in unum cives urbis illius, ejus tunicam levare, atque in conſpectu Domini cum precibus offerre conſueverint. Cum qua dum per agros pergerent exorantes repente pluvia tribuebatur.*

4. Initio cultus Confeſſorum ſæculo IV. ſuffragantur monumenta quoque & illationes, quæ fiunt a viris antiquarum Eccleſiæ rerum peritiſſimis. Monumenta dico ſæculi IV. Sanctus enim Hieronymus *in vita S. Hilarionis num.* 31. *tom.* 2. refert, S. Antonium juſſiſſe, ut ſibi pararetur ſepultura in loco ignoto, ne Pergamius vir dives ædiculam ſuper corpus ſuum faceret ædificari: *Cauſam occultandi juxta præceptum Antonii fuiſſe referentes, ne Pergamius, qui in illis locis ditiſſimus erat, ſublato ad villam ſuam Sancti corpore, martyrium fabricaretur.* S. Hilarion Antonii diſcipulus, dum in Cypro verſaretur, mortuus eſt, & ab Inſulæ indigenis tumulo conditus, magno in honore ac veneratione habitus fuit; cumque Heſychius ipſius diſcipulus Reliquias ejus Palæſtinam deportaſſet, & in ſuo monaſterio ſepeliviſſet, ab eo tempore dies feſtus maxima hominum frequentia, & ſummo ſplendore quotannis ab indigenis celebratus eſt, teſte Sozomeno *lib.* 3. *cap.* 14. Et ſub idem tempus cum Nilammon perfectæ vitæ Monachus ſpiritum Deo reddidiſſet, dum, impetratis unius diei induciis ad deliberandum de acceptando Epiſcopatu Gerarum ſibi oblato a Theophilo Alexandrino, preces ad Deum fundebat; teſtatur idem Sozomenus *lib.* 8. *cap.* 19. ſuper ejus ſepulcrum fuiſſe ab indigenis conſtructum templum, & ex tunc morem invaluiſſe, diem ejus mortis magna cum ſolemnitate celebrari: quartoque eodem labente ſæculo Gregorius Niſſenus Baſilii, & Gregorius Nazianzenus Athanaſii laudes die obitus eorum anniverſaria celebrarunt. S. Ephrem Syrus vitam hanc mortalem clauſit an. 378. Videre eſt hujus Sancti celebre teſtamentum apud Bollandum *ad diem* 1. *Februarii.* In eo teſtamento ibidem per capita diſtributo *cap.* 2. *num.* 5. ſic fratres moriturus rogat: *Ne ſinatis me in domo Dei poni, aut ſub altari:* Et num. 6. *Attendite, fratres mei cariſſimi, & viſcera deſiderata, ne pannos meos velut Reliquias, monumenti gratia tollatis.* S. Gregorius Niſſenus, quem mors abſtulit *anno* 394. orationem exaravit de laudibus S. Ephremi, in qua de ejus cultu fert teſtimonium *pag.* 1029. *tom.* 2. *Quapropter cum ita circulus ferat anni, ut hodie collaudandus ac celebrandus ſit nobis S. Ephrem;* & antea præmiſerat *pag.* 1028. hujuſce cultus conſuetudinem jam eſſe introductam: *Cum ergo ea Eccleſiæ noſtræ conſuetudo ſit, atque inſtitutum, ut virtutis cultores, propterea quod ejus partes amplexi ſint, coronentur &c.*

5. Et, ſi his, quæ in Oriente contigerunt, aliqua ex Occidente ſuperaddenda ſint, obiit eodem ſæculo IV. Martinus Turonenſis, & Severus Sulpitius *epiſt.* 2. eum parem Martyribus prædicavit: *Nam, licet ei ratio temporis non potuerit præſtare Martyrium, gloria tamen Martyris non carebit, quia voto, atque virtutibus & potuit eſſe Martyr, & voluit.* Ejus quoque feſtivitas ſtatim coli cœpit, ideoque ſolus ex Confeſſoribus Officium proprium habet in vetuſtiſſimis Breviariis, teſte Cardinali

Bona

Bona *rer. liturg. lib. 2. cap. 12. num. 3.* cui adhæret Martene *de antiquis Ecclesiæ ritibus tom. 4. cap. 30. n. 3.* Quocirca Concilium Turonense primum habitum anno 461. (*tom. 2. Harduini col. 793.*) loquitur de celebritate S. Martini tamquam jam antea introducta & vulgata: *Cum ad sacratissimam festivitatem, qua Domni Martini receptio celebratur in civitate Turonorum, beatissimi Sacerdotes .... convenissent*, hoc est, ad translationem corporis ipsius a Candarensi pago ad Turonensem Ecclesiam, cujus fuerat Antistes. Quærit Thomassinus *de festis lib. 1. cap. 6. num. 10.* utrum prior fuerit cultus S. Hilarii Pictavensis in Ecclesia Pictavensi, an cultus S. Martini in Turonensi, & sic respondet: *Unius Hilarii solemnitas in Ecclesia Pictavensi cum S. Martini festo die in Turonensi de antiquitatis gloria certare posset; attamen S. Martinus aliis quibusvis Confessoribus, quos Ecclesia universa solemniter coluit, palmam præripit; nam provinciæ plurimæ, ac regna illius solemnitatem celebrarunt: aliorum diœceses quædam, quibus præfuerant.* Et profecto initio sæculi v. Symmachus Papa in Urbe ecclesiam dedicavit in honorem S. Martini. Joseph Blanchinus, Franciſci Blanchini magni nominis inter Eruditos viri nepos qualibet laude dignus *in prolegom. ad tom. 4. Anastasii pag.* LXIX. e codice Veronensi monumentum edidit pertinens ad vitam Symmachi, quod jam vulgaverat *in enarrat. Pseudo-Athanasiana in symbolum edita Veronæ ann. 1732.* in cujus fine habentur hæc verba: *Hic B. Martini ecclesiam juxta S. Silvestrem Palatini illustris viri pecuniis fabricans, & exornans, eo ipso instante dedicavit.* In vetustissimo Missali Francorum apud venerabilem Dei servum Cardinalem Thomasium *in lib. Sacrament.* extat Missa S. Hilarii Pictavensis, de quo Missali ita loquitur Morinus *de sacris Ordinationibus part. 2. pag. 212. Itaque mihi videtur codex ille post annum 511. sed ante annum 560. in Gallia scriptus.* In Missali vero Mozarabico edito per Cardinalem Ximenium, cujus usus, si additamenta posteriora dempseris, ante ætatem quoque S. Isidori Hispalensis viguit non in Hispania modo, sed in aliis etiam regnis, extat antiquissima Missa S. Martini Turonensis, quam inde magna ex parte exscripsit Cardinalis Bona *rer. liturgic. lib. 1. cap. 12.* Ætatem suam Missa ipsa significat his verbis, quæ leguntur in oratione post nomina, atque ita se habent: *Hunc etiam virum, quem Cælicolis admirandum, Martyribus adgregatum, ætatis nostræ tempora protulerunt, jubeas auxilium nostris ferre temporibus.* Paucis ergo post obitum Martini annis Missa hæc composita est, & sic initio sæculi v.; liceatque obiter adnotare, Auctorem præfationis ante Canonem recitandæ apologiam quamdam perstruere voluisse, qua iis satisfieret, si qui forte miraturi essent, quod ritus Missæ in honorem instituerentur ejus viri, qui Martyr minime fuisset: tota enim in eo præfatio versatur, ut Martinum æquiparet Martyribus, ostendatque, non defuisse illi genus quoddam Martyrii, & præterea omnia adfuisse necessaria, ut ei licet Confessori cultus exhiberetur: *Hunc ergo inter Justos juste numerandum, testantur facta per sæculum signa post transitum, opera dum vixit mirabilia post recessum.*

6. Suffragantur quoque illationes eruditorum supra memoratæ. In Canone quippe Romano Missæ, post B. Virginem & Apostolos, Martyres duodecim nominantur, nec ulla fit mentio Confessorum, non nisi quia Canon Missæ, qui constat ex verbis Domini, ex Apostolorum traditionibus, & ex SS. Pontificum institutionibus, quemadmodum colligitur ex Concilio Trid. *sess. 22. cap. 4.* antiquior est sæculo IV. quo publicus Confessorum cultus incepit; teste supra citato Cardinali Bona, qui *lib. 2. cap. 12. num. 3.* ait: *In Canone Romano, post B. Virginem & Apostolos, Martyres duodecim nominantur. Confessorum nulla fit mentio, vel quia Martyres passionem, & mortem Domini, quæ in hoc sacrificio repræsentatur, effuso sanguine, imitati sunt; vel quia Canon editus est, antequam Confessorum memoria celebraretur, de quibus silent tribus prioribus sæculis Ecclesiastica monumenta.* Confessorum fit commemoratio post Martyres in Canone Missæ ab Ambrosianis, & etiam olim fiebat a plerisque aliis, de quibus apud eumdem Cardinalem Bonam, & apud Martene *de antiq. Eccl. rit. lib. 1. art. 8. num. 25.* Sed hæc sunt, & fuerunt particularium Ecclesiarum additamenta, cum Ordo Romanus eos tantum Martyres admiserit, qui in hodierno Canone sunt, Confessoribus semper exclusis. Juxta ritum Mozarabum modo memoratum, præmissa commemoratione B. Virginis, Zachariæ, Joannis, Infantium, Petri, Pauli, & reliquorum Apostolorum, & Evangelistarum, & omnium Martyrum, ait Sacerdos: *Item pro spiritibus pausantium, &* recitat nomina Hilarii, Athanasii, & aliorum plurimorum, quorum nonnulli in album Sanctorum relati sunt, alii autem minime; quibus recitatis, ait chorus: *Et omnium pausantium*; uti legi potest apud moderatum Le Brun *t. 2. explic. Missæ*, ubi late exponit liturgiam Hispanicam Mozarabum. Supra dictum est, ritum eum esse antiquiorem S. Isidoro Hispalensi, quidquid nonnulli asseruerint eum adscribentes aut prædicto S. Isidoro, aut S. Ildefonso, de quibus apud Clericatum *de sacr. Missæ decis. 9. n. 26. & seqq.* Ipsorum enim assertum validissime impugnatur a Natali Alexandro *ad sæc. 7. c. 4. art. 8.* Et quamvis certum ejus initium ignoretur, ex supradicta tamen oratione ejus initium adscribendum videtur illi ævo, quo solis Martyribus solemnis cultus concedi solebat: nullum enim tunc quoad Confessores discrimen erat inter illos, qui postea Sancti declarati sunt, & alios, quibus hic titulus nunquam tributus fuit: cumque proinde eo tempore par esset utrorumque causa, nec Ecclesia adhuc declarasset, quemquam ex illis æterna frui Dei visione, pro omnibus indiscriminatim preces & sacrificia offerebantur, uti prosequitur sæpe citatus Cardinalis Bona *l. 2. c. 14. n. 4.* non attentis iis, quæ supra dicta sunt de Missa S. Martini, quæ extat in Missali Mozarabo; cum ea posterioribus temporibus, & longe post ejus initium in eodem fuerit reposita: quemadmodum & alia addita fuisse a SS. Leandro, Isidoro, Ildefonso, & Juliano, Natalis Alexander fatetur *loc. cit.* Post introductum autem cultum Confessorum, nonnullæ Ecclesiæ phrases inveniuntur, quibus sacrificium pro illis dicitur offerri: *Annue nobis, Domine, ut animæ famuli tui Leonis hæc prosit oblatio*; continueque illud, quod legitur in precautione Vuillelmi Abbatis S. Gregorio VII. exhibita, & edita a Mabillonio *in analectis tom. 1. pag. 281.* in qua oratur pro animabus S. Augustini, & S. Monicæ ejus matris; qui quidem dicendi modus ab Innoc. III. explicatur *in cap. Cum Marthæ. De celebratione Missarum*, ut prosit illis ad honorem, hoc est, ut magis a Fidelibus glorificentur.

7. In Concilio Moguntino *anni 813. tom. 4. Hard. col. 1015.* canon 36. ita loquitur: *Festos dies in anno celebrare sancimus, hoc est, diem Dominicum Paschæ cum omni honore, & sobrietate venerari; simili modo totam hebdomadam illam observari decrevimus. Diem Ascensionis Domini pleniter celebrare. Item Pentecosten similiter, ut in Pascha. In Natali Apostolorum Petri, & Pauli diem unum. Nativitatem S. Joannis Baptistæ. Assumptionem S. Mariæ. Dedicationem S. Michaelis. Natalem S. Remigii, S. Martini, S. Andreæ. In Natali Domini dies quatuor, Octavas Domini, Epiphaniam Domini, Purificationem S. Mariæ, & illas festivitates Martyrum, vel Confessorum observare decrevimus, quorum in unaquaque parochia sancta corpora requiescunt, similiter etiam Dedicationem templi.* Canon hic Conciliaris animadvertitur a Thomassino in suo opere supra citato *de dier. fest. celebrat. lib. 1. cap. 6. num. 11.* ubi asserit, primam hanc esse constitutionem generalem pro Confessorum cultu, cum antea eorum cultus inniteretur moribus, & decretis particularium Ecclesiarum. Sed hunc eruditum virum existimarem non bene sensisse. Inter hæreticos etenim condemnatos in Synodo Atrebatensi an. 1025. *tom. 13. Spicileg. Acheriani c. 11.* illi recensentur, qui assererent, solis Apostolis, & Martyribus venerationem ab Ecclesia esse impendendam, exclusis Confessoribus: *Sed non idcirco ab hominibus injuste venerantur* (uti loquuntur Synodi PP. de Confessoribus) *quia percussoris gladium non senserunt. Verum si ratio temporum non potuit præstare Martyrium, gloria tamen Martyrum non carent, quia & voto & virtute, & potuerunt esse Martyres & voluerunt .... quia Martyrium non solum effusione sanguinis, sed abstinentia peccatorum perficitur.*

8. De initio cultus Confessorum tractant nonnulli ex his, qui de SS. Canonizatione volumina ediderunt. Victon. *cap. 5. & cap. 6.* agit de hac controversia, & concludit, veram esse assertionem Innocentii III. supra relatam, ordinarie loquendo; sed nonnullis SS. Virginibus, & Confessoribus solemnem, publicumque Ecclesiasticum cultum fuisse exhibitum tempore Pontificatus S. Silvestri. Auctor tractatus de Canonizatione ad Cardinalem Montis Regalis 3. *part. cap. 7.* disputata in partes quæstione, ita concludit: *Ergo constat, ab initio Ecclesiæ etiam Confessores Sanctis fuisse adscriptos; sed tamen solorum Martyrum ratio haberi videtur, tum quia horum sunt magni exercitus, illi paucissimi, tum quia illi sunt celebriores ob gloriam confessionis, & sanguinis pro Christo effusi; unde Martyrologia ab ipsis dicta sunt, & Eusebius historias Martyrum scripsisse dicitur.* Qui quidem

Auctо-

UAB Biblioteca de Ciències Socials

Auctores, ut probent id, quòd contendunt, nonnulla proferunt de cultu primis Ecclesiæ sæculis exhibito B. Virgini Mariæ, SS. Joanni Evangelistæ, & Lucæ, nec non SS. Annæ, & Joseph. Verum, prætermisso examine initii cultus SS. Annæ, & Joseph, de quo alibi habebitur sermo, & prætermisso quoque historiarum examine, ex quibus suas supradictas modo memorati DD. depromunt assertiones, præsens quæstio non respicit cultum B. Virginis, nec Apostolorum, nec Martyrum, sed aliorum, qui post heroicarum virtutum exercitium in Domino mortui sunt, morte illis a Tyranno nullatenus inflicta: in quo rerum themate extranea sunt exempla cultus B. Virginis, & SS. Joannis Evangelistæ, & Lucæ. Per Beatissimam etenim Virginem omnes Auctorem vitæ suscipere meruimus, & ejus cultus adeo celebris erat in Ecclesia ante seculum IV. ut coacta fuerit coercere immodicum cultum eorum, qui illi tamquam Deæ sacrificium offerebant; teste S. Epiphanio *hæresi 79.* ubi dictum errorem refellit, sæpius repetendo: *Sit in honore Maria, Dominus adoretur*; & S. Irenæus sæculi II. scriptor *lib. 5. adverf. hæres. cap. 19. num. 1.* de Heva, & Maria sic loquitur: *Etsi ea* (Heva) *inobedierat Deo, sed hæc* (Maria) *suasa est obedire Deo, uti virginis Hevæ virgo Maria fieret advocata. Et quemadmodum adstrictum est morti genus humanum per virginem, salvatur per virginem.* Sanctus porro Hieronymus seu, ut aliqui putant, Fulbertus Carnotensis hæc habet *in serm. de assumpt. Mariæ cap. 1. pag. 110. tom. 11. oper. S. Hieron. Neque enim dubium est, illam, quæ meruit pro liberandis ferre pretium, posse impartiri suffragium liberatis. Nostra inter hæc oratio fugis ad Dominum dirigatur.* De S. Joanne Evangelista Christus Dominus prædixerat, ab eo bibendum esse calicem passionis: quocirca non inter Confessores, sed inter Martyres est recensendus, licet in pace quieverit, & ex ferventis olei dolio, in quod fuerat immissus, Divina protegente gratia, incolumis evaserit; uti in re simili bene ponderat S. Cyprianus (*epist. 58. ad Lucium Papam Romanum reversum ab exilio*): *Neque enim in tribus pueris minor fuit Martyrii dignitas, quia morte frustrata, de camino ignis incolumes exierunt. Aut non consummatus Daniel extitit in suis laudibus, quia, qui leonibus missus fuerat ad prædam, protectus a Domino vixit ad gloriam: In Confessoribus Christi dilata Martyria non meritum Confessionis minuunt, sed magnalia Divinæ protectionis ostendunt*: ideoque Eusebius, & alii antiquiores cum Martyrem appellant, teste Tillemont *in ejus vita art. 5.* De Sancto denique Luca non desunt, qui eum recensent inter Martyres, & signanter S. Gaudentius Brixiensis, qui in fine sæculi IV. vivebat, quique per longum temporis spatium in Oriente fuerat versatus. Alii hoc idem asserentes referuntur a Tillemont *in vita S. Lucæ*. Sed, cum certum non sit, eum Martyrem mortuum fuisse, satis erit ad rem, de qua agitur, scire, eumdem a Græcis & Latinis titulo Apostoli decorari, & quæstionem de initio cultus Confessorum nihil habere commune cum cultu B. Virginis, & Apostolorum: communi quippe omnium Ecclesiarum consensu in ipso Ecclesiæ principio cultus tum B. Virgini, tum Apostolis delatus est; uti ponderat Mabillon *in præf. ad sæc. 5. Ord. S. Benedicti §. 6. num. 92.* Acta SS. Virginum Pudentianæ & Praxedis, patrisque ambarum Pudentis extant *tom. 4. Maji Bollandiani pag. 299.* Ipse Actorum scriptor se nominat Pastorem Presbyterum. Constat autem Acta duplici epistola, altera Pastoris ad Timotheum pariter Presbyterum, altera Timothei ad Pastorem, & insuper ex appendice quadam, in qua Pastor de Praxedis obitu agit. In hac postrema parte historiam totam hæc verba claudunt. *Cujus*, idest Praxedis, *corpus ego Pastor Presbyter sepelivi juxta patrem Pudentem via Salaria in cæmeterio Priscillæ, ubi florent orationes eorum usque hodie, præstante D. N. J. C., cui est honor & imperium per æterna sæcula sæculorum. Amen.* Planus & apertus esse videtur sensus eorum verborum, *ubi florent orationes eorum usque hodie*: consuevisse videntur Fideles eo accedere, ut sese Pudentis, Pudentianæ pridem defunctorum, & Praxedis post illos mortuæ, ibidemque una jacentium, precibus commendarent, quarum precum & orationum vim atque efficacitatem re ipsa iidem Fideles experirentur, multa inde beneficia reportantes. Et quatenus sensus prædictus retineatur, magna profecto dubitatio insurgit adversus statutam epocham initii cultus Confessorum: nec enim Pudens, nec duæ Virgines necem, aut carceres aliosve cruciatus passæ sunt, attamen ab ipsa morte earum nomen invocatum est, & ipsarum sepulcrum frequentatum est, & memoria honorata & pie culta. Verum Tillemontius Acta prædicta tamquam apocrypha aperte rejicit; & Papebrochius *citato tomo Maji* inquit, allata verba, *ubi florent orationes eorum*, tribui non posse convenienter Pastori, & sic adjecta fuisse ab alio posterioris ætatis ob adjunctam illam particulam *usque hodie*, cum hujusmodi loquendi modus longiorem temporis intercapedinem requirat, quam ut in scriptorem contemporaneum cadere possit.

CAPUT SEXTUM.

De Ecclesiastico Judicio requisito, antequam Cultus Religiosus Confessoribus exhiberetur.

1. QUÆ contigerunt in cultu Martyrum, contigerunt quoque in cultu Confessorum. Quis enim unquam sibi suadere poterit, non potuisse cultum Religiosum exhiberi Martyri non vindicato, eumdemque potuisse exhiberi Confessori, de cujus virtutibus & miraculis suum Ecclesia non tuliisset judicium? Severus Sulpitius, qui scripsit principio sæculi V. *in vita Sancti Martini*, qui ex supradictis aut primus, aut inter primos recensetur Confessores, qui coli cœperint in Ecclesia, narrat *cap. 11.* non longe a Turonensi Monasterio fuisse altaria erecta, quod Martyr ibi sepultus esse crederetur: *Erat haud longe ab oppido* (Turonensi) *proximus Monasterio locus, quem falsa hominum opinio velut consepultis ibi Martyribus sacraverat. Nam & altare ibi a superioribus Episcopis constitutum habebatur.* Sed cum nomen Martyris ignoraretur, & certa non adessent de ejus passione monumenta (subdit Sulpitius) indebitum cultum fuisse a Martino remotum, qui mortuum adjuravit, & vi adjurationis scivit, corpus non esse Martyris, sed latronis, qui propter scelera, quæ commiserat, capite fuerat damnatus: *Nomen edicit* (loquitur de sordida umbra, quæ, adjurante Martino, apparuit) *de crimine confitetur latronem se fuisse ob scelera percussum, vulgi errore celebratum, sibi nihil cum Martyribus esse commune, cum illos gloria, se pœna retineret.*

2. At, ad cultum Confessorum ut descendamus, præsto sunt Canonica jura, quibus post introductum cultum Confessorum, prohibitum fuit, cultum publicum erga quemcumque Dei servum exhiberi, proindeque sive Martyrem, sive Confessorem, si Ecclesiasticum Judicium de eorum sanctitate non præcessisset: præsto sunt antiquæ solemnes corporum Confessorum translationes, & elevationes factæ auctoritate Episcopali, in quibus initium Ecclesiastici cultus consistebat; præsto denique sunt Episcoporum decreta pro remotione cultus erga eos, qui ex errore populi, nulloque præcedente Episcopali examine, inter Beatos Confessores publico cultu fuerant recensiti.

3. Et in eo quidem, quod attinet ad Canonica jura supra memorata, ex Concilio Agrippinensi apud Ivonem *par. 3. Decreti cap. 54.* hæc habentur: *De Ecclesiis, seu Sanctis noviter inventis sine auctoritate inventoris nisi Episcopo probante, in ejus territorio minime venerentur.* Ex Capitulari Caroli Magni *ad annum 805. col. 427. cap. 17. tom. 1.* de Ecclesiis seu Sanctis noviter inventis statuitur, ut non colantur, *nisi Episcopo probante, salva etiam & de hoc, & de omnibus Ecclesiis Canonica auctoritate.* In Synodo Atrebatensi *loc. cit.* decernitur, *ne sepultis temere Divina solvantur, nisi per provinciales Episcopum vita sepulti examinetur, si secundum Evangelium Christi fuit*; & apud Guillelmum Malmesburiensem (*de gestis Pontificum Anglorum lib. 1. pag. 228. inter scriptores rerum Anglicarum Savilii*) S. Anselmus sic in sua Synodo statuit: *Ne quis temeraria novitate corporibus mortuorum aut fontibus aut aliis rebus (quod contigisse cognovimus) sine Episcopali auctoritate reverentiam Sanctitatis exhibeat.*

4. Succedunt solemnes corporum translationes, & elevationes auctoritate factæ Episcopali. Sæculo VI. facta est solemnis translatio corporis Joannis Abbatis Reomensis, opera Leopardini Abbatis, & sociorum, *qui cum consilio Episcoporum sanctum Altare construxerunt.* Accedente licentia Aistulphi Archiepiscopi Moguntini, facta est ab Eigile Abbate Fuldensi translatio corporis B. Liobæ Abbatissæ discipulæ S. Bonifacii Moguntini Archie-

chiepiſcopi & Martyris; & corpus hujus Virginis, cujus interceſſione Deus dignatus eſt miracula patrare, collocatum fuit juxta memoriam S. Ignatii Martyris. Walburga, ſeu Walburgis labente ſæculo VIII. magnis claruit virtutibus & miraculis, & Otgarius Epiſcopus Eyſtettenſis ad locum excellentiorem & magis reverendum ſolemni pompa translationem corporis explevit, teſte Philippo Epiſcopo *in Vita SS. Willibaldi*, quam vulgavit Jacobus Gretſerus *cap.* 31. *&* 32. Othmarus Sangallenſis Abbas virtutibus Chriſtianis ſæculum VIII. nobilitavit, & ejus elevatio corporis facta eſt auctoritate Salomonis Conſtantienſis Epiſcopi diœceſani; teſte Iſone Monacho S. Galli apud Mabillonium *in Sæc.* 3. *Benedict. part.* 2. *pag.* 164. quæ omnia facta ſunt, *perſpectis vitæ ejus exemplis .... & apertis miraculorum oſtenſionibus.* Sæculo IX., petente Fulrado Abbate, atque inſtantibus Clericis, facta eſt elevatio corporis Urſmari Laubienſis Abbatis, & feſtiva dies in ejus honorem ſtatuta eſt, permiſſu Halidgarii tunc Epiſcopi Cameracenſis, teſte Fulcino *in Actis Sanctorum Benedictin. ſæculo* 3. *part.* 1. *pag.* 257. Sæculo X. Monachi cœnobii Sithienſis ſolemni pompa corpus elevaverunt Folcuini Tarvennenſis, alia Tervanneſenſis in Gallia Epiſcopi, & in loco tumuli altare conſtruxerunt, conſulto tamen prius Stephano ejuſdem temporis Tarvennenſis Eccleſiæ Epiſcopo, teſte citato Fulcuino Laubienſi Abbate *inter Acta SS. Benedictin. ſæculo* 4. *part.* 1. *pag.* 629. Et denique ſæculo X. refert Baldericus *in chronico Cameracenſi lib.* 1. *cap.* 35. *pag.* 61. *&* 62. Hadulphi Epiſcopi Cameracenſis corpus fuiſſe elevatum, præcedentibus miraculis, & intercedente auctoritate Engrani Epiſcopi Cameracenſis: *Hujus vero Sanctitas procedente tempore multis miriſque portentis oſtenſa eſt, quorum præcipuus teſtis Æduuus Monaſterii S. Vedaſti, Engrano Cameracenſi Epiſcopo, viſiones, quas plerumque viderat, propalavit. Qui ergo teſtem idoneum animadvertens, ſanctum corpus levavit; in qua elevatione, ad declaranda S. viri merita, mulier quædam ab immundo ſpiritu mirifice liberata eſt: unde Epiſcopus lætus, verbo facto ad populum, Beati Hadulphi ſolemnia in numero Sanctorum notificavit.*

5. Hæ, aliæque conſimiles elevationes, congeſta undique Eccleſiaſtica eruditione, collectæ legi poſſunt apud Archiepiſcopum Ancyranum Juſtum Fontaninum *in ſua diſſertat. de S. Petro Urſeolo;* & aliæ etiam in hujus Operis decurſu a nobis exponentur, ubi decreta pariter & præcepta Eccleſiaſtica occurrent, quorum ope cultus remotus eſt, qui ex populi errore fuerat introductus erga aliquos, quorum vita non fuerat ſufficienter diſcuſſa, aut de quorum Miraculis certæ non præceſſerant probationes: intereaque ſatis erit indicare ſtatuta Sancti Anſelmi adverſus eumdem abuſum, de quo ſcripſit etiam ad Stephanum Archidiaconum *epiſt.* 51. *lib.* 3. *Mando vobis ut eatis ad Rumeſei & dicatis & dicendo præcipiatis Domnæ Abbatiſſæ & Sanctimonialibus ex noſtra parte & ex parte Epiſcopi Wintonienſis, & veſtra; ut ſi nolunt me prohibere illis divinum officium facere, tunc ex toto prohibeant, ut nullus honor, qui alicui Sancto exhiberi debet, exhibeatur ab illis, aut permittant ab aliquo exhiberi mortuo illi, quem quidam volunt pro Sancto haberi. Filium autem ipſius mortui propellite a villa, nec amplius converſetur in illa.* De Hugone Linconienſi Epiſcopo ſcribit Joannes Bromptonus Jornalenſis, abrogatum fuiſſe cultum a Monialibus monaſterii Godoshomenſis, &, populo adventante, introductum erga Raſimondam. Qui plura deſiderat conſimilium rerum exempla, præter ea, quæ alibi afferentur, legere poterit eruditiſſimum Patrem Chriſtianum Lupum *in notis ad* IV. *Concilium Romanum S. Leonis* IX.

6. Cum in ſuperioribus loqueremur de Martyribus, diximus, Acta paſſionum fuiſſe diligenter collecta: quoad Confeſſores vero dicimus, eorum virtutes fuiſſe fideliter a probis viris deſcriptas, & poſterorum memoriæ mandatas; ſicuti bene oſtendit Bollandus *in præfat. gener. in vit. SS.* §. 2. *in fine*, ubi hæc habet: *At non Martyrum ſolum, ſed aliorum quoque, qui vitam pie actam inſigni opinione Sanctitatis terminaſſent, præſertim ſi prodigiis eſſent a morte celebrati, ſcribi res præclare geſtæ conſueverunt. Quam ad rem cum alii viri probi & eruditi, tum ipſi etiam Antiſtites ſtudium contulerunt. Paſſim occurrent toto hoc Opere exempla, eſſetque ſupervacaneum hic univerſos velle recenſere. Habes in Januario vitas non paucas a doctiſſimis Monachis conſcriptas, S. Hieronymo, Cyrillo, Eugippio, S. Fauſto, S. Beda, Rodulpho Glabro, Hugone Floreffienſi, aliis; a religioſiſſimis Abbatibus S. Paſchaſio Ratberto, S. Gerardo Silvæ-majoris, B. Ealredo, Everhelmo, a ſanctiſſimis Epiſcopis S. Gregorio Theologo, S. Gregorio Turonenſi, S. Athanaſio Magno &c.*

7. Item, cum in ſuperioribus de Martyribus loqueremur, diximus, Acta paſſionum, ſeu eorum memorias fuiſſe ab una ad alias Eccleſias tranſmiſſa; & hoc modo eorum cultum ab una ad alias Eccleſias fuiſſe progreſſum, accedente conſenſu Epiſcoporum, qui illis præerant. Hoc ipſum contigiſſe dicimus etiam in Confeſſoribus: eorum quippe nomina deſcripta in diptychis Sanctorum ejus Eccleſiæ, in qua feliciter in Domino mortui fuerant, & in qua poſt obitum miraculis claruerant, delata horum omnium fama ſincéris teſtimoniis innixa ad alios Epiſcopos, deſcribebantur in diptychis aliarum Eccleſiarum, ut infra demonſtrabitur. Cumque duplex eſſet genus diptychorum; alterum, in quo deſcripta erant nomina eorum, pro quibus orabatur; alterum, in quo eorum, quorum memoria agebatur, ut oblatio eis proficeret ad honorem; inſcriptio in his poſterioribus diptychis exhibitionem publici religioſi cultus præferebat, teſte S. Dionyſio, ſeu alio quovis antiquo probato Auctore *in theoria ſive contemplat.* 3. *Eccleſiaſticæ hierarchiæ cap.* 3. §. 9. ubi ſic legitur: *Sacrarum porro tabularum quæ poſt pacem adhibetur recitatio, deprædicat eos qui ſancte vixerunt, atque ad probæ vitæ perfectionem conſtanter pervenerunt; nos quidem eorum imitatione ad beatiſſimum illum ſtatum quietemque deiformem adhortando ac manuducendo, illos vero ceu viventes celebrando, quippe ut Theologia docet, nequaquam mortuos ſed ex morte ad vitam Divinitſſimam translatos.*

8. Demum, cum de Martyribus differebamus, diximus, nedum ad alias Eccleſias, ſed etiam ad Sedem Apoſtolicam delata fuiſſe monumenta paſſionum; ſummorumque Pontificum auctoritatem aliquando interceſſiſſe, ut cultus introduceretur, vel ut introductus confirmaretur. Hoc ipſum quoque contigiſſe dicimus de Confeſſoribus, ut alibi demonſtrabitur, & bene innuit Florentinius *in admon.* 2. *Martyrologio per ipſum edito præfixa.* Ibi enim ſic loquitur: *Cum autem ſub perſecutionum rabie innumeri quotidie Martyres in quarvis fere regione excreſcerent, & tandem, pace Eccleſiis reddita, plurimi qui Deum inculpabili vita confitentes, ſub Confeſſorum titulo pretioſioribus tabulis mererentur adſcribi, & a Romana præcipue Magiſtra Eccleſia re vera adſcriberentur; quot Sanctorum nomina accreviſſe neceſſe eſt in antiquis ſive Indicibus, ſive Kalendariis, non tantum Romanæ Urbis exemplo, quam Pontificum, & Epiſcoporum præcepto?*

9. Idcirco, in unum colligendo omnia, quæ hucuſque dicta ſunt, concludi poſſe videtur, Epiſcopos jure ſuo in ſuis diœceſibus cultum publicum aliquando decreviſſe, & potuiſſe decernere erga Martyres vindicatos, & Confeſſores approbatos: quæ a nonnullis particularis dicitur Canonizatio, ſed ab aliis melius Beatificatio appellatur; cum Epiſcopale præceptum terminos ſuæ diœceſis prætergredi non poſſet; eaque natura & indoles Beatificationis ut plurimum ſit, ut cultus in ea permiſſus, intra aliquam tantum diœceſim, aut provinciam ſit definitus, ut infra dicetur, & ſicuti bene adnotavit Gonzalez *in cap. Audivimus num.* 7. *de Reliq. & venerat. SS. tom.* 3. *Canonizatio nunquam licuit Epiſcopis; Beatificatio vero primis Eccleſiæ ſæculis ab illis fiebat.* Concordat Manriquez *tom.* 1. *annal. Ciſterc. ad ann.* 1141. *c.* 8. *n.* 7. ubi, non obſtante erectione altaris facta auctoritate Epiſcopali ſuper corpus Joannis de Sacramenia, ſcribit, fuiſſe tantum Beneficatum; & bene proſequuntur Bivarius *in comment. chron. Marci Maximi in S. Joanne Eremita vindicato* §. 5. *num.* 27. atque Dominicus a SS. Trinitate *de ſummo Pontif. Rom. cap.* 18. §. *Secunda Concluſio, in biblioth. max. Pontif. tom.* 10. Inferri quoque poſſe videtur, cultum ab uno Epiſcopo in ſua diœceſi ſtatutum, accedente aliorum Epiſcoporum, & ſic univerſalis Eccleſiæ approbatione, una cum aſſenſu expreſſo, vel tacito ſummi Pontificis, ad Canonizationis terminos perveniſſe: cum de natura & indole Canonizationis ſit, ex infra dicendis, Religioſi cultus extenſio ad univerſam Eccleſiam, uti ad rem erudite pariter de more adnotarunt Lucas D'Acherl, & Joannes Mabillon. *in actis SS. Ord. S. Benedicti ſæc.* V. *in præfat.* §. 6. *n.* 92. ubi, loquendo de particulari Canonizatione, ſeu Beatificatione, quæ primis Eccleſiæ temporibus ſola erat in uſu, ita ſubdunt: *Particularis ſola in uſu erat, quæ tamen, accedente totius Eccleſiæ conſenſu, & approbatione, generalis evadebat.* Idcirco bene proſequuntur Auctor tractatus manuſcripti de SS. Canonizatione ad Cardinalem Montis Regalis *cap.* 3. §. *Eccleſia: Eccleſia pleroſque*

que post Apostolos Sanctis adscripsit per communem cultum & approbationem, ut Apostolos, Doctores, Augustinum, Gregorium Magnum, & Nazianzenum, Ambrosium, Basilium, Hieronymum, Cyrillum, Athanasium; eodem modo Martyres, ut Laurentium, Vincentium; & Virgines, ut Agnetem, Agatham, Luciam; & opinor, Sanctorum venerationem primum cœpisse ab Episcopis ejus loci, in quo mortem obierunt, post universa Ecclesia est amplexata: Matta *de Canoniz. SS. part.* 1. *cap.* 3. *nu.* 11. Bordon. *controv.* 13. *de Canoniz. SS. sub num.* 46. Molphes. *consil.* 46. *num.* 1. Qua in re summi Pontificis auctoritatem aut tacitam, aut expressam intercessisse putat Gonzal. *in cap. Audivimus, sub num.* 7. *de Relig. & venerat. SS.* Garzias *de Canonizatione §.* 3. *pag.* 91. Gravina *de catholic. præscript. tom.* 4. *quæst.* 5. *de Canoniz. SS. pag.* 321. Dominicus a SS. Trinitate *tom.* 3. *de Eccles. milit. in biblioth. max. Pontif. t.* 10. *pag.* 487. Rabaudi *exercit. Theolog. tom.* 2. *exercit.* 3. *cap.* 1. *pag.* 138. ubi: *Veteres namque Sancti non fuerunt Canonizati Romanæ & Apostolicæ Sedis auctoritate, atque supremo Judicio, sicut novissimi ab aliquot sæculis; sed eorum cultus, qui primo in certis ac particularibus Ecclesiis institutus fuerat, paulatim deinde, Romano Pontifice non contradicente, sed tacite approbante, ad alias Ecclesias pervenit:* & Azorius *instit. moral. part.* 2. *lib.* 5. *cap.* 6. *Quæres, quomodo veteres, & antiqui Patres ut Silvester, Innocentius I. Leo I. Gregorius I. &c. & plerique alii antiquiores, vel æquales fuerint inter Sanctos relati? Respondeo, eos post felicem obitum cœpisse coli & celebrari communi Episcoporum, Clericorum, & laicorum consensu; accessit autem Ecclesiæ Romanæ expressa, vel tacita quædam auctoritas,* Azorii porro sententiam pluribus illustrant Franciscus Victon. *in suo tractatu Gallice conscripto de Canonizat. M. cap.* 1. *& cap.* 8. Cardinalis Bellarminus *de M. beatit. lib.* 1. *c.* 8. cujus quidem Cardinalis doctrina cum ab Anonymo quodam fuisset impugnata, sic ipse assertionem suam propugnavit *in dissert. impressa apud Pignatell. consult.* 38. *n.* 16. *& seqq. tom.* 5. *Opusculo*, inquit, *meo de Sanctis lib.* 1. *cap.* 8. *distinguitur duplex Canonizatio, particularis, & universalis. Particularis dicitur, qua Sanctus aliquis, sive Martyr, sive Confessor, colendus proponitur uni particulari Ecclesiæ; Universalis, qua toti Ecclesiæ colendus proponitur, ita ut nemini Christiano liceat de ejus hominis Sanctitate, & beatitudine dubitare: ac particularis quidem Canonizatio antiquis temporibus Episcoporum particularium judicio commissa erat; ut in eodem loco a me probatur testimoniis S. Cypriani, & Thomæ Waldensis, & hoc ipsum docent Optatus, & S. Augustinus, quos Cardinalis Baronius citat. Itaque non scripsi neque sensi, ut iste Auctor videri vult me scripsisse vel sensisse, licuisse olim sine ullo Episcopali judicio, vel decreto Sanctos homines publice colere. De universali autem Canonizatione docui plurimos veteres Sanctos non certa lege, sed consuetudine universalis Ecclesiæ, non sine expressa, vel tacita summorum Pontificum approbatione Canonizatos fuisse. Integer igitur sensus verborum meorum hic est, eos Sanctos, qui colebantur in particularibus locis decreto particularium Episcoporum, cœpisse paulatim coli in Ecclesia universali, non certa aliqua lege vel decreto, sed consuetudine a summis Pontificibus consensu tacito approbata. Quod quidem verissimum esse non dubito, nec omnino video, quid contradici possit. Quæro enim, quis fuerit, ut S. Martinus, S. Nicolaus, S. Hilarius, & innumerabiles alii in universali Ecclesia publice ita colantur, ut nefas sit de eorum Sanctitate dubitare? Id enim summos Pontifices fecisse, certo decreto non constat, neque bullæ Canonizationum, neque historiæ ullæ testantur. Episcopi autem particulares neque seorsum in Sedibus suis, neque in Conciliis congregati toti Ecclesiæ legem dare possunt, neque eorum judicium certam fidem facit, nisi accedat illius confirmatio, ut Dominus ait:* Et tu aliquando conversus confirma fratres tuos. *Quærat igitur Auctor illius scripti solidum fundamentum, si ei non placet universalis Ecclesiæ consuetudo, quæ S. Augustino in ejusmodi observationibus pro lege semper fuit, ut videre est in Epist.* 118. 119. *&* 120. *& alibi. Quærat, inquam, solidum fundamentum, super quo nitatur Fides, quam de certa, atque indubitata Beatitudine habemus veterum Sanctorum, qui non leguntur a Summis Pontificibus nominatim Canonizati.* Quod ipsum repetit in sua *Recognitione Librorum*, & signanter illorum *de Gloria, & Cultu Sanctorum*. Bellarmini porro doctrinam illustrat Episcopus Sarnellus *in sua Ep.* 35. *tom.* 2.

CAPUT SEPTIMUM.

De interventu Auctoritatis Summi Pontificis in Cultu decernendo erga Martyres, & Confessores.

1. ETSI nonnulla in superioribus Capitibus dicta sunt de interventu auctoritatis Summi Pontificis in Cultu decernendo erga Martyres, & Confessores, idque peculiariter, quod ad eum primis ipsis Ecclesiæ sæculis Acta Martyrum pro examine & approbatione transmitterentur, ut vel Cultus approbaretur, vel introductus confirmaretur, quodque singulorum Episcoporum decreta de cultu Martyrum, & Confessorum vim obtinere non possent in universa Ecclesia, nisi accederet tacita, aut expressa Summi Pontificis auctoritas; in præsenti tamen necessarium esse videtur, præcipuos actus singillatim exponere, quibus auctoritas memorata intervenit. Et, ne oriatur confusio, nunc agetur de dicto interventu a primis Ecclesiæ sæculis ad Joannem XV. Summum Pontificem, ut ad consequentia deinde tempora opportune transitus fiat.

2. Primus itaque Actus, qui nobis innotescat, & de cujus veritate nulla rationabilis excitari valeat controversia, Sanctum respicit Vigilium Episcopum Tridentinum & Martyrem, qui sæculo IV. mortuus est, & cujus passionis Acta ad summum Pontificem transmissa sunt, pro cultu erga eumdem statuendo; in quo Actu mentio fit præcedentis consuetudinis, uti supra visum est, atque etiam adnotavit P. Honoratus de S. Maria Carmelita discalceatus *tom.* 2. *animadvers. super usu Crit. lib.* 1. *dissert.* 1. *art.* 5. *num.* 1. Porro etsi de hisce Actis S. Vigilii in superioribus sermo habitus sit, non undequaque inopportunum videri poterit nonnulla hic addere. Antequam prædictus S. Vigilius Tridentinus Episcopus Martyrio coronatus esset, in ejus diœcesi occisi fuerunt in odium Fidei Sisinnius Diaconus, Martyrius Lector, Alexander Ostiarius. Ipsorum certamini Vigilius una cum pluribus Christianis præsens adfuit, eosque pro reportata victoria Beatorum honoribus continuo donavit, erecta illorum nomine ecclesia. Mox epistolas duas conscripsit, alteram ad S. Simplicianum Mediolanensem Episcopum, alteram Constantinopolim ad S. Joannem Chrysostomum, parte quoque ex Martyrum trium Reliquiis ad utrumque missa. Extant eæ litteræ apud continuatores Bollandianos *ad diem* 29. *Maii*, in quibus egregias virtutes Martyrum singulorum, & totius Martyrii ordinem exponit. Probabile porro est, confimiles ab eo datas fuisse litteras, quæ forte excidernnt, nec reperiuntur, ad Romanum Pontificem; sed quod modo deest, suppletur ex eo quod superest. Postremo sæculi IV. anno Vigilius ipse nobili Martyrio coronatur, cujus Martyrii Acta extant apud continuatores Bollandianos *ad diem* 26. *Junii*, quæ Mabillonius ipse tamquam sincera agnoscit. In memoratis Actis *cap.* 2. *num.* 11. ita legitur: *Conscripta sunt autem gesta B. Viri ab his qui Martyrio ejus interfuerunt, gratiaque roborationis (ut mos erat) Papæ Romano transmiserunt, ut sacris Martyrum memorialibus inserercntur: quæ suscepta venerabilis Episcopus Apostolicus, omnia digna memoria haberi subscribens adjudicavit.* Papebrochius in notis ad laudata modo Actorum verba existimat, ad Romanum Pontificem non aliter fuisse transmissa Acta Vigilii, quam fuerant ad Simplicianum Mediolanensem transmissa prius ab ipso Vigilio tria horum Martyrum Acta: sed vir doctus falli videtur, cum ad Romanum Pontificem fuerint transmissa, ut ab eo confirmationis robur acciperent: quocirca ipse Romanus Pontifex robur addidit approbationis suæ, non voce tantum, sed etiam scripto, ut indicant verba: *Digna memoria haberi subscribens adjudicavit:* hoc est censuit digna, quæ in memoriam Vigilii publice recitarentur. Et quamvis in Mabilloneo codice desint verba *roborationis gratia*, quæ habentur in Actis Bollandianis, id tamen parum refert, cum ex ipso codice Mabilloneo Apostolica comprobetur confirmatio, uti supra visum est *cap.* 4. *num.* 12.

3. Secundus Actus ad S. Joannem Chrysostomum attinet, eumque a viro docto olim audivi constitui posse in epistola Innocentii I. summi Pontificis scripta principio

pio ſæculi v. ad Arcadium Imperatorem, in qua, audita ejuſdem Sancti morte, tum Arcadio ipſi, tum Auguſtæ, hoc eſt Eudoxiæ, tum denique Epiſcopis perſecutionis in S. Epiſcopum conſciis, excommunicationem inurit. In ea quippe relata apud Cardinalem Baronium *ad ann. 407. num. 23.* habentur hæc verba: *Neque de illo* (loquitur de S. Joanne Chryſoſtomo) *ita queror* (*ſortem enim, ſeu hæreditatem cum SS. Apoſtolis in Dei, & Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti regno conſecutus eſt*) & paulo poſt: *Tametſi enim v. Joannes vitam reliquit, Fide ſervata, & fluctuantibus confirmatis, in æterna tamen ſæcula ſempiternam deliciarum, & immortalis vitæ hæreditatem eſt conſecutus.*

4. Aſſumptum hoc ex aliis monumentis confirmari poſſe videtur. Georgius etenim Patriarcha Alexandrinus *in vita S. Joannis Chryſoſtomi num. 90. apud Surium ad diem 27. Januarii* refert, duos Presbyteros, qui una cum Diacono S. Joannem in exilio comitati fuerant, Romam acceſſiſſe, & Innocentio Pontifici retuliſſe felicem mortem, & cæleſtem quam ante obitum habuit, viſionem Baſiliſci Martyris; additque, his auditis, Papam animi deliquio, ac mœrore confectum aſſtantibus dixiſſe: *Videte, quodnam luminare Eccleſiæ, quam inſignem Fidei præconem iſti Orientis Epiſcopi inique in exilium relegarunt!*

5. Item, detrectantibus Orientalibus Epiſcopis S. Joannis nomen ſacris tabulis, ſeu dypticis adſcribere, exortaque celebri controverſia, ſeu diſſenſione inter Epiſcopos Orientales & Occidentales, Alexander tandem Patriarcha Antiochenus, ut in gratiam cum ſummo Pontifice Innocentio redire poſſet, non ſolum retulit nomen S. Joannis in ſacras tabulas, uti colligitur *ex epiſt. 19. Innocentii Papæ I. apud Conſtant pag. 843.* ſed etiam auctor fuit, ut Orientales Epiſcopi id ipſum facerent, teſte Nicephoro *lib. 14. cap. 25.* ſicque S. Atticus Conſtantinopolitanus Antiſtes ſucceſſor Arſacii, qui, vivente S. Joanne, Sedem Conſtantinopolitanam invaſerat, in ſua epiſtola ad Petrum, & Ædeſium Diaconos relata apud Bollandianos *tom. 1. Januarii ad diem 8. §. 7. nu. 39.* hoc pacto locutus eſt: *Ad pietatem veſtram ſcribimus, quæ melius, quam alii, res noſtras novit, ad pacem videlicet & tranquillitatem eas evaſiſſe de ſententia præcipue piiſſimorum Principum, & omnium deinde Orientalium Epiſcoporum, ipſorumque adeo Occidentalium quoque de Joanne ſacris tabulis, non ut Epiſcopo, ſed, qui aliquando Epiſcopus fuerit, inſerto, ut memoria ejus propter communem orbis univerſi pacem coleretur. Scribimus autem, ne, concordia, ubique propemodum obtinente, ſolis nobis ei non adſtipulantibus, ſimul & piiſſimis Principibus adverſari videamur, & ſumme neceſſariis rebus noſtris, ventis aliquibus adverſis ſubortis, & Eccleſiæ Chriſti noceamus.* Quocirca, ſi poſt habitam ab Innocentio I. notitiam nedum vitæ, ſed & pretioſæ mortis S. Joannis Chryſoſtomi pronuntiavit, eum conſecutum fuiſſe hæreditatem Domini cum SS. Apoſtolis, de qualitate & ſolemnitate hujus Actus tuta videtur eſſe comprobatio; eo magis, cum ſubſequens controverſia de nomine S. Joannis in ſacris diptychis inſcribendo ex ſupradictis patefaciat, cultum in ejus honorem fuiſſe decretum, ita ut nonnulli libenter ſe eidem ſubmittentes, nomen crederent in ſacris diptychis deſcribendum, & alii eidem refragantes, a ſacris diptychis delendum exiſtimarent.

6. At, ingenue loquendo, quæ contigerunt in cauſa S. Joannis Chryſoſtomi, referenda eſſe non exiſtimarem ad rem, de qua nunc agitur. Prætermiſſo quippe, quod Innocentii I. epiſtola ab aliquibus rejicitur tamquam ſuppoſititia, ea præcipue de cauſa, quod Eudoxia in ipſa perhibetur adhuc ſuperſtes, quæ tamen ante tres annos e vivis exceſſerat, quemadmodum oſtendere conantur Pagi *ad ann. 407.* & Natalis Alexander *in hiſt. Eccleſ. ſæc. v. cap. 2. art. 1.* huic etenim animadverſioni occurri poſſet, aſſumendo ea, quæ habentur apud Baronium, & ejus epitomatorem Spondanum *ad ann. 404.* alioſque graviſſimos Hiſtoricos & Auctores ibi laudatos, qui Eudoxiam ponunt Chryſoſtomo ſuperſtitem: vis major ſtare poteſt in hoc, quod initia Religioſi cultus erga S. Joannem Chryſoſtomum Eccleſiaſtico judicio decreti, referenda eſſe videntur ad translationem ſacrarum ejus Reliquiarum ad Eccleſiam Conſtantinopolitanam ſub Epiſcopatu S. Procli poſt triginta, & amplius annos ab ejus obitu, juxta erudite collecta apud Tillemont *in vita prædicti Sancti tom. 11. art. 134.* Dictum eſt autem, initium cultus Religioſi eſſe ad dictum tempus referendum, minime vero cultum privatum, aut famam Sanctitatis; cum hæc jam translationi præceſſiſſent; uti plane habetur *in hiſtoria Eccleſiaſtica* Fleuri *tom. 6. lib. 26. pag. 224.* ubi etiam animadvertitur, translationem contigiſſe die 27. Januarii, & hac ipſa die feſtum S. Joannis Chryſoſtomi in Eccleſia Latina celebrari. Atque hiſce quidem nullatenus obſiſtunt aut epiſtola Innocentii I. aut quæſtio de nomine S. Joannis in ſacris diptychis inſcribendo; tum quia bene potuit Innocentius, juxta piam, quam habebat, & recte fundatam de Sanctitate Joannis opinionem, eum dicere in cælo regnantem, in actu ſignanter, in quo excommunicatione percellebat injuſtos ejuſdem perſecutores, abſque eo, quod hinc inferri valeat decretum ullum de Religioſo cultu in Eccleſia eidem exhibendo; tum quia, cum tres eſſent ordines eorum, quorum nomina in ſacris diptychis deſcribebantur, & ad altare inter Miſſarum ſolemnia recitabantur, primus palam Beatorum, ſecundus palam non Beatorum, & tertius Patrum, ſeu Epiſcoporum, quæſtio de nomine S. Joannis inſcribendo, ad tertium ordinem ſpectabat. Theophilus etenim Patr. Alex. S. Joannis nomen ab Epiſcopor. tabulis deleverat, & nomen Arſacii inſcripſerat; Romani Pontifices vero tam ante, quam poſt Joannis mortem Arſacii nomen auferri, & Joannis nomen reponi mandarunt; ut ipſamet epiſtola S. Attici oſtendit, & clarius demonſtratur ex epiſtola S. Cyrilli Patriarchæ Alexandrini (*tom. 5. oper. part. 2. pag. 204.*) ad eumdem Atticum ſcripta tempore, quo Cyrillus recipere recuſabat nomen Joannis, quod deinde recepit, ne Romanæ Eccleſiæ gratiam & communionem amitteret: *Lectis quæ a pietate tua ad me miſſæ ſunt litteris, Joannis nomen ſacris inſcriptum eſſe tabulis intellexi. Ubi vero eos, qui inde ad nos venere, interrogavi, non in laicorum, ſed Epiſcoporum catalogo adſcriptum eſſe audivi. Porro diſpicienti mihi atque in animo repuſanti, an qui hoc fecere, Nicænorum Patrum decreta ſequantur, & aliquantulum mentis luminibus in magnam illam Synodum intentis, univerſum ſanctorum illorum Patrum collegium, quibuſdam veluti oculis venuere, & viribus omnibus quominus ad rem eam comprobandam accurram, obſiſtere videntur. Quomodo namque inter Sacerdotes Dei cenſebitur, illorumve feret ſortem, cui Sacerdotalis dignitas abrogata eſt! Quomodo vero in catalogo ſacrorum miniſtrorum erat, qui Eccleſiaſticis mœnibus ejectus eſt?* Pars harum litterarum extat apud Facundum Hermianenſem; integræ vero referuntur apud Nicephorum Calliſtum; & in eis S. Cyrillus canonem v. Nicænum reſpicit ſtatuentem, legitime damnatum non reparari, nec in vita, nec poſt obitum: quod ipſum clarius colligitur ex epiſt. 23. Innocentii I. ſummi Pontificis ad Bonifacium Presbyterum, *tom. 1. epiſtolar. Romanorum Pontif. collectarum a Petro Conſtant col. 849.* ubi S. Pontifex refert, ſe pacem impertitum fuiſſe Eccleſiæ Antiochenæ, ex quo Alexander Epiſcopus promiſerat, ſe recitaturum nomen S. Joannis Chryſoſtomi non inter ſanctos, ſed inter mortuos Epiſcopos: *Se ſine controverſia recepturum, ac nomen Epiſcopi memorati inter quieſcentes Epiſcopos recitaturum.*

7. Tertius Actus ad finem ſæculi VI. vel ad initium ſæculi VII. refertur. S. Maurus Abbas, diſcipulus S. Benedicti, in Gallias ab eo miſſus, conſtructo ibi celebri monaſterio, cui quadraginta præfuit annis, miraculorum gloria clarus in pace quievit; & ejus vita conſcripta fuit a Fauſto Monacho, ut meminit Petrus Diaconus. Extat adhuc prædicta vita, quæ tamen dicitur interpolata ſæculo IX. ab Odone Abbate Giannofolienſi; quemadmodum adnotavit Mabillonius *in præf. ad tom. 1. SS. Ord. S. Benedicti §. 5.* & pluribus in locis docuerunt continuatores Bollandiani, ut videri poteſt in reſponſione Papebrochii ad oppoſitiones P. Sebaſtiani a S. Paulo *art. 2. §. 38.* pluribuſque proſequitur Jacobus Longueval *in hiſtoria Eccleſiæ Gallicanæ tom. 2. pag. 483. & ſeqq.* At, quidquid ſit de his, Leo Oſtienſis *in chronico Caſſinenſi lib. 1. cap. 3. tom. 4. Script. rer. Italic. Murat.* refert, Fauſtum ex Galliis Romam reducem, vitam S. Mauri a ſe compoſitam Bonifacio III. Pontifici obtuliſſe, ut eam ſua auctoritate roboraret: *Tertio interea Bonifacio Sedem Apoſtolicam gubernante, ſupradictus Fauſtus qui ad Gallias cum B. Mauro perrexerat, ad prædictum Lateranenſe cœnobium reverſus eſt, atque a S. Theodoro qui tunc poſt ſanctæ memoriæ Valentinianum tertius eandem congregationem regebat, compulſus atque rogatus hiſtoriam de vita B. Mauri veraciſſimam compoſuit; quam prædictus Papa Bonifacius approbans, laude dignam duxit, ſuaque auctoritate roboravit.*

8. Quartus ſuccedit Actus, qui Zachariæ Pontifici adſcribitur. Kilianus Epiſcopus Apoſtolicus cum Colomanno Presbytero, & Totmanno, ſeu Totnano Diaco-

no Christi Fidem in civitate Herbipolensi annuntiavit; cumque Kilianus admonuisset Gosbertum Franconiæ Ducem a se baptizatum, quod ei non liceret uxorem habere fratris sui, quæ Geilana vocabatur, interfectus est anno 689. una cum sociis. Eorum subinde corpora in summa fuerunt veneratione, & ad eorum sepulcra multa facta sunt miracula, solemnisque corporum translatio contigit anno 752. uti refert Anonymus auctor vitæ S. Burkardi *apud Mabillonium sæc. 3. Benedict. par. 1.* recitatæ, & desumitur ex epitaphio relato apud Cardinalem Baronium *ad ann. 689. num. 15.*

Septingentesimo quinquagesimo secundo
A Bonifacio Burkardo consociato
Hi sunt sublati, rite quoque Canonizati.

9. Contendit Castellinus *in suo tractatu de certitudine gloriæ Sanctorum pag. 424. §. 3.* eos auctoritate Zachariæ summi Pontificis fuisse in Sanctorum album relatos; at continuatores Bollandiani *in propylæo in Zacharia Papa pag. 121. num. 4.* de prædicto epitaphio sic loquuntur: *Ita Auctor sæculi XIII. ante XIV. usitata quidem ævo suo phrasi, Canonizatos dicit, sed non ab aliis, quam a sanctis duobus Episcopis Bonifacii Moguntino, & Burkardo Wirtzeburgensi, idque per elevationem corporis de tumulo, ad quam opus tunc fuisse licentia Romani Pontificis gratis præsumeretur*; & concordat Pagi *ad ann. 689. num. 8.* Sed, si veritatem amamus, non videtur rationabiliter negari posse in ea corporum elevatione interventus auctoritatis summi Pontificis: sic enim legitur in Actis prædictorum Sanctorum *apud Mabillonium sæc. 2. part. 2. Actorum SS. Ord. S. Benedicti pag. 993. num. 12. Illustrante autem Domino merita eorum* (hoc est S. Kiliani, ac Sociorum) *cum consilio & præcepto Zachariæ Papæ, mediante Bonifacio Archiepiscopo* (Moguntino) *de tumulo honorifice sublevati sunt, regnante Pipino I. Orientalium Francorum Rege*. Sunt hæc Acta optimæ notæ, teste Mabillonio *pag. 991.* &, quamvis Bollandiani continuatores, *ad diem 8. Julii tom. 2.* asserant, se sinceriora alia quædam Acta inveniisse, in his tamen postremis Actis eadem fere reperiuntur verba, quæ sunt in aliis: *Illustrante autem Domino merita eorum, cum consilio & præcepto Zachariæ Papæ, mediante Bonifacio Archiepiscopo, a Burkardo I. Wurzihurnensium Episcopo de tumulo honorifice sublevati sunt, regnante Pipino I. Orientalium Francorum Rege feliciter*.

10. Quintus constituitur Actus in Canonizatione S. Trudperti Martyris ex familia S. Ruperti Episcopi Salisburgensis a Stephano III. qui a Cardinali Baronio dicitur IV. peracta. Ejus historiam vulgavit Canisius, & ab ea prædictam Canonizationem desumpserunt Castellinus *loc. cit.* & Molphesius *consil. 46. num. 15.* Scriptor vitæ *tom. 3. Aprilis Bollandiani pag. 433. n. 30.* sic fatur: *Hujus etiam tempore* (idest Ramperti) *sanctus tunc Stephanus Papa, probatis coram se per testes idoneos ac fide dignissimos, tam sanctitatis insigniis, quam passionis & forma & modo, quam etiam varietate miraculorum & veritate, B. Trudpertum catalogo SS. Martyrum reverenter adscripsit, in eorumque collegio consuit honorandum, Domino id per innumeras declarante virtutes*. Continuatores autem Bollandiani *ad diem 27. Martii* historiam prædictam tamquam fabulosam rejecerunt. Adhæsit Phœbeus Tarsensis Archiepiscopus *in sua dissertatione post Acta Canonizationis SS. Petri de Alcantara, & Mariæ Magdalenæ de Pazzis*; Et in Propylæo *loc. cit. num. 5.* sic legitur: *Nihilo plus facere ad intentum Castellini potest Canonizatio Trudperti Martyris ex familia S. Ruperti Episcopi Ratisponensis; quam enim fabulosa tota ea historia sit, & indigna in aliquam considerationem venire, ostendi die 27. Martii*. Sed, ut de hoc Actu rationabiliter dubitari possit, solemnis elevatio corporis B. Othmari Abbatis, cujus festum celebratur die 16. Novembris, & cujus mentio in superioribus facta est, non fuit celebrata sine summi Pontificis auctoritate; teste Ekkerardo *de casibus S. Galli ap. 1. inter scriptores Alamannicos Goldasti tom. 1.* Fidem narranti Ekkerardo habere videtur Mabillon *sæculo 3. Benedictino part. 2. pag. 153.* veretur tamen ne in sæculo XI. cum scripserit, id dixerit ratione habita sui temporis. At hoc gratis dictum videtur, & ex præconcepta opinione de recentiore Pontificiarum Canonizationum ætate.

11. De Hadriano I. nonnulli tradunt, quod inter SS. retulerit S. Albanum Martyrem, teste Macro *in notitia vocabulorum Ecclesiasticorum* in verbo, *Canonizatio*; idque contigisse refertur ad petitionem Offæ Regis Merciorum profecti ad limina Apostolorum, si fides præstanda est Spelmanno *tom. 1. Conciliorum Angliæ pag. 155.* Sextus ergo hic Actus est, de quo in præsenti sermo haberi debet. Porro is tamquam apocryphus rejicitur a Baillet *in præfat. ad vitas SS. §. 45.* & alii nonnulli eum putant irrepsisse ex quadam æquivocatione: In vita quippe Regis Offæ apud Matthæum Parisium non legitur, ut illi existimant, quod Rex convenerit Hadrianum Papam, ut S. Albanum inter SS. referret, sed ut Canonizaret, seu privilegiis decoraret monasterium in ejus honorem constructum. Ita sentiunt Mabillonius *in præf. ad sæculum 5. §. 6.* & Pagi *ad an. 794. n. 13.* quod ipsum confirmant ex Hadriani responsione ad Offam apud Westmonasteriensem *ad ann. 794.* & ex quo Albanus longe ante hæc tempora, teste Beda, pro S. Martyre habebatur. Sed, cum Matthæus Parisius *in vita Offæ II. pag. 28.* hæc habeat: *Offa igitur Rex piissimus suorum Magnatum sano acquiescens consilio, Divino ductus spiritu, transalpinum valde laboriosum, & sumptuosum iter arripit sine moræ dispendio*. Et *pag. 29. Romam tandem perveniens ..... Hadriano summo Pontifici sui causam adventus explicans, & de loco simul, & B. Albano Canonizando & magnificando, cœnobioque constituendo devote preces porrigens, petitioni suæ Romanum de facili Curiam inclinavit, præsertim cum Martyris inventio cœlitus mortalibus sit declarata*; constat Offam Regem non solum ad privilegiis donandum monasterium, sed etiam ad impetrandam Canonizationem S. Albani, Romam petiisse; nullatenus obsistente allegata Hadriani responsione, cum ea duo capita complectatur, hoc est cultum erga Martyrem, & monasterii constructionem, quam præcipue responsio respicere debebat: *O Regum Christianissime, Fili Offa, devotionem tuam circa Regni tui Protomartyrem non mediocriter commendamus .... De monasterio vero construendo & privilegiando petitioni tuæ assensum præbemus gratissimum: injungentes tibi in tuorum remissionem peccatorum, ut prospere ac feliciter rediens, cum Dei & mea benedictione in terram ac regnum tuum, consilio Episcoporum & Optimatum tuorum, quæ valueris possessiones sive libertates B. Albani Anglorum Protomartyris cœnobio conferas*. Quod si etiam admittatur, Albani cultum ante hæc tempora viguisse, id tamen ad rem non facit; cum novum non sit, cultum Episcopali auctoritate roboratum augmentum & confirmationem ab Apostolica recepisse auctoritate. Apud Spelmannum *loc. cit.* ubi partem inserit memoratæ vitæ Offæ scriptæ a Matthæo Parisio, non habentur verba *de B. Albano canonizando*, sed subduntur hæc alia *de B. Albano commemorando*. Sed vox hæc potestatem eamdem & vim habet, ac altera *canonizando*; & alioquin modum loquendi magis vetustum sapit, secundum quem *commemorari Martyrem, memoriam Martyris apparari*, idem sonabat, ac nunc *canonizari*. Etenim commemorando in sacris Mysteriis Martyrem, eum censebantur adscripsisse Sanctis: quocirca ædes sacra, vel ara supra Martyris corpus, vel alibi in ejus honorem posita, appellari consuevit *Memoria Martyris*.

12. In appendice ad vitam S. Suuiberti *apud Surium die 1. Martii tom. 2.* extat epistola S. Ludgeri Episcopi Monasteriensis, in qua narratur Stephanum Papam III. fuisse a Pipino Francorum Rege exoratum, ut S. Suuibertum canonizaret; & Pontificem ægrotantem, longoque itinere fessum, & senio confectum, inquisitionem de ejus virtutibus & miraculis nonnullis Episcopis commisisse, atque anno 804. Leonem III. in civitate Werdensi solemniter inter Sanctos dictum Suuibertum retulisse: quam quidem S. Ludgeri epistolam in ea parte, quæ Canonizationem S. Suuiberti respicit, integram refert Cardinalis Baronius *in annalibus ad dictum annum 804. num. 2. & pluribus sequentibus*. Porro, si hæc epistola qualibet suspicione careret, hic septimus Actus validior ceteris esset, quos supra retulimus, quique Joannis XV. tempora præcesserunt: & sane nonnulli eam tamquam sinceram admittunt. Venerabilis Dei servus Cardinalis Bellarminus *lib. 1. de Sanct. beatitudine cap. 8. n. 4. tom. 2.* inquit: *Primus enim Pontifex, ni forte fallor, qui Sanctos legatur canonizasse, videtur fuisse Leo Papa III.* & allegata epistola S. Ludgeri de miraculis S. Suuiberti, sic *loc. cit.* concludit: *Hanc primam legi solemnem Canonizationem, ante quam fortasse fuerunt etiam aliæ, sed non mihi constat*: & eum inter alios communiter sequuntur Angelus Rocca *de Canonizat. SS. c. 5. §. Ego vero*, Auctor tractatus *de Canonizatione SS.* manuscripti, & dicati Vincentio Laureo Cardinali Montis Regalis *cap. 2. §. Leo Tertius*, Matta *de Canonizatione Sanctorum cap. 3. num 14.* Franciscus Victon. *in suo tractatu Gallice conscripto de Canonizatione Sanctorum per totum*, Macrus *in suo vocabulario Ecclesiastico in verbo Canonizatio*,

tio, Phœbeus Archiepiſcopus Tarſenſis *in ſua diſſert. impreſſa poſt Acta Canonizationis S. Petri de Alcantara*, & *S. Mariæ Magdalenæ de Pazzis*, Gonzalez *in cap. Audivimus ſub num. 7. de Reliq. & venerat. Sanctorum*, Cornelius a Lapide *in comment. ad cap. 44. Eccleſ. §. Triplex hæc gloria*, Cardinalis de Laurea *in 3. lib. ſentent. tom 3. diſp. 6. art. 3. n. 47.* Caſalius *de veteribus Eccleſiæ ritibus cap. 70. §. De prædictis*, Marchelius *de Capite viſibilis Eccleſiæ tom 9. bibliot. max. Pontif. pag. 737. §. A Romano*, Rabaudi *exercit. Theolog. tom. 2. exercit. 3. cap. 1. de Eccleſia §. At poteſtatem.*

13. Alii contra, Eccleſiaſtica eruditione pollentes eam epiſtolam cenſent apocryphan. Brovverus enim *in notis ad vitam S. Ludgeri cap. 32.* ita ſcribit: *De epiſtola vero S. Ludgeri, quæ de levatione S. Suuiberti, Sanctitatis approbatione, Leonis Papæ in Franciam adventu, apud Surium tom. 2. extat, etſi egre adducor, ut cenſeam, ne publici jam uſus auctoritate receptis manus afferre videar; character tamen ipſe dictionis, & narrationis modus non expers aniſtoreſiæ, epiſtolam illam facile ream peragant momentariæ poſſeſſionis, inſuper habita præſcriptione tituli.* Clarius hoc ipſum inquit Joſeph Maria Sanfelicius Apoſtolicæ Sedis olim Nuntius ad Tractum Rheni *in ſua epiſtola, quam ediderunt continuatores Bollandiani ad diem 26. Martii p. 640. Sane, cum curioſius ſcrutari initia tantæ celebritatis cupido inceſſerit, evolutis Eccleſiaſticæ vetuſtatis ruderibus, fateri cogor cum Patre Browero, epiſtolam illam, quæ S. Ludgero tribuitur, de vita S. Suuiberti apocryphum redolere ex multiplici argumento;* Morinus *in comment. de adminiſtratione Sacramenti Pœnitentiæ lib. 10. cap. 20. num. 11.* ait: *Conficta eſt epiſtola ante forſan trecentos annos, aut ut maxime ante quadringentos, nomine S. Ludgeri ab aliquo Verdenſi Monacho in ſui monaſterii commodum, & gloriam.* Concordant continuatores Bollandiani *ad dictam diem 26. Martii in vita S. Ludgeri §. 8.* Lucas D' Acheri, & Joannes Mabillon *in actis SS. Ord. Bened. & in præf. ad ſæcul. 5. §. 6. num. 100.* Pagi ſenior *ad an. 754. n. 7. Cumque hæc de S. Suuiberti Canonizatione commenta nunc manifeſta ſint, iis refellendis diutius non immorabor:* alter denique Pagi *in vita S. Stephani II. alias III. num. 14.* Nec fundamenta deſunt, quibus innitatur opinio: & primo quidem, quia ea, quæ ſcribuntur in dicta epiſtola de tempore itineris Leonis III. ad Carolum Magnum, de mora ipſius in Caroli Comitatu, de variis cum eo itineribus ſuſceptis, non concordant cum iis, quæ referuntur ab ejus temporis auctoribus, uti comparanti clare apparet: ſecundo, quia in allegata epiſtola Canonizatio S. Suuiberti facta enarratur eo modo & ordine, quibus nunc fiunt Canonizationes; quod haud verisimile apparet, ex quo potiſſimum in Canonizationibus ſubſequenter factis ab Innocentio II. & Alexandro III. tot cæremoniæ non fuerunt ſervatæ: tertio, quia auctor epiſtolæ ſæpius recitat Epiſcopos, Archiepiſcopos, Cardinales, & Proceres Pontifici aſſidentes, & ſemper primo loco collocat Cardinales, contra morem illius temporis, & ſequentium ſæculorum: Innocentius enim II. in epiſtola de Canonizatione S. Hugonis Cardinales tertio loco ponit, & Pater Lupus *part. 5. decretorum, & canonum Synodorum generalium pag. 617.* ſuppoſititiam putat quamdam epiſtolam ejuſdem S. Ludgeri ad Rixfridum Trajectenſem Epiſcopum, propterea quod contra morem dicti temporis Cardinales præponit Epiſcopis: *Habet quædam ſpuriæ ſuppoſitionis notas; Etenim Romanos Cardinales, contra iſtius ſæculi morem, præponit Archiepiſcopis:* quarto, quia, ceteris prætermiſſis, quæ plene apud citatos videri poſſunt auctores, temporis anguſtia, qua ſummus Pontifex apud Imperatorem moratus eſt, recta adverſatur tot conſecrationibus eccleſiarum, de quibus in dicta epiſtola, & Canonizationi S. Suuiberti; ideoque apud continuatores Bollandianos *loc. cit. num. 38.* ita legitur: *Ego duo ſolum quæro, ad quæ non arbitror poſſe quemquam eorum, qui & S. Suuiberti vitam a S. Marcellino ſcriptam, & hiſtoriam Canonizationis a S. Ludgero mordicus tuentur, reſpondere. Primum, qui potuerit ſanctiſſimus Pontifex tantillo ſpatio, quo apud Imperatorem fuit, octo videlicet dierum, tot loca tam diſſita adire, tantas res exequi, & tam laboriosas, ut eſt eccleſiarum ita multarum conſecratio &c. Alterum, cum natalem Domini celebrarit in Cariſiaco cum eodem Imperatore, nec niſi octo diebus apud eum in Francia ſubſtiterit, qua ratione fingi poteſt, pridie nonas Septembris, poſt Domini natalem menſes octo, dies undecim, Canonizationem illam celebraſſe?*

14. Singularis eſt Troiſi Malvetii in ſuo opere *de Canonizatione SS.* opinio, quam exponit *dub. 4. n. 4.* quod prima Pontificia Canonizatio fuerit facta a Nicolao I. qui inter SS. retulit Apollionem quemdam Eremitam natione Græcum. De hac vero opinione, in qua octavus conſtituitur Actus in præſenti diſcutiendus, ita ſentit Angelus Rocca *de Canonizatione SS. cap. 5.* cujus verba ſunt ea, quæ ſequuntur: *Troiſius Malvetius Juris Conſultus Bononienſis in tractatu de Canonizatione SS., Apollionem quemdam Eremitam, natione Græcum, primum canonizatum fuiſſe ait; quem tempore Chriſti quadam in ſilva paſtoribus prædicaſſe, Salvatorem noſtrum eſſe verum Meſſiam, ob idque claris lignels a Judæis fuiſſe occiſum, ac tandem a Nicolao hujus nominis primo, cui hoc, inquit, Martyrium a Deo revelatum fuit, in Sanctorum numerum relatum fuiſſe ſcribit. Id, quod, quantum ad Martyrium & Canonizationem pertinet, apocryphum eſſe reor, quia nec de nomine, nec de re ipſa apud ullum ſcriptorem mentionem factam eſſe inveni. Adde etiam, quod Malvetius dictam hiſtoriam ſe legiſſe ait in quodam vetuſtiſſimo codice, quem tamen titulo, & Auctoris nomine carere fatetur.* In commentario prævio ad vitam S. Walburgis *num. 24. prope finem tom. 3. Februarii Bollandiani* refertur Democares affirmare, S. Walburgim ab Otgario translatam fuiſſe, cum effet conſenſu ſummi Pontificis Hadriani II. in Divorum numerum relata. Sed cum Democares ſæculo XVI. ſcripſerit, & Wolfangus vetus & gravis ſcriptor vitæ S. Walburgis, elevationem factam ab Epiſcopo narret, ſed de Hadriano II. penitus ſileat; non erit prō re, de qua nunc agitur, in Actu prædicto conſtituendum fundamentum: quemadmodum nec in ejuſdem Hadriani epiſtola ad Patres Concilii Triciſſini, in qua mandat ſacris diptychis Nicolaum Papam I. ſuum prædeceſſorem ubique per Galliam inſcribi; obſtant enim quæ ſupra dicta ſunt, cum de S. Joanne Chryſoſtomo agebatur, utri etiam ponderat Martene *lib. 1. de ritibus cap. 4. art. 8. num. 24.*

15. Geſta a Joanne VIII. ſimul ſumpta nonnum conſtituunt Actum. Romæ quippe exagitatus confugit in Galliam: & de eo hæc habentur in quodam legendario veteri Cabilloneſis Eccleſiæ a ſcriptore ejuſdem ætatis: *Girbaldus Cabilloneſis urbis Antiſtes ..... aliorum uſus conſultu & conſilio Epiſcoporum, beatiſſimum Dei Confeſſorem Lupum.... ut amplior accederet veneratio, & facilior advenientibus pateret intuitus, adhibito ſecum e vicino Matiſcenſis urbis Pontifice, & convocatis Fidelium populorum catervis, inde reverenter effoſſum, & Sacerdotum manibus elatum, exultantibus pſallentium choris, poſt altare digno loco humavit, & lectican ſuper de more erexit.* Pergit idem ſcriptor narrare quomodo circa idem tempus partim inventa, partim translata ab eodem Girbaldo fuerint corpora BB. Agricolæ, Silveſtri, & Deſiderati; tum hæc ſubnectit: *Dominus Joannes* (erat is Joannes VIII.) *ſummæ Sedis Romanæ Apoſtolicus Pontifex..., Gallias penetravit... Cabilonem devenit, ubi dum duodecim dierum moras necteret, ab Epiſcopo relatum eſt ei de inventione beatorum corporum. Sed tunc multimodo cauſarum faſce gravatus, illuc accedere diſtulit. Cabilone autem digreſſus, Auguſtam Trecorum urbem expetiit... Denuo Cabilonenſem civitatem repetiit, a qua cum diſcederet, ad monaſterium S. Marcelli a præfato Epiſcopo eſt deductus. Tunc delato juxta altare B. Agricolæ ſarcophago, Dominus Papa inibi digno honore pretioſum ejus corpus recondidit, & ut deinceps beatiſſimi Dei Confeſſores venerationi haberentur, & dies eorum glorioſi tranſitus feſtive celebrarentur, Apoſtolica auctoritate injunxit.* In tota hac ſcriptoris hujus cœvi narratione nihil continuatores Bollandiani, qui illam *t. 2. Martii pag. 515.* recitant, dignum reprehenſione invenerunt, præter anni notam Actui appoſitam, quippe ipſi diligenter tempora ſupputantes, annum 878. apponendum fuiſſe cenſent, cum in citato legendario adnotetur annus 879. Qui lapſus, ſi modo vere illi ſupputant, levis eſt plane, & vel Notarii vitio, vel hallucinationi memoriæ facile tribuendus. Apud Sauſſajum *in Martyrologio Gallicano ad diem 20. Novembris* additur, eumdem Pontificem Apoſtolica auctoritate, intercedente eodem Girbaldo Epiſcopo, inter Sanctos retuliſſe ſeptem Epiſcopos Confeſſores, qui Cabillonenſem urbem illuſtraverant ſanctæ vitæ meritis, nempe Tranquillum, Deſiderium, Joannem, Flavium, Veranum, Gratum, Lupum, cum Deſiderato Presbytero. De Sanctitate prædictorum Epiſcoporum Cabillonenſium plura videri poſſunt *in Gallia Chriſtiana t. 4.* De eorum vero Canonizatione facta a prædicto Pontifice Joanne, Baillet quæſtionem movet *in diſcurſu generali §. 95.* ex quo potiſſimum trium hebdomadarum tempore quo Pontifex in civitate

Cabil-

Cabillonenſi permanſit, non potuit, veriſimiliter loquendo, opportunas ad rem recipere informationes. Citati autem continuatores Bollandiani *ad diem* 30. *Aprilis* putant, Girbaldum Epiſcopum, inventis corporibus SS. Joannis, Deſiderii, Flavii Epiſcoporum, & Deſiderati Presbyteri, conſuluiſſe ſummum Pontificem, an hos, qui communiter ſancti habebantur, poſſet populo colendos proponere, quemadmodum cultu publico colebantur SS. Silveſter, Agricola, & Lupus; atque ab eo probatum fuiſſe uſum eos appellandi ſanctos, & quod tam in honorem ipſorum, quam ceterorum SS. Epiſcoporum una feſtivitas peragereturque die 30. Aprilis.

16. Ad ultimos progredimur Actus in præſenti exponendos. Auctoritate Leonis VII. delatum fuiſſe cultum S. Willibaldo Epiſcopo, referunt nonnulli; ſed legendi ſunt continuatores Bollandiani *in ejus vita ad diem* 7. *Julii* §. *n.* 43. De S. Burckardo hæc leguntur apud Mabillonium *ſæc.* 3. *Act. SS. Ord. S. Bened. p.* 1. *pag.* 700. *Burckardi corpus circa annum* 984. *ab Hugone Epiſcopo e tumulo levatum eſt, permiſſu Benedicti Papæ VI. teſtante Egilwardo in fine libri tertii*. Scriptor Gundenſis Monachus contemporaneus *t.* 3. *Martii Bollandiani p.* 43. narrat corpora SS. Landoaldi, ac Sociorum fuiſſe more veteri elevata auctoritate Epiſcopali, atque ſigillis cautiſſime munita; ſed Abbatem Vomarum, ut ampliorem & tutiorem eis cultum impenderet, ad Romanum Pontificem confugiſſe, ejuſque auctoritatem imploraſſe, qui tunc erat Joannes XIII. quem ſcriptor vocat *dignæ memoriæ*, cum paulo ante defunctus eſſet.

17. Alii fortaſſe plures Actus facti ſunt, quos ignoramus, & quorum probationes non extant, opinor, quia harum cauſarum definitio a Romanis Pontificibus fiebat in Synodis, quæ quolibet ſaltem anno cogebantur, & quorum Acta vix ſcribebantur; uti conjiciunt continuatores Bollandiani *in propylæo diſſ.* 20. *num.* 4. ubi ſic legitur: *Ejuſmodi cauſarum definitio fiebat in Synodis, quas annue unam, aut plures Romani Pontifices celebrari coram ſe faciebant &c. Et, quia ejuſmodi Synodorum Acta vix ſcribebantur, ſed, ut in iis ſola voce decernebantur multa, ſic etiam approbabatur populorum religio erga eos, quorum annuntiata Synodo ſanctitas, & miracula fuerant.*

CAPUT OCTAVUM.

De ejuſdem interventu auctoritatis.

1. PRÆCIPUOS in capite antecedenti, qui nobis innotuerint, recenſuimus Actus, quibus ſummi Pontifices exhibitionem publici Religioſi cultus decreverunt erga SS. Martyres, & Confeſſores a primis Eccleſiæ ſæculis ad tempora Joannis XV. ſummi Pontificis. Nunc autem hoc ipſum præſtandum eſt a Joanne XV. ad Alexandrum III.

2. Porro, cum B. Uldarici Epiſcopi Auguſtæ Vindelicorum vita, & miracula ejus interceſſione a Deo patrata eſſent celeberrima, Luitolphus Auguſtæ Epiſcopus in Concilio Lateranenſi Joanni XV. & Patribus in Synodo congregatis ſupplicavit, ut eum in Sanctorum numerum referrent; omnibuſque bene ponderatis, memoratus Udalricus Sanctorum catalogo a prædicto Pontifice, Synodo laudante, adſcriptus eſt; & integer Actus extat *in bullario Romano, in novo cod. Canonizat. & tom.* 2. *Julii* apud continuatores Bollandianos, & in ſæculo 5. *Act. SS. Ord. S. Benedicti*. Idcirco ſolemnis eſt hic, qui nunc exponitur, primus Actus, adeo ut, redacta celebri quæſtione de prima Canonizatione a ſummo Pontifice ſolemniter acta ad punctum, an fuerit ea S. Suuiberti quæ facta dicitur a Leone III. & de qua in ſuperiori capite ſermo habitus eſt, an ea vero S. Uldarici facta a Joanne XV. uti adnotavit vir licet heterodoxus, Joannes Albertus Fabricius *in ſua bibliographia antiquaria cap.* 8. *num.* 25. eruditiores putent, primam eam eſſe S. Udalrici. Mabillon *in præf. ad Acta SS. Ord. S. Benedicti ſæc.* 5. §. 6. *n.* 99. Pagi *ad ann.* 993. *n.* 2. Fleuri *tom.* 12. *Hiſtor. Eccl. lib.* 57. *p.* 277. Continuatores Bollandiani in *Propylæo diſſ.* 20. *pag.* 172. ubi, poſt recitatam Bullam Joannis XV. ita ſubdunt *num.* 2. *Si quis attulerit antiquius exemplum, & æque certum poſtulatæ per extraneos Pontificiæ ditioni Epiſcopos ab Apoſtolica Sede Canonizationis alicujus, libenter ſuſcipiam: neque enim exiſtimo, nullum extitiſſe; puto tamen, hujus rei initium non eſſe a ſæculo, de quo agimus, decimo valde removendum.*

3. Requiſitum fuit a Benedicto VIII. (ſeu ut verius nonnulli putant, a Benedicto VII.) an liceret Eccleſiam conſtruere, & in ea collocare corpus Simeonis Monachi, & Eremitæ in Cœnobio Padolironenſi agri Mantuani, qui clarus virtutibus, & innumeris miraculis vitam cum morte commutaverat; & Benedictus reſpondit: *Si ita coruſcat miraculis, ut veſter homo nobis aſſeruit, ædificate Eccleſiam, collocate in ea eumdem &c. tractate eum ut Sanctum*. Ita ex ejus reſponſo colligitur relato apud Mabillonium in *ſæculo ſexto Benedictino part.* 1. *pag.* 168. *& in novo Codice Canonizationum* Typis edito, & collecto opera & ſtudio ſupra cum laude commemorati Juſti Fontanini Archiepiſcopi Ancyrani. Et hic quidem eſt ſecundus Actus in hoc temporis decurſu a Joanne XV. ad Alexandrum III. ſuo momento præditus. Simeonis nomen deſcriptum eſt in Martyrologio Romano ad *diem* 26. *Julii*: ejus autem Vita non integra extat apud Cardinalem Baronium in *Annalibus ad annum* 1016. ſed integra apud Mabillonium in *Sæculo ſexto Benedictino* Patris Mabillonii *p.* 1. *pag.* 151. & in ipſa quidem, quæ ſcripta fuit ab Auctore contemporaneo, ita legitur *num.* 13. *Tempore, quo pro Canonizando ejuſdem Sancti Simeonis glorioſo corpore Sanctam Apoſtolicam Sedem acceſſimus, quoddam de eodem S. Viro miraculum claruit*; & late proſequitur bonæ memoriæ Pater Benedictus Bacchinus in *Hiſtoria Monaſterii Sancti Benedicti Padolironis lib.* 1. *pag.* 31.

4. Refert Sanctus Petrus Damianus *tom.* 2. in ultimo capitulo *Vitæ S. Romualdi* hæc, quæ ſequuntur: *Poſt quinquennium vero a Sancti Viri obitu data Monachis ab Apoſtolica Sede licentia, ut ſupra venerabile corpus ejus altare conſtruerent*. Putat Cardinalis Baronius *ad ann.* 1027. *num.* 13. eam fuiſſe S. Romualdi Canonizationem; *Conſtat autem, ipſum in Sanctorum numerum adſcriptum quinquennio poſt ejus obitum eo tantum ritu, qui tunc erat in uſu, nempe, ut petentibus concederet Apoſtolica Sedes ſuper corpus ejus altare conſtruere*: & ſequitur Fleuri *cit. tom.* 12. *pag.* 463. An autem tertius hic Actus ad Canonizationem potius, quam ad Beatificationem ſit referendus, alibi diſcutietur. Nunc tantum operæ pretium eſſe videtur adnotare, duplicem eſſe opinionem de anno obitus S. Romualdi, qui annos natus centum & viginti ex hoc mundo migravit: nonnulli quippe volunt, eum mortuum fuiſſe anno 1027. alii anno 1037. quemadmodum videri poteſt *in diſſertat.* 2. *Camaldulenſi* inter exaratas a Guidone Grando Abbate Camaldulenſi viro qualibet laude digno. Quod, ſi primæ adhærendum eſt opinioni, recenſitus Actus erit adſcribendus Joanni XX. Si vero ſecundam amplecti placeat, adſcribendus erit Benedicto IX. ſummo Pontifici: tumque prædicto Pontifici Joanni attribuendus eſt Actus, qui legitur in vita S. Bononii Abbatis monaſterii Locedenſis ad Surium tranſmiſſa a claræ memoriæ Cardinali Palæoto Bononiæ Archiepiſcopo, eruta ex duobus antiquis codicibus, & a dicto Surio inſerta Actis Sanctorum *ad diem* 30. *Auguſti*, ubi refertur, Epiſcopum Vercellenſem cogitaſſe de altari erigendo ſupra ejus corpus, & hanc ſuam cogitationem Clero communicaſſe, qui cenſuit, expetendam eſſe a ſummo Pontifice approbationem; huncque, audita ſerie miraculorum ab Epiſcopo narrata, benigne indulſiſſe.

5. Joanni quoque XX. & Benedicto IX. adſcribitur elevatio corporis S. Adelardi Abbatis Corbejenſis, uti legitur in ejus vita conſcripta a S. Gerardo Abbate Silvæ majoris *cap.* 5. *num.* 12. apud Bollandum *ad diem* 2. *Januarii*; ubi, relatis miraculis ejus interceſſione factis, hæc leguntur de Abbate Richardo: *Unde, miſſis Legatis accipere benedictionem a Joanne Papa, qui tunc temporis Vicarius S. Petri habebatur Romæ, Pontificali Hierarchia non ſolum eſt permiſſus, ſed etiam Apoſtolica juſſione juſſus, quod libenter feciſſet & injuſſus*. Cum autem actualis elevatio corporis a Joanne XX. demandata ſuam non habuerit executionem, niſi anno 1040. quemadmodum deſumitur ex citata vita; referenda idcirco ea eſt ad tempora Benedicti IX. Ex quo fit, ut quartus hic Actus ad utrumque memoratum Pontificem pro peculiari utriuſque ratione pertineat.

6. Sequitur quintus Actus. Poppo ſiquidem Trevirenſis Epiſcopus ſupplices porrexit preces tam nomine proprio, quam ſui Cleri, & populi Benedicto IX. ſummo Pon-

UAB Biblioteca de Ciències Socials

Pontifici, ut in album Sanctorum referre dignaretur servum Dei Simeonem Syracusanum Treviris reclusum: adhibito autem Fratrum consilio, *hoc est collecta Romani Cleri splendida Fraternitate*, Pontifex decrevit, eum ab omnibus populis Sanctum esse nominandum, solemne ejus festum quotannis esse celebrandum, nomenque in Martyrologium cum Sanctorum nominibus suo loco inferendum. Extat Actus apud continuatores Bollandianos *tom.* 1. *ad diem* 1. *Junii*, *& in novo codice Canonizationum*. Hæ Canonizationis litteræ Treviros a Benedicto per Legatum missæ sunt, quibus acceptis, Poppo Simeonem inter SS. Confessores declaravit habendum esse & colendum; ut ex sequenti colligitur inscriptione, quam ad autographum emendatam continuatores Bollandiani *loc. cit. pag.* 98. retulerunt: *Anno Dominicæ Incarnationis* 1042. *Indictione decima Benedicti Papæ IX. Regisque III. Henrici, Conradi Regis Filii IV., Canonizatus est B. Simeon Trevirensis quarta feria* XV. *Kalend. Decembris, piissimo Archipræsule Poppone, anno Ordinationis suæ vigesimo sexto, jussu & litteris IX. Benedicti Papæ est Congregatio Canonicorum ibidem ordita*.

7. Teste Burckardo Monaco *lib. de casibus monasterii S. Galli cap.* 6. Nortpertus S. Galli in Alemannia Abbas impetravit a Pontifice Clemente II. Canonizationem B. Wiboradæ, adminiculante Henrico Imperatore, & conjuge ejus Agnete: *Hoc obtinuit apud Dominum Apostolicum Clementem II. recitata vita B. Wiboradæ, ejusque miraculis, de tamdiu neglecta re ab ipso Papa rerdargutus, quatenus ipsam, præsente Theodorico Constantiensi Episcopo, canonizaret, & pro sancta haberi præciperet, & anniversarium ipsius diei solemnizandum instituevet*. De hoc autem sexto Actu plura videri possunt apud continuatores Bollandianos *ad diem* 2. *Maji*, apud Pagi juniorem *in Clemente II.* & apud Mabillonium *in præfat. ad sæc.* 5. *Benedict.*

8. Sanctus Leo IX. dum in Civitate Wormatiensi morabatur, Summus Pontifex designatus est; cumque statim ad Urbem accessisset *anno* 1049. Synodum habuit, teste Hermanno Contracto. Porro, antequam ad Urbem accederet, Waldradus Magnus Præpositus Cœnobii Sancti Deodati ei obtulit historiam vitæ Sancti Deodati Episcopi Nivernensis Romæ in Synodo approbandam. Recitata fuit in Synodo vita, & Pontifex permisit, eam legi in Ecclesia Dei: *Anno ab Incarnatione D. N. J. C.* 1049. *Ind. Secunda concurrente Sexto, Epacta* 14.... *Quæ de piæ memoriæ Pontifice Deodato scripta sunt, ad Summum Apostolicæ Sedis Apicem delata sunt, atque in Provinciali Synodo ejusdem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ est constitutum, ut in præsentia Episcoporum, Abbatum, Clericorum, & Laicorum recitarentur; &, cum recitata fuissent, data auctoritate ab ipso Summo Pontifice Leone IX. primo anno sui Apostolatus, decretum est, quatenus in Ecclesia Dei legerentur*: Historia hæc vitæ Sancti Deodati una cum prædicta approbatione Pontificia extat apud Continuatores Bollandianos *tom.* 3. *Junii ad diem* 19. *pag.* 883. eademque fuit in Gallicum idioma translata *circa annum* 1594. a Joanne Ruyr Secretario Ecclesiæ, & Capituli Sancti Deodati, qui etiam testatur, membraneum Legendarium tunc adhuc fuisse affervatum in Archivo Deodatensi, in quo vita digesta est in varias Lectiones.

9. In Itinerario Sancti Leonis IX. apud Mabillonium *sæculo sexto Benedictino* habetur, eum post modicum tempus Gallias petiisse, ut Orthodoxæ Fidei prospiceret; deinde, post ejus reditum ex Galliis, aliud Concilium Romæ coegisse *ineunte Majo anno* 1050. &, annuente ac laudante Synodo prædicta, inter Sanctos retulisse B. Gerardum Tullensem Episcopum. Canonizationis litteræ extant apud Mabillonium *sæc.* 5. *Bened. & tom.* 4. *annalium*; *& novo codice Canonizationum*; *& in Actis Conciliorum tom.* 6. *part.* 1. Pontifex in bulla dixerat, se elevaturum ejusdem S. Gerardi corpus; quod præstitit die 30. Octobris, ejusdem an. 1050. uti habetur *in notis ad ejus Constitutionem in codice Canonizationum*. Et, ut omnia exponantur a S. Leone IX. summo Pontifice gesta de cultu erga Sanctos decernendo, idem anno 1052. dum Ratisponæ morabatur, Ven. Wolfgangum ejusdem urbis Episcopum de tumulo levavit, & corpus transtulit Ven. Erhardi; sicuti legitur in annalibus Saxonicis, apud Mabillonium *in sæc.* 5. *Bened.* in vita S. Erhardi, apud Bollandum *ad diem* 8. *Januarii*, apud Pagi *ad an.* 1052. & apud Pagi juniorem *in vita Leonis IV. num.* 34. Quocirca Hundius *tom.* 1. *metropolis Salisburgensis in Gebhardo III. Episcopo Ratisponensi* ait *pag.* 194. *Sub eodem, Leo IX. Pontifex Maximus ab Andrea Rege Hungariæ pro pace cum Imperatore Henrico III. constituenda accitus, Ratisponam venit, & S. Wolfgangum in numerum Divorum retulit, similiter & S. Erhardum*. Adscripsit quoque Mabillonius S. Leoni IX. *in Act. SS. Ord. S. Bened. ad sæc.* 3. *pag.* 243. Canonizationem S. Suuidberti, quam alii, ut vidimus, adscribere conantur Leoni III. En verba Mabillonii *num.* 13. *S. Suuidberti corpus e terra levatum fuisse auctoritate Leonis Papæ IX. quando Coloniæ ab Herimanno Archiepiscopo exceptus est, quo eodem itinere B. Gerardum Tulli-Leucorum Antistitem in numero Sanctorum computandum statuit*. Alii addunt, eumdem Pontificem, qui Episcopatum Tullensem, quem ante Pontificatum administraverat, una cum Pontificatu retinuit, elevasse corpus S. Romani in eadem villa Tullensi anno 1050. cum ad eam post Pontificatum accessisset, explendæ causa Pastoralis vificationis; quemadmodum legitur apud Baillet *in discursu generali ad historias Sanctorum §. 96.* tum, invento corpore S. Bertini, Remensem Antistitem mandasse, ut e terra levaretur, eodem Leone IX. annuente; uti colligitur ex monumentis relatis apud Mabillonium *sæc.* 3. *part.* 1. *pag.* 154. *& pag.* 163. Petitum præterea aliquando fuit a sacrorum rituum Congregatione, ut in lectionibus propriis concedendis Ecclesiæ Patavinæ in honorem S. Maximi diceretur, Leonem IX. summum Pontificem Patavii exceptum a Bernardo Episcopo albo Sanctorum adscripsisse S. Maximum. Sed, cum in tabulis Patavinis exponeretur, Leonem IX. ab Episcopo invitatum Missam celebrasse, & inventionem Sanctorum canonizasse, Maximi videlicet, Fidentii, & Bellini, quorum corpora cultum publicum habuerant usque ad adventum Attilæ in Italiam, & ejus timore occultata, reperta fuerant anno 1053. Bernardo tunc temporis Episcopo; die 13. Junii 1679. referente claræ memoriæ Cardinali Cafanate, sic reformatæ fuerunt exhibitæ lectiones: *Quamobrem ad Ecclesiam S. Justinæ accedens Pontifex, solemni ritu litavit; urbem ab anathemate dissolvit, & Sanctorum inventionem canonizavit* IV. *nonas Augusti, qui dies festus ab Ecclesia Patavina quotannis recolitur sub titulo Inventionis S. Maximi Episcopi & Confessoris*. Sanctorum albo adscriptos demum fuisse ab hoc eodem S. Pontifice Leone IX. Romaricum, Amatum, & Adelphum, testatur Ruerus 1. *part. antiquit. Vogesensium lib.* 4. *cap.* 12. Fuisse autem hunc summum Pontificem Vogesi, & S. Romarici ecclesiam consecrasse, certum est: Beatus siquidem Lanfrancus Cantuariensis Antistes, qui per id tempus erat in comitatu Papæ, id testatur in sua epistola *tom.* 6. *Concil. part.* 1. *col.* 1180. ubi tamen consecrationis ecclesiæ meminit, sed non Canonizationis.

10. Si omnia gesta a Pontifice Leone IX. utpote ab eodem Auctore profecta, ne Actorum numerus nimis excrescat, pro uno Actus habeat computare; sequuntur gesta Alexandri Papæ II. eodem modo computanda, & octavum Actum constituentia. Obiit Theobaldus Eremita anno 1066. & Apostolicæ litteræ Canonizationis ejusdem expeditæ ad Alexandro summo Pontifice extant apud Mabillonium, qui primus eas vulgavit: item sunt impressæ apud continuatores Bollandianos *tom.* 5. *Junii*; & in novo cod. Canonizat. In Pontificio tamen diplomate desunt notæ chronologicæ; unde fit, ut Mabillonius eas dicat editas ab Alex. III. & Bollandiani ab Alex. II. Quæstio minime decisa relinquitur in notis ad hanc Constitutionem *in cod. Canonizat.* quocirca & nos porro procedentes alia ejusdem Pontificis gesta exponemus. Alexander itaque II. ante Synodum, quam habuit Mantuæ, Mediolanum perrexit, & multa utilia ibidem in Clero constituit, tumque S. Arialdum SS. Martyrum numero adscripsit; ut constant ex Landulpho juniore apud Puricellum, & apud Pagi juniorem in ejus vita *n.* 33. *Passus est B. Arialdus v. Kal. Julii anno Domini* 1066. *de cujus morte doluit Alexander Papa; unde anno sequenti, scilicet* 1067. *cum idem Papa iret ad Synodum, quam Mantuæ celebravit, Mediolanum venit, multaque fecit statuta de statu Mediolanensis populi, & Cleri, Beatumque Arialdum SS. Martyrum catalogo adscripsit*. Et continuatores Bollandiani *ad Acta Sanctorum Junii tom.* 1. *ad diem* 1. vitam referunt B. Eneconis Abbatis, narrantque *cap.* 4. *num.* 3. Petrum Episcopum Burgensem jussu Alexandri II. publicum ei cultum detulisse; *Procedente deinde tempore, incredibili populorum devotione circa venerabile sepulcrum ejus accrescente, Petrus bonæ memoriæ Burgensis Episcopus, auditis B. Eneconis miraculis, ad monasterium venit . . . Quod videns venerabilis Pontifex, tanti miraculi stupore repletus, Deum, & B. Confessorem cœpit glorificare; & indutus Pontificalibus vestibus, sicut in mandatis acceperat a beato Papa Alexandro, in memoriam Dei Electi, Divina Mysteria gaudenter celebravit, decantando altisona voce*

cum

cum religioſo cœtu Monachorum unius Confeſſoris Officium, ſcilicet: Os Juſti meditabitur ſapientiam &c. *quod deinceps in ejus honorem decantari præcepit, inſtituens Epiſcopali auctoritate, feſtum ejus annualiter Kalendis Junii cum reverentia celebrari, concedendo pro B. Confeſſoris honore omnibus Fidelibus ad diem feſtum natalis ejus accurrentibus quadraginta dierum abſolutionem. Deinde poſt multum temporis, ad uſus Divini Sacrificii, in ejus nomine fabricatum eſt altare, in quo Divina frequentantur Sacramenta, orante B. Patrono noſtro Enecone pro omnibus, qui ſuam fideliter gaudent frequentare memoriam.*

11. Ad geſta ſub Gregorio Papa VII. progredimur, quæ nonum Actum conſtituunt. Inter vetera monumenta Corbejana ab Hugone Menardo collecta extat vita S. Paſchaſii Ratberti Abbatis, quam producunt Bollandiani *t. 3. Aprilis p.* 464. in qua hæc habentur: *Sub Fulcone Abbate, qui octavus decimus ab eo Corbejæ præfuit, plurima ad ejus ſepulcrum miracula facta ſunt; quocirca auctoritate Sedis Apoſtolicæ, a Widone Ambianorum Præſule ſacrum ejus corpus* IV. *Idus Julii de terra levatum, ad majorem Eccleſiam S. Petri honorifice translatum eſt, ut cum aliis SS. Adalardo, & Præcordio populo venerabundum exponeretur.* Concordat alia vita conſcripta a Jacobo Sirmondo, & edita a Bollandianis *ad diem 26. Aprilis:* cumque interventus Apoſtolicæ auctoritatis contigerit anno 1073. non immerito referendus videtur ad ſummum Pontificem Gregorium VII. teſte Baillet *in vita prædicti S. Paſchaſii.* Apud eoſdem continuatores Bollandianos *ad diem 16. Martii* virtutes & miracula referuntur S. Heriberti Archiepiſcopi Colonienſis, & plane ponitur bulla Canonizationis ejuſdem expedita a Gregorio Pontifice, Deeſt hæc in novo codice Canonizationum, & eadem caret notis chronologicis; unde fit, ut Theodoricus Cuſtos monaſterii Tuitienſis, qui eam Bollandianis reddidit, editam exiſtimaverit a Gregorio VII. at alii editam arbitrentur a Gregorio VIII. alii a Gregorio IX. & alii a Gregorio XI. uti videri poteſt apud eoſdem Bollandianos *loc. cit.* & apud Baillet *in vita ejuſdem Sancti.* Chartuitius Epiſcopus vitæ S. Stephani Regis Hungariæ ſcriptor *apud Surium die* 20. *Auguſti*, narrat ſanctiſſimum Regem anno 1034. defunctum, poſt annos deinde 45. ſolemni pompa elevatum fuiſſe juſſu Romani Pontificis; quippe *Romani Pontificis*, inquit, *litteris mandatum fuit, ut eorum corpora elevarentur, qui Pannoniam ad Dominum convertiſſent:* quos inter principem certe locum tenebat Stephanus Rex. Hoc ipſum Pontificium mandatum extat in Actis S. Gerardi Epiſcopi & Martyris *apud eumdem Surium* 24. *Septembris.* Quare & hic Sanctus eodem, quo Stephanus, honore affectus eſt ſub uno eodemque Rege S. Ladislao, qui pro ſua inſigni pietate id honoris impenſe deferri curaverat gentis Apoſtolis. Legi poteſt Cardinalis Baronius *ad ann.* 1079. *in fine*, ubi Pontificium mandatum tribuit S. Gregorio VII.

12. Celebrabat Urbanus II. ſynodale Concilium cum magna Epiſcoporum, Abbatumque frequentia; &, cum Bizantius Archiepiſcopus Tranenſis coram univerſo Concilio ſcripta recitaſſet nonnulla miracula a Deo patrata interceſſione Nicolai Peregrini Tranenſis, & enixe poſtulaſſet, ut Sanctorum catalogo adnumeraretur; Pontifex reſpondit: *Nos igitur cauſam ipſam eidem Fratri noſtro commiſimus; de ejus nimirum probitate, ac ſcientia nihil hæſitantes, ut, quod ei revelante Domino viſum fuevit, maturiori deliberatione conſtituat ad laudem & gloriam illius, qui gratuita miſericordia famulos ſuos mirifice gratificare conſuevit.* Et hoc quidem diploma impreſſum reperitur in Junio Bollandiano *tom. 1. pag.* 249. & in novo codice Canonizationum. In vita S. Godolevæ Virginis & Martyris, *apud Bollandianos tom. 2. Julii pag.* 435. *num.* 99. ſic legitur: *Præſul autem egregius* (ſermo eſt de Radbondo Epiſcopo Tornacenſi)... *etſi Drogo venerabilis ea*, (hoc eſt geſta S. Godolevæ) *ſcribens vir omni dignus fide haberetur, utpote religioſus zantæ Religionis profeſſor, nihilominus ad omne dubitationis vulnus de credentium cordibus reſecandum, præcipuos adnotabiles oppidi Ghiſtellenſis tranſmiſit nuntios, qui iterata examinatione rem ventilantes, ſinceram facti veritatem renuntiarent; quibus fideliter juſſa exequentibus, dum veridicorum illa ratificata indubio teſtimonio retuliſſent, ſacer Antiſtes ſuæ illa auctoritatis commendatione confirmata, ſummo Pontifici, ejuſque fratribus Cardinalibus præſentavit approbanda; qui cum omnibus in Romana Curia pro tunc reſidentibus Prælatis maturiori profundiorique adhuc rem ſcrutantes indignatione, cum electam Dei ſponſam Virginem & Martyrem omni veneratione dignam inveniſſent, quam talibus tantiſque omnipotens Deus glorificari voluiſſet ſanctitatis indiciis, unanimi conſenſu Sanctorum hanc catalogo adſcribentes, ſacra ejus oſſa de terræ pulvere transferenda, publicæque adorationi ſublimanda præfato Epiſcopo commiſerunt. Qui negotium benevolenter executus, anno Dominicæ Incarnationis* 1084. . . . . III. *Kal. Auguſtarum, die lunæ, cum devota, ut decuit, cæremoniarum exhibitione, theſaurum illum nobilem atque pretioſum, ſanctum videlicet corpuſculum, de terra elevans decenti illius veneracionis loco collocavit:* Benedictus quoque Abbas Rempefleggienſis preces eidem Pontifici exhibuit, ut inter Sanctos referret Guolgoſium ſuum anteceſſorem; & Pontifex reſpondit, uti legitur in ejus epiſtola *t. 4. Galliæ Chriſtianæ;* ubi habentur hæc verba quæ recitat Chriſtianus Lupus *tom. 3. ſchol. in Synod. pag.* 569. *Non enim Sanctorum quiſque debet canonibus admiſceri, niſi & teſtes adſint, qui ejus miracula viſa ſuis oculis atteſtentur, & plenariæ Synodi firmetur aſſenſu.* Teſte denique ſupra citato Puricello *lib. 4. cap.* 81. Urbanus II. in civitate Mediolanenſi inter SS. Martyres retulit Herlembardum, & inter SS. Confeſſores Attilanum Zamorenſem, ſeu Legionenſem Epiſcopum; uti etiam legitur in Martyrologio Romano *ad diem* 5. *Octob.* & latius proſequitur Pagi *in vita ejuſdem Urbani II.*

13. Decimus Actus in ſupra recenſitis geſtis Urbani II. ſtatuitur, & undecimus habebitur ex geſtis Paſchalis II. Hic anno 1105. ſcribens Epiſcopis Anagniæ, & aliis per Campaniam conſtitutis, indulſit, ut III. Non. Auguſti feſtum celebrarent Petri Epiſcopi Anagnini tamquam Sanctorum Catalogo adſcripti, cujus vita fideliter fuerat adnotata a Brunone Epiſcopo Signienſi. Litteræ Pontificiæ impreſſæ reperiuntur in Bullario Romano, in annalibus Cardinalis Baronii, & in novo codice Canonizationum; tumque apud Mabillonium *in ſæc. 4. Bened. part. 1. & in annalibus tom. 5.* narratur eumdem Pontificem SS. Confeſſorum canoni adſcripſiſſe B. Angilramnum Centulenſem Abbatem.

14. Sequuntur geſta Calliſti II. tempore, pro Actu duodecimo habenda. Udalricus nimirum Conſtantienſis Epiſcopus, qui vitam cum miraculis conſcripſerat S. Conradi ejuſdem Sedis Epiſcopi, Sedem Apoſtolicam prædicto tempore crebris ſupplicationibus interpellavit, ut eum inter Sanctos referret; reſponſumque fuit: *Vitam ejus in Concilio generali recitandam, & comprobandam. Teſtes inſuper ſignorum, quæ per eum fiebant, ſeu facta ſunt, adhibendos.* Idem ſub eodem Pontifice actum fuit in Concilio Bellovacenſi coacto anno 1120. præſidente Canone Prænestino Legato Apoſtolico, de publico cultu indulgendo in honorem S. Arnulfi Epiſcopi Sueſſionenſis. Quidquid autem geſtum fuit, legitur in Actis Conciliorum *tom. 6. part. 2. col.* 1102. ubi habentur hæc verba: *Inter ceteros autem adfuit ipſe Aldenborgenſis Abbas ferens in manibus libellum de vita, & moribus, miraculorumque geſtis ipſius S. Arnulfi, quem libellum ego de manibus ejus accipiens aperui, & apertum obtuli Epiſcopis dicens: Ecce, Domini, libellus ipſe, qui, me conſcio meque auctore, de vita ejus conſcriptus eſt; cui, quod vera ſunt omnia quæ narrat, teſtimonium in fine perhibeo, & de cujus miraculis & hic quoſdam, & domi plures valde teſtes veraces adhibeo &c. Interim, dum hæc ab Epiſcopis decernuntur, quidam nobiles Magiſtri ſcholarum acceperunt libellum, & curſim perlegerunt quædam geſtorum capitula. Quidam ergo eorum concurrentes ubi erant Epiſcopi, cum magna conſtantia fatebantur: revera ex Deo non eſt, qui hujus Sancti exaltationi contrarius eſt. Tunc Guillelmus Catalaunenſis Epiſcopus ait: Per Deum turpe eſt, quod de re tam aperta dubitamus. Unde vos, Domne Tornacenſis, cum Domini gratia, remota omni ambiguitate, ſtatuite diem quo ad locum conveniatis, & ſanctum Domini ſervum de terra elevando, honorifice recondatis. Lambertus Epiſcopus ait: Ecce Legatus in hac ipſa baſilica cum noſtro Archiepiſcopo Remenſi, vel Turonenſi eminus reſidet. Rogo vos, placeat vobis ante illos venire, & veſtram ſententiam illorum judicio confirmare. Epiſcopi dixerunt: In nomine Domini fiat. Ut ventum eſt, Lambertus Epiſcopus dixit Domino Catalaunenſi: Rogo, agite cauſam meam. Cumque ille brevi facundia ante Legatum & Archiepiſcopos cauſam explicuiſſet, tam Legatus Conon, quam & Remenſis Archiepiſcopus una voce reſponderunt: Judicium veſtræ auctoritatis plene ſuſcipimus, & decretum veſtri conſenſus voboramus. Ita Epiſcopus Lambertus convocans Abbatem, deſignavit diem, quo Aldenborg conveniret, ideſt Kalendis Maji, & viri Dei corpus ſanctum de humo levatum juxta morem Gallicanæ Eccleſiæ, ceu re vera*

UAB Biblioteca de Ciències Socials

va ſanctum reponeret &c. Sub eodem quoque Calliſto II. peracta eſt Canonizatio S. Hugonis Cluniacenſis Abbatis, mortui anno 1109. Gelaſio II. Papæ Cluniaci e vivis erepto ſubrogatus ibidem eſt Calliſtus hujus pariter appellationis II. iſque eo loci dum adhuc moraretur, memoratum Hugonem Cluniacenſem Abbatem canonizavit. Rem accurate deſcripſit Hugo alter Monachus in epiſtola ad Pontium Abbatem S. Hugonis ſucceſſorem. Pars hujus epiſtolæ extat in Actis SS. Bollandianis *tom. 3. Aprilis pag.* 633. integram vero exhibet Bibliotheca Cluniacenſis, & ex ea epiſtola hæc ad rem noſtram proferuntur: *Hic* (Calliſtus ſcilicet II.) *ſecundo Cluniacum rediit, ibique Feſtum Dominicæ Circumciſionis & Apparitionis devote peregit. Qui dum inter cetera ſæpius ageret de vita & miraculis Beati Hugonis, non quorumlibet chartulas ſuper his profuſius exaratas attendit; ſed perſonas authenticas in medio Cluniacenſis Capituli præſentatas, de Sancto, quæ viderant & audierant, validius atteſtatas, gratanter accepit: Epiſcopis vero, & Cardinalibus pariter aſſentientibus, ad laudem & gloriam Domini Noſtri Jeſu Chriſti, Natalem tanti Confeſſoris tot & tantis virtutibus approbati, feſtivum fieri Papa decrevit.*

15. Si, quæ tempore Calliſti II. contigerunt, duodecimum Actum conſtituunt; tredecimus coaleſcet ex geſtis ſub Innocentio II. qui inter Sanctos retulit in plenaria Synodo, quam Remis habuit, Godehardum Epiſcopum Hildenſheimenſem. Diploma Pontificium extat in codice Canonizationum; & Auctor anonymus libelli de Canonizat. & translat. S. Godehardi, qui extat *ſæc. 6. Bened. part.* 1. poſt vitam ejuſdem Sancti, inquit, *pag.* 433. *Præſes noſter Bernardus cum Majoribus noſtræ Eccleſiæ aſſiſtens, videns opportunitatem ultro ſibi collatam, ipſum Apoſtolicum cum omni Curia Romana aggreditur, vitaque Paſtoris noſtri coram ipſis recitatur, &, ut per eum in Eccleſia Dei canonizetur, devotiſſime preces funduntur. Sed, cum conſuetudo ſit Romanæ Eccleſiæ in generali Concilio Sanctos Dei canonizare, quod tunc temporis in Remenſem civitatem in feſto S. Lucæ indictum fuerat, accepto conſilio petitionem Eccleſiæ noſtræ uſque in prædictum locum diſtulit, ibique definiturum certiſſime promiſit.* Tum refert, Bernardum una cum Norberto Magdeburgenſe Metropolitano Remis honorifice ſuſceptum eſſe; &, *dum jam Synodus aliquot dies eſſet celebrata*, conveniſſe Innocentium cum ſuis Cardinalibus, ipſos de cauſa B. Godehardi ſubmonuiſſe, omneſque unanimes & concordes in ſua petitione inveniſſe: *Poſtera die*, ſubdit, *cum in Synodo generali Apoſtolicus reſideret, nullo admonente, ſed Deo faciente, Apoſtolicus ad omnes luculentam orationem habuit, in qua diſertiſſime petitionem noſtræ Eccleſiæ de Patrono noſtro expoſuit; &, ut aſſenſum præberent, devotiſſime poſtulavit. His ita geſtis, Epiſcopus Tarraconenſis, vir religioſus & litterali ſcientia eruditus, quo ordine translatio fieri deberet, expoſuit; ſcilicet, ſi ea, quæ dicebantur de Patrono noſtro, Eccleſia noſtra per legitimos teſtes, ac juramento comprobaret. His vero verbis Apoſtolicus ſe interpoſuit, & ſe a Principibus terræ noſtræ adeo in Leodicenſi Eccleſia certificatum fuiſſe aſſeruit, ut non opus eſſet id ſecundo teſtificari, quod lucidius Sole poſſet, comprobari. Auditis autem, quæ ab Apoſtolico dicebantur, omnes unanimiter, ut canonizetur, aſſenſum præbent, &, ut laudes Domino perſolvantur, admonent, qui dignatur ſervos ſuos ab infirmitate hujus carnis eripere, & inter ſanctos & electos ſuos collocare. Continuo* Te Deum laudamus *canitur, laus omnipotenti Deo perſolvitur, & ſic demum coadunata Synodus terminatur.* Hujus Canonizationis accuratiſſima narratio extat coævi ſcriptoris apud continuatores Bollandianos *tom. 1. Maji pag.* 552.

16. Idem Innocentius canonizavit S. Hugonem Epiſcopum Gratianopolitanum, non poſt Concilium Piſanum, uti cenſuit Cardinalis Baronius; nec in Concilio Piſano, quemadmodum voluit Natalis Alexander; ſed, habito Archiepiſcoporum, Epiſcoporum, & Cardinalium communi conſilio, triginta & octo diebus antequam Concilium Piſanum celebraretur contra Anacletum Antipapam; uti probatur in adnotationibus ad novum codicem Canonizationum, ubi litteræ Canonizationis Hugonis inſertæ ſunt. In Lateranenſi porro œcumenico Concilio (*in plenaria Synodo, quæ apud Lateranum eſt per Dei gratiam congregata*) Sanctorum faſtis adſcripſit Sturmium primum Abbatem Fuldenſem; & Apoſtolicæ litteræ vulgatæ fuerunt a Chriſtophoro Browero *Fuldenſ. antiquit. lib. 3. cap. 9.* extantque etiam in novo codice Canonizationum.

17. Denique Eugenius III. *in epiſtola ſcripta ad Egelbertum Epiſcopum, & Canonicos Bambergenſes*, quæ eſt impreſſa in novo codice Canonizationum *pag.* 14. & in novo Bullario Romano *tom.* 2. de Henrico Imperatore ſic locutus eſt *pag.* 333. *Tametſi hujuſmodi petitio niſi in generalibus Conciliis admitti non ſoleat, auctoritate tamen ſanctæ Romanæ Eccleſiæ, quæ omnium Conciliorum firmamentum eſt, petitionibus veſtris acquieſcimus, atque ejuſdem memorabilis viri, cujus exaltationem exquiritis, ex fratrum noſtrorum Archiepiſcoporum, Epiſcoporum, qui præſentes aderant, communicato conſilio, memoriam inter Sanctos de cetero fieri cenſemus, & anniverſarium diem ſolemniter celebrari conſtituimus.* De hac Canonizatione loquitur Otho Friſingenſis *lib. 1. de reb. geſtis Frid. I. Imp. cap.* 63. ubi de ſepultura Conradi Regis, inquit, *eum regio cultu fuiſſe ſepultum in eccleſia Bambergenſi, juxta tumbam Imperatoris Henrici ejus loci fundatoris, qui nuper auctoritate Romanæ Eccleſiæ in loca ſancta levatus pro Sancto habetur.*

CAPUT NONUM.

De Pontificiæ iterum auctoritatis in Beatificationis, & Canonizationis negotio, interventu.

1. CAPUT hoc ad eamdem pertinet materiam, ad quam duo proxime antecedentia capita ſpectant; & eamdem quidem proſequitur ab Alexandri III. Pontificatus initio ad noſtra uſque tempora eo modo, quo fieri poteſt, ne in immenſum excreſcat.

2. Alexander itaque III. inter Sanctos retulit Eduardum Angliæ Regem, Thomam Archiepiſcopum Cantuarienſem, & Bernardum Abbatem Clarevallenſem. Bullæ extant impreſſæ in Bullario Romano, in Actis Conciliorum & in novo codice Canonizationum; ubi etiam ejuſdem Pontificis epiſtolæ referuntur, quibus omnes Eccleſiæ Prælatos, & Averſanum Epiſcopum de S. Thomæ Canonizatione, & Regem Francorum, Monachoſque Ciſtercienſes, & Clarevallenſes de Canonizatione S. Bernardi admonuit, ut ad eorum cultum prædictos omnes excitaret. In bulla Canonizationis S. Eduardi *in cit. cod. Canoniz. pag.* 15. habentur hæc verba: *Viſis etiam litteris anteceſſoris noſtri piæ recordationis Innocentii Papæ, veſtris quoque teſtimoniis inde receptis* (hoc eſt Archiepiſcoporum, Epiſcoporum, & aliorum Prælatorum per Angliam conſtitutorum) *quamvis negotium tam arduum & ſublime non frequenter ſoleat, niſi in ſolemnibus Conciliis de more concedi; de communi tamen Fratrum noſtrorum conſilio, juxta votum & deſiderium prædicti Filii Regis* (hoc eſt Henrici) *ac veſtrum, corpus ipſius Confeſſoris ita glorificandum cenſuimus, & debitis præconiis honorandum in terris, ſicut eumdem Confeſſorem Dominus per ſuam gratiam glorificavit in cælis.* In bulla Canonizationis S. Thomæ *in cit. cod. pag.* 16. proſtant ſequentia: *Præfatum Archiepiſcopum in capite jejunii, multitudine Clericorum & laicorum præſente in eccleſia, deliberato cum Fratribus noſtris conſilio, ſolemniter canonizavimus, eumque decrevimus SS. Martyrum collegio annumerandum.* Ibi demum in bulla Canonizationis S. Bernardi Abbatis *pag.* 19. narratur, dum Pontifex eſſet Pariſiis, multos venerabiles viros ſupplices preces porrexiſſe, ut eum inter Sanctos referret in Concilio, quod proxime erat Turonis celebrandum; benignas item aures Alexandrum poſtulatis præbuiſſe, ſed eis ſatisfacere non potuiſſe, propter magnam frequentiam aliorum, qui ſimilia petebant: *Cumque nos eidem negotio favorabili ſatis intenderemus affectu, ſupervenit multitudo & frequentia petitorum, qui in diverſis provinciis rem ſimilem poſtulabant. Unde cum videremus, non poſſe congruenter omnibus ſatisfieri, ſtatutum fuit pro ſcandalo devitando, etiam in hoc differri.* Et poſt alia in dicta Conſtitutione ſic concluditur: *Quibus omnibus pia conſideratione penſatis, & in Concilio Fratrum noſtrorum expoſitis . . . . . catalogo SS. adſcribi mandavimus.* Huic quoque Pontifici Alexandro adſcribitur Canonizatio Theobaldi Eremitæ, & Conſtitutio reperitur in codice Canonizationum; quæ a nonnullis quidem huic ipſi Pontifici, ſed ab aliis Alexandro

II. attribuitur, juxta ea, quæ in superioribus visa sunt. Testatur insuper Innocentius Tertius Pontificem Alexandrum Tertium exoratum a Martino Episcopo Grossetanensi, ut in Sanctorum album referret Guillelmum Eremitam a Malavalle in Tuscia indulsisse ut in ejus honorem celebraretur in diœcesi Grossetanensi Officium, quoadusque fieri posset solemnis ejus Canonizatio: *Ex litteris fraternitatis tuæ accepimus, quod, cum bonæ memoriæ Martinus prædecessor tuus olim ad felicis recordationis Alexandri prædecessoris nostri præsentiam accessisset, supplicavit eidem, ut B. Guillelmum Sanctorum adscriberet catalogo venerandum. Idem vero prædecessor noster exauditurum se preces ipsius promisit tempore opportuno, & interim mandavit eidem, ut in anniversario pro Divini nominis gloria, & ejusdem Sancti memoria Officium Confessoris solemniter celebraret, & in sua diœcesi faceret solemniter celebrari.* Apostolicæ hæ litteræ editæ sunt a Guillelmo de Waha *in explanatione vitæ S. Guillelmi pag. 326. quæ prodiit Leodii ann. 1693.* Celebrisque est inter Decretales Gregorii IX. *ad tit. de Reliq. & venerat. Sanctor.* Alexandri III. Decretalis, de qua alibi, in qua statuitur, non licere pro Sancto aliquem publice venerari sine Sedis Apostolicæ auctoritate.

3. Aliæ quoque adsunt Canonizationes factæ ab Alexandro III. de quibus Historici testantur, & quarum bullæ usque adhuc latent, aut injuria temporum perierunt. S. Guarinum Bononiensem, S. R. E. Cardinalem, Episcopum Prænestinum inter SS. relatum fuisse ab Alexandro III. affirmant Scriptores cumulate inveniendi apud Bollandianos *tom. 1. Februarii pag. 915.* In manuscripto chronico, quod extabat apud Cardinalem Baronium, legitur, S. Helenam Sueonam viduam miræ sanctitatis a sepulcro Domini, quod petierat, revertentem, de nece Generi sui per calumniam accusatam, & ea de causa a cognatis innocenter occisam anno 1164. instante Carolo Suevorum atque Gothorum Rege, ob vitam sanctissime ductam, additis multiplicibus miraculis, inter Sanctos fuisse ab Alexandro relatam; uti videri potest apud citatum Cardinalem Baronium *in addendis ad annum* 1164., & late adnotavit Pagi *in vita hujus Pontificis num.* 48. Duo fuere Canuti Reges in SS. numerum publica Ecclesiæ auctoritate relati: primus Rex Daniæ, qui Martyrio sublatus est anno Domini 1086. alter fratris filius Rex Obotritorum, qui Martyr occubuit anno Domini 1132. De his duobus Sanctis Canutis plura legi possunt apud Bollandum *tom. 1. Januarii ad diem 7.* & apud ejus Continuatores *tom. 3. Julii ad diem 10.* nec non apud Baillet *ad eumdem diem*, & apud Fleuri *histor. Eccles. tom. 13. lib. 63. pag.* 458. Hujus postremi S. Canuti Canonizatio facta dicitur ab Alexandro III. sed bulla hactenus inventa non est, licet fuerit diligenter perquisita, teste Archiepiscopo Ancyrano Justo Fontanino *in præfat. ad cod. Canoniz.* De Legatis tamen ad Alexandrum III. summum Pontificem a Waldemaro Rege transmissis pro impetranda Canuti junioris Canonizatione, & de eorum reditu post impetratam Canonizationem plene testantur Historici. Kranzius *lib. 6. Daniæ cap. 29.* inquit: *Quo tempore Nuntius & Oratores rediere, quos Rex ad urbem Romam misit, testificandi gratia de miraculis, quæ ad tumulum Divi Canuti fierent; quo Rex Patri posthumus filius natus est. Erat autem annus post millesimum centesimum septuagesimus primus. Tum apud Ringstadium, ubi paternus erat tumulus, omnem Conventum omnium de Regno concivit Rex litteris a Sede Apostolica proditis. Ibi Divus Canutus solemni precationum genere de tumulo levatus, aræ consecratus imponitur.* Concordat Joannes Magnus *lib. 2. de vitis Pontificum Upsalensium in Stephano Archiepiscopo*, ubi ait *pag. 47. Eodemque tempore, una cum Escbillo Archiepiscopo Lundensi Divum Canutum Ducem & Regem Obotritorum in SS. catalogum jussu Alexandri Papæ III. inscripsit.* Denique Isaac Pontanus *in rerum Danicarum historia lib. 6. pag.* 252. narrat, Waldemarum Regem Legatos anno 1168. ad Romanum Pontificem misisse, subditque: *Elapso deinde tempore, anno circiter supra millesimum centesimo sexagesimo nono, Regis Legati, quos Romam transmiserat, in patriam redierunt, litteras inter cetera referentes a Pontifice, quibus patris sui innocentissimos manes sacris honoribus venerari permittebatur. Quocirca Rex, omni Danica Nobilitate sub edicto Ringstadium evocata, circa solemne Divi Joannis, quod in æstivum solstitium incidit, & parenti cælestes honores, & filio regios celebrari constituit.* Pontanus tamen litteras Canonizationis non producit, & hinc fortasse factum est, ut ad nos non pervenerint, uti supra dictum est.

4. Ad Alexandri III. tempora referri debent ea, quæ a Paschali Antipapa facta sunt. Martinus Polonus, & Onuphrius Panvinius referunt, quatuor Pseudopontifices adversus Alexandrum Tertium summum Pontificem insurrexisse, Octavianum de Monticello, qui Victor IV. Guidonem Cremonensem, qui Paschalis III. Joannem Strumiensem, qui Callistus III. & Quartum Landonem, qui Innocentius III. vocati sunt. Paschalis in Germaniam ad Fridericum Imperatorem se recepit, & Carolum Magnum Romanorum quondam Imperatorem in SS. canonem retulit. Ante corporis elevationem Caroli nullus ei publicus cultus exhibebatur, cum pro ejus anima suffragia fierent, sicuti fiunt pro animabus reliquorum Christifidelium defunctorum; testibus Ademaro Monacho, & Gaufrido Priore Vosiensi, quorum testimonia recensentur apud Pagi *in breviario RR. Pontif. tom. 3. in vita Alexandri III. pag.* 82. *& sequentibus.* Procurante vero Friderico Ahenobardo facta est auctoritate Paschalis III. Antipapæ solemnis Corporis elevatio, uti colligitur ex Friderici diplomate impresso apud Bollandianos *ad diem 28. Januarii*; in quo, post narrata insignia opera Caroli Magni Imperatoris, expositis petitione Henrici Angliæ Regis, & assensu, atque auctoritate Paschalis, nec non consilio universorum Principum tam sæcularium, quam Ecclesiasticorum pro elevatione & exaltatione corporis ejus, *atque Canonizatione* (verba sunt diplomatis) refertur, solemnem Curiam in natali Domini apud Aquisgranum celebratam fuisse, & corpus magna frequentia Principum, & copiosa multitudine Cleri & populi, in hymnis & canticis spiritualibus, cum timore & reverentia fuisse elevatum & exaltatum. Post solemnem corporis elevationem nedum in Ecclesia Aquisgrani, sed etiam in quibusdam aliis Galliæ, Belgii, atque Germaniæ Ecclesiis Carolus coli cœpit, quemadmodum inter Auctores forenses adnotarunt Ostiensis *in cap. Audivimus num. 9.* ibique Joannes Andreas *de Reliq. & venerat. SS.* Cardinalis Tuscus *in verbo Canonizatio, conclus. 41. num. 9.* Lezana *consult. 1. num. 50.* Molphesius *consult. 46. num. 10.* & inter eruditos bene prosequuntur testantes de cultus continuatione, Gujet *de festis propriis SS. lib. 1. cap. 3. quæst. 9. §. Tertium denique dubium*, Natalis Alexander *in histor. Eccles. sæc. 9. & 10. cap. 7. art. 1. in fine*, Bollandiani *tom. 2. Februarii*, ubi ex Athenæo Osnabrugensi *schemate 19.* referunt, quintum altare ecclesiæ PP. Societatis Jesu esse Carolo Magno dicatum. Verum, cum cultus hic suam originem habuerit a Pseudopontifice; non immerito dubitari potest, ab ex ejus concessione, constituta dici possit vera & legitima Beatificatio. Castellinus *in suo indiculo Sanctorum Canonizatorum* dicit, Carolum Magnum a nonnullis Canonizatum, ab aliis tantummodo Beatificatum denominari. Contelorius *in suo tractatu de Canonizat. SS. cap. 2. num. 2.* eum asserit dici posse tantum Beatificatum: & hæc quidem sententia retinenda videtur. Quidquid etenim sit de concessione facta ab illegitimo Pontifice, tot subsequentes legitimi Pontifices prædictam concessionem sciverunt, & per tolerantiam admiserunt: quibus si superaddatur longissimi temporis observantia, nihil deesse videtur ex iis, quæ necessaria sunt pro validitate cultus, quoad Ecclesias particulares, & sic pro sufficienti Beatificatione, uti bene adnotarunt Molanus *in natalibus Sanctor. Belgii*, Petrus Galesinius, & Maurolicus *in suis Martyrologiis*, Ferrarius *in catalogo SS. qui non sunt descripti in Martyrologio Romano*, omnes ad diem 28. Januarii, Bollandiani *ad eumdem diem*, Natalis Alexander *loc. cit.* Spondanus *ad ann. 814. num. 5.* Baillet *in vita Caroli Magni ad d.* Franciscus Victon. *in suo tract. de Canoniz. SS. cap. 27.* Ceparius *in suo directorio manuscripto Canonizationum cap. 12. numer. 2.*

Alexandro III. Lucius III. successit. Hic anno 1182. inter Sanctos retulit Brunonem Episcopum Signinum; qui, postquam Ecclesiæ suæ per aliquot annos præfuerat, Cassinum se recipiens, ibique Abbas electus, populo instante, a Romano Pontifice jussus fuit ad Ecclesiam suam redire in qua sancte mortuus est. Angelus Rocca *in suo tract. de Canonizat. SS. pag.* 230. testatur, bullam Canonizationis asservari Romæ in bibliotheca PP. Congregationis Oratorii; sed, utut tempore, quo auctor scribebat, ea bulla in citato loco reperiretur, certe, me instante, perquisita fuit a P. Gaspare Cerato ex ejusdem Oratorii Familia, viro diligentissimo, & in Ecclesiastica eruditione optime versato, & minime est inventa. Signiæ tamen hæc legitur inscriptio: *Æternæ memoriæ Brunonis, quem Lucius Tertius Pontifex Maximus Cardinalium, & Episcoporum conventu Signiæ in Ecclesia Beatæ Mariæ, ubi defunctum corpus quiescebat,*

bat, inter Sanctos jussit adscribi anno ab ejus absessu LVIII. S. P. Q. S. (ideſt) *Senatus, Populusque Sigininus.*

6. Clemens III. SS. Confeſſorum canoni ſolemniter adſcripſit BB. Othonem Epiſcopum Bambergenſem, Stephanum Auctorem Ordinis Grandimontenſis, Malachiam Hiberniæ Epiſcopum, ut ex ejus Conſtitutionibus *in novo codice Canonizationum*.

7. De Cæleſtino III. in eodem codice per authenticas Conſtitutiones demonſtratur, ab eo inter SS. relatum fuiſſe Ubaldum, Bernuvardum in Saxonia Epiſcopum, Joannem Gualbertum, atque Geraldum. Et præter hos in ſexta lectione antiqui Breviarii Eccleſiæ Lemovicenſis apud continuatores Bollandianos *tom. 1. Aprilis* hæc de S. Gaucherio Canonico leguntur *pag.* 853. *Floruit anno Domini* 1130.; *ſuccedentibus vero temporibus ex Divina revelatione canonizatus fuit, Sanctorumque catalogo adnotatus tempore Domini Cæleſtini Papæ, præſulante in Sede Lemovicenſi Domino Sebrando*; quod anno 1194. & ſic tempore Cæleſtini III. contigiſſe, docent ſubjecti verſus ex vetuſto libro Prioratus Aurelianenſis, *Anno milleno centeno cum nonageno quarto, clara virum meritorum ſumma revelat*. Tum etiam, ſi fides præſtanda eſt Joanni Tamajo *tom. 2. Martyrologii Hiſpanici*, B. Rodeſindus ab eodem Cæleſtino III. inter SS. relatus eſt. Sed de cultu huic Beato exhibito infra ſermo redibit.

8. Plures ab Innocentio III. Canonizationes factæ ſunt, quarum extant in Bullario Romano, & in novo codice Canonizationes factæ referuntur ab eodem, quarum tamen Apoſtolicæ litteræ non inveniuntur. Anno 1202. Pontifex hic SS. Faſtis adſcripſit Gilbertum Fundatorem Ordinis Sempringhamenſis in Anglia, anno poſt ejus obitum decimo quarto. Duplex hujus Sancti vita ab Auctoribus anonymis ſcripta habetur in Actis SS. Bollandianis *ad diem 4. Februarii*; &, quamvis poſterior vita Canonizationem memoret ab Innocentio factam anno 1202. cujus non meminit prior, bulla tamen Canonizationis deſideratur. Apud Surium & apud Bollandianos *ad d. 4. Julii* narratur, Procopium Bohemum Abbatem Ordinis S. Benedicti pie defunctum appariuiſſe Blaſio cœnobii ſui Præpoſito, eique mandaſſe, ut Romanum adiret Pontificem, ipſumque excitaret ad ſe in Sanctorum album referendum; tum ſubditur, Blaſium mandatis paruiſſe, ſed Pontifice moras nectente, ipſi etiam Procopium apparuiſſe, & ſe Procopium eſſe dixiſſe: narratio tandem his concluditur verbis: *Procopii Sacerdotem Pontifex Blaſium per ſagaces & expeditos curſores reductum, cum avide, præſentibus tredecim purpuratis Patribus de Procopii geſtionibus audiſſet, Divina re facta, Sanctorum numero illum aſſeruit: miſſoque in Bohemiam Guidone S. Mariæ Tranſtiberim S. Callixti Presbytero Cardinali* (*Legato a latere vulgo dicto*) *Procopium ſanctum, beatum, felicemque credendum, vocandum, colendum pronunciat, eique tanti nominis, & tituli apud omnes ferendi auctor eſt, idque an. D. N.* 1204. IV. *Non. Jun.* Ita apud Surium *loc. cit. n.* 11. De hac Canonizatione mentio habetur etiam apud Ferrarium *in catal. SS. quorum nomina deſcripta non ſunt in Martyrol. R. ad d. 2. Junii*. Fatetur autem Archiepiſcopus Ancyranus Juſtus Fontaninus *in ſua præfatione ad cod. Canoniz.* ſe bullam perquiſiviſſe, & non inveniſſe.

9. Honorium III. plures Beatorum Canonizationes peregiſſe, certum eſt ex ejus Conſtitutionibus ſæpe citato codici inſertis; ipſumque inter BB. retuliſſe Robertum primo Moliſmenſem Abbatem, poſtea Ciſtercienſis Ordinis Fundatorem, ex ejus epiſtola 132. *lib. 6.* teſtatur Pagi junior *in vita Honorii num* 34. In vita Roberti apud Bollandianos *tom. 3. Aprilis pag. 668.* Apoſtolicum Breve exhibetur, in quo permittitur Moliſmenſibus, ut eum tamquam Sanctum, in ſua eccleſia venerentur; & Manriquez *in annalibus ad an.* 1222. ſuſtinet, ſub initium anni ſequentis fuiſſe Sanctorum canoni adſcriptum.

10. Animus non eſt, nec intentio proſequendi ceteras Canonizationes, & Beatificationes a ſubſequentibus Pontificibus factas, tum quia eorum Conſtitutiones extant in novo codice Canonizationum, tum quia Operis decurſu non deerit occaſio de illis loquendi. Adnotare tantummodo nonnulla libet de Canonizatione S. Birgittæ, quæ mortua eſt anno 1391. Petrus Amelius Sacriſta in ſuo Ordine Romano impreſſo apud Mabillonium *tom 2. muſei Italici num.* 153. peractæ a Bonifacio IX. Canonizationis cæremonias exponit, & bulla Canonizationis extat in novo codice Canonizationum. In Concilio tamen Conſtantienſi, inſtantibus Oratoribus Regnorum Scotiæ, Daniæ, & Norvegiæ, Joannes XXIII. eam iterum canonizavit, ob dubiam apud multos Bonifacii auctoritatem propter ſchiſma, quod tunc maxime vigebat. De hac Canonizatione loquitur etiam Trithemius, & tomo primo operum Gerſonii extat celebris tractatus *de probatione ſpirituum* tunc Conſtantiæ habitus, cum de nova Birgittæ Canonizatione ageretur. Denique, ne dubium omnino aliquod ſupereſſet de Canonizantis auctoritate, ſupplicatum fuit Martino V. pro nova Canonizatione. Recens autem Martini Conſtitutio edita eſt Florentiæ poſt Concilium Conſtantienſe anno 1419. & eſt impreſſa ante Revelationes S. Birgittæ; pluribuſque proſequuntur Pagi *tom. 4. brev. RR. Pontif. in vita Joannis XXIII. pag.* 387. & Spondanus *ad ann. Chriſti* 1415. *n.* 2. Notanda ſunt verba Conſtitutionis Martini V. confirmantis Canonizationem S. Birgittæ, quæ ſunt hujuſmodi: *Ad bonarum mentium, & conſcientiarum ſerenationem puriorem*. Depulſa temporum caligine, in clara luce hodie poſitum eſt, legitimum jus Pontificatus penes Urbanum VI. ejuſque ſucceſſores Bonifacium IX. Innocentium VII. &c. ſtetiſſe; ſed cum id tunc temporis adhuc eliquatum non eſſet, Martinus V. neceſſarium eſſe exiſtimavit ſua indubia auctoritate Canonizationem a Bonifacio IX. factam confirmare. In bulla Canonizationis S. Catharinæ Senenſis Pius Papa II. inquit, Divino conſilio factum fuiſſe, quod eadem ſchiſmatis tempore non fuiſſet in SS. album relata ab Urbano VI. Innoc. VII. aut Greg. XII. *ne ſæviente diviſionis procella, quod ſanctum una obedientia decreviſſet, profanum altera cenſuiſſet*. Quibus profecto verbis Pius non ſignificat caſſam futuram fuiſſe & irritam Canonizationem, ſi a quoquam illorum Pontificum prodiiſſet, ſed futuram fuiſſe obnoxiam obtrectationibus eorum, qui in obedientia, ut appellabatur, Pſeudopontificum Avenionenſium erant; præſertim cum S. Catharina Senenſis apertiſſime & conſtantiſſime pro Urbani VI. jure ſtetiſſet, quod Virginis Sanctiſſimæ, & miraculis ac familiari cum Deo communicatione clariſſime teſtimonium, pondus ingens Urbani cauſæ addiderat.

11. Ex ultimis Canonizationibus per Romanos Pontifices expletis, ſola deerat bulla Canonizationis S. Eliſabeth Reginæ Portugalliæ, quæ ſolemni ritu fuit inter Sanctas relata anno Jubilæi 1625. a ſanctæ memoriæ Urbano VIII. uti legitur in lectionibus proprii Officii, quod in ejus feſto celebratur in Eccleſia univerſali, & teſtatur Lucas Wadingus auctor contemporaneus, ac Romæ degens, *in ſuis annal. ad an.* 1336. *num.* 33. Ut ejus defectum, quantum in nobis eſt, ſuppleremus, in prima editione hujus Operis ad calcem præſentis tomi exhibuimus relationem de ejus ſanctitate & miraculis factam in Conſiſtorio ſecreto per Cardinalem a Monte ſacri Collegii Decanum. Eadem relatio adhuc extat inter appendices hujus noſtræ tertiæ editionis. Sed cum a nobis ad ſummum Pontificatum evectis, bulla quæ deerat Canonizationis S. Eliſabeth fuerit expedita, eam in appendices Operis hujus rejicimus una cum IV. bullis Canonizationum peraclarum a ſanctæ memoriæ Clemente XII. prædeceſſore noſtro, quæ non fuerunt inſertæ in codicem Canonizationum ſæpe memoratum; utpote ante dictas Canonizationes editum. Et hæc quoad interventum Pontificiæ auctoritatis in Beatificationibus & Canonizationibus dicta ſufficere poſſe videntur: ex quibus colligere fas eſt, nullatenus ſubſiſtere quod a nonnullis afferitur, initia videlicet Beatificationis eſſe referenda ad B. Gregorium Papam X. qui conceſſit, ut corpus B. Lucheſii poſſet *proceſſionaliter* deferri, ſicuti arguunt Matta *de Canonizat. SS. part. 1. cap. 2. n.* 17. & Schiara *in ſuo Romano Pontifice art. 26. §. 1. n. 7.* quidquid enim ſit de Beatificatione S. Romualdi, nulla ſupereſt dubitatio de Beatificatione Guillelmi Eremitæ a Malavalle in Tuſcia, facta Ab Alex. III. uti ſupra viſum eſt.

UAB Biblioteca de Ciències Socials

CAPUT DECIMUM.

De Pontificia auctoritate extra Concilium, & de jure Beatificandi, & Canonizandi ſummo tantum Romano Pontifici reſervato.

1. QUAMVIS in ſuperioribus nonnullas retulerimus Canonizationes Sanctorum a Romanis Pontificibus factas in plenariis Conciliis, eam videlicet S. Udalrici a Joanne XV. S. Gerardi a Leone IX. S. Godehardi, & S. Sturmii Abbatis ab Innocentio II. & nonnulla quoque Romanorum Pontificum reſponſa attulerimus, quibus dixerunt, vitam & miracula Canonizandorum eſſe in Concilio generali perpendenda, antequam eorum fiat relatio in album SS. uti colligitur ex reſponſis Urbani II. & Calliſti II. & ex bullis, ſeu Decretalibus Eugenii III. & Alexandri III. editis pro Canonizatione Henrici I. Imperatoris, & Regis Eduardi; certum nihilominus eſſe videtur, plures alias Canonizationes illis iiſdem temporibus, quibus nonnullæ in Conciliis generalibus factæ ſunt, extra Concilium peractas fuiſſe, & eoſdem Pontifices, qui Concilii generalis meminerunt pro faciendis Canonizationibus, Sanctorum Canonizationes extra Concilia feciſſe. Exempla ex ſupra relatis deſumi poſſunt. Ut enim cetera prætereamus, ad rem, de qua nunc agitur, ſatis eſt geſta S. Leonis revocare, qui, ſi S. Gerardum in SS. numerum retulit in Concilio Romano, extra Concilium ſanctificavit SS. Wolfgangum, & Erhardum; geſta Benedicti VIII. & Benedicti IX. qui extra Concilium SS. albo adſcripſerunt duos SS. Simeones; geſta Paſchalis II. qui ſimili modo proceſſit in Canonizatione SS. Petri Anagnini, & Angiltramni; geſta demum Eugenii III. & Alexandri III. quorum primus extra Concilium canonizavit S. Henricum Imperatorem, & alter extra Concilium nedum Sanctis adſcripſit Eduardum, ſed etiam Thomam Cantuarienſem, Bernardum Abbatem, & alios: ita ut de ſummi Pontificis poteſtate peragendi Canonizationes extra Concilium generale nulla videatur rationabilis adeſſe dubitatio; & eo magis, ſi ad antiquiſſima tempora ſupra indicata reſpiciamus, quibus Beatificationes factæ ab Epiſcopis ſive Martyrum, ſive Confeſſorum, vim obtinebant Canonizationis vel per expreſſam ſummi Pontificis approbationem, vel per univerſalem extra Concilium Eccleſiæ conſenſum, in quo tacita ſummi Pontificis approbatio continebatur.

2. Similia porro contigerunt in hæreſum condemnationibus, cum aliquot a Romanis Pontificibus in Conciliis, ſed pleræque aliæ extra Concilia fuerint ab ipſis condemnatæ, & Pontificiæ auctoritatis interventus acceſſerit in earum etiam hæreſum condemnatione, quæ in Synodis particularibus ab Epiſcopis factæ fuerunt. *Plurimi Pontifices* (verba ſunt egregii Doctoris Duvalli *t. 2. in 2. 2. de poteſt. Eccleſ. part. 2. quæſt. 2.*) *Plurimi Pontifices varios errores abſque ullo generali Concilio condemnarunt, quorum condemnatio a tota Eccleſia accepta fuit; ut patet ex primis trecentis annis, in quibus nulla unquam Concilia generalia propter ingruentes perſecutiones coacta leguntur, cum tamen multæ in Fide quæſtiones toto hoc tempore feliciter ſopitæ & determinatæ fuerint per Pontificum definitiones. Nec dicant adverſarii, hos errores pro hæreſibus habitos non fuiſſe, donec bis Pontificum definitionibus, Conciliorum generalium calculus accederet. Falſum enim eſt, omnibus, quotquot fuerunt, erroribus a Sede Apoſtolica damnatis, & qui jam pro hæreſibus in Eccleſia habentur, ſemper acceſſiſſe Concilii cujuſdam generalis condemnationem.* Argumentum eruditiſſime de more proſequitur Thomaſſinus *diſſert. 4. in Synodum Gangrenſem*, ubi, poſt collecta undique illuſtria exempla, *num. 36.* ita concludit: *Quibus hæc teſtium copia non ſatis eſt, neſcio quid ſatis ſit; conſtat enim abunde tot teſtimoniis, Eccleſiis, Epiſcopiſque omnibus ſive Synodice, ſive extra Synodos, ſola execratione novitatis hæreſes exorientes damnantibus, vel præiſſe, vel acceſſiſſe, vel ſucceſſiſſe Sedem Apoſtolicam, & ſummum auctoritatis pondus, & vim ineluctabilem, atque univerſalem adjeciſſe. Si quid aliæ Eccleſiæ, Synodive perficere non poterant, ipſa efficiebat; ſi quid effecerant, perficiebat; ſi quid privatim ſanxerant, id ipſa toto orbe Catholico authorabat. Nihil invidiæ, nihil contentionis ſtrepebat. Nunc, quod ceteræ ſequerentur, ipſa dictare occupabat, certa de membrorum ſuorum conſenſu & obſequio. Nunc reliquas in impietatis apud ſe exortæ damnationem præcurrentes ipſa lubens ſequebatur, confirmabat, &, ſin minus tempore, certe conſenſu, dignitate, auctoritate antecedebat. Ita ſive præfinirent aliæ Synodi quod, ut ajebat Proſper, regna ſequerentur, tum demum cum Roma probaſſet, ſive præciperet Romana Eccleſia Fidem omnibus amplectendam ſcribere, plerumque temporis, ſemper auctoritatis ordine caput membris anteibat. Cumque Fides commune ſit Eccleſiarum omnium decus, non poterat illa a privatis vel Eccleſiis, vel Conciliis ſanciri, niſi præſumpto, vel adhibito conſenſu, ſuffragioque principis Eccleſiæ, cujus unius jus erat confirmare, & promulgare quod omnes Eccleſiæ ſequerentur.*

3. Hæc quoad Pontificiam auctoritatem extra Concilium. Nunc autem, ut tranſitum faciamus ad jus ſoli Romano Pontifici reſervatum Beatificationis & Canonizationis honores indulgendi, reſumenda ſunt nonnulla, quæ tempore Alexandri III. acciderunt, quæque in ſuperioribus fuerunt indicata. Cum Arnulphus Epiſcopus Lexovienſis Alexandro III. ſummo Pontifici ſcripſiſſet, monaſterium quoddam Griſtanum ſcandalis undique eſſe repletum, & inter cetera, quemdam ejus Procuratorem loco Abbatis abſentis ſubſtitutum, ebrium a duobus aliis Monachis fuiſſe interemptum, *quia is, quem Procuratorem reliquerat, ebrius in refectorio ſuper cœnam duos de fratribus cultello percuſſit, atque ab eis incontinenti pertica, quam caſus obtulit, interfectus*, uti legitur in dicti Arnulphi epiſtola apud Cardinalem Baronium *ad ann. 1181. num. 7. & 9.* & taliter occiſum a loci habitatoribus cultum Martyris obtinuiſſe; edita fuit a prædicto Pontifice epiſtola illa, quæ fuit inſerta Decretalibus *ad tit. 45. de Reliq. & vener. Sanctorum: Audivimus, quod quidam inter vos diabolica fraude decepti hominem quemdam in potatione & ebrietate occiſum, quaſi Sanctum more infidelium venerantur, cum vix pro talibus in ebrietatibus peremptis orare permittat Eccleſia. Dicit enim Apoſtolus, quod ebrioſi homines regnum Dei non poſſidebunt. Hominem ergo illum de cetero colere non præſumatis, cum, etiamſi per eum miracula plurima fierent, non liceret vobis pro Sancto, abſque auctoritate Romanæ Eccleſiæ, eum publice venerari.*

4. De hac Alexandri III. Decretali loquendo, magna eſt inter ſcribentes diſputatio, an per illam inductum fuerit jus novum Sedi Apoſtolicæ reſervans, privative quoad Primates, & Epiſcopos, & cereros omnes, jus ſtatuendi, utrum huic, aut illi ſervo Dei cultus præſtari debeat, necne; ablata ceteris omnibus facultate, quam habebant, uti vidimus, in ſuis provinciis & diœceſibus indulgendi Dei ſervis Beatificationis honores: ſeu potius, an jus hoc privativum fuerit ante prædictam Decretalem introductum, perinde ac ſi eadem latam præſupponat aliam legem, aut antiquiorem introductam conſuetudinem, quæ Apoſtolicæ Sedis jus illud privativum reſervaverit.

5. Cenſent nonnulli, jus novum fuiſſe a dicta Decretali ſtatutum. Ita ſentit Ven. Dei ſervus Cardinalis Bellarminus *lib. 1. De SS. Beatitud. cap. 8. num. 2. Quod olim licuit, modo non licet; ſiquidem Alexander III. & poſtea Innoc. III. videntes abuſus, qui oriebantur circa Sanctorum cultum, prohibuerunt, ne deinceps aliquis pro Sancto coli inciperet ſine Romani Pontificis approbatione.* Van. Eſpen *juris Eccleſ. univ. part. 1. tit. 22. cap. 7. num. 14.* ait: *quin & circa idem tempus* (Alexandri videlicet Tertii) *Pontifices ſibi auctoritate canonizandi privative cœperunt reſervare; eaque reſervatio generaliter, & ab omnibus tandem Eccleſiis recepta fuit, potiſſimum auctoritate cujuſdam Decretalis Alexandri III.* Joannes Mabillonus, & Lucas D'Acheri *in ſæpe citata præf. ſæc. 5. Bened. §. 6. num. 105.* inquiunt: *Jam vero Alexander III. id, tanquam unam ex majoribus cauſis, ad Romanum Pontificem pertinere edixit*: & ſequuntur Pagi *in breviario Rom. Pontif. in vit. Alexandri III.* Gravina *in continuatione 2. part. Catholic. Iprælcript. tom. 4. pag. 209. §. Merito vero Alexander*, Sauſſajus *in apologetic. Theolog. de SS. cultu §. 9. verſ. Solemnis eſt, pag. 33. poſt Martyrolog. Gallic.* Alii contra in ea ſunt opinione, quod nullum jus novum fuerit introductum per Decretalem ſæpe citatam. Ita docent Gonzalez *in dicto cap. Audivimus ſub num. 6. de Reliq. & venerat. SS.* Victon. *in tract. de Canoniz. SS. cap. 12. prope finem*,

Au-

UAB Biblioteca de Ciències Socials

Auctor tractatus Canonizationis SS. ad Cardinalem Montis Regalis 2. *part. cap.* 1. ubi, ponderata Alexandrina Constitutione, subdit: *Existimo autem, hanc legem esse multo antiquiorem; non enim hoc loco id statuit Pontifex, sed quasi jam constitutum commemorata*, Bivarius *in comment. chronici Marci Maximi in S. Jonne, Eremita vindicato* §. 6. & fusius hoc ipsum prosequuntur Godefridus Henschenius & Daniel Papebrochius *in propylæo dissert.* 20. *num.* 6. quo in loco, pensatis verbis Alexandri subjungunt: *Hæc vero loquendi forma decretum non facit, sed factum & vulgo notum supponit.*

6. Verum, quidquid sit de hac controversia, quemadmodum certum esse videtur, uti supra dictum est, nunquam Episcopos potuisse veras peragere Canonizationes: præcipere etenim, ut aliquis tamquam Sanctus publico cultu colatur in universa Ecclesia, nec potest, nec potuit unquam ad eum pertinere, qui limitatam obtinet jurisdictionem in una diœcesi, aut provincia, sed ad eum tantummodo, qui jus obtinet in universa Ecclesia: ita perspicuum apparet, Primates, Archiepiscopos, aut Episcopos olim potuisse cultum publicum indulgere erga Martyres, aut Confessores in sua provincia, aut diœcesi, quod est, idem ac dicere, Beatificationis honores concedere, aut advocata summi Pontificis auctoritate, aut etiam jure suo, absque eo quod ab illa dependerent, sicut ex supradictis facile colligi potest.

7. Perstitit hæc Episcopalis jurisdictio beatificandi Jure proprio, & sine subjectione summi Pontificis auctoritati, usque ad tempora Alexandri III. summi Pontificis: eo quippe sæculo, quo ipse vixit, plures Beatorum corporum elevationes sola Episcopali auctoritate factæ leguntur. Ex Sigeberto refert Molanus *in natalibus SS. Belgii ad diem* 23. *Maji*, plura a Deo patrata fuisse miracula intercessione S. Guiberti Fundatoris monasterii Gemblacensis, legationemque ad Othbertum Leodiensem Episcopum fuisse susceptam, ut ei publicum cultum indulgeret; examen autem instantiæ fuisse ab eo remissum ad Fridericum suum Archiepiscopum Colonien sem, qui convocata suorum Ecclesiasticorum Synodo, petitioni libens annuit; quocirca Episcopus anno 1110. elevationem fecit beati corporis coram Abbatibus, Archidiaconis, & magna multitudine Christifidelium utriusque sexus. Continuatores Bollandiani *ad diem 6. Julii* ex Jacobo Mejero in annalibus Flandricis, & ex aliis Actis authenticis testantur, levatum fuisse anno 1121. corpus B. Arnulphi Episcopi Suessionensis, auctoritate Lamberti Episcopi Tornacensis. Putat Balutius, anno Domini 1122. auctoritate Episcopali canonizatum fuisse Odonem, sive Othonem Urgellæ in Hispania Tarraconensi Episcopum; sed, cum id desumat ex diplomate e scriniis Ecclesiæ Urgellensis prolato, & edito *in Marca Hispanica in appendice num.* 384. *pag.* 1276. ubi de Petro sic legitur: *Episcopus, & universus Canonicorum cœtus, magnam atque præclaram beatæ memoriæ Pontificis Odonis celebrantes venerandam solemnitatem, natalis ejus diem annuatim canonizari, & canonice ab omnibus institui, atque laudabiliter confirmari, uno ore omnes collaudant, quatenus semper deinceps inter ceteras præcipuas anni festivitates hæc procul dubio digne & laudabiliter, uti Domini ac Patroni nostri Sancti Pontificis Ermengaudii, Divinis veneranda Mysteriis observetur;* nemo est, qui non videat, prædictum nec esse Canonizationis decretum, uti putavit Balutius, nec esse decretum Beatificationis eo anno peractæ, sed esse decretum de festo in honorem Odonis ritu solito elevationis inter Beatos pridem relati deinceps concelebrando. Felicius Pagi junior *in vit. Alexandri III. n.* 119. testatur, Episcopos prædicto jure suo usos fuisse prope tempora electionis Alexandri III. hoc est annis sex ante ejus ad Pontificatum assumptionem: ex Mabillonio siquidem habetur, *tom. 6. annal. pag.* 535. *num.* 28. Hugonem Archiepiscopum Rotomagensem anno 1153. de elevatione S. Galterii seu Walterii Abbatis Pontisarensis litteras dedisse, in quibus commemorat, *invitantibus, immo cogentibus miraculis*, Theobaldo Parisiensi, aliisque præsentibus, S. Galterii Reliquias a se levatas & translatas fuisse, concessis insuper indulgentiis in eorum gratiam, qui ipsius S. Galterii beneficia implorarent. Demum eo ipso anno, quo Alexander III. ad summum Pontificatum electus est, affirmant continuatores Bollandiani *tom.* 1. *Julii*, auctoritate Gerardi Tornacensis Episcopi factam fuisse corporis elevationem & translationem S. Guthagonis.

8. A primis itaque Ecclesiæ sæculis supra vidimus factas fuisse, tacita, vel expressa intercedente Pontificia auctoritate, SS. Canonizationes, & venerabilium virorum Beatificationes, salva tamen & integra Episcorum auctoritate beatificandi, nullo etiam Pontificiæ auctoritatis invocato præsidio: & quod attinet ad Canonizationes, earum ritum esse antiquiorem Joanne XV. licet primum peractæ Canonizationis diploma sit illud S. Udalrici inter Sanctos ab eodem Pontifice relati, & licet monumenta adsint, quæ comprobant, eo pontificatum tempore promotas fuisse apud Sedem Apostolicam instantias pro impetrandis Canonizationibus, quemadmodum colligitur *ex tom.* 2. *Monastici Anglicani pag.* 125. ubi habentur hæc verba: *Studebant plures religiosa devotione patriæ suæ Sanctos exaltare, pia sollicitudine vitas illorum investigare, summique Pontificis auctoritate ipsos canonizare.* Edita porro ab Alexandro III. supra relata Decretali, subsequentia Ecclesiastica monumenta aperte loquuntur non solum de potestate canonizandi, sed etiam beatificandi summo Romano Pontifici privative quoad alios omnes reservata. Innocentius III. *in cit. cod. Canoniz. in bulla Canonizationis B. Cbunegundis Imperatricis* de potestate canonizandi sic effatur *pag.* 38. *Cum hoc sublime judicium ad eum tantum pertineat, qui est B. Petri successor, & Vicarius Jesu Christi.* Archiepiscopus Viennensis in Gallia, & ejus Suffraganei Gregorio IX. summo Pontifici supplices preces exhibuerunt pro obtinenda Canonizatione S. Stephani Diensis Episcopi, his conceptis verbis: *Quia nemo, quantacunque meritorum prærogativa polleat, ab Ecclesia Dei pro Sancto habendus, aut venerandus est, nisi prius per Sedem Apostolicam ejus sanctitas fuerit approbata.* De Thoma Comite Lancastriæ, qui, cum graves egisset simultates cum Eduardo II. Anglorum Rege, in bello captus anno 1322. securi percussus est, fama increbuit, eum pie & Martyrem occubuisse: cumque populus Londinensis ejus imaginem colere cœpisset, quod ad puram Beatificationem ad summum referri poterat, Eduardus II. Stephanum Episcopum Londinensem admonuit, ut cohibeat *fatue accedentes ad quamdam tabulam S. Pauli Londoniæ existentem*, in qua *effigies Thomæ quondam Comitis Lancastriæ*, quam *absque auctoritate Ecclesiæ Romanæ tamquam rem sanctificatam colunt & adorant, asserentes ibi fieri miracula in opprobrium totius Ecclesiæ;* rursumque admonet, *ut dictum populum, ne ad tabulam prædictam accedere, orationes, oblationes, seu alia ad cultum Divinum tendentia, absque auctoritate Ecclesiæ Romanæ, ibidem facere præsumant, cohibeat modis omnibus; prout ex officii sui debito* ad se *juxta Canonicas sanctiones* noverit *pertinere*; uti legitur in collectione *Actor. public. Thomæ Rymer. tom.* 3. *pag.* 1033. ubi pariter *tom.* 4. *pag.* 268. 421. & 478. referuntur epistolæ Eduardi III. ad Joannem XXII. pro dicti Thomæ Canonizatione impetranda. Sed, an id quoad potestatem beatificandi fierit ab omnibus Episcopis executioni mandatum, fatemur, nos maximopere dubitare; fortasse quia Alexander III. *in sua Decretali* generaliter locutus non est statuendo, nulli posse publicum cultum deferri sine Sedis Apostolicæ auctoritate, sed sermonem ad eum defunctum in ebrietate occisum restrinxit inquiens: *Etiamsi per eum miracula fierent, non liceret ipsum &c.* Quapropter fieri potuit, ut Episcopi aliqui non putarint, doctrinam illam ab isto particulari casu ad alios casus longe diversos debere transferri, quodque de uno nequam homine in ipsa ebrietate interfecto Pontifex dixerat, intelligi voluisse dictum de quolibet viro, cujus haud dubia esset, sed certo explorata sanctitas eximia vitæ, hac frequentia essent ante & post obitum prodigia, eaque non vulgi modo, sed sapientium etiam omnium judicio comprobata. Scimus, tum Theologos, tum juris Canonici Interpretes in ea fuisse sententia, quod epistola Alexandri III. universaliter prohiberet, cultum publicum exhiberi erga quemcumque Dei servum, etiam sub prætextu miraculorum, absque Sedis Apostolicæ auctoritate; & nos huic adhæremus sententiæ. Sed asseri non potest, nullum repertum fuisse, qui post Alexandri III. Decretalem in ea fuerit sententia, quod Episcopi, etiam post eam, antiquam retinuerint auctoritatem Beatificationis honores indulgendi erga Dei servum in sua diœcesi. Thomas Waldensis, qui sub Martino V. scripsit non sine præclara ejusdem Pontificis laude atque approbatione, quæ ejus libris præfixa legi potest, *in t.* 3. *Sacramental. c.* 122. ubi Wiclefi de Canonizatione errores docte confutat, hæc habet *pag.* 227. *Sed forte supponit* (Wiclef) *ac supputat unum cum magistro suo Guillelmo dicente, quod Canonizatio Sanctorum seu veneratio pertinere debet Concilio generali Christifidelium tantum; quia sic, inquit, Gregorius IV. ex assensu Ludovici Imperatoris, & omnium Sanctorum Episcoporum instituit, ut festum omnium*

nium Sanctorum celebraretur : quod Guillelmi commentum pluribus refellere Waldenſis pergit. Deinde hæc magis ad rem noſtram ſubjicit : *Quid impediet Epiſcopum, ne canonice inquirat de vita diutina talis Sancti, ut pleniorem trahat notitiam? Et ſi eam invenerit Sanctorum cultu dignam, auctoritate Epiſcopali confidenter exprimere Sanctum Dei plebibus venerandum? Et ſi omnis Epiſcopus hoc habet juris, quid maxime facere poterit Epiſcoporum Epiſcopus?* Confundit hic Waldenſis Canonizationem cum Beatificatione, ſed expreſſis verbis poteſtatem admittit Epiſcoporum Beatificationis, ſeu particularis Canonizationis indulgendæ in ſua diœceſi. Accedunt ſolemnia poſteriorum temporum facta, quorum nonnulla hic recenſemus. In chronico Epiſcoporum Mindenſium *ad annum ſeptuageſimum tertium ſæculi* XIV. ita legitur : *Eodem anno S. Felicianus Epiſcopus miraculis coruſcare cœpit : & ideo Epiſcopus Wedekindus feſtum ejus per totam diœceſim Mindenſem celebrari inſtituit.* Eodem ſæculo, anno videlicet 1489. Franciſcus Piccolomineus tunc Epiſcopus Senenſis, & deinde ſummus Pontifex aſſumpto nomine Pii III. B. Aldobrandeſcæ viduæ corpus ſolemniter elevavit, ut ex monumentis tabularii Senenſis refert Lombardellus apud continuatores Bollandianos *tom. 3. Aprilis ad diem 26. pag. 471. num. 37.* Quid plura? Anno 1265. e vivis exceſſit B. Bonifacius Lauſanenſis Epiſcopus. Anno 1600. ejus Reliquiæ ex humo levatæ ſunt, & ſuper aram collocatæ. Fuit id reprobatum ab Archiepiſcopo Mechlinienſi, qui proceſſum de ejus Sanctitate & cultu inſtrui juſſit, & inſtructum voluit a Theologis examinari, inter quos Guillelmus Eſtius. Completoque examine anno 1603. decretum edidit, in quo, facta mentione antiqui cultus, ſic pronunciavit : *Qua de cauſa nos his litteris aſſentimur, ut prædictum corpus in poſterum elevatum maneat, & tanquam Venerabilis & Beati viri honoretur, ornetur, & devote viſitetur ab omnibus Chriſtifidelibus, & devotis perſonis. Non tamen honorem admittimus ei fieri, qui Canonizato proprius eſt :* uti habetur apud continuatores Bollandianos *tom. 3. Februarii pag.* 152. Papebrochius *tom. 3. Aprilis pag.* 993. habita ratione alterius Decretalis Innocentii III. *tit. de Reliquiis & veneratione Sanctorum*, ſub quo eodem titulo extat & ea Alexandri III. affirmat hoc decretum non uſque adeo rigide ſervatum eſſe : *donec illud renovaret Innocentius III. poſt annos* 40. Et neque tunc putaviſſe Epiſcopos, *ſublatam ſibi facultatem circa inferioris ordinis cultum, quem Beatorum dicimus, permittendum, modo ab Officio & Miſſa abſtineretur. Et hoc uſque ad Concilium Tridentinum valuit. Cujus decretis inſiſtens Urbanus VIII. vetuit abſque ſpeciali Sedis Apoſtolicæ licentia deinceps aliquid novi induci, & abrogari præcepit quidquid citra eam fuerat recentius introductum.* Alibi a nobis demonſtrabitur etiam poſt Innocentium III. factam fuiſſe auctoritate ordinaria ab Epiſcopis conceſſionem Officii & Miſſæ in honorem eorum, quibus in ſua diœceſi indulgebant Beatificationis honores. In alio quoque loco verus Concilii Tridentini ſenſus explicabitur. Et ut finis tandem imponatur præſenti quæſtioni, dicimus, ab Alexandro III. fuiſſe Epiſcopis ſublatam beatificandi auctoritatem : id forte non fuiſſe ab omnibus Epiſcopis executioni mandatum ; ſed omnem & quamcumque controverſiam fuiſſe ſublatam per bullam Urbani VIII. editam ann. 1634. de qua ſuo loco ſermo inſtituetur, cum in ea clare ſtatuti fuerint fines auctoritati Epiſcopali, & omnia ad cultum publicum Beatorum pertinentia, & ipſa ſervorum Dei Beatificatio fuerit clariſſime Sedi Apoſtolicæ reſervata.

CAPUT UNDECIMUM.

De eodem privativo Jure juxta ſcribentium aſſertiones.

1. AD comprobationem privativi juris Romanorum Pontificum in Beatificatione, & Canonizatione Sanctorum, operæ pretium eſſe videtur aſſertiones afferre eorum, qui de materia ſcripſerunt.

2. Prima autem eſt, quod hodie ita pertinet ad ſummum Pontificem Dei ſervos, in Beatorum, & Sanctorum numerum referre, ut id interdictum ſit Patriarchis, Primatibus, Metropolitanis, Archiepiſcopis, & Epiſcopis. Contelor. *de Canoniz. SS. cap. 4. per totum, & præſertim n. 14.* Matta *de Canoniz. SS. par. 4. cap. 4. num. 3. & 4.* Caſtellan. *de Canoniz. SS. quæſt. 3. principali §. Ampliatur præmiſſa*, Malvet. *de Canoniz. SS. dub. 2. n. 1. & ſeqq. & ſignanter ſub n. 12. inter tractatus magnos tom. 14.* Gambar. *de auctoritate Legati lib. 2. verſ. Illud noſſe num. 233. & num. 234. inter tractatus magnos tom. 13. part. 2.* Mauchler *de monarchia Eccleſiæ 2. par. l. 4. cap. 7. ſub num. 1. §. At Chriſtiana*, Barboſa *in cap. 1. num. 6. de Reliq. & venerat. SS.* Lezana *conſul. 1. num. 2.* Dartis *de benefic. ſect. 1. cap. 3. pag. 12. litt. C.* Van Eſpen *jur. Eccleſiaſt. par. 1. tit. 22. cap. 7. num. 15.* Clemens VI. operam ſtrenuam navavit Armenis ad Catholicam Fidem reducendis. Sed cum Armenus Patriarcha variis verborum ambagibus & involucris eluderet ejurationem errorum, ſinceramque & apertam Fidei profeſſionem, litteras ad illum Clemens Papa dedit Pontificiæ gravitatis & prudentiæ plenas, quibus verſutum hominem commonet, ut clare, diſerte, dilucide, pure, ac ſimpliciter errores deteſtetur, & Fidem Catholicam ſucum omnem exoſam profiteatur. Litteras Clementis integras Raynaldus profert *in annalibus ad ann. 1351.* Quod noſtra intereſt, nos ex numero 16. hanc particulam damus : *Adhuc*, inquit, *cum Canonizationes Sanctorum, & promotiones illegitimorum ad ſacros Ordines, ſint caſus, qui inter alios tantummodo Romano Pontifici reſervantur, & ad nullum alium Prælatum Eccleſiæ pertinentes, niſi ipſe Romanus Pontifex ſpecialiter aliquibus duxerit committendos; miramur, quod te dicis prædictos duos caſus auctoritate propria velle penes te retinere, quod nullum ſignum eſt obedientiæ & reverentiæ, quas ad Romanum Pontificem in præmiſſis capitulis te prætendis habere. Quapropter ad hoc coginur te requirere, ut nobis in ſcriptis reſpondeas, ſi vis Traditiones orthodoxorum Patrum, ac Decretales, ſeu Conſtitutiones Sanctæ & Apoſtolicæ ac Romanæ Sedis reverenter ſuſcipere, docere, atque ſervare?*

3. Secunda propoſitio eſt, quod Dei ſervos in Beatorum, aut Sanctorum catalogum referre non pertinet ad ſacrum Collegium Cardinalium, licet Sedes Apoſtolica vacet ; quemadmodum late docent Contelor. *de Canoniz. SS. cap. 6. num. 1. & ſeq.* Matta *de Canonizatione Sanctorum part. 4. cap. 4. ſub n. 4. §. Cardinalium Collegium*, Caſtellan. *de Canoniz. SS. quæſt. 3. principali §. Quæro quid de Collegio*, Ceparius *in ſuo directorio MS. Canoniz. SS. part. 1. cap. 2. num. 16.* Schiara *in ſuo Romano Pontifice propugn. art. 26. §. 3. num. 35.* & probatur ex textu *in cap. Ubi periculum, De election. in 6. & in Clementina Ne Romani eod. tit.*

4. Tertia propoſitio eſt, quod Legatus de latere ſuæ legationis auctoritate devenire non poteſt ad actum Beatificationis, aut Canonizationis ; quemadmodum deſumitur ex textu *in cap. Quod translationem, de offic. Legat.* & late proſequuntur Barboſ. *in cap. 1. n. 7. de Reliq. & venerat. SS.* Lezana *conſult. 1. num. 3.* Caſtellan. *de Canonizat. SS. quæſt. 3. principali §. Quæro quid de Legato*, Contelor. *de Canoniz. SS. cap. 6. numer. 5.* Matta *de Canoniz. SS. part. 4. cap. 4. ſub num. 4.*

5. Quarta propoſitio eſt, quod nec Beatificatio, nec Canonizatio fieri poſſunt a Concilio generali, aut provinciali abſque interventu auctoritatis Pontificiæ : uti, prætermiſſis auctoritatibus, quæ docent, ſtatuta Conciliorum generalium tum quoad Fidem, tum quoad mores & diſciplinam robore carere & efficacia, ſi non ſint ſummi Pontificis auctoritate confirmata, in terminis Canonizationis late proſequuntur Pavin. *in relat. S. Bonaventuræ art. 1. verſ. Ex his infertur* (*inter opera S. Doctoris tom. 2.*) Barboſ. *in cap. 1. num. 8. de Reliq. & venerat. SS.* Anacletus *ad lib. 3. tit. 45. de Reliq. & venerat. SS. §. 1. quæſt. 2.* Lezana *conſult. 1. num. 7. & ſeq.* Caſtellan. *de Canoniz. SS. quæſt. 3. principali §. Quæro quid de Concilio*, Ceparius *in ſuo director. Canoniz. SS. part. 1. cap. 2. num. 17. & 18.* Contelor. *de Canoniz. SS. cap. 7. per totum*, Matta *de Canoniz. SS. part. 4. cap. 4. ſub numer. 4. §. Quod attinet*, Schiara *in ſuo Rom. Pontif. propugn. art. 26. §. 3. numer. 34.*

6. Ultima propoſitio eſt, quod beatificare, & canonizare non pertinet ad Concilium generale, etiamſi Sedes

des Apostolica vacet; cum in dictis circumstantiis Concilium tantummodo exequi valeat ea, quæ pro regimine universalis Ecclesiæ sunt executioni demandanda. Dominicus a Sanctissima Trinitate *in tract. de summ. Pontifice cap. 18. in biblioth. max. Pontif. tom. 10. pag. 492. Nihilominus probabilius existimo, Concilium generale tunc nec posse, nec debere canonizare, sed prius ad electionem, vel declarationem veri Pontificis procedi debere per eos, ad quos respective de jure pertinet*; & sequuntur Castellan. *de Canoniz. SS. quæst. 3. principali vers. Vacante etiam Sede*, Matta *de Canoniz. SS. part. 4. cap. 4. subnum. 4. §. Quod habet locum*, Schiara *in suo Roman. Pontif. propugn. art. 26. §. 3. num. 35.*

7. Quoad rationes hujus privativi juris, celebris est doctrina Glossæ *in cap. Gloriosus de Reliq. & venerat. SS. in 6.* in qua sic legitur: *Solus Papa habet non solum certos de Sanctis præ aliis extollere, sed etiam eos canonizare multiplici ratione: primo, quia ista est una de majoribus causis, quæ inter Christianos proponi possit, & sic est ad Sedem Apostolicam referenda. (De Baptismo. Majores): secundo quia miracula attribuuntur Fidei: hæc igitur quæstio, cum sit de Fide, præcipue est ad Sedem Apostolicam referenda (24. quæst. 1. Quoties.): tertio, quia ad Papam spectat declarare dubia Scripturarum (Qui fil. sint legit. Per venerabilem): Multo fortius dubia Sanctitatis, quia circa majora majus periculum vertitur: ideo &c. (supra de elect. Ubi periculum eod. lib. supra): quarto, ne propter multorum Episcoporum simplicitatem populum decipi contingat (supra eod. tit. cap. 1. & 2.): quinto, ne in infinitum contingat Sanctos multiplicari, & sic devotionem refrigescere, & Sanctitatem vilescere (80. dist. Episcopi.)*

8. Et hasce rationes primum quidem communiter juris Canonici Professores, atque Theologi sequuti sunt. Turrecremata *in can. Pronuntiandum, quæst. 5. num. 22. de consecr. dist. 3.* Ostiensis *in cap. Audivimus, num. 10.* Joannes Andreas *num. 5.* Innocentius *num. 2.* Zabar. *num. 6.* Antonius a Butrio *num. 7.* Ancaran. *num. 5. vers. Quæro*, Fagnan. *num. 22. & num. 27.* Gonzal. *num. 9. vers. Accedit*, Grananet. *n. 2. de Rel. & ven. SS.* Contelor. *de Canon. SS. cap. 4. num. 5. 7. & 11.* Bordon. *contr. 13. de Canon. SS. num. 8. & num. 11.* Azor. *instit. moral. part. 2. lib. 5. cap. 6. quæst. 6.* Pirhing. *ad lib. 3. Decretal. tit. de Reliq. & ven. SS. §. 1. notabil. 2.* Dominicus a Sanctissima Trinitate *de sum. Pont. Rom. c. 18. in biblioth. max. Pont. tom. 10. pag. 492.* Gavina *de Catholicis præscription. part. 2. num. 4. pag. 316.*

9. Deinde etiam eruditiores & in Ecclesiasticis historiis peritiores adhæserunt. Venerab. Dei servus Cardinalis Bellarminus *de SS. beatitud. lib. 1. cap. 8. num. 3. Communis sententia est, pertinere ad summum Pontificem; nam id habetur cap. Audivimus & Cum ex eo De Reliq. & venerat. SS. . . . . & patet etiam ratione; nam ad eum spectat proponere toti Ecclesiæ quid sit credendum, & quid agendum in iis, quæ sunt Religionis, qui toti Ecclesiæ præest.* Hanc eamdem rationem amplectuntur continuatores Bollandiani *in propyleo diss. 20. num. 5. Ad quam denique solam* (nempe Sedem Romanam) *hujusmodi declarationes, vel assensum pertinere, jure optimo sancitum est; eo quod jubere, ut quis a tota Ecclesia pro Sancto habeatur, ad eum tantummodo spectat, qui jus habet proponendi toti Ecclesiæ quid credendum, agendumque sit in iis, quæ sunt Religionis, uti proculdubio est Sanctorum Canonizatio.* Sermonem habendo de errorum periculo, quod aderat in Beatificationibus, quæ fiebant ab Episcopis, Saussajus *in apologet. de SS. cultu §. 9. post Martyrol. Gallic. p. 33. Solemnis est quidem illa Alexandri III. quam Innocentius III. firmavit, Constitutio, qua inhibitum est, ne deinceps aliquis pro Sancto coli incipiat sine Pontificis summi approbatione . . . . . At non, ut sibi hoc jus singulariter vindicarent, hanc restrictionem decrevere supremi illi Catholicæ Ecclesiæ Moderatores. Sed id extorsit & rei gravitas, & periculi magnitudo, & ipsa Metropolitanorum, Primatumque ofcitantia, qua & pridem plurima Sanctorum non nomina solum, sed & Acta neglecta in Gallia nostra acciderunt.* Lupus *in notis ad Concil. gener. & provinc. tom. 3. pag. 567. Ad hos errores, & errorum pericula evitanda, Alexander III. emisit salubre edictum, laudatum ab incogniti scriptoris historica compilatione: hic Papa constituit, ut nullus novus Sanctus in veneratione haberetur, nisi ex auctoritate Apostolica, & nisi sit Canonizatus a Papa, tamen ante quilibet Episcopus suum Sanctum solemniter canonizavit. Non soli populo, sed etiam quibuscumque Episcopis canonizandi potestatem deinceps interdixit. Decretum extat in Romano Bullario. Nec sine fundamento. Etenim litteræ, quibus Secundus Tigisitanus Episcopus, ac Numidiæ Primas factas in provincia sua persecutiones, & variorum Martyria Mensurio Carthaginensi Episcopo, ac totius Africanæ Diœceseos Primati retulit, & gloriosa in ipsis morte perfunctos, uti Martyres honorari, seu canonizari commendavit, lectæ fuerunt in Carthaginensi Collatione, ipsarumque compendia retinemus apud Sanctum Augustinum in dictæ Collationis breviculo. Ex ipsis lucet, non quosvis in Africa Episcopos, licet provinciarum Primates, potuisse canonizare, sed eminentem hanc facultatem Primatiali Carthaginensium Sedi fuisse reservatam. Quapropter longe potiori jure ipsam sibi reservare potuit Sedes Romana.* Et has eadem modo adductas rationes late exornant Auctor tractatus de Canonizatione SS. ad Cardinalem Mortis Regalis *part. 2. cap. 2.* Franciscus Victon. *in suo tractatu Gallice composito de Canonizat. cap. 12. per tot.* Rabaudy *in suis exercit. Theolog. tom. 2. exercit. 3. cap. 1. §. Ceterum abusus pag. 139. & §. Ad tertium respondeo p. 147.*

10. Ex caulis hucusque recensitis nonnullæ sunt, de quibus in superioribus sermo habitus est, nonnullæ de quibus alibi habebitur. Porro in superioribus satis innuimus, ad eum solum pertinere definitionem, quod aliquis inter Sanctos ubique colatur, qui jus obtinet in universa Ecclesia. Deceptiones quoque aliquando irrepsisse, in superioribus indicavimus, cum privato Episcoporum judicio cultus in honorem alicujus in unaquaque diœcesi, aut provincia decernebatur, quod ipsum latius infra demonstrabitur; ubi etiam examinabitur, an quæstio miraculorum, quod est idem, ac dicere, an Canonizatio hujus, vel illius Sancti, sit quæstio Fidei. Interea vero fas sit adnotare pretium rationis a Doctoribus ponderatæ de judicio majorum causarum ad Sedem Apostolicam deferendo. Innocentius I. ad Victricium Rotomagensem *epist. 2. apud Petrum Constant tom. 1. col. 749.* ita scribit: *Si majores causæ in medium fuerint devolutæ, ad Sedem Apostolicam, sicut Synodus statuit,* (Nicæna videlicet can. 18.) *& bona consuetudo exigit, post judicium Episcopale referantur.* Subscribunt ceteri Patres, ut ex eorum testimoniis colligitur, Sanctus videlicet Leo *tom. 1. epist. 4. cap. 5.* ubi hæc habet: *Si qua vero causa major evenerit, quæ a tua Fraternitate illic præsidente non potuerit definiri, relatio tua missa nos consulat, ut, revelante Domino, cujus misericordiæ profitemur esse, quod possumus, quod ipse nobis aspiraverit, referibamus, ut cognitioni nostræ pro traditione veteris instituti, & debita Apostolicæ Sedis reverentia nostro examine vindicemus: ut enim auctoritatem nostram vice nostra exercere te volumus, ita nobis, quæ illic componi non potuerint, vel qui vocem appellationis emiserit, referamus,* S. Hilarius *Conc. tom. 4. collect. Labbei col. 1043. epist. 8. cap. 1.* sic loquens: *In dirimendis sane gravioribus causis, & quæ illic non potuerit terminari, Apostolicæ Sedis sententia consulatur;* Vigilius quoque ad Auxanium Arelatensem sic *ep. 7. t. 5. Conc. collect. Labbei col. 320.* scribens: *Si quæ vero certamina aut de Religione Fidei, quod Deus auferat, aut de quolibet negotio, quod ibi pro sua magnitudine terminari non possit, evenerint; totius veritatis indagine diligenti ratione discussa, relationis ad nos seriem destinantes, Apostolicæ Sedi terminanda servate;* Sanctus demum Gregorius *ep. 54. ad universos Regni Childeberti Episcopos lib. 5. tom 2. oper.* in qua sic effatur: *Si quam vero contentionem, quod longe faciat Divina potentia, de Fidei causa evenire contigerit, aut negotium emerserit, cujus vehemens sit fortasse dubietas, & pro sui magnitudine judicio Sedis Apostolicæ indigeat; examinata diligentius veritate, relatione sua ad nostram studeat perducere notionem, quatenus a nobis valeat congrua sine dubio sententia terminari.* Cumque causæ majores censeantur vel a rerum gravitate, veluti si de Fide, aut capite quodam disciplinæ ad cunctas, seu plures Ecclesias pertinente agatur, vel dignitate personarum, veluti depositionis Episcoporum; nemo est qui non videat, Sanctorum Canonizationes, utpote universam Ecclesiam respicientes, inter causas majores esse recensendas, adeoque solius Romani Pontificis judicio reservatas: unde Socrates *lib. 2. cap. 8.* & Sozomenus *lib. 3. cap. 10.* scripserunt, nihil esse Papæ auctoritate definiri, aut præscribi posse, quod ad universalem Ecclesiam pertineat. Quod si juxta Lelium Jordanem *in tractatu de majoribus causis*, causa aliquando dicitur major ob multiplices & graves difficultates, quæ in ea discutienda occurrunt; difficultates occurrentes in examine causarum Canonizationis, de quibus in universo hoc Opere habebitur sermo, facile suadebunt eas in classem causarum majorum

esse

esse adscribendas. Porro, si causa criminalis contra Episcopum, quæ depositione, aut privatione digna sit, causa est major, a solo summo Pontifice definienda juxta Ecclesiæ disciplinam a sacro Concilio Tridentino innovatam *sess. 24. cap. 5. de reformatione*, ecquis erit, qui Canonizationis causam, per quam Dei servus inter Sanctos adscribitur, inter causas majores a solo Pontifice definiendas dubitet recensere?

11. Hæc quoad rationes a Doctoribus allegatas. Propius autem ad Institutum redeundo, adversus ea, quæ in superioribus *dicta* sunt de Concilii generalis auctoritate, nonnulla opponi posse videntur, quæ in Concilio Constantiensi contigerunt. Fertur etenim ab eo relatum fuisse in Sanctorum, vel Beatorum numerum Rochum; in eo actum fuisse de Beatificatione Petri de Lucemburgo Episcopi Methensis, & in Cardinalium album relati a Roberto Antipapa, qui Clementis VII. nomen assumpserat; & demum ab eodem Concilio expeditas fuisse litteras Remissoriales pro formanda inquisitione super vita & miraculis Nicolai Lincopensis, Brimulphi Scarensis Episcoporum, & Ingridis Monialis Ordinis Prædicatorum. Sed quod attinet ad cultum S. Rocho delatum, alia alibi afferentur: nunc ne quid dicamus, quod anno 1414. quo publicus cultus ei delatus est, Episcopi qui Constantiæ erant congregati, immerito sibi nomen & auctoritatem universalis Concilii arrogabant, tunc quippe adhuc in tres partes Ecclesia scissa erat; quemadmodum ad rem animadverterunt continuatores Bollandiani *in prolegom. dissert. 20. num. 21.* vis potissima stat in hoc, quod, licet ad propulsandam ingruentem luem, solemni pompa imago S. Rochi fuerit, omni comitante populo, per urbem Constantiensem delata, ex hac re utique inferri valet, tunc ei fuisse exhibitum publicum cultum; minime vero tunc eum fuisse in Sanctorum, aut Beatorum album relatum. Obierat etenim anno 1327. magna virtutum & miraculorum fama, quam publicus cultus, Episcopis approbantibus, fuerat comitatus, ut alibi videbitur: in quo rerum themate unusquisque facile perspicit, minus proprie dici, Rochum fuisse canonizatum, aut beatificatum in Concilio Constantiensi,

12. Quoad Petrum vero de Lucemburgo, Clemens ille VII. Antipapa, qui eum Cardinalem creavit anno 1389. & sic vix elapsis ab ejus obitu duobus annis, causam Beatificationis ipsius commisit tribus ex sua obedientia Cardinalibus; cumque multis post annis, hoc est anno 1418. Andreas de Borvil Monachus Cælestinus processum super virtutibus & miraculis Constantiam detulisset, atque tum sui Monasterii nomine, tum Consulum civitatis Avenionensis Martino V. jam electo Pontifici supplicasset, ut Petrum in Beatorum album referret; Pontifex causam tribus Cardinalibus discutiendam remisit: attamen suum ea non habuit complementum, nisi tempore Clementis VII. legitimi Pontificis, qui die 9. Aprilis 1527. litteras Apostolicas expedivit, in quibus, post enarratas virtutes, post exposita miracula, precesque sibi porrectas a Francisco Episcopo Cardinali de Claromonte Legato Apostolico, & pium denique Fidelium ad ejus tumulum concursum, ipsum censuit inter Beatos referendum. Apostolicæ litteræ integre editæ legi possunt apud Joannem Launojum *in epist. 11.* ad Ludovicum Maræsium *tom. 5. oper. part. 1. pag. 128.* & in Actis Bollandianis *tom. 1. Julii pag. 611. num. 17. pag. 614. num. 30. pag. 491. num. 35.* Ex quibus omnibus evincitur, Petrum de Lucemburgo non fuisse Beatificatum a Concilio Constantiensi, & gesta pro ejus causa esse Martino V. legitimo Pontifici, qui Concilio Constantiensi præerat, adscribenda.

13. Similia contigerunt in causa Nicolai Lincopensis, Brimulphi Scarensis Episcoporum, & Ingridis Monialis Ordinis Prædicatorum. Cum etenim pro parte Henrici Sueciæ, Daciæ, & Norvegiæ Regis, & Episcoporum provinciæ Upsalensis supplicatum fuisset Joanni XXIII. ante suam a Pontificatu depositionem pro prædictorum Beatificatione, & litteræ eidem ante depositionem nullatenus fuissent præsentatæ; Patres Concilii Constantiensis, attento dictarum litterarum sensu, nonnullis tunc in Concilio degentibus commiserunt, ut de more inquirerent super vita & miraculis. Commissio hæc facta vivæ vocis oraculo, & inter Commissarios a Synodo electos erat Odo S. Georgii ad Velum aureum Diaconus Cardinalis de Columna, qui ad summum Pontificatum evectus Martini V. nomen assumpsit, qui novam subinde commissionem expedivit anno 1418. in qua gesta antea confirmavit & approbavit, omnesque defectus supplevit, qui forte irrepsissent, ut ex ejus commissione desumitur, in Bullario Ordinis Prædicatorum accurate collecto, & notis illustrato ab erudito viro P. Antonino Bremond ejusdem Ordinis alumno, *tom. 2. pag. 543.* hæc verba Martini habentur: *Nostræ super his impertientes auctoritatis adminiculum, commissiones, necnon mandata, ac litteras hujusmodi, & omnia inde secuta rata habentes & grata, illa auctoritate Apostolica laudamus, approbamus pariter & confirmamus, ac præsentis scripti patrocinio communimus, supplentes omnes defectus, si qui forsan intervenerint in eisdem.* Quæ profecto declarant, nec ex hoc, nec ex aliis supra recensitis factis quidquam legitime deduci posse adversus ea, quæ in superioribus dicta sunt de non sufficienti auctoritate Concilii generalis absque Romani Pontificis approbatione in decernendis Beatitatis, aut Sanctitatis honoribus erga Dei servos, licet virtutibus & miraculis claros. Apud Theodoretum *histor. Eccles. lib. 5. cap. 26.* narratur, Monachum quemdam sanctissimum, cui Telemachus nomen, Romam ex Oriente venisse eo consilio, ut Honorium Augustum adhortaretur ad abolenda, quæ reliqua etiamnum erant, gladiatorum inhumana spectacula. Post hæc Theodoretus, Valesio interprete, sic prosequitur: *Hic* (loquitur de Telemacho) *cum detestandum illud spectaculum ederetur, ipse quoque in amphitheatrum venit. Et in arenam descendens, gladiatores qui inter se pugnabant, compescere conabatur. Sed cruentæ cædis spectatores eam rem ægre ferentes, & dæmonis qui eo sanguine oblectabatur furorem animis suis concipientes, pacis auctorem lapidibus obruerunt. Quo cognito admirandus Imperator, hunc quidem invictissimorum Martyrum numero adscripsit: tetrum vero illud spectaculum penitus abolevit.* Videtur hic, ab Imperatore Telemachum adscriptum numero Martyrum, nulla facta mentione Romani Pontificis, licet res Romæ gesta esset. At verum est, Pontificiam auctoritatem interfuisse; diciturque Honorius eum Martyrum numero adscripsisse, cum curaverit id a Pontifice fieri, ut explicat Baronius *ad annum 395.*

CAPUT DUODECIMUM.

De potestate canonizandi.

1. AB utilitate Sanctos in nostris necessitatibus invocandi, potestas canonizandi causam habet & fundamentum: unde Bannes *in 2. 2. quæst. 1. artic. 10. §. dubitatur præterea septimo, conclus. 1.* sic ait: *Hæreticum est negare Sanctos invocandos esse; ut patet ex multis Conciliis, & Decretalibus . . . . . Ergo auctoritas est in Ecclesia ad Sanctos canonizandos;* & late prosequuntur Joannes a Sancto Thoma *in 2. 2. quæst. 1. disputat. 9. artic. 2. num. 1.* Dominicus a Sanctissima Trinitate *cap. 18. pag. 489. §. Prima Conclusio, in biblioth. max. Pontif. tom. 10.* Quodque notatu dignum est. Joannes ipse Dallæus inter heterodoxos non obscuri nominis auctor, *adversus Latinorum traditionem de Religiosi cultus objecto lib. 3. c. 21.* cultum, & invocationem Sanctorum taliter existimat esse connexa cum Canonizatione, ut cultum, & invocationem neget, ex quo primis temporibus asserit (licet falso, quemadmodum supra visum est) nullum fuisse Canonizationis vestigium, & nostrarum Canonizationum disciplinam ingenue commendent, supposito dogmate nostro de cultu, & invocatione Sanctorum. En ejus verba *loc. cit. Si veterum de tribus primis sæculis Christianorum eadem de colendis Divis sententia, ac traditio fuit, quæ nunc Latinorum est, decuisse, immo necesse fuisse ad hunc cultum rite ac legitime exercendum, eos pro singulari, qua pollebant, prudentia aliquem constituere, qui toti Ecclesiæ præiret, & qui vere Divi essent hoc honore digni, publice pronuntiaret, ideoque* (ut Latini nunc sane ex sua hypothesi sapienter faciunt) *canonizaret.* Videndus est etiam Auctor dogmatici discursus de SS. Canonizatione Gallico idiomate scripti, & post primam hujus Operis editionem Parisiis impressi ann. 1739. *pag. 87. & seqq.* qui supra exposita plene refert.

2. Sacri textus auctoritates, & Patrum primorum sæculorum testimonia de Sanctorum cultu in superioribus a nobis allata sunt: nunc reliquum est, ut aliqua in medium afferamus de eorum invocatione, quæ comes est præ-

prædicti cultus. Ab antiqui autem Testamenti auctoritatibus incipiendo, Jacob Patriarcha, dum filiis suis benedicebat, inquit *Gen.* 48. 16. *Angelus, qui eruit me de cunctis malis, benedicat pueris istis, & invocetur super eos nomen meum, nomina quoque patrum meorum Abraham, & Isaac.* Moyses, orando Deum, sic locutus est *Exod.* 32. 13. *Recordare Abrahæ, Isaac, & Israel servorum tuorum, quibus juraſtis per temetipsum.* Salomon Deum exorabat, ut reminiscereturmisericordiarum David 2. *Paralip.* 6. 42. *Memento misericordiarum David servi tui.* Tres pueri a Nabuchodonosor condemnati ut inter ignes vitam amitterent in fornace, misericordiam Dei implorabant propter merita Sanctorum, *Daniel.* 3. 35. *Neque auferas misericordiam tuam a nobis propter Abraham dilectum tuum, & Isaac servum tuum, & Israel sanctum tuum.* Deus ipse, se acceptas habere SS. orationes, piumque & utile esse Sanctorum merita commemorare pro gratiis obtinendis, professus est 4. *Reg.* 19. 34. *Protegamque urbem hanc, & salvabo eam propter me, & propter David servum meum;* Et rursum *Jerem.* 15. 1. ait: *Si steterit Moyses, & Samuel coram me, non est anima mea ad populum istum;* Et *lib.* 2. *Machabæor.* Onias, & Jeremias jam defuncti exhibentur, & proponuntur uti Deum exorantes pro populo: cumque Judæi, quando putarunt, a Christo in cruce Eliam invocari, *Eliam vocat iste*, uti legitur *Matth.* 27. 47. eum nec blasphemiæ, nec violationis legis infimulaverint; manifesta hæc est conjectura, pium & utile apud eos fuisse Sanctos invocare.

3. Adduntur novi Testamenti auctoritates. Sanctus enim Joannes petit a Deo pacem & ab Angelis: quod est idem ac dicere, Deo porrigit preces, ut pacem tribuat, & Angelis, ut eam impetrent, uti legitur *Apoc.* 1. 4. *Gratia vobis, & pax ab eo, qui est, & qui erat, & qui venturus est, & a septem Spiritibus, qui in conspectu throni ejus sunt.* Viginti item quatuor seniores, qui venerabundi & prostrati sistebant coram Agno, quid aliud agebant, quam Fidelium orationes Deo repræsentabant? *habentes singuli citharas, & phialas aureas plenas odoramentorum, quæ sunt orationes Sanctorum, Apoc.* 5. 8. Et rursus 8. 4. *Ascendit fumus incensorum de orationibus Sanctorum de manu Angeli.* Cumque Petrus Apostolorum Princeps se post obitum suum promiserit operam navaturum, ut documentorum a se traditorum reminiscerentur, *ut ex epist.* 2. *cap.* 1. 15. *dabo autem operam, & frequenter habere vos post obitum meum, ut horum memoriam faciatis;* fieri absque dubio id non poterat, nisi per suam apud Deum intercessionem.

4. Suffragantur testimonia Patrum primorum sæculorum. Irenæus, qui circa annum 178. floruit, *lib.* 5. *contra hæreses cap.* 19. *num.* 1. hæc habet: *Et si ea* (loquitur de Heva) *inobedierat Deo; sed hæc* (id. Virgo Maria) *suasa est obedire Deo, ut virginis Hevæ Virgo Mater fieret advocata.* Mariam ergo apud Deum advocatam vocat Irenæus, & sic ejus intercessionem apud Deum admittit. Origenes circa annum 203. *lib.* 8. *contra Celsum num.* 34. *pag.* 767. ostendit, Sanctos Deum exorare pro hominibus, & placatum reddere, sicque eorum favet intercessioni: *Nam hi ceu cognatos, & amicos videntes eos, qui ipsorum in Deum pietatem æmulantur, ac Deum invocant, riteque illum precantur; eorum saluti collaborant, illis apparent, putantque sui esse officii illis obsequium præstare & quasi ex compacto venire ad beneficia salutemque eis conciliandam qui Deum orant; cui & ipsi preces offerunt.* Alia loca quæ huic invocationi aperte favent, ex eodem Origene affert Huetius *in Origenian. lib.* 2. *qu.* 5. *num.* 36. S. Cyprianus anno 248. *in epistola* 57. *ad Cornelium col.* 206. existimant, per Sanctorum apud Deum regnantium orationes homines hic degentes adjuvari, & sic utilem esse apud Deum eorum intercessionem: *Memores nostri invicem simus, concordes atque unanimes utrobique pro nobis semper oremus, pressuras & angustias mutua charitate relevemus. Et, si quis isthinc nostrum prior Divinæ dignationis celeritate præcesserit, perseveret apud Dominum nostra dilectio; pro fratribus, & sororibus nostris apud misericordiam Patris non cesset oratio;* & in libro de habitu Virginum *in fine* sic ipsas alloquitur: *Durate fortiter, spiritaliter pergite, pervenite feliciter; tantum mementote tunc nostri, cum incipiet in vobis virginitas honorari.* In Actis S. Maximi Martyris anni 250. *apud Theodoricum Ruinart pag.* 133. *num.* 2. sic legitur: *Mihi enim nec fustes, nec ungulæ, nec ignis sentiendi dant dolorem, quia in me manet gratia Christi, quæ me salvum faciet in æternum, omnium Sanctorum orationibus, qui in hac collustatione certantes, vestras superaverunt insanias, nobisque virtutum exempla reliquerunt:* quibus profecto verbis, quemadmodum innuitur Sanctorum interceſſio apud Deum, ita de eorum invocatione nulla videtur dubitatio superesse. Confirmatur hoc ipsum ex Actis S. Theodoti Ancyrani circa ann. 303. *apud eumd. Ruinart pag.* 307. *numer.* 31. ubi Martyr sic loquitur: *Glorificate Dominum nostrum Jesum Christum, qui fecit, ut perficerem cursum meum, & inimicum superarem; deinceps enim in cœlis cum fiducia pro vobis Deum deprecabor.* Celebreque est illud, de quo testatur historia Martyrii Sanctæ Potamienæ apud Eusebium *lib.* 6. *histor. Eccles. cap.* 5. juxta ejusdem Ruinart expositionem. Ineunte sæculo tertio prædictum contigit Martyrium; &, postquam Eusebius retulit, eam a vulgo vexatam percussionibus & obscenis verbis, a Basilide vero humaniter acceptam fuisse, subdit: *Illa vero* (hoc est Potamiena) *benignitatem hominis erga se libenter amplectens, bono animo eum esse jussit, se namque post obitum salutem ipsius a Domino impetraturam, & collocata in se beneficia brevi remuneraturam esse.* Porro Basilidis invictam conversionem & confessionem, propter quas capite cæsus est, narrans inquit: *Cumque quidam in Domino Fratres eum adiissent, & causam subitæ illius atque insperatæ conversionis interrogarent, dixisse fertur, Potamienam tertio post Martyrium die, noctu sibi assistentem coronam capiti suo imposuisse, dixisseque, se ipsius causa Dominum orasse, atque id, quod petierat, impetrasse, nec diu postea ipsum ad Superos migraturum.*

5. Si subsequentium Patrum auctoritates congerere liberet, & signanter sæculi quarti, Basilii videlicet *hom.* 20. *de quadraginta Martyribus*, Gregorii Nazianzeni *in orat.* 18. *pro S. Cypriano, & orat.* 21. *pro S. Athanasio*, Hilarii *in psal.* 129. Nisseni *in fine orationis in quadraginta Martyres, & in oratione de S. Theodoro Martyre*, Ambrosii *in libro de viduis tom.* 4. *in epist.* 54. *ad sororem Marcellinam*, Hieronymi *epistola* 1., *epist.* 25. *ad Paulam de obitu Blesillæ*, & fuse *in libro contra Vigilantium*, Chrysostomi *in oratione de S. Ignatio Martyre, in hom. de SS. Berenice &c. in hom.* 76. *de SS. Juventino, & Maximino Martyribus*, articulus hic totum tractatum impleret. Sed hac relicta illis provincia, qui strenue adversus heterodoxos dogma Catholicum de Sanctorum invocatione propugnarunt, inter quos jure ac merito recensendus est P. Abbas Joannes Chrysostomus Trombelli in suis dissertationibus *de cultu Sanctorum* Bononiæ impressis *anno* 1740. *& anno* 1741. & nobis dicatis; in superioribus aliqua attigimus de cultu, & tunc aliqua addidimus de invocatione Sanctorum, ut fundamenta delibaremus potestatis canonizandi, de qua nunc agitur. Tractantes de Sanctorum Canonizatione alios ex veteri, & novo Testamento textus desumunt, quibus potestatem canonizandi demonstrari contendunt; uti colligitur ex bullis Canonizationum, & Scriptorum animadversionibus. *Cap.* siquidem 44. *Ecclesiastici v.* 1. *&* 2. legitur: *Laudemus viros gloriosos, & parentes nostros in generatione sua; multam gloriam fecit Dominus magnificentia sua a sæculo:* & *v.* 15. *Sapientiam ipsorum narrent populi, & laudem eorum nuntiet Ecclesia;* ubi etiam inter Sanctos referuntur Henoch, Noe, Abraham, Isaac, Jacob, Moyses, Aaron, Phinees, Josue, Chaleb, Samuel, David, Elias, Eliseus. Siracides Ecclesiastici auctor ibi nonnullorum meminit, puta Enochi, Noemi, qui ad legem naturæ pertinebant, & deinde meminit Sanctorum legis Mosaicæ, & primum omnium extollit laudibus Moysem ipsum, virum sane absolutissimæ sanctitatis exemplar, & sæculis deinceps omnibus admirandum; tum in aliorum laudes excurrit, veluti Aaronis, Samuelis, Davidis, aliorumque, uti videri potest capite 45. & sequentibus: & quamvis capite 47. Salomonem laudibus exornet, de cujus æterna salute inter Catholicos ipsos ambigitur, & in utramque partem multis disputationibus impune disceptatur; nemo tamen est, qui textum legendo, non videat, ipsum capite 47. a versu 14. de Salomone sic locutum fuisse, ut post aliquot laudes vehementer arguat ejus scelera, neque tamen pœnitentiam testetur ullam, ut facit in Davide, de quo sic ait *v.* 13. *Dominus purgavit peccata ipsius, & exaltavit in æternum cornu ejus.* Quod si quæratur, quomodo ad Siracidem devenire potuerit notitia Sanctorum legis naturæ, cum per id tempus nulla extiterit Canonica Scriptura, facile respondeti potest; Scripturæ defectum suppletum fuisse per Majorum traditionem, juxta illud Moysis *Deuter.* 32. *v.* 7. ubi legitur: *Interroga patrem tuum, & annuntiabit*

tiabit tibi, Majores tuos, & dicent tibi. Præterquamquod non ita tuto afferi poteſt, Scripturam Canonicam tunc defuiſſe, licet ea ad nos non pervenerit; Enochi quippe ſanctiſſimi, qui diluvium præceſſit, librum extitiſſe, S. Auguſtinus opinatus eſt, & poſt eum alii apud Pererium *lib. 7. in diſputatione de Enoch. quæſt. 6.* quo ſcilicet ex libro manarit prophetia illa ejuſdem Enochi, quam S. Judas Apoſtolus in ſua Canonica epiſtola citat *num. 14. & 15.* His præmiſſis ad ornatum textus, in eo profecto extat præceptum, quod a ſanctis Scriptoribus adnotarentur in particulari glorioſa vita & mors eorum, qui tempore ipſorum floruiſſent, & quod eorum glorioſa geſta a populis laudarentur, & omnibus innoteſcerent; illudque diſciplinæ ab initio Eccleſiæ ad hæc uſque noſtra tempora feliciter productæ, inter Sanctos referendi viros virtutibus & miraculis inſignes fundamenta ſtatuiſſe videtur, & conſequenter poteſtatis canonizandi, ſine qua prædicta diſciplina ſuo caruiſſet, & careret effectu. In bulla canonizationis S. Franciſcæ Romanæ *in cit. cod. pag.* 286. hæc habentur verba: *Nos ex officii debiti Paſtoralis, quæ ad Dei laudem, & Fidelium ædificationem ſunt, quantum in Domino poſſumus, promovere cupientes; ac non ambigentes, id genus eſſe triumphalem Canonizationis honorem, per quem ſapientiam Sanctorum narrant populi, & laudem eorum nuntiant Eccleſiæ.* Et in Brevi beatificationis S. Franciſci Saleſii: *Spiritus Sanctus, cum in Divinis Scripturis viros glorioſos, nimirum Sanctos, laudari præcipit, eorumque ſapientiam & laudem narrari a populis, & nuntiari ab Eccleſiis, docet nos atque illuminat, quid noſtris etiam temporibus agere debeamus.* Memoratum quoque Eccleſiaſtici textum ad rem præſentem ponderat Cardinalis Bellarminus *controv. tom. 2. de SS. beatit. lib. 1. cap. 7. §. His ergo præmiſſis;* & ſequitur Cornelius a Lapide *in dictum cap. 44. Eccleſiaſtici verſ. 2.* & juris Canonici Interpretes in recenſitis Eccleſiaſtici verbis, *multam gloriam fecit Dominus magnificentia ſua a ſæculo*, ſubſtantialia dicunt contineri Canonizationis requiſita, glorioſam videlicet, & heroicam vitam, & miracula excedentia vires & potentiam naturæ; Innocentius *in c. Audivimus, n. 1.* Oſtienſis *num. 5.* Joannes Andrea *num. 4.* Zabarella *num. 5.* Ancharan. *numer. pariter 5.* Antonius a Butrio *num. 7.* Fagnan. *num. 3. de Reliquiis, & veneratione SS.* Succedit novi Teſtamenti textus, Apoſtoli videlicet *in epiſtola ad Hebræos c. 13. v. 7. Mementote Præpoſitorum veſtrorum, qui vobis locuti ſunt verbum Dei, quorum intuentes exitum converſationis, imitamini fidem.* Quocirca Chriſtianus Lupus *in not. ad Conc. t. 3. pag.* 563. inquit: *Porro defunctos juſtos in Sanctorum Canonem, ſeu Eccleſiaſticas tabulas ſolemniter referre, ſeu canonizare eſt antiquiſſima Eccleſiæ conſuetudo habens exemplum ab Apoſtolo in epiſtola ad Hebræos.* Et ante Lupum bene adnotaverat Thomas Waldenſis *t. 3. de Sacram. tit. 14. c. 27. ante num. 4.* Florentinius quoque *in ſua prævia admonit. 2. ad Martyr.* verba affert ſupra citata S. Pauli pro præſentis aſſumpti comprobatione, & addit, alios conſimile præceptum agnoſcere *in* aliis ejuſdem Apoſtoli verbis *ad Romanos c. 12.* jubentis, nos *Sanctorum memoriis communicare*: ubi enim in vulgatis codicibus habetur *neceſſitatibus Sanctorum communicantes*, Origenes, Ambroſius, ac Optatus Milevitanus legunt *memoriis*, non *neceſſitatibus*; & S. Hilarius *lib. contra Conſtantium Auguſtum* non modo idem retinet, ſed præceptum in iiſdem verbis agnoſcit: *Apoſtolus* (inquit) *jubet communicare nos Sanctorum memoriis; tu eas damnare elegiſti?*

6. Nonnullæ a Theologis congruentiſſimæ excogitatæ ſunt rationes, ut relictam Eccleſiæ poteſtatem Sanctos canonizandi ſuadeant; quas in unum congerit Dominicus a Sanctiſſima Trinitate *c. 18. in bibl. max. Pontif. pag. 491. tom. 10.* ut ex ſeqq. ejuſdem verbis deſumitur: *Cur autem Chriſtus hanc auctoritatem canonizandi Sanctos Eccleſiæ ſuæ relinquere voluerit, plures non deſunt congruentiſſimæ rationes; præcipuæ ſunt ſequentes. Prima, ut etiam in terris, ubi locus agonis, legitimique certaminis eorum fuit, hanc laborum ſuorum mercedem, triumphique coronam utcumque reportent. Secunda, ut gloriæ eſſentiali, qua gaudent in cælis, hæc accidentalis gloria reſpondeat ex parte Eccleſiæ militantis. Tertia, ut conjungamur nos viatores cum illis per affectum ac venerationem, illi autem jam comprehenſores nobiſcum per interceſſionem & protectionem. Quarta, ut nos eorum exemplo provocemur ad earum præſertim virtutum imitationem, in quibus inſignes fuerunt. Quinta, ut probetur, Eccleſiam Catholicam non ſolum quoad legem, ſed quoad perſonas etiam eſſe ſanctam dum tot juſtos, & Sanctos parit, ac beat. Sexta, ut inde Gentiles, & Hæretici confundantur, qui non habent perſonas juſtas & ſanctas, quas conſecrent; quatenus cum ſola vera Fide, & ubi illa reperitur, vera etiam Sanctitas conjungitur. Septima, ut ita ſervetur, quæ in ſymbolo Fidei docetur Sanctorum communio.*

7. Adverſus hanc poteſtatem canonizandi nonnulli debacchantur Hæretici, teſte Thoma Waldenſi *de Sacram. t. 3. tit. 14. pag.* 102. Wicleffus primus fuit, qui adverſus Catholicam Eccleſiam, & ejus Caput viſibile, tamquam Divina ſibi in Canonizatione uſurpantes, vocem extollere auſus eſt, cujus veſtigiis ingreſſus eſt Kemnicius *3. part. examinis Concilii Trid. pag.* 634. Calvinus *lib. 3. inſtit. c. 20. §. 27.* non modo Pontificem & Eccleſiam, ſed Sanctos ipſos furore abreptus ferali impetit voce; & Petrus Molinæus *lib. 7. novitatis ſuæ controv. 2. c. 13. pag.* 547. *& ſeq.* Canonizationis materiam in jocos & cachinnos ſolvit. Addi poſſunt alii impii, irreligioſi, & damnatiſſimæ notæ Hæretici ſupradictis ſuffragantes, Lutherus videlicet, de quo apud Catharinum *lib. 2. de conſiderat. præſentium temporum c. 27.* Magdeburgenſes *cent. 4. c. 15.* Vermillius, Lambertus Danæus, Mornæus *in præfatione myſterii iniquitatis*, Marcus Antonius de Dominis *lib. 1. c. 5. quæſt. 4. nu. 55.* Abbartus *lib. de Antichriſto c. 11.* Non defuerunt tamen ex noſtris, qui diabolicas illas criminationes invictis proſtraverint argumentis, uti videri poteſt apud Gravinam *in continuatione 2. part. Catholicarum præſcriptionum.*

8. Ac oppoſitio quidem modo relata, quod Romanus Pontifex canonizando ſibi uſurpet Divina, ceſſat, ſtatim ac ſedulo ponderatur, nos etiam agnoſcere, eſſentiale Beatorum gaudium, quod habent de Divinitate, augeri non poſſe, ſed ſolum accidentale, quod habent de quocumque bono creato, & de omnibus, quæ in Dei honorem fiunt, & maxime de illis, in quibus de eorum gloria Deo gratias agimus, juxta doctrinam S. Thomæ *in 4. ſent. diſt. 12. qu. 2. art. 2.* Romanos item Pontifices in Canonizatione ſibi nullatenus afferere gaudii eſſentialis augmentum, quemadmodum legitur in bulla Canonizationis S. Nicolai de Tolentino *in cit. cod. pag.* 161. *Licet militans in terris Eccleſia triumphantem in cœlis filiali & devoto veneretur affectu, ac virtutes, laudes, præconiaque Sanctorum, quantum ſinit fragilitas, digniſſimis attollat titulis, devotis quoque precibus, ſolemni ritu ſacrificia laudum offerat ad decus & venerationem civium ſupernorum; nihil tamen illis accreſcit novæ perfectionis & gloriæ, nec eorum perfecta felicitas noſtris operibus firmari poterit, vel augeri: miſericors tamen miſeratorque Dominus per interceſſiones meritaque Sanctorum, quos in terris celebritate congrua veneramur, mirabili dignatione imperfectum noſtrum ſuppleri providit, ut, quod noſtris meritis non valemus, eorum ſuffragiis aſſequamur:* uno verbo, in Canonizatione ſummos Pontifices nihil aliud agere dicimus, quam declarare hos & illos Dei ſervos virtutibus, inſigni morte, eximiſque miraculis præfulgentes, & ſic in cælo triumphantes eſſe in Eccleſia colendos; quod quidem judicium ſi ab illis fieret ſine præviis diligentiis, clamarent Hæretici & merito, male agi, nec tamquam Sanctos eſſe Eccleſiæ proponendos, quos certis argumentis Sanctos eſſe non conſtet. Sed, cum ad hæc avertenda debitum & rigoroſum præcedat examen, & hic occaſionem arripiant clamandi, Papam ſibi aſſumere in Canonizatione Divina poteſtatem, nemo eſt, qui eorum dicta reprehendere non debeat, & exſecrari; uti bene argumentatur Sauſſajus *in cit. apolog. §. 9. ſub init. Si Eccleſia Catholica, Apoſtolica, & Romana Sanctos ſine ulla fidei & meritorum indagine, vel perſonarum delectu honoraret, tunc clamarent adverſarii, eam promiſcue Baal cum Chriſto miſcere, tenebras cum luce confundere, nec diſcernere a juſtitia iniquitatem; cum vero omni ſedulitate ac diligentia, maturique examinis libra, ac ſeveri judicii cenſura, Eccleſia ipſa ſanctos inquirit ac vindicat, pretioſumque a vili ſic diſcernit, ut inter Sanctos memoria venerandos nullum cooptet, niſi quem certo comperit Deo, fidei & operis ſinceritate, fuiſſe acceptum; quotquot autem utriuſque hujus Divinæ dotis teſtimonio carent, ex albo Sanctorum ablegat, impioſque quoſvis nec colit, nec recolit, ſed a feſtis ſuis proſcribit, & execrandos judicat. Tum nihilominus ipſimet adverſarii eam dilacerant, Divinaque & ſibi uſurpare dum ſanctos nominat, & Sanctis tribuere dum decernit colendos, importune clamitant atque perperam calumniantur.*

CA-

CAPUT DECIMUMTERTIUM.

De Benefacto, ut aliquando Solemnia Canonizationis expleantur.

1. AB iisdem rationum momentis, ex quibus Theologi in superioribus relati comprobant, esse in Ecclesia, & in summo Pontifice, tamquam ejus visibili Capite, potestatem canonizandi, desumitur quoque, congruere, expedire, & utile esse Sanctorum Canonizationes aliquando peragere. Et primo, quia in Sanctis suis Deus laudatur, & dum servos honoramus, honor redundat in Dominum; uti legitur in bullis Canonizationum SS. Udalrici, Petri Anagnini, Hugonis, Antonii Lusitani, Bonaventuræ, Antonini, Hyacinthi, Joannis Gualberti, quarum hæc sunt verba: *Nec enim quisquam Catholicus ambigit, cum & hoc Scriptura Sacra testetur, quod in Sanctis suis laudatur Dominus, & qui honorat eos, ipsum Dominum prorsus honorat, ipso attestante, qui dicit*, qui vos honorat, me honorat, & qui vos recipit, me recipit; *& item*, quod uni ex meis minimis feciſtis, mihi feciſtis. Eodem pertinent, quæ habentur in Bulla Canonizationis Sancti Thomæ de Villanova *in cit. cod. pag. 356. Nimirum, ut ea ratione Omnipotentis Dei laus, & gloria magis magisque increbrescat, ejusdemque bonitati, ac benignitati simul agantur gratiæ, qui dedit virtutem & potestatem talem hominibus.*

2. Secundo, quia maximopere decet, ut, qui Sanctus est apud Deum, Sanctus etiam ab hominibus habeatur; quemadmodum in Bullis Canonizationum Sanctorum Homoboni, Claræ, Ludovici Regis Franciæ, Petri de Morono, Ludovici filii Caroli Regis Siciliæ, Thomæ Herfordiensis, Thomæ de Aquino, Birgittæ, Edmundi, Francisci de Sales, Rosæ Limanæ, Antonii Lusitani, ubi: *Pium & justum est, ut, quos Dominus merito sanctitatis coronat, & honorat in Cœlis, nos venerationis officio laudemus, & glorificemus in terris;* & in Bulla Canonizationis Sancti Richardi: *Decet, ut nostro ministerio per omnem Christiani cultus ambitum vehiculo debitæ venerationis incidens, profusis per Orbem gaudiis, & effusis undique laudibus honoretur in terris.*

3. Tertio, quia in Beatificationibus servorum Dei, & Canonizationibus Beatorum, non modo sancta Mater Ecclesia exaltatur, uti ad rem docet Bannes *in 2. 2. quæst. 1. art. 10. §. dubitatur præterea septimo, concluſ. 1. Expedit etiam hoc, ut ostendatur, quod non est abbreviata manus Domini, sed, sicut olim in primitiva Ecclesia fuerunt Christiani eximiæ sanctitatis, ita & nunc, & semper usque ad consummationem sæculi sunt, & erunt Fideles in sanctitate vitæ insignes;* sed etiam confunduntur Hæretici & ceteri quotquot a Catholica aberrant veritate, sicuti legitur in bulla Canonizationis S. Homoboni: *Et in hoc præsertim Hæreticorum confundatur perversitas, cum ad Catholicorum tumulos viderint prodigia pullulare;* in bulla Canonizationis S. Stanislai Episcopi Cracovienſis: *Confundatur perversum Hæreticorum dogma, & Fidelium beata credulitas augeatur;* & in bullis insuper Canonizationum SS. Laurentii Archiepiscopi, & Hyacinthi.

4. Quarto, quia expedit, ut apud Dominum nostri multiplicentur intercessores; quemadmodum habetur in bulla Canonizationis S. Francisci de Assisio: *Confidentes per Dei misericordiam, Nos, & gregem Nobis commissum ejus suffragiis adjuvari, &, quem familiarem habuimus in terris, habere patronum in cœlis;* in bulla Canonizationis S. Dominici: *Nos cum commisso Nobis grege Domini confidentes, ejus posse suffragiis per Dei misericordiam adjuvari, ut cujus in terris solatium gratioſæ familiaritatis habere meruimus, ejus in cœlis potenti patrocinio gaudeamus;* in bulla Canonizationis S. Caroli Borromæi: *Supplicantes, ut Carolus Ecclesiæ, quam vehementer dilexit, prosit etiam meritis & exemplo, adsit patrocinio, & in tempore iracundiæ fiat reconciliatio;* & postat etiam in bullis Canonizationum SS. Hugonis, Hyacinthi, Petri de Alcantara, Francisci Xaverii. Nec enim invocari possunt in intercessores, loquendo saltem de publica invocatione, illi, quorum sanctitas ab Ecclesia legitime declarata non est.

5. Quinto, quia non parum prodest Christifidelibus nova semper habere exempla virtutum, quæ imitentur: unde Mathatias *1. Machabæor. cap. 2. v. 50. & 51.* morti proximus filios hortatus est ad sanguinis & vitæ profusionem pro tuendis patriis legibus, proponendo illustria Patrum facinora: *Nunc ergo, o filii, æmulatores estote legis, & date animas vestras pro testamento Patrum vestrorum & mementote operum Patrum, quæ fecerunt in generationibus suis, & accipietis gloriam magnam & nomen æternum.*

6. Hoc ipsum desumitur ex S. Gregorio *lib. 2. moral. cap. 1. tom. 1.* ubi ait, quod sacra Scriptura *narrat gesta Sanctorum, & ad imitationem corda provocat infirmorum; dumque illorum victricia facta commemorat, contra vitiorum prælia debilia nostra confirmat; sitque verbis illius, ut eo mens minus inter certamina trepidet, quo ante se positos tot virorum fortium triumphos videt.* Facit ad rem illud S. Bernardi qui *in præf. ad vitam S. Malachiæ col. 663. t. 2.* inquit: *Semper quidem operæ pretium fuit illustres Sanctorum describere vitas, ut sint speculum & exemplum, ac quoddam veluti condimentum vitæ hominum super terram. Per hoc enim quodammodo apud nos etiam post mortem vivunt, multosque ex his, qui vivantes mortui sunt, ad veram provocant & revocant vitam.* Et ante ipsum scripsit S. Eucherius Lugdunenſis sive Eusebius Gallicanus *hom. de SS. Petro & Paulo tom. 6. biblioth. PP. pag. 652. Armantur filiorum animi, dum Patrum recensentur triumphi.* Passim id ipsum in bullis legitur Canonizationum; in bulla videlicet Canonizationis S. Francisci Salesii: *Antecessores nostri Spiritu Sancto instructi laudabilem in Ecclesia morem induxere, nempe in excelso loco sanctitatem constituendi, ut, veluti lumen illius lucis vicarium, quæ de se dixit:* Ego sum lux Mundi, & qui sequitur me, non ambulat in tenebris, *non sub modio absconditum, sed in candelabro elatum luceat coram hominibus, eosdemque a veneratione ad imitationem, via strata ad cœlestis & triumphantis Jerosolymæ nunquam intermissas delicias, dirigat, inferatque;* & in bullis præterea Canonizationum SS. Laurentii Archiepiscopi, Edmundi, Caroli Borromæi, Francisci Xaverii, Petri de Alcantara.

7. Ultimo, quia magna in Beatificationibus & Canonizationibus adest materia spiritualis lætitiæ; ut habetur in bulla Canonizationis S. Hyacinthi: *Benedictus Pater misericordiarum & Deus totius consolationis, qui dilectam Filii sui sponsam Catholicam & Apostolicam Ecclesiam perpetua regit providentia, atque his luctuosis temporibus multis ærumnis & calamitatibus afflictam, multiplici etiam gaudio ex Sanctorum suorum gloria consolatur; vere enim magna exstitit spiritualis lætitiæ materia, cum Deus illustria servorum suorum merita ideo mundo manifestat, ut, dum illis ubique terrarum veneratio tribuitur, Deus ipse in Sanctis suis mirabilis prædicetur; nam, cum aliqui servi Dei excellenti vitæ sanctitate & miraculis insignes jam cum Christo in cœlo regnantes, in terra quoque summa Romani Pontificis auctoritate Sancti esse declarantur, Rex ipse sempiternæ majestatis & gloriæ in Sanctorum concilio glorificatur, Divini cultus observantia augetur, Fidelium pietas & devotio excitatur, detestandæ hæreses magis magisque convincuntur, plures populo Dei ad virtutis exemplum, & suffragii patrocinium proponuntur, ut quod fideliter petimus, id efficacius, multiplicatis intercessoribus, consequamur.*

8. In sententia, quæ a summo Pontifice solemniter in Canonizatione profertur, tres causæ finales exprimuntur; prima est *ad honorem Sanctæ & individuæ Trinitatis*, secunda *ad exaltationem Fidei Catholicæ*; tertia *ad Christianæ Religionis augmentum*. In Sanctorum itaque Canonizatione honoratur & glorificatur Sanctissima Trinitas, cum, quidquid laude & præmio dignum Sancti peregerunt, non nisi Divinæ gratiæ beneficio perficere potuerint: unde Christus Dominus *Matth. cap. 5. v. 16.* ait: *Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum, qui in cœlis est;* & S. Petrus *in epist. 1. cap. 2. v. 12.* subdit: *Conversationem vestram inter gentes habentes bonam, ut in eo, quod detrectant de vobis, tamquam de malefactoribus, ex bonis operibus vos considerantes, glorificent Deum in die visitationis.*

9. In Canonizatione quoque exaltatur Fides Catholica super omnes alias sectas, in quibus nec vera sanctitas esse potest, nec vera possunt fieri miracula. Quamob-

rem Theologi agentes de notis Eccleſiæ Catholicæ hanc etiam notam recenſent, quod in ea ſunt vera miracula, & quod in noſtra Catholica Eccleſia Romana omni ſæculo miracula approbantur. Et Fidei quidem exaltatio in hoc præcipue conſiſtit, quod multi ad Fidem Catholicam ex variis ſectis Gentilium & Hæreticorum accedunt, viſa & audita ſanctimonia vitæ Chriſtianorum perfectorum, nec non miraculorum, quæ ad ipſorum interceſſionem a Deo patrantur; cum hæc ſit una ex viis, per quam ad veram Fidem, auxiliante Deo, Infideles convertuntur. Unde *lib. 4. Reg. cap. 5.* narratur de Naaman Syro principe militiæ Regis Syriæ viro magno & honorato, quod, cum leproſus eſſet, & juſſu Eliſei Prophetæ ſepties in Jordane laviſſet & mundatus fuiſſet, prout Propheta prædixerat, reverſus ad Eliſeum dixit *v. 15. Vere ſcio, quod non ſit alius Deus in univerſa terra, niſi tantum in Iſrael;* Et *lib. 3. Reg. c. 18. v. 39.* quando Elias ignem de cælo attraxit, ut holocauſtum combureret, multitudo, quæ prius Baal adorabat, ad veri Dei Fidem converſa eſt, & miraculum inſpiciens exclamavit: *Dominus ipſe eſt Deus, Dominus ipſe eſt Deus;* item *Joann. c. 11. verſ. 47. & 48.* legitur, quod collegerunt Pontifices & Phariſæi concilium adverſus Jeſum, & dicebant: *Quid facimus, quia hic homo multa ſigna facit? Si dimittimus eum ſic, omnes credent in eum;* Et *cap. 3. Actor. Apoſt.* quando S. Petrus miraculo ſanavit claudum, qui ſedebat ad ſpeciosam portam templi, in nomine Chriſti Jeſu, & prædicavit ſe in hoc nomine illum curaſſe, multi crediderunt; quemadmodum ſubditur *Actor. cap. 4.*

10. Demum in Canonizatione Sanctorum augetur Chriſtiana Religio, quia, dum multiplicantur Sancti, augetur cultus Sanctorum, innoteſcit vita Canonizati, ejus virtutes Fidelibus proponuntur, ejuſque miracula enarrantur; ex quo fit, ut creſcat Fidelium devotio erga ipſos, hincque moveantur ad exercendos erga eoſdem varios actus, qui pertinent ad virtutem Chriſtianæ Religionis. Deducta hæc ſunt ex formula ſententiæ, quæ a ſummo Pontifice in Canonizatione profertur; & concordant cum aliis, quæ in ſuperioribus adducta fuerunt ex bullis Canonizationum, aliiſque monumentis. Tum ipſa autem, tum reliqua, quæ ex iiſdem bullis collecta fuerunt, bene congruunt cum ſermone S. Bernardi, *in Vigil. SS. Apoſtol. Petri & Pauli volum. 1. col. 993. num. 2. & 3.* ubi ait: *Tria ſunt igitur quæ in feſtivitatibus Sanctorum vigilanter conſiderare debemus, auxilium Sancti, exemplum ejus, confuſionem noſtram. Auxilium ejus, quia qui potens in terra fuit, potentior eſt in cælis ante faciem Domini Dei ſui. Si enim, dum hic viveret, miſertus eſt peccatoribus & oravit pro eis, nunc tanto amplius, quanto verius agnoſcit miſerias noſtras, orat pro nobis Patrem, quia beata illa patria charitatem ejus non immutavit, ſed augmentavit; neque enim quia impaſſibilis omnino, ideo & incompaſſibilis factus eſt, ſed nunc potius induit ſibi viſcera miſericordiæ, cum ante fontem miſericordiæ aſſiſtit. Eſt & alia cauſa, quæ magis urget Sanctos, ut ſolliciti ſint de nobis, quia, juxta vocem Apoſtoli, Deus providet pro nobis, ne ſine nobis conſumentur, ſicut ait ſanctus David:* Me expectant juſti, donec retribuas mihi. *Debemus etiam attendere exemplum ejus, quia quamdiu in terris viſus eſt & cum hominibus converſatus eſt, non declinavit ad dexteram, neque ad ſiniſtram, ſed viam regiam tenuit, donec veniret ad illum, qui dicit:* Ego ſum via, veritas, & vita. *Intuemini humilitatem operum ejus, auctoritatem verborum ejus; & tunc videbitis, quomodo tam verbo, quam exemplo luxerit inter homines, qualia nobis veſtigia dereliquerit, ut ambulemus per ea, & non erremus in eis. Vere, juxta Prophetam* Semita juſti recta eſt, rectus callis juſti ad ambulandum. *Sed & diligentiori intuitu confuſionem noſtram inſpiciamus, quia homo ille ſimilis nobis fuit, paſſibilis, ex eodem luto formatus, ex quo & nos. Quid ergo eſt, quod non ſolum difficile, ſed & impoſſibile credimus, ut facjamus opera, quæ fecit, ut ſequamur veſtigia ejus? Confundamur, fratres, & contremiſcamus ad vocem iſtam, ſi forte hæc confuſio adducat nobis gloriam, ſi forte generet gratiam nobis timor iſte: homines iſti fuerunt, qui præceſſerunt nos, qui tam mirabiliter proceſſerunt per vias vitæ, ut vix eos homines fuiſſe credamus. Sic ergo in Sanctorum feſtivitatibus & gaudere, & confundi debemus; gaudere, quia Patronos præmiſimus; confundi, quia eos imitari non poſſumus.*

11. Atque, licet nonnulli male feriati, ſuppoſita poteſtate canonizandi, ejus uſum audeant condemnare, aut quia novorum Sanctorum merita meritis antiquorum ſunt inferiora; aut quia noſtras preces Deus exaudire poteſt & pro nobis miracula operari, Sanctorum antiquorum interceſſione; aut quoniam novorum Sanctorum acceſſione, antiquorum cultus imminuitur & fere obſcuratur; aut quoniam tot Sanctorum Canonizationes rem hanc ſacram quodammodo reddunt contemptibilem; aut demum quia nonnulli in album Sanctorum referuntur, qui, licet virtutibus heroicis & miraculis excelluerint, ſunt nihilominus inferiores aliis, qui majoribus virtutibus præditi fuerunt, vel ampliori miraculorum dono a Deo inſigniti ſunt, de quorum relatione in album Sanctorum nemo eſt qui cogitet; hæc tamen, & ſimilia Canonizationum utilitati minime adverſantur, ſi res pro natura ſua accurate conſideretur.

12. Et in eo quidem, quod attinet ad excellentiam meritorum veterum Sanctorum ſuper novorum Sanctorum merita, dicimus, Chriſtum Dominum noſtris etiam temporibus ſemetipſum ſine teſtimonio non reliquiſſe, atque adeo Eccleſiæ theſaurum novas ac veteres habere margaritas; & ſemper expedire, ſervatis ſervandis, novorum Sanctorum Canonizationes peragere, ut propinquiora nobis habeamus virtutum exempla quæ imitemur, utque noſtri apud Deum multiplicentur interceſſores; & eo magis, cum hi, qui nunc novi, veteres aliquando Sancti futuri ſint. Quare Gaufridus *in prologo ad vitam S. Petri Taventaſii apud Bollandianos ad diem 8. Maii tom. 2. pag. 323.* ait: *Chriſtus Jeſus heri, & hodie, ipſe & in æternum; & quemadmodum nullis retro generationibus ſine teſtimonio ſemetipſum reliquiſſe cognoſcitur, nec noſtro credendus eſt tempore in hac ſibi parte deeſſe ... Sanctus olim Hieronymus cauſabatur contemporaneos ſuos ſic ingenia quaſi vina probare, quibus videlicet gratia ex vetuſtate ſuccreſcit. Quid putas, diceret, ſi videret, merita, quaſi vina, probari?* Et S. Joannes Chryſoſtomus *orat. in SS. Juvent. & Max. t. 2. pag. 578.* ſic locutus eſt: *Illi tempore ſuperiores, iſti recentiores. Ejuſmodi eſt theſaurus Eccleſiæ, novas & veteres habet margaritas: ſed una omnium eſt pulchritudo... Quod ſcientes vos, non aliter priſcos, aliter recentiores colitis Sanctos; ſed eadem alacritate, eodem amore, eodem affectu colitis omnes & commendatis. Non enim exploratis tempus, ſed exquiritis animi fortitudinem, pietatem, fidem invictam, zelum imitatum ac fervidum, & eas virtutes, quas præ ſe ferunt Sancti, ad quorum honorem hodie convenimus.* Niſſenus vero *in orat. de S. Baſilio fratre ſuo pag. 912. tom. 2.* Habemus, ait, *nunc etiam nos, qui conſtituat nobis præſentem celebritatem, genuinum & verum Miniſtrum, & Interpretem ſpiritus ... cui ſecundas poſt Apoſtolos partes tempus ſolum dat. Nam, ſi eodem tempore, quo Paulus, vitæ particeps humanæ fuiſſet Baſilius, ſicuti Silvanus & Timotheus, ita prorſus una cum Paulo litterarum monumentis celebratus eſſet. Atque, ut intelligatur, quod, conjecturam faciendo, a veritate non aberro, hoc modo rationem ineamus. Prætermittatur ea oratio, qua explicetur, qui Sancti quos Sanctos tempore anteceſſerint (temporis enim natura in præterito, & futuro, quod ad virtutem, & vitium attinet, eodem modo ſeſe habet, cum neque hoc, neque contrarium ſit: in libero enim arbitrio atque propoſito voluntatis, non in tempore, bonum conſiſtit) at fides cum fide, cum oratione oratio conferatur. Nam, ſi quis juſtus æſtimator fuerit in conferendis inter ſe miraculis, reperiet unam in ambobus gratiam, quæ ex eodem ſpiritu juxta convenientiam, atque proportionem fidei exiſteret in utroque. Quod, ſi tempore Paulus præcedit, & multis ætatibus poſt Baſilius exhibitus ac deſignatus eſt; Divinæ adminiſtrationis, quam hominum gratia ſuſcepit, opus dicis; non affers probationem circa virtutem diminutionis. Nam & Moyſes multis temporibus poſterior Abrahamo, Samuel Moyſe, & hoc Elias, & illo magnus Joannes, & poſt Joannem Paulus, & poſt hunc Baſilius. Quemadmodum igitur in præcedentibus nihil tempus poſterius, quod attinet ad gloriam, quæ cum Deo conjuncta eſt, Sanctis incommodavit; ita etiam nunc in diſceptatione virtutis, ætatis commodum ſilentio prætermittatur:* pag. vero 917. *Quid igitur illius in rebus Divinis ſplendorem atque claritudinem imminuit, quod poſt alios Sanctos in vita fuit, ut idcirco celebritas, atque conventus, qui illius nomine agitur, minor habeatur ſoviis, quæ Sanctorum aliorum honoris atque memoriæ gratia celebrantur?* Præterea S. Eulogius (*in apologetico ſanctorum Martyrum ſui temporis in biblioth. PP. tom. 15. pag. 287.*) *Priuſquam*, inquit, *eorum exequar trophæa inſignia, operæ pretium reſiſtere credidi imperitis, quia ore blaſphemo horum temporum Martyribus derogantes, non eſſe illos*

los consimiles prioribus Martyribus, volunt &c. ut mens religiosorum sacratissimis imbuta oraculis discat ex veritate novitios, sicuti priscos, venerari Patronos.

13. In præfatione demum ad passionem SS. Perpetuæ, & Felicitatis, apud Ruinart *pag.* 80. subditur: *Si vetera Fidei exempla & Dei gratiam testificantia, & ædificationem hominis operantia, propterea in litteris sunt digesta, ut lectione eorum, quasi repensitatione rerum & Deus honoretur, & homo confortetur; cur non & nova documenta æque utrique causæ convenientia & digerantur? Vel quia & hæc vetera futura quandoque sunt, & necessaria posteris, si in præsenti suo tempore minori deputantur auctoritati, propter præsumptam venerationem antiquitatis. Sed viderint, qui unam virtutem Spiritus unius Sancti, pro ætatibus judicent temporum . . . Itaque & nos, qui sicut prophetias, ita & visiones novas pariter repromissas & agnoscimus, & honoramus, ceteraque virtutes Spiritus Sancti ad instrumentum Ecclesiæ deputamus, cui & missus est, idem omnia donativa administrans in omnibus, prout unicuique distribuit Dominus, necessario & digerimus, & ad gloriam Dei lectione celebramus, ut ne qua aut imbecillitas, aut desperatio fidei apud veteres tantum æstimet gratiam Divinitatis conversatam, sive Martyrum, sive in revelationum dignatione; cum semper Deus operetur, quæ repromisit, non credentibus in testimonium, credentibus in beneficium.*

14. Sequuntur cetera supra opposita, quæ profecto non sunt majoris roboris præ illo, cui modo Patrum auctoritate plene satisfactum esse videtur. Illud enim, quod Deus nostras potest exaudire preces, & pro nobis miracula operari, antiquorum Sanctorum intercessione, nimis probat, cum probet, nec ipsos antiquos Sanctos debuisse canonizari: per intercessionem quippe Beatæ Mariæ semper Virginis, quæ est mediatrix apud Mediatorem, & sanctorum Apostolorum, qui in lege nova fuerunt primi Sancti, bene poterat Deus nostris votis annuere, & pro nobis mirabilia patrare. At, cum a Divina pendeat voluntate nostris, & nostrorum intercessorum precibus flecti, & consilium ejus ignoremus, nec ei dicere possimus, cur ita facis? hinc est, quod Catholicæ Ecclesiæ multum expedit, ut antiquis fiat novorum accessio intercessorum, quorum precibus, experientia etiam teste, videmus, bona spiritualia & temporalia ad nos derivari; non quia Deus non possit omnia efficere ad preces & intercessionem antiquorum Sanctorum, sed quia vult operari miracula, & nostris precibus indulgere, intercessione hujus, aut alterius Sancti, qui cursum feliciter consummarunt, & gloriæ coronam non ita pridem ab eo receperunt. Quapropter S. Augustinus (*tom. 2. in epist. 78. alias* 137. *col.* 183. *n.* 3. *ad Clerum, & populum Hipponensem*) ait: *Ubique quidem Deus est, & nullo continetur, vel includitur loco, qui condidit omnia . . . . Verumtamen ad ista quæ hominibus visibiliter nota sunt; quis potest ejus consilium perscrutari, quare in aliis locis hæc miracula fiant, in aliis non fiant? Multis enim notissima est sanctitas loci, ubi Beati Felicis Nolensis corpus conditum est, quo volui ut pergerent* (nempe duo Clerici) *quia inde nobis facilius, fideliusque scribi potest, quidquid in eorum aliquo divinitus fuerit propalatum . . . . Numquid non & Africa Sanctorum Martyrum corporibus plena est? Et tamen nusquam hic scimus talia fieri; sicut enim, quod Apostolus dicit, non omnes Sancti habent dona curationum, nec omnes habent dijudicationem spirituum, ita nec in omnibus Memoriis Sanctorum ista fieri voluit ille, qui dividit propria unicuique, prout vult.* Consentit doctrina Divi Thomæ *in* 4. *dist.* 45. *qu.* 3. *art.* 2. ubi, postquam probavit, Sanctos esse a nobis invocandos, in secundo argumento opponit, superiores Sanctos a nobis esse invocandos, in responsione autem subdit, Sanctos quidem superiores, esse magis Deo acceptos, quam inferiores, sed utile esse etiam minores Sanctos interdum orare; primo, ex majori devotione, quam aliquis habere potest ad Sanctum minorem, quam ad Sanctum majorem; secundo, ad fastidium tollendum, ex quo assiduitas unius rei fastidium parit; tertio, quia quibusdam Sanctis datum est aliquibus specialibus causis præcipue patrocinari; quarto ut omnibus honor debitus exhibeatur a nobis; quinto, quia plurium orationibus quandoque impetratur, quod unius oratione non obtinetur: quod ipsum ab eodem S. Doctore docetur 2. 2. *quæst.* 83. *art.* 11. *ad quartum.*

15. Alterum quod objiciebatur, novorum Sanctorum accessione antiquorum cultum imminui & fere obliterari, desumptum est ab impio Apostata Marco Antonio de Dominis, qui *lib. 7. de republ. Ecclesiastica part. 3. cap. 5. num.* 58. ait: *Nonnulli Sancti canonizati, veteres Sanctos ipsa totius Ecclesiæ decretione ab antiquo canonizatos quoad nos certe pessundederunt; Carolus profecto Mediolani Ambrosii nomen ferme extinxit.* Verum quanti hoc sit, unusquisque facile dignoscere poterit, qui animadverterit, nos, post novas etiam Canonizationes aliorum Sanctorum, in anniversariis celebritatibus veterum Sanctorum abstinere ab opere servili, in pervigiliis eorum jejunare, in ipsorum honorem Divinum Officium recitare, Missasque celebrare, & adhuc supersesse singulorum templa augusta, atque instructissima Clero & supellectili sacra. Unde ergo provenit cultus imminutio per novorum Sanctorum Canonizationes? Et quo jure asseri valet, Mediolani, post relatum in Sanctorum album Carolum Cardinalem Borromæum, fuisse Ambrosii cultum fere extinctum, si hic integer post Caroli Canonizationem perseverat, sicut erat ante ejus Canonizationem? Assumptum latissime comprobatur a Silvestro Petrasancta Soc. Jesu Presbyt. *in votis ad epist. Caroli Molinæi cap.* 3.

16. Illud quoque opponebatur, quod tot Sanctorum Canonizationes rem hanc sacram quodammodo reddant contemptibilem; uti etiam sensisse videtur Gersonius, approbans sententiam Magistri Henrici de Hassia, qui comprimendam esse censuit tot hominum Canonizationem; quod & censuit Petrus de Alliaco *in tract. de reformat. Ecclesiæ cap.* 3. At hoc nullum sibi potest rationabiliter locum vindicare; cum tot nec factæ sint, nec fiant, quot fieri exaggeratur, a Romanis Pontificibus Canonizationes. Alexander Papa III. dum anno 1174. erat Parisiis, ab Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus, & aliis Ecclesiæ Prælatis in regno Franciæ constitutis exoratus est, ut Bernardum Clarevallensem Abbatem in Sanctorum album referret; quod tunc facere recusavit propter consimiles preces pro aliorum Beatorum Canonizatione exhibitas, ut ipse testatur in epistola edita in novo codice Canonizationum, & supra relata. Innocentius VIII. in Sanctorum numerum retulit Leopoldum, at petitioni de canonizanda B. Catharina filia S. Birgittæ, pro qua Jacobus Archiepiscopus Upsalensis, & alii Sueciæ Antistites una cum Joanne Daniæ, Norvegiæ, & Sueciæ Rege postulabant, sic respondit, ut habetur in ejus epistola apud Raynaldum *ad ann. Christi* 1485. *sub num.* 61. *Satisfaceremus libenter tam pio desiderio Regis ipsius & aliorum, nisi nos respectus alterius nuper factæ Canonizationis de Sancto Leopoldo teneret: nam, cum res hæc magni sit momenti, non nisi rarissime fieri consuevit; aliter tantum mysterium, quantum illud est, vilesceret.* Elenchus ipse Canonizationum a Romanis Pontificibus factarum plurium sæculorum decursu nimiam Canonizationum somniatam frequentiam evidenter excludit. Verum quidem est, recentioribus temporibus introductum esse institutum referendi in album Sanctorum unica Canonizatione plures Sanctos; sed id immodicum Canonizationum numerum non constituit, propter quem Mysterium debeat vilescere. Solemnitas Canonizationis multas exigit expensas, quarum ut amplitudo evitetur, fieri cœperunt, ut infra videbitur, Canonizationes plures Sanctos comprehendentes. Si tot fierent solemnitates, quot Sancti canonizantur, id fieri diceretur, ut Romana Aula diteseceret. Ut immoderati sumptus declinentur, fit sæpe una solemnitas, & plures simul Beati in Sanctorum album referuntur: nec id satis ad obstruendum iniqua, qui hinc occasionem arripiunt dicendi, sacram rem ex nimia frequentia vilescere. Ultimæ demum parti oppositionis respondet S. Antoninus *Summ. histor. part. 3. tit. 23. cap.* 14. de S. Catharina Senensi loquens: *Scriptum est, quia spirituum ponderator est Dominus, cui soli sicut cognitus est numerus electorum in superna felicitate locandus, ita & ei soli innotescunt gradus meritorum & præmiorum omnium Sanctorum, & quibus voluerit revelare. Quantum autem nobis, qui tenebris involvimur, permittitur judicare de Sanctis per conjecturas & præsumptiones ex gestis eorum, arbitror, ambigere neminem, plurimos Beatos utriusque sexus non Canonizatos ab Ecclesia, immo nec nominatos, non fuisse minoris meriti & inferioris gloriæ multis catalogo Sanctorum adscriptis; non enim Canonizatio adjicit ad meritum, vel præmium essentiale Beatorum, nec decernit Sanctitatis gradum, sed venerationem temporalem & gloriam, ut post ipsam possit solemniter Officium celebrari, & festivari, quod alias fieri non dicitur.*

17. Cistercienstum, & Carthusianorum monachorum exemplum opponi posset. De primis etenim narrant Henriquez *in apparat. ad menolog. Cisterc. cap.* 11. *de multitud. Sanctorum*, & Manriquez *tom. 4. annal. Cisterc. ad ann.* 1228. *cap.* 5. *num.* 11. noluisse quemdam alumnum

suum

fuum ſanctitate & miraculis clarum canonizandum proponere, ne Sancti in ſuo Ordine vileſcerent, & ne frequens Sanctorum Canonizatio hujus exiſtimationem apud vulgus minueret. Ex ſecundis autem, licet tot inter illos vixerint heroicis virtutibus præditi & miraculorum gratia inſignes, fere tamen nullus eſt Sanctorum canoni adſcriptus. Sed horum monachorum ſenſui, quatenus Canonizationi adverſaretur, nedum rationes ſupra ponderatæ, ſed etiam tot aliarum inſignium Religionum obſtant exempla. Anno 480. S. P. Benedictus natus eſt, cumque anno 494. Sublacum ſe contuliſſet, poſt fundata in ea ſolitudine duodecim monachorum monaſteria ad Montem Caſſinum anno 528. devenit, ubi ſuam regulam publicavit, de qua S. Gregorius Papa *lib. 2. dialog. cap. 36.* inquit: *Vir Dei . . . . ſcripſit monachorum regulam diſcretione præcipuam*. Sæculorum decurſu nonnullæ laxitates in eum ſacrum monachorum cœtum inductæ ſunt, ad quas avertendas multa excogitata ſunt remedia: ſed præcipuum illud fuit, quod S. Berno anno 910. feliciter executioni mandavit, ope reformationis, quam in inſigni abbatia Cluniacenſi ſtatuit. Decimo & undecimo ſæculis Congregatio Cluniacenſis fuit Eccleſiæ ornamentum: verum, cum regularis diſciplina ſubinde in aliquibus ejus monaſteriis ceſſaſſet, Robertus Monachus charitate plenus una cum viginti ſociis anno 1098. annuente Hugone Archiepiſcopo Lugdunenſi & Apoſtolicæ Sedis Legato, monaſterium extruxit in ſilva Ciſtercienſi, ex qua Ordo Ciſtercienſis nomen aſſumpſit. Nihil aliud Robertus in hac nova voluit fundatione, quam obſervantiam regulæ S. Benedicti ad litteram, quacumque ſublata diſpenſatione. Anno 1110. Robertus ſancte ex hac vita migravit, & ſummus Pontifex Honorius III. juxta ea, quæ in ſuperioribus dicta ſunt, eum Beatum declaravit, & permiſit, ut in ejus honorem publicus cultus in aliquibus locis exhiberetur. Roberto ſucceſſit Albericus, qui poſtquam Ordinem Ciſtercienſem ſpatio decem circiter annorum ſancte & feliciter gubernaſſet, anno 1109. die 26. Januarii in cinere & cilicio, & in medio ſuorum diſcipulorum vitam cum morte commutavit; & dicta die quotannis celebratur feſtum, & ex permiſſione Congregationis ſacrorum rituum in ejus honorem recitatur Officium ab omnibus Italiæ Ciſtercienſibus. Alberico ſucceſſit Stephanus, cumque ann. 1113. S. Bernardus adhuc juvenis cum triginta equitibus ſuis ſociis ſe ejus regimini ſubdidiſſet, neceſſe fuit, aucto monachorum numero, ad alias fundationes animum convertere, inter quas præcipua fuit fundatio abbatiæ Clarevallenſis, cui Bernardus ipſe præfectus eſt anno 1115. cumque ſolemniter in Sanctorum album relatum fuiſſe, ſuperius viſum eſt; & infra ſermo habebitur de cultu, quo apud Ciſtercienſes Gallos colitur Petrus a Caſtro Novo eumdem Ordinem profeſſus, atque ab Hæreticis in odium Fidei occiſus.

18. Carthuſianus Ordo ſæculo undecimo initium habuit. Plures ex eo prodierunt ſanctitate celebres, quorum elenchum Frater Georgius Garnefelt Carthuſianus edidit poſt vitam B. Nicolai Albergati eumdem Ordinem profeſſi. In memoriam S. Brunonis, qui dictum Ordinem fundavit, publici honores decreti ſunt a Leone X. & ejus cultus a ceteris Romanis Pontificibus ampliatus eſt, ut alibi videbitur; ſed, antequam Bruno fundator in Sanctorum album relatus eſſet, Honorius Papa III. ſolemniter inter Sanctos retulerat Hugonem olim Carthuſiæ Anglicanæ Priorem. Canonizationis diploma relatum fuit a Matthæo Paris *in hiſtoria Anglorum lib. 3. pag. 309.* & eſt inſertum in novum codicem Canonizationum. Cur deinceps ex tot Dei ſervis, qui in dicto Ordine floruerunt, pauci ſolemniter in album Beatorum, aut Sanctorum relati ſint, quæritur a nonnullis. Bonifacius Ferrarius Carthuſianus anno 1420. tractatum ſcripſit, *Cur in Ordine Carthuſienſi pauci canonizati ſint, & miracula nulla publica fiant*. Petrus Sutor de vita Carthuſianorum multa ad rem profert. Bonæ memoriæ Sarnellus Epiſcopus Vigilienſis *in ſuis epiſtolis Eccleſiaſticis epiſt. 97. tom. 10.* ait, non tam virtutes, quam miracula requiri pro Beatificatione, & Canonizatione; ſubditque, quorum ſanctorum virorum interceſſione ut plurimum miracula a Deo non fieri, ne eorum religioſa ſolitudo accurrentium multitudine turbetur: quod confirmat auctoritate S. Antonini *tit. 15. ſuæ hiſtoriæ c. 22. §. 2.* teſtantis, circa ann. 1175. quemdam Carthuſiæ monachum miracula multa ad ſepulcrum edidiſſe, ut maxima multitudo hominum quotidie eo confluxerit. Cum autem Prior ejus loci videret, quietem monachorum turbari, ſive diſſolvi ex eo concurſu, & multa ſimul ſcelera ab iis, qui eo concurrerent, perpetrari; acceſſiſſe ad tumulum defuncti, eique præcepiſſe in virtute ſanctæ obedientiæ, ut, ſicuti in vita ſibi obediverat, ita & nunc faciat, ac nullum de cetero miraculum edat; quod & factum eſt. Frequentiam e contrario miraculorum, interceſſione Dei ſervorum, qui hunc Ordinem profeſſi ſunt, mirifice extollit & narrat Theophilus Raynaudus *operum tom. 9. in S. Brunone, punct. 10. §. 2. num. 6.* ubi tandem quæſtionem propoſitam ſic reſolvit: *Non tam ſollicitus fuit Ordo Carthuſianus multos Sanctos ſuos patefacere, quam multos ſanctos facere*. Porro, ſi meus qualiſcumque ſenſus hac in re exquireretur, dicere auderem, in Ciſtercienſium, & Carthuſianorum, & aliorum ſolitariorum cœnobiis multos Sanctos fuiſſe in eo, quod attinet ad Eccleſiam triumphantem, paucos vero fuiſſe, & eſſe quoad Eccleſiam militantem; in qua, ut quis canonizandus ſit, probatio eſt neceſſaria virtutum in gradu heroico ex actibus exterioribus deducta, & plurium teſtium aſſertionibus innixa, quæ probatio difficilis eſt in ſolitariis, uti cuique conſideranti patebit: ideoque videmus, Hugonem ſolemniter inter Sanctos relatum fuiſſe, cum ex Monacho Carthuſiano anno 1186. electus Epiſcopus Lincolnienſis, anno 1200. e vivis exceſſerit, nedum ſolitariorum virtutibus ornatus, ſed etiam ceteris ad gradum Epiſcopalem pertinentibus, ut in ejus vita apud Surium *ad diem 17. Novemb.* legi poteſt. S. Bruno quoque Religionis fundator, ut cetera prætereantur, per aliquot annos conſiliis & doctrina Urbanum Papam II. ſuum diſcipulum adjuvit in illis tot Eccleſiæ calamitatibus, recuſatoque Rhegienſi Archiepiſcopatu, obtentaque diſcedendi facultate, ad ſuos reditum fecit. Hic idem Ordo, dum fungebar munere Fidei Promotoris, ſupplicavit pro introducenda cauſa Canonizationis Beati Nicolai Albergati ſui alumni, qui Epiſcopatum Bononienſem pluribus annis adminiſtravit, & inter S. Rom. Eccleſiæ Cardinales adſcriptus, pluribus per univerſum orbem legationibus functus eſt, deſumptis ſanctitatis probationibus non tam ex geſtis in ſolitudine, quam ex patratis coram aliis. Hæc tamen dicta ſint per tranſennam; cum ad rem, de qua agitur, ſatis ſit, aliquos ex Ciſtercienſibus, & Carthuſianis in Beatorum, & Sanctorum album eſſe relatos, eorumque conſuetudini prævalere debeat univerſalis aliorum Ordinum ſemper Religioſorum uſus ab Apoſtolica Sede comprobatus. Huc uſque deducta, tacito nomine noſtro, compendioſe expoſita ſunt in diſcurſu dogmatico de Canonizatione Sanctorum, poſt primam hujus Operis editionem Pariſiis impreſſo anno 1739. *pag. 30. & pluribus ſeqq.*

CAPUT DECIMUMQUARTUM.

De ſubjecto Canonizationum.

1. QUOTQUOT Martyrium pro Chriſto ſubierunt, & ſignis miraculiſque poſt obitum illuſtres fuerunt; quotquot, poſt laudabile heroicarum virtutum exercitium, pretioſa in conſpectu Domini morte mortui ſunt, & miraculorum gloria poſt obitum floruerunt, ſunt Canonizationis ſubjectum. Quocirca Innocentius III. *in bulla Canonizationis S. Homoboni* (*in cod. Canoniz. num. 28.*) ait: *Licet autem, juxta teſtimonium Veritatis, ſola finalis perſeverantia exigatur ad ſanctitatem animæ in Eccleſia triumphante, quoniam qui perſeveraverit uſque in finem, hic ſalvus erit; duo tamen, virtus videlicet morum, & virtus ſignorum, opera ſcilicet pietatis in vita, & miraculorum ſigna poſt mortem, ut quis reputetur Sanctus in militanti Eccleſia, requiruntur: nam, quia frequenter Angelus Satanæ ſe in lucis Angelum transfigurat, & quidam faciunt opera ſua bona, ut videantur ab hominibus, quidam etiam coruſcant miraculis, quorum tamen vita merito reprobatur, ſicut de Magis legitur Pharaonis, & etiam Antichriſto, qui electos etiam, ſi fieri poteſt, inducet miraculis ſuis in errorem: ad id nec opera ſufficiunt ſola, nec ſigna; ſed, cum, illis præcedentibus, iſta ſuccedant, verum nobis præbent indicium ſanctitatis, nec immerito nos ad ipſius veneration*em *inducunt, quem Dominus ſuus oſtendit miraculis*

vene-

UAB Biblioteca de Ciències Socials

venerandum . *Hæc autem duo ex verbis Evangelistæ plenius colliguntur , ubi de Apostolis loquens ait* : Illi autem profecti prædicabant , ubique Domino cooperante , & sermonem confirmante sequentibus signis . *In eo nimque , quod ait , cooperante , eos operatos esse demonstrans ; & in eo , quod sequitur , sequentibus signis , eos exponens , immo Dominum in eis miraculis claruisse . Hoc etiam Dominus usque hodie operatur in Sanctis , & potentiam suam signis evidentibus manifestat , dum virorum curat ægritudines ad memoriam mortuorum , & eos plus posse post mortem & felicius vivere mortuos qui in Domino moriuntur , quam , qui vivunt in mundo , demonstrat* .

2. Plana hæc sunt ; sed , cum nonnullæ a scribentibus excitentur de Canonizationum subjecto quæstiones , opus est , eas hic referre . Prima ergo est , an Sancti veteris Testamenti possint esse Canonizationis subjectum a summo Pontifice celebrandæ . Negant S. Antoninus in Summa , uti videri potest *tom. 4. bibliotb. max. Pontif. pag.* 80. *&* 81. & Augustinus Triumphus *de potestate Ecclesiæ quæst. 17. artt. 2.* & Matta *de Canonizatione SS. part. 4. cap. 3. a num. 8. & sequenti* ; quia illi , quantacumque fuerint prædicti sanctitate , non fuerunt tempore plenitudinis gratiæ . Affirmant autem alii , Pavinus videlicet *in relatione Canonizationis S. Bonaventuræ , in principio* , Contelor. *de Canonizatione SS. cap.* 10. *n.* 11. Castellan. *de Canonizatione SS. n.* 85. Lezana *consul. 3. num.* 129. P. Ceparius *in suo directorio Canonizationum lib. 1. c. 7. num.* 20. cum plerique Sanctorum veteris Testamenti in Ecclesia universali , & in plerisque particularibus Ecclesiis , summis ipsis Pontificibus annuentibus , cultum habeant . Quæstio hæc in terminis , in quibus a prædictis scribentibus proponitur , inutilis prorsus mihi videtur . Sancti quippe veteris Testamenti illi sunt , qui Christum tempore præcesserunt , qui in venturum Mediatorem & Redemptorem crediderunt , qui virtutibus , aut Martyrio illustres Deo placuerunt , & quos Deus nedum sanctos fecit , sed sanctos esse hominibus manifestavit in Divinis Scripturis ; in quo rerum themate nemo non videt , quam absonum esset , & quodammodo inutile , ut apertæ declarationi a Deo factæ de eorum sanctitate sententia summi Pontificis superadderetur definiens , aliquem ex eis esse sanctum , & idcirco colendum in Ecclesia universali . Si quæstio proponeretur in aliis terminis , hoc est an post adventum Christi cultus , & qualis cultus , rationabiliter a Romanis Pontificibus indulgeri possit Sanctis veteris Testamenti , animadversionem mereri posset ; sed de ea alibi tractabitur .

3. Secunda quæstio est de pueris post Baptismum , & ante usum rationis decedentibus , an possint esse subjectum Canonizationis . Sed hæc quoque indiget explicatione . Vel enim agitur de pueris morientibus ante usum rationis , qui Baptismum fluminis receperunt ; & hi , licet sint in gloria , & visione beatifica fruantur , nihilominus esse non possunt subjectum Canonizationis in Ecclesia , cum virtutibus heroicis , dum viverent , non fuerint illustres ; uti bene perpendunt auctor tractatus de Canonizatione Sanctorum ad Cardinalem Montis Regalis *par. 3. cap. 3.* Malvet. *de Canonizatione Sanctorum ad tertium dubium num. 63.* Castellan. *eodem tractatu num. 69.* P. Ceparius *in suo directorio Canonizat. Sanctorum lib. 1. cap. 7. num.* 15. & concordant antiquiores , Innocentius videlicet , & Joannes Andreas *in cap. Audivimus de Relig. & venerat. Sanctorum* ; propositaque per Augustinum Triumphum *de potestate Ecclesiæ quæst. 17. art. 1.* controversia , an Papa debeat canonizare omnes , quos constat esse in vita æterna , post nonnulla expolita argumenta affirmanti opinioni faventia , negativam sententiam amplectitur ; tum quia plerique sunt in vita æterna , qui tamen canonizari non possunt propter defectum virtutum heroicarum , tum quia Papa teneretur canonizare omnes pueros baptizatos statim post Baptismum decedentes , quod est absurdum . Vel agitur de pueris ante usum rationis decedentibus post Baptismum receptum non fluminis , sed sanguinis , quod videlicet necati fuerint in odium Christi & ejus Fidei ; &, de his quidem loquendo ; cum S. Irenæus innocentes pueros pro Christo ab Herode interfectos Martyres appellet ; cumque (ut est in homilia tertia Origenis in diverso *part. 2. oper. pag.* 282. *edit. Paris. ann.* 1604. qualiscumque ea sit ubi de festo SS. Innocentium : *Bene ergo & secundum voluntatem Dei eorum memoriam sancti Patres celebrari mandaverunt sempiternam in Ecclesiis , veluti pro Domino morientium*) eos Ecclesia ab antiquo tempore , sicuti sanctos Martyres , colat ; rationabilis insurgere potest controversia , an ad eorum similitudinem alii pueri in odium Fidei interfecti ante usum rationis possint esse , uti Martyres , subjectum Canonizationis . Affirmative autem respondet Guyet *de festis propriis Sanctorum lib. 2. cap. 7. quæst.* 15. *De infantibus dubitationem omnem tollit Sanctorum Innocentium ab Herode interfectorum exemplum , quibus absque acceleratione usus rationis tam potuit meritum Christi prodesse ad palmam Martyrii per effusionem sanguinis consequendam , quam ceteris prodest per lavacrum Baptismi ad gratiam* : eique adhæret Cardinalis Capisucchius in suis controver. Theolog. *controv. 27. quæst. 1. de Martyrio §. 16. Exigitur ergo ad verum Martyrium in persecutore intentio inferendi mortem propter Fidem exterius manifestata , & in patiente intentio pariter exterius manifestata suscipiendi mortem propter Fidem ; in ordine scilicet ad opus , quod ex propria ratione relationem habeat ad Fidem , & rursus ab ipso patiente ad Fidem referatur . In infantibus vero , qui pro Christo occiduntur , cum non habeant usum rationis , unde intentionem habere possint moriendi pro Christo , sat est intentio Ecclesiæ , concurrente intentione persecutoris eos pro Fide occidentis . Si autem occiduntur ante Baptismum , veri Martyres sunt , quia occiduntur in odium Fidei Christianæ ; si vero occidantur post Baptismum , veri Martyres sunt , quia occiduntur in odium Christi , cui per Baptismum uniuntur* .

4. Favere insuper possunt nonnulla exempla . Celebratur quippe festum die 24. Januarii S. Babylæ Episcopi Antiocheni , qui tertio Ecclesiæ sæculo sub Decio Martyrio coronatus est una cum tribus pueris a se in Christiana Fide educatis , Urbano videlicet , Prilidiano , & Epolonio ; ut habetur in Martyrologio Romano ad dictam diem , atque in Officio & Missa Ambrosianis . De his loquitur S. Joannes Chrysostomus in homilia quam recitavit in honorem SS. Juventini , & Maximini *t. 2. pag.* 578. *Nuper B. Babylas cum tribus Pueris nos hic congregabat , hodie vero pur Sanctorum Militum , in acie exercitum Christi constituit ; nuper quadriga Martyrum , hodie biga* . Puerorum autem nomina , quæ a S. Joanne Chrysostomo inibi reticentur , referuntur a Gregorio Turonensi *lib. 1. historiæ Franc. cap.* 28. Simeon item puer Tridentinus , qui vix vigintinovem menses suæ complevérat ætatis , anno 1472. occisus fuit a Judæis in odium Christi Domini . Joannes Matthias Tiberinus doctor Medicus , qui de mandato Episcopi Tridentini corpus inspexit infantis occisi , & de genere modoque mortis interrogatus , sententiam suam juratus dicere debuit , historiam Martyrii conscripsit editam apud Surium *ad diem* 24. *Martii* . Statim post obitum publicus cultus eidem cœpit exhiberi tamquam Martyri , & miracula quædam vulgata sunt ejus intercessione a Deo facta . Sed anno 1475. summus Pontifex Sixtus IV. per epistolam Dominos, & officiales per Italiæ partes constitutos , ne hæc fierent , admonuit , & omnia prohibuit , usquequo certior factus esset de veritate factorum per Commissarium , quem elegerat ; uti colligitur ex ejus diplomate impresso *tom. 2. ampliss. collectionis veter. scriptor. & monument. & historic. opera celeberrimi P. Edmundi Martene editæ column.* 1516. En verba Epistolæ : *Dilecti Filii , salutem &c. Licet inter causas majores Apostolico sit duntaxat judicio reservatum , quempiam inter Sanctos referre , & miracula approbare , nihilque adhuc certum , compertumve nostro judicio , aut approbatum sit de quodam puero Simone Tridentino per Judæos , ut dicitur , interfecto , de quo noviter fieri mandavimus , & recipi plenariam informationem : tamen accepimus , nonnullos publice etiam in prædicationibus affirmare , ipsum Simonem , quem Beatum appellant , per dictos Judæos in ipsa civitate Tridentina post multa tormentorum genera cruci affixum , & occisum , & Martyrem esse , & plurimis miraculis claruisse , & alios desuper imagines depingere , chartas in modum historiarum conscribere , & publice vendere , & venditioni exponere , & propterea Christifideles contra Judæos omnes , eorumque bona incitare ; adeo etiam , quod multi eorum plura exinde sint passi pericula . Attendentes itaque , hæc & similia pessimæ fore præsumptionis , talia per bandimentum publicum in hac nostra urbe alma fieri amodo prohibuimus , & idcirco vobis tenore præsentium , motu proprio , & ex Pastoralis officii debito committimus , & districte etiam sub pœna excommunicationis mandamus , quatenus & vos in locis dominiorum vestrorum , ac alias regimini vestro commissis eadem fieri sub pœnis , de quibus vobis videbitur , publice , & omnino interdicatis , inobedientes pœna condigna plectendo , & nihilominus Judæis ipsis , quos Ecclesia in testimonium mortis Christi tolerat , firmo defensionis præsidio propter hoc assistatis* ,

donec

donec aliud a nobis receperitis in mandatis ; cum intendamus, habita ex Commiſſario noſtro, quem propterea ad partes illas deſtinamus, rei veritate, in præmiſſis opportune & plenarie, ut juſtum fuerit, providere: contrariis non obſtantibus quibuſcunque. Datum Romæ, die 10. *Octobris anno* 1475. *anno* v. Comprobatis ſubinde probandis, & adimpletis adimplendis, facta eſt Apoſtolica auctoritate cultus approbatio. Simeonis autem pueri miracula plene referuntur ex Jano Pyrrho Pincio Mantuano apud Bollandiſtas *ad citat. diem* 24. *Martii*; ibique nedum narratur, auctoritate Gregorii XIII. ejus nomen fuiſſe deſcriptum in Martyrologio Romano, ſed etiam, inſtante Cardinali Madrutio Epiſcopo & Principe Tridentino, Sixtum V. conceſſiſſe, ut de eo celebrari poſſet feſtum per univerſam diœceſim Tridentinam cum Officio & Miſſa propriis, addita in perpetuum plenaria indulgentia viſitantibus die ejus feſto eccleſiam S. Petri, ubi corpus cum omnibus paſſionis inſtrumentis collocatum eſt. Iidem Bollandiſtæ ex Ægidio Gelenio teſtantur, cultum exhiberi in diœceſi Colonienſi Joannetto puero in odium Fidei a Judæis necato; ſed ingenue confitentur, ſe ignorare tempus mortis. Baillet ad ſæpe citatam diem 24. Martii iterum refert omnia, quæ fuerunt Bollandiſtis relata; additque, Richardum puerum Pariſiis, & Guillelmum puerum in Anglia occiſos a Judæis in odium Chriſti, tamquam Martyres cultum habuiſſe; ſed ait, ſe non vidiſſe Acta autographa. In Martyrologio Romano *ad diem* 24. *Oct.* commemoratio habetur S. Aretæ, & ſociorum, inter quos filius erat annorum quinque. Aretas cum ſociis Martyrium ſubiit ſæculo ſexto in regione Homeritide, vel Sabæa ſub tyranno Dunaano. Extat hiſtoria Martyrii ex Metaphraſte apud Surium *ad eamdem diem* 24. *Octob.* ſed Baillet *in tabula critica* de veritate Actorum dubitat, cum parum deferat auctoritati Metaphraſtis; de qua tamen alibi habebitur ſermo.

5. Hucuſque adducta ſufficienter probare poſſe videntur, pueros in odium Fidei occiſos, ſive recepto, ſive non recepto Baptiſmo fluminis, eſſe poſſe ſubjectum Canonizationis; quod quidem, ſpeculative, ut ajunt, loquendo, verum eſſe exiſtimarem, ſed ex inſtituto, & in ipſo facti eventu, an eſſet admittendum, dubitarem, cum nullum Canonizationis eorumdem adſit exemplum. Illud enim S. Babylæ Epiſcopi Antiocheni, & trium puerorum multis eſt difficultatibus implicatum: non ſolum quia nonnulli putant, duos fuiſſe S. Babylas Martyres, alterum ſub Decio, alterum ſub Numeriano, quos tamen redarguit Cardinalis Baronius *in annalibus*, *& in notis ad Martyrologium Romanum*; ſed etiam, quia Euſebius *in hiſtor. Eccleſ. lib.* 6. *cap.* 23. cui Baillet *in tabula critica ad diem* 24. *Jan.* ait unice in hac re deferendum eſſe, meminit Martyrii Babylæ, & non ſociorum. Porro, quidquid ſit de his, admiſſaque veritate Martyrii Babylæ, & ſociorum, ex Actis editis a Bollando deſumitur, ſocios Martyrii uſu rationis præditos fuiſſe, cum unus eſſet duodecim annorum, alter novem, & tertius ſeptem, ut habetur in veteri MS. Ripatorii, & Mombritii *cap.* 2. *apud Bollandum*, & reſponſiones ab eis datæ Tyranno id pateſaciant: concordatque Martyrologium Romanum *ad diem* 24. *Jan.* ubi legitur, *quos ille*, (ideſt Babylas) *in Fide Chriſti inſtruxerat*. Rurſus alterum Simonis pueri Tridentini ad quamdam æquivalentem Beatificationem potius, quam ad Canonizationem eſt referendum; tum quia cultus fuit ei indultus in particulari eccleſia; tum quia, cum Martyrium contigerit poſt tempora, quibus Romani Pontifices ſibi privative quoad omnes alios jus aſſeruerunt beatificandi & canonizandi, nulla Pontificia exhibetur formalis aut æquivalens ſententia definiens, re ſecundum juris ſolemnitatem diſcuſſa, eum eſſe tamquam Martyrem in univerſa Eccleſia colendum. Poſtremum vero Aretæ, & ſociorum non videtur ad rem plane faciens & concludens tum quia, juxta alibi dicenda, ex deſcriptione in Martyrologio Romano non valet illatio ad Canonizationem; tum quia pueri incluſio, nulla facta ejus ſpeciali mentione, ad integritatem potius Actorum Martyrii, quam ad Canonizationem referenda eſſe videtur. Præterquamquod, ſicuti in Occidentali Eccleſia ex Martyribus veteris Legis ſoli Machabæi ſpeciali feſto coluntur, cum poſtremi in veteri Lege ſanguinem fuderint, ſic in nova Lege expedire videtur, ut ſoli pueri innocentes, qui primi pro Chriſto, & loco Chriſti mortui ſunt, præceptivo cultu potiantur in univerſa eccleſia.

6. Tertia quæſtio reſpicit eos, qui pie in Domino mortui ſunt, ſed quorum animæ purgantur, aut conſtat purgatas eſſe per ignem Purgatorii. Nihil enim inquinatum intrat in regnum cælorum, & per viam ſanctam non tranſit pollutus; ſicque, cum dimiſſa culpa mortali, remaneat in hominibus aliquando reatus pœnæ temporalis, remaneant aliquando peccata venialia, in quæ etiam cadunt Juſti, propterea animæ ad tempus determinatum in Purgatorio detinentur.

7. Porro, ſi quæſtio ſit de illis, qui Purgatorium adhuc ſuſtinent, ſpeculativa, ut dicitur, potius erit, quam practica; cum citra Divinam revelationem ſcire nequeamus, an hujus, aut illius anima in Purgatorio detineatur. P. Chriſtianus Lupus *in notis ad* 19. *Concil. Rom. tom.* 3. *pag.* 572. docet, non poſſe canonizari eos, quorum animæ adhuc torquentur in purgatricibus flammis, ex quo potiſſimum, dum adhuc in illis ſunt, earum interceſſione Deus non conſuevit miracula operari: *Quouſque purgantur eminentium etiam Sanctorum animæ, conſuerunt etiam corpora a miraculorum gratia ſuſpendi: quod enim S. Ragnebertus ante lapſos ſeptem acceptæ & ante mortem nondum completæ pœnitentiæ annos nullo miraculo inclaruerit, ejus apud Franciſcum Du Cheſne vita teſtatur.*

8. Et, quia B. Petrus Damianus *lib.* 2. *epiſtolarum pag.* 112. refert, S. Severinum Epiſcopum Colonienſem Purgatorii pœna multatum fuiſſe, eo quod horarum Canonicarum penſum intempeſtive, & non per diſtincta ſpatia perſolverat, ſubdit ipſe P. Lupus hanc narrationem eſſe apocryphum, & nullo antiquitatis teſtimonio corroboratam, & merito. Petrus etenim Damiani vixit ſexcentis annis poſt obitum S. Severini, & primus eſt, qui rem prædictam narraverit, uti ad rem adnotavit Cardinalis Baronius *ad Martyrol. Rom. ad diem* 23. *Octob.* Cumque S. Gregorius *lib.* 4. *dialogorum cap.* 40. *tom.* 2. *oper.* de Paſchaſio Diacono, qui fuit, *vir miræ ſanctitatis eleemoſynarum maxime operibus vacans, cultor pauperum, & contemptor ſui*, hæc narret; *Hic itaque cum temporibus Symmachi Apoſtolicæ Sedis Præſulis eſſet defunctus, ejus dalmaticam feretro ſuperpoſitam dæmoniacus tetigit, ſtatimque ſalvatus eſt. Poſt multum vero temporis Germano Capuano Epiſcopo, cujus ſuperius memoriam feci, medici pro corporis ſalute dixerant, ut in Angulanis thermis lavari debuiſſet. Qui ingreſſus eaſdem thermas, prædictum Paſchaſium Diaconum ſtantem & obſequentem in caloribus invenit. Quo viſo vehementer extimuit, & quid illic tantus vir faceret, inquiſivit. Cui ille reſpondit: pro nulla alia cauſa in hoc pœnali loco deputatus ſum, niſi quia in parte Laurentii contra Symmachum ſenſi. Sed quæſo te, pro me Dominum deprecare: atque in hoc cognoſces, quod exauditus ſis, ſi huc rediens me non inveneris. Qua de re vir Domini Germanus ſe in precibus conſtrinxit, & poſt paucos dies rediit, ſed jam dictum Paſchaſium in loco eodem minime invenit. Quia enim non malitia, ſed ignorantiæ errore peccaverat, purgari poſt mortem a peccato potuit*; ait idem P. Lupus, hoc unicum eſſe exemplum, nec rei prodeſſe, cum Paſchaſius canonizatus non eſſet, *verum ille non erat canonizatus*: & paulo poſt, *aliud ſimilium miraculorum non ſcio exemplum*. Sed, quidquid ſit de ratione a Lupo allata, propter quam canonizari non poſſunt illi, quorum animæ adhuc in Purgatorio detinentur, ex quo videlicet gratia miraculorum tunc eſt ſuſpenſa, rationes aliæ non deſunt prædictum aſſumptum comprobantes. Pro Canonizato etenim non oratur; & pro animabus in Purgatorio degentibus preces Deo offeruntur: Canonizatus honoratur erectione altarium, celebratione Miſſarum, & recitatione Officiorum in ejus honorem, quæ profecto congruere non poſſunt ſtatui animæ purgantis, qui ſatisfaciens eſt & pœnalis; uti bene ponderant Auctor tractatus de Canonizatione Sanctorum ad Cardinalem Montis Regalis 3. *part. cap.* 1. & Lezana *conſult.* 3. *num.* 119. Canonizati denique ſunt noſtri apud Deum interceſſores, & orant pro nobis; juxta doctrinam vero S. Thomæ *in* 4. *diſt.* 15. *quæſt.* 4. *art.* 3. *quæſtiunc.* 2. *ad ſecundum*, animæ Purgatorii non ſunt in ſtatu merendi, & ideo magis indigent, quod pro eis oretur, quam ut ipſæ poſſint orare. Hæc eadem doctrina ab eodem S. Doctore exponitur 2. 2. *quæſt.* 83. *art.* 11. Cum enim in tertio argumento adverſus Sanctorum interceſſionem ſic diſputandi gratia dixiſſet: *Sicut Sancti, qui ſunt in patria, ſunt ſuperiores nobis, ita & illi, qui ſunt in Purgatorio, quia jam peccare non poſſunt: ſed illi, qui ſunt in Purgatorio, non orant pro nobis, ſed magis nos pro eis: ergo nec Sancti, qui ſunt in patria, pro nobis orant*; ita deinde reſpondet: *Ad tertium dicendum, quod illi, qui ſunt in Purgatorio, etſi ſint ſuperiores nobis propter impeccabilitatem, ſunt tamen*

men inferiores quantum ad pœnas, quas patiuntur; & secundum hoc non sunt in statu orandi, sed magis ut oretur pro eis. Unde Cardinalis Cajetanus subdit: *Propter hoc enim* (loquitur de pœnis animarum purgantium) *excluduntur in responsione ad tertium existentes in Purgatorio ab orando nobis, quia non sunt totaliter nobis superiores, sed ratione pœnarum inferiores, & egentes nostris orationibus.* Concordant autem plerique alii Auctores fuse cumulati ab accurato viro Joanne Frescobaldo in suis dissertationibus super hoc argumento editis, quarum cum laude meminit sanctæ memoriæ Benedictus XIII. *in suo serm. 28. de Purgatorio.*

9. At, si quæstio sit de illis, qui in Purgatorio fuerunt aut ex quo, dimisso mortali, debitam pro eo non persecerunt pœnitentiam, ita ut necesse fuerit temporalem pœnam in Purgatorio subire; aut ex quo pro peccatis venialibus non satisfecerunt: præterquamquod neque de hoc constare potest, nisi ex revelatione Divina; nonnulli eo sub obtentu, quod in Ecclesia militante fuerunt, sunt, & futuri sunt justi, qui nihil purgabile habentes in hora exitus, statim post mortem in cælestia tabernacula recipiuntur, juxta illud *Psalm. 126. v. 2. & 3. Cum dederit dilectis suis somnum, ecce hæreditas Domini filii merces fructus ventris*; quem locum Hugo Cardinalis his explicat verbis: *Ostendit, quæ sit hereditas Domini, & quomodo collecta, & quando danda, & quibus . . . Cum dederit Dominus, scilicet dilectis suis somnum, idest mortem temporalem, quæ somnus dicitur, quia terminus est laboris, & inde fortior resurgit Justus, & de facili excitatur a Domino . . . Ecce hereditas Domini parata est, & illis statim dabitur*: nonnulli, inquam, censent, Canonizationis subjectum esse debere eos tantum Justos, qui statim post obitum in paradisum recipiuntur; cum non omnes Justi, sed perfectiores, & perfectissimi sint canonizandi, cumque Canonizationis honore decorandi sint in Ecclesia militante illi solum, quorum actiones proponi possunt Fidelibus in exemplum, quod imitentur. Quare Castellinus *de certitud. glor. Sanct. cap. 1. punct. 25. numer. 52.* ait: *Nomine vero Sanctorum intelligimus viros quoscumque pios & justos, innocentes atque immaculatos, qui in hac vita mortali viam mandatorum Dei alacriter cucurrerunt, illa fideliter observando, ac perseveranter, jamque vitæ præsentis cursum beato fine clauserunt, quorum animæ, nulla purgatione egentes, cæli secreta penetrarunt, statim evolando ad gloriam, clare Deum intuentes, sicuti est.*

10. Alii e contrario doctrinam hanc sic universaliter acceptam tamquam nimis rigidam rejiciunt; ideoque P. Matthæuccius *in sua practica Theologico-Canonica ad causas Beatificat. & Canonizat. tractandas tit. 2. cap. 4. num. 35.* inter cetera, quæ censet non obstare Canonizationi, ponit, quod Dei servus decesserit cum minima aliqua labe pœnis Purgatorii purganda; nam eo igne & Sancti, cum egent, purificantur: & paulo post: *Quæ sunt a Consultoribus nimium rigidis ponderanda, ut deducant, leves aliquas culpas ex subreptione veniales sanctitati, & perfectioni Servorum Dei non officere, minusque si pœnas Purgatorii debeant subire ad satisfaciendum Deo, qui impunita etiam minima non relinquit.* Re vera, quidquid sit de præsenti controversia, quam speculativam vulgariter dicemus potius, quam practicam, quemadmodum rigidus nimis esset ille Censor, qui in causa Canonizationis suffragaturus; aliquem Dei Servum continuato virtutum heroicarum exercitio celebrem, Canonizationis honore indignum reputaret ob commissum aliquod peccatum veniale, de cujus satisfactione non constaret Ecclesiæ; ita profecto nimis laxus haberi debet alius Censor, qui Canonizationem crederet indulgendam illi Dei Servo, qui lapsus in mortale peccatum talia non exhibuisset pœnitentiæ signa, ex quibus Ecclesia tuto credere posset, eum Divinæ Justitiæ plene satisfeciisse, juxta illud Sancti Ambrosii *Apologia 1. David cap. 2. num. 6. col. 675. tom. 1. oper.* ubi inquit: *Sancti autem Domini, qui consummare pium certamen gestiunt, & currere cursum salutis, sicubi forte ut homines corruerint, naturæ magis fragilitate, quam peccandi libidine, acriores ad currendum resurgunt, pudoris stimulo majora reparantes certamina, ut non solum nullum attulisse æstimetur lapsus impedimentum, sed etiam velocitatis incentiva cumulasse.*

11. Quarta quæstio est de his, qui adhuc vivunt, an possint esse Canonizationis subjectum: cui omnes negative respondent, communiter loquendo; quidam vero, in aliquo casu extraordinario, affirmative dicunt esse respondendum, hoc est, si Deus summo Pontifici revelaret, aliquem esse prædestinatum, & in gratia confirmatum. Pro hoc assumpto comprobando afferunt exempla ecclesiarum ad honorem B. Mariæ Virginis adhuc viventis constructarum, in civitate videlicet Avenionensi a S. Martha, in civitate Cæsaraugustana a S. Jacobo Majore, & apud Carnotenses centum annis antejus nativitatem imaginem ferunt consecratam ad honorem Virginis parituræ, juxta ea, quæ ad rem collecta habentur apud Dominicum a SS. Trinitate *in bibliath. max. Pontificia tom. 10. pag. 488.* & apud Lezanam *consult. 3. num. 118.* quibus quidem addi possunt argumenta tum Beatissimæ Virginis, tum S. Joannis Evangelistæ, quos nonnulli autumant nunquam mortuos fuisse, tum Eliæ, qui adhuc vivit, quique, teste Lezana *cit. consult. 3. num. 129.* canonizari potest solemni Canonizatione, qua Sancti hodie canonizantur.

12. Verum, cum juxta Concilium Tridentinum *sess. 6. de justificatione cap. 12.* sciri non possit, nisi ex speciali revelatione, quos Deus sibi elegerit, unusquisque facile dignoscere valebit, inutile omnino esse examen hujusce controversiæ. In præsenti quippe agitur de Canonizationis subjecto juxta vias ordinarias, & dependendo a probationibus, quæ in hujusmodi judicio recipi consueverunt, nec aliter aliquando rem se habuisse asseri potest, propter vim exemplorum supra relatorum. In eo enim, quod attinet ad ædificationem ecclesiarum in honorem Beatissimæ Virginis adhuc viventis, alibi de ea sermo fiet. In eo autem, quod spectat ad eamdem Beatissimam Virginem, & S. Joannem Apostolum, quos nonnulli asserunt mortuos non fuisse; licet S. Epiphanius scriptor quarti sæculi asseruerit, se declarare non posse, utrum Virgo mortua sit, an vero immortalitatis honore fuerit decorata, & probabiliorem censuerit opinionem, quod Deus ei dederit gratiam immortalitatis; hujus nihilominus gravissimi Patris sensus, aliorum, &, quod caput est, Ecclesiæ universæ sensui adversatur, qui mortuam eam censent: ita ut tota controversia sit, num in civitate Ephesina, an in civitate Hierosolymitana mortua fuerit, juxta erudite collecta a Tillemont *tom. 1. sex primor. sæcul. in vita Beatissimæ Virginis artic. 7. & in notis ad eamdem, & signanter nota 14. & nota 17.* Et, licet Georgius Trapezuntius, & post eum Jacobus Faber Stapulensis defendendam susceperint sententiam de exemptione S. Joannis Evangelistæ a communi hominum lege, ita ut ipse adhuc superstes novissimis decedentis mundi temporibus manum cum Antichristo collaturus sit; & Florentinius *in notis ad vetus Martyrologium* mortem admiserit Joannis, sed statim ad vitam existimaverit restitutum, ut ad exitum sæculorum perveniens, post annuntiatam Fidem, iterum tandem occumbat; hæc tamen & similia ab aliis passim rejecta sunt; & quidquid Græci post admissum schisma tenebris ignorantiæ involuti autumaverint, Ecclesia certe Latina semper fuit & est in eo sensu, quod S. Joannes, sicuti ceteri homines, mortem subierit. Quocirca Polycrates Ephesinus Episcopus certiorem fecit Victorem Romanum Pontificem de obitu S. Joannis Ephesi secuto; uti videre est apud Eusebium *lib. 3. cap. 25.* Tertullianus autem *in lib. de anima cap. 50. pag. 501.* Henoch, & Eliæ dilatam dicit mortem, sed Joannem obiisse testatur. *Translatus est Henoch & Elias, nec mors eorum reperta est, dilata scilicet. Ceterum morituri reservantur, ut Antichristum sanguine suo extinguant. Obiit & Joannes, quem in adventum Domini remansurum, frustra fuerat spes.* Consuli possunt super morte Joannis, Tillemont *tom. 1. in ejus vita*, Calmet *in disser. super hoc eodem argumento*, Guyet *de festis propriis Sanctorum lib. 2. cap. 9. n. 11.*

13. Redacta idcirco controversia ad Eliam, & Henoch, translatio quidem Eliæ adhuc viventis ex sacro Textu desumitur *lib. 4. Reg. cap. 2. v. 11. & 12. Cumque pergerent & incedentes sermocinarentur, ecce currus igneus & equi ignei diviserunt utrumque* (hoc est Eliam, & Eliseum) *& ascendit Elias per turbinem in cœlum; Eliseus autem videbat, & clamabat: Pater mi, Pater mi, currus Israel, & auriga ejus; & non vidit eum amplius.* Item de Henoch similia dicenda sunt, teste S. Paulo *in epist. ad Hebr. cap. 11. v. 5. Fide Henoch translatus est, ne videret mortem, & non invenichatur, quia transtulit illum Deus.* Tum de utrisque recepta est Patrum sententia, eos uedum jugem nunc degere vitam, sed & statuendos pariter certa die in prælium contra Antichristum, ac tandem perimendos ab adversario illo omnium Sanctorum, & post hæc restituendos in vitam & gloriam immortalem, juxta illud *Apoc.*

cap. 11. *v.* 4. *Hi sunt duæ olivæ, & duo candelabra in conspectu Domini terræ stantes.* De eorum vero cultu, licet adhuc viventium, sermonem habendo, quamvis Eliæ mentio fiat in Martyrologio Romano, cultuque Missæ & Officii, in Religione potissimum PP. Carmelitarum, colatur; hinc tamen nihil ad propositam de Canonizatione viventium controversiam inferri posse videtur. Ratio est, quia Ecclesia non celebrat festum Eliæ ut Beati, sed ut rapti, uti late ostendit eruditus P. de Graveson *in histor. Ecclesiast. veter. Testamenti tom.* 3. *pag.* 264. atque consentit P. Cornelius a Lapide *in Genes. cap.* 5. *v.* 24. ubi, proposita quæstione, an Henoch, & Elias videant Deum, & sint Beati, allatoque pro parte affirmativa argumento, quod Ecclesia celebrat festum Eliæ; & Græci in ejus honorem templa erexerunt, post bene statutam negativam opinionem, sic respondet: *Græci celebrant festum Eliæ non Beati, sed rapti, Illo enim die tantum recolunt memoriam raptus ejus, quia raptus hic fuit admirabilis. Eodem modo & scopo Eliæ templa erexerunt Græci, quo festum illi instituerunt, scilicet, ut iis testarentur, & recolerent memoriam tam miri raptus Eliæ.* Aut quia, admissa communiori Theologorum opinione, Eliam, & Henochum visione & voluptate beatifica nullatenus gaudere, tum quod Dei visio negatur hominibus in hac vita degentibus, tum quod peculiare fuit Christi privilegium, ut esset simul viator & comprehensor; bene potuit Ecclesia cultum admittere in honorem Eliæ, qui constitutus in altissimo sanctitatis gradu, perseverantiæ & confirmationis in gratia dono præditus est, juxta ea quæ habentur apud Lezanam *citat. consult.* 3. In quo proinde rerum themate nemo est qui non videat, cultum Eliæ adhuc viventis nihil habere commune cum Canonizatione hominis viventis, juxta modum & morem nunc in Ecclesia adhibitum peragenda, absque eo quod ullum hinc sequatur absurdum: Divina quippe visione non fruebatur, sed in sinu Abrahæ quiescebat Elias, quamvis, uti legitur in historia Machabæorum, multum orabat pro populo, & sic poterat a Judæis tamquam intercessor implorari. Ex quo propterea sequitur, recte potuisse in honorem Eliæ, licet adhuc Dei beatifica visione non fruentis, sed supra laudatis donis insigniti, festum institui, & in toto Carmelitarum Ordine Officium recitari; quemadmodum satis apte argumentatur Natalis Alexander *in histor. Eccles. sæc.* v. *dissert.* 25. *art.* 2. *propositr.* 2. *sub num.* 17. §. *Respondeo quarto.*

14. Alia quæstio hic esset pertractanda, an possit aliquis ad ordinem Apostolorum canonizari: sed, cum verus quæstionis sensus non alius sit, quam ut perpendatur, num aliquis Dei servus Canonizationis honore decoratus, propter insignia, quæ egit, facinora pro Fide Catholica in aliquam regionem introducenda, titulo Apostoli insigniri possit, de ea alibi fuse tractabitur.

CAPUT DECIMUMQUINTUM.

De gravitate Causarum Canonizationis, & de his, quorum opera & consilio summi Pontifices olim usi sunt in earum definitione.

1. ROMANI ipsi Pontifices, ad quos spectavit & spectat definitio causarum Canonizationis, earum gravitatem conceptis verbis in suis diplomatibus & bullis expresserunt.

2. Cælestinus Papa III. in bulla Canonizationis S. Ubaldi Episcopi Eugubini hæc habet: *Nos vero opus istud intuentes sensum & intelligentias nostras excedere, quia potius est Divini judicii, quam humani, cum ipse solus plene noverit, qui sunt ejus, suspendimus desiderium tuum aliquandiu, ut Nobis & Fratribus nostris, quid potius agendum esset, Spiritus Sancti gratia revelaret.*

3. Innocentius III. in bulla Canonizationis B. Vulstani Episcopi Wigornienſis in Anglia ait: *Cum Divinum sit judicium hujusmodi potius, quam humanum;* & in bulla Canonizationis B. Chunegundis Imperatricis: *Nos itaque cognoscentes, quod hoc re vera judicium sublimius est inter cetera judicia judicandum, in ipsius examinatione plenariam voluimus adhibere cautelam.*

4. Honorius III. in epistola ad Archiepiscopum, Decanum, & Capitulum Eboracense, & alios Ecclesiæ Præsules supplicantes pro Canonizatione S. Guillelmi Archiepiscopi Eboracensis, sic locutus est: *Nos tamen provide attendentes, quod tam in sancto negotio non est, nisi cum maturitate plurima, procedendum;* & in alia epistola ad Religiosos viros S. Mariæ de Gualdo supplicantes pro Canonizatione Joannis Eremitæ: *Tanto matutiori consilio circa ea censuimus procedendum, quanto in iis citius, quam in aliis, mole carnis gravatus humanæ considerationis intuitus potest falli;* ut habetur apud Raynaldum *ad ann.* 1223. *num.* 48. *& ad ann.* 1218. *num.* 34.

5. Gregorius IX. mandans Episcopo Bononiensi & nonnullis aliis, ut inquisitionem assumerent in causam Canonizationis S. Dominici, sequentibus verbis usus est, ut habetur in bulla hujus Pontificis 89. *in* 1. *tom. Bullarii Ord. Prædic.* quæ eadem verba repetiit in alio consimili mandato inquirendi, ab eo dato in causam S. Elisabeth, sicuti legitur apud Raynaldum *ad ann.* 1232. *num.* 10. *Verum, etsi per virtutum insignia, quibus olim memoratus Frater extitit multiformiter insignitus, seu per famosa miracula, quibus ejus sancta rutilare dicitur sepultura, cælestis Sponsæ vocibus de Sanctorum esse numero debeat affirmari; tamen, quia mentibus ambiguis subito rei veritas non clarescit, & repentinis non solet miraculorum relatibus quorumdam spiritus exultare, eo quod omne rutilum nomen auri non impetrat, nec ebur quodlibet niveum imitatur: Nos, quos, providentia præambula, decet festinos in certis, & lentos in dubiis inveniri, discretioni vestræ, de qua in Domino plenam fiduciam obtinemus, mandamus, quatenus provide attendentes, quod lux vera Sanctorum Dominus Jesus Christus signis publicis & prodigiis evidentibus trepidantia discipulorum pectora roboravit, mentes eorum nubilas de resurrectionis admiranda gloria expressæ certitudinis clarificans fulcimentis, vitam & conversationem prædicti Fratris, quibus Deo & hominibus noscitur placuisse, necnon miracula, quæ auctore Deo, de sui corporis sanctitate procedunt, habita præ oculis sola Divinæ reverentia majestatis, per testes idoneos studeatis inquirere, cauta diligentia & sollicitudine vigilanti.*

6. Innocentius IV. inquit in Remissoria concessa pro Causa Sanctæ Rosæ Viterbiensis apud Raynaldum *ad an.* 1252. *sub num.* 7. *Cum in re tam profundi judicii tanta expediat maturitatis cautela procedi, ut iis, qui perversitatis hæreticæ fermento corrupti loqui audent mala de bonis, & in electis pingere maculam, ut Ecclesiæ sponsæ Christi species decoloretur in membris, nullus insultandi Fidelibus aditus relinquatur.*

7. Joannes XXII. inquiri mandavit in plerasque causas Canonizationis, in causam videlicet Beatæ Claræ a Monte Falco, in causam Roberti Cantuariensis Archiepiscopi, in causam Philippi Archiepiscopi Bituricensis, in causam Beati Gregorii Papæ X. & in causam Sancti Thomæ Aquinatis. In causa Beatæ Claræ a Monte Falco hoc sermone usus est: *Attendentes, quod Romana Ecclesia, præsertim in tanto Fidei negotio, consuevit cum magna maturitate procedere, ubi videlicet de re tam ardua quæritur, sensibus quidem abdita, ignota scientiis, & novo quodam probandi genere, vita utique & miraculis comprobanda: nam, si difficile existimamus, quæ in terra sunt, & quæ in prospectu sunt, invenimus cum labore; quæ in cælis sunt, quis investigabit?* uti legitur apud Raynaldum *ad ann.* 1317. *sub num.* 55. & eadem quidem verba repetuntur in alio mandato pro causa B. Gregorii Papæ X. quemadmodum habetur apud eumdem Raynaldum *ad ann.* 1325. *sub num.* 32. In causa vero Roberti Cantuariensis Archiepiscopi sic idem Pontifex locutus est: *Circa id, quod de Canonizatione sanctæ memoriæ Roberti Cantuariensis Archiepiscopi supplicasti, scire te volumus, quod Romana mater Ecclesia non consuevit, super tanta causa præsertim, præcipitanter aliquid agere, quin potius tale negotium solemnis executionis indagine ponderare.* In causa Philippi Archiepiscopi Bituricensis: *Sed, licet sit pium & debitum veneratione Sanctorum intendere, & eos colendos in terris populis exhibere, expedit tamen in illis illam maturitatis adhibere cautelam, ut nulla fallat incertitudo judicium, nec ignorantia facta judicantis solertiam circumscribat, quæ tanto periculosior foret in talibus, quanto in majoribus erraretur; sed, prudentia multa præambula,*

la, & diligenti maturitate ſervata, veritas exquiſita ſollicite deducatur in lucem, de dubiis ſententia eliciatur indubia, & certitudo habeatur, & ſumatur certior in incertis. In cauſa demum S. Thomæ Aquinatis: *Attendentes tamen, quod Romana Eccleſia, præſertim in tanto Fidei negotio, ubi videlicet de re tam ardua quæritur, cum magna conſuevit maturitate procedere, quodque ſcriptum ſit, cauſam, quam neſciebam, diligentiſſime inveſtigabam; nam, etſi gloria Dei ſit celare verbum, gloria tamen Regum eſt inveſtigare ſermonem;* ſicut legitur apud Raynaldum *ad ann.* 1318. *ſub numer.* 29. *& ſub num.* 30. *& ad ann.* 1323. *num.* 67.

8. Urbanus V. nonnullis commiſit Epiſcopis, ut inquirerent ſuper vita & miraculis B. Delphinæ, & ait: *Nos igitur, quos non feſtinos, ſed graves convenit in dubiis inveniri;* & Nicolaus V. in facultate data Cardinalibus Epiſcopo, Presbytero, & Diacono procedendi in cauſa S. Vincentii Ferrerii ſic locutus eſt: *Verum, cum inter ceteras graviores cauſas, quæ apud Sedem Apoſtolicam agitentur, hæc graviſſima ſit, & in eadem omnis diligentia, & conſcientiæ ſerenitas adhiberi debeat, ut in hac cauſa non ſimulata, ſed ſolida veritas elici poſſit;* uti habetur apud Raynaldum *ad ann.* 1363. *num.* 26. *& ad ann.* 1451. *ſub num.* 16.

9. Julius II. in epiſtola, in qua ad petitionem Henrici VII. Angliæ Regis committit Archiepiſcopo Cantuarienſi, & aliis Epiſcopis, ut inquirant in cauſam Henrici VI. Angliæ Regis, inquit: *Attendentes tamen, hujus rei Divinum judicium potius, quam humanum exiſtere;* & Leo Papa X. Advocato Conſiſtoriali in Conſiſtorio ſupplicanti pro Canonizatione S. Franciſci de Paula ſic reſpondit: *Quo majori conſideratione petitionem tuam ſuper religioſi Franciſci Canonizatione contemplamur, eo gravius periculoſiuſque negotium nobis eſſe videtur; quippe res ipſa & Divinam majeſtatem tangit, & ad univerſalis Eccleſiæ cultum perpetuo ſpectat; proinde nec nos tam maturo conſilio, neque tam diſcuſſa meditatione valere confidimus, quin profecto majore non egeat;* quemadmodum proſtat apud ſæpe citatum Raynaldum *ad ann.* 1504. *ſub num.* 33. *& ad ann.* 1519. *ſub num.* 78.

10. Quoad eos vero, quorum opera & conſilio Romani Pontifices uſi fuerunt, & etiamnum utuntur pro eis definiendis, Auctores, qui ſcribunt de hac Canonizationum materia, paucis ſe expediunt. Dicunt etenim, Romanos Pontifices uſos fuiſſe, & uti opera Cardinalium S. R. E. & de honeſtate, eorum conſilia debere requirere. Sanctus Antoninus 3. *part. tit.* 22. *cap.* 5. §. 5. Molphef. *conſil.* 46. *num.* 16. Maucler. *de monarchia Eccleſiæ* 2. *part. lib.* 4. *cap.* 7. *ſub num.* 3. Caſtellan. *in ſuo tract. de Canoniz. SS. q.* 3. §. *Concludo interdum*, Ceparius *in ſuo director. Canoniz. lib.* 1. *cap.* 6. *numer.* 31. Malvet. *de Canoniz. SS. dub.* 2. *num.* 48. *& ſequentibus inter tractatus magnos tom.* 14. *in ſuo tractatu ms. de Canoniz. SS. ad Cardinalem Montis Regalis cap.* 5. *per totum*, Contelor. *de Canoniz. SS. cap.* 9. Matta *in tractat. de Canoniz. SS. part.* 4. *cap.* 4. *num.* 9. Sed, ut res majori, qua fieri poſſit, diligentia perpendatur; operæ pretium eſſe cenſemus, tempora diſtinguere, hoc eſt illud, quod lapſum eſt ante inſtitutionem Congregationis ſacrorum rituum, ab illo, quod ſacrorum rituum Congregationis inſtitutionem ſubſecutum fuit: de quorum quidem primo in hoc capite loquemur, de altero in ſequenti.

11. Sermonem itaque habendo de tempore ſuperiori, dicimus primo, pleraſque Canonizationes expletas fuiſſe a Romanis Pontificibus aut in Synodis particularibus, aut in Synodis generalibus, aut paulo antequam Synodi generales haberentur, congregatis tamen jam Patribus, qui ad eas celebrandas advenerant, ut in ſuperioribus fuſe expoſitum fuit; & tunc Romanos Pontifices in definiendis cauſis Canonizationis uſos fuiſſe opera & conſilio Patrum in Concilio congregatorum, aut ad Concilium vocatorum.

12. Dicimus ſecundo, pleraſque Canonizationes eo ipſo tempore factas fuiſſe a Romanis Pontificibus extra Concilium, & eodem modo alias peractas fuiſſe temporibus ſubſequentibus; & tunc Romanos Pontifices uſos fuiſſe opera & conſilio tum Cardinalium, tum Archiepiſcoporum, & Epiſcoporum ad id vocatorum. Ut enim cetera prætereantur, Eugenius Papa III. in bulla Canonizationis S. Henrici Imperatoris ait: *Fratrum noſtrorum Archiepiſcoporum, & Epiſcoporum, qui præſentes aderant, communicato conſilio;* Alexander III. in bullis Canonizationum S. Thomæ Cantuarienſis, & Bernardi Abbatis, meminit *conſilii Fratrum;* Clemens III. inter Sanctos retulit B. Malachiam Hiberniæ Epiſcopum, cujus vita fuerat conſcripta a S. Bernardo, & in diplomate impreſſo poſt ejus vitam *tom.* 1. *oper. pag.* 697. & iterum edito in appendice ad codicem Canonizationum, teſtatur, ſe ad id procedere *de communi Fratrum ſuorum conſilio;* Cæleſtinus III. canonizavit BB. Ubaldum, Bernwardum, Joannem Gualbertum, & Gerardum; Innocentius III. BB. Homobonum, Chunegundem, Vulſtanum; Honorius III. BB. Willelmum Bituricenſem Archiepiſcopum, Hugonem, alium Guillelmum Canonicum Regularem, Laurentium Dublinenſem, alium Guillelmum Eboracenſem Archiepiſcopum; Gregorius IX. B. Franciſcum de Aſſiſio, Antonium Ulyſſiponenſem, Virgilium Salisburgenſem Epiſcopum, Dominicum, Eliſabetham; & in omnium Bullis narratur, aut habitum fuiſſe conſilium Fratrum, aut Fratrum & vicinorum Epiſcoporum, aut Archiepiſcoporum, & Epiſcoporum tunc apud Sedem Apoſtolicam exiſtentium.

13. Dicimus tertio, quod, antequam Canonizationum Cauſæ in Summi Pontificis Conſiſtorio, cui Cardinales, Archiepiſcopi, & Epiſcopi ſupra memorati, ut alibi exponetur, intererant, proponerentur, ut in eo diſcuti poſſent, mos inductus eſt, ut proceſſus confecti committerentur prævio examini nonnullorum Rotæ Romanæ Auditorum, qui Capellani Papæ dicti ſunt, & dicuntur, aut aliorum proborum & doctorum virorum, qui rem diſcutiebant. Honorius III. qui inter Sanctos retulit, uti diximus, Laurentium Dublinenſem, id non perfecit die, quo perficere decreverat, ſed ad diem ſequentem diſtulit, cum Capellani abeſſent, & Præſules a Curia receſſiſſent; ſicuti colligitur ex monumento, quod eſt in Archivo Sanctæ Mariæ Angenſis Canonicorum Regularium Sancti Auguſtini, quodque publici juris factum eſt a Guillelmo Beſſin in *Conciliis Provinciæ Rhotomagenſis, p.* 2. *pag.* 47. in quo monumento hæc verba habentur: *Cum ergo tam Papa, quam Fratres voto unanimi hunc Beatum Virum digne pro meritis Sanctorum catalogo decernerent protinus adſcribendum, tunc propter abſentiam Capellanorum Domini Papæ, Epiſcoporum, & extraneorum, qui jam a Curia tædio affecti receſſerant, id ipſum ad diem ſequentem dilatum eſt. Congregatis vero in craſtinum Cardinalibus, vocatiſque ad Curiam Archiepiſcopo Burdegalenſi, Epiſcopis quampluribus, & Perſonis aliis, quæ pro negotiis variis in Curia moram faciebant . . . . conſenſerunt omnes, illum Dei famulum tantis teſtimoniis approbatum Sanctorum eſſe numero digniſſime conſcribendum.*

14. Clarius id deſumitur ex Cardinali Hoſtienſi, qui ſæculo decimotertio floruit, quique in *Commentariis ad Cap. Audivimus de Reliq. & Vener. Sanct.* de prædicto more antea recepto teſtatur: *Remiſſa Inquiſitione*, hoc eſt Apoſtolico proceſſu in ſpecie confecto ſuper virtutibus, & miraculis Canonizandi, *committitur examinatio in Curia aliquibus Capellanis, vel perſonis authenticis, & diſcretis, qui & formant rubricas.* Favent poſteriorum temporum monumenta: in Ordine quippe Romano Jacobi Cardinalis Cajetani, qui mortuus eſt ſub Clemente VI. impreſſo apud Mabillon. *in ſecundo tomo ſui muſei Italici* ita legitur *numer.* 115. *Qua inquiſitione ſic remiſſa, Dominus Papa conſuevit ipſius inquiſitionis examinationem committere in Curia aliquibus Capellanis ſuis, vel aliis perſonis authenticis & diſcretis, & in talibus expertis, quæ ordinent & forment rubricas ſuper inquiſitione prædicta;* eademque verba adamuſſim repetuntur ab Auctore, qui anno 1347. ſub eodem Pontifice Clemente VI. rituum formulis præerat in Aula Pontificia, cujus Opus publici juris factum eſt a Raynaldo *ad ann.* 1347. *num.* 34. & a Fleuri *in hiſt. Eccleſ. lib.* 95. *tom.* 20. *num.* 37. *pag.* 66. Martinus Laudenſis tractatum conſcripſit *de Canonizatione Sanctorum* occaſione Canonizationis Sancti Bernardini Senenſis factæ a Nicolao V. illumque dicavit Fratri Joanni de Capiſtrano nunc inter Sanctos relato, & in eodem tractatu ita legitur: *Remiſſa inquiſitione, committitur examinatio in Curia aliquibus e Capellanis, vel aliis perſonis authenticis, quæ formant rubricas.* Jo. Franciſcus de Pavinis Rotæ Auditor relationem exaravit totius cauſæ S. Bonaventuræ, eamque obtulit ſummo Pontifici Sixto IV. qui Bonaventuram inter Sanctos retulit, & in *part.* 2. *artic.* 7. loquitur de mandato, quod fiebat Rotæ Auditoribus, aut aliis perſonis, ut proceſſum examinarent, & formarent rubricas, ſeu ſummarium. Apud Spelmannum *in Conciliis, decretis, & legibus Orbis Britannici tom.* 2. extat monumentum ſæculi decimiquinti de ordine Canonizationum, & in eo repetuntur ea, quæ in ſuperiori-

bus dicta sunt de hoc ipso mandato. Edito tandem sub Leone X. libro sacrarum cæremoniarum nomine Christophori Archiepiscopi Corcyrensis, ita legitur *sect. 6. c. 1. Quibus receptis, Pontifex committat illa examinanda aliquibus Auditoribus sacri Palatii, qui videant & ordinent processum, & videant, an inquisitio & probatio est legitima, & sufficienter facta.* Unde in bulla Canonizationis S. Francisci de Paula sub Leone X. legitur: *Post complures igitur commissiones ab Aulæ Palatii nostri Advocato Consistoriali, & ab Auditoribus causarum ejusdem Palatii super hoc debite factas;* & in bulla Canonizationis S. Antonini sub Clemente VII. subditur: *Idem Leo prædecessor, eorum pio desiderio annuere volens, dilectis filiis Magistris Jacobo Simonettæ, & Guillelmo Cassadoro nostris, tunc ipsius Leonis prædecessoris Capellanis, & causarum Palatii Apostolici Auditoribus commiserat, ut ipsi, & quilibet eorum de sanctitate vitæ, ceterisque virtutibus & miraculis ejusdem Antonini Archiepiscopi se diligenter informarent.* Concordat liber relationum conscriptus a Julio de Medicis Vicecancellario, in quo continentur res in Consistorio expeditæ tempore Leonis X. & Hadriani VI. *pag. 46.* Extat ille manuscriptus in bibliotheca DD. de Piis in Urbe, cujus hæc sunt verba: *Reverendi Patres Dominus Jacobus Simonetta, & Joannes Cassadorus Auditores Rotæ in sacro Consistorio introducti fuerunt, quibus alias per Sanctissimum Dominum Nostrum injunctum fuerat, ut viderent processus habites in civitate Florentina de vita, & moribus, ac miraculorum coruscatione B. Antonini Archiepiscopi Florentini; qui dictis processibus bene visis & examinatis retulerunt, inquisitionem & probationes hujusmodi rite factas fuisse. Ipsi quoque Domini Auditores dixerunt, de mandato Sanctissimi Domini Nostri edicta in locis publicis se posuisse, nonnullosque testes examinasse super vita, moribus, & sanctimonia prædicti B. Antonini, quorum depositionibus clare constabat, præter ceteras animi, & corporis virtutes, quibus præditus fuerat, multa in civitate Florentina miracula fecisse; Dominusque Joannes Cassadorus nonnulla in sacro Consistorio recitavit: quibus auditis, Sanctissimus Dominus Noster de consilio RR. DD. ad ulteriora prosequi decrevit.*

15. Dicimus quarto, quod, ultra examen Rotæ Auditorum, antequam causæ Canonizationum in Consistorio proponerentur, in quo Cardinales, Archiepiscopi, & Episcopi suffragaturi congregabantur, facta est superadditio examinis unius ex Cardinalibus, qui a Romano Pontifice ad hoc munus eligebatur, ut ex citato monumento edito a Guillelmo Beffin plene desumitur. Ibi quippe, postquam expositum fuit, quod scripta & testimonia fuerant Honorio III. summo Pontifici oblata, subditur: *Qui* (sermo est de Papa) *mox ea Domino Nicolao Episcopo Tusculano, quem alias hujus negotii dederat auditorem, tradi fecit; qui diligenter ea discutiens, & fideli liberans examine, super his gaudere se plurimum, & admirari professus est: multis vero causis & impedimentis per dies plurimos intercurrentibus, tandem die præcedente vigiliam B. Nicolai, ad audientiam & examen Domini Papæ, & Fratrum Cardinalium omnia inquisitionum rescripta memoratus Episcopus retulit tam de miraculis, quam de vita; & pene parte diei tertia in legendo detenta, a Domino Honorio, & Cardinalibus omnibus diligenti examinatione discussa sunt, approbata, & recepta.* Concordat vita S. Stanislai Episcopi & Martyris scripta a Joanne Longino Canonico Cracoviensi, & impressa in Actis Bollandianis *ad diem 7. Maji p. 257. tom. 2.* Mentio siquidem in ea fit mandati delegati ab Innocentio IV. Joanni Cajetano Cardinali Urbino, qui deinde ad summum Pontificatum evectus Nicolai III. nomen assumpsit, ut ponderaret examen eorum, qui in causa S. Stanislai testimonium reddiderant: *Sollicitudine quoque, & vigilia ingenti, primum quidem summum Pontificem Innocentium IV. deinde singulos Cardinalium*, loquitur Longinus auctor contemporaneus de prædictæ causæ Postulatoribus, *præcipue tamen Joannem Cajetanum Tituli S. Nicolai in carcere Tulliano Diaconum Cardinalem causæ prædictæ Commissarium ad videndum dicta examina testium specialiter deputatum, de consummando Canonizationis munere frequentius abeundo vexabant.*

16. Dicimus quinto, examini unius Cardinalis trium Cardinalium tamen procedente tempore subrogatum fuisse, unius videlicet ex ordine Episcoporum, alterius ex ordine Presbyterorum, & ultimi demum ex ordine Diaconorum, qui præter Rotæ Auditores rem totam sedulo perpenderent & examinarent. Tempore Martini IV. actum fuit de Canonizatione S. Ludovici Regis Franciæ, quæ res progressionem habuit tempore Nicolai IV. & tandem absoluta fuit tempore Bonifacii VIII. Bonifacius autem in sua, quam habuit, concione, antequam ad Canonizationem procederet, nedum trium Cardinalium, sed aliorum etiam superadditorum mentionem fecit; uti colligitur ex dicta concione impressa apud Raynaldum *ad an. 1297. num. 58.* ubi: *Tandem pro dicto negotio tempore Domini Martini commissum est negotium tribus Cardinalibus ad examinandum, qui viderunt, examinaverunt, & pro magna parte rubricaverunt . . . Tempore vero Domini Nicolai IV. commissum est negotium tribus aliis Cardinalibus, Domino scilicet Ostiensi, Domino Portuensi, & Nobis in statu Cardinalatus adhuc existentibus, quia mortui erant illi Cardinales, quibus negotium primo fuerat commissum . . . Temporibus autem nostris non sunt mutati Examinatores, sed tamen iterum lectæ sunt plura miracula, examinata, & rubricata non solum per illos prædictos Examinatores, sed etiam per plures alios Cardinales; & voluimus, ut quilibet sigillatim daret consilium suum in scriptis, ne odio, vel amore, seu etiam timore aliquo aliquis taceret.* Omnes denique supra relati (ut ab inutili repetitione abstineamus) qui testati sunt de mandato, quod fiebat Rotæ Auditoribus, aliisque discretis personis, testimonium quoque reddiderunt de alio subsequenti, quod fiebat tribus ad minus Cardinalibus, Episcopo, Presbytero, & Diacono; & concordant bullæ Canonizationum, Sancti videlicet Nicolai de Tolentino sub Eugenio IV. S. Bernardini Senensis sub Nicolao V. S. Osmundi sub Callisto III. S. Vincentii Ferrerii, & S. Catharinæ sub Pio II. S. Leopoldi sub Innocentio VIII. S. Francisci de Paula sub Leone X. S. Bennonis sub Hadriano VI. S. Antonini sub Clemente VII. In omnibus enim prædictis Constitutionibus testantur Pontifices de causarum examine ad tres Cardinales, uti supra, delato: eædemque bullæ Canonizationum plene ostendunt, examini Rotæ Auditorum, & trium Cardinalium factam fuisse accessionem examinis in Consistorio, cui Papa intererat una cum Cardinalibus, & Episcopis, quemadmodum facile demonstratur ex bullis Canonizationum SS. Edmundi, Willelmi, Petri a Verona, Stanislai sub Innocentio IV. Claræ sub Alexandro IV. Richardi sub Urbano IV. Ludovici Regis Franciæ sub Bonifacio VIII. Petri Cælestini sub Clemente V. Ludovici filii Caroli II. Regis Siciliæ, Thomæ Herfordiensis, & Thomæ Aquinatis sub Joanne XXII. Ivonis sub Clem. VI. Elzearii sub Urbano V. Birgittæ sub Bonifacio IX. Nicolai de Tolentino sub Eugenio IV. Bernardini sub Nicolao V. Osmundi sub Callisto III. Vincentii Ferrerii, & Catharinæ Senensis sub Pio II. Bonaventuræ sub Sixto IV. Leopoldi sub Innocentio VIII. Francisci de Paula sub Leone X. Bennonis sub Hadriano VI. Antonini sub Clemente VII. Quinimmo aliquando, præter judicium Capellanorum, & examen trium Cardinalium, exquisita fuerunt suffragia virorum doctorum in sacra Theologia, vel in jure Canonico, antequam de causa ageretur in Consistoriis cum Cardinalibus & cum Archiepiscopis & Episcopis apud Sedem Apostolicam degentibus; quemadmodem legitur in bulla Canonizationis S. Osmundi sub Callisto III. ubi: *Ac præterea triginta famosissimorum sacræ Paginæ, & utriusque Juris Doctorum, quorum nonnulli Episcopi, quidam Referendarii, ceteri vero Palatii Apostolici Auditores, Advocati Consistoriales, ac magnæ auctoritatis viri exiterunt, consilia, quæ omnia in unam eamdemque sententiam pro ipsius Canonizatione Antistitis convenirent, merito attendentes &c.*

17. Adversus autem hucusque adducta opponi posse videtur, nullam fieri mentionem consilii a Cardinalibus requisiti, & præcedentium memoratorum examinum, in bullis Canonizationum S. Theobaldi, S. Hugonis, & S. Laurentii Dublinensis. Sed, cum Canonizatio S. Theobaldi facta fuerit ab Alexandro III. qui etiam inter Sanctos retulit Eduardum, Thomam Cantuariensem, & Bernardum Abbatem, in quarum Canonizationum bullis Pontifex memorat, habitum fuisse, & requisitum Fratrum consilium; dubitari idcirco rationabiliter non potest de ejusdem consilii interventu in Canonizatione S. Theobaldi. Simile judicium ferendum est de aliis Canonizationibus BB. Hugonis, & Laurentii; peractæ siquidem fuerunt ab Honorio III. qui etiam inter Sanctos retulit Willelmum Bituricensem Archiepiscopum, Guillelmum Canonicum Regularem, & alium Guillelmum Archiepiscopum Eboracensem, in quarum Canonizationum bullis testatur de præcedenti examine facto, & de consilio a Cardinalibus, & Episcopis requisito. Igitur, quia

quia in bulla Canonizationis nullus sermo sit de prædicto consilio, non videtur inferri posse, illud defuisse, quando verisimile est, quod interfuerit, & quando in aliis similibus actibus certum est interfuisse; eoque magis, cum in bulla Canonizationis S. Laurentii Dubli-

nensis Honorius de prædicto consilio loquatur, & nihilominus illud intercessisse, certum sit ex monumento supra indicato archivi S. Mariæ Angensis Canonicorum Regularium S. Augustini.

CAPUT DECIMUMSEXTUM.

De Sacrorum Rituum Congregatione.

1. SUMMUS Pontifex Sixtus V. quindecim in Urbe instituit Congregationes S. R. E. Cardinalium, ut citius videlicet & diligentius negotia, quæ ad sanctam Sedem deferuntur, examinari possent; sicuti legitur *in ejus Constit. 74. Bullarii vet. tom. 2. Nos igitur magni illius Moysis exemplo adducti, qui cum Deo loquens soceri sui Jethro consilium de variis judicibus constituendis non repudiavit, quique Dei jussu insignem senatum septuaginta Seniorum conscripsit, qui cum eo onus populi sustinerent, ne solus ipse gravaretur; Pontificium hoc onus, Angelicis plane humeris formidandum, inter Senatores orbis terræ, Fratres nostros Cardinales, apta quadam distributione pro temporum conditione, negotiorum multitudine & varietate, ipsaque utilitatis ratione salubriter partiri decrevimus.* Et paulo post: *Et, ut facilius, celeriusque expediantur* (sermo est de iis, qui ad sanctam Apostolicam Sedem ob aliquas causas confugiunt) *distinctos Cardinalium conventus & Congregationes ad certas rerum negotiorumque tractationes paratas habeant, Cardinalesque ipsi distributi muneris partem levius ferant, diligentius administrent, commodius nos consulant, & denique viri primarii publicis in rebus exercitati nullo unquam tempore desint.* Inter ceteras vero Congregationes ab eodem Sixto Pontifice institutas quinta est illa, quæ dicitur Sacrorum Rituum, in qua causæ Beatificationis, & Canonizationis, cultusque Sanctorum sedulo & diligenter, immo scrupulose perpenduntur, discutiuntur, & examinantur; uti desumitur ex verbis sequentibus citatæ bullæ: *Diligentem quoque curam adhibeant circa Sanctorum Canonizationem, festorumque dierum celebritatem;* antequam scilicet prædictæ Canonizationis causæ ad Consistorium deferantur, in quo summus Pontifex exquirit suffragia omnium S. R. E. Cardinalium, Patriarcharum, Archiepiscoporum, & Episcoporum in Urbe commorantium.

2. Constitutio hæc Sixti V. edita fuit die 22. Januarii 1587. At, quamvis ab eodem solemniter B. Didacus inter Sanctos fuerit relatus die 2. Julii anno 1588. & de causa prædicti Beati, de qua actum fuerat temporibus summorum Pontificum Pii IV. & S. Pii V. actum etiam fuerit tempore ejusdem Sixti, & post editam ab ipso bullam supra memoratam, quemadmodum colligitur ex Actis sæpe repetitæ causæ S. Didaci collectis a Penia *lib. 3. cap. 11.* Pontifex nihilominus causæ cognitionem non delegavit Congregationi sacrorum rituum; quod fortasse adhuc non nominaverat Cardinales eidem adscribendos, sed mediam quamdam viam inter antiquum, & novum institutum adinvenit. Post commissam quippe causam Rotæ Auditoribus, editamque ab ipsis relationem, ejus examen minime fuit delatum ad Congregationem sacrorum rituum, aut, juxta antiquum morem, ad tres Cardinales, unum ex ordine Episcoporum, alterum ex ordine Presbyterorum, ultimum ex ordine Diaconorum; sed, antequam causa in Consistorio pertractaretur, in quo Cardinales, Archiepiscopi, & Episcopi suffragium ferunt, electi fuerunt octo Cardinales, qui, licet essent doctrina & rerum experientia præclarissimi, viros nihilominus etiam sacræ Theologiæ & juris Pontificii scientia peritissimos in consilium vocarunt, priusquam suum in causa ferrent judicium; ut habetur ex bulla Canonizationis, & late prosequitur Penia *cit. lib. 3. cap. 10. Canonistæ, ut patuit in sexto capitulo ad Canonizationem requisito, conclusiones ab Auditoribus Rotæ firmatas, & constitutas per ipsummet Romanum Pontificem, aut per Cardinales ab eo deputandos postea examinandas, & discernendas dicunt. Libri rituales, seu sacrarum cæremoniarum Romanæ Ecclesiæ paulo hæc distinctius ac latius constituunt, quod ubi Auditores retulerint, rem bene esse paratam, iterum S. D. N. de consilio Fratrum committit tribus Cardinalibus, nempe Episcopo, Presbytero, & Diacono, ut diligenter examinent inquisitiones, probationes, & depositiones testium, & confidenter solertissime omnia consideranda, ut, cum Sanctitati suæ placuerit, in secreto Consistorio referatur. Hæc quam sint in hac Canonizatione præstita diligenter, verum gestarum acta facile demonstrant. Ceterum, quoniam omnes illi Cardinales, quos Pius IV. & Pius V. huic Canonizationis negotio præfecerant, jam ab humanis excesserant; propterea Sixtus Pontif. Max. anno 1587. die 23. Januarii in Consistorio secreto eodem die habito Alexandro Farnesio Ostien. Marco Antonio Columnæ Prænestin. Episcopis, Michaeli Bonello Alexandrino, Julio Antonio Sanctorio S. Severinæ, Antonio Caraffæ, & Constantio Sarnano Presbyteris, ac Ferdinando de Medicis, & Hieronymo Matthæjo Diaconis S. R. E. Cardinalibus commisit, ut inquisitionem, probationem, & depositiones testium, aliaque omnia consideranda accuratissime & diligentissime considerarent, ut, cum Sanctitati suæ hæc rite recteque examinata viderentur, ad ulteriora commode procedi posset. Fuerunt hi Cardinales (ut apparet) numero plures, quam libri rituales expostulent, quod sapienter constitutum fuisse cernitur: Nam, ubi multa consilia, ibi salus. Erant præterea ex illis quidam sacræ Theologiæ peritia insignes, alii canonum Pontificiorum, & legum cognitione præstantes, omnes vero rerum gerendarum industria oratissimi, & in magnis rebus negotiisque pertractandi exercitatissimi.*

3. Instituta itaque ante S. Didaci Canonizationem sacrorum rituum Congregatione, ipsaque Canonizatione expleta, assumpsit eadem Congregatio cognitionem causarum Beatificationis, & Canonizationis, antequam eædem subirent examen Consistorii, hoc est omnium Cardinalium, Archiepiscoporum, & Episcoporum in Romana Curia degentium; & multa tum ab Urbano VIII. summo Pontifice, tum ab Alexandro VII. pariter summo Pontifice, tum ab aliis eorum successoribus edita sunt decreta ad eamdem Congregationem pertinentia, quæ a nobis exponentur passim in hoc Opere, prout occasio se offerret.

4. Hæc autem sacrorum rituum Congregatio modo dicitur *ordinaria*, modo *antepræparatoria*, modo *præparatoria*, modo *generalis*, modo *particularis*. Congregatio *ordinaria* cogi deberet quolibet ad minimum mense in Apostolico palatio, in quo summus Pontifex habitat; quamvis id difficulter propter impedimenta aliarum Congregationum modo fieri possit. Interveniunt autem Cardinales sacris ritibus præpositi, Sacrista, Protonotarius, Secretarius, Fidei Promotor, & Magistri cæremoniarum: in eaque nonnulla examinantur, quæ pertinent ad causas Beatificationis, & Canonizationis, ut infra exponetur: & præter hujusmodi generis negotia, alia diversi generis in ipsa pertractantur; de locis videlicet principibus, & aliis consimilibus rebus, juxta allegatam bullam Sixti V. *Controversias de præcedentia in processionibus, aut alibi, ceteraque in hujusmodi sacris ritibus & cæremoniis incidentes difficultates cognoscant, summarie terminent & componant.* Soli Cardinales in hac Congregatione suffragium ferunt; ceteri vero, qui astant, ad interrogata respondent. Rursus alia est species Congregationis ordinariæ sacrorum rituum, quæ initium habuit tempore nostri Pontificatus. Ipsi interveniunt quotquot intervenire dicti sunt alteri memoratæ speciei Congregationis ordinariæ sacrorum rituum; sed præter eos summus ipse Pontifex intervenit. In discussione causarum Beatificationis, & Canonizationis aliquod interdum dubium excitatur, quod particularem discussionem meretur: & idcirco ad sacrorum rituum Congregationem ordinariam defertur, & coram summo Pontifice discutitur, qui, auditis Cardinalium suffragiis, differt resolutionem, quam postmodum, novo adhibito per se ipsum examine, & invocato Dei auxilio, profert. Et in hac eadem Congregatione, si tempus supereſt, aliæ causæ etiam judiciales de præcedentiis, & sacris ritibus examinantur. In causa venerabilis servi Dei Joannis de Britto, Societatis Jesu Sacerdotis, cum esset oppositum in disputatione super Martyrio, & causa Martyrii ipsius, quod usus esset in missione Madurensi ritibus illarum regionum, auctoritate Sedis Apostolicæ prohibitis, habita fuit coram nobis die 22. Aprilis 1741. Congregatio ordinaria sacrorum rituum; & in ea disputatio satis accurata instructa est, an Dei servus usus fuis-

set

set prædictis ritibus; & si usus fuisset, an usus fuisset non utcumque, sed prout a Sede Apostolica usque ad eam diem fuerant permissi; & demum, si modo vetito usus fuisset, an reatus deletus censendus esset, quatenus in progressu causæ Martyrium servi Dei probatum remaneret. Audivimus suffragia Cardinalium; resolutionem distulimus, sumpto spatio ad plenius cognoscendum ac recognoscendum, & desuper deliberandum; & deinde die 2. Julii 1741. respondimus & decrevimus, objectos ritus non obstare, quominus in causa servi Dei ad ulteriora procederetur, ad discussionem videlicet dubii super Martyrio, & causa Martyrii, necnon alterius dubii de signis & miraculis. Item excitata, occasione dubii super virtutibus theologalibus & cardinalibus venerabilis servæ Dei Joannæ Franciscæ Fremiot de Chantal, oppositione amicitiæ contractæ cum Maria Angelica Arnauld Portus Regii Abbatissa, & communicationis habitæ per litteras cum Joanne Vergerio de Hauranne Abbate Sancirano; hujus oppositionis examen, ex qua progressus causæ ad ulteriora impeditus remanebat, ad sacrorum rituum Congregationem ordinariam coram nobis habendam delatum est: in qua auditis Cardinalium suffragiis, dilataque propositi dubii resolutione, ut interim Divinam opem imploraremus, die demum 10. Septembris 1741. decrevimus, objectas oppositiones non obstare, quominus in causa servæ Dei ad ulteriora procederetur, ad discussionem videlicet dubii de virtutibus theologalibus, & cardinalibus ipsius. Aliæ quoque, ut audimus, præparantur Congregationes ordinariæ sacrorum rituum coram nobis habendæ ob consimiles circumstantias; paratique sumus ad præstandam ipsis personalem assistentiam, si vitam & salutem Deus nobis continuare dignabitur.

5. Congregatio *antepræparatoria* cogitur in ædibus Cardinalis causæ Relatoris, cum ipse id opportunum judicaverit; eidemque interveniunt Consultores sacræ Congregationis, & Magistri cæremoniarum. Suffragium præstatur a solis Consultoribus, minime vero a Cardinali Relatore; & in illa discutitur unica causa Beatificationis, seu Canonizationis, aut super dubio virtutum, aut super dubio Martyrii, aut super dubio miraculorum. Hujus Congregationis *antepræparatoriæ* nulla fit mentio in decretis Urbani VIII. nec in novissimis Innocentii XI. Fuit enim post instituta, ut animus videlicet Cardinalis causæ Relatoris instruatur; utque ipse, auditis Consultorum suffragiis, & merita, & causæ difficultates bene perspectas habeat.

6. Congregatio *præparatoria*, de qua sermo habetur in decretis generalibus Urbani VIII., cogitur ad libitum Cardinalis causæ Relatoris in Apostolico palatio, in quo summus Pontifex habitat; & ei interveniunt Cardinales omnes sacris ritibus præpositi, Consultores sacræ Congregationis rituum, & Magistri cæremoniarum. Suffragium fertur a solis Consultoribus, a Cardinalibus nequaquam; quemadmodum enim fit Congregatio *antepræparatoria*, ut instruatur animus Cardinalis causæ Relatoris, ita fit Congregatio *præparatoria*, ut instruantur animi omnium Cardinalium, qui deinde in Congregatione generali mentem suam aperire debent, & suffragium dare; atque in Congregatione *præparatoria*, juxta saltem hodiernam consuetudinem, unica causa Beatificationis, aut Canonizationis discutitur, sive de dubio virtutum, sive de dubio Martyrii, sive de dubio miraculorum.

7. Congregatio postea *generalis* cogitur coram summo Pontifice; & in ea suffragium præstatur primo a Consultoribus, deinde a Cardinalibus, vel super Martyrio; aut demum super dubio finali, an in hac, vel illa causa tuto procedi possit ad Beatificationem, seu Canonizationem; ita ut in unaquaque causa dubium virtutum, aut Martyrii, necnon dubium miraculorum tam ante, quam post Beatificationem patratorum ter examinentur, in Congregatione scilicet *antepræparatoria*, in *præparatoria* & in *generali*.

8. Juxta decreta generalia Urbani VIII. Congregatio hæc generalis ter quolibet anno esset cogenda pro causis Canonizationum, & Beatificationum; *Propter earum gravitatem solet Sedes Apostolica procedere cum magna maturitate; & hoc ut melius adimpleatur, pro illis referendis & discutiendis mandavit Sanctissimus Dominus noster tres Congregationes de mensibus Januarii, Maji, & Septembris coram Sanctitate sua fieri debere, prohibens agi de dictis causis extra præfatas tres Congregationes.* Et rursus: *Quando propter alias urgentes occupationes non poterit Sanctitas sua vacare alicui ex dictis Congregationibus, ut supra, destinatis; mandavit, ut causæ hujusmodi proponantur coram se in mense immediate sequenti, & in die ab eo deputando, declarans suam voluntatem omnino esse, ut quolibet anno tres convocentur Congregationes pro dictis causis discutiendis.*

9. Pariter juxta eadem decreta tres, aut ad summum quatuor causæ proponi possunt in unaquaque Congregatione generali: *Ad hoc, ut in dictis Congregationibus coram Sanctitate sua habendis, ordinate, dilucide, ac breviter procedatur, in unaquaque ex eis referantur per Cardinales tres, vel ad summum quatuor tantum causæ.* Quod si Cardinales omnes non possent in congregatione generali suffragari, fit suffragiorum absolutio in prima congregatione ordinaria; & debet Secretarius omnia summo Pontifici referre; quemadmodum prosequuntur allegata decreta: *Si in aliqua ex dictis tribus congregationibus post discussionem, quæ erit diligentissime facienda super unoquoque processu, circa illius validitatem, virtutes, ac miracula alicujus servi Dei, non superverit tempus Cardinalibus referendi statum & merita alicujus causæ; poterit de ea agi, & ad expeditionem procedi per Cardinales in prima eorum Congregatione ordinaria immediate sequenti post quamlibet ex dictis tribus Congregationibus, facta deinde relatione per Secretarium Sanctitati suæ; idemque servari permittitur circa cognitionem & examen miraculorum, quæ coram Sanctitate sua erit referenda, si in aliqua ex dictis Congregationibus discuti, vel expediri non potuerit.*

10. Verum hodie usus est immutatus, tam quia duæ ad summum Congregationes generales quolibet anno cogi possunt, tum quia in unaquaque ex illis vix una causa discuti potest, aut super dubio virtutum, aut super dubio Martyrii, aut super dubio miraculorum; ita ut tunc solum datum sit duas Canonizationis causas discutere in una Congregatione generali coram summo Pontifice, cum in altera quidem ex illis fuit propositum dubium, quod paucis verbis absolvitur, an, stante approbatione virtutum & miraculorum, tuto procedi possit ad Beatificationem, aut ad Canonizationem, in altera vero dubium de virtutibus, aut de Martyrio, aut de miraculis; secus autem, quando in utraque causa Dubia, quæ discuti debent, aut virtutes, aut Martyrium, aut miracula respiciant.

11. Congregatio demum *particularis* illa est, cui ex mandato summi Pontificis non omnes Cardinales sacris ritibus præpositi, sed aliqui; nec omnes Consultores, sed vel nulli, vel aliqui ab eodem Pontifice eligendi, una cum Secretario, & Fidei Promotore interveniunt.

12. Ex collegio S. R. E. Cardinalium nonnulli assumuntur, ut præsint sacris ritibus, & consequenter causis Beatificationis, & Canonizationis; & horum electio ad summum Pontificem pertinet. Inter hos unus est, qui Præfecturam Congregationis exercet, & appellatur *Congregationis præfectus*; & hic pariter a summo Pontifice eligitur. Reliqui Cardinales sunt causarum *Relatores*, *sive Ponentes*. Licet autem olim ipsa sacra Congregatio Cardinales eligeret causarum *Relatores*, *sive Ponentes*, uti colligitur ex bulla Canonizationis S. Philippi Nerii, in qua narratur, sacram Congregationem munus Relatoris dictæ causæ detulisse primum Cardinali Bellarmino, &, eodem defuncto, Cardinali deinde Crescentio; hodie nihilominus summus Pontifex ille est, qui causam uni potius, quam alteri Cardinali referendam committit, juxta decretum editum die 25. Februarii 1665. *Sanctissimus Dominus noster Alexander Papa VII. in benigna audientia a Sanctitate sua habita mihi Secretario significavit, mentem Sanctitatis suæ esse, deinceps in unaquaque causa Beatificationis, & Canonizationis Beatorum, & servorum Dei velle Sanctitatem suammet deputare, ac subrogare in Relatorem Cardinalem sibi bene visum; ideoque in posterum ita fieri, & servari mandavit.* Cardinalis quoque, qui deputatus fuit in Relatorem processus auctoritate ordinaria confecti pro obtinenda *signatura commissionis*, confirmari solet in Relatorem Causæ, postquam processus auctoritate Apostolica facti sunt: ideoque, cum in causa Cracovien. servæ Dei Solomeæ Reginæ Galaciæ claræ memoriæ Cardinalis Franciottus fuisset Relator contentorum in processu *Ordinarii*, confirmatus fuit in Relatorem post completos Apostolicos processus, licet ipse esset distentus plurimis aliis causis Beatificationis, & Canonizationis, ita ut congrua visa fuisset addictio alius Cardinalis in Relatorem causæ dictæ servæ Dei Solomeæ: *Facta relatione* (verba sunt decreti editi die 9. Decembris 1660.) *facta relatione de hujusmodi sensu Sanctissimo, Sanctitas sua e stylo sacræ Congregationis nihil immutandum duxit, ac proinde Eminentissimum Franciottum, qui commissionem ad Sanctitatem suam attulerat, Relatorem in eadem causa deputavit cum omnibus facultatibus &c.*

13. In supra citata Constitutione 74. summi Pontifi-

cis

UAB Biblioteca de Ciències Socials

cis Sixti V. in qua una cum aliis Congregationibus inſtituta fuit Congregatio ſacrorum rituum, habentur hæc verba: *Et, quoniam Divinis oraculis admonemur, ubi multa conſilia, ibi ſalutem adeſſe, eædem Congregationes pro earum arbitrio viros ſacræ Theologiæ, Pontificii, Cæſareique juris peritos, & rerum gerendarum uſu pollentes in conſultationibus advocent, atque adhibeant, ut cauſis, quæſtionibus, & negotiis quam optime diſcuſſis, quæ Dei gloriæ, animarumque ſaluti, & juſtitiæ, atque æquitati conſentaneæ maxime erunt, decernantur.* Cohærenter ad hæc, præter S. R. E. Cardinales, alii interveniunt Congregationi ſacrorum rituum, qui dicuntur Conſultores, quique nunc a ſummo Pontifice eliguntur ex cœtu Præſulum Romanæ Curiæ, ex Clero ſæculari, & regulari. Atque notatu dignum eſt, quod, licet omnes Conſultores; uti modo dictum fuit, a ſummo Pontifice eligantur, aliqui tamen ſunt, qui Conſultores nati dici poſſunt; ex eo quod, ſtatim ac determinato quodam munere, vel dignitate exornantur, intelliguntur etiam facti Conſultores Congregationis ſacrorum rituum. Hi autem ſunt Epiſcopus Apoſtolici ſacrarii Præfectus, vulgo *Sacriſta*, Protonotarius Congregationis ſacrorum rituum, tres antiquiores Rotæ Auditores, Auditor ſummi Pontificis, Aſſeſſor ſanctiſſimæ Inquiſitionis, Magiſter ſacri palatii, Secretarius Congregationis, & Fidei Promotor.

14. Item, licet electio Conſultorum regularium ex una potius, quam ex alia familia aſſumendorum a ſummi Pontificis arbitrio dependeat: ex quo tamen electio prædicta fieri conſueyit, ſemper aliquis aſſumptus eſt ex familia PP. Dominicanorum, ex familia Minorum Obſervantium, & ex familia PP. Societatis Jeſu; præter quos ſummus Pontifex Benedictus XIII. *per ſuas litteras Apoſtolicas in forma Brevis expeditas die 7. Auguſti, & die 1. Octobris 1725. & die 8. Auguſti 1726.* ſtatuit perpetuis futuris temporibus unum Conſultorem Congregationis ſacrorum rituum eſſe aſſumendum ex familia Minorum S. Franciſci conventualium, alterum ex congregatione Clericorum regularium Barnabitarum, tertium ex Ordine FF. Servorum B. Mariæ Virginis. Atque, ut omnia rite quidem ac recte procedant, deceſſor noſter Clemens Papa XII. *die 11. Maji anno* 1733. decrevit, ut Conſultores regulares, exceptis perſonis in dignitate Epiſcopali conſtitutis, necnon Magiſtro ſacri palatii, minime interſint Congregationibus, quando agitur de cauſis ſervorum Dei, qui idem regulare inſtitutum profeſſi ſunt, quod ipſi profitentur: *Demum præcipit Sanctitas ſua, ut, cum cauſæ cujuſcumque Beati, vel ſervi Dei Ordinem aliquem, vel Religionem, dum vita frueretur, profeſſi, tractantur; Conſultores, qui de prædicto Ordine, vel Religione ſunt, Congregationibus omnibus tam antepræparatoriis, & præparatoriis, quam generali coram Sanctiſſimo omnino non interſint; exceptis tamen perſonis in dignitate Epiſcopali conſtitutis, necnon ſacri palatii Apoſtolici Magiſtro.*

15. In hoc capite non agitur de ſingulis, quæ pertinent ad officium Cardinalis Præfecti, vel Cardinalium cauſæ Relatorum; hæc ſiquidem ſuo loco & tempore explicabuntur: nunc communia perſequimur tum Cardinalibus, tum Conſultoribus Congregationis ſacrorum rituum. Tenentur ergo hi omnes primo diligentiſſime legere informationes omnes, ſummaria, ſcripturas tum facti, tum juris, animadverſiones Fidei Promotoris, reſponſiones, & replicationes, quæ in his cauſis exhibentur; ſecundo, tenentur verbales audire informationes Procuratorum, Advocatorum, & Poſtulatorum; tertio, accedere ſtatutis diebus ad Congregationes, quando coguntur, & in illis ferre ſuffragium; quarto, inviolabile ſervare ſecretum ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ, a qua abſolvi nequeunt, niſi a ſummo Pontifice, excluſo quoque majori Pœnitentiario, præterquam in mortis articulo; quinto, debent manifeſtare num ore tenus, an ſcripto ſibi fuerint cauſæ Beatificationum, & Canonizationum commendatæ.

16. Ideoque forma juramenti impreſſa in decretis generalibus, quæ ab unoquoque ſive Cardinali, ſive Conſultore, mutatis mutandis, emittitur, eſt ea, quæ ſequitur: *Nos infraſcripti ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales Congregationis ſacrorum rituum, tactis per nos ſacroſanctis Evangeliis coram nobis poſitis, juramus & promittimus fideliter exercere officium noſtrum in his, quæ proponuntur in Congregationibus ſacrorum rituum habendis coram Sanctiſſimo, & non revelare, nec loqui, niſi cum aliis dictæ Congregationis Cardinalibus, tribus antiquioribus Rotæ Auditoribus, Conſultoribus, & Officialibus prædictæ Congregationis, ac duobus familiaribus ab unoquoque noſtrum deputandis, quæ fient, aut tractabuntur non ſolum in cauſis ſpectantibus ad dictam Congregationem, ſed etiam in aliis ad illam non ſpectantibus, in dicta Congregatione coram Sanctitate ſua, occaſione diſcurſus de rebus Magnatum, Religionum, vel aliis gravioribus occurrentibus, ſub pœna perjurii, & excommunicationis latæ ſententiæ, a qua niſi a ſummo Pontifice dumtaxat, (excluſo etiam majori Pœnitentiario) præterquam in mortis articulo, abſolvi poſſimus: & ſub eadem pœna perjurii & excommunicationis, de qua ſupra, juramus ſimiliter & promittimus, quod, ſi per litteras, aut ſupplices libellos, ſive etiam ore tenus, vel per interpoſitas perſonas commendationes a quocumque, etiam cujuſvis dignitatis & præeminentiæ, nobis factæ fuerint de cauſis pertractandis in dictis Congregationibus, præfatas litteras ſcienter non aperiemus, ſed clauſas & ſigillatas mandabimus conſignari in manibus Secretarii dictæ Congregationis, ſi vero non informatos de contentis in prædictis litteris contigerit per nos aperiri & legi, ſi eædem continebunt ſimiles commendationes tantummodo, pariter eas tranſmittemus ad eumdem Secretarium; verum, ſi de aliis negotiis in prædictis litteris pertractabitur, mandabimus tranſcribi illam tantum partem continentem commendationem, diem datæ, & locum, necnon etiam ſubſcriptionem illius, qui negotium commendavit, quam pervenire curabimus ad manus prædicti Secretarii; atque eiſdem litteris non reſcribemus, niſi de mandato dictæ Congregationis: &, ſaltem in ipſo actu votandi, propalabimus, a quo, vel a quibus cauſa fuerit nobis commendata. Et ita nos præfati Cardinales promittimus & juramus: ſic nos Deus adjuvet, & hæc ſancta Dei Evangelia.* Exorta vero controverſia, num hoc juramentum reſpiceret tantum Congregationes generales, quæ coram ſummo Pontifice habentur, an etiam comprehenderet Congregationes antepræparatorias, & præparatorias, Sanctiſſimus deceſſor noſter Clemens XII. die 11. Maji 1733. ſtatuit, omnes comprehendere: *Mandat igitur Sanctitas ſua, & in virtute ſanctæ obedientiæ præcipit, ut ſecretum, quod inviolabiliter hucuſque, paucis non niſi annis novæ inauditæque doctrinæ diſſeminatione exceptis, ſervatum fuit, de ſuffragiis nedum in generali Congregatione coram Sanctitate ſua latis, ſive ſuper virtutibus, ſive ſuper miraculis Beatorum, & ſervorum Dei, verum etiam in Congregationibus, quæ antepræparatoriæ, & præparatoriæ nuncupantur, quæque ad illam generalem coram Sanctitate ſua ordinem dicunt, & connexionem cum ea habent, omnino ſervetur & teneatur; ita ut nemini in poſterum ſub quacumque prætextu liceat vota affirmativa, negativa, aut ſuſpenſiva ſuper memoratis virtutibus, & miraculis, aliiſque rebus, difficultatibus, obſtativis, cenſuris, & ſermonibus in prædictis Congregationibus latis & habitis alteri cuicumque, qui de Congregatione ſacrorum rituum non eſt, ſive directe, ſive indirecte, propalare & referre, ſub pœna perjurii, & excommunicationis latæ ſententiæ ipſo facto incurrendæ in formula juramenti præſtari ſoliti contenta & expreſſa, & a qua non niſi a ſummo Pontifice pro tempore exiſtente, excepto etiam majori Pœnitentiario, præterquam in articulo mortis, abſolvi poſſit.*

17. Pro lectione ſcripturarum, quæ in cauſis Beatificationis, & Canonizationis exhibentur, & pro earum ſtudio poteſt quilibet Cardinalis uti auxilio duorum familiarium; & quilibet Rotæ Auditor ex his, qui ſacræ Congregationi interveniunt, uti poteſt opera unius familiaris, dummodo & iſti prædictum emittant juramentum; ſicuti legitur in decretis generalibus Urbani VIII. *Juramentum præſtari ſolitum in Congregationibus ſanctiſſimæ Inquiſitionis ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ Sanctiſſimo reſervatæ, mandavit Sanctitas ſua, quod omnino præſtetur tam per Cardinales Congregationis ſacrorum rituum, & per duos familiares ab unoquoque eorum deputandos, quam per Rotæ Auditores, & unum pro quolibet eorum arbitrio eligendum, pro videndis & tranſcribendis ſcripturis neceſſariis & opportunis.* Poſt decreta porro prædicta Urbani VIII. conceſſum fuit Secretario ſacræ Congregationis uti, inſtar Cardinalium, opera duorum familiarium, prout deſumitur ex ſequentibus decretis.

Die 18. Januarii 1653.

QUoniam in decretis hujus ſacræ Congregationis editis ſub Urbano Papa VIII. ſel. record. non reperitur facta aliqua expreſſa mentio de facultate Secretarii in dando ſolitum juramentum de ſervando ſecreto duobus ſuis familia-

miliaribus ; & cum illis communicando ; ideo per me quæſitum fuit in Congregatione habita hac die 18. *Januarii, ab Eminentiſſimis Patribus declarari, quid etiam in poſterum ſit obſervandum ; & iidem Eminentiſſimi Patres, interpretando dicta decreta deſuper emanata, declararunt, Secretarium habere facultatem dandi prædictum juramentum duobus familiaribus, & cum illis communicandi, ut facere ſolent ipſi Eminentiſſimi Domini Cardinales, & alii, qui habent dictam facultatem : Et, facta per me Secretarium relatione de prædictis Sanctiſſimo Domino noſtro die* 31. *Januarii ejuſdem, Sanctitas ſua dixit, quod in prima proxima Congregatione habenda coram eadem Sanctitate ſua providebit, prout melius ſibi videbitur expedire ; & interim indulſit mihi, ut poſſim prædictum juramentum, & ſecretum uni tantum conferre ex meis familiaribus.*

Die 10. *Januarii* 1654.

CUm alias die 31. *Januarii* 1653. *Sanctiſſimus conceſſerit mihi Secretario facultatem dandi ſolitum juramentum de ſervando ſecreto uni ex meis familiaribus uſque ad primam Congregationem habendam coram Sanctitate ſua, quia in decretis ſub Urbano VIII. in ſanctiſſima Inquiſitione editis nulla fit mentio de hujuſmodi facultate pro Secretario ; ideo in ſacra Congregatione impertitus fuit licentiam, ut Secretarius ejuſdem ſacræ Congregationis poſſit deputare duos ex ſuis familiaribus, qui præſtent dictum juramentum de ſervando ſecreto juxta formam decretorum.*

18. Cæteri ſacræ Congregationis Conſultores ne unius quidem familiaris opera utendi prærogativam habent, ſed, ſi illo re vera indigeant, ex gratia impetrare poſſunt, quæ ſæpe a ſummo Pontifice conceſſa eſt ; ita tamen, ut nec his, nec aliis, qui uti poſſunt ſimili adjutorio, licitum ſit adhibere operam alicujus, qui ſit Advocatus, Procurator, aut Poſtulator cauſarum Beatificationis, & Canonizationis, juxta decretum Sanctiſſimi deceſſoris noſtri Clementis XII. *editum die* 11. *Maji* 1733. *Prohibet etiam Sanctitas ſua, ne Advocati, Procuratores, & Poſtulatores prædictarum cauſarum Dominis Conſultoribus in examinandis virtutibus & miraculis Beatorum & ſervorum Dei, ſuper quibus ſuffragium ferri debet, miſceriant ; caveatque Dominus Secretarius ſacræ Congregationis illos ſucato titulo, ſive obtentu Conſultoribus inſerviendi ad juramentum admittere. Incongruum enim, immo inconveniens valde eſt, ut qui memoratarum cauſarum vel Patroni, vel Promotores ſunt, earumdem inde meritorum ac ſuffragiorum conſcii & participes ſint.* Cumque Magiſtri cæremoniarum Congregationibus ſacrorum rituum interveniant, licet ſuffragium non habeant, nec in cauſis Beatificationis, & Canonizationis unquam interrogentur ; ne vel ipſi manifeſtent, quod alii celare tenentur, juramentum emittunt inſtar ceterorum Officialium ſacræ Congregationis, ut ex ſequenti decreto.

Die 21. *Junii* 1632.

ORto inter Eminentiſſimos Patres ſcrupulo, an inter negotia, quæ tractantur in Congregationibus ordinariis, ſi contingat etiam agi de rebus ad Canonizationem ſervorum Dei pertinentibus, Magiſtri cæremoniarum, qui interſunt, eo caſu ex Aula egredi debeant ; quod ipſi Magiſtri cæremoniarum cum ægre ferre demonſtrarent, mandatum fuit mihi Secretario, ut exquirerem ſuper hoc mentem Sanctiſſimi, prout feci ; & mens Sanctiſſimi fuit, ut Magiſtri cæremoniarum præſtarent juramentum de non revelando, prout alii Officiales ſacrorum rituum Congregationis præſtiterunt ; qui Magiſtri cæremoniarum, ſequendo mentem Sanctiſſimi, juramentum juxta formam præſcriptam pro Officialibus in manibus meis præſtiterunt.

19. Verbales informationes, quæ fiunt a Procuratoribus, & Advocatis, nonnullis ſuperfluæ videntur ; nonnulli etiam ſunt, qui non audent in verbali informatione oppoſitiones excitare Procuratori, vel Advocato, perinde quaſi id obſtet juramento de ſervando ſecreto. Nihil autem ex his mihi videtur eſſe alicujus roboris & momenti, exemplo præſertim ſacræ Rotæ Auditorii. In ipſo enim verbales excipiuntur informationes Procuratorum, & Advocatorum (licet olim, ſuborta quæſtione inter Procuratores, & Advocatos ſuper primatu, mandatum fuiſſet, ut abſtinerent ab informatione verbali, ſub obtentu etiam, quod hic modus eſſet futurus utilior & convenientior, ex eo quod longiori tempore Auditores ſtudio cauſarum vacare potuiſſent ; uti legitur in deciſione 17. ſub titulo de Procuratoribus, coram Creſcentio) non niſi quia experientia rerum magiſtra patefecit, vivam vocem habere neſcio quid latentis ; & difficultates, quæ aliquando videntur inſuperabiles, tolli vel ex una facti circumſtantia per cauſæ Patronum ſuggeſta, vel ex una juris reſponſione ab Advocato data. Cumque, non obſtante juramento ſecreti, quod juxta Conſtitutionem Urbani VIII. 310. *Bullarii tom.* 5. dicti Auditores emittunt, ſæpius in informatione verbali difficultates excitent ; ſignum evidentiſſimum eſt, hæc dicto juramento minime obſiſtere : aliter enim ſequeretur, inutilem prorſus eſſe verbalem informationem, quæ ſemper fieri conſuevit cum diſpendio Poſtulatorum, & cum non exiguo labore tum Procuratorum, tum Advocatorum. Ratio a priori eſt, quia difficultatum excitatio in informatione verbali nec ſenſum Congregationis, nec proprium arguentis ſenſum per ſe demonſtrat ; non Congregationis, cum informatio verbalis Congregationem præcedat ; non proprium arguentis, cum ratio dubitandi proponatur etiam ab eo, qui nullum habet dubium, nec aliquam habet difficultatem.

20. Quoad ſuffragium demum a Conſultoribus dandum in Congregationibus, ordo præſcriptus fuit in generali Congregatione habita coram ſummo Pontifice Alexandro VII. die 19. Februarii 1658. in cujus adnotatione facta in regeſtis ita legitur : *Quod per me Secretarium admoneantur Conſultores, ut ſecretum inconcuſſe ſervent, factum attentius percurrant & perpendant, eidemque potiſſimum innitantur, poſſibilitatem miraculi in abſtracto obiter tangant, ac probationes miraculi in concreto afferant, ut in ſententiis ferendis breviores & utiliores evadant.* Et, licet in hac adnotatione ſermo fiat tantummodo de ſuffragiis ſuper dubio miraculorum ; attamen quæ in ea dicta ſunt, proportione ſervata, applicari poſſunt ad ſuffragia ſuper dubio virtutum.

21. Quod ſi aliquis ex Cardinalibus, vel Conſultoribus intervenire non poſſit propter legitimum aliquod impedimentum S. Congregationi, tranſmittere poteſt ſuffragium in ſcriptis ad Fidei Promotorem, vel ad Secretarium, vel etiam ad aliquem ex Cardinalibus, ut illud in dicta legat Congregatione ; & ita factum fuit in Congregatione Præparatoria habita die 29. Maji 1696. in qua Fidei Promotor legit ſuffragium Aſſeſſoris Sancti Officii abſentis, & Secretarius ſuffragium Decani Rotæ pariter abſentis ; atque in Congregatione habita coram Summo Pontifice die 9. Octobris ejuſdem anni claræ memoriæ Cardinalis de Carpineo legit pariter ſuffragium Conſultoris abſentis.

22. Poſtremo Conſultores ſedent, cum ſuffragium præſtant in Congregationibus Antepræparatoria, & Præparatoria : ſtant autem, cum ſuffragium ferunt in Congregatione generali coram Papa : quinimmo, poſtquam in hac ſuffragati ſunt, exeunt ex aula Congregationis, ita ut, Cardinalibus ſuffragantibus, ſoli adſint Secretarius, Fidei Promotor, & Magiſtri Cæremoniarum ; deſcenditque hæc conſuetudo ex Decretis Generalibus Urbani VIII. ubi ita legitur : *Et hi omnes*, ſcilicet Conſultores, *præter Congregationis Secretarium, & Fidei Promotorem, non admittantur in Congregatione, priuſquam cauſæ fuerint per Cardinales propoſitæ ; & poſtea, eorum votis patefactis, a Congregatione recedant, ad hoc ut Cardinales poſſint liberius examinare merita cauſæ : Conſultores ſacræ rituum Congregationis debeant in qualibet ex dictis Congregationibus adeſſe præ foribus aulæ Pontificiæ, ubi Congregatio celebrabitur, ut, ſi Sanctitati ſuæ placuerit illos audire ſuper aliquo articulo, ſeu difficultate, poſſint præſto eſſe.*

23. Quæ in ſuperiori num. 21. dicta ſunt, confirmantur ex Decreto poſt hæc jam ſcripta, & publici juris facta, edito a Sanctiſſimo Deceſſore Noſtro Clemente Papa XII. En verba Decreti : *Quamvis Sedes Apoſtolica in cauſis Beatificationum, & Canonizationum maxima circumſpectione ac maturitate tranſactis temporibus ſemper proceſſerit, ideoque in diſcutiendis dubiis, quæ in iiſdem cauſis præcipue tam ſuper virtutibus, quam ſuper miraculis proponuntur, ad ferendum ſuffragium admitti conſueverint cum Reverendiſſimi S. R. E. Cardinales ad id ſpecialiter delecti, tum viri in ſacra Theologia, & utroque Jure verſatiſſimi, Conſultores nuncupati, qui omnes reſpective Congregationibus antepræparatoriis, præparatoriis, ac generalibus coram ſummo Pontifice habendis interveniunt ; attamen Sanctiſſimus Dominus noſter Clemens Papa XII. (ita rei gravitate expoſcente) agnoſcens, quod ſupra enunciatis Congregationibus aliqui ex ſuffragantibus abſque ſpeciali cauſa adeſſe negligunt, promptum-*

ptumque volens ſuper hujuſmodi abſentia afferre remedium, vivæ vocis oraculo Reverendiſſimo Cardinali Zondadari Sacrorum Rituum Congregationis Pro-Præfecto injunxit, ut præſens evulgaret Decretum, iis omnibus, ad quos ſpectat, præ manibus tranſmittendum, quo injungitur omnibus Conſultoribus, ut ſupra enunciatis Congregationibus omnino interveniant, exceptis caſibus infirmitatis, vel alterius legitimi impedimenti, in quibus iidem excuſationem tranſmittant Reverendiſſimo Præfecto, vel Pro-præfecto dictæ Sacræ Congregationis, ſive alteri ejus vices exercenti, qua aperte dignoſcatur cauſa legitima ipſorum abſentiæ; verumtamen, ea nihilominus non obſtante, eorumdem Vota ad manus Secretarii pervenire faciant, qui poſtea in præfatis Sacris Congregationibus illa referre debeat. Et ita &c. Die 7. Decembris 1735.

CAPUT DECIMUMSEPTIMUM.

De Protonotario, & Secretario Sacræ Congregationis, & de Rotæ Romanæ Auditoribus eidem Congregationi adſcriptis.

I. OLim munus Secretarii in Cauſis Canonizationum deferebatur uni ex Collegio Protonotariorum Apoſtolicorum, uti legitur in opere *de vita, miraculis & Actis Canonizationis S. Didaci* conſcripto a Franciſco Penia *lib. 3. cap. 11. Ad Decreta, quæ in his Conventibus per Cardinales fiebant, conſcribenda Petrus Georgius Odeſcalchus Sedis Apoſtolicæ Notarius (Protonotarium Romana Curia vocat) accitus eſt; quod prudentiſſime conſtitutum fuiſſe conſtat, ut ſeptem antiquorum Notariorum Romanæ Eccleſiæ (quos Clemens I. diviſa Urbe in ſeptem Regiones, ad Martyrum geſta ſollicite, & fideliter inquirenda, & conſcribenda inſtituit, & Anterus, Fabianuſque Pontifices confirmarunt) veſtigium aliquod in his Sanctorum Canonizationibus ſervari videatur, cum imitanda, & conſervanda, quantum fieri poteſt, non violanda ſint, aut contemnenda antiqua Eccleſiæ inſtituta... Hoc ergo conſilio Odeſcalchus deſumptus, in his Cardinalium Conventibus pro Canonizatione Sancti Didaci faciendis Secretarii officio functus eſt.* Confirmatur id ipſum in vita S. Raymundi edita ab eodem Penia *lib. 3. cap. 26. De his omnibus R. P. D. Anſelmus Dandinus Protonotarius Apoſtolicus, & in cauſis Canonizationis Secretarius, rogatus inſtrumentum recepit.* Olim quoque Sedis Apoſtolicæ Protonotarii adnotabant decreta, quæ fiebant in ſacro Conſiſtorio, teſte Cardinali Papienſi *in epiſtola ſcripta ad Volaterranum*, ubi ait: *Volo, ſi poſſum, notare nonnulla ejuſmodi Senatus noſtri Decreta, quorum recordatione & exemplis in pleriſque actionibus noſtris inſtrui, & admoneri quandoque poſſimus. Adjuvat, mihi crede, hæc diligentia multum miniſterium noſtrum. Conſueverant olim Romani Pontifices eam curam mandare Notariis Apoſtolicæ Sedis. Sed obſolevit mos ille, ut alii permulti, tam Pontificibus utiles, quam Romanæ Sedi honorifici.*

2. At hodie, cura adnotationis decretorum Conſiſtorii delata ad ejus Secretarium, unus aſſumitur e collegio Protonotariorum Participantium, qui non ſolum eſt Conſultor ſacræ Congregationis, ſed aliqua alia peragit, quæ ſunt ipſi peculiaria, & reliquis Conſultoribus minime communia. Nonnulla hic explicabuntur; de ceteris alibi ſermo fiet. Præcipuum autem eſt, quod, quando fiunt auctoritate Apoſtolica proceſſus in Urbe pro aliqua cauſa Beatificationis, aut Canonizationis, Protonotarius intervenit examinibus teſtium, & in examine Notarius eſt Protonotario ſubjectus: & examen quidem non eſſet authenticum, niſi eſſet ab eodem Protonotario ſubſcriptum, quemadmodum ſtatutum eſt in decretis generalibus Urbani VIII. *Nec prætereundum eſt, quod in Commiſſionibus Summi Pontificis Sacrorum Rituum Congregationi directis apponi debet clauſula, quod, quando erunt conficiendi Proceſſus, & examinandi Teſtes in Curia, eadem Sacra Congregatio ſubdelegare debeat Sanctiſſimi Domini Noſtri Papæ Cardinalem Vicarium; qui per ſe, ſeu, ipſo impedito, per alios tantum Epiſcopos ad eos deputandos, capiat Informationes neceſſarias cum interventu Protonotarii pro tempore Sacrorum Rituum Congregationi deſtinati.* Et rurſus: *Sanctiſſimo Domino Noſtro ſic annuente, indultum eſt Protonotariis de numero Participantium; Primo, quod in Proceſſibus fabricandis, & præcipue in examinandis teſtibus ſuper Martyrio alicujus ſervi Dei, hic in Curia omnino intervenire debeat R. P. D. Protonotarius pro tempore ſacræ Congregationis; ſecundo, quod examen prædictum debeat eſſe ſubſcriptum ab ipſo Domino Protonotario, alias examen nullam faciat fidem; tertio, quod Notarius, qui examen prædictum recipiet, in hoc actu ipſi Domino Protonotario ſubordinatus cenſeatur & reputetur.* Si porro Secretarius ſacræ Congregationis ægrotet, aut abſit ab Urbe, congruum eſſe videtur, ut, annuente Sanctiſſimo, ejus vices a Protonotario ſuppleantur: & ita ſane factum fuit tempore abſentiæ Tigrini Secretarii; interfuit enim Protonotarius de Ruere, tamquam Secretarius, uni Congregationi, ut adnotatur in regeſtis die 6. Septembris 1631. totoque tempore ægritudinis bonæ memoriæ Bernardini Inghiramii ſacrorum rituum Congregationis Secretarii, & uſque ad ejus obitum. R. P. D. Carolus Collicola tunc Protonotarius Congregationis, & deinde S. R. E. Cardinalis, ex permiſſione Papæ, Secretarii munere functus eſt.

3. Electio Protonotarii olim ad ſacram Congregationem pertinebat. Ipſa enim elegit die 8. Maji 1604. in Protonotarium Joannem Antonium Fachenettum, die 7. Septembris 1613. Coſmum de Torres, die 30. Martii 1621. Stephanum Saulium, die 11. Aprilis 1631. Paulum Matthæjum, die 5. Februarii 1639. Homodeum. Et ſi Protonotarius aberat ab Urbe, vel ægrotabat, eadem Congregatio alium reponebat Protonotarium in locum abſentis: & ſic in locum Duratii abſentis ſufficius eſt ab eadem Congregatione Anguiſciola, uti colligitur ex decreto edito die 3. Auguſti 1652. Hodie vero ſummus Pontifex unum eligit ex collegio Protonotariorum, qui ſacræ interfit Congregationi, &, in caſu ejus abſentiæ, vel impedimenti, alium ſubſtituit ex eodem Protonotariorum collegio, quemadmodum factum fuit tempore infirmitatis R. P. D. Bancherii tunc Protonotarii, poſtea autem ampliſſimi S. R. E. Cardinalis. Sanctiſſimus enim in ejus locum ſubrogavit, durante infirmitate, R. P. D. Proſperum de Columna modo Cameræ Apoſtolicæ Auditorem, ut habetur ex decreto edito die 1. Octobris 1698. Cumque præteritis annis R. P. D. Juſtinianus Congregationis Protonotarius Ferrariam iviſſet, ut ibidem Prolegati munus obiret, Papa in ejus locum ſubrogavit memoratum R. P. D. Collicolam, poſtea Cardinalem; tum autem, occaſione nonnullorum proceſſuum, qui auctoritate Apoſtolica conficiebantur in Urbe, propter legitimum impedimentum prædicti Collicolæ, annuente Sanctiſſimo, intervenit R. P. D. Spada ex eodem Protonotariorum Participantium collegio.

4. Secretarius ſacrorum rituum Congregationis, conſultor eſt ejuſdem Congregationis; ſed præter ea, quæ ad unumquemque ſpectat Conſultorem, alia quædam peragere debet, quæ ſunt ipſius propria, tamquam Secretarii. Secretarius itaque unicuique Cardinali, & Conſultori notificat diem, horam, & locum, quibus ſacra cogitur Congregatio, necnon dubium in cauſa, quæ proponitur, diſputandum, & quidem in ſcriptis per ſchedulam, quæ ſigillo Cardinalis Præfecti obſignata ad ædes uniuſcujuſque tranſmittitur: & quia in Congregationibus ordinariis ſacrorum rituum non ſolum diſcutiuntur præparatoria cauſarum Beatificationis, & Canonizationis, ſed etiam pleræque aliæ cauſæ contentioſæ ſuper materia *præcedentiarum*, & ſimilibus; folium Secretarius tranſmittit obſignatum ad eos, qui dictis Congregationibus interveniunt, in quo tam nomina Cardinalium Relatorum, quam cauſarum proponendarum inſcribuntur. Die ſiquidem 28. Februarii anno 1682. conſtitutum fuit, ut folium cauſarum proponendarum in Congregatione ordinaria ſacrorum rituum tranſmitteretur inſtar folii, quod tranſmittitur pro Congregatione Epiſcoporum, & Regularium. Præter hæc debet Secretarius in regeſtis adnotare omnia & ſingula decreta, quæ fiunt tum quoad cauſas Beatificationis, & Canonizationis, tum quoad alia, quæ reſpiciunt vel cultum Sanctorum, vel *præcedentias*, & cetera omnia, quæ in ſacra Congregatione peraguntur. Cumque ſacræ Congregationis decreta, in iis ſaltem, quæ pertinent ad cauſas Beatificationis, & Canonizationis, vel cultus

Beatorum, atque Sanctorum, robur & efficaciam non habeant, nisi postquam fuerint a summo Pontifice approbata, juxta ea, quæ habentur in decretis generalibus Urbani VIII. *Decreta super hac materia extendenda per Secretarium sacræ Congregationis concipiantur semper nomine Congregationis per verbum* videtur, *vel simile, servata in unoquoque negotio suprema determinatione summi Pontificis post factam relationem Sanctitati suæ.* Secretarii munus est, deliberationes sacræ Congregationis, & rationes, quæ eam moverunt ad ita sentiendum, referre Papæ, ejusque responsum vel approbans, vel reprobans expectare. Nam solum tempore sanctæ memoriæ Innocentii X. ex ejus speciali mandato observatum fuit, ut relatio causarum sacræ Congregationis ibi fieret non a Secretario, sed a Cardinali Præfecto, eoque impedito, a Cardinali Ponente, quemadmodum adnotatum est in regestis meritissimi Secretarii Caroli Paulutii *pag.* 413. Insuper epistolæ, quæ expediuntur nomine sacræ Congregationis, a Secretario exarantur, & ab eodem una cum Cardinali Præfecto subscribuntur, juxta decretum editum anno 1624. *Sanctissimus Dominus noster vivæ vocis oraculo decrevit, ut deinceps litteræ quarumcumque Congregationum ab ipso etiam Secretario Congregationis subscribantur, prout Illustrissimus a Monte, facto cum Sanctitate sua verbo, in Consistorio secreto 11. Martii præsentis anni 1624. mihi Secretario retulit, ac servari in posterum mandavit.*

5. Secretarius Congregationis a summo Pontifice eligitur ex cœtu Præsulum, & ipsi ab Urbano VIII. concessus est alternis hebdomadis accessus ad Papam, necnon assignatus fuit locus in publicis Consistoriis, uti pariter legitur in citatis regestis supra memorati Caroli Paulutii *pag.* 410. Cum autem plerique sint in Urbe Episcopi *Titulares*, & aliquarum sacrarum Congregationum Secretarii sæpe charactere Episcopali decorentur, fiantque Episcopi, ut dicitur, in partibus; congruum profecto esset, ut etiam sacræ rituum Congregationis Secretarius charactere prædicto honestaretur, exemplo ejus, quod legitur in pinacotheca 3. Jani Nicii Erythræi *num.* 43. *pag.* 171. ubi, loquendo de Julio Benigno sacrorum rituum Congregationis Secretario, inquit: *Videbatur hominis inesse quædam ambitio, neque quidquam ipse tam cupere, quam in speciosa Antistitis habitu, ornatuque spectari. Itaque dedit operam, ut in eorum Archiepiscoporum numero esset, quibus, cum illorum Ecclesiæ in Turcarum potestate sint, nulla procuratio subest, sed Archiepiscopi tantum nomen, ornatusque relinquitur. Itaque impetravit in beneficio & gratia, ut Archiepiscopus titulo tenus metropolis nescio cujus a Turcis possessæ renuntiaretur. Obtinuit etiam, ut Congregationis sacrorum rituum Secretarii munere fungeretur, ad quod officium nemo admittitur, nisi in aliquo ejusmodi dignitatis gradu constitutus.* Et sane, dum hæc primo scribebamus, Secretarii sacræ Congregationis munere multis abhinc annis laudabiliter fungebatur R. P. D. Nicolaus de Tedeschis olim Episcopus Liparitanus, post Archiepiscopus Apamenus, tum sacræ Theologiæ, tum sacrorum Canonum scientia præstantissimus.

6. De Papæ Capellanis, sive Rotæ Auditoribus, quorum examini Canonizationum causæ committebantur, antequam fieret earum propositio in sacro Consistorio, cui Papa, Cardinales, Archiepiscopi, Episcopi intererant, aliqua in superioribus dicta sunt, nunc reliquum est, ut videamus, an idem mos causas has committendi Auditoribus Rotæ perstiterit etiam post institutam Congregationem sacrorum rituum, & quando tandem cessaverit, cum hodie tres antiquiores Rotæ Auditores in sacrorum rituum Congregatione solummodo tamquam Consultores suffragium præstent, minime vero eis fiat specialis ulla commissio, nec in causis Canonizationis edant relationes, quas olim edebant.

7. Dicendum est autem, nequaquam cessasse examen Rotæ Auditorum post institutionem Congregationis sacrorum rituum, sed eosdem etiam post dictum tempus suas edidisse relationes, in quibus tum validitas processuum confectorum, tum virtutes, Martyria, & miracula sedulo examinabantur; nec suum omittebant judicium, an causæ videlicet essent in eo statu, ut ad earum felicem exitum per solemnem Canonizationem juxta sacros Canones deveniri posset.

8. Tribus itaque ut plurimum Rotæ Auditoribus examen causarum demandabatur, qui quidem Auditores aliquando nominabantur a sacrorum rituum Congregatione, ut contigit in causa S. Teresiæ, aliquando ab ipso summo Pontifice, sicut in causa S. Aloysii Gonzagæ; semper autem illis jurisdictio dabatur per commissionem manu summi Pontificis signatam, quæ interdum expediebatur, postquam in sacra Congregatione rituum facta fuerat relatio processuum auctoritate ordinaria confectorum; quemadmodum factum fuit in causis Beatorum, vel servorum Dei Caroli 21. Octobris 1604. Laurentii Justiniani 7. Septembris 1613. Petri de Arbues 20. Decembris 1614. Mariæ de Cabeza 21. Martii 1615. Francisci Borgiæ 28. Augusti 1615. viginti sex Martyrum Japoniæ 30. Aprilis, Nicolai Factoris 28. Maji, Petri de Alcantara 3. Junii, Felicis a Cantalicio 30. Julii 1616. Philippi Benitii 7. Octobris 1517. Stanislai Novitii Societatis Jesu 20. Novembris 1618. Sanctiæ, ac Teresiæ 16. Januarii, Andreæ Avellini 26. Septembris 1620. Catharinæ Ricciæ 30. Martii 1621. Bernardi Realini 23. Aprilis 1622. Cajetani Thienæi 30. Martii 1624. Joannis Rusbrochii 5. Maji 1629.; interdum, postquam in sacra Congregatione facta fuerat relatio processus Apostolica auctoritate in genere confecti, uti colligitur ex relatione Rotæ Auditorum in causa S. Philippi Nerii prope finem procemii, alias vero, postquam in sacrorum rituum Congregatione pronuntiatum fuerat super validitate processuum in specie, veluti factum fuerat in causa servæ Dei Joannæ de Cruce 10. Julii 1621. in causa B. Gregorii X. 7. Augusti 1627. & in causa servi Dei Hieronymi Æmiliani 26. Septembris 1631. Atque, ut aliquid statueretur, licet antiquiori usui magis congrueret, quod, receptis informationibus in genere, & eis ad sacram Congregationem relatis & examinatis, per eamdem Congregationem expediretur commissio super probationibus in specie recipiendis, quibus apertis, causa subinde transmittebatur pro examine ad Rotæ Auditores, quemadmodum desumitur ex Ostiensi *cap. 1. num. 4. de Relig. & venerat. Sanctorum*; summus nihilominus Pontifex Paulus Papa V. jussit, ut sacrorum rituum Congregatio, habita extrajudiciali informatione, summo Pontifici referret, causam esse in tali statu, quæ posset sacræ Rotæ Auditoribus committi; ut informationes ubique terrarum tum in genere, tum in specie reciperent, & receptas examinarent, statumque ac merita causæ tandem exponerent, teste Contelor. *de Canoniz. Sanctor. cap. 23. numer. 3. & 4.*

9. Extant adhuc Acta Canonizationum SS. Didaci, & Raymundi edita a Penia, S. Caroli Borromæi edita a Marco Antonio Grattarola, S. Andreæ Avellini edita a Caggiano; & adhuc extant quamplura monumenta Coccini Rotæ Decani in archivo Collegii Romani Societatis Jesu pertinentia ad multas Canonizationum causas, & præcipue ad illam B. Gregorii X. & ad aliam S. Aloysii Gonzagæ. Ex quibus omnibus unusquisque facile deprehendere poterit, quanta maturitate, quanto studio, quanto labore, quanti temporis impendio omnia examinarent. Ut cetera quippe prætereantur, undecim conventus ab eis habiti sunt in examine causæ SS. Raymundi, & Andreæ Corfini, decem in causa S. Joannis de Deo, octo in causa S. Caroli, viginti tres in causa S. Aloysii, septem in causa S. Felicis Capucini, & B. Petri Regalati, sex in causa S. Laurentii Justiniani, & quinque in causa B. Petri de Arbues: &, quando aliquod dubium intercedebat, exquirebant consilium Theologorum, si dubium erat super virtutibus; & Medicorum, si dubium erat super miraculis. Quocirca inter scripturas Coccini Rotæ Decani in memorato archivo Collegii Romani adnotatum legitur, exquisitum fuisse trium Theologorum judicium super dubio mendacii, quod a servo Dei, de cujus Canonizatione agebatur, prolatum dicebatur; & in causa S. Aloysii Gonzagæ, antequam Auditores judicium ferrent de ejus virtutibus, undecim Theologos ad consilium vocarunt, & tredecim Medicos, antequam de miraculis judicarent; quorum omnium suffragia impressa sunt in magna positione causæ S. Aloysii diligentissime condita, & edita anno 1721. a Patre Andrea Budriolo, Societatis Jesu Presbytero, & diligentissimo causæ S. Aloysii Postulatore, occasione, qua causa prædicta resumpta fuit tempore sanctæ memoriæ Benedicti XIII. qui B. Aloysium solemni ritu inter Sanctos retulit: ita ut non exaggerationi, sed veritati tribuenda sint illa, quæ sæpe nominatus Franciscus Penia Rotæ Auditor *lib. 3. cap. 28. in vita S. Raymundi* dixit de laboribus a se, & duobus sociis Rotæ Auditoribus in causa S. Raymundi exantlatis: *Hæc, quæ breviter hic sunt relata, ingenti labore ex variis processuum locis quærenda & comprobanda fuerunt, ut patet ex relatione ad SS. D. N. super hac causa facta, quam qui viderit, proculdubio mirabitur, qua ratione nobis tot occupationibus distentis per tempus licuerit*

tam

tam diligenter processus evolvere, tot libros, auctoresque ex omni fere scientia consulere ad veritatem indagandam, prout occasio, & natura articulorum, seu difficultatum, quæ sese offerebant, merito postulabant. Sed hæc omnia Divina gratia meritis B. Viri, ut pie credimus, abunde subministrabat.

10. In unoquoque conventu fiebant ab Auditoribus Rotæ rescripta super proposito, quod in eo fuerat examinatum; & quando omnium propositorum examen post multos varioſque conventus fuerat feliciter completum, ab aliquo eorum totius causæ relatio componebatur; quarum relationum nonnullæ inter Acta Sanctorum collecta a Bollandianis editæ reperiuntur, & nonnullæ pariter a nobis in Operis decursu memorabuntur. Relatio subinde ab iisdem Rotæ Auditoribus subscribebatur, atque ab iisdem etiam tum Summo Pontifici, tum Sacrorum Rituum Congregationi exhibebatur. Idcirco in Actis Canonizationis Sancti Caroli scriptis & subscriptis a Mucantio Secretario Congregationis Sacrorum Rituum referuntur *pag.* 90. & 91. verba Peniæ Rotæ Auditoris relationem causæ præsentantis Summo Pontifici, & deinde Sacrorum Rituum Congregationi. Onus erat Postulatorum causæ curare, ut tot fierent relationis exemplaria, quot erant Cardinales, Præfules, & Consultores Congregationis Sacrorum Rituum; & onus erat Secretarii ejusdem Congregationis, post diligentem inspectionem, exemplaria prædicta authentica facere; atque, ut sub oculis haberentur fundamenta, quibus hæc, vel illa res in relatione dicebatur, ad unumquemque Cardinalem, & Consultorem Congregationis transmittebatur Summarium Processuum, ex quibus res ipsæ fuerant deductæ. Quod si favorabili sensui Rotæ Auditorum consonabat æquum judicium Sacræ Congregationis, causa ad Consistorium deferebatur; si vero non consonabat, causa ulteriorem progressum minime habebat: nec enim desunt causæ Canonizationum, quæ adhuc suum complementum non habuerunt, licet Rotæ Auditores favorabilem de illis tulerint in suis relationibus sententiam, non nisi quia sacræ Congregationis judicium non fuit consentiens judicio Rotali; ita ut potius exaggerationis causa, quam vere, dictum censeri debeat a Castellino *in tractatu de inquisitione miraculorum in Canonizatione Martyrum pag.* 332. nunquam a sacrorum rituum Congregatione reprobata fuisse, quæ fuerant a Rotæ Auditoribus in suis relationibus admissa. Abstinemus ab enumerandis causis, in quibus, uti dictum est, prodierunt favorabiles Auditorum Rotæ relationes, quæ tamen usque adhuc non fuerunt a sacrorum rituum Congregatione approbatæ; sed tantummodo adnotasse fas sit, quod ex Actis Canonizationis S. Caroli scriptis & subscriptis a Mucantio Secretario sacræ Congregationis deprehenditur, sacram Congregationem inter miracula minime recensuisse nonnulla facta, quæ Rotæ Auditores in sua relatione admiserant tamquam miracula adscribenda.

11. Penia, Grattarola, & Caggianus supra memorati plenum de modo relatis testimonium ferunt. Penia *in vita S. Raymundi de Pennafort l.* 3. *cap.* 30. hæc habet: *Postquam Rotæ Auditores super tota causa suum interposuere judicium, jussu Sanctissimi id referunt in Congregatione, mox vero Cardinales eamdem Rotæ Auditorum relationem ab initio inchoante diligenter perpendunt.* Et *in Actis Canonizationis S. Didaci lib.* 3. *cap.* 11. *Jussum insuper est, ut processus, & relationis Auditorum singulis Cardinalibus copia fieret, ut commode quisque per se intra privatos parietes causæ Acta perlegere, & considerare posset, ut negotii gravitas jure optimo postulabat.* De hoc more loquitur etiam Marcus Aurelius Grattarola, in libro, cui titulus, *Successi maravigliosi della venerazione di S. Carlo part.* 1. *cap.* 41. *Si fecero trascrivere quattordici copie di tutto il processo remissoriale, e ventidue copie della relazione degli Auditori di Rota, che distribuimmo alli Signori Cardinali, e Prelati della Congregazione de i riti, una copia per ciascuno, oltre le tre copie date a gli Auditori di Rota, ed altre diverse copie delli processi fatti con autorità ordinaria.* Fusius ipsum exponitur in alio opere Joannis Antonii Caggiani, cujus est inscriptio, *Successi maravigliosi della venerazione del B. Andrea Avellino par.* 1. *c.* 26. ubi auctor loquitur de commissione causæ, quæ facta fuit Congregationi sacrorum rituum: *ed avendola avuta* (causæ scilicet relationem, scriptis expositam) *il Segretario* (Congregationis videlicet sacrorum rituum) *dagli Auditori, ne furono subito fatte copiare tante, quanti erano li Cardinali di detta sagra Congregazione, ed autenticate dallo stesso Segretario, cioè, che concordavano coll' originale; furono presentate alli Cardinali, ed insieme con essa per ciaschedun Cardinale fu fatto copiare il compendio, e sommario dei processi, e presentatoglielo, conforme al solito, acciò quello si riserva nella relazione per approvato, avessero potuto vedere originalmente nel compendio del processo, in caso che vi fosse stato qualche dubbio, o qualche difficoltà.*

12. Hucusque adducta manifeste ostendunt, perduasse examina Rotæ Auditorum post institutionem Congregationis sacrorum rituum. Nunc autem videndum est, an cessaverint post edita ab Urbano VIII. decreta sæpe in hoc Opere memoranda. Facta est horum decretorum editio anno 1625. anno 1634. & anno 1642. & sane in regestis sacræ Congregationis extant monumenta, quæ demonstrant, perstitisse examen Rotæ Auditorum etiam post editionem decretorum Urbani. Die siquidem 7. Novembris 1626. sacra Congregatio in causa Japonen. viginti trium Martyrum demandavit, ut auferretur quædam tabella appensa in claustro Conventus S. Mariæ de Ara cæli, in qua dicti Martyres erant depicti, cum subscriptione, quod fuerant a Rota Martyres declarati, in relatione scilicet, quam Auditores paulo ante exaraverant. Die 7. Septembris 1630. constitutum fuit, ut post discussam, & approbatam validitatem processuum ab Auditoribus Rotæ, ipsa iterum discuteretur in sacrorum rituum Congregatione. Die 24. Februarii, & ultima Julii 1632. examinata fuit, sed non resoluta controversia, num Fidei Promotor scribere deberet & opponere ante, an post editionem relationis Rotalis: quodque caput est, cum in forma commissionis generalis edita in decretis generalibus habeantur hæc verba: *Ut deinde, omnibus mature examinatis, decernat, an processus hujusmodi ad Rotæ Auditores sint transmittendi, ut forment rubricas, suamque faciant relationem de his, quæ in dictis processibus continentur;* & rursus: *Relationes Auditorum Rotæ, informationes in facto, & in jure, & aliæ quæcumque scripturæ tractantes de causis Beatificationum, & Canonizationum imprimi omnino prohibentur ante earumdem causarum terminationem;* nihil clarius afferri potest ad demonstrandum, examen Rotæ Auditorum minime cessasse tempore editionis decretorum Urbani VIII.

13. Ideoque concludendum est, dictum examen cessasse tempore Pontificatus summi Pontificis Innocentii X., & in locum relationis Rotalis subrogatam fuisse consuetudinem, ut tres ex dicto cœtu antiquiores interveniant Congregationi sacrorum rituum, & in ea instar omnium aliorum Consultorum ferant consultationis suffragium, teste Matta *de Canonizat. SS. part.* 1. *cap.* 3. *num.* 26. *Licet autem in iisdem decretis, seu eorum declarationibus dicatur, Auditores Rotæ formare rubricas de iis, quæ in processibus continentur, hoc tamen amplius non servatur, quia processus referuntur ab Eminentissimis Cardinalibus absque rubricatione Rotæ Auditorum, ex quibus tres antiquiores tantum in Congregationibus tam super virtutibus, quam super miraculis votum habent consultivum;* delato hinc onere scribendi pro causa Procuratoribus, atque Advocatis, contra causam vero Fidei Promotori, ut infra patebit, omnia denique legendi ac perpendendi Cardinalibus, & Consultoribus sacrorum rituum.

UAB Biblioteca de Ciències Socials

CAPUT DECIMUMOCTAVUM.

De Fidei Promotore, & ejus Subpromotore.

1. FIDEI Promotor conſultus fert ſuffragium in Congregationibus, ut expreſſe legitur in ipſius Brevi impreſſo in decretis generalibus: *Cum facultate quibuſcumque Congregationibus, quæ ſuper Canonizationibus, & Beatificationibus hujuſmodi tam coram venerabilibus Fratribus noſtris S. R. E. Cardinalibus, quam etiam Nobis fient, interveniendi, & in eis votum conſultivum ferendi.* Verum, præter conſultationis ſuffragium, communicandi ſunt eidem proceſſus cauſarum in forma authentica, necnon omnia earumdem ſummaria, informationes, & ſcripturæ Poſtulatorum, atque ad ipſum pertinet difficultates excitare tum in facto, tum in jure, ut veritas magis eluceſcat; quemadmodum proſequitur modo allatum Breve: *Et cum hoc inſuper, ut tibi copia authentica proceſſuum factorum, ac omnium ſcripturarum producendarum, ac informationum faciendarum ſuper dubiis tempore opportuno diſputandis, ad effectum ea videndi & conſiderandi, eiſque objectiones & reſponſiones opportunas faciendi, detur.* Citandus præterea eſt in quolibet proceſſu. Nam vel per ſe, vel per ſuum Subpromotorem quibuſcumque Actibus intervenit, ut omnia rite & recte adimpleantur; juxta ea, quæ diſponuntur in Brevi ſæpe memorato: *Cum hoc ut tu deinceps in omnibus proceſſibus ſuper dictis Canonizationibus, & Beatificationibus conficiendis, & in ſingulis Actis faciendis, tamquam pars formalis & ad inſtar Commiſſarii Cameræ, & Fiſci Procuratoris citari debeas; quodve tu interrogatoria cum proteſtationibus, quæ tibi videbuntur neceſſariæ, dare, & examinibus teſtium, & compulſationibus jurium, & ſcripturarum quarumcumque, confectionibus plantarum, viſitationibus ſepulcrorum, & aliis quibuſcumque tam in Romana Curia, quam in qualibet alia parte orbis terrarum, coram quibuſcumque Judicibus, etiam delegatis per te, ſeu per alium Subpromotorem cum facultatibus, quæ tibi opportunæ videbuntur, a te deputandum, intervenire valeas.* Acceſſum habet ad ſummum Pontificem, & ad Cardinales, ut, ſi neceſſitas exigat, eoſdem ore tenus informet; quemadmodum decernitur in Brevi: *Et, quando opus fuerit, tam Nos, quam dictos Cardinales informandi.* Ante decreta generalia Urbani VIII. aliquando Fidei Promotor citatus comparebat, & ſi perſpicua erant argumenta ſanctitatis, proteſtabatur, ſe nihil habere, quod proponere poſſet: ſicuti colligitur ex Actis Canonizationis S. Caroli *pag. 96.* ubi ſic legitur: *Joannem Baptiſtam Spadam Advocatum Fiſcalem citatum, qui comparuerat, audire voluerunt. Qui de mandato Illuſtriſſimorum DD. Cardinalium ingreſſus in aulam Congregationis dixit, ſe fuiſſe citatum ad dicendum contra argumenta examinanda ſuper ſanctitate vitæ piæ memoriæ Caroli Cardinalis Borromæi in hac præſenti Congregatione, &, ſe nihil habere, quod poſſet prædictis argumentis opponere, aſſeruit.* Poſt edita vero decreta Urbani VIII. nullum forte reperietur exemplum, quod in dubiis ſaltem principalioribus cauſarum, hoc eſt ſuper virtutibus, ſuper Martyrio, & ſuper miraculis non fuerint excitatæ difficultates a Fidei Promotoribus, etſi aliquando leviſſimæ ex defectu materiæ, ne muneri ſuo deeſſe viderentur; & poſt eadem quidem Urbani Decreta difficultates, quæ a Fidei Promotoribus objiciuntur, debent in ſcriptis proponi, uti cavetur in iiſdem decretis: *Promotor Fidei, ut melius hujuſmodi cauſæ in poſterum diſcutiantur, teneatur in ſcriptis proponere difficultates eorum, quæ continentur in quolibet proceſſu.* Uſus enim proponendi in ſcriptis difficultates eſt maximopere accommodatus recto ipſi cauſarum examini, præſertim cum reſponſiones a Procuratoribus, & Advocatis parari poſſint; ex quibus ſi plene tollantur objecta, non debet Promotor Fidei in Congregationibus erubeſcere id confiteri; nam, cum ipſe ſit Conſultor ſimul, & Promotor; quia Conſultor, ſuam pro veritate aperire tenetur ſententiam; ſicuti quia Promotor, excitare debuit difficultates, quas ratione officii excitandas exiſtimaverat.

2. Exempla habentur in Advocato Fiſcali, & Commiſſario Cameræ Apoſtolicæ, item in Advocato Fiſcali, & Advocato reorum in tribunali ſanctiſſimæ Inquiſitionis. Interveniunt enim tum Fiſci Advocatus, tum Cameræ Commiſſarius Congregationibus, in quibus agitur de re Principis, & Fiſci: &, quamvis acerrime in ſcriptis jura Fiſcalia propugnaverint, ſi tamen eadem minus ſubſiſtentia pro veritate reputaverint, ſuffragium intrepide ferunt adverſus Cameram, ſive Fiſcum. Neque aliter Advocati tum Fiſci, tum reorum in tribunali ſanctiſſimæ Inquiſitionis, quando ſunt Conſultores ſacræ illius Congregationis, pro reo, vel contra reum conſulunt; licet reorum Advocatus, ſcribendo, pro reo pugnaverit, & Advocatus Fiſci, pariter ſcribendo, adducenda deduxerit adverſus ipſum. Quin immo, ſi ſummus Pontifex, aut ſacrorum rituum Congregatio demandet Fidei Promotori, ut in aliquo articulo, non ad opportunitatem ſui muneris, ſed pro veritate ſcribat, tunc debet ipſe ſuum ſenſum pro veritate exponere, licet eſſet propitius cauſæ: tunc quippe non ratione muneris ſcribit, ſed ut debitam præſtet mandatis obedientiam. Et ſic factum fuit a bonæ memoriæ Petro Franciſco de Rubeis olim Fidei Promotore, jubente ſummo Pontifice Alexandro VII. occaſione examinis cujuſdam articuli in cauſa S. Franciſci Saleſii; a Proſpero Bottinio olim pariter Fidei Promotore, jubente ſummo Pontifice Alexandro VIII. occaſione examinis cujuſdam articuli in cauſa S. Laurentii Juſtiniani; atque a me ipſo, dum eodem munere fungebar, mandante ſacrorum rituum Congregatione, & occaſione diſputationis quorumdam præliminarium articulorum pro dirigendo judiciorum curſu in cauſa ſervi Dei Camilli de Lellis, & in cauſa SS. Stanislai, & Aloyſii Societatis Jeſu.

3. Plura alia dicenda eſſent de pertinentibus ad officium Promotoris Fidei; ſed hæc alibi, cum occaſio ſe offeret, commodius explicabuntur. Interea vero aliqua alia referenda ſunt de illius electione, de unione *Promotoratus* cum *Advocatione Fiſcali*, & de prima ejuſdem muneris inſtitutione.

4. Eligitur itaque a ſummo Pontifice Promotor Fidei ex cœtu Advocatorum Conſiſtorialium, uti legitur in regeſtis anni 1631. ſacræ Congregationis *fol.* 131. *Promotor Fidei, cum ſit ad præſens, & in poſterum ſemper debeat eſſe de collegio Advocatorum Conſiſtorialium.* Hoc ipſum nos teſtati ſumus in noſtris litteris Apoſtolicis expeditis in forma Brevis, in quibus Advocatorum Conſiſtorialium collegio ſedile, ſeu ſcamnum aſſignavimus in Capellis Pontificiis ante ſcamnum, ſeu ſedile poni ſolitum pro Cubicularibus ad honorem. Inter cetera quippe, quibus dictum collegium illuſtratur, meminimus, quod unus ex Advocatis Conſiſtorialibus eſt Fidei Promotor: *Alter Fidei Promotor exiſtit.*

5. Ex eodem cœtu Advocatorum Conſiſtorialium eligitur etiam Fiſci Advocatus, teſte Raphaele Fulgoſio, qui floruit ſæculo XV. *in l. Binos cod. de Advocatis diverſor. judicior. Ex hoc forte diſcendit illud, quod ſervatur in Curia Romana, nam antiquior Advocatus Conſiſtorialium eſt Advocatus Fiſci Eccleſiaſtici.* Cum autem Fiſci Advocatus eſſet etiam Fidei Promotor, fuit ſubinde animadverſum, hæc officia nihil habere commune inter ſe, & idcirco poſſe ſeparari, & a diverſis perſonis ſubiri; uti etiam adnotaverat Cardinalis de Luca *in relatione Curiæ Romanæ diſcurſ. 18. num. 14. & diſcurſ. 97. num. 95.* quin immo illa ſeparatio viſa eſt maximopere expediens; vel quia, cum prædicta officia ſint plurimum laboriosa, ut exactius adimpleantur, ſejunctio erat opportuna; vel quia parum decere videbatur, Advocatum Fiſcalem, perſonam plerumque mere laicam, & inſtantem pro punitione delictorum, adhiberi in Beatificationis, & Canonizationis negotio mere Eccleſiaſtico; juxta ea, quæ ponderantur per Auditores Rotæ *in relatione S. Hyacinthi Poloni cap. 2. Prima eſt, non fuiſſe neceſſarium in hac cauſa conſtituere in partibus Poloniæ ſubſtitutum Fiſcalem, qui ad ſingulos proceſſus Actus citaretur, ſi quid opponere vellet; quia licet in ultimo proceſſu Canonizationis S. Didaci facto de anno 1567. Fiſcalis Sanctiſſimi D. N. hic in Curia dederit interrogatoria in rotulo remiſſoriæ includenda pro teſtibus in partibus examinandis in Hiſpania ſibi Subfiſcalem conſtituerit, qui in Actibus proceſſus interveniret, ac fortaſſe in aliquibus aliis Canonizationibus id obſervatum fuerit, nullo tamen id expreſſo jure cavetur, nec numeratur per Doctores inter requiſita ad Canonizationem cap. 1. de Reliq. & venerat. SS. eſtque nova praxis, &,*

licet

UAB Biblioteca de Ciències Socials

licet reperiretur præcepta in aliquo rituali, tamen fuit insuſitata, ac fortaſſe minus huic negotio aptæ. Satis enim videtur indecorum, Fiſcalem Criminalem, perſonam ſcilicet laicam, qui delinquentes accuſare, &, ut puniantur, petere ſolet, adhiberi negotio ſacroſancto & mere Eccleſiaſtico Canonizationis Sanctorum in quo Dominus Papa procedit ex officio, & extrajudicialiter: Bellamera Dec. 671. incipiente, Extra Rotam; quem ſequitur Jacobus Caſtellanus tractat. de Canoniz. SS. quæſt. 7. verſ. Quarto, quia; & quæſt. 8. verſ. Quæro, an in negotio; & in relatione S. Franciſcæ Romanæ part. 1. art. 6. Et merito, cum non videatur æquum citare Fiſcalem, qui in profanis, & criminalibus cauſis facinoroſos accuſare ſolet, ut os aperire poſſit in his quoque cauſis, quæ ſacratiſſimæ ſunt, & a profanitate longe diſtantes.

6. Sanctæ tandem memoriæ Clemens Papa XI. mortuo Joanne Baptiſta Bottinio Sacræ Conſiſtorialis Aulæ Advocato, & Coadjutore Proſperi Archiepiſcopi Bottinii Patrui in utroque munere tam Advocationis Fiſcalis, quam Fidei Promotoratus, Officia ſæpe memorata ſeparavit, & fel. mem. Philippum Scripantem Conſiſtorialem Advocatum Coadjutorem dedit Proſpero Archiepiſcopo in munere Advocati Fiſcalis, meque pariter Conſiſtorialem Advocatum ejuſdem Archiepiſcopi Coadjutorem declaravit in munere Fidei Promotoris, uti colligitur ex ejus Litteris expeditis in forma Brevis die 7. Aprilis 1708.

7. Nulla aderant muneris Fidei Promotoris veſtigia ſæculo decimoquarto. Ægidius enim Bellamera, qui floruit ſæculo prædicto, (teſte Marco Mantua *de viris illuſtribus, inter tractatus magnos tom. 1. fol. 163.*) quique fuit eximius Rotæ Auditor, in ſuis deciſionibus tres ponit concluſiones ſub titulo *de Relig. & venerat. SS.* Concluſione autem 671. quærit, an in Canonizationis negotio neceſſe ſit illos vocare, quorum intereſt; & negative reſpondet: *Extra Rotam; quod in informatione, quæ circa negotium Canonizationis alicujus, qui dicitur Sanctus eſſe, per Dominum Papam, vel alium de ejus mandato ſuper vita & miraculis dicti Sancti recipitur, non eſt neceſſe vocare illos, quorum intereſſe, per generale edictum;* teſtaturque, ſic fuiſſe conſtitutum per Cardinales: *Et ita fuit concluſum per DD. Cardinales Commiſſarios in facto Canonizationis Do. Caroli, videlicet per Do. Alba. Flor. & S. Angeli tunc Commiſſarii, quibus aſſentit Dominus meus Sancti Euſtachii, dicit quod alii DD. Cardinales in Conſiſtorio in hoc etiam concordarunt.* Concluſione ſequenti 672. docet, quod, ſi aliquis comparet, & ſe opponit Canonizationi, audiri poteſt pro animi inſtructione, ſi vero minime audiretur, non propterea actus eſſet nullus: *Si Domino Papa, vel ejus Commiſſario ſuper facto dictæ Canonizationis, ut in concluſione ſupra proxima dicitur, procedente, comparet aliquis, ſe dicens eſſe fidelem, Catholicum, & ſe opponat, & dicat, quod talis proceſſus agitandus non eſt, ſeu quod tales teſtes recipiendi non ſunt, ſeu quod ad talem Canonizationem non eſt procedendum; ſi probabilia alleget, audiendus eſt, & ſi vult Dominus Papa, vel Commiſſarius; licet ad hoc procedens de neceſſitate minime teneatur ſecundum aliquos:* & poſt alia plura: *Attamen, licet expediat audire, non debet quis admitti ut partem faciens, ſed ſolum ad informandum extra judicium animum.* Concluſione tandem 673. animadvertit, quod non eſſet audiendus ille, qui compareret, & ſe opponeret, ſi id non faceret ex zelo, ſed ex odio: *Licet ſit dictum circa concluſionem præcedentem, quod in cauſa dictæ concluſionis bonum eſt audire excipientem, & probabilia allegantem; tamen, ſi apparet, quod excipiens non excipit bono zelo, quem habeat ad Eccleſiam, & ad Fidem, ſed potius ex odio, quod habuit adverſus mortuum, vel ex inimicitia, quam habet adverſus illos de genere mortui, de cujus Canonizatione agitur, ille non eſt æqualiter audiendus, ſed potius totaliter repellendus.* Adducta itaque in concluſionibus 671. & 672. pateſaciunt, tunc temporis nullum officii Fidei Promotoris adfuiſſe veſtigium. Tenetur enim ille comparere judiciali jure, & ſe opponere tum Beatificationi, tum Canonizationi, ceteriſque omnibus, quæ cum hac materia aliquampiam habent connexionem.

8. Prima, quam ſciam, quæ occurrit, mentio Fidei Promotoris, eſt illa, quæ habetur in Brevi ſummi Pontificis Leonis X. in quo, cum in cauſa Canonizationis tunc Beati, nunc Sancti Laurentii Juſtiniani, poſt abſolutam inquiſitionem in genere, procedendum eſſet ad inquiſitionem in ſpecie, demandatur, ut id fiat, teſtes examinando cum interrogatoriis, & citato Fidei Promotore: *Et, ſi per generalem hujuſmodi inquiſitionem vobis videbitur, & conſteterit, ſuper quo utriuſque veſtrum conſcientias oneramus, probationes eſſe tales, ut per eas poſſit ad ſpecialem inquiſitionem procedi & deveniri, Nobis aliter non conſultis, cum de doctrina, fide, & religione veſtra plurimam in Domino fiduciam habeamus, & in aliis arduis experti ſimus, ad ſpecialem ſuper præmiſſis inquiſitionem deveniatis, articuliſque, & interrogatoriis datis, Promotoreque Fidei adhibito, citatione legitima præcedente, teſtium productorum juramenta recipiatis, & juxta interrogatorium, & articulorum formam examinare diligenter curetis, ac eorum dicta in ſcriptis fideliter redigi mandetis, ac monumenta recipiatis, quæ ad negotium hujuſmodi facere videbuntur, omniaque alia accuratiſſime perſcrutemini, quæ & neceſſaria & opportuna eſſe, & ad omnem plenam hujus rei ſcientiam facere cognoveritis; quæ cuncta in ſcriptis fideliter redacta ſub veſtro ſigillo clauſa ad Nos mittetis, ut ad Dei laudem, & Eccleſiæ ſuæ ſanctæ exaltationem, Divina inſpiratione illuminati, quæ Eccleſiam ſuam errare non ſinit, una cum Fratribus noſtris S. R. E. Cardinalibus, quid faciendum ea in re ſit, deliberare poſſimus.* Et in remiſſoria expedita a Clemente VII. in cauſa S. Jacobi de Marchia apud Raynaldum ad *ann.* 1525. *numer.* 103. ſic legitur: *Articuliſque, & interrogatoriis datis, Promotoreque Fidei adhibito.*

9. In bullis quoque Canonizationum S. Raymundi Barcinonenſis, & S. Hyacinthi, quæ ſunt Clementis VIII. dicitur, citatum fuiſſe Fiſci Procuratorem, eumque partes ſuas diligenter adimpleviſſe: *Qui*, hoc eſt Cardinales deputati (verba ſunt bullæ Canonizationis S. Raymundi) *cum privatim, multiſque Congregationibus inter ſe habitis, dilecto Filio Pompejo Molella Fiſci noſtri Procuratore ſemper citato, & partes ſuas diligenter præſtante, ſingula eorum capita, & Acta omnia ſedulo examinaſſent.* Et rurſus in bulla citata Canonizationis S. Hyacinthi §. 7. ſic legitur: *Quæ quidem univerſa, citato Fiſci Procuratore, recognita fuerunt.* Item §. 8. poſtquam dictum fuit, ab Auditoribus Rotæ exaratam fuiſſe relationem, ſubditur: *Qua quidem re ad venerabilium etiam Fratrum ſuorum S. R. E. Cardinalium ſuper ſacris ritibus tunc deputatorum Congregationem, ut & ipſi, quid ea de re ſentirent, in medium afferrent, ejuſdem Gregorii juſſu remiſſa; attente examinatis allatarum a prædictis cauſarum Auditoribus concluſionum argumentis, ac Fiſci Procuratore ſemper citato atque audito, ſervatiſque etiam ſervandis, unanimi conſenſu, eorumdem Auditorum ſuper ſcripturis, juribus, & proceſſus exemplis exhibitis, relationem approbarunt, & rationes, quibus de illius fide, vita, & miraculis conſtaret, longe firmiſſimas eſſe judicarunt.* Inſuper in regeſtis ſacræ Congregationis annorum 1609. 1620. 1621. habetur, deputatum fuiſſe in Fidei Promotorem Joannem Baptiſtam Spadam ſacræ Conſiſtorialis aulæ, & Fiſci Advocatum in cauſis Canonizationum SS. Philippi Nerii, Ignatii, Tereſiæ, & Thomæ de Villanova.

10. Si igitur modo relata ſedulo perpendentur, nemo eſt, qui non videat, adhibitum quidem fuiſſe etiam ante decreta Urbani VIII. Fidei Promotorem in cauſa Beatificationis, & Canonizationis, hocque munus fuiſſe ut plurimum delatum Advocato Fiſcali, at non tamen per modum generalis commiſſionis in omnibus & quibuſcumque cauſis, ſed in illis tantum, quibus ſummo Pontifici, & ſacrorum rituum Congregationi expediens videbatur; ſicut etiam deſumetur ex aliis, quæ alibi dicenda ſunt. Quocirca inſtitutio officii Fidei Promotoris, qui in omnibus & ſingulis cauſis Beatificationis, & Canonizationis tamquam pars formalis, atque inſtar Commiſſarii, Cameræ, & Fiſci Procuratoris citandus ſit, referenda eſt ad ſummum Pontificem Urbanum VIII. qui die 11. Januarii, 1631. litteras expedivit typis impreſſas *inter decreta generalia*, quibus Antonium Cerrum ſacræ Conſiſtorialis aulæ, & Fiſci, & Cameræ Apoſtolicæ Advocatum conſtituit, uti ſupra, in Fidei Promotorem; quo defuncto, eodem modo idem munus collatum eſt Petro Franciſco de Rubeis, & deinde Proſpero Bottinio Conſiſtorialibus, & Fiſci, Cameræque Apoſtolicæ Advocatis. Officiorum autem Fidei Promotoris, & Advocati Fiſci ſeparatio ſanctæ memoriæ Clementi XI. debet adſcribi, qui me, ut antea dictum eſt, tunc Conſiſtorialis aulæ Advocatum elegit in Fidei Promotorem, delato alteri Conſiſtoriali Advocato officio Advocati Fiſci: tumque Clementis exemplo,

plo, me, licet immerente, ad Cardinalitiam dignitatem evecto a sanctæ memoriæ Benedicto XIII. fuit ab isto electus in Fidei Promotorem Carolus Albertus Cavalchinius Consistorialis Advocatus, qui magna cum laude munus sibi commissum exercuit, separatum tamen a munere Advocati Fiscalis, quod magna pariter cum laude exercebatur a Ferdinando de Valentibus similiter Advocato Consistoriali, dum hæc primo scribebamus, non sine Romanæ Curiæ jactura defuncto, tunc suffecto in ejus locum Ludovico ex fratre Nepote adolescente magnæ expectationis in coadjutorem patrui cum futura successione a Benedicto XIII. electo. Postea hic idem Ludovicus de Valentibus, evecto Carolo Alberto Cavalchino ad munus Secretarii Congregationis Cardinalium sacri Concilii Tridentini interpretum, (quod munus a nobis multorum annorum spatio exercitum est una cum officio Fidei Promotoris) a summo Pontifice Clemente XII. electus est in Fidei Promotorem, uti colligitur ex litteris Apostolicis expeditis die 29. Martii 1734. & sic iterum facta est unio officii Advocati Fisci Cameræ Apostolicæ cum officio Fidei Promotoris. Sed, cum in prædictis litteris Apostolicis nulla facta fuerit derogatio aliis litteris Apostolicis expeditis a sanctæ memoriæ Clemente XI. die 7. Aprilis 1708. in quibus, uti supra visum est, facta fuit separatio unius officii ab alio, necnon aliis litteris Apostolicis ejusdem Pontificis expeditis die 30. Aprilis 1714. hanc ipsam separationem pro futuris temporibus comprobantibus, de quibus hoc eodem libro primo *cap. 46. §. 3. num. 16.*; dicendum esse videtur, separationem adhuc persistere, absque eo quod præclusa sit Romano pro tempore Pontifici facultas in facti contingentia hæc duo officia uni personæ conferendi, si ita exigant rerum circumstantiæ, ut edocemur exemplo Sanctissimi Decessoris nostri Clementis Papæ XII. qui, uti diximus, officium Fidei Promotoris contulit Domino Ludovico de Valentibus habenti officium Advocati Fisci Cameræ Apostolicæ.

11. Fidei Promotor suum habet in Urbe Fidei Subpromotorem, qui jurare debet de servando secreto, cum quo conferre potest difficultates in causis proponendas, qui insuper assistit, tamquam Promotor Fiscalis, processibus, qui auctoritate Apostolica conficiuntur in Urbe, & ad quem pariter processus omnes causarum, scripturæ, summaria & informationes deferuntur, ut ipse videre possit omnia, quæ videnda sunt, suasque notas, processibus examinatis, *cum Fidei Promotore communicare*, quemadmodum decernitur in Brevi Fidei Promotoris typis impresso inter decreta generalia; ubi etiam statuitur, eumdem Subpromotorem comparere posse in Actis coram Notario, & Secretario sacræ Congregationis, & coram Cardinalibus ad concordandum de facto super dubiis causarum, quæ proponuntur, & alia quæcumque nomine Promotoris agere, quæ isti videbuntur opportuna: *Quodque Subpromotorem unum eligere possis & deputare ad tuum beneplacitum in Romana Curia, qui processus hucusque factos, vel alios in futurum faciendos tam auctoritate ordinaria, quam Apostolica videre, ac in facto scribere, & comparere possit in Actis coram Notario, & Secretario dictæ Congregationis, & etiam coram dictis Cardinalibus ad concordandum factum super dubiis in Congregationibus proponendi, & alia facienda nomine & arbitrio tuo, quæ tibi videbuntur opportuna & necessaria, & cum quo etiam conferre possis difficultates, & alia omnia, quæ in dictis Congregationibus tractabuntur, recepto tamen prius a te, & ab eo solito juramento de servando secretum.*

12. Licet autem principale onus Fidei Subpromotoris sit compendifacere & examinare processus, uti non solum habetur ex verbis Brevis modo perpensis, sed ex novissimis etiam decretis sanctæ memoriæ Innocentii XI. §. 10. *Subpromotor Fidei a Rev. P. Promotore deputatus, cui onus incumbit primo loco spoliandi & examinandi processus (ex quibus pendet Beatificationum & Canonizationum substantia) ad effectum referendi eidem Promotori, debeat hujusmodi munus diligentissime ac cum omni rigore adimplere*; proinde tamen non eximitur Fidei Promotor ab eadem accurata processuum revisione, quemadmodum colligitur ex iisdem decretis §. *cit. Quatenus ipse Dominus Promotor ex diligenti & accurata revisione processuum, quam facere solet, necessarium vel opportunum duxerit*. Et, si quidem in revisione processuum aliquid obstans reperiri possit, ad Subpromotorem pertinet summarium facere obstantium, pro comprobandis his, quæ a Fidei Promotore in animadversionibus deducuntur, juxta eadem decreta sanctæ memoriæ Innocentii XI. §. 10. *Idemque Subpromotor . . . . . teneatur aliud summarium objectionale ad comprobationem oppositionum conficere, quod sacra Congregatio plurimum expedire cognoscit, ad hoc, ut veritas magis eluceſcat.*

13. Alia supersunt respicientia officium Fidei Subpromotoris, de quibus alibi agetur; cum interea adnotandum tantummodo videatur, electionem Fidei Subpromotoris, & remotionem ab officio dependere ab arbitrio Fidei Promotoris, necnon substitutionem alterius in locum illius, vel quando abest ab Urbe, vel quando ex morbo, aut ex alia causa est impeditus. Porro electio ad officium, & remotio ab officio desumitur ex recitatis verbis Brevis Fidei Promotoris in decretis generalibus Urbani VIII. *Quodque Subpromotorem unum eligere possis & deputare ad tuum beneplacitum in Romana Curia &c.* substitutio autem alterius in locum illius, quando ipse aut abest, aut est impeditus, oritur, ut cetera prætereantur, ab observantia. Cum enim bonæ memoriæ Andreas Pierius, qui spatio fere quadraginta annorum munus exercuit Fidei Subpromotoris, decursu prædicti temporis Bononiam iviſſet, ut ibidem per triennium fungeretur munere Auditoris generalis, recessisset etiam aliquando ab Urbe spatio nonnullorum mensium tuendæ sanitatis gratia, & in ultimo vitæ fine laboribus attritus impotens evasisset, uti operi sibi commisso satisfaceret, bonæ memoriæ Prosper Bottinius Archiepiscopus Myrensis & Fidei Promotor, pro tempore ejus moræ in civitate Bononiæ subrogavit bonæ memoriæ Bernardinum Peregrinum, pro tempore recessu ab Urbe Dominum Dominicum Mariam Vaccarium in Fidei Subpromotores; Joannem vero Zuccherium, de cujus fide, integritate, & peritia experientiam habuerat non perfunctorie, coadjutorem elegit cum futura successione, statim ac Andreas ipse Pierius inhabilis factus est. Et prædictus quidem Joannes Zuccherius Subpromotoris munere usque ad mortem diligentissime functus est; ita ut, non obstante officii amobilitate, attentis ejusdem meritis & longo servitio laudabiliter præstito, sanctæ memoriæ Benedictus XIII. die 16. Decembris 1726. per suas litteras in forma Brevis concesserit & indulserit, ut in eo munere permanere posset quoad viveret, prout permansit, cum omnibus & singulis privilegiis, salariis, emolumentis, honoribus, & oneribus solitis & consuetis.

14. Quia vero in universo orbe Catholico fiunt auctoritate Apostolica processus, & neque Fidei Promotor, neque Subpromotor, qui est in Urbe illorum confectioni interesse possunt; hinc est, quod, quando expediuntur *litteræ remissoriales* pro constructione processuum, Fidei Promotor eligit in loco, in quo fit processus, Subpromotorem ad eum tantum actum, ut videlicet suo nomine intersit confectioni processus; sicuti desumitur ex verbis, quæ leguntur in formula commissionis generalis impressa in decretis generalibus: *Testes examinare cum interventu Subpromotoris Fidei per eumdem Promotorem in Curia nominandi*. Mos autem est hujusmodi, ut a Fidei Promotore destinetur ut plurimum in Fidei Subpromotorem Promotor Fiscalis mensæ Episcopalis illius civitatis, in qua fit processus, præstita simul & semel facultate Judicibus delegatis alium eligendi in Subpromotorem, si ita illis expediens videatur. Et considerate profecto dictum est, a Fidei Promotore ut plurimum Promotorem Fiscalem designari in Fidei Subpromotorem; quia, si notitiam haberet alicujus viri probi & idonei, qui in loco versaretur, in quo conficitur processus, quique vellet, & posset munere fungi Subpromotoris, eum eligere posset in Fidei Subpromotorem, omisso Promotore Fiscali, sicut a me factum est in constructione processus in causa B. Peregrini Latiosi. Quin immo, si locus processus non sit maxime distans ab Urbe, potest Fidei Promotor personam sibi magis acceptam ab Urbe transmittere, quæ munere Subpromotoris fungatur. Cum enim in causa B. Hyacinthæ de Marescottis conficiendus esset auctoritate Apostolica processus in civitate Viterbiensi, ipse ego tunc Fidei Promotor operæ pretium esse censui abstinere a delectu Promotoris Fiscalis Viterbiensis in Fidei Subpromotorem; &, quia egebam opera Joannis Zuccherii mei in Curia Subpromotoris, qui mecum portabat pondus diei, & æstus, Antonium Franceschettum, cujus probitas & habilitas mihi erant perspectæ, Viterbium ab Urbe transmisi, qui fuit Subpromotor in illo processu, qui Viterbii conficiebatur.

15. Aliquando fuerunt quæstiones excitatæ super munere, seu officio Fidei Promotoris; necnon super illo Subpromotoris. Dum eram Fidei Promotor, sacrorum rituum Congregatio die 15. Julii 1719. mihi demandavit, ut, visis & consideratis authenticis documentis

causæ

UAB Biblioteca de Ciències Socials

cauſæ S. Aloyſii Gonzagæ, ſtatum ejuſdem pro veritate referrem, atque opportuna ad eam concludendam *ordinatoria* ſuggererem. Magno ſane cum labore mandatis obtemperavi, atque, exarata longa cauſæ narratione, eademque typis impreſſa, non modo dubitavi ei me ſubſcribere, ſed etiam ſubſcriptionem meam appoſui omnibus documentis, quæ in poſitione fuerunt a Poſtulatoribus allata, & mihi antea communicata. In Congregatione autem habita die 7. Auguſti 1723. a claræ memoriæ Cardinali Fabrono cauſæ B. Aloyſii Relatore propoſitum fuit dubium de validitate ſubſcriptionis per me appoſitæ documentis & ſummario Poſtulatorum, ſub obtentu, quod id pertinebat ad Fidei Subpromotorem; uti ſtatutum eſt in decretis generalibus Innocentii XI. §. 11. & infra demonſtrabitur: meque libentiſſime aſſentiente, ut veritas eluceſceret, & ut in cauſa graviſſima nihil exhibitum dici poſſet, quod non eſſet authenticum, ſacra Congregatio mandavit, ut documenta, & Poſtulatorum ſummaria a Fidei Subpromotore rurſus viderentur, & ab eodem ſubſcriberentur. Facta reviſione per Fidei Subpromotorem, factaque per ipſum ſubſcriptione omnibus & ſingulis documentis, quæ ab ipſo recognita fuerunt tamquam authentica, ut ipſe etiam antea exiſtimaveram; ne aliquod præjudicium ex hoc facto derivaretur in munus Fidei Promotoris, perfugium habitum eſt ad ſanctæ memoriæ Benedictum XIII. eidemque facta eſt in ſupplici libello expoſitio totius facti: & quidem inter cetera, quod mihi, & non Subpromotori, ſacra Congregatio die 15. Junii 1719. delegaverat conſiderationem authenticorum cauſæ documentorum; quod in Brevi Fidei Promotoris non aderant verba præceptiva, ſed facultatem tantum ſonantia quod electionem Fidei Subpromotoris, *quodque Subpromotorem unum eligere poſſis, & deputare ad tuum beneplacitum in Romana Curia*; quod omnia, quæ gerebantur a Fidei Subpromotore, agebantur ex voluntate & arbitrio Fidei Promotoris, qui, quatenus voluiſſet, ſemper potuiſſet per ſe ipſum adimplere omnia & ſingula, quæ adimplentur a Fidei Subpromotore; quod tandem obſervantia concors erat litteræ Brevis, & rationi, cum in cauſa Spoletana Joſephi a Leoniſſa anno 1708. in cauſa Florentina B. Julianæ Falconeriæ anno 1709. in cauſa Pariſienſi B. Vicentii a Paulo anno 1713. & in Aretina B. Gregorii Papæ X. anno 1714., impedito Fidei Subpromotore, ipſe, ſciente, vidente, & nihil omnino opponente ſacrorum rituum Congregatione, ſummariis, & poſitionibus Poſtulatorum ſolus ſubſcripſerim. Sanctitas ſua die 12. Novembris 1724. declaravit, me tunc Fidei Promotorem potuiſſe, & in cauſa B. Aloyſii etiam debuiſſe per me ipſum ſummarium recognoſcere; ideoque ſummarium idem fidem feciſſe, ac meruiſſe, & eo potuiſſe Poſtulatores pro libito uti.

CAPUT DECIMUMNONUM.

De Notario, & Archivi Inſpectore, Interpretibus Proceſſuum, Procuratoribus, Advocatis, & Medicis, aliiſque Miniſtris Congregationis Sacrorum Rituum.

1. INSTAR Congregationis Sanctiſſimæ Inquiſitionis, Reverendæ Fabricæ Sancti Petri, atque Conſilium, quæ ſuos habent in Urbe peculiares Notarios, ſuum etiam habet Sacrorum Rituum Congregatio Notarium peculiarem, juxta Decretum editum die 20. Auguſti 1625. *Sacra Rituum Congregatio cenſuit, ut in poſterum in cauſis Canonizationum Servorum Dei in ipſa Sacra Congregatione pertractandis deputetur aliquis Notarius ad id idoneus ad nutum ipſius Sacræ Congregationis, cum taxa per eamdem Sacram Congregationem declaranda, quæ a Secretario ſubſcribi debeat.* Et, quamvis aliquando actum fuerit de uniendo officio Notarii Sacræ Congregationis Officiis vel Notariorum Sacræ Rotæ, vel Notariorum Cardinalis Vicarii, caruerunt tamen hæc omnia effectu ſuo. Nimis enim neceſſarium reputatum eſt, ut proprium haberet Sacra Congregatio Notarium, ne Acta Canonizationum permixta remanerent cum Actis aliarum cauſarum, quæ vel in Tribunali Rotæ, vel in illo Cardinalis Vicarii diſcutiuntur, & ne Congregationi Sacrorum Rituum prærogativa auferretur, qua ceteræ prædictæ Congregationes potiuntur.

2. Olim Notarii electio ad eamdem Sacram Congregationem pertinebat, ſicuti non ſolum colligitur ex delectu in Notarium Clearchi Buſchi, quæ facta fuit die 24. Novembris 1625. ſed etiam ex his, quæ contigerunt anno 1661. Cum enim tunc ageretur, ut diximus, de uniendo Sacræ ejuſdem Congregationis Notario Notariis Rotæ, Summus Pontifex Alexander VII. proteſtatus eſt, ſe nullatenus per hæc & ſimilia præjudicium afferre voluiſſe juri Sacræ Congregationis ſtatuendi, & removendi proprium Notarium; ut adnotavit Secretarius in Regeſtis, his verbis: *Præterea, cum Sanctitas ſua intenderit officium Notariatus Sacræ Congregationis unire officiis Notariorum Sacræ Rotæ, nomine Sacræ Congregationis Sanctitatem ſuam rogavi, ut dignaretur electionem, & liberam remotionem Notarii ex numero Notariorum Rotæ faciendam dimittere arbitrio Sac. Congr. & Sanctitas ſua, ita ſe mandaturam Theſaurario, benigne promiſit, ac ſe numquam in contrarium intendiſſe declaravit.* At hodie immutata eſt conſuetudo: Secretarius ſiquidem Congregationis, poſtquam intellexerit obiiſſe Notarium, aut Officium dimiſiſſe, certiorem de hac re reddit Summum Pontificem, illiuſque mente perſpecta, eam Sacræ Congregationi notificat, quæ eligit perſonam a Sanctitate ſua Secretario nominatam, & a Secretario Sacræ Congregationi ſignificatam.

3. Notarius, ſtatim ac electus eſt, emittere tenetur in Sacra Congregatione juramentum de fideliter exercendo officio ſibi commiſſo, & de obſervanda taxatione emolumentorum jam ſtatuta, de qua alibi ſermo fiet; & formula quidem juramenti eſt ea, quæ ſequitur: *Ego N. N. Notarius a Sacra Congregatione ſpecialiter deputatus in cauſis ejuſdem Sacræ Congregationis, tactis ſacroſanctis Dei Evangeliis, juro, & promitto fideliter exercere officium mihi conceſſum, & ad unguem obſervare ſupradictam taxam, ſub pœna perjurii, privationis officii ipſo facto incurrendæ, & reſtitutionis contra, & ultra dictam taxam habitorum & acceptorum, aliiſque pœnis arbitrio ipſius ſacræ Congregationis.* Deberet Notarius præ foribus adeſſe, quando habentur Congregationes in cauſis ſervorum Dei, juxta decretum anni 1642. *Idem Notarius adſit præ foribus, quando habentur Congregationes cauſarum Sanctorum*: verum id non eſt amplius in uſu, ſed die Congregationem præcedenti adire ille conſuevit Secretarium, & Fidei Promotorem, ut ab illis audiat, an ſua opera indigeant, necne.

4. Sæpe diſputatum fuit, utrum ad ſacræ Congregationis Notarium pertinerent tantummodo cauſæ Beatificationis, & Canonizationis, an etiam aliæ omnes cauſæ, quæ in ſacra rituum Congregatione diſcutiuntur; ſemper autem prodierunt reſolutiones Notario favorabiles, quod ad ipſum ſcilicet ſpectarent cauſæ utriuſque generis privative quoad alios omnes Urbis Notarios, ut ex ſequenti decreto colligitur: *Cum ſacra rituum Congregatio, ne tam proceſſus cauſarum Beatificationum, & Canonizationum, quam alii, qui in cauſis controverſis confici poſſunt, per manus Notariorum variorum tribunalium diſperſi vagarentur, uſque ab anno 1625. pro actitandis hujuſmodi cauſis Clearcum Buſchum in proprium, & peculiarem ipſius ſacræ Congregationis Notarium nominaverit; cumque, hujuſmodi declaratione minime obſtante, Notarii A. C. ac ſignanter ſacri palatii Apoſtolici in prædictis cauſis controverſis ſeſe ingerere cæperint; denuo, habito per Jacobum Saxum anno 1681. ad ſacram rituum Congregationem recurſu, eadem ſacra Congregatio die 24. Januarii prædicti anni, de communi Eminentiſſimorum Cardinalium dictæ ſacræ Congregationi præpoſitorum voto, cenſuit & decrevit, omnes cauſas penes ipſam controverſas, ac in poſterum controvertendas, ab eaque cognoſcendas, illarumque Acta omnino ſpectare ad Notarium ipſius ſacræ Congregationis privative quoad omnes alios Notarios quorumcumque tribunalium; & ita obſervari mandavit, non obſtantibus quibuſcumque. Huic autem declarationi ac decreto poſt aliquod tempus præmemorati Notarii minime obtemperantes, varias ſupra recenſitas cauſas actitarunt, citationes expedierunt, proceſſus confecerunt, aliaque peragere in præjudicium jurium ac facultatum proprii Notarii ſacræ ejuſdem Congregationis attentarunt. Proinde Coſmus Antonius de Bernardinis modernus ejuſdem ſacræ Congregationis Notarius apud ipſam iterum inſtitit, quatenus prædicti ſacri palatii vel A. C. & aliorum tribunalium Notarii tum obſervantiam memorati decreti, tum reſtitutionem ſcripturarum omnium, ac proceſſuum mandare*

care dignaretur, iisdemque inhibere, ne in hujusmodi causis controversis, aliisque ad sacram Congregationem rituum spectantibus in posterum sese ingerere ullo modo audeant, vel præsumant. Sacra vero eadem Congreg. hujusmodi instantiæ die 23. Martii 1715. rescribendum duxit: Audiatur Notarius A. C. coram Eminentissimo Præfecto, Cito itaque, coram eodem Eminentissimo, sacri palatii & A. C. Notario Paulo Patio, plurieſque tam in voce, quam in scriptis audito, juribusque hinc inde deductis, visis, & mature perpensis, propositaque denuo instantia sub infrascripta die, sacra eadem rituum Congregatio, iterum censuit ac decrevit, causas omnes tum Beatificationis, & Canonizationis, tum controversas, quæque quovis modo in ipsa sacra Congregatione tractantur; earumque Acta, processus, &c. spectare ad proprium illius Notarium privative quoad omnes alios; necnon tum sacri palatii Apostolici, & A. C., tum aliorum tribunalium Notarios inhibendos esse, ne amplius in causis jam enuntiatis sese ingerere audeant & præsumant, sub pœnis arbitrio ipsius sacræ Congregationis infligendis. Et ita decrevit & servari mandavit, si Sanctissimo Domino nostro visum fuerit, die 6. mensis Julii 1715. factaque deinde per me Prosecretarium de prædictis Sanctissimo relatione, Sanctitas sua benigne annuit die 13. ejusdem mensis, & anni 1715.

5. Aliquando etiam de Notario sacræ Congregationis quæsitum est, an ipse de necessitate adhibendus esset in confectione processuum Beatificationis, & Canonizationis, qui aliquando fiunt in Urbe, auctoritate Apostolica, a Cardinali Vicario, aut ab Episcopis ab isto deputatis: &, quamvis prima facie responderi posse visum fuerit, in dictis processibus adhibendum esse Notarium sacræ Congregationis, cum ejus auctoritate memorati conficiantur processus; contraria nihilominus opinio in usu recepta est, ita ut liberum sit Cardinali Vicario quemlibet sibi acceptum (dummodo sit idoneus, & qualitates habeat necessarias) destinare in hac hypothesi Notarium. Procedit enim in hoc rerum statu Cardinalis Vicarius tamquam delegatus; & delegatus quidem non tenetur uti Notario delegantis, sed quemlibet alium sibi magis acceptum adhibere potest: atque re ipsa, cum in Congregatione sacrorum rituum ordinaria, die 14. Septembris 1715. de hac eadem re sermo habitus fuisset, postrema illa prævaluit opinio, quam etiam præcedens validam reddiderat observantia.

6. Notarius est etiam Inspector archivi sacræ Congregationis, vulgo *Archivista*, ita ut, statim ac quis destinatur in Notarium, designetur simul & semel in archivi Inspectorem. Operæ itaque pretium est, nonnulla hic recensere de dicto Congregationis archivo.

7. Summus Pontifex Urbanus VIII. archivo sacræ Congregationis locum assignavit in palatio Vaticano, uti legitur in regestis Secretarii Caroli Paulutii *pag.* 413. In hoc archivo custodiuntur authentici processus causarum Beatificationis, & Canonizationis, & interpretationes autographæ illorum, qui sunt extero idiomate confecti; cumque in sacrorum rituum Congregatione alia pertractentur negotia, puta *præcedentiarum*, & similia, processus Beatificationum, & Canonizationum retinentur in loco separato ab aliis scripturis, nec amoveri possunt, nisi de mandato vel Cardinalis causæ Relatoris, vel Fidei Promotoris, causa illos videndi, quatenus opus sit, & cum onere deinde restituendi. Claves autem loci, in quo asservantur scripturæ, retinentur a Protonotario, qui ulterius tenetur conficere inventarium dictorum processuum, & quatuor illius exemplaria, quorum unum esse debet penes ipsum, alterum penes Secretarium, tertium apud Promotorem, quartum vero remanet in archivo; & in fine cujuslibet anni fit a Protonotario, Secretario, & Promotore coram archivi Inspectore collatio inventarii cum processibus, ut videatur, an aliqui desint, & an illi, qui fuerunt crediti vel Cardinali Relatori, vel Fidei Promotori, uti supra dictum est, fuerint redditi.

8. Desumuntur hæc omnia ex decretis Innocentii XI. §. 5. & 6. *Advertens etiam* (sacra Congregatio) *quam necessaria sit diligens custodia processuum originalium, decrevit, quod ii, sicuti etiam interpretationes originales illorum, qui sunt extero idomate confecti, retineri debeant in archivo sacræ Congregationis in Vaticano in loco clauso & separato ab aliis scripturis, nec possint amoveri, nisi de ordine Eminentissimi Cardinalis Ponentis, vel ad instantiam R. P. Promotoris, ad effectum videndi, quatenus opus sit, & deinde reportandi; cujus archivi duæ sint claves, una penes Protonotarium Apostolicum, qui pro tempore intervenerit sacræ Congregationi; & altera penes Secretarium: & clavis loci, in quo custodientur dicti processus, stet penes eumdem Protonotarium, alterius vero, in quo retinentur aliæ scripturæ sacræ Congregationis, penes Secretarium. Idemque Protonotarius curam habeat revidendi inventarium dictorum processuum, & quatenus non adesset, illud diligenter fieri mandet cum quatuor copiis, quarum una stet penes eumdem Protonotarium, altera penes Promotorem, altera penes Secretarium, & quarta in eodem archivo; & in fine anni idem Protonotarius, Promotor, & Secretarius revidere debeant dictum inventarium, & conferre cum processibus, ad effectum recognoscendi, an aliquid deficiat, & curandi, ut reportentur; & Secretarius referat in prima sequenti Congregatione.*

9. Post hæc decreta, non commodantur Procuratoribus, & Postulatoribus processus in archivo existentes: pro agendis enim causis Beatificationum, & Canonizationum utuntur aliis exemplaribus authenticis, quæ ipsis a Notario sacræ Congregationis data sunt. Verum ante hæc decreta, processus archivi commodabantur; &, quia aliquando causæ resumuntur, quarum processus ante decreta crediti retinentur a Procuratoribus, aut Postulatoribus, iidemque instant, ut a Notario recipiantur, & in archivo reponantur; non potest Notarius privata auctoritate hanc processuum redditionem admittere, sed illorum recognitio fieri antea debet a Fidei Promotore, uti respondit sacra Congregatio in causa Panormitana servi Dei Innocentii a Clusis *die* 22. *Aprilis* 1684. Contigit id ipsum, dum munere fungebar Fidei Promotoris, in causa Grossetana servi Dei Joannis a S. Guillelmo, in qua processus traditi ante decreta non fuerunt recepti, nec in archivo repositi, nisi adhibita a me diligentia, an processus ipsi essent autographi, & concordarent cum manuali processuum commodatorum existente in Actis Notarii, & an numerus foliorum processuum restituendorum responderet numero foliorum, qui erat expressus in dicto manuali: præterea omnes processus diligenter inspecti sunt, ut videretur, an aliquis defectus, aliqua litura, aut aliqua superadditio reperiri posset: &, facta demum per me relatione in scriptis, quæ ad unumquemque sacræ Congregationis Cardinalem transmissa fuit, demandatum tandem est Notario, ut processum reciperet, & ad archivum referret.

10. Contingit aliquando, ut in causis Beatificationis, & Canonizationis ad sacram rituum Congregationem transmittantur processus extero idiomate conscripti. Et profecto etiam ante decreta novissima Innocentii XI. Interpretes, & Revisores adhibebantur fide digni, ut satis colligi potest ex decreto edito in causa Antuerpien. servæ Dei Annæ a S. Bartholomæo *die* 31. *Augusti* 1670. sed, quia in decretis generalibus Urbani VIII. nihil fuerat constitutum quoad Interpretem, & Revisorem, in decretis idcirco prædictis Innocentii XI. præscriptum fuit, ut Interpres processuum extero idiomate confectorum eligatur a Cardinali causæ Relatore, citato tamen & audito Fidei Promotore; & ut, facta interpretatione, vir probus ab eodem Cardinali secreto destinetur, qui ipsam recognoscat. Imponitur utrique, Interpreti scilicet, & Revisori, a Cardinale Relatore juramentum de fideliter adimplendo munere ipsis commisso; &, si quidem in interpretatione deprehendatur aliquis error substantialis, Interpres punitur arbitrio sacræ Congregationis. En verba decretorum Innocentii XI. §. 4. *Considerans quoque sacra Congregatio, quod principale fundamentum in causis Beatificationum, & Canonizationum constitui debet in fideli interpretatione processuum extero idiomate confectorum, & quod, licet ex laudabili observantia Interpres semper fuerit electus ab Eminentissimo Ponente, citato & audito R. P. Fidei Promotore, nihilominus super hoc decreta generalia nihil disponunt, idcirco decrevit, quod in posterum in qualibet causa Interpres eligatur ab Eminentissimo Cardinali Ponente, citato & audito R. P. Fidei Promotore; & pro majori cautela, postquam interpretatio fuerit facta, revideatur ab aliquo viro probo & perito, qui secreto ad hoc officium assumatur ab eodem Eminentissimo Ponente; &, si reperiatur aliquis error substantialis, Interpres severe puniatur arbitrio sacræ Congregationis; per quem Eminentissimum deferri debeat tam Interpreti, quam Revisori juramentum de fideliter sibi munus commissum adimplendo.*

11. Porro in sacrorum rituum Congregatione minime leguntur memorialia, sive scripturæ spectantes ad causas Beatificationum, & Canonizationum, nisi sint a Procuratore subscriptæ; juxta decretum editum die 18. Martii 1679. quod fuit innovatum & confirmatum die 31. Aug. 1680. *Sacra rituum Congregatio, inhærendo decreto sub die* 18. *Mar-*

Martii 1679. in eadem emanato, quod in posterum non legantur memorialia Beatificationum, & Canonizationum sine subscriptione Procuratorum, iterum mandavit, quod non recipiantur in futurum memorialia, & scripturæ Beatificationum, & Canonizationum, nisi sint subscriptæ a Procuratoribus; & ita decrevit, & servari mandavit die 31. Augusti 1680.

12. Non omnibus tamen Procuratoribus Romanæ Curiæ scribere permissum est in causis sæpe memoratis Beatificationum, & Canonizationum; sed, cum in Urbe collegium habeatur Procuratorum collegii sacri palatii Apostolici, in quod recipiuntur viri notæ probitatis, experientiæ, & peritiæ; quod quidem collegium, si non institutum fuit, in meliorem saltem formam redactum est anno 1617. a summo Pontifice Paulo V. juxta ea, quæ late recensentur *in Romana juris honorifici super petitorio 24. Martii 1702. §. Fundamentum, coram bon. memor. Molines decano*; hinc est, quod in novissimis decretis sanctæ memoriæ Innocentii XI. concessum fuit hujus collegii Procuratoribus, privative quoad alios, ut in his causis scribere possent, quemadmodum legitur §. 11. *Et, quia materiæ gravitas, & dignitas exposcit ut pertractetur & dirigatur a viris notæ probitatis, experientiæ, & peritiæ; censuit sacra Congregatio, quod ad conficiendum tam informationes in facto, quam summaria, in quibus potissime consistit causarum pondus, assumantur solum Procuratores collegii sacri palatii Apostolici, tribuendo Postulatoribus libertatem eligendi ex dicto cœtu, quem voluerint*. Privativa hæc facultas Procuratorum sacri palatii Apostolici confirmata fuit a sacra rituum Congregatione die 13. Augusti 1701. Cum enim nonnulli Procuratores, qui non erant ex dicto collegio, vel utentes proprio nomine, vel assumpto nomine alicujus e collegio Procuratoris, incumberent defensioni harum causarum Beatificationis, & Canonizationis, Patroni autem collegii protestati fuerint, se esse promptos & paratos ad harum causarum patrocinium; controversia delata ad sacram rituum Congregationem ordinariam, ipsa diebus & anno prædictis respondit pro observantia decreti Innocentiani. Verumtamen id non officit, quin summus Pontifex, vel sacrorum rituum Congregatio accedente tamen Pontificia approbatione, indulgere possint, ut Procurator, qui non est de collegio, in causis Beatificationis & Canonizationis scribat & patrocinetur; idque sæpius factum est, non solum post decreta Innocentii XI. sed etiam post citatum decretum anni 1701. Et merito; tum quia causæ totum hominem requirunt, & collegii Procuratores aliis Curiæ negotiis ut plurimum sunt implicati; tum quia plerique reperiuntur maximopere idonei ad harum causarum patrocinium, qui in collegium Patronorum non admittuntur ex defectu aliorum requisitorum, quæ nihil habent commune cum causis servorum Dei.

13. Præterea in memoratis Innocentii XI. decretis cautum est, ut unusquisque Procurator eodem tempore quatuor tantummodo causis Beatificationis, & Canonizationis incumbat, ut diligentius operam suam navare valeat, sicuti colligitur *ex cit. §. 11. Dummodo quilibet ex eis non possit eodem tempore patrocinari plures causas, quam quatuor; ad hoc, ut eis facilius operam dare possit, sub pœna inhabilitatis amplius scribendi in casu contraventionis*. Quibus consentiunt decreta sacræ Congregationis deinceps edita, *die* scilicet *26. Novembris 1678. die 19. Aprilis 1687. die 29. Julii 1720. & die 10. Decembris 1721.* Attamen id de more non observatur, nec observari potest: cum enim expediat, ut aliqui causarum Procuratores se hisce Beatificationum & Canonizationum causis in totum devoveant, quatuor tantummodo causarum numerus modicus est pro continuato eorum labore. Proposita quippe una causa super *signatura commissionis*, cum exempli gratia decem, aut duodecim anni ut plurimum elabantur, antequam eadem proponi possit, post confectos processus Apostolicos: vel hoc intermedio tempore Procurator aliam causam tuendam assumet, tumque non quatuor, sed quinque erunt causæ, quibus patrocinabitur; vel eodem tempore nullam aliam causam assumet, & tunc non quatuor, sed tres erunt causæ, quibus patrocinium præstabit. Redeundo autem ad decreta novissima Innocentii XI. in illis etiam præscriptum fuit, ut Procurator, postquam electus est, possit in quocumque statu causæ mutari; dummodo concurrant legitima ratio, & licentia Eminentissimi Ponentis, & dummodo subrogetur alius ex eodem collegio Procuratorum sacri palatii Apostolici, qui omnino non habeat plures causas, quam quatuor: *Et liceat Partibus in quocumque statu causæ, rationabiliter tamen, & prævia licentia Eminentissimi Ponentis, mutare Procuratorem, dummodo alius in ejus locum subrogandus sit de eodem collegio, & non habeat in totum plures causas, quam quatuor.*

14. Ponderanda est tamen dictio *rationabiliter*, quæ legitur in citato decreto: rationabilis enim causa requiritur in mutatione Procuratoris jam assumpti ad defensionem causæ Beatificationis, & Canonizationis; & examen æquitatis causæ admitti potest, non ut Procurator invitis Postulatoribus (si causa forte eum removendi esset irrationabilis) valeat amplius se immiscere negotiis Beatificationis, & Canonizationis, sed ut propriam existimationem tueri valeat, ne forte propter remotionem traduceretur tamquam vir malæ famæ, vel non integræ aptitudinis. Et sane his cohærenter videmus, in jure statutum esse, Procuratorem invitum dimitti non posse, nisi concurrente rationabili causa, juxta *text. in cap. Quamvis de Procuratoribus in 6.* etsi hæc juris censura ita procedit, ut Procurator dominus litis effectus audiri quidem valeat pro conservatione sui honoris & famæ, vocando in judicium Dominum, a quo revocatus est, ad dicendam causam revocationis, non vero, ut in posterum causæ se immiscеat. Textus est notabilis *in l. Quæ omnia 25. §. Sed si adversarius ff. de Procuratorib.* & concordant *gloss. in c. Quamvis verbo ipso volente de Procuratorib. in 6. Addeu. ad Ludovis. decis. 548. num. 14. Rota coram Cassador. decis. 2. de appellat. n. 5. & coram Seraphino decis. 195. num. 1. & 2.*

15. Scribentes in jure in his causis sunt Advocati sacræ Consistorialis aulæ: sed, quia duodenarius tantum est numerus horum Advocatorum, & sæpenumero contingit, ut aliquis ex eis ad officia Prælatitia assumatur, semper vero eorumdem unus sit pauperum Advocatus, alius Fisci, & Rever. Cameræ Apostolicæ pariter Advocatus, alius Fidei Promotor, ita ut in his causis scribere non possint; sacra idcirco Congregatio duodecim alios approbare consuevit Advocatos in Romana Curia celebriores, qui in his causis patrocinium præstent, ita tamen, ut quilibet eorum eodem tempore sex tantummodo ex eisdem causis habere possit: *Advocati vero* (verba sunt decretorum Innocentii XI. §. 12.) *ad scribendum in jure assumi debeant ad libitum Postulatorum, dummodo sint ex collegio sacræ Consistorialis aulæ, vel ex duodecim aliis approbatis a sacra Congregatione, ita tamen, ut quilibet eorum sex tantum causas patrocinari possit*. Quamquam & id de more non observatur, neque observari potest, propter rationes supra allatas, cum de Procuratoribus agebatur.

16. Prærogativa scribendi in jure in his causis jure ac merito data fuit collegio Advocatorum Consistorialium. Collegium enim illustre est, & ex probis doctisque viris compositum: ideoque Æneas Sylvius, sive Pius II. *in apologia ad Martinum Mayer, quæ extat in commentariis Jac. Gobellini* de illo inquit *pag. 737. Vicecancellario subserviunt Auditores viri graves, & doctrina excellentes, coram quibus causæ agitantur & definiuntur, suntque raro infra duodecim, cuilibet vero eorum quatuor Scribæ assistunt; & Advocatorum nobilis ordo, qui patrocinantur causis, viri electi ex multis, utroque jure consulti, qui cathedras diu in scholis publicis rexerunt: neque hi, neque Auditores absque magno examine admittuntur, & necesse est, eos publice disputare, priusquam in hunc ordinem aspirare valeant*. Quodque notabilius est, cum soli Advocati Consistoriales in publicis Consistoriis pro Beatificationibus, & Canonizationibus exorent: congruum esse videtur, ut ipsi etiam in dictis causis scribant, & patrocinium præstent.

17. Medici tandem, Physici, Chirurgi, quin immo & Mathematici, quando agitur de miraculis, & quando materia id exposcit, a sacra Congregatione consuluntur, ut suum sensum in scriptis pro veritate aperiant. Statutum id fuit in decretis Innocentii XI. §. *Finali*. Si etenim a Postulatoribus exhibeantur scripturæ Physicorum, & Chirurgorum pro confirmatione miraculi, cujus intendunt approbationem, in eisdem præscribitur decretis, ut tunc Cardinalis causæ Relator eligat ex officio, secreto, & prævio juramento de veritate dicenda, alium Medicum, sive Chirurgum celebriorem, qui scribat pro veritate: *Cum etiam observatum fuerit, sæpe Postulatores dare scripturas Medicorum, vel Chirurgorum pro confirmatione miraculorum, & ex alia parte non fuerit solitum responderi per peritos ejusdem professionis; ideo videtur necessarium, ad hoc, ut spondeatur secundum artem, quod Eminentissimus Ponens deputet ex officio, secreto, ac prævio juramento, alium Medicum, & Chirurgum celebriorem, qui respondeat pro veritate, ad effectum videndi, an asserta miracula excedant vires naturæ*. Quin etiam, ut veritas magis eluceſcat, sæpe fit, ut nullo quoque scri-

bente Medico, ad opportunitatem, jussu Cardinalis Relatoris, vel sacræ Congregationis, Medicus vel Chirurgus eligatur ad scribendum pro ipsa veritate: & ita pluries effectum fuit, dum munere fungebar Fidei Promotoris; & id ipsum etiam ante decreta novissima Innocentii XI. in more positum erat, ut Medici suum in scriptis proferrent judicium super miraculis, quoties dubitabatur, an factum vires naturæ excederet. Quid contigerit in causa S. Aloysii Gonzagæ, dum ea in Auditorio Rotæ pertractabatur, in superioribus visum est. Supersunt adhuc consilia Angeli Victorii, & Pauli Zacchiæ super nonnullis miraculis, quæ proponebantur examinanda in causis SS. Philippi Nerii, Laurentii Justiniani, & B. Gregorii X. & in causa S. Caroli Borromæi narrat Grattarola *cap.* 43. Medicos ad consilium fuisse vocatos in examine miraculorum: *Come ancora per la gran diligenza, che i Signori Cardinali usavano in istudiar benissimo tutta la causa, e consultare con molti periti Medici la materia de' miracoli, e allora congregarne molti a farci sopra collegio, dove vedevano, che vi potesse restare qualche dubbio.*

18. Ad hæc juxta decreta generalia Urbani Papæ VIII. scripturæ exaratæ in causis Beatificationis, & Canonizationis typis imprimi non poterant, antequam causis ipsius finis impositus esset: *Relationes Auditorum Rotæ, informationes in facto & in jure, & aliæ quæcumque scripturæ tractantes de causis Beatificationum, & Canonizationum imprimi omnino prohibentur ante earumdem causarum terminationem.*

19. Sed facilioris studii, & minoris impensæ gratia summus Pontifex Alexander concessit, ut omnes Procuratorum, Advocatorum, & Medicorum scripturæ, ipsæque etiam animadversiones Fidei Promotoris imprimi possent; uti desumitur ex decreto edito die 19. Julii 1661. *Quamvis fel. record. Urbanus VIII. decreto edito die 31. Januarii 1631. mox relato, & impresso inter novissima decreta die 12. Martii 1642. pag. 61. in causis Beatificationum, & Canonizationum expresse prohibuerit, relationes Auditorum Rotæ, informationes in facto & in jure, & alias quascumque scripturas tractantes de causis Beatificationum, & Canonizationum imprimi, ante earumdem causarum terminationem; cum tamen experientia fuerit deinde compertum, in illis exemplandis per amanuenses, ob eorum imperitiam vel incuriam, ut plurimum multa errata irrepere, quæ verum illarum sensum immutant, & Postulatores cogi graves impensas subire, quæ maxima ex parte minuerentur, si eisdem liceret illas typis mandare; ideo SS. D. N. Alexander Divina providentia Papa VII. utrique malo provida sollicitudine consulere volens, de consilio S. R. E. Cardinalium sacræ rituum Congregationi præpositorum, in qua hujusmodi negotia discussi mandaverat, habita die 9. Aprilis præsentis anni 1661. motu proprio, & ex certa scientia, suo speciali decreto indulsit & mandavit, ut in posterum informationes tam in facto quam in jure, summaria, memorialia, oppositiones R. P. D. Fidei Promotoris, responsiones, & replicationes, ac omnes & quæcumque aliæ scripturæ quomodolibet pertinentes ad causas Beatificationum, & Canonizationum imprimi & typis mandari possint & valeant; non obstantibus præfatis decretis, quibus in hac parte duntaxat Sanctitas sua specialiter & expresse derogavit, & derogatum esse voluit.*

20. Sexaginta tamen solummodo dictarum scripturarum exemplaria typis excudi possunt, nisi aliter videatur Secretario sacræ Congregationis. *Insuper sexaginta tantummodo exemplaria imprimantur, nisi plura desiderentur a Secretario dictæ Congregationis sacrorum rituum.* Et quamvis pro impressione, necessaria non sit licentia Vicesgerentis Cardinalis Vicarii in Urbe, vel Magistri sacri palatii, quin immo pro impressione animadversionum R. P. D. Fidei Promotoris istius sufficiat subscriptio, *absque eo quod opus sit alia revisione, licentia, aut approbatione etiam Vicesgerentis Cardinalis Vicarii in Urbe, ac Magistri sacri palatii; exceptis tamen oppositionibus, responsionibus, & replicationibus, aliisque scripturis ipsiusmet Promotoris Fidei, quibus sola ejus subscriptio sufficiat*; scripturæ nihilominus, quæ exhibentur a Procuratoribus, & Advocatis, non solum videri & examinari debent a Fidei Subpromotore ante impressionem, *neque prædicta quoquo modo imprimantur, nisi prius revisa & subscripta fuerint per Fidei Subpromotorem*, uti disponit citatum decretum, a quo & hæc, & alia præcedentia verba desumpta sunt; sed dictus Fidei Subpromotor summaria ipsa, quæ fiunt a Procuratoribus, antequam typis mandentur, conferre tenetur cum processibus, se subscribendo in quolibet folio, una cum attestatione suæ revisionis, sicuti sancitum fuit in decretis noviissimis Innocentii XI. §. 10. *Subpromotor Fidei a R. P. Promotore deputatus, cui onus incumbit primo loco spoliandi & examinandi processus (ex quibus pendet Beatificationum, & Canonizationum substantia) ad effectum referendi eidem Promotori, debeat hujusmodi munus diligentissime, ac cum omni rigore adimplere; ac summaria, quæ solent a Procuratoribus fieri, antequam typis mandentur, conferat cum processibus, subsecuta attestatione, quod fuerunt per ipsum revisa, & in quolibet folio se subscribat.*

21. Neque scripturæ, postquam impressæ sunt, statim publicari possunt, sed Fidei Subpromotor iterum eas recognoscit, conferendo videlicet summaria impressa cum exemplari manuscripto, & iterum se subscribit in fine; tum autem subscriptionem Fidei Subpromotoris subsequitur subscriptio Secretarii Congregationis sacrorum rituum, qui omnia tandem munit sigillo: *Eamdemque diligentiam* (verba sunt decretorum Innocentii XI. *loc. cit.*) *conferendi cum exemplari manuscripto iterum faciat, postquam fuerint impressa, cum iterata subscriptione in fine, quam subsequatur subscriptio, & sigillum Secretarii, nec ante prædictas subscriptiones possint tam summaria, quam informationes publicari, sub gravissimis pœnis, tam quoad Postulatores, quam etiam quoad impressores, arbitrio sacræ Congregationis, seu Eminentissimi Cardinalis Præfecti infligendis.* Si vero aliquod exemplar impressum apud aliquem reperiatur absque subscriptione & sigillo prædictis, sæpe memoratum Alexandrinum Decretum retinentem panit pœna quingentorum aureorum applicandorum Reverendæ Cameræ Apostolicæ pro unoquoque exemplari: *Omnia vero & singula exemplaria impressa consignentur eidem Secretario, ab eoque subscribantur, & sigillo ejusdem sacræ Congregationis muniantur, præsente impressore; si vero penes impressorem, vel alios quoscumque quavis dignitate, præeminentia, vel auctoritate, etiam speciali ac individua expressione dignos, præter subscripta & sigillata, ut supra, aliquod aliud exemplar reperiri contigerit, talis impressor, & alius quicumque luat pœnam aureorum quingentorum pro quolibet exemplari ex nunc ipso jure Cameræ Apostolicæ applicandorum.* Etsi scripturæ impressæ, ex impressione, vel subscriptione, & sigillo majorem fidem minime obtinent, quam si essent tantummodo manuscriptæ, uti colligitur ex eodem decreto: *Expresse quoque declaravit Sanctitas sua, quod tales informationes, summaria, & aliæ quæcumque scripturæ Canonizationum, quantumvis impressæ, revisæ, subscriptæ, & sigillatæ, ut supra nullum prorsus probationis gradum faciant in ordine ad Beatificationem, & Canonizationem, sed eam tantummodo fidem mereantur, quam alias haberent, ut simplices copiæ, absque tali impressione, revisione, subscriptione & obsignatione prædictis.*

22. Harum scripturarum omnium impressio pertinet ad typographum Cameralem, quemadmodum prosequitur sæpe allegatum decretum: *Ut vero præsens decretum suum integrum ac plenum effectum sortiatur; eadem Sanctitas sua licentiam & facultatem hujusmodi impressionis concessit impressori seu typographo Camerali pro tempore*, dummodo taxationem statutam, & alibi referendam observet. *Quod si impressor* (verba sunt ejusdem decreti) *seu typographus Cameralis pro tempore onus imprimendi informationes ac scripturas prædictas pertinentes ad causas Beatificationum, & Canonizationum subire noluerit pro pretio, ut supra, per Sanctitatem suam statuto, & taxato, aliisque conditionibus, modis, limitationibus, ac declarationibus superius expressis; tunc Sanctitas sua simili motu proprio, & certa scientia &c. facultatem & licentiam hujusmodi imprimendi dictas informationes, ceteraque omnes & singulas scripturas ad causas Beatificationum, & Canonizationum quomodolibet pertinentes, concessit omnibus & singulis impressoribus seu typographis Urbis pro eodem pretio taxato, ut supra, minorique etiam, si reperiatur, aliisque conditionibus, modis, limitationibus, ac declarationibus supra expressis.* Et harum quidem scripturarum pertinentium ad causas Canonizationum, & Beatificationum impressio prohibita est extra Urbem sub iisdem censuris & pœnis, quæ statutæ sunt in Decretis Urbani VIII. adversus eos, qui sine recognitione, & approbatione Ordinariorum typis mandant libros continentes gesta defunctorum cum fama, sive opinione Sanctitatis. Desumitur enim id omne ex alio etiam Decreto ejusdem Alexandri VII. *die* 23. *Julii* 1661. in quo, relato sensu superioris alterius decreti circa impressionem Scripturarum, & facultatem imprimendi concessam Typographo Camerali, hæc habentur: *Nihilominus eadem Sanctitas sua extra Urbem expresse inhibuit omnibus & singu-*

singulis impressoribus seu typographis ubivis locorum præ-dictas informationes, omnesque alias scripturas pertinentes ad causas Beatificationum, & Canonizationum imprimi, sub quovis prætextu, causa, & quæsito colore, & cum quavis auctoritate, licentia, & approbatione; & si quæ ausu temerario contra præsentis decreti tenorem extra Urbem impressa fuerint, omni prorsus fide carere voluit & declaravit: mandans præterea, ac districte præcipiens universis & singulis hæreticæ pravitatis Inquisitoribus, Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, aliisque locorum Ordinariis, ut in sua quisque diœcesi, vel provincia sedulo pervigilet, ne quidquam contra superius disposita fiat, seu attentetur: & pro omni modo præsentis decreti implemento, illud in locis consuetis de more publicari curet: sub eisdem censuris & pœnis contra transgressores infligendis, quæ tam in decretis 1625. jussu fel. record. Urbani VIII. in Congregatione SS. Inquisitionis editis super non cultu, quam in subsequentibus ejusdem litteris in forma Brevis 5. Julii 1634. confirmatoriis & declaratoriis præcedentium decretorum SS. Inquisitionis contra imprimentes libros continentes gesta, revelationes, & miracula defunctorum cum fama, seu opinione sanctitatis, sine recognitione & approbatione Ordinariorum, juxta formam ibi expressam continentur; quorum tenores Sanctitas sua ad hujusmodi effectum in præsenti decreto pro plene & sufficienter expressis haberi voluit.

23. Ad typographum denique Cameralem pertinet typis excudere Martyrologium Romanum: tum prohibetur hujus operis impressio in aliis locis, nisi instar ejus, quod ab ipso impressum est, juxta decretum editum die 23. Martii 1630. Pertinet quoque ad eundem typographum imprimere decreta concessionis Officiorum, & Officia, quæ in honorem Beatorum, aut Sanctorum conceduntur a sacrorum rituum Congregatione, ita ut hæc & similia imprimi non possint ab alio impressore nec in Urbe, nec extra Urbem; nisi impressores extra Urbem facultatem imprimendi acceperint ab Inquisitoribus hæreticæ pravitatis, si ibi fuerint; sin minus, a locorum Ordinariis: qui tamen omnes hujusmodi licentiam tribuere non debent, nisi ipsis fuerit exhibitum aut authenticum decretum sacræ Congregationis, aut exemplar impressum a typographo Camerali, manu Secretarii dictæ sacræ Congregationis firmatum, & sigillo obsignatum; idque, ut fraudes arceantur, quæ sæpissime in hac re contigerunt: quemadmodum colligitur ex sequenti decreto edito a sæpe memorata sacrorum rituum Congregatione die 11. Augusti 1691. *Cum in nonnulla Sanctorum Officia, sub prætextu, quod a sacra rituum Congregatione concessa fuerint, cum lectionibus, & orationibus propriis, & aliquando etiam cum hymnis, responsoriis, & antiphonis, & passim cum majori forsan ritu per universalem Ecclesiam, aut loca particularia recitanda, impressa conspiciantur, quamvis sacra Congregatio aut ea non concesserit, aut in aliquibus tantum peculiaribus locis, non autem in universa Ecclesia posse ea recitari indulserit; eadem sacra Congregatio hujusmodi attentatis provida sollicitudine consulere volens mandavit, ut dictæ officiorum concessiones, lectiones, orationes, antiphonæ, & responsoria respective, aliaque hujusmodi in posterum a typographo Camerali duntaxat imprimantur; inhibendo omnibus impressoribus seu typographis tam in Urbe, quam extra, ubivis locorum dicta Officia imprimi sub quovis prætextu, causa, & quæsito colore, nisi facultate in scriptis accepta ab Inquisitoribus hæreticæ pravitatis, si inibi fuerint, sin minus, a locorum Ordinariis; qui quidem facultatem hujusmodi non prius concedant, quam originale sumptum sacræ ejusdem Congregationis, vel exemplar typographi Cameralis authenticum manu Secretarii firmatum, & sigillo obsignatum ipsis exhibeatur; quod exemplar in nihilo prorsus immutatum, nihilque in eo additum, seu detractum in eo imprimi debeat: Et, si quæ ausu temerario contra præsentis decreti tenorem extra Urbem impressa fuerint, ultra pœnas ab hac sacra Congregatione infligendas, omni prorsus fide carere voluit & declaravit; mandans propterea omnibus & singulis prædictis hæreticæ pravitatis Inquisitoribus, Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, aliisque locorum Ordinariis, ut in sua quisque diœcesi vel provincia sedulo pervigilent, ne quidquam contra superius disposita fiat, aut attentetur, utque præsens decretum, ac omnia & singula in eo contenta ad omnium etiam, quorum specialiter interest aut interesse poterit, notitiam ac certam scientiam deducantur; & ne aliquis illius ignorantia excipi possit, voluit pariter, ac jussit, illud imprimi ac typis mandari, ac pro omnimodo adimplemento, ut præfati locorum Ordinarii in locis consuetis sub pœnis, & censuris contra transgressores infligendis publicari curent.*

24. Præter memoratas hactenus personas sacræ rituum Congregationi ministrantes, Postulatores causarum etiam adsunt, de quibus alibi tractabitur: nunc enim necessarium solummodo esse videtur adnotare, Postulatores esse illos, qui electi ab universitate, aut cœtu religioso causam Beatificationis, aut Canonizationis promovente, in Romana Curia degunt, præsuntque Procuratoribus, & Advocatis; & Cardinales, Consultoresque Congregationis pro juribus suæ causæ alloquuntur. Et quidem nonnulli Consultores dictæ Congregationis hoc munus antehac assumebant; sed hoc eis nunc prohibitum est ex decreto SS. Decessoris nostri Clementis Papæ XII. edito die 11. Martii 1733. *Insuper, ut omnis cujuscumque privatæ & domesticæ affectionis radix amputetur, Dominique Consultores munus suum illibate & constanter exerceant, ac in suffragiis ferendis, prout in Domino judicaverint, libere & indifferenter se gerant: mandat & præcipit Sanctitas sua, nemini ex Consultoribus licere officium, nomen, & partes Postulatoris causarum sive suæ, sive alterius Religionis, civitatis, loci, patriæ, & regionis, etiam sub velamine, quod alter Postulator deputatus jam sit, peragere, minusque causas antedictas aliis Consultoribus, prætextu etiam eos informandi, commendare. Ipsi vero Consultores, tales, qui id audere præsumpserint, minime admittant, immo rejiciant, nec cum illis sermonem immisceant, sub eadem pœna perjurii, & excommunicationis latæ sententiæ ipso facto incurrendæ.*

CAPUT VIGESIMUM.

De diligentiis per Romanos Pontifices antiquiori tempore adhibitis in discussione causarum Beatificationis, & Canonizationis, & de serie Actorum, qua eædem antiquiori tempore pertractabantur.

1. CUM in superioribus actum fuerit de personis, quarum opera & consilio Romani Pontifices usi sunt, & utuntur pro recta definitione causarum Canonizationis, in præsenti operæ pretium esse videtur, si non omnes, saltem aliquas diligentias exponere, quæ olim a Romanis Pontificibus adhibebantur pro recto examine harum causarum, necnon seriem Actorum, quæ in dictis causis olim erat in usu; ut in capite deinde sequenti, & in aliis subnectendis ordo horum causarum, qui nunc in more positus est, explicetur. Ex quo ordine, ut & ex aliis in hoc Opere passim referendis, scrupulosam, eximiam, diligentissimam Romanæ Sedis curam, quæ in harum causarum examine intercedit, unusquisque facile cognoscere poterit. Cum vero antiquiori tempore non semper, uti nunc fere semper, Beatificatio Canonizationem præcesserit, hinc est, quod in enarrandis antiquioribus diligentiis initium desumetur ab eis, quæ Canonizationes ipsas respiciunt, tum in capitis fine alia pauca subdentur de ceteris ad Beatificationem pertinentibus.

2. Si ea igitur resumantur, quæ in superioribus dicta sunt de Canonizationibus peractis per Romanos Pontifices in Conciliis, ipsorum diplomatum lectio patefacit, quid tunc ageretur. Canonizatio S. Udalrici facta est in Concilio Lateranensi a Joanne XV. &, quomodo res se habuerit, dignoscitur ex diplomate: *Cumque perlecta esset vita prædicti sanctissimi Episcopi, ventum est ad miracula, quæ sive in corpore, sive extra corpus gesta sunt, videlicet cæcos illuminasse, dæmones ab obsessis corporibus effugasse, paralyticos curasse, & quamplurima alia signa gessisse, quæ nequaquam calamo & atramento illustrata sunt; quæ omnia, lepida satis urbanitate expolita, recepimus; & communi consilio decrevimus, memoriam illius, ideſt S. Udalrici Episcopi, affectu piissimo & devotione fidelissime venerandam.*

3. B. Gerardus Tullensis Episcopus canonizatus fuit a S. Leone IX. in Concilio Romano, & in diplomate

Canonizationis narratur, plures teſtes tunc etiam in humanis fuiſſe fidem facientes de miraculis a Deo ejus interceſſione patratis: *Unde adhuc plures teſtes exiſtunt, quod & idem, poſt mortem carnis, cum Chriſto Domino Noſtro ſpiritu vivens & glorians, ſæpe operatus eſt, & ſæpe adhuc operatur curans diverſos languores, diverſaſque infirmitates.* Porro additur in eodem diplomate, venerabilem Monachum nomine Albizonem, qui Synodo intererat, hortante Udone Tullenſi Præpoſito, preces ad Deum effudiſſe, ut ſibi oſtenderetur, cujus meriti apud ipſum eſſet Gerardus, qui tot miraculis coruſcabat, eique Gerardum apparuiſſe, &, ſe in numero Sanctorum apud Deum eſſe, revelaſſe; ipſumque Leonem IX. viſionem hanc Patribus in Synodo congregatis una cum vita & miraculis plene retuliſſe, & tunc concordi ſuffragio Gerardum inter Sanctos relatum fuiſſe.

4. B. Godehardus Hildenſheimenſis Epiſcopus canonizatus fuit ab Innocentio II. in Concilio Remenſi, petente Bernwardo ejuſdem Eccleſiæ Epiſcopo, & atteſtantibus Epiſcopis, & Abbatibus, qui Synodo intererant, tum laudabilem ejus vitam, tum miracula ejus deprecatione a Deo edita: *Veniens ad Nos venerabilis frater noſter Bernwardus Epiſcopus veſter, in plenaria Synodo, quæ Remis per Dei gratiam fuerat congregata atteſtatione fratrum noſtrorum Epiſcoporum, & Abbatum, & aliorum, qui ſecum venerant, ſanctæ memoriæ Godehardum Epiſcopum veſtrum laudabiliter vixiſſe in mundo, & tam in vita, quam poſt mortem multis miraculis coruſcaſſe, aſſeruit.*

5. B. Sturmius Abbas Fuldenſis ab eodem Innocentio II. in ſecundo Concilio Lateranenſi canonizatus fuit, audita ejuſdem vita, cognitis ulterius miraculis, accedente teſtimonio Epiſcoporum, qui de partibus Teutonicis venerant ad Concilium: *Nos igitur, audita vita laudabili Beati Sturmii Confeſſoris, cognitis etiam ex parte miraculis, quæ per ejus merita Dominus operatur, atteſtatione fratrum noſtrorum, qui de partibus Teutonicis advenerant.*

6. In Martyrologio Romano *ad diem* 15. *Auguſti* mentio fit S. Arnulphi Sueſſionenſis Epiſcopi & Confeſſoris. Vitam autem, & ejus miracula fuiſſe examinata in Concilio Bellovacenſi, quod habitum fuit anno 1120. teſtatur Molanus *in natali Sanctor. Belgii ad diem* 16. *Auguſti*: ſed, quomodo res ſe habuerit, & quomodo expletum fuerit examen ipſum, fuſius deſumitur ex Actis Conciliorum *t. 6. p. 2. col.* 1101. *&c. inſuper. c.* 8. relatis, ex quibus patet, ad ejus Canonizationem proceſſum fuiſſe ex hiſtoria vitæ, uti animadvertit etiam Baillet *in vita hujus Sancti in fine ad diem* 15. *Aug.* quæ quidem hiſtoria fuerat conſcripta a Liſiardo S. Arnulphi ſucceſſore in Epiſcopatu Sueſſionenſi, eamque Laurentius Surius inſeruit *ad diem* 15. *Auguſti pag.* 143. *tom.* 4. ubi idem Liſiardus *in præfat.* ſic loquitur: *De veritate horum, quæ dicturi ſumus, nulla cujuſquam mens ambigat; quippe cum ea tam diligenter inquiſita, & ad liquidum comperta ſint ab iis, qui interfuerunt, ut certo conſtet, omnia eſſe veriſſima.*

7. Series Actorum in cauſis Canonizationis, poſtquam earum examen extra Concilia a Romanis Pontificibus fieri cœpit, quæque per multa annorum ſpatia continuata eſt, refertur in Ordine Romano Cardinalis Cajetani, *apud Mabillon in muſeo Ital. tom.* 2. tum in libro ſacrarum cæremoniarum edito ſub Leone X. item apud Oſtienſem, & alios juris Canonici Profeſſores *in commentariis ad cap. Audivimus de Relig. & venerat. Sanct.* apud Malvetium Caſtellanum de Farra, Roccam, & alios, qui ſpeciales compoſuerunt tractatus de Canonizatione Sanctorum; & ſumma eorum, quæ apud prædictos omnes exponuntur, eſt hæc, quæ ſequitur:

8. *Graves primum viri & auctoritate præſtantes Romano Pontifici denuntiant merita virtuteſque illius, quem percupiunt a Sede Apoſtolica canonizari, pro cujus Canonizatione humiles ſuppliceſque preces fundunt, nec id ſemel ac iterum, ſed ſæpe multumque repetitis poſtulationibus exorant ac efflagitant. Nec ſtatim annuit Romanus Pontifex eorum precibus, qui tam grave arduumque negotium expetunt, aut protinus inquiſitionem de vita, moribus, & miraculis illius, qui Canonizari poſtulatur, fieri jubet; ſed cunctanter, graviter, & quantum ſibi temporis opportunum viſum eſt (quod plane in ejus arbitrio conſtitutum eſt) diſtinet negotium, ut diu interpellatus, famam viri conſideret, miraculorum frequentiam & continuationem exploret, ut, his diligenter perpenſis, tandem diligenter omnia inquirenda decernat.*

Rurſus, ſi preces ſupplicationeſque inſtanter apud eum fundantur, & miraculorum frequens continuatio perdurare videatur, tunc Pontifex Fratribus, ideſt Cardinalibus in Conſiſtorio ſecreto id proponere conſuevit, & aliquibus Epiſcopis patriæ, vel regionis cauticinæ illius, qui dicitur Sanctus, vel aliis honeſtis, prudentibus, & integris viris committere ſolet, ut de fama, & populi devotione, de miraculis, & aliis, quæ merito nuntianda videbuntur, in genere tantum, non ſpeciatim, aut ſingulatim, nec quoad veritatem quidem, ſed quoad communem opinionem & famam, diligenter inquirant; & quidquid ſuper eo negotio invenerint, fideliter Pontifici reſcribant & denuncient, ſimulque judicium ſuum interponant; num ſuper veritate prædictorum in ſpecie ac individuo committenda inquiſitio & indagatio videatur.

Ad hæc, ſi Epiſcopi illi, aut viri prudentes, quibus id negotium commiſſum fuerat, talia reſcripſerint ac denuntiaverint, unde jure optimo in ſpecie veritatis inquiſitio committenda videatur, iterum Romanus Pontifex, cauſa in ſecreto Conſiſtorio cum Fratribus communicata, rogatiſque ſententiis, utrum inquiſitio hæc committenda ſit, necne, definit atque decernit.

Præterea, ſi decretum fuerit, inquiſitionem eſſe committendam, eiſdem iterum, vel aliis Epiſcopis, & bonis viris reſcribit, jubetque, ut veritatem inquirant, primum de fama, deinde de vita, poſtremo de miraculis; idque faciant exacte, diligenter, fideliter, ac prudenter, juxta formam præſcriptam articulorum, & interrogatoriorum, quæ diplomate Pontificio incluſa his Commiſſariis Judicibus tranſmittuntur. Quidquid vero illi invenerint, obſignatum, ſigilliſque ſuis munitum, incluſum, & bene cuſtoditum ad Romanum remittunt Pontificem.

Deinde inquiſitio illa in Partibus facta & ad Papam tranſmiſſa, in Curia Romana aliquibus Capellanis, vel viris aliis auctoritate præſtantibus & prudentibus committitur, eo quidem conſilio, ut eam mature conſiderent, diſponant rubricas, titulоſve, aut concluſiones inde forment, & judicium ſuum incorrupte religioſeque interponant.

Inſuper rubricas illas, ſeu veras concluſiones ex proceſſu inquiſitionis collectas atque formatas, exacta diligentia adhibita, per ſe Romanus Pontifex, aut per Cardinales examinat, eorum ſententias rogat, atque perpendit, numquid talia exacte probata videantur, propter quæ Canonizatio merito celebranda ſit.

Poſtea vero, his omnibus peractis, ſi Sanctiſſimo Papæ celebranda Canonizatio videatur, id inter Cardinales in Conſiſtorio ſecreto definit.

Ad hæc, convocatis omnibus Epiſcopis in Romana Curia præſentibus, narrat publice Papa in Conſiſtorio ea, quæ in cauſa Canonizationis acta ſunt & legitime probata: definitione vero ſuppreſſa, quæ jam in præcedenti Conſiſtorio facta eſt, præſentium Prælatorum conſilia requirit.

Mox ſtatuitur certus aliquis dies, quo omnes conveniant, certa quoque eccleſia deſignatur, ut in eam multis ornatam tapetibus, & cereis accenſis fulgentem, Papa, Fratres ejus, & univerſus Clerus, & populus conveniant: ubi concionem habens Pontifex, proceſſum recitat, & probationes commemorat, ſimulque aſſtantes ad Deum exorandum & deprecandum hortatur, ut ipſum in hoc tam gravi negotio ſuo præſidio tueatur, ipſique cœleſtem Divinamque virtutem aſpiret.

His rite & pie peractis, omnes genibus provoluti devote orant, & cantatur hymnus Veni Creator Spiritus, *vel alius hymnus, ſive antiphona rei conveniens.*

Poſtquam hæc ſolemniter ſunt decantata, Pontifex ab oratione conſurgens definit, illum, de quo agitur, Sanctum fuiſſe, & Sanctorum catalogo adſcribendum, & tamquam Sanctum eſſe venerandum, & feſtum ejus certo die colendum.

Poſtremo, Canonizationis ſententia pronuntiata, cantatur hymnus Te Deum laudamus, *& Pontifex celebrat Miſſam in honorem Sancti tunc canonizati.*

9. Summa hæc deſumpta fuit ad verbum ex Actis Canonizationis S. Didaci *lib. 3. cap. 2.* & ex Actis Canonizationis S. Raymundi *lib. 3. cap. 1.* collectis a Penia: cui ſi ſuperaddantur alia in ſuperioribus recenſita, commiſſionis videlicet, quæ fiebat ut plurimum tribus S. R. E. Cardinalibus, uni ex ordine Epiſcoporum, alteri ex ordine Presbyterorum, & tertio ex ordine Diaconorum, uti in cauſa procederent, & relationem Rotæ Auditorum perpenderent & examinarent, antequam cauſa ad Pontificium Conſiſtorium deduceretur, nihil profecto deeſſe videtur eorum, quæ ſunt neceſſaria pro compendiaria cognitione ordinis olim a Sancta Sede adhibiti in tractandis & definiendis cauſis Canonizationis. Et ſane, quamvis pleraque alia in Operis decurſu, cum occaſio ſe

obtu-

obtulerit, ad hoc ipsum argumentum pertinentia narranda sint; congruum nihilominus esse videtur, aliqua in præsenti capite referre, quæ pro recto causarum examine & definitione a Romanis Pontificibus aliquando mandata sunt, quorum expositioni nullus fortasse alius locus, præter hunc, in ipso Operis progressu assignari commode posset.

10. Summus Pontifex Gregorius IX. non solum constituit, ut testes in causa Canonizationis S. Elisabeth examinandi interrogarentur super omnibus & singulis circumstantiis; puta quomodo sciverint ea, quæ dicunt; num ante sanationes, quæ miraculo adscribuntur, cognoverint infirmos sanitati restitutos; an eos viderint infirmos; una cum aliis, de quibus alibi agetur, & de quibus in ejus epistola *apud Raynald. ad ann.* 1232. *num.* 10. & ut ille, cui cura demandabatur construendi processum, ante omnia operam Divinam sedulo imploraret, quemadmodum colligitur ex ejus epistola scripta Cardinali Jacobo Sedis Apostolicæ in Hungaria Legato, cui committebat provinciam inquirendi in miracula, quæ patrata a Deo dicebantur intercessione Lucæ Archiepiscopi Strigoniensis. *Ab eo* (verba sunt ejusdem Pontificis *apud Raynaldum ad ann.* 1233. *num.* 54.) *qui est via, veritas, & vita postules & implores, ut per suam misericordiam & gratiam aperiat tibi viam, per quam secure incedere valeas, & super his plenius cognoscere veritatem*; & ut præterea testes a Judicibus delegatis examinarentur, advocatis ad hoc viris prudentibus & in jure peritis, & aliquando accitis viris religiosis Deum timentibus, sicut ex ejus epistolis editis in causa B. Elisabeth, & B. Ambrosii de Massa, impressis apud Wadingum *tom.* 1. *annal. fol.* 445. & *fol.* 549. verum etiam in causa S. Antonii, ad cujus definitionem licet nondum evoluto a morte ejus anno processerit, eumque retulerit in canonem Sanctorum, id tamen nullatenus efficere voluit, detulitque Cardinali obsistenti prædictæ festinationi præter morem sanctæ Sedis, quoad usque certior factus est ab eodem Cardinali se in somnio admonitum fuisse, placere Deo, ne diutius Antonii Canonizatio differretur; uti habetur apud Ballandianos *in antiqua vita S. Antonii ad diem* 13. *Junii*, & apud Wadingum *ad ann.* 1232. & in causa S. Francisci de Assisio, licet ejus sanctitatem probe, dum viveret, cognovisset, præcepit, ut causa ab illis Cardinalibus examinaretur, qui minus erant eidem faventes, teste S. Bonaventura in ejus vita impressa apud Surium *cap.* 15. *tom.* 5. *ad diem* 4. *Octob. pag.* 55. *Sane, cum idem Pastor Ecclesiæ, non solum ex miraculis auditis post mortem, verum etiam experimentis in vita ipsius oculis visis, & manibus contrectatis, sanctitatem ejus mirabilem plena fide certificatus agnosceret, ac per hoc in cœlis glorificatum a Domino nullatenus dubitaret, ut Christo, cujus erat Vicarius, concorditer ageret, hunc in terris reddere celebrem, tamquam omni veneratione dignissimum, pia consideratione disposuit. Ad omnem quoque certitudinem faciendam orbi terrarum de glorificatione viri sanctissimi, inventa miracula, & conscripta, & testibus idoneis approbata examinari fecit per illos, qui minus inter Cardinales favorabiles negotio videbantur.*

11. De hac ipsa diligentia testatur Petrus Galesinius *in Actis Canonizationis S. Didaci par.* 3. *c.* 6. *Et quo exploratius sit id, quod quæritur, aliquando factum est, ut quæsitorum, quæ ad canonizandi rationem usumque attinent, Acta fidei & diligentiæ eorum potissimum Cardinalium concredita commissaque sint, qui illius Sancti, de quo ageretur, Canonizationi maximopere refragarentur. Jam vero Innocentius IV. de S. Stanislai vita inquirendi curam delegavit Raynaldo Cardinali Ostiensi, illius Canonizationem valde admodum impedienti, qui deinceps, re tota perspecta, suffragatus est mirifice.* Sed exemplum causæ S. Stanislai non videtur facere ad rem, cum eadem causa fuerit commissa Joanni Cajetano Cardinali; difficultates vero, quæ fuerunt in ea excitatæ, minime ab ipso, verum a Reginaldo Episcopo & Cardinali Ostiensi motæ fuerint, qui deinde miraculo commotus pro celeri & favorabili ejus resolutione pugnavit; ut ex vita conscripta a Joanne Longino Historico Canonizationi contemporaneo habetur, quæ est typis excusa apud Bollandianos *ad diem* 7. *Maji: Cum subito, eodem Joanne Cajetano referente, audiunt* (loquitur de Postulatoribus) *rem claram & certam, nullaque fuscam caligine* (*de quo Cardinalis ipse stomachans grandi commovebatur admiratione*) *ad ambiguum & infectum recidisse, Reginaldo Episcopo & Cardinali Ostiensi ... Canonizationi viri Dei Stanislai, propter diuturnitatem & moram temporis a die Martyrii sui effluxi, perseveranter obsistente*. Ita *pag.* 257. *t.* 2. subditque Auctor, ægrotanti Reginaldo apparuisse S. Stanislaum, & cum increpasse, quod se adversarium constituisset Martyrio, & prodigiis in ejus comprobationem a Deo patratis; tum Cardinalem veniam deprecantem a longa & gravi ægritudine sanitati repente restitutum fuisse, ita ut valens & incolumis statim ad summum Pontificem accesserit, narratoque facto, pro Canonizatione supplicaverit.

12. Sane Innocentius IV. in citata causa S. Stanislai Jacobum Velletrensem Minoritam in Poloniam misit, ut prototypa Actorum auctoritate Apostolica congestorum a Gnesnensi Archiepiscopo, ab Episcopo Uratislaviensi, & ab Abbate e Lucedio exploraret, ut testes iterum excuteret, atque ut nonnullos senes, qui annos centenos egressi Martyrem agnoverant, examini subjiceret, & alia quædam peragaret, de quibus in ejus epistola apud Raynaldum *ad ann.* 1252. *num.* 8. *Discretioni tuæ, auctoritate præsentium, in virtute obedientiæ districte injungimus, ut a dictis Inquisitionibus, si superstites & præsentes in provincia fuerint, an sic processerint, sicut sub ipsorum sigillis recepimus, perscruteris; & ipsorum Actorum exempla ad majorem certitudinem tecum portes, faciens præsentari tibi eos, qui dicuntur fuisse a diversis infirmitatibus liberati, quos & quot potueris; ac illos duos centenarios, si superstites fuerint, de quibus mentio est in Actis, qui dicuntur ab aliquibus accepisse, vel eorum alterum, quod Sanctum noverunt eumdem, & de ipsius clara & honesta conversatione, dum viveret, audiverunt, inquisiturus ab ipsis, an ita sit: & inspecturus nihilominus devotionem populi, & famam communem super Martyrio, & causa Martyrii, necnon & sanctitate ipsius. Inquiras insuper, utrum Cracoviensis diœcesis paganis, & Ruthenis schismaticis sit confinis; ut per hoc ex ipsorum confinio lucrum provenire valeat animarum. Ad hæc; librum chronicorum, quoad capitulum pertinens ad negotium memoratum, ex archivo Ducis Poloniæ editum; & etiam librum annalium, & epitaphium considera diligenter: & his summatim sub obtestatione juramenti, ubi tibi visum fuerit, coram prioribus Inquisitoribus præstiti, plenius intellectis, si aliqui testes super prioribus, vel novis articulis tibi fuerint præsentati, eos juratos secundum formam recipiendorum testium prudenter recipias, & diligenter examinare procures; & sic instructus ad nos, ut per te super iis instruamur plenius revertaris. Datum Perusii* VII. *Kal. Junii, anno* IX. Et de Clemente IV. qui memoriam S. Heduvigis inter Sanctos consecravit, habetur apud Jo. Dlugossum seu Longinum *tom.* 1. *histor. Poloniæ lib.* 7. *col.* 781. quod missi e Polonia viri graves *impensius negotium sollicitare cœperunt, & non tam testimonio hominum absentium per Commissarios Apostolicos receptorum, verum etiam multorum in Curia Pontificum usi, frequentius Papam Clementem, & cœtum Cardinalium de ipsius Canonizatione fatigarunt; consentientibusque Cardinalibus fere omnibus, solus Papa Clemens cum majori maturitate gravitateque negotium acturus, rem in diem extrahendo differebat, sanctitatem B. Heduvigis novo aliquo signo experturus.* Et expertus tandem est in filia ipsa sua, quam, ut idem Longinus refert, Clemens *ex legitima conjuge susceperat, dum sortis adhuc laicalis esset*: illam enim jamdiu luminibus orbatam sanitati atque expeditæ videndi facultati, Heduvigis ope, Deus extemplo restituit, dum Pontifex etiamnum cunctaretur Heduvigem canonizare.

13. De B. Gregorio Papa X. habetur, quod in causa S. Ludovici IX. Galliarum Regis, antequam quidquam ageret, per litteras exquisivit a Gaufrido e Belloloco Ordinis FF. Prædicatorum, qui fuerat Regis Confessarius, ut sibi vivendi modum aperiret, quem in omnibus & singulis actibus Ludovicus Rex retinuerat; quemadmodum constat ex ejus epistola apud Raynaldum *ad ann.* 1272. *num.* 59. *Claræ memoriæ Ludovici Regis Francorum præcelsa merita recolentes, de beatitudine vitæ suæ, quæ ceteris Principibus orthodoxis beate vivendi præbebat exemplum, tanto majoris adhuc percipimus suavitatis odorem, quanto ipsum, quem vivum pura mente diximus, revocatum ad patriam recentiori memoria retinemus. Verum, licet de vitæ modo, quem sui Redemptoris beneplacita prosequendo servabat, habuerimus in parte notitiam; cupientes tamen, quod modus hujusmodi Nobis plenius innotescat, in iis potissime, quæ secretius agebantur, devotionem tuam rogamus & hortamur attente, per Apostolica tibi scripta mandantes, quatenus satisfaciens devota sollicitudine votis nostris, prædictum vivendi modum in omnibus & singulis actibus, & observantiis suis, nil ultra, quam fuerit, addito, sed veritatis pura servata substantia, seriatim Nobis, & secreto sub tuo sigillo, quam citius poteris, per certum nuntium scribere non postponas.*

Volu-

Volumen autem, quod apud te verbum remaneat nemini referendum.

14. De Bonifacio Papa VIII. quid ipse egerit, & quid factum fuerit tempore suorum Antecessorum in eadem causa S. Ludovici, testatur ipse Pontifex in concione, quam habuit in Consistorio, quæ typis est impressa apud eumdem Raynaldum *ad ann.* 1297. *num.* 58. ubi, post multa exposita ait: *Tempore vero Domini Nicolai IV. commissum est negotium tribus aliis Cardinalibus, Domino scilicet Ostiensi, Domino Portuensi, & Nobis in statu Cardinalatus adhuc existentibus, quia mortui erant illi Cardinales, quibus negotium prius fuerat commissum; postea etiam mortuo Domino Ostiensi, subrogatus fuit sibi Dominus Sabinensis; & ita per tot, & toties examinatum est, rubricatum, & discussum negotium, quod de hoc plus factum est de scriptura, quam unus asinus posset portare: Nos & de manu propria scripsimus, & diligenter examinavimus, multa miracula fuisse sufficienter probata.*

15. Pleraque alia ex eadem concione erui possunt; sed multo plura deduci possent ex bullis Canonizationum SS. Bernardini, Osmundi, Leopoldi, & Antonini *in novo codice Canonizationum*, ut ostendatur, multa adhuc fuisse a Romanis Pontificibus demandata ultra causarum ordinem supra expositum, per quæ maxima, qua fieri posset, diligentia, & semota quacumque fraude, veritas in eis eluceseeret. Verum hæc adduxisse sufficiat, cum alia, sicut antea dictum fuit, aliis in locis hujus Operis sint exponenda.

16. Hinc itaque transeundo ad Beatificationes, prætermissis illis, quæ ab unoquoque Episcopo fiebant in sua diœcesi, quibus quidem certum est præcessisse examina jam supra memorata, & restricto sermone ad Beatificationes a solis summis Pontificibus factas, postquam ad eos delatum est jus privativum Dei servos referendi in album Beatorum: audivi aliquando qui affererent, eos nimia facilitate olim indulsisse Beatitatis honores, & permisisse, ut hic, vel ille Dei servus uno, vel alio genere publici cultus in aliquo determinato loco coleretur, addita solum salutari clausula, quod per ejusmodi facultatem Dei servus non censeretur canonizatus. Admitto & ipse profecto clausulæ adjunctionem, cujus sæpe infra mentio fiet, & de qua hic tantum adnotare fas sit, eam a Clemente VII. appositam fuisse suis litteris Apostolicis expeditis die 2. Februarii 1527. & die 15. Junii 1530. in quarum primis indulget Ordini prædicatorum in regno Poloniæ, ut possit Officium recitare, & Missam celebrare in honorem Hyacinthi in Sanctorum album deinde relati a Clemente VIII. in ultimis vero eamdem facultatem extendit ad omnes Cathedrales prædicti regni, quæ res non modice animos Polonorum conturbavit, quippe qui forte putaverant, per Officii & Missæ concessionem eum inter Sanctos censendum esse relatum, uti colligitur ex litteris Sigismundi I. Regis ad Pontificem scriptis die 15. Martii 1530. juxta ea, quæ plene habentur in Actis Canonizationis prædicti Sancti Romæ editis ann. 1594. a Fr. Severino de Cracovia causæ Procuratore *pag.* 234. *& seqq. & pag.* 244. sed nihilominus contendo, non obstante clausulæ adjunctione, nunquam Romanos Pontifices indulsisse Beatitatis cultum in honorem alicujus servi Dei, nisi causa cognita, hoc est vel positis monumentis fide dignis, vel præmisso processu super virtutibus, Martyrio, aut miraculis, sive idem auctoritate ordinaria, sive auctoritate Apostolica esset confectus; idque etiam, antequam instituta esset sacrorum rituum Congregatio, quæ novam rationem causarum Beatificationis, & Canonizationis introduxit, de qua in sequentibus capitibus loquemur.

17. Verum, ut assumptum hoc plene demonstretur, operæ pretium est prænoscere, Romanos Pontifices aliquando nonnullos Dei servos beatificasse per se, aliquando autem aliis commisisse, ut, his, aut illis comprobatis, auctoritate Apostolica denuntiarent, Dei servum inter Beatos recensendum, atque hoc, illudve genus publici cultus eidem adhibendum. De Innocentio IV. fertur, quod inter Beatos retulerit Petrum Gonzalez, vulgo S. Telmum, teste Abrahamo Bzovio *ad ann.* 1246. *num.* 3. sed, cum bulla adhuc reperta non sit, & cetera contemporanea desint monumenta, testibus Bollandianis *tom.* 2. *Aprilis pag.* 389. ignoratur, quomodo Beatificatio peracta fuerit. Innocentium V. inter Beatos retulisse Gregorium Papam X. perpensis miraculis ejus intercessione a Deo patratis, alibi videbitur. Innocentium VI. cognita vita, & miraculis, beatificasse Gregorium Veruculensem, constat ex ejus Apostolicis litteris inclusis in sepulcro Beati una cum ipsa vita & miraculis, uti videri potest apud Bollandianos *tom.* 1. *Maji pag.* 536. Eugenium quoque Papam IV. insignissimi miraculi fama commotum, inter Beatos retulisse, ut infra memorabitur, Andream Corsinum; atque eductum vitam & miracula Ambrosii Sansedonii id ipsum erga eum præstitisse, pleniissime habetur ex iisdem Bollandianis *tom.* 2. *mensis Januar. p.* 1070. *& pag.* 1076. *& tom.* 3. *Martii pag.* 245.

18. Plures insuper Beatificationes per summum Pontificem Leonem X. editæ sunt, Franciscı videlicet de Paula, Margaritæ de Cortona, Elisabethæ Reginæ Portugalliæ, ut aliæ multæ prætereantur. In Apostolicis autem litteris, quibus Beatum declaravit Franciscum de Paula, indulsit quidem, ut annis singulis Fratres Minimi possent Officium celebrare, festum agere, & imaginem publice expositam in suis ecclesiis retinere, sicuti docet Breve expeditum primo Pontificatus anno, & impressum in Actis Bollandianis *tom.* 1. *mensis Aprilis pag.* 165. sed præcesserat examen testium de vita & miraculis receptorum ex commissione Julii II. summi Pontificis, ut habetur ex documentis relatis *cit. tom.* 1. *pag.* 122. *& pag.* 148. Civibus similiter Cortonensibus idem Leo concessit, ut publice venerari possent B. Margaritam cum solemnitate & Officio unius Sanctæ nec virginis, nec martyris, donec ad ejus Canonizationem ventum fuisset; sed præter insigne prodigium integritatis corporis, & optimi odoris, suavis ultra omnem naturalem odorem, a beato corpore manantis, licet ab obitu essent delapsi ducenti decem & novem circiter anni, præter publicam vocem & famam sanctitatis, ac miraculorum, & continuum populorum concursum ad ejus tumulum, præter frequentium miraculorum ejus intercessione a Deo factorum attestationem ex Apostolicis litteris Bonifacii VIII. & Eugenii IV. desumptam, facta fuerat exhibitio processus constructi a Præposito ecclesiæ Cortonensis executore deputato a prædictis Romanis Pontificibus, uti legitur in Brevi Beatificationis Beatæ Margaritæ, nunc Sanctæ per memoratum Leonem X. expedito anno tertio Pontificatus, & exhibito occasione Canonizationis ejusdem. Quod vero attinet ad B. Elisabetham, non modo editæ ab ejus morte historiæ heroicam ejusdem vitam referebant, sed etiam præcesserat legitime comprobata miraculorum fama, antequam Leo ad preces Emmanuelis Portugalliæ Regis concessisset, ut in ecclesiis & monasteriis civitatis, & diœcesis Conimbricensis recitari posset Officium in ejus honorem, & ejus imago in ecclesiis retineri, uti legitur in relatione trium Rotæ Auditorum ad Urbanum VIII. titulo *de sanctitate vitæ in genere*. De Clemente item Papa VIII. jam supra visum est, quid egerit pro cultu B. Hyacinthi: sed, antequam concessio fieret, nedum exhibita fuerat a Sigismundo I. Poloniæ Rege Leoni PP. X. ejus vita, verum etiam præcesserat processus, quem tribus Cardinalibus, & duobus Rotæ Auditoribus idem Clemens dederat examinandum, sicut habetur in Actis supra citatis Fr. Severini de Cracovia *p.* 158. *& p.* 234. Paulus denique Papa III. Conventibus & Monasteriis Ordinis Prædicatorum vivæ vocis oraculo per attestationem Joannis Cardinalis Burgensis comprobato, anno 1542. benigne concessit ut Officium recitare possent in honorem tunc Beati, nunc Sancti Raymundi de Pennafort, uti legitur in vita ejusdem Sancti scripta a Francisco Penia Rotæ Auditore *pag.* 252. Verum nedum prædictus Pontifex patrationem miraculorum cognoverat ex relatione fide dignorum, sicuti constat ex ipso oraculo vivæ vocis, sed Episcopi quoque Barcinonenses statis temporibus auctoritate sua ordinaria processum construxerant super vita & miraculis, ut Canonizationem impetrare possent, anno videlicet 1279. sicque quatuor annis ab obitu Sancti, & anno, pariter 1318. quemadmodum bene observavit Penia *in opere citato pag.* 115.

19. Afferenda nunc sunt Beatificationum exempla a Romanis Pontificibus factarum non per se, sed per suos Delegatos: etenim per hæc etiam singularis antérioris diligentiæ profecto apparent argumenta. Hyacinthus S. R. E. Cardinalis, & per totius Hispaniæ circulos Sedis Apostolicæ Legatus, qui postea ad Pontificatum evectus Cælestini III. nomen assumpsit, anno circiter 1170. dum visitabat monasterium Cellanovense in Gallæcia, solemnem fecit translationem corporis S. Rudesindi, Indulgentiis indictis iis, qui actui interessent, & ceteris absentibus, quos die commemorationis festi illius quotannis celebrandæ interesse contigisset. Translatio hæc in Actis dicitur Beatificatio; sed ad eam Legatus non devenit, nisi prævio examine, & habito multorum Præsulum consilio, quemadmodum legitur in citatis Actis

apud

apud Bollandianos *tom. 1. menſis Martii pag.* 118. ubi habentur hæc verba: *Quod ut perfectius perficeret, primo de multorum Præſulum conſilio, prævio vitæ examine & miraculorum frequentia, S. Rudeſindum inter ſanctæ Eccleſiæ Catholicæ Beatos adnumeravit.* Extat adhuc proceſſus Beatificationis B. Notkeri editus a Caniſio *tom. 6. antiquarum lectionum*, eique inſertæ ſunt Apoſtolicæ litteræ Julii Papæ II. miſſæ Epiſcopo Conſtantienſi, quibus exponit ſibi plura narrata eſſe de ſanctitate & miraculis prædicti ſervi Dei, ſibi ſupplices preces fuiſſe porrectas pro facultate eum publice colendi, ſe certam non habere narratorum notitiam, ſeque idcirco committere & mandare prædicto Epiſcopo, ut in præmiſſis, ſuper quo ejus conſcientiam onerabat, faceret, ordinaret, atque decerneret, prout ſibi faciendum eſſe videbatur: cum edictione tamen, ne per quodcumque circa præmiſſa feciſſet & decreviſſet, unquam Notkerus canonizatus cenſendus eſſet. Centum itaque & quadraginta quatuor teſtium dicta & aſſertiones ſuper vita & miraculis recepta ſunt; hiſque receptis, Epiſcopus delegatus conceſſit, ut die mortis Beati, Miſſa & Officium tamquam de Confeſſore recitarentur in monaſterio S. Galli, atque in eccleſiis & capellis eidem monaſterio ſubjectis, repetita clauſula, quod per hæc ille canonizatus non cenſeretur; uti plene habetur in citatis Actis apud Caniſium. Extant apud Bollandianos Acta Beatificationis B. Conradi Placentini, tertii Ordinis S. Franciſci *tom. 3. Februarii pag.* 160. In eis habetur Breve Leonis X. inſcriptum Epiſcopo Syracuſano, ſive ejus Vicario generali in ſpiritualibus, in quo, poſt narratam humilem petitionem incolarum & habitatorum Terræ Neti diœceſis Syracuſanæ pro facultate venerandi Conradum tamquam Beatum, & poſt expoſitionem quod nonnulli proceſſus confecti fuerant ſuper ejus vita & miraculis auctoritate ordinaria, mandat Delegato, ut de præmiſſis expoſitis ſe diligenter inſtruat, atque, ſi ſervatis ſervandis, vera eſſe repererit, auctoritate Apoſtolica petitam indulgeat facultatem. Delegatus pro executione reſcripti Apoſtolici nedum teſtes vidit jam antea examinatos auctoritate ordinaria, ſed ulterius ad novum aliorum teſtium examen devenit; compertaque expoſitorum veritate, auctoritate Apoſtolica petitioni benigne annuit. Paulus demum Papa III. in ſuis litteris Apoſtolicis typis impreſſis apud Bollandianos *tom. 1. menſis Aprilis pag.* 380. mandat Joanni Antonio Pullioni, ut petitionem ſibi factam a juratis Judicibus, & univerſitate hominum Terræ Xicli diœceſis Syracuſanæ de facultate exhibenti publicum cultum in honorem Guillelmi Cuffitella olim ejuſdem Terræ incolæ, non ſine ſanctitatis ac miraculorum fama defuncti, ſedulo inquireret, &, quatenus expoſita veritati inniterentur, annueret petitis, addita tamen clauſula, quod per hæc Guillelmus non putaretur canonizatus. Examina teſtium a Delegato facta integra habentur apud Bollandianos *loc. cit.* ubi etiam *pag.* 393. legi poteſt conceſſio facta auctoritate Apoſtolica a Delegato celebrationis feſti, & recitationis Officii cum oratione propria in honorem prædicti Guillelmi.

CAPUT VIGESIMUMPRIMUM.

De Conſiſtoriis, quæ olim cogebantur pro definiendis cauſis Canonizationis.

1. EXPLETIS omnibus, quæ erant extra Conſiſtorium explenda, & de quibus in ſuperiori capite actum eſt, cauſæ proponebantur in Conſiſtorio coram ſummo Pontifice. Scire autem opus eſt, duplex tunc habitum fuiſſe Conſiſtorium; alterum, in quod conveniebant ſoli S. R. E. Cardinales; alterum ſubſequens, in quo conventus fiebat Cardinalium, Archiepiſcoporum, Epiſcoporum, & Præſulum apud Sedem Apoſtolicam degentium. In primo Conſiſtorio examinabatur cauſa, pro qua Capellani Papæ laboraverant, & ſummus Pontifex de Cardinalium conſiliis requirebat, an effet ad Canonizationem procedendum: quatenus autem viſum fuiſſet procedendum eſſe, definitio hæc ſubſecreto inter Cardinales permanebat, teſte Cardinali Oſtienſi *in cit. cap. Audivimus, de Reliq. & venerat. SS. ſub num.* 5. *Rubricæ ſic factæ examinantur cum exacta diligentia per Dominum Papam, & Fratres, & requirit Papa conſilia eorumdem, an videantur probata talia, propter quæ ſit Canonizatio non immerito facienda; ſi videatur Domino Papæ, quod facienda ſit, definit hoc ſecreto primitus inter Fratres.* Et ad hoc quidem Conſiſtorium reſpexiſſe videtur Auctor carminum de Canonizatione S. Petri Cæleſtini ſub Clemente V. apud continuatores Bollandianos *ad diem 19. Maji pag.* 478. *tom.* 4.

Intulit hunc celebrem mundo, terriſque colendum
Eſſe Patrem, ſacrum Confeſſoremque vocari
Decrevit, prudenter agens, cauteque recenſens
Præteritum. Clauſim ſunt hæc decreta &c.

2. In hoc ipſo Conſiſtorio non ſolum Pontifex Cardinales alloquebatur, & eorum conſilia requirebat, neque ſolum Cardinales examinabant rubricas confectas a Capellanis; verum etiam legebantur teſtium depoſitiones tum ſuper virtutibus, tum ſuper miraculis; ut habetur in Ordine Romano Jacobi Cardinalis Cajetani ſub Clemente VI. *apud Mabillon. muſei Ital. tom. 2. pag.* 419. *Poſtea in Conſiſtorio in præſentia Domini Papæ, & aliorum Dominorum Cardinalium, ſingulariter, & ſingillatim leguntur depoſitiones teſtium ſuper vita & miraculis productorum; primo enim leguntur depoſitiones teſtium ſuper vita productorum. Lectis & diligenter auditis per Dominum Papam, & Cardinales, antequam ad aliud procedatur, Dominus Papa de conſilio Cardinalium determinat, utrum vitæ excellentia illius, de quo agitur, ſit plene probata, vel non; &, ipſa determinatione facta, proceditur modo prædicto ad lecturam miraculorum, & depoſitionum teſtium ſuper ipſis miraculis productorum. Notandum tamen, quod, lecta in Conſiſtorio depoſitione cujuslibet teſtis ſuper quolibet articulo, vel ſaltem teſtium melius probantium, Dominus Papa de conſilio Cardinalium definit, utrum illi teſtes plene probent articulum, de quo agitur, vel non, vel utrum . . . . . Et hæc ſcribi debent ibidem per unum de Dominis Cardinalibus, de quo Domino Papæ placuerit; quibus omnibus factis, & diligenter per Dominum Papam & Cardinales examinatis, Dominus Papa debet inquirere conſilia ipſorum Cardinalium, & petere ab eis, an videantur probata talia, propter quæ ſit Canonizatio merito facienda; &, ſi facienda videatur, Dominus Papa ibidem in Conſiſtorio ſecrete inter Cardinales definit, ipſam Canonizationem eſſe faciendam.* Similia leguntur apud Auctorem, qui rituum formulis præerat anno 1347. juxta Raynaldum *ad annum prædictum*, atque in Ordine Canonizationis Sanctorum anno 1494. (*tom. 3. collect. concil. Britan.*) tum in Bulla Canonizationis S. Vincentii Ferrerii ſub Pio Papa II. narratur, tempore Calliſti III. lectas fuiſſe depoſitiones teſtium in Conſiſtorio; *deinde ex more dicta ipſorum teſtium fecit in duobus Conſiſtoriis generalibus publice recitari.* In eodemque etiam Conſiſtorio onus erat Cardinalium deputatorum cauſæ merita exponere; quemadmodum legitur in bulla Canonizationis S. Bernardini ſub Nicolao V. *Fecimuſque, per venerabiles Fratres noſtros S. R. E. Cardinales per Nos deputatos, omnia per nuntios reportata in ſecreto Conſiſtorio noſtro diligenter particulariterque referri, quæ per Conſiſtorium examinata ſunt; ſed propter gravitatem rei viſum eſt, in aliud Conſiſtorium differri, ut, tempore medio, quilibet Cardinalis in domo ſua poſſet illa diligenter intueri: & in ſecundo Conſiſtorio, ſcrutatis omnium votis, in eamdem ſententiam convenerunt;* item in bulla Canonizationis S. Catharinæ Senenſis ſub Pio II. *Sed pro veteri conſuetudine tribus ex Fratribus noſtris S. R. E. Cardinalibus; uni Epiſcopo, alteri Presbytero, reliquo Diacono, vivæ vocis oraculo commiſimus, ut, debitis habitis proceſſibus de vita & moribus ipſius Catharinæ, deque miraculis ejus ſive in vita, ſive poſt mortem patratis, & de reliquis ad Canonizationem neceſſariis diligenter inquirerent, Nobiſque in ſecreto Conſiſtorio, ut moris eſt, fidelem relationem facerent:* Quod profecto pro regula ſtatutum fuiſſe videtur in libro ſacrarum cæremoniarum edito ſub Leone X. qui nomen præfefert Chriſtophori Marcelli Archiepiſcopi Corcyrenſis, licet re vera fuerit compoſitus ab Auguſtino Patritio Piccolomineo Epiſcopo Pientino, uti colligitur ex epiſtola Paridis de Graffis typis impreſſa apud Mabillon. *in muſeo Ital. tom. 2.* In prædicto quippe libro ſacrarum cæremoniarum ita legitur *ſect. 6. cap. 1. Cum placuerit Sanctiſſimo Domino noſtro, referant* (ſermo eſt de Cardinalibus Epiſcopo, Presbytero, & Dia-

Diacono, quibus cauſæ committebantur) *in ſecreto Conſiſtorio , & primo de excellentia vitæ , & fidei puritate ; quæ ſi judicabuntur Collegio bene probata & digna ſanctificatione , tunc procedent ad narrationem & probationem miraculorum ; & de conſenſu Cardinalium finiet ſummus Pontifex , vitam & miracula , quæ ita erunt , ſufficienter eſſe probata ; deinde deliberabunt , an , quæ probata ſunt , videantur talia , propter quæ merito ſit decernenda Canonizatio.*

3. Hæc quoad Conſiſtorium , ad quod S. R. E. Cardinales tantummodo vocabantur : quoad aliud vero, cui, præter Cardinales , intererant etiam Epiſcopi , & Præſules apud Sedem Apoſtolicam degentes , ut his inſuper innoteſceret ſtatus cauſæ , & comperta eſſent merita ejuſdem , ſermo in eo habebatur a ſummo Pontifice , teſte Cardinali Oſtienſi *in cit. cap. Audivimus ſub num. 5. de Reliq. & venerat. SS. Coadunatis Epiſcopis , qui ſunt præſentes in Curia , narrat publice in Conſiſtorio ea , quæ acta ſunt & probata , ſecreta definitione jam facta ſuppreſſa , & requirit conſilia Prælatorum .* Quod fuſius porro deſcribitur ab Auctore carminum de Canonizatione S. Petri Cæleſtini ſub Clemente V. apud Bollandianos *loc. cit.* De concione ſiquidem habita a prædicto Pontifice ſic ait :

. . . . . *Deinceps*
Advocat in mediam , qua ſe protendit in aulam
Regia , Pontifices varios , cunctoſque miniſtros
Romanæ Sedis , necnon præſente Senatu
Fatur : Et immenſos ſuſcepimus ecce labores ,
Et Fratres noſtri pariter , quod noſſe putamus
Vos etiam . Quæſita prius depromimus ecce ,
Et vitam , moreſque ſacros , firmataque ſcimus
Teſtibus indubie Petri miracula quondam
Murronis ; quæ ſcita palam , nec clauſa tenemus
Ad Fidei incrementa ſacræ , veſtramque ſalutem .
Pauca tamen recluſit apex ; quin cautius idem ,
Neve magis , vel forte minus dicendo labaret ,
Singula diffuſo promi dictamine juſſit .

4. De ſuffragiis autem latis ab Epiſcopis ita ſubjicit :

Illicet ardentes poſiti ſub limite Sedum
Pontifices laudanda canunt , mirandaque pandunt ,
Quiſque loco reſidens , alternatimque reſurgens
Quiſque loco , & rogitant . Penſum procedere rectum
Judicium Eccleſiæ , cunctis gaudentibus una ,
Ructavere omnes , dignum & conſcendere Divum .
At Pater , auditis placidis rumoribus , inquit :
Nec Sedi voti eſt , ſoli cui dicere feſtum
Competit , aut noſtro tantis ſubducere honori ;
Sed volumus ſummis Fratrum concernere dictis ;
Quodque pius nobis dignabitur , atque refundet
Ipſe Deus , prompte complebimus ; huncque profuſis
Flectite vos animis ; facere hoc præcordia poſcunt .

5. Subſequentibus temporibus conſueverunt Romani Pontifices ſeptem , aut octo præſules deligere , qui in Conſiſtorio , ad quod Cardinales , & Epiſcopi vocabantur , univerſam cauſæ Canonizationis ſeriem perorando exponeretur ; quemadmodum plene deſumitur ex ſupra ſæpe citato Ordine Romano Cardinalis Cajetani in quo ſic legitur *pag. 420. Aſſignatur per Dominum Papam certa dies ad aliquem locum aptum ad hoc , ubi convenire habeant idem D. N. Papa , & Cardinales , & alii Prælati de Curia , ac Clerus , & populus ; & interim extra Conſiſtorium deputantur per Dominum Papam octo , vel ſeptem Prælati ad minus , de quibus eidem Domino noſtro Papæ videbitur , faciendum , qui dicta die aſſignata habeant publice prædicare . Habet etiam idem Dominus noſter Papa ordinare gradus inter ipſos Prælatos , qui prædicare habebunt , ut videlicet talis primo prædicet , & talis ſecundo , & ſic de aliis . Conſuevit enim dicta dies aſſignari per unum menſem ante , vel per tres ſeptimanas ad minus , ad finem , quod prædicti Prælati diligenter collationes ſuas potuerint ſtuduiſſe , quas ipſa die aſſignata ſuccincte & breviter in publico facere habebunt . Concluſiones vero dictarum collationum debent eſſe tales , videlicet , quod oſtendat per rationes , quod dicta Canonizatio eſt merito facienda , & ſupplicent dicto Domino noſtro Papæ , ut facere dignetur eamdem .* Idem deinde Auctor , profequendo ſuam narrationem , exponit *pag. 421.* modum quo perorationibus Præſulum dabatur initium : *Quibus reſidentibus* (loquitur de Papa , Cardinalibus , Epiſcopis , & aliis) *ſurgere habet Procurator hujuſmodi negotii exiſtens ex oppoſito dicti Domini Papæ , & , aſſumpta ſibi aliquali auctoritate , narrare debet aliqua de hujuſmodi negotio , & ſupplicare ipſi Domino noſtro , ut Sanctitas ſua audire dignetur aliquos Prælatos , qui ſuper prædictis prædicare intendunt , & nihilominus , quod placeat Sanctitati ſuæ definire illum , de quo agitur , eſſe Sanctum , & Sanctorum catalogo adſcribendum , & tamquam Sanctum eſſe a Fidelibus venerandum , ac feſtum ejus anno quolibet perpetuo certa die , de qua ipſi Domino noſtro Papæ videbitur , celebrandum ; & , hujuſmodi ſupplicatione per dictum Procuratorem facta , ſurgat ille Prælatus , qui primo prædicare , ſeu collationem ſuam facere debet , juxta ordinationem jam dictam , & incipiat collationem ſuam , & eam proſequatur ſuccincte & breviter ; qua finita , ſurgat ſecundus , & faciat ſimiliter , & ſic de aliis .* Concordat Auctor , qui rituum formulis præerat anno 1347. ut ex ejus opere habetur impreſſo apud Raynaldum *ad dictum ann. num. 36. & 37.* hujuſque ritus antiquioris compendioſa habetur commemoratio in libro ſacrarum cæremoniarum Archiepiſcopi Corcyrenſis *loc. cit. In hujuſmodi Conſiſtorio , ut apud antiquos codices legimus , ſolebant ſex , aut octo Prælati ſucceſſive orare , narrantes merita canonizandi , & ſupplicantes pro Canonizatione . Advocatus autem in principio tantummodo petebat a Pontifice , ut Prælati audirentur , & ſupplicabat , ut Canonizatio decerneretur .*

6. Quia vero , fortaſſe experientia teſte , deprehenſum fuit difficile in uno eodemque Conſiſtorio Præſulum perorationes fieri , & ſuffragia Cardinalium , & Epiſcoporum apud Sedem Apoſtolicam degentium exquiri poſſe , tertium ſuperadditum fuit duobus ſupra recenſitis Conſiſtorium ; in quorum primo , ſicuti dictum eſt , Papa ſcrutabatur conſilia Cardinalium , in ſecundo fiebant perorationes , in tertio denique perquirebantur ſuffragia Cardinalium , & Epiſcoporum apud Sedem Apoſtolicam exiſtentium : tum in locum tot perorationum, quæ a Præſulibus fiebant , ſubſtituta fuit oratio unius ex Advocatis Conſiſtorialibus , in qua vita , miracula , & ſeries Actorum totius cauſæ copioſe exponerentur : & , quia propter ſtrepitum aſtantium aliquando accidebat, ut Epiſcopi , qui ſuffragium in ultimo Conſiſtorio ferre debebant , Advocati Conſiſtorialis orationem habitam in ſecundo Conſiſtorio bene intelligere non poſſent , introducta fuit conſuetudo , ut Conſiſtorialis Advocatus in tertio Conſiſtorio ſummatim referret ea , quæ fuſe in ſecundo expoſuerat , ut inſuper ſummus Pontifex de ſtatu ac meritis cauſæ ſermonem faceret , & ut Rotæ quoque Auditores , ſed præſertim cauſæ Commiſſarii , intereſſent , qui difficultatibus , quæ excitarentur , poſſent ſatisfacere.

7. De ſubſtitutione orationis faciendæ ab Advocato Conſiſtoriali in locum tot orationum , quæ fiebant a Præſulibus , loquitur Penia *in vita S. Raymundi lib. 3. in obſervat. ad cap. 36. Ceterum in melius hanc conſuetudinem reformatam ſatis docet ſacrarum cæremoniarum uſus , quo ceſſat multiplicatus ille , tot Prælatorum orantium ſtrepitus . Quod autem ad Advocatum Conſiſtorialem attinet , id ex antiqua ſatis conſuetudine receptum eſt ; cum enim ante aliquot ſæcula cauſæ graves in Conſiſtorio tractarentur , ſolis Advocatis Conſiſtorialibus dicendi in Conſiſtorio facultas erat . Atque inde retenta conſuetudo , ut non niſi aliquis de collegio Advocatorum Conſiſtorialium has orationes habere ſoleat. Sed illud præterea obſervari vidimus , ſi in collegio Advocatorum Conſiſtorialium ſit aliquis Advocatus de dominio illius Principis , qui ſanctum petit canonizari , ille eligatur , ut oret ; ut in hac cauſa ,* (videlicet S. Raymundi) *Bernardinus Scottus Mediolanenſis , pro qua intercedebat Rex Hiſpaniæ Dux Mediolani .* Et merito quidem dictum fuit a Penia , ex antiqua conſuetudine , habita ratione temporis , quo ſcribebat , receptum fuiſſe , quod Advocatus Conſiſtorialis in publico Conſiſtorio de Canonizatione peroraret . In Canonizatione enim S. Bonaventuræ ſub Sixto Papa IV. oratio facta fuit in publico Conſiſtorio ab Octaviano celebri tunc temporis Advocato Conſiſtoriali , teſte Jacobo Volaterrano auctore contemporaneo apud Raynaldum *ad ann. 1482. nu. 46. Die Mercurii poſt feſta Paſchalia , qui fuit decimus ejuſdem menſis , nempe Aprilis , vocati ſunt Patres in publicum ſenatum , qui coactus fuit in anteriori majori aula Pontificia . Relatum eſt in eo de mortis , & vitæ ſanctimonia viri , & Patris Beatiſſimi Bonaventuræ , quem inter Sanctorum cœtum plures Reges , nationes , & populi referendum eſſe , ſummis precibus a Pontifice & ſacro*

ero Patrum senatu effiagitabant. Orationem vero habuit de ea re clarissimus jureconsultus & senatorius Advocatus Octavianus; atque hæc ejus oratio typis mandata est tom. 2. opusc. S. Bonaventuræ. Item in Canonizatione S. Francisci de Paula sub Leone X. Angelus Cæsius oravit in publico Consistorio, quemadmodum legitur *in bulla Canonizationis* §. 37. Et de Advocato pariter Consistoriali intelligenda sunt verba libri sacrarum cæremoniarum Archiepiscopi Corcyrensis *loc. cit. Fit post hæc publicum Consistorium, in quo Pontifex cum pluviali rubeo, & mitra pretiosis sedidet, & Advocatus causæ longa oratione proponit vitam, gesta, & miracula canonizandi, & demum supplicat nomine Principum & populorum, qui de ea re rescripserunt, bonæ memoriæ talem adscribendum esse a sua Sanctitate in catalogum Sanctorum Christi, utque a cunctis Fidelibus pro sancto veneretur decernendum.*

8. De repetitione vero compendiaria facienda ab Advocato Consistoriali in tertio Consistorio, postquam in secundo fusam habuerat orationem de statu & meritis causæ, verba facit Jacobus Volaterranus in Canonizatione S. Bonaventuræ sub Sixto IV. *apud Raynaldum ad ann.* 1482. *num.* 46. Postquam etenim, juxta supra exposita, Jacobus retulit, fuisse in secundo Consistorio habitam orationem ab Advocato Octaviano, quæ propter strepitum frequentissimi senatus vix potuit audiri, licet maximopere fuerit commendata ab illis, qui eam audiverunt, sic prosequitur: *Paucis cum respondisset Pontifex, commisit Prælatis omnibus in Romana Curia existentibus, ut & ipsi de meritis B. Patris edocti in primo senatu ea tantum causa cogendo sententiam dicerent. Die igitur Veneris, qui secutus est, (fuit enim duodecima mensis Aprilis) vocati in consilium fuere non Cardinales modo, sed Episcopi omnes, Abbates. & Judices Rotæ Palatinæ, Religionum quorumdam Prælati, & Procuratores earumdem generales. Consilii locus fuit major aula supra primam Palatii portam, quæ in S. Petri aream spectat. In senatu iterum oravit Octavianus, quem dixi; &, quia priori senatu a paucis fuerat per strepitum auditus, eamdem, ut audio, orationem recitavit cum summa attentione & commendatione. Rogati postmodum Episcopi, & ceteri sententiam dicere, Cardinalibus silentibus, Præsulum quisque, prout loco præerat, ita sententiam dixit.* Et consentit bulla Canonizationis ejusdem Sancti. Clarius postea id ipsum apparet ex Canonizatione S. Francisci de Paula sub Leone X. fuse enarrata in diariis Paridis de Grassis cæremoniarum Magistri, & apud Raynaldum ad *ann.* 1519. *numer.* 77. & 78. In secundo etenim Consistorio, cum Advocatus Consistorialis breviter sic locutus esset: *Cum in publico proximo Consistorio coram tua Beatitudine, Reverendiss. DD. Cardinalibus . . . . de patria, parentibus, vita, moribus, & viginticinque illustribus in specie, aliisque fere innumerabilibus in genere miraculis B. Francisci de Paula, ut ex Actis liquido apparet, dixissem . . . . . tua Beatitudo, pro sua singulari pietate & clementia, desuper mature deliberare velle, dignata fuit respondere; eosdemque Prælatos, ut in ea recogitarent, diligenterque adverterent, Deumque orarent, ne Ecclesiam errare pateretur, monuit. Cum autem, Pater Beatissime, non dubitem, per omnes monitioni tuæ Beatitudinis satisfactum, hancque rem jam tot testibus probatam, totque oculis spectatam, totque etiam palpatam manibus, totiesque, & etiam a multis præstantissimis viris, & ultimo a tribus Reverendissimis Cardinalibus diligenter studioseque cognitam & examinatam, ulteriori discussione nullatenus indigere, sed ad expeditionem ipsam veniendum sit; propterea supplico . . . . ut ad eam expeditionem devenire, opusque tam sanctum, Leoneque X. dignum perficere dignetur;* Pontifex nonnulla subdidit de causæ gravitate, & de negotii arduitate, tandemque concluſit, se audire velle suffragia Cardinalium, & Episcoporum: *Quocirca vos universos Fratres, & præsentes, quos jampridem desuper mature præcogitare monuimus, in Domino affectuose requirimus, conscientias vestras onerantes, ut secundum Deum, cujus res principaliter agitur, quidquid singuli sentitis, libere proferre velitis.*

9. Hujus ejusdem repetitionis testimonium extat in bulla Canonizationis S. Bennonis sub Hadriano VI. & in bulla Canonizationis S. Antonini sub Clemente VII. De eo autem, quod attinet ad summi Pontificis allocutionem, & interventum Rotæ Auditorum, præsertim vero eorum, qui fuerunt causæ Commissarii, hæc habentur in libro sacrarum cæremoniarum edito nomine Archiepiscopi Corcyrensis sub Leone X. *loc. cit. Post hæc, cum placuerit Sanctissimo Domino nostro vocentur omnes Prælati Curiæ in secreto Consistorio cum Pontifice & sacro Collegio, & ibi proponat breviter Sanctitas sua, aut quid vocati sint; deinde, si placet, per Advocatum faciat summatim repeti vitam & miracula canonizandi, & quæ sunt probationes in genere tantum. Post hæc narret, quanta cum diligentia & fide inquisitio, & processus super hac re factus sit, de multiplici & canonicæ attestatione, de instanti Principum & populorum postulatione. Et demum conscientiam illorum onerando, exquirat singillatim a quolibet suam in ea re sententiam; &, cum omnes finierint, agit gratias de bono consilio, & hortatur eos, ut orent Deum, ne sinat, se errare in tanto negotio; & sic omnes recedunt . . . . . Poterunt interesse aliqui Protonotarii ordinarii, ut sint rogati de his, quæ gerantur. Aderunt etiam Auditores Rotæ, & maxime Commissarii causæ, ut, si quid esset declarandum, possint, ut bene informati, mentes aliorum declarare.* Sequitur Rocca *de Canonizatione Sanct. cap.* 37. Quapropter Franciscus Penia *in Actis Canoniz. S. Didaci lib. 3. cap.* 15. ait: *Non apertuit tunc quidem ab Auditoribus Rotæ aliquid rogare, cum super processu nulla exorta fuerit, aut excitata controversia, quæ illorum explicatione & industria indigeret. Hoc enim consilio Auditores potissimum illi, ad quos judicandi processum cura mandata est, advocari solent. Protonotarii vero ad fidem exhibendam circa ea decreta, quæ in Consistorio censentur, solum rogandi erant.*

10. Huc usque adducta Beatificationes, & Canonizationes respiciunt; vel, ut aptius loquamur, diligentias, quæ antiquiori tempore, & ante institutam sacrorum rituum Congregationem a Romanis Pontificibus adhibebantur, antequam Beatificationis, aut Canonizationis honores servis Dei, aut Beatis indulgerentur. Sed, cum nonnulla, tamquam publicæ & notoriæ assertiones, ab aliquibus prolata sint, & proferantur, & scriptis etiam mandentur, quæ, nisi explicentur, aut examinentur, recensitis ipsis diligentiis per Romanos Pontifices factis obstare posse videntur, necessarium est pro absoluta materiæ cognitione, eadem narrare, sincere exponere, necnon explicare, & pro cujusque ratione refellere.

11. De Joanne itaque XXII. fertur, Ordini Prædicatorum obtulisse, unum se ex Dei servis Ordinem ipsum professis canonizaturum, quem ejusdem Ordinis proceres elegissent. Deducitur id ex epistola Petri de Palude Ordinis FF. Prædicatorum Vicarii in Capitulo generali apud Pampilonem congregato scripta Jacobo Aragonum, Valentiæ, Sardiniæ, & Corsicæ Regi 29. Maji 1317. ex Regio archivo Barcinonensi desumpta, & relata in vita S. Raymundi de Pennafort, edita a Francisco Penia Rotæ Auditore *lib. 3. cap.* 13. *Progenitorum vestrorum ad dictum Ordinem nostrum affectio singularis ducit nos multipliciter & inducit, quod, licet ex Ordine prædicto collegerit Deus flores pulcherrimos in gloriam regni sui, fratres videlicet plurimos, quos cælestibus dotavit virtutibus, & miraculorum multiplicium & magnorum evidentissima gratia claros fecit; tamen volentes pro viribus procurare . . . . . B. Fratrem nostrum Raymundum Generalem Magistrum nostri Ordinis antedicti, quem non solum vestri regni singularem alumnum providentia Dei Patris produxit in lucem, quasi generale virtutum exemplar, verum & totius universalis Ecclesiæ fecit per canonicarum sanctionum difertionem solertissimum directorem, SS. P. D. N. summo Pontifici unanimiter duximus canonizandum offerre, qui se canonizaturum obtulit unum, quem duxerimus eligendum.*

12. At, si omnia perpendantur, nimia Canonizandi facilitas, quæ ex prædicta deducitur epistola, evanescet: ex ea quippe non legitime argui potest, Joannem Pontificem promisisse, se illum Sanctorum fastis adscripturum ex Ordine Prædicatorum Religiosum, quem Ordo ipse canonizandum obtulisset; sed unum tantum ex illis, quem cælestes virtutes, & miraculorum gratia insignem fecissent, quemadmodum recitata epistolæ verba clare demonstrant: cumque proinde nec substantialia pro Canonizatione requisita, nec sedulum eorum examen fuerint exclusa, nimiæ facilitatis Joannes nec potest, nec debet redargui. Attendendum insuper, quod tunc multi Beati Viri de Prædicatorum Familia meritis præclarissimi occurrebant, de quorum Canonizatione agi poterat, Reginaldus videlicet de Sancto Ægidio, Joannes Vicentinus, Conradus Teutonicus, Laurentius Anglus, Manes Hispanus, Jordanus Saxo, Jacobus Huton, Joannes, & Nicolaus Hungari, Guillelmus Arnoldus, Pontius Hispanus, Thomas Aquinas, Hya-

cinctus Polonus, Ambrosius Sansedonius, Guido Longimellus, Paganus Mergobensis, Albertus Magnus, ut ex dicti Ordinis Annalibus bene animadvertit Penia in *secunda observatione ad dictum cap.* 13. *lib.* 3. in quo propterea rerum statu unusquisque facile sibi suadere poterit, promissionem Joannis nihil aliud fuisse, quam providam insinuationem factam Ordini Fratrum Prædicatorum, ut is ex pluribus Beatis, quos Canonizationis honore dignos reputare poterat, unum eligeret, cujus causa proponeretur, & discuteretur, quemque in Sanctorum album ipse retulisset, nisi defuissent requisita pro ejus Canonizatione ad normam Sacrorum Canonum obtinenda. Additur in comprobationem prædictorum, quod in promissionis executionem Ordo obtulit Joanni Canonizandum Beatum Raymundum, quem ipse utique non canonizavit, cum fuerit in album Sanctorum relatus a Clemente VIII. Canonizavit autem Joannes Thomam de Aquino, nihil obstantibus promissione, & supplicatione Ordinis pro Beato Raymundo: quod quidem evidentissimum signum est, promissionem non fuisse debitis rationibus atque modificationibus destitutam.

13. Examinandum sequitur famigeratum illud, quod Cardinalem Bessarionem dixisse ferunt, se valde dubitare, utrum vera essent, quæ a majoribus de Sanctis antiquis prodita fuerunt, cum nonnullos suo tempore vidisset in album Sanctorum relatos, quorum vitam ipse in eorum causis suffragium ferens improbaverat; quod utique dictum aliquando usurpatum fuit in suffragiis aliquorum sacræ Congregationis rituum Consultorum, & typis impressum etiam in animadversionibus Fidei Promotorum, ut ceteris suaderent, magna cum maturitate procedendum esse in causis Beatificationis, & Canonizationis. Sed, si id pariter ea quæ decet, diligentia ponderetur, admodum dubito, num prædictum effatum a Cardinali Bessarione manarit. Inclitus ille Cardinalis juxta nonnullos ex hac vita decessit die 18. Novembri 1472. sed juxta alios die 14. Decembris 1473. Plura extant ejusdem Opera; veruntamen in eis effatum ipsum neutiquam reperitur. Primus porro, quem sciam, qui illud propalaverit, nullo tamen prolato testimonio, fuit Guillelmus de Bellai scriptor sæculi XVI. Composuit hic historiam suorum temporum in octo partes, seu libros distributam; Martinus vero ejus frater commentariis rerum Gallicanarum, quæ publici juris fecit, inseruit libros quintum, sextum, & septimum Operis a Guillelmo Fratre compositi. Itaque in præfatione loquitur de historiæ utilitate atque necessitate; cumque plura referat mendacia a recentioribus historicis prolata, maximum hinc asserit damnum derivari in antiquioris temporis historicos, exemplo allato Cardinalis Bessarionis; qui se de Sanctis antiquis dixit dubitare, cum viderit nonnullos suo tempore in Sanctorum album referri, quorum virtutes minime approbaverat. Per eamdem omnino semitam processit Joannes Bodinus, qui in sua methodo ad facilem historiarum cognitionem *cap.* 4. ait: *Ferendum quidem esset* (loquitur de historico) *si pro salute Reipublicæ mentiretur, id, quod Magistratibus Xenophon & Plato permiserunt, sed assentationis causa mentiri cum omnibus turpe, tum vero historicis turpissimum. Nam, ut Bessario Cardinalis, cum inter Divos inepta quadam apotheosi Romæ quamplurimos referri videret, quorum vitam improbarat, se valde dubitare dixit, utrum vera essent, quæ ab antiquis prodita fuerunt; ita mendaces historici faciunt, quo minus fidei reliquis habeatur.* Effatum ergo Cardinalis Bessarionis Guillelmo de Bellai, atque Joanni Bodino inititur; idque oppido facit, ut rationabiliter dubitari possit, num illud fuerit a Cardinali prolatum; tum quia, juxta prudentiæ regulas, quæ a recentiori Auctore de factis, aut dictis antiquorum, nullo adducto contemporanei, & fide digni scriptoris testimonio, referuntur, contemnuntur; tum quia, juxta ejusdem prudentiæ regulas, Auctoris probitas in primis est perpendenda, ut videatur, utrum ejus dictis fides sit præstanda, necne. In eo namque, quod attinet ad Guillelmum, ut ab ejus moribus referendi abstineamus (teste quippe Bayle *in suo dictionario historico & critico*, Guillelmus omnem lapidem movit, ut nonnullos Universitatis Parisiensis Doctores induceret ad opinandum pro justitia divortii injuste petiti ab Henrico VIII. Angliæ Rege) ipsius verba *in præfat. ad suas agedoad.* præseferunt, eum male de Sanctorum Canonizationibus sensisse: *idemque hic accidat* (loquitur de historicis recentioribus falsa referentibus, & sic fidei antiquorum detrahentibus) *quod alia in re merito, & jure optimo dixit Cardinalis Bessario, qui, cum Romæ tot Sanctos, quasi minorum gentium Deos, in Divorum numerum referri conspiceret, quorum vitam moresque parum probaverat, & apotheosim etiam minus probabat; enim vero recentes isti, inquit, Divi efficiunt, ut, quæ de veteribus leguntur, in suspicionem mihi veniant.* Nec enim Canonizatio est inter Deos adscriptio, nec Sancti nostri æquiparari possunt Diis minorum gentium. Quod autem spectat ad Joannem Bodinum, hic de Christiana ipsa Religione male sensisse dicitur. Opus enim composuit *de abditis rerum sublimium arcanis*, in quo omnes Religiones revocat ad examen, institutisque inter Christianos, atque Naturalistas, & Judæos disputationibus, Christianos exhibet ab aliis victos & superatos; quapropter nonnullorum opinio est, ipsum vel sine ulla Religione, vel Judæum mortuum fuisse, uti legitur in epistolis Jacobi Gilot *lib.* 3. *epist.* 48. *ad Josephum Scaligerum*. De eo insuper sic loquitur Antonius Possevinus *bibl. select. lib.* 1. *cap.* 26. *pag.* 130. *Universa igitur hac tractatione* (sermo est de methodo historiarum per ipsum edita) *hæresim sapit, quod Lutherum, Calvinum, Melanctonem, ceterosque nominet honorifice: historicos item Peucerum, Curionem, & alios usurpet ad faciendam fidem, qui & Hæretici fuere, & turpissime in historiis lapsi sunt.* De eodem acrius subdit Hugo Grotius *in ep.* 353. *ad Joan. Cordesium pag.* 127. quod amicitiam coluerit cum doctissimis Hebræorum, *quæ in illo plenam persuasionem eam, quæ in Christianis requiritur, non parum labefactavit. In historiis, & testimoniis citandis video, eum a vero sæpe abire, neglectu malo credere, quam dolo; quamquam interdum vix est, ut doli suspicionem effugiat.*

14. Præterquamquod sequentes Beatorum Canonizationes peractæ sunt quo tempore Bessario Cardinalis erat: Sancti videlicet Nicolai de Tolentino ab Eugenio IV., S. Bernardini Senensis a Nicolao V. SS. Osmundi, & Vincentii Ferrerii a Calisto III. & S. Catharinæ Senensis a Pio II. & communis quidem omnium Cardinalium consensus in Canonizationibus SS. Bernardini, Osmundi, Vincentii Ferrerii, & Catharinæ Senensis illustria extant testimonia in Constitutionibus super eis per Romanos Pontifices exaratis, cum Canonizationes ipsæ factæ sunt. In bulla quippe Canonizationis S. Bernardini Senensis ita legitur: *Scrutatis omnium votis* (loquitur Nicolaus V. de suffragiis Cardinalium) *in eamdem sententiam convenerunt, tantam esse evidentiam & numerum miraculorum, necnon de vitæ ipsius sanctimonia, ac fidei integritate tam clarum, tamque evidens testimonium, ut in tanti viri Canonizationem animis concorditer sua vota depromerent, quorum secuti judicium, tunc canonizandum esse decrevimus.* In bulla Canonizationis S. Osmundi Callistus III. hæc habet: *Scrutanteque deinde in eodem Consistorio vota omnium venerabilium Fratrum S. R. E. Cardinalium, ac omnibus debite recensitis, iidem Fratres nostri in eamdem sententiam convenerunt.* In bulla Canonizationis S. Vincentii Ferrerii post obitum Callisti a Pio II. expedita sic legitur: *Idem quoque Callistus Prædecessor dicta die, videlicet tertia Junii, Pontificatus sui anno primo, in ipsorum Cardinalium, & Prælatorum præsentia, de ipsorum omnium consensu unanimi pronuntiavit atque decrevit, Vincentium præfatum esse canonizandum.* Pius II. denique in bulla Canonizationis S. Catharinæ Senensis ita testatur: *Rogati singulatim tum omnes Cardinales, tum Præsules, qui plurimi affuerunt, sententiam dicere; totis suffragiis beata virgo digna cœlo & astris declamanda visa est; nec quisquam fuit, qui non maturopere Canonizationem ejus faciendam probavit.*

15. Convenerunt itaque omnes Cardinales in exhibitione publici cultus ad honorem SS. Bernardini, Osmundi, Vincentii Ferrerii, & Catharinæ Senensis; ita ut quoad hos saltem nequaquam percipi queat, Cardinalem Bessarionem a ceteris Cardinalibus dissensisse. Sola propterea remanet Canonizatio S. Nicolai de Tolentino, in cujus bulla Eugenius IV. minime testatur de unanimi Fratrum assensu, sed tantum dicit, *de Fratrum prædictorum consilio & assensu.* Attamen verba hæc unanimem certe assensum non probant, sed nec eum excludunt; in quo rerum themate onus est afferentis, dissensum probare Cardinalis Bessarionis. Quamquam urget adhuc pro ejus assensu nimia verisimilitudo deducta ex innocentia vitæ Nicolai; deinde ex illustri de eo testimonio S. Antonini 3. *part. tit.* 24. *cap.* 10. §. 5. *Per sex menses ante obitum ejus omni nocte ante matutinas, auribus corporalibus cantum Angelicum eum Dominus faciebat audire; &, cum esset in ultima ægritudine, quidam visitantes eum a diversis languoribus sanati sunt. Morti appropinquans, votatis Fratribus, sic eos alloquitur: Quamvis nihil mihi conscius sim, tamen non in hoc justificatum me esse sentio seu cognosco; & ideo, si quem læsi,*

laesi, si in aliquo quempiam offendi, vos ipsi judicate, & delictis parcite, ut dimittantur & vobis delicta vestra. Et post plura exposita de felici ejus obitu: *Post mortem ejus, & sepulturam multa miracula ad invocationem nominis ejus facta sunt, caeci multi illuminati sunt, claudi plures erecti sunt, surdi auditum receperunt, loquelam muti non pauci, & (quod maximum est) sex mortui resuscitati per merita ejus*; ex his demum, quae habentur in ipsa bulla Canonizationis, ubi dicitur Joannem XXII. de ejus Canonizatione coepisse tractare, eamque completurum fuisse, nisi obitus, & horrenda schismata superveniissent; itemque miracula tercentum & unum, ad quorum approbationem examinati fuerunt trecenti septuaginta & unus testes, in regestis adnotata, & in publico Consistorio relata fuisse. Prodigium denique sanguinis ex ejus brachio interdum manantis, Cardinalis Bessarionis effatum, quatenus prolatum fuisset, apertissime refelleret; nec ipsum proferentem vir cordatus nimiae temeritatis absolvere posset; cum omnes sciant, posse unumquemque in Congregationibus sensum suum libere asserre, sed, ceteris contradicentibus, non esse cuiquam permissum, deliberationem praevio aliorum consilio captam, & sensui suo adversantem dictis convellere. Quod si id sibi vindicat locum in omnibus & quibuscumque rebus, quid dicendum erit in re nostra, quae adeo sancta est, & in qua Cardinales non sunt nisi Consultores, sed Papa est Judex, quaeque potius Divina, quam humana censenda est? Ad haec igitur omnia avertenda concludendum est, nec vera esse, quae de Cardinali Bessarione referuntur, nec ea, tamquam vera, dictis, aut scriptis esse exponenda.

CAPUT VIGESIMUMSECUNDUM.

De serie Actorum in causis Beatificationis, & Canonizationis juxta praesens Sedis Apostolicae institutum, & de diligentiis quae in earum examine fiunt.

1. ANTEQUAM de proposito in hujus capitis inscriptionem dicere instituamus, duo praemittenda esse videntur; alterum, quod hic series Actorum juxta praesentem Sedis Apostolicae consuetudinem exponitur quidem, ut uno ictu oculi videri possit quidquid in eorum examine peragitur, at citra tamen praejudicium uberioris explicationis in libro sequenti, ubi unaquaeque res, quae hic attingitur, fusius explanabitur; alterum, quod, licet ex ipsa Actorum serie facile colligi possit, quanta sedulitate & maturitate Sedes Apostolica in examine harum causarum procedat, clarius tamen id ipsum apparebit, cum in eodem libro sequenti agetur singillatim de unoquoque Actu, & de uniuscujusque rationibus.

2. Causae itaque Beatificationis, & Canonizationis aliae sunt Confessorum, aliae Martyrum; nonnullae item ex his introductae erant ante decreta Urbani VIII.; nonnullae vero post eadem decreta introducuntur; & aliquae demum procedunt per viam ordinariam non cultus, aliquae per viam extraordinariam casus excepti a citatis Urbani VIII. decretis.

3. Initio autem ducto a causis Confessorum, quae introducuntur post decreta Urbani VIII. & quae procedunt per viam non cultus; praemisso, quod Sedes Apostolica non movetur ad inquirendum, nisi praecedat fama virtutum & miraculorum, & nisi ad normam praedictorum decretorum probatum fuerit, nullum cultum publicum fuisse Dei servo, de cujus Beatificatione, & Canonizatione agendum est, usque ad id tempus exhibitum; bini primum ab Ordinario sua auctoritate ordinaria conficiuntur processus; alter de fama sanctitatis & miraculorum in genere, alter vero super non cultu; idemque Ordinarius sententiam profert super obedientia decretis Urbani VIII. & sic de cultu publico non exhibito: quod adeo verum est, ut, si Ordinarius processum super non cultu confecisset, sententiam autem ipsam non protulisset, eidem a sacra Congregatione demandari consueverit, ut sententiam proferat, prout de jure: & ita sane factum fuit in causa Indiarum servi Dei Dionysii a Nativitate 13. Julii 1675. quemadmodum infuper in sequenti libro videbitur. Veruntamen etiam juxta hodiernam consuetudinem permittitur Ordinario non conficere processum super non cultu, sed alterum tantummodo de fama sanctitatis, virtutum, & miraculorum; etsi in hoc casu, signata commissione, conficitur postea processus ipse super non cultu auctoritate Apostolica, & sacrorum rituum Congregatio integre pronuntiat super obedientia decretis Urbani VIII. cultum publicum prohibentibus.

4. Postquam processus hi sunt absoluti, ad Urbem asportantur, & ope Secretarii sacrae Congregationis, cui deferuntur, traduntur Notario, eorumdemque apertio hoc modo perficitur. A Postulatoribus porrigitur supplex libellus sacrae rituum Congregationi ordinariae, in quo petitur, ut ad apertionem procedatur: habet enim sacra Congregatio facultatem consimilia concedendi, uti legitur in decretis generalibus Urbani VIII. *Permittit insuper Sanctissimus, ut in qualibet ex Congregationibus ordinariis discutiantur & terminentur omnia & singula concernentia aperitionem omnium & singulorum processuum &c. dummodo de resolutionibus habitis super praedictis fiat per dictum Secretarium relatio Sanctitati suae.* Cumque sacra Congregatio, quando annuit petitis, ita respondere consueverit, *pro gratia*, sive *pro aperitione processuum, servatis servandis*; apertio ipsa fit, citato Fidei Promotore, & allatis testibus pro recognoscendis tum sigillis, tum characteribus Judicum: testes porro a Notario interrogantur. Horum denique processuum auctoritate ordinaria confectorum apertio fit coram Cardinali Praefecto sacrae Congregationis, juxta decretum editum die 3. Decembris 1650. *Cum Sanctissimi D. N. in Congregatione habita coram Sanctitate sua die 13. Julii 1649. decreverit, per Congregationem sacris ritibus praepositam posse aperiri processus servorum Dei cum aliqua sanctitatis, aut Martyrii fama, vel opinione defunctorum, auctoritate ordinaria confectos, eidemque sacrae Congregationi exhibitos, ad effectum videndi contenta in illis, & referendi Sanctitati suae, utrum locus sit interpositioni auctoritatis Sedis Apostolicae, signando Commissiones requisitas; Eminentissimi Patres censuerunt, hujusmodi aperitiones esse faciendas coram Eminentissimo Cardinali Praefecto, citato R. P. D. Fidei Promotore, & servata forma in decretis super hoc emanatis.*

5. Facta processuum apertione, & obtenta a Summo Pontifice delegatione alicujus Cardinalis Sacrae Congregationis in Relatorem Causae; electisque Interprete, ac Revisore processuum, si extero idiomate confecti fuerint, vel a Cardinali Relatore, vel a Cardinali Praefecto Sacrae Congregationis, si forte Cardinalis Causae Relator abesset ab Urbe, juxta Decreta Generalia Urbani VIII. *Quando Cardinales Ponentes Causarum erunt absentes a Curia, pro interponendis Decretis necessariis in Causis hujusmodi, poterit adiri Cardinalis Praefectus pro tempore Sacrae Congregationis, ut illa interponat pro Cardinali absente*; deveniendum est ad Operum revisionem, si Dei Servus, cujus Beatificationis, & Canonizationis Causa introducitur, Opera conscripserit. Sciendum est enim, uti fusius in sequenti libro demonstrabitur, quod non proceditur ad ulteriora in causis Beatificationis, & Canonizationis, nisi recognoscantur & examinentur Opera, quae a Dei Servo conscripta fuerunt. Nam, quidquid sit de Lege Decretorum Urbani VIII. juxta hodiernum morem, si ante *signaturam Commissionis* deprehendatur, Dei Servum Opera conscripsisse, revisio fit eorumdem, antequam Commissio ipsa signetur.

6. Si Dei itaque Servus Opera conscripserit, & eadem fuerint in Sacrorum Rituum Congregatione Ordinaria revisa, & approbata, post lapsum decem annorum a die traditionis processuum auctoritate ordinaria confectorum, fit locus *signaturae Commissionis*, ut legitur in Decretis novissimis Innocentii XI. §. 7. *Ideo, si ita Sanctissimo visum fuerit, censuit etiam eadem sacra Congregatio, Commissionem non esse signandam, nisi post elapsum tempus decem annorum a die praesentationis processus auctoritate ordinaria confecti*: qua secuta, ut plurimum praevio consilio Congregationis Ordinariae Sacrorum Rituum, cum Sancta Sedes dicatur manus appositisse, nil aliud in posterum fieri potest ab Ordinario, & processus utique, qui subinde ab eodem conficerentur, inanitatis vitio laborarent. Per solam tamen petitionem *signaturae Commissionis*, nisi Commissio re vera signata sit, dici nequit, quod Sedes Apostolica manum appposuerit; uti colligitur ex decreto edito in causa Vivarien. servorum Dei Jacobi Salesii, & Guillelmi Saltamochii, quod

quod eſt conceptum ſequentibus verbis: *In cauſa declarationis Martyrii Jacobi Saleſii, & Guillelmi Saltamochii e Societate Jeſu, cum in proxima præterita Congregatione habita coram Sanctiſſimo inſtitutum fuiſſet, ut Commiſſio introductionis cauſæ per Sanctitatem ſuam ſignaretur; verum ſufficientem ſumum Martyrii, & cauſæ Martyrii, eorumdem ſervorum Dei adhuc deſiderari Sanctiſſimus cenſuiſſet, ex quo tunc legitimis probationibus idem ſumus percipi nequiret; Poſtulator ejuſdem cauſæ pleniſſimo jure putans, re ad Sedem Apoſtolicam ſemel producta, per appoſitionem manus ejuſdem, Ordinariis locorum facultatem in ea procedendi omnino ſublatam eſſe, inſtitit, ut ſacrorum rituum Congregatio remedium aliquod afferre dignaretur; quæ declaravit, mentem Sanctiſſimi fuiſſe, Ordinarios non obſtare, quin iidem valeant uti ſua ordinaria auctoritate, die 15. Februarii 1659. Et, facta de hujuſmodi declaratione Sanctiſſimo relatione, Sanctitas ſua eam prorſus conformem actæ declarationi in prædicta Congregatione aſſeruit, die 28. ejuſdem menſis, eodemque anno 1659.*

7. Aperit *ſignatura Commiſſionis* viam, ut procedatur ad conſtructionem proceſſuum Apoſtolicorum. Quocirca, niſi eſſet confectus ab Ordinario proceſſus ſuper non cultu, ille auctoritate Apoſtolica eſt conficiendus. Poſtquam enim Sedes Apoſtolica manum appoſuit, non poteſt, uti diximus amplius Ordinarius Cauſæ quoquo modo ſe immiſcere ne gratia quidem, ut habetur ex Decretis Urbani, *conficiendi particularem proceſſum ſuper cultu non adhibito, qui formandus erit per eum, cui per ſummum Pontificem, vel per ſacrorum rituum Congregationem hujuſmodi facultas fuerit delegata*. Atque in hoc etiam rerum themate, poſtquam proceſſus completus eſt, & poſtquam Judex Delegatus ſententiam tulit ſuper non Cultu, omnia tranſmittuntur ad Urbem; & ea, quæ ſuperius dicta fuerunt quoad apertionem proceſſus auctoritate ordinaria, ſibi vindicant locum quoad hunc, alioſque proceſſus, qui conficiuntur auctoritate Apoſtolica; hoc tantum diſcrimine intercedente inter apertionem proceſſus auctoritate ordinaria, & apertionem proceſſus auctoritate Apoſtolica, quod illius apertio, ſicut vidimus, fit coram Cardinali Præfecto, hujus autem coram Protonotario, juxta Decreta Urbani VIII. *Proceſſus omnes in eadem ſacra Congregatione præſentati, ſigillati, & clauſi per Secretarium conſignari debent Notario ejuſdem Congregationis deferenti ad Protonotarium deputatum ad Acta Canonizationis, per quem, præcedente decreto ſacræ Congregationis, & citato prius Promotore Fidei, ſervatis ſervandis, aperiri debent*.

8. Approbato a Sacra Ordinaria Congregatione judicio ſive Ordinarii, ſive Delegati ſuper non cultu, Poſtulatores inſtare debent pro *litteris remiſſorialibus*, ut conficiant proceſſum Apoſtolicum ſuper fama ſanctitatis & miraculorum in genere: & petitio quidem hæc fit in Congregatione ordinaria, quæ facultatem habet Judices deligendi, uti conſtat ex decretis Urbani VIII. *Permittit inſuper Sanctiſſimus, ut in qualibet ex Congregationibus ordinariis diſcutiantur & terminentur omnia & ſingula concernentia &c. deputationem, & ſubrogationem Judicum*. Excepto autem caſu, ubi conficiendus ſit auctoritate Apoſtolica proceſſus ſuper non cultu, in quo litteræ inſcribuntur uni Epiſcopo; quotieſcunque agitur de proceſſu auctoritate Apoſtolica conſtruendo, ſacra Congregatio inſcribit *litteras remiſſoriales* tribus Epiſcopis cum clauſula, ut duo ad minimum procedant. Fit itaque proceſſus Apoſtolicus ſuper fama ſanctitatis & miraculorum in genere; quæ ſi per validum proceſſum rite & recte probata ſit, & juxta hodiernam conſuetudinem per ſacrorum rituum Congregationem ordinariam fuerit approbata, tranſitus fit ad petitionem & expeditionem novarum *litterarum remiſſorialium*; ſubinde vero ad proceſſum ſuper virtutibus & miraculis in ſpecie, qui etiam conficitur auctoritate Apoſtolica.

9. Confecto hoc novo proceſſu, idem ad Urbem tranſmittitur, & ejus fit apertio juxta modum ſupra expoſitum; tum in ſacrorum rituum Congregatione ordinaria agitur de ejus validitate; qua quidem approbata, tranſitus poſtea fit ad examen momenti, primo autem virtutum, deinde miraculorum. Dubio tamen de virtutibus locus eſſe non poteſt; niſi poſt lapſum quinquaginta annorum ab obitu ſervi Dei, de cujus Beatificatione, & Canonizatione tractatur; juxta decreta Urbani VIII. quibus in hac parte nunquam intelligitur derogatum, niſi ſpecialiter id in reſcripto ſummi Pontificis expreſſum ſit. En verba decretorum: *Sanctitas ſua expreſſe prohibuit ſacræ rituum Congregationi, ne deinceps procedat in cauſis ſervorum Dei ad effectum Canonizationis, ſeu Beatificationis, aut declarationis Martyrii, niſi lapſis quinquaginta annis ab obitu illius; quin immo etiam lapſis quinquaginta annis de ſimilibus proceſſibus tam factis, quam faciendis agi vetuit, niſi habita prius, & expreſſe obtenta licentia a Sanctitate ſua, vel ejus ſucceſſoribus. Sub decreto hujuſmodi vult comprehendi etiam cauſas, in quibus modo reperiuntur expeditæ litteræ remiſſoriales, & compulſoriales, ac omnes aliæ nunc pendentes, quæ adhuc expectant perfectionem ſuam & complementum a facto futuro finalis determinationis. Quod ut firmius obſervetur, inſuper jubet, ut, ſi memoriale ſuper hoc directum Congregationi porrigatur cum reſcripto Sanctitatis ſuæ, ut aliqua ex hujuſmodi cauſis ad præfatos effectus examinetur, nullum ſortiatur effectum, niſi in eodem reſcripto ſpecialis prædictæ prohibitionis derogatio reperiatur*.

10. Si elapſi igitur ſint anni quinquaginta a die obitus ſervi Dei, proponitur dubium ſuper virtutibus primo in Congregatione antepræparatoria, ſecundo in Congregatione præparatoria, & tertio in Congregatione generali: abſoluto autem favorabiliter dubio ſuper virtutibus, tranſitus fit ad diſcuſſionem dubii ſuper miraculis, quod pariter proponitur, primo ſcilicet in Congregatione antepræparatoria, deinde in præparatoria, demum in generali. Quod vero attinet ad numerum miraculorum, licet pleræque Beatificationes factæ ſint poſt multorum miraculorum approbationem (octo quippe fuerunt approbata in Beatificatione S. Andreæ Avellini, quatuor in Beatificatione S. Felicis de Cantalicio, decem & octo in Beatificatione S. Mariæ Magdalenæ de Pazzis, novem in Beatificatione S. Cajetani, quinque in Beatificatione S. Joannis de Deo, novem in Beatificatione S. Franciſci de Sales, quinque in Beatificatione S. Roſæ Limanæ, quatuor in Beatificatione S. Pii V.) ſatis tamen eſt, ut duo miracula approbentur pro Beatificatione obtinenda, teſte Matta *de Canoniz. SS. part. 4. c. 6. num. 9.* Re enim ipſa ad Beatificationem SS. Joannis de Cruce, Franciſci Solani, & Alphonſi Mogrobeſii Archiepiſcopi Limani proceſſum fuit poſt approbationem duorum tantummodo miraculorum; neque, dum Fidei Promotoris munere fungebar, contra ſtimulum calcitrante, & quantum poteram obnitente, ne Beatificatio ſervi Dei Franciſci Regis fieret ex binis tantummodo miraculis approbatis, ſacrorum rituum Congregatio generalis coram ſanctæ memoriæ Clemente XI. cenſuit, prædicta bina miracula ad Beatificationem ſufficere; uti colligitur ex reſponſo ejuſdem ſacræ Congregationis per eumdem ſummum Pontificem approbato die 3. Martii 1716. Et cohærenter quidem huic ipſi conſuetudini facta ſubinde fuit a ſanctæ memoriæ Benedicto XIII. Beatificatio ſervæ Dei Hyacinthæ de Mareſcottis poſt approbata duo tantum miracula, alterum a ſanctæ pariter memoriæ Innocentio XIII. die 2. Julii 1722. alterum a Sanctitate ſua die 13. Maji 1726. tum etiam a SS. Decеſſore noſtro Clemente Papa XII. Beatificatio ſervæ Dei Catharinæ de Riciis, approbatis ſimiliter duobus tantum miraculis, quemadmodum deſumitur ex decreto edito die 14. Auguſti 1732. Fuit hæc praxis ſacræ Congregationis rituum uſque ad noſtrum Pontificatum, nec nos aliquid quoad ipſam immutandum cenſuimus, dummodo tamen virtutes, aut Martyrium in cauſis ſervorum Dei procedentibus per viam non cultus fuerint probatæ per teſtes de viſu: ſed quatenus prædictarum rerum probatio fuerit innixa teſtibus de auditu, aliiſque probationibus ſubſidiariis, decretum generale edidimus die 23. Aprilis 1741. alio in loco referendum, in quo ſtatuimus, non ſufficere duo, ſed quatuor miracula requiri, quæ teſtibus de viſu probata ſint pro Beatificatione obtinenda.

11. Non omnia tamen, quæ diſcutienda proponuntur, dubia in cauſis Beatificationis, & Canonizationis ejuſdem ſunt roboris, & momenti; nec omnia proponuntur coram ſummo Pontifice; ſed coram eo tantum in Congregatione generali proponitur dubium de virtutibus, & miraculis, & an tuto procedi poſſit ad Beatificationem, & ad Canonizationem, ut infra videbitur: licet reſolutionis omnium aliorum dubiorum, quæ proponuntur in Congregatione ordinaria, fiat ipſi relatio per Secretarium ſacræ Congregationis; & reſolutio quocumque careat robore & efficacia, niſi a ſummo Pontifice confirmationem obtineat, ſicuti ſupra compertum eſt.

12. Communis eſt Scriptorum opinio, teneri ſummum Pontificem ex honeſtate requirere aliorum conſilia in arduis, uti bene adnotavit primus & celeberrimus Eccleſiæ meæ Bononienſis Cardinalis Gabriel Palæottus *in tract. de ſac. Conſiſtorii conſult. part. 1. qu. 3.* qualia procul dubio ſunt ea, quæ pertinent ad cauſas Beatificationis,

& Ca-

& Canonizationis, ut antea visum est. Quocirca, si dubiorum minus principalium resolutio, quæ fit in Congregatione ordinaria, pluralitatem habuerit suffragiorum, & rationum momenta, quibus Suffragatores innixi sunt, & quæ, compendio facto, Sanctitati suæ a Secretario exponuntur, eidem placeant; prudenter aget, si resolutionem sua auctoritate confirmet; & id utique in more positum est.

13. Sed subit difficultas quoad dubia magis præcipua, quæ post Congregationes antepræparatorias, & præparatorias coram summo Pontifice in Congregatione generali proponuntur, quæque ut plurimum virtutes & miracula respiciunt. Pontifex enim, qui illis præest, & singula suffragatorum tum Cardinalium, tum Consultorum propriis auribus excipit suffragia, & vel per se, vel per Secretarium sacræ Congregationis unumquodque notat, aut notari jubet suffragium, non consuevit in ipsa Congregatione animum suum aperire; sed actis de more gratiis Cardinalibus sacrorum rituum, qui tanto labore & incommodo causæ studuerunt, & in ea suffragium tulerunt, se eorum orationibus commendat, ut sibi Divinum lumen assistat in re adeo gravi: interea vero Deum orat, & preces indicit, nec omittit quidquid facere potest privato studio, ut veritatem assequatur; ita ut solum quæstio numerum respiciat suffragiorum, utrum videlicet concordia omnium suffragiorum necessaria sit necessitate honestatis, ut Pontifex prudenter agat in approbatione dubiorum super virtutibus & miraculis, an major tantum pars eorumdem sufficiat.

14. Non desunt exempla approbationis virtutum & miraculorum, aut etiam Martyrii, a summis Pontificibus factæ præcedente unanimi omnium suffragantium consensu. In Limana tunc servi Dei, nunc S. Thuribii Archiepiscopi, extat decretum editum die 8. Martii 1672. in quo legitur: *Sacra Congregatio unanimi voto declaravit, constare de præditis virtutibus in gradu heroico.* In causa tunc Beatæ nunc S. Catharinæ de Bononia, extat decretum editum die 18. Januarii 1680. ubi sic legitur: *Sacra Congregatio censuit unanimi voto, ac nemine discrepante, constare de omnibus supradictis virtutibus in gradu heroico.* In causa tunc Beati nunc S. Caroli Borromæi, extat decretum editum die 15. Maji 1610. in quo enuntiatur, quod *nemine discrepante* quatuor miracula fuerunt approbata. In causa Pragensi tunc Beati nunc Sancti Jo: Nepomuceni 12. Januarii 1728. decretum prodiit, in quo dicitur, quod omnes *unanimi voto* ita censuerunt constare de Martyrio, & causa Martyrii, ut procedendum esset ad discussionem signorum seu miraculorum. Alia similia prostant exempla, quæ tamen prodierunt, cum sacrorum rituum Congregationi sex, aut septem Cardinales, & totidem Consultores essent adscripti. Sed cum hodie ingens, & quodammodo excessivus sit numerus Cardinalium, & Consultorum eidem Congregationi adscriptorum, raro contingit, ut unanimis sit omnium consensus, cum agitur de approbatione virtutum, aut miraculorum, aut Martyrii: & unanimis Suffragantium concordia hodie facile reperitur, cum approbationis virtutibus, aut Martyrio, & miraculis, proponitur dubium, an tuto ad Beatificationem, aut Canonizationem possit deveniri: tunc enim, secuta jam approbatione virtutum, aut Martyrii, & miraculorum, quotquot adversati sunt prædictorum approbationi, fasces submittunt, & in sententiam veniunt favorabilem Beatificationi, & Canonizationi. Quæ omnia retulisse operæ pretium visum est, ut appareat, non inutile, sed necessarium esse quæsitum de numero suffragiorum necessario, ut Pontifex, prudenter agendo, approbare valeat responsa sacræ Congregationis super virtutibus, Martyrio, aut miraculis. Porro in hac quæstione nonnulli afferunt, majorem partem suffragiorum sufficere juxta regulam textus *in cap.* 1. ubi Ostiensis *num.* 4. & Fagnanus *num.* 5. *de his quæ fiunt a majori parte Capituli.*

15. Accedit per hos, quod major pars gravior etiam præsumitur; Glossa *in cap.* 1. *in v. rationabiliter*, ibique Fagnan. *num.* 4. *de his, quæ fiunt a majori parte Capituli.* Quod si in Congregatione SS. Inquisitionis, atque, quod notabilius est, in ipsis Conciliis generalibus, cum de articulis Fidei definiendis agitur, prævalet suffragiorum pluralitas, & summus Pontifex prudenter agere dicitur, si majori adhæreat suffragiorum parti; veluti, loquendo de Conciliis generalibus, late docent Card. a Turrecremata *in sum. de Eccles. lib.* 3. *cap.* 65. Card. Bellarminus *tom.* 2. *controvers.* 1. *de Conciliis lib.* 1. *cap.* 18. Card. Jacobatius *de Conciliis lib.* 6. *art.* 3. *sub. num.* 57. Et profecto, teste Card. Pallavicino *in histor. Concil. Trid. lib.* 16. *cap.* 4. *num.* 19. ita res se habuit in prædicta sacrosancta Synodo, in qua sic refert Legatos Apostolicos fuisse locutos: *Dicano le Signorie vostre con somma brevità per la parola* piace, *o* non piace, *se vogliono, o nò, che si dichiari, la residenza essere di ragione Divina; acciocchè, secondo il maggior numero delle voci, e delle sentenze, possano scriversi i decreti, come in questo santo Concilio sempre s' è usato;* potiori jure videtur ipsis, sufficere debere pluralitas suffragiorum, cum res est de definiendis dubiis pertinentibus ad causas Beatificationis, & Canonizationis.

16. Alii volunt, duas saltem ex tribus partibus Dominorum Consultorum, & omnes fere Cardinales Congregationis sacrorum rituum in unum & eumdem sensum concurrere debere: juxta ea, quæ refert Matta *de Canonizat. SS. part.* 5. *cap.* 4. *num.* 21. ubi, loquendo de approbatione miraculorum, hæc habet: *Super hujusmodi dubio fiunt duæ Congregationes, quæ dicuntur præparatoriæ; in quarum prima votum præbent tantum Domini Consultores, & in secunda coram summo Pontifice dant votum EE. DD. Cardinales, atque etiam Papa, Et, secundum quod observare potui, EE. DD. Cardinales non approbant aliquod factum pro miraculo, seu miraculoso, in quo non concurrant saltem duæ ex tribus partibus Dominorum Consultorum. Et Papa non approbat, nisi concurrant omnes fere EE. DD. Cardinales.*

17. Verum, his omissis, tutior & magis consentanea usui Sedis Apostolicæ est illorum sententia, qui existimant, minime sufficere majorem suffragiorum partem, sed in re, & ad finem, de quo agitur, duas ex tribus omnium partibus suffragiorum requiri, & satis esse; & multo magis, si inter duas ex dictis tribus partibus adsint illorum secunda suffragia, quos summus Pontifex peritiores & aptiores esse judicaverit: ita tamen ut, si de miraculorum approbatione tractetur, duæ ex tribus partibus Suffragatorum conveniant in approbationem hujus, aut illius in individuo facti tamquam miraculo adscripti. Si enim una pars suffragiorum miraculo adscribendam reputaret cæci illuminationem, alia pars sanationem claudi, alia autem pars subitaneam & momentariam liberationem a morte imminenti cum recuperatione virium; dici non posset, duas ex tribus partibus Suffragatorum approbare unum ex dictis factis tamquam miraculum; sed ad hunc finem opus esset, ut duæ ex tribus partibus miraculo censerent adscribendam aut cæci illuminationem, aut claudi sanationem, aut subitaneam illam & momentariam cum recuperatione virium liberationem.

18. Quod itaque major pars suffragiorum non sufficiat, colligitur ex gravitate materiæ; & pro hac quidem facit exemplum electionis summi Pontificis. Licet enim olim satis esset major suffragiorum pars ut habetur *in can. Si transitus dist.* 79. juxta tamen Decretalem Alexandri III. in Concilio Lateranensi editam, duæ ex tribus partibus Electorum requiruntur *ex text. in cap. Licet, de Election.* Nec urget exemplum Congregationis SS. Inquisitionis, aut Conciliorum generalium; quia in illis agitur de causis necessario definiendis, in quarum classe recenseri non possunt causæ Beatificationis, & Canonizationis.

19. Quod vero duæ ex tribus partibus suffragiorum modo explicato sint necessariæ, comprobari potest ex consuetudine & instituto sanctæ Sedis, quod ego ipse testari possum, qui amplius viginti annos apud summos Pontifices munus exercui Fidei Promotoris. Addendum autem, quod uniformitas suffragiorum propter varietatem ingeniorum, & propter multitudinem Suffragatorum est quodammodo impossibilis; uti bene adnotavit Abbas *in cit. cap.* 1. *num.* 8. *de his, quæ fiunt a majori parte Capituli.* Deficiente igitur suffragiorum uniformitate, si illorum pluralitas non sufficit, necessarius illico apparet concursus duarum ex tribus partibus.

20. Quod tandem ea, quæ modo dicta sunt, potiori jure sibi vindicent locum, si inter duas ex tribus partibus adsint illorum suffragia, quos aptiores & peritiores summus Pontifex reputaverit, probatur. Quidquid enim sit de jure civili, de jure certe canonico non tam pluralitas, quam præstantia suffragatorum videtur esse opportuna, juxta text. *in cap. Ecclesia* 57. *de Election.*

21. Hæc sunt, quæ pertinent ad approbationem tum virtutum, tum miraculorum: quibus tamen addere fas sit, quod summi Pontifices, quando mentem suam volunt aperire super approbatione virtutum, aut miraculorum, ad se vocare consueverunt Secretarium sacræ Congregationis, & Fidei Promotorem, tum vero onus est Secretarii sacræ Congregationis decretum edere juxta mentem Sanctitatis suæ. Approbatis porro tum virtutibus,

in

tum miraculis, cogitur ultima Congregatio generalis coram ſummo Pontifice, in qua diſputandum proponitur dubium, an, ſtante approbatione tum virtutum, tam miraculorum, tuto procedi poſſit ad Beatificationem; atque, auditis tum Cardinalium, tum Conſultorum ſuffragiis, quæ ut plurimum ſunt uniformia (præmiſſis quippe præmittendis, & approbatis approbandis, conſequens eſſe de jure videtur progreſſus ad ulteriora, hoc eſt ad ſolemnem Beatificationem; etſi ſive omnia ſuffragia ſint concordia, ſive duæ tantum ex tribus partibus ſuffragiorum ſint uniformes, juxta recentiorem ſanctæ Sedis conſuetudinem, idem valet) ſummus Pontifex animum ſuum in prædicta Congregatione minime exprimit, ſed iterum aſtantium precibus ſe commendat, & opem Divinam implorat: tum denique, ſi effuſis & indictis precibus cenſet, bonum eſſe, ut ad ſolemnem Beatificationem procedatur, accitis iterum Secretario Congregationis, & Fidei Promotore, mentem ſuam aperit de Beatificatione quandocumque facienda, tandemque diem ſtatuit ſolemnitatis, & Secretario Brevium demandat, ut litteras Apoſtolicas expediat in forma Brevis cum clauſulis, & indultis conſuetis.

22. Comprobantur autem hæc ipſa ex ſequentibus decretis.

VIENNEN. IN GALLIA

Beatificationis, & Canonizationis Venerabilis Servi Dei Joannis Franciſci Regis Presbyteri Profeſſi Societatis Jeſu.

Decretum ſuper miraculis.

DIE 28. Aprilis 1715. Dominica in albis hora circiter 16. SS. D. N. Clemens Divina providentia Papa XI. in palatio Quirinali advocavit R. P. D. Proſperum de Lambertinis Fidei Promotorem, & me infraſcriptum Proſecretarium Congregationis ſacrorum rituum, nobiſque dixit, elapſis diebus, videlicet die 2. labentis menſis in Congregatione habita coram Sanctitate ſua propoſitam fuiſſe a Rev. D. Card. Imperiali cauſam Viennen. in Gallia Beatificationis, & Canonizationis Ven. ſervi Dei Joannis Franciſci Regis Presbyteri Profeſſi Societatis Jeſu, diſcuſſoque in ea dubio, an conſtet de miraculis poſt obitum in caſu, & ad effectum de quo agitur, Sanctitatem ſuam audiviſſe quidem omnium ſuffragia, ſed diſtuliſſe reſolutionem, ut prius de more in tam ardua deliberatione Divinam opem imploraret. Nunc vero, cum id peregerit, ac præſertim præteritis diebus majoris hebdomadæ, ac ſucceſſive Paſchalibus feſtis ſupremum luminum Patrem ferventius exoraverit, ut cœleſti claritate mentem ſuam illuſtrare dignaretur, declaravit, ſe nolle diutius differre publicationem ſuæ reſolutionis; adeoque publicari juſſit decretum in quo pronuntiavit, conſtare de duobus miraculis tertii generis; nempe de primo repentinæ liberationis Joannæ Mariæ Peret Monialis a diuturna inferiorum artuum ad motum impotentia, & hydrope tympanite, ac de quarto inſtantaneæ ſanationis Joannis Gaſparis Montereymar Anicienſis ab enormi hernia. Et ita &c.

VIENNEN. IN GALLIA

Beatificationis, & Canonizationis Venerabilis Dei Servi Joannis Franciſci Regis Presbyteri Profeſſi Societatis Jeſu.

Decretum Beatificationis.

CUM, poſtquam alias, nempe die 15. Martii 1712. in Congregatione generali ſacrorum rituum habita coram SS. D. N. Clemente Divina providentia Papa XI. propoſita per Reverendiſs. Card. Imperialem cauſa Viennen. in Gallia Beatificationis, & Canoniz. Ven. ſervi Dei Joannis Franciſci Regis Presbyteri Profeſſi Societ. Jeſu, diſcuſſum fuiſſet dubium, an conſtaret de virtutibus ejuſdem ſervi Dei tam Theologalibus, ſcilicet Fide, Spe, & Charitate, quam Cardinalibus, nimirum Prudentia, Juſtitia, Fortitudine, & Temperantia, earumque reſpective annexis in gradu heroico, & in caſu & ad effectum &c. Sanctitas ſua die 27. ejuſdem menſis Martii Reſurrectioni Dominicæ ſacra, decrevit, conſtare de virtutibus tam Theologalibus, quam Cardinalibus in gradu heroico &c. Ac ſubinde, poſtquam ſcilicet prius, nempe die 2. April. 1715. in ipſa generali Congregatione habita coram Sanctitate ſua propoſitum fuiſſet in prædicta cauſa aliud dubium, an conſtaret de miraculis poſt obitum ipſius ſervi Dei in caſu, & ad effectum &c. eadem Sanctitas ſua die 28. prædicti menſis Apr. pronuntiaverit, conſtare de duobus miraculis tertii generis, nempe de primo repentinæ liberationis Joannæ Mariæ Peret Monialis a diuturna inferiorum artuum ad motum impotentia, & hydrope tympanite, ac de quarto inſtantaneæ ſanationis Joannis Gaſparis Montereymar Anicienſis ab enormi hernia. Demum vero, iterum habita Congregatione Generali præfata coram eodem S. D. N. die 3. Martii currentis anni, in eaque per prædictum Dominum Cardinalem Imperialem propoſito dubio, an, ſtante approbatione virtutum, & duorum miraculorum, tuto procedi poſſet ad ipſius Servi Dei Beatificationem, dicta Congregatio unanimi omnium conſenſu affirmative reſpondendum eſſe cenſuerit: verum dictus Sanctiſſimus Dominus Noſter reſolutionem de more diſtulerit, ut in re tam gravi, & maxima cum maturitate pertractanda, antequam quidquam decerneret, tam ſuis, quam aliorum precibus Divini Luminis opem imploraret.

His jam abunde impletis, Sanctitas Sua, accitis infraſcripta die coram ſe R. P. D. Proſpero de Lambertinis Fidei Promotore, ac me prædictæ Congregationis Secretario, ut memoratus Servus Dei Joannes Franciſcus Regis pie, ac palam a Chriſtifidelibus coli poſſit, ac Societas Jeſu, quæ illum protulit, de Eccleſia Catholica ceteroquin optime merita, præclaro hoc addito Lumine, in dies magis illuſtretur, præſens Decretum Beatificationis ejuſdem Joannis Franciſci, per Litteras Apoſtolicas in forma Brevis cum conſuetis Indultis quandocumque faciendæ, expediri, & publicari mandavit. Hac die 7. Maji 1716.

23. Hæc eſt Apoſtolicæ Sedis conſuetudo ſub ſanctæ memoriæ Clemente Papa XI. a qua utique ne latum quidem unguem recedendum eſſe exiſtimo: nihil enim ea accommodatius rei gravitati, & implorando Divino auxilio reperiri poteſt. Auctorem quoque habet ipſum Clementem XI. Summum Pontificem, quem profecto doctiſſimum, diligentiſſimum, & rerum Divinarum peritiſſimum quotquot cum eo negotia pertractarunt, vel ejus Opera edita legerunt, faſſi ſunt. Teſtari ipſe poſſum, me initio ejus Pontificatus tamquam Sacri Conſiſtorii Advocatum cum ipſo de Canonizatione Sanctæ Catharinæ Bononienſis meæ concivis egiſſe; me quoque ab anno 1708. Fidei Promotoris munere ab eo cohoneſtatum, & uſque ad ipſius obitum eodem munere fungentem, centies & eo amplius de aliis Beatificationum, & Canonizationum cauſis a Sanctitate ſua aut inchoatis, aut abſolutis multum meditatumque ſermonem cum eo habuiſſe; nec unquam ab ejus audientia receſſiſſe, quin plura, & quidem non exigui, ſed magni momenti didiciſſem. Teſtari poſſunt, quotquot adhuc vivunt, ſeu Cardinales Sacris Ritibus Præpoſiti, ſeu Conſultores Congregationis, qui ſub ejus Pontificatu Congregationibus coram ipſo habitis interfuerunt, quam apte, quam docte, quam pie in illis loqueretur. Si adhuc viverent, teſtari poſſent bonæ memoriæ Inghiramus, & Collicola poſtmodum Cardinalis, tunc Congregationis Secretarii: ſed, eis vita functis, cum adhuc, Deo dante, ſuperſit Reverendiſſimus Nicolaus Tedeſchi Archiepiſcopus Apamenus etiamnum eodem munere Secretarii fungens, teſtari hic poterit, quanta eloquentiæ vi, quanta eruditione, quanto ingenii acumine Clementem XI. ſive de Judicii *ordinatoriis*, ſive de virtutibus, Martyrio, aut miraculis differentem, diſputantem, objectis reſpondentem ſuſpexerimus, cum ab eo vocabamur, ut nobis mentem ſuam aperiret ſuper propoſitis cauſarum dubiis: ita ut non poſſim non vehementer commoveri, cum aliquantum immutatum poſt ejus obitum obſervaverim Sacræ Congregationis inſtitutum. In Beatificationibus quippe ab ejus obitu factis, de quibus alibi habebitur ſermo, poſt approbata miracula, editum eſt decretum miracula ipſa approbata recenſens, & Beatificationem indicans quandocumque faciendam per litteras Apoſtolicas in forma Brevis cum conſuetis indultis; reſecata aliquando intermedia Congregatione poſt miraculorum approbationem facienda, an, ſtante tum virtutum, tum miraculorum approbatione, tuto ad Beatificationem deveniri poſſit. Dictum tamen eſt *aliquando* tantum; quandoquidem poſt obitum ejuſdem Clementis aliquando etiam retenta fuit conſuetudo edendi decretum approbans miracula, cogendi deinde Congregationem generalem, & in ea diſceptandi dubium, An, ſtante miraculorum approbatione, tuto deveniri poſſet ad Beatificationem; uti deſumitur ex decretis editis in cauſa B. Hyacinthæ de Mareſcottis *die* 13. *Maji*, & *die* 14. *Julii* 1726.

24. Unica illa ſub Clemente XI. abſoluta eſt cauſa Beatificationis, videlicet ſervi Dei nunc Sancti Jo: Franciſci Regis, in qua modo viſum eſt quid factum fuerit. Qua-

UAB Biblioteca de Ciències Socials

Quare tantum addendum est, quod, quamvis in sacrorum rituum Congregatione actum non fuisset de locis, in quibus Missa, & Officium celebrari & recitari possent in honorem beatificandi; Pontifex tamen, qui sacrorum rituum erat peritissimus, &, ratione muneris Secretarii Brevium Apostolicorum a se, dum in minoribus erat, magna cum laude exerciti, omnia & singula perfectissime sciebat, quæ ad Apostolica Brevia pertinerent, litteras Apostolicas in forma Brevis composuit super Beatificatione prædicti servi Dei Joannis Francisci Regis, atque dictis litteris tum ritum Officii, tum locos, in quibus Missæ, & Officium celebrari, & recitari possent, feliciter expressit; tum etiam pro sua eximia humanitate easdem ante publicationem perlegit coram Archiepiscopo Apameno supra nominato sacræ Congregationis Secretario, & me tunc Fidei Promotore, ut pro nostrorum munerum facultate libere diceremus, quæ dicenda esse crederemus: cumque omnia ad normam instituti sacrorum rituum Congregationis, & Sedis Apostolicæ æque & adamussim fuissent & a tanto Pontifice in suis Apostolicis litteris indulta, nec Secretarius, nec ego habuimus Sanctitati suæ quidquam referendum. Sane olim ante Beatificationem, ut infra videbitur, in sacrorum rituum Congregatione agebatur de ritu, & de locis, quibus fieri debebat concessio Missæ & Officii in honorem beatificandi: sed, quatenus huic mori non fit adhærendum, id bene suppleri potest aut a summi Pontificis peritia, aut a peritia Secretarii Brevium. Id ipsum quippe ut plurimum pendet ab usu, qui ex lectione aliorum Brevium facile hauriri potest.

CAPUT VIGESIMUMTERTIUM.

De nonnullis ad institutum Congregationis Sacrorum Rituum spectantibus, quæ ante tempora Sanctæ memoriæ Clementis XI. vigebant.

1. NE quid intactum relinquatur, nunc exponenda est consuetudo, quæ vigebat ante tempora sanctæ memoriæ Clementis XI. quæ quidem cum non esset uniformis, sed varia, ex hoc ipso clarius apparebit, consuetudini sub eodem Pontifice introductæ firmius esse adhærendum.

2. Olim itaque proponebantur, terminato judicio super virtutibus & expletis Congregationibus Præparatoriis super miraculis, dubium de iisdem miraculis in Congregatione generali coram summo Pontifice. Consultores de more suffragabantur, deinde exibant ab aula Congregationis, & tunc Cardinales suum præstabant suffragium, postea summus ipse Pontifex de miraculis propositis judicium ferebat. Quod si Papæ judicium erat approbans, iterum vocabantur Consultores, & Cardinalis causæ Relator narrabat, jam præcessisse approbationem virtutum, præcessisse etiam approbationem miraculorum, eorum videlicet, quæ paulo ante de Cardinalium consilio summus Pontifex approbaverat; proponebatque, an esset procedendum ad Beatificationem. Quando vero suum tulerant Consultores super hac re suffragium, & deinde Cardinales hoc ipsum præstiterant, respondendo, quod tuto procedi posset ad Beatificationem, summus Pontifex suum sustinebat judicium, ut Divinam opem, fusis & indictis precibus, imploraret.

3. Universa hæc facti series desumitur ex actis Beatificationis Sancti Francisci Salesii a Cappello collectis, & editis, eademque, compendio facto, exponitur in Intimatione Congregationis coram summo Pontifice Alexandro VII. cogendæ in causa Beatificationis prædicti Sancti Francisci Salesii: *Die Martis 29. Martii 1661. in Congregatione habenda coram Sanctissimo primum Eminentiss. D. Card. Franciottus referet dubium super miraculis concordatum, & Sanctissimus accitis Consultoribus, eorum sententias audiet. Mox iisdem aula Congregationis egredientibus Sanctitas sua, acceptis DD. Cardinalium suffragiis, declarabit, quæ, & quot miracula concludenter probata censuerit. Post hæc D. Card. Franciottus Sanctissimo supplicabit, ut dignetur de more sententias audire super Canonizatione, seu Beatificatione servi Dei. Tunc Sanctitas sua mandabit, ut Consultores rursus accedant; qui audito a Sanctissimo quot miracula Sanctitas sua decreverit admittenda, sententias aperient, an censeant, tuto quandocumque deveniri posse, vel non posse ad solemnem servi Dei Canonizationem, & interim indulgeri, vel non, ut Beatus nuncupetur; & de eo, tamquam de Confessore Pontifice, alicubi, verbi gratia, ubi idem Dei servus natus, aut mortuus est, ubi ejusdem corpus conditur, vel a Monialibus Visitationis, & in ecclesiis earumdem ab eo institutarum, Officium, & Missa recitari, & respective celebrari possint. Addendo, si placuerit, quæ magis cogant in affirmativam, vel negativam, sed brevissimis verbis, idemque per DD. Cardinales præstabitur.*

4. Confirmatur hæc eadem consuetudo ex decreto edito die 25. Septembris 1674. in Congregatione generali habita coram sanctæ memoriæ Clemente X. in causa Beatificationis sancti Francisci Solani: quod quidem decretum est hujusmodi.

LIMANA.

Beatificationis, & Canonizationis Servi Dei Fratris Francisci Solani Ordinis Minorum Observantium S. Francisci.

Mature discussis in Congregatione sacrorum rituum validitate & relevantia processuum in causa servi Dei Francisci Solani Ord. Minor. Observant. S. Francisci confectorum, iisque comprobatis, necnon constito de sanctitate vitæ, ejusque celebri fama, & de heroicis virtutibus Theologalibus, & Moralibus; demum ad relationem Eminentiss. D. Flavii Cardinalis Chisii in Congregatione habita coram SS. D. N. Clemente Divina dispositione Papa X. cognito, Jesse mirabilem Deum ostendisse in servo suo; nempe, comprobatis a Sanctitate sua previis Consultorum acerrimo examine & sententia, necnon unanimi EE. DD. Cardinalium sacris ritibus præpositorum suffragio, aliquibus clarioribus miraculis, quæ Deus intercessione servi Dei supra totius naturæ creatæ vires & ordinem operari dignatus est, nempe nono Didaci de Savedra Chirurgi, cui in crure pertinax ulcus, ac prorsus natura insanabile momento evanuit, necnon decimo Joannis Biasatæ, qui lethali sanguinis fluxu jam proclamatus, illico sanus evasit: Accitis iterum Consultoribus, eorumque sententia pariter audita, Sanctitas sua, eorumdem DD. Cardinalium unanimi consilio, ex jam approbatis satis constare censuit, Dei servum Franciscum Solanum adeo sanctitate vitæ, virtutibus, & miraculis coruscasse, animarumque præterea mirifica conversione, ut tuto ad ejus Canonizationem deveniri posset. Tutius tamen interim indulgeri, ut Beatus nuncupetur, & cum Officio & Missa de Comm. Conf. non Pont. juxta rubricas Missalis, & Breviarii Romani dies ejus felicis exitus in proximam non impeditam transferenda quotannis pie recolatur: nempe a FF. Minor. Observant. ubique degentibus, & in ecclesiis eorum, ac Monialium ejusdem Ordinis etiam a Sacerdotibus confluentibus. In oppido vero Monilii, in quo servus Dei ortum duxit; & in civitate Limana, unde ad cœlos evolavit, & ubi sacrum ejus corpus requiescit; necnon in provincia Thecumana, in quam Catholicæ Fidei nova sevina feliciter invexit, ab utroque Clero. Sanctissimus tamen indultum ejusmodi ad solamen Christifidelium, & Ecclesiæ Catholicæ decus omnino conducibile, a Deo precibus & sacrificiis expetendum statuit. Die 25. Sept. 1674.

5. Alias quoque dubium de tuto progressu ad Beatificationem minime fuit propositum in Congregatione generali coram summo Pontifice, coram quo tantum disputatum fuit de miraculis; tum vero, eorum probatione facta propositum fuit in Congregatione ordinaria, accitis tamen de mandato Papæ etiam Consultoribus, dubium, an tuto procedi posset ad Beatificationem: ipso autem affirmanter resoluto, factaque summo Pontifici resolutionis narratione, idem distulit approbationem, ut prius Divinam opem imploraret; uti colligitur ex Decreto edito in causa S. Rosæ de Lima.

LIMANA

Beatificationis, & Canonizationis Vener. Servæ Dei Rosæ de S. Maria Tertii ordinis S. Dominici.

Sedente sanctæ memoriæ Alexandro Septimo, cum in causa Beatificationis, & Canonizationis Servæ Dei Rosæ de Sancta Maria Tertii Ordinis Sancti Dominici die 3. Maji 1663. Congregatio Sacrorum Rituum declarasset, constare de Sanctitate vitæ, necnon de virtutibus in gradu heroico: Præterea die 23. Martii 1666. Sacra eadem Congregatio censuisset, Septimum ex allatis miraculis probationibus redundare: Subinde vero, die videlicet 4. proxime præteriti mensis Octobris in simili Congregatione habita coram SS. D. N. approbatis aliis quatuor miraculis a Deo operatis intercessione ejusdem Servæ suæ Rosæ: De mandato Sanctitatis Suæ accitis ad Congregationem Ordinariam DD. Consultoribus, in ea Eminentissimus Dominus Cardinalis Azzolinus in eadem causa Relator die 10. Decembris 1667. proposuit dubium, an videretur esse locus Decreto Beatificationis in forma consueta edendo. Cumque Eminentissimi Patres audivissent, Consultorum sententias in affirmativam unanimi suffragio collimare, censuerunt, si Sanctissimo Domino visum fuevit, tuto posse quandocumque procedi ad solemnem Servæ Dei Rosæ Canonizationem: Ac interim indulgeri, ut eadem toto Orbe Beata nuncupetur, & de ea, tamquam Virgine non Martyre, in Civitate, & Diœcesi Limana, necnon in universo utriusque sexus Ordine Sancti Dominici Missa celebrari, & Officium recitari possit die prima non impedita post 24. Augusti, qua Dei Serva Limæ obdormivit in Domino anno 1617. Facta autem de præditis Sanctissimo distincta relatione, Sanctitas Sua se ad Omnipotentem Deum preces assiduas effusuram respondit, ut sibi, quidquid ad ejus gloriam magis conducibile sit, suo digito indicare dignetur. Die 21. Decembris 1667.

6. Olim denique non uno, eodemque modo Summi Pontifices approbantes Sacræ Congregationis sensum super tuto progressu ad Beatificationem eadem via incesserunt. In causa siquidem Sanctæ Rosæ de Lima, in qua die 21. Decembris 1667. Sacra censuit Congregatio, tuto procedi posse ad Beatificationem, & de ea, tamquam Virgine non Martyre, in Civitate, & Diœcesi Limana, necnon in universo utriusque sexus Ordine Sancti Dominici Missam celebrari, & Officium recitari posse die prima non impedita post 24. Augusti, qua Dei Serva mortua est, Summusque Pontifex Clemens IX. respondit, preces esse ad Deum effundendas, ut indicare dignaretur quidquid ad sui gloriam magis conduceret, juxta sensum decreti modo relati; post effusas ad Deum preces, suam ipse Pontifex de Beatificatione facienda manifestavit voluntatem, concedendo die 8. Febr. 1668. ut pro primo anno celebrari posset festum Beatificationis servæ Dei Rosæ cum Octava solemni in omnibus Conventibus, & monasteriis Ord. Præd. utriusque sexus, eademque die per decretum separatum designavit diem 15. Aprilis ejusdem anni pro peragenda solemni Beatificatione in sacrosancta basilica Principis Apostolorum: tum etiam per hanc eamdem viam processit Clemens Papa X. in Beatificatione S. Pii V. cum in decreto edito die 5. Aprilis 1672. diem statuerit pro habenda solemni Beatificatione; atque hoc modo approbaverit decretum a sacrorum rituum Congregatione editum die 8. Martii 1672. in quo dictum fuerat, tuto procedi posse ad Beatificationem, necnon celebrari, & recitari Missam, & Officium in ejus honorem certis in locis in eodem decreto expressis.

7. Per consimilem vero, sed minime eamdem viam, idem ipse Clemens Papa X. progressus fuit in Beatificatione B. Francisci Solani. Postquam enim die 25. Septembris 1674. sacrorum rituum Congregatio censuit, tuto procedi posse ad ejus Beatificationem, Missamque & Officium in determinatis locis celebrari & recitari posse; Pontifex, qui tunc deliberationem distulerat, ut se Divino auxilio commendaret, impletis deinde adimplendis, die 6. Octobris 1674. decretum Congregationis approbavit & expediri mandavit: & die tandem 29. Decembris ejusdem anni per aliud distinctum decretum designavit diem 30. Junii subsequentis anni 1675. pro solemni Beatificatione peragenda in basilica Principis Apostolorum. In cujus modi ac rationis comprobationem asserri insuper possunt ea, quæ contigerunt in Beatificatione Martyrum Gorcomienium, ut in regestis sacræ Congregationis, necnon servi Dei Joannis de Cruce.

8. Temporibus demum venerabilis servi Dei Innocentii Papæ XI. expleta fuit causa Beatificationis servi Dei Thuribii Archiepiscopi Limani. Cumque Pontifex de more Divinam voluerit opem implorare, antequam decerneret de Beatificatione peragenda, post temporis tandem intervallum, quo Deum assidue deprecatus est, acciri fecit tum Secretarium Sacræ Congregationis, tum Fidei Promotorem, iisdemque demandavit, ut sacrorum rituum Congregationi notum facerent, se ad Beatificationem servi Dei Thuribii procedere velle; totius exinde facti serie a Secretario, & Fidei Promotore Eminentissimis Patribus exposita in prima, quæ habita est, Congregatione ordinaria, post gratias Domino Deo redditas, actum fuit de locis, in quibus Missa, & Officium celebrari, & recitari possent in honorem beatificandi. *Sacra igitur Congregatio* (verba sunt decreti die 13. Junii 1679. editi) *coram Summo Pontifice coacta, unanimi Eminentissimorum Patrum, Prælatorum, & Theologorum consensu, causam hujusmodi, etiam ad effectum Canonizationis, omnibus numeris constare censuit; adeoque nihil ad Indultum Beatificationis interim concedendum desiderari posse, sed, ut quamprimum relaxaretur in Domino, expedire judicavit die 20. Decembris 1678. Supererat tamen assensus Summi Pontificis, qui in re tam gravi din potius cunctandum, quam celeri manu procedendum, atque ad Deum recurrendum esse ratus, dietim per menses Divinam Majestatem enixis precibus exoravit, ut sibi, quod magis gloriæ suæ conferre videretur, innueret, donec Divina tandem lux affulsit die 13. Junii Sancto Antonio e Patavio sacra, qua post Sacrum peractum, accersitis Secretario Sacræ Congregationis, necnon Archiepiscopo Myrensi Fidei Promotore, injunxit, ut Sacræ Congregationi referrent, nil Sanctitati Suæ superesse, quin Decreto Beatificationis assensum præberet, & Litteras in forma Brevis subscriberet. Re in Congregatione Ordinaria ad Patres delata die 17. Junii, omnium una vox erupit, Deo gratias referendas, qui Summo Pontifici cor tetigisset ad faciendam justitiam cum Servo suo, & Sanctitatem Suam exorandam, ut ad Dei gloriam, & novæ Peruvianæ Christianitatis solamen supremam manum Litteris Beatificationis apponere properasset; quibus indulgeatur, ut, de more litteris hujusmodi in Basilica Vaticana evulgatis, quotannis de eodem Servo Dei Officium, & Missa de Communi Confessoris Pontificis recitari, & respective celebrari possint in Civitate & Diœcesi Limana, in qua obiit; in Civitate Majoricensi, in qua natus est; & in Universitate Salamantina, in qua humanis, Divinisque Litteris imbutus fuit, die 27. Aprilis, in qua ejusdem Servi Dei Corpus translatum in Metropolitana Ecclesia Limæ repositum est; cum ejus ad Cælos transitus die 23. Martii obvenerit, Quadragesimæ feriis, vel festis Paschalibus impedito.*

9. Hæc sunt, quæ pertinent ad usum, de quo in hoc capite sermo habendus erat: ex quibus cum desumatur primo, quod in una, eademque Congregatione generali proponebatur dubium de miraculis; quod in eadem Congregatione ferebatur a summo Pontifice judicium de iisdem; & quod tandem in ipsa Congregatione tum Cardinales, tum Consultores suum ferebant suffragium super progressu ad Beatificationem: secundo, quod dubium de tuto progressu ad Canonizationem aliquando propositum fuit in Congregatione ordinaria, accitis Consultoribus, resolutionis autem relatio summo Pontifici per Secretarium facta est; & quod demum summi Pontificis voluntas de Beatificatione explenda non uno eodemque modo patefacta est, nec uno eodemque modo de ritu & locis actum fuit, quibus Missa & Officium in honorem beatificandi celebrari poterant & recitari; nemo est, qui non videat, Clementinum institutum aptius esse. Auditis quippe Cardinalium, & Consultorum suffragiis super miraculis, summus Pontifex suum statim non profert super illis judicium, sed illud suspendit; ut interim, nedum privato studio, & aliorum (si velit) extra Congregationem auxilio, sed effusis etiam indictisque precibus, veritatem assequatur. Aptius quoque est Clementinum institutum, ut, post approbata modo prædicto miracula, agatur in Congregatione generali coram summo Pontifice de tuto progressu ad Beatificationem. In hac etenim Congregatione aut uniformia debent esse suffragia, aut saltem duæ ex tribus partibus in affirmans debent conspirare responsum, ut de honestate juxta supradictam resolutio approbationem possit a Summo Pontifice reportare: quando, si de hoc dubio ageretur in Sacrorum Rituum Congregatione Ordinaria, de ejus more pluralitas suffragiorum videretur esse posse sufficiens. Aptius denique est illud institutum, ut, patefacta Summi Pontificis voluntate de tuto ad Beatificationem quandocumque

que faciendam progreſſu, & de Brevis expeditione cum conſuetis Indultis, & clauſulis Litteræ Apoſtolicæ expediantur per Secretarium Brevium, qui unico, ut ita dicam, oculi ictu quid in aliis ſuperioribus Beatificationibus conceſſum ſit, videre poteſt, quod non ita facile in Sacrorum Rituum Congregatione cognoſci poſſet.

CAPUT VIGESIMUMQUARTUM.

De ſolemnitate Beatificationis.

1. ANTE tempora Summi Pontificis Alexandri VII. certum eſt, nullam fieri conſueviſſe Solemnitatem Beatificationis, in Baſilica ſaltem Vaticana; verum, expletis cauſis, prævia diſcuſſione tum virtutum, tum miraculorum, Brevique expedito, & Poſtulatoribus tradito, ſi in Urbe fieret Beatificationis Feſtum, fiebat tantum in Eccleſia ejus Ordinis, quem Dei Servus, ſi Regularis erat, fuerat profeſſus, vel in Eccleſia ejus Nationis, ex qua Dei Servus natus erat, ſi Gens illa propriam habebat in Urbe Eccleſiam. Et plura quidem poſſent afferri rei hujus exempla; ſed ſufficiens eſſe videtur illud, quod deſumitur ex Actis Beatificationis Sancti Andreæ Avellini collectis a Joanne Antonio Caggiano Clerico Regulari, & *Neapoli typis impreſſis anno* 1627. in iiſdem enim Actis legitur, fuiſſe tum in Rota juxta morem tunc temporis vigentem, tum in Sacrorum Rituum Congregatione diſcuſſas virtutes, & diſcuſſa miracula; Sacram autem Congregationem die 31. Auguſti 1624. ſic reſpondiſſe: *Cauſam Servi Dei Andreæ Avellini Clericorum Regularium a tribus Rotæ Auditoribus, ac deinde a Sacrorum Rituum Congregatione de mandato Sanctiſſimi Domini noſtri, referente Illuſtriſſimo Cardinali Pio, diligenter diſcuſſam, cum utrobique de validitate proceſſuum, de Sanctitate vitæ, ac de miraculis tam in vita, quam in morte, ſufficienter conſtare pronuntiatum fuerit, Illuſtriſſimi Patres habendam in tali ſtatu cenſuere, ut ad ipſius Servi Dei ſolemnem Canonizationem quandocumque deveniri poſſit. Interim vero poſſe concedi conſuerunt, ſi Sanctiſſimo videbitur, ut Beatus nuncupari poſſit, & de eodem ab omnibus Clericis Regularibus ubique exiſtentibus Officium, & Miſſa de Comm. Conf. non Pontif. ipſa die ejus obitus juxta Rubricas Miſſalis, & Breviarii Romani tuto recitari, ac celebrari poſſit. Cui Sacræ Congregationis ſententiæ SS. D. N. libenter aſſenſit.* In ipſis pariter Actis a Caggiano collectis formalis Beatificationis ab Urbano Papa VIII. editum Breve refertur: &, cum porro omnes, & quidem magnæ, Solemnitates hujuſce Beatificationis factæ per univerſum fere Orbem enarrentur, ſed in eo, quod attinet ad Urbem, ſolum fiat mentio Solemnitatis expletæ in Eccleſia Sancti Andreæ de Valle Conventus Patrum Theatinorum; ſignum evidens eſt, quod nullum Beatificationis Feſtum tunc temporis fiebat in Baſilica Vaticana. Præterquamquod in archivo dictæ Baſilicæ monumenta adſunt Beatificationum in eadem factarum, quarum prima eſt Sancti Franciſci Saleſii, quæ facta fuit a Summo Pontifice Alexandro VII.

2. Alexandro itaque Papæ VII. incongruum omnino viſum fuit, quod prima Beatificationum Solemnia non fierent in Baſilica Vaticana; & quidem merito. Cum etenim Beatificatio ſit inchoata Canonizatio, hinc fit, quod ſi Canonizatio expletur in Baſilica Vaticana, in eadem etiam Baſilica rationabile admodum eſt, ut fiant Beatificationis Solemnia: & eo magis, quia Solemnitas in dicta Baſilica coram univerſo Populo expleta æternam quodammodo conſervat memoriam tantæ rei, quæ præterito tempore aliquando oblivionis periculum ſubibat; quemadmodum ex Actis Beatificationis, & Canonizationis Sancti Franciſci Saleſii collectis a Dominico Cappello tunc temporis cæremoniarum Magiſtro, *& Romæ editis anno* 1665. colligi poteſt *pag.* 8. *Porro hujuſcemodi ritus, auctore SS. Alexandro VII. ſapientiſſime conſtituti, æquitatem ut aſſequantur omnes, mihi liceat hoc loco ejus rationes paucis edicere; ut, ſicuti ipſi a Majoribus aſſignatas cæremonias non ſine myſtica ſignificatione, legitimoque jure latas retinemus, ita & poſteris non ſine gravi cauſa inductas tranſmittamus.*

Excubans quippe Sanctiſs. noſter in ea potiſſimum, quæ Chriſtiani nominis ſinceram Religionem (cujus ille novit nulla prava eſſe momenta) tuentur ac juvant, eorum, quos tranſactæ vitæ integritas in album Beatorum refert, curam gerit ſingularem. Quamobrem ad illuſtriorem ipſorum cultum, edictum conſcripſit, ne quis in poſterum eo titulo ac veneratione decoretur, niſi in baſilica Vaticana Principis Apoſtolorum, publico conventu, & ſub ſtatis quibuſdam precibus ac cæremoniis. Quæ enim privata quadam ratione, & ut ita fere dicam, intra parietes domeſticos, vel appenſa tantummodo ad fores tabula fiunt promulgationes Beatorum, dum in anguſtiis paucorum hominum, atque locorum delitescunt, nonnihil lucis & gloriæ detrahunt beatificandis. At, quæ in aperto ſolæ Romanæ Curiæ omnium gentium conſpectui proponuntur, adſtantium vocibus & proclamatione, tamquam buccinis undequaque perſonantibus, diſſeminatæ, per omnem terræ ambitum glorioſiſſime pervolant. Quamvis autem, poſt totius cauſæ diſcuſſionem, ejus officii jura per celeberrimam apotheoſim reſarciantur; congruum tamen eſt, ut & in Beatificatione, quæ inchoata Canonizatio eſt, ſua quoque religio, & ſolemnis cæremonia ſervetur.

Ad hanc item legem ſanciendam compulit removendæ ambiguitatis neceſſitas. Nam, cum aliquando evenerit, ut inſcia ſacrorum rituum Congregatione, cui id muneris commendatum eſt, ipſa indulta cultus Beatorum litteris Apoſtolicis obſignata, Promotoribus cauſarum more veteri credita, in longinquas regiones aſportata, & modis minime legitimis expleta fuerint; poſt vero longa temporum intervalla, cum ad Canonizationis poſtremum actum cauſa pergit, prædictarum litterarum exempla neque in Cartophylaciis Pontificum, neque in Sacræ Congregationis antiquis monumentis exarata reperiantur, utpote vel incendio, vel direptione abſumpta; hinc fit, ut de legitima inducti Cultus teſtate, & de Beati nominis conceſſione oriatur non ſpernenda ſuſpicio. Quam ut poſthac præcaveret Sapientiſſimus Pontifex Alexander, conſultiſſimam Legem inviolabiliter deinceps obſervandam de palam, & in Baſilica Vaticana enuntiando Beatorum titulo, & Cultu promulgavit; nempe, ut hoc pacto memoria Actorum, & ipſa Faſtorum ſeries Tabulis publicis, Annalibus Pontificiis, Sacræ Congregationis Commentariis, Vaticanæ Eccleſiæ Tabulariis, præcipue autem adſtantium, & undequaque ad hæc Solemnia confluentium oculis, ac auribus mandata, poſterisque per eos tradita omnem delati nominis, ac venerationis hæſitationem, aut ſcrupulum amputaret.

3. Hæc ex Actis a Dominico Cappello collectis, ex quibus etiam palam fit, Beatificationis in baſilica Vaticana peragendæ ſolemnitatem ſequentibus potiſſimum actibus conſiſtere: hoc eſt primo, in publicatione Indulgentiæ ab omnibus utriuſque ſexus Fidelibus confeſſis & ſacra Communione refectis lucrifaciendæ, qui in baſilica Principis Apoſtolorum aut Miſſæ ſolemni pro Beatificatione canendæ intererunt, aut Beatificationis die eamdem Vaticanam baſilicam viſitabunt; ſecundo, in præſentia tum Cardinalium ſacris ritibus præpoſitorum, necnon Conſultorum ſacrorum rituum Congregationis, tum Cardinalis Archipresbyteri baſilicæ Vaticanæ, & Canonicorum, & Cleri ejuſdem eccleſiæ; tertio, in exhibitione Brevis Apoſtolici, quæ fit a Poſtulatore cauſæ Cardinali Præfecto ſacræ Congregationis, qui Poſtulatorem remittit ad Cardinalem Archipresbyterum Vaticanæ baſilicæ pro facultate illud in baſilica publicandi; quarto, in publica lectione Brevis; quinto, in ſolemni cantu hymni *Te Deum laudamus*, qui ab Epiſcopo Miſſam ſolemnem celebraturo intonatur; ſexto in detectione imaginum ſervi Dei, quæ prius velo coopertæ erant tum ſuper altari, tum ad faciem templi; ſeptimo in omnium aſtantium veneratione; octavo, in recitatione Collectæ, quæ fit ab Epiſcopo Miſſam celebraturo in honorem Beati; nono, in thuris oblatione imagini Beati, quæ ab eodem fit Epiſcopo trino ductu; ultimo, in celebratione ſolemnis Miſſæ, tum vero in acceſſu ſummi Pontificis ad baſilicam Vaticanam ipſa die poſt Veſperas ad imaginem Beati colendam.

4. Conſueverunt Poſtulatores cauſarum curare, ut a Notario Congregationis ſacrorum rituum publicum conficiatur inſtrumentum de ſolemnitate Beatificationis expleta in baſilica Principis Apoſtolorum: & in appendicibus exhibebitur inſtrumentum alicujus ex Beatificationibus in eadem eccleſia peractæ, ex quo uberius univerſus

ritus prædictæ ſolemnitatis colligi poterit. Interea enim operæ pretium eſſe arbitramur hic recenſere Beatificationes prædicto more perfectas.

5. Prima ſolemnis Beatificatio, quæ facta fuit in baſilica Vaticana, fuit ſervi Dei, nunc S. Franciſci Saleſii; & expleta fuit die 8. Januarii 1662. ejuſque Acta una cum Actis Canonizationis ejuſdem S. Franciſci Saleſii fuerunt collecta, & typis Romæ edita a Cappello Cæremoniarum Magiſtro.

6. Secunda ſolemnis Beatificatio fuit ſervi Dei Petri de Arbues, alias Magiſtri Epilæ, Canonici eccleſiæ Metropolitanæ Cæſarauguſtanæ, ac primi Inquiſitoris regni Aragoniæ; eademque fuit expleta die 27. Aprilis 1664. tum nonnulla ad dictam ſolemnitatem pertinentia fuerunt tunc edita in Urbe.

7. Tertia ſolemnis Beatificatio fuit ſervæ Dei, nunc S. Roſæ de Lima Tertii Ordinis S. Dominici. Fuit autem perfecta die 15. Aprilis 1668. & relatio fuit typis edita juxta morem in Urbe; atque hujus quidem Beatificationis publicum extat inſtrumentum ſupra relatum.

8. Quarta ſolemnis Beatificatio fuit ſervi Dei, nunc S. Pii V. Facta autem fuit in baſilica Vaticana die 1. Maji 1672. totaque ſeries ſolemnitatis fuit enarrata in vita memorati S. Pii V. Romæ typis impreſſa an. 1712. occaſione Canonizationis ejuſdem, & compoſita a bon. mem. Equite Alexandro Maffejo.

9. Quinta ſolemnis Beatificatio fuit ſervi Dei, nunc S. Franciſci Solani Ordinis Minorum Obſervantium S. Franciſci. Fuit autem expleta die 30. Junii 1675. in baſilica Vaticana.

10. Sexta ſolemnis Beatificatio fuit novemdecim Martyrum Gorcomienſium; undecim videlicet Ordinum FF. Minorum S. Franciſci, Nicolai Pichi Gorcomienſis Guardiani, Hieronymi Werdani Vicarii, Theodorici Emdeni Amersfortii, Nicaſii Joannis Hezii, Willeadi Dani, Godefridi Mervellani, Antonii Werdani, Antonii Hornarienſis, Franciſci Rodii Bruxellenſis Sacerdotum, necnon Petri Aſcanii, atque Cornelii Wicanii Laicorum; & aliorum octo, nempe Joannis Sacerdotis Ordinis Prædicatorum, Hadriani Beccani, ac Jacobi Lacopii Aldenardenſis Ordinis Præmonſtratenſis, Joannis Oſtervicani Canonici Regularis Ordinis S. Auguſtini, necnon Leonardi Vecchellii Buſchoducenſis, Nicolai Popelii Weldani, Godefridi Dunei Gorcomienſis, & Andreæ Walderii Sacerdotum, & Parochorum Sæcularium. Fuitque hæc ſolemnis Beatificatio expleta die 9. Junii 1672.

11. Septima ſolemnis Beatificatio fuit ſervi Dei, nunc S. Thuribii Archiepiſcopi Limani; quæ facta fuit die 2. Junii 1679. juxta formulam inſtrumenti ſupra relati.

12. Octava ſolemnis Beatificatio fuit ſervi Dei, nunc S. Joannis Franciſci Regis Sacerdotis Profeſſi Societatis Jeſu. Perfecta autem fuit die 24. menſis Maji anno 1716. & ejus Acta ſunt typis excuſa poſt Acta Canonizationis S. Pii V. Andreæ Avellini, Felicis a Cantalicio, & Catharinæ de Bononia, collecta a Juſtiniano Chiapponi Apoſtolicarum cæremoniarum Præfecto, & Romæ edita anno 1720.

13. Nona ſolemnis Beatificatio eſt B. Hyacinthæ de Mareſcottis; decima B. Joannis de Prado; undecima B. Fidelis a Sigmaringa; duodecima B. Vincentii a Paulo; decima tertia B. Petri Forerii; (quorum aliqui jam ſolemniter canonizati ſunt); quæ omnes Beatificationes expletæ fuerunt tempore ſan. mem. Benedicti XIII. Decimaquarta eſt illa ſervæ Dei, nunc S. Catharinæ de Riccis Monialis expreſſe Profeſſæ Ordinis S. Dominici, quæ expleta fuit die 1. Octobris 1732. ſub ſan. mem. Clemente XII. Decimaquinta eſt ſervi Dei nunc S. Joſeph de Leoniſſa Sacerdotis Profeſſi Ordinis Capuccinorum ſub eodem Clemente XII. peracta anno 1737. Decima ſexta demum eſt B. Alexandri Saulii ex Clericis Regularibus S. Pauli Barnabitis nuncupatis, primum Alexiæ, deinde Papiæ Epiſcopi, primo Pontificatus noſtri anno facta, anno videlicet 1741. Decima ſeptima, eſt ſervi Dei, nunc S. Camilli de Lellis fundatoris Clericorum miniſtrantium infirmis. In codice Canonizationum publici juris facto & diligenter condito ab Archiepiſcopo Ancyrano ſæpe a nobis cum laude commemorato, impreſſa quidem ſunt Brevia prædictarum Beatificationum a Benedicto XIII. peractarum; ſed, cum deſit illud Beatificationis B. Petri Forerii, utpote publicatum poſt codicis editionem, a nobis exhibebitur in appendicibus, ubi etiam habebuntur Brevia Beatificationis SS. Catharinæ de Riccis, Joſeph de Leoniſſa, Camilli de Lellis, & B. Alexandri Saulii.

14. Juxta Alexandrinum decretum, ut vidimus, initium ſolemnitatis in Beatificatione deſumendum eſt a baſilica Principis Apoſtolorum; deinde vero aliquando ex ſpeciali gratia conceſſum fuit, ut peractis in illa beatificationis ſolemniis, primum beatificationis feſtum fieret in aliqua determinata eccleſia privative quoad alias; ſicuti colligitur ex decreto edito die 20. Julii 1675. in quo permiſſum fuit, ut, poſt peracta in templo Vaticano D. Petri ſolemnia beatificationis B. Franciſci Solani, prima beatificationis celebritas fieret in eccleſia de Aracæli Urbis; & ex decreto edito die 29. Jan. 1676. in quo pariter fuit facta conſimilis eidem eccleſiæ conceſſio in beatificatione Martyrum Gorcomienſium; & ex alio demum decreto ſub die 6. Aprilis 1675. in quo, poſt expleta in Vaticana baſilica ſolemnia beatificationis Beati nunc S. Joannis a Cruce, poteſtas facta fuit, ut primum beatificationis feſtum privative quoad omnes alias eccleſias fieret in eccleſia SS. Joachim & Annæ PP. Carmelitarum Excalceatorum Hoſpitii Congregationis Hiſpaniarum in eadem Urbe exiſtentis.

15. Præterea in Brevibus Beatificationum, ſervato tamen ſemper ordine ſolemnitatis prius explendæ in baſilica Principis Apoſtolorum, conceditur, ut primo anno inchoando a Dato Brevis, feſtum fiat Beatificationis in eccleſiis talium, & talium locorum cum Officio & Miſſa die ſtatuenda ab Ordinariis, & intra ſex menſes ab iiſdem præmonenda. Quia vero primo anno, a Dato Brevis inchoando, in Indiis exempli gratia difficile eſſet, ſi pro illis provinciis detur facultas celebrandi ſolemnia Beatificationis eadem explere; initium anni conſtitui conſuevit die, quo ad Indias Breve Beatificationis pervenerit. Porro ex gratia aliquando prorogatum fuit tempus anni pro feſto Beatificationis faciendo extra Urbem, poſt expletum ſolemne feſtum in Vaticana baſilica; uti deſumitur ex Brevi ſan. mem. Clementis X. expedito die 28. Martii 1676. in quo exorantibus Poſtulatoribus cauſæ Beatorum Martyrum Gorcomienſium pro anni prorogatione Pontifex benigne annuit: *Nos igitur votis hac in re, quantum in Domino poſſumus, favorabiliter annuere volentes &c. annum celebrationi ſolemnium Beatificationis præfatæ a Nobis præfixum, ut præfertur, ad ſex menſes a fine ejuſdem anni computandos, intra quos eadem ſolemnia, ſervata tamen ceteroqui prædictarum noſtrarum litterarum forma & diſpoſitione, celebrari libere & licite poſſint & valeant, auctoritate præfata, tenore præſentium concedimus, & prorogamus.* Fundamentum enim hujus conceſſionis fuit conſtitutum in expoſito impoſſibili, quod intra annum ſolemnia Beatificationis celebrari poſſent in locis, quibus celebrationis facultas facta fuerat: *Nobis nuper expoſitum fuit, quod ſolemnia quidem prædicta intra earumdem litterarum præſcriptum in baſilica prædicta jam celebrata fuerint; verum fieri vix poſſit, ut intra anni ſpatium ad omnes eccleſias, in quibus eadem ſolemnia pariter celebrandi, ut præfertur, fecimus poteſtatem, præfatarum litterarum noſtrarum notitia perveniat.* Aliquando etiam ex peculiari gratia facta fuit ultra locos in ipſo Beatificationis Brevi deſignatos ampliatio ad alios locos, & eccleſias, ut in illis ſolemnia Beatificationis primo anno poſſent celebrari. Inſtantibus etenim cl. mem. Carolo II. Hiſpaniarum Rege Catholico, & Marianna Regina ejuſdem uxore, necnon Archiepiſcopis, & Epiſcopis Hiſpaniæ, & Indiarum, venerabilis Dei ſervus Innocentius Papa XI. qui in Brevi Beatificationis B. Thuribii indulſerat, ut ſolemnia Beatificationis primo anno fierent in eccleſiis tum ſæcularibus, tum regularibus civitatis, & diœceſis Limanæ, necnon civitatis Majoricæ, atque in collegio Oveten. Univerſitatis Salmanticenſis, facultatem prædictam ad alios plures locos extendit, uti colligitur ex Brevi ab eodem expedito die 27. Septembris 1679. *Nos piis eorumdem Regis, & Reginæ, ac Archiepiſcoporum, & Epiſcoporum precibus Nobis ſuper hoc humiliter porrectis benigne inclinati &c. ut intra annum proximum, & quoad Indias a die, quo præſentes litteræ illuc pervenerint, numerandum, in Cathedralibus, & Metropolitanis eccleſiis Hiſpaniæ, & Indiarum, ac in una eccleſia oppidi Matriti Toletanæ diœceſis per Ordinarium loci deſignanda ſolemnia Beatificationis memorati ſervi Dei Thuribii itidem cum Officio & Miſſa ſub ritu duplici majori, die ab Ordinariis locorum reſpective conſtituta, & intra ſex menſes promulganda pariformiter celebrari valeant, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium concedimus & indulgemus; Romæ vero in eccleſiis S. Jacobi, & S. Mariæ Montis Serrati nationis Hiſpanorum, ac S. Caroli in Via lata, ſeu curſus, nationis Mediolanenſis, eadem ſolemnia intra bimeſtre proximum ſimiliter celebrari permittimus.*

CA-

UAB Biblioteca de Ciències Socials

CAPUT VIGESIMUMQUINTUM.

De transitu a Beatificatione ad Canonizationem.

1. UT a Beatificatione transitus fiat ad Canonizationem, retento semper argumento causarum Confessorum, quæ procedunt per viam non cultus, de quibus tantum loquimur in præsenti, & illarum quidem, quæ introducuntur post decreta Urbani VIII. (erit enim in subsequentibus sermo de causis, quæ procedunt per viam casus excepti a decretis ejusdem Urbani, & de aliis, quæ ante prædicta decreta fuerant introductæ, quæque post eadem decreta resumuntur) opus est, ut pro obtinenda Canonizatione, nova post indultam Beatificationem miracula superveniant, & sacra Congregatione, & a summo Pontifice examinentur, atque approbentur.

2. In decretis Urbani VIII. ita legitur: *Pro habenda certiori veritate virtutum, sanctitatis vitæ, & miraculorum servorum Dei, pro quorum Canonizatione instatur, mandavit Sanctissimus non debere in futurum procedi ad Canonizationem alicujus, qui aliqua veneratione, vel titulo Beati sit decoratus, nisi prius in eadem sacra Congregatione coram Sanctitate sua fuerit iterum per Cardinalem in ordine Ponentem facta plena & distincta relatio non modo eorum, quæ in processibus, & aliis scripturis continentur, & quæ illi per summos Pontifices intuitu ipsius venerationis elargita fuerunt, verum etiam eorum, quæ supervenerunt post concessam eidem venerationem, de quibus constare possit, ad hoc, ut ex prædictis omnibus valeat summus Pontifex deliberare, an sit procedendum ad Canonizationem.*

3. Decretum hoc Urbani VIII. mentionem profecto facit eorum, quæ supervenerunt post concessam Beato venerationem, & consequenter miraculorum, quæ supervenerunt post concessam Beatificationem; sed, quamvis requirat, ut de his constare possit, cum tamen referatur ad relationem, quam fieri debere præscribit a Cardinali causæ Relatore, non videtur sufficienter indicare, ut exactum fieri debeat in sacra Congregatione examen miraculorum, quæ supervenerunt post Beatificationem.

4. Necessitas ergo severi examinis miraculorum, quæ post Beatificationem supervenerunt, desumi debet ex subsecuta observantia, & ex decreto san. mem. Clementis IX. quod est hujusmodi: *Sanctissimus D. N. Clemens IX. ad omnem hæsitationem desuper penitus tollendam, die 10. Septembris 1668. in Congregatione habita coram Sanctitate sua declaravit ac respective decrevit, quod in posterum in causis servorum Dei, qui aliqua veneratione, & titulo Beati a Romanis Pontificibus decorati sunt, Cardinalis in ordine Ponens in Congregatione coram summo Pontifice habenda plenam & distinctam relationem facere tantummodo debeat eorum, quæ cultus concessionem præcesserunt, & quæ intuitu ipsius venerationis quomodolibet elargita fuerunt; ea vero, quæ post indultam venerationem, seu cultum quomodolibet supervenerunt, debeant per juridicas probationes discuti, ac, prævia matura discussione, ad juris trutinam redigi, prout hactenus inconcusse servatum fuit, ut ex iis constare possit, num Sedes Apostolica tuto valeat ad solemnem illius Canonizationem juxta S. R. E. ritum, & canonicas sanctiones devenire.*

5. Dictum est, necessitatem rigidi examinis miraculorum, quæ supervenerunt post Beatificationem, desumi ex observantia subsecuta post decretum Urbani VIII. id autem ratum faciunt verba modo citati decreti, *prout hactenus inconcusse servatum fuit:* atque etiam desumi ex ipso decreto Clementino; quod alia ejus verba præseferunt, *debeant per juridicas probationes discuti, ac, prævia matura discussione, ad juris trutinam redigi.* Porro, cum in utroque decreto tum Urbani, tum Clementis præscribatur, fieri debere tantummodo per Cardinalem in ordine Ponentem plenam & distinctam relationem eorum, quæ cultus concessionem præcesserunt, sicque tum virtutum, tum miraculorum, quorum examen & approbatio præcessit Beatificationem; statutum hoc est ad tollendam consuetudinem, quæ invaluerat, ut in transitu a Beatificatione ad Canonizationem fieret novum examen omnium, quæ jam ante Beatificationem examinata & approbata fuerant, & ideo validitatis processuum, virtutum, & miraculorum. Id vero jure ac merito statutum fuisse dicendum est: quemadmodum enim, postquam tanta maturitate ante Beatificationem perpensa est validitas processuum, atque, ut ex dictis, ter disceptatum est dubium de virtutibus, ter itidem dubium de miraculis, & tandem, an, stante prædictorum approbatione tuto deveniri possit ad Beatificationem; quemadmodum, inquam, iteratum examen rerum jam discussarum, atque approbatarum superfluum videri potest, ita nedum congruens, sed & necessaria esse posse videtur novorum miraculorum accessio post Beatificationem, eorumque acris discussio, ut novorum scilicet miraculorum interventu habeat summus Pontifex nova Divinæ voluntatis signa; cum a cultu tantum permisso & restricto, qualis est, qui in Beatificatione indulgetur, transitus fit ad cultum præceptivum, atque ad universam Ecclesiam extensum, cujusmodi est ille, qui conceditur in Canonizatione; sicuti suo loco explicabitur, & ut animadvertit Matta *de Canonizat. SS. part. 4. cap. 6. num. 9.*

6. Et quidem, quod olim in transitu a Beatificatione ad Canonizationem iterum examinarentur ea omnia, quæ fuerant examinata & approbata ante Beatificationem, colligitur ex bulla Canonizationis S. Hyacinthi §. 4. 5. & 7. ex bulla Canonizationis S. Philippi Nerii §. 8. & *quatuor seqq.* & ex bulla Canonizationis S. Ignatii Loyolæ §. 5. & 7. cum quibus concordant aliæ bullæ, & quamplura decreta, quæ sunt in regestis S. Congregationis rituum super causis SS. Isidori, Francisci Xaverii, Thomæ de Villanova, Ludovici Bertrandi, Paschalis Baylon, in quibus, occasione transitus a Beatificatione ad Canonizationem, præscriptum est, ut iterum examinarentur ea omnia, quæ fuerunt ante Beatificationem examinata & approbata.

7. In Archivo Conventus S. Annæ de Urbe PP. Carmelitarum Discalceatorum nationis Hispanicæ Acta integra extant Beatificationis, & Canonizationis S. Teresiæ in duos tomos distributa, quorum primus pertinens ad Beatificationem subscriptus fuit a Joanne Paulo Mucantio Magistro sacrarum cæremoniarum, & Secretario Congregationis sacrorum rituum.

8. In hoc primo tomo continetur commissio Clementis VIII. sacræ Congregationi inscripta, ut inquirat in virtutes in genere; habetur commissio summi Pontificis Pauli V. ut inquirat in specie; completisque *processibus remissorialibus*, extat decretum sacræ Congregationis demandans Cardinali Lancellotto, ut processus exhibitos videret & examinaret.

9. Causæ Postulatores informationes tum facti, tum juris una cum ditissimo documentorum summario exhibuerunt Cardinali Lancellotto, qui prius retulit punctum validitatis processuum, deinde alterum punctum super virtutibus: transmisso autem ad unumquemque Cardinalem sacræ Congregationis eo documentorum summario, quod fuerat Cardinali Lancellotto exhibitum; ad ejus relationem sacra Congregatio respondit, satis, sufficienter, & abundanter constare de virtutibus, puritate, integritate vitæ, & sanctitate servæ Dei Teresiæ: tum, delegatis Cardinalibus a Monte, & Lancellotto, ut summo Pontifici referrent ea, quæ acta fuerant in hac causa; cum Cardinalis Lancellottus subinde retulisset, summum Pontificem respondisse, se velle, ut omnes similes causæ tractarentur & discuterentur prius in Rota, postea iterum examinarentur in Congregatione sacrorum rituum, & ut reliqua omnia, quæ ad miracula pertinebant in causa servæ Dei Teresiæ, examinarentur in Auditorio Rotæ; sacra Congregatio delegit Franciscum Sacratum, Joannem Baptistam Coccinum, & Alphonsum Manzanedum Rotæ Auditores, ut citra examen articulorum jam discussorum & resolutorum in Congregatione de validitate processuum, & de sanctitate vitæ, viderent & diligenter examinarent processus, atque referrent, quid in eis circa miracula invenirent.

10. Auditores Rotæ mandatis paruerunt; editaque relatione super miraculis, eademque transmissa ad Cardinalem Lancellottum, & alios Cardinales sacræ Congregationis; summus Pontifex Paulus V. jussit, ut etiam suum judicium proferrent super validitate processuum, & super virtutibus: prolato autem favorabili judicio ab iisdem super eodem argumento, & super eo quod tuto procedi posset ad Canonizationem, Cardinalis Lancellottus, ordinem prosequendo ejusdem relationis, quæ (uti dictum est) unicuique Cardinali tradita fuerat, miracula exposuit & luculenter narravit; sicque ad ejus relationem sacra Congregatio censuit, constare de virtutibus & de mira-

miraculis, & posse ad Canonizationem procedi, atque interim concedi posse Officium & Missam pro nonnullis determinatis locis. Tum denique Papa annuit petitis, & litteras Apostolicas in forma Brevis expedivit super limitata concessione Officii & Missæ, in qua Beatificatio consistit.

11. Hæc habentur in primo tomo Actorum; nunc vero transeundo ad secundum, qui componi cœpit a prædicto Paulo Mucantio, sed perfectus & subscriptus fuit a Petro Ciamaricono ejus successore in officio Secretarii, in eo continetur primo, quod, prolato ab Auditoribus Rotæ judicio super validitate processuum & super virtutibus, edita tamen relatione tantummodo super miraculis; summus Pontifex jussit, ut relationem ederent, prout etiam edita fuit, super validitate processuum & super virtutibus: secundo, quod, prævio consilio sacræ Congregationis, Paulus Papa V. annuit petitis pro extensione Officii & Missæ ad alios locos in prima concessione non comprehensos: tertio, quod, supervenientibus novis petitionibus pro Canonizatione, delatoque summo Pontificatu ad Gregorium XV. per obitum Pauli V. & subrogato Cardinali Muto in locum Cardinalis Lancellotti causæ Ponentis interim defuncti, demandatum fuit eidem Cardinali Muto, ut diligenter processus examinaret, ut in una Congregatione ageretur de validitate processuum, in altera de sanctitate vitæ, & in tertia de miraculis: prout sane factum fuit, exhibita unicuique Cardinali informatione juridica super unoquoque ex dictis argumentis, de quo in prædictis Congregationibus tractabatur: quibus quidem favorabiliter resolutis, tandem ad Canonizationem deventum est.

12. Itaque ex huc usque dictis (ni fallimur) ad evidentiam colligitur, olim in transitu a Beatificatione ad Canonizationem examinata iterum fuisse ea omnia, quæ fuerant discussa & approbata ante Beatificationem; id autem in more hodie non esse positum, sed in transitu a Beatificatione ad Canonizationem ea tantum examinari miracula, quæ post Beatificationem supervenerunt. Quamvis autem, quia nedum in decretis sacræ Congregationis rituum pro Beatificatione, sed etiam in ipsis Beatificationum Apostolicis litteris, post approbationem virtutum & miraculorum, aliquando dictum fuit, posse summum Pontificem, quandocumque sibi libuisset, ad solemnem Canonizationem procedere & tuto devenire, eum vero interim indulgere, ut Dei servus coli possit tamquam Beatus; quemadmodum legitur tum in decretis & Brevibus Beatificationum, quæ decretum Clementis IX. præcesserunt, uti sunt litteræ Apostolicæ Beatificationis SS. Petri de Alcantara, Francisci Salesii, Joannis de Deo, Andreæ Avellini, Mariæ Magdalenæ de Pazzis, & B. Josaphat Archiepiscopi Pollocensis; tum etiam in aliis decretis & Brevibus Beatificationum expeditis post tempora Clementis IX. usque ad tempus san. mem. Clementis XI. excepto tamen Brevi Beatificationis S. Pii V. apposita quippe fuit in omnibus clausula supra memorata: quamvis (inquam) aliquando a Postulatoribus in ejusdem clausulæ sequelam supplicatum fuerit, ut ad solemnem Canonizationem procederetur, etiamsi nova post Beatificationem miracula non supervenissent; id tamen obtineri ab eis non potuit, cum responsum fuerit, prædictam clausulam fuisse appositam incitate ad limitatum Cultum Beato eo tutius indulgendum; uti desumitur ex sequentibus verbis Francisci Mariæ Phœbæi Secretarii Congregationis Sacrorum Rituum in Compendio vitæ, & Actorum causæ tunc Beati, nunc Sancti Francisci Salesii: *Ac, quamvis ipsa* (loquitur de causa) *ad præscriptum novissimorum Decretorum inchoata, instructa, & medio rigoroso examine, absoluta fuerit nedum in ordine ad Beatificationem, sed & ad ipsam solemnem Canonizationem, ita ut satis fortasse videretur jam editum decretum ad hoc, ut tuto procedi posset ad actum solemnis Canonizationis; tamen Sanctissimus causam ipsam rursus ad tractatum revocari mandat, & nova miracula examinari; ut ex his, quatenus aliqua censeantur approbanda, sacra Congregatio ducatur ad finalem causæ terminationem cum decreto absoluto, quod tuto procedi possit ad actum Canonizationis. Siquidem prima pars antedicti decreti, qua firmatur, posse tuto procedi ad Canonizationem, de more appositæ fuit, non determinative ad ipsam Canonizationem, sed impulsive ad limitatum cultum Beato eo tutius indulgendum, quo crederetur, adesse requisita etiam ad ipsam universalem venerationem decernendam.* Præterquamquod responderi adhuc potuisset, quod sacra Congregatio, post approbatas virtutes & miracula, dixit, tuto procedi posse ad Canonizationem, quia de jure ad Canonizationem nihil aliud requiritur, quam approbatio virtutum, & miraculorum; quo deinde eadem Congregatio dixit; interim indulgeri posse ut servus Dei colatur tamquam Beatus, dilata Canonizatione ad aliud tempus; hoc est ad illud, quo nova miracula superveniissent, quia juxta morem Sedis Apostolicæ jam introductum Beatificatio præcedit Canonizationem, & juxta eumdem morem non fit transitus a Beatificatione ad Canonizationem, nisi intermedia miracula Deus operari dignetur ad Beati intercessionem: ita ut prima verba sint relativa ad dispositionem juris, secunda vero ad Sedis Apostolicæ institutum.

13. Sed, quia unusquisque facili negotio considerare poterat, quod saltem illis, qui usum non habent harum causarum, prædicta verba decretorum & Brevium aliquam ingerere poterant ambigendi occasionem, fuit id a me tamquam Fidei Promotore renuntiatum san. mem. Clementi XI. qui cum reputasset, non esse juxta hodiernam consuetudinem locum Canonizationi, nisi præcedat Beatificatio, & nisi post Beatificationem nova miracula superveniant, noluit dictis verbis uti in Brevi Beatificationis servi Dei Joannis Francisci Regis: ipse autem existimarem, quod amplius Beatificationum Brevibus ea inseri non deberent, nedum propter tanti Pontificis auctoritatem, & propter rationes superius expensas, sed etiam quia, cum, post approbationem virtutum & miraculorum, in sacrorum rituum Congregatione generali disputetur dubium, an, stante approbatione virtutum & miraculorum, tuto procedi possit ad Beatificationem; sacra autem Congregatio respondeat, tuto procedi posse, nulla facta mentione Canonizationis; non potest consequenter in Brevi Beatificationis nunc asseri, sacrorum rituum Congregationem censuisse, quod tuto procedi posset ad Canonizationem, sed quod interim indulgeri potest, ut servus Dei colatur tamquam Beatus: atque hisce quidem cohærenter clausula ipsa totiès memorata minime fuit apposita aut subsequentibus Brevibus Beatificationum expeditis tempore san. mem. Benedicti XIII. aut Brevi Beatificationis B. Catharinæ de Ricciis expedito a summo Pontifice Clemente XII.

CAPUT VIGESIMUMSEXTUM.

De serie Actorum in transitu a Beatificatione ad Canonizationem.

1. SERIES Actorum in transitu a Beatificatione ad Canonizationem in causis Confessorum procedentibus per viam non cultus, & introductis post decreta Urbani VIII. est hæc, quæ sequitur. Postquam ad postulatores certa pervenit notitia, Deum dignatum esse miracula operari post Beatificationem ad Beati intercessionem, supplices porriguntur preces sacrorum rituum Congregationi ordinariæ pro *signatura commissionis reassumptionis*, & pro expeditione *litterarum remissorialium*, ut super novis prædictis miraculis Apostolica auctoritate construantur processus. Signata commissione, expeditis litteris remissorialibus, constructis subinde processibus, iisdemque ad Urbem delatis, eorum fit traditio, apertio, atque interpretatio, quatenus externo idiomate conscripti sint, iisdem modis & formis, quibus fit traditio, apertio, & interpretatio aliorum processuum conditorum ante Beatificationem. Disputatio deinde de eorum validitate assumitur in sacrorum rituum Congregatione ordinaria; tum vero judicio super validitate completo, miracula, quæ supervenerunt, ter in Congregationibus examinatur; ideft primo in antepræparatoria, secundo in præparatoria, tertio in generali coram summo Pontifice: & quidem, quemadmodum quoad Beatificationem in eadem Congregatione generali disputatur dubium, *an, stante approbatione tum virtutum, tum miraculorum, tuto procedi possit ad Beatificationem*; sic in transitu a Beatificatione ad Canonizationem, approbatis miraculis, quæ supervenerunt post Beatificationem, discutitur in Congregatione generali dubium, *an, stante approbatione miraculorum, tuto deveniri possit ad Canonizationem*. Quinimmo, quemadmodum duorum miraculorum approbatio satis est pro Beatificatione, ita & comprobatio duorum, quæ supervenerint post Beatificationem, sufficit pro Canoni-

nonizatione obtinenda. Nec aliquid a nobis in hoc puncto immutatum est. Licet enim a nobis, juxta alibi dicta, per decretum generale editum die 23. Aprilis 1741. statutum fuerit, in causis procedentibus per viam non cultus quatuor miracula probata testibus de visu esse necessaria, ut Beatificatio obtineatur, quando virtutes, & Martyrium probata sunt testibus de auditu, & probationibus subsidiariis; in transitu tamen harum causarum a Beatificatione ad Canonizationem bina diximus miracula sufficere testibus de visu probata, quæ post Beatificationem supervenerint. Quamvis autem Castellinus *in tract. de dilat. Canoniz. p. 57. & pag. 63.* asserat, juxta consuetudinem Sanctæ Sedis non decerni Canonizationem, nisi inter miracula, quæ approbantur, aliquod reperiatur, quod sit secundi, vel primi generis; ut omnis videlicet excludatur dubitatio, an id, quod pro miraculo admittitur, re vera excesserit vires & potentiam naturæ: quod porro argumentum late prosecutus est bonæ memoriæ Petrus Franciscus de Rubeis olim egregius Fidei Promotor in suis Animadversionibus factis in causa Valentina S. Francisci Borgia super dubio, *an tuto procedi posset ad Beatificationem*: id tamen nullum habet fundamentum sive in ratione, sive in consuetudine Sedis Apostolicæ. Non in ratione, cum miracula quoque tertii generis excedant vires & potentiam naturæ, si non quoad substantiam, saltem quoad modum, sicuti suo loco explicabitur; neque etiam in Sedis Apostolicæ consuetudine, cum ex alibi referendis plene deducatur, pluries Sedem Apostolicam ad Canonizationem processisse, approbatis tantummodo duobus miraculis tertii generis, quæ post Beatificationem supervenerant; ita ut mirum esse non debeat, si citatus Petrus Franciscus de Rubeis, qui Castellinum sequendo, & exercendo munus Fidei Promotoris aliquando asseruerat, aliquod primi, vel secundi generis miraculum requiri pro obtinenda Canonizatione, ingenue postmodum confessus sit, Castellinum id asseruisse absque ullo fundamento; uti refert Matta *de Canoniz. Sanct. par. 4. cap. 7. num. 7.*

2. Item, sicuti juxta antiquiorem usum, loquendo de Beatificatione, in una eademque Congregatione generali, quæ ut plurimum cogebatur coram summo Pontifice, non solum disputabatur de miraculis, sed etiam, facta eorum approbatione, iterum vocabantur Consultores, & post expositam a Cardinali Relatore totam facti seriem, hoc est narrationem tum virtutum, tum miraculorum approbatorum, proponebatur dubium, *an tuto procedi posset ad Beatificationem*; sic etiam in Canonizatione, juxta morem antiquiorem, eodem prorsus modo in una eademque Congregatione generali coram summo Pontifice proponebatur disputatio de miraculis, atque, eorum approbatione secuta, arcessebantur denuo Consultores, tum facta a Cardinali causæ Relatore fideli omnium, quæ præcesserunt, & ceterorum, quæ Beatificationem subsecuta erant, plena & distincta relatione, fiebat alterius dubii propositio, *an tuto* (videlicet) *procedi posset ad Canonizationem*.

3. Desumitur id ex decreto edito in causa Geneven. S. Francisci de Sales die 14. Februarii 1662. ubi, post enarratam approbationem miraculorum, hæc habentur: *Propterea, accitis iterum Consultoribus, & præhabita per E. D. Cardinalem Franciottum ad præscriptum novissimorum decretorum plena & distincta relatione non modo eorum, quæ in processibus & aliis scripturis continetur, & quæ B. Francisco per Sanctitatem suam intuitu venerationis elargita fuerunt, verum etiam eorum, quæ accesserunt post concessam eidem venerationem, annuente Sanctissimo, sacra eadem Congregatio censuit; quandocumque posse tuto deveniri ad solemnem ejusdem B. Francisci Canonizationem juxta ritum S. R. E. & sacrorum Canonum dispositionem.* Id ipsum quoque confirmatur ex his, quæ leguntur in Actis Canonizationis S. Mariæ Magdalenæ de Pazzis collectis a Dominico Cappello, & editis Romæ anno 1669. *Itaque die 10. Septembris 1668. in Congregatione sacrorum rituum habita coram eodem Sanctissimo quinque de allatis miraculis post indultam Beatæ venerationem, præhabita matura discussione, disputata sunt; & Sanctitas sua, accitis iterum Consultoribus, tum ab iis, tum a Cardinalibus requisivit, an tuto procedi posset ad solemnem B. Mariæ Magdalenæ Canonizationem; & omnes concordibus suffragiis in affirmativam sententiam convenerunt.* Nec omitti potest decretum in causa Canonizationis tunc Beati nunc Sancti Cajetani editum die 11. Novemb. 1670. in quo, expositis approbatione miraculorum, & aliis, quæ debebant exponi, sic legitur: *Expletis igitur omnibus, quæ nova exigunt decreta san. mem. Urbani VIII. accitis iterum per Sanctissimum Consultoribus, unanimi voto eadem sacra Congregatio censuit, sic annuente Sanctissimo, quandocumque tuto deveniri posse ad solemnem dicti Beati Canonizationem juxta ritum S. R. E. & sacrorum Canonum dispositionem, eumque definiri regnantem cum Deo, & universali Ecclesiæ colendum & venerandum proponi.*

4. Hoc tantum intercedit discrimen (loquendo semper intra terminos usus antiquioris sacræ Congregationis) quod super dubio, *an tuto procedi posset ad Beatificationem*, minime mihi constat, suffragia tum Consultorum, tum Cardinalium fuisse unquam tradita Secretario, ut reponerentur inter Acta sacræ Congregationis; quod quidem fiebat, quando proponebatur dubium de tuto progressu ad Canonizationem, quemadmodum desumitur ex Actis Canonizationis S. Francisci de Sales editis a Dominico Cappello *pag.* 58. ubi Franciscus Maria Phœbeus Secretarius Congregationis sacrorum rituum in quodam suo compendio totius causæ transmisso ad Cardinales, & Consultores suffragaturos hæc habet: *Ideo, præter sententias probantes asserta miracula, asserenda sunt divisim suffragia pro efformando decreto Canonizationis, nihilque in scriptis porrigenda; ut, juxta mandatum Sanctissimi, inter monumenta sacræ Congregationis sepulta asserventur.* Consimilia leguntur etiam in Actis Canonizationis S. Petri de Alcantara ab eodem Cappello collectis *pag.* 4. atque in Actis modo citatis Canonizationis S. Francisci de Sales impressa quoque videri possunt suffragia Consultorum super dubio in Congregatione generali proposito, *an tuto procedi posset ad Canonizationem.*

5. Rursus, sicut antea dictum est, super dubio Beatificationis, an tuto scilicet ad eam procedi posset, aliquando habitam esse Congregationem absque summi Pontificis præsentia, sed tantum cum interventu tum Cardinalium, tum Consultorum, quorum postea sensus fuit Sanctitati suæ a Secretario relatus; sic occasione Canonizationis contigit aliquando, ut dubium ex Pontificia concessione super tuto progressu ad Canonizationem fuerit propositum in aliqua Congregatione, cui summus Pontifex non interfuit, ei tamen a Secretario facta deinde fideli narratione suffragiorum tum Cardinalium, tum Consultorum. Id autem desumitur ex decreto in causa Valentina Canonizationis tunc Beati, nunc S. Francisci Borgiæ edito die 21. Junii 1670. in quo, postquam dictum est, fuisse in Congregatione generali coram san. mem. Clemente IX. die 10. Septembris 1668. approbata nonnulla miracula, quæ post Beatificationem supervenerant, sic legitur: *Quapropter, proposito dubio per E. D. Cardinalium Chisium dictæ causæ Relatorem, an, stantibus supra narratis, Sanctissimus tuto posset devenire ad solemnem dicti Beati Canonizationem; & re mature discussa, audito prius R. P. D. Promotore Fidei tam in voce quam in scriptis, communi omnium voto censuit, Sanctitatem suam, quandocumque sibi libuerit, tuto posse ad solemnem ejusdem B. Francisci Borgiæ Canonizationem juxta S. R. E. ritum, & sacrorum Canonum dispositionem devenire, eumque definire sanctum cum Deo regnantem, atque universali Ecclesiæ proponere colendum & venerandum: Et, facta per me Secretarium eadem die de supradictis omnibus & singulis relatione Sanctissimo, Sanctitas sua nedum sensum Congregationis confirmavit, & approbavit, verum etiam mandavit, hujusmodi ultimum & finale decretum solemnis Canonizationis prædicti Beati expediri.* Quin immo ante editionem decretorum Urbani VIII. in quibus leges latæ sunt de Congregationibus coram summo Pontifice cogendis, Cardinalis Congregationis sacrorum rituum Præfectus in Consistorio tantum, vel etiam extra Consistorium summo Pontifici exponebat, causam Dei servi fuisse plene in sacra Congregatione discussam, eamque in tali statu esse, ut juxta sacræ Congregationis sensum tuto procedi posset ad Canonizationem; uti percipitur ex Actis Canonizationis S. Caroli Borromæi *cap.* 43. collectis a Marco Aurelio Grattarola, & *Mediolani editis an.* 1614. Et aliquando etiam ipsi Cardinales componentes Congregationem sacrorum rituum, summo Pontifici retulerunt, se causam bene expendisse & se in ea esse sententia, ut ad illius absolutionem procedi posset; teste Francisco Penia *in vita Sancti Raymundi de Pennafort lib. 3. cap. 34. Pontifice itaque annuente die 8. ejusdem mensis Alphonsus Cardinalis Gesualdus, Alexander Medices de Florentia, Augustinus Valerius de Verona, Dominicus Pinellus de Monte, Gallus, Baronius, Antonianus, Ascanius Columna, Farnesius, Antonius Sanctorum Quatuor, & Pe-*

rettus

vestus Cardinales Sanctissimo retulerunt, se denuo causam expendisse, & relationem Auditorum Rotæ diligenter vidisse atque considerasse, tandemque eam approbantes in eam venisse sententiam, ut omnia eis rite parata probataque viderentur, ut propterea posset Sanctitas sua, si vellet, ad ulteriora procedere.

6. Temporibus vero summi Pontificis Clem. XI. duæ semper Congregationes generales coram Sanctitate sua habitæ sunt; in quarum prima disputato dubio de miraculis, quæ supervenerunt, fuit semper ab eodem summo Pontifice dilata resolutio, ut, ante editionem decreti super miraculorum approbatione, Divinam opem imploraret: porro in secunda, postquam, præmissis præmittendis, miracula ab eodem, accitis tum Secretario, tum Fidei Promotore, fuerunt approbata, propositum fuit subsequens dubium], *an tuto ad Canonizationem procedi posset*, sed super eo pariter, acceptis tum Cardinalium, tum Consultorum suffragiis, auditaque Cardinalis Relatoris plena ac distincta relatione de omnibus, quæ præcesserunt Beatificationem & quæ ipsam subsecuta sunt, idem Sanctissimus Pater semper distulit deliberationem, ut tum suis, tum alienis precibus Dominicum imploraret adjutorium; ut deducitur ex quatuor Canonizationum decretis in causis SS. Pii V. Andreæ Avellini, Felicis a Cantalicio, & Catharinæ de Bononia typis impressis inter Acta Canonizationis eorumdem edita a Justiniano Chiapponi Apostolicarum cæremoniarum Præfecto. Et hic utique ordo mihi optimus esse videtur, & retinendus ex rationibus superius adductis, ubi consimilem ordinem a tanto Pontifice servatum fuisse vidimus in Beatificatione. Non est autem amplius in more positum, ut suffragia Cardinalium, & Consultorum super dubio, *an tuto procedi possit ad Canonizationem*, committantur Secretario, ut ea conserventur inter Acta sacræ Congregationis: conservantur etenim tantum suffragia, quæ a Cardinalibus, & Episcopis in Consistorio proferuntur, ut infra exponetur, quæ etiam mos est typis edere, quando eduntur Acta Canonizationis. Sed in eo, quod attinet ad dictum dubium, *an, supposita approbatione miraculorum, quæ supervenerunt, tuto procedi possit ad Canonizationem*, juxta præsentem consuetudinem notantur duntaxat in regestis nomina Cardinalium, & Consultorum, qui Congregationi interfuerunt, & paucis verbis adnotatur sensus uniuscujusque. Quod sane mihi videtur admodum rationabile: harum etenim causarum momentum consistit in discussione virtutum & miraculorum; ideoque, cum vix ulla possit haberi difficultas super progressu ad Canonizationem, posita tum virtutum, tum miraculorum, & eorum signanter, quæ supervenerunt, approbatione; hinc est, quod, sicuti paucis verbis suffragia Cardinalium, & Consultorum super ipso ad Canonizationem pregressu absolvuntur, ita satis esse videtur, ut in regestis adnotetur sensus uniuscujusque, absque eo quod unusquisque suum suffragium in scriptis teneatur tradere Secretario.

7. At, sive in unica, sive in duplici Congregatione generali disputetur dubium de miraculis, quæ supervenerunt, & illud etiam, *an, stante illorum approbatione, tuto procedi possit ad Canonizationem*, cum summi Pontifices consueverint semper differre resolutionem, ut interim perpendant, quæ perpendere debent, &, quod præcipuum est, ut interim ad Dominum Deum preces effundant atque etiam effundi jubeant in eo casu, in quo censeant, procedendum esse ad Canonizationem; oportet tandem ut suam manifestent voluntatem; quæ manifestatio fit per editionem decreti.

8. Non uno tamen eodemque modo decretum hoc editum est, prout etiam fuit in superioribus adnotatum, quando agebatur de Beatificatione. Etenim aliquando summi Pontifices jusserunt, ut expediretur decretum Congregationis editum super miraculis, & super dubio, an tuto procedi posset ad Canonizationem; quod est idem, ac dicere, confirmando decretum Congregationis, jusserunt, ut illud publicaretur: aliquando autem per aliam viam parum dissimilem processerunt. Temporibus sanctæ memoriæ Clementis XI. qui, juxta dicta in superioribus, semper voluit, ut duæ coram se cogerentur Congregationes generales, altera super miraculis, quæ supervenerunt, altera super tuto progressu ad Canonizationem, quique semper distulit deliberationes, nec eas, nisi Divina ope implorata, publicavit, ordo iste servabatur, videlicet fiebat Congregatio super miraculis; tum, si post causæ examen, & effusas ad Deum preces Sanctitas sua erat in ea sententia, ut resolutio Congregationis approbari posset, ideoque approbari possent aliqua miracula, ad se vocari faciebat cum Secretarium sacræ Congregationis, tum me Fidei Promotorem, suamque exponebat voluntatem circa approbationem horum, aut illorum miraculorum: quod quidem Secretarius adnotabat in regestis sacræ Congregationis, sed decretum non edebatur, neque publicabatur. Transitus deinde fiebat ad aliam Congregationem, in qua quærebatur, an, stante approbatione horum, aut illorum miraculorum, tuto procedi posset ad Canonizationem: tum vero, si Congregatio existimabat, tuto procedi posse, & Sanctitas sua post temporum intervalla Congregationis resolutionem approbare volebat, arcessiri iterum faciebat tum Secretarium, tum me Fidei Promotorem, & edebatur atque publicabatur decretum, in quo exponebatur, nedum fuisse a Sanctitate sua approbata miracula, sed etiam dictum, tuto ad Canonizationem procedi posse. Patet sane id ex decretis quatuor causarum Canonizationis, Sanctorum videlicet Pii V. Andreæ Avellini, Felicis a Cantalicio, & Catharinæ de Bononia typis impressis inter Acta collecta a Justiniano Chiapponi: sed id ipsum præterea demonstratur ex sequenti decreto ab eodem Pontifice edito in causa Romana, seu Polona Canonizationis B. Stanislai Kostkæ Novitii Societatis Jesu. *Proposita alias, nempe die 19. Maji 1713. in Congregatione generali sacrorum rituum habita coram SS. D. N. causa Canonizationis B. Stanislai Kostkæ Novitii Societatis Jesu, discussoque dubio, an, & de quibus miraculis constaret in casu, & ad effectum &c. Sanctitas sua, auditis tam Consultorum, quam RR. DD. Cardinalium suffragiis, distulit ea die resolutionem, ut prius de more cælestis luminis auxilium in tam gravi deliberatione imploraret. At postmodum, nempe die 12. Nov. ejusdem anni 1713. ex tredecim adductis ac discussis miraculis tria approbavit, videlicet primum instantaneæ sanationis Annæ Theodoræ de Ligniville atrophia, & impotentia crurum a pluribus annis laborantis, sed tamquam supra numerum, utpote secutum ante indultam eidem B. Stanislao venerationem; necnon alia duo, quæ post indultam venerationem hujusmodi supervenerunt, nempe quintum repentinæ sanationis Andreæ Fausti Unikowski Monachi Ordinis S. Benedicti lethali morbo agrotantis ac duodecimum instantaneæ istidem sanationis Francisci Xaverii Societatis Jesu a paralysi.*

Eadem subinde generali Congregatione coram Sanctitate sua die 17. Julii proxime præteriti iterum habita, factaque a Reverend. D. Cardinali de Abdua juxta præscriptum decretorum plena & distincta relatione omnium in hujusmodi causa gestorum, propositum fuit ab eo dubium, an, stante approbatione trium miraculorum, ut supra facta, tuto procedi posset ad solemnem Canonizationem ejusdem B. Stanislai; Ad quod omnes unanimi voce affirmative responderunt. Verum Sanctitas sua, antequam quidquam decerneret, tam suis, quam aliorum precibus se denuo ad Deum recurrere velle declaravit, ut, dirigente Domino gressus suos, eam, quam ipse monstrasset, viam tuto pede inire posset.

His demum impletis, idem SS. D. N. infrascripta die ipsimet B. Stanislao sacra, R. P. D. Prospero de Lambertinis Fidei Promotore, ac me Protectario Congregationis supradictæ accitis, præsens Canonizationis ejusdem B. Stanislai quandocumque faciendæ decretum expediri & publicari mandavit: non modo ad novum ac insigne decus memoratæ Societatis Jesu de Catholica Religione multis nominibus meritæ, in qua scilicet B. Juvenis consummatus in brevi explevit tempora multa, sed etiam ad speciale & maxime opportunum solatium populorum inclyti regni Poloniæ, ac magni ducatus Lituaniæ, ut, qui jam pridem patrocinio ac tutela supradicti B. Stanislai feliciter potiti sunt, ad illius præsidium in præsentibus suis necessitatibus alacrius ac fervantius implorandum excitentur. Hac die 13. Novembris 1714. Ordo tamen iste mihi non usquequaque satisfacit: haud enim video, cur fiat tantum adnotatio in regestis sacræ Congregationis, quod a summo Pontifice fuerunt hæc, aut illa miracula approbata; vel quare uno, eodemque decreto publicetur approbatio miraculorum una cum tuto progressu ad Canonizationem; quando clarior & magis aptus ordo esse videretur, si duo distincta ederentur decreta, alterum, ubi primum fuerunt a summo Pontifice approbata miracula, alterum, statim ac ipse ratam habuit resolutionem, quod tuto procedi possit ad Canonizationem.

9. Quatenus autem diceretur, quod & antiquioribus, & recentioribus temporibus in uno semper eodemque decreto facta fuit approbatio tum miraculorum, tum ulterioris progressus ad Canonizationem, ita ut minime appareat, cur ab hujusmodi instituto recedendum sit: responsio tamen non deficeret, seu replicatio ad eamdem ani-

UAB Biblioteca de Ciències Socials

animadverſionem. Ideo enim citatis temporibus in uno eodemque decreto prædicta omnia fuerunt complicata, quia in una eademque Congregatione nedum fuit de miraculis diſputatum ſed ad actum de tuto ipſo ad Canonizationem progreſſu: ſi vero tempore ſaltem ſummi Pontificis Clementis XI. introducta fuit conſuetudo, ut in una Congregatione diſputetur de miraculis, porro in altera de tuto progreſſu ad Canonizationem; rationabile admodum eſſe videtur, ut duo edantur decreta, utque hoc pacto unicuique ſeſſioni ſuum reſpondeat. Exemplum utique deſumi poteſt a Beatificatione: quia enim in Beatificatione introducta fuit temporibus ſan. mem. Clem. XI. conſuetudo ut in una Congregatione diſputaretur de miraculis, in altera vero de tuto progreſſu ad Beatificationem, derelictus fuit antiquus modus complicandi in *uno* eodemque Decreto tum miraculorum approbationem, tum progreſſum ad Beatificationem, novuſque modus introductus fuit edendi duo ſeparata Decreta, alterum ſuper miraculis, alterum ſuper formali Beatificatione peragenda; uti colligitur ex Decretis editis in cauſa Sancti Joannis Franciſci Regis ſupra allegatis. Statuto igitur ordine & in Canonizatione, ut duæ fiant Congregationes, altera Generalis ſuper approbatione miraculorum, altera pariter Generalis ſuper tuto progreſſu ad Canonizationem; aptus & congruens uſus eſſe videretur, ut duo ſimiliter ſeparata Decreta ederentur: & recte quidem ſic factum fuit in cauſa ſancti Peregrini Latioſi, uti colligitur ex Decretis editis die 4. Decembris 1724. & die 5. Februarii 1725. in cauſa S. Joannis de Cruce, ut ex decretis editis die 5. Februarii 1725. & die 12. Januarii 1726. & in cauſa S. Margaritæ de Cortona, ſicuti pariter ex decretis editis die 27. Decembris 1727. & die 22. Februarii 1728. tum etiam, poſt dimiſſum a nobis Promotoris Fidei officium, id obſervatum in cauſa S. Julianæ de Falconeriis. Habita quippe Congregatione generali coram ſummo Pontifice Benedicto XIII. ſuper miraculis 23. Auguſti 1729. dilataque reſolutione, ut Divinam interea opem Pontifex ipſe imploraret, die tandem 8. Septembris ejuſdem anni quatuor miracula cenſuit approbanda, editumque fuit decretum: coacta porro iterum Congregatione generali die 4. Octobris ſuper tuto progreſſu ad Canonizationem, ſtante miraculorum approbatione, editum fuit ſeparatum decretum de manifeſtata Sanctitatis ſuæ deliberatione quoad Canonizationem quandocumque faciendam.

CAPUT VIGESIMUMSEPTIMUM.

De ſerie Actorum in cauſis Martyrum, quæ introducuntur poſt decreta Urbani VIII. & quæ procedunt per viam non cultus.

4. SERIES Actorum harum cauſarum æquiparatur ordini ſupra expoſito cauſarum Confeſſorum, quæ procedunt per viam non cultus, & quæ introducuntur poſt decreta Urbani VIII. his tantum exceptis, quæ mox indicabuntur. In cauſis ſiquidem Confeſſorum præcedere debet proceſſus auctoritate ordinaria conſtruendus ſuper fama virtutum & miraculorum, necnon proceſſus ordinarius, vel Apoſtolicus ſuper non cultu: præcedere etiam debet proceſſus Apoſtolicus in genere; deinde vero conſtruitur eadem auctoritate Apoſtolica proceſſus in ſpecie ſuper virtutibus, & miraculis: poſtea, reſoluto prius dubio ſuper virtutibus, ſi favorabiliter reſolvatur etiam dubium duorum ad minimum miraculorum, cogitur Congregatio; in qua ſi fuerit decretum, poſſe tuto procedi ad Beatificationem, ſtante approbatione virtutum & miraculorum, fit demum ſolemnis in baſilica Vaticana Beatificatio. Eadem autem perfecta, ſi ſupervenerit notitia miraculorum, quæ interceſſione Beati Deus operari dignatus fuerit, fit ſuper eis auctoritate Apoſtolica proceſſus; ex quibus duobus ſaltem approbatis, diſputandum proponitur, an, ſtante eorum approbatione, tuto deveniri poſſit ad Canonizationem: & hoc quidem favorabiliter reſoluto, ad ſolemnem proceditur Canonizationem, præmiſſis nonnullis aliis, de quibus infra ſermonem faciemus.

2. In cauſis vero Martyrum, quæ procedunt per viam non cultus, & quæ introducuntur poſt decreta Urbani VIII. poſita opinione, de qua infra, quod in cauſis etiam Martyrum requirantur miracula ſeu ſigna, fit proceſſus auctoritate ordinaria, nequaquam ſuper fama virtutum & miraculorum, ſed ſuper fama Martyrii, cauſa Martyrii, & miraculorum ſeu ſignorum; licet etiam expediat aliqua inſerere de virtutibus, cum facilius pronuntiari poſſit de Martyrio, & cauſa Martyrii, ſi earum notio habeatur. Fieri etiam debet proceſſus ordinarius, vel Apoſtolicus ſuper non cultu. Porro diſputandum eſſet dubium de fama Martyrii, & ſignorum ſeu miraculorum, dependendo a novo proceſſu Apoſtolico conficiendo; ſed, ut alibi videbitur, ſummi Pontifices in cauſis Martyrum procedentibus per viam non cultus ſolvere conſueverunt ab hac Apoſtolica inquiſitione in genere.

3. Poſt hæc in cauſis Martyrum diſputatur dubium, *an conſtet de Martyrio, & cauſa Martyrii*, ſicuti in cauſis Confeſſorum diſputatur illud, *an conſtet de virtutibus*. Præterquamquod de eo, quod attinet ad hanc æquiparationem, nonnulla videntur adnotanda.

4. Primum eſt, quod in cauſis Confeſſorum, reſoluto dubio ſuper virtutibus, decretum publicatur, in quo, prævio ſacræ Congregationis conſilio, ſummus Pontifex pronunciat, conſtare de virtutibus in gradu heroico; & decretum quidem hoc publicatur, etiam antequam tranſitus fiat ad diſcuſſionem miraculorum: in cauſis vero Martyrum nonnulli putant, vel ſuſpendendam eſſe reſolutionem ſuper Martyrio, & cauſa Martyrii uſquequo fuerint examinata & approbata miracula ſeu ſigna, ſub obtentu, quod ſtatim ac reſponſum fuerit, conſtare de Martyrio, & cauſa Martyrii, approbata cenſeatur perſeverantia finalis in Fide & Charitate, ita ut ſuperflua remaneat diſcuſſio dubii de ſignis & miraculis; vel adnotandam in regeſtis ſacræ Congregationis approbationem Martyrii, & cauſæ Martyrii, abſque eo quod ad ejus publicationem procedendum ſit, quæ deinde fieri debeat una cum approbatione miraculorum ſeu ſignorum. Sed, utcunque ſit, utrum ſcilicet reſolutio approbans Martyrium adnotanda ſit tantummodo in regeſtis ſacræ Congregationis, minime publicanda ante approbationem ſignorum & miraculorum; an vero eadem ſit publicanda ante miraculorum diſcuſſionem, ut in cauſis Confeſſorum publicatur reſolutio approbans virtutes (utroque enim modo negotium hoc expleri poteſt, & utroque etiam modo expletum fuit: in cauſa quippe B. Petri de Arbues adnotatum utique fuit in regeſtis decretum, conſtare de Martyrio, & cauſa Martyrii, ſed nequaquam editum fuit, niſi contextim cum decreto approbante miracula & ſigna; in cauſa vero B. Joannis de Prado editum fuit decretum approbans Martyrium, & cauſam Martyrii, tum etiam unum ex ſignis ſeu miraculis, ideoque nondum completo judicio ſuper miraculis & ſignis, quæ ex infra dicendis in numero binario ſaltem ſunt neceſſaria, ut ad Martyris Beatificationem procedatur) cavendum omnino eſſe videtur ab eorum opinione, qui cenſent, ſuſpendendam eſſe reſolutionem ſuper Martyrio, & cauſa Martyrii, uſquequo fuerint approbata ſigna ſeu miracula; primo; quia id cederet in maximum cauſarum detrimentum, in quibus ſubſtantiale dubium de Martyrio, & cauſa Martyrii, quod favorabiliter reſolvi poſſet, & aliquando reſolutum fuiſſet unanimi, vel fere unanimi Suffragatorum conſilio, periculoſo iterum experimento ſubjiceretur, dilata ejus reſolutione ad tempus, quo agitur de approbandis ſignis ſeu miraculis, ob factam videlicet interim mutationem Conſultorum ſacræ Congregationis, ex cauſa vel obitus, vel diſceſſus ab Urbe, vel ſimilium; deinde, quia id adverſaretur uſui ſacræ Congregationis, quæ in cauſa B. Joſaphati Pollocenſis, in cauſa B. Joannis de Prado, & in cauſa S. Joannis Nepomuceni reſpondit, conſtare de Martyrio, & cauſa Martyrii, antequam fieret diſcuſſio miraculorum ſeu ſignorum. Et parum profecto urget, futuram eſſe ſuperfluam diſputationem de ſignis & miraculis poſtquam reſponſum fuit, conſtare de Martyrio, & cauſa Martyrii; tum quia dubium de Martyrio, & cauſa Martyrii in cauſis Martyrum æquivalet dubio de virtutibus in cauſis Confeſſorum; adeo ut, ſicut in his, reſoluto dubio de virtutibus, utiliter inquiritur in miracula, ita id ipſum cenſendum ſit etiam in illis: tum quia, etſi, approbatis Martyrio, & cauſa Martyrii, approbata dici poteſt perſeverantia finalis in Fide & Charitate, ut, approbatis virtutibus in gradu heroico, dici poteſt, ſanctitatem quoque ipſam fuiſſe approbatam; quemadmodum tamen, hoc minime refragante, in cauſis Confeſſorum adhuc diſputa-

putatur dubium de miraculis, non nisi quia Ecclesia nedum sanctitatis certitudinem desumere intendit ex testibus, qui de virtutum exercitio asseveraverint, sed & eamdem sanctitatem comprobari exposcit ex aliis testibus, qui miracula referant a Deo intercessione servorum Dei, de quorum virtutibus actum est, patrata; ita etiam in causis Martyrum, posita opinione de necessitate signorum & miraculorum, disputatur dubium de iisdem, eo quod Ecclesia verum Martyrium, & veram causam Martyrii desumere intendit nedum ex testibus, qui totam seriem Martyrii deposuerunt, verum ex aliis, qui signa & miracula renuntient a Deo patrata ad ostendendam Martyrii & causæ Martyrii veritatem.

5. Alterum notandum est, quod in causis Confessorum, quando disputatur dubium de virtutibus, non est permissum illius resolutionem suspendere, ut interim de miraculis decernatur, atque ut unico contextu utrumque dubium resolvatur. Ex Ordine quippe Romano Cardinalis Cajetani, & ex Romano Cæremoniali supra relatis plene desumitur, resolvendum prius esse dubium de virtutibus, quam transitus fiat ad discussionem miraculorum: deinde vero, quod caput est, cum in causa B. Hyacinthæ de Marescottis, dum fungebamur munere Fidei Promotoris, propositum fuisset dubium, *an suspensa resolutione super virtutibus, transitus fieri posset ad examen miraculorum*, nobis ipsis ratione officii contra petitionem, Postulatoribus autem pro petitione strenue pugnantibus, Congregatio generalis coram sanctæ memoriæ Clemente XI. coacta, negatione respondit, ut ex sequenti decreto edito die 6. Decembris 1712. plene desumitur: *In causa Viterb. Beatificationis, & Canonizationis servæ Dei Sororis Hyacinthæ de Marescottis super dubio, an in casu, de quo agitur, hoc est, nondum resoluto dubio super virtutibus, congruat ad ulteriora procedere in discussione miraculorum; sacra eadem rituum Congregatio censuit, & Sanctissimus approbavit, non congruere, quod procedatur ad ulteriora in discussione miraculorum, suspensa resolutione super dubio virtutum, sed permittendam esse novam causæ propositionem coram Sanctissimo super eodem dubio vitutum.* Atque ita quidem in ipsa causa subinde factum est.

6. Quamvis enim diceretur, quod in dubio virtutum occurrunt aliquando difficultates petitæ vel ex defectu probationum, vel ex actuum qualitate, ita ut pro eo dubio resolvendo opus esse videatur miraculorum assumere discussionem; item, quod, si nonnulli asserunt procedi posse ad Canonizationem alicujus servi Dei, quando ejus intercessione Deus miracula operatur, licet non constet de virtutibus, aut quia testes non adsunt quidquam de eis deponentes, aut quia demum nullus scripsit ejus gesta, ut adnotavit Cardinalis de Lauræa, *in 3. sent. tom. 4. disput. 20. de miraculis artic. 25. §. 4. num. 1119.* poterit potiori jure judicium suspendi de virtutibus, ut interim de miraculis decernatur; denique, quod ita factum fuit in causa Segobien. S. Joannis de Cruce

7. Hæc nihilominus, & similia non visa fuerunt apta ad rem, de qua agebatur, hoc est ad suadendum, quod, suspensa deliberatione super virtutibus, transitus fieri posset ad examen miraculorum. Nam, si probationes sufficientes deficiant, libere respondendum est, non constare de virtutibus. Si in earum maxime occurrant actus ambigui, aut extraordinarii, totius vitæ contextus bene perpensus patefacit, utrum a bono, an a malo fine profluxerint: neque regulæ desunt alibi exponendæ, quæ demonstrant, num actus extraordinarii a Divina inspiratione, & ab instinctu supra naturam emanaverint. Effatum vero Cardinalis de Lauræa æquiparari potest dicto aliorum, qui docent ad Canonizationem procedi posse, si constet de virtutibus, licet non constet de miraculis; ut refert Pater a Panormo olim sacræ Congregationis Consultor *in suo scrutinio doctrinarum c. 3. ar. 14. n. 18.* Quocirca, sicuti dictum hoc in usum non admittitur, ita nec illud. Postremo exemplum causæ S. Joannis de Cruce expositio modo minime procedit: judicatum quippe fuit, constare de virtutibus, antequam transitus fieret ad discussionem miraculorum: sed, quia opus erat, ut ad submovendam quamdam difficultatem nonnulli actus *capitulares* viderentur, mandatum fuit, ne decretum publicaretur, nisi facta discussione eorum, quæ in quibusdam libris continebantur: quemadmodum liquet ex sequenti decreto: *Ad relationem Em. Card. Ginetti in Cong. sacrorum rituum habita coram SS. declaratum fuit, constare de virtutibus in gradu heroico in causa servi Dei Joannis de Cruce, ideoque in ea ad ulteriora procedi posse; die 7. Sept. 1662. Hujusmodi decretum minime publicari, Sanctissimus annuit, nisi, prævio assensu Sanctitatis suæ, postquam exhibiti, discussi, & approbati fuerint libri Actorum capitularium, necnon processus fabricati in tribunali Nuntiaturæ Apostolicæ Hispaniarum. Et insuper Sanctitas sua pariter imperavit Nuntio Hispaniarum, ut ejusmodi libros transcribi & extrahi curet, & alia documenta ad sacram Congregationem transmittat.*

8. In causis vero Martyrum, cum facilius expediantur, quam causæ Confessorum, facile etiam permittitur, ut una cum dubio de Martyrio, & causa Martyrii alterum proponatur de signis seu miraculis; ut colligitur ex rescripto in causa Brasilien. Ignatii Azevedo, & sociorum *die 7. Januarii 1671.* Item in causa B. Joannis de Prado *die 3. Aprilis, & die 29. Maji 1688.* propositum fuit dubium, *an constaret de Martyrio, & de causa Martyrii*: atque editum fuit rescriptum, ut examinarentur signa seu miracula; discussis autem signis & miraculis *die 28. Jan. 1692. & die 3. Octobris 1693.* sacra Congregatio *die 10. Martii 1703.* mandavit, ut causa proponeretur super dubio Martyrii una cum altero super signis & miraculis. Et in causa quoque Beati nunc S. Fidelis de Sigmaringa facta est contextim propositio & resolutio utriusque dubii, de Martyrio videlicet, & de signis seu miraculis; ut habetur ex decreto edito die 15. Februarii 1729. in ejus vita typis edita Romæ eodem anno *pag. 175. & sequen.* Et cohærenter ad hæc, cum post nostram ad summum Pontificatum assumptionem propositio in Congregatione præparatoria sacrorum rituum dubio super virtutibus venerabilis servi Dei Pauli Buralis Cardinalis de Aretio, plerique Consultores, suspensa resolutione super virtutibus, respondissent, nobis esse supplicandum pro facultate agendi de miraculis, ut tutius ferri posset judicium super virtutibus, memores antiquæ praxis sacræ Congregationis, Secretario Congregationis nobis pro facultate instanti respondimus, ut mox videbitur: & jussimus, responsum inter regesta sacræ Congregationis referri: *Relato per me infrascriptum Secretarium consilio plerorumque Consultorum in Congregatione præparatoria super virtutibus venerabilis Servi Dei Pauli Buralis Cardinalis de Aretio nuncupati die 3. currentis Aprilis expetentium, ut ad judicium de virtutibus ejusdem servi Dei certius ferendum, ex indulto Pontificio liceret miracula quoque una cum virtutibus proponi, simul & expendi; SS. D. N. Benedictus Papa XIV. ad mentem Congregationis generalis in simili causa coram fel. recor. Clemente Papa XI. habitæ jam die 6. Decembris 1712. sibi tunc Promotori Fidei optime perspectam; In causis non Martyrum, cum ex veteri Sedis Apostolicæ instituto, ac More Majorum in bullis summorum Pontificum Nobis expresso & commendato, canonizandorum sanctitas, seu virtutes in gradu heroico debeant utroque, hominis videlicet per se, ac Dei per miracula loquentis, testimonio probari, rite atque ordinate procedendo, non prius esse de Divino testimonio quærendum, quam humane satis (quantum est ex hac parte) constiterit probari: ad differentiam doctrinæ, seu mysteriorum Fidei, quæ sicut humano nequeunt ingenio comprehendi, ita Divino potius, quam humano, petunt testimonio confirmari, juxta illud Marc. ult.* Prædicaverunt ubique, Domino cooperante, & sermonem confirmante sequentibus signis. *Itaque non esse in hac, aut alia causa simili ullatenus miscenda seu complicanda virtutum, & miraculorum dubia, sed separatim ac successive proponenda: immo nec transponenda esse, aut differenda, ut suspensa resolutione super virtutibus, ad miracula expendenda procedatur. Atque ita Sanctitas sua in causis non Martyrum servari mandavit; hac die 10. Aprilis 1742.* Per quod decretum rejectus censendus est etiam modus in nonnullis causis Beatificationum aliquando insinuatus, referendi videlicet occasione disputationis dubii super virtutibus servorum Dei Confessorum miracula eorum intercessione a Deo patrata: non quidem ut ad eorum approbationem esset instituendum examen; sed ut iisdem perlectis, suffragaturi, quatenus vellent, possent suum efformare de virtutibus judicium, juxta decretum Congregationis particularis in causa servi Dei Francisci Caraccioli die 18. Septembris 1736. hoc enim est miscere virtutes, & miracula, quod in nostro decreto vetitum est. Nec ullo modo meretur afferri exemplum causæ servi Dei Francisci Caraccioli, cum favorabile super virtutibus servi Dei responsum fuerit a nobis prolatum, prævio consilio Congregationis generalis sacrorum rituum coram nobis habitæ, nulla habita consideratione testium de miraculis testimonium reddentium, sed tantum testium virtutes in gradu heroico referentium. Præterquamquod addere fas sit, quod vel miracula proferuntur, & una cum virtutibus exponuntur cum animadversionibus Fidei Promotoris

UAB Biblioteca de Ciències Socials

ris nedum ſuper virtutibus, ſed etiam ſuper miraculis, vel cum animadverſionibus ejuſdem Fidei Promotoris tantum ſuper virtutibus. Si ſecundum, miraculorum narratio parum aut nihil prodeſſe poterit, cum ex animadverſionibus lumen pro veritate aſſequenda deſumantur. Si primum, en re ipſa complicatum utrumque dubium de virtutibus, & miraculis, tacito dubii nomine ſuper miraculis: quod ſane admitti non poteſt in cauſa de neceſſitate non definienda, & in qua ſi difficultates magnæ occurrunt vel quoad probationem, vel quoad relevantiam, cum agitur de virtutibus, reſpondendum eſt, *non conſtare*: & ſi de ſufficientia probationis, & de virtutum relevantia rationabile dubium non apparet, reſpondendum eſt, *conſtare*.

9. Expleto judicio ſuper Martyrio, & cauſa Martyrii, necnon ſuper ſignis ſeu miraculis, proponitur in Congregatione generali dubium, *an, ſtante prædictorum approbatione, tuto deveniri poſſit ad ſolemnem Beatificationem*. In memorata cauſa B. Joannis de Prado editum fuit die 27. Martii 1712. decretum, in quo ſanctæ memoriæ Clemens XI. cenſuit conſtare de Martyrio, & cauſa Martyrii, & de uno tantum miraculo tertii generis: poſtea, cum quidem Poſtulatores ſatis eſſe putarent pro tuto progreſſu nedum ad Beatificationem, verum etiam ad Canonizationem, approbationem Martyrii, & cauſæ Martyrii, & unius miraculi; me tunc Fidei Promotoris officium exercente, diſputatum fuit in Congregatione generali coram eodem ſan. mem. Clemente XI. ſequens dubium, *an, ſtante decreto per SS. D. N. edito, conſtare videlicet de Martyrio, & cauſa Martyrii, necnon de uno tantum miraculo tertii generis, tuto procedi poſſit ad ulteriora*, hoc eſt ad Beatificationem, ſive ad Canonizationem; ſed a Sanctitate ſua publicatum fuit decretum iſtud: *Sanctiſſimus D. N. auditis ſuffragiis Conſultorum, & DD. Cardinalium ſacræ rituum Congregationis, ſuſpenſa reſolutione articuli in abſtracto, an, quomodo, & quare ad Beatificationem Martyrum requirantur miracula; ſuper quo articulo Sanctitas ſua, inhærendo praxi, quam alias tenuit hæc ſacra Congregatio, dixit, ſed nihil nunc velle declarare, ſolummodo decrevit in caſu, de quo agitur, expectandam eſſe approbationem alterius miraculi ſeu ſigni, ad hoc, ut tutius deveniri poſſit ad Beatificationem ſervi Dei Joannis de Prado; die 29. Novembris* 1712. Et his utique cohærenter, propoſita die 17. Februarii anno 1728. diſcuſſione alterius miraculi ſeu ſigni in Congregatione generali coram ſan. mem. Benedicto XIII. dubioque favorabiliter reſoluto, & Sanctitate ſua ſanationem propoſitam approbante tamquam miraculum tertii generis, expeditum fuit decretum die 5. Martii 1728. ſolemnis Beatificationis ſuo loco, & tempore peragendæ; prout deinde peracta fuit in baſilica Principis Apoſtolorum die 24. Maji ejuſdem anni: ita ut amplius dubitandum non ſit ſeu de neceſſitate interventus duorum miraculorum aut ſignorum in cauſis Martyrum pro Beatificatione obtinenda, ſeu de ſufficientia duorum miraculorum etiam tertii generis, eoque magis, cum ad Beatificationem Petri de Arbues & Martyrum Gorcomienſium, prævia duorum miraculorum approbatione, ventum ſit, ut ex decretis infra referendis conſtabit. Nec amplius quoque dubitandum erit, an in cauſis Martyrum procedentibus per viam non cultus, ſit obtinenda ſolemnis Beatificatio, antequam ad Canonizationem procedatur. Urget quippe non modo memoratum exemplum cauſæ B. Joannis de Prado, ſed urgent etiam exempla antecedentia & ſubſequentia aliarum cauſarum Martyrum, quæ proceſſerant & proceſſerunt per viam non cultus. Enim vero ante cauſam B. Joannis de Prado proceſſum fuit ad Beatificationem in cauſis Martyrum Joſaphati Pollocenſis, & ſupradictorum Petri de Arbues, ac Gorcomienſium, uti colligitur ex Conſtitutione 304. Urbani VII. *Bullarii tom.* 5. & ex Conſtitutione 139. Alexandri VII. *Bullarii tom.* 6. & ex alio Brevi Beatificationis Martyrum Gorcomienſium, quod in Appendicibus impreſſum exhibebitur: tum etiam in cauſa ipſa B. Fidelis de Sigmaringa, quæ proceſſit per viam non cultus, quæque expedita fuit poſt cauſam B. Joannis de Prado, ſolemnis expleta fuit Beatificatio poſt approbationem Martyrii, & cauſæ Martyrii, necnon ſignorum ſeu miraculorum, omiſſa tantum Congregatione generali, in qua de more diſputandum erat dubium, *an, ſtante approbatione Martyrii, & cauſæ Martyrii, nec non ſignorum ſeu miraculorum, tuto procedi poſſit ad Beatificationem*. Quod quidem procul dubio diſputatum fuiſſet, niſi ſan. mem. Benedictus XIII. ab eadem diſputatione Poſtulatores ſolviſſet. At pleræque tamen recenſitæ Martyrum cauſæ complementum ſolemnis Canonizationis expectant, idque profecto obtinere non poterunt, niſi novis ſupervenientibus ſignis ſeu miraculis, necnon facta duorum ad minimum approbatione, uti fit in cauſis Confeſſorum, & uti quoque animadvertit Gravina *tom.* 4. *continuationis ſecundæ partis Catholic. præſcript. pag.* 350.

CAPUT VIGESIMUMOCTAVUM.

De Auctorum opinionibus quoad ſigna, & miracula in cauſis Martyrum.

1. IN capite antecedenti poſitum fuit, miracula ſeu ſigna eſſe in cauſis Martyrum neceſſaria pro obtinenda Beatificatione, & Canonizatione. In præſenti autem exponendæ ſunt Auctorum opiniones ſuper eadem neceſſitate. Porro in ſequenti tractabitur uberius de Eccleſiæ conſuetudine, necnon de uſu Sedis Apoſtolicæ quoad eamdem poſt introductam diſciplinam privativæ diſcuſſionis, & reſolutionis cauſarum Beatificationis, & Canonizationis penes ipſam ſanctam Sedem.

2. Nonnulli itaque conſtanter docent, miracula in Martyrum Canonizationibus non eſſe neceſſaria. Ita enim Auguſtinus Triumphus *de poteſt. Eccleſ. quæſt.* 16. *art.* 3. ubi propoſita quæſtione, *utrum Papa eumdem modum ſervare debeat in Canonizatione Martyrum, & Confeſſorum*, poſtquam inter contraria argumenta ſecundo loco propoſuit illud, quod ſequitur: *Signa Sanctitatis requiruntur in Martyre, ſicut in Confeſſore; ſed miracula ſunt ſigna atteſtationis ſanctitatis; ergo operatio miraculorum requiritur in Canonizatione utriuſque*; ſic eidem reſpondet: *Ad ſecundum eſt dicendum, quod plus eſt inquirere per cauſam, quam per ſigna. Quamvis ergo miracula ſint ſigna atteſtationis ſanctitatis, non tamen ſunt per ſe cauſa, cum poſſit convenire malis miracula facere, ut ſupra dictum eſt: ſed pati pro Chriſto, & pro confeſſione Fidei eſt per ſe cauſa ſanctitatis, unde, iſta exiſtente abſque omni ſigno miraculoſo, debet aliquis pro Martyre canonizari*. Quam quidem ſententiam fuſe amplectuntur Turrianus *in* 2. 2. *tract. de Fide diſp.* 17. *dub.* 2. Rocca *de Canonizat. SS. tom.* 1. *oper. cap.* 35. ubi ſcribit: *Martyrium itaque pro Chriſto Domino, proque Fidei confeſſione, Charitate intercedente, ſuſceptum, (cum ex ſe cauſa ſanctitatis exiſtat) facit, ut aliquis, nulla alia nec miraculorum, nec operum miſericordiæ inquiſitione prævia (quæ tamen pro Confeſſoribus canonizandis eſt neceſſaria) pro Martyre canonizari, & Sanctorum catalogo queat, ac debeat*; Rodulphus *in vita S. Bonaventuræ part.* 2. *art.* 2. Macedo *controv. ſelect. controv.* 4. *cap.* 2. *in principio* §. *Obſervandum tamen*; Verticell. *de Apoſt. Miſſ. tit.* 1. *quæſt.* 33. *num.* 22. Carena *de S. Officio part.* 2. *tit.* 17. §. 12. *num.* 42. Lezana *conſult. moral.* 1. *num.* 16. Molphef. *conſil.* 46. *num.* 61. Gonzal. *in cap.* 1. *ſub num.* 5. *verſ. In Martyribus autem, tit. de Reliq. & veneraz. SS.* Bordon. *controv.* 13. *num.* 34. Cardinalis de Lugo *tom.* 1. *de juſt. & jur. diſputat.* 10. *ſect.* 1. *num.* 4. Paſqualig. ad Lauret. de Franchis *de controverſiis inter Epiſcopos, & Regulares num.* 1238. Silveira *in opuſculis opuſc.* 2. *reſolut.* 21. *quæſt.* 4. *n.* 16. Auctor tractatus de Canonizatione Sanctorum ad Cardinalem Montis Regalis *cap.* 4. ubi hæc habet: *Et certe ex dictis clarum eſt, ſanctos Epiſcopos olim miracula non exegiſſe, ſed tantum pœnam, & cauſam; quas ob cauſas Doctorum communis aſſertio eſt, non eſſe opus in Martyre tanta inquiſitione, quanta eſt opus in Confeſſore, & Eccleſia in Officio Martyrum nullam miraculorum mentionem facit*; & latiſſime Baldel. *Theolog. moral. tom.* 2. *lib.* 3. *diſput.* 14. *per tot.* Joannes Franciſcus Pavinus *in relatione cauſæ S. Bonaventuræ part.* 2. *art.* 2. atque Auditores Rotæ *in relatione Martyrum Japonenſium art.* 3. *& in relatione Martyris Joſaphat Pollocenſis par.* 2. §. *Quam aſſertionem*. Nec omitti poteſt auctoritas eruditiſſimi Chriſtiani Lupi, qui *tom.* 3. *ad Synod. genev. & provinc.* & ſignanter *ad quartum Concilium Romanum ſub S. Leone IX. pag.* 570. *& ſequen.* hæc habet quoad miracula non requirenda in Canonizatione Martyrum: *His enim a Chriſto Domino facta eſt ſingularis promiſſio; ideoque, profeſſam in carcere Fidem, & conſtantem pro ipſa mortem eſſe conſummatam ipſorum gloriam, ſeu juſtitiam,*

scripsit S. Cyprianus, & aliud nihil ad ipsorum requisivit Canonizationem.

3. Alii vero adversam sequuntur sententiam, & idcirco pugnant pro necessitate miraculorum etiam in causis Martyrum. Ita Ostiensis *in summa titul. de Reliq. & venerat. SS. num. 4. De Martyribus autem non fit tanta examinatio, sed quæritur tantum de miraculis, & causa, propter quam passi sunt*: eique consentiunt S. Antonius *in summa part. 2. tit. 12. cap. 8. de Reliquiis* §. 1. Rosella *in v. Canonizatio, versic. Vide quantum*; Auctor candelabri aurei correcti *cap. 17. num. 7.* Albericus *in dictionario, v. Canonizatio, vers. Martyribus vero:* Castellan. *de Canonizat. SS. qu. 5. vers. 6.* Malvet. *de Canoniz. SS. dub. 3. num. 5. post medium, inter tractatus magnos tom. 14. fol. 99. a tergo, versic. Martyribus vero*; Mascard. *de probationibus lib. 1. concl. 261. num 6.* Chassaneus *in catalogo gloriæ mundi part. 3. considerat. 49. versic. In Martyribus enim*; Eminentissimus Cardinalis Petra *in suis laudatissimis comment. ad Constit. Apost. tom. 2. pag. 108. num. 16. & sequentibus, & tom. 3. pag. 130. num. 21. & sequentibus*, Matta *de Canoniz. SS. part. 4. cap. 7. num. 27. & sequentibus*; Pignatell. *consult. 72. num. 9. tom. 4.* Pirhing. *ad tit. Decretal. de Reliq. & venerat. SS. num. 4. ibique* Anaclet. §. 1. *num. 11.* Hurtado *de vero Martyrio tract. 7. resolutione 44.* §. 4. ubi: *Canonizatio, aut vindicatio Martyrum facta a summo Pontifice per diploma & bullæ expeditionem, requirit necessario tamquam formam, quod fiat inquisitio miraculorum ad minus post mortem factorum a Martyre, qui vindicatur; quod adeo certum existimo, quod summus Pontifex, sicut nunquam huc usque vindicavit Martyrem, nisi probatis ex ipso miraculis . . . . ita nunquam vindicabit, nisi probentur de ipso, & ad ipsius invocationem vera miracula*; Matthæuc. *in praxi Theolog. Canon. ad causas Beatificat. & Canonizat. tract. 4. cap. 3. a num. 1. 31.* atque inter Eruditiores id ipsum docere visi sunt Molanus *in natali Sanctorum Belgii ad diem 4. Aprilis*, ubi, facta mentione Hildeberti Abbatis Martyris Gandensis pro Christi Fide interfecti hæc habet: *Nec mirum alicui videatur, hujus Martyris nullam fieri memoriam in Gandavensi Ecclesia, nam & alii fuerunt in Belgio Martyres quorum Martyria non celebrantur; satis enim fuit Majoribus nostris, eos Martyres patrios festis honorare, qui post sua Martyria miraculis claruerunt, quæ nulla fortassis Hildebertus coronatus edidit*; & Joannes Mabillon. *in epistola ad Teophilum Gallum sub nomine Eusebii Romani de cultu SS. ignotorum* §. 17. *& versus* §. 18. ubi: *Verum fac, ista miracula* (loquitur de miraculis, quæ patrantur interceßione sanctorum Martyrum ignotorum) *vera & certa esse: sane hæc præcessisse debuerant, quo Sancti illi pro veris ac certis haberentur, & colerentur; nec subsequentia miracula factum præcedens comprobant.*

4. Inter has invicem oppositas sententias nonnulli porro quasdam medias opiniones secuti sunt. Fortunatus Scacchus *in suo opere MS. de Confessoribus, & Martyribus sect. 10. cap. 2.* ita loquitur: *Advertendum quoque erit, multipliciter posse contingere, aliquem interfici in odium Christianæ & Catholicæ Religionis; servata videlicet forma judicii, vel nulla servata forma judicii: priori modo aliquis Dei servus carceri mancipatur, interrogatur de religione, torquetur, ut neget Christum, quem cum negare abnuerit, capite, vel alio mortis genere condemnatur, & idem inditam pro Christo mortem acceptat: nulla vero servata judicii forma, aliquis Dei servus in odium Religionis Catholicæ interficitur, quando conspiratione aliqua nonnullorum Ethnicorum, Schismaticorum, vel Hæreticorum facta interficitur, ut S. Petro Martyri contigisse legimus; vel etiam conspiratione impiorum, sicuti S. Thomæ Archiepiscopo Cantuariensi, qui ab impiis interfectus legitur, quod jura Ecclesiastica contra Regem Angliæ tueretur, cui gratum se facturos cum nonnulli existimarent, eumdem adorsi interfecerunt; in odium quoque virtutis alicujus Evangelicæ, aliquis Dei servus interficitur ab aliquo Principe, aut Magnate, nulla servata Judicii forma, sed ex ira, & furore per se ipsos, vel suos Ministros: &, quia hi omnes sanguine fuso Christo testimonium reddunt, de utrisque quæritur, an ad illorum Canonizationem miracula requirantur:* &, hac quidem distinctione præmissa, concludit ipse Scacchus, miracula non esse necessaria in Canonizatione Martyrum primi generis, cum certa sit Ecclesia de ultimo actu voluntatis, acceptionis videlicet mortis pro Christo, & mortis utique in odium Christi inflictæ; sed e contrario eadem esse necessaria in Martyribus secundi generis, cum in his de perseverantia finali & ultimo voluntatis actu Ecclesiæ non constet; quæ idcirco miracula cogitur expectare, ut sic interfectum publico cultui exponat, eum inter Beatos, vel Sanctos recensendo.

5. Alii autem per aliam viam incedunt; distinguendo videlicet inter necessitatem, & utilitatem. Ita Castellin. *de certit. glor. SS. cap. 8. punct. 20. per tot.* & latius in alio, quem edidit, tractatu *de inquisitione miraculorum in SS. Martyrum Canonizatione*; quippe *concluf. 4. pag. 47.* hæc habet: *In solemni vero Martyrum Canonizatione simpliciter & absolute non sunt necessaria miracula etiam post mortem operata*; tum *concluf. 5. pag. 50.* ait: *Non debet, nec potest negari, quin miracula in Canonizatione Martyrum vel in actu ipsius Martyrii, seu post Martyrium operata sint vere utilia, ut clarius & tutius cunctis pateat per hujusmodi signa, Martyrem, seu Martyres, de quibus agitur, pro Fide Christi, & in Fide Charitate formata, corporis mortem sustinuisse.* Et *pag. 141.* resumendo materiam docet, si plane & sufficienter constet aliunde de evidentia causæ, ob quam quis vere pro Christo patitur Martyrium; tunc nullo pacto miracula requiri; subdit tamen, non esse omnino superflua, si voluntarie adhibeantur: si vero non plane constet de evidentia causæ Martyrii, concludit, miracula non solum esse valde utilia, sed etiam necessaria. Cum ipso autem Castellino concordant Gravina *in continuat. partis 2. tom. 4. Catholic. præscript. pag. mihi* 350. & Cardinalis de Laurea *in 3. sent. part. 2. tom. 3. disp. 20. art. 8. num. 127.* atque *in suffragio per eum lato in causa Martyrii B. Joannis de Prado*, ubi sic locutus est: *De signis seu miraculis, licet multa in hoc Martyrio adsint, dico, nunquam esse curandum; nisi, cum adest dubium, an pro Fide, vel pro motivo politico aliquis Catholicus interficiatur, ad tollendum dubium miracula requiruntur*: tum etiam ejusdem sententiæ meminit Hurtado *de vero Martyrio resolut. 44.* §. 3.

6. Item, ut prosequamur enarrationem aliarum opinionum, alii sunt qui tradunt, non esse in more habendam sententiam, quæ miracula excludit, nisi quando cum Martyrio aliquod prodigium (aut signum contigerit. Contelor. *de Canoniz. SS. cap. 21. num. 11.* ita sentit. Quare P. Blancus ex Dominicana Familia Secretarius olim Congregationis Indicis, & vere doctus Consultor sacræ Congregationis rituum in suo, quod edidit, suffragio in causa Martyrum Japonensium ita locutus est: *Duo in præsenti causa sunt discutienda; primum, an in causis Martyrum sint necessaria miracula; secundum, an constet de primo, secundo, nono, & decimoquarto Martyrio: Quod attinet ad primum; si proponatur dubium in genere, sententia negans, in causis Martyrum esse necessaria miracula, probabilitate non caret, dummodo tamen sine ipsis Deus aliqua alia speciali via manifestis indiciis servorum suorum Sanctimoniam Ecclesiæ Militanti revelaverit. In causis enim tanti momenti induci non debet Ecclesia ad solemnem Martyrum Canonizationem solo humano testimonio, atque favore pulsata. Et ita facillime conciliatur praxis hujus Sacræ Congregationis cum antiqua Ecclesiæ consuetudine, quæ, licet sine miraculis quandoque declaraverit, quosdam Servos Dei pro Christo interfectos fuisse veros Martyres, nunquam tamen id præstitit absque alio æquivalenti motivo desumpto ex aliquo, quod evenerit sive ante Martyrium, sive ipso actu Martyrii, sive post.* Hos sequitur supra citatus Em. Cardinalis Petra *alleg. tom. 3. pag. 231. num. 28.* ubi ait, sufficere prodigia & signa, si adsint concludentes probationes Martyrii.

7. Placuerunt insuper aliis aliæ opiniones. Quandoquidem nonnulli apud Baldellum *Theol. moral. tom. 2. lib. 3. disp. 14. num. 18.* dixerunt, miracula in illis Martyribus requiri, qui non fuerunt, dum viverent, dignitate aliqua, vel vitæ sanctitate insignes; secus in aliis, qui, dum viverent, aut dignitates, aut vitæ sanctitatem adepti sunt: quibus etiam assentiri videtur Bordon. *de Miraculis medit. 4. sub num. 17.* ubi: *Nihilominus eorum Martyrum vita, qui nullum fecerunt miraculum, diligenter est examinanda; quæ si laudabilis, & irreprehensibilis probata fuerit per antecedens ad minus triennium, videtur probata Sanctitas per Martyrium.* Alii demum distinxerunt inter Beatificationem, & Canonizationem, asserendo, pro Martyrum Beatificatione miracula non requiri, sed eadem esse pro Canonizatione necessaria.

8. Si in hoc capite quæstio esset resolvenda, an requirantur, necne, miracula in causis Martyrum, exponenda esset in eo Ecclesiæ & Sedis Apostolicæ disciplina, sine qua quæstio ipsa absolvi non potest; sed, quia caput illud nimiæ prolixitatis vitium incurreret, quæstionis resolutio una cum consuetudine Ecclesiæ & Sedis Apostolicæ

licæ ad caput ſequens remittitur: & ideo in hoc tantum examinandæ & reſolvendæ proponentur mediæ illæ opiniones, de quibus noviſſime ſermo habitus eſt. Et quantum quidem attinet ad duas ultimo loco relatas, mihi videntur eæ quacumque probabilitate carere. Si enim in cauſis Martyrum de neceſſitate inquiritur in Martyrium, & cauſam Martyrii, nec fortaſſe refert, utrum aliquis fuerit antea ſceleribus inquinatus, teſte Cardinali Bellarmino, aliiſque infra referendis, dummodo tamen mortem pro Chriſto patiatur; nemo eſt qui non videat, minime probabilem eſſe eorum opinionem, qui volunt, miracula requiri in illis, qui ante Martyrium non fuerunt aliqua dignitate præditi, vel ſanctitate illuſtres, ea vero in aliis non requiri, qui prædictas, dum viverent, habuerunt qualitates; ſicut ad rem bene argumentatur Baldell. *loc. cit. Talis diſtinctio eſt plane nova, & voluntaria, neque ullum habet Auctorem claſſicum ſive Theologum, ſive Canoniſtam; & Chriſtus Dominus, ſine ulla diſtinctione, aut acceptatione perſonarum, ſed maxime univerſaliter promiſit Beatitudinem iis omnibus, qui pro ipſius confeſſione mortem ſubiiſſent; & uſus Eccleſiæ in colendis Martyribus ſolum fuit, ut nulla ratio haberetur ſive de dignitate, ſive de Sanctitate, dum viverent, ſed ſolum de morte, & cauſa mortis.* Porro, ſi ex ſupradictis deprehenditur, etiam in cauſis Martyrum procedentibus per viam non cultus primo ad Beatificationem, deinde ad Canonizationem deveniri; nulla ratio ſuadet, miracula eſſe quidem poſſe neceſſaria, ut Martyr per ſummum Pontificem præceptive colendus proponatur univerſali Eccleſiæ; eadem vero minime requiri, quando per eumdem Pontificem Martyr ex permiſſu proponitur colendus, non Eccleſiæ univerſæ, nec univerſo orbi, ſed aliquibus particularibus Eccleſiis, & locis: multoque magis, quia ſi in cauſis Martyrum miracula requiruntur, ut certius conſtet de Martyrio, & cauſa Martyrii, ut infra videbitur; & de Martyrio utique & de cauſa Martyrii nequaquam agitur poſt Beatificationem, ſed antequam Beatificatio indulgeatur. Quare, cum prædicta ſententia fuerit a Poſtulatoribus late propugnata, & ſignanter a bonæ memoriæ Thoma Advocato Montecatinio celeberrimo harum cauſarum Patrono in cauſa B. Joannis de Prado, ſacrorum rituum Congregatio eam, uti ſupra viſum eſt, rejecit, & miracula cenſuit examinanda, antequam Beatitatis honores Sedis Apoſtolicæ judicio Joanni ipſi decernerentur. Quod autem ſpectat ad alias ſupra relatas opiniones, ſive loquamur de ea, quæ diſtinguit inter eos Dei ſervos, qui, ſervata forma judicii, mortui ſunt pro Chriſto, & alios, qui ex eadem cauſa mortui ſunt, nulla tamen judicii forma ſervata; ſive verba fiant de alia, quæ dicit, utilia quidem eſſe, ſed non neceſſaria miracula, maxime vero, quando aliunde conſtat de Martyrio, & cauſa Martyrii; ſive demum ſermo fit de alia, quæ, excluſis miraculis, expoſcit prodigia aut ſigna; urgent adverſus eas difficultates, quæ magni profecto ſunt roboris & momenti, quæque nullam ex dictis ſententiis ſuadent re ipſa eſſe retinendam.

9. In cauſis Confeſſorum miracula requiruntur; & miraculorum neceſſitatem verbis alibi relatis, atque hinc etiam referendis exponit Gregorius IX. in bulla Canonizationis S. Antonii Patavini (*in nov. cod. Canoniz. pag. 65. & in nov. Bullar. Rom. tom. 3. pag. 272.*): *Nos attendentes, quod, licet ad hoc, ut aliquis ſanctus ſit apud Dominum in Eccleſia triumphante, ſola ſufficiat finalis perſeverantia, juxta illud; Eſto fidelis uſque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ; ad hoc tamen, ut ſanctus habeatur apud homines in Eccleſia militante, duo ſunt neceſſaria, virtus morum, & veritas ſignorum; merita videlicet, & miracula, ut hæc, & illa ſibi ad invicem conteſtentur; cum nec merita ſine miraculis, nec miracula ſine meritis plene ſufficiant ad perhibendum inter homines teſtimonium ſanctitati. Sed, dum merita ſana præcedunt, & clara ſuccedunt miracula, certum præbeant indicium ſanctitatis, ut nos ad ipſius veneracionem inducant, quem Deus ex meritis præcedentibus, & ſignis ſubſequentibus exhibet venerandum; quæ duo ex verbis Evangeliſtæ plenius colliguntur: Illi autem profecti prædicaverunt, ubique Domino cooperante, & ſermonem confirmante ſequentibus ſignis &c.*

10. Ante Gregorium IX. Alexander Papa III. de miraculis in cauſa S. Thomæ Cantuarienſis Martyris ita locutus eſt *in epiſtola ad omnes Prælatos Eccleſiæ* (*in nov. cod. Canoniz. pag. 17.*): *Quamvis autem de Sanctitate ipſius dubitare non poſſit, qui ejus & laudabilem converſationem attendit, & glorioſam conſiderat Paſſionem, voluit tamen Redemptor, atque Salvator noſter ejus ſanctitatis inſignia magnificis radiare miraculis, ut, qui pro Chriſto inſuperabilis virtutis conſtantia neceſſitates & pericula pertulit ſui laboris & certaminis, in æterna beatitudine cognoſcatur ab omnibus percepiſſe triumphum. Nos vero, auditis innumeris & magnis miraculis, quæ jugiter per Sancti illius merita fieri univerſitas narrat Fidelium &c. prædictum Archiepiſcopum ſolemniter in Eccleſia, magno ibidem Clericorum, & laicorum collegio præſente, in capite jejunii, deliberato Fratrum noſtrorum conſilio, canonizavimus.* Idem in epiſtola ad Epiſcopum Averſanum (*ibid. pag. 18.*): *Audiſtis ſiquidem & maxima pars orbis, Divina gratia revelante, cognoſcit, qualiter omnipotens Dominus, qui mirabilis & glorioſus eſt in Sanctis ſuis, eum potentia virtutis ſuæ a die, qua per Martyrii palmam cælos, ſicut indubitanter credimus, victor introivit, magnifice in terris glorificavit, & ſub nomine ipſius multa quotidie miraculorum ſigna non ceſſat operari; unde Nos, deliberato conſilio . . . . ipſum canonizavimus.* Si itaque Gregorius IX. quoad Confeſſores diſtinguit Eccleſiam triumphantem, pro qua dicit ſufficere virtutes, ab Eccleſia militante, pro qua expoſcit miracula, ut certa eſſe poſſit etiam de virtutibus; & Alexander Papa III. in Martyribus diſtinguit etiam Eccleſiam triumphantem, pro qua glorioſam ait ſatis eſſe paſſionem, ab Eccleſia militante, pro qua miracula exigit, ut haud dubia eſſe poſſit de glorioſa paſſione; infertur, ſicuti in Confeſſoribus, licet, ſervata quacumque forma judicii conſtet de continuato virtutum heroicarum exercitio uſque ad obitum, & in ipſo etiam obitu, miracula non modo ſunt utilia, ſed & neceſſaria, idem etiam dicendum eſſe de Martyribus, quamvis de eorum glorioſa paſſione, ſicque de Martyrio, & cauſa Martyrii, ſervata quacumque forma judicii, pleniſſime appareat.

11. Uno verbo, eædem rationes, ut infra videbitur, quæ militant pro neceſſitate miraculorum in cauſis Confeſſorum, militant ſimiliter pro neceſſitate miraculorum in cauſis Martyrum: in quo rerum ſtatu nulla eſt dictarum ſententiarum, de cujus probabilitate non videatur eſſe dubitandum: & ideo ad rem ſubdit Hurtado *de vero Martyrio reſol. 44. §. 3. Ceterum ſententia iſta media medium rationis non attingit; nam, ſecluſa revelatione, plene & ſufficienter conſtare nequit de evidentia cauſæ Martyrii, quod ſit ex Charitate, & pro Fide Chriſti, niſi adſit miraculorum probatio ſaltem poſt mortem*; & paulo poſt: *Tandem, quia cauſa Martyrii tam certo debet conſtare, ut Martyr vindicetur publico Eccleſiæ teſtimonio, ac conſtat ſanctitas vitæ alicujus S. Confeſſoris; uterque enim proponitur publice colendus a Fidelibus, & in utroque eſt par errandi periculum: atqui, niſi ſanctitas vitæ probetur miraculis in vita, & poſt vitam, non eſt ſufficienter probata . . . ergo etiam hodie, niſi cauſa Martyrii miraculis ſaltem poſt mortem probetur, non erit ſufficienter probata, ut Martyr hodie juridice vindicetur a Papa. Quare ſicut Eccleſia, ad excludendam omnem fraudem & deceptionem, non conſuevit canonizare Confeſſores ſine operatione miraculorum probantium, ſanctitatem ipſorum non apparentem, ſed veram eſſe, & hanc conſuetudinem in praxi retinuit: ſic, ad excludendam ſimilem fraudem, quæ poteſt contingere in probanda cauſa Martyrii, adhibet in practica hodierna operationem miraculorum ſaltem poſt mortem Martyris.*

12. De alia poſtea opinione, quæ, ſi non miracula, ſaltem prodigia aut ſigna expoſcit, hæc habentur apud Baldellum *loc. cit. num. 17. Contra enim eſt, quia Conſelorus difficile poterit hæc admiranda, & prodigioſa diſtinguere a veris miraculis.* Quod quidem ut dilucidius percipiatur, poſito ex alibi dicendis, miraculum eſſe illud, quod vel quoad ſubſtantiam facti, vel quoad ſubjectum, in quo fit, vel quoad modum faciendi ſuperat vires naturæ; non incongruenter quis dicere poſſet, ſignum eſſe illud, quod ex concurſu plurium circumſtantiarum admirationem ſuſcitat, quamvis earum nulla ſive conjunctim, ſive ſeorſum accepta naturæ vires excedat.

13. Celeberrimus eſt in Eccleſiaſtica hiſtoria eventus ſæculi II. cum in Marci Aurelii bello adverſus barbaros Chriſtianorum legio, quæ Fulminatrix nuncupata eſt, ſuis precibus e cælo pluvias & fulmina deduxit, quibus porro pluviis extincta fuit periculoſa exercitus ſitis, fulminibus vero attrita eſt acies barbarorum; teſte eodem Marco Aurelio *in ſua epiſtola ad Senatum edita ad calcem 1. apolog. S. Juſtini num. 71.* quod in plurimam Religionis noſtræ auctoritatem ab Euſebio convertitur, itemque a Gregorio Nyſſeno, & multo magis a Tertulliano *in apologetico, & in libro ad Scapulam*. Scatent quoque conſimilibus eventibus Sanctorum vitæ. Non e-

nim ita facile procul a naturæ viribus abduci poterit, quod ibi non raro legentibus occurrit, sive quod calamus atramentum scribendæ capitali sententiæ non effuderit, sive quod sella judicis confracta fuerit, sive quod in eorum exilii articulo ingens grando ceciderit, sive quod mortem illorum cometa proxime præcesserit, sive quod morti eorum succesſerit terræmotus: quam in rem bene subdit Silvester Petrasancta *in thaumasia veræ Religionis tom. 1. in Prolegomenis §. 19. pag. 11. Alii miracula libuit quadrisariam partiri, ut nimirum quartam classem eorum constituant effecta quædam, in quibus neque res ipsa, neque modus vim, & potestatem naturæ, aut Averni superant, sed ex adjunctis, aut ex circumstantiis, quas vocant, liquet ea Numini duntaxat adscribi debere; descendunt videlicet flammæ de Cælo ad imperium Eliæ, potuissent eas immittere mali Genii, sed minime tamen in ea occasione, qua probari debuit, & reddi comperta Dei Majestas, & vera ejus Divinitas, quia incumbit Divinæ Providentiæ, dum res tam gravis, & tam pertinens agitur, probibere, ne populo utique illudatur.*

14. Verum, his & similibus minime obstantibus, veriſſimam esse puto assertionem Baldelli, hoc est difficile admodum esse, in re, de qua nunc agitur, differentiam reperire inter miraculum, & signum. Idque ut funditus probetur, primo ponendum est, non posse ex concursu plurium circumstantiarum, quarum nulla sive conjunctim, sive seorsum excedat vires naturæ, inferri aliquod signum rei alicujus supra naturam. Unde Abulensis *in commentar. super illud Isaiæ, c. 7. Ecce Virgo concipiet*, ait: *pag. 5. col. 3. Nam ea, quæ naturaliter fiunt, non sunt signa eorum, quæ supernaturaliter accidunt; cum non habeant aliquam cohærentiam cum illis .... Nam, si aliquid naturale esset signum eorum, quæ supernaturaliter accidunt .... cum omnia æqualiter a Deo proveniant, fieret, ut omnia naturaliter facta aliquorum supernaturalium signa forent, quod inconveniens est. Naturalia ergo supernaturalium operationum .... signa non sunt.* Ponendum est quoque, gratiam, & sanctitatem esse entia supra naturam, & sic a nulla creatura cognoscibiles per effectus mere naturales, sed tantum per effectus, qui naturæ vires aliquo modo excedant, hoc est per miracula; juxta D. Thom. 2. 2. *qu.* 178. *art.* 1. ubi probat, debere dari in Ecclesia gratiam miraculorum, ut homo sensibilis modo sibi convenienti deveniat ad cognitionem credendorum, quæ naturalem captum superant: *Necesse est quod sermo prolatus confirmetur ad hoc quod credibilis fiat. Hoc autem fit per operationem miraculorum secundum illud Marc. ult.* Et sermonem confirmante sequentibus signis: *& hoc rationabiliter. Naturale enim est homini ut veritatem intelligibilem per sensibiles effectus comprehendat. Unde sicut ductu naturalis rationis homo pervenire potest ad aliquam Dei notitiam per effectus naturales, ita per aliquos supernaturales effectus, qui miracula dicuntur, in aliquam supernaturalem cognitionem credendorum homo inducitur.* Quapropter, si ad rem præsentem signum debet esse supra naturam, si debet aliquo modo excedere vires naturæ, necessario erit referendum ad miraculum tertii generis; hoc est ad illud, quod saltem quoad modum superat habilitatem naturæ. Cum vero ex supradictis in Beatificationibus, & Canonizationibus sufficiant miracula tertii generis, ex his infertur, nedum difficile, sed & impossibile esse in re, atque ad finem de quo agitur differentiam reperire inter miraculum, & signum: & plane quidem eventus supra recensiti ad classem miraculorum tertii generis referuntur, teste Divo Thoma *part. 1. quæst. 105. art. 8. Tertio modo excedit aliquid facultatem naturæ quantum ad modum & ordinem faciendi; sicut, cum aliquis subito per Divinam virtutem a febri curatur absque curatione, & consueto processu naturæ in talibus, & cum statim aer Divina virtute in pluvias densatur absque naturalibus causis, sicut factum est ad preces Samuelis, & Eliæ: & hujusmodi tenent infimum locum in miraculis.* Illi etiam, qui *practice* scripserunt de materia Beatificationis, & Canonizationis, quique fuerunt Consultores Congregationis sacrorum Rituum, dixerunt, vel nullam statuendam esse differentiam inter miracula & signa, uti late habetur apud Patrem Philippum Mariam a S. Paulo Carmelitam Discalceatum *in suo Theologico Examine de quodam miraculo tunc Beati, nunc Sancti Joannis a Cruce pag. 71. & pluribus sequentibus*; vel omnino inter se convenire miracula, & signa ex parte causæ, cum utraque a Deo proveniant, & sint supra vires naturæ, solamque differentiam esse quoad effectum, cum miraculum sit ordinatum ad bonum præsens Personæ vel Communitatis, signa vero sint indicia futurorum malorum, vel, si bonorum, non tamen præsentium, ut apud Cardinalem de Lauræa *in 3. lib. sent. t. 4. disput. 20. de miraculis art. 3. num. 44.* Matthæucc. *in Pract. Theol. Canonica ad causas Beatificationum, & Canonizationum tit. 3. cap. 1. §. 3.* & ipsum etiam D. Thomam qui ad ea verba *Epistolæ* Divi Pauli *ad Hebræos, cap. 2. contestante Deo signis, & portentis.*, inquit: *lect. 1. Signis, quoad minora miracula, ut sanatio claudi, vel febris .... Portentis, quantum ad majora, sicut suscitatio mortui: Et 2. 2. quæst. 178. art. 1. ad tertium* (subdit) *dicendum, quod in miraculis duo possunt attendi. Unum quidem est id, quod fit, quod quidem est aliquid excedens facultatem naturæ; & secundum hoc miracula dicuntur virtutes: aliud est id, propter quod miracula fiunt, scilicet ad manifestandum aliquid supernaturale; & secundum hoc communiter dicuntur signa. Propter excellentiam autem dicuntur portenta, vel prodigia, quasi procul aliquid ostendentia.* Quam quidem Divi Thomæ doctrinam Auctores de Canonizatione tractantes amplectuntur, atque exornant, Rocca *de Canonizatione Sanctorum cap. 22.* Castellin., *de Inquisitione miraculorum in Martyrum Canonizatione pag. 136.* Quippe eadem doctrina maxime favet assumpto, cum plane ostendat, unam eamdemque rem juxta diversos respectus modo dici miraculum, modo signum; & signum saltem quoad modum debere excedere vires naturæ, atque adeo in re de qua nunc agimus, confundi cum miraculo tertii generis.

15. At dices, cur in sacrorum Rituum Congregatione, quando proponuntur causæ Martyrum, proponitur dubium, *an constet de miraculis, seu signis*; quando autem proponitur causa alicujus Confessoris, proponitur dubium, *an constet de miraculis?* Ex hoc namque colligi posse videtur, intercedere juxta sensum Sacræ Congregationis differentiam inter signum, & miraculum. Pro hac difficultate submovenda satis esset respondere, mentem Sacræ Congregationis non esse desumendam ex dubiis, quæ in ea proponuntur, sed ex ejus Decretis, & resolutionibus a Summo Pontifice confirmatis; veruntamen, ut Lectores scire possint, cur in causis Martyrum proponatur dubium complexivum tum miraculorum, tum signorum, in causis autem Confessorum dubium proponatur comprehendens tantum miracula, reminisci debebunt, olim causas Canonizationis discuti consueviſſe a Rotæ Auditoribus, antequam earum fieret propositio in Sacrorum Rituum Congregatione; & judicium quidem Rotæ Auditorum robore caruisse seclusum ab approbatione per dictam Sacram Congregationem facienda, ut alibi dictum est: ideoque, cum Rotæ Auditores in suis Relationibus infra allegandis secuti fuerint sententiam, quæ in causis Martyrum excludit necessitatem miraculorum, & crediderint, sufficere signa quædam insolita, & mirabilia, quamvis severe miracula dici non possent; hinc factum est, ut delato ad Sacram Congregationem examine Relationis Rotalis, proponi cœperit dubium complexivum tum miraculorum, tum signorum. Sed, quia reponi posset, debuisse dubium mutari, postquam Auditores Rotæ cessarunt a Relationibus, & postquam Sacra Congregatio, ut infra, adhæsit opinioni vera miracula requirenti etiam in Martyrum Canonizationibus, concludendo porro, quod si facta non fuit immutatio, locus esse debeat illationi, quod ipsa Sacra Congregatio differentiam agnoscat inter miracula, & signa; necesse est idcirco, ut alia pro absoluta instituti cognitione subdantur. Et prætermisso quidem, novum non esse, quod modus agendi propter aliquas circumstantias introductus, mutatis etiam circumstantiis, perseveret; momentum consistit in hoc, quod, etsi Sacra Congregatio in omnibus & singulis causis Martyrum vera miracula exquisiverit tum pro Beatificatione, tum pro Canonizatione, ab ea nihilominus numquam hucusque editum est generale Decretum, quo cautum sit, miracula ipsa esse necessaria in causis Martyrum, nec ullum super argumento miraculorum statuendum esse discrimen inter causas Martyrum, & Confessorum: sine autem hujus Decreti editione nulla esse poterat, aut potest esse necessitas memoratam faciendi immutationem, eoque magis, quia ex supradictis ipsa miracula etiam dicuntur signa, atque hoc pariter modo fuerunt in Evangelio appellata. De conversione siquidem aquæ in vinum dicitur, *Hoc fuit initium signorum Jesu*; de multiplicatione quinque panum, & duorum piscium: *Illi homines cum vidissent, quod Jesus fecerat signum*; de cæco nato illuminato: *Quomodo potest homo peccator hæc signa facere?* de resuscitatione Lazari: *Audierunt, eum feciſſe hoc signum*; & infra, *cum signa feciſſet coram eis.* Hoc eodem vocabulo miracula exprimuntur in Bullis Canonizationum Sanctorum Homoboni, Laurentii Episco-

pi

pi Dublinensis, Antonii Patavini, Stanislai Martyris, Francisci, & Richardi, ac Sanctarum Clarae, & Hedwigis Ducis Poloniae, & passim in aliis, minime attenta particula *seu*, de qua in dubio, *An constet de miraculis, seu signis*: quandoquidem ea particula aliquando *disjunctivam*, aliquando *copulativam*, & aliquando *declarativam*, & *expositivam* importat orationem, juxta late allegata apud Barbosam *de diction. usu frequent. dict.* 110.

CAPUT VIGESIMUMNONUM.

De Ecclesiastica disciplina quoad miraculorum necessitatem in Martyrum causis.

1. Si antiquiora Ecclesiae monumenta percurramus, atque etiam si ad nonnulla non adeo antiqua manum admoveamus, difficile profecto non erit reperire, actum fuisse in causis Martyrum non solum de Martyrio, & causa Martyrii, & sic de pretiosa eorum morte, sed etiam de virtutibus, quibus, dum vixerant, floruerunt: absque eo quod hinc inferatur necessitas in virtutes ipsas inquirendi in omnibus & singulis Martyrum causis, ita ut pro Martyre declarando minime sufficiat mors pro Christo constanter recepta; sed praeterea necesse sit, ut ante passionem Martyr in virtutibus Theologicis se consuetudine exercuerit.

2. Inter antiquiora Ecclesiae monumenta recensenda est epistola encyclica Ecclesiae Smyrnaensis apud Eusebium *lib. 4. cap.* 15. in qua universis Fidelibus Martyrium S. Polycarpi denuntiatum est. In ea quippe non solum expositum fuit, quod orationis praesidio, & insigni mansuetudinis argumento se praeparavit, antequam ad amphitheatrum duceretur, sed praeterea cetera narrantur, quae antecedentem ejus sanctitatem praeferebant. En verba Epistolae (*ibid. pag.* 169.) *Semper enim etiam ante cantiem ob sanctioris vitae honestatem ab omnibus cultus fuerat.* Item inter non adeo antiqua Ecclesiastica monumenta referri possunt, quae leguntur in bulla Canonizationis S. Thomae Cantuariensis: *Quamvis autem de sanctitate ipsius dubitare non possit, qui ejus & laudabilem conversationem attendit &c.* Insuper quae habentur in bulla Canonizationis S. Petri Martyris: *Ipse namque veritatis filius, & bonitatis alumnus, conversatione conspicuus, spectabilis fama, & opinione mirabilis, miro praefulsisse nitore munditiae, virginitatem integre custodisse, nec mentis habuisse, nec corporis corruptelam, & nullius mortalis criminis sensisse contactum, firma suorum Confessorum assertione narratur.* Ea quoque tandem, quae extant apud Raynaldum *ad ann.* 1252. *num.* 8. ubi Innocentius Papa IV. committit Jacobo Velletrensi Minoritae, ut in causa Stanislai Martyris non solum inquirat in Martyrium, & causam Martyrii, verum etiam duos senes tunc adhuc viventes examinet, qui de ejus sancta conversatione poterant testari: *Ac illos duos centenarios, si superstites fuerint, de quibus mentio est in Actis, qui dicuntur ab aliquibus accepisse, vel eorum alterum, quod Sanctum noverunt eumdem, & de ipsius clara & honesta conversatione, dum viveret, audiverunt; inquisiturus ab ipsis, an ita sit; & inspecturus nihilominus devotionem populi, & famam communem super Martyrio, & causa Martyrii, nec non & sanctitate ipsius.* Atque ex his quidem & similibus inferri nequaquam valet ipsa necessitas praeexistentiae virtutum in gradu heroico, ut quis pro Martyre habeatur, adeo ut pro Martyre decernendo minime sufficiat mors in odium Christi inflicta a tyranno, & pro Christo a Martyre recepta. Ceteris enim obviis praetermissis exemplis, celebre est illud saeculi v. quod contigit in S. Jacobo interciso, qui cultum habet in utraque Ecclesia, Latina, & Graeca. Is in gratiam Isdegerdis Regis Persarum Christum negavit; cumque propterea mater ejus, & uxor ab ejus consuetudine se subtraxissent, in se reversus, pro Christi confessione Regem adivit, a quo irato membratim jussus est concidi, & capite obtruncari; ut ex ejus Actis apud Surium, Allatium, & alios desumitur. Celebre quoque est Martyrium Casti, & Aemilii, de quibus *in libro de lapsis col.* 377. ita loquitur S. Cyprianus: *Sic hic Casto, & Aemilio aliquando Dominus ignovit. Sic in prima congressione devictos, victores in secundo praelio reddidit, ut fortiores ignibus fierent, qui ignibus ante cessissent, & unde superati essent, inde superarent.* Prior lapsus illis non obstitit, quominus uti Martyres colerentur: eorum quippe nomen legitur in pervetusto Kalendario Ecclesiae Carthaginiensis xi. *Kal. Junii*; & S. Augustinus in die eorum natali sermonem habuit, qui est 285. *part.* 2. *t.* 5. *oper.* ubi, postquam differuit de Petri negatione, & conversione, subjungit *col.* 1146. *Tale aliquid factu esse arbitror etiam in his Martyribus Sanctis Casto, & Aemilio, quorum diem hodie celebramus.* Unde bene Cardinalis Bellarminus *lib.* 1. *de Indulg. cap.* 2. *num.* 9. *post* 4. *controversiam de Poenitentia tom.* 3. inquit: *Dummodo constet, aliquem esse vere Martyrem, Ecclesia non dubitat, eum inter Sanctos & Beatos numerare, etiamsi ante Martyrium multis flagitiis fuerit coopertus; promissio enim Domini generalis est, Matth.* 10. 32. *Omnis, qui confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo*: & late prosequuntur Verricel. *de Apost. mission. tit.* 1. *qu.* 33. *num.* 20. *&* 21. Scacch. *de not. & sign. sanctit. sect.* 2. *cap.* 3. *in fine*; atque Auditores Rotae *in relatione B. Josaphat Pollocensis part.* 2. §. *Ex his perpendimus.*

3. Quae dicta sunt de virtutibus in causis Martyrum, dici etiam possunt de signis & miraculis; hoc est de eis in antiquis Ecclesiae monumentis habitam fuisse rationem, cum de Martyrio agebatur & ejus vindicatione, absque eo quod hinc inferri possit eorum necessitas, ut quis pro Martyre coleretur. Et profecto, quod de eis ratio haberetur, desumitur primo ex citata epistola Ecclesiae Smyrnensis, quae sic loquitur de caelesti visione, quam Sanctus habuit Polycarpus: *Ceterum triduo antequam comprehenderetur, nocte interorandum solutus, in somnum videre sibi visus est cervical quo caput reclinabat, totum repente flamma consumptum. Quam ob causam e somno excitatus statim visum suum exposuit: idque quod sibi eventurum erat praenuntians, familiaribus suis aperte praedixit se pro Christo flammis absumptum iri*: secundo ex Actis SS. Perpetuae, Felicitatis, & sociorum, quae vir eruditus Joseph Augustinus Orsi ex Dominicana Familia nuper *in sua dissertatione apologetica* vindicavit adversus Samuelem Basnagium, in quibus narratur, aprum in Saturum immissum, in ipsum potius venatorem iras & impetum vertisse, item ursum in eumdem incitatum de cavea prodire noluisse; & Perpetuam, cum a ferocissima vacca vexaretur, adeo in extasim raptam fuisse, ut nullum doloris sensum fuerit experta: tertio ex epistola Lugdunensium, ubi refertur, B. Blandinam reticulo inclusam, & tauro objectam, & ab eo diu in altum jactatam, nihil eorum, quae fiebant, penitus sensisse tum ob spem & comprehensionem eorum, quae credebat, bonorum, tum ob familiarem congressum, quem cum Christo in oratione habebat: demum ex passione S. Theodoti Ancyrani, & septem Virginum principio saeculi iv. relata a Nilo teste oculato; ex passione S. Vincentii Levitae, quae pariter ad principium pertinet saeculi iv. quamque ex pluribus codicibus tum MSS. tum editis publicae commoditati restituit Ruinartius *in Act. Martyrum*; ex passione S. Theodoriti Presbyteri sub Imperatore Constantio apud Mabillon *tom.* 4. *analect.* ex passione SS. Bonosi, & Maximiliani sub Juliano Imperatore, quam ex codice MS. B. Mariae Silvae majoris edidit citatus Ruinart *in opere allegat. pag.* 278. ubi post insertum in idem opus librum Eusebii Pamphili Caesarienis Episcopi de Martyribus Palaestinae, portenta admiratus in eodem libro relata ait *in notis num.* 36. *Ex hoc, aliisque portentis, quae passim Eusebius narrat, collige rejicienda non esse Martyrum Acta eo nomine, quod quandoque in eis ejusmodi insolita miracula a Fidelibus interserta sint.* Et re vera in disputatione excitata inter recentiores Eruditos de miraculis, quae in Actis Martyrum referuntur, nec Baillet, nec Tillemontius audent asserere, suspicione laborare ea Martyrum Acta, in quibus miracula exponuntur; sed ea tantum, quibus magna inseritur miraculorum copia: quod tamen strenue impugnatur a P. Honorato de S. Maria Carmelita Discalceato *in animadvers. super usu crit. tom.* 1. *dissert.* 4. *artic.* 3. ubi plura affert exempla Actorum, quae a supradictis utique praedicantur tamquam authentica, & in quibus nihilominus multa sane insignia miracula narrantur.

4. Quod autem ex his non valeat illatio ad necessitatem signorum & miraculorum, ut quis pro Martyre habendus sit, facile demonstratur: tum quia ex alibi dictis, quando aliquis Martyrio occubuerat, aut Episcopus, sub cujus ditione id acciderat, rem totam scribebat

ad

UAB
Biblioteca de Ciències Socials

ad Primatem, & hic, adhibitis in consilium Episcopis, mature decernebat, an is, de quo agebatur, Martyr occubuisset, & inter Martyres esset adscribendus & colendus; aut Episcopus ipse, habito Cleri sui consilio, id ipsum decernebat, Martyrio, & causa Martyrii sedulo examinata, nullo unquam facto de miraculis verbo: tam quia, cum seculo IX. celebre in Hispania Martyrium contigisset Martyrum Cordubensium, & collecto subinde Conciliabulo, nonnulli Pseudoepiscopi Regi Arabum tunc Cordubæ imperanti suasissent, ut decretis & constitutionibus Martyrium vetaretur, pro Fide Cordubæ mortuos dixerunt non esse inter Martyres recensendos, ex eo potissimum, quod miracula instar antiquorum Martyrum non edidissent, & eorum corpora incorrupta non permansissent; quemadmodum desumitur ex notis Binii *ad d. conciliabulum* apud Cardinalem de Aguirre *tom.* 3. *Concil. Hispan. pag.* 149. & ex fuse relatis apud Cardinalem Baronium *ad an.* 852. S. Eulogius Martyr Archiepiscopus Toletanus egregium opus edidit, cui titulus *memoriale Sanctorum*, quod est typis impressum *tom.* 15. *Biblioth. PP. pag.* 243. in cujus quidem operis lib. 1. strenue contendit, miracula non esse necessaria, ut mortuus pro Christo inter Martyres recenseatur; hæc enim habet *pag.* 247. *Instabat quoque universitas Ethnicorum .... Lætabatur namque, quod in vindictam sui Doctoris tot contemptorum corpora prostravisset, nulla novitate prodigiorum obstante, quæ horrorem posset scelerosis incutere &c. Et hoc ipsum plerisque nostrorum parvipendulis verum non esse videbatur Martyrium, quod non ad confusionem incredulorum, vel roborationem Fidelium aliquod ostentaret miraculum.* Assertiones autem istæ acriter a S. Eulogio impugnantur; tum quia, teste S. Gregorio, in seculi fine, & tempore Antichristi aberunt ab Ecclesia signa virtutum, & tamen aderunt veri Martyres occisi ab Antichristo; tum quia, ut ipse loquitur: *signa virtutum nec omnibus data, nec passim quocumque tempore sunt exercenda; quia & hi, qui hoc munus divinitus acceperunt, nisi Spe, & Fide probatis, nequeunt erogare .... desistente enim Fide quærentium, largitas erogantium quassatur.* Addit porro miracula in morte primorum Martyrum intercessisse, quia Deus prævideret, ea esse profutura: *Miraculorum vero signa ideo olim per servos suos Dominus congruenti tempore præstabat mundo, quoniam, præscia Divinitate, proficere nihilominus præstolantibus ea sciebat, nec in vanum currere operarios virtutum cognoverat: ut saltem prodigiorum novitatibus cederent, qui sacræ legis præcepta salutaria respuebant; eratque temporibus illis satis congruum, Dei Martyres signis coruscare virtutum, quoniam rudem diffusum Christianismum nunc institutione verborum, nunc exhortatione scripturarum, nunc ostensione signorum, nunc etiam trophæis inclitis passionum conabantur solidis radicibus fieri firmum in cordibus credentium populorum.* Denique, ne ex his aliisque in eo opere fuse relatis aliquis existimaret, eum vim miraculorum enervare voluisse, ita concludit: *Nec nos ita prosequentes miraculorum penitus abdicamus insignia cælesti dono quibusdam collata & congruenti tempore Dei per dispensationem nationibus ordinata, sed latratibus rabidorum canum obviam venimus, qui Martyrum mortuorum intentionem exinanire attentant, dum eos de miraculis redarguere sperant.*

5. Uno verbo S. Eulogius confitetur, miracula non adfuisse in passione Martyrum Cordubensium, etsi adfuerint in passionibus antiquorum Martyrum; sed miraculorum defectionem adscribit incredulitati barbarorum, & totis viribus conatur ostendere, mortuos pro Fide fuisse inter Martyres recensendos: quod utique non fecisset, si tunc constans viguisset disciplina de non recipiendis inter Martyres illis, qui miraculorum gloria caruissent.

6. Argumentum itaque refertur ad illud tempus, quo cognitio causarum Beatificationis, & Canonizationis ad Sedem Apostolicam privative delata est: & hoc quidem tempore inspecto, primo loco se offert Canonizatio S. Canuti junioris Daniæ Regis & Martyris, quæ anno 1164. facta est ab Alexandro III. summo Pontifice. Verum, cum ex alibi dictis desint Apostolicæ litteræ Canonizationis S. Canuti, tuto asseri nequit, fuisse requisita pro Canonizatione miracula; idque tantum verisimiliter asseri potest, conjectura desumpta ex Canonizatione S. Thomæ Cantuariensis ab eodem Pontifice celebrata, pro qua scilicet obtinenda facta est miraculorum discussio, ut mox videbitur.

7. Secundo igitur loco obvia fit Canonizatio S. Thomæ Archiepiscopi Cantuariensis facta ab eodem Alexandro Papa III. De miraculis autem Thomæ intercessione patratis a Deo statim ac ille Martyrio coronatus fuit, diserte testimonium dicit Radulphus de Diceto *in imaginibus historiarum* (*inter historiæ Anglicanæ scriptores Twysden tom.* 1. *p.* 557.) his verbis: *Circa Paschа Dominus Jesus Christus, qui in Sanctis suis semper est & ubique mirabilis, gloriosissimi Martyris sui Thomæ Cantuariensis Archiepiscopi vitam laudabilem, & insuperabilem in morte constantiam crebris cæpit irradiare miraculis, ut, qui pro tuenda libertate periclitantis Ecclesiæ suam & suorum proscriptionem tot annis sustinuit, dignum cognoscatur ab omnibus reportasse triumphum.* Willelmus quoque Senonensis Archiepiscopus *in sua epistola*, (*quæ est* 80. *lib.* 5. *inter eas hujus Sancti editas a P. Christiano Lupo*) post enarratam mortem S. Episcopo Cantuariensi illatam, non omittit relationem miraculorum; ut ex verbis dictæ epistolæ scriptæ Pontifici Alexandro desumitur; *Et, quia post viri sancti transitum, operante Domino, memoranda quædam ex crebra multorum relatione audivimus accidisse, omnino præterire non debent. Dicitur namque, & constanter asseritur, post passionem suam multis apparuisse in visu, quibus perhibet, se non mortuum esse, sed vivere, & non vulnera, sed vulnerum tantum cicatrices ostendit.* Sane de Martyrio, & causa Martyrii hujus Sancti non una fuit inter Magistros Parisienses sententia. Petrus enim Cantor stabat pro Martyrio & causa Martyrii, dum Magister Rogerius contrarium asserebat, & nonnulli id ipsum sentiebant, posito defectu miraculorum, teste Cæsareo scriptore contemporaneo *in biblioth. PP. Cisterc. tom.* 2. *in dial. miracul. distinct.* 8. *cap.* 69. *Thomas Episcopus Cantuariensis, qui nostris temporibus pro Ecclesiæ libertate usque ad mortem dimicavit, nullis miraculis in suis persecutionibus coruscavit, satisque de illo post occisionem disputatum est.* At commissa subinde miraculorum juridica cognitione Apostolicis in Anglia Legatis, atque habita certa eorum notitia, Alexander eum retulit in numerum sanctorum Martyrum ut ex superius allata ejusdem epistola *ad omnes Prælatos Ecclesiæ*, (*in cit. cod. Canoniz. pag.* 17.) clare desumitur: *Nos vero, auditis innumeris & magnis miraculis, quæ jugiter per Sancti illius merita fieri, universitas narrat Fidelium, & super his non sine magno gaudio per dilectos Fratres nostros Albertum Tituli S. Laurentii in Lucina, & Theodinum Tituli S. Vitalis Presbyteros Cardinales atque Apostolicæ Sedis Legatos, qui eadem miracula tanto perspicacius didicerunt, quanto amplius sunt loco vicini, præcipue certiores effecti, & plurium aliarum personarum testimonio fidem, sicut debuimus, adhibentes, prædictum Archiepiscopum solemniter in ecclesia, magno ibidem Clericorum, & laicorum collegio præsente, in capite jejunii, deliberato Fratrum nostrorum consilio, canonizavimus, ipsumque decrevimus Sanctorum catalogo adscribendum.* Qua in re Alexander secutus est exemplum sui Antecessoris Clementis II. qui, antequam esset reservatum privativum jus harum causarum Sedi Apostolicæ, haud aliter processit ad Canonizationem Virginis Wiboradæ ab Hungaris in odium Fidei occisæ, quam discussa causa una cum miraculis ejus intercessione a Deo patratis, teste Burkardo Monacho Sancti Galli *lib. de casibus dicti Monasterii cap.* 6. (*inter scriptores rerum Alamanniæ. Goldasti tom.* 1. *par.* 1, *& ap. Mabillon. Sæc.* 6. *Bened. par.* 1.) in Nortperto Abbate sequentibus verbis supra relatis, & nunc iterum referendis: *Obtinuit etiam adminiculante Henrico Imperatore & conjuge ejus Agnete, hoc apud Dominum Apostolicum Clementem II. recitata vita B. Wiboradæ ejusque miraculis, de tamdiu neglecta re ab ipso Papa redarguitus, quatenus ipsam, præsente Theodorico Constantiensi Episcopo canonizare, & pro sancta haberi præciperet, & anniversarium ipsius diei solemnizandum institueret.*

8. Occurrunt tertio loco ea, quæ contigerunt in causa Beati Petri de Castro Novo in Gallia Narbonensi Monachi Cisterciensis Legati Apostolici, & contra Hæreticos Albigenses Fidei Inquisitoris, qui gladiis impiorum occubuit die 16. Februarii anno Domini 1208. & sic tempore Summi Pontificis Innocentii III. Fit itaque ejus commemoratio in Martyrologio Saussaji, in Martyrologio universali *in additionibus ad diem* 16. *Februarii*, & in menologio Cisterciensium; publicusque cultus ei defertur die 5. Martii ad Sanctum Gellium in Gallia, & in domibus Ordinis Cistercensis ejusdem regni, testimonium perhibente Baillet *in ejus vita ad diem* 5. *Martii*. Historia autem mortis eidem inflictæ jussu Raymundi Comitis Tolosani ex odio in eum concepto, quia in ipsius ore verbum Domini non erat alligatum *ad faciendam vindictam in nationibus, & increpationes in populis*, uti loquitur Innocentius III. infra referendus

dus (Comitem enim de perpetratis nequitiis juste redarguebat) plene describitur a Petro Vallium-Sarnaji Monacho Cistercienſi *in hiſtoria Albigenſium typis impreſſa tom. 7. biblioth. Ciſterc.* cui magna utique fides præſtanda eſt ; cum fuerit nepos & comes Guidonis Abbatis Ciſtercienſis , poſtea Carcaſſonenſis Epiſcopi , unius ex duodecim Abbatibus , quos dictus Innocentius ad Albigenſium hæreſim expugnandam miſit , teſte Natali Alexandro *in hiſtor. Eccleſ. ſæc. 13. cap. 4. art. 1.* Narrat Petrus Monachus miracula a Deo patrata ; & ſignanter, Martyris corpus in clauſtro monachorum S. Ægidii tumulatum , & poſt longum tempus in Eccleſiam translatum , ita ſanum inventum eſſe atque illæſum , ac ſi ipſa die fuiſſet tumulatum ; miramque fragrantiam de corpore & veſtibus emanaſſe , quemadmodum legitur *cap.* 12. adeo ut de cultu delato poſt bene probatum Martyrium , & cauſam Martyrii , & poſt diſcuſſa atque approbata miracula non videatur eſſe dubitandum . Quamvis enim opponi poſſit , Petrum anno 1208. Martyrem fuiſſe ab Innocentio declaratum , licet tunc nulla miracula ſecuta fuiſſent , ut habetur ex ejus epiſtolis *ad Archiepiſcopos Narbonenſem , Arelatenſem , Ebredunenſem, Aquenſem , & Viennenſem , & ad Comites , ac Barones & univerſos milites per dictas provincias conſtitutos* , quæ ſunt trigeſima prima & trigeſima ſecunda in novo codice Canonizationum : *Qui profecto* (inquit *citata epiſt.* 31.) *cum ob fidem & pacem , quibus nulla prorſus eſt cauſa laudabilior ad Martyrium , Sanguinem ſuum fuderit , claris jam , ut credimus , miraculis coruſcaſſet , niſi hoc illorum incredulitas impediret, de quorum ſimilibus in Evangelio legitur quod Jeſus non faciebat ibi virtutes multas propter incredulitatem eorum : quia , quamquam linguæ non Fidelibus , ſed Infidelibus ſint in ſignum , Salvator tamen præſentatus Herodi, qui , teſte Luca , valde gavisus eſt , viſo ipſo , pro eo , quod ſignum aliquod videre fieri ab illo ſperabat & facere dedignatus eſt ſignum , & reddere interroganti reſponſum ; ſciens , quod in operatione ſignorum non credulitatis inductio , ſed vanitatis illum admiratio delectabat . Licet autem illa prava , & perverſa generatio non ſit digna , ut tam cito , ſicut forſitan ipſa quærit , de ſuo ſibi Martyre detur ſignum , expediviſſe tamen credimus ei , ut unus iſte pro ipſa , ne tota pereat , moreretur , quæ contagio hæreticæ pravitatis infecta per interpellantem occiſi Sanguinem a ſuo melius revocetur errore , quam vivus eam potuerit revocare :* non videtur tamen hinc propoſitum concludi ; cum Pontifex in prædictis epiſtolis ad ulteriora non procedat , hoc eſt vel ad permittendum , ut cultus Martyri deferatur in aliquibus locis , vel ad præcipiendum , ut ille in univerſali Eccleſia colatur , quibus in rebus conſiſtit Beatificatio, aut Canonizatio. Decernit itaque Papa in iiſdem litteris, ut ſubdantur anathemati quotquot cædis participes fuerunt; Indulgentias largitur vindicantibus ſanguinem juſtum ; abſolvit ſubditos Comitis a juramento fidelitatis, & poteſtatem facit terram ejus occupandi , ſalvo jure Domini directi ; Legatos ſuos excitat ad opus proſequendum , & ad ponendam animam ſuam , ſi fuerit neceſſe , in tam glorioſo certamine ; ad Comites & Barones ſermonem convertit , ut hæreticam ſtudeant abolere perfidiam , & ſectatores ipſius , quos ipſis Saracenis dicit eſſe pejores : ſed cum de cultu Martyrii præſtando nullum verbum faciat , & in eiſdem litteris aperte ſe credere fateatur , futura fuiſſe miracula , niſi incredulitas obſtitiſſet , fas eſt conjicere , dilatos fuiſſe Beatitatis honores , uſquequo miracula , quæ expectabantur , ſupervenirent : eoque magis , quia ex ſupradictis ab approbatione Martyrii , & cauſæ Martyrii minime valet illatio ad cultum, ſeu cultus conceſſionem ; & etiam quia, cum idem Pontifex Innocentius ante prædictas epiſtolas in Sanctorum album retulerit Homobonum , Chunegundem , & Wulſtanum in Anglia Epiſcopum , atque mandaverit , ut in die depoſitionis S. Homoboni feſtum devote a Chriſtifidelibus celebraretur , necnon Collectam atque orationes in commemoratione S. Chunegundis , & S. Wulſtani recitandas compoſuerit , & monumentis Canonizationum inſeruerit , his autem ſimilia nequaquam præſtiterit erga Petrum , ſignum evidentiſſimum eſt , eum in prædictis epiſtolis approbaſſe quidem Martyrium & cauſam Martyrii , ſed a præſtatione cultus abſtinuiſſe , eo quia miracula deficiebant.

9. Se offert quarto Martyrium B. Joannis Epiſcopi primum Mantuani , deinde Vicentini , qui pro Eccleſiaſtica libertate tuenda mortem obivit . De ejus morte verbum fit *in cap. Intelleximus , de judiciis* , & de pœnis interfectoribus inflictis *in cap. Ad aures . de pœnis .* Teſtatur autem Ughellius *in Epiſcopis Vicentinis* , Honorium Papam III. præcepiſſe conſtructionem proceſſus pro cultu ſecundum juris ſolemnitatem eidem deferendo : & de cultu quidem delato nulla dubitatio ; ſed in proceſſu Apoſtolico plura miracula ad ejus interceſſionem patrata referuntur , uti videri poteſt apud Bollandianos *ad diem 16. Martii .*

10. Se offerunt quinto loco binæ Martyrum Canonizationes factæ ab Innocentio IV. Petri videlicet Martyris ex Ordine Prædicatorum , & Stanislai Epiſcopi Cracovienſis . De hiſce Canonizationibus merito fit apud Pagium juniorem *in breviario Romano Pontificum in vita Innocentii IV. num. 57. & 58.* In Brevi commiſſionis , quæ a Pontifice directa fuit Archiepiſcopo Mediolanenſi , Epiſcopo Laudenſi , & Præpoſito S. Nazarii , impreſſo in hiſtoria S. Petri Martyris poſt primam editionem hujus tomi , compoſita a Petro Thoma Campana Ordinis Prædicatorum viro erudito , & typis edita anno 1741. *lib. 3. cap. 4.* ſic legitur : *Clerus & populus Mediolanenſis per communes ac fideles nuncios Nobis humiliter & cum inſtantia ſupplicarunt , ut ad gloriam Dei , robur Fidei , depreſſionem perfidiæ , ac Chriſtianæ devotionis augmentum , eoſdem inclitos viros* (Petrum videlicet de Verona , & Dominicum Ordinis Prædicatorum Fratres ab Hæreticis in odium Fidei occiſos) *quos regnare cum Chriſto in Eccleſia triumphanti pretioſa eorum mors , & multifaria prodigiorum argumenta ſignificant , curaremus in Eccleſia militanti Sanctorum catalogo aggregare :* & in bulla Canonizationis S. Petri (*cit. cod. Canonizat. pag.* 85.) miracula referuntur , & Papa teſtatur , ſe in ea feciſſe diligenter inquiri : *Ceterum quia convenit , ut , quem Dominus in cœlo magnificat , mundus colat , Nos de ſanctitate vitæ , ac veritate miraculorum ipſius Martyris inquiri fecimus diligenter.* Item in epiſtola *ad omnium Eccleſiarum Prælatos* (*ibid. pag.* 87.) ſic loquitur : *Quod plene , ac liquido patuit in ipſius B. Petri Martyris paſſione , quia poſt glorioſum & recolendum ejus Martyrium ſic ſuorum multitudine , atque eminentia miraculorum Fides reſplenduit , quod quamplurimi Hæretici , eorumque credentes, ipſius Dei tot , & tantorum oſtenſione ſignorum agnita virtute , ad illius lumen de ſuorum errorum tenebris propere redierunt .* Porro in bulla Canonizationis S. Stanislai idem Pontifex memorat , lumen cæcis , auditum ſurdis , verbum mutis , claudis greſſum , epilepticis cerebri robur , & dæmoniacis , immundis ab eis ejectis ſpiritibus , corporum requiem ad ejus nominis invocationem ſubito a Deo collata fuiſſe : & in hac utique S. Stanislai cauſa tanta ſeveritate fuerunt miracula examinata ac diſcuſſa , ut Joannes Cardinalis Cajetanus in ſuis litteris *ſcriptis ad Epiſcopum Cracovienſem , & ejus Capitulum* , de ſevero prædicto examine loquens , hæc habuerit , uti legitur in ejus epiſtola apud Longinum (*in vita prædicti Sancti typis impreſſa apud Bollandianos ad diem 7. Maji pag. 259. tom. 2.*) *Præpoſito Procuratori diximus quaſi parabolice : neceſſarium habet Sanctus veſter unum finaliter operari miraculum , quod diſcordantes in miraculis mirabiliter faciat concordare . Et factum eſt , quod , ubi morbus gravior , ibi ſalus eſt ſuborta propinquior ; & ſubito prius diſcordes converſi ſunt unanimiter ad concorditatem concordiæ , decernentes uniformiter talem virum Canonizatione dignissimum , & per ea , quæ fecit , miracula , quorum extat luculenta probatio , veraciter eſſe ſanctum .*

11. Occurrit ſexto Breve ſummi Pontificis Alexandri IV. qui , poſt maturum examen relationis Martyrii atque miraculorum , cultum indulſit in eccleſia S. Mariæ de Sandomiria , & elargitus eſt Indulgentiam viſitantibus eamdem eccleſiam die anniverſaria mortis quadraginta novem Martyrum Ordinis Prædicatorum , quæ in Conventu ſui Ordinis civitatis Sandomiriæ , dum poſt Completorium de more canebant antiphonam , *Salve Regina* , a Scythis devaſtantibus eamdem civitatem , prout Divina inſpiratione nocte præcedenti fuerant admoniti , pro Chriſti Fide occiſi fuerunt ; uti poſt Michiovium , Cromerum , & Bzovium adnotavit Caſtell. *de dilat. Canoniz. SS. pag.* 131.

12. Obvia fit ſeptimo loco celeberrima olim cauſa Catalani Fabri , & Paſchalis Religioſorum Ordinis Minorum , qui Martyres dicebantur , cum in diœceſi Lugdunenſi fuiſſent ab Hæreticis occiſi. Summus etenim Pontifex Joannes XXII. inquiſitionem commiſit Epiſcopo Valentino , & inter cetera præſcripſit , ut in miracula inquireret , quemadmodum legitur apud Raynaldum *ad ann.* 1321. *num.* 17. *Præſentium auctoritate committimus & mandamus , quatenus , vocatis & adhibitis*

tecum

tecum aliquibus probis viris, tam de vita & converſatione dictorum Fratrum, quam de profeſſione Fidei facta per eos, dum erant in agone recepti Martyrii conſtituti, & de ſpontanea ſuſceptione dicti Martyrii, quam de dictis miraculis, ac ipſorum circumſtantiis univerſis, ſecundum datam tibi a Deo prudentiam, diligenter inquirens, Nobis, quæ inveneris, ſtudeas fideliter per tuas litteras nuntiare.

13. Occurrit octavo loco Martyrium S. Wernheri a perfidis Judæis in odium Fidei occiſi anno 1287. apud Weſaliam villam Trevirenſis diœceſis, cum eſſet annorum fere 14. Acerbiſſimam profecto ille mortem ſuſtinuit continuato per triduum Martyrio: minime tamen colitur Officio aut Miſſa, nec uſque adhuc in Sanctorum album relatus eſt; ſed tantummodo ejus memoria eſt in benedictione, atque in aliquibus locis, licet ſine Officio & Miſſa, ex immemorabili forte conſuetudine colitur tamquam Martyr. Extat proceſſus ſuper ejus Martyrio confectus tempore Martini Papæ V. anno 1418. auctoritate Apoſtolici Legati Jordani Cardinalis Urſini: & ipſum utique Legatum non tam in Martyrium, & cauſam Martyrii, quam in miracula judiciali more inquiſiviſſe, conſtat ex ejus Actis apud Bollandianos *ad diem 19. Aprilis*.

14. Se offert nono loco Martyrium Angeli ex Ordine Carmelitarum inter Beatos relati a Pio II. ſummo Pontifice, ut ex Joanne Balæo adnotarunt Bollandiani *tom. 2. menſis Maji pag. 57. Dicit de Pio Papa II. quod Angelum Carmelitam Martyrem Canonizavit . . . . ſed hoc de ſola Officii conceſſione, aut, ut nunc vocamus Beatificatione intelligendum eſſe, bene monet Lezana*. Porro, omiſſa controverſia magnis animorum motibus agitata inter P. Papebrochium Societatis Jeſu, & P. Sebaſtianum a S. Paulo Carmelitam ſuper miraculo compreſſionis curſus fluminis Jordani, dum Angelus una cum ſociis ex nimia defluentium aquarum excreſcentia illud trajicere non poterat; de aliorum ſane miraculorum patratione certa non deſunt argumenta, antequam ad ejus Beatificationem fuerit a ſancta Sede proceſſum, ut ex iiſdem Actis Bollandianis deſumitur *pag. 58. Ex loco, ubi prius jacuerat corpus, fons vivus aquæ nitidiſſimæ & ſuaviſſimi odoris emanavit; ex ea vero parte, ubi caput Martyris requieſcebat, cœpit fluere medicinalis olei liquor . . . multique ægroti illo die ſolemni deſcendunt per gradus fontis, loturi corpus eorum, implorantes Martyris auxilium, & ſenſim, populo ſpectante, recipiunt ſanitatem, præſertim hernici, & paralytici*.

15. Se offerunt decimo loco Martyres Berardus, Petrus, Othonus Accurſius, & Adjutus ex Ordine FF. Minorum, qui fuerunt in Beatorum numerum relati a Sixto IV. & quorum fit commemoratio in Martyrologio Romano *ad diem 16. Januarii*. Apoſtolicæ litteræ autographæ ſunt in archivo S. Mariæ de Ara-cœli Urbis, typis autem impreſſæ in Actis Bollandianis *tom. 2. menſis Januarii p. 71.* & in eorumdem ſimiliter Martyrum cauſa nedum diſcuſſum fuiſſe Martyrium, atque occaſionem Martyrii, verum etiam examinata fuiſſe miracula, convincitur ex citatis ipſis litteris Apoſtolicis, ubi: *Pro Chriſto mortem ſubierunt, & Martyrii palmam glorioſe promerentes, plurimis miraculis in ipſa morte & poſt claruerunt*.

16. Occurrit denique Martyrium ſeptem aliorum Fratrum Minorum apud Septam in Mauritania Tingitana, Danielis videlicet, Samuelis, Angeli, Domni, Leonis, Nicolai, & Hugolini, qui ob Evangelii prædicationem, & Mahumeticæ Sectæ confutationem, capitibus abſciſſis, Martyrii palmam anno 1221. adepti ſunt. Eorum nomina referuntur in Martyrologio Romano *ad diem 13. Octob.* Paulo autem poſt eorum glorioſum obitum Dionyſius Primogenitus Regis Alphonſi Portugalliæ a Rege Marochitano impetravit, ut eorum Corpora in Hiſpaniam transferrentur; & hujus equidem translationis occaſione Deus dignatus eſt miracula operari, a quorum patratione miraculorum cultus habuit initium, & die 8. Octobris eorum feſtum celebrari incepit, uti late habetur apud Baillet *in eorum vita ad diem 13. Oct.* Deinde, cum Fratres Minores cultus approbationem obtinere cupientes, ſupplices preces exhibuiſſent Leoni X. ipſe prædictum cultum approbavit, data etiam facultate eorum nomina invocandi in Litaniis, ut ex ejus Brevi typis impreſſo apud Wadingum *t. 16. fol. 7.* plene deſumitur. Quamvis enim miraculorum mentio non fiat in eodem Brevi Leonino, ea tamen referuntur in Lectionibus propriis, quæ recitantur in Ordine Fratrum Minorum S. Franciſci die 13. Octobris, necnon in Chronicis Marci Ulyſſiponenſis *p. 1. lib. 4. c. 34.* Et, ne quis crederet, ea patrata fuiſſe poſt dictum Breve, ſatis erit Librum Conformitatum legere *2. par. pag. 87.* Magnæ quippe eſt auctoritatis, ut alibi videbitur, & ſcriptus fuit anno 1385. in quo *loc. cit.* hæc habentur: *Filius Regis Portugalliæ pro dono petiit, & accepit, & in Hiſpaniam tranſtulit*, (ſermo eſt de corporibus horum Beatorum) *per quorum ſuffragia Deus multa mira operatur ad gloriam ſuam & honorem*.

CAPUT TRIGESIMUM.

De ſacræ Congregationis rituum conſuetudine quoad Miraculorum neceſſitatem in cauſis Martyrum.

1. POST inſtitutam ſacrorum rituum Congregationem, nonnullæ Martyrum cauſæ fuerunt in ea propoſitæ atque expeditæ; quarum prima fuit viginti trium Martyrum Japonenſium ex Ordine S. Franciſci, ac trium ex Societate Jeſu. Itaque juxta morem tunc temporis receptum diſcuſſa fuit cauſa a tribus Rotæ Auditoribus, Coccino, Manzanedo, Pirovano, & ab eis edita fuit relatio. In tertio autem relationis articulo iidem fuſe quidem probarunt, miracula in cauſis Martyrum non eſſe neceſſaria; at aliqua tamen mirabilia propoſuerunt, quæ miracula tertii generis jure & merito dici poterant: quin immo unum in medium attulerunt, quod non ſolum mirabile, ſed & verum miraculum dixerunt. Delata poſtea cauſa ad ſacrorum rituum Congregationem, ipſa utique proceſſit ad ulteriora, ſed quod ſibi conſtitiſſet de Martyrio, & miraculis; uti colligitur ex ſequenti decreto: *In cauſa Canonizationis viginti ſex Martyrum, referente Illuſtriſs. Cardinali Muto, ſacrorum rituum Congregatio cenſuit, conſtare de Martyrio, & miraculis; ideoque, ſi Sanctiſſimo placuerit, poſſe deveniri ad actualem Beatificationem, & Canonizationem*: 3. *Julii* 1627. Item ex Brevi Beatificationis eorumdem edito in Actis Bollandianis *tom. 1. menſis Februarii pag.* 740. & apud Caſtellinum *de certit. glor. SS. pag.* 485. ubi: *Referente dilecto Filio noſtro Tiberio Tituli S. Priſcæ Presbytero Cardinali Muto nuncupato, diſcuſſa, cenſuerunt, conſtare de Martyrio, & miraculis*.

2. Secunda cauſa fuit B. Joſaphat Martyris Pollocenſis: &, quia tunc vigebat etiam conſuetudo prævii examinis trium Rotæ Auditorum, edita idcirco relatione a Coccino, Pirovano, & Merlino, iidem in parte ſecunda fuſe probare conati fuere, miracula in cauſis Martyrum non eſſe neceſſaria; ac proinde emendandam aſſeruerunt lectionem Oſtienſis anteſignani *in ſum. lib. 3. de Reliq. & venerat. SS.* opinionis miracula requirentis, ita ut in locum verborum: *Sed quæritur tantum de miraculis, & cauſa propter quam paſſi ſunt*: ſubſtituenda dixerunt hæc alia: *Sed tantum quæritur de Martyrio, & cauſa paſſionis*. Emendandam, inquam, tum quia Oſtienſis conſtituere volebat differentiam inter Martyres, & Confeſſores quæ ſine dictorum verborum emendatione haberi non poterat; tum quia *in commentariis ad cap. Audivimus, de Reliq. & venerat. SS.* poſtquam ſermonem habuit de requiſitis in Canonizatione Confeſſorum, & ſignanter de miraculis, ſubdit *ſub n. 5. Hic autem ordo non ſemper ad unguem hactenus eſt ſervatus, & maxime, quando agebatur de Martyrizatis pro Fide; illi enim conſueverunt facilius & levius expediri*, nullo amplius facto verbo de miraculis. Subinde tamen ipſi Rotæ Auditores *in part. 4. relationis* nonnulla miracula a Poſtulatoribus propoſita retulerunt, iiſdemque relatis, ita dixerunt: *Super quibus tamen probationibus circa miracula cum agentes pro venerabili Joſaphato non multum inſiſterent, tranſivimus ad excuſſionem prodigiorum & ſignorum quorumdam admirabilium poſt mortem Præſulis ſecutorum, quibus videtur Deus voluiſſe comprobare veritatem ejus Martyrii*.

3. Poſt editum judicium Rotale cauſa delata fuit ad ſacrorum rituum Congregationem, & in ea propoſitum fuit dubium, *an conſtaret de Martyrio, & cauſa Martyrii*; ſacra autem Congregatio cenſuit conſtare: *Propoſitum fuit dubium ab Eminentiſs. Pamphilio, an conſtet*

de

de Martyrio, & causa Martyrii; & sacra Congregatio censuit, constare de Martyrio, & causa Martyrii: 9. Augusti 1642. Tum Secretarius sacræ Congregationis excitavit difficultatem, an essent necessaria miracula in causis Martyrum; & sacra Congregatio demandavit, ut articulus *in abstracto* examinaretur: *Cum ad instantiam mei Secretarii excitatum fuisset dubium, an in declarandis Martyribus esset a sacra Congregatione, præter examen Martyrii, & causæ Martyrii, inquirendum etiam de miraculis, non quidem tamquam necessariis ad faciendum Martyrem, juxta communiorem opinionem Theologorum & sacræ Rotæ, sed tamquam probationes certiores & illustriores ipsius causæ Martyrii, & præsertim actus interni finalis in Martyre, juxta praxim alias secutam ab eadem sacra Congregatione in Japonen. XXVI. Martyrum 3. Julii* 1627. *factum fuit de hoc verbum per Eminentiss. Pamphilum Ponentem, & sacra Congregatio mandavit, disputari dubium in abstracto, & interim in hac causa videri etiam de miraculis: die 6. Augusti* 1642. Verum sacræ Congregationis Consultores non fuerunt invicem concordes, ut ex sequenti suffragiorum relatione percipitur, quæ est typis impressa apud Mattam *de Canoniz. Sanctor. part. 5. cap. 3. num. 1. Disputatum fuit in genere pro causis Martyrum, quæ solent in sacra Congregatione examinari, utrum pro declarando Martyre a Sede Apostolica requirenda sint miracula; & aliqui, scilicet P. Lucas, P. Alciatus, licet hic ambigue, Reverendissimi Albicius, Ghislerius, Dunozet, & Homodeus, fuerunt in voto, quod non sint requirenda, ex eo, quod Martyrium ad instar Baptismi operatur in instanti remissionem peccatorum, & confert gratiam, & ex eo, quod innumerabiles Martyres colantur in Ecclesia, de quorum miraculis non constat, nec Ecclesia de illis mentionem facit. Alii vero fuerunt in voto, quod requirantur, scilicet Reverendiss. Oregius Sacrista, Magister sacri palatii, Episcopus civitatis Plebis, Promotor Fidei, si non constet de actu interno, & ego, ex eo quod ad consummandum Martyrium requiratur voluntas probata patiendi pro Fide, vel justitia, & permansio in charitate usque in finem; quæ veritas, cum residеat in corde, cujus tantum Deus scrutator est, & pendeat ab actu interno finali, non potest probari, nisi per signum a Deo, quod est miraculum, sive mirabile. Sed videbantur concordari istæ opiniones ex suppositione, quod nimirum, dato vero Martyrio, miracula non sint necessaria; ad hoc vero, ut in individuo hoc, & hoc Martyrium probetur verum, miracula requirenda esse: die 13. Sept.* 1642. Et ideo sacra Congregatio articulum illum *in abstracto* propositum non resolvit: quia tamen agebatur de re gravissima, statuit actu ipso adhærere opinioni tutiori miracula requirenti, eo maxime, quod hæc sanctæ Sedis consuetudini esset uniformis: *Proposito per Eminentiss. Pamphilium Ponentem, stante discrepantia prædictarum opinionum, quid agendum esset in causa servi Dei Josaphat Archiepiscopi Pollocensis, an procedendum ad ulteriora, non constito de miraculis, an vero de miraculis cognoscendum; sacra Congregatio nihil in tam ardua quæstione declarare volens, transivit cum opinione tutiore & validiore, cum agatur de summa re, in qua Sedes Apostolica accuratissime procedere debet; & juxta antiquam praxim unanimi consensu mandavit, examinari miracula: die 13. Septembris* 1642. Tum postea his cohærenter editum fuit a summo Pontifice Urbano VIII. Breve Beatificationis, de quo in Bullario Romano (*tom. 3. bull.* 304. *dicti Pontificis §. 1.*) *Congregatio sacrorum rituum die 2. Martii* 1641. *censuit, constare de validitate processus; die vero 13. Septembris* 1642. *constare de Martyrio, & causa Martyrii; die demum 22. Novembris ejusdem anni* 1642. *constare etiam de miraculis; ideoque eidem Congregationi videri, si Nobis placeret, posse dictum servum Dei Josaphat Beatorum Martyrum catalogo adscribi.*

4. Tertia causa est B. Petri de Arbues, de qua quidem quando actum fuit, jam ab aula recesserat mos editionis relationum Rotalium. Petrus itaque Franciscus de Rubeis Fidei Promotor suas exaravit animadversiones una cum apparatu ad materiam Beatificationis, & Canonizationis Martyrum. In hoc autem testatus est usum miracula requirendi in causis Martyrum: *Perpetua, & constans Ecclesiæ Romanæ consuetudo fuit, in Martyribus etiam miracula exigere ad eorum Beatificationem, & Canonizationem, ut veri Martyrii consummatio, & gloria ob illud in cælesti Jerusalem adepta illis, quasi Dei digito manifestetur Ecclesiæ militanti.* Ideoque, post approbatum Martyrium, & causam Martyrii, transitus factus est ad discussionem miraculorum, uti colligitur ex sequenti sacræ Congregationis decreto: *Proposito per Eminentiss. D. Card. Sacchetum dubio, an constet de Martyrio, & causa Martyrii servi Dei Petri de Arbues, Sanctissimus, prævia discussione, de Fratrum consilio censuit, constare de Martyrio, & causa Martyrii; ac proinde ad ulteriora procedendum esse, nempe ad discussionem miraculorum, si quæ operari dignatus est Omnipotens intercessione vel intuitu ejusdem servi Dei: die 12. Decembris* 1661. Examinata propterea, & approbata fuerunt miracula, quemadmodum ex hoc alio decreto desumitur: *Acriter discusso dubio proposito per Eminentiss. Chisium, an constaret de duodecim miraculis desumptis ex processu compulsoriali, sacra rituum Congregatio habita coram Sanctissimo die 25. Septembris* 1663. *declaravit, constare de tertio, & sexto miraculis &c. ac proinde, facta per eumdem Card. Chisium plena & distincta relatione eorum omnium, quæ in eadem causa gesta sunt, deque sanctitate vitæ, virtutibus, Martyrio, & causa Martyrii, prodigio effervescentiæ & multiplicationis sanguinis, & miraculis supradictis, sacra eadem Congregatio censuit, quandocumque tuto deveniri posse ad solemnem Canonizationem Petri Arbuesii juxta ritum &c. attento, quod agitur de Martyre cum prodigiis & miraculis mature discussis & formiter approbatis. Interim vero, donec ad actum solemnis Canonizationis deveniatur, Sanctissimus litteras in forma Brevis super cultu Beati eidem Dei servo in ecclesia Metropolitana Cæsaraugustæ cum Officio & Missa de Communi unius Martyris non Pontificis desumendis præstando annuit concedendas.* Atque ad normam quidem hujus definitionis editum est a summo Pontifice Alexandro VII. Breve Beatificationis, de quo in Bullario *tom. 6. bull. 139. ejusdem Pontificis.*

5. Quarta causa est Martyrum Gorcomiensium, quæ pariter per eamdem viam processit, discussionis videlicet, atque approbationis miraculorum, antequam ad Beatificationem progrederetur. En sacræ Congregationis decretum: *Acriter discusso dubio proposito per Eminentiss. D. Card. Azzolinum, an constaret de duodecim miraculis desumptis ex processu remissoriali, & compulsoriali confectis super Martyrio, & causa Martyrii, ac miraculis novemdecim Martyrum Gorcomiensium &c. sacrorum rituum Congregatio habita coram Sanctissimo D. N. Clemente Divina providentia Papa X. die 25. Septembris* 1674. *declaravit, constare de quarto, & quinto miraculis instantaneæ sanationis Theodori Dinchii a nativitate, & Ægydii Tilmanni Diaconi, intestinalis herniæ pertinacibus, & difformibus jacturis per plurimos annos laborantium, qui statim, emisso voto, integri, sanique, ac si nunquam simili morbo correpti fuissent, reperti sunt:* eique consentit Breve Beatificationis expeditum a Clemente X. & typis Cameralibus impressum anno 1675. *Cum itaque mature diligenterque discussi & perpensi fuerint per Congregationem venerabilium FF. nostrorum S. R. E. Cardinalium sacris ritibus præpositorum processus de hujus sanctæ Sedis Apostolicæ licentia confecti super Martyrio, & causa Martyrii &c. ac super signis, prodigiis, & miraculis, quæ ad manifestandam mundo finalem eorum perseverantiam a Deo edita & patrata fuisse dicebantur &c.*

6. Quinta causa est B. Joannis de Prado, in qua quid actum fuerit, in superioribus fuse relatum est.

7. Sexta causa est S. Joannis Nepomuceni, quæ licet minime processerit per viam non cultus, sed per viam casus excepti, propter quod opus erit de ea infra iterum loqui: super eadem tamen, quantum attinet ad præsentem inspectionem, satis erit referri, quod, resoluto dubio super Martyrio, & causa Martyrii, disputatum fuit in Congregatione generali die 11. Januarii 1729. dubium: *an, & de quibus miraculis constet in casu, & ad effectum &c.* tum autem, approbatis duobus miraculis de secundo genere, & duobus aliis de tertio genere, expeditum fuit die 16. Februarii 1729. decretum Canonizationis quandocumque faciendæ, quæ profecto paulo post facta fuit in basilica Lateranensi.

8. Septima causa est tunc Beati nunc Sancti Fidelis a Sigmaringa. Fuit in ea disputatum dubium complexivum Martyrii, causæ Martyrii, & signorum seu miraculorum; editoque responso, quod constabat de Martyrio, & causa Martyrii, necnon de quatuor miraculis tertii generis, ut patet ex decreto edito die 24. Februarii 1729. solemnia Beatificationis expleta fuerunt in basilica Lateranensi.

9. Series hæc monumentorum ostendit, quod, licet nunquam editum fuerit generale decretum de necessitate miraculorum in causis Martyrum pro obtinenda Beatificatione, aut Canonizatione; nunquam tamen formalis Beatificationis, & Canonizationis honores Martyribus indul-

indultos fuiſſe a Sede Apoſtolica, niſi ad approbationem Martyrii, & cauſæ Martyrii miracula acceſſiſſent: quod mihi ſatis eſſe videtur pro ſtatuenda Romanæ Sedis diſciplina de minime beatificandis, aut canonizandis Martyribus abſque miraculis. Quamvis enim id durum aliquibus videatur, vel quia communiter Doctores docent, facilius expediri cauſas Martyrum, quam Confeſſorum, vel quia Martyrium ſupplet vicem Baptiſmi, *juxta text. in can. Baptiſmi vicem, & in can. Catechumenum. de conſecrat. diſt.* 4. vel quia ipſum Martyrium ab homine adulto ſua ſponte ſuſceptum ac toleratum pro Chriſto eſt per ſe proxima & certiſſima cauſa Beatitudinis Martyris, ſecundum illud Matthæi 10. 32. & Lucæ 12. 8. *Quicumque me confeſſus fueris coram hominibus, confitebor & ego eum &c.* & Marci 8. 35. *Qui autem perdiderit animam ſuam propter me, inveniet eam &c.* vel quia in antiquiori Eccleſia ad Martyrum Canonizationem procedebatur ſine miraculis; vel tandem quia ſine miraculis de omnibus neceſſariis poteſt certo conſtare (de cauſa quippe mortem inferendi ex parte Tyranni conſtare poteſt per odium, quo proſequitur Chriſtianam Religionem, per ipſam quæſtionem & actum judicii, quo reum interrogat, per oblatam liberationem, ſi forte velit Fidem negare, aut aliquid facere contra Fidem, & denique per prolatam ſententiam; de cauſa movente ex parte acceptantis, & mortem ſuſtinentis certo conſtare poteſt, ſi coram Tyranno Fidem & Evangelium non erubuit, ſi in tormentis hilaritatem & gaudium præſetulit; de cauſa diſponente ex parte Martyris conſtare poteſt, hoc eſt de actu contritionis & pœnitentiæ, ſi videlicet habeat copiam Confeſſarii, & ſacramentaliter confeſſus ſit, vel ſaltem, ſi a Deo veniam petiit & dedit alia ſigna interna doloris, quando non potuit ſacramentaliter confiteri; & demum de perſeverantia in his omnibus conſtare poteſt, ſi neque verbis, neque ſignis propoſiti mutationem indicavit, ſed potius e contrario ſe habuit uniformiter, & voluntariam paſſionem præſetulit quoadusque manſit uſus rationis & libertatis, ſive potentiæ ad peccandum) hæc nihilominus & ſimilia *tanti mihi roboris & momenti non ſunt, ut ipſo facti eventu conſilium præſtare poſſim ab expoſita diſciplina recedendi.*

10. Re vera, ſi quotquot ſententiam amplexi ſunt, quæ in Martyribus neceſſitatem miraculorum excludit, expreſſe confitentur, tutiorem eſſe ſententiam, quæ miracula expoſcit, cur erit recedendum ab opinione tutiore in cauſa non neceſſaria, ſed arbitraria, hoc eſt quæ non debet ex neceſſitate a Romano Pontifice definiri; obloquentibus potiſſimum Hæreticis adverſus noſtrorum Martyrum Canonizationes, noſtriſque Catholicis paſſim hortantibus, ut ad eas procedatur, ſervatis ſervandis, adhibitaque quacumque diligentia, nec ulla prætermiſſa, quæ certitudini judicii conducere poſſit? Neque enim video obſtare poſſe, vel quod facilius cauſæ Martyrum expediantur, quam cauſæ Confeſſorum, vel quod antiquioribus temporibus cauſæ Martyrum ſine miraculis expedirentur; tum quia facilitas expeditionis non conſiſtit in excluſione miraculorum; ſed in ſeria indagine virtutum, & totius vitæ curſus, quæ in cauſis Confeſſorum aſſumitur, non aſſumitur autem in cauſis Martyrum, in quibus quæſtio reducitur ad mortem, cauſam mortis, diſpoſitionem ſancte eam recipiendi, atque in eadem diſpoſitione perſeverantiam; tum quia minime culpanda, quin potius maxime commendanda eſt Eccleſiæ Romanæ conſuetudo, quæ creſcente hominum malitia, ad obſtruendum os loquentium iniqua, in re tanti momenti nova induxit experimenta, quæ antiquioribus temporibus charitate plenis, & malitia vacuis in uſu non erant. Neutiquam etiam attendendum, quod Martyrium ſuppleat vicem Baptiſmi, quodque etiam ſine miraculis conſtare poſſit de omnibus & ſingulis veri Martyrii requiſitis: primo, quia, ut Martyrium ſuppleat vicem Baptiſmi, neceſſe eſt, ut omnia habeat requiſita veri Martyrii, & ideo nihil implicat, quod Eccleſia miracula expoſcat, ut de illis certior fiat, juxta illud D. Gregorii *lib. 4. dialog. cap. 6. tom. 2. oper. Si igitur vitam animæ manentis in corpore deprehendis ex motu membrorum, cur non perpendis vitam animæ poſt corpus etiam per oſſa mortua in virtute miraculorum?* qui ibidem alloquens Petrum Diaconum, & agens de Martyribus dixerat: *Ecce hi, qui animas in mortem poſuerunt, atque animarum vitam poſt mortem carnis eſſe crediderunt, quotidianis miraculis coruſcant:* tum concludit in perſona Petri Diaconi: *Nulla, ut opinor, huic allegationi ratio obſiſtit, in qua ex rebus viſibilibus cogimur credere quod non videmus.* Deinde, quia, ſicuti ſine miraculis dicitur conſtare poſſe de omnibus & ſingulis requiſitis veri Martyrii, ita etiam ſine miraculis conſtare poteſt de omnibus & ſingulis veræ ſanctitatis requiſitis, ex teſtimonium videlicet dicentibus de continuato uſu virtutum in gradu heroico, ex actibus virtutum ab iiſdem teſtibus relatis, ex integra vitæ ſerie per juridicos proceſſus manifeſtata, ex Confeſſariorum atteſtationibus de puritate conſcientiæ, morum innocentia, arduoque in virtutibus progreſſu, & demum ex pretioſa morte in conſpectu Domini, quæ per prædictos teſtes & Confeſſarios comprobari poteſt. Quocirca, ſi nihilominus pro Beatificatione, aut Canonizatione Confeſſorum miracula requiruntur, ut novo probationum genere ea confirmentur, quæ a teſtibus de vita & virtutibus dicta fuerunt, utque Eccleſia tot probationibus edocta certa ſit, ſe nullam omnino omiſiſſe diligentiam, quæ in re tanti momenti fieri potuiſſet; infertur, quod, utcunque ſit, an ſine miraculis conſtare poſſit de omnibus & ſingulis Martyrii requiſitis, necne, atque adeo admiſſo, quod de eis ſine miraculis conſtare poſſit, id non ſufficiet, ut ad Beatificationem, ſeu Canonizationem Martyris procedatur ſine miraculis, tamquam novis probationibus ad rerum relatarum, atque a teſtibus comprobatarum confirmationem advocatis, & ut ſciant omnes, adhibitam fuiſſe diligentiam quamlibet in cauſæ definitione, quæ inter majores recenſentur: eoque magis, quia, ſicuti poſſibile eſt, quod, non obſtantibus teſtium & Confeſſariorum atteſtationibus, Virgines, aut Confeſſores vitam in occulto duxerint laxiorem, pro quo timore avertendo miracula requiruntur, ſub ea certa ſpe, Deum non eſſe illa patraturum eorum interceſſione, quorum mores & geſta ipſi grata non fuerint & accepta; ita fieri poteſt, ut, haud obſtantibus dictis teſtium, mortem ſuſtinentes pro Chriſto aliquem interiorem actum vanæ gloriæ, vel impatientiæ pepererint, aut ut mortem inferentes odium quidem Chriſtianæ Religionis præſetulerint, ſed ex alia cauſa ad eam inferendam fuerint inducti: in quo rerum ſtatu unuſquiſque dignoſcere poteſt, non ſine ratione miracula requiri, ut expoſita pericula excludantur, ea ſemper recurrente firma ſpe, Deum non eſſe miracula patraturum interceſſione eorum, qui integrum & purum propriæ vitæ ſacrificium eidem non obtulerint; juxta doctrinam D. Thomæ 2. 2. *quæſt.* 178. *art.* 2. *Operatur enim ea Deus ad hominum utilitatem, & hoc dupliciter; uno quidem modo ad veritatis prædicatæ confirmationem; alio modo ad demonſtrationem ſanctitatis alicujus . . . . ſecundo autem modo non fiunt miracula niſi a Sanctis, ad quorum ſanctitatem denuntiandam miracula fiunt vel in vita eorum, vel etiam poſt mortem.* Cui ad rem ſubdit Medina *in* 3. *part. quæſt.* 43. *concluſ.* 2. *Miraculum enim verum quod ſola Divina virtute fieri poteſt, eſt veluti quoddam ſigillum Dei quo utitur in teſtimonium, & confirmationem veritatis.* Conſonat illud D. Gregorii, qui *dialog. lib. 3. cap. 31. tom. cit.* ut ſolida auctoritate probaret Martyrium Hermenegildi filii Leovigildi Regis Viſigothorum, juſſu patris Ariani occiſi in Hiſpania, quia noluerat communicare cum Epiſcopo Ariano ait: *Sed pro oſtendenda vera ejus gloria, ſuperna quoque non defuere miracula; nam cœpit in nocturno ſilentio pſalmodiæ cantus ad corpus ejuſdem Regis, & Martyris audiri, atque ideo veraciter Regis, quia & Martyris. Quidam etiam ferunt, quod illic nocturno tempore accenſæ lampades apparebant; unde & factum eſt, quatenus corpus illius, ut videlicet Martyris, jure a cunctis Fidelibus venerari debuiſſet . . . Qua in re conſiderandum nobis eſt, quia totum hoc agi nequaquam poſſet, ſi Hermenegildus Rex pro veritate mortuus non fuiſſet.*

UAB Biblioteca de Ciències Socials

CAPUT TRIGESIMUMPRIMUM.

De serie Actorum in Causis sive Confessorum, sive Martyrum, quæ introducuntur post decreta Urbani VIII. & quæ procedunt per viam casus excepti.

1. EX alibi dicendis constabit, Urbanum VIII. prohibuisse quidem exhibitionem publici cultus erga Dei servos non Beatificatos, aut Canonizatos a Sede Apostolica, at eximisse tamen ab hac sua lege eos Dei servos, qui cultum publicum antea obtinuissent, vel spatio temporis immemorabilis, vel ex Apostolicis indultis, vel ex permissione sacræ Congregationis, vel per Patrum virorumque sanctorum scripta.

2. Quando ergo agitur de Dei servis sive Confessoribus, sive Martyribus, qui non sub lege, sed sub exceptione Urbana sunt comprehensi, & in quorum causis petitur progressus ad solemnem Canonizationem, conficitur ab Ordinario auctoritate sua ordinaria processus super fama virtutum, & miraculorum, si agitur de Confessore; aut super fama Martyrii, & signorum seu miraculorum, si de Martyre: tum una cum processu isto conditur eadem auctoritate ordinaria ab eodem Ordinario alter processus super casu excepto a decretis Urbani VIII. Quatenus autem non fuisset ab Ordinario confectus hic processus super casu excepto, conficitur porro auctoritate Apostolica post signatam commissionem, sicque introducta causa in sacram Congregationem: postquam etenim Sedes Apostolica manum apposuit, non est permissum Ordinariis, se hisce causis immiscere, ad finem etiam conficiendi processum super obedientia decretis Urbani VIII.

3. Processus ab Ordinariis conditi ad sacram Congregationem transmittuntur, atque aperiuntur modis & formis alibi memoratis. Non expectatur in hisce causis decennium, antequam de earum introductione, & ideo de signanda commissione tractetur, ut in secundo tomo videbimus; sed, apertis exemplatisque processibus, proponitur ut plurimum in sacra Congregatione ordinaria dubium; *an sit signanda commissio introductionis*; eoque favorabiliter resoluto, transitus fit ad discussionem alterius dubii in eadem Congregatione ordinaria; *an sit confirmanda sententia judicis ordinarii, vel delegati super casu excepto a decretis Urbani VIII.* Non sufficit enim, quod Ordinarius, aut Delegatus processum conficiant super casu excepto, sed ulterius necesse est, ut suam proferant sententiam, quam quidem, quatenus minime protulissent, sacra Congregatio mandat, ut proferant; quemadmodum colligitur ex decreto edito die 23. Martii 1669. in causa Cracovien. B. Chunegundis, atque ex aliis decretis emissis die 3. Martii, & die 29. Decembris 1674. in causa Barcinonen. B. Oldegarii.

4. Si sententia Ordinarii, vel judicis delegati faveat casui excepto a decretis Urbani VIII. eademque confirmationis robur obtineat a sacra Congregatione, & sacræ Congregationis responsum a Pontifice approbetur; Dei servus, in cujus causa hæc fuerunt obtenta, dicitur *æquipollenter* Beatificatus. Cum enim Beatificatio nihil aliud sit, quam permissio cultus pro aliquibus determinatis locis, de cultus autem permissione dubitandum non sit, quotiescumque casus exceptus a decretis Urbani approbatur, de æquipollenti idcirco Beatificatione minime dubitandum esse videtur.

5. In hac Beatificatione æquipollenti nulla fiunt solemnia, cum decretum Alexandrinum supra relatum sibi vindicet locum in formalibus tantum Beatificationibus: unde cœtus illi, quorum interest, casum exceptum a decretis Urbani VIII. fuisse approbatum, gratiarum tantum actionem Domino Deo deferre possunt illis modis & formis, quibus gratias agere possent pro quocumque alio spirituali recepto beneficio.

6. Elenchum in superioribus exhibuimus formalium Beatificationum. Quamobrem in præsenti operæ pretium esse censemus, elenchum afferre harum Beatificationum æquipollentium, hoc est eorum Dei servorum, quorum cultus tamquam exceptus a decretis Urbani VIII. fuit a Sede Apostolica approbatus. Non continebit tamen elenchus iste declarationem omnium casuum exceptorum, nec fundamenta exceptionum, aut cetera ad unumquemque servum Dei pertinentia: ac proinde non illos Dei servos continebit, qui post approbatum casum exceptum, fuerunt in Sanctorum album relati; sed eos tantum, in quorum causis, approbato casu excepto, non fuit usque adhuc deventum ad solemnem Canonizationem. Reliqua enim ad unumquemque ex his Dei servis pertinentia in secundo tomo exponentur.

7. Tempore Urbani VIII. modo supra indicato æquipollenter fuit beatificata Columba Reatina Virgo Tertii Ordinis Sancti Dominici de Pœnitentia.

8. Tempore Innocentii X. per approbationem cultus immemorabilis æquipollens Beatificatio concessa est Beatis Bernardo Ptolomæo fundatori Congregationis Montis Oliveti, Nicolao Flue Eremitæ Helvetio, & Bernardino de Feltro Ordinis Minorum.

9. Tempore Alexandri VII. approbatus fuit cultus immemorabilis B. Ferdinandi III. Regis Castellæ, & Legionis.

10. Tempore Clementis IX. approbatus fuit casus exceptus in causa B. Margaritæ de Sabaudia Tertii Ordinis S. Dominici.

11. Tempore Clementis X. facta est approbatio cultus immemorabilis, & casus excepti a decretis Urbani VIII. in causis Beatorum Petri Paschasii Ordinis B. Mariæ de Mercede Redemptionis Captivorum, Ludovicæ Albertoniæ Tertii Ordinis S. Francisci, Jacobi de Mevania Ordinis Prædicatorum, Salomeæ Reginæ Aliciæ, seu Galaciæ Monialis Professæ Ordinis S. Claræ, Oldegarii Episcopi primum Barcinonensis, deinde Archiepiscopi Tarraconensis.

12. Tempore Innocentii Papæ XI. approbatus est cultus immemorabilis Beatorum Joannis Cantii Presbyteri sæcularis & Professoris Academiæ Cracovienſis, Amedei Ducis Sabaudiæ III. Simonis de Lipnica Sacerdotis Ordinis Minorum S. Francisci de Observantia, Petri Armengol Religiosi Professi Ordinis B. Mariæ de Mercede Redemptionis Captivorum, Antonii a Stronconio Laici Professi Ordinis Minorum Observantium Sancti Francisci.

13. Tempore Alexandri VIII. facta est approbatio cultus immemorabilis B. Chunegundis Reginæ Poloniæ.

14. Tempore Innocentii XII. similia contigerunt in causis Beatarum Mariæ de Socos Monialis Professæ Ordinis B. Mariæ de Mercede Redemptionis Captivorum, Joannæ filiæ Alphonsi V. Regis Lusitaniæ & Religiosæ Ordinis S. Dominici, Humilianæ de Circulis, Helenæ Enselminæ Ordinis S. Francisci, Zitæ Virginis Lucensis, Mariæ de Capite, vulgo nuncupatæ *della Cabeza* uxoris S. Isidori Agricolæ, Beatorumque Augustini Dalmatæ Ordinis Prædicatorum Episcopi Zagabriensis deinde Lucerini, ac Jacobi Illyrici vulgo *de Bitetto* Laici Ordinis Minorum Observantiæ S. Francisci.

15. Tempore Clementis XI. approbatus est cultus immemorabilis Beatorum FF. Joannis Sacerdotis, & Petri Laici Martyrum Ordinis Minorum S. Francisci, Teresiæ, & Sanciæ Monialium Ordinis Cistercienſis, quæ vulgo dicuntur *Sanctæ Reginæ*, Luciæ de Narnia Ordinis S. Dominici, Salvatoris ab Horta Ordinis Minorum Observantium S. Francisci, Ceslai Odrovantii Ordinis Prædicatorum, Liberati de Lauro *Sancti* nuncupati Ordinis FF. Minorum S. Francisci de Observantia, Gregorii Papæ X. Alexii Falconerii unius ex fundatoribus Ordinis Servorum Matris Dei, Seraphini de Asculo sive de Monte Granario Laici Professi Ordinis Minorum Capuccinorum S. Francisci, Humilitatis Abbatissæ & fundatricis Monialium Congregationis Vallis Umbrosæ.

16. Tempore Innocentii XIII. approbatus est cultus immemorabilis Beatorum Dalmatii Ordinis S. Dominici, atque Andreæ de Comitibus Ordinis Minorum S. Francisci.

17. Tempore Benedicti XIII. approbatus est cultus immemorabilis Beatorum sex ex septem fundatoribus Religiosi Ordinis Servorum B. Mariæ Virginis, hoc est Bonfilii Monaldini, Joannis Manetti, Benedicti Antellensis, Bartholomæi de Amideis, Ricoveri Lippii, Gerardini Soltenei. Cultus etenim septimi fundatoris, ideſt B. Alexii de Falconeriis, jam fuerat ut mox diximus, antea comprobatus. Tum etiam sub eodem Pontifice approbatus est cultus immemorabilis B. Serapionis Martyris Religiosi Professi Ordinis B. Mariæ Virginis de Mercede Redemptionis Captivorum. Initio autem ducto ab approbatione cultus immemorabilis B. Luciæ de Narnia

UAB Biblioteca de Ciències Socials

uſque ad approbationem cultus immemorabilis B. Serapionis, approbationes omnes contigerunt, dum fungebar munere Fidei Promotoris.

18. Noviſſime vero, tempore videlicet Summi Pontificis Clementis XII. approbatus eſt cultus immemorabilis Beati Joannis de Dukla Ordinis Minorum Obſervantium Sancti Franciſci, Beati Benedicti Papæ XI. Ordinis Prædicatorum, Beatæ Michelinæ Tertiariæ Ordinis Minorum Conventualium, Beatæ Ritæ, ſive Margaritæ de Caſſia, Beatæ Claræ de Montefalco, Servi Dei Joannis Angeli Porro Ordinis Servorum; & poſtquam Summus Pontificatus ad Nos immerentes licet delatus eſt, facta eſt approbatio caſus excepti, ſive cultus immemorabilis Beatæ Coletæ Virginis Ordinis Sanctæ Claræ, Beatæ Stephanæ de Quinzanis Monialis Ordinis Prædicatorum, Beati Alvari de Corduba Sacerdotis Profeſſi ejuſdem Ordinis, Beati Petri Gonzalez Sacerdotis Profeſſi Ordinis Prædicatorum, B. Gerii a Monte Sancto *Sancti* nuncupati, B. Benedicti a S. Philadelpho Laici Profeſſi Ordinis Minorum Obſervantium Reformatorum, B. Franciſci Patritii Ordinis Servorum B. Mariæ Virginis, Nicolai Albergati Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalis & Epiſcopi Bononienſis, B. Pacifici a Ceradano Ordinis Minorum S. Franciſci de Obſervantia.

CAPUT TRIGESIMUMSECUNDUM.

De ſerie Actorum in cauſis ſive Confeſſorum, ſive Martyrum, quæ introducuntur poſt decreta Urbani VIII. quæque procedunt per viam caſus excepti, in tranſitu a Beatificatione æquipollenti *ad formalem Canonizationem.*

1. APPROBATO caſu excepto a decretis Urbani VIII. ut ab hac Beatificatione *æquipollenti* tranſitus fiat ad formalem Canonizationem, obtenta prius facultate, ne proceſſus Apoſtolicus in genere conficiatur, quæ ex alibi dicendis facile indulgetur, cum agitur de cauſis procedentibus per viam caſus excepti, proponendum eſt dubium in cauſis Confeſſorum; *an conſtet de virtutibus Theologalibus, & Cardinalibus*; in cauſis autem Martyrum; *an conſtet de Martyrio, & cauſa Martyrii*. Porro, expleto favorabiliter judicio ſuper virtutibus, aut ſuper Martyrio, proponitur in cauſis Confeſſorum dubium; *an conſtet de miraculis, quæ poſt indultam venerationem ſupervenerunt*: in cauſis autem Martyrum; *an conſtet de ſignis ſeu miraculis, quæ ſupervenerunt poſt indultam venerationem*; ſive id fiat ſeparatim a dubio ſuper Martyrio, & cauſa Martyrii, ſive ſimul cum ipſo, uti ſupra viſum eſt. Denique, quatenus duo ad minimum miracula approbentur, fit locus ultimo dubio; *an, ſtante approbatione virtutum, & miraculorum, aut Martyrii, & cauſæ Martyrii, & ſignorum ſive miraculorum, tuto procedi poſſit ad ſolemnem Canonizationem*.

2. Hic tamen procedendi ordo nonnullis aliquando diſplicuit: aliquibus quippe nimis laxus, aliis autem nimis rigidus viſus eſt. Viſus eſt nimirum aliquibus nimis laxus, quia, cum in cauſis Beatorum, quæ procedunt per viam non cultus, quatuor miracula ſint neceſſaria pro Canonizatione obtinenda, duo ſcilicet ante, & duo poſt Beatificationem; in cauſis vero, quæ procedunt per viam caſus excepti, duo tantum miracula dicantur eſſe neceſſaria, quæ poſt indultam venerationem ſupervenerint, videtur cauſa non Beatificati melioris eſſe conditionis cauſa Beatificati: qua in re aliquid inordinatum continetur.

3. Difficultas hæc ipſa fuit a Fidei Promotoribus pluries propoſita in examine harum cauſarum, & ſignanter quando proponebatur dubium; *an ſtante approbatione virtutum, & duorum miraculorum tertii generis, tuto ad Canonizationem procedi poſſet*. Proſper enim Bottinius Archiepiſcopus Myrenſis & Fidei Promotor egregius eam propoſuit in cauſa tunc Beati, nunc Sancti Joannis de Capiſtrano, atque in cauſa tunc Beatæ, nunc Sanctæ Catharinæ de Bononia: & ex ratione quidem modo ponderata dixit, tuto in prædictis cauſis, quæ proceſſerant per viam caſus excepti, non poſſe deveniri ad Canonizationem, cum videlicet duorum tantum miraculorum tertii generis approbatio acceſſiſſet ad unamquamque ex cauſis prædictis. Ipſe quoque ad Officium Fidei Promotoris aſſumptus hanc eamdem difficultatem excitavi in cauſa tunc Beati, nunc Sancti Stanislai Novitii Societatis Jeſu. Verum, cum, ipſa difficultate ſecundum juris ſolemnitatem diſcuſſa, ſacrorum rituum Congregatio generalis cenſuerit, in omnibus prædictis cauſis tuto poſſe ad Canonizationem deveniri, uti deſumitur ex decreto edito in cauſa S. Joannis de Capiſtrano die 13. Junii 1679. ex decreto edito in cauſa S. Catharinæ die 7. Maji 1707. atque ex decreto edito in cauſa S. Stanislai die 13. Nov. 1714. tria hæc exempla, quæ, re mature ac jure diſcuſſa, prodierunt, oſtendunt, dubitandum non eſſe de uſu ſacræ Congregationis quoad ſufficientiam duorum miraculorum tertii generis, quæ poſt indultam venerationem ſupervenerint, pro obtinendo Canonizationis decreto in cauſis procedentibus per viam caſus excepti. Præterquamquod, habita approbatione duorum miraculorum tertii generis, expeditum fuit ſolemnis Canonizationis decretum in cauſa etiam S. Agnetis Virginis Ordinis Prædicatorum, quemadmodum deſumitur ex decreto edito die 12. Maji 1726.

4. Et horum utique omnium ratio eſt, quia, cum textus *in cap. Venerabili de teſt. & atteſtat.* conſtituat, ut pro obtinenda Canonizatione inquiratur *ſuper vita, & miraculis*, pluralis locutio in numero binario vera eſt, *juxta textum in cap. 40. de regul. jur. in 6. & in l. Ubi numerus ff. de teſtibus*; & idcirco communis eſt opinio Doctorum, duo miracula ſufficere pro Canonizatione impetranda, uti probant Contelor. *de Canoniz. SS. cap. 20. nu. 9.* Caſtellin. *de cert. glor. SS. cap. 8. punct. 23. §. Tertia concluſio*, Pignatell. *conſult. 18. per tot. tom.* 5. Bordon. *de miraculis medit. 4. num. 20.* Auditores Rotæ *in relatione S. Felicis tit. de miraculis §. Numerus autem; in relatione S. Hyacinthi tit. de miraculis verſic. Sed his non obſtantibus; & in relatione S. Andreæ Corſini part. 2. num. 203. poſt primam conſultationem Lezanæ*.

5. Itaque, ſi de jure duo miracula ſufficiunt pro Canonizatione obtinenda; nemo eſt, qui non videat, quatuor miraculorum interventum, duorum videlicet ante, & duorum poſt Beatificationem, in cauſis procedentibus per viam non cultus, originem habere a conſuetudine Sedis Apoſtolicæ: quod utique inſtitutum cum non fuerit etiam extenſum ad cauſas procedentes per viam caſus excepti, in his ſtandum eſt juris communis conſtitutioni. Quatenus vero ſubdatur, conſuetudinem eſſe etiam ad has cauſas extendendam, ne non Beatificatus ſit melioris conditionis Beatificato; repeti poteſt, quod poſt approbationem caſus excepti, Dei ſervus dicendus eſt Beatificatus Beatificatione æquipollenti, atque adeo, quod ex quocumque capite proveniat declaratio caſus excepti, ſive a ratione immemorabilis, ſive a ratione conceſſionum cultus jam factarum a Sede Apoſtolica, de præexiſtentia aliorum miraculorum ante indultam venerationem vehementiſſima urget præſumptio. Hæc porro a nobis ſcripta ſunt, antequam ad ſummum Pontificatum licet immerentes fuerimus evecti. Ad ſummum autem Pontificatum evecti, cum ſerio conſideraverimus, quod in cauſis procedentibus per viam caſus excepti virtutes, & Martyrium probentur per teſtes de auditu, & probationes ſubſidiarias, decretum edidimus die 23. Aprilis 1741. in quo recedendum eſſe cenſuimus ab antiqua praxi procedendi ad ſolemnem Canonizationem ex duobus tantum miraculis; ſed quatuor eſſe ſtatuimus miracula neceſſaria, teſtibus de viſu comprobata, ut in cauſis procedentibus per viam caſus excepti, probatis virtutibus, aut Martyrio per ſubſidiarias probationes, ſolemnis obtineri poſſit Canonizatio.

6. Satisfecimus huc uſque eis, qui ordinem ſacræ Congregationis tamquam nimis laxum improbabant: nunc operæ pretium eſt perpendere alia, quæ opponuntur ab his, qui eum nimis rigidum cenſent. Rigorem iſti conſtituunt in neceſſitate proponendi dubium ſuper virtutibus, vel ſuper Martyrio poſt approbationem caſus excepti a decretis Urbani VIII. Dicunt etenim, caſum exceptum aliquando quidem conſtitui in ſola immemorabili poſſeſſione cultus, ſed etiam aliquando in Apoſtolicis litteris ſummorum Pontificum, ex quibus fit conceſſio Officii & Miſſæ in honorem Dei ſervi, ſive, quod ejus nomen deſcribatur in Martyrologio Romano; illud etiam interdum contingit, ut poſt approbationem caſus excepti fiat prædictorum conceſſio a ſummis Pontificibus, prævio ſacræ Congregationis conſilio. Si poſt hæc igitur, ut ad

Cano-

UAB Biblioteca de Ciències Socials

Canonizationem procedatur, requiritur formalis discussio virtutum, cum fieri possit ut non approbentur, hac in re non modica continetur absurditas; quod scilicet dicatur, non constare de virtutibus eorum Dei servorum, in quorum honorem, Pontificia intercedente auctoritate, Missa celebratur, & recitatur Officium, nonnumquam etiam cum lectionibus propriis, in quibus referuntur virtutes, quæ postmodum reprobantur. Addunt, in hisce causis virtutes examinari non posse nisi dependendo a probationibus subsidiariis, hoc est ab Historicis, & testibus de auditu, cum testes de visu in his antiquissimis causis, qui de virtutibus verba deponant, reperiri non possint; & ideo, quando virtutes prædicto modo examinantur, nulla ratione responderi posse dubio disputato, idest, constare de virtutibus, siquidem *constare* exposcit probationes apertissimas, atque, ut ajunt, luce meridiana clariores.

7. Favet huic assumpto decretum summi Pontificis Clementis IX. editum anno 1668. supra relatum, & hic iterum referendum: *Sanctissimus D. N. Clemens IX. ad omnem hæsitationem desuper penitus tollendam, die 10. Septembris 1668. in Congregatione habita coram Sanctitate sua declaravit ac respective decrevit, quod in posterum in causis servorum Dei, qui aliqua veneratione & titulo Beati a Romanis Pontificibus decorati sunt, Cardinalis in ordine Ponens in Congregatione coram summo Pontifice habenda plenam & distinctam relationem facere tantummodo debeat eorum, quæ cultus concessionem præcesserunt, & quæ intuitu ipsius venerationis quomodolibet elargita fuerunt. Ea vero, quæ post indultam venerationem seu cultum quomodolibet supervenerunt, debeat per juridicas probationes discuti, ac, prævia matura discussione, ad juris trutinam redigi, prout hactenus inconcusse servatum fuit; ut ex iis constare possit, num Sedes Apostolica tuto valeat ad solemnem illius Canonizationem juxta S. R. E. ritum & canonicas sanctiones devenire.*

8. Enimvero, si juxta decretum Clementinum de illis Dei servis, quibus a Sede Apostolica veneratio indulta est, nequaquam discuti, sed tantum referri debent ea, quæ cultus concessionem præcesserunt, formalis autem discussio contrahitur ad ea, quæ ab indulta Veneratione supervenerunt, jure ac merito inferri posse videtur, in causis horum Dei Servorum esse disputanda tantummodo miracula, nec ullo modo disputationi esse subjiciendas virtutes; multoque magis, quia duo hoc idem assumptum comprobantia reperiuntur exempla: primum ex causa Canonizationis Sancti Philippi Benitii, in qua sequens prodiit decretum: *Sacrorum rituum Congregatio censuit, posse concedi, ut procedatur ad ulteriora in causa B. Benitii absque discussione dubii, an constet de virtutibus tam Theologalibus, quam Cardinalibus & annexis in gradu heroico; extantibus Brevibus & litteris Apostolicis Leonis X. & Pauli V. & Urbani VIII. emanatis tam super illius Beatificatione, quam super approbatione lectionum, & aliis, ac cultu immemorabili: quodque hujusmodi dubium proponatur in Congregatione habenda coram Sanctissimo de his, quæ supervenerunt post indultam eidem Beato venerationem, ad formam decreti facti die 10. Septembris 1668. in Congregatione generali habita coram SS. D. N. Clemente IX. si ita Sanctitati suæ visum fuerit:* alterum vero ex decreto edito in causa S. Laurentii Justiniani, quod ita se habet: *Eadem sacra Congregatio, audito Rev. D. Archiepiscopo Myrensi Fidei Promotore in scriptis & in voce, censuit ex omnibus simul junctis posse procedi ad ulteriora in discussione miraculorum intercessione dicti Beati ab omnipotenti Deo patratorum ad effectum, de quo agitur, si SS. D. N. placuerit: &, facto de prædictis verbo cum Sanctissimo per me Secretarium, etiam præsente præfato Rev. Fidei Promotore, Sanctitas sua benigne annuit.* Cum enim causa S. Laurentii Justiniani processerit per viam casus excepti, nec in illa fuerint secundum juris solemnitatem disputatæ virtutes, sed disputatio formalis fuerit redacta tantum ad miracula, quæ supervenerunt ab indulta veneratione, ut ex præposito colligitur decreto; nil clarius afferri posse videtur ad suadendum, neutiquam esse in hujusmodi causis disputandas virtutes, sed disputationem esse solum instituendam de miraculis, quæ post indultam supervenerunt venerationem.

9. Verum, ut modo expositis fiat satis, utque Sedis Apostolicæ consuetudo una cum fundamentis, quibus innititur, perspicua fiat; prænoscere opus est, exhibitionem publici cultus aliquando fuisse permissam atque etiam permitti ejusque concessionem aliquando factam fuisse & etiam fieri, prævia utique fama non levi, nec arbitraria, sed gravi & bene fundata virtutum & miraculorum, aut Martyrii & signorum, in honorem aliquorum Dei servorum, qui pretiosa morte in Domino occubuerunt, at absque eo quod tamen ullum præcesserit juridicum examen dependens a processibus ordinario, & Apostolico, aut a processu Apostolico super virtutibus, & miraculis, vel super Martyrio, & signis. Quod quidem ex alibi dicendis comprobatum, interim vero est præponendum; quemadmodum pariter ponendum atque admittendum est, multas factas fuisse, & adhuc fieri a Sede Apostolica publici cultus concessiones in honorem Dei servorum post discussas approbatasque virtutes una cum miraculis, aut post discussum approbatumque Martyrium una cum causa Martyrii, signis, ac miraculis.

10. Quibus positis ac præmissis, dicimus, olim quidem in causis secundi generis quando a Beatificatione procedendum erat ad Canonizationem, iterum examinari consuevisse ea omnia, quæ fuerant ante Beatificationem examinata & resoluta; sed in præsens hunc morem ab aula recessisse, cum in hisce causis post Beatificationem nunc ea tantum examinentur, quæ ab indulta veneratione subsecuta sunt, ut in superioribus visum fuit: in causis autem primi generis super institutum fuisse examen virtutum, non obstante præcedentium indultorum concessione, utpote facta sine prævio juridico earumdem examine; quod ipsum dicimus, semper factum fuisse in causis Martyrum, in quibus actum est de Martyrio, & causa Martyrii etiam post concessionem Indultorum, quando eadem facta est sine prævio juridico examine tum Martyrii, tum causæ Martyrii, & signorum; itam tamen ut differentia constituenda sit in qualitate examinis, cum aliquando illud expletum fuerit per modum formalis dubii, aliquando vero per modum relationis, non qualiscunque, sed juridicæ & dependentis a processibus auctoritate ordinaria, atque Apostolica, vel Apostolica tantum confectis, & aliquando sane in particulari sacrorum rituum Congregatione, aliquando autem in Congregationibus antepræparatoriis, præparatoriis, & generalibus, de more aliarum causarum. Quamobrem, cum causæ procedentes per viam casus excepti non ad secundam, sed ad primam classem ut plurimum pertineant; mirum esse non debet, si post approbatum casum exceptum, ut a Beatificatione æquipollenti transitus fiat *ad Canonizationem*, necesse sit, ut virtutes in Confessoribus, & Martyrium, & causa Martyrii in Martyribus examinentur.

11. Diximus, examina hæc semper facta fuisse, antequam fieret Canonizatio, licet ampliffima venerationis Indulta præcesserint, quotiescunque facta fuit eorum concessio sine prævio juridico examine dependente a processibus rite confectis super argumento virtutum heroicarum, seu Martyrii. Patet hoc nempe exemplis causarum S. Hyacinthi, & Raymundi, Isidori Agricolæ, & Andreæ Corsini. Hyacinthus enim, & Raymundus in Sanctorum album relati sunt a Pontifice Clemente VIII. Et, licet in honorem ipsorum summus Pontifex Paulus III. indulsisset, ut Officium recitari posset, uti colligitur ex bulla 27. §. 5. & ex bulla 77. §. 57. Clementis VIII. *tom.* 3. *Bullar. Rom.* necessarium nihilominus fuit, ut assumeretur formalis discussio virtutum tum in Rotæ Auditorio, tum in Sacra Congregatione, juxta morem tunc temporis receptum, antequam deveniri posset ad formalem Canonizationem. Similia his contigerunt in aliis allegatis causis Sanctorum Isidori Agricolæ, & Andreæ Corsini: facta quippe fuit formalis discussio virtutum, antequam ille a Gregorio XV. hic autem ab Urbano VIII. Summis Pontificibus fuerint in SS. album relati; licet Isidorus esset in antiquissima publici Cultus possessione, quemadmodum constat ex Relatione facta in Consistorio per Cardinalem de Monte, & ex Relatione trium Rotæ Auditorum *tit.* 2. *de sanctitate vitæ in genere*, quæ Relationes typis impressæ sunt post Contelor. *de Canonizat. SS.* & licet usque ab anno 1440. causa insignis miraculi, quod intercessione Beati Andreæ Corsini a Deo patratum fuerat in Civitate Florentina, Eugenius Papa IV. qui in dicta Civitate tunc morabatur; adeo amplam in ejus honorem feciffet Cultus concessionem, ut Cardinales astantes reputaverint, Andream tunc fuisse in Sanctorum album ab eo ralatum; sicuti legitur in ejus vita scripta a Petro Andrea Caitaneo, quam Bollandus publici juris fecit *ad diem* 30. *Januarii tom.* 2. Facta quoque fuit ab Urbano VIII. Canonizatio S. Elisabeth Reginæ Portugalliæ, & formale virtutum examen non defuit, quamvis Leo Papa X. publici cultus exhibitionem in ejus honorem permisisset; veluti colligitur ex relatione facta in Consistorio a supra memorato Cardinali de Monte, *tit. de Actis causæ*. De formali nimirum examine virtutum in omnibus hisce causis assum-

ſumpto poſt conceſſionem dictorum Indultorum nullo modo eſt dubitandum, cum adhuc extent relationes factæ ab Auditoribus Rotæ ſuper virtutibus prædictorum Sanctorum longe poſt Indultorum conceſſionem, atque ex regeſtis ſacræ Congregationis dignoſcatur, judicio Rotali ſucceſſiſſe examen ſacræ Congregationis ſuper virtutibus. Cumque venerationis Indulta in cauſis prædictis utique conceſſa fuerint ſine prævio juridico examine virtutum, manifeſta hinc deducitur conſequentia, a formali virtutum examine eximi non poſſe eas cauſas, in quibus conceſſio cultus ſine prædicto formali examine facta eſt; quod ipſum ulterius conſtabit exemplis infra ſubjiciendis.

12. Diximus quoque, differentiam nonnunquam interceſſiſſe in qualitate examinis, cum iſtud interdum expletum fuerit per modum dubii formalis hujuſmodi verbis concepti, *an conſtet de virtutibus Theologalibus & Cardinalibus*; alias vero per modum relationis, non qualifcumque, ſed juridicæ & dependentis a proceſſibus auctoritate ordinaria, atque Apoſtolica, vel Apoſtolica tantum confectis. Per modum quippe dubii formalis expletum fuit examen in cauſis S. Joannis de Capiſtrano, S. Catharinæ de Bononia, B. Bernardini de Feltro, S. Julianæ de Falconeriis, S. Agnetis de Monte Politiano, S. Peregrini Latioſi; quamvis in omnibus prædictis cauſis præceſſiſſet declaratio caſus excepti a decretis Urbani VIII. aut ratione immemorabilis, ut in cauſa S. Julianæ, aut ratione Indultorum a ſummis Pontificibus jam conceſſorum; & licet fere in omnibus prædictis cauſis jam facta fuiſſet conceſſio Officii & Miſſæ vel in ipſis Indultis, in quorum ſequelam declaratus eſt caſus exceptus a decretis Urbani VIII. ut in cauſis S. Catharinæ, S. Agnetis, & S. Peregrini Latioſi, vel per ipſam ſeparatam Officii & Miſſæ conceſſionem factam poſt declarationem caſus excepti ratione immemorabilis, & ante aſſumptum examen ſuper virtutibus, ut in cauſa S. Julianæ: quod ipſum ſimiliter contigit in cauſa S. Joannis Nepomuceni, in qua facta fuit formalis dubii diſputatio, *an conſtet de Martyrio, & cauſa Martyrii*, poſt declarationem caſus excepti a decretis Urbani VIII. ratione immemorabilis, & poſt ſeparatam conceſſionem Officii & Miſſæ in ejus honorem.

13. Per modum deinde relationis, non qualifcunque, ſed juridicæ & dependentis a proceſſibus auctoritate ordinaria, atque Apoſtolica, vel Apoſtolica tantum confectis, expletum fuit examen in cauſa S. Joannis a S. Facundo. Nam ante venerationis Indultum factum utique fuerat quoddam virtutum examen a tribus Cardinalibus, tum autem a Cardinali Antoniano exhibita fuerat ſacræ Congregationi relatio; ſed, petentibus Poſtulatoribus progreſſum ad Canonizationem, oppoſuit Petrus Franciſcus de Rubeis tunc Fidei Promotor, eam relationem fuiſſe hiſtoricam, non judicialem atque ex proceſſibus conditam; & ſacra quidem Congregatio die 13. Auguſti 1667. mandavit, confici ſummarium probationum ex proceſſibus deſumendarum reſpondens relationi Cardinalis Antoniani, eoque exhibito, die 21. Julii 1668. declaravit, per deducta ex proceſſibus confectis ante indultam Sancti Joanni venerationem plene conſtitiſſe de virtutibus pro ſolemni Canonizatione requiſitis. Item in cauſa Sancti Stanislai Koſtkæ, cum poſt declaratum caſum exceptum a decretis Urbani VIII. ratione ampliſſimorum Indultorum in ejus honorem conceſſorum Poſtulatores omnino vellet, omiſſo dubio ſuper virtutibus, proponere dubium ſuper miraculis, quæ ab indulta veneratione ſupervenerant; Proſper Bottinius Archiepiſcopus Myrenſis tunc Fidei Promotor objecit, Indulta venerationis conceſſa fuiſſe ſine prævio formali examine virtutum: ideoque ſan. me. Clemens Papa X. die 6. Martii 1676. juſſit, ut in Congregatione particulari examinarentur proceſſus *pro recognoſcendis virtutibus dicti Beati in gradu heroico, non tamen per modum formalis diſputationis dubii, ſed ad effectum determinandi, ut procedi poſſet ad diſcuſſionem miraculorum*: tum poſtea, cum in Congregatione ſubinde habita unanimiter dictum fuiſſet, poſſe ad ulteriora procedi, ſi Sanctiſſimo placuiſſet, Sanctitas ſua benigne annuit; & tempore demum ſan. mem. Clementis XI. expletum fuit examen ſuper miraculis.

14. Diximus tandem, in hiſce cauſis aliquando perfectum fuiſſe examen in particularibus Congregationibus, alias vero factum fuiſſe in Congregationibus præparatoriis, & generalibus, ſicuti fit in cauſis procedentibus per viam non cultus. Primo ſcilicet modo factum eſt examen virtutum, uti vidimus, in cauſa S. Stanislai tempore Clementis X. in cauſa etiam S. Catharinæ de Bononia tempore Innocentii XI. de ejus quippe virtutibus actum eſt in Congregatione ordinaria ſacrorum rituum. Et, quam. vis tempore ſan. mem. Clementi XI. facta fuiſſet Congregatio antepræparatoria ſuper virtutibus S. Julianæ de Falconeriis in ædibus bon. mem. Cardinalis Fabroni cauſæ Relatoris, ut tranſitus deinde fieret ad Congregationem generalem; item tempore Innocentii XIII. facta quoque fuiſſet Congregatio antepræparatoria ſuper virtutibus S. Agnetis de Monte Politiano, ut deinde etiam tranſitus fieret ad Congregationem præparatoriam, & generalem; ſanctæ nihilominus memoriæ Benedictus XIII. inhærens mori a ſuis Anteceſſoribus ſervato in cauſis S. Stanislai, & S. Catharinæ benigne indulſit, ut examen virtutum in cauſis S. Julianæ, & S. Agnetis expleretur in Congregatione particulari quinque Cardinalium ex adſcriptis Congregationi ſacrorum rituum, cui quoque interfuerunt Secretarius Congregationis eorumdem rituum, & ego tunc Fidei Promotor: & demum ſub eodem Pontifice Benedicto in Congregatione quoque particulari propoſitum fuit & examinatum dubium de Martyrio, & cauſa Martyrii in cauſa S. Joannis Nepomuceni: in Congregatione ordinaria ſacrorum rituum habita die 17. Maji anni 1732. propoſitum fuit, & favorabiliter reſolutum dubium in cauſa S. Catharinæ Fliſcæ Adurnæ; eodemque modo in Congregatione ordinaria habita die 9. Maji currentis anni 1733. approbatæ fuerunt virtutes B. Seraphini de Aſculo Laici Ordinis Capuccinorum ſequentibus verbis; *ita conſtare, ut procedi poſſit ad diſcuſſionem miraculorum*; quæ ipſiſſima utique verba leguntur etiam in decreto approbationis virtutum B. Joannis Cantii facta in Congregatione ordinaria die 4. Julii 1733. Verum, ſicut in cauſa S. Joannis de Capiſtrano ſub Alexandro VII. actum fuit, ita & in cauſa S. Peregrini Latioſi ſub Clemente XI. Me enim eo tempore Fidei Promotore contendente, ut examen fieret in tribus Congregationibus antepræparatoria, præparatoria, & generali, expletum profecto fuit in hujuſmodi Congregationibus examen ipſum virtutum.

15. Uno verbo, ſi ante declarationem caſus excepti a decretis Urbani VIII. non præceſſit formale examen virtutum, quod nunquam præcedere potuit, quando agitur de cauſis, quæ poſt decreta Urbani VIII. introducuntur, & de quibus loquimur in præſenti, quodque etiam ſæpiſſime minime præceſſit, etiamſi loquamur de cauſis ante decreta Urbani VIII. introductis, de quibus in capite ſequenti; quamquam in eis aliquando facta ſit ampliſſimorum Indultorum conceſſio, ſemper opus eſt, ut in tranſitu a Beatificatione æquipollenti ad Canonizationem examinentur & perpendantur virtutes, quando res eſt de Confeſſore; examinentur autem ac perpendantur Martyrium & cauſa Martyrii, cum res eſt de Martyre; (hæc enim in prædictis cauſis ſunt ſubſtantialia, atque a ſacris Canonibus præſcripta) ſive id fiat per modum formalis dubii, ſive per modum relationis, ſive in Congregatione particulari, ſive in conſuetis Congregationibus, dummodo tamen relatio ſit non hiſtorica, ſed juridica, & fundamentum habeat in proceſſibus auctoritate ordinaria, & Apoſtolica; vel Apoſtolica tantum confectis, & dummodo Fidei Promotor videat & perpendat, quæ juxta munus ſuum ab eo ſunt videnda ac perpendenda.

16. Pro hujus capitis complemento nihil aliud nunc ſupereſt, quam ut antea oppoſitis a nimium rigorem adſtruentibus reſpondeamus. Opponebatur nempe, poſt approbatum caſum exceptum, & multo magis, ſi approbatio facta ſit dependendo a Pontificis Indultis ſuper conceſſione Officii & Miſſæ, incongruum prorſus eſſe, ut de virtutibus agatur; eo, quia, ſi de illis agitur & diſputatur, periculum imminet, ne approta reprobentur. Verum id non eſt tanti roboris & momenti, ut a neceſſaria ſacræ Congregationis conſuetudine ſit propterea recedendum. Non enim fit approbatio caſus excepti a decretis Urbani VIII. niſi præcedat *ſignatura commiſſionis*, & ſic, niſi conſtet, uti ſuo loco videbitur, de fama virtutum & miraculorum, aut de fama Martyrii & miraculorum ſeu ſignorum; quod ad cultus publici permiſſionem ſatis eſt, cum agitur de Dei ſervis, ſeu Beatis, qui ſint in antiquiſſima cultus poſſeſſione, & multo magis, ſi antea a ſummis Pontificibus facta ſit in honorem eorum conceſſio Indultorum venerationis: nec enim credi poteſt, quod temere proceſſerint. Porro, ſi Poſtulatores progreſſum ad ulteriora non petant, nihil aliud in illis cauſis requiritur; ſi vero ad ulteriora procedere velint, hoc eſt ad Canonizationem; quæ cultum præceptivum ſignificat ad univerſam Eccleſiam extenſum, adimplere debet, quæ a ſacris Canonibus adimplenda præſcribuntur; ideoque tenentur propone-

ponere dubium ſuper virtutibus ſi agitur de Confeſſore ; ſuper Martyrio , ſi de Martyre : ceſſante omnino conflictu reprobationis approbatorum periculo , cum nunquam fuerint approbatæ virtutes , aut Martyrium , ſed tantum fama virtutum , aut Martyrii , ac miraculorum ; quæ quidem fama , quatenus etiam virtutes , aut Martyrium minime approbarentur , non ob id continuo ceſſaret ; cum diſputatio ſuper virtutibus & Martyrio reſpiciat futuram Canonizationem ; & hæc utique duo bene poſſint ſtare ſimul , conſtare videlicet de fama virtutum , aut Martyrii pro cultu permiſſo , & non conſtare de virtutibus in individuo , aut de Martyrio pro cultu præceptivo .

17. Opponebatur adhuc , virtutum & Martyrii examen in hiſce cauſis non poſſe fieri , niſi dependendo a probationibus ſubſidiariis , hoc eſt a teſtibus de auditu & Hiſtoricis : in quo rerum themate reſponderi non poteſt ; *conſtare de virtutibus , aut Martyrio* ; cum *conſtare* expoſcat probationes luce meridiana clariores . Prætermiſſo autem , quod videtur reſponderi poſſe , *conſtare* , dependendo a probationibus etiam ſubſidiariis , quæ in genere ſuo perfectæ ſint , & dummodo caſus ſit tantum capax ſubſidiariæ probationis , juxta textum *in cap. Pro humani , de homicidio in 6.* ubi ſic legitur : *Et , poſtquam probabilibus conſtiterit argumentis , aliquem ſcelus tam execrabile commiſiſſe* ; vis major ſtat in hoc , quod propoſito dubio ; *an conſtet de virtutibus* ; vel : *an conſtet de Martyrio* , in cauſis procedentibus per viam caſus excepti non reſpondetur abſolute & ſimpliciter ; *conſtare* ; ſed reſpondetur : *ita conſtare de virtutibus , ut deveniri poſſit ad diſcuſſionem miraculorum* ; ut factum eſt in cauſa S. Peregrini Latioſi , in cauſa S. Agnetis de Monte Politiano , & in cauſa S. Julianæ de Falconeriis ; tumque in cauſa S. Joannis Nepomuceni reſponſum fuit : *ita conſtare de Martyrio , ut ad miraculorum , ſeu ſignorum diſcuſſionem poſſet deveniri* . Cum enim in cauſa S. Peregrini Latioſi , quando agebatur de tuto progreſſu ad Canonizationem , ipſe tamquam Fidei Promotor objeciſſem , non ſufficere approbationem virtutum expreſſam verbis nuper relatis ſacra Congregatio cenſuit , eam eſſe utique ſufficientem , utpote congruam cauſæ procedenti per viam caſus excepti : qui certe reſcribendi modus exaggeratum periculum reprobationis approbatorum funditus evertit : quia , ſi propoſito dubio de virtutibus , aut Martyrio affirmanter reſponderi non poſſit , ſic erit reſpondendum : *non ita conſtare de virtutibus , aut Martyrio , ut tuto procedi poſſet ad Canonizationem* .

18. Sequitur examen decreti Clementis IX. quod editum eſt ann. 1668. Sed , retento themate in ſuperioribus indicato , quod olim in tractu a Beatificatione ad Canonizationem iterum examinarentur ea , quæ ante Beatificationem fuerant examinata , ficque , quod duplex fieret virtutum & miraculorum examen , alterum ante Beatificationem , alterum poſt ; inſuper autem , quod excluſo per Clementinum decretum iterato virtutum examine poſt Beatificationem ſtatutum ſit , ut nova tantum miracula examinarentur , quæ poſt Beatificationem ſuperveniſſent ; nemo eſt , qui non videat , novum quidem poſt Beatificationem non debere fieri examen virtutum , ſi ante eam factum ſit ; at hinc tamen minime inferri , quod illud fieri etiam non debeat poſt Beatificationem æquipollentem in cauſis , in quibus ante eam factum non eſt .

19. Decretum itaque Clementinum ſic pluries explicatum fuit in ſuis animadverſionibus factis in cauſis S. Stanislai , & S. Catharinæ de Bononia a Proſpero Bottinio Archiepiſcopo Myrenſi Fidei Promotore ; & ipſe quoque eodem munere fungens eam amplexus ſum decreti intelligentiam in animadverſionibus a me factis in cauſis S. Julianæ de Falconeriis , S. Peregrini Latioſi , Sanctæ Agnetis de Monte Politiano , & S. Joannis Nepomuceni . Et ſacra quidem Congregatio in ipſo facti eventu expoſita omnia ſua auctoritate roboravit , voluitque , ut ad virtutum diſcuſſionem in prædictis cauſis procederetur , etiamſi præceſſiſſet approbatio caſus excepti a decretis Urbani VIII. In cujus quoque aſſumpti comprobationem conſideratione dignum videtur , eamdem ſacram Congregationem , poſt approbatum caſum exceptum in cauſis B. Bernardi Ptolemæi , Beati Joannis Cantii , S. Catharinæ Fliſcæ Adurnæ , ac B. Ferdinandi III. Caſtellæ Regis , *litteras remiſſoriales* expediviſſe , ut conficerentur proceſſus ſuper virtutibus & miraculis : quod utique non feciſſet , ſi in cauſis procedentibus per viam caſus excepti , poſt ejus approbationem cenſuiſſet , agendum eſſe tantum de miraculis , quæ ſuperverunt , nec eſſe neceſſarium juridicum examen virtutum . Cumque hæc contigerint poſt decretum Clementis IX. ſi pro recta Conſtitutionis intelligentia multum prodeſſe dicendum eſt , quæ ſubſecuta eſt , obſervantiam , & eo magis , quando obſervantia ipſa ſuum , ſicut hic , habuit initium atque progreſſum , re ſecundum juris ſolemnitatem diſcuſſa ; unuſquiſque facile cognoſcere poterit , Clementinum certe decretum ſibi vindicare locum in cauſis , in quibus venerationis indulta conceſſa ſunt , prævio judiciali virtutum examine , tumque per illud aboleri iteratum examen virtutum , attamen examen earumdem virtutum , atque etiam , ſi opus ſit , Martyrii neutiquam excludi , niſi ante indulta factum fuerit .

20. Neque obſtare dicenda ſunt exempla cauſarum SS. Philippi Benitii , & Laurentii Juſtiniani . In eis enim minime fuit omiſſum examen ſuper virtutibus , cum ex multis demonſtrationibus & argumentis Poſtulatores oſtenderint , virtutes ipſas fuiſſe examinatas , diſcuſſas , atque approbatas , & quidem dependendo a proceſſibus Apoſtolicis ante conceſſionem Indultorum : in quo rerum themate bene fuit a ſacra Congregatione mandatum , ut procederetur ad diſcuſſionem miraculorum , quæ ab indulta veneratione ſupervenerant . Tempore nimirum ſan. mem. Alexandri VIII. cum actum fuiſſet de Canonizatione S. Laurentii Juſtiniani , demandatum eſt Proſpero Bottinio Archiepiſcopo Moyrenſi tunc Fidei Promotori , ut ſermonem ederet pro veritate ſuper ejuſdem cauſæ progreſſu . Eodem autem mandatis morem gerente , cum , nullatenus recedendo a ſupra expoſita intelligentia decreti Clementini , immo vero ea jure comprobata , argumentis undique congeſtis oſtendiſſet , examinatas jam fuiſſe atque approbatas in ea cauſa virtutes in gradu heroico ante approbationem caſus excepti ; re jure ipſo diſcuſſa , in ſacrorum rituum Congregatione editum eſt decretum ſuper progreſſu ad ulteriora , hoc eſt ad diſcuſſionem eorum , quæ ſupervenerant poſt indultam venerationem . In cauſa quoque S. Aloyſii Gonzagæ ſacrorum rituum Congregatio die 15. Julii 1719. mihi tunc Fidei Promotori injunxit , ut , viſis & conſideratis authenticis cauſæ documentis , ſtatum ejuſdem pro veritate referrem , atque opportuna ad eam abſolvendam *ordinatoria* ſuggererem . Pro commiſſi igitur muneris complemento ſatis prolixam edidi cauſæ relationem , in qua , ſemper ſervata ſupra expoſita intelligentia decreti Clementini , probavi , ante approbationem caſus excepti fuiſſe plene diſcuſſas , approbataſque in gradu heroico virtutes tum in Rotæ Auditorio , uti nunc in more poſitum erat , tum in ſacra Congregatione . Excitatis autem ſuper hoc aſſumpto nonnullis difficultatibus , novum in ſacra Congregatione ordinaria diſputatum fuit dubium : *an virtutes , & miracula Beati fuerint jam ſufficienter examinata & approbata , ita ut ulteriore nunc examine & approbatione non indigeant ad effectum Canonizationis* : cui demum dubio die 18. Auguſti 1725. reſponſum fuit affirmatione , & reſponſio ipſa fuit a ſummo Pontifice confirmata .

21. Poſt approbatum cultum immemorabilem ſeptem BB. Fundatorum Ordinis Servorum Beatæ Mariæ Virg. & conceſſum in eorum honorem Officium cum lectionibus propriis una cum Miſſa pro univerſo Ordine ab ipſis inſtituto , & pro civitate & diœceſi Florentina , poſt nominum deſcriptionem in Martyrologio Romano , putabant Poſtulatores , omiſſa virtutum juridica indagine , ſibi fas eſſe diſputationem aſſumere de miraculis . Habita eſt coram nobis ad ſummum Pontificatum evectis Congregatio ordinaria ſacrorum rituum die 13. Januarii 1742. allatiſque a nobis ſupra recenſitis fundamentis & rationibus neceſſitatem inducentibus præviæ diſcuſſionis virtutum , editum eſt ſequens decretum : *Fiat relatio juridica virtutum in gradu heroico ſingulorum Beatorum , & communicetur Fidei Promotori ; & inſtantia proponatur in ſacrorum rituum Congregatione ordinaria : & quatenus favorabilis edatur reſolutio a ſummo Pontifice approbanda , proponatur dubium ſuper miraculis cum iiſdem ſcripturis coram Sanctiſſimo , & Cardinalibus ſacræ Congregationis* . Dictum eſt ; *fiat relatio juridica virtutum* ; & non fuit dictum , quod diſputetur dubium de virtutibus , in obſequium præcedentium reſcriptorum , quæ Poſtulatores exemerant ab examine dubii ſuper virtutibus ; ſed relatio juridica virtutum communicanda Fidei Promotori , æquipollet formali examini virtutum . Dictum eſt : *cum iiſdem ſcripturis* ; cum jam paratæ eſſent ſcripturæ , & diſtributæ pro examine miraculorum .

CA-

UAB Biblioteca de Ciències Socials

CAPUT TRIGESIMUMTERTIUM.

De serie Actorum in causis Beatificationis, & Canonizationis introductis ante decreta Urbani VIII. & quæ post eadem decreta resumuntur, sive sint Confessorum, sive Martyrum, sive procedant per viam non cultus, sive per viam casus excepti.

1. NONNULLÆ Beatificationum, & Canonizationum causæ erant introductæ ante editionem decretorum Urbani VIII. quarum subinde petitur progressus, ut suum post decreta Urbani habeant complementum.

2. Series Actorum in hisce causis initium habet a *commissione Reassumptiva*, quæ dicitur *in statu, & termini*. Pro hac autem impetranda fit petitio sacrorum rituum Congregationi Ordinariæ; a qua quidem, si accedant requisita alibi memoranda pro ea obtinenda, favorabile habetur rescriptum a summo Pontifice deinde confirmandum.

3. Resumpta per hanc Commissionem causa, docendum est de obedientia decretis Urbani VIII. quocirca expediuntur *litteræ remissoriales* pro conficiendo auctoritate Apostolica processu super non cultu, si causa per hanc viam progredi debet, vel super casu excepto ab ipsis Urbani decretis, si causæ progressus esse debet per hanc aliam viam casus excepti.

4. Confecto processu aut super non cultu, aut super casu excepto, prolataque a judice Delegato sententia, de ejus viribus disputatur in sacrorum rituum Congregatione Ordinaria: tum, si quidem pro ejus validitate ac justitia responsum fuerit, summo jure opus esset, ut expedirentur *litteræ remissoriales* pro conficiendo auctoritate Apostolica processu super fama virtutum, & miraculorum, si de Confessore, aut super fama Martyrii, & causæ Martyrii, necnon signorum, aut miraculorum, si de Martyre agitur. Verum in causis, quæ resumuntur post decreta Urbani VIII. concedi consuevit solutio ab hoc Judicio in genere, ut alibi videbitur.

5. Perfecto itaque Judicio super non cultu, aut super casu excepto, si tractatur de causis, quæ procedunt per viam non cultus, in sacrorum Rituum Congregatione Ordinaria agitur de validitate processuum; postea, admissa eorum validitate, in tribus Congregationibus, antepræparatoria, præparatoria, & generali, disputatur dubium de virtutibus, si de Confessore, dubium vero de Martyrio, & causa Martyrii, si de Martyre res est: in quibus pariter tribus Congregationibus tractatur de miraculis; atque si duo saltem approbentur, proceditur ad solemnem Beatificationem, tum autem, novis supervenientibus miraculis, ad solemnem Canonizationem modis & formis supra expositis.

6. Quod si causæ procedant per viam casus excepti, expleto Judicio super obedientia decretis Urbani VIII. agendum est de virtutibus, aut de Martyrio, & causa Martyrii, vel in particulari Congregatione, si ita placeat summo Pontifici, vel in tribus Congregationibus, antepræparatoria, præparatoria, & generali; postmodum tranlitus fit ad discussionem miraculorum in prædictis tribus Congregationibus; & demum, quatenus duo saltem approbentur, quæ supervenerint ab indulta veneratione, proceditur ad solemnem Beatificationem iisdem modis & formis supra recensitis.

7. Plana utique hæc sunt: at in eo tamen, quod attinet ad has causas, quæ resumuntur post decreta Urbani VIII. difficultas habetur super hoc argumento, an, si ante decreta Urbani VIII. pronuntiatum fuerit super validitate processuum, super virtutibus, aut Martyrio, aut super miraculis, de his iterum agendum sit post causam resumptam.

8. Itaque quoad processuum validitatem, si Sacra Rituum Congregatio, post eam approbatam, examen causæ commisit, uti consueverat, Rotæ Auditoribus, ut, quid de virtutibus, Martyrio, aut miraculis sentiendum sit, cognoscant, causa ipsa resumpta, de validitate processuum non erit agendum, cum in eisdem Urbani VIII. Decretis caveatur, ne Rotæ Auditores super validitate pronuntient, si de ea judicium jam latum sit ab ipsa Sacra Congregatione. Si vero causa a Sacrorum Rituum Congregatione commissa fuerit Rotæ Auditorio, ut etiam validitatem processuum cognoscat; tunc aut judicium Rotale approbans ipsam validitatem confirmationis robur obtinuit a sacra Congregatione, aut non obtinuit: si obtinuit, de processuum validitate, causa resumpta, agendum non erit; secus autem, si minime obtinuit.

9. Quod vero attinet ad virtutes, & Martyrium, causamque Martyrii, vel de eis habita est ratio in sacrorum rituum Congregatione ante decreta Urbani VIII. dependendo a solo processu confecto per Ordinarium auctoritate sua ordinaria prout olim sæpe fiebat, quando concedebantur Indulta Officii & Missæ, ut alibi videbimus: & tunc procul dubio, post causam resumptam, conficiendus est auctoritate Apostolica processus; ac dependendo ab hoc, & ab alio jam confecto per Ordinarium, agendum est de virtutibus si de Confessore, aut de Martyrio si de Martyre, sive causa procedat per viam non cultus, sive per viam casus excepti. Et ita sane res se habuit in causa S. Peregrini Latiosi, in qua, nihil obstante virtutum approbatione facta dependendo a processu ordinario pro concessione Officii & Missæ, opus fuit, ut Postulatores post causam resumptam curarent auctoritate Apostolica processum super virtutibus; & tunc dependendo ab hoc & ab illo, dubium de virtutibus proponi. Nec enim, ut alibi videbitur, hodie ad formalem Beatificationem, & multo minus ad solemnem Canonizationem proceditur ex solo processu ordinario, sed ex utroque, hoc est ex ordinario simul, atque Apostolico.

10. Vel de virtutibus, Martyrio, causaque Martyrii actum est in sacrorum rituum Congregatione dependendo ab utroque processu, ordinario videlicet, atque Apostolico; & tunc subdistinguendum esse videtur: vel enim, remissa cognitione, ut eo tempore solemne erat, ante videlicet decreta Urbani VIII. super virtutibus, Martyrio, causaque Martyrii ad Rotæ Auditorium, prolatoque ab Auditoribus Rotæ super illis favorabili judicio, judicium ipsum Rotale approbatum fuit in sacrorum rituum Congregatione, vel non fuit approbatum, utpote in eadem sacra Congregatione ante decreta Urbani VIII. minime propositum. Si judicium Rotale non fuit approbatum, resumpta causa, rataque facta obedientia decretis Urbani VIII. necesse est, ut subinde agatur de virtutibus, si de Confessore; aut de Martyrio, & causa Martyrii, si res est de Martyre: cum ex alibi dictis plane constet, numquam fuisse sufficiens judicium Rotæ Auditorum, nisi confirmationis robur obtinuisset a sacra Congregatione. Quamobrem, cum ante decreta Urbani VIII. Auditores Rotæ suum utique favorabile judicium tulissent super virtutibus servorum Dei Hieronymi Æmiliani, Nicolai Factoris, & Catharinæ de Ricciis, uti colligitur ex relationibus per eos editis, quæ adhuc extant, sed ante decreta ipsa Urbani VIII. minime fuissent prædictæ relationes suppositæ examini sacræ Congregationis; resumpta causa post decreta Urbani VIII. rataque facta obedientia decretis, antequam Fidei Promotoris officium mihi commissum fuisset, propositum fuit in sacrorum rituum Congregatione antepræparatoria dubium, an constaret de virtutibus servi Dei Nicolai Factoris; dum vero fungerer munere Fidei Promotoris, in Congregationibus antepræparatoria, & præparatoria idem dubium disputatum fuit in causa servi Dei Hieronymi Æmiliani, & in causa pariter servæ Dei Catharinæ de Ricciis; omnes enim hæ causæ procedebant per viam non cultus: tum autem de eorum similiter virtutibus actum est in Congregationibus antepræparatoria, præparatoria, ac generali, & in hac quidem dubium fuit feliciter sub Benedicto XIII. absolutum.

11. Sed, si ante decreta Urbani VIII. judicium Rotale super virtutibus confirmationem obtinuit in sacrorum rituum Congregatione, tunc, resumpta causa, rataque facta obedientia decretis, transitus fieri debet ad discussionem miraculorum, nullo amplius facto virtutum examine; cum iteratum virtutum examen decreto Clementis IX. supra relato sublatum sit. Ideoque, dum munere fungebar Fidei Promotoris, statim ac notum fuit in causa B. Gregorii X. quod, dependendo a processibus ordinaria, & Apostolica auctoritate confectis suum Rotæ Auditores favorabile tulerant super virtutibus judicium, quodque id etiam fuerat a sacrorum rituum Congregat. confirmatum, resumpta causa, ratoque facto cultu immemo-

memorabili, tranſitus factus eſt ad diſcuſſionem miraculorum. Similiter in cauſa S. Aloyſii Gonzagæ, quia ante decreta Urbani VIII. fuerant ejus virtutes pleniſſime diſcuſſæ atque approbatæ tum in Rotæ Auditorio, tum in ſacrorum rituum Congregatione, reſumpto judicio poſt Urbani VIII. decreta, & rato habito caſu excepto, nequaquam novum examen de virtutibus factum eſt; ſed, excitatis nonnullis difficultatibus, juxta ſuperius dicta propoſitum fuit & feliciter reſolutum in ſacrorum rituum Congregatione ordinaria dubium: *an virtutes fuiſſent ſufficienter examinatæ & approbatæ, ita ut ulteriori examine & approbatione non indigerent ad effectum Canonizationis.*

12. Denique quoad miracula, vel agitur de cauſis procedentibus per viam non cultus, vel de cauſis procedentibus per viam caſus excepti. Si agitur de cauſis procedentibus per viam non cultus, aut ante decreta Urbani VIII. judicium Rotale nedum ſuper virtutibus, ſed etiam ſuper miraculis approbationem obtinuit in ſacrorum rituum Congregatione; vel de miraculis poſt Rotale judicium actum non eſt in eadem ſacrorum rituum Congregatione. Si de miraculis actum non eſt in ſacrorum rituum Congregatione, tunc, reſumpta cauſa poſt decreta Urbani VIII. ratoque facto non cultu, inſtituendum eſt in ſacra Congregatione judicium de miraculis. Quapropter, dum hæc primo ſcribebamus, in ſacrorum rituum Congregatione tractabatur de miraculis ſervæ Dei nunc Sanctæ Catharinæ de Ricciis, licet in Rotæ Auditorio ante decreta Urbani VIII. approbatis; nimirum quia ante eadem decreta, miracula prædicta non fuerunt in ſacra Congregatione diſcuſſa. Quod ſi ante Urbani VIII. decreta, duo ſaltem miracula fuerint diſcuſſa & approbata tum in Rotæ Auditorio, tum in ſacra Congregatione; judicii ordo expoſcit, ut, reſumpta cum ſuis requiſitis cauſa, ratoque facto non cultu, petitio fit pro formali Beatificatione: pro ea quippe obtinenda nihil aliud requiritur, quam approbatio virtutum, & duorum miraculorum. Cum enim approbatio miraculorum tum in Rotæ Auditorio, tum in ſacra Congregatione fingi non poſſit, niſi præponatur approbatio virtutum tum in eodem Rotæ Auditorio, tum in ipſa ſacra Congregatione; hinc fit, quod, concurrentibus omnibus requiſitis pro formali Beatificatione, formalis ipſa Beatificatio in eo rerum ſtatu fit indulgenda, tum autem, novis ſupervenientibus miraculis, procedendum ſit ad Canonizationem.

13. Si vero quæſtio reſpiciet cauſas procedentes per viam caſus excepti, & in quibus ante decreta Urbani VIII. nedum virtutes, verum etiam miracula fuerunt approbata; de hiſce quidem cauſis ſermonem inſtituendo, aut judicium Rotale ſuper miraculis confirmationis robur obtinuit ex ſacrorum rituum Congregatione, aut minime obtinuit. Si minime obtinuit; cauſa reſumpta, atque approbato caſu excepto, de miraculis ipſis agendum eſt in ſacrorum rituum Congregatione, eademque debent approbari, ut tranſitus fiat ad ſolemnem Canonizationem. Si vero obtinuit; poterit de illis haberi ratio pro extremo Canonizationis judicio, dummodo tamen ſecuta ſint ab indulta veneratione; cum in decreto Clementis IX. præſcriptum ſit, ut habeatur formalis diſcuſſio eorum, quæ indultam venerationem ſunt ſubſecuta. Exemplum deſumi poteſt ex cauſis S. Thomæ de Villanova, S. Ludovici Bertrandi, & S. Paſchalis Baylon: in his enim cauſis ante decreta Urbani VIII. fuerat facta diſcuſſio & approbatio virtutum, tum miraculorum in Rotæ Auditorio, atque in ſacra Congregatione, quæ etiam cenſuerat, tuto procedi poſſe ad Canonizationem; uti, quoad cauſam S. Thomæ, colligitur ex ſerie Actorum Romæ impreſſa anno 1658. *pag.* 4. quoad cauſam S. Ludovici, ex ſummario privilegiorum Ordinis Prædicatorum collecto ab Antonio Gonzalez *pag.* 164. & quoad cauſam S. Paſchalis, ex regeſtis ſacræ Congregationis. Supervenerunt autem decreta Urbani VIII. ac tum, reſumptis cauſis, ratoque habito caſu excepto, dum Poſtulatores progredi vellent ad formalem Canonizationem, animadverſo, quod miracula approbata patrata fuerant ante, non poſt indultam venerationem, opus fuit, novas reportare *litteras remiſſoriales* pro conſtruendo proceſſu ſuper miraculis ſecutis ab indulta veneratione; quibus quidem approbatis, tandem ad ſolemnem prædictorum Beatorum Canonizationem ventum eſt. Contra vero res ſe habuit in cauſa S. Aloyſii Gonzagæ. Cum enim ante decreta Urbani VIII. in ea præceſſiſſet judicium tum Rotæ Auditorum, tum ſacræ Congregationis & virtutes approbans & miracula, me licet tamquam Fidei Promotore tunc urgente exemplis ſupradictarum cauſarum, ut pro obtinenda Canonizatione novi conficerentur proceſſus ſuper novis miraculis; oſtenſo tamen per efficaciſſimas probationes a Poſtulatoribus, miracula approbata contigiſſe poſt indultam venerationem, ita ut dubitandum non eſſet de integro complemento decretorum tum Urbani VIII. tum Clementis IX. re ſecundum juris ſolemnitatem diſcuſſa, in ſacrorum rituum Congregatione deliberatum eſt, ut, dependendo ab approbatis, & ſine novorum miraculorum ope, tranſitus fieret, prout factum eſt, ad ſolemnem Canonizationem. Ideoque Poſtulatores cauſarum introductarum ante decreta Urbani VIII. quæ procedunt per viam caſus excepti, & in quibus approbatæ fuerunt virtutes, aut fuit approbatum Martyrium, bene inſpicere debent, utrum miracula (ſive ante decreta Urbani VIII. fuerint approbata, ſive non fuerint) facta ſint ante, an poſt indultam venerationem. Si enim ante indultam venerationem facta ſunt; vel expedit ipſis novas obtinere *remiſſoriales* pro conficiendis proceſſibus ſuper miraculis, quæ ab indulta ipſa veneratione ſupervenerunt, quatenus quidem ſupervenerint; vel expectare tenentur, ut Deus nova miracula ſuorum Beatorum interceſſione operari dignetur. At, ſi miracula poſt indultam venerationem facta fuerint, ipſorum onus eſt aut urgere pro eorum approbatione, quatenus tamen hæc ante Urbani decreta facta non fuiſſet; aut tantum oſtendere, poſt indultam venerationem facta eſſe, ſi ante decreta Urbani VIII. fuerunt approbata. Ex quarum cognitionum defectu fortaſſe factum eſt, ut cauſa Canonizationis S. Jacobi de Marchia in longiora tempora protracta ſit. Sixtus quippe Papa IV. conceſſerat, ut corpus S. Jacobi ex humo extraheretur, atque in eccleſia honorifice collocaretur; tum Leo Papa X. indulſerat, ut quotidie Fratres S. Mariæ Novæ civitatis Neapolitanæ accedere poſſent proceſſionaliter ad illius ſepulcrum cantando hymnum cum oratione, & præterea dimiſerat omnibus ac ſingulis utriuſque ſexus Chriſti fidelibus, qui cantui prædicto intereſſent, unum annum & quadraginta dies pro qualibet vice de pœnitentiis, quæ illis injunctæ fuiſſent; quemadmodum habetur ex monumentis relatis apud Wadingum *in annal. tom.* 14. *pag.* 165. *& ſequent.* Porro ante Urbani VIII. decreta facta fuerat approbatio virtutum & miraculorum, uti deſumitur ex Conſtitutione 24. ejuſdem Urbani *in Bullar. Rom. tom.* 5. & miracula profecto, quæ fuerant approbata, erant poſteriora tempore Leonis X. qui venerationem indulſerat. Cum autem, reſumpta cauſa poſt decreta Urbani VIII. ratoque habitu caſu excepto, Poſtulatores cauſæ S. Jacobi minime quidem inſtitiſſent pro formali Canonizatione, ſed petiiſſent *litteras remiſſoriales* pro comprobatione nonnullorum miraculorum paulo ante id tempus interceſſione Beati a Deo factorum, illiſque tandem approbatis, pro formali Canonizatione ſupplicaſſent; cauſa Beati, quæ finem conſequi potuiſſet ſub Urbano VIII. ſuam tantum habuit perfectionem ſub Benedicto XIII. Niſi forte id contigiſſe dicendum ſit, eo quia Leoninum Indultum in forma authentica non potuerit inveniri tempore Urbani VIII. quod ſubſequentibus deinde temporibus inventum eſt.

14. Ad hæc, hic explicandum eſſet, quandonam miracula ſecuta dicantur poſt indultam venerationem; ſed de hac re commodius alibi differemus. In præſenti namque ſolummodo tractabimus controverſiam, de qua inter Scriptores, utrum pro Canonizatione ſufficiant miracula poſt obitum, an neceſſaria etiam ſint miracula a Deo patrata interceſſione ſervi Dei, dum erat in humanis.

15. Communis itaque eſt Scriptorum opinio, neceſſaria eſſe miracula poſt obitum. Ita nempe colligitur ex bulla Canonizationis S. Homoboni, atque ex doctrina S. Thomæ 2. 2. *quæſt.* 178. *art.* 2. *in corpore;* ſed late id docent Contelor. *de Canonizat. SS. cap.* 20. *num.* 2. *& ſequent.* Caſtell. *de certitud. gloriæ SS. cap.* 8. *punct.* 21. Matta *de Canoniz. SS. part.* 4. *cap.* 7. *num.* 15. *& ſequent.* Pignatell. *conſult.* 81. *num.* 3. *tom.* 4. Bordon. *controv.* 13. *n.* 28. *&* 29. Auditores Rotæ *in relatione S. Franciſcæ Romanæ part.* 3. *art.* 1. *de miraculis in genere §.* 5. *Quinto præmittendum; in relatione S. Cajetani tit. de miraculis ſervi Dei §. Miracula comprobant; in relatione S. Catharinæ de Ricciis tit. de miraculis §. Ideo, in relatione S. Eliſabeth Reginæ Portugalliæ* 3. *part. de miraculis §. Ad hunc autem effectum; in relatione S. Joannis de Cruce art.* 3. *de miraculis §. Et quamvis ad hunc effectum; & in relatione S. Andreæ Corſini part.* 2. *num.* 206. *& ſeqq. edita poſt primam conſultationem Lezanæ.*

16. Subduntque pariter Scriptores, miracula in vita patrata non uſquequaque eſſe inutilia, ſi concurrant etiam miracula poſt obitum: ſic enim Matta *loc. cit. num.* 20. Caſtellin. *loco pariter citat. cap.* 8. *punct.* 25. Matthæuc.

thæuc. *in practica Theologico-Canonica ad causas Beatificat. & Canonizat. tit. 3. cap. 8. §. 1. num. 13.* Auditores Rotæ *in relatione S. Andreæ Corsini part. 2. num. 206. post primam consult. Lezanæ ; atque in relatione S. Isidori Agricolæ art. 3. de miraculis §. Et quamvis ad hunc effectum* . Quocirca videmus, in bullis Canonizationum rationem etiam haberi miraculorum a Deo patratorum interceſſione ſervorum ſuorum, dum vivebant ; in bullis videlicet Canonizationum S. Udalrici , S. Petri Epiſcopi civitatis Anagninæ, S. Thomæ de Villanova , S. Petri de Alcantara , S. Roſæ , S. Cajetani , & S. Pii V. & in bulla quidem Canonizationis B. Simeonis Syracuſani in novo codice Canonizationum *pag.* 4. poſtquam dictum fuit, eum claruiſſe miraculis, de miraculis ipſis in vita patratis additur, donum ſervis ſuis a Deo dari , *ut & iidem ipſi ſuper ſpe Divinæ retributionis , habentes Sancti Spiritus fidele pignus , fiducialius ac fortius inniterentur , & gentes Divina myſteria intuentes , omni ſuperſtitione poſtpoſita , ad viam Chriſtianæ veritatis ex intimo cordis affectu converterentur* : tum de dono miraculorum poſt obitum ſubditur , illud a Deo dari , *ut corporeis exuviis in ſepulcro poſitis , & membris in favillas reſolutis , ſentientibus atque videntibus mirabilia , fides inculcaretur & cumularetur , eos illic feliciter vivere , ubi vera eſt & æterna vita* .

17. Verum , ut ad præſentem ſanctæ Sedis conſuetudinem deſcendamus, diſtinguenda eſt Canonizatio a Beatificatione . Nimirum , ſive cauſæ procedant per viam non cultus , ſive per viam caſus excepti a Decretis Urbani VIII. cum , ut tranſitus fiat a Beatificatione æquipollenti , vel formali ad Canonizationem , quæſtio miraculorum reducatur ad ea , quæ ſecuta ſunt poſt indultam Venerationem ; in quo proinde rerum themate nemo eſt qui non videat, nullam poſſe haberi rationem miraculorum in vita ſecutorum ; controverſia erit redigenda ad formalem Beatificationem in cauſis procedentibus per viam non cultus , pro qua ſcilicet obtinenda , præter diſcuſſionem atque approbationem virtutum neceſſe eſt , ut diſcutiantur , & approbentur ſaltem duo miracula . Porro in hoc judicio non erunt rejicienda miracula in vita ſecuta , quæ poterunt certe diſcuti atque approbari , ſed minime ſufficient pro impetranda Beatificatione , niſi una cum ipſis accedant & approbentur alia duo miracula poſt obitum ſecuta : & pro hoc utique aſſumpto facit decretum ſacræ Congregationis in cauſa S. Mariæ Magdalenæ de Pazzis editum die 2. Maji *1626.* cujus hæc ſunt verba : *Actum eſt de proceſſu ancillæ Dei Sororis Mariæ Magdalenæ de Pazzis Carmelitanæ , referente Illuſtriſs. D. Card. Pio, ad effectum cognoſcendi de miraculis ; & , quoad miracula facta in vita , approbatum fuit miraculum primum , ſecundum , tertium , quartum , quintum , ſextum , ſeptimum, octavum , & nonum ; quo vero ad miracula poſt mortem , in primis ſacra Congregatio cenſuit , probatum eſſe , quod corpus dictæ ancillæ Dei ſpiraret ſuavem odorem , & tempore examinis teſtium eſſet incorruptum . Quod vero a genibus & cruribus ejuſdem ancillæ Dei ſcaturiret oleum odoriferum , fuit habitum pro miraculo ; ſicut etiam quatuor miracula facta in perſonam Mariæ de Rovai , necnon miraculum factum in perſonam Magdalenæ Rondoni , & illud factum in perſonam Petri Alii : omnia prædicta fuerunt judicata miracula ; unde ſacra Congregatio , ſi Sanctiſſimo placuerit , cenſuit , poſſe deveniri ad Beatificationem* .

18. Quid autem dicendum erit in caſu , ubi, ſi agatur de Beatificatione formali , ex pluribus miraculis duo approbentur , quorum alterum factum ſit in vita , alterum poſt obitum ſervi Dei? Poterit ne horum miraculorum ope ſic factorum procedi ad Beatificationem ? Ipſe profecto affirmanter reſponderem , tum quia apta caſui videtur propoſitio , quod miracula in vita ſecuta, ſi non ſufficiunt , nihilominus profunt , tum quia hoc modo proceſſum eſt ad Beatificationem S. Alphonſi Thuribii , quemadmodum colligitur ex ſequenti decreto ſacræ Congregationis edito die 13. Junii *1679. Ceterum plura etiam miracula ab omnipotenti Deo ejus interceſſione patrata nec deſiderari poſſe , compertum fuit ; inter quæ ſane probationibus magis redundantia viſa ſunt , quod Dei ſervus degens in præſenti vita , ob penuriam aquæ , incolis oppidi S. Ludovici de Madate provinciæ de Guaiſas nativum ſolum deſerere cogitantibus , Miſſæ ſacro confecto , ex arida, uti Moyſes ex ſilice virgæ pulſu , producto ſigno Crucis fluentum aquæ a Deo obtinuit , quod perenne ſatis adhuc irrigandis agris affluit ; poſt mortem vero pectoralis , quam Dei ſervus ferebat , Crucis contactu Joannes de Codois hoſtili gladio in pectore tranſverberatus & ad arterias inhumaniter defoſſus , integer e cubili momento ſurrexerit . Sacra igitur Congregatio coram ſummo Pontifice coacta , unanimi EE. Patrum , Prælatorum , & Theologorum conſenſu , cauſam hujuſmodi etiam ad effectum Canonizationis omnibus numeris conſtare cenſuit , adeoque nihil ad Indultum Beatificationis interim concedendum deſiderari poſſe : ſed , ut quamprimum relaxaretur , in Domino expedire , judicavit* .

CAPUT TRIGESIMUMQUARTUM.

De Conſiſtoriis privato , publico , & ſemipublico habendis pro abſolutione cauſarum Canonizationis.

1. EDITO decreto de tuto ad Canonizationem progreſſu , non eſt ullo modo neceſſe, ut ſummus Pontifex ſtatim ad conſilium advocet Cardinales omnes , & Epiſcopos . Id enim non fit , niſi poſita in Pontifice deliberatione de peragenda ſolemni Canonizatione , ſi , & quatenus judicio conſiliario Congregationis ſacrorum rituum accedat ſacri Conſiſtorii judicium pariter conſiliarium , ut infra exponetur . Ipſa autem de ſolemni peragenda Canonizatione deliberatio ſumi nequaquam conſuevit, niſi novæ petitiones populorum , Principum, ac Regum iterum iterumque exhibeantur , & niſi adſit temporum opportunitas . Ex qua quidem alia dilatione fit, ut ſummi illi Pontifices , qui aliquando ediderunt decreta de tuto ad Canonizationem progreſſu , ipſi minime fuerint, qui ſolemnitatem deinde Canonizationis peregerunt ; quemadmodum res ſe habuit in Canonizatione B. Stanislai Koſtkæ , ubi decretum de tuto progreſſu ad Canonizationem fuit editum a ſan. mem. Clemente XI. uti ſupra viſum eſt , ſolemnia vero Canonizationis expleta fuerunt a Benedicto XIII. & quemadmodum pariter factum fuit in Canonizatione B. Julianæ de Falconeriis , in qua decretum de tuto progreſſu ad Canonizationem editum fuit ab eodem Benedicto XIII. ſolemnia vero Canonizationis facta fuerint a ſummo Pontifice Deceſſore noſtro Clemente XII. Quod porro quando fieri contingat , Succeſſor non revocat ad examen geſta coram Anteceſſore , ſed , illis utique poſitis , procedit ad ulteriora , hoc eſt ad exquirendum conſilium tum Cardinalium omnium , tum Epiſcoporum , & deinde ad actum ſolemnis Canonizationis .

2. Poſita ergo in ſummo Pontifice deliberatione de ſolemni Canonizatione peragenda , ſi , & quatenus judicio Congregationis ſacrorum rituum accedat Conſiſtorii judicium ; ad conſilium & ad ſuffragium præſtandum advocantur Cardinales omnes in Urbe degentes , tum Patriarchæ , Archiepiſcopi , & Epiſcopi , etiam *Titulares* omnes, in eadem Urbe commemorantes. Quidquid enim fit , an Epiſcopi *Titulares* neceſſario vocandi ſint ad Concilia generalia , necne ; & quidquid ſit, an in eis habeant de jure ſuffragium decidens , necne ; qua tamen in re, negativa opinio videtur eſſe magis accepta ; probabile nihilominus eſt , eos vocari poſſe ; & quatenus vocentur , ſuffragii decidentis prærogativa frui ; uti late oſtendit Andreas Hieronymus Andreuccius Societatis Jeſu *in ſuo diligenti tractatu de Epiſcopis Titularibus* , dum hæc primo ſcribebamus , edito, *part. 2. nu. 118. & ſeq.* Neque Epiſcopi ipſi Orientales communionem habentes cum Catholica Apoſtolica Romana Eccleſia , & ſimiliter in Urbe commorantes a conſilio & ſuffragio excluduntur . Memoratu enim profecto dignum eſt non ſolum , quod ſan. mem. Clemens XI. Anteceſſorum ſuorum exemplis inhærendo , Epiſcopos omnes Orientalis Eccleſiæ in Urbe , uti ſupra , degentes audire voluit in Canonizatione , quam peregit , quatuor SS. Pii V. Andreæ Avellini, Felicis a Cantalicio, & Catharinæ de Bononia , ſicut etiam præſtitum fuit in aliis Sanctorum Canonizationibus a ſan. mem. Benedicto XIII. verum etiam , quod in Conſiſtorio ſemipublico , in quo excepit ſuffragia de Canonizatione S. Catharinæ de Bononia, cum in quodam ex ſuffragiis mentionem fieri intellexiſſet celebris prædictionis ab ea factæ de excidio imperii Orientalis , & de caſu urbis Conſtantino-

tinopolitanæ in manus Turcarum in pervigilio Pentecostes anni 1453. conversus ad dictos Orientales Episcopos ita ex tempore locutus est (*inter ejusdem orationes Consistor.* 44.) *Vos vero, Orientales Præsules, cælestem misericordiarum Patrem potissimum exorate, ut, intercedentibus B. Catharinæ meritis, quæ imperii Orientalis excidium, Græcorum in Spiritum Sanctum blasphemiis ita promerentibus, prædixit, per ineffabilem Divinæ suæ bonitatis abundantiam Græciæ vestræ, quam Nos in visceribus gerimus paternæ Charitatis, post diuturnam pœnitentiam, hoc est miseram tot annorum servitutem, concedere tandem dignetur, ut pristinam consequi libertatem, suosque valeat errores detestari.* Sed hæc obiter dicta sint. Nunc ut redeamus ad Episcopos, quorum suffragia a summis Pontificibus exquiruntur, præter eos, qui in Urbe commorantur, ut Episcoporum numerus augeatur, nedum omnes & singuli benigne admittuntur, qui ad Urbem zelo, solemnisque Canonizationis occasione adveniunt, sed invitantur, ut in Urbe se sistant, illi præterea, qui ad Urbem fortuito accesserunt vel propter suarum Ecclesiarum negotia, vel ut sacrorum liminum visitationem explerent; & tandem Secretarius Congregationis Cardinalium sacri Concilii Tridentini interpretum, qui est etiam Secretarius Congregationis super residentia Episcoporum, ad Urbem vocat per litteras encyclicas Episcopos intra centesimum ab Urbe lapidem existentes: ita ut jure ac merito san. mem. Clemens XI. in sua allocutione facta in Consistorio semipublico (*inter citat. orationes Consistor.* 41.) in quo actum fuit de Canonizatione S. Pii V. consessum illum Cardinalium, & Episcoporum præseferre dixerit imaginem antiquorum Conciliorum Romanorum: *Reliquum nunc est, ut in hoc sacro consessu veterum Conciliorum Romanorum imaginem præferente de Sanctorum cultu solemniter ei decernendo, qui vere, dum esset summus Pontifex, terrena non metuit, sed ad cælestia regna gloriosus migravit, diuturniori quavis cunctatione postbabita, deliberemus.* Quod autem ex voluntate summi Pontificis Episcopi præsentes in Curia jus habeant ferendi suffragium in Consistoriis, quæ coguntur pro Sanctorum Canonizationibus, testatur Genuen. *in praxi Archiep. Curiæ Neapolit. cap.* 122. *in fine.*

3. Ut autem summus Pontifex excipere valeat suffragia tum Cardinalium omnium in Urbe degentium, tum Episcoporum, initium desumitur a Consistorio secreto, cui soli interveniunt S. R. E. Cardinales; in quo Consistorio inquiritur, an deveniendum sit ad solemnem Canonizationem, necne, de qua re singuli Cardinales suas sententias aperiunt per verbum *placet*, aut *non placet*. Porro, ut Cardinales, qui non sunt adscripti Congregationi sacrorum rituum, sicut & illi, qui eidem adscripti sunt, vel merita sciant causarum Canonizationis, vel in memoriam revocent ea omnia, quæ in dictis causis facta sunt, & quæ, servatis servandis, præcesserunt, Cardinalis Præfectus Congregationis sacrorum rituum relationem in dicto Consistorio secreto super vita, miraculis, & actis Canonizationis legere consuevit: & nonnullæ profecto adhuc extant Cardinalium Præfectorum relationes aut typis impressæ in actis Canonizationum editis, aut extra Acta ipsa evulgatæ. Præterquamquod aliquando, loco *relationis* Cardinalis Præfecti, editum fuit quoddam summarium totius causæ: ita enim res se habuit in Canonizatione Sancti Hyacinthi, quemadmodum legitur in Actis ejusdem collectis a Fratre Seraphino de Cracovia. Hodie vero a Secretario Congregationis sacrorum rituum componitur quoddam Compendium vitæ, virtutum, & miraculorum, necnon actorum in causa Canonizationis. Impossibile siquidem esset, ut legi possint omnes testium depositiones, sicut olim fiebat, juxta ea, quæ antea dicta sunt; cum tunc testes pauca verba deponerent, nunc autem eorum examina paucis expediri nequeant, quia pluribus interrogatoriis satisfacere tenentur, ita ut compendium hocce aptissime fuerit pro prædicta lectione substitutum: & eo magis, cum ad Consistoria in præsens non deveniatur, nisi pluries visis & ponderatis omnium testium depositionibus una cum animadversionibus Fidei Promotoris in sacrorum rituum Congregatione. Quod si contingat, Secretarium esse impeditum, prædictum componitur compendium ab ipso Fidei Promotore: veluti, cum ægrotante bon. mem. Inghiramio Secretario Congregationis sacrorum rituum, san. mem. Clemens XI. mihi tunc Promotori Fidei imperavit, ut exararem compendia vitæ, virtutum, miraculorum, & actorum in causis Canonizationis SS. Pii V. Andreæ Avellini, Felicis a Cantalicio, & Catharinæ de Bono-

nia; quæ porro compendia, uti se habebant, posita fuerunt a Justiniano Chiapponi in Actis dictæ Canonizationis subinde typis excusis & in appendicibus quoque integra exhibebuntur.

4. Dictis itaque in rebus consistit quidem totum negotium Consistorii secreti: attamen, ut dilucida narratione, unicoque intuitu cuncta sciri & videri valeant ad Consistorium ipsum pertinentia, operæ pretium est adnotare; primo, in intimatione Consistorii secreti notificari unicuique Cardinali, quid in eo agendum sit; secundo, ad unumquemque Cardinalem transmitti formis impressum compendium supra memoratum compositum vel a Sacretario sacræ Congregationis, vel a Fidei Promotore; tertio, summum Pontificem ante omnia in dicto secreto Consistorio allocutionem habere ad Cardinales, iisdem exponendo, se de eorum consilio expectare, utrum ad solemnem Canonizationem sit deveniendum, necne; quarto, Cardinalem Præfectum compendiariam quamdam & strictam relationem totius causæ aliis Cardinalibus astantibus perlegere, quæ quidem, ne aliis tædium afferat, utpote qui jam formis impressam perlegerunt relationem Secretarii, aut Fidei Promotoris, compressior & strictior esse consuevit; quinto, absoluta relatione, summum Pontificem Cardinales interrogare, an ipsis placeat, ut ad solemnem Canonizationem juxta morem Sedis Apostolicæ procedatur; sexto, denique Cardinales assurgentes, unum post alium, aperto capite respondere *placet*, aut *non placet*; ac postremo, hunc eumdem ordinem observari non solum, si de unius, sed & si de plurium Sanctorum Canonizatione sit agendum: absoluta quippe relatione primæ causæ, summisque Pontificis a Cardinalibus requisitioni, an sit in ea ad Canonizationem procedendum, ab iisdem Cardinalibus data responsione, Cardinalis Præfectus facit relationem alterius causæ, & sic deinceps usque ad ultimam; cujusmodi ordo servatus fuit in Consistorio secreto facto a san. mem. Clemente XI. pro Canonizatione quatuor Sanctorum commemoratorum, ut in Actis Justiniani Chiapponi videri potest.

5. Consistorium secretum, quod cogitur pro Canonizatione, excipitur a publico Consistorio, ad quod per intimationem vocantur Cardinales omnes, Decani, seu antiquiores Episcoporum Assistentium, & non Assistentium Protonotariorum, Auditorum Rotæ, Clericorum Cameræ Apostolicæ, Votantium Signaturæ Justitiæ, Abbreviatorum, & Advocatorum Consistorialium; ut collegas suos admoneant, & cappis induti intersint. Intimatione quoque vocantur Secretarius Congregationis sacrorum rituum, & Promotor Fidei, & præter hos Gubernator Urbis, Vicecamerarius, Oratores Principum, Principes solii, Conservatores Urbis, Oratores civitatum subditarum, Magister sacri hospitii, & ceteri, quos acciri solemne est.

6. Omnibus in hoc Consistorium patet aditus, & in eo Advocatus Consistorialis longa oratione fuse exponit vitam ac miracula ejus de cujus agitur Canonizatione, necnon petitiones Regum, & Principum, aliorumque pro Canonizatione supplicantium. Licet autem, expletis aliis orationibus Advocatorum Consistorialium, quæ fiunt in aliis Consistoriis, & in quibus similiter exoratur pro alicujus Canonizatione, Fidei Promotor opponere consueverit & protestari, ut infra videbitur; nulla tamen ab eodem Fidei Promotore emittitur; protestatio post orationem ab Advocato Consistoriali in hoc publico pro Canonizatione Consistorio recitatam. Et id utique jure optimo factum esse videtur. Nam, si in Actis Canonizationis S. Hyacinthi collectis a F. Seraphino de Cracovia legitur, Fiscalem Curiæ, qui in ea causa munus gesserat Fidei Promotoris, non opposuisse amplius, postquam dictum fuit, constare de ejus sanctitate & de duobus miraculis; potiori profecto ratione adstruendum videtur, non debere Fidei Promotorem ullam in Consistorio publico, de quo agitur, emittere protestationem; tum quia pro executione sui muneris in discussione causæ opposuit omnia, quæ opponere debebat & scriptis & voce, tum quia, absoluto in sacra Congregatione rituum examine causæ & prævio Cardinalium placito in secreto Consistorio de Canonizatione facienda incongruum re vera esse videretur, si Fidei Promotor in dicto Consistorio protestationem emitteret: ederetur quippe protestatio, ut omnia rite fierent & recte, utque adimplenda adimplerentur, (propterea enim edi consuevit) cum jam omnia rite quidem ac recte facta essent, & adimplenda pariter essent adimpleta.

7. Absoluta Advocati Consistorialis oratione, nomi-

ne ſummi Pontificis emittitur reſponſio a Præſule, qui eſt a ſecretis Brevium ad Principes, in qua ait, Sanctitatem ſuam omnes hortari, ut jejuniis, orationibus, ac precibus Divinum implorent adjutorium; & præterea ipſam audire velle in proximo Conſiſtorio ſenſum tum Cardinalium, tum Epiſcoporum in re tanti momenti; quarum quidem reſponſionum nonnullæ in Appendicibus exhibebuntur.

8. Si vero plures Beati unica Canonizatione canonizandi ſint, non unum, ſed plura habentur publica Conſiſtoria: impoſſibile quippe eſt, pluſquam duas haberi Advocatorum Conſiſtorialium orationes in uno publico Conſiſtorio.

9. Ultimum autem Conſiſtorium ſemipublicum appellatur; eo quia non ſolum Cardinalibus, ſed & Epiſcopis facultas datur ſuffragium ferendi, ut ſcribit Petrus Galeſinius *in Actis Canonizationis S. Didaci part. 3. cap. 12. Quia vero in ejuſmodi Conſiſtorio jus ſuffragandi præter Cardinales omnibus etiam Antiſtitibus, ut dixi, permiſſum eſt, ſemipublici nomine illud appellatur in commentariis quotidianis veteribus rituum Pontificalium.* Neque enim ſuffragii Epiſcoporum requiſitio eſt ullo modo habenda tamquam ſuperflua; eo quod in præcedenti ſecreto Conſiſtorio fuerit a Cardinalibus dictum ſibi placere, ut ad Canonizationem procederetur, id quippe nihil aliud præſefert, quam deliberationem procedendi ad ulteriora, hoc eſt ad exquirenda Præſulum ſuffragia; quemadmodum bene explicavit Penia *in vita S. Raymundi lib. 3. cap. 35.* ubi poſtquam ponderavit, quod in antiquis ſacrarum cæremoniarum libris, & in commentariis Doctorum *ad cap. Audivimus de Reliq. & venerat. SS.* legebatur & legitur, Pontificem definire in antecedenti Conſiſtorio, Canonizationem eſſe faciendam, hæc ſubdit: *Quod ait ſacer liber, in hoc Conſiſtorio definire Pontificem, Canonizationem eſſe faciendam, prudenter accipiendum eſt pro ulteriori proceſſu, ideſt omnia jam ita videri præparata atque probata, ut non ſit dubitandum, quin Canonizatio fieri poſſit, ideoque ad alios actus deveniendum:* idque comprobatur etiam ex bulla Canonizationis S. Raymundi ſub Clemente VIII. ubi, innuendo hoc ſemipublicum Conſiſtorium, quod cogitur poſt ſecretum, ſic habetur (*in cod. Canoniz. pag. 275.*) *Petivimus, ut, conſideratis atque examinatis omnibus Actis, id præciſe dicerent, quod Spiritus Sanctus eis daret eloqui, & an Beatus Raymundus Sanctis adſcribendus eſſe videretur.* Nec minus clara eſt bulla Canonizationis S. Tereſiæ ſub Gregorio XV. in qua, relatione facta de præcedenti Conſiſtorio ſecreto, aperte legitur, in eo fuiſſe definitum, ut ad ulteriora procederetur.

10. Antequam autem ſemipublicum hoc cogatur Conſiſtorium, publicæ indicuntur preces ad Divinam opem implorandam in re tanti momenti, hoc eſt in decernenda Beatorum Canonizatione; precibuſque expletis, ad ſemipublicum Conſiſtorium per intimationem vocantur Cardinales omnes, Patriarchæ, Archiepiſcopi, & Epiſcopi Romæ degentes: & in intimatione quidem iiſdem notum fit, ſententiam ferri debere ſuper Canonizatione, quam ſcriptam & ſubſcriptam unuſquiſque tradet Secretario Congregationis ſacrorum rituum. Ad hoc idem Conſiſtorium vocantur etiam Protonotarii Apoſtolici, duo antiquiores Rotæ Auditores, Secretarius Congregationis ſacrorum rituum, & Procurator Fiſcalis Cameræ Apoſtolicæ. Non vocabatur utique Fidei Promotor; ſed ſan. mem. Clemens XI. voluit, ut ipſe tamquam Fidei Promotor, vocarer & ſemipublicis intereſſem Conſiſtoriis a Sanctitate ſua habitis pro Canonizatione S. Pii V. Andreæ Avellini, Felicis a Cantalicio, & Catharinæ de Bononia; quod etiam fuit in Actis dictæ Canonizationis adnotatum a Juſtiniano Chipponi *pag. 87.* Facto etiam publico Conſiſtorio, ad unumquemque Patriarcham, Archiepiſcopum, & Epiſcopum in cauſa Canonizationis ſuffragaturum tranſmittitur illud idem compendium vitæ, virtutum, miraculorum, necnon Actorum in cauſa, quod tranſmiſſum fuerat ante primum ſecretum Conſiſtorium ad Cardinales, ut ſinguli omnia edocti ſententiam ſuam ferre poſſint.

11. Conſiſtorii ſemipublici initium deſumitur ab allocutione ſummi Pontificis, qui Cardinalium, & Epiſcoporum ſententias ſuper facienda Canonizatione exquirit: &, licet quæſtio olim, in Canonizatione videlicet S. Didaci, excitata fuerit, an in uno eodemque Conſiſtorio Cardinales, & Epiſcopi deberent ferre ſuffragium; attamen, cum in præcedentibus Canonizationibus in uno eodemque Conſiſtorio nedum Cardinales, ſed & Epiſcopi ſuffragium tuliſſent, ſic etiam in dicta Canonizatione factum eſt, teſte Petro Galeſinio *in Actis ejuſdem Canonizationis loc. cit. Dubitatum eſt, an Cardinales ſimul, & reliqui Ordine Præſides ſuffragium ferrent. Res diu incerta & obſcura ita diſcuſſa eſt, ut omnes eo ipſo in Conſiſtorio ſuffragium ferrent, cum in Œcumenicis Conciliis id fieri ſolemne ſit, tum etiam in cauſis graviſſimis, quemadmodum Innocentium IV. in cauſa Friderici Imperatoris, Clementem V. in Concilio Viennenſi de re quorumdam Principum maxima, Pium II. in Canonizatione item B. Catharinæ Senenſis, & Leonem X. itidem feciſſe, cum Franciſcum de Paula in Sanctos retulit, ex Actorum monumentis compertiſſimum fuit.*

12. His itaque cohærenter ſuffragium primo præſtatur a Cardinalibus, deinde ab Epiſcopis; &, ſi quidem aliquis ex Cardinalibus, aut Epiſcopis accedere nequeat ad Conſiſtorium propter aliquod legitimum impedimentum, ut puta infirmitatis, ſuum tranſmittit ſuffragium ad Secretarium Sacræ Congregationis, ſicut habetur ex Actis Canonizationis S. Petri de Alcantara, & S. Mariæ Magdalenæ de Pazzis *pag. 255.* Abſolutis porro ſuffragiis, ſummus Pontifex iterum alloqui conſuevit, iterumque ſe aliorum orationibus commendat; tum, quatenus ad ſolemnem Canonizationem procedere velit, diem ſtatuit, quo ea eſt peragenda. Cumque, juxta ſupra expoſita, huic ſemipublico Conſiſtorio interſint Procurator Fiſci, & Cameræ Apoſtolicæ, necnon Protonotarii, dictus Procurator Protonotarios Apoſtolicos præſentes orat, ut unum, vel plura publica conficiant inſtrumenta de ſententiis Cardinalium, Patriarcharum, Archiepiſcoporum, atque Epiſcoporum, & de ſummi Pontificis oratione ac deliberatione: ubi antiquior eorumdem Protonotariorum Apoſtolicorum ſui collegii nomine reſpondere conſuevit, *Vobis Teſtibus;* vocando videlicet in teſtes hujus rei eos, qui ſtantes tunc reperiuntur juxta thronum Pontificium. Hic vero obiter adnotare fas ſit, quod, etſi Petrus Galeſinius *in cit. Actis Canonizationis Sancti Didaci part. 3. cap. 12.* referat, non ſolum Cardinales, & Epiſcopos, verum etiam Auditores Rotæ, Protonotarios, & Abbates, ceteroſque omnes ſententias ſuas in dicta Canonizatione tuliſſe: *Deinde Pontifex de Beato Didaco in Sanctorum numerum adſcribendo ſententias dici juſſit, tum ſub quique ordine Cardinales, poſtea Patriarchæ, Archiepiſcopi, Epiſcopi, Auditores Rotæ, Protonotarii, Abbates, ceterique omnes qui aderant, uno conſenſu ac libere dixerunt, illum, cujus vitæ ſanctitas, ac miracula nota & teſtata erant, dignum eſſe, qui in Sanctis adſcriberetur;* in eo tamen, quod attinet ad Auditores Rotæ, & Protonotarios, certum eſt, eos ſuffragia non tuliſſe. Vocati etenim fuerunt Auditores Rotæ ad ſemipublicum Conſiſtorium, cum tunc Canonizationum cauſæ eorum examini committerentur, ut, ſi forte aliqua difficultas fuiſſet excitata, parati eſſent ad opportunas reſponſiones ſuppeditandas: Protonotarii vero vocati fuerunt, ſicuti etiam nunc vocantur, ad conficienda inſtrumenta de geſtis & definitis in eodem Conſiſtorio; teſte Franciſco Penia *in iiſdem Actis Canonizationis S. Didaci lib. 3. c. 15. Non oportuit tunc quidem ab Auditoribus Rotæ aliquid rogare, cum ſuper proceſſu nulla exorta fuerit, aut excitata controverſia, quæ illorum explicatione & induſtria indigeret. Hoc enim conſilio Auditores potiſſimum illi, ad quos judicandi proceſſum cura mandata eſt, advocari ſolent. Protonotarii vero ad fidem exhibendam circa ea decreta, quæ in eo Conſiſtorio cenſentur, ſolum rogandi erant:* cum quo concordat liber ſacrarum cæremoniarum Archiepiſcopi Corcyrenſis *ſect. 6. c. 1. Poterunt intereſſe aliqui Protonotarii ordinarii, ut ſint rogati de his, quæ gerantur. Aderunt etiam Auditores Rotæ, & maxime Commiſſarii cauſæ, ut, ſi quid eſſet declarandum, poſſint, ut bene informati, mentes aliorum declarare:* & ut bene etiam adnotavit Rocca *de Canonizatione SS. cap. 37. de tertio Conſiſtorio.*

13. Juxta prædictum librum ſacrarum cæremoniarum *ſect. 6. cap. 1.* huic Conſiſtorio non ſolum Patriarchæ, Archiepiſcopi, & Epiſcopi intereſſe debent, ut ſuam proferant ſententiam, ſed hujus etiam prærogativæ eſſent Abbates participes efficiendi: *In hoc Conſiſtorio debent eſſe Patriarchæ, Archiepiſcopi, Epiſcopi, Abbates, ad quos tantum pertinet dicere ſententiam ſuam.* Verum, etſi ignoro, quo tempore prætermiſſa fuerit requiſitio ſuffragii Abbatum, ſi tamen conjecturis locus eſſe poteſt, cum a ſummo Pontifice Gregorio XIII. inſigniſſimæ quædam abbatiæ fuerint collegiis ab ipſo inſtitu-

UAB Biblioteca de Ciències Socials

ſtitutis unitæ, & earum, quæ ſunt in locis Urbi conterminis, fiat ut plurimum collatio Cardinalibus; hinc forte evenit, ut, fere nullis in Urbe, aut circa Urbem Abbatibus extantibus, habentibus territorium ſeparatum, & juriſdictionem in Clerum & populum, de quibus quidem Cæremoniale loquebatur, qui Cardinalitia dignitate non fulgeant, non amplius facta ſit, nec fieri potuerit Abbatum, uti talium, advocatio ad hæc Conſiſtoria, ut in eis ſuam proferant ſententiam. In diariis inſuper Paridis de Craſſis celeberrimi cæremoniarum Magiſtri ſub Leone X. habetur, prædictum Pontificem in hoc Conſiſtorio ſuffragia Pœnitentiariorum requiſiviſſe, dum agebatur de Canonizatione S. Franciſci de Paula; ſed poſt dictum Pontificem id amplius factum non eſt.

14. In Conſiſtoriis hiſce ſemipublicis Cardinales ſingillatim aſſurgunt detecto capite, cum ſuas incipiunt ferre ſententias, tum ſedentes tecto capite eas proſequuntur. Patriarchæ vero, Archiepiſcopi, Epiſcopi, ferentibus ſententias Dominis Cardinalibus, ſedent tecto capite; ſtant autem, cum Papa loquitur; ſed, antequam eorum quiſquam loqui incipiat, & ſimiliter, poſtquam proprium tulerit ſuffragium, genuflectit; aſſurrexerant enim omnes, ſtatim ac primus Patriarcha ſententiam laturus ſurrexit, atque adeo ſtant, donec ultimus Epiſcoporum ſententiam ferre deſierit. Non amplius inter Epiſcopos, & Protonotarios quæſtio eſt de primatu, cum eadem ſublata fuerit a Pio Papa II. in ſua Conſtitutione 4. *quæ eſt in Bullar. nov. Rom. tom.* 3. *part.* 3. & in qua jure ac merito, abrogatis omnibus contra facientibus, voluit, Epiſcopos præferri Protonotariis; *Nec Ordo Epiſcoporum* (ita legitur *in ejus commentariis a Jo. Gobellino compoſitis l.* 3. *pag.* 115.) *conſuetudinem Romanæ Curiæ animo ferebat æquo, quæ Notarios Apoſtolicos anteponebat. Contra plurimi, morem Curiæ ſacram eſſe legem, & nullo mutandam pacto, cenſebant; ſcandalum ingens futurum, & orbem quodammodo ruiturum, affirmantes, ſi quid adverſus Notarios ſtatueretur. At Pius altitudinem Epiſcopalis eminentiæ animo volvens, qua nihil eſt in Eccleſia ſublimius, &, quod ipſe Romanus Præſul Jeſu Chriſti Vicarius Epiſcopi nomine contentatur, Notarios corruptela quadam, non conſuetudine, prælatos Epiſcopis judicavit; idque deinceps prohibuit, edita lege, quam totus ferme orbis collaudavit. Notarii, etſi ambiendo contra niterentur, & multa in Præſulem probra jactarent, legem tamen vel inviti receperunt.*

15. Sedent itaque Epiſcopi nedum in his Conſiſtoriis, verum etiam in Pontificia Capella. Sed ſi aliqui ex ipſis Conſultores ſint ſacrarum Congregationum, quæ coram Pontifice habentur, ut puta ſanctiſſimæ Inquiſitionis, generalis ſacrorum rituum, in Congregationibus ipſis minime ſedent, ſed ſtant; interſunt enim non ut Epiſcopi, ſed ut Conſultores: niſi forte ipſorum alicui, ut ſederet, concederetur ex Pontificia benignitate; impotentiæ aut ægritudinis cauſa, quemadmodum in pinacotheca altera Jani Nicii Erythræi *in vita P. Gregorii de Valentia pag.* 13. huic conceſſum legitur a Clemente VIII. cum intereſſet celeberrimis Congregationibus de auxiliis Divinæ gratiæ, quæ coram dicto Pontifice cogebantur: *Hoc interim notum omnibus eſt, quod Clemens Pontifex, cum ſumma ipſius erga Gregorium voluntatis ſignificatione eos illi honores habuerit, qui vix præſtari cuipiam ſolent; ut menſe Martio, in ea diſputatione, quæ ceteris finem attulit, cum Gregorius ita vehementer ex ſtomacho laboraret, ut ſtare non poſſet, atque Pontifex ejus eſſet audiendi in primis cupidus, ſedentem diſputationi operam dare permiſerit. In quo ille declarare viſus eſt, quanti hominem faceret, cui id conceſſerit, quod ipſis etiam Epiſcopis denegatur.*

16. Poſtremo, ſi unica Canonizatione plures Beati canonizandi ſint, non unum, ſed plura habentur Conſiſtoria ſemipublica; cum impoſſibile ſit, ut in uno Conſiſtorio omnia excipi poſſint Congregatorum ſuffragia pro omnibus Sanctis canonizandis: quare mos inolevit, ut tot ſemipublica Conſiſtoria habeantur, quot ſunt Beati, de quorum agitur Canonizatione. Nonnullæ porro ex allocutionibus habitis in hiſce Conſiſtoriis, & nonnulla pariter ex ſuffragiis in iiſdem Conſiſtoriis latis exhibebuntur in Appendicibus.

17. Supra ſermo habitus eſt de Urbis Abbatibus, qui Conſiſtoriis intererant. Si quis autem ſcire vellet numerum Abbatum Urbis, & nomina abbatiarum, quæ olim erant in Urbe, hiſtoriam legat P. Calimiri Romani Ordinis Minorum, cui titulus „ *Memorie iſtoriche della „ Chieſa e Convento di S. Maria in Araceli di Roma*, *cap.* 2. *pag.* 9. *& ſeqq.* publici juris factam poſt primam editionem hujus Operis.

CAPUT TRIGESIMUMQUINTUM.

De nonnullis aliis orationibus, quæ fiunt in publicis Conſiſtoriis a Conſiſtorialibus Advocatis.

1. IN ſuperioribus aliquid innuimus de quibuſdam orationibus, quæ fiunt pro Beatificatione & Canonizatione Sanctorum ab Advocatis Conſiſtorialibus in publicis Conſiſtoriis; licet hæc Conſiſtoria non congregentur, uti in proximo habeatur Canonizatio. Scire autem impræſentiarum oportet, unum ex Advocatis Conſiſtorialibus in unoquoque publico Conſiſtorio orationem recitare de vita & geſtis alicujus Dei ſervi; licet proxime non ſit futura ejus Beatificatio, aut Canonizatio: poſtea narratis egregiis ſervorum Dei operibus, Advocatum Conſiſtorialem in quolibet publico Conſiſtorio pro illorum exorare Beatificatione, aut Canonizatione, tum Fidei Promotorem ſolemnem emittere proteſtationem adverſus ea, quæ oratorio ritu relata fuerunt ab Advocato, inſtando, vel ut vera oſtendatur expoſita; vel, ſi jam ſunt oſtenſa, atque a ſacrorum rituum Congregatione, annuente Sanctiſſimo, approbata, ut non proceda tur, niſi ſervatis ſervandis, ad Beatificationem, aut Canonizationem: & huic demum inſtantiæ ſummum Pontificem reſpondere conſueviſſe his verbis: *ſacrorum rituum Congregatio audiat, & referat:* quæ quidem omnia in regeſtis dictæ ſacræ Congregationis Secretarius adnotare tenetur.

2. Orationes iſtæ Advocatorum Conſiſtorialium in publicis Conſiſtoriis ſummopere decent majeſtatem cauſarum introductarum, vel introducendarum Beatificationis & Canonizationis ſervorum Dei: tametſi profecto non ſunt ipſæ abſolute & ſimpliciter neceſſariæ ad rem & ad finem, de quo agitur: ita ut nullo negotio dari poſſit caſus, quo procedatur ad Beatificationem, & Canonizationem alicujus ſervi Dei, cujus tamen merita Advocati Conſiſtoriales in publicis Conſiſtoriis minime peroraverint.

3. Mentio fit harum orationum in decretis generalibus Urbani VIII. his verbis: *Item mandatum eſt, ut declamationes de rebus profanis & plerumque de atrociori-bus criminibus confictis & imaginariis, quæ fieri ſolebant in Conſiſtorio publico ab aulæ Conſiſtorialis Advocatis, quando Legati Sedis Apoſtolicæ in eorum reditu ad Urbem excipiuntur in eorum Conſiſtorio, vel quando per ſummum Pontificem traduntur pilei Cardinalitii novis Cardinalibus creatis, vel admittuntur Legati Principum ad præſtandam obedientiam Sedi Apoſtolicæ, abrogentur, & earum loco ſubrogentur propoſitiones cauſarum ſervorum Dei, qui fama ſanctitatis conſpicui mereantur adſcribi in numero Sanctorum, ſive Beatorum, pro quibus poterunt inſtare apud ſummum Pontificem Advocati petendo, committi, proſequi, vel expediri reſpective cauſas arbitrio Sanctitatis ſuæ.*

4. Pro hujus autem decreti intelligentia neceſſe eſt nonnulla referre, & ſignanter antiquo tempore Advocatos Conſiſtoriales cauſas omnes Conſiſtoriales in Conſiſtorio ipſo peroraſſe. Et formulæ profecto nonnullæ exordiorum factarum ab iiſdem orationum legi poſſunt in codice MS. qui extat in archivo Vaticano, quique conſcriptus fuit circa annum 1199. ab Ægidio Fuſcarario Bononienſi, editus autem a Carolo Chartario *in ſuo ſyllabo Advocatorum ſacri Conſiſtorii pag.* 7. Porro hic perorandi mos receſſit ab aula, cum cauſæ in tribunalibus Urbis, minime vero in Conſiſtorio, tractu temporis cœperunt agi & definiri; adeo ut Pancirolus *in ſuo opere de claris leg. Interpret. lib.* 2. *cap.* 52. ſcribat, loquendo de Collegio Advocatorum Conſiſtorialium: *Continet hic Ordo decem graviſſimos Juriſconſultos, qui innumeris privilegiis donati, ſoli clientum, qui in Conſiſtorio litigant, cauſas defendere conſueverant. Sed hodie, decreſcentibus negotiis in ſenatu, fere otioſi apud alios Romanæ Curiæ Judices mercede patrocinium præſtant.* Demum, quia, poſtquam ſummus Pontifex in publicum Conſiſtorium deſcendit, aliquod elabitur tempus omnino vacuum, dum novi Cardinales, vel Oratores expectantur: conſuetudo invaluerat, ut tunc un-

BIBLIOTECA

Advocatis Consistorialibus declamando factum exponeret fictitium & criminosum, supplicaretque, ut signaretur commissio, & sic demandaretur confectio processus criminalis adversus malefactorem, sive rebellem, de cujus confictis facinoribus ipse disseruerat. Desumuntur nimirum hæc omnia ex Gomesio *in compendio utriusque Signaturæ (inter ejusdem comment. in regulas Cancellar. pag.* 153.) ubi, postquam enarravit, quod summus Pontifex in publico Consistorio commissionem signabat nonnullarum causarum criminalium confictarum, rationem quærit, cur id fieret; tum vero, nonnullis allatis, quæ ab ipso reprobantur, ita concludit: *Redeundo igitur ad propositum, concludo, ideo Papam in Consistorio publico signaturam illarum commissionum illorum casuum introduxisse, ut tempus illud vacuum, quo vel novi Cardinales, vel Oratores introducendi expectantur, agendo aliquid, consumatur; nam, hoc faciendo, non etiam desinit, quando casus veri accidunt & proponuntur, justitiam ministrare. Nam hic mos & stylus hodiernus signandi supplicationes in Consistorio, & mandare fieri processus criminales adversus malefactores, & rebelles, ad instantiam Procuratoris Fisci antiquus fuit, &c. Igitur dum ista in Consistorio aguntur, interim Cardinales creandi, vel novi Oratores, aut Legati a legatione redeuntes introducuntur, pro quibus omnibus recipiendis solet Consistorium publicum cum observatione quarumdam cæremoniarum indici.* Formula etiam antiquæ declamationis legi potest apud Chartarium *in alleg. Syllabo Advocat. Consist. pag.* 257. *& seqq.* Istæ ergo orationes de rebus profanis, & plerumque de atrocioribus criminibus confictis & imaginariis, sublatæ sunt a summo Pontifice Urbano VIII. juxta litteram Decretorum in superioribus relatam, atque earum loco laudabiliter statutum est, ut fierent orationes de gloriosis gestis Servorum Dei, qui cum Sanctitatis fama obierunt, instando pro introductione, progressu, aut terminatione causarum Beatificationis, & Canonizationis eorumdem.

5. Hoc Urbani VIII. Decretum prodiit, re in Consistorio secreto plene discussa; quocirca *in libris Actorum Consistorialium* ita legitur: *Romæ apud S. Petrum in palatio Apostolico feria secunda die* 27. *Januarii* 1631. *fuit Consistorium secretum, in quo SS. D. N. Urbanus Papa VIII. proposita quæstione, an expediret abolere consuetudinem, quam hactenus servaverunt Advocati Consistoriales, cum fiunt publica Consistoria, proponentes causas fictitias; & rationibus per Sanctitatem suam adductis abolitionem hanc suadentibus, auditisque Reverendiss. Dominorum Cardinalium sententiis approbantium & consentientium, decrevit, ut infra.*

6. *Decernimus & mandamus, loco dictarum commentitiarum narrationum, posthac ab Advocatis Consistorialibus agendum esse de genere, natalibus, ac virtutibus eorum, qui cum magna opinione sanctitatis obierunt, & pro quibus fiunt instantiæ, ut in Beatorum, seu Sanctorum numerum adscribantur, & eosdem Advocatos se continere debere in hujusmodi relationibus habendis intra terminos præscriptos in instructione de mandato nostro tradenda.*

7. Cum autem in decreto Consistoriali modo relato mentio fiat in institutionis Advocatis Consistorialibus tradendæ de modo, quo in Consistorio perorare debent, institutio ipsa est ea, quæ sequitur.

8. *Primo: Electio causarum spectet ad Secretarium sacræ rituum Congregationis pro tempore, qui adnotabit in cedula ab ipso subscribenda nomen servi Dei unicuique Advocato per turnum assignandi.*

9. *Secundo: Quilibet Advocatus per octo saltem dies ante propositionem in Consistorio ipsammet relaxet in manibus prædicti Secretarii, a quo, si quid compertum fuerit contra dispositionem eorum, quæ continentur in præsenti instructione, amoveri debeat omnino, & accommodari ad mentem ejusdem Secretarii.*

10. *Tertio: De miraculis in individuo nihil afferatur, sed, narrando seriem vitæ, permittitur, agi solummodo de virtutibus, de miraculis autem in genere tantum.*

11. *Quarto: Idem de fama sanctitatis a die obitus usque ad præsentia tempora, referendo asperitatem vitæ, vigilias, orationes, jejunia, eleemosynas, disciplinas, aliaque opera meritoria a Beatificatis patrata.*

12. *Quinto: Similiter & de populorum concursu ad sepulcrum, de oblationibus, ac de instantiis multiplicatis Principum virorum.*

13. *Sexto: De gloria militantis Ecclesiæ in Beatificationibus Sanctorum, deque exercitatione ad heroicas virtutes eorumdem exemplo.*

14. *Septimo: Instantiæ debent fieri a Procuratoribus causarum, a quibus præstabuntur solita honoraria huc usque erogata a Curia criminali Urbis Gubernatoris.*

15. *Octavo: Advocatus proponens habeat & teneat in manibus commissionem in forma signandi ad effectum illam relaxandi, cui Sanctitas sua mandaverit.*

16. *Nono: Promotor Fidei, cum sit ad præsens & in posterum semper esse debeat de collegio Advocatorum Consistorialium, immunis sit a propositione dictarum causarum; esset enim inconveniens, cum, qui ratione sui officii opponere debet processibus Beati fabricatis seu fabricandis, ad hoc, ut in re tanti momenti veritas magis elucescat, præstare in eisdem causis suum favorabile patrocinium.*

17. Præscripta in hac institutione hodie etiam in more posita sunt, exceptis tantummodo capitibus septimo, & octavo: persolvuntur enim hodie emolumenta Advocato peroranti a Curia criminali Gubernatoris Urbis, ut infra dicetur, cum de expensis quæ fiunt in his causis, agetur; & Advocati quidem Consistoriales minime habent in manibus commissionem in forma signabili, quando in publico Consistorio de gestis servorum Dei, & de petitione pro illorum Beatificatione, aut Canonizatione sermonem faciunt. Fuit id nempe executioni mandatum, statim ac edita fuit institutio; postmodum vero contraria tenuit consuetudo: ideoque in regestis sacræ Congregationis hæc habentur: *Fuit Consistorium publicum in Monte Quirinali pro tradendo pileo seu galero rubeo EE. DD. Cardinalibus Balneo, & Palottæ; & hoc fuit primum Consistorium publicum, in quo sacræ aulæ Consistoriales Advocati, relicto ritu fingendi sibi casus facinorosos, proposuerunt prima vice causas servorum Dei, instando pro eorum Canonizationibus; & ex Advocatis fuit primus Joseph Baila, qui, proposita causa Vallisoletana servæ Dei Sororis Annæ a S. Augustino Monialis Carmelitæ; secundus vero fuit Julius de Cinciis, qui, proposita causa Florentina servæ Dei Sororis Dominicæ a Paradiso fundatricis monasterii de Cruce, ambo insteterunt, præ manibus commissionem habentes, signari pro expeditione causarum; & ego Tegrinus Tegrinius Episcopus Assisiensis, uti sacrorum rituum Congregationis Secretarius, interfui cum exemplari narrationis narrandæ &c. Quibus peractis, Sanctissimus mandavit, consignari mihi utramque commissionem cum rescripto, quod rituum Congregatio audiat & referat; prout in executionem ego ipse in dictis commissionibus manu mea signavi rescriptum, quod mandavit Sanctissimus extendi in regesto Congregationis ad perpetuam rei memoriam.*

18. Prærogativa est igitur insignis collegii Advocatorum Consistorialium, cui plurium annorum spatio ipse adscriptus fui, has omnes in publicis Consistoriis habere orationes. Nam & tempore Sixti V. comes de Olivares Orator Regis Catholici introductus quidem fuit in publicum Consistorium, sed Horatius Burghesius sacræ Consistorialis aulæ Advocatus orationem habuit pro publico cultu decernendo in honorem S. Bertrandi, teste Chartario *in Syllabo Advocatorum Consistorialium pag.* 208. & etiam tempore Clementis VIII. cum Vicarius, quem dicunt Provisionis, una cum Oratoribus Cleri Mediolanensis, & consilii generalis dictæ civitatis ad Urbem accessisset pro impetranda Canonizatione tunc Beati, nunc Sancti Caroli Borromæi, & perorare voluisset in Consistorio; Clemens prædictus, auditis momentis rationum collegio Advocatorum Consistorialium favorabilium, collegii annuit petitioni, & Vicarii prædicto loco Bernardinus Scottus sacræ Consistorialis aulæ Advocatus supplices orando exposuit preces pro S. Caroli Canonizatione, teste Marco Aurelio Grattarola *in suo opere de veneratione Sancti Caroli cap.* 20. *Letta la lettera della città, il Signor Bernardino Scotti Avvocato Consistoriale Milanese, che fu poi Auditore di Rota, come diremo al suo luogo, recitò l' orazione che segue, stando inginocchiato vicino agli Ambasciadori, il quale offizio s' era apparecchiato di fare il Vicario di Provisione, ma fu impedito dal collegio degli Avvocati Consistoriali, i quali dissero, che de jure apparteneva a loro tal carico.*

UAB Biblioteca de Ciències Socials

CAPUT TRIGESIMUMSEXTUM.

De solemnitate Canonizationis.

1. INTERRUPTUM ordinem nunc resumendo, & ad rem nostram redeundo, postquam expleta sunt omnia, quæ sunt explenda, nedum in secreto Consistorio, verum etiam in Consistoriis publico, & semipublico, statuitur a summo Pontifice dies faciendæ Canonizationis; quæ quidem diei definitio in ultimo Consistorio manifestari consuevit. Ut autem omnia ad ipsius Canonizationis solemnitatem pertinentia debito ritu & compendio exponantur, fit.

§. I.

De civitate, in qua fieri debet Canonizatio.

2. MAjor solemnium Canonizationum numerus Romæ, in qua urbe summi Pontifices residere consueverunt, habitus est. Attamen multa non desunt exempla Canonizationum factarum extra Romam, atque eo in loco, vel civitate, in qua summi Pontifices morabantur. Ex supra recensitis hujusce rei antiquiora desumi possunt exempla: in præsens vero sermonem habendo de recentioribus, Gregorius IX. fecit Canonizationem BB. Francisci de Assisio, & Elisabeth in civitate Perusina, B. Antonii Lusitani in civitate Spoletana, B. Dominici in civitate Reatina; Innocentius IV. BB. Edmundum Cantuariensem, & Willelmum Briocensem Episcopos Lugduni, BB. autem Petrum a Verona Perusii, ac Stanislaum Cracovien sem Assisii solemni ritu inter Sanctos retulit; Alexander IV. B. Claram in civitate Anagnina; Urbanus IV. B. Richardum in civitate Viterbiensi; Clemens IV. B. Hedwigem in eadem civitate; Bonifacius VIII. B. Ludovicum Regem Franciæ in Urbe-Veteri; Clemens V. B. Petrum de Morono in civitate Avenonien si; Joannes XXII. BB. Ludovicum Episcopum Tolosanum, Thomam Hersodiensem, ac Thomam Aquinatem, ut & Clemens VI. B. Ivonem in memorata civitate Avenonien si canonizaverunt.

§. II.

De loco, seu templo, in quo solemnitas Canonizationis expletur.

3. SOlemnis Canonizationis decretum in aula Concilii, quando in Conciliis fiebant Canonizationes, publicabatur: ideoque, conventu facto in palatio Lateranensi, Joannes XV. in ipsa aula Concilii, & coram Patribus decretum protulit de Canonizatione B. Udalrici Episcopi Augustæ Vindelicorum. Innocentius autem IV. qui in civitate Perusina, uti diximus, solemni ritu inter Sanctos retulit B. Petrum Martyrem, decretum Canonizationis evulgavit in platea templi FF. Prædicatorum, astante Cleri & populi multitudine: cumque idem Assisii, ut pariter diximus, inter Sanctos retulisset B. Stanislaum, in ipso templo in quo solemnitatem explebat, inter Missarum solemnia ambonem conscendens sententiam emisit; uti legitur in Actis a Longino conscriptis *lib. 3. art. 13.* & ut bene adnotarunt Bollandiani *in propyleo diss. 20. num. 8. pag. 173.* Ab eo nimirum tempore initium habuit pia consuetudo, ut solemnia Canonizationis in templo expleantur; &, cum quidem Romæ Pontifices morantur, Canonizationes omnes, si unam aut alteram excipias, de quibus infra, factæ sunt in basilica Vaticana S. Petri de Urbe, uti bene ponderat Maphæus Vegius Cubicularius Eugenii IV. *in suo tractatu de rebus memorabilibus basilicæ Vaticanæ*, qui conservatur in archivo Capituli: *Quid majus Canonizatione Sanctorum, quæ ibi* (scilicet in basilica Vaticana) *pro majori nimirum dignitate & gloria celebratur? Dignitate propter Principum Ecclesiæ consortia; gloria, propter omnium gentium inundantem occursum;* & sicut habetur in Ordine Canonizationis anni 1494. (*t. 3. collect. Conciliorum Britanniæ pag. 638.*) *Quibus peractis, si canonizandus aliquis sit, in ecclesia, immo basilica Principis Apostolorum de Urbe, conficitur apparatus infrascriptus.* Subdit autem Panvinius *in suo tractatu de præstantia basilicæ Vaticanæ*, qui pariter manuscriptus asservatur in archivo Capituli, Sanctorum Canonizationes factas fuisse in basilica Vaticana, eo etiam tempore, quo summi Pontifices habitabant in Laterano: *Quod majus mysterium Canonizatione Sanctorum, quæ in basilica S. Petri, pro majore nimirum dignitate ac gloria tantum, perpetuo celebrata est, etiam cum Romani Pontifices Laterani habitarent? In ea enim Eugenius IV. S. Nicolaum Tolentinum Ord. S. Augustini, Nicolaus V. S. Bernardinum Senensem Ord. Minor., Calistus III. S. Vincentium Hispanum Ord. Prædicat., Sixtus IV. S. Bonaventuram Ord. Minor., Innocentius VIII. S. Leopoldum Austriæ Ducem, Leo X. S. Franciscum Paulensem Calabrum institutorem Ord. Minim., Hadrianus VI. S. Antoninum Archiepiscopum Florentinum, & S. Bennonem Germanum Episcopum Misnien sem canonizarunt.* Et concordat Tiberius Aipharanus *in suo opere MS. infra citando;* quod ipsum conservatur in archivo basilicæ S. Petri, ubi sic legitur: *Canonizationes Sanctorum perpetuo in ea* (nempe in basilica Vaticana) *celebrat.* Porro cum referat Paris de Crassis cæremoniarum Magister *in suis diariis*, se Leonem X. summum Pontificem interrogasse in templo, in quo facienda esset Canonizatio S. Francisci de Paula, quæ deinde facta est in basilica S. Petri, propterea quia basilica hæc tunc temporis ruinam minabatur; colligi ex eo potest, extra casum, seu ruinæ periculum, nullam de peragenda Canonizatione in eadem basilica dubitationem esse potuisse. Consentiunt alii, qui de hac eadem re scripserunt, quique asserunt, Canonizationem juxta antiquissimam consuetudinem fieri debere in basilica Vaticana, si Pontifices Romæ morentur. Sic scribit Petrus Galesinius *in Actis Canonizationis S. Didaci part. 3. cap. 13. Illud in more jam diu positum est, ut, cum Romæ Pontifices manent, in sacrosancta basilica Vaticana B. Petri Apostolorum Principis actus Canonizationis ab iis celebretur; quemadmodum celebritatum ejusmodi, quæ multis abhinc ætatum sæculis ritu solemni actæ sunt, commentarii rituales veteres demonstrant.* Penia *in Actis Canonizationis S. Raymundi lib. 3. cap. 38.* ait: *Apud S. Petrum in Vaticano confecratio est facta, in qua ecclesia celebrari solent Canonizationes, quando Romæ sunt; & merito, quia tam insignis actus jure huic ecclesiæ deberi videbatur.* Dominicus Cappellus in Actis Beatificationis & Canonizationis S. Francisci Salesii *part. 1.* scribit, uti supra dictum est, ab Alexandro VII. fuisse statutum, solemnia Beatificationis peragi in Vaticana basilica, ut ibi fieret Beatificatio, ubi fit Canonizatio; & in Actis Canonizationis SS. Petri de Alcantara, & Mariæ Magdalenæ de Pazzis *pag. 273.* hoc ipsum confirmat. Sanctæ demum Sedis observantia hasce Auctorum assertiones mirifice comprobat, cum juxta eam videamus, quod & antiquis, & mediis, & recentioribus temporibus Sanctorum Canonizationes in prædicta basilica perfectæ sunt. Verum, cum supra monuerimus, unam aut alteram Canonizationem extra Vaticanam basilicam a Pontificibus Romæ commorantibus factam fuisse; prima ex his est S. Birgittæ, quam Bonifacius IX. causa ægritudinis explevit in Capella sacri palatii prope S. Petrum: sed, cum, perfecta Canonizatione, convaluisset, die sequenti in Basilicam Vaticanam descendit, in qua Missam, quam impeditus celebrare non potuerat, solemniter celebraret; prout quidem egit, teste Petro Amelio Sacrista Urbani V. in suo Ordine Romano apud Mabillonium *t. 2. musei Ital.* Altera est S. Joannis Nepomuceni, quæ solemniter facta fuit a san. mem. Benedicto XIII. in basilica Lateranensi, quam antea consecraverat; in qua etiam basilica Beatificationem perfecit Dei servi nunc Sancti Fidelis a Sigmaringa Ordinis Capuccinorum, ut superfluæ evitarentur expensæ. Basilica siquidem Lateranensis ornata adhuc erat ob paulo ante expletam S. Joannis Canonizationem. Sed, cum ante hanc Canonizationem, de præcedentium Pontificum more, idem Pontifex in basilica Vaticana solemni ritu inter Sanctos retulisset BB. Thuribium, Jacobum Picenum, Agnetem a Monte Politiano, Peregrinum Latiosum, Joannem a Cruce, Franciscum Solanum, Aloysium Gonzagam, Stanislaum Kostkam, Margaritam a Cortona; cumque sub eodem Pontifice, ante Beatificationem S. Fidelis a Sigmaringa, in ipsa Vaticana basilica facta sit solemnis Beatificatio Hyacinthæ de Marescottis, & Joannis de Prado, necnon, post memoratam Beatificationem S.

Fide-

Fidelis ſub eodem Pontifice, peracta ſit in ipſa etiam baſilica Beatificatio BB. Vincentii a Paulo, & Petri Fererii; nemo eſt qui non videat, jus ex conſuetudine deſcendens ſtare pro baſilica Vaticana, in ea videlicet, commorantibus Romæ Pontificibus, fiant ſolemnia Canonizationis. Poſt hæc jam primo ſcripta & typis edita, expleta eſt a SS. Deceſſore noſtro Clemente Papa XII. anno 1737. in baſilica Lateranenſi unica actione Canonizatio SS. Vincentii a Paulo, Joannis Franciſci Regis, Catharinæ Fliſcæ Adurnæ, & Julianæ de Falconeriis, & in eadem baſilica paulo poſt expleta fuerunt ſolemnia Beatificationis S. Joſeph de Leoniſſa. Canonizatio prædictorum Sanctorum expleta eſt in prædicta baſilica, ut ſummus Pontifex ſine valetudinis detrimento eidem intereſſet; & ſolemnia Beatificationis in eadem baſilica expleta ſunt, utpote jam ornata pro Canonizatione paulo ante facta. Veneramur quidquid a ſan. mem. Benedicto XIII. factum eſt pro inſigni baſilica Lateranenſi, quam, uti diximus, conſecravit. Eadem veneratione proſequimur quidquid a SS. Deceſſore noſtro ejuſdem baſilicæ favore factum eſt, in qua Pontificia liberalitate & Pontificia magnificentia Capellam a fundamentis extruxit in honorem S. Andreæ ex ſuo Corſino genere procreati: ſed putamus, hæc nullum præjudicium afferre debere antiquiſſimæ conſuetudini, juxta quam tum ſolemnes Canonizationes, tum Beatificationes in baſilica Principis Apoſtolorum, in qua nos multorum annorum ſpatio Canonicalem Theologalem Præbendam obtinuimus, peractæ ſunt, quoties Romani Pontifices fuerunt in Urbe. Fas etiam ſit nonnulla addere de baſilicæ Vaticanæ præſtantia, quæ hauſimus ex opere MS. Tiberii Alpharani de baſilicæ Vaticanæ antiquiſſima & nova ſtructura, quod opus fuit abſolutum ann. 1577. In baſilica ergo Vaticana, & non alibi, Imperatores diademata de manu Romani Pontificis ſuſcipere conſueverunt. Reges quoque ſi Romæ coronari contigiſſet, non alibi ea celebritas facta eſt, quam in eadem baſilica. Præterea quoque non modicum augent ejuſdem baſilicæ præſtantiam & dignitatem præcipua quæque noſtræ Religionis Myſteria, & Romanæ Apoſtolicæ Sedis, Pontificiæque juriſdictionis facta, quæ in eadem baſilica perpetuo celebrata fuiſſe noſcuntur. Nemo peregrinus in eam admittebatur, niſi prius rectæ Fidei ſummæ formulam obtuliſſet. Donationes civitatum, provinciarum, & regnorum, ſanctæ Romanæ Eccleſiæ, ſuper altare majus S. Petri oblatæ ſunt. Rectores patrimoniorum S. Romanæ Eccleſiæ noviter inſtituti, item Duces Eccleſiaſticæ militiæ creati, ad ejus aram maximam juramentum præſtabant. Pontifex cenſus regnorum, provinciarum, & civitatum, ac ſolemnes proteſtationes, in ejuſdem porticu ſuſcipere ſolet. Epiſcopi, & Metropolitani obedientiam S. Romanæ Eccleſiæ ſuper altare S. Petri jurabant. Pallia de corpore S. Petri ibidem tantum aſſumuntur pro Archiepiſcopis, & Patriarchis. Solemnes Epiſcoporum, Patriarcharum, Regum, Imperatorum excommunicationes, abſolutioneſque in hac una tantum baſilica ſunt celebratæ. Cujus limina, ſubjectionis & devotionis ergo, Epiſcopi ex debito viſitant. In hæreſim lapſi ſuos errores ante Confeſſionem B. Petri abjurabant. Romanuſque ipſe Pontifex deſignatus ſolemne ſacramentum, quod *Indiculus* appellabatur, in eccleſia S. Petri præſtabat de ſanctis Fidei dogmatibus uſque ad mortem tuendis. Ejuſdem Pontificis electi recta Fidei confeſſio, dogmatica epiſtola incluſa, ex hac baſilica ad omnes Chriſtianos mittebatur. Romani Pontifices falſis criminibus impetiti, in eadem baſilica ante Confeſſionem B. Petri juramenta de ſua innocentia præſtabant. Anno Jubilæi ſolus Romanus Pontifex, aut, eo ægrotante, Cardinalis Legatus ab eo deputatus, portam ſanctam ſuis manibus aperit, & claudit: in ea ipſe coronatur & conſecratur, & in ea ſepeliendus eſt ſaltem ad certum tempus. Poſt hæc omnia fuſe relata, memoratus Tiberius Alpharanus ait, uti ſupra etiam viſum eſt, Sanctorum Canonizationes perpetuo fieri in Vaticana baſilica. Quæ laudabilis conſuetudo, tot rationibus & monumentis innixa, ut in poſterum omnino ſervetur, nec ullo modo ab ea recedatur, nos ipſi in initio ſecundi anni noſtri Pontificatus, conſtituimus, & Conſtitutionem edidimus in Appendicibus referendam, de Sanctorum Canonizationibus, & Beatificationibus, quæ Romæ peraguntur, non alibi celebrandis, quam in baſilica Vaticana, ut ibi videri poteſt *num.* 2. Porro poſt editam prædictam Conſtitutionem nonnulla nobis expoſita fuerunt. Primum, quod in libro ſacrarum cæremoniarum Romanæ Eccleſiæ ſæpe allegato, in quo *lib.* 1. *ſect.* 6. *cap.* 1. fuſe deſcribitur ritus Canonizationis, nulla fit mentio baſilicæ Sancti Petri, ſed eccleſiæ in genere: *cum Pontifex venit ad eccleſiam*. At animadverſio hæc nullo innixa eſt fundamento; cum paulo poſt ſubdantur hæc alia verba *cap.* 2. *Cum vero Pontifex pervenerit ad porticum S. Petri excipitur ibi a Clero Urbis in modum ſupplicantium parato*. Alterum eſt, quod, præter Canonizationem S. Udalrici, quam in aula Concilii Lateranenſis expletam diximus, aliæ Sanctorum Canonizationes factæ fuerunt in urbe extra baſilicam Vaticanam, & præſertim illa S. Henrici Imperatoris, quæ facta eſt ab Eugenio III. in eccleſia S. Mariæ trans Tiberim; SS. Ubaldi, & Joannis Gualberti, & Homoboni; quarum primæ dicuntur expletæ a Cæleſtino III. in eccleſia Lateranenſi, & ultima in eadem quoque eccleſia ab Innocentio III. ut ex datis bullarum colligitur: prima enim data eſt trans Tiberim, & aliæ Laterani. Potuiſſent alia ſuperaddi exempla Canonizationum, videlicet S. Gerardi Epiſcopi Tullenſis, quæ facta eſt Romæ in Synodo in eccleſia Salvatoris, in baſilica videlicet Lateranenſi; Sturmii Abbatis Fuldenſis, quæ facta eſt in plenaria Synodo apud Lateranum. Verum ne hoc quidem robur habet, aut efficaciam. Data ſiquidem bullarum Canonizationis probat, bullam fuiſſe ſubſcriptam a ſummo Pontifice in loco in eadem bulla indicato: ſed non probat ſolemnitatem Canonizationis fuiſſe factam in eodem loco, & multo minus in baſilica in eadem regione ſita. Sciunt omnes, Canonizationem S. Joannis Nepomuceni fuiſſe ſolemniter factam in baſilica Lateranenſi a ſummo Pontifice Benedicto XIII. & nihilominus bulla Canonizationis data non eſt Laterani, ſed apud S. Petrum, in palatio videlicet Vaticano, in quo idem Pontifex habitabat: & citata bulla extat in codice Canonizationum Archiepiſcopi Ancyrani. Ex hoc ergo, quod bulla Eugenii III. pertinens ad Canonizationem S. Henrici Imperatoris data ſit trans Tiberim, non bene infertur, Canonizationem fuiſſe factam in eccleſia S. Mariæ trans Tiberim; ſed tantum bullam fuiſſe ab eo Pontifice ſubſcriptam in Tranſtiberi, ad quem locum ſe receperat, ut evitaret inſanum Romanorum furorem, quemadmodum fuſe legitur apud Pagium juniorem *in vita dicti Pontificis*. Simili reſponſione eliduntur exempla Canonizationum SS. Ubaldi, Joannis Gualberti, & Homoboni. Et in eo quod attinet ad Canonizationem Sancti Joannis Gualberti, extat adhuc relatio Auctoris contemporanei apud Bollandianos *tom.* 3. *menſis Julii pag.* 337. ex qua deſumitur, eam factam fuiſſe in Conſiſtorio, non in eccleſia, coram Cardinalibus, & Epiſcopis, qui ibi nominatim recenſentur: quod profecto nihili habet commune cum noſtra aſſumptione, in qua agitur de Canonizationibus poſt tempora Innocentii IV. in Urbe factis, & in eccleſia, non in Concilio, nec in Conſiſtorio. Ad claſſem earum, quæ præceſſerunt tempora Innocentii IV. & in Concilio expletæ ſunt, pertinent ceteræ, de quibus mentio facta eſt paulo ante. Firmum itaque remanent, antiquam eſſe conſuetudinem, ut Canonizationes, quæ Romæ fiunt in eccleſia & cum ſolemnitatibus & pompis eccleſiaſticis, fiant in baſilica Vaticana, & exceptis nonnullis, quæ ſupra fuerunt indicatæ, omnes in eadem eccleſia factas fuiſſe. Nec id ex datis bullarum comprobatur; ſed ex his, quæ in ipſis bullis narrantur: mentio quippe functionis expletæ in baſilica Vaticana rotundis litteris habetur in bullis Canonizationum SS. Bernardini, Catharinæ Senenſis, Bonaventuræ, Franciſci de Paula, Bennonis, Antonini, & paſſim in aliis; ita ut, omnibus ſimul collectis nullus videtur relictus dubitandi locus de veritate earum rerum, quæ fuerunt expoſitæ.

§. III.

De diebus, quibus peragitur ſolemnitas Canonizationum, & de pluribus Sanctis unica ſolemnitate canonizandis.

4. TEmpore ſummi Pontificis Leonis X. cum inter ſacrarum cæremoniarum Magiſtros controverſia exorta fuiſſet de die, quo ſolemnia Canonizationis deberent expleri, deliberatum fuit, diem pendere a ſummi Pontificis arbitrio; uti legitur in Actis Paridis de Craſſis cæremoniarum Magiſtri. Tempore quoque Gregorii XV. cum quæſitum fuiſſet in ſacrorum rituum Congregatione, an plures Beati unica Canonizatione poſſent canonizari, affirmanter reſponſum fuit, ut mox videbitur: idemque Pontifex ſimul canonizavit BB. Philippum Nerium, Ignatium de Loyola, Franciſcum Xaverium, Iſidorum Agricolam, Tereſiam: tum autem Clemens X. BB. Cajetanum, Franciſcum Borgiam, Philippum Benitium,

UAB Biblioteca de Ciències Socials

nitium, Ludovicum Bertrandum, Rosam de S. Maria; Alexander VIII. BB. Joannem ab oppido S. Facundi, Paschalem Babylonium, Joannem de Deo, Laurentium Justinianum, Joannem a Capistrano; Clemens XI. BB. Pium V. Andream Avellinum, Felicem a Cantalicio, Catharinam Bononiensem; Benedictus XIII. BB. Thuribium, Jacobum Picenum, Peregrinum Latiosum, Joannem a Cruce, Franciscum Solanum, Aloysium Gonzagam, Stanislaum Kostkam, Agnetem a Monte Politiano. Omnes nempe hi Beati unica utique Canonizatione, at muliplici tamen solemnitate fuerunt inter Sanctos a Benedicto relati: impossibile etenim fuit octo Beatos unica solemnitate inter Sanctos referre. Idem Pontifex postea inter Sanctas retulit B. Margaritam de Cortona; deinde in separata Canonizatione B. Joannem Nepomucenum. Nec enim fuit Benedictus primus inter Pontifices, qui plures separatas, unam uno anno, alias annis subsequentibus, fecerit Beatorum Canonizationes, quique consequenter de anili fabula minime timuerit, qua fertur summos Pontifices, absoluta alicujus Sancti Canonizatione, cito ex hac vita discedere. Prætereundo quippe, quod san. mem. Clemens Papa XI. factæ Canonizationi prædictorum quatuor Beatorum superstes vixerit annos| fere novem, pluribus eam fabulam impugnat Theophilus Raynaudus *oper. tom.* 13. *tit. de vitæ & mortis termino punct.* 14. §. *Alia apud aliquos fol.* 218. & argumentum quidem ipsum latius aptiusque persequitur Petrus Galesinius *in Actis Canonizationis S. Didaci part.* 3. *cap.* 5. ubi, loquendo de Sixti V. summi Pontificis desiderio peragendi dicti Sancti Canonizationem hæc habet: *Non defuerant tamen, qui rem differri suadere conabantur nescio quibus rationibus quæ inanes sunt, ne dicam aniles & superstitiosæ. Non enim verum est, neque cum pietatis officio consentaneum, quod vulgo dicunt, Pontificem brevi moriturum, ubi aliquem in Sanctorum numerum adscripserit. Immo contra perspicue manifestum fit exemplis plurimorum Pontificum. Alexander III. Pontifex in Sanctorum Confessorum ordine anno* 1165. *Bernardum Claravallensem retulit; postea tamen vixit annis quindecim, cum alios etiam quatuor, & in iis præsertim Thomam Cantuariensem anno* 1174. *in Beatorum Martyrum numero adscripserit. Idem affirmare licet de Gregorio IX. Pontifice, qui annis postea tredecim obiit, quam B. Dominicum Ordinis Prædicatorum Auctorem & Parentem in Sanctis annumerarat, cum Seraphicum Franciscum etiam, & item alios quatuor deinceps in eorumdem numerum posuerit. Res ex Pontificiis annalibus in promptu est, ac propterea rationes multæ sunt, quæ liquido constant: ideo jam nihil attinet, cur pluribus demonstretur.*

§. IV.

De ordine, quo Sancti nominari debent, quando plures simul canonizantur.

5. QUando accidit, ut non una, sed plures Canonizationum causæ sint absolutæ, ita ut, approbatis tum virtutibus, tum miraculis, & præmissis omnibus præmittendis, nihil aliud desit, quam solemnis declaratio, quæ dicitur Canonizatio juxta præsentem Ecclesiæ disciplinam & usum, Beati omnes, quorum causæ jam sunt absolutæ, simul canonizantur; uti colligitur ex sequenti decreto sacræ Congregationis rituum edito die 3. Januarii 1622. *Hæc Congregatio fuit facta de mandato SS. D. N. Gregorii videlicet XV. ad exquirendam sententiam Congregationis, an expediat quinque simul canonizare, nempe B. Isidorum, B. Ignatium, B. Franciscum Xaverium, B. Teresiam, & B. Philippum Nerium; licet, antequam inchoaretur Congregatio, veneris P. Dominicus Carmelita Discalceatus, qui Pontificis nomine dixit, mentem Sanctitatis suæ esse canonizare supradictos Beatos simul uno eodemque die, ac propterea agendum esse in Congregatione solum circa modum. Sacra igitur Congregatio censuit, si Sanctissimus jam deliberavit istos quinque canonizare, melius esse, illos canonizare simul uno eodemque die, quam parvum tempus interponere inter unum & alium, etiamsi tempus esset unius anni.*

6. Posito itaque, quod plures Beati simul canonizentur, dubitari contingit de ordine, quo illi debeant nominari. In Canonizatione quippe quinque Sanctorum facta a Gregorio XV. fine ulla profecto quæstione processum fuit per ordinem antiquitatis; ita ut, licet SS. Philippus, Ignatius, & Franciscus essent ex Clero Sæculari (eo sensu, quo id accipiendum declarat Cardinalis de Luca *Miscellan. Eccles. disc. xxxx.*) fuerit tamen primo loco nominatus Sanctus Isidorus, utpote antiquior: sed temporibus Clementis X. Summi Pontificis, qui simul canonizavit Sanctos Cajetanum, Franciscum Borgiam, Philippum Benitium, Ludovicum Bertrandum, & Rosam, pia illa exorta porro est controversia super ordine retinendo in eorum Nominum prolatione. De ea actum fuit in sacrorum rituum Congregatione, & celeberrimus Jureconsultus Jo. Baptista de Luca, qui fuit postmodum ad Cardinalitiam dignitatem evectus, sensit, congruentius esse, ut juxta ordinem hierarchicum prius exprimerentur nomina SS. Cajetani, & Francisci de Clero Sæculari ordine antiquitatis inter eosdem servato, deinde cum eodem antiquitatis ordine exprimerentur alia duo reliquorum de Clero Regulari, uti desumitur *ex ejus disc.* 40. *in miscell. Eccles.* Et hanc utique sententiam amplexa fuit sacrorum rituum Congregatio, quemadmodum colligitur ex sequenti decreto: *Sacrorum rituum Congregatio censuit, in expressione nominum quinque Beatorum, qui canonizandi sunt, servandum esse ordinem hierarchiæ Ecclesiasticæ; & si plures sint eodem ordine, præferatur dies mortis: & ideo in casu, de quo agitur, ponatur primo loco Cajetanus, secundo Borgia, tertio Benitius, quarto Bertrandus, & quinto Rosa, si Sanctissimo visum fuerit: Hac die* 29. *Novembris* 1670. *Et, facto de prædictis verbo cum Sanctissimo per me Secretarium, Sanctitas sua annuit; die* 6. *Decembris* 1670.

7. Huic decreto Patres tum Ordinis Prædicatorum, tum Servorum B. Mariæ Virginis reclamarunt, humillime instando, ut tantum attendi deberet tempus obitus Beatorum juxta morem antiquiorem: sed sacra Congregatio stetit in decisis, declaravitque, præcedens decretum intelligi debere absque præjudicio principis loci de jure aut consuetudine competentis tum Ordini Prædicatorum, tum Ordini Servorum, in omnibus & quibuscumque actibus, & functionibus publicis & privatis; sicut ex hoc alio percipitur decreto: *Cum sacrorum rituum Congregatio declaraverit sub die* 29. *mensis Novembris, ita etiam annuente Sanctissimo die* 6. *mensis Decembris proxime præteritorum, in futura proxima Canonizatione servandum esse ordinem hierarchiæ Ecclesiasticæ, nempe antecedere debere primo illos status Clericalis, secundo illos status Regularis, & tertio inter plures ejusdem ordinis attendendum esse tempus mortis: Attamen, supplicantibus tam PP. Ord. Prædicatorum, quam Servorum B. Virginis, tantum attendi debere tempus mortis, quo Beati obdormierunt in Domino, juxta stylum hactenus servatum; & auditis illis de statu Clericali, eadem Congregatio sacrorum rituum, stando in decretis declaravit, prædictum decretum intelligi debere sine præjudicio præcedentiæ tam PP. Prædicatorum, quam Servorum B. Mariæ Virginis quomodolibet in omnibus & quibuscumque actibus & functionibus publicis & privatis de jure ac ex consuetudine hactenus competentis: Hac die* 24. *Januarii* 1671. *Et, facta de prædictis relatione Sanctissimo per me infrascriptum Secretarium, Sanctitas sua annuit; die* 26. *ejusdem mensis Januarii & anni* 1671.

8. Hujus autem sanctionis fundamentum constitutum fuit in quadam congruentia inter Ordines Ecclesiæ militantis, per quam Clerici Sæculares, quamvis recentiores, præcedunt Regularibus, licet antiquioribus. Quin immo, cum PP. Ord. Prædicat. vim facerent in Apostolicis Constitutionibus S. Pii V. & Clementis VIII. juxta quas ipsis primatus debetur super omnes alios Ordines Mendicantes, & responsum fuerit, hæc privilegia respicere quidem primatum quoad Ordines Mendicantes, minime vero quoad Ordines Monachicos; in hoc rerum themate, si illi, qui ex Clero Sæculari sunt, Monachis præcedunt, juxta ea quæ fuerunt definita in celebri causa principis loci inter Monachos S. Benedicti Congregationis Caffinensis, & Canonicos Regulares S. Augustini Congregationis Lateranensis apud Tamburinum *de jure Abbat. tom.* 1. *disp.* 25. *quæst.* 1. *per tot.* potiori jure ipsi illi, qui de Clero Sæculari sunt, tum Mendicantibus, tum aliis omnibus de Clero Regulari præcedere debent; ex regula, *Si vinco vincentem te, multo magis vinco te*: quod recte adnotavit Cardinalis de Luca *cit. discurs.* 40. *n.* 10. *in miscell. Eccles.* Allegata & paulo ante relata decreta confirmationis robur obtinuerunt in decreto edito a SS. Decessore N. Clemente Papa XII. *die* 17. *Aprilis anno* 1737. & hic post typis impressum primum hujus Operis tomum. Sed, cum occasione Canonizationis ab eodem postmodum peractæ SS. Vincentii a Paulo, Joannis Francisci Regis, & SS. Juliane de Falconeriis, & Catharinæ Flisca Adurnæ excitatum fuerit dubium, quis primo loco nominandus esset, num B. Vincentius a Paulo, an B. Joannes Franciscus Regis; Do-

UAB Biblioteca de Ciències Socials

minus Ludovicus de Valentibus Fidei Promotor, a nobis sæpe in hoc Opere cum laude commemoratus, scripturam Sanctitati suæ exhibuit. Porro in ea exposuit quidquid a nobis supra dictum est, servandum esse videlicet ordinem hierarchicum in re de qua nunc agitur; sed perpendendum proposuit, an Patres Societatis Jesu, quorum Instituto B. Joannes Franciscus nomen dederat, utpote admissi ad privilegia Mendicantium, dicendi essent de Clero Sæculari, an Regulari. Præterea addit esse perpendendum, an qualitas Fundatoris Congregationis Missionis competens B. Vincentio tanti posset esse roboris & momenti, ut in ejus sequelam primus locus esset eidem assignandus, & non Beato Joanni Francisco, qui non fuit Fundator Religionis Societatis Jesu. A Sanctitate sua deputata fuit Congregatio, editumque decretum in Canonizatione peragenda prædictorum Beatorum, semper in posterum observandum; videlicet servandum esse ordinem hierarchiæ Ecclesiasticæ, sed, si inter plures ejusdem status & ordinis unus reperiatur, qui sit Fundator alicujus Religionis, Congregationis, Societatis a sancta Sede approbatæ, hinc aliis præferatur, qui qualitatem Fundatoris non habent, licet ante mortui essent. En monumenta & decreta: *Promossa in occasione della passata Canonizazione de' quattro Santi Vincenzo a Paolo, Gio: Francesco Regis, Giuliana Falconieri, e Caterina da Genova, quella controversia altre volte accaduta, e specialmente l' anno 1670. sopra l' ordine da osservarsi nel nominarli, ad istanza e supplica del Promotore della Fede, il quale e per ragione del suo impiego, e come incaricato con ispecial biglietto di Segreteria di Stato a dover sopraintendere alla disposizione della solenne Funzione della Canonizazione, si stimò in obbligo con sua Scrittura umiliare a Nostro Signore lo stato di detta controversia, colle ragioni che potevano alle Parti vicendevolmente competere; la Santità sua si degnò deputare una Congregazione particolare per la risoluzione della già detta controversia, con il seguente rescritto*

Die 13. *Mensis Aprilis* 1737.

Sanctissimus benigne annuendo petitis, pro resolutione controversiæ, de qua in precibus, super ordine tenendo in expressione nominum Beatorum in proxima futura Canonizatione canonizandorum, deputavit Congregationem Reverendiss. DD. Cardinalium Pico, Zondodari, Spinula, Gentili, Guadagni, cum interventu, & voto DD. Patriarchæ Hierosolymitani fac. rit. Congregationis Secretarii, Archiepiscopi Amaseni, & Promotoris Fidei, cum facultatibus necessariis & opportunis, decernen. & terminan. ut petitur, quibuscumque in contrarium non obstantibus. Et ad Fidei Promotorem pro executione tamquam Judicem delegatum.

N. Cardinalis Corsinus.

Loc. ✠ Sigilli.

Dalla qual Congregazione radunatasi il dì 16. del mese di Aprile ne emanò il di contro decreto, successivamente confermato ed approvato da nostro Signore il seguente giorno 17. di detto mese di Aprile.

DECRETUM,

CUM sacrorum rituum Congregatio sub die 29. Decembris anni 1670. annuente san. mem. Clemente X. demandaverit, in expressione nominum Beatorum, qui canonizandi sunt, servandum esse ordinem hierarchiæ Ecclesiasticæ, nempe antecedere debere primo illos status Clericalis, secundo illos status Regularis, & tertio inter plures ejusdem ordinis attendendum esse tempus mortis, prout clarius subinde declaravit alio simili decreto diei 24. Januarii subsequentis anni 1671. ab eodem Pontifice similiter approbato. Cumque occasione proximæ futuræ Canonizationis dubitatum fuerit de ordine servando in exprimendis nominibus B. Vincentii a Paulo Sacerdotis Fundatoris Congregationis Missionis, & Societatis puellarum de Charitate, & B. Joannis Francisci Regis Sacerdotis Professi Societatis Jesu; Congregatio particularis sacrorum rituum, a SS. D. N. deputata, hoc suo decreto statuit & mandat, servari memorata decreta, cum hac tamen declaratione, quod, si inter plures ejusdem status & ordinis reperiatur unus, qui sit Fundator alicujus Religionis, Congregationis, Societatis, aut alterius hujusmodi Instituti sive Clericalis sive Regularis a S. Sede approbati, præferatur aliis qui hanc qualitatem Fundatoris non habent, licet ante in Domino obdormiverint. Ideoque in casu de quo agitur, primo loco nominetur Vincentius a Paulo, secundo Joannes Franciscus Regis, si Sanctissimo &c. Die 16. *Aprilis* 1737.

Factaque per me Fidei Promotorem de prædictis SS. D. N. Clementi XII. relatione, Sanctitas sua decretum istud prædictæ sacræ Congregationis particularis confirmavit & approbavit, & in posterum servari mandavit. Die 17. *Aprilis ejusdem anni* 1737.

L. de Valentibus S. Fidei Promotor.

Huc referri possunt quæ a nobis dicta sunt *in* 2. *part. lib.* 4. *cap.* 6. *n.* 8. *& seqq.* de Fundatoribus sacrorum Ordinum. Quid autem dicendum esset, si inter Beatos canonizandos ejusdem status & Ordinis aliquis reperiretur, qui esset Fundator alicujus Religionis, aut Instituti a sancta Sede Apostolica approbati, qui non esset Clericus, aut Sacerdos? Esset ne hic præferendus alteri non Fundatori, qui Clericus esset, aut Sacerdos? Porro crederem, hunc illi esse præponendum: & de facto in Canonizatione Sanctorum celebrata a san. mem. Alexandro VIII. primo loco fuerunt nominati B. Joannes de Capistrano, & B. Joannes de S. Facundo, & post eos B. Joannes de Deo, licet Fundator Ordinis Fratrum infirmis in hospitalibus inservientium, habita ratione temporis mortis ipsorum; nonnisi quia B. Joannes de Deo nec Clericus fuit, nec Sacerdos; & alii duo sacerdotali characlere fuerunt insigniti.

§. V.

De Indulgentiis, quas summi Pontifices elargiri consueverunt occasione solemnis Canonizationis.

9. IN epistola Leonis III. de Canonizatione S. Suuiberti legitur, eumdem Pontificem obtuliſſe spirituales Indulgentias cunctis Fidelibus celebrantibus festum S. Suuiberti, & ad Divina in eodem festo facta confluentibus. Verum, cum epistola hæc apud plerosque ex alibi dictis apocrypha habeatur, si fides præstanda est Domino Phœbeo olim docto Secretario Congregationis sacrorum rituum in sua dissertatione infra memoranda, ad Honorium III. pius mos referri debet Indulgentias concedendi in solemnibus Sanctorum Canonizationibus. Cum enim inter Sanctos annumeraret B. Laurentium Episcopum Dublinensem, relaxavit viginti dies de injunctis pœnitentiis omnibus illis, qui vere pœnitentes & confessi ad ecclesiam S. Mariæ de Augo, ubi corpus ejus requiescit, in die solemnitatis ejusdem gloriosissimi Confessoris, vel intra octavam, cum devotione accessissent, ejus orationum suffragia petituri; quemadmodum legitur in bulla Canonizationis. Quamquam, cum ante Canonizationem B. Laurentii idem Honorius inter Sanctos retulisset B. Willelmum Bituricensem Archiepiscopum, & litteras dedisset ad universos Christifideles, quæ typis impressæ sunt in novo codice Canonizationum *pag.* 51. & in eis quidem hæc habeantur: *Universis, qui ad solemnitatem translationis ejus ipso die, quo transferetur, & etiam infra octavas cum devotione convenerint, quadraginta dies de injunctis sibi pœnitentiis relaxamus, omnibus, qui ad ejusdem translationis solemnitatem futuris annis ipso translationis die reverenter accesserint, eamdem Indulgentiam concedentes*; inferri ex his posse videtur, quod, quatenus concedendarum Indulgentiarum usus occasione solemnium Canonizationum sit Honorio III. attribuendus, fieri id tamen non debeat propter Canonizationem B. Laurentii, sed ratione potius Canonizationis B. Willelmi Bituricensis. Continuatores porro Bollandiani *in cit. disert.* 20. *num.* 9. ita subdunt; *Gregorius* IX. *in Canonizationibus S. Antonii de Padua . . . & S. Dominici ecclesias, ubi quiescunt, similiter visitantibus annum unum indulsit: & mox S. Elisabeth adscribens Sanctorum catalogo annum unum & quadraginta dies. Deinde Innocentius IV. infra quindenam sequentem festum S. Petri Martyris visitantes ecclesiam ejus voluit quadraginta dies lucrari; sed Clemens IV. rursum tempus restrinxit ad dies infra octavam; Indulgentiam vero ampliavit, & statuit dies centum intuitu S. Hedwigis a se canonizatæ. Magis eamdem gratiam extendit Callistus III. in litteris de S. Vincentii Ferrerii Canonizatione a Pio II. expeditis, quando in die festo concessit septem annos & totidem quadragenas; quibus Sixtus IV. in Canonizatione S. Bonaventuræ adjecit Dominicis singulis per annum dies centum. Cœpto sic semel augeri annorum numero, Leo X. ad corpus S. Francisci de Paula assigna-*

vit

UAB Biblioteca de Ciències Socials

vit quadraginta annos & totidem quadragenas: ac denique Hadrianus IV. in Canonizatione S. Bennonis ſolemnitati ejus præſentibus Indulgentiam plenariam dedit. At veremur tamen, ne totum id re vera ſubſiſtat: quandoquidem in bulla Canonizationis S. Franciſci de Paula, poſtquam Leo Papa X. narravit, ſe in ejus Canonizatione Miſſam celebraſſe, ſubjungitur (*in cit. cod. pag.* 210.) *Et ita Miſſam ad finem uſque cum ſolitis cæremoniis juxta Ordinarium Apoſtolicum illic debite terminavimus, Indulgentiamque plenariam omnibus Officio hujuſmodi tunc aſſiſtentibus devote conceſſimus, ac etiam in loco ſepulturæ ejuſdem S. Franciſci de Paula in depoſitionis ſuæ die, videlicet ſecunda Aprilis, hujuſmodi perpetuo duraturam quadraginta annorum, totidemque quadragenarum Indulgentiam annuatim condonavimus.* Hodie demum ſummi Pontifices plenariam elargiuntur Indulgentiam omnibus utriuſque ſexus Chriſtifidelibus, qui confeſſi & ſacra Communione refecti, vel propoſitum habentes intra hebdomadam confitendi, & ſacram Euchariſtiam recipiendi ſolemni interſunt Canonizationi Sanctorum; tum autem Indulgentiam ſeptem annorum ac totidem quadragenarum viſitantibus natali eorum die ipſorum ſepulcra; uti legitur in Actis Canonizationis ſæpe memoratis collectis a Juſtiniano Chiapponi *pag.* 212. & *pag.* 233.

§. VI.

De Proceſſione, quæ fit in ſolemni Canonizatione.

10. Occaſione ſolemnis Canonizationis ſolemnis item inſtituitur proceſſio. Cardinalis Oſtienſis *in comment. ad cap. Audivimus. de Reliq. & venerat. Sanctor. ſub num.* 5. meminit conventus Cleri, & populi una cum ſummo Pontifice, & Cardinalibus: *Conveniunt Papa, & Fratres, & totus Clerus, & populus.* Cardinalis Jacobus Cajetanus in ſuo Ordine Romano typis impreſſo apud Mabillon. *muſei Ital. tom.* 2. ſermonem habens de acceſſu Papæ ad templum, in quo fit Canonizatio, ait *cap.* 115. *pag.* 422. *Occurrit ei proceſſio Cleri illius eccleſiæ.* Auctor, qui rituum formulis præerat in aula Pontificia anno 1347. apud Raynaldum *ad dictum annum ſub num.* 28. proceſſionem non omittit, quæ fiebat, non ante, ſed poſt peractam Canonizationem. Petrus Amelius Urbani V. Sacriſta & Pœnitentiarius Gregorii XI. in Ordine Romano pariter impreſſo apud Mabillon. *in muſeo Ital. tom.* 2. ſic habet *cap.* 153. *pag.* 536. *Tunc incepta fuit proceſſio,* (pronuntiata videlicet ſententia Canonizationis) *& omnes tenebant faculas ſuas accenſas in manibus, quilibet in ordine ſuo; & duo Patriarchæ ibant cum Cardinalibus. Item Dominus Papa ſubtus pallium; ſed milites portabant extra pallium ſortitia Papæ accenſa; & ſic ivimus per totam Capellam uſque ad aliam Capellam; & reverſi fuimus proceſſionaliter ad magnam Capellam.* Proceſſionis tamen inſtitutæ ante Canonizationem verba facit Volaterranus in Canonizatione S. Bonaventuræ ſub Sixto IV. apud Raynaldum *ad ann.* 1482. *num.* 48. *Tum Papa deſcendit in baſilicam proceſſionaliter cum baldachino; in porticu ei obviam iverunt Religioſi Urbis, & Clerus ipſius eccleſiæ S. Petri*: quibus utique conſimilia ſunt ea quæ leguntur in diariis Paridis de Craſſis *de Canonizatione S. Franciſci de Paula*, atque in ſæpe citato libro ſacrarum cæremoniarum *ſect. 6. cap.* 1. *Intimetur etiam Clero Urbis, ut ſummo mane conveniant ſupplicantes in porticu eccleſiæ S. Petri.* Proceſſioni inſuper ante Canonizationem peractæ, necnon ordinis ejuſdem accurata adeſt deſcriptio in Actis Canonizationis S. Didaci collectis a Petro Galeſinio *part.* 3. *cap.* 14. & 15. Clemenſque VIII. in bulla Canonizationis S. Hyacinthi §. 23. (*in allat. cod. pag.* 256.) ſic inquit: *Ipſa Dominica in Albis* (dies enim erat habitæ ab ipſo Canonizationis) *illuxit: Nos, & iidem Cardinales, necnon Patriarchæ, Archiepiſcopi, & Epiſcopi, qui in Capellam noſtram Pontificiam nobiſcum ad id convenerant, ſacris veſtibus induti, hymno* Ave Maris Stella *ad honorem Beatiſſimæ Virginis Mariæ, cujus opem tunc maxime invocandam duximus, inchoato, eodemque illo ab ejuſdem Capellæ noſtræ Cantoribus ad finem uſque deinceps decantato, aliiſque etiam Romanæ Curiæ Prælatis, & Officialibus, familiaribuſque noſtris una cum ceteris totius Eccleſiaſtici Sæcularis, & Regularis Ordinis viris longo pioque ordine præeuntibus, omnes cum ardentibus cereis ad illius gloriam, qui ſua luce & ſplendore cælos complet, ex palatio noſtro Apoſtolico ſumma cum celebritate proceſſimus ad baſilicam Principis Apoſtolorum tunc magno undique ornamentorum apparatu inſtructam.* Hodie etiam ſolemnitas Canonizationis initium ducit a proceſſione. Qui vero magnificentiam ejuſmodi proceſſionum, & earum ordinem plenius ediſcere cupit, conſulere poteſt Acta jam citata Petri Galeſinii, necnon Peniæ de Canonizatione S. Didaci, Acta ejuſdem Peniæ de Canonizatione S. Raymundi, Acta Grattarolæ de Canonizatione S. Caroli Borromæi, Acta Andreæ Azuar de Canonizatione S. Thomæ de Villanova, Acta Capelli de Canonizatione S. Franciſci Saleſii, & SS. Petri de Alcantara, ac Mariæ Magdalenæ de Pazzis, Acta demum Juſtiniani Chiapponi de Canonizatione ſolemniter perfecta a ſan. mem. Clemente XI. Sanctorum quatuor ſæpe memoratorum Pii V. Andreæ Avellini, Felicis de Cantalicio, & Catharinæ de Bononia, in quibus adamuſſim & ſingillatim omnia referuntur, quæ ad proceſſionem ipſam pertinere poſſunt. Hic enim ſolum addidiſſe fas ſit primo, quod candelarum & funalium cereorum diſtributio, quæ hodie multis in hac proceſſione fit, & ſignantur ſingulis Officialibus Curiæ, Præſulibus, Epiſcopis, & Cardinalibus, facta aliquando fuit omnibus, qui Canonizationi interfuerunt, teſte Joanne Longino in Canonizatione S. Stanislai Epiſcopi Cracovienſis apud Bollandianos *ad diem* 11. *Maji tom.* 2. *pag.* 260. ubi ſic legitur: *Omnibus autem rite perfectis, Cantico* Te Deum laudamus *a ſummo Pontifice* (Innocentio IV.) *inchoato & a Clero univerſo ad finem expleto, facta eſt & generalis candelarum in homines utriuſque ſexus qui convenerant diſtributio adeo liberalis, & prodiga, ut illiuſmodi liberalitatem ſinguli teſtarentur ſe nullo unquam tempore vidiſſe, ſed nec ab ætate defluxa audiſſe.* Quod quidem nunquam deinde factum eſt propter timorem ſane probabilem maximæ confuſionis. Secundo, quod in proceſſione defertur vexillum cum imagine ejus Beati, qui eſt canonizandus, & plura utique feruntur vexilla, ſi plures Beati ſint illi, qui debent unico actu canonizari. Conſuetudo autem vexillum deferendi initium habuiſſe videtur a citata Canonizatione S. Stanislai Epiſcopi Cracovienſis: de ea enim ſic ait Jo. Longinus apud Bollandianos *loc. cit. In ipſo Canonizationis* (B. Stanislai Epiſcopi Cracovienſis Martyris) *& pronuntiationis ſuæ articulo, Innocentio Papa conſiſtente adhuc in cathedra, vexillum de rubro colore & puniceo contextum Pontificalem perſonam habens pro inſigni, in alto pendens Angelico geſtatum miniſterio apparuit, a pluribus Chriſtifidelibus, quibus id clementia Divina revelare voluit, non ſine admiratione conſpectum; rubro colore ſanguinis effuſionem ſignificans; & Pontificali perſona Beatiſſimum Stanislaum apertiſſime figurans;* ad quæ notavit Papebrochius: *eo miraculo præbitum exemplum ejuſmodi vexillum exponendi in Canonizatione novorum Sanctorum.* Et vexillum quidem ipſum in Canonizatione Sancti Franciſci de Paula delatum fuiſſe a P. Generali Minimorum medio inter Oratorem Hiſpaniæ, & Oratorem Portugalliæ, teſtatur Paris de Craſſis *in ſæpe alleg. diariis.* Phœbeus vero ex notis Cardinalis Baronii ad Martyrologium Romanum animadvertens, geſtatam fuiſſe per urbem Conſtantienſem S. Rochi imaginem pompa ſolemni & omni populo comitante, putat, ab hoc facto uſum vexillorum in Canonizationibus, ſolemnemque in eis proceſſionem ſuam originem duxiſſe. At, cum id contigerit, ut alibi dictum eſt, ad arcendam peſtiferam luem, quæ per totam urbem graſſabatur, cumque Concilii Conſtantienſis Patres, qui prædictas preces & ſupplicationes indixerunt, tunc ſibi nomen & auctoritatem univerſalis Concilii falſo arrogarent; verisimile idcirco eſſe videtur, vexilli delationem in ſolemnitate Canonizationis cauſam & originem nequaquam habuiſſe a geſtatione imaginis S. Rochi, ſed a prædicta potius apparitione imaginis in vexillo depictæ, quæ contigit in Canonizatione S. Stanislai. In ſacrorum porro rituum Congregatione olim decernebatur & præſcribebatur forma pingendi Beatum in vexillo ſeu vexillis pro Canonizatione: ita quippe actum eſt in Canonizatione S. Caroli Borromæi, teſte Mucantio Secretario Congregationis ſacrorum rituum in Actis dictæ Canonizationis ab eo deſcriptis, uti legitur *fol.* 85. Dictum eſt nempe *in vexillo ſeu vexillis*, cum non unum, ſed plura comparentur pro unoquoque canonizando vexilla; quorum alterum e templi Vaticani fornice penſile manet ad perennem rei memoriam, alterum vero, Canonizatione expleta, quando primum feſtum Canonizati fit in eccleſia Ordinis, quem Sanctus, ſi fuerit Regularis, profeſſus eſt, vel nationis, ex qua ortum habuit, ad eamdem defertur eccleſiam. Proceſſio demum, quæ inſtituitur in hac vexilli delatione, adamuſſim deſcribitur a Chiappono in ſæpe memoratis Actis Canonizationis. Quocirca hic tantum operæ pretium erit affere ea, quæ legun-

leguntur in Cæremoniali inedito Capituli & Cleri basilicæ Vaticanæ compoſito a Michaele Angelo Matthæjo ejuſdem baſilicæ Canonico, in cujus cap. 27. quod inſcribitur; *De modo tradendi vexilla Sancti Canonizati*, ſic habetur: *Vexilla Sancti canonizati delata in Canonizationis proceſſione, in noſtra baſilica remittuntur, quorum unum e templi fornice penſile ad maximam rei memoriam perennat, & alterum eorum, vel plura feſto die Sancti canonizati Religioni, vel Concivibus traduntur. Statuta igitur die, ab hebdomadario Canonico una cum quatuor Miniſtris pluvialibus indutis, etiamſi diei ſolemnitas non exigat, cantantur ſolemnes Veſperæ ad altare Sanctorum Apoſtolorum. Veſperis expletis, omnes in choro ſedent. Interim ordinatur proceſſio ante præfatum altare tranſitura. Sancti canonizati vexillum ſeu vexilla deferunt ejuſdem Sancti Regulares, vel Concives, vel Confratres, quibus chorum ingredientibus, omnes aſſurgunt. Canonicus celebrans ſtans accipit cordulas e vexillo penſiles, quæ in ſingulis vexillis ſunt quatuor, & eas Religioſis paratis tradit. Deinde noſter chorus præ manibus facem geſtans ordinatim procedet ad eccleſiæ atrium, ubi ſiſtit hinc inde, & transeuntibus vexillis, omnes genuflectant. Canonicus vero paratus, traditis cordulis, & deſcendentibus vexillis, una cum Miniſtris genuflectat, & poſtmodum in Sacrarium redeat.* Poſt hæc jam ſcripta & primo edita, anno 1737. uti ſupra dictum eſt, facta fuit a SS. Deceſſore Clemente Papa XII. ſolemnis Canonizatio Sanctorum ſupra memoratorum. Proceſſioni Sanctitas ſua non interfuit medicorum conſilio; ſed ejus loco interfuit Em. Cardinalis Rufus Archiepiſcopus Ferrarienſis, pluviali indutus & mitra pretioſa ornatus, utpote ſenior inter Cardinales Epiſcopos præſentes, quique etiam poſtmodum ſolemnem Miſſam celebravit.

§. VII.

De ſolemnis Canonizationis actu juxta ritum antiquiorem.

11. CArdinalis Oſtienſis *in cit. cap. Audivimus, de Reliq. & venerat. SS.* de ipſa ſolemni Canonizatione loquens ſic ſcribit *num. 5. Flexis genibus fit devota oratio, & cantatur* Veni Sancte Spiritus, *vel alius hymnus, ſive antiphona conveniens. Surgit Papa ab oratione, & definit illum, de quo agitur, Sanctum eſſe, & Sanctorum catalogo adſcribendum, & tamquam Sanctum eſſe venerandum, & feſtum ſuum colendum tali die. Cantatur* Te Deum laudamus.

12. De Canonizatione S. Petri Cæleſtini facta a Clemente V. & verſibus deſcripta editis apud Bollandianos *ad diem 19. Maji tom. 4. pag. 479.* hæc habentur.

Dixerat, & ſurgens, nobis adſtantibus, inquit,
Proclamatque, Veni replens pia corda Creator
Spiritus, & genibus ſtravit ſe in pulvere, flexis
Quoque aliis; ſurgitque iterum: cui vertice mitram
Impoſui dextra minimus Levita, ſed Ordo
Quippe dabat. Stetit inde, chorus quoad cantica complet &c.
Hæc ubi perfectum ſumpſere exordia finem,
Afflavitque Deus votis, firmumque petitis
Judicium; ſublimis Apex depromere votum
Inchoat: Æterni ad Patris, Natique coævi,
Flaminis æterni (quibus una potentia, ſumma,
Omnipotens) laudem, Mariæ Virginis almæ,
Et Petri Paulique Ducum, Michaelis & omnis
Militiæ cæleſtis opem, fideique ſalubris
Incrementa ſacræ; Divo munimine fulti,
Sanctorum Petri, Pauli, noſtro quoque fulti,
Conſilioque Patrum, veſtriſque ſuaſibus, inquit:
Nos Fratrem Petrum, quem de Murrone vocatum
Fama docet, celebriſque ciet ſuper æthera tolli,
Sanctorum thalamo, meritis ſuadentibus altis,
Sancimus dignum adſcribi, Juſtumque Piorum
Scribimus hunc numero, ſtatuentes, undique plebem
Hinc obitus celebrare diem, & devotius omnem
Confeſſoris ei feſtum perſolvere cœtum &c.
Dixit, & inde Pater jubilans in cantica ſurgit,
Teque Deum laudamus, ait, vociſque ſonoræ
Haud decor emulcet pavonis imagine: cuncti
Id peragunt, lætique canunt, verſumque ſequentem
Levita ad lævam reſidens, Cleruſque viciſſim
Reſpondet. Tunc ſummus Apex Collectam & in alto
Fudit, & expleto noſtrum ſibi funditur amen.
Confiteor, Levita dehinc, thalamiſque reverenter
Compono excelſis Apicem; nomenque Beatum
Militis adſcripti memorant . . . .

13. In Ordine Romano Cardinalis Cajetani apud Mabillon. *muſei Ital. tom. 2.* ſequentibus verbis ſolemnitas ipſa Canonizationis enarratur *cap. 115. pag. 422. & ſeq. Flexis genibus fit devota oratio, & Papames debet incipere, cantando Hymnum* Veni Creator Spiritus; *quo incepto, genuflectit, & in fine primi verſus ſurgere debet, & continuatur totus hymnus ab omnibus aliis cantando: quo hymno cantato, ſi Dominus Papæ placet, Diaconus Cardinalis a dexteris Papæ aſſiſtens dicit* Flectamus genua, *& Dominus Papa & ceteri alii baſſe & ſecrete genibus flexis orant; &, devota oratione facta, poſt modulam, Diaconus Cardinalis, qui eſt a ſiniſtris, dicit* Levate; *& tunc omnes ſurgunt: quibus levatis, Dominus Papa, tenendo mitram in capite, definit publice, illum, de quo agitur, eſſe Sanctum, & Sanctorum catalogo adſcribendum, & tamquam Sanctum eſſe ab omnibus venerandum &c. quam definitionem facere poterit, ipſe D. N. Papa, ut ſequitur: Ad honorem Dei omnipotentis Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, & exaltationem Fidei Catholicæ, ac Chriſtianæ Religionis augmentum, auctoritate ipſius Dei omnipotentis Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, Beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli, & Noſtra de Fratrum noſtrorum conſilio, decernimus ac definimus, bonæ memoriæ N. Sanctum eſſe, & Sanctorum catalogo adſcribendum, ipſumque dictorum Sanctorum catalogo adſcribimus, ſtatuentes, ut ab univerſali Eccleſia anno quolibet in die tali feſtum ipſius & Officium, ſicut pro uno Confeſſore, ſi ſit Confeſſor, vel ſicut pro uno Martyre, ſi ſit Martyr, devote & ſolemniter celebretur. Et, ſi Domino Papæ placuerit, poterit addere iſta verba: Inſuper, eadem auctoritate, omnibus vere pœnitentibus & confeſſis, qui annis ſingulis ad ſepulcrum ejuſdem in die tali devote acceſſerint, unum annum & quadraginta dies, accedentibus vero annis ſingulis infra octavam dicti feſti ad ſepulcrum ipſius quadraginta dies de injuctis ſibi pœnitentiis miſericorditer relaxamus. Quibus verbis per dictum Papam prolatis, ipſe Dominus Papa, mitra depoſita, incipit cantando pſalmum* Te Deum laudamus, *quem ceteri cantando proſequuntur; quo finito, Diaconus Cardinalis a ſiniſtris Papæ aſſiſtens dicat verſiculum* Ora pro nobis Beate N. alleluja, *& ceteri reſpondent:* Ut digni efficiamur gratia Dei, alleluja. *Si vero hujuſmodi ſolemnitas fuerit a Septuageſima uſque ad Paſcha, in prædicto verſiculo omittitur* alleluja. *Deinde Dominus Papa cantando dicat* Dominus vobiſcum, *& reſponſo* Et cum Spiritu tuo, *dicat* Oremus, *& poſtea orationem, quæ competat illi Sancto, finiendo ipſam orationem* Per Chriſtum Dominum noſtrum, *& reſpondeatur* Amen. *Sed, ipſa oratione finita, dictus Diaconus Cardinalis a ſiniſtris Papæ aſſiſtens dicat* Confiteor *&c. ut moris eſt; & locis debitis, ſcilicet immediate poſt Apoſtolos, faciat mentionem de dicto Sancto. Qua confeſſione finita, Dominus Papa dat Indulgentiam gratioſam ſeptem annorum & ſeptem quadragenarum, & data Indulgentia per D. N. Papam, ac mitra eidem depoſita, facit abſolutionem & dat benedictionem more conſueto, dicendo* Precibus & meritis *&c. faciendo mentionem loco ſuo de Sancto canonizato.*

14. Ipſiſſima verba extant apud Auctorem, qui rituum formulis præerat in aula Pontificia anno 1347. ut habetur apud Raynaldum *ad annum prædictum num. 39.* & eis conſimilia quoque ſunt, licet magis compendiaria, quæ leguntur in Ordine Canonizationis anni 1494. formis impreſſo *tom. 3. collect. Concilior. Brivan. pag. 636.*

§. VIII.

De nonnullis aliis juxta vitum antiquiorem Canonizationis ad ejuſdem actum pertinentibus.

15. ALiquando etiam publice recitata fuerunt miracula a Deo patrata interceſſione Beati, qui inter Sanctos referebatur; ut colligitur ex monumento Canonizationis S. Laurentii Archiepiſcopi Dublinenſis factæ ab Honorio III. apud Beſſin *in collect. Conciliorum provinciæ Rhothomagenſis part. 2. pag. 47.* Factoque ſilentio (loquitur de ſummo Pontifice Honorio) *de B. Laurentio brevem ſermonem faciens, teſtimonia de eo in audientia omnium iterum legi præcepit. Lectis igitur ab Epiſcopo Cardinali Nicolao prædicto dictis teſtimoniis, ſicut ipſe per totam ſere noctem laborando exceperat & fecerat adnotari omnes, qui audiere, mirati ſunt & gaviſi, quippe qui per depoſitionem eorum inter cetera miracula meritis B. Laurentii ſeptem audierunt mortuos ſuſcitatos.* Item in Canonizatione S. Antonii Luſitani, teſtatur Wadingus

in

UAB Biblioteca de Ciències Socials

in annal. Minor. tom. 2. pag. 280. lecta fuiſſe e ſuggeſtu miracula ejus interceſſione patrata. Gregorius IX. qui inter Sanctos retulit Antonium, inter Sanctos pariter antea retulerat B. Franciſcum Ordinis FF. Minorum Inſtitutorem; & in hujus etiam ſolemnitatis celebratione Octavianus Cardinalis Diaconus Tituli SS. Sergii & Bacchi, miracula quæ fuerunt approbata, populo enuntiavit; ut *in vita ejuſdem S. Franciſci ex annalibus Wadingi deprompta* narrat Tiburtius Navarrius *lib.* 4. *cap.* 17. In baſilica Aſſiſienſi Innocentius IV. ut viſum eſt, Canonizationem peregit B. Stanislai Martyris; & Pontificis juſſu Cardinalis Cajetanus Urſinus, qui ad Pontificatum poſtea evectus Nicolai III. nomen aſſumpſit, vitam, geſta, martyrium, miracula rite probata recitavit, quemadmodum legitur in hiſtoria Conventus Aſſiſienſis diligenter exarata a Franciſco Maria Angelo a Rivotorto *lib.* 1. *tit.* 23. Denique ut cetera prætereantur, Clemens V. legi publice fecit Acta in ipſa die Canonizationis S. Petri Cæleſtini, teſte eo, qui illam Canonizationem verſibus deſcripſit apud Bollandianos *ad cit. diem* 19. *Maji pag.* 479. *tom.* 4.

Poſt jubet, ut referat contexta labantia Scriptor,
Et vero ſermone legat tam culmine geſta,
Quam poſt, quamque prius . . . . . .

16. Eorum quoque Beatorum, quos inter Sanctos referebant, corpora ſummi Pontifices occaſione Canonizationis elevari mandarunt; aut ipſimet, ſi corpora erant in loco, in quo fiebat Canonizatio, debita cum reverentia & honore elevarunt. Sanctus Leo IX. canonizavit B. Gerardum Epiſcopum Tullenſem, & in bulla extant hæc verba (*in cit. cod. Canoniz. pag.* 7.) *Cujus Sancti venerabile corpus per Nos ipſos cupimus transferre, & digno honore digno loco in altari proprio collocare.* Et *ſane poſt paucos menſes corpus beatum elevavit & collocavit*; ut habetur etiam apud Pagi juniorem *in Breviario Roman. Pontif. tom.* 1. *pag.* 516. Alexander III. inter Sanctos retulit B. Thomam Cantuarienſem, & in bulla hæc leguntur (*eod. cod. pag.* 16.) *Quoniam igitur dignum eſt, & vobis plurimum expedit, ut ſanctum corpus ejus cum ea, qua decet, reverentia & honore condatur, diſcretioni veſtræ Apoſtolica auctoritate mandamus, quatenus corpus ejus devote & reverenter, facta ſolemni proceſſione, aliquo ſolemni die, congregato Clero & populo, in altari honorifice recondatis, aut ipſum in aliqua decenti capſa ponentes, prout convenit, elevetis in altum.* Quibus quidem ſimilia habentur etiam in bullis Canonizationis BB. Bernuvardi Epiſcopi, & Joannis Gualberti factæ a Cæleſtino III. Canonizatio demum S. Franciſci fundatoris Ordinis Minorum celebrata eſt in civitate Aſſiſienſi a Gregorio IX. teſtatur autem Krantzius *lib.* 4. *Saxoniæ cap.* 4 Papam de ſolio deſcendiſſe, & cum Cardinalibus ſanctum corpus levaſſe de tumulo, mira omnium alacritate; quod ipſum narratur a Navarro *in vita dicti Sancti lib.* 4. *cap.* 17. Porro ſancti ejuſdem Franciſci corpus, quod, ſi non omnium, Principum ſaltem virorum oculis per aliquam temporis intercapedinem aliquando expoſitum fuit, hortatore S. Jacobo de Piceno, a Sixto IV. ſummo Pontifice anno 1486. ex oculis hominum ſublatum eſt; repleto ambitu, per quem ad eccleſiam inferiorem baſilicæ Aſſiſienſis, ubi corpus illud ſervabatur, erat acceſſus, repletaque ſcala, per quam ad eamdem erat deſcenſus, denſo aggere ex lapidibus & cæmento compacto; uti deſumitur ex allegata hiſtoria Conventus Aſſiſienſis *tit.* 42.

17. Alia plura ad antiquiorem ritum pertinentia cumulari poſſent, ſed de his infra opportunius loquemur; & alibi quoque tractabitur de proteſtatione, quæ olim ante Canonizationes a ſummis Pontificibus emittebatur.

§. IX.

De ſolemni actu Canonizationis juxta recentiorem & præſentem ritum.

18. JUxta recentiorem & præſentem ritum poſtquam ſummus Pontifex, qui ſolemni memoratæ intereſt proceſſioni, Vaticanam baſilicam ingreſſus eſt, ſolium conſcendit, in quo ſedens ad obedientiam excipit Cardinales, Epiſcopos Aſſiſtentes, & non Aſſiſtentes, Abbates, & Pœnitentiarios: abſoluto obedientiæ ritu, alter ex Magiſtris ſacrarum cæremoniarum ad imum ſolii gradum ducit Procuratorem delegatum ad poſtulandam Canonizationem una cum Advocato Conſiſtoriali, qui ejuſdem Procuratoris nomine petitionem exponere conſuevit. In Canonizatione S. Didaci, Cardinalis Deza procuratorio Regis Hiſpaniarum nomine pro ea ſupplicavit; pro Canonizatione S. Caroli Borromæi ipſius Regis nomine ſupplicavit Cardinalis Taverna: ejuſdem inſuper Regis nomine ſupplicavit Cardinalis Columna pro Canonizatione S. Thomæ de Villanova: pro Canonizatione autem S. Franciſci de Sales nomine Regis Chriſtianiſſimi ſupplicavit Dux de Criqui ejus apud Sedem Apoſtolicam Orator: in Canonizatione SS. Petri de Alcantara, & Mariæ Magdalenæ de Pazzis, Imperatoris & Regis Catholici nomine ſupplicavit Cardinalis Roſpiglioſus: in Canonizatione demum peracta a ſan. mem. Clemente XI. Cardinalis Hannibal Albanus ejus ex fratre nepos, & baſilicæ Vaticanæ Archipresbyter, Regum, Magnatum, civitatum, & Ordinum Regularium procuratorio munere functus eſt; & Marcellinus Coirus tunc Conſiſtorialis Advocatus, nomine dicti Eminentiſs. Cardinalis inſtanter petiit, ut a Sanctitate ſua Sanctorum catalogo adſcriberentur BB. Pius V. Andreas Avellinus, Felix a Cantalicio, & Catharina de Bononia. Huic petitioni reſpondet Præſul a Secretis Brevium ad Principes, & pro ſummo Pontifice dicit, orandum eſſe, ut in arduo faciendæ Canonizationis negotio ſuum Dominus præbeat adjutorium. Canuntur deinde litaniæ Sanctorum; poſtea Advocatus Conſiſtorialis iterum nomine Procuratoris ad poſtulandam Canonizationem deputati pro eadem exorat, iterumque Secretarius Brevium nomine Papæ reſpondet, iteratas & ferventiores preces eſſe Deo fundendas. Poſt hanc ſecundam poſtulationem canitur hymnus *Veni Creator Spiritus*; eoque abſoluto, Advocatus Conſiſtorialis ad tertiam procedit petitionem; tunc autem Secretarius Brevium mentem aperit Papæ de Canonizatione facienda, & Papa ſententiam profert, in qua decernit & definit, Beatum, aut Beatos eſſe Sanctorum catalogo adſcribendos. Summi Pontificis ſententia excipitur Procuratoris nomine ab Advocato Conſiſtoriali, qui, Sanctitati ſuæ gratiis actis, petit, ut ipſa decernere dignetur litteras Apoſtolicas ſuper Canonizatione. Huic poſtulationi Papa reſpondet *Decernimus*: tum ab eodem Advocato rogantur Protonotarii, & Notarii, ut unum vel plura inſtrumenta conficiant ad perpetuam rei memoriam; & antiquior quidem Protonotariorum præſentium hæc profert verba *Vobis teſtibus*; vocans ſcilicet in teſtes eos, qui ſtant in area ſolii Pontificii. Canitur tandem hymnus *Te Deum Laudamus*: poſtea in oratione fit mentio Beati, aut Beatorum canonizatorum, quorum pariter meminit in confeſſione, quam canit Diaconus Evangelium lecturus in Miſſa deinde cantanda, de qua infra. Summus denique Pontifex dat abſolutionem & benedicit, facta quoque commemoratione Beati, aut Beatorum, quos in catalogum Sanctorum paulo ante adſcripſit.

19. Hæc eſt ſolemnis rituum ſeries, juxta quam expletæ fuerunt a multo tempore Canonizationes; uti deduci poteſt ex Canonizatione S. Bonaventuræ facta a Sixto IV. deſcripta a Volaterrano, & formis impreſſa apud Raynaldum *ad an.* 1482. *num.* 49. ex Canonizatione S. Franciſci de Paula facta a Leone X. de qua Paris de Craſſis *in ſuis diariis*, & Raynaldus *ad an.* 1519. *num.* 81. ex libro ſacrarum cæremoniarum edito ſub eodem Leone X. ubi *ſect.* 6. *cap.* 2. ſic habetur: *Procurator cauſæ inſtanter petit a Pontifice nomine Procuratorio, & nomine Principum &c. pronuntiari & declarari Beatum N. in Sanctorum catalogum adſcribendum, & ut ſanctum venerandum a Chriſtifidelibus*: atque ex Actis Canonizationum S. Raymundi, S. Didaci, S. Franciſci Saleſii, S. Thomæ de Villanova, SS. Petri de Alcantara, ac Mariæ Magdalenæ de Pazzis, & SS. Pii V. Andreæ Avellini, Felicis a Cantalicio, & Catharinæ de Bononia.

20. In appendicibus exhibebuntur nonnullæ reſponſiones, quibus Præſules a Secretis Brevium ad Principes exceperunt Procuratorum poſtulationes: interea vero de formula ſententiæ, quæ in actu Canonizationis a ſummo Pontifice profertur, agendum, quæ quidem concepta eſt, ut ſequitur:

21. *Ad honorem Sanctæ & Individuæ Trinitatis, ad exaltationem Fidei Catholicæ & Chriſtianæ Religionis augmentum, auctoritate D. N. J. C. Beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli, ac Noſtra, matura deliberatione præhabita, & Divina ope ſæpius implorata, ac de venerabilium Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium, Patriarcharum, Archiepiſcoporum, & Epiſcoporum in Urbe exiſtentium conſilio, Beatos Pium V. Pontificem, Andream Avellinum, & Felicem a Cantalicio Confeſſores, ac Catharinam de Bononia Virginem, ſanctos, & ſanctam eſſe decernimus & definimus, ac Sanctorum catalogo*

logo adſcribimus : ſtatuentes , ab Eccleſia univerſali illorum memoriam quolibet anno die eorum natali , nempe Pii die quinta Maji inter ſanctos Confeſſores Pontifices , Andreæ die decima Novembris , & Felicis a Cantalicio die decima octava Maji inter ſanctos Confeſſores non Pontifices , & Catharinæ die Nona Martii inter ſanctas Virgines non Martyres , pia devotione recoli debere . In nomine Pa ✠ tris , & Fi ✠ lii , & Spiritus ✠ Sancti Amen .

22. In hujus ſententiæ a ſan. mem. Clemente XI. editæ formula nihil dicitur de Officio & Miſſa in honorem Sanctorum canonizatorum : eique conſimilis ſane eſt formula ſententiæ prolatæ a ſummo Pontifice Alexandro VII. in Canonizatione SS. Thomæ de Villanova , & Franciſci Saleſii , necnon a Clemente IX. in Canonizatione SS. Petri de Alcantara , ac Mariæ Magdalenæ de Pazzis , ut ex Actis impreſſis percipi poteſt . In libro contra ſacrarum cæremoniarum Archiepiſcopi Corcyrenſis formula habetur ſententiæ in Canonizatione proferendæ ; in qua utique dicitur , Officium in honorem Canonizati eſſe celebrandum ; conſimilique formula uſi ſunt ſummi Pontifices Sixtus V. & Clemens VIII. in Canonizatione SS. Didaci , & Raymundi , ut habetur ex Actis a Penia collectis ; & conſimilis etiam fuit ſententia prolata a ſummo Pontifice Urbano VIII. in Canonizatione S. Andreæ Corſini , quemadmodum legitur apud Lezan. *conſult. 2. num. 6. oper. tom. 4. Statuentes, ut ab univerſali Eccleſia anno quolibet in die obitus dicti Andreæ feſtum & Officium ipſius , ſicut pro Confeſſore Pontifice , devote & ſolemniter celebrentur .* Porro , ſi antiquiora percurrantur monumenta , in Ordine Romano ſæpe citato Cardinalis Jacobi Cajetani apud Mabillon. narratur , quod duobus Cardinalibus olim a Papa in Conſiſtorio ſecreto committebatur , ut componerent Lectiones , Reſponſoria , Antiphonas , & Orationes pro Officio Beati canonizandi . Verum , non obſtante ſententia , in qua decernatur , Officium eſſe recitandum in honorem Canonizati in Eccleſia univerſali , & , quod majus eſt , non obſtante ipſa Canonizationis bulla , in qua hoc ipſum ſtatuatur ; cum neceſſarium præterea ſit pro Officii recitatione in Eccleſia univerſali , ut aliud accedat tractu temporis decretum Congregationis ſacrorum rituum a ſummo Pontifice approbandum , juxta ea quæ inferius dicentur ; ſane formula ſententiæ , in qua omittatur Officii recitatio , magis apta eſſe videtur .

§. X.

De Miſſa a ſummo Pontifice celebranda in ſolemni Canonizatione Sanctorum .

23. SI antiquiora Canonizationum monumenta conſulamus , pleræque procul dubio occurrent Canonizationes Sanctorum , in quibus nulla fit mentio Miſſæ a ſummo Pontifice ea occaſione celebratæ . De Canonizatione etenim S. Udalrici Epiſcopi Auguſtani facta a Joanne XV. in Synodo Romana nihil aliud habetur , niſi poſt lectam atque auditam narrationem eorum , quæ de dicto Udalrico Luitolphus Auguſtæ Epiſcopus congeſſerat , fuiſſe Udalricum inter Sanctos Confeſſores adſcriptum . De Miſſa quoque a ſummo Pontifice Alexandro III. celebrata in Canonizatione S. Eduardi Regis Angliæ nullum habetur veſtigium. Ejuſmodi pariter ſunt exempla Canonizationum factarum S. Franciſci a Gregorio IX. & S. Petri Martyris ab Innocentio IV. De prima namque Albertus Krantzius *lib. 7. Metrop. cap. 45. & lib. 8. Saxon. cap. 4.* ſic ſcribit : *Papa Gregorius veniens Aſſiſium , in conſpectu maximæ multitudinis , quæ devotionis gratia eo confluxit , Beatum Franciſcum canonizavit his uſus verbis: Ad laudem & gloriam omnipotentis Dei Patris , & Filii , & Spiritus Sancti, & glorioſæ Virginis Mariæ , & SS. Apoſtolorum Petri & Pauli , & ad honorem Eccleſiæ Romanæ , Beatiſſimum P. Franciſcum , quem Dominus glorificavit in cœlis , debito in terris obſequio venerantes , de conſilio Fratrum noſtrorum & aliorum Eccleſiæ Prælatorum in catalogum decrevimus Sanctorum adnotandum , & feſtum diem obitus ejus celebrandum . Statim Cardinales* Te Deum laudamus *incipiunt , & populi voces laudes Chriſti excipiunt . Papa de ſolio deſcendit , & cum Cardinalibus ſanctum corpus de tumba levavit .* De ſecunda vero ſic ait Lentinus Patriarcha Hieroſolymitanus apud Surium *ad diem 29. Aprilis tom. 2. pag. 365. Ubi* (ſermo eſt de Innocentio IV.) *perſpicue cognovit , famam vinci rerum veritate , majoraque comperiſſet , quam ad ipſum perlata fuerant , de communi conſilio Cardinalium & Prælatorum omnium , qui per id tempus apud Sedem Apoſtolicam reſidebant* VIII. *Kalendas Aprilis , nondum exacto poſt Martyrium anno primo , illum Perugii in platea eccleſiæ FF. Dominicanorum , adſtante ipſi Cleri , plebiſque , itemque Religioſorum , Nobilium , ac Procerum multa frequentia , aliis ubertim flentibus præ gaudio , aliis Deum magna voce laudantibus , univerſis denique mirifice tripudiantibus , & ſolemni ritu diem feſtum celebrantibus , cum mirabili cereorum ardentium multitudine , & eximio ſacrarum veſtium apparatu , Sanctorum Martyrum catalogo ſtatuit adſcribendum .*

24. Hæc , & alia plura fuerunt erudite congeſta a Domino Phœbeo Archiepiſcopo Tarſenſi & olim Secretario Congregationis ſacrorum rituum in ſua diſſertatione typis impreſſa poſt Acta Canonizationis ſanctorum Petri de Alcantara , & Mariæ Magdalenæ de Pazzis ; ut oſtenderet , non eſſe de eſſentia Canonizationis , ut Miſſa a ſummo Pontifice tunc celebretur , licet in magnum decus tantæ rei cedat , ſi eam ipſe celebret , & licet Pontifices eam celebrare conſueverint , quando non fuerunt legitime impediti : *Ex iis , quæ hactenus diximus, certum redditur , Sanctorum Canonizationem perfici ſolo Pontificis Chriſti Vicarii judicio & ſententia ſuper ſanctitate & gloria defuncti , ex teſtimonio ſanctitatis morum & veritatis ſignorum , non vero Miſſæ Pontificiæ ſacrificio ; quamvis id in Sancti honorem maxime cedat , & Pontifices celebrare , cum per valetudinem licet , conſueverint . Invocatio ſiquidem Sancti canonizati , etiam non celebrante Pontifice, ab omni omnium primo de more præmittitur Miſſarum ſolemniis poſt hymnum Te Deum laudamus .* Quæ porro omnia recentioribus etiam auctoritatibus & exemplis confirmari poſſunt ; tum , quia Panvinius in ſuo tractatu MS. *de præſtantia baſilicæ Vaticanæ lib. 6. cap.* 18. expreſſe ait , ſi Papa celebrare non poteſt , celebrare aliquem Cardinalem pro ipſo , *Et , ſi non poſſet , aliquis Cardinalis celebret pro eo ;* tum , quia in Canonizatione SS. Petri de Alcantara , & Mariæ Magdalenæ de Pazzis Miſſa fuit coram ſummo Pontifice Clemente IX. ſolemniter celebrata a Cardinali Barberino ſacri Collegii Decano ; tum etiam , quia Alexander Papa VIII. Miſſam pariter non celebravit in Canonizatione S. Laurentii Juſtiniani , Joannis a Capiſtrano , Joannis a Sancto Facundo , Joannis de Deo , & Paſchalis de Baylon : cum primus ex dictis Pontificibus ægritudine , alter ſenio , quod ægritudini æquiparatur , laboraret : & late proſequitur Dominus Cardinalis Petra *ad Conſtit. Apoſtol. tom. 5. in notis ad Conſtit. 6. Pii II. num. 9. & ſeqq.*

25. At , ſi prædicta abſint impedimenta , congruum omnino eſt , ſicut etiam Phœbeus in citata admiſit diſſertatione , ut , peracta Canonizatione , ſolemnia Miſſæ celebrentur a ſummo Pontifice : primo , quia Alexander Papa III. qui in adſcriptionem Sanctorum albo virorum , qui virtutibus & miraculis præſtarent , novum ordinem induxit , Miſſam celebravit in Canonizatione S. Th. Cantuarienſis ; uti colligitur ex codice Vaticano MS. de vita ipſius Alexandri his verbis : *In die Purificationis B. Mariæ , convocatis Epiſcopis , & Abbatibus, Campaniæ apud Signiam ad honorem ipſius ſpecialiter Miſſarum ſolemnia celebravit :* ſecundo , quia Cardinalis Oſtienſis *in cap. Audivimus . de Relig. & venerat. SS.* verba faciens de ritu Canonizationis ait : *Cantatur Te Deum laudamus , & celebrat Miſſam idem Papa in honorem ejuſdem Sancti :* tertio , quia in Canonizatione S. Petri Cæleſtini facta a Clemente V. idem ſummus Pontifex Miſſam celebravit, teſte Auctore, qui dictam Canonizationem carmine expoſuit apud Bollandianos *loc. cit.*

Signataque manu turba , prædicit aperte
Se Petri memorem , celebris ſolemnia Miſſæ
Feſta impleturum , verbis & facta repenſat .
Nam celebrat ſolemnis Apex , & candet albis.

26. Quarto , quia de ſolemni Miſſa a Papa celebranda in Canonizatione Sanctorum , teſtimonium perhibetur in ſuperius allato Ordine Romano Cardinalis Cajetani apud Mabillon. *loc. cit.* & in opere Auctoris, qui rituum formulis præerat in aula Pontificia an. 1347. apud Raynal. *ad ann. prædictum ſub num.* 39. Quinto , quia Bonifacius Papa IX. ut alibi dictum eſt , qui Canonizationem S. Birgittæ explevit in Capella ſacri palatii ; Miſſam vero propter infirmitatem celebrare non potuit , deſcendit die ſequenti ad baſilicam Vaticanam , in qua ipſam poſtea ſolemniter celebravit cum omnibus cære-

mo-

moniis, quæ adhiberi consueverunt in Missa, quæ canitur a Papa occasione Canonizationis; teste Petro Amelio in suo Ordine Romano similiter impresso apud Mabillon. *cit. tom.* 3. in quo habentur hæc verba *c.* 153. *p.* 537. *Ista die Papa non potuit dicere magnam Missam de Sancta causa infirmitatis, sicut debebat; sed in crastinum celebravit, ubi istum ordinem tenuit. Dominica ergo die, octava mensis Octobris, bono mane, post parvam Missam, Dominus Papa indutus cum pluviali & mitra cum perlis consistoriali descendit ad ecclesiam S. Petri cum omnibus Cardinalibus, duobus Patriarchis CP. scilicet & cum Prælatis, & toto Clero; & in porta ecclesiæ venerunt ei obviam omnes Canonici S. Petri cum Cruce, pluvialibus, pavilione, & campana processionaliter cantando* Te Deum laudamus, *duxerunt ad majus altare; &, facta aliquali oratione ante altare, recessit ad cathedram, ubi consueverunt Romani Præsules induere se, & sedendo Cardinales, & omnes Prælati venerunt ad reverentiam, & ipse voluit, quod cantaretur Tertia. Missa fuit de S. Brigida cum commemoratione de Dominica. Tunc primo ego incepi de mandato sedere inter Cardinales Episcopos. Processit Missa ordine suo. Item post Evangelium Diaconus a sinistris dixit* Confiteor, *& dicto* Credo in unum Deum: *& post Offertorium Papa sedebat super bassam cathedram cum scabello ante regias ferreas Papæ, ubi lectum fuit Evangelium, versa facie ad sedem, in qua fuit indutus. Tunc Domini Commissarii tres Cardinales de Canonizatione istius Sanctæ exierunt de sacristia S. Petri cum oblationibus suis.* Sexto, quia non solum Leo Papa X. in Canonizatione S. Francisci de Paula Missam celebravit, sicut eruitur ex bulla Canonizationis; verum etiam sub eodem Pontifice editus fuit liber sacrarum cæremoniarum ab Archiepiscopo Corcyrensi, ubi *sect. 6. cap.* 2. dicitur: *His finitis, Pontifex incipit Tertiam, & accipit Sandalia, vel, si magis placet, dimissa Tertia, accipit paramenta omnia Pontificalia, & canit Missam solitis cæremoniis, vel de Sancto, vel, si aliqua solemnitas esset, cantet de die cum commemoratione de Sancto, &, si non posset, aliquis Cardinalis celebret pro eo.* Septimo, quia subsequentia urgent summorum Pontificum exempla; Hadriani videlicet VI. qui Missam celebravit in Canonizatione S. Antonini, & S. Bennonis, ut ex Bullis habetur; & Gregorii XV. qui Missam pariter celebravit in Canonizatione S. Teresiæ, & SS. Ignatii, Isidori Agricolæ, ac Francisci Xaverii, ut ex Bullis pariter Canonizationum desumitur. Postremo, quia præsto sunt novissima exempla sanctæ memoriæ Clementis XI. & sanctæ memoriæ Benedicti XIII. qui solemnem Missam celebrarunt in Canonizationibus Sanctorum ab ipsismet perfectis. Tantum itaque addidisse fas sit, quod, cantata a summo Pontifice Missa in Basilica Vaticana, vel occasione Canonizationis, vel in aliis Festis, Cardinalis basilicæ Archipresbyter una cum duobus Canonicis Sacrario præfectis ad Sanctitatem suam accedit, eique offert *presbyterium*, seu viginti quinque denarios signatos signo veterum Pontificum, prolatis his verbis, *Beatissime Pater, Capitulum, & Canonici hujus Sacrosanctæ Basilicæ Sanctitati Vestræ consuetum offerunt presbyterium pro Missa bene cantata;* ut habetur *in Actis Canonizationis* collectis a Justiniano Chipponi *pag.* 236. quibus consonant ea, quæ habentur *in Cæremoniali manuscripto Basilicæ Vaticanæ* compositio a Michaele Angelo Matthæjo ejusdem Canonico *lib.* 1. *cap.* 26. ubi sic legitur: *Expleta Missa summi Pontificis, duo Canonici Sacristæ Majores Archipresbytero exhibeant loculum vigintiquinque denarios antiquæ monetæ continentem. Archipresbyter loculum suscipiens offerat summo Pontifici pro Missa bene cantata. Quod servatur, quandocumque in nostra basilica Pontifex celebrat.*

27. In Canonizatione S. Didaci novum altare constructum est, ut in eo Sixtus V. summus Pontifex, dum Didacum inter Sanctos referret, sacra mysteria perageret. Totum erat ex nuce contignatum, & super eo alterum altare portabile quadratum, longitudinis & latitudinis duorum palmorum, adjectum erat ex fortissimo quodam lapide Africano variis coloribus excisum. Cumque altare juxta consuetudinem relinquendum esset Canonicis S. Petri, hi dono ipsum dederunt Oratori Catholicæ Majestatis, ut ad eam in Hispaniam transmittendum curaret: cui quidem, cum ad Regem adducendum foret, Pontifex multas sacras contulit Indulgentias, & quibusdam sacris viris, ut in eo celebrare possent, facultatem concessit; ut ex litteris Apostolicis memorati Pontificis expeditis die 20. Augusti anno 1588. desumitur, & ut late refert Penia *in Actis Canoniz. S. Didaci*, consentiente etiam Wadingo *in annal. Minor. tom.* 13. *pag.* 321. In Canonizatione facta a SS. Decessore N. Clemente Papa XII. Sanctitas sua nec Missam celebravit, nec Missæ a Cardinali Rufo celebratæ interfuit, uti supra dictum est, utpote senio & variis ægritudinibus laborans. Vectus ergo Sanctissimus in sede gestatoria sub baldachino, locum Canonizationis peragendæ ingressus est, dum sacrum Collegium Cardinalium ad eumdem locum perveniret. Sedens in solio, juxta morem, excepit obedientiam Cardinalium: consuetæ instantiæ factæ sunt, nec defuerunt responsiones Prælati a Secretis Brevium ad Principes: & ab eodem Sanctissimo prolata est Canonizationis sententia.

§. XI.

De Oblationibus, quæ fiunt in Missa, quæ celebratur occasione Canonizationis.

28. SIve summus ipse Pontifex Missam celebret post expletam Canonizationem, sive Missa celebretur a Cardinali, eodem Pontifice præsente, semper fiunt oblationes, & semper in Missa conceduntur Indulgentiæ.

29. De hisce oblationibus sic loquitur Angelus Rocca olim Præfectus Apostolici Sacrarii *in tract. de Canoniz. SS. tom.* 1. *oper. pag.* 143. ubi agit de cæremoniis observari consuetis in ipsa Canonizatione: *Tertia Officio expleto, Missæ sacrum vel de Sancto canonizato, vel de illa diei solemnitate, si qua in die Canonizationis eveniat, solemni ac Pontificio ritu cum commemoratione Sancti canonizati decantatur. In Offertorio autem tres S. R. E. Cardinales, qui in Canonizatione Judices olim fuerunt, hoc est, primus Episcopus, primus Presbyter, ac primus Diaconus sacræ rituum Congregationis, & Principis alicujus Canonizationem postulantis Oratores item tres, aut unus, vel aliquis Cardinalis in Oratoris locum a Papa electus, offerunt ea omnia, quæ in Missa Canonizationis offerri solent, mysteriis plena. Primus Cardinalis offert duos cereos, & satis quidem magnos: primus autem Oratorum, vel aliquis in Oratoris locum Cardinalis cereum unum, duasque turtures vivas in canistello aurato inclusas. Secundus Cardinalis duos offert panes prægrandes, unum auratum, alterum argentatum: Orator, vel aliquis in Oratoris locum Cardinalis alterum offert cereum, duasque columbas albas vivas in canistello item argentato inclusas. Tertius Cardinalis duos cados offert exiguos vini plenos, unum auratum, alterum argentatum: Orator, vel Cardinalis in Oratoris locum tertium offert cereum, & canistellum variis pictum coloribus, vivisque aviculis diversi generis plenum.* In memoriam itaque antiquæ consuetudinis, juxta quam post examen Auditorum Rotæ tres eligebantur pro causæ discussione Cardinales, Episcopus scilicet, Presbyter, & Diaconus, tres hodie etiam pro faciendis oblationibus eliguntur sacrorum rituum Congregationis Cardinales in dictis Ordinibus constituti; &, si plures Sancti unica Canonizatione canonizentur, tot Cardinales Episcopi, tot Presbyteri, & tot Diaconi, quot sunt Sancti canonizandi, faciunt oblationes; &, si tot Cardinales Episcopi non adsint, quot sunt Sancti canonizandi, Cardinales Presbyteri locum subingrediuntur Cardinalium Episcoporum: quod contigit in Canonizatione quatuor Beatorum facta a san. mem. Clemente XI. in qua tres Cardinales Presbyteri loco trium Cardinalium Episcoporum, qui non aderant, fecerunt oblationes.

30. De significatione oblationum, quæ fiunt in Missa Canonizationis, specialiter egerunt Angelus Rocca *loc. cit.* Joannes Baptista Marus *in sua diatriba de mystica ver. significat. quæ in SS. Canonizat. ad Missarum solemnia summo Pontifici offerri solent*, Petrus Ruisius a Visitatione Ordinis Minimorum S. Francisci de Paula in suo discursu hac de re edito, Franciscum Victon. ejusdem Ordinis *in tract. de Canonizat. SS.* Penia *in notis ad vitam S. Raymundi lib.* 3. *cap.* 42. *observat.* 2. Justinianus Chipponus in dissertatione typis excusa post Acta Canonizationis Sanctorum Pii V. Andreæ Avellini, Felicis a Cantalicio, & Catharinæ de Bononia, Pater Memmius *in tract. de Canonizatione SS.* quod vero attinet ad apparatum pro his oblationibus, & eos, qui comitantur tum Cardinales, tum Oratores, qui ad dictas accedunt oblationes faciendas, consuli possunt Acta formis impressa præteritarum Canonizationum sæpe allegata.

31. No-

UAB Biblioteca de Ciències Socials

31. Nobis liceat in præsenti aliqua tantum adnotasse de hujusce Ritus antiquitate. In Ordine nimirum Romano Petri Amelii apud Joannem Mabillon. *loc. cit.* hæc leguntur de oblatione facta in Missa solemni, quam Bonifacius IX. celebravit in basilica Sancti Petri die sequenti Canonizationem Sanctæ Birgittæ: *Domini Commissarii tres Cardinales de Canonizatione istius Sanctæ exierunt de Sacristia Sancti Petri cum oblationibus suis. Primo Dominus de Francia cum duobus magnis tortitiis accensis coopertis de auro, obtulit; osculando pedem, & manum. Secundo Dominus Anglicanus cum duobus panibus coopertis cum tobaleis, & armis, & scudetis Sanctæ Brigidæ, & trium Cardinalium Commissariorum; & osculatus est pedem, & manum Papæ. Tertio Dominus Barensis cum duobus magnis bacilibus de vino, & malvatico, quæ vocantur Romæ Scyphi deaurati, & cum armis, & scudetis Dominæ, & Cardinalium prædictorum; & osculatus est pedem, & manum Papæ. Ultimo venerunt quinque Procuratores istius Sanctæ cum Advocato, & quilibet obtulit unam magnam candelam de una libra ceræ albæ, modicum laboratam cum rosis, & floribus, viridis, alba, & rubea. Item unum parvum canistrellum, totum depictum de colore viridi, in quo fuerunt duæ columbæ albæ, & duæ turtures.*

32. In superius allato Ordine Canonizationis Sanctorum anni 1494. (*tom. 3. collect. Concil. Britanniæ pag. 639.*) extant sequentia: *Primus Commissarius Cardinalis offert duos panes magnos auripelle croceï, & duos auripelle albi coloris coopertos, & super quolibet panum prædictorum debet esse una mappula telæ finissimæ longitudinis octo palmorum. Secundus Commissarius Cardinalis offert quatuor barilia vini simili duntaxat auripelle cooperta, nec crede vacua. Tertius Commissarius Cardinalis offert quatuor magnos cereos ponderis librarum decem ceræ communis pro quolibet Oratorum, Procuratorum, sive Sollicitatorum Canonizationis. Primus offert unum canistrum depictum, in quo erunt aliqui columbi albi, quorum unus saltem evolare possit. Secundus eorumdem offert alterum similem canistrum plenum vivis aviculis; & tam primus, & secundus ex prædictis Oratoribus, Procuratoribus, vel Sollicitatoribus, quam alii ex eis, quotcumque fuerint, offerri debet cereum unum librarum sex ceræ communis pro singulo.* In eodemque etiam libro verba fiunt de vexillo Promotoris Canonizationis ante Offertorium deferendo: *Si Dominus, qui facit fieri Canonizat. habeat vexillum, fieri debet, & ante Offertorium gestari.*

33. In libro denique sacrarum cæremoniarum Archiepiscopi Corcyrensis *sect. 6. cap. 2.* sic describitur ordo oblationis: *Dum cantatur* Credo, *tres Cardinales Commissarii descendunt ad portam inferiorem suggestus, & ordinant Offertorium; & debito tempore, antequam Papa lavet manus in sede eminenti, veniunt ordinate: Et primus, ideſt Episcopus Cardinalis offert duos magnos cereos, & cum eo primus Orator offert cereum suum, & canistellum deauratum cum duabus turturibus. Tum Presbyter Cardinalis offert duos magnos panes cum mappulis, & secundus Orator cereum suum, & canistellum argentatum cum duabus columbis albis. Ultimo Diaconus Cardinalis offert duo vasa vini, & tertius Orator suum cereum, & canistellum diversorum colorum cum variis aviculis. Cardinales osculantur genu, alii pedem summi Pontificis. Proceditur deinde in Missa, ut alias.*

34. In modo allegato sacrarum Cæremoniarum libro nihil dicitur de Columbo, qui evolare possit, de quo aliqua dicta fuerunt in ordine Canonizationis anni 1494. Post eadem itaque tempora mos invaluit, quod, dum offerebatur quasillus, in quo diversi generis aviculæ reticulo inclusæ continebantur, cæremoniarum Magister abscindebat reticulum, quo exitus prohibebatur, & aviculæ huc atque illuc celerrimis pennis evolabant; uti legi potest in Actis Canonizationis S. Didaci descriptis a Petro Galesinio, & a Francisco Penia, in Actis Canonizationis S. Hyacinthi exaratis a Fratre Seraphino de Cracovia, & in Actis Canonizationis S. Caroli Borromæi collectis a Marco Aurelio Grattarola. Abscissionis vero reticuli, ut aviculæ evolarent, nullum fit verbum in Actis Canonizationis Sancti Raymundi collectis ab eodem Francisco Penia, nec in Actis Canonizationis S. Thomæ de Villanova editis ab Andrea Asnar, nec demum in Actis Canonizationis S. Francisci Salesii, & SS. Petri de Alcantara, ac Mariæ Magdalenæ de Pazzis editis a Cappello. Neque postea in sæpe memorata Canonizatione quatuor Sanctorum facta a fan. mem. Clemente XI. ulla reticuli abscissio facta est: ponderatum siquidem sapienter fuit, & nullum in ea excogitari posse mysterium, & ipsam non esse in libris sacrarum cæremoniarum præscriptam, & initium habuisse a facto nonnullorum Magistrorum sacrarum cæremoniarum, qui morem prædictum fortasse induxerunt, ut astantem populi multitudinem exhilararent; quod procul dubio non est ad rem, de qua tunc agitur, opportunum, cum potius sit a sacrosanctæ functionis cæremoniis omnino alienum. Quocirca nec in Canonizatione facta a SS. Decessore N. Clemente Papa XII. facta est ulla reticuli abscissio; & oblationes factæ sunt, licet nec Sanctitas sua Missam celebraverit, nec Missæ interfuerit; factæ, inquam, sunt ipsi Summo Pontifici, juxta consuetum morem, dum tamen canebatur a Musicis, Te *Deum*, post prolatam Canonizationis sententiam: & hoc tempore præcipue factæ sunt, quia Sanctissimus nec poterat Missam celebrare, nec ei interesse, & ad suas ædes redire volebat.

§. XII.

De Oblatione turturum, columbarum, & avium omissa a sanctæ memoriæ Benedicto XIII. in Sanctorum Canonizationibus ab eo factis.

35. DE hac omissione sic loquitur Justus Fontaninus Archiepiscopus Ancyranus in sæpe citato codice Canonizationum (*in notis ad litteras Bonifacii IX. scriptas Clarissis Urbanis S. Laurentii in Panisperna super Canonizatione S. Birgittæ*): *In hac cæremonia, post consuetas ex veterrima Ecclesiæ disciplina panis, vini, & ceræ oblationes de more summo Pontifici factas, columbæ, & turtures primum visæ arbitrio Petri Amelii Pontificii Sacristæ... Hæc tamen avium oblatio in domo Dei facta displicuit summo P. N. Benedicto XIII. cumque accepisset, eam quoque displicuisse vener. mem. Cavdinali Josepho Mariæ Thomasio sacrorum rituum peritissimo; prætereaque idem Sanctissimus Pontifex eam esse minime consonam reperisset sanctiori Ecclesiæ disciplinæ, quam summe callet, hujusmodi avium oblationem fieri noluit in solemni Canonizatione octo Sanctorum, quam habuit in basilica Vaticana sub finem elapsi anni 1726. & initio hujus anni 1727.* Re vera, si ad antiquiora Ecclesiæ monumenta, & ad ea a nobis non adeo remota manum admoveamus, inveniemus, oblationes in Missæ sacrificio fieri consuevisse, & etiam nunc fieri rerum tantum ad sacrificium ipsum pertinentium, ideoque panis, vini, & ceræ: una quippe pars harum oblationum in materiam sacrificii adsumebatur, secunda pro eulogiis benedicebatur, & alia pars in usus ministrorum, & pauperum cedebat. In celebri etiam quæstione, quam viri doctissimi agitaverunt, quasi scilicet Ecclesia Latina ab initio usa fit pane in Missa azymo ne, an fermentato, cum vir eximiæ doctrinæ Jacobus Sirmondus *in singulari de Azymo disquisitione* fermentatum in Ecclesia Latina ab initio prævaluisse docuerit, quem etiam piæ memoriæ Cardinalis Bona *rer. liturgic. lib. 1. cap. 23.* secutus est, ea potissimum cum ratione, quod, si olim Eucharistia ex populi oblationibus consecrabatur, ex quibus, quod supererat, sacrorum ministrorum, pauperum, & viduarum usibus inserviebat, id non nisi de pane fermentato, quo pauperes & viduæ vescebantur, intelligi possit: Mabillonius quidem, & Martene, aliique viri eruditione præstantes Sirmondo hac in re adversantur; sed non nisi quia duplicem dicunt in Ecclesia factam fuisse oblationem, unam ante Missam, aut ante Evangelium, in qua Fideles panem fermentatum, vinum, ceram, & aliud quodcumque in supplementum Sacerdotum, & egenorum; alteram, in qua panem azymum, & vinum ad consecrationem offerebant, cujus quod supererat ab Archidiacono servandum tradebatur custodi, ut privatis diebus præsto esset celebrantibus, cum Dominicis tantum diebus a viris & mulieribus prædictæ fierent oblationes. Harum porro mos oblationum perduravit usquequo sæculo VIII. initium datum est eleemosynæ pecuniariæ, quam Fideles Presbytero elargiuntur pro celebratione & sacrificii applicatione: etsi adhuc etiam supersunt nonnulla oblationis panis, vini, & ceræ, quæ in Missa offeruntur, vestigia; in Missa videlicet, quæ celebratur Episcoporum consecratione, atque in benedictione Abbatum, & Abbatissarum, sicuti legi potest in Pontificali Romano: & item hodie in Metropolitana ecclesia Mediolanensi, juxta præscripta in Missali Ambrosiano, duo senes tres hostias offerunt, & vas vino repletum, & duæ matronæ longævæ similem faciunt oblationem, primi pro viris, secundæ pro mulieribus, teste Macro *in suo vocabulario Ecclesiastico in verb. Oblatio.* Ad quæ quidem qui plura scire cupit de hisce oblationibus, & de earum coarctatione ad vinum, panem, ceram, &

ad

ad ea, quæ ſacrificio inſerviunt, conſulere poterit Mabillonium *in præfat.* 1. *ad ſæc.* III. §. 6. Chriſtianum Lupum *tom.* 5. *ad can.* 13. *v. Concilii Romani*, Martene *tom.* 1. *de antiq. Eccl. ritib. pag.* 309. *& ſuſius pag.* 379. *& ſeqq.* Cladium de Vert. *in explicatione cæremoniarum tom.* 1. *cap.* 2. *pag.* 122. *& ſeqq.* Thier. *de ſuperſtit. tom.* 2. *pag.* 508. itemque opus *de ſacris oblationibus altaris* a P. Franciſco Berlendo Clerico Regulari Theatino editum Venetiis anno 1733. & tandem Petrum Morettum Canonicum S. Mariæ Tranſtiberim in ſua omnibus numeris abſoluta lucubratione *de ritu dandi presbyterium*, nobis dicata, & typis Romanis impreſſa anno 1741. *part.* 1. *ſect.* 1. ubi late agit de oblationibus quæ fiebant a Fidelibus, quarum nonnullæ applicabantur ad uſum ſacrificii, aliæ ad alios; ubi etiam oſtendit primi generis oblationes fuiſſe de rebus uſui ſacrificii aptis, puta pane, vino, & aqua. His itaque innixus monumentis ſan. mem. Benedictus XIII. nec in octo memoratis Canonizationibus, nec in aliis duabus, quas ſubinde ſolemniter peregit, oblationem fieri permiſit turturum, columborum, & avium: ſed & addebat, proſcriptam fuiſſe avium, & animalium oblationem in canone tertio inter eos, qui Apoſtolici dicuntur. Quamvis autem oppoſitum eſſet, lactis, & mellis oblationem vetitam in canone Apoſtolico, fuiſſe permiſſam in canone tertio Concilii Carthaginienſis anni 397. ipſemet ſubdebat, id ex ſpeciali ratione fuiſſe pro die Paſchæ admiſſum; dicta quippe die lac, & mel infantibus recens baptizandis juxta antiquum morem infundendum ſpeciali benedictione benedicebatur: *Lactis & mellis ſpecialiter benedicendi oblatio, ut in ſacramentis Corporis, & Sanguinis Domini nihil offeratur, quam quod ipſe Dominus tradidit, hoc eſt panis, & vinum aqua mixtum; primitiæ vero, ſeu lac, & mel, quod uno die ſolemniſſimo in infantum myſterio ſolet offerri, ſuam tamen habeant propriam benedictionem, ut a ſacramento Domini Corporis, & Sanguinis diſtinguantur.* Concludebat denique, ſe regulæ generali velle adhærere, nec ab ea ſe poſſe recedere, nulla ſpeciali urgente circumſtantia, nec ullo exiſtente antiquioris Eccleſiæ documento, quod receſſum ab ipſa regula ſuaderet. In Canonizatione tamen facta a SS. Deceſſore N. Clemente Papa XII. mos oblationis turturum, columbarum, & avium reſumptus eſt. Omnia autem & ſingula, quæ de prædicta Canonizatione ſcripſimus, hauſimus ex fideli relatione ad nos ab Urbe abſentes tranſmiſſa die 24. Auguſti anni 1737. ab Joanne Baptiſta Gamberuccio Amaſeno Archiepiſcopo, primo Magiſtro cæremoniarum apud ſummum Pontificem, ſingulari nobis amicitia junctо, & in ſacris ritibus longe peritiſſimo.

§. XIII.

De ſummi Pontificis panegyrica oratione in honorem Beati inter Sanctos referendi.

36. QUod ſermo, ſeu concio haberetur a ſummo Pontifice in Canonizatione Sanctorum, teſtimonium perhibet Cardinalis Oſtienſis *in cap. Audivimus. de Reliq. & venerat. SS.* his verbis: *Et facit ſermonem ſummus Pontifex proceſſum recitans & probata.* Conſentiunt autem cetera monumenta: de Clemente etenim V. ſic canit Auctor, qui verſibus exaravit Canonizationem ab eo factam S. Petri Cæleſtini apud Bollandianos *ad diem* 19. *Maji tom.* 4. *pag.* 479.

Hincque ait: exulta, laudaque Sion, quia magnus,
Magnus, & exulta; medioque tui, quia Sanctus
Iſrael. Haud priſca fit nobilitate refulgens
Murro genus, pectuſve ſciens doctrinaque magnum
Hunc facit: in ſilvis verum experientia cautum
Longa facit. Siquidem ſæcli ſuffragia Juſto
Huic deerant: ſed magnus erat, grandiſque Beatum
Vita dedit, zeluſque calens fervere per omnes,
Et pietas, humiliſque modus, vincenſque ſuperba
Simplicitas, mentiſque nitor, ſubtractaque mundo
Paupertas, miranda ſui diſtrictio virtus;
Hæc magnum fecere virum, cæloque ſacrandum,
Si Deus annuerit. Nobis miracula clarent,
Et fratres novere palam, diſcuſſit & illa
Longa dies, magnuſque labor . . . .

37. In Ordine Romano Cardinalis Jacobi Cajetani apud Mabillon. *loc. cit.* ſic legitur: *Papa, prout de camera venit, ſcilicet cum pluviali rubeo & mitra auriſrigiata cum perlis, vadit ad cathedram eminentem ante altare cum ſcabello paratam, & ibi ſedendo facit ſermonem, mitram tenendo in capite, ut eſt moris, proceſſum recitando & probata.* Quæ pariter verba habentur apud Auctorem, qui rituum formulis præerat in aula Pontificia anno 1347. apud Raynaldum *ad dictum annum num.* 38. Porro, licet Bonifacius Papa IX. Canonizationem fecerit S. Birgittæ in Capella ſacri palatii prope S. Petrum, Miſſam vero eadem die non celebraverit, ſed die ſequenti deſcenderit ad baſilicam Vaticanam, in qua cum omnibus ſolemnitatibus Miſſam ipſam celebravit, uti ſupra dictum eſt; eademmet nihilominus Canonizationis die ſermonem habuit de prædicta S. Birgitta, teſte Petro Amelio in Ordine Romano apud Mabillon. *cit. tom.* 2. *pag.* 536. *Et facto ſilentio, & luminaribus accenſis, Papa, tenendo mitram in capite, facit collationem & ſermonem ſuum ſub iſto themate: Viduam ejus benedicam, & florebit ſuper ipſam ſanctificatio mea.* In Ordine quoque Canonizationis *tom.* 3. *collect. Concil. Britan. pag.* 636. hæc extant: *Et faciat ſermonem ſummus Pontifex, proceſſum recitans & probata.* Tum autem in libro ſacrarum cæremoniarum Archiepiſcopi Corcyrenſis *ſect.* 6. *cap.* 2. ita ſubditur: *Pontifex, oratione facta ante altare, aſcendit eminentem ſedem, & accipit Cardinales, & Prælatos paratos ad reverentiam. Qua facta, deſcendit, & ſuper aliam ſedem ſibi ante altare paratam ſedet, verſus reges ad altare, ubi facit ſermonem, referens, quæ geſta ſunt, & vitam ac miracula Sancti ſummatim & in genere. Demum hortatur omnes, ut ſecum pariter Domino pias preces fundant.* Illuſtre inſuper concionis habitæ a Joanne XXII. in honorem S. Thomæ Aquinatis, quem inter Sanctos retulit, ex antiquiſſimo MS. Toloſano monumentum publici juris factum eſt ab erudito viro Antonino Bremond ex Familia Prædicatorum *tom.* 2. *Bullar. ſui Ord. pag.* 163. *num.* 22. Denique ſermonis habiti in Canonizatione S. Catharinæ Seneuſis a Pio Papa II. argumentum proſtat in ipſa bulla Canonizationis; ſicuti habitorum ab Innocentio VIII. in Canonizatione S. Leopoldi Marchionis Auſtriæ, a Leone X. in Canonizatione S. Franciſci de Paula, atque ab Hadriano VI. tum in Canonizatione S. Bennonis, tum in Canonizatione S. Antonini, ex earumdem Canonizationum bullis probatio deſumitur. Introducta vero temporibus ſubſequentibus conſuetudine, ut Secretarius Brevium ad Principes Advocato Conſiſtoriali pro Canonizatione ſupplicanti reſpondeat, Pontifices ut plurimum a concionando abſtinuerunt. Idcirco F. Severinus de Cracovia in Actis Canonizationis S. Hyacinthi ait, primæ pro Canonizatione petitioni Silvium Antonianum a ſecretis Brevium ad Principes tam longa nomine Sanctitatis ſuæ reſpodiſſe oratione, ut per illam Pontifex ſolitum de Canonizatione & de Canonizando ſermonem obiiſſe videretur; quemadmodum legi poteſt *pag.* 286. *& ſeqq.* eorumdem Actorum. Sanctæ tamen memoriæ Clemens XI. qui ut plurimum in ſolemnibus Miſſis, quas celebrabat certis anni feſtis, homiliam habebat, laudabilem hunc ipſum morem retinuit in Miſſa, quam celebravit occaſione Canonizationis quatuor Sanctorum Pii V. Andreæ Avellini, Felicis a Cantalicio, & Catharinæ de Bononia; & hæc utique ipſa edita eſt tum inter ceteras egregias ejuſdem Pontificis homilias, tum in Actis memoratæ Canonizationis ſæpe allegatis, a Juſtiniano Chiapponi collectis.

§. XIV.

De Bulla Canonizationis.

38. JUxta ea, quæ in ſuperioribus dicta ſunt, prolata a ſummo Pontifice extrema ſententia de Canonizatione, Advocatus Conſiſtorialis humillime inſtat pro expeditione bullæ, & ſummus Pontifex reſpondet, *Decernimus.* Olim, antequam bulla expediretur, celebrari minime poterat feſtum Canonizationis; uti colligitur ex Decreto Congregationis Sacrorum rituum edito in cauſa S. Franciſci de Sales die 5. Auguſti 1665. in quo ex ſpeciali gratia conceſſum fuit, ut ante bullæ expeditionem Moniales Sanctiſſimæ Viſitationis civitatis Anneſinæ celebrare poſſent ſolemnia Canonizationis dicti Sancti. Cum vero, facta Canonizatione, aliquando contingat, ut, retardata bullæ expeditione, moriatur Pontifex, qui Beatum inter Sanctos retulit; aliquis tunc ex ejus Succeſſoribus proprio nomine, memoratis tamen ſui Anteceſſoris geſtis, memoraque Canonizatione ab ipſo facta, procedit ad bullæ expeditionem, cujus initium eſſe conſuevit: *Rationi congruit, & convenit honeſtati, ut ea, quæ de Romani Pontificis prudentia proceſſerunt, li-*

eo, ejus superveniente obitu, litteræ Apostolicæ non fuerint confectæ super illis, suam consequantur efficaciam. Primum hujus rei exemplum puto fuisse illud Gregorii XI. qui B. Elzearium de Sabrano in Gallia Narbonensi Ausoysii Dynastam & Ariani in Apulia Comitem, sanctorum Confessorum canoni per Urbanum V. Pontificem maximum olim adscriptum fuisse promulgavit, expeditis litteris Apostolicis, *Rationi congruit &c.* Hunc postea morem subsequenter Pontifices passim amplexi sunt: & sanctæ quidem memoriæ Benedictus XIII. suo nomine expediri jussit Canonizationum bullas, quæ non fuerant expeditæ sub illis Pontificibus, qui Beatorum Canonizationes expleverant, ita ut sola desit bulla Canonizationis Sanctæ Elisabethæ Reginæ Portugalliæ, ut in superioribus dictum est. Porro, etsi in bullis Canonizationum exponitur vita, exponuntur miracula, nec omittitur quidquid in causa juxta ordinem judicialem factum est; Honorius tamen Papa III. Sanctorum Confessorum Pontificum canoni adscripsit Beatum Willelmum Bituricensem Archiepiscopum in Gallia Aquitanica, sed in *bulla quæ est in novo cod. Canonizat. pag.* 50. abstinuit a singulari virtutum, & miraculorum recitatione hisce de causis: *Quæ, tum quia vobis nota sunt, tum quia pro sui multitudine non possunt sub brevitate narrari, præsenti paginæ non duximus inserenda; melius æstimantes, scripturo gloriosam ejus Historiam universa relinquere, quam, paucis auctoritatem bullæ nostræ appositione præstando, eam reliquis quodammodo derogare.* Verum, cum subsequentes Pontifices ab Honorii more recesserint, ampliores idcirco Canonizationum bullæ sub eis prodierunt; præterquam sub san. mem. Benedicto XIII. qui voluit, ut bullæ Canonizationum, quæ in suo Pontificatu expediebantur, sive Canonizationes a se factæ essent, sive ab aliis Pontificibus, breves essent, utique pauca tantum in eis attingerentur de vita, de miraculis, & de earum cursu judiciali, eo potissimum innixus fundamento, quod omnia narrari non possent, ne bullæ excrescerent in immensum; quodque, si forte aliqua in bullis ipsis omitterentur, in quibus utique propter sui amplitudinem videri possent omnia exponenda fuisse exposita, ansa præberetur afferendi, quæ essent omissa, veritate carere. Præter bullas Canonizationum aliæ quoque litteræ a summis Pontificibus vel ad universæ Ecclesiæ, vel ad unius nationis Præsules, aut ad aliquem Religiosorum cœtum, aut ad nonnullos Principes scriptæ sunt peractam Canonizationem indicantes, & eos ad cultum Beati inter Sanctos relati excitantes. Sic nempe factum fuit ab Alexandro III. post Canonizationem S. Thomæ Cantuariensis & S. Bernardi, a Cælestino III. post Canonizationem S. Joannis Gualberti, ab Honorio III. post Canonizationem S. Willelmi Bituricensis, a Gregorio IX. post Canonizationem SS. Francisci & Antonii, ab Innocentio IV. post Canonizationem S. Petri Martyris, a Joanne XXII. post Canonizationem SS. Ludovici Tolosatis & Thomæ de Aquino: quarum quidem epistolarum collectio habetur in sæpe citato codice Canonizationum, & ultima etiam ex ipsis edita est *tom.* 2. *Bullar. Ord. Prædicatorum pag.* 164.

In Appendicibus porro exhibebitur compendiaria relatio omnium cæremoniarum adhibitarum in Canonizatione quinque Sanctorum facta a Gregorio XV. quæ pro hujusce capitis complemento esse poterit.

CAPUT TRIGESIMUMSEPTIMUM.

De Actibus cultus servis Dei post Beatificationem deferendis.

1. UT eo, quo decet, ordine in hoc argumento procedamus, necesse est aliqua attingere, antequam ad ulteriora transitus fiat, de quibusdam appellationibus, seu titulis, circa quos nonnullæ aliquando excitantur, quæstiones: sunt autem SERVUS DEI, VENERABILIS DEI SERVUS, BEATUS, SANCTUS.

2. Incipiendo ergo a titulo *servi Dei*, qui usurpatur tum in scripturis, quæ in sacrorum rituum Congregatione exhibentur, tum in ejusdem sacræ Congregationis decretis, sciendum utique est, ipsum aliquando fuisse Abbatibus impertitum, seu potius Abbates dicta servorum Dei appellatione fuisse comprehensos, uti desumitur ex Synodo Suessionensi anni 744. *can.* 10. *col.* 1934. *tom.* 3. *collect. Harduin. Si quis contra hoc decretum, quod viginti tres Episcopis cum aliis Sacerdotibus, vel servis Dei una cum consensu Principis Pippini, vel Optimatum Francorum consilio constituerunt, transgredi, vel legem irrumpere voluerit, vel despexerit, judicandus sit ab ipso Principe, vel Episcopis, vel Comitibus, & componat secundum quod in lege scriptum est, unusquisque juxta ordinem suum.* Cujus Concilii verba sic interpretatus est Petrus de Marca *in suo tract. de concord. Sacerd. & Imper. lib. 6. cap. 24. num. 3. Vox illa* vel *apud mediæ ætatis scriptores æquivalet conjunctioni. &. Itaque, cum legis in hoc canone, vel Episcopis vel Comitibus, intelligendum est, & Episcopis, & Comitibus; Item, Sacerdotibus, vel servis Dei, idest & servis Dei, hoc est Abbatibus.* Sciendum præterea, hodie etiam apud Græcos titulo *servi Dei* appellari quemcumque baptizandum, cum forma Baptismi apud eos sit hæc: *Baptizatur servus, vel serva Dei N. in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.* De hujus autem formæ validitate numquam illis Latini litem intendere, quia Eugenius IV. summus Pontifex in institutione Armeniis data (*tom. 9. collect. Concil. Harduini col.* 438.) ubi dixit formam Baptismi esse istam: *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*, addit etiam: *Non tamen negamus, quin & per illa verba, Baptizetur talis servus Christi in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, vel, baptizatur manibus meis talis in nomine &c. verum perficiatur Baptisma.* Et concordant Acta Concilii Londinensis habiti anno 1556. sub Cardinali Reginaldo Polo Legato pro Angliæ reformatione, sicut habetur *tom.* 18. *bibl. Pontif. pag.* 353. ubi hæc extant verba decreti. *Forma autem est, Ego te baptizo in nomine Patris &c. Non tamen negamus, quin & per illa verba; Baptizetur talis servus Christi in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti; vel Baptizetur manibus meis talis in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, verum perficiatur Baptisma. Quoniam, cum principalis causa, ex qua Baptismus virtutem habet, sit S. Trinitas, instrumentalis autem sit Minister, qui tradit exterius sacramentum; si exprimitur actus, qui per ipsum exercetur Ministrum cum sanctæ Trinitatis invocatione, perficitur sacramentum.* At, quidquid sit de titulo, sive nomine *servi Dei* ratione modo indicata explicato, quod tamen attinet ad rem, quam nunc tractamus, titulus *servi Dei*, juxta consuetudinem Congregationis sacrorum rituum, illis tantum tribuitur, de quorum agitur Beatificatione; iidemque sic communiter appellantur in scripturis Postulatorum, in animadversionibus Fidei Promotoris, in suffragiis DD. Consultorum, atque EE. Cardinalium, necnon in decretis sacræ Congregationis, sive agatur de signatura commissionis, hoc est de causæ introductione, sive de validitate processuum, sive de fama in genere, seu denique de virtutibus, aut miraculis. Quodque notabilius est, citra ullam læsionem decretorum generalium Urbani VIII. *servi Dei* appellantur omnes illi, qui cum sanctitatis laude decesserunt, sive eorum effigies cum aliqua inscriptione edantur, sive eorumdem vitæ typis mandentur.

3. Porro ad ornatum materiæ addidisse fas sit, tum in veteri, tum in novo Testamento illos præcipue dictos fuisse *Dei servos*, qui eximiis virtutibus floruerunt. Sic enim Esdræ *lib. 2. cap. 9. v. 14.* legitur: *Et sabbatum sanctificatum tuum ostendisti eis, & mandata, & cæremonias, & legem præcepisti eis in manu Moysis servi tui*; sic psalm. 77. *v.* 70. *Et elegit David servum suum, & sustulit eum de gregibus ovium*; sic psalm. 131. *v.* 10. *Propter David servum tuum, non avertas faciem Christi tui*; sic in prima epistola B. Petri Apostoli *cap. 2. v. 16. Quasi liberi, & non quasi velamen habentes malitiæ libertatem, sed sicut servi Dei*; sic denique, ceteris omissis, in Apocalypsi B. Joannis Apostoli *cap.* 7. *v.* 3. *Nolite nocere terræ, & mari, neque arboribus, quoadusque signemus servos Dei nostri in frontibus eorum.* Confert & illud S. Joannis Chrysostomi *hom.* 1. *in epist. S. Pauli ad Rom. tom.* 9. *oper. pag.* 429. ubi, illustrando prima illa Apostoli verba: *Paulus, servus Jesu Christi, vocatus Apostolus, segregatus in Evangelium Dei*, ait: *Christi vero servum se non sine causa dixit, multi namque sunt servitutis modi: alius secundum creationem de quo dicit: omnia serviunt tibi; itemque servus meus Nabuchodonosor, opus namque opifici servum est. Alius modus est fide de qua ait: Gratiæ autem Deo, quia servi eratis peccato, obedistis autem ex corde in quam tra-*

traditi estis doctrinæ formam, & liberati a peccato servi facti estis justitiæ. Alius a vitæ instituto, de quo ait: Moyses servus meus mortuus est: quamquam & Judæi omnes servi erant; sed Moyses in primis ex vitæ instituto splendebat. Quoniam igitur Paulus omnibus servitutis modis servus erat, dignitatis maximæ loco ponit illud, servus Jesu Christi. Huc tandem referri possunt ea, quæ in historiis Ecclesiasticis leguntur de titulo *Universalis Episcopi*, qui, licet de jure soli Romano Pontifici debeatur, ut habetur *in dictatu S. Gregorii VII. can. 2. (apud Christ. Lupum t. 4. Synod. general. & provinc. pag. 344.), Quod solus Romanus Pontifex jure dicatur Universalis*; ob modestiam tamen a S. Gregorio Magno fuit in ejus locum pro se, & successoribus suis subrogatus hic alius, *Servus Servorum Dei*, hoc est eorum, qui Fide, morum integritate, & Christianarum virtutum exercitatione Domino Deo nostro dulci inserviunt servitute: juxta illud S. Augustini *in psalm. 99. n. 7. & 8. col. 1075. tom. 4. oper. Servum te charitas faciat, quia liberum te veritas fecit. Si manseritis (inquit) in verbo meo, vere discipuli mei estis, cognoscetis veritatem, & veritas liberabit vos. Simul es & servus, & liber. Servus, quia factus es; liber, quia amaris a Deo, a quo factus es . . . Noli servire cum murmure; non enim id agunt murmura tua, ut non servias, sed, ut malus servus servias. Servus es Domini, libertus es Domini; non te sic quæras manumitti, ut recedas de domo manumissoris tui. Servite Domino in jucunditate. Plena erit illa & perfecta jucunditas, cum corruptibile hoc induerit incorruptionem, & mortale hoc induerit immortalitatem.*

4. Servus itaque Dei, ut vidimus, dicitur ille, qui moritur cum fama sanctitatis, *Venerabilis* autem *Dei servus* ille vocatur, cujus sanctitatis fama judiciali jure probata est, veluti adnotavit Blasius a Purificatione *in tract. de adoratione disput. 8. dub. 5. §. 3. n. 67. Sciendum est autem, nomine venerabilium virorum nos intelligere eos, de quibus insignis fama sanctitatis eorum loquatur, ita ut non sufficiat quælibet opinio, quod virtutibus & miraculis claruerint*: & ita quidem, stricte loquendo, *venerabiles Dei servi* sunt illi, secundum consuetudinem Congregationis sacrorum rituum, in quorum Beatificationis & Canonizationis causis commissio introductionis signata est; non signatur enim commissio, nisi judiciali more constiterit ex processu auctoritate ordinaria confecto de fama sanctitatis & miraculorum. Dictum est nempe, stricte loquendo, *venerabiles Dei servos* appellari illos, in quorum Beatificationis & Canonizationis causis commissio signata est: quandoquidem, late sumpto hoc titulo cohonestati aliquando fuerunt in historiis, etiam Romæ typis impressis, plerique viri cum sanctitatis laude defuncti, præsertim vero qui, dum viverent, charactere Episcopali, aut sacerdotali fuerant insigniti, etsi nunquam causæ Beatificationis, aut Canonizationis ipsorum fuerint introductæ, vel fuerit signata commissio, nisi longe post editas de ipsorum gestis & virtutibus historias; quemadmodum demonstrari posset pluribus exemplis, si id opportunum judicaretur: comprobari autem potest auctoritate Cardinalis Baronii, qui *ad ann. 731. n. 26.* loquens de titulo *Venerabilis*, quo Beda insignitus est, & de quo mox habebitur sermo, sic ait: *Porro ista quidem vel ex eo saltem erroris redarguuntur, quod ejusmodi titulus* Venerabilis, *communis alioqui Presbyteris omnibus, incognitus Majoribus fuisse videtur, qui eumdem Bedam non isto, sed alio titulo nominarunt.*

5. Beda igitur Presbyter Anglicanus nomen *Venerabilis* habet in Martyrologio Romano *ad diem 27. Maji*; ad quem locum hæc scribit Cardinalis ipse Baronius *in notis: Hunc ab aliquibus inconsulte nimis putatur ob id, quod venerabilis dictus reperitur a nonnullis, sanctum dici non debere. Sane quidem sanctitatis titulo ornaverunt eum Majores. Ab Iduino clarissimo viro in areopagiticis Beda sanctus Presbyter dictus habetur. Marianus Scotus scriptor non ignobilis, qui ante quingentos annos vixit, lib. de sexta ætate, anno Dom. 678. hæc ait: Sanctus Beda Presbyter Anglicus Computator his temporibus clarus habetur.* Aniles autem nonnullæ fabulæ referuntur de titulo *Venerabilis*, quo Beda fuit decoratus. Petrus etenim de Natalibus *in catalogo Sanctorum lib. 5. cap. 55.* narrat, Bedæ discipulum, ipso defuncto, voluisse titulum sepulcro imponere; cum vero, incepto leonino carmine: *Hac sunt in fossa*, finire vellet, *Bedæ Sancti, vel Presbyteri ossa*, nec metrum stare posset, & aliud quidem vocabulum eidem minime occurreret, tædio affectum somno denique correptum fuisse, tum expergefactum mane in tumulo Angelicis manibus insculptum sequens carmen reperisse, *Hac sunt in fossa Bedæ venerabili ossa*. Sed hanc narrationem irridet Trithemius *lib. 2. de viris illustr. Ord. S. Bened.* & argumentum ipsum latius persequitur Card. Baronius *in notis ad Martyrol. Rom. ad cit. d. 27. Maji*. Quocirca Bollandiani in vita Bedæ *ad dictum diem 27. pag. 718. tom. 6.* ita de ejus titulo *Venerabilis* locuti sunt: *Factus Angliæ splendor singularis pietate & eruditione, cognomen* Venerabilis *est adeptus, eo potissimum, quod ipsius homiliæ in Ecclesia recitarentur, cum aut adhuc viveret, aut certe necdum esset catalogo Sanctorum inscriptus: si tamen antiquus iste titulus est, de quo, propter vetustiorum Scriptorum silentium, merito dubitat Baronius; majori etiam merito rejiciens aniles fabellas, quæ tali appellationi occasionem dedisse finguntur, nec dignæ sunt hoc loco referri.* Iis consentit Magister Richardus Ord. Prædicat. dum viveret, sacri palatii Apostolici Magister & Consultor Congregationis sacrorum rituum, qui sub Urbano VIII. una cum aliis doctis viris plurimum laboravit pro correctione Breviarii Romani, *in suo opere de litaniis Beatiss. Virg.* eumque sequitur Episcopus Sarnellus *in sua epist. 1. t. 2.*

6. Cognomine insuper *Venerabilis* aliquando summi Pontifices, aliquando Episcopi, aliquando Principes Catholici, aliquando etiam Martyres vindicati fuerunt appellati. Quoad summos Pontifices, id comprobatur ex Synodo Romana sub Hilaro Papa, (*tom. 2. collect. Hardu. col. 799.*) *Præsidente viro venerabili Hilaro Papa in basilica B. Mariæ*: & ex alia Synodo Romana sub Bonifacio II. (*cit. tom. col. 1111.*) *Præsidente venerabili viro Papa Bonifacio*. Quoad Episcopos ostenditur id ipsum in Collatione prima Carthaginiensi Catholicorum cum Donatistis *cap. 62.* (*tom. 1. cit. collect. col. 1072.*) ubi Marcellinus Judex Episcopos alloquens ait: *Illud autem est, quod per vestram venerabilitatem scire desidero.* Quoad Principes Catholicos, res est comperta ex epistola Hadriani I. adversus Elipandum, (*ejusdem collect. t. 4. col. 865.*) quæ lecta fuit in Synodo Francofordiensi an. 794. in qua sermonem habendo de Caroli Magni zelo adversus Hæreticos, ait: *Dilectissimus Filius noster, & spiritualis compater Domnus Carolus Magnus & venerabilis Princeps.* Quoad Martyres tandem vindicatos argumentum desumitur ex Constitutione Marciani Imperatoris, in qua obsecutus Concilio Chalcedonensi, quod Flavianum Patriarcham decreverat tamquam Martyrem esse colendum, & revocans Constitutionem Theodosii, qui Aulicorum potentia irretitus, edicto publico proposito, Conciliabulum Ephesinum sub Dioscoro habitum, & Flaviani damnationem approbaverat, subdit: (*cit. collect. Hardu. tom. 2. col. 675.*) *Ergo, quoniam venerabilis recordationis Flavianus tanto ac tali decoratus est testimonio . . . aboleatur illa Constitutio, quæ sceleratorum subreptione post obitum sanctæ memoriæ Flaviani adversus eum lata cognoscitur.* In jure item civili Ecclesiæ, nosocomia, orphanotrophia, & alia id genus dicuntur domus *venerabiles*, ut habetur *in l. 22. Sancimus, res ad venerabiles Ecclesias, vel xenones, vel monasteria, vel orphanotrophia &c. & in l. 23. C. de sacrosanct. Eccles.* ubi: *Sancimus, si quis aliquam reliquerit hereditatem, vel legatum, vel fidei commissum, vel donationis titulo aliquid dederit vel vendiderit sive sacrosanctis Ecclesiis, sive venerabilibus xenonibus &c.* Leges etiam *venerandæ* dicuntur *in l. 1. C. de bonis, quæ liberis: Cum venerandæ leges vetuerint &c. Veneranda* quoque dicitur respublica *in l. Quo reipublicæ ff. de injuriis:* & demum *veneranda* appellatur senectus, hoc est cultu digna atque veneratione, *in l. Semper ff. de jure immunit.* Quæ tamen dicta sint extra rem, cum præsentis capitis argumentum ad titulum *Venerabilis* restringatur intra terminos consuetudinis Congregationis sacrorum rituum.

7. Tituli porro *Beati & Sancti* nonnumquam promiscue adhibentur. Ecclesia namque Deiparam Virginem Mariam interdum *Sanctam* appellat: *Sancta Maria, succurre miseris; Sancta Maria, ora pro nobis*: interdum appellat *Beatam; Concede, nos famulos &c. & gloriosa Beatæ Mariæ semper Virginis intercessione &c.* Quo referri potest & id, quod legitur in confessione: *Confiteor Deo omnipotenti Beatæ Mariæ semper Virgini, B. Michaeli Archangelo, B. Joanni Baptistæ, SS. Apostolis Petro & Paulo, & omnibus Sanctis;* atque id etiam, quod habetur *in can. Non nos Beatum Petrum, dist. 40.* Utque cetera prætereantur, tum in Martyrologiis, tum in singulis fere paginis codicis Carolini summi ipsi Pontifices Petrum Apostolorum Principem, Hilarium, Candidum, Chrysogonum, Silvestrum, Augustinum, aliosque hujus meriti Cælites nequaquam *sanctos* appellarunt, sed *beatos*: quemadmodum erudite de more adnotavit Justus

Juſtus Fontaninus in ſua diſſertatione *de S. Petro Urſeolo num.* 25. Verum, juxta conſuetudinem ſanctæ Sedis, & Congregationis ſacrorum rituum, *Beatus* dicitur ille Dei ſervus, qui Beatificationem obtinuit, ſive formalem, ſive æquipollentem: *Sanctus* autem ille, qui fuit canonizatus alterutro ex modis ſupra explicatis. In ſacris litteris Deus dicitur *Sanctus*, uti conſtat *ex* 1. *Reg. cap.* 2. *v.* 2. *Non eſt Sanctus, ut eſt Dominus*: Deus etiam vocatur *Sanctus Sanctorum*: & ipſa Eccleſia de Deo dicit: *Tu ſolus Sanctus*, Deus enim Sanctus eſt ſubſtantialiter, ita ut in eo vox *Sanctus* ejus ſubſtantiam ſignificet, ideſt ſanctitatem per eſſentiam, ſeu ſanctitatem eſſentialem, ſecundum doctrinam Theologorum cum D. Thoma 1. *part. qu.* 13. *art.* 2. Et hac quidem de cauſa Dei ſanctitas eſt ordinis ſuperioris cum a ſe ipſo ſanctitatem habeat: creaturæ autem ſanctæ ſunt ex accidenti, & in eis non eſt idem ſanctitas, ac eſſentia, ſed ſanctitatem habent participatam, fortuitam, & quæ ex ſua ratione deficere poteſt; adeo ut, eum indeficiens ſit in Comprehenſoribus, ſeu Beatis, id tantum ſit cauſa ſtatus eorumdem, Chriſtus quoque in ſacris litteris appellatur *Sanctus Sanctorum*, & de eo pariter dicitur *Daniel. cap.* 9. *v.* 24. *Et ungatur Sanctus Sanctorum*. Eſt ſcilicet Chriſtus *Sanctus Sanctorum*, & quatenus Deus eſt, & quatenus homo eſt: quatenus nempe Deus eſt, ſicuti modo explicavimus; quatenus autem homo eſt, primo quia ex Spiritu Sancto conceptus fuit, unde Gabriel dixit Mariæ Virgini *Luc. cap.* 1. *v.* 35. *Spiritus Sanctus ſuperveniet in te, & virtus Altiſſimi obumbrabit tibi; ideoque, quod naſcetur ex te Sanctum, vocabitur Filius Dei*; ſecundo, ob unionem perſonalem Verbi Divini cum natura humana; tertio, quia caput eſt totius Eccleſiæ, accepitque ſanctitatem non ſolum pro ſe, ſed etiam pro omnibus & ad omnes transfundendam, fuitque cauſa exemplaris & meritoria omnis ſanctitatis; quarto, quia habuit gratiam ingenitam, ſeu, ut ajunt, habitualem ſanctificantem, ſummam, & quaſi infinitam, continentem omnem vim & efficaciam gratiæ; non enim ad menſuram dedit Deus eis Spiritum, ut ait Joannes *cap.* 3. denique Sanctus eſt Chriſtus ſuper omnes, quia non eſt factus Sanctus ex non Sancto, ſed ſemper fuit Sanctus ab initio. Olim demum in ipſis ſacris litteris Chriſtiani appellati fuerunt *Sancti*. Apoſtolus quippe ad Romanos Chriſtianos ſcribens ait *c.* 1. *v.* 7. *Omnibus, qui ſunt Romæ, dilectis Dei vocatis Sanctis*; & cap. 15. *verſ.* 21. *Proficiſcar in Jeruſalem miniſtrare Sanctis*; item *epiſtol. ad Philip. cap.* 4. *verſ.* 22. *Salutant vos omnes Sancti*, demum *cit. cap. verſ.* 21. *Salutate omnem Sanctum*. Apud Lucam pariter *in Act. Apoſtol.* 26. *verſ.* 10. legitur: *Multos Sanctorum ego in carceribus incluſi*; & ibidem *cap.* 9. *v.* 32. *Factum eſt autem, ut Petrus, dum pertranſiret univerſos, deveniret ad Sanctos qui habitabant Lyddæ*. Omnes tandem, qui in gratia Dei moriuntur, & vitam conſequuntur æternam, *Sancti* ſunt, & *Sancti* nuncupari poſſunt. Præſens vero inſpectio eos tantummodo reſpicit, qui juxta communem Eccleſiæ intelligentiam eminentiori, dum viverent, & probatiori fulſerunt morum ſanctitate, & poſt obitum gratia miraculorum claruerunt: quique idcirco in catalogum illorum relati ſunt, quos veneratione & cultu præ aliis dignos Eccleſia judicavit. De *Divi* nomine nullum a nobis fit verbum, cum illud non Eccleſiaſticum, ſed profanum ſit: quocirca venerabilis Dei ſervus Cardinalis Bellarminus in recognitione ſuorum librorum *ſub initio tom.* 1. hæc habet: *Ego enim nunquam probavi vocem Divus, vel Diva, cum de Sanctis agitur; tum quod eam vocem apud Latinos veteres Patres non inveniam; tum quod apud Ethnicos Divi nomen Diis tantum tribui ſoleat. Itaque ubicumque in libris meis lector inveniet Divum, ſciat, vel mihi imprudenter excidiſſe, vel, quod ſæpius accidit, me ſcripſiſſe Beatum. Sed typographi ubi legerunt B. quod Beatum ſignificat, illud in D. mutarunt, & ſic ex Beato Divum effecerunt*.

8. His explicatis, in eo, quod attinet ad actus cultus exhibendos Dei ſervis poſt eorum Beatificationem, nulla videtur aptior regula excogitari poſſe, quam ut, ſi ſermo ſit de Beatis, qui ſunt in antiquiſſima & immemorabili cultus poſſeſſione, illi actus eis exhibeantur, qui per longiſſimum & immemorabile tempus, cum ſcientia & tolerantia Ordinarii, aut Sedis Apoſtolicæ præſtiti eiſdem fuerunt. Urbanus enim VIII. in ſuis decretis proteſtatus eſt, ſe nullum velle præjudicium afferre horum Beatorum cultui, quemadmodum late ſuo loco explicabitur, & docte atque latiſſime oſtendit bon. mem. Fatinellus de Fatinellis, vir, dum viveret, amicitia nobis conjunctus, & aulæ Romanæ Præſul utriuſque Juris peritiſſimus *tom.* 2. *reſp.* 3. *num.* 6. Si vero verba ſint de ſervis Dei beatificatis ex Indulto ſacræ Congregationis rituum, aut ſummi Pontificis, non alii poterunt erga eos haberi venerationis actus, quam qui in Indulto ipſo nominatim deſignantur, quorumve in poſterioribus Indultis facta eſt recens conceſſio antiquiorem innovans cultum. Id autem clarius fiet exemplis. Scribentes de materia Beatificationis & Canonizationis quærunt, quo tempore fieri cœperint ſervorum Dei Beatificationes a Romanis Pontificibus. Circa quam quidem quæſtionem, ſi ea intelligenda ſit de Beatificationibus, hoc eſt de cultu ab Epiſcopis decreto in ſuis diœceſibus in honorem alicujus Dei ſervi ſive Confeſſoris, ſive Martyris, implorata pro actus approbatione & confirmatione ſummi Pontificis auctoritate, ſalvo tamen & integro Epiſcopali jure de culto ipſo in ſuis diœceſibus concedendo ad eorum decus, de quorum virtutibus, & miraculis, aut glorioſa pro Chriſto morte certiores facti fuerant; reſumi poterunt ea, quæ in ſuperioribus fuſe dicta ſunt de Pontificiæ auctoritatis interventu in cultu decernendo ſive pro univerſali, ſive pro particularibus Eccleſiis: ſed, ſi eadem quæſtio verſetur circa Beatificationes factas a Romanis Pontificibus, poſtquam Sedi Apoſtolicæ harum cauſarum cognitio & deciſio privative delata eſt, Baillet *in præfat. ad vitas SS. part.* 2. *num.* 99. ait, Beatificationes a ſummis Pontificibus fieri cœpiſſe, cum mos introductus eſt protrahendi in longiora tempora Canonizationes; alii autem putant, Beatificationis initium referendum eſſe ad tempus ſummi Pontificis Gregorii X. qui conceſſit, ut corpus B. Luchefii proceſſionaliter deferri poſſet, ut in ſuperioribus pariter viſum eſt.

9. Verum, utcumque hæc ſint, ad Alexandri III. ſummi Pontificis tempora referenda utique eſſe videntur ex alibi dictis hujuſce Beatificationis initia; ad ea videlicet tempora, circa quæ ceſſavit ut plurimum jus Epiſcoporum decernendi cultum ſervorum Dei in ſuis diœceſibus, quod eſt idem, ac dicere, beatificandi. Prodeſt enim apprime exemplum ſupra recenſitum cultus ab Alexandro conceſſi erga B. Guillelmum a Malavalle; ita ut, cum viderimus, ejuſdem quoque Alexandri tempore Paſchalem III. Antipapam corpus elevaſſe Caroli Magni, mirum profecto ſit, juris canonici Interpreres *in commentariis ad cap. Audivimus. de Reliq. & venerat. SS.* explicantes differentiam inter Beatificationem, & Canonizationem, meminiſſe quidem elevationis corporis Caroli Magni, at ſilentio tamen præteriiſſe geſta Alexandri III. erga B. Guillelmum.

10. Alexandri III. Succeſſores plures alias deinde expleverunt ſervorum Dei Beatificationes, in quibus modo indulſerunt unam cultus ſpeciem, modo aliam. Quocirca ſcite dictum eſt, Beatificationem eſſe facultatem, ut in aliquo ut plurimum ſpeciali loco Dei ſervus per publicam aliquam venerationem colatur appellatione Beati; hoc eſt vel per celebrationem diei feſti in ejus honorem, vel per ejus commemorationem in Divinis Officiis, aut per recitationem Officii, & Miſſæ de Communi celebrationem, aut per ejuſdem Officii cum particularibus lectionibus recitationem, Miſſæque celebrationem, juxta placitum ſummi Pontificis concedentis unum, vel plura ſive omnia ſimul. Matta *de Canoniz. SS. part.* 1. *cap.* 2. *num.* 15. & Caſtellin. *de certit. glor. SS. cap.* 2. *punct.* 1. *num.* 2. atque *in tract. de dilat. Canoniz. in animadverſ. general. num.* 2. *pag.* 76.

11. Hinc videmus, Honorium III. permiſiſſe Moliſmenſibus, ut Robertum Abbatem Moliſmenſem fundatorem Ord. Ciſterc. tamquam Sanctum in ſua eccleſia venerantes, ejus apud Dominum ſuffragia fideliter implorarent, ſicuti ex illius litteris Apoſtolicis ſupra citatis apud Bollandianos *tom.* 3. *Aprilis pag.* 668. Gregorium X. veluti ſupra dictum eſt, conceſſiſſe, ut corpus B. Luchefii proceſſionaliter deferri poſſet, quemadmodum eſt apud eoſdem Bollandianos *ad diem* 28. *Aprilis*: Eugenium Papam IV. inſigni miraculo permotum interceſſione tunc ſervi Dei, nunc ſancti Andreæ Corſini patrato, ſolemnem inſtituiſſe in civitate Florentina proceſſionem, in qua ejus corpus delatum eſt, & celebrari juſſiſſe in eccleſia Carmelitarum ſolemnem Miſſam de SS. Trinitate, teſte Petro Andrea de Caſtaneis *in vita dicti Sancti*: Leonem X. Religioſis Ord. Erem. S. Auguſtini indulſiſſe, ut in ſuis templis & ſacellis depictam venerari poſſent imaginem B. Veronicæ de Binaſco, ſicut ex ejus litteris Apoſtolicis apud Bollandum *tom.* 1. *menſis Januarii pag.* 889. Netinis vero in Sicilia conceſſiſſe, ut feſtum celebrare poſſent in honorem B. Conradi Placentini, juxta documentum relatum apud Wadingum *tom.* 8. *pag.* 67. & juxta alia in ſuperioribus ex-

UAB Biblioteca de Ciències Socials

expoſita ; Minoribus item Obſervantibus conceſſiſſe, ut in eccleſia ſui Ordinis, in qua colebatur magna veneratione Jacobus de Marchia, nunc inter Sanctos relatus, qualibet die poſt Completorium, aut alia hora diei, prout Guardiano pro tempore exiſtenti viſum fuiſſet, proceſſionaliter ad ejuſdem Jacobi ſepulcrum accedere poſſent, cantando hymnum cum verſiculo & oratione in ejus honorem, uti conſtat ex illius Pontificis litteris Apoſtolicis typis impreſſis in vita memorati S. Jacobi edita Romæ occaſione Canonizationis ejuſdem anno 1726. conceſſiſſe demum, ut in civitate & territorio Mantuano in primis, & ſecundis Veſperis, & aliis Divinis Officiis fieret commemoratio B. Hoſannæ de Andreaſiis Monialis Ordinis de Pœnitentia S. Dominici, ſicut infra etiam dicetur : ſanctum Pium Papam V. conſimilem feciſſe conceſſionem Abbatiſſæ, ac Monialibus Monaſterii S. Mariæ Magdalenæ civitatis Albæ Ordinis S. Dominici pro B. Margarita de Sabaudia olim Marchioniſſa Montis Ferrati, necnon Monialibus monaſterii civitatis Perufinæ ſub Invocatione B. Columbæ de Reate Ordin. S. Dominici in honorem ejuſdem Beatæ, quemadmodum ex litteris Apoſtolicis, aliiſque monumentis habetur apud Caſtellinum *de certit. glor. SS. pag.* 486. & 487. Summum denique Pontificem Paulum V. anno 1605. benigne indulſiſſe, ut imago Stanislai Koſtkæ, nunc inter Sanctos relati, exponi poſſet in templo ſupra ejus ſepulcrum una cum votivis donariis, & addita lampade ardente ad ſacra ejus lipſana ; idque pariter præſtitiſſe erga Aloyſium Gonzagam, qui jamdiu & ipſe Sanctorum albo eſt adſcriptus ; uti late probatum fuit in proceſſibus confectis ſuper eorum Canonizatione, atque ut narratur in compendio virtutum, & miraculorum, necnon Actorum in eorum cauſis ex Secretis Congregationis ſacrorum rituum edito, cum ipſæ eorumdemmet cauſæ eſſent in ſacro Conſiſtorio proponendæ.

12. Sed plura ſane volumina edenda eſſent, ſi referri deberent conceſſiones omnes hujuſce generis factæ a Romanis Pontificibus ; & eo magis, ſi aliæ eſſent ſuperaddendæ de Officio, ac Miſſa recitandis, & celebrandis in honorem Beatorum. Veruntamen huc uſque adducta ſufficere debebunt, ut oſtendatur, modo unius modi, modo alterius, modo plurium fieri a Romanis Pontificibus conceſſionem in Beatitatis Indultis. Quod ſi nunc unius quidem, nunc autem alterius modi, nunc plurium in dictis Indultis fit conceſſio ; nemo eſt, qui non videat, uſum conceſſioni debere eſſe concordem, atque adeo uſum ipſum magis amplum nequaquam eſſe debere, quam ſit conceſſio, cum legitimus ſine conceſſione eſſe non poſſit.

13. Confirmatur id ipſum ex decreto ſacræ Congregationis rituum. In Congregatione quippe generali habita die 5. Octobris anni 1652. ut adnotatur in regeſtis, declaratum fuit, non eſſe permiſſum Religioſis, etiamſi ſint Societatis Jeſu, excedere in cultu Beatorum limites verbales Brevium, in quibus illi declarati fuerunt Beati ; præſertim vero, cum agitur de celebratione Miſſarum & recitatione Officiorum. En verba decreti : *Sacrorum rituum Congregatio die* 5. *Octobris* 1652. *cenſuit & declaravit, ſi Sanctiſſimo D. N. placuerit, non potuiſſe, nec poſſe tam Sæculares, quam Regulares cujuſcumque Ordinis, & Inſtituti, etiam Soc. Jeſu, excedere limites verbales Indultorum Sedis Apoſtolicæ ſuper Beatificationibus, præſertim in celebratione Miſſarum & Officiis cum Octavis, niſi hoc expreſſe Sedes Apoſtolica eis indulſerit : & facta relatione per me Card. Cornelium Epiſcopum Albanenſem* 16. *Decemb.* 1652. *Sanctitas ſua approbavit, & ſic, ut præmittitur, ſervari mandavit*. In Congregatione etiam habita die 19. Febr. 1658. coram felicis recordationis Alexandro VII. ſicuti etiam adnotatum eſt in regeſtis, ſtatutum fuit, Beatis titulum *Sancti* tribui non poſſe, & eorum capita radiolis quidem, ſed non diademate poſſe ornari. Anno tandem 1659. & anno ſequenti 1660. ab eodem Pontifice Alexandro VII. prævio conſilio Congregationis ſacrorum rituum, edita ſunt decreta ſuper cultu Beatis necdum canonizatis præſtando, una cum quibuſdam declarationibus ad eademmet decreta ; quæ omnia operæ pretium eſſe exiſtimavimus in præſenti capite integre referre.

DECRETUM

Super cultu Beatis adhuc non canonizatis præſtando, a ſacrorum rituum Congregatione ordinaria habita coram SS. D. N. Alexandro Papa VII. emanatum.

Ad aures Eminentiſs. Patrum Congregationis ſacrorum rituum plures devenerunt, qui patrantur, Indultorum exceſſus in materia præſtationis cultus Beatis adhuc non canonizatis.

Quamobrem eos eliminare, ac, ne in futurum inducantur, providere ſtudentes, ad infraſcripta devenerunt decreta &c.

I. *Quod eorumdem Beatorum imagines, etiam non principaliter, & uti ſupplices appoſitæ, ſimulacra, picturæ, tabellæ, aut ſcripturæ eorum præclara geſta repræſentantes aut referentes in eccleſiis, ſacrariis, & oratoriis quibuſcumque, & præſertim in quibus Miſſæ ſacrificium, vel alia Divina Officia peraguntur, inconſulta Sede Apoſtolica, nullo pacto exponantur.*

II. *Quod, ubi indultum fuerit per Sedem Apoſtolicam, imagines, ſimulacra, pictaſque tabellas in eccleſiis poni & coli poſſe, in pariete tantum, non autem ſuper altari collocandi facultas tributa cenſeatur.*

III. *Quod ſi conceſſa fuerit per eamdem Sedem Apoſtolicam altarium erectio, non tamen ob id Miſſam, & Officium de prædictis Beatis celebrandi, vel recitandi facultas tradita præſumatur ; etenim ſpecifica & expreſſa conceſſio ſuper his præcedere debet.*

IV. *Ubi in uno loco cultus fuerit conceſſus, non extendatur, inconſulto Pontifice, ad alium locum, quavis alia concurrente auctoritate.*

V. *In locis, ubi Beatos prædictos ab omnibus coli permiſſum fuit, non inde publica Officii recitatio permiſſa cenſeatur, ſed tantummodo privata ; nec ſatisfactoria præcepto recitationis, niſi quoad illos, quibus Sedes Apoſtolica de hoc indulſerit.*

VI. *Miſſæ pariter, quæ fuerint indultæ certis perſonis, nempe Presbyteris Regularibus, vel Sæcularibus alicujus loci, vel monaſterii, ſeu Presbyteris alicujus eccleſiæ ſervitio præcipue addictis, a confluentibus Sacerdotibus quavis de causa, etiam Cardinalatus, inſignitis minime celebrentur.*

VII. *Dies feſti in Beatorum eorumdem memoriam non celebrentur, niſi ſpeciali Indulto Apoſtolico proviſum fuerit.*

VIII. *Eorumdem nomina in kalendariis non apponantur, niſi illius tantum loci, earumque perſonarum, in quo, & a quibus cultus cum Officio & Miſſa celebretur.*

IX. *In quibuſvis eccleſiaſticis precibus, etiam in oratoriis privatis recitandis, particularia eorumdem ſuffragia non apponantur, vel recitentur.*

X. *Publicis in precibus, præter indultas & a Sede Apoſtolica approbatas, iidem Beati non invocentur.*

XI. *Eorumdem Reliquiæ in proceſſionibus minime circumferantur.*

Sacra tamen Congregatio præſentibus declaratione & juſſione removere non intendit cultum Beatis per communem Eccleſiæ conſenſum, vel per immemorabilem temporis curſum, aut per Patrum, virorumque ſanctorum ſcripta, vel temporis centum annorum metam excedentis ſcientiam, ac tolerantiam Sedis Apoſtolicæ, aut Ordinariorum hactenus præſtitum, ac certis modo & forma ab eo tempore eis exhibitum. Verum, ſi a centum annis circa cultus hujuſmodi aliqua ex parte conſtiterit auctus & extenſus, eo caſu ſacra eadem Congregatio eumdem in priſtinum reduci jubet ; prout quemvis cultum extra caſus prædictos ad expreſſa tantum verbaliter in Apoſtolicis Indultis omnino revocari mandat, ſub pœnis &c.

Firmis quoque remanentibus decretis, nempe, ne Beati in Patronos eligantur, ne eorum natalitia cum Octavis celebrentur, & aliis quibuſcumque a ſacra Congregatione hactenus emanatis, quæ præſenti decreto renovantur.

His autem Sanctiſſimo relatis, & in Congregatione ſacrorum rituum ordinaria habita coram Sanctitate ſua per Eminentiſs. & Reverendiſs. D. Card. Sacchettum accurate perlectis, mature diſcuſſis, Sanctitas ſua ea approbavit, & pro omnimoda eorumdem obſervatione mandavit typis imprimi, ad valvas affigi, & publicari, ut, elapſo tempore ſex menſium a die publicationis eorumdem, omnes & ſingulos afficiant & arctent, ac ſi omnibus & ſingulis eadem exhibita, vel perſonaliter præſentata, intimata, ſeu notificata fuiſſent. Indulſitque locorum Ordina-

nariis, ut auctoritate Sedis Apostolicæ possint, immo debeant Sæculares, & Regulares quoscumque, quantumvis exemptos, etiam Societatis Jesu, S. Antonii Viennen. & S. Joannis Hierosolymitani, ac reliquos omnes speciali expressione indigentes, etiam sub censuris compellere.

Cumque aliqui nulli subdantur Episcopo, qui eos, si excesserint, coercere valeat; eo casu a Sedis Apostolicæ Nuntiis, si aderint, sin minus ab Archiepiscopis, in quorum provinciis, vel ab Episcopis Romano tantum Pontifici subjectis, intra, vel prope quorum diœcesis limites eorum ecclesiæ, vel monasteria sita fuerint, tamquam a Sede Apostolica delegatis ad hujusmodi decretorum observationem prædicti omnino cogantur: Die 27. Septembris 1639.

DECLARATIO DECRETI.

Super Cultu Beatis adhuc non canonizatis præstando.

ALlatis ad sacrorum rituum Congregationem dubiis circa observationem, & intelligentiam decreti super cultu Beatis adhuc non canonizatis præstando editi die 27. Septembris 1639. & publicati 3. Februarii præsentis anni 1660.

Primo: An, ubi indultum fuerit, ut Missa de aliquo Beato celebretur, liceat ejus imaginem, & simulacrum super altari exponere, necnon votivas tabellas ibidem appendere.

Secundo: An §. Dies festi in Beatorum honorem non celebrentur, *extendatur ad festa devotionis.*

Tertio: An Indulta recitandi Officium cum Octava, vel sine Octava, & celebrandi Missam de Beatis fuerint revocata per dictum decretum sacræ Congregationis.

Quarto: An in ecclesiis, in quibus Officium, & Missa de Beatis recitari, ac respective celebrari possunt, liceat eorum Reliquias exponere.

Quinto: An Episcopi Regulares, qui ex Indulto Sedis Apostolicæ gaudent privilegiis suæ Religionis, de quibus sunt capaces pro eorum conditione, possint de Beatis suæ Religionis recitare Officium, & in propriis Cathedralibus Missam celebrare & altare Beatis prædictis erigere.

Sacrorum rituum Congregatio respondit
Ad primum affirmative,
Ad secundum negative,
Ad tertium pariter negative,
Ad quartum affirmative,
Ad quintum negative
Die 17. Aprilis 1660.

CAPUT TRIGESIMUMOCTAVUM.

De actibus cultus Beatis post Canonizationem exhibendis.

1. SEPTEM sunt honores, sive actus cultus, qui Beatis in Sanctorum album relatis deferuntur. Primus est, quod Canonizati inscribuntur in catalogo Sanctorum; hoc est definitur & præcipitur, ut ab omnibus Christifidelibus publice habeantur & dicantur Sancti. Secundus est, quod invocantur in publicis Ecclesiæ precibus, & in aliis orationibus, quæ fiunt nomine totius Ecclesiæ: nec enim licet pro eis orare; quocirca alibi ex Innocentio III. *in cap. Cum Marthæ, de celebrat. Missar.* animadversum est, quod quando in aliquibus orationibus continetur, *prosit, vel proficiat huic Sancto, vel illi talis oblatio ad gloriam & honorem*; hæc, & similia debent intelligi, ut oblatio ad hoc prosit, ut magis magisque a Fidelibus glorificetur in terris. Ita pariter, cum in Officio Syriace, in Liturgia Nestorii, & in Canone Æthiopum primum Sancti, postea defuncti commemorantur, quibus omnibus Presbyter quietem precatur, animadvertendum est, quod quatenus in aliis Liturgiis, & Officiis duæ illæ commemorationes distinctæ sunt & diviſæ, ita ut in prima, quæ est Sanctorum, Sacerdos a Deo postulet, ut illorum exemplo Fideles ad virtutem accendantur, & precibus obtineant, quod petunt; in secunda autem commemoratione, quæ est mortuorum, Presbyter a Deo precetur, ut eis peccata dimittat, atque præmia æterna concedat; & inter has quidem duas commemorationes veteres codices exhibent Diaconi preces vel integras, vel primis tantum vocibus designatas; verisimile admodum est, errore librariorum factum fuisse, ut duæ illæ commemorationes demptis Diaconi precibus, in unam coaluerint. Consulatur Renaudotius *Liturg. Orient. tom. 1. pag.* 505. & 528. *& tom. 2. pag.* 98. 99. 327. 332. 633. 645. Tertius est, quod in eorum memoriam, honorem, & gloriam templa & altaria eriguntur, & Deo dicantur. Quartus, quod tum sacrificium Missæ in eorum honorem solemniter offertur: quapropter Actione decima Concilii Chalcedonensis (*tom. 2. collect. Harduin. col.* 519.) inter ceteras adversus Ibam propositas accusationes oppositum fuit, quod die Martyrum natali vinum non præparaverat pro sacrificio, & pro distributione, quæ populo fieri debebat. *Non est datum vinum ad sacrificium altaris, ad sanctificationem, & populi distributionem, nisi admodum exiguum & vitiosum ac lutosum & quasi eo tempore vindemiatum; ut ex hoc cogerentur, qui deputati fuerant ministrare, de taberna sex omnino infectos comparare sextarios, qui nec sufficerent*: tum Officium, seu Horæ canonicæ publice in ecclesiis cantantur, ex. gr. si sit Martyr, Officium de Martyre, si Confessor, de Confessore, si Virgo de Virgine; ideoque Patres Concilii Tridentini *sess. 22. de sacrificio Missæ cap.* 3. sic locuti sunt: *Et, quamvis in honorem & memoriam Sanctorum nonnullas interdum Missas Ecclesia celebrare consueverit, non tamen illis sacrificium offerri docet, sed Deo soli, qui illos coronavit; unde nec Sacerdos dicere solet, Offero tibi sacrificium, Petre, vel Paule, sed Deo de illorum victoriis gratias agens eorum patrocinia implorat, ut ipsi pro nobis intercedere dignentur in cælis, quorum memoriam facimus in terris.* Quintus est, quod dies festi in eorum anniversariis ad eorum memoriam celebrantur. Sextus, quod pinguntur eorum imagines additis quibusdam radiis, seu lumine, & cum scuto, seu diademate in signum gloriæ, quam habent in cælis, juxta doctrinam D. Thomæ *in suppl. 3. part. quæst. 96. art. 1. in corpore*. Septimus denique honor est, quod eorum corpora, & Reliquiæ publice honorantur, & pretiosis thecis & capsis includuntur: uti late, septem hos honores recensendo, prosequuntur communiter Auctores, & signanter Cardinalis Bellarminus *tom. 2. lib. 1. de SS. beatit. cap.* 7. Ceparius *in directorio Canonizat. SS. lib. 1. cap. finali*, Rocca *de Canonizat. SS. cap.* 38. Joannes Garzias *in suo tractatu de Canonizat. SS. cap.* 12. atque alii passim.

2. Quærenti autem primo quis sit catalogus Sanctorum, in quo describitur Beatus, qui inter Sanctos refertur; ut nonnulli putant, responderi utique posset, catalogum illum esse Romanum Martyrologium. Verum responsum istud minime subsisteret, cum ex alibi videndis multorum simpliciter Beatorum nomina descripta sint in Martyrologio Romano. Quamobrem aptior videtur esse responsio data a Francisco Bivario in *commentariis ad chronicon M. Maximi in S. Joanne Eremita ab oblivione vindicato* §. 4. ubi sic loquitur. *Nunc illud manifesta confecutione infero, quod erat in votis; scilicet Romanum Martyrologium tot Beatorum, & Sanctorum mixturis compactum nequaquam esse illum Sanctorum catalogum, cujus in eorumdem Canonizatione fit mentio, utpote in quo soli vite Canonizati locum habeant; ut omittam, per accidens valde se habere ad Canonizationis essentiam, quod catalogus ille scriptus, vel excusus extet, nec ne; quamvis enim scriptus nunquam extitisset, aut in oblivionem hominum semel scriptus veniret, seu casu, aut sponte rumperetur, manerent nihilominus Sancti Sanctorum catalogo adscripti. Ergo neutiquam materialis, sed mentalis in corde & mente Ecclesiæ catalogus, in quo Sancti, cum canonizantur, adscribuntur, constituendus est; ut ea locutio nihil aliud sonet, quam numerum Sanctorum, quos ipsa Ecclesia, summo habito delectu, universis Fidelibus colendos supremis honoribus proponit.*

3. Quæres secundo, an omnium Beatorum, qui inter Sanctos, & Canonizatos referuntur, recitandum sit Officium & Missa celebranda, ut indicari videtur in quarto cultus actu supra memorato. Porro huic quæsito respondetur, hodie vix contingere posse, quod aliquis Beatus inter Sanctos referatur, in cujus honorem Missa non celebretur, aut Officium non recitetur in determinatis aliquibus locis saltem de Communi. Cum enim, juxta præsentem disciplinam, non procedatur ad Canonizationem, nisi præcesserit Beatificatio aut formalis, aut æquipollens; & in Brevibus quidem Beatificationum formalium hodie semper detur facultas Missam celebrandi, & Officium

ficium recitandi in honorem Beati in definitis aliquibus locis, idque ipſum fere ſemper fiat poſt Beatificationem æquipollentem, ut alibi conſtabit, maxime vero, quando cauſa properat ad Canonizationem; hinc eſt, quod modo monuimus, hodie ſcilicet vix poſſe contingere, ut in honorem Beati inter Sanctos relati in peculiaribus quibuſdam locis minime Miſſa celebretur, aut Officium recitetur.

4. Quocirca, ut in prædicto quæſito locus ſit rationabili dubitationi, illud eſt intelligendum de Miſſæ celebratione & Officii recitatione in univerſali Eccleſia, ſive ad libitum, ſive de præcepto; tum vero quæſito ſic explicato reſpondebitur, Beatum inter Sanctos relatum ſane in univerſa Eccleſia eſſe colendum, atque in ejus honorem in univerſa ſimiliter Eccleſia poſſe erigi templa & altaria; ſed neque Miſſam in ejus honorem in univerſa ipſa Eccleſia eſſe celebrandam, neque Officium eſſe recitandum, niſi id ſummus Pontifex indulgeat, vel præcipiat per decretum peculiare & ſeparatum tum a ſententia definitiva Canonizationis, tum ab ipſa Canonizationis bulla, etiamſi in utraque vel indultum quidem eſſet, vel eſſet præceptum, ut Miſſa celebraretur & Officium recitaretur in ipſamet Eccleſia univerſa.

5. Aliquid circa rem, de qua nunc agimus, ſupra tetigimus, cum in Canonizationis ſententia verſaremur. Reliquum igitur in præſens eſt, ut id ipſum demonſtretur quoad ipſas Canonizationum bullas. Quo tamen in negotio prænoſcere opus eſt, nonnullas eſſe bullas Canonizationum, in quibus nulla fit Officii mentio, ſed ſolum præcipitur, ut memoria Sancti affectu piiſſimo & devotione fideliſſima colatur, ejuſque dies anniverſaria ſolemniter celebretur; nonnullas autem eſſe, in quibus fit utique mentio Officii, ſed ex facultate tantum, non ex præcepto; alias demum Canonizationis bullas reperiri, in quibus præcipitur celebratio Miſſæ & præcipitur recitatio Officii in Eccleſia univerſali. Ad primam claſſem pertinent bullæ Canonizationum SS. Udalrici, Petri Epiſcopi Anagnini, Hugonis Epiſcopi Cratianopolitani, Henrici, Eduardi Regis Angliæ, Bernardi, Thomæ Cantuarienſis, Ubaldi, Joannis Gualberti, Homoboni, Laurentii Archiepiſcopi Dublinenſis, Franciſci, Antonii de Padua, Dominici, Eliſabeth, Petri Martyris, Stanislai, Edmundi, Claræ, Ricardi, Hedwigis, Ludovici Regis Franciæ, Petri de Morono, Lodovici filii Caroli Regis Siciliæ, Thomæ Epiſcopi Herfordienſis, Thomæ de Aquino, Ivonis, Nicolai de Tolentino, Bernardini Senenſis, Vincentii, Catharinæ Senenſis, Franciſci de Paula, Thomæ de Villanova, Franciſci de Sales, Petri de Alcantara, Roſæ Limanæ. Ad ſecundam claſſem attinent bullæ Canonizationum SS. Tereſiæ, Philippi Nerii, Ignatii Loyolæ, Franciſci Xaverii. Ad tertiam tandem ſpectant claſſem bullæ Canonizationum SS. Birgittæ, Bonaventuræ, Bennonis, Antonini Archiepiſcopi Florentini, Didaci, Hyacinthi, Raymundi, Franciſcæ Romanæ, Caroli Borromæi.

6. At, ſive in bulla Canonizationis mentio fiat Officii & Miſſæ per verba permittentia, ſive per verba præcipientia, hoc unum certum eſt, id non ſufficere, ut in Eccleſia univerſali Officium recitandum ſit, utque Miſſa debeat celebrari: novum enim requiritur decretum, ut prædictorum executio ſuſcipi poſſit, ſicuti ſacrorum rituum Congregatio reſpondit apud Gavantum *in comment. ad rubricas Breviarii Rom. ſect. 2. cap. 2. num. 30.* & quemadmodum in ſignificatione conceſſionis per verba permittentia adnotavit Paſqualig. *de ſacrif. novæ Legis tom. 1. quæſt. 268. num. 5. Quia, quando Pontifices in bullis Canonizationum concedunt, quod de Sancto canonizato recitari poſſint Officium & Miſſa, intelligunt quoad habilitatem, non quoad actum, declarant enim, eſſe talem, ut poſſit ipſi talis honor & cultus deferri &c.* Conſuetudo autem & obſervantia declarat, quod, haud obſtantibus bullis Canonizationum, etiam neceſſaria eſt ſpecialis conceſſio Officii, ut recitari poſſit; veluti in ſignificatione conceſſionis factæ per verba præcipientia late proſequitur Lezana *conſult. 2. n. 5. & 6. tom. 4. oper.* ubi, poſtquam retulit ſententiam ſupra memoratam a ſummo Pontifice Urbano VIII. prolatam occaſione Canonizationis S. Andreæ Corſini, hæc habet: *Præmittendum ſecundo, quod nec de Sanctis canonizatis fieri poteſt Officium aut celebrari Miſſa ſine novo decreto ſacræ Congregationis diſtincto a bulla ſeu decreto Canonizationis &c. non obſtante, quod in bullis Canonizationis concedi ſoleat generaliter facultas celebrandi Officium eorum qualibet anno in die obitus ipſorum, prout in inſtrumento Canonizationis S. Andreæ Corſini &c. Ratio vero hujus eſt, quia, quamvis ex vi decreti ſeu bullæ Canonizationis concedatur generaliter cunctis facultas celebrandi Officium, & feſtum Sancti Canonizati, non tamen præſcribitur ritus, quo celebrari debeat, an ſcilicet ſub duplici, ſemiduplici &c. nec id exprimitur in rubricis Breviarii; & propterea neceſſarium eſt novum Papæ decretum de tali ritu, quia, juxta cap. Glorioſus Deus. de Reliq. & venerat. Sanctorum, ſolus Papa poteſt unum Sanctum præ aliis extollere, ac proinde facere decretum de tali ritu . . . . . & ita praxi receptum eſt in tota Eccleſia, cum conſtet, non fieri generaliter ab omnibus Officia de Sanctis omnibus canonizatis, ſed ſolum de aliquibus.*

7. Hinc, licet in bulla Canonizationis S. Bennonis, uti ſupra viſum fuit, mentio fiat Officii & Miſſæ pro Eccleſia univerſali, & quidem per verba præcipientia; in Eccleſia nihilominus univerſali nec dictum Officium recitatur, nec Miſſa celebratur, non niſi quia ſecundarium illud decretum non fuit adhuc a Sede Apoſtolica obtentum. Hinc, etſi in bulla Canonizationis S. Antonini Archiepiſcopi Florentini, ut in ſuperioribus pariter monitum fuit, mentio fiat conceſſionis Officii & Miſſæ per verba præcipientia; ideo tamen tum Officium, tum Miſſa in Eccleſia univerſali recitatur, & celebratur, quoniam ſacrorum rituum Congregatio die 17. Auguſti 1678. conceſſit, ut poſſet Officium ipſum recitari & celebrari Miſſa ſub ritu ſemiduplici ad libitum in Eccleſia univerſali juxta rubricas Breviarii & Miſſalis Romani ab omnibus utriuſque ſexus Chriſtifidelibus tum Sæcularibus, tum Regularibus, qui ad Horas canonicas tenentur; quam poſtea conceſſionem die 2. Aprilis 1707. ampliavit, indulgendo, ut Miſſa, & Officium in Eccleſia univerſali celebraretur, & recitaretur ſub eodem ritu ſemiduplici de præcepto. Similia contigerunt in recitatione Officii & celebratione Miſſæ ad honorem S. Didaci: quamquam enim in bulla Canonizationis, ut etiam ſupra dictum eſt, mandatum fuit, ut in Eccleſia univerſali fieret recitatio Officii, fieretque Miſſæ celebratio, per longum tamen temporis ſpatium poſt Canonizationem elapſum minime fuit in Eccleſia ipſa univerſali recitatum Officium, vel in honorem ejuſdem S. Didaci Miſſa celebrata; ſed ut contenta in eadem Canonizationis bulla, inque alia ſimili Clementis VIII. ex ſententia poſſent ſuccedere, opus fuit, iterum ad ſacram Congregationem confugere, quæ ſane annuit petitis an. 1680. quemadmodum colligitur ex ſequenti decreto: *Piis precibus Majeſtatis Catholicæ Sereniſ. Hiſpaniarum Regis per ſuas litteras SS. D. N. D. Innocentio Papæ XI. porrectis per Excellentiſ. D. Marchionem de Carpio ejuſdem Majeſtatis Catholicæ Oratorem, & per Sanctitatem ſuam ad ſacrorum rituum Congregationem remiſſis, & in ea relatis ab Eminentiſ. & Reverendiſ. D. Card. Columna, inſtante pariter Rev. P. Petro Eſpovin Procuratore Generali Ord. Minor. de Obſerv. nomine ſuæ Religionis, eadem ſacra Congregatio benigne inclinata, pro conceſſione Officii & Miſſæ S. Didaci Confeſſoris Ordinis præfati, conſuit, poſſe apponi in Kalendario Breviarii & Miſſalis Romani ſub ritu ſemid. de præcepto Officium, & Miſſam in poſterum recitandam ac reſpective celebrandam quotannis die 13. Novembris in feſto dicti Sancti ab omnibus & ſingulis utriuſque ſexus Chriſtifidelibus tam Sæcularibus, quam Regularibus, qui ad Horas canonicas obſtricti ſunt, in Eccleſia univerſali de Comm. Conf. non Pont. vigore Conſtitutionum Sixti V. in ejus bulla Canonizationis, & Clementis VIII. ſub datum 26. Martii 1595. necnon mandavit, ut lectiones propriæ pro ſecundo Nocturno examinentur ab Eminentiſ. & Reveren. D. Card. Caſanate, non obſtantibus animadverſionibus Reverendiſ. Fidei Promotoris, ſi Sanctiſ. D. N. placuerit: Hac die 7. Decembri 1680. Et, facto de prædictis verbo cum Sanctiſſimo, Sanctitas ſua benigne annuens, ſenſum ejuſdem ſacræ Congregationis approbavit & confirmavit, die 19. Julii 1681.* Neque diſſimile eſt exemplum de S. Carolo Borromæo, in cujus quoque Canonizationis bulla præcipitur, ut Officium recitetur & Miſſa celebretur in ejus honorem: hæc quippe omnia nunc profecto efficiuntur, ſed in ſequelam decreti ſacræ Congregationis editi die 27. Septembris 1659. *Ad preces ſacri Eminentiſs. Cardinalium Collegii SS. D. N. in Congregatione ſacrorum rituum ordinaria habita coram Sanctitate ſua mandavit, ut Officium S. Caroli Borromæi S. R. E. Presbyteri Cardinalis & Archiepiſcopi Mediolanenſis, de Comm. Conf. Pont. quod ſan. mem. Paulus V. ad libitum indulſit, & ſan. mem. Innoc. X. ex præcepto ſub ritu ſemiduplici recitari præcepit, in poſterum ab omnibus Chriſtifidelibus, qui ad Horas canonicas tenentur, ſub ritu duplici pariter ex præcepto recitetur, ac in Brev. Rom. ſub eodem ritu apponatur: Die 27. Septemb. 1659.* Denique, in ſententia ab

Urba-

Urbano VIII. prolata in Canonizatione S. Andreæ Corſini licet præceptum fuerit ut in Eccleſia univerſali fieret celebratio Miſſæ & recitatio Officii, fateamur tamen oportet, conceſſionem iſtam per longum temporis intervallum ſuo caruiſſe effectu. Anno namque 1666. ſacrorum rituum Congregatio lectiones proprias & Orationem approbavit, atque permiſit, ut ejus officium recitaretur in Eccleſia univerſali ſub ritu ſemiduplici ad libitum; tum die 31. Aug. 1697. gratiam ampliavit, ritum elevando a ſemiduplici ad libitum ad ſemiduplicem de præcepto; & tandem ad duplicem, ex decreto edito die 3. Januarii 1731. Hæc nimirum omnia plene demonſtrant, quod, ſive in bulla Canonizationis fiat conceſſio Officii & Miſſæ per verba permittentia, ſive per verba præcipientia, ſemper juxta normam & conſuetudinem ſacræ Congregationis neceſſe eſt, ut novum accedat ejuſdem decretum auctoritate ſummi Pontificis confirmatum, in quo decernatur, Officii recitationem & Miſſæ celebrationem eſſe ſub hoc, aut illo ritu in Eccleſia univerſali adminiſtrandas. In bullis autem Canonizationum SS. Pii V. Andreæ Avellini, Felicis a Cantalicio, & Catharinæ a Bononia, necnon in tot aliis expeditis ſub Benedicto XIII. Sanctorum ſive ab aliis Pontificibus Anteceſſoribus ſuis canonizatorum, nulla fit mentio Officii & Miſſæ. Id nempe obtinui, dum Promotoris Fidei munere fungebar: quia, licet vera ſint omnia, quæ in ſuperioribus adducta ſunt, nemo tamen eſt qui non videat Apoſtolici inſtituti ignaris errandi occaſionem alioquin ſuppeditari poſſe; celebrandi videlicet Miſſam, aut Officium recitandi in ejus Sancti honorem, in cujus utique honorem nec Miſſa eſſet celebranda, nec Officium recitandum, ſub obtentu facultatis ſeu præcepti in bulla Canonizationis contenti.

8. Quæres tertio, an præceptum præſtandi cultum Canonizato tamquam Sancto, & inſtar cultus qui aliis Sanctis defertur, necnon recitandi in univerſa Eccleſia Officium & celebrandi Miſſam in honorem alicujus Sancti canonizati, comprehendat ſimul cum Eccleſia Occidentali etiam Orientalem. Verum pro abſoluta reſponſione nonnulla prænotanda eſſe videntur. Et primum quidem, etiam ante ſchiſma Græcorum aliquam inter Orientalem, atque Occidentalem Eccleſiam fuiſſe in ſacra Liturgia differentiam, præcipue vero quoad Divinorum Officiorum recitationem, & Sacramentorum adminiſtrationem, quemadmodum oſtendunt Petrus Arcudius *de concord. Eccl. Occid. & Orient. in Septem Sacramentor. adminiſtratione*, Leo Allatius *de Eccl. Occid. atque Orient. perpetua conſenſione*, Iſaac Habertus *in Pontific. Eccl. Græcæ*, Jacobus Goar *in rituali Græcorum*, Morinus *de ſacr. Eccleſ. Ordinat.* Martene *de antiq. Eccleſ. ritibus*.

9. Secundum, ſummos Pontifices, quoties, abjurato ſchiſmate, Græci ad unitatem reverſi ſunt, ſedulam certe operam navaſſe, ut errores abjicerent, & Sedi Apoſtolicæ ſubderentur, at nulla tamen facta reprobatione rituum & conſuetudinum, dummodo periculum animarum non inducerent, nec derogarent honeſtati Eccleſiaſticæ; ut habetur in Concilio Lateranenſi ſub Innocentio III. & in epiſtola Innocentii IV. ad Epiſcopum Tuſculanum Apoſtolicæ Sedis Legatum in regno Cypri, de quibus in Conciliis (*collect. Harduin. tom. 7. col. 27. & 363.*)

10. Tertium, relictos ſemper fuiſſe Græcos in ſua antiqua conſuetudine Miſſas & Divina Officia celebrandi, uti legitur in binis Conſtitutionibus ſummorum Pontificum Leonis X. & Clementis VII. præfixis Pontificali Græcorum Iſaaci Haberti; necnon ſub Pontifice Clemente VIII. approbatum fuiſſe Breviarium Græcorum, quod dicitur *Anthologion*, prævio rigido examine, & in Urbe typis Vaticanis editum fuiſſe anno 1598.

11. Quartum, ſimilia contigiſſe quoad ritum Syriacum Maronitarum; ſicuti colligitur ex Conſtitutione Eugenii IV. (*collect. CC. Harduin. t. 9. col. 1044.*), tum ex Conſtitutione Gregorii XIII.) quæ eſt 91. *Bullar. tom. 2.* & in qua quidem permittitur, ut in Eccleſia Collegii Maronitarum Urbis Miſſæ & alia Divina Officia etiam Arabico, vel Chaldaico idiomate celebrentur; tum autem multo magis ex approbatione eorum Breviarii facta a ſummis Pontificibus Paulo V. Gregorio XV. & Urbano VIII. quod pariter fuit editum in Urbe anno 1624. Card. Octavius Bandinus in ſua epiſtola ad Jo. Petrum Patriarcham Antiochenum Maronitarum, quæ eſt præfixa Officio ſimplici ſeptem dierum hebdomadæ ad uſum Eccleſiæ eorumdem Maronitarum, hiſtoriam refert & exquiſitas diligentias adhibitas pro correcta editione prædicti Breviarii; meminit quoque aliorum librorum Eccleſiaſticorum ad uſum ejuſdem Eccleſiæ editorum ſub ſummis Pontificibus Pio V. Gregorio XIII. & Clemente VIII. hoc eſt Officii, ſeu exequiarum Defunctorum, & Miſſalis Chaldaici juxta ritum Eccleſiæ nationis Maronitarum; quorum primum typis impreſſum fuit Romæ anno 1585. alterum vero in eadem Urbe anno 1594. typis porro ſacræ Congregationis de propaganda Fide ſub Innocentio X. anno 1647. facta eſt nova editio ſupradicti Breviarii, & anno 1666. ſub Alexandro VII. perfecta eſt editio partis hiemalis, & partis æſtivæ, quibus titulus ineſt: *Officia Sanctorum juxta ritum Eccleſiæ Maronitarum*.

12. Quintum, morem eumdem ſervatum fuiſſe in repetitis, quæ contigerunt, unionibus Armeniorum, Copticorum ſive Ægyptiorum, Abyſſinorum ſive Æthiopum, Neſtorianorum, Chaldæorum. Quapropter ſacra Congregatio de propaganda Fide in decreto edito die 3. Aprilis 1669. ſic de ritu Armeniorum locuta eſt: *Quoniam ritus Armenorum unitorum pluries a Sede Apoſtolica approbatus & confirmatus fuit, ſacra Congregatio mandavit, ne aliqua mutatio aut innovatio in eodem ritu contra prædictam unionem ex quavis cauſa fiat abſque expreſſa Sedis Apoſtolicæ licentia*. Quippe, ut cetera ſileantur, in unione, quæ ann. 1239. facta eſt ſub Gregorio IX. & de qua apud Galanum *t. 1. concil. Eccl. Armen. cum Rom. p. 1. cap. 25. pag. 375.* Pontifex approbavit rationabiles Armeniorum conſuetudines a tempore B. Silveſtri, & S. Gregorii Catholici ejuſdem regni Epiſcopi, eaſque Apoſtolica auctoritate confirmavit: & ad normam quidem decreti ſacræ Congregationis de propaganda Fide reſponſum fuit anno 1716. & anno 1718. a ſacra Congregatione SS. Inquiſitionis quæſitis Euthymii Archiepiſcopi Græci Tyri & Sidonis, qui nonnullos Græcorum ritus immutaverat. In unionibus nempe & reconciliationibus ſupradictarum nationum Orientalium in more poſitum fuit, earum populos in communionem recipere cum omnibus ritibus ſuis, repudiatis modo erroribus Fidei, aut univerſali diſciplinæ contrariis. Sicque, cum anno 1720. habita fuiſſet Synodus provincialis Rhutenorum in civitate Zamoſcæ, præſidente Hieronymo Grimaldo Archiepiſcopo Edeſſeno Nuntio Apoſtolico, actumque fuiſſet de illius confirmatione per Sedem Apoſtolicam concedenda; ſan. mem. Benedictus XIII. prævio conſilio Congregationum tum ſacri Concilii Tridentini, tum de propaganda Fide, Synodum ipſam approbavit & confirmavit, necnon edi voluit in Urbe anno 1724. addita in confirmatione clauſula, quod per eamdemmet confirmationem nihil derogatum eſſe cenſeretur vel Conſtitutionibus Romanorum Anteceſſorum Pontificum, vel decretis Conciliorum generalium emanatis ſuper ritibus Græcorum, quæ ſemper in ſuo robore permanere deberent.

13. Poſtremum, ſummos Pontifices, licet improbandam eſſe cenſuerint conſuetudinem introductam, per quam Græcis Latino ritu & Latinis Græco ritu facultas dabatur celebrandi Miſſam & recitandi Officium Divinum, ut colligitur *ex Conſtit. 21. S. Pii V.* (*Bullar. nov. tom. 4. part. 2.*) in ipſa tamen Urbe, Sacra ab Orientalibus fieri juxta ſuum ritum, ſervatis ſervandis, voluiſſe. Non ſolum enim Clemens VIII. *in ſua Conſtit. 34.* (*Bullar. tom. 3.* decrevit, Romæ habendum eſſe Epiſcopum Græcum Catholicum, qui Græcos Epiſcopis Latinis Italiæ & inſularum adjacentium ſubjectos ab Epiſcopo Græco ad Sacra ordinari volentes, cum illorum dimiſſoriis ad id tamen concedendis ritu Græco ordinares: ſed Divina etiam Officia & Miſſæ celebrantur juxta proprium ritum publice & palam in eccleſia Collegii Græci, atque in eccleſia Collegii Maronitarum. Præterquamquod ſupra memoratus Benedictus Papa XIII. die 6. Decembris 1725. ad avertendos abuſus, qui irrepſerant occaſione, qua Sacerdotes Orientales ad ceteras Urbis eccleſias paſſim accedebant Miſſas in eis celebraturi, conſtituit, id illis non eſſe permittendum, niſi prævia licentia Cardinalis Urbis Vicarii, qui eam nequaquam pro omnibus, ſed pro aliquibus tantum eccleſiis indulgere conſuevit; niſi Miſſam celebrent aut in eccleſia ſubterranea, aut in aliquo remoto altari (experientia quippe teſte deprehenſum fuit, ex hominum multitudine curioſitatis cauſa confluentium ſcandala aliquando & irreverentias contigiſſe) & niſi ſuas Sacerdotes celebraturi ſecum habeant ſacras veſtes, hoſtias, atque miniſtrum, qui Orientali ritu ſciat Miſſæ inſervire.

14. Hiſce præmiſſis, ut redeamus ad dubii ſolutionem; diſtinguendum eſſe videtur inter præceptum in Canonizatione contentum de Sancto colendo in univerſa Eccleſia, & præceptum de recitando Officio, Miſſaque in ejus honorem celebranda: ſiquidem alterum ab altero ſeparabi-

le

le ex ſupradictis, & multi ſunt Canonizati, qui non habent Officium ac Miſſam in univerſa Eccleſia. Primum autem præceptum juxta nonnullos pertinet ad Fidem, ut infra videbitur, & juxta omnes ejus violatio periculum induceret animarum, aut ſaltem Eccleſiaſticæ derogaret honeſtati. Quocirca, cum Romanus Pontifex utriuſque Eccleſiæ, Orientalis ſcilicet, atque Occidentalis, caput ſit, eidemque utraque Eccleſia ſubjecta ſit, & in ſupra recenſitis unionibus Orientalium cum Sede Apoſtolica illis impoſita fuerit obligatio errores abjiciendi, & ſe conformandi ad Romanam Eccleſiam in his, quæ reſpiciunt univerſalem diſciplinam, necnon in his, quorum violatio periculum induceret animarum, & Eccleſiaſticæ derogaret honeſtati; ſequitur, teneri Orientales colere tamquam Sanctum quemcumque Dei ſervum, vel Beatum, quem ſummus Pontifex canonizando refert in Sanctorum catalogum, idemque omnino peccatum, quod patraretur ab homine Occidentali ſi Sanctum a Papa canonizatum non haberet pro Sancto, & non coleret tamquam Sanctum; committi quoque ab homine Orientali, ſi Sanctum a Papa canonizatum pro Sancto minime haberet, & tamquam Sanctum minime coleret, aut tamquam Sanctum coleret, quem ſummus Pontifex cenſet Sanctum non eſſe.

15. Secus porro ſe habet res quoad ſecundum præceptum recitandi Officium & celebrandi Miſſam in honorem Sancti canonizati. Eodem quippe Orientales nequaquam comprehenduntur, niſi id expreſſe a ſummis Pontificibus mandetur, juxta definitionem habitam die 4. Julii 1631. relatam apud Verricellum *de Apoſtol. Miſſion. quæſt.* 83. & 84. *pag.* 204. *& ſeq. Subditi quatuor Patriarchalium Eccleſiarum Orientis non ligantur novis Pontificiis Conſtitutionibus, niſi in tribus caſibus; primo, in materia dogmatum Fidei; ſecundo, ſi Papa explicite in ſuis Conſtitutionibus faciat mentionem & diſponat de prædictis; tertio, ſi implicite in eiſdem Conſtitutionibus de eis diſponat, ut in caſibus appellationis ad futurum Concilium &c. Ita fuit concorditer reſponſum in quadam Congregatione doctiſſimorum virorum die 4. Julii 1631. habita ſuper dubio Miſſionariorum Orientis in palatio Eminentiſſ. Pamphilii poſtea Innocentii* X. Quatenus vero reſponderetur, Orientales propter univerſitatem verborum implicite præcepto comprehendi, imbecillitas reſponſionis illico appareret, Miſſalia, Officia, Breviaria in Urbe edita pro eorum uſu & a ſummis Pontificibus approbata reſpiciendo; in quibus nimirum Miſſæ & Officia præſcribuntur in honorem præcipue Sanctorum, quos Officio & Miſſa colebant ante ſchiſma, nullo facto verbo Sanctorum poſtea canonizatorum, quibus indultum eſt, ut in eorum honorem Officium recitaretur & Miſſa celebraretur in univerſa Eccleſia. Addi poſſunt expreſſæ permiſſiones in unionibus factæ de celebratione Solemnium, Miſſarumque, & Horarum canonicarum recitatione juxta antiquam Orientalem conſuetudinem; nihil obſtante, quod ſecundum decretum Eugenii IV. in unione Armenorum, & ſecundum inſtructionem Clementis VIII. obligantur Armeni, & obſtringuntur Græci viventes in diœceſibus Epiſcoporum Latinorum ad obſervantiam feſtorum de præcepto Eccleſiæ Latinæ. Eugenius quippe IV. in citata unione Armenorum præſcripſit, ut ſe conformarent ad Eccleſiam univerſalem Latinam & Græcam in celebratione feſtorum Nativitatis Domini die 25. Decembris, Circumciſionis Domini die 1. Januarii, Purificationis Beatiſſimæ die 2. Februarii, Annuntiationis die 25. Martii, Nativitatis S. Joannis Baptiſtæ die 24. Junii, nulla alia facta mentione ceterorum rituum, in quibus a Græcis & Latinis differebant, uti videri poteſt apud Harduinum *tom. 9. Concil. col.* 441. Memorata autem inſtructio Clementis VIII. quæ reſpicit Græcos in diœceſibus Epiſcoporum Latinorum habitantes, mandat utique, ut feſta Latinorum obſervent, hoc eſt Miſſam audiant, & abſtineant ab operibus ſervilibus; at minime tamen ut Miſſam celebrent & Officium recitent in honorem Sanctorum, qui a Latinis coluntur.

CAPUT TRIGESIMUMNONUM.

De differentiis inter Beatificationem, & Canonizationem.

1. SI noſter ſermo continuari deberet enarratione ſpecierum cultus, qui juxta familiarem Sedis Apoſtolicæ diſciplinam exhibetur Canonizatis, exhiberi autem nequit ſervis Dei tantummodo Beatificatis; a propoſito præſenti aberraret, & hic exponeret ea, quæ aliis in locis hujus Operis nobis exponenda eſſe videntur. Satis ergo interim erit ea indicaſſe, quæ in ſuperioribus dicta ſunt; quia nunc oportet ad alia tranſitum facere, hoc eſt ad diſcrimen, quod intercedit inter Beatificationem, & Canonizationem.

2. Putant nonnulli, Beatificationem, & Canonizationem promiſcue ſumi poſſe, teſte Garzia *in tract. de Canoniz. SS. p.* 3. Alii Canonizationem diſtinguunt in univerſalem, & particularem; univerſalem nempe, per quam cultus in univerſa Eccleſia, particularem vero, per quam in particularibus Eccleſiis alicui exhibetur: qua quidem diſtinctione admiſſa, non deſunt, qui Beatificationem dicunt eſſe particularem quamdam Canonizationem. Ita Caſalius *de veter. ſacr. Chriſt. ritib. c.* 69. & Auditores Rotæ in relatione S. Ludovici Bertrandi *in prin.* §. *Unde merito*. Nec eſt omittendum nonnullos velle, vel abſolute canonizatos eſſe dicendos quotquot judicio Epiſcopali juxta antiquam Eccleſiæ diſciplinam cultum obtinuerunt; vel eos ſaltem canonizatos dici debere particulari Canonizatione, quæ tunc ſolum erat uſu recepta.

3. Verum, ne confuſe procedamus, ſi loquimur de antiquiori Eccleſiæ diſciplina, clara eſt ex alibi dictis differentia inter Beatificationem, & Canonizationem. Epiſcopale namque præceptum de cultu exhibendo erga aliquem Dei ſervum diœceſis fines non excedebat; vel, ſiquidem extendebatur ad alias Eccleſias, & ſic paulatim ad univerſam Eccleſiam, accedente tacito, aut expreſſo ſummi Pontificis aſſenſu, cultus ab Epiſcopo præceptus, qui antea non erat niſi Beatificatio, Canonizationis deinde robur obtinebat. In quo rerum themate nemo eſt qui non videat, differentiam inter Beatificationem, & Canonizationem juxta antiquiorem Eccleſiæ diſciplinam conſtitutam fuiſſe in primordiali Epiſcopi præcepto de cultu coarctato, & in ejus extenſione ad univerſam Eccleſiam, accedente (uti dictum eſt) tacito, aut expreſſo Romani Pontificis aſſenſu.

4. Major difficultas habetur quoad differentiam inter Beatificationem, & Canonizationem, ſi porro de eadem differentia loquamur poſt delatum tum Beatificationis, tum Canonizationis judicium ad Sedem Apoſtolicam. Primum enim, hoc tempore inſpecto, dicendum eſſe videtur, Beatificationem nunquam dici poſſe particularem Canonizationem; quia plures extant Apoſtolicæ litteræ Romanorum Pontificum, in quibus nonnulli Dei ſervi inter Beatos recenſentur, & in eorum honorem indulgetur, ut feſtum fiat, Officium recitetur, ac Miſſa celebretur, ſed additis tamen hiſce clauſulis: *Licet canonizatus, aut canonizata non ſit*; veluti in Brevi Beatificationis tunc Beatæ, nunc Sanctæ Agnetis de Monte Politiano expedito a Clemente VII. an. 1532. ſive: *Dummodo propter præmiſſa canonizatus, aut canonizata non cenſeatur*; ſicuti in Brevi Julii II. per quod beatificavit B. Notkerum Balbulum apud Bollandianos *ad diem* 6. *Apr. t.* 1. *p.* 603. in Brevi Beatificationis expedito a Leone X. tunc Beatæ, nunc Sanctæ Eliſabeth Reginæ Portugalliæ; in alio Clementis VII. cum inter Beatos retulit Hyacinthum Confeſſorem nunc Sanctorum catalogo adſcriptum, uti videri poteſt apud Raynal. *ad ann.* 1527. *num.* 105. tum in alio ejuſdem Clementis, cum Beatitatis honores indulſit ſervis Dei Petro de Luxemburgo, & Ludovico Alamando Cardinali Arelatenſi, cujus meminerunt Raynal. *ad an.* 1450. *n.* 20. & Dionyſius Sammarthanus *Gallia Chriſt. t.* 1. *in Eccl. Arelat. col.* 584. quodque editum fuit a Bollandianis *ad diem* 2. *Julii t.* 1. *p.* 491. & apud Jo: Launojum *oper. t.* 5. *par.* 1. *in epiſt.* 11. *ad Ludovicum Maræſium*; & in pluribus demum aliis, quæ congeri poſſent, exemplis, niſi hæc indicaſſe ſat eſſet, ut oſtendatur, juxta recentiorem Eccleſiæ diſciplinam Beatificationem nunquam appellari poſſe particularem Canonizationem: ſi enim ſic vocari potuiſſet, vel ſupradictæ clauſulæ non fuiſſent appoſitæ ad Beatificationum Brevia, vel, ſi quidem appoſitæ fuiſſent, id factum eſſet cum additamento indicante Canonizationem univerſalem, & non abſolute atque ſimpliciter Canonizationem.

5. Doctores poſtea de Beatificatione & Canonizatione tractantes juxta præſentem Eccleſiæ diſciplinam tradunt, Beatificationem eſſe actum, quo ſummus Romanus Pontifex indulgendo permittit, aliquem Dei ſervum coli poſſe in aliqua provincia, diœceſi, civitate, aut religioſa Fami-

Familia cultu quodam determinato, ac Beatorum proprio, uſquequo ad ſolemnem ejus Canonizationem deveniatur. Ita Scacch. *de not. & ſign. ſanctitat. ſect. 11. cap. 1. pag.* 826. Caſtellin. *de certitud. glor. SS. cap. 2. pun. 1. num. 2.* Penia *in ſua diſſer. de cultu SS. n. 10. apud Pign, t. 5. conſul. 37.* Canonizationem autem dicunt eſſe ſummi Pontificis ſententiam definitivam, qua decernit, aliquem antea inter Beatos recenſitum in Sanctorum catalogum eſſe referendum, & coli debere in toto orbe Catholico atque in univerſa Eccleſia cultu illo, qui ceteris Canonizatis præſtatur. Ita Innocent. *in c. Audivimus num. 1.* Oſtien. *num. 2.* Abbas *n. 5.* Antonius a Butrio *num. 4.* Joannes Andreas *num. 2.* Zabarella *num. 4. de Relig. & venerat. SS.* Pirhing. *ad eumdem titulum Decret. §. 1. num. 2.* S. Antoninus *in 3. part. ſummæ Theol. tit. 22. cap. 5. §. 5.* Venerabilis Dei ſervus Card. Bellarminus *de Sanctorum beatit. lib. 1. cap. 7.* Silveſter *in ſumma, v. Canonizatio, num 1.* Angelus *in ſumma, eod. verbo*, Pavin *in relat. cauſæ S. Bonav. in principio*, Rocca *de Canoniz. SS. cap. 3.* Caſtellan. *in eodem tract. quæſt. 1. principali.* Caſtellin. *de certitudine gloriæ Sanctorum cap. 3. punct. 50.* Maucler. *de monarchia Eccleſiæ 2. part. lib. 4. c. 7. in principio*, Phœbeus *in ſua diſſert. typis impreſſa poſt Acta Canonizationis Sancti Petri de Alcantara, & Sanctæ Mariæ Magdalenæ de Pazzis pag.* 330. Cardinalis de Laurea *in 3. lib. ſent. tom. 3. diſput. 6. artic. 3. num. 44.*

6. Hinc Beatificationem in pluribus differre a Canonizatione docent, propterea quia ex dictis conſequitur, quod Beatificatio ſit actus præcedens & præparatorius, Canonizatio vero actus præparatus & extremus, quod Beatificatio permiſſionem, Canonizatio præceptum cultus importet; quodque in Beatificatione cultus coarctetur intra aliquam provinciam, diœceſim, civitatem, aut religioſam Familiam, in Canonizatione autem extendatur ad univerſam Eccleſiam: Gonzal. *in cap. Audivimus num. 6. de Reliq. & venerat. SS.* Contelor. *de Canonizat. SS. cap. 2. num. 5. & ſeqq.* Dominicus a SS. Trinitate *in ſuo tract. de ſummo Pontifice cap. 18. §. Notandum. biblioth. Pontif. tom. 10.* Baldell. *Theolog. moral. tom. 2. lib. 3. diſp. 12. num. 18.* Lupus *in notis ad Concilia tom. 3. pag.* 568. Bordon. *controv. 13. num. 1. & ſeqq. & num. 13. & 14.* Garzia *de Canoniz. SS. pag. 34. num. 3. & 4. & pag. 35. num. 1. & ſeqq.* Gravina *de Cathol. præſcriptionibus, in continuat. 2. part. tom. 4. tit. de infallibilitate Papæ in Canonizat. dubit. 1. in append.* Blaſius a Purificatione *in tract. de adorat. diſp. 8. dub. 2. §. 2.* Diana *in edit. coord. tom. 1. tract. 6. reſolut. 17. num. 1. & ſeqq.* Scacch. *de not. & ſign. ſanctit. ſect. 1. cap. 8. pag. 97.* Matta *de Canonizat. SS. part. 1. cap. 2. num. 11.* Lezana *conſult. 1. num. 49.* Pignatell. *conſult. 63. num. 1. tom. 4.* Joannes a S. Thoma in 2. 2. *D. Thomæ quæſt. 1. diſp. 9. art. 2. num. 2.* Gujet *de feſtis propriis SS. lib. 2. cap. 19. qu. 11. §. Quod ergo attinet;* Rabaudi *in ſuis exercit. Theolog. tom. 2. exercit. 3. cap. 1. §. 1. verſ. 5. Non eſt*; Gavard. *in ſua Theolog. exantiq. tom. 6. quæſt. 2. de Baptiſmo art. 8. §. 3. num. 46.* Schiara *in ſuo Pontific. propugnac. art. 26. §. 1. ſub num. 3.* Anaclet. *tom. 3. ad tit. Decretal. de Reliq. & venerat. SS. §. 1. num. 5.*

7. Aſſertiones itaque modo expoſitæ communem utique conſtituere videntur Scriptorum opinionem; ſed ei tamen adverſatur P. Matthæuccius ex Familia Minor. Obſer. Conſultor Congregationis ſacrorum rituum, *in ſua practica ad cauſas Beatificat. & Canonizat. in quæſt. proœm. cap. unic. num. 7. & ſeqq.* ubi probare conatur, cultum præcipi non ſolum in Canonizatione, verum etiam in Beatificatione, atque adeo Beatorum cultum, excepta conceſſione Officii & Miſſæ, ad univerſam Eccleſiam protendi: quamquam recenti huic Auctori reſpondet P. Jo: Baptiſta Memmius Societatis Jeſu *in ſuo tractatu de ſacro ritu Canoniz. SS. Romæ edito anno* 1726. *cap. 1.* Nos vero, ut tuto pede incedamus, neceſſarium eſſe exiſtimamus ad Apoſtolicas Romanorum Pontificum litteras manus admovere, ex quibus, quid in hac re ſentiendum ſit, ſine ulla dubitatione dignoſci facile poterit.

8. Aſſerunt nimirum Doctores ſupra citati, Beatificationem non importare expreſſum ſummi Pontificis præceptum, ſed permiſſionem tantum ſtrictius infra explicandam, ut aliquis Dei ſervus cultum habere poſſit, & ſane aſſentimur, ex regula id verum eſſe; ſed & contendimus, aliquando cultum ſimpliciter Beatorum non modo permiſſum, verum fuiſſe præceptum. In litteris namque Apoſtolicis Sixti Papæ IV. de quibus infra, & in quibus Dei ſervus Jo: Bonus Ord. Erem. S. Auguſtini Beatificationem conſequitur; item in litteris Apoſtolicis Leonis Papæ X. in quibus Philippus Benitius, Margarita de Cortona, & Jacob de Marchia inter Beatos referuntur, datur profectio facultas eos colendi in determinatis aliquibus locis *abſque incurſu alicujus idolatriæ, aut infamiæ notæ, vel conſcientiæ ſcrupulo, & donec aliter a Sede Apoſtolica demandatum fuiſſet*; qui videlicet loquendi modus non ad præceptum, ſed ad permiſſionem tantum referendus eſſe videtur, ſicut & alius ille loquendi modus, quo in poſterioribus Beatificationum Brevibus iidem Romani Pontifices uſi ſunt: *Apoſtolica auctoritate licentiam & facultatem concedimus & impartimur*, ſive, *auctoritate Apoſtolica tenore præſentium indulgemus*: uti legitur in Brevibus Beatificationum Andreæ Avellini, Franciſci Borgiæ, Cajetani, Joannis de Deo, Joſaphati Martyris, Franciſci de Sales, Petri de Arbues, Roſæ Limanæ, Pii Papæ V. Franciſci Solani, Joannis Franciſci Regis, Hyacinthæ de Mareſcottis, Joannis de Prado, Fidelis a Sigmaringa, Vincentii a Paulo, & Petri Forerii. Sed, ne temere videamur aſſeruiſſe, cultum ſimpliciter Beatorum fuiſſe a Romanis Pontificibus aliquando præceptum, præſto ſunt exempla alia tum antiquiora, tum recentiora. Alexander Papa III. Martino Epiſcopo Groſſenatenſi ſupplicanti pro Canonizatione B. Guillelmi Eremitæ a Malavalle in Tuſcia reſpondit, veluti in ſuperioribus vidimus, ſe ejus preces tempore opportuno exauditurum: *Et interim mandavit eidem* (verba ſunt Innocentii Papæ III. *in ſuis litteris Apoſtolicis editis a Guillelmo de Waha Presbytero Societatis Jeſu in vita prædicti Guillelmi, pag.* 326. & iterum typis impreſſi *in novo cod. Canonizat. pag.* 644.) *ut in anniverſario pro Divini nominis gloria, & ejuſdem Sancti memoria Officium Confeſſoris ſolemniter celebraret, & in ſua diœceſi faceret ſolemniter celebrari. Ideoque & Nos* (ſubdit Innocentius) *Fraternitati tuæ* (litteræ datæ ſunt ad Epiſcopum Groſſenatenſem) *per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus & tu Prædeceſſoris noſtri mandatum in majori eccleſia exequaris, & diœceſanis tuis nuntius exequendum.* Leo Papa X. inter BB. Virgines recenſendo Hoſannam Virginem Tert. Ord. Præd. nedum conceſſit, ſed & mandavit, ut die ejus natali fieret in civitate & territorio Mantuano in primis, ac ſecundis Veſperis, necnon in Matutinis, atque aliis Divinis Officiis ejus commemoratio: *In civitate & diſtrictu Mantuano, ſicut in natali aliarum SS. Virginum ſolet fieri & celebrari, ut commemoratio libere & licite fieri poſſit, concedimus, & a quibuſcumque Sacerdotibus, Religioſis, & aliis Chriſtifidelibus fieri mandamus.* Clemens Papa IX. in ſuo Brevi expedito die 2. Jan. 1669. per quod, prævia derogatione Apoſtolicarum Conſtitutionum, quibus prohibetur, Beatos nondum canonizatos eligi in principales Patronos regnorum, Provinciarum, & civitatum, elegit in Patronam principalem civitatis Limanæ, & totius Regni Peruviani Roſam Limanam tunc ſimpliciter Beatam, ſic ſtatuit quoad cultum: *Ipſiuſque Beatæ Roſæ feſtum in univerſo Regno hujuſmodi de Patrona principaliori ab omnibus utriuſque ſexus Chriſtifidelibus illic degentibus de præcepto ſervari, &, ſicut alia feſta de præcepto, celebrari, ejuſque Officium ab univerſo Clero tum Sæculari, tum Regulari de principaliori Patrona juxta Rubricas Breviarii Romani inibi recitari, auctoritate, & tenore præfatis mandamus.* Summus denique Pontifex Clemens X. eodem præcipiente modo proceſſit, declarando eamdem Beatam Roſam ante Canonizationem in principaliorem Patronam omnium & ſingularum Provinciarum, Regnorum, Inſularum, & Regionum Continentis totius Americæ, Philippinarum, ac Indiarum; & Stanislaum Novitium Societatis Jeſu tunc tantummodo Beatificatum in principaliorem Patronum Regni Poloniæ, magni ducatus Lituaniæ, & adjunctarum provinciarum renuntiando, voluit, ut coleretur cum omnibus & ſingulis prærogativis, quæ principalioribus Patronis ejuſdem regni & ducatus competebant, quibuſque tunc colebantur SS. Adalbertus, alter Stanislaus, aliique principaliores Patroni ejuſdemmet regni atque ducatus: quemadmodum deſumitur ex ejus litteris Apoſtolicis expeditis die 8. Januarii 1674.

9. Dicunt quoque, uti vidimus, Doctores, cultum Beatorum intra aliquam provinciam, diœceſim, civitatem, aut religioſam Familiam coarctari: idque obſervatum certe fuit in omnibus fere Beatificationibus huc uſque factis: at exemplum tamen non deeſt de conceſſione cultus pro univerſa Eccleſia in honorem alicujus ſimpliciter Beatificati. Sixtus quippe Pontifex IV. qui in Beatificatione ſervorum Dei Berardi, Petri, Othonis, Accurſii, & Adjuti Ordini FF. Minor. conceſſit,

ut

UAB Biblioteca de Ciències Socials

ut Fratres in eorum honorem Officium recitarent & Miſſam celebrarent, quemadmodum habetur in diplomate 73. formis impreſſo in citato novo codice Canonizationum, referens porro inter Beatos memoratum Joannem Bonum, ei cultum detulit in univerſa Eccleſia: *De Fratrum noſtrorum conſilio & aſſenſu, auctoritate Apoſtolica concedimus, quod ipſe B. Jo: Bonus, ut pie inter Sanctos in ſuperna patria collocatus, ad laudem & Divini nominis, & Altiſſimi gloriam, qui in cælis habitat & humilia reſpicit, ſine hæſitatione & conſcientiæ ſcrupulo, vel canonis Divini incurſu poſſit pro Beato in omnibus & ſingulis civitatibus, terris, & locis, ac monaſteriis, & eccleſiis venerari, & ad eum, ut Beatum, preces porrigi, & ſuffragia ejus implorari, donec aliud per Nos, vel Sedem prædictam fuerit ſolemniter ordinatum*: quæ ſcilicet verba Sixtini ſunt diplomatis apud Raynaldum *ad an.* 1250. *num.* 51. Clemens pariter Papa X. antequam ad ſolemnia Canonizationis S. Roſæ Limanæ deveniret, die 27. Auguſti 1670. per ſuas litteras Apoſtolicas in forma Brevis indulſit univerſo Clero Sæculari, ac Regulari per totum terrarum orbem, ut de B. Roſa Miſſam celebrare poſſet per anni circuitum ſive ex voto, ſive ex libera devotione juxta rubricas Miſſalis Romani.

10. Ajunt præterea Doctores ſuperius allegati, Canonizationem eſſe ſummi Pontificis ſententiam definitivam, qua præcipiendo, exhibitionem cultus decernit. De hoc vero nequaquam dubitandum eſſe videtur: verba quippe præcipientia in omnibus Canonizationum bullis inveniuntur; ſicuti videri poteſt in bullis Canonizationum SS. Udalrici, Simeonis Monachi, Simeonis Syracuſani, Godeardi, Sturmii, Henrici, Joannis Gualberti. His conſentiunt aliæ bullæ, ubi ſic legitur: *Inter Sanctos, & electos honorari præcipimus &c. Memoriam inter Sanctos de cetero fieri cenſemus, & anniverſarium ipſius diem ſolemniter celebrari conſtituimus &c. Apoſtolicæ Sedis auctoritate catalogo Sanctorum ſcribi mandavimus*: bullæ videlicet Canonizationum SS. Hugonis, Bernardi Abbatis, Thomæ Cantuarienſis, Homoboni, Laurentii Archiepiſcopi, Antonii Luſitani, Dominici Franciſci de Aſſiſio, Eliſabeth Viduæ, Petri Martyris, Stanislai Epiſcopi, Ludovici Regis Franciæ, Petri de Morono, Ludovici Epiſcopi Toloſani, Thomæ Epiſcopi Herfordienſis, Thomæ de Aquino, Ivonis Presbyteri, Nicolai de Tolentino, Bernardini Senenſis, Bonaventuræ, Ubaldi: itemque recentiores Canonizationum bullæ per verba iſta; *Statuimus, definimus, pronuntiamus*; quemadmodum deſumi poteſt ex bullis Canonizationum SS. Franciſci de Paula, Leopoldi Auſtriæ Principis, Bennonis Epiſcopi Miſnenſis, Hyacinthi Poloni, Raymundi Barcinonenſis, Caroli Borromæi, Philippi Nerii, Ignatii Loyolæ, Franciſci Xaverii, Thomæ de Villanova, Franciſci Saleſii, Petri de Alcantara, Roſæ Limanæ, & paſſim ex aliis ſubſequentibus. Etſi enim in nonnullis antiquioribus bullis habeantur verba hortativa: *Univerſitatem veſtram rogamus, monemus*: alia tamen non deſunt præcipientia: *Per Apoſtolica vobis ſcripta mandantes*; ſicuti colligi poteſt ex bullis Canonizationum SS. Geraldi, Chunegundis, Vulſtani, Guillelmi Briocenſis, Franciſci de Aſſiſio, & ex aliis.

11. Ajunt poſtremo prædicti Doctores, cultum in Canonizatione extendi ad univerſam Eccleſiam. Id pariter re vera ſubſiſtit; cum in omnibus Canonizationum bullis præcipiatur, Canonizatum ab omnibus & in univerſa utique Eccleſia pro Sancto habendum eſſe, in nonnullis vero Canonizationum bullis præterea demandetur celebratio Officii univerſæ ipſi Eccleſiæ; in aliis celebratio feſti univerſæ ſimiliter Eccleſiæ; in aliis, ut in Eccleſia univerſali ædes ſacræ & altaria ædificentur, in quibus incruentum Deo ſacrificium offeratur. Quamvis enim nonnulla Canonizationum diplomata particularibus aliquibus perſonis inſcripta ſint, & ſignanter illa SS. Udalrici, Simeonis Monachi & Eremitæ, Nicolai Peregrini, Petri Anagnini, Godeardi, Hugonis Gratianopolitani, Sturmii, Henrici Imperatoris, Eduardi, Thomæ Cantuarienſis, Bernardi, Bernuvardi, Joannis Gualberti, Gerardi, Homoboni, Chunegundis, Guillelmi, Laurentii Dublinenſis, Guillelmi Eboracenſis, Stanislai, Claræ, Hedwigis, Ludovici; attamen prætermittentes, quod pleraque etiam ex antiquioribus data ſunt ad univerſos Chriſtifideles, vel ad univerſos Archiepiſcopos, Epiſcopos, Abbates, Priores, Archipresbyteros, Archidiaconos, Decanos, & alios Eccleſiarum Præſules ad quos perveniſſent, uti ſunt illa SS. Geraldi, Theobaldi, Virgilii, Ludovici filii Caroli II. Regis Siciliæ, Nicolai de Tolentino, Franciſci de Aſſiſio; vim in eo ponimus, quod in diplomatibus ſeu bullis, quæ ad particulares ipſas perſonas datæ ſunt, cultus, qui præcipitur, non coarctatur in eis, vel in determinatis aliquibus locis, ſed denuntiatur particularibus ipſiſmet perſonis, quæ forte pro Canonizatione ſupplicaverant, Beatum inter Sanctos fuiſſe relatum, ejuſque factam fuiſſe Canonizationem, ut fidentius, & alacrius ſe ejus precibus, atque interceſſioni commendarent. Alexander III. inter Sanctos ſolemniter retulit Eduardum Angliæ Regem: litteris autem datis ad Epiſcopos per Angliam conſtitutos, ait (*in nov. cod. Canoniz. pag.* 15.) *Quia igitur decet honeſtatis veſtræ prudentiam eum pie colere & toto ſtudio venerari, quem auctoritate Apoſtolica venerandum veſtra poſtulavit devotio, & colendum &c.* Sed quod citra ullam controverſiam oſtendit, in Canonizationibus præcipi cultum, & præceptum reſpicere univerſam Eccleſiam, eſt ſententia, quæ a ſummo Pontifice tanta ſolemnitate in Canonizatione profertur: *Sanctum, aut Sanctam eſſe decernimus & definimus, ac Sanctorum catalogo adſcribimus*; quæ profecto ſunt verba præcipientia: *Statuentes, ab Eccleſia univerſali illius memoriam qualibet anno pia devotione recoli debere*; en verba iterum præcipientia, & quæ univerſalem Eccleſiam reſpiciunt.

12. Omnia igitur in unum colligentes ratum habemus primo, (ex regula loquendo) Beatificationem eſſe cultus permiſſionem, & aliquando etiam poſſe importare cultus præceptum, conſtiturum tamen per actum directum ad ſententiam definitivam non adhuc prolatam, ſed, accedentibus novis circumſtantiis, proferendam, & in nonnullis particularibus locis coercitum. Quocirca præceptum Innocentii III. ſupra relatum de Officio celebrando in honorem B. Guillelmi diœceſim tantum Groſſetanam reſpexit; certumque eſt, fuiſſe explicatum per actum, qui poſtremam & definitivam de Canonizatione ſententiam expectabat, uti colligitur ex diplomate ejuſdem Pontificis (*cit. cod. pag.* 644.) *Ex litteris Fraternitatis tuæ accepimus, quod, cum bon. mem. Martinus Prædeceſſor tuus olim ad ſel. record. Alexandri Prædeceſſoris noſtri præſentiam acceſſiſſet, ſupplicavit eidem, ut B. Guillelmum Sanctorum adſcriberet catalogo venerandum. Idem vero Prædeceſſor noſter exauditurum ſe preces ipſius promiſit tempore opportuno*. Procedit iiſdem terminis mandatum Leonis X. in honorem B. Hoſannæ, utpote coercitum intra diœceſim Mantuanam, & explicatum pariter per actum non extremum, nec ultimo decretorium. Poſt enarrata quippe merita Beatæ, ſibi per extrajudiciales probationes, uti tunc in more poſitum erat, patefacta, ſummus Pontifex ſupplicationem exponit Iſabellæ Eſtenſis de Gonzaga Mantuæ Marchioniſſæ pro prædictæ Beatæ Canonizatione porrectam, cui ſic reſpondet: *Cum itaque Iſabella Marchioniſſa non dubitans, animam dictæ Hoſannæ Virginis, ob ejus vitam caſtiſſime & integerrime actam, in cæleſti choro ætyrna gloria perfrui, miro teneatur deſiderio, ut ipſa Hoſanna per Nos canonizetur, & in catalogum ſanctarum Virginum referatur, quare Nobis ſuper hoc humiliter ſupplicari curavit: Nos igitur tum prædicto ejuſdem Marchioniſſæ deſiderio ſatisfacere, tum etiam, ſi res ita eſſe comperiatur, ut eidem Hoſannæ pro meritis ſuis etiam a mortalibus in hoc ſæculo debitus honor & cultus impendatur, efficere cupientes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, diſcretioni veſtræ per præſentes committimus & mandamus, ut de religioſa & integerrima vita, ac de piis & ſanctis operibus dictæ Hoſannæ, ac de miraculis ex ejus meritis & interceſſionibus, ac de factis vos diligenter informetis, & Nobis referatis; ut ſcilicet poſtmodum Nos de præmiſſis certam notitiam per hujuſmodi relationem habentes eamdem Hoſannam cum Dei & ſanctæ Apoſtolicæ Sedis benedictione canonizemus, & in catalogum ſanctarum Virginum referamus; & interim &c.* Per eamdemque etiam viam incedunt exempla S. Roſæ Limanæ, & S. Stanislai Novitii Societatis Jeſu, cum ante Canonizationem quidem prodierint, ſed judicio pro ſolemni ipſa Canonizatione introducto.

13. Compertum habemus ſecundo (ad regulam item loquendo) Beatorum cultum coarctari ſane intra aliquam provinciam, diœceſim, civitatem, aut religioſam Familiam; at aliquando tamen poſſe ad univerſam Eccleſiam extendi, citra tamen legem præcepti, ſed per modum ſimplicis facultatis, & per actum minime extremum, nec ultimo definitivum. Quapropter in ſupra citato diplomate Sixti IV. de cultu B. Jo: Boni non ſolum inſunt verba permittentia & facultatem facientia, verum etiam alia verba ſuperadduntur, quæ extremam determinationem necdum prolatam expectant: *Donec aliud per Nos, vel Sedem Apoſtolicam fuerit ſolemniter ordi-*

ordinarium ; quod ipſum dici debet de allegata conceſſione Clementis X. pro *cultu* tunc Beatæ, nunc Sanctæ Roſæ Limanæ ; quippe quæ facta fuit, dum adhuc ſub judice eſſet Canonizationis cauſa.

14. Tertio denique comprobatum eſt, Canonizationem eſſe ſummi Pontificis ſententiam ultimo definitivam, qua cultus præcipitur in univerſa Eccleſia. Idcirco ultima differentia inter Beatificationem, & Canonizationem minime quidem conſtituenda erit vel in permiſſione cultus, vel in ejus coercitione ad perſonas, aut locos particulares, quæ in Beatificatione habeatur, ſecus ac in Canonizatione ; ſed in extrema & definitiva de ſanctitate ſententia cultum aliis Sanctis debitum in univerſa Eccleſia per Canonizationem, nequaquam vero per Beatificationem præcipiente.

CAPUT QUADRAGESIMUM.

In quo explicatur Sedis Apoſtolicæ permiſſio, quæ per Beatificationem habetur.

1. CUM duplex ſit permiſſio alia ſcilicet approbans, alia ſuſpendens, approbans utique illa eſt, quæ ſibi vindicat locum in Beatificatione, ſive loquamur de Beatificatione formali, ſive de æquipollenti. In Beatificatione quippe formali, ut alibi viſum eſt, præcedit examen una cum approbatione virtutum, ſeu martyrii, atque miraculorum : in Beatificatione autem æquipollenti, cum conſtiterit ſive de fama virtutum, martyrii, aut miraculorum, ſive de antiquitate cultus cum ſcientia & tolerantia Ordinarii, vel Sedis Apoſtolicæ, ſive de Indultis præcedentibus Romanorum Pontificum, aut ſacræ Congregationis, ſervatur cultus in eo ſtatu, in quo eſt, necnon ut plurimum per novas conceſſiones augetur : quæ profecto omnia oſtendunt, permiſſionem eſſe approbantem, minime vero ſuſpendentem. Permiſſio poſtea ſuſpendens ea eſt, per quam, habita notitia cultus erga aliquem Dei ſervum ab antiquo tempore exhibiti, quique adhuc exhibetur in aliqua diœceſi, aut provincia, Sedes Apoſtolica, licet ad ejus remotionem, ne populorum tumultus excitet, minime procedat ; explicite tamen, vel implicite proteſtatur, ſe eum non approbare : & ideo, ſi ſermo quidem ſit de iſta permiſſione, difficile admodum videtur, ex eadem poſſe Beatificationem produci.

2. Res tota duobus exemplis illuſtrabitur ; altero de cultu Luciferi Calaritani ; altero de cultu Raymundi Lulli. Unicuique, qui hiſtoriam Eccleſiaſticam e limine ſalutaverit, notum eſt quid Lucifer egerit pro Fide Catholica in Concilio Mediolani coacto anno 355. Exilii etenim pœnam ſuſtinuit, & Confeſſoris nomen obtinuit. Extant etiam libri ab eo conſcripti adverſus Conſtantium Imperatorem, & ad ipſum Imperatorem tranſmiſſi ; omniaque ejus opera edita fuerunt a Jo. Tillio Epiſcopo Meldenſi anno 1568. & ſunt inſerta *tom.* 4. *biblioth. PP. pag.* 181. Porro, cum Conſtantio Julianus ſucceſſiſſet ; &, deleta lege exilii, Lucifer una cum S. Euſebio Vercellenſi a Thebaide, ubi exilium patiebantur, regreſſus fuiſſet ; quia non interfuit Concilio Alexandrino, in quo nonnulla de pace Eccleſiæ & de admittendis in communionem Epiſcopis, qui ab errore Arianorum reſipuerant, ſtatuta fuerunt, ejus nomine a Diacono, quem ad Concilium legaverat, ea ſubſcripta fuerunt. Dum autem Antiochiæ morabatur, ea ſpe ductus, ut diſſidentium partes componi poſſent, Paulinum Presbyterum in Epiſcopum dictæ civitatis conſecravit ; etſi hinc potius diſſenſiones auctæ fuerunt, per annos deinde octoginta quinque continuatæ. Non potuit S. Euſebius, qui ex eadem pacis cauſa Antiochiam properaverat, factum Luciferi approbare ; ideoque, quamvis minime publice improbaſſet, Lucifer nihilominus ab ejus communione diſceſſit, ea adhuc vigente ambiguitate, an ad graviora etiam progreſſus ſit, & an ante obitum ad Eccleſiæ unitatem redierit. Summatim hæc omnia & perſpicue legi poſſunt in hiſtor. Eccleſ. Fleury *lib.* 5. *num.* 29. *tom.* 4. & in hiſtor. Eccleſ. eruditi P. Ignatii Hyacinthi Amat de Graveſon *tom.* 1. *colloq.* 2. *ad ſæc.* 4. *pag.* 116. Quod autem attinet ad antiquiores, Socrates & Sozomenus referunt (*hiſtor. Eccleſ. lib.* 3. *cap.* 9. *& lib.* 5. *cap.* 13.) Luciferum ipſum Eccleſiæ ſenſui ſemper adhæſiſſe, at ejus ſectatores ab Eccleſia utique ſe ſeparaſſe, & ſchiſma Luciferianum ſtatuiſſe. Sulpitius contra Severus Luciferum ait (*lib.* 2. *hiſt. ſac. cap.* 45.) habuiſſe ſenſum contrarium ſenſui S. Hilarii, adeoque condemnaſſe Epiſcopos Concilii Ariminenſis ; ſe ſegregaſſe ab eorum communione, qui illos poſt erroris ſatisfactionem receperant ; S. Ambroſius ſubdit *libro* 1. *de exceſſu Satyri num.* 47. *tom.* 2. *oper. col.* 1127. Luciferum ſe ſeparaſſe a noſtra communione ; item S. Auguſtinus *ep.* 185. *al.* 50. *tom.* 2. *oper.* ait lumen charitatis amiſiſſe, & in tenebras ſchiſmatis cecidiſſe : Sanctus autem Hieronymus *in dial. adv. Lucifer. col.* 194. *tom.* 2. *oper.* quamvis ejus intentionem excuſet, non teſtatur tamen, eum ſchiſma deſeruiſſe ; &, licet poſt obitum Luciferum appellet Beatum, quæſtio adhuc habetur, an hæc denominatio civilitati potius ſit attribuenda. Adeo nempe gravis eſt hæc de Lucifero Calaritano controverſia, ut eam P. Mabillonius *in catalogo difficultatum hiſtor. Eccleſ. ſæc.* IV. *in fine tract. de ſtud. Monaſt.* recenſere operæ pretium judicaverit. Cardinalis inſuper Baronius *ad an.* 362. *n.* 225. obitum Luciferi deflet, & de eo loquens hæc habet : *Quanta vero ejus eſſet æſtimatio & laus in Eccleſia Dei, vel ab uno Hieronymo diſce ; qui licet poſt ejus obitum & pro defenſione Catholicæ veritatis de ipſo agens, reveritus tamen anteactæ vitæ merita viri & percelebre nomen, vim ſibi ſatis inferre valuit, ne in eum exerat ſtylum ; ſed, quem veritas acuit, reverentia mox obtudit, ut pro maledictione benedictionem ingeraf, cum Beatum appellet, atque, ut licuit, tandem excuſet.* Poſt mortem porro Cardinalis Baronii eccleſia quædam ſubterranea in civitate Calaritana reperta eſt anno 1615. S. Lucifero dicata ; tum autem anno 1623. ejus corpus inventum eſt ſanctitatis indiciis non deſtitutum, necnon miracula tunc etiam a Deo patrata ad ejus ſanctitatem patefaciendam referuntur : de quibus omnibus fuſe agunt Bollandiani *ad diem* 20. *Maji tom.* 5. *in vita S. Luciferi cap.* 8. *& cap.* 10. & Spondanus ipſe *ad an.* 362. *n.* 48. teſtatur ad ſe delata fuiſſe authentica monumenta de reperta eccleſia, de corpore invento, & de miraculis ſubſecutis ; additque, quod, ſi hæc contigiſſent, vivente Cardinali Baronio, haud gravate ſententiam de infelici morte Luciferi revocaſſet. Verum tantum abeſt, quod ex prædictis ceſſaverit controverſia de Lucifero, ut ea potius inter Eruditos novas vires aſſumpſerit. Suſpicantur quippe nonnulli, neque eccleſiam reperiam fuiſſe dicatam Lucifero iſti Calaritano, neque corpus inventum eſſe corpus ejuſdem ; ſed eccleſiam dicatam fuiſſe alteri Lucifero Epiſcopo pariter Calaritano, qui in Vandalica perſecutione Confeſſor, vel Martyr mortuus eſt. Ita nimirum ſentiunt Natal. *Alex. ſæc.* 4. *cap.* 3. *art.* 13. & Baillet *in vita Luciferi ad diem* 20. *Maji*. Alii vero dicunt, diſcipulos ſchiſmatis Luciferiani Lucifero tamquam ſancto cultum adhibuiſſe, qui, etiam extincto ſchiſmate, forte continuatus fuit, & ad avertenda majora mala ab Epiſcopis toleratus ; ſed tandem ceſſaſſe ; poſtmodum vires reſumpſiſſe poſt antiquam eccleſiam inventam prope urbem Calaritanam : at hæc tamen non ſufficere pro legitimo cultu, cum ejus nomen, nihil obſtantibus omnibus prædictis, in Martyrologium Romanum uſque adhuc inſertum non ſit. Quæ quidem videri poſſunt apud Tillemont. *tom.* 7. *in notis ad Luciferum, nota* 4. Duo præterea Archiepiſcopi Sardi ſuas hac in re ſententias editis voluminibus aperuerunt : Turritanus ſcilicet contra Luciferum, Ambroſius autem Machinus anno 1639. pro Lucifero pugnavit, & opus obtulit Urbano Papæ VIII. cui nempe Machino Bollandiani ſtrenue adhæſerunt, nihilque de eadem cauſa intactum reliquerunt. Alia denique forte plura pro Lucifero haberentur, ſi liber pro Lucifero inceptus ab erudito Canonico Nurra fuiſſet ad umbilicum perductus & typis impreſſus : plura quippe in Urbe pro ſanctitate Luciferi cumulaverat ; ſed antequam opus abſolveret, Florentiæ mortuus eſt ; cujus porro labores ad ſummum Pontificem Clementem XI. ab Archinto tunc Nuntio Florentiæ Apoſtolico tranſmiſſi, inter codices inſignis bibliothecæ ab eodem Pontifice relictæ, ſi diligenter perquirantur, fortaſſis reperientur. Quantum tamen ſpectat ad cultum Luciferi tanquam Beati, ſi vera eſſent expoſita a nuper allegatis Bollandianis *cap.* 10. (ſcilicet anno 1641. ſacram Congregationem Inquiſitionis Romanæ ſub gravibus pœnis ſilentium controverſiæ impoſuiſſe, & decreviſſe, cultum Luciferi ſervandum in eo ſtatu, in quo erat) hinc ſcientia, & tolerantia, & ſanctæ Sedis permiſſio derivari poſſet ſufficiens

ficiens pro cultu limitato, & consequenter pro Beatificatione.

3. Sed, si integra facti series recte perpendatur, difficile admodum erit tuto asserere, Luciferum Calaritanum habendum esse tamquam Beatificatum. Enimvero, cum inter Archiepiscopos Calaritanum, & Turritanum super cultu & sanctitate Luciferi dissensiones ac simultates fuissent exortæ, sicuti modo diximus; delata earum cognitione ad tribunal Inquisitionis Hispaniæ, earum examen ad Sedem Apostolicam, ad quam de jure pertinebat, subinde revocatum fuit. Cum autem summus Pontifex Urbanus VIII. re mature discussa in tribunali supremæ universalis Romanæ Inquisitionis, habita potissimum ratione scandalorum, quæ ex acri disputatione de sanctitate & cultu Luciferi derivabantur, prohibuerit omnibus ac singulis disputare, & scripto, vel typis sanctitatem & cultum prædictum aut impugnare, aut defendere, statutis pœnis adversus repugnantes, atque addita protestatione, se non intendere aliquid declarare sive pro sanctitate, sive contra sanctitatem Luciferi, sed velle, eam manere in statu, in quo reperiebatur; non videtur permissio & tolerantia talis fuisse, qualis ex supradictis esse debet, ut Beatificationem importet: & eo minus, quia, excitata indagine super intelligentia primi decreti, idem summus Pontifex clarius & apertius mentem suam explicavit, veluti ex sequentibus ipsis decretis plene desumitur.

Die 30. Decembris 1638. a Nativitate. Lecto memoriali Archiepiscopi Calaritani, quo instat, causam vertentem in hoc sancto Officio inter ipsum, & Archiepiscopum Turritanum circa venerationem Luciferi olim Archiepiscopi Calaritani non cognosci in tribunali S. Officii Hispaniarum, ad quod habuit recursum dictus Turritanus, sed in hoc S. Officio, in quo est incepta causa; EE. DD. mandarunt, scribi Nuntio Apostolico Hispaniarum, qui procuret, ut Inquisitor generalis Hispaniarum desistat a cognitione hujusmodi causæ; cujus cognitio spectat ad sanctam Sedem.

Die 20. Junii 1641. Sanctissimus providere volens, ne jurgia & dissensiones oriantur inter diœcesanus Archiepiscopatus Calaritani, & Turritani, cæterosque insulæ Sardiniæ incolas, occasione prætensæ sanctitatis, cultus, & venerationis Luciferi olim Archiepiscopi Calaritani, utque cessent scandala, quæ hactenus in Dei offensam occasione prædicta irrepsere, habita mature deliberatione & auditis votis EE. DD. Cardinalium contra hæreticam pravitatem generalium Inquisitorum, præcipit omnibus & singulis cujuscis Ordinis &c. & aliis quibuscumque tam Ecclesiasticis, quam sæcularibus personis cujuscis status, ne in posterum, donec a Sanctitate sua, vel sancta Sede fuerit aliter ordinatum, audeant super prædicti Luciferi prætensa sanctitate, cultu, ac veneratione publice tractare, disputare, vel altercari, illamque neque scripto, nec typis impugnare, aut defendere. Contra facientes autem eadem Sanctitas sua, si sæculares sint, excommunicationis ipso facto incurrendæ; Ecclesiasticos vero tam sæculares, quam regulares &c. suspensionis a Divinis, ac privationis vocis activæ & passivæ respective, aliisque pœnis arbitrio Sanctitatis suæ infligendis subjacere voluit. Per hujusmodi tamen provisionem eadem Sanctitas sua circa prætensam Luciferi sanctitatem, vel e contra aliquid declarare seu decidere non intendit; sed vult, eam remanere in statu, in quo reperitur. Volens & decernens pro observatione præsentis decreti, quod contra hujusmodi transgressores, etiam Regulares, tam Episcopi, & Prælati, aliique Ordinarii locorum, quam hæreticæ pravitatis Inquisitores procedant, & in eos severe animadvertant.

Die 17. Octobris 1647. Lecto memoriali aliquot devotorum Christifidelium, quo supplicatur, declarari, an vigore decreti san. mem. Urbani VIII. emanati die 20. Junii 1641. ne aliquis auderet super Luciferi olim Archiepiscopi Calaritani prætensa sanctitate, cultu &c. publice tractare &c. neque in scriptis impugnare &c. sub pœnis &c. donec a sancta Sede Apostolica fuerit aliter ordinatum, possit, vel non, in ecclesiis Officium, Missa solemnis, vel privata, & illius imago exponi populo veneranda & adoranda, & sine scrupulo ista facere ad laudem & gloriam dicti Luciferi, & præcipue in diœcesibus & provinciis, ubi nondum fuerunt expositæ, nec venerata &c. Sanctissimus dixit, non licere.

4. Sequitur examen cultus erga Raymundum Lullum. Nam Arturus in Martyrologio Francisceno ad diem 29. Julii Martyrium ob Fidei Christianæ prædicationem Raymundo ipsi a Saracenis inflictum, ejus corporis delationem ad insulas Baleares, & demum cultum, qui pia Fidelium veneratione Majoricæ eidem exhibetur, commemorat. Sed, ut bene perpendatur, an inter Beatos Raymundus sit recensendus, satis profecto non est, publici cultus antiquitatem demonstrare, scientiamque & tolerantiam Episcoporum; si suspicio legitima habeatur de sensu Sedis Apostolicæ potius adverso, quam favorabili cultui prædicto. Extat nempe Gregorii XI. solemne judicium de libris a Raymundo Lullo conscriptis, & de nota erroris & hæresis manifestæ, qua ducenti eorumdem articuli damnati sunt, quemadmodum videri potest apud Nicolaam Eymericum *in directorio Inquisitorum 2. part. quæst. 9. & qu. 26.* ubi bullam Gregorii interserit. Asserere autem, Gregorianum diploma fuisse a prædicto Eymerico confictum, vel errores cujusdam Raymundi Lulli de Tarraga ab eodem Gregorio XI. condemnatos fuisse, Raymundo Lullo, de quo nunc est quæstio, falso adscriptos, ut pluribus prosequitur Theophilus Raynaudus *in opere de bonis, & malis libris tom. 11. partit. 1. erotem. 10. num. 246.* nulla verisimilitudine niti videtur. Primo enim Eymericus fuit vir gravis & egregie de Religione Catholica meritus, ita ut temerarium omnino sit, ejusmodi viro impingere bullæ Pontificiæ fictionem, quemadmodum optime adnotavit Raynaldus *ad ann. 1372. num. 35.* præsertim vero, cum idem Eymericus Inquisitoris munere tunc temporis fungeretur, & ejus relatione librorum judicium Pontifex assumpserit; præterea adversus proscriptos errores libellum ille cumposuerit Cardinali S. Angeli oblatum, atque hujus ope Clementi VII. Antipapæ relatum, ficuti colligitur ex codice bibliothecæ Colbertinæ quem exhibet Balutius *in notis ad vitas Papatum Avenionen. col. 1115. tom. 1.* Deinde, utcunque sit, utrum Gregoriana bulla in Pontificiis regestis nunc adsit, necne, hoc unum certum esse videtur, posito etiam defectu bullæ in regestis, validum desumi non posse argumentum pro ejus confictione, quando causa probabilis suppetit perditionis ejusdem; quæ sane in hypothesi nostra minime deest, cum bulla, de qua nunc agimus, edita fuerit anno VI. Pontificatus Gregorii; regestum autem hujusce anni deperditum hercle fuerit, occasione translationis Sedis Apostolicæ a civitate Avenionensi ad Urbem eodem tempore factæ, veluti animadvertit Graveson *histor. Eccles. collogu. 3. pag. 92. tom. 5.* Item, quando pro veritate bullæ validissima habentur argumenta; atque hæc pariter ea super re non deficiunt, cum & exemplar authenticum reperiatur in Ordinis Prædicatorum Romano archivo, & autographum Gerundæ asservetur, & Gregoriana ipsa Constitutio in archivis Barcinonis, Tarraconis, & Valentiæ anno Domini 1376. quo scilicet lata est, fuerit adscripta; quibus quidem sine ulla dubitatione probatur, minime confictam fuisse: confictam quippe Antistites tam celebrium civitatum inter monumenta suarum Ecclesiarum servari passi non fuissent juxta ea, quæ ad rem solide deducuntur ab erudito viro F. Antonino Bremond Ord. Præd. *tom. 2. Bullar. in notis ad Gregorianam Constitut.* ibi plene relatam. Demum, si Raymundus de Tarraga, & Raymundus Lullus bene in Apostolicis Constitutionibus invicem distinguuntur. Raymundus etenim de Tarraga de Judaismo ad Christianam Fidem conversus nomen dedit Religioni FF. Prædicat. tum propter nonnulla capita hæresim sapientia carceribus Barcinonensis Inquisitionis mancipatus anno primo Gregorii Papæ XI. hoc est anno 1371. luit pœnas errorum, non quos scripserat, sed quos publicaverat & prædicaverat; *publice tenet, asserit, & prædicat doctrina sua sacrilega & perversa;* constructo adversus eum processu a Nicolao Eymerico Inquisitore in provinciis Tarraconensi, & Cæsaraugustana, atque ab Archiepiscopo Tarraconensi. Contra alter Raymundus, qui Lullus appellatur (quæ certe appellatio in diplomatibus Pontificiis nunquam alteri tribuitur Raymundo, qui semper de Tarraga denominatur) civis fuit Majoricensis, & multos libros conscripsit, *se in regnis eisdem invenisse voluntina diversorum librorum in vulgari scriptorum a quodam Raymundo Lullo civo Majoricensi editorum, in quibus, ut ipsi Inquisitori videbatur, multi continebantur errores & hæreses manifestæ;* nec unquam carceribus inclusus, librorum tamen & errorum suorum damnationem tulit, edita an. 1376. a Gregorio XI. Constitutione post librorum examen factum a Nicolao Eymerico, & subsequenter resumptum a Petro Card. Ostiensi, & plusquam viginti Magistris in sacra Theologia, ut evidenter deprehenditur ex Constitutionibus Pontificiis evulgatis *in 2. tom. cir. Bullar. Ord. Præd. pag. 268. pag. 270. & pag. 289.* Proinde unicuique facile patet, & Gregorianam Constitutionem non fuisse confictam, & errores Raymundi de Tarraga Raymundo Lullo fuisse adscriptos: idque eo magis, quia tum sæculo

lo decimo ſexto, tum initio ſæculi decimi ſeptimi notum eſt quid definitum fuerit in ſacra Congregatione Indicis, atque in Congregatione SS. Inquiſitioni habitæ coram ſummo Pontifice Paulo Papa V. de operibus Raymundi Lulli, teſte Card. Albitio *in tract. de inconſtantia in Fide cap.* 40. *a num.* 143. *ad num.* 152. ubi omnia tunc geſta exponit. Scio equidem, inter Eruditos varium eſſe judicium de ſanctitate Lulli: pro ea quippe ſtrenue pugnant Antonius Belluer Canonicus Majoricenſis *in apologia Lulli*, Jo: Sequi *in ejus vita*, Salelles *t.* 2. *de SS. Inquiſitione*, Wadingus *in annal. Minor. ad ann.* 1315. *num.* 8. *tom.* 6. Atque eruditus P. Jo. Baptiſta Sollerius *ad diem* 30. *Julii tom.* 5. contra eam autem ſcribunt Bzovius *ad an.* 1312. *num.* 18. *& ſeqq. tom.* 14. Echard *de Scriptor. Ord. Præd. ad ſæc.* IV. *in F. Nicolao Eymerico tom.* 1. Eymericus *in directorio Inquiſitorum loc. cit.* Jacobus Galterius *in tab. chronographica ſæc.* XIII. *c.* 5. Graveſon *loc. cit.* Sed rationes hinc & hinc adductæ efficere ſaltem debent, ut unuſquiſque prudens & Sedi Apoſtolicæ obſequens de Raymundi Lulli ſanctitate judicium ſuſpendat, uſquequo Sedes eadem Apoſtolica decernat quid ſentiendum ſit, ſicut ipſe etiam Wadingus *loc. cit. n.* 9. libenter admittit. Quamobrem merito Petrus Franciſcus de Rubeis egregius olim Fidei Promotor P. Provinciali Belgii Ord. Præd. qui quæſiverat, an dictus Raymundus pro Sancto & Martyre haberi poſſet, reſpondit, eum nec poſſe dici, nec haberi pro Sancto, aut Martyre; veluti ex ejus ſuffragio colligitur typis impreſſo apud Card. Albitium *loc. cit.* In quo proinde rerum themate, quidquid ſit de cultu, atque ejus antiquitate una cum Epiſcoporum Majoricenſium tolerantia, nunquam fortaſſe dimiſſa majorum timore malorum, memoratus Raymundus Lullus inter Beatificatos recenſeri non poteſt.

CAPUT QUADRAGESIMUMPRIMUM.

In quo nonnulla indicantur de Sedis Apoſtolicæ definitiva ſententia quæ in Canonizatione profertur.

1. INUTILIS profecto res eſſet, aliquid adjungere de ſummi Pontificis definitiva ſententia, per quam in Canonizatione pronuntiat, Beatum eſſe Sanctorum catalogo adſcribendum, & tamquam Sanctum in univerſa Eccleſia colendum; ſi pro Sanctis, & Canonizatis, etiam poſt delationem cauſarum Canonizationis ad ſummum Pontificem, illi tantum haberentur, qui, prævia proceſſuum conſtructione, ſervataque forma judicii in ſuperioribus expoſiti, per ſententiam ipſam definitivam a ſummo Pontifice prolatam, adhibitis ſupra pariter enuntiatis cæremoniis, in Sanctorum catalogum adſcribuntur. Verum, cum æquipollens quædam Canonizatio introducta fuerit, & adhuc vigeat poſt tempora prædicta, per quam videlicet ſummus Pontifex aliquem Dei ſervum in antiqua cultus poſſeſſione exiſtentem, & de cujus heroicis virtutibus, aut Martyrio, & miraculis conſtans eſt Hiſtoricorum fide dignorum communis aſſertio, & continuata prodigiorum fama non deficit, jubet in univerſa Eccleſia coli per Officii ac Miſſæ recitationem & celebrationem determinato aliquo die, nulla accedente formali ſententia definitiva, nullis præmiſſis judicialibus proceſſibus, nulliſque conſuetis cæremoniis adhibitis; operæ pretium eſt, aliqua hic ſuperaddere de hiſce Canonizationibus æquipollentibus: quæ ut rectæ percipiantur, per exempla exponere opportunum ducimus.

§. I.

De S. Romualdo.

2. NArrat, ut etiam alibi dictum eſt, S. Damianus *in ult. cap. vitæ S. Romualdi*, ſummum Pontificem anno quinto poſt illius obitum Monachis impertitum fuiſſe facultatem ſupra ejus corpus altare conſtruendi. *Poſt quinquennium vero a ſancti viri obitu, data Monachis ab Apoſtolica Sede licentia, ut ſupra venerabile corpus ejus altare conſtruerent.* Diligentiis tamen adhibitis, ut Indultum reperiretur, tum in archivis Vallis Caſtri, quo in loco ſanctum corpus ſepultum remanſit ſpatio annorum 400. tum in archivis Fabriani, ad quam Urbem facta fuit ejuſdem corporis translatio, nunquam inventum eſt. A Monachis præterea Camaldulenſibus Guillelmus Card. Sadoletus interrogatus fuit, an in archivis Apoſtolicis ullum extaret monumentum Canonizationis S. Romualdi: ipſe autem reſpondit, adeo manifeſtam & illuſtrem fuiſſe ejus ſanctitatem, ut ſine conſuetis cæremoniis cultus ejus fuerit in univerſam Eccleſiam receptus; quemadmodum refert Fortunius *in opuſc. de translatione S. Romualdi, & in* 2. *part. hiſtor. Camald. lib.* 1. *c.* 32. Cenſet vero Card. Baronius *ad an.* 1027. *num.* 13. S. Romualdum fuiſſe canonizatum erectione altaris ſuper ejus corpus a Sede Apoſtolica poſt quinquennium ab obitu conceſſa; ejuſdemque Canonizationem deſumit etiam ex epiſtola S. Petri Damiani *ad Henricum Archiepiſcopum Ravennatem*, in qua teſtatur, nonnullos ſuo tempore tum habuiſſe tamquam Sanctos, & veluti tales fuiſſe recognitos, qui tamen Ordines ab Epiſcopis ſimoniacis receperant, necnon ſuper eorum corporibus erecta fuiſſe altaria, atque oblata ſacrificia, uti fuere Romualdus Camerinenſis, Amicus &c.

3. Sed prætermittentes, admodum difficile eſſe, ut epiſtola S. Petri Damiani, loquens de S. Romualdo Camertino, intelligatur de S. Romualdo, de quo nunc agimus (quippe qui, licet ſepultus ſit in diœceſi Camertina, Camers tamen non erat; nec ulla probatione evincitur Ordines ſuſcepiſſe ab Epiſcopo ſimoniaco: ita ut veriſimilius ſit, eamdem epiſtolam interpretandam eſſe de alio Romualdo Epiſcopo Camerte, qui prædictis temporibus floruit) majorem difficultatem in eo ſtatuimus, quod facultas Monachis data a Sede Apoſtolica conſtruendi altare ſuper corpus S. Romualdi, Canonizatio potius, quam Beatificatio, ut nobis videtur, appellari velit. Beatificatio nempe potius eſt, non ſolum quia verba conceſſionis modo relata ſonant facultatem, non præceptum, verum etiam quia particularem cœtum Monachorum, minime vero univerſalem Eccleſiam reſpiciunt. Quapropter, cum ejus cultus non extenderetur ultra fines provinciarum Piceni, Umbriæ, & Tuſciæ, legimus apud eumdem S. Petrum Damianum *lib.* 6. *epiſt.* 30. *ad Theuzonem Monachum*, in quadam diſceptatione, ut fides dictis adſtrueretur, nomine Sancti Romualdi in teſtimonium veritatis a Monachis vocato, reſponſum fuiſſe a diſceptantibus, in teſtimonium eſſe adhibendos alios Sanctos, de quorum ſanctitate & cultu in univerſa Eccleſia nulla eſſet dubitatio; Romualdo poſthabito, cujus ſanctitatem & cultum ignorabant, utpote ad ſolos Monachos, aut determinatas provincias coarctatum, uti communiter fit in Beatificatione, non vero extenſum ad univerſam Eccleſiam, quemadmodum in Canonizatione conſuevit: *Cumque ſuper quodam diſceptationis articulo S. Romualdus in teſtimonium duceretur, præſto quæſitum eſt, utrum ipſe Romualdus aut tunc extiterit Sanctus vel nunc ſit in paradiſo receptus; &, licet contra fidem totius Eccleſiæ noſtrarum provinciarum hæc de ſancto viro quæſtio moveretur, ad adſtruendam tamen partis noſtræ ſententiam, illos in teſtimonium Sanctos adſciviimus, quorum celeberrima & vetus opinio etiam apud plebejos quoslibet & ignaros nutare non poſſit, Leonem videlicet, atque Gregorium.*

4. Quid ergo dicendum erit? Dicine idcirco poterit, Sanctum Romualdum non eſſe canonizatum? Minime vero. Nam probatum eſt utique, eum fuiſſe a Sede Apoſtolica poſt quinquennium ab ejus obitu tantummodo beatificatum; tum notum eſt, ejus cultum initio etiam ſæculi XVI. fuiſſe coercitum intra Monachos, & Eremitas Camaldulenſes, ita ut ſervus Dei Paulus Juſtinianus Inſtitutor Congregationis PP. Eremitarum Camaldulenſium Sancti Romualdi, quæ dicitur Congregatio Montis Coronæ, Monachis Caſſinenſibus propterea ſuaſerit, ut in ſuis eccleſiis religioſum cultum exhiberent erga Sanctum Romualdum, qui Ordinem monachicum tot virtutum exemplis illuſtraverat, uti narrat Abbas Camaldulenſis Auguſtinus Romanus Fiori *in vita ſervi Dei Pauli Juſtiniani lib.* 3. *cap.* 29. ſed & compertum eſt, paulo poſt eum fuiſſe a Clemente Papa VIII. canonizatum Canonizatione æquipollenti, omiſſis quibuſcumque judicialibus probationibus, prætermiſſiſque conſuetis cæremoniis; cum heroicæ illius virtutes, continuatus per tot ſæcula cultus, aſſidua miraculorum patratio, ceteris omnibus præteritis, expoſcerent, ut ejus cultus præceptive per univerſam Eccleſiam extenderetur, in quo nimirum

rum Canonizationis natura conſiſtit. In Bullario Romano extat Conſtitutio Clementina *in ordine 32. tom. 3.* in qua de conſilio Congregationis ſacrorum rituum Pontifex juſſit, ut a quibuſcumque perſonis Eccleſiaſticis Sæcularibus, & Regularibus ubique terrarum exiſtentibus die 7. Februarii ſub ritu duplici Romualdi Officium recitaretur; tranſpoſito ſcilicet hujus S. Viri feſto a die 19. Junii, qua mortuus eſt, ad diem 7. Febr. qua ſolemnis ejuſdem corporis translatio facta eſt, ne illuſtrium Martyrum Gervaſii, & Protaſii cultus imminueretur, quippe quorum feſtum celebratur prædicta die 19. Junii, & ne a Miſſali Romano eorum Miſſa ſubtraheretur, cum proprium habeat Introitum a S. Gregorio compoſitum in memoriam pacis eadem die initæ inter Romanos, & Longobardos, ut *in comment. prævio ad vitam Sancti Romualdi num. 27. ad diem 7. Febr. ex Gavanto* plene referunt Bollandiani.

§. II.

De S. Norberto.

3. SAnctus Norbertus Præmonſtratenſis Ordinis Inſtitutor & Epiſcopus Magdeburgenſis obiit anno 1134. ut adnotavit Sigebertus *in chronicis ad an. prædictum*, utque ſequitur Card. Baronius *in notis ad Martyrol. Rom. ad diem 6. Junii*. Admirabilis ejus vita conſcripta fuit ab Hugone, qui fuit ipſius ſucceſſor in gubernio monaſterii Præmonſtratenſis, vel certe a Canonico Præmonſtratenſi juxta mandata & inſtitutiones Hugonis, quemadmodum Baillet *in tab. crit. ad eamdem diem 6. Junii* admittit. Porro teſtatur Surius, ſe neſcire, an Norbertus vir ſanctiſſimæ vitæ adhuc ſit inter Sanctos relatus. Caſtellinus autem *in tract. de certit. glor. SS. pag.* 441. ait, eum in Sanctorum numerum ſolemniter eſſe relatum; ſed ignorari, per quem Pontificem id factum ſit. Joannes vero Le Paige *lib. 2. bib. Præmonſt. par. 2. c.* 43. ait, ipſum anno 1214. fuiſſe ab Innocentio III. ſolemni ritu inter Sanctos adſcriptum. Quia tamen tot alia Canonizationum factarum ab eodem Pontifice authentica diplomata ſuperſunt, at hoc quidem de Canonizatione S. Norberti minime invenitur, & contemporanei deſunt Auctores fide digni peractam ipſam Canonizationem teſtantes, merito Bollandiani *ad diem 6. Junii in comment. præv. ad vitam S. Norberti* §. 1. dubitant de facti veritate. Miræus *in chron. Præmonſt. ad an.* 1582. eum a Gregorio XIII. aſſerit fuiſſe canonizatum. Narrat enim, edito a Jo. Molano Uſuardi Martyrol. cum indiculo Sanctorum Belgii, ſcriptiſque a Molano in eodem indiculo ſequentibus verbis; *Norbertus Sanctenſis Fundator Ord. Præmonſtrat. & Archiep. Magdeburgenſis, nondum eſt catalogo Sanctorum inſcriptus, haud propter inopiam meritorum, quæ ampliſſima habuit, ſed, ut opinor, quia id Ordo a Romana Sede petere neglexerit*; Ordinem ipſum a memoratis verbis Molani excitatum confugiſſe ad Card. Philippum Boncompagnum ſuum apud ſanctam Sedem Protectorem: tum ſub ejuſdem Cardinalis præſidio neceſſaria documenta, & ſignanter in bibliotheca Vaticana ſcriptum ampliſſimum a multis retro annis ad ſolemnem Norberti Canonizationem adornatum, inventa fuiſſe; quibus quidem diligenter excuſſis, Gregorius XIII. Canonizationis diploma expedivit. Aſſentiuntur etiam Bollandiani *loc. cit. n.* 2. ubi Canonizationem ad eumdem referunt Gregorium. Veruntamen, cum Gregorii diploma virtutes quidem & miracula recenſeat S. Norberti, ejuſque nomen in pluribus Martyrologiis uſu Catholicæ Eccleſiæ receptis deſcriptum & adnotatum utique teſtetur; ſed tamen indulgeat Ordini tantum Præmonſtratenſi die 6. Junii ſub ritu duplici in ejuſdem honorem Officii celebrationem cum Octava, uti conſtat ex eodem diplomate relato apud citatos Bollandianos, & apud Emanuelem Rodericum *in Conſtitut. 17. typis impreſſa in ejus collect. privileg. & Indult. Apoſtolic. tom. 2.* tutum profecto non erit, S. Norberti Canonizationem in diplomate Gregoriano conſtituere, quod, utpote conceptum verbis facultatem ſonantibus, & in ſolo Ordine Præmonſtratenſi coercitum, ſolius videlicet Beatificationis vim poteſt obtinere. Quibus proinde præmiſſis, canonizatus ſane dicendus erit S. Norbertus, ſed Canonizatione æquipollenti ſubſequenter facta ab Urbano VIII. & a Clemente X. quorum ille ejus feſtum inſeruit Breviario & Miſſali Romano de præcepto colendum ritu ſemiduplici, hic autem in decreto expedito de conſilio Congregationis ſacrorum rituum die 7. Septembris 1672. ſtatuit, ſub ritu duplici ejus Officium in poſterum recitandum de præcepto ab omnibus Chriſtifidelibus tum Sæcularibus, tum Regularibus utriuſque ſexus, qui ad Horas canonicas tenentur. Ex notiſſima quippe ſanctitate, & undique coruſcante miraculorum fama, cultuque jam ad univerſum Ordinem Præmonſtratenſem per diploma Gregorianum extenſo exiſtimarunt memorati Pontifices, finem negotio eſſe imponendum, atque adeo cultum eſſe S. Norberto in univerſa Eccleſia decernendum aliorum inſtar Sanctorum, qui fuerunt Ordinum Regularium Fundatores, quique ſimilem cultum habent in univerſa itidem Eccleſia.

§. III.

De S. Brunone.

6. SAnctus Bruno Fundator Ord. Carthuſianorum mortuus eſt anno 1101. juxta adnotata a Card. Baronio *in notis ad Martyrolog. Rom. ad diem 6. Octobris*. Ejus vita ſcripta fuit a Franciſco de Puteo Priore primariæ Carthuſiæ, & a Petro Blomevenne Priore Carthuſiæ Colonienſis: ex quibus duobus ſcriptis compoſita eſt ea ejuſdem vitæ relatio, quæ extat apud Surium *ad diem 6. Octobris*. Cardinalis autem Baronius *loc. cit.* refert, S. Brunonem fuiſſe a Leone X. canonizatum; quin & ejus Canonizatio verſibus deſcribitur apud Surium *loc. alleg. pag. 99.* Narrat enim Baillet *ad dictam diem* ante prædictum Pontificem cultum hujus S. Viri fuiſſe neglectum propter infortunium, quod in monaſterio Carthuſianorum Calabriæ univerſus Ordo paſſus fuerat, ita ut alii ejuſdem Ordinis Religioſi extra dictum monaſterium degentes ad ſuum S. Fundatorem preces privatim tantum, non publice funderent. Verum, quomodocunque id ſit, nullo certe pacto dici poſſe videtur S. Bruno a Leone X. canonizatus; ſed ejus æquipollens Canonizatio eximiis tanti viri meritis, præclariſſimi Ordinis fundationi, continuatæ inſignium miraculorum famæ, cultuſque conceſſioni primum quidem univerſo Carthuſianorum Ordini a Leone X. factæ, poſtea toti Eccleſiæ ad libitum a Gregorio XV. innixa, aſſignanda videtur ſummo Pontifici Clementi X. ut ex ſequenti decreto colligitur; *Enixis precibus SS. D. N. Clementi Papæ X. porrectis per E. D. Card. Nidardum nomine Sereniſs. Hiſpaniarum Reginæ, quibus Sanctitati ſuæ ſupplicabatur, ut dignaretur concedere, quod Officium S. Brunonis Confeſſoris Fundatoris Ord. Carthuſ. hactenus ab Eccleſia univerſali ſub ritu ſemiduplici recitatum* (ſupple *ad libitum*) *in poſterum ſub duplici recitaretur ab omnibus utriuſque ſexus tam Sæcularibus, quam Regularibus, qui ad Horas canonicas tenentur; & remiſſis a Sanctitate ſua ad ſacrorum rituum Congregationem, eadem ad relationem E. D. Card. Sfortiæ cenſuit, prædictam gratiam concedi poſſe, ſi eidem SS. D. N. viſum fuerit: die 3. Martii 1674. Et, facta de prædictis Sanctiſſimo relatione per me Secretarium, Sanctitas ſua benigne annuit: die 14. ejuſdem menſis Martii & anni 1674.*

7. Ne autem temere aſſeruiſſe videamur, Sanctum Brunonem nequaquam a Leone X. Canonizatum fuiſſe, ſicut communis fert exiſtimatio, ſed tantum fuiſſe Beatificatum, tum ejus Officium fuiſſe pro univerſa Eccleſia conceſſum a Gregorio XV. ad libitum; operæ pretium fore arbitramur, hic inferere documenta ex archivo majoris Carthuſiæ Gratianopolitanæ authentico ritu deſumpta.

Antonius miſerat. Div. Tit. S. Præxedis S. R. E. Presbyter Cardinalis Papienſis, necnon totius Ord. Carthuſienſis Protector, univerſis & ſingulis præſentes noſtras inſpecturis & lecturis ſalutem in Domino ſempiternam. Cum ex noſtro protectionis officio, benevolentiaque, ac pietate, qua univerſo Carthuſienſi Ordini prædicto afficimur, hodie ad pedes SS. D. N. Leonis Divina providentia Papæ X. præſentavimus venerabiles Religioſos viros DD. Matthæum Bononiæ, Ludovicum Mantuæ, Jacobum Neapolis, & Hugonem S. Crucis in Urbe ejuſdem Carthuſ. Ord. domorum Priores; Et tam nos, quam Religioſi prædicti plura de laudibus, præconiis, ac vitæ ſanctitate B. Brunonis Confeſſoris ejuſdem Ord. Carthuſ. primi Fundatoris ac Inſtitutoris Sanctitati ſuæ retuliſſemus & expoſuiſſemus; qui Vir Beatus, declinante Chriſtiana militia, & propter iniquitatis abundantiam Charitate plurimum frigeſcente, tamquam dux ſtrenuus ad reſiſtendum hoſtibus notum in Eccleſia inſtruxit & inſtauravit exercitum, & in vineam, quam Dominus ſua dextera plantaverat, jam vitiorum vepribus & ſpinis obſitam veluti ſolertiſſimus Paterfamilias, tot fideles conduxit operarios, ut uberiores in dies ex ea fructus ſanctæ Eccleſiæ proveniant, & odorem ſuavitatis proferat & ſanctitatis; ipſius namque B. Confeſſoris multiplex doctrinæ,

Trinæ, vitæ castigatissimæ, innocentiæ, ac munditiæ exemplum plurimos generans sanctæ adoptionis filios, generatque, & nutrit in dies incessanter; cujus meritis Ordo præfatus exornatur, & comprobatur miraculis, & assidue, quasi de virtute in virtutem, crescit, rigans montes de superioribus suis, & de fructu operum suorum satiatur terra. Idcirco nos una cum præfatis Prioribus ab eodem D. D. N. venerabilium virorum Francisci de Puteo moderni Generalis, aliorumque Priorum, & universorum Monachorum, Monialium, Conversorum, & personarum dicti Ordinis nomine humiliter supplicavimus, ut pro omnipotentis Dei gloria, qui in suorum exultat veneratione Sanctorum, ac Beati prædicti Confessoris honore, illiusque evidentissimis sanctitatis operibus, significque virtutum, quibus in carne positus claruit, & ad cælos evocatus perpetuo splendet, proque tam præclari Ordinis decore de Apostolica munificentia & benignitate sub sexta Octobris die, qua die, posita carnis sarcina, idem B. Bruno Confessor ad perpetuam evolavit gloriam, festum quotannis in ejus memoriam, ac solemne Officium dignis in Domino laudibus & honoribus celebrandi, & commemorationem ejusdem ceteris diebus faciendi licentiam concedere dignaretur; quamvis idem B. Bruno Confessor non reperiatur aliter canonizatus per summos Pontifices Prædecessores suos, ut moris est. Qui præfatus SS. D. N. Papa asserens, se jamdudum de laudibus ac sanctitate ejusdem B. Confessoris plurima intellexisse, arbitratus, dignum esse ac consonum rationi, ut, quem Deus in hoc sæculo tantis donis & gratiis insignivit, assumptum in cælis magis ac magis venerandum, & cui viventi dederat cor Omnipotens ad præcepta & legem vitæ & disciplinæ, eidem nunc apud thronum Divinæ gloriæ existenti impendatur in terris debitæ devotionis obsequium; hujusmodi nostris, & præfatorum Priorum supplicationibus libenter annuens, dictis D. Francisco moderno ac pro tempore Generali existenti, & aliis Prioribus, Monachis, Monialibus, Conversis, ac personis dicti Ordinis, in ipsius Ordinis duntaxat domibus, & eorum Ecclesiis seu Capellis festum prædictum solemniter colendi & devotione debita celebrandi, præfatique Brunonis corpus & memoriam dignis in Domino laudibus prosequendi & venerandi, Officiumque conveniens in honore ipsius B. Confessoris agendi & decantandi, necnon commemorationem singulis diebus faciendi, ex tunc & de cetero in perpetuum cum Dei benedictione licentiam vivæ vocis oraculo nobis facto benigne ac favorabiliter concessit pariter, ac indulsit; non obstante, quod idem B. Bruno Confessor non inveniatur aliter canonizatus, ut supra: præsentibus quoque ibidem Reverendiss. in Christo Patri D. D. Laurentio Putio Tituli Sanctorum Quatuor Coronatorum S. R. E. Presbytero Cardinale & Rev. P. D. Francisco Armellino Cameræ Apostolicæ Clerico. Quare, ne apud quemquam de hujusmodi concessione possit aliquod dubium suboriri, præsentes manu propria subscriptas, & nostri soliti sigilli appensione munitas confici jussimus, & per nostrum quoque Secretarium subscribi fecimus in fidem, robur, & testimonium præmissorum & veritatis. Datum Romæ in Apostolico palatio die 19. Mensis Julii anno 1514. Pontificatus vero D. N. an. II. Antonius Card. S. Praxedis Protector manu propria. Antonius Testa Verulanus.

Anno Domini 1515. Capitulum generale Ord. Carthus. celebratum die 7. Maji, & sequentibus, insequendo tenorem bullæ Canonizationis S. Brunonis, hanc promulgavit ordinationem.

Cum SS. D. N. D. Leo Divina providentia Papa X. & modernus nobis, & Ordini nostro sua gratia dederit & concesserit licentiam & auctoritatem, ut in singulis domibus dicti Ord. nostri, & harum Ecclesiis seu Capellis possimus festum B. Brunonis Patris nostri solemniter colere, & devotione debita celebrare, ejusque corpus & memoriam dignis in Domino laudibus prosequi & venerari, & Officium conveniens in honorem ipsius agere & decantare, nec non commemorationem singulis diebus de eo facere, & alia, prout in desuper confectis litteris plenius continetur: Propterea, ne tantam gratiam neglexisse videamur, ad Dei & ejusdem Patris nostri laudem & honorem, Ordinis incrementum, & nostram subditorumque nostrorum salutem, consolationem, & pacem, dictarum litterarum mentem & tenorem insequentes, volumus & ordinamus, quod de cetero annis singulis, perpetuis futuris temporibus, die 6. mensis Octobris, quo die idem Pater noster carne solutus beata fuit immortalitate vestitus, festum prædictum in omnibus & singulis domibus totius Ordinis nostri prædicti, & earum Ecclesiis seu Capellis in honorem, & sub nomine & vocabulo ejusdem B. Brunonis Confessoris cum candelis solemniter celebretur, & ab omnibus Prioribus, Monachis, & Conversis, & aliis personis dicti Ordinis nostri veneratione debita colatur, ejusque corpus & memoriam dignis in Domino laudibus veneretur, fiatque & decantetur die sexta Octobris de eo solemne Officium cum 12. lectionibus, capitulo, & responsorio, & ceteris cæremoniis, quæ in festis solemnibus candelarum solent observari, in hunc videlicet, qui sequitur, modum. Ad primas Vesperas antiphona &c.

Coangustabatur fere inter Carthusienses Divi Brunonis celebritas, donec per totum orbem Christianum promulgata est a Gregorio XV. Pont. Max. Tale autem decretum a sacra rituum Congregatione pro festo S. Brunonis sub ritu semiduplici primum emanavit, quod hic subjicimus.

Die 19. Novembris 1622. Indultum S. Brunonis. Supplicationi a D. Bernardo Gazio Ord. Carthus. Procuratore Generali sacræ rituum Congregationi porrectæ eadem Congregatio, communi Illustrissimorum R. P. assensu, inclinata, habita etiam SS. D. N. confirmatione, festum S. Brunonis ejusdem Ordinis Fundatoris die 6. Octobris, qua in cælum evolavit, in Missali ac Breviario Romano reponi, & Officium de eo semiduplex ab omnibus ubique Fidelibus recitari, concessit. Illi enim inter Sanctos præcipue universalem Ecclesiæ venerationem expostulare videntur, qui sacrarum Familiarum Institutores militanti eidem Ecclesiæ nunquam interitura suffragia reliquerunt. Sign. Franciscus Maria Cardinalis a Monte. Locus ✠ sigilli. Joannes Baptista Rinuccinus Secretarius.

Anno 1623. Supra memoratus Gregorius Papa præcepit, ut die 6. Octobris omnes Sæculares, & Regulares ubique terrarum sub semiduplici ritu recitent Officium S. Brunonis Confessoris Fundatoris nostri, necnon in Breviario, Missali, & kalendariis in posterum imprimendis festum ejusdem S. Brunonis describendum statuit. Breve autem est hujusmodi.

Gregorius Papa XV. Ad perpetuam rei memoriam. Domini nostri Jesu Christi, qui servos suos æternæ gloriæ præmio donat in cælis, vices, quamquam immeriti, gerentes in terris, ex adjuncto Nobis Pastoralis officii debito procurare tenemur, ut eorumdem servorum Christi debita veneratio in dies magis promoveatur, & laudetur Dominus in Sanctis suis. Quamobrem Fidelium quorumlibet, præsertim vero sub suavi Religionis jugo, Altissimo famulantium votis, quæ peculiarem Sanctorum hujusmodi cultum & venerationem respiciunt, libenter annuimus, prout conspicimus in Domino salubriter expedire. Supplicationibus itaque dilecti Filii Bernardi Gazii Ord. Carthus. Procuratoris Generalis Nobis humiliter porrectis inclinati, de venerabilium nostrorum S. R. E. Cardinalium sacris ritibus præpositorum consilio, quod de cetero, perpetuis futuris temporibus, festum S. Brunonis ejusdem Ordinis Fundatoris die 6. Octobris, qua in cælum evolavit, in Missali & Breviario Romano reponi, Officiumque de eo semiduplex ab omnibus ubique Fidelibus recitari libere & licite possit & valeat, Apostolica auctoritate tenore præsentium concedimus & indulgemus. Quocirca venerabilibus Fratribus Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, ceterisque Ecclesiarum Prælatis in universo terrarum orbe constitutis præcipimus & mandamus, ut in suis quibusque Ecclesiis, provinciis, & diœcesibus præsentes nostras litteras solemniter publicari, & ab omnibus Ecclesiasticis personis Sæcularibus, & quorumvis Ordinum Regularibus omnino observari faciant, non obstantibus constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, ut præsentium transumptis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo alicujus personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis eadem prorsus fides adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die 17. Febr. 1623. Pontificatus nostri anno III. S. Card. S. Susannæ. Ita est, Silvester Spada Illustrissimi & Reverendissimi D. Card. Vicarii Notarius.

Locus ✠ Sigilli.

Concordat cum originali; in cujus rei fidem subscripsi de mandato Reverendi Patris Fr. Ambrosius Crollet Scriba ejusdem Reverendi Patris & Capituli generalis Carthusiæ, hac die 14. Octobris 1723.

§. IV.

De S. Petro Nolasco.

8. SAnctus Petrus Nolasco Fundator Ord. B. Mariæ de Mercede Redemptionis Captivorum mortuus est anno 1256. Fertur fuisse a Benedicto XII. seu XIII. illegitimo Pontifice inter Sanctos relatus; ut innuit ipse Baillet *in vita ejusdem S. Petri ad diem 31. Januarii*. Putant tamen alii, eum fuisse canonizatum ab Urba-

Urbano VIII. quin immo Bollandus *ad diem 29. Januarii pag. 990.* teſtatur, ſe ob oculos habuiſſe orationem panegyricam (*Limæ formis excuſam anno 1632.*) compoſitam a P. Maſtriglio Duran Provinciali Peruviano Societatis Jeſu, cum feſta impetratæ Canonizationis peragerentur a Religioſis Ord. B. M. de Mercede. Sed, ſi authentica documenta perpendantur, & inſimul advertatur, nullum peractæ a Benedicto Canonizationis verum documentum ſupereſſe, multo minus aliud documentum extare ſubſequentis alicujus approbationis ab aliquo alio legitimo Pontifice factæ, ſicut contigit in Canonizatione S. Birgittæ, de qua in ſuperioribus ſermo habitus eſt; unuſquiſque facile deprehendere poterit, de Canonizatione quidem S. Petri Nolaſco non eſſe dubitandum: at id tamen intelligendum de Canonizatione æquipollenti facta ab Alexandro VII. ita exigentibus ſancti viri meritis, aliiſque concurrentibus circumſtantiis in hujuſmodi negotio a Sede Apoſtolica conſiderari ſolitis. Summus namque Pontifex Urbanus VIII. prævio conſilio Congregationis ſacrorum rituum, die 11. Octobris 1628. Ordini utique indulſit, ut celebrare poſſet feſtum hujus Sancti cum Officio & Miſſa de Communi Conf. non Pont. juxta rubricas Breviarii & Miſſalis Romani, quemadmodum habetur in ejus Conſtit. 14. *in Bullar. Ord. B. M. de Mercede*; verum non niſi tempore Alexandri Papæ VII. ejuſque auctoritate intercedente, prævio ſimiliter memoratæ ſacræ Congregationis conſilio, Sancti ejuſdem nomen repoſitum fuit in Martyrologio Romano, quod contigit anno 1655. cum anno ſuperiori 1654. precibus Regis Hiſpaniarum idem Pontifex mandaſſet, ut Officium S. Petri cum lectionibus propriis jam reviſis & approbatis, & Miſſa reponeretur in Breviario ac Miſſali Romano ſub ritu ſemiduplici pro univerſa Eccleſia de præcepto omnes tum Sæculares, tum Regulares, qui ad Horas canonicas tenentur, aſtringente, ſicuti legitur in ejuſdem Pontificis decretis *in alleg. Bullar.* inveniendis. Hunc porro ritum Clemens Papa X. ad enixas preces Reginæ Galliarum die 23. Julii 1672. a ſemiduplici ad duplicem elevavit, ut ex ejus decreto habetur *in cit. Bullario*.

9. Ad hæc omitti non poteſt monumentum pertinens ad cultum ejuſdem S. Petri, quod editum fuit in libro P. Marci Salmeron Magiſtri Generalis Ord. B. Mariæ de Mercede Redemptionis Captivorum, cui titulus, *Monumenta hiſtorica*; qui quidem liber conſcriptus eſt idiomate Hiſpano, vulgatus autem anno 1640. Monumentum hocce compendium eſt cujuſdam proceſſus ab Ordinario poſt obitum Sancti conſtructi ſuper ejus ſanctitate, tum tranſmiſſi ad Alexandrum IV. ſummum Pontificem anno 1260. qui cum anno ſequenti ex hac vita migraverit, eo uti pro Canonizatione non potuit. Inſtrumentum poſtea autographum repertum fuit in civitate Barcinonenſi anno 1626. & exhibitum, quando actum eſt de conceſſione Officii, & de ſcriptione nominis in Martyrologio. Juridica autem monumenti recognitio facta quoque eſt anno 1721. coram Ordinario Barcinonenſi, cujus exemplar authenticum ſervatur in Conventu S. Hadriani de Urbe. Hic porro habes ejus tranſumptum.

Tranſumptum authentici documenti Actorum Sancti Petri Nolaſci, anno 1260. confecti, & aſſervati in archivio Conventus Barcinonenſis, Ordinis B. Mariæ de Merc. Redempt. Captiv. ſuper cujus legalitate confectus fuit proceſſus juridicus coram Ordinario Barcinonenſi anno 1721. ut conſtat ex authentico tranſumpto totius proceſſus, aſſervato in archivio generali Conventus S. Hadriani de Urbe, in quo hæc habentur, quæ ſummatim referemus.

Die quarta Decembris 1721. vocato Joſepho Franciſco Fontana Notario publico Actuario, ac etiam Rev. Doctore Promotore fiſcale Curiæ Barcinonenſis, necnon Joanne Fabrer, & Iſidoro Colomer teſtibus coram Illuſtre D. Dominico Piferrer Presbytero, Doctore, Vicario Generali, & Officiali illius diœceſis pro tribunali &c. comparuit P. Magiſter F. Emmanuel Marianus Ribera prædicti Ord. uti Procurator, petens, ut accederet ipſe Vicarius Generalis cum D. Promotore &c. ad archivium Conventus ad compulſanda diverſa monumenta &c.

Deinde ipſe D. Vicarius Generalis cum dicto P. Magiſtro, & cum Promotore fiſcali, Notariis, Peritis, & Collationario, & teſtibus egreſſus a Curia acceſſit ad archivium, quod ad longum deſcribitur, & incipit, in Chriſti nomine. Noverint univerſi, quod anno D. 1260. idibus Madii in præſentia mei Petri de Bages Notarii &c. & in fine poſt ſubſcriptiones Fratrum, Canonicorum, & Notarii legitur: addito ſuper lineam vigeſimam tertiam, Maria. In calce ejuſdem inſtrumenti aliqua

pendent cerea ſigilla, valde jam trita, & ex ſui maxima antiquitate paululum diſcruſtata, continentia gravata tum & Sanctorum imagines, tum & ſcuta Regii Ordin. B. Mariæ de Mercede; pendentia ex lineis cordulis, jam a ſua albedine extenuatis.

Poſt longiſſimam relationem omnium actorum, audito in omnibus Promotore fiſcali, die decima ſexta ejuſdem menſis & anni, invenitur in prædicto proceſſu, quod ventum fuit ad examen juridicum prædicti inſtrumenti, quem recognoverunt Joſephus Ferran Notarius peritus, & Marianus Rondo Notarius peritus, qui ſeorſim recognoverunt prædictum inſtrumentum cum ſubſcriptionibus & ſigillis, & declararunt, eſſe legitimum, reddendo in omnibus cauſam ſcientiæ. Reque prorſus examinata, reſpondit tandem Promotor fiſcalis, quod nihil habebat opponendum. Iude prædictus D. Vicarius Generalis proceſſit ad pronuntiandam ſententiam, quæ late in dicto proceſſu reperitur, tam ſuper dicto inſtrumento, quam ſuper alio, quod ſimul fuerat examinatum, & tenor ſententiæ eſt. „ Audito Rev. Doctore Promotore fiſcali nihil habente exponere, auſcultatiſque Notariorum peritorum relationibus, „ necnon Rev. P. Archiviſtæ reſponſione, ceteriſque omnibus & ſingulis attendendis attentis, tenore præſentium, & auctoritate qua fungimur, dicimus, decernimus & declaramus, quod duo præfata inſtrumenta ſunt „ antiquiſſima & de annis in illis aſſignatis; hoc eſt, „ unum ſignatum per Raymundum de Ulmo de anno „ 1219. & alterum clauſum per Petrum de Bages de anno 1260. ſuntque pariter legitima, legalia & authentica, & alias in nihilo ſuſpecta, nec vitioſa, immo omni fide digna, & admittenda in quolibet foro & ad „ quodcumque genus probationis, tam judicialis, quam „ extrajudicialis, prout cum præſente admittimus, & noſtram ſuper his interponimus auctoritatem & decretum „ deſuper quomodolibet neceſſarium & opportunum, noſque hic ſubſcribimus manu propria: Dominicus Piferrer „ Vicarius Generalis & Officialis.

Tenor prædicti inſtrumenti de anno 1260. ſub fol. 41.

IN Chriſti nomine. Noverint univerſi, quod ann. D. 1260. Idibus Madii, in præſentia mei Petri de Bages Notarii publici Barchinonæ, & per totam Terram & dominationem Illuſtriſs. D. Regis Aragonum, auctoritate ejuſdem, & teſtium infraſcriptorum ad hoc ſpecialiter vocatorum & rogatorum, Ven. & religioſus vir Fr. Guillelmus de Bas, Dei gratia Magiſter Generalis Ord. S. Mariæ de Mercede Captiv. & reliqui infraſcripti Fratres ejuſdem Ord. perſonaliter comparuerunt regantes & petentes, ut quædam teſtimonia, quæ hoc eodem anno auctoritate & juſſu Reverendiſs. D. Arnaldi, nunc Epiſcopi Barchinonenſis confecta ſunt de vita admirabili Ven. Petri Nolaſci ejuſdem Ordinis primi Magiſtri Generalis, in Romana limina ad SS. D. N. Alexandrum Divina providentia Papam IV. mitti debent, ne forte illis caſu aliquo amiſſis, tantarum rerum memoria fraudarentur, dignaremur earum ad ſummam quandam reductarum publicum inſtrumentum cum illis omnibus concordans conficere, ſignatumque tradere, quatenus poſſit in archivo dictæ Religionis ad futuram memoriam aſſervari. Nos igitur eorum petitioni obtemperantes, qua potuimus, brevitate ex præfatis teſtimoniis, quæ ſequuntur, hæc deſumpſimus.

Fuit Ven. Petrus Nolaſco natione Gallus, ortus prope Carcaſonam in parochia S. Pauli, ex nobilibus parentibus. In cunabulis vagienti examen apum mellis favum in dextera ejus manu fabricavit. Infantulus quoſvis cernens egenos, donec ipſis eſſet ſuccurſum, amare flebat; puerulus propriis manibus, quæ comparare poterat, illis donabat: orbatus parentibus, ut Albigenſium hæreſim, quæ in Gallia viget, effugeret, vendito patrimonio Cathaloniam perdives petiit; voluit autem prius Virginem Mariam de Monteſerrato viſitare: cui nocte quadam oranti, dæmon, ut a propoſito amoveret, apparuit, qui perſiſtentem videns reliquit. Impleto voto Barchinonam venit, ubi cæpit, quæ ex patria attulerat, miſericorditer conſumare. Vexabatur anxie pro captivis, ad quos redimendos quinquies abiit Valentiam, & ſemel Majoricam: inde quater propriis ſumptibus trecentos ferme qualibet vice liberavit; bis autem adjutus Fidelium eleemoſynis eduxit, quos potuit. Qui aliis tam dives fuit, ſibi omnino fuit pauper, ut nec domum, nec lectum proprium haberet, ſed humi jacebat, ut facilius orationi vacaret. Multas multorum perſecutiones ſuſtinuit, eo quod juvenes ad tam pium opus induceret: his quotidie prolixe vacabat orationi: virginitatis votum, quod puer fecerat, perpetua caſti-

castitate servavit. Propterea, quamvis multi nobiles viri suas cuperent ei filias in matrimonium dare, ipse, omnibus contemptis, cælibatum amavit; disciplinas frequentissime recipiebat. Captivorum sic erat charitate accensus, ut plures eum audierint dicentem: omnino cupere, se in illorum pretium vendere; quod, nisi a Rege esset impeditus, fecisset. In die Parasceves Passionem Domino meditanti visio accidit, qua videbat olivam plenam fructibus & plures homines, qui illam conabantur abscindere; cui cælitus mandatum est, ut illam servaret; ipse vero tunc nihil horum intellexit, donec eodem anno, qui fuit millesimus ducenteſimus decimus octavus, quarto nonas Augusti deliberanti in solitudinem secedere, cum de hoc Deum orando consuleret, apparuit B. Virgo Maria, & præcepit, ne in solitudinem discederet, sed potius fundaret novam Religionem, in qua posset pro captivis suam exercere charitatem, illos redimendo, & quod ipse primus habitu albo vestiretur, quæ Religio nuncuparetur Religio B. Mariæ de Misericordia, seu de Mercede de Captivis. Collato consilio cum Rege Jacobo, & D. Raymundo de Pennafort, responderunt, sibi idem esse mandatum; & quarto Idus Augusti eodem anno in ecclesia S. Eulaliæ, quæ est Cathedralis civitatis Barchinonen. institutus est Ordo prædictus solemniter coram Rege Illustriss. & D. Berengario Episcopo, & D. Raymundo, & reliquis Canonicis, & cuncto populo. Ab hoc anno usque ad annum vigesimum quartum redemit quadringentum sexaginta ex Granata, Valentia, & Algaria, inter quos multi infantes & fœminæ multæ. Cum duo homines illum occidere decrevisſent, domum venerunt: ille a Deo de periculo admonitus, obviam illis exiit, & blande alloquens, ad virtuosam vitam convertit, quod accidit anno vigesimo in mense Madio. Circa annum vigesimum primum multum laboravit, ut quosdam Nobiles regni inter se graviter dissidentes concordaret: idem Regem comitans in Cæsaraugusta civitate fecit. Desideravit, ut ejus Ordo ab Apostolica Sede approbaretur, ad quod Fr. Raymundus Pennafort jussu Regis Romanam Curiam visitavit, & confirmationem Ordinis a D. N. Gregorio Papa IX. Perusiæ impetravit, anno Pontificatus ejus VIII. 16. kal. Februarii. Frequentissimus in canonicis Horis erat in choro, præsertim ad Matutinas media nocte cantandas. Quadam autem nocte Angelos in choro reperit, mediamque inter illos B. Mariam, omnes similiter Matutinas cantantes, quibus ipse lætissimus interfuit. Sæpe a Rege oblatos honores, tanquam a Religioso alienos, recusavit. In honore magno ab omnibus fuit habitus; & quanto erant viri nobiliores, tanto plus illum venerabantur. Multa prophetico spiritu prædixit; inter quæ Illustriss. Regi Jacobo suadens, ut Valentiam obsideret, victoriam adepturum promisit. Durante civitatis obsidione sacram imaginem B. Mariæ del Puig sub cymbalo in terra sepultam, cælesti claritate admonitus, reperit. Instituit nocturnam benedictionem dormitorii, multi autem Fratres B. Virginem sæpe viderunt illud benedicentem. Omnes egenos, & ægrotos reficiebat, & curabat, ad quod domum ædificavit. Cum ad altare Virginis de Pietate oraret, cum esset multum desiderans visitare sanctorum Apostolorum Petri & Pauli loca, S. Petrus crucifixus illi apparuit, & dixit: Ecce ego ad te venio, quia tu ad me venire non potes. Vitas Sanctorum legens, suam judicans omnino disparem; timebat, se ad cælestia non perventurum: tunc illi Dominus ostendit civitatem Hierusalem cælestem multis portis apertam, & dixit: Filii, in domo Patris mei mansiones multæ sunt. Nunquam in lecto dormiebat; & sic cilicio, disciplinis, & jejuniis erat infirmatus, ut fere stare, aut ambulare non posset. Ad procurandam pro captivis eleemosynam, multoties totam Hispaniam pedibus suis ambulavit; multa in itinere mirabilia faciebat, ut infirmos curaret. Sic captivorum libertatem procurabat, ut etiam, quæ ad sustentandos Fratres erant necessaria, venderet; & cogitanti illi, si in hoc Domino placeret, apparuit Dominus, dicens: Nolite timere, pusillus grex, quia complacuit Patri vestro dare vobis regnum, vendite quæ possidetis, & date eleemosynam. Tempore suo liberati sunt duo millia septingenti decem & octo captivi, quorum ipse octingentos nonaginta fere personaliter septies facta redemptione liberavit. Reliquos vero per alios Fratres duodecies missos; præter tres, in quibus spoliati sunt Fratres, & occisi. Ipse cum esset in Africa spoliatus, volens in Hispaniam venire, ut novam pecuniam colligeret, impositus in navi, sine velo & remigio Valentiam venit, cum prius flagellatus fuisset, & socium suum Petrum Amerium in pignus reliquisset. Quando sciebat alicubi captivos esse afflictos, quos liberare non poterat, veniens in spiritu consolabatur & in fide roborabat; sicut illorum testati sunt eum vidisse multi. Cum Federicus Imperator Italiam opprimeret, ad publicam pœnitentiam totam civitatem Barchinonen. ad orationem commovit. Regem Franciæ Ludovicum invisit, & eum admonuit, ut Hierusalem civitatem a Turcis liberaret. Cum jam ob senium & corporis laboribus extenuati infirmitatem, non posset media nocte Matutinis interesse, ab Angelis in chorum portabatur. Noluit titulo Magistri Generalis, quo ab Apostolica Sede fuit honoratus, pro humilitate uti, sed dicebatur minister, & servus hospitalis captivorum. Onus gubernationis suis humeris majus judicans, sæpe renuntiare tentavit, sed a Fratribus fuit impeditus. Sed tandem anno quadragesimo octavo, ætate & infirmitate gravatus officium renuntiavit, & reliquum vitæ tempus soli Deo dedit, contemplationibus vacans. Frequenter cum B. Maria Virgine, & custode Angelo colloquebatur. Morti jam proximus visitavit corpus Ven. Raymundi, quem ipse ad Ordinem receperat, & ei, accepto loco, in quo erat, ab Ecclesia Celsonensi monasterium ædificandum curavit. Ab ipso Raymundo de instante morte certior factus Barchinonem redit, & ibi in morbum incidit, in quo a Christo & B. Maria est confortatus, & humiliter receptis Sacramentis, omnes Fratres ad se vocavit & eos de religiosa perfectione admonuit, præsertim de charitate erga captivos. Postea, cum psalmum, Confitebor tibi, Domine, in toto corde meo, devotissime diceret, ad illa verba, redemptionem misit Dominus populo suo, animam Deo reddidit, in cujus morte multa miranda contigerunt. Obiit autem in vigilia Natalis Domini hora mediæ noctis, anno Domini millesimo ducenteſimo quinquagesimo sexto, multos filios in suo Ordine relinquens, & ex Mahometana secta ad fidem Christi multis conversis. Corpus ejus insepultum per tres dies remansit, propter concurrentem populum, donec a Fratribus nocte sepultum est, multis mirabilibus operatis. Hæc sunt, quæ ego præfatus Petrus de Bages publicus Notarius ex suprædictis testimoniis & instrumentis desumpsi, in quorum fidem & testimonium præsens publicum instrumentum confeci, a dicto Ven. Magistro Generali & reliquis Fratribus appensis sigillis roboratum.

Ego Fr. Guillelmus Bas Magister Generalis si ✠ gnum apposui.
Ego Fr. Bernardus de Corbaria sigil ✠ lum apposui
Ego Fr. Pontius de Solanes sigil ✠ lum apposui
Ego Fr. Jacobus de Apiaria sigil ✠ lum apposui
Ego Fr. Petrus de Amerio si ✠ gnum apposui
Ego Fr. Bernardus a Sancto Romano sigil ✠ lum apposui
Ego Fr. Joannes de la Es sigil ✠ lum apposui
Ego Fr. Pontius de Verellis sigil ✠ lum apposui
Ego Fr. Joannes Jonovini si ✠ gnum apposui
Si ✠ gnum Petri Presbyteri & Canonici
Si ✠ gnum Terrari de Minorisa Canonici
Si ✠ gnum Raymundi de Fontaneto Canonici testium.
Si ✠ gnum Petri de Bages Notarii publici Barchinonenſis, qui hæc scribi feci, & clausi die & anno, quo supra: addito super lineam vigesimam tertiam, Maria.

Locus sex sigillorum seregrum ex cordulis nunc pendentium ✠. ✠. ✠. ✠. ✠. ✠.

Locus trium cordularum & serici, ex quibus tria antea pendebant sigilla. ✠. ✠. ✠.

Facta igitur exemplatione dictorum duorum instrumentorum, illico dictus D. V. G. præcepit mihi præ. & infrascripto Notario Actuario, & Jacobo Sayos Notario Collationario, quatenus exemplaria binorum relatorum instrumentorum in Actis præsentis processus transumptorum bene, fideliter, & legaliter collationaremus cum suis originalibus, posteaque relationes faceremus de tali collatione. Et statim ipsam nobis præceptam collationem fuimus executi coram eodem Illustriss. D. Vicario Generali, Rev. Promotore fiscali, testibusque supra adhibitis, ipsis videntibus & auscultantibus.

IN NOMINE DOMINI. Amen.

NOverint universi & singuli præsentes visuri, lecturi, legique pariter audituri, suprascriptum instrumentum confectum super vita S. Petri Nolasco, & appositum in pede restrictus & summarii Actorum factorum super legalitate processus ut supra fabricati, fuisse & esse de verbo ad verbum desumptum, extractum, & exemplatum ex publico & authentico documento eorundem Actorum in liberculum reductorum constantem ex paginis centum viginti tribus chartulatis, & coopertum charta pergamena, subscripto & publicato per D. Josephum Franciscum Fontanam Apostolica, & Regia auctoritatibus Notarium publicum Barcinonæ litteris legalitatis aliorum duorum publicorum Notaria-

UAB Biblioteca de Ciències Socials

tariorum ejuſdem civitatis munito ſub data diei 2. Julii 1722. mihi Notario publico infraſcripto exhibito per Reverendiſs. P. Fr. Didacum Tellium Ord. B. Mariæ de Mercede Redemptionis Captivorum, ſacrarum Congregationum Indicis, & rituum Conſultorem, qui idem publicum documentum in liberculum ut ſupra redactum aſſervari aſſeruit in archivo generali Ven. Conventus S. Hadriani de Urbe ejuſdem Ordinis; factaque per me Notarium exacta & diligenti collatione ſupraſcripti inſtrumenti cum dicto publico & authentico documento mihi &c. ut ſupra exhibito, illud in omnibus & per omnia, nihilo penitus variato, ſeu immutato, concordare, meliori ſemper ſalva collatione; dictum autem liberculum antedictus Reverendiſs. P. Fr. Didacus Tellius originaliter penes ſe retinuit ad dictum archivum generale Conventus S. Hadriani de Urbe reportandum: In quorum fidem &c. Romæ &c. hac die vigeſima prima Aprilis 1733. Indictione XI. Pontificatus autem Sanctiſſimi in eodem Chriſto Patris & D. N. Clementis Divina providentia Papæ XII. anno III.

L. ✠ S. *Ita eſt Lucius Antonius Nerius Romanus Civis, & publicus & cauſarum Curiæ Capitolii Apoſtolica auctoritate Notarius &c.*

NOs ad præſens Cameræ Almæ Urbis Conſervatores. Univerſis &c. Fidem facimus atque teſtamur, ſupraſcriptum D. Lucium Antonium Nerium fuiſſe & eſſe publicum, authenticum, legalem, noſtræque Curiæ Capitolii Notarium fide dignum, ac talem, qualem ſe ſupra fecit, ſcripturiſque ſuis tam publicis, quam privatis in Judicio, & extra plenam ſemper adhibitam fuiſſe, & de præſenti indubiam adhiberi fidem. In quorum teſtimonium &c. Datum Romæ ex palatio noſtro Capitolino hac die vigeſima prima Aprilis 1733.

L. ✠ S. *Pro D. Secretario nobilis collegii DD. Curiæ Capitolii Notariorum Carolus Marcus Tullius de mandato &c.*

§. V.

De S. Raymundo Nonnato.

10. SAnctus Raymundus Nonnatus, qui habitum Ordinis B. Mariæ de Mercede Redemptionis Captivorum recepit a S. Petro Nolaſco, quique dignitatem Cardinalitiam obtinuit a Gregorio IX. ex hac vita migravit anno 1240. Ferunt quoque nonnulli, eum fuiſſe canonizatum a Benedicto XII. ſeu XIII. illegitimo Pontifice, tum in Concilio Conſtantienſi Canonizationem fuiſſe approbatam, atque a ſubſequentibus legitimis Pontificibus nunquam revocatam. Ita nempe habet Baillet *in ejus vita ad diem* 31. *Auguſti num.* 3. & eodem fere modo res exponitur in catalogo Magiſtrorum General. Ord. B. Mariæ de Merc. *typis impreſſo ante Bullar. ejuſdem Ord.* §. 1. *num.* 9. & 10. Pater autem Jo. a S. Felice *in ſupplemento ad flores SS. Ribadeneiræ ad diem* 31. *Auguſti in vita S. Raymundi*, teſtatur, nonnullos in ea eſſe opinione, ut credant, cultum fuiſſe in ejus honorem conceſſum a Gregorio IX. Sed, cum peracta per Beneditum Canonizatio fidei Philippi Guimeræ innitatur, memoratus Baillet *in tab. crit.* merito de eadem ſuſpicatur: etſi de S. Raymundi æquipollenti Canonizatione a Romanis Pontificibus facta dubitandum eſſe nequaquam videtur, ſi Romanorum ipſorum Pontificum conſtitutiones, atque decreta in citato Bullario relata legantur. Urbanus etenim Papa VIII. prævio conſilio Congregationis ſacrorum rituum, anno 1626. indulſit Ordini recitationem Officii de Communi & Miſſæ celebrationem. Alexander Papa VII. die 20. Octobris 1655. benigne annuit ad preces Card. Virginii Urſini Diaconi eccleſiæ S. Euſtachii, ut in ea feſtum celebrare poſſet S. Raymundi cum Officio & Miſſa de Communi, eo quod ferebatur, Sanctum ipſum fuiſſe ejuſdem Diaconiæ Titularem, dum Cardinalitio honore frueretur. Ejus nomen ſub eodem Pontifice deſcriptum fuit in Martyrologio Romano. Sub Alexandro quoque Papa VII. ſacrorum rituum Congregatio lectiones & Orationem propriam recitandas a Religioſis Ord. B. Mariæ de Mercede approbavit. Clemens Papa IX. recitationem Officii & Miſſæ celebrationem ſub ritu ſemiduplici ad libitum ad univerſam propagavit Eccleſiam die 13. Auguſti 1669. Innocentius denique Papa XI. die 10. Martii 1681. ritum de ſemiduplici ad duplicem elevando, recitationem Officii & Miſſæ celebrationem præceptive univerſæ Eccleſiæ demandavit.

§. VI.

De SS. Joanne de Matha, & Felice de Valois.

1. SAncti Joannes de Matha, & Felix de Valois Fundatores Ordinis Sanctiſſimæ Trinitatis Redemptionis Captivorum virtutibus, & miraculis illuſtres ex hac vita deceſſerunt, iſte anno 1212. ille anno 1213. Traditum autem eſt, eos in Sanctorum album per ſolemnem Canonizationem ab Urbano IV. fuiſſe relatos. Ferrarius enim Gallus in ſuis Chronicis ſcriptis anno 1269. & uſque adhuc ineditis ita loquitur: *Anno* 1262. *Urbanus Generalis Eccleſiæ Antiſtes Sanctiſſimos Felicem, & Joannem Mathenſem Fundatores Ordinis Sanctiſſimæ Trinitatis in catalogo Sanctorum numeravit Kalendis Maji;* Antonius Lupianus Zappata examinatus in proceſſu confecto ſuper Cultu immemorabili, de quo infra, dixit, ſe anno 1635. propriis oculis vidiſſe proceſſum, in quo teſtis aſſerebat, authenticam bullam Canonizationis legiſſe occaſione aſportationis quarumdam Scripturarum, quam fecerunt Religioſi Sanctiſſimæ Trinitatis Redemptionis Ordinis Captivorum ab Hiſpaniis in Gallias; Joannes de Figueras *in Chronicis editis anno* 1645. loquens de Miniſterio totius Ordinis, quod fuit delatum Alando Theologiæ Doctori anno 1262. inter cetera de eodem hæc habet: *Ejus ſolertia Sanctus Joannes de Matha, & Felix Valeſienſis Ordinis Inſtitutores ab Urbano IV. Trecanico Chriſtiani Orbis Antiſtite in Apotheoſim Sanctorum relati fuerunt apud Urbem Veterem anno* 1263. *die* 4. *Octobris;* concordantque Georgius Joannes Scotus *lib.* 1. *cap.* 1. Gulielmus Spina Benedictinus *in Hiſtoria de adventu Religionis in Angliam centuria prima cap.* 8. *pag.* 209. Trajanus Maſſejus *in Hiſtoria manuſcripta de eorum vita*, Tamajus *in Martyrolog. Hiſpan. tom.* 6. *ad diem* 21. *Decembris*, Joannes a Sancto Felice *in ſupplemento ad Flores Sanctorum Ribadeneiræ in vita Sancti Joannis de Matha.*

12. Verum, quod attinet ad Urbanum IV. cum ſolum ſuperſit documentum authenticum Canonizationis ſolemniter ab eo factæ Beati Richardi Ciceſtrenſis in Anglia Epiſcopi, de quo in novo Codice Canonizationum, *pag.* 97. bulla autem Canonizationis memoratorum Sanctorum nec inveniatur, nec unquam fuerit reperta, licet maximis adhibitis diligentiis perquiſita; non videtur, tuto aſſeri poſſe, eos per ſolemnem Canonizationem fuiſſe ab Urbano IV. in Sanctorum album relatos; & multo minus, cum eadem formalis Canonizatio dicto innitatur & fidei memorati Antonii Lupiani Zappatæ, quem inſignem fuiſſe falſitatum inventorem & propagatorem, confictoremque hiſtoriarum, privilegiorum, & bullarum, ſibi aſſumpto titulo Notarii Apoſtolici; & etiam aliquando Monachi Benedictini, latiſſime oſtendunt Nicolaus Antonius *in bibl. Hiſpan. vet. tom.* 1. *lib.* 6. *cap.* 22. *numer.* 460. & 472. Clar. mem. Card. de Aguirre *t.* 1. *Conc. Hiſpan. diſſ.* 9. *excurſu* 11. *num.* 140. & *num.* 145. & *tom.* 2. *diſſ.* 3. *excurſu* 3. *numer.* 33. & 34. Jacobus Antonius de Monaco *in ſuo lib. de calumnia in prologo* (*qui liber formis impreſſus fuit in civitate Neapolitana ann.* 1715.) ac Jo. Gaſpar Roig Ord. S. Franciſci de Paula *in ſuo lib. Barçin. typis excuſo ann.* 1684. §. 1. *pag.* 2. Neque enim ipſe Ordo SS. Trinitatis Redemptionis Captivorum de aſſertione prædicta ſecurus viſus eſt; quando non multis ab hinc annis eorumdem Sanctorum cauſam pro ſolemni impetranda Canonizatione introduxit. Expedita quippe, ſicuti in more eſt, commiſſione, conſtructoque proceſſu ſuper eorum cultu immemorabili, Cardinalis Urbis Vicarius die 31. Julii 1665. ſententiam protulit, conſtare de caſu excepto a decretis Urbani VIII. & de cultu per tempus immemorabile præſtito in honorem ſanctorum ipſorum Joannis, ac Felicis; atque adeo anno 1670. annuente ſummo Pontifice, ac prævio conſilio Congregationis ſacrorum rituum, eorum nomina fuerunt deſcripta in Martyrologio Romano. De antiquitate nimirum cultus nulla poterat eſſe dubitatio; cum in proceſſum confectum compulſum fuerit antiquum Breviarium Eccleſiæ Meldenſis cum hymno proprio dictorum Sanctorum una cum antiquiſſimo Breviario in Belgio reperto pro regnis Angliæ, Scotiæ, & Hiberniæ cum lectionibus propriis eorumdem. Præterquamquod Franciſcus de S. Auguſtino Macedo Minor. Obſerv. Religioſus horum Sanctorum merita, & cultus antiquitatem perſequitur in eorumdemmet vita. Poſt approbationem porro cultus immemorabilis impetratæ fuerunt plures conceſſiones Officii & Miſſæ ſub ritu duplici ad libitum, Qua-

propter, prædictis, aliisque circumstantiis rite ponderatis, prævio consilio Congregationis sacrorum rituum, Innocentius denique Papa XII. Joannem, ac Felicem æquipollenti Canonizatione inter Sanctos retulit, elevando ritum a duplici ad libitum ad duplicem de præcepto, atque adeo jubendo ut Officium eorum in universa Ecclesia recitaretur; ut ex sequenti decreto sacræ Congregationis desumitur: *Posse concedi censuit, ut Officium SS. Joannis de Matha, & Felicis de Valois dicti Ord. Fundatorum hactenus in toto fere orbe Catholico sub ritu duplici minori ad libitum ex pluribus concessionibus Apostolicis recitatum, in posterum singulis annis sub eodem ritu duplici minori in diebus eorum festorum ab omnibus tam Sæcularibus, quam Regularibus utriusque sexus, qui ad Horas canonicas tenentur, & in Ecclesia universali de præcepto recitetur, si Sanctissimo Domino nostro placuerit: diebus 27. Martii, & 15. Maji 1694. Factaque deinde Sanctissimo Domino nostro per me Secretarium relatione, Sanctitas sua benigne annuit; die 19. ejusdem mensis Maji, & anni 1694.*

§. VII.

De S. Margarita Scotorum Regina.

13. SAncta Margarita Scotorum Regina mortua est anno 1093. Ejus vita edita fuit a Surio *ad diem* 10. *Junii tom.* 3. & scripta est a Turgoto Episcopo, *ut in notis Jo. Molani ad Martyrologium Usuardi ad diem 16. Novemb.* Fertur autem, eam fuisse ab Innocentio IV. canonizatam. Sed hanc opinionem irrepsisse probabile est ex insigni miraculo, quod sub eodem Pontifice contigisse Scriptores Scoti apud Raynald. *ad ann.* 1249. *numer.* 11. narrant. Cum etenim fieret beati corporis translatio, & capsam argenteam deferentes ad Malcolmi Margaritæ mariti sepulcrum deveniissent, omnes immobiles repente constitere; donec monente venerabili sene Spiritu Divino afflato, Margaritam, quæ marito vivo semper reverentiam exhibuerat, nolle eidem mortuo ipsam denegare, ideoque numquam permissuram, se deportari ad locum, quo sui corporis Reliquiæ erant transferendæ, nisi maritus humo effossus ejus lateri adjungeretur; facta effossione, utriusque ossa mira deinde facilitate translata fuere ad locum, qui pro solis offibus Margaritæ fuerat præparatus. Sed, cum ex his, quæ sub Innocentio IV. contigerunt, inferri legitime nequeat formalis ipsa Margaritæ Canonizatio; eo vel magis, quia, promota a Scotis petitione pro formali eadem Canonizatione obtinenda, Innocentius Papa VIII. nonnullis demandavit Præsulibus, ut Apostolica auctoritate processum conficerent super illius virtutibus & miraculis, uti colligitur ex sensu epistolæ memorati Pontificis apud citatum Raynaldum *ad annum* 1487. *numer.* 26. *& seqq.* necesse est idcirco, æquipollenti insistere Canonizationi, pro qua certa non desunt argumenta. Fuit namque Margaritæ nomen descriptum in Martyrologio Romano, ejusque festum, quod die 10. Junii celebrabatur, translatum fuit ad diem 8. Julii, quo sub ritu semiduplici ad libitum Officium recitabatur in universa Ecclesia, primo quidem cum lectionibus de Communi secundi Nocturni, deinde vero cum lectionibus etiam propriis, quæ fuerant antea approbatæ & concessæ soli regno magnæ Britanniæ; veluti liquet ex decreto a sacrorum rituum Congregatione edito sub Innocentio XI. die 21. Januarii 1679. qui illud approbavit die 1. Februar. ejusdem anni. Post hæc Innocentius Papa XII. die 15. Septembris 1691. Officii, & Missæ recitationem, & celebrationem sub ritu semiduplici de præcepto haberi voluit ab universo Clero Sæculari, ac Regulari in tota Ecclesia: tum autem die 21. Februar. 1693. idem festum sub ritu pariter semiduplici de præcepto in diem 10. Junii, qua die descriptum est nomen S. Margaritæ in Martyrologio Romano, restituit.

§. VIII.

De S. Stephano Hungariæ Rege.

14. SAncti Stephani Hungariæ Regis nomen descriptum erat in Martyrologio Romano ad diem 20. Augusti. Ejus vita conscripta fuit a Cartuitio in regno Hungariæ Episcopo, a quo quidem quæ narrantur, licet ipse non fuerit contemporaneus Stephano, plurimis nihilominus validissimis fulciuntur adminiculis; edita autem fuit a Surio *ad eamdem diem tom.* 4. sed factis in ea quibusdam mutationibus, ut ornatior appareret. In eadem porro refertur, S. Stephani corpus, elapsis ab ejus obitu annis quadraginta quinque, fuisse sub Ladislao Rege Hungariæ, summi Pontificis auctoritate intercedente, elevatum. Verum utcunque sit de elatione ista, & utrum ea simplicem Beatificationem, an formalem Canonizationem importaverit, quod adhuc sane incertum est, cum neque de substantia, neque de ejus modo constet; de sancti tamen Stephani sanctitate, & ejus æquipollenti Canonizatione nullus superest dubitandi locus ex decreto summi Pontificis Innoc. XI. edito die 28. Novembris 1686. In hoc enim, postquam fuit expositum, antea in Ecclesia universali ejus Officium recitari consueviisse sub ritu simplici, ad enixas preces Imperatoris Leopoldi mandatum est, ut in posterum de præcepto sub semiduplici ritu ab omnibus, qui tenentur ad recitationem Horarum canonicarum, recitaretur; assignata nempe Officio ipsi 2. die Septembris (ad quam similiter diem, ut & ad 15. Augusti, qua Sanctus obiit, facta tunc est ejus nominis in Martyrologio Romano translatio) in perpetuam memoriam insignis & gloriosæ victoriæ ab armis Christianorum obtentæ contra Turcas, ope Divina, in expugnatione propugnaculi Budensis, sedis olim ejusdem Sancti.

§. IX.

De S. Wenceslao Duce Bohemiæ.

15. SAnctus Wenceslaus Dux Bohemiæ & Martyr mortuus est ann. 929. ejusque nomen descriptum est in Martyrologio Romano *ad diem* 28. *Septemb.* ac in Martyrologio Adonis *ad eamdem diem in Append.* Card. Baronius *in notis* Auctores atque Historicos refert de ipsius Martyrio & miraculis loquentes: ejus autem vita extat apud Surium *ad cit. diem tom.* 5. & Æneas Sylvius *in hist. Bohem. cap.* 15. sic de eodem habet: *Ipsum autem Wenceslaum multis miraculis claruisse, atque inter Sanctos Martyres ab Ecclesia receptum tradunt.* In Dania etiam fuerunt Deo O. M. in honorem S. Wenceslai dicata templa. Æquipollens vero ejusdem Canonizatio initium sumit ab anno 1670. tempore Clementis Papæ X. qui, ad enixas preces Leopoldi Romanorum Regis in Imperatorem electi sibi porrectas per Cardinalem de Hassia, die 26. Julii 1670. indulsit, ut ejus Officium in posterum recitaretur in Ecclesia universali sub ritu semiduplici ad libitum, atque Breviario Romano apponeretur sub eodem ritu recitandum die 28. Septembris ab omnibus, qui ad Horas canonicas tenentur, Sæcularibus, ac Regularibus utriusque sexus; tum autem die 29. Novembris ejusdem anni, ad preces Matthæi Ferdinandi Episcopi Pragæ, Orationem & lectiones proprias in sacrorum rituum Congregatione revisas atque probatas pro universa ipsamet Ecclesia ratas habuit, retento tamen semper ritu semiduplici ad libitum. Sed, cum ritus sive semiduplex, sive duplex ad libitum importare nequeat Canonizationem æquipollentem, quia non infert præceptum, juxta ea, quæ in superioribus dicta sunt; perfecta idcirco Canonizatio æquipollens S. Wenceslai constituenda est in decreto edito tempore Pontificatus Benedicti XIII. die 14. Martii 1729. quo nimirum statutum fuit, prædictum Sanctum esse colendum in universa Ecclesia cum Officio utique semiduplici, at de præcepto.

§. X.

De S. Gregorio VII.

16. SAnctus Gregorius Papa VII. mortuus est ann. 1085. Post decursum annorum 45. ab ejus obitu ejusdem vita conscripta fuit a Paulo Bernriedensi Canonico Regulari, & extat apud Bollandianos *ad diem* 25. *Maji pag.* 140. *tom.* 6. *in Actis SS. Ord. S. Bened. sæc.* VI. *par.* 2. *Et t.* 3. *Scriptorum rer. Ital.* quos alias a nobis cum laude memoratus Ludovicus Antonius Muratorius collegit, ordinavit, & præfationibus auxit; ubi *cap.* III. adhuc plura de illius sanctitate ac miraculis referuntur. *Olim Helias*, (verba sunt prædicti Pauli apud cit. Bollandianos) *ex mortalium cohabitatione transiturus dimisit Helisæo pallium suum prophetici muneris instrumentum; similiter & Gregorius ex hac mortali vita migraturus transmisit Anselmo*, (qui erat Episcopus Lucensis) *Pontificalis insigne potestatis, videlicet mitram capitis sui: hoc nimirum Deo cooperante, ut, sicut ille prophetiæ per pallium hæreditavit prærogativam, ita & iste sacerdotalem per mitram obtineret eminentiam.*

Nem-

Nempe eo usque processit similitudo, ut, sicut Helisæus per pallium Heliæ virtutum signa demonstraverat, ita & Anselmus per mitram Gregorii quædam magnalia exhibuevit. Nam, ut de pluribus unum magis divulgatum proferamus, Rev. Mantuanæ Præsul Ecclesiæ Ubaldus multis jam annis gravissime splenecticus, & toto corpore ulceratus, præsertim in cruribus, sic ut vix quomodolibet stare posset, vix etiam jacere, vel sedere, qui & multa in Medicos erogaverat, nihilque profecerat, appositæ eadem mitra ubi major ingruerat dolor, pristinæ redditus est sanitati. Eum quoque ante mortem miraculis claruisse, scribit Lambertus Schafnaburgensis *ad ann.* 1077. (*inter Scriptores rerum German. Pistorii tom.* 1. *pag.* 247.) *Signa etiam & prodigia, quæ per orationes Papæ frequentius fiebant, & zelus ejus ferventissimus pro Deo & pro Ecclesiasticis legibus, satis eum contra venenatas detractorum linguas communiebant.* Miracula vero ejus obitum, eodem intercedente, secuta testatur Ordericus Vitalis *part.* 2. *hist. Eccl. lib.* 8. *pag.* 677. ubi loquitur de ejus tumulo: *Meritis ejus, fidei petentium miraculorum copia divinitus ostensa est: nam leprosi de aqua, unde corpus ejus ablutum fuerat, petierunt, qua consecuta fideliter loti sunt, &, opitulante Deo, protinus mundati sunt.* Presbyter item Pœnitentiarius *in vita S. Anselmi, apud Bollandianos ad diem* 18. *Martii cap.* 5. *num.* 25. *&* 26. *tom.* 2. relata sanitate, cui Ubaldus Mantuanus Episcopus, uti supra, fuit miraculo restitutus, ait, Gregorium fuisse miraculis insignem in vita & post obitum: *Beatissimus itaque talis ac tantus Magister miracula fecit multa vivens, ac mortuus.* Denique eum Confessorem, & Martyrem obiisse, dicit Hugo Flaviniacensis *in chronico apud Labbè tom.* 1. *biblioth. MSS. pag.* 232.

17. Nota insuper sunt illustria gesta summi Pontificis S. Gregorii VII. Ecclesiasticorum etenim dominiorum, quæ *investituras* dicimus, abusus tanto temporum decursu, tantaque sæcularium Principum auctoritate obfirmatos evellit; simoniam fere ubique graſſantem exstirpavit; cælibatum Clericorum pœne ab interitu revocavit, ita ut mirum esse non debeat, si Principum, & aliorum multorum invidiam contra se concitaverit. Notæ sunt quoque calumniæ tum Hæretici Berengarii, tum Bennonis Cardinalis schismatici tanto viro impactæ, adeo ut bene adverterit Mabillonius *in præfat. ad sæc.* 6. *part.* 2. *Ord. S. Bened.* §. 7. *num.* 77. nullam fidem habendam esse sive Bennoni Gregorii hosti infensissimo, sive Berengario, qui toties fidem datam violavit, & in tuenda hæresi perseveravit. Notæ sunt demum celebres apologiæ pro S. Gregorio VII. compositæ. Sanctus namque Anselmus Lucensis Episcopus supra memoratus singularem pro ejus defensione librum edidit adversus Guibertum Antipapam (*biblioth. Pontif. tom.* 4.): Beatus Petrus Damiani *lib.* 1. *epist.* 7. *ad Nicolaum II.* eum *sanctissimi ac purissimi consilii virum* appellat: Desiderius Abbas, qui Gregorio ipsi sub Victoris III. nomine successit, (*lib.* 3. *dialog. apud Mabillon. in Act. SS. Ord. Bened. sæc.* 4. *part.* 2. *pag.* 453.) eum Christi Ecclesiam *verbis simul, & exemplis illustrasse*, scribit. Inter acerrimos adhuc innocentiæ Gregorii defensores merito recenseri potest Card. Baronius *in suis annalibus*, utpote in quos res ejus gestas per singulos annos ex Scriptoribus maxime coævis, ex Conciliis sub eo habitis, & ex regesto epistolarum ipsius in undecim libros distincto bene deduxit. Pro eodem assumpto pugnat Cardin. Bellarminus *in suis controversiis*, & signanter *lib.* 4. *de summo Pontifice cap.* 13. *tom.* 1. *controv.* Jacobus quoque Gretserus *in sua illustri apologia* quinquaginta Historicos adducit, qui suis scriptis gesta Pontificis Gregorii proponunt, & invicto argumentorum robore defendunt; adeo ut idem Gretserus *in examine myster. Plessæani pag.* 318. *tom.* 7. *oper.* exultans ita loquatur: *Quis Benno, & Sigebertus Gregorii VII. calumniatores, si conferantur cum tot sanctissimis & doctissimis Scriptoribus a parte Gregorii VII. stantibus, quorum in apologia pro eodem Pontifice quinquaginta prostulimus, recitatis eorum verbis; ex quibus nonnulli interea integri in lucem venerunt, ut Paulus Bernriedensis, & Gerochus, seu Gerhobus Reicherspergensis; ut taceam præclara illa antiquorum monumenta, quæ in defensionem Gregorii VII. jam olim scripta, nuper ex tenebris eruit vir. clarissi. D. Sebastianus Tengnagel J. U. D. Cæsareus Viennæ Bibliothecharius, quorum fulgore tam priscorum, quam recentium in Gregorium VII. convicia adeo obnubilantur, ut jam non nisi a noctuis, ululis, vespertilionibus, & nycticoracibus, & si quæ sint aliæ hujus generis caliginis patientes, lucis impatientes aves, conspiciantur?* Gretserum Soc. Jesu scriptorem sequitur Franciscus D'Enghiel Ord. Præd. cum in opere satis elaborato auctoritatem Sedis Apostolicæ pro Gregorio Papa VII. vindicaverit adversus Natalem Alexandrum ejusdem Ordinis Theologum, qui *in histor. Eccles. sæc.* XI. ubi de Gregorio agit, usque adeo suæ professionis se oblitum exhibuit, ut hæc sola de causa, quemadmodum adnotarunt Bollandiani *ad diem* 25. *Maji in comment. prævio ad vitam Gregorii VII.* §. 1. meruisse potuerit gravissimam suorum librorum proscriptionem. Nec inter egregios S. Gregorii VII. defensores omitti ullo modo potest Eminentiss. F. Vincentius Ludovicus Gotti Ord. Præd. utpote qui, post assertam Catholicam veritatem in insigni opere adversus Jacobum Piceninum, *in* 3. *part. colloquiorum Theologico-Polemicorum colloqu.* 10. *&* 11. vindicias Gregorii VII. strenue exaravit; sicuti postea inter assiduos Cardinalitiæ dignitatis labores eximium opus Theologiæ Scholasticæ Dogmaticæ juxta mentem Divi Thomæ Aquinatis, antequam dignitate ipsa insigniretur inceptum, prosecutus est magno sane Litteratorum plausu, atque adeo nobiscum communis Patriæ, suique Religiosi Ordinis decore.

18. Paulo ante memorati Bollandiani, Gregoriani cultus antiquitatem desumunt ex gestis Anastasii Papæ IV. qui, post sexaginta annos ab obitu Gregorii, picturis exornans absidem, & altare sacelli S. Nicolai in Urbe a Callisto II. ædificatum, Gregorium VII. æque ac Sanctos alios, ipsamque beatissimam Virginem, depingi fecit cum titulo Sancti, & diademate orbiculato circa caput ducto; quin etiam iidem Auctores absidem, & altare ænea tabula expressum dederunt *in Append. ad* 1. *part. conat. de Rom. Pontif. pag.* 208. quod etiam adnotavit Fleury *histor. Eccles. lib.* 63. *tom.* 13. *pag.* 453.

19. Sacellum hoc S. Nicolai ædificatum in Patriarchio antiquo Lateranensi adhuc manet, commutato licet Patriarchio in ædem collegii Pœnitentiariorum sacrosanctæ basilicæ Lateranensis. In eodem autem sacello etiamnum est altare, & pictura quidem adhuc permanet in absside altaris, sed aliquantum in parte inferiori immutata. In parte etenim superiori picturæ habetur imago beatissimæ Virginis Christum Dominum filium suum in sinu gerentis, duobus circumstantibus Angelis; quorum omnium imagines diademate orbiculato apparent coronatæ; provoluti ad pedes Beatissimæ Virginis duo adsunt summi Pontifices vestibus Pontificalibus induti, & solo diademate quadrato insigniti: Pontifex a dextris genuflexus est Callistus Papa II. qui autem est a sinistris, Anastasius IV. sicut indicat inscriptio ibidem appositа: sub pedibus Beatissimæ Virginis leguntur hæc verba; *Præsidet æthereis Virgo Maria choris:* in eadem item parte superiori picturæ Pontifex a dextris depictus est, stans, Pontificalibus ornamentis indutus, specie benedicentis, mitram habens in capite, ac diadema orbiculatum circa caput; & hic est S. Silvester, ut indicat inscriptio: a sinistris vero alia est imago summi Pontificis stantis, sine mitra tamen, at cum solo diademate orbiculato circa caput, specie item benedicentis; & hic est S. Anastasius, veluti etiam enuntiat inscriptio. Pars picturæ superior dividitur ab inferiori per quamdam lineam, super quam scripta hæc extant: *Substulit hoc primo templum Callistus ab imo, Vir clarus late Gallorum nobilitate. Verum Anastasius potitus culmine sacro Hoc opus ornavit, variisque modis decoravit.* In parte porro tabulæ inferiori habetur imago Crucifixi, ad cujus dexteram S. Dominicus, ad sinistram Sanctus Franciscus stantes depicti sunt: super imaginem Crucifixi scriptum est; *Heu famulis Christus Crucifixus parce redemptis:* in eo picturæ latere, ubi est imago S. Dominici, hoc est a cornu Evangelii, stantes, & vestibus Pontificalibus induti, mitraque ac diademate orbiculato insigniti circa caput quatuor Romani Pontifices picti sunt; sanctus videlicet Leo Papa III. S. Urbanus Papa II. S. Paschalis Papa II. S. Gelasius Papa II. uti præseferunt inscriptiones: in eo autem latere, ubi depictus est S. Franciscus, id est a cornu epistolæ, quatuor aliorum Romanorum Pontificum imagines conspiciuntur simili modo expressæ: Sancti scilicet Gregorii Papæ II. Sancti Alexandri Papæ II. S. Gregorii Papæ VII. S. Victoris Papæ III. quemadmodum pariter ex inscriptionibus desumitur.

20. Hic nempe est præsens picturæ status, sed vera & sincera facies absidis antiqui ac venerandi Apostolici sacelli S. Nicolai Episcopi olim in Patriarchio Lateranensi extantis, & etiamnum existentis in ædibus collegii Pœnitentiariæ Apostolicæ hoc modo se habebat. Superior,

rior, inquam, picturæ pars non est ab eo tempore immutata: verum in parte ejusdem inferiori tunc aderat imago S. Nicolai Episcopi Myrensis stantis, & pedum manu gerentis; ad partem autem dexteram S. Nicolai, imagines aderant summorum Pontificum, hoc est sancti utique Leonis, sed Magni, tum S. Urbani Papæ II. S. Paschalis Papæ II. S. Gelasii Papæ II. ut ad sinistram aliæ aliorum summorum Pontificum, sancti scilicet Gregorii pariter Magni, S. Alexandri Papæ II. S. Gregorii Papæ VII. S. Victoris Papæ III. & omnes quidem hi Pontifices stantes depicti erant, vestibus Pontificalibus induti, populo benedicentes, cum mitra in capite, atque orbiculato diademate circa caput, tum ad uniuscujusque latus nomen scriptum erat cum titulo *Sancti*; ita sane testantibus Onuphrio Panvinio, Jo. Severano *in libro de septem Urbis ecclesiis*, Constantino Cajetano *in vita S. Gelasii II.* Cardinali Raspono *lib. 4. de basilica & Patriarchio Lateranensi cap. 12.* Codice MS. Vaticano, sæpe laudatis Bollandianis ut supra, & Julio Lucenti Cistercienſi Abbate *in opere de Episcopis Italiæ*, ubi agit de Casinensium Antistitum serie.

21. Si itaque tabula hæc, prout & antiquitus erat depicta, & partim etiam est recenter, sedulo perpendatur; fateri oportebit, initia cultus S. Gregorii VII. ad Anastasium IV. esse referenda. In eadem quippe ad pedes Beatissimæ Virginis provoluti apparebant, & apparent Callistus II. atque Anastasius IV. quorum primus sacellum ædificavit, alter instauravit & ornavit; quo nimirum modo depicti apparent in antiquis musivis ecclesiarum Urbis Pontifices, qui suas imagines exprimi voluerunt, dum viverent, in tabulis illius altaris, sacelli, aut ecclesiæ, quam ædificabant, vel instaurabant. Depictus enim hoc modo fuit Joannes VII. in altari, quod construxerat in basilica Vaticana; eodemque modo expressi apparent Pelagius II. in vertice fornicis S. Laurentii extra muros, & Honorius III. in porticu ejusdem templi, quemadmodum habetur apud Ciampinum *de ædif. a Constant. construct. cap. 4. pag. 75. tab. 23. litt. E. & in veter. monim. tom. 2. cap. 13. tab. 28. pag. 102. col. 2. & pag. 103. col. pariter 2.* In ipsamet autem basilica Lateranensi adhuc extat in testudine absidis musivo expressus Nicolaus IV. ejusdem absidis ædificator provolutus ad genua beatissimæ Virginis, & plurium Apostolorum, ut omnibus patet, & sicuti refert prædictus Card. Rasponus *in cit. oper. lib. 1. cap. 9. pag. 43.* Capita item Callisti, & Anastasii nequaquam orbiculata, sed quadrata diadematis vel coronæ figura sunt ornata: ea namque forma exornabantur capita Pontificum viventium, quorum imagines pingebantur, teste erudito Turrigio *in notis ad historiam Martyriis S. Theodori pag.* 307. in qua sic loquitur: *Quando poi volevasi mostrare, che la persona era vivente e dimorante in questa terra piena di travagli, imperfezioni, e soggetta alla mutabilità de' quattro elementi, si formava dietro alla testa una figura quadra; come si vede in molti mosaici, e pitture antiche di Papa Giovanni Quarto, e di Leone Terzo nel Laterano, di Leone Quarto in Santa Maria Nuova, di Giovanni Settimo in S. Pietro sotto le grotte, di S. Lorenzo fuor delle mura, di Giovanni Decimoterzo in pittura in S. Paolo, ed in altri luoghi.* Cui consentit Joannes Diaconus *lib. 4. de vita S. Gregorii Magni num. 84.* (*tom. 4. oper. S. Gregorii col. 176.*) & ex quo quidem bene locutus est Mabillonius *in mus. Ital. tom. 1. part. 1. pag. 229.* ubi tabulam explicando depictam in ecclesia S. Theodori Martyris, de quo supra, hæc habet: *Quod Pontifex & Rex ipse ibidem depicti sunt capitibus radiatis, id argumento est, eam picturam post eorum obitum factam fuisse. Nam viventes personæ illustres, sicubi depingebantur, ad caput tabulæ quadratæ similitudinem, quod viventis insigne est, præferebat, non coronam.*

22. Capita vero SS. Leonis, & Gregorii Magni, Gelasii II. Paschalis II. Urbani II. Alexandri II. Gregorii VII. & Victoris III. efficta apparebant, & partim adhuc apparent diademate circulato; quod utique est sanctitatis, & cultus Ecclesiastici argumentum. Sacræ scilicet Scripturæ Interpretes hoc fuse ostendunt ad illud *Apoc. cap. 2. v. 10. Esto fidelis usque ad mortem & dabo tibi coronam vitæ;* atque ad illud *psalmi 64. v. 12. Benedices coronæ anni benignitatis tuæ:* necnon multa pro eodem assumpto comprobando colliguntur a Theofilo Raynaudo *tom. 13. in opere de pileo, & ceteris capitis tegminibus sect. 18.* Sed ad rem præsentem satis erit lectorem remittere ad notas alias citati Blanchini *in vitam Pelagii Papæ II.* quo nimirum in loco musivum exhibetur ab eodem Pelagio II. constructum sæc. VIII. & adhuc integrum in basilica Laurentiana, ubi Sancti Petrus, & Paulus, Laurentius, & Stephanus figurati sunt orbe ducto circa caput. Turrigius etiam *loc. cit.* hæc refert de Urbano Papa V. *Tal circolo facevasi già alle volte dipinto alla testa di qualche persona di bontà celebre; come oggi si vede alla figura di Papa Urbano Quinto in S. Francesco a Ripa, e già in S. Grisogono al sepolcro del Cardinale di Crema con lettere,* Beatissimus Papa Urbanus Quintus. *Si scorge anche il medesimo in S. Salvatore de Curte, dove il detto Urbano tiene avanti il petto l'imagini delle teste de i Santi Pietro, e Paolo, perchè egli le collocò nel ciborio della chiesa Lateranense.* De Pontifice namque Urbano V. legitur, quod facta ejusdem corporis translatione ab Ecclesia Avenionensi, in qua fuerat primo sepultum, ad monasterium S. Victoris Massilienſis, cujus Abbas fuerat, & in quo quidem suam elegerat sepulturam, tanta & tam multiplicia Deus ad ejus intercessionem miracula patrare dignatus est, ut, inter Abbatem, & Ædituum exorta controversia, ad quem alterutrius pertinere deberent oblationes ea occasione factæ, res anno 1374. per transactionem composita fuerit; qua nempe cautum fuit, emendos certos reditus assignandos Ædituo, oblationes autem ceræ, auri, & argenti ad Abbatem spectare, & cœnobium. Scriptores quoque passim de ejus sanctitate & miraculis testimonium dederunt. Item Waldemarus Daniæ Rex Gregorio XII. supplicavit, ut eum in Sanctorum album referret; tunc etenim jam mos invaluerat formalis Canonizationis a summo Pontifice per definitivam sententiam impetrandæ. Carolus præterea Galliarum, & Ludovicus Siciliæ Reges Petrum Olmarium Canonicum Aquensem Procuratorem ad Robertum Gebenensem in sua obedientia dictum Clementem VII. Avenione sedentem miserunt, ut ab eo solemnem Urbani Canonizationem obtineret; qui profecto, licet a Pagi, aliisque respondisse feratur, sibi per tempus non licere, in tam diro videlicet schismate, ad tam sanctum ac pium opus incumbere, re vera tamen, ne quid omitteret eorum, quæ a legitimis Pontificibus fieri consueverant, juxta morem litteras dedit ad nonnullos de sua obedientia Præsules, ut auctoritate Apostolica processum conficerent super virtutibus & miraculis Urbani V. inter quæ nonnullæ mortuorum suscitationes recensebantur: sicut ex litteris memorati Pseudopontificis desumitur, quæ, etsi eis rei exitus non respondit, insigni tamen Urbani virtutum & miraculorum famæ satis prodesse dicendæ sunt, teste Raynaldo *ad ann. 1381. num. 48.* ubi easdem litteras affert. Soresinus quoque *in suo tract. de capitibus SS. Apostolorum Petri, & Pauli* nonnulla profert desumpta ex processu facto super hujus Pontificis Canonizatione, quem conservari testatur in biblioth. Vaticana. Tandem nonnulla etiam cultus duplici vestigia erga Urbanum in ecclesia S. Victoris Massilienſis adhuc extant; uti plene colligitur ex ejus vita descripta a Pagi juniore *tom. 2. par. 2. brev. Rom. Pontif.* cui adstipulatur Spondanus *in continu. annal. ad ann. 1370. num. 5.* quemadmodum & de miraculis Urbani V. intercessione a Deo patratis plura habentur apud Massonium *in ejus vita*, atque apud Bzovium *ad annum prædictum*. Senator porro Philippus Bonarrotius nulli profecto in sacra & profana eruditione secundus *in observ. ad nonnulla fragmenta antiquorum vasorum vitreorum in cœmeteriis Urbis inventorum tab. 9. fig. 1. & 2.* de circum capita figurata ducto diademate affert illud Honorii Augustodunensis: *Lumina, quæ circa capita Sanctorum in modum circuli depinguntur, designant, quod lumine æterni splendoris coronati fuerunt. Idcirco vero secundum formam rotundi scuti pinguntur, quia Divina protectione, ut scuto nunc muniuntur.* Idem post longam antiquarum picturarum observationem concludit, orbiculatam coronam circa Angelorum capita sæculi V. initio cœpisse depingi, deinde in fine sæculi VI. eum pingendi morem fuisse ubique receptum, & ad Sanctorum denique imagines post sæculum VII. fuisse productum, uti videre est *p. 65. & 66.*

23. Si ad ceteros subinde, quorum imagines in tabula Lateranensi depictæ erant, Pontifices attendamus, & de Alexandro quidem Papa II. primum loquamur; hic electus est anno 1061. ob vitæ sanctimoniam, eruditionem insignem, & peritiam Ecclesiastici regiminis. De eo plura habentur apud Leonem Ostiensem *lib. 3. c. 21.* (*inter Scriptores rer. Ital. tom. 4. pag. 431.*) Bertoldus *in chron. Constant. ad ann. 1061.* (*inter Scriptores Germ. Urstisii pag. 342.*) de eodem scribit: *Qui satis strenue Simoniacam hæresim destruxit, & Ministris altaris cum conjugi-*

jugibus coire juxta Canonum ſtatuta cum excommunicatione interdixit, ipſoſque laicos Clericorum incontinentium Officia audire per bannum probibuit, ſicque Clericorum incontinentiam ſatis prudenter refrænavit. Ipſum hoc elogio ornat Guillelmus Pictavienſis *in geſtis Guillelmi II. Ducis Normannorum, & Regis Angliæ I.* (*inter Scriptores hiſt. Norm. Duchеſnii par.* 1. *pag.* 197.) *Tempore eodem ſedebat in Cathedra S. Petri Romæ Papa Alexander, digniſſimus, cui obediret, quemque conſuleret Eccleſia univerſa. Reſponſa etenim edebat juſta, ſalutariaque. Is Præſul Lucenſis, cum altiorem gradum nullatenus appeteret, violento plurimorum conſenſu, quorum apud Romanos tunc præcellebat auctoritas, ingenti Concilio aſſentiente, in eo locatus eſt primatu, quo Præſulum orbis terræ caput exiſteret atque magiſter: electionem hanc ſanctitate meruerat atque doctrina. Per eadem poſt ad ortum ſolis, & occaſum effulgebat ... ubiquaque per mundum potuit, iniquum corrigens, nulli concedens.* Miracula ab eodem ante mortem edita deſcribuntur a nuper citato Leone Oſtienſi *lib.* 3. *cap.* 36. ubi ait: *Supradictus Papa Alexander Urbe egrediens venit ad hoc monaſterium* (loquitur de Caſſinenſi) *qui a Deſiderio honorifice ſuſceptus, dum Abbatis cameram, quæ juxta eccleſiam S. Nicolai conſtructa eſt, ingreſſus ſuiſſet, dæmoniacus quidam, qui tunc illo advenerat ei factus eſt obvius; quem S. Pontifex ut vidit, orationem fundens ad Dominum, dixit ad dæmonem: Præcipio tibi, immunde ſpiritus, in virtute Domini ut exeas ab hoc homine, & vadas in illum locum ubi nec avis volat, nec vox hominum reſonat, & ſis ibi uſque ad diem judicii. Mirabilis Deus in Sanctis ſuis, qui invocantes ſe & de ſua miſericordia præſumentes velociter exaudire dignatur! Nam dæmon ad ejuſdem Pontificis præceptum hominem relinquens, cuncti qui aderant laudare cœperunt & benedicere Deum. Nec hoc tacendum videtur, quod omnipotens Deus per eumdem ſuum famulum operare dignatus eſt. Nam, cum civitatem Aquinum pertranſiret, claudam quamdam in itinere jacentem invenit, cujus infirmitati idem compatiens Pontifex, aquam de qua poſt Miſſarum ſolemnia ſuas manus abluerat, ei ad bibendum tradidit, quam mox ut in potum accepit ſanitati reddita, gratias Deo referre permaximas cœpit.* Hæc, demum, atque alia ſanctitatis & miraculorum teſtimonia congeruntur a Pagi juniore *in ejus vita* (*breviar. Rom. Pontif. tom.* 1.) qui proinde etiam miratur, ejuſdemmet nomen in Martyrologio Romano adhuc inſcriptum non eſſe.

24. Porro Victor III. ſummus Pontifex electus eſt anno 1086. Etſi vero Hugo Abbas Flaviniacenſis *in ſuo chronico* (*tom.* 1. *biblioth. nov. MSS. Labbè pag.* 234.) mortem Victoris III. hiſce verbis deſcribat: *Hic igitur conſecratus ab Oſtienſi Epiſcopo, cum Miſſas apud S. Petrum diceret, infra actionem judicio Dei percuſſus eſt; & quamvis tarde, cognoſcens, ſe erraſſe, ſe ipſe depoſuit; & accitis Fratribus de Monte Caſſino, qui ſecum aderant, præcepit, ſe illo deferri, & in Capitulo, non ut Papam, ſed ut Abbatem, ſepeliri.* Huic tamen Hugoni nulla fides habenda eſt, cum ſteterit a patribus Hugonis Archiepiſcopi Lugdunenſis, qui immoderato Pontificatus deſiderio inflammatus ægre tulerat electionem Victoris, ejuſque conſecrationem, ut videre eſt in ejus epiſt. *t. 6. par.* 2. *collect. Conc. Hard. pag.* 1. qua nempe conviciis ſanctiſſimum impetit Pontificem. Trithemius autem *in chron. monaſt. Hirſaugienſis ad an.* 1087. *pag.* 83. *oper. hiſt. par.* 2. refert, Victorem inſidiis Henrici Imperatoris mortuum fuiſſe, veneno in calicem, dum Sacrum celebraret, injecto. Ptolemæus quoque Lucenſis *hiſt. Eccl. lib.* 19. *cap.* 13. (*inter Scriptores rer. Italic. Muratorii tom.* 11. *col.* 1078.) eum modo prædicto defunctum narrat; cum enim alii afferant, eum dyſenteriæ morbo ſublatum, ſubdit: *Quod eſſe potuit ea virtute veneni adminiſtrati ſibi per amicos Henrici.* Nonnulli igitur memorato Victori Martyris titulum dedere, eo quia ob Eccleſiæ defenſionem ab ejus inimicis veneno necatus dici poſſit. Sed, quomodocumque hoc ſit, quod utique ex aliorum ſuſpicione Trithemius refert, Petrus certe Diaconus *de viris illuſtribus cœnobii Caſſinenſis cap.* 18. (*rer. Ital. tom. 6. col.* 32.) inſignes ejus virtutes mirabiliter extollit, tum etiam faſti Benedictini ejus memoriam die 16. Septembris recolunt his verbis: *In monaſterio Caſſinenſi obitus B. Victoris Papæ III. ſanctitate vitæ, & miraculorum gloria clariſſimi.* Sacra ejus oſſa ex antiquo ſepulcro ad ſacellum B. Bertharii in eccleſia Caſſinenſi ſitum translata fuerunt an. 1515. ejuſdemque ſacelli ornamentis abſolutis, an. 1666. ipſæ B. Pontificis Reliquiæ ſolemni pompa locatæ ſunt ad partem dexteram altaris. Ejus inſuper Officium cum lectionibus propriis a ſacrorum rituum Congregatione approbatis ſub ritu duplici celebratur in monaſteriis Caſſinenſi, & Cavenſi, in civitate Beneventana, atque in civitate ac diœceſi Vaccienſi.

25. Victori III. ſucceſſit Urbanus II. cujus nempe etiam icon in tabula habebatur & habetur Lateranenſi, quique in ſummum Pontificem electus eſt anno 1087. Hujus autem glorioſa facta minime opus fore ducimus hic recenſere, ſed tantum indicaſſe ſat eſſe, nomen ejus in nonnullis Martyrologiis, & ſacris Faſtis Beati titulo eſſe inſignitum. In Martyrologio videlicet Benedictino *apud Mabillonium ſæc. 6. Bened. part.* 2. *pag.* 904. hæc exarata ſunt: *Die 29. Julii. Romæ depoſitio B. Urbani Papæ II. quondam Monachi Cluniacenſis, Cruciatæ ad recuperationem Terræ ſanctæ auctoris, libertatiſque Eccleſiaſticæ defenſoris acerrimi; qui, poſt multas ab Henrico Imperatore IV. acceptas injurias, poſt exilium, & pravas ærumnas, aliaque id genus, tandem ſanctitate clarus Confeſſor occubuit.* In menologio Benedictino IV. *Kal. Auguſti* ſic legitur: *Romæ, Beati Urbani II. Pontificis Maximi de univerſa Eccleſia meritiſſimi:* ac plura alia adjiciuntur de ejus pro Eccleſia feliciter exantlatis laboribus. Philippus etiam Ferrarius *in catal. SS. qui non ſunt in Martyrol. Rom.* de eo *ad dictam diem* ſic ait: *Romæ, Beati Urbani Papæ II. qui ſacrum bellum in Saracenos pro recuperandis Hieroſolymis indixit.* Res, inquam, illius geſtæ memoria dignæ omni Scriptorum genere illuſtratæ, atque ab eorumdem temporum fideliſſimis Auctoribus editæ fuerunt.

26. Urbano Papæ II. ſucceſſor fuit Paſchalis II. cujus pariter imago extitit, & extat in ſæpe memorata tabula Patriarchii Lateranenſis. Electio ejus contigit anno 1099. Dum enim erat monachus Cluniacenſis, ob morum honeſtatem notus factus S. Gregorio VII. inter Presbyteros Cardinales ab eo cooptatus eſt; mortuo autem Urbano, invitus & reluctans (fugam etenim arripuit, cum ſe ſummum Pontificem electum agnovit) ſummi Pontificatus poſſeſſionem accepit, teſte Pandulpho Piſano *in ejus vita, quæ extat inter Scriptores rer. Ital. tom.* 3. ubi etiam refert *pag.* 355. Albertum Epiſcopum Alatrinum per revelationem electionem ejus prænoviſſe: *Dum hæc Romæ agerentur, Albertus Alatrinus Epiſcopus quidquid futurum per oraculum vidit. Religioſo cultu quædam perſona ſibi apparuit, quæ interroganti, quis Domno Urbano ſuccederet, reſpondit: Raynerius:* (ſic enim Paſchalis ante Pontificatum appellabatur.) *Ut quid? inquit. Propter fidem, & conſtantiam, elegit eum Dominus.* Ex Dodechino quoque Auctore contemporaneo narrat Card. Baronius *ad an.* 1100. fuiſſe cuidam Religioſo revelatum, quod Paſchalis Pontificatus partim placidus, partim vero turbulentus eſſet futurus, ſicuti deinceps comprobavit eventus. Felix quippe in afferendis Eccleſiæ juribus fauſtumque fuit ejus Eccleſiaſticum gubernium uſque ad annum 1111. ſed eodem hoc anno Romam adveniens Henricus inter Reges Germaniæ V. inter Imperatores autem IV. fide fracta, per dolum & fraudem Paſchalem cum Epiſcopis, & Cardinalibus, ceteriſque ex omni ordine, necnon cum multis Proceribus cuſtodiæ tradidit, dum pueri, juvenes, ac viri, qui cum floribus & palmis Henrico ipſi obviam proceſſerant, aut ſpoliati, aut vincti, aut cæſi ſunt; nemine ex Germanis Epiſcopis factum hocce, præter Conradum Salisburgenſem Archiepiſcopum, improbante.

27. Pontifex ergo nudatus ſacris veſtibus, Clericique, ac laici captivi funibus vincti abducti ſunt. Cumque pro concedendæ liberationis pretio Henricus urgeret, ut dominiorum Eccleſiaſticorum poſſeſſionem daret, quam *Inveſtituram* vocamus, a Gregorio VII. aliiſque Pontificibus damnatum privilegium ſibi concederetur, Paſchalis vero ſe ad mortem paratum oſtenderet, ne quid adverſus Eccleſiaſticam libertatem indulgeret; & captivos quidem omnes in ejus, ut de ſententia propoſita dimoveretur, conſpectum ad necem produci juſſos nihil permotus ad mortem ipſam oppetendam hortatus eſſet; horum tandem precibus & lacrimis flexus, quod ſua cauſa non feciſſet, id aliena fecit, & Henrico conceſſit, ut Epiſcopos, atque Abbates anulo ac virga in poſſeſſionem mitteret, utque hi ſic miſſi ab Archiepiſcopo, cui eſſent ſubditi, conſecrarentur, ut demum ab Imperatore non miſſi a nemine conſecrarentur; at duabus tamen additis conditionibus, altera ſcilicet ut electio libera eſſet, altera autem, ut dominii conſtitutio, atque adeo ipſa in ejus poſſeſſionem introductio ſine ſimonia expleretur: ſicut ex authenticis documentis refert Card. Baronius *ad an.* 1111.

28. Sic

28. Sic e carceribus egreſſo Paſchali, criminationibus multis ampla vita aperta eſt: quippe teſte citato Orderico *lib.* 10. *pag.* 762. nonnulli afferebant, eum potius vincula, flagra, & mortem perpeti debuiſſe, quam aliquid contra jus & ſtatuta Patrum, poteſtati annuere ſæculari. Non defuerunt tamen, qui factum defenderent. Quamobrem Ivo *in epiſt.* 238. ita ſcripſit: *Hunc exceſſum ejus non tantum non accuſamus, ſed, dictante ratione, approbamus, ſi, imminente ſtrage populi, paterna charitate cum nonnullo vulnere ſuo ſe tantis periculis voluit objicere, ut majoribus morbis poſſet, ſincera charitate ſubvenire.* Et profecto ſupra expoſitæ conditiones liberæ electionis ad Epiſcopatus, & Abbatias, atque excluſionis cujuſcumque ſimoniæ in tradenda dominii poſſeſſione per anulum & baculum, non modicum defenſioni ſubſidium ſuppeditabant; cum S. Anſelmus Lucenſis Epiſcopus *lib.* 2. *apologet. pro Gregorio VII.* (*cit. biblioth. Pontif. tom.* 4.) contra Guibertum Antipapam eas ſpecialiter deſignaverit cauſas, quibus inductus Gregorius VII. dominii Eccleſiaſtici poſſeſſiones dandi facultatem proſcripſerat. Alii contra audacius ad ulteriora procedentes, privilegium Henrico conceſſum hæreſis labe infectum judicarunt, ipſumque qui indulſit, tamquam hæreticum habendum eſſe cenſuerunt. Hujus nimirum ſententiæ fuit Guido Viennenſis Metropolita, Paſchalis II. in Gallia Legatus, & deinde Romanus Pontifex, aſſumpto nomine Calliſti II. Illi adhæſerunt Jo. Lugdunenſis Archiepiſcopus, & Bruno Caſſinenſium Abbas Signienſique Epiſcopus, utpote cui in tertia Synodo Romana privilegium tamquam hæreſim continens, idque concedentem tamquam hæreticum denuntianti Jo. Cajetanus Epiſcopus fortiter obſtitit. Supra allegatus autem Ivo *epiſt. cit.* laicam dominii Eccleſiaſtici conſtituendi facultatem hæreſim utique continere ſenſit, ſi in poſſeſſionem mittens putaret, ſe prædictis externis teſſeris ſpiritualem poteſtatem cæleſtis & Divini miniſterii concedere; ſecus vero, ſi ipſe mittens id in animo non haberet: concluſitque, conceſſionem eamdem ſine prava opinione non eſſe niſi alieni juris uſurpationem: *Si quis vero laicus ad hanc prorumpit inſaniam, ut in datione & acceptione virgæ putet, ſe tribuere poſſe ſacramentum, vel rem ſacramenti Eccleſiaſtici, illum prorſus judicamus hæreticum, non propter manualem inveſtituram, ſed propter præſumptionem diabolicam: ſi vero congrua volumus rebus nomina dare, poſſumus dicere, quod manualis illa inveſtitura per laicos facta alieni juris eſt pervaſio, ſacrilega præſumptio, quæ pro libertate Eccleſiæ & honeſtate, ſalvo pacis vinculo, ſi fieri poteſt funditus abſcindenda eſt: ubi ergo ſine ſchiſmate auferri non poteſt, cum diſcreta reclamatione differatur.* Re enim vera, ſi dominii ipſius Eccleſiaſtici conſtituendi a laicis uſurpata facultas hæreſis abſolute & ſimpliciter fuiſſet, non eam Gregorius VII. aliique Pontifices in ſola Eccleſia Occidentali reprobaſſent, ſed eamdem reprobationem ad Eccleſiam etiam Orientalem, in qua illa vigebat, ſine ulla dubitatione extendi voluiſſent.

29. In harum porro tribulationum medio Paſchalis Pontifex propriam culpam ingenue agnoſcebat: *Ille vero*, (verba ſunt Orderici *loc. cit.*) *reprehenſiones Sophiſtarum*, (eorum videlicet, qui doctiores eſſe putabantur,) *patienter tolerabat, & aſſertiones eorum legitimas ac veraces eſſe allegabat. In tertia item Synodo Romana* ſic ille locutus eſt: *Feci, ut homo, quia pulvis ſum & cinis. Fateor me male egiſſe; ſed rogo vos omnes, orate pro me ad Deum, ut indulgeat mihi. Illud autem malum ſcriptum, quod in tentoriis factum eſt, quod pro pravitate ſua pravilegium dicitur, condemno ſub perpetuo anathemate.* Auctor præterea anonymus hiſtoriæ Pontificum, & Comitum Engoliſmenſium, ſcriptor ſæculi XII. *tom.* 2. *biblioth. Labbè pag.* 259. factam ab eo narrat oblationem de Pontificatu deponendo, deque aſſumendo habitu religioſo ad Pontianas inſulas; ſed oblationem ipſam minime fuiſſe acceptatam. Hæreſis certe labem, ut habetur in Actis Concilii Lateranenſis vulgo II. *apud Harduin. tom.* 6. *part.* 2. *col.* 1900. ſibi impactam fortiter repulit; cumque conceſſum antea privilegium aboleverit, glorioſa denique pœnitentia, aliorumque inſignium operum patratione uſque ab obitum producta ita clareſcere potuit, ut & ejus imago in tabula Patriarchii Lateranenſis recte potuerit ab Anaſtaſio IV. collocari. Pia profecto ejus mors ex Bibliothecario refertur a Card. Baronio *ad ann.* 1118. *num.* 2. Et hæc ipſa huc uſque adducta fuſe legi poſſunt apud Sigonium *de regno Ital. lib.* 10. apud ſæpe memoratum Card. Baronium *ad an.* 1112. apud Pagi juniorem *in vita Paſchalis II.* apud Pagi ſeniorem *ad ann.* 1111. apud Fleury *in hiſtor. Eccleſ. lib.* 66. apud Card. de Aguirre *in defenſione cathedræ S. Petri tract.* 1. *diſp.* 11. apud P. Lupum *ad V. Concil. Rom. can.* 3. *part.* 5. & demum apud eruditum virum Ignatium Hyacinthum de Graveſon Ord. Præd. *in hiſt. Eccleſ. ſæc.* 12. *tom.* 4. *part.* 2. *colloq.* 1. Poſtremo Bucellinus *in menol. Bened. ad diem* 18. *Januarii* eum appellat titulo Beati, atque ipſius egregia facta late perſequitur *in annal. Bened. ad ann.* 1118. *fol.* 244. *& in Aquila Imperii Benedictina fol.* 139.

30. Anno Domini 1118. mortuo Paſchali II. in ſummum Pontificem electus eſt Gelaſius II. cujus vita ſcripta fuit a Pandulpho ejus familiari, edita vero a Conſtantino Abbate anno 1638. Romæ cum prolixis commentariis (*quæ omnia extant inter Scriptores rer. Ital. editos a Cl. Muratorio.*) Magni ſunt, quæ Pontifex iſte pro Eccleſia Dei ſuſtinuit. Quæ enim a factione tantum ſchiſmatica paſſus eſt, memoratus Pandulphus ſic exponit (*tom.* 3. *Scriptor. rer. Ital. pag.* 384.) *Papam per gulam accepit* (nempe Cencius Frangipanius) *diſtraxit, pugnis calcibuſque percuſſit, & tamquam brutum animal intra limen eccleſiæ acriter calcaribus cruentavit, & latro tantum Dominum per capillos & brachia, Jeſu bono interim dormiente, detraxit, ad domum uſque deduxit, inibi catenavit & incluſit.* Et rurſus *pag.* 385. *Sæva inſuper jam per ripam Alemannorum barbaries tela contra nos mixta toxico jaciebat; minitabatur etiam nos intra aquas natantes privatim igne cremare, niſi Papam & nos in eorum manibus redderemus.* Et tandem *pag.* 398. *O quantus luctus omnium! quanta præcipue lamenta matronarum, quæ Papam ſolum tamquam ſcurram per campos, ſacris pro parte veſtibus reveſtitum, quantum equus poterat, fugientem videbant.* Quocirca merito Card. Baronius *ad an.* 1119. *n.* 2. ita de Gelaſio II. mortuo locutus eſt: *Poſt Martyres, qui, fuſo ſanguine, Martyrium conſummarunt, haud facile inter Romanos Pontifices aliquem quis invenerit, qui breviori vitæ tempore majora ſit paſſus, ob idque præclariori corona donandus, atque celebrioribus fuerit præconiis celebrandus.* Aſperrimas ſcilicet porro fugiens perſecutiones in Galliam ſe recepit, ubi, Synodo collecta; Eccleſiæ periculis proſpexit; poſtea Cluniacum profectus aliquando ſe ſe in virtutum palæſtra cum Dei famulis ibi degentibus exercuit; donec, pleuritide correptus, ſanctiſſime diem clauſit extremum. Honorabilis idcirco ejus mentio habetur *in Martyrol. monaſt. Arnoldi Wion.* (*lign. vitæ lib.* 3.) Et *in Martyrol. Gallic. Andreæ Sauſſaji ad diem* 29. *Januarii*, etiamque *in Menol. Bened. ad eamdem diem*, & apud Philippum Ferrarium tum *in catalogo SS. Ital.* tum *in catal. SS. non exiſtentium in Martyrol. Rom.* Gelaſii pariter imago depicta eſt in eccleſia cœnobii Montis Caſſini cum diademate orbiculato, & titulo *Sancti*. Quin, dum munere fungebar Fidei Promotoris, agi cœptum eſt de Officio ac Miſſa in ejus honorem concedendis ſub ritu duplici Capitulo eccleſiæ Lateranenſis; Capitulo baſilicæ S. Mariæ in Coſmedin, in quod nempe multa beneficia & ante Pontificatum, & in Pontificatu ipſo contulerat; necnon Ordini Monaſtico S. Benedicti; at petitio tamen nunquam fuit in ſacra Congregatione propoſita, ob id minime, quia de infelici rei exitu timeretur, ſed ob alias utique cauſas omnino diſparatas, ut puta, mutationis perſonæ, quæ ratione muneris in negotium incumbebat. Munere enim Procuratoris, veluti Generalis alicujus Ordinis Religioſi, ſive Geſtoris negotiorum alicujus Capituli alii perſonæ delato, ſi opus ab anteceſſore inceptum a ſucceſſore negligatur, id nequaquam ex proprii meriti defectu, ſed ex Adminiſtratorum negligentia evaneſcit; quemadmodum experientia teſte, ſæpe vidimus re ipſa contingere.

31. In tabula Lateranenſi depictæ quoque apparebant imagines SS. Leonis, & Gregorii Magni. Sed de horum ſanctitate, & cultu univerſam Eccleſiam complectente, utpote rebus uſquequaque notiſſimis, inutile eſt verba facere. Inerant demum, & adhuc inſunt in ejuſdem tabulæ parte ſuperiori imagines SS. Silveſtri, atque Anaſtaſii ſummorum Pontificum: & de his ſimiliter nullum opus eſt habere verbum; cum Silveſtrum Beda, Uſuardus, Ado, & ceteri Latinorum, necnon Græci in Menologio, atque adeo Romana ipſa Eccleſia in Martyrologio Sanctum enuntient, & dies inſuper, quo ejus nomen celebratur, inter feriatos enumeretur *in can. Pronuntiandum. de conſecr. diſt.* 3. *& in cap. Conqueſtus de feriis*: de Anaſtaſio autem, præterquamquod Beda quoque Uſuardus, Ado, & Martyrol. Rom. *ad diem* 27. *Aprilis* Sanctum eum etiam exhibent, ſanctus adhuc Hieronymus *in ep.* 127. *alias* 16. *ad Principiam col.* 952. *tom.* 1. *oper.* ſcribat, Romam ipſum diu habere non meruiſſe, *ne orbis caput ſub tali Epiſcopo truncaretur*; quibus nimirum

rum verbis respexit ad urbem post ejus obitum captam a Gothis. Quamquam, quæ de aliis Pontificibus Alexandro II. Victore III. Urbano II. Paschali II. & Gelasio II. in superioribus diximus, non perinde dicta sunt, atque asserere velimus, eos inter Sanctos & Canonizatos esse recensendos. Nec enim simplex *Sancti* denominatio, ut alibi demonstrabimus, nec imago in loco sacro depicta, & eo tempore ornamentis decorata, quibus Sanctorum imagines decorari consueverunt; si ceteræ desint circumstantiæ, vel cultus scilicet ad universam Ecclesiam, sciente & approbante summo Pontifice, extensi, vel definitivæ sententiæ ab eodem prolatæ de sanctitate & cultu in universa Ecclesia præstando; sufficiunt, ut quis inter Sanctos, & Canonizatos sit recensendus: sed sufficiunt tantum supradicta, ut illi, quorum imagines, Romani potissimum Pontificis auctoritate, tali modo, cum tali titulo, & in tali loco expressæ sunt, haberi queant inter eos, quibus cultus aliquis in determinato loco permittitur; qui porro cultus, nisi subinde augeatur juxta modum antea expositum, nec Canonizationem formalem, nec æquipollentem constituere potest.

32. Affirmamus autem, ex imaginibus, Romani potissimum Pontificis auctoritate, tali modo, cum tali titulo, atqui in tali loco depictis & collocatis inferri cultus permissionem in loco determinato: quia, ut observat Abbas Cajetanus *in comment. ad vitam Gelasii II. pag.* 135. loquens de tabula eadem Lateranensi, neque Callistus II. & Anastasius IV. imagines eo modo depictas, & eo titulo decoratas in sacello collocassent, neque eorum Successores, præsertim vero ii, qui per ducentos continuos annos in eodem sacello & altari Sacra celebravere, imagines ipsas ibidem retineri passi fuissent, nisi in animo habuissent indulgendi & permittendi cultum in eorum honorem, qui per imagines quidem ipsas exhibebatur. At, cum asseruimus etiam, cultum prædictum non constituere formalem, aut æquipollentem Canonizationem, nisi augeatur secundum ritum alibi expositum; ideo nec *formaliter*, nec *æquipollenter* dici poterunt canonizati Alexander II. Victor III. Urbanus II. Paschalis II. Gelasius II. sed æquipollenter tantum dici poterit canonizatus Gregorius Papa VII. aucto quippe ejus cultu per mox dicenda. Primo scilicet per ejusdem memoriam in Martyrologio Romano litteris consignatam tempore Gregorii XIII. tum retentam in nova ejusdem Martyrologii editione tempore Sixti V. facta. Secundo per concessionem Officii proprii in ipsius honorem factam Ecclesiæ & Clero civitatis Salernitanæ, prævio sacræ rituum Congregationis consilio, a Paulo Papa V. postquam sedente Gregorio XIII. ejus corpus post quingentos circiter ab obitu annos vestibus sacris amictum, & fere integrum in sua Metropolitana ecclesia, ubi sepultum fuerat, a Marco Antonio Columna Marsilio Bononiensi Archiepiscopo Salernitano fuit repertum, ut ex litteris Apostolicis fideliter relatis, aliisque certis monumentis narrant Bollandiani in commentario prævio ad vitam Gregorii VII. §. 2. *ad diem* 25. *Maji*. Tertio per Officii extensionem ab eodem Paulo V. factam die 20. Novembris 1610. ad Capitulum & Clerum Senensem, & Suanensem. Quarto per aliam similem extensionem primum ad Patriarchalem ecclesiam Lateranensem, deinde ad Patriarchalem Vaticanam ecclesiam S. Petri, tum autem ad Patriarchalem Liberianam. Quinto per aliam item extensionem ad universum Ordinem S. Benedicti, necnon ad Religiosum Ordinem Vallumbrosanum, quem, dum viveret, singulari amore Gregorius fuerat prosecutus; quemadmodum adnotarunt ipsi Bollandiani. Ultimo, in quo æquipollens potissimum consistit Canonizatio, per decretum san. mem. Benedicti XIII. editum die 25. Septembris 1728. in quo mandavit, ut ejus Missa, & Officium in Breviario, ac Missali Romano apponeretur; utque in posterum die 25. Maii sub ritu duplici Missa ipsa celebraretur, & Officium recitaretur ab omnibus Christifidelibus tum Sæcularibus, tum Regularibus, qui ad Horas canonicas tenentur: & ita quidem, ut idem Pontifex in suis litteris Apostolicis, quibus die 19. Decembris 1729. irrita fecit mandata, edicta, & alia gesta quorumdam Magistratuum, seu Officialium & Ministrorum sæcularium adversus decretum modo dictum extensionis Officii ad universos Christifideles; bene potuerit asserere, Officium hocce in plurimis Christiani orbis ecclesiis antea fuisse publice & solemniter recitatum ex Indultis suorum Antecessorum Romanorum Pontificum, Pauli scilicet V. Clementis X. Alexandri VIII. atque Clementis XI. Porro quæ dicta sunt de sacello S. Nicolai in Patriarchio Lateranensi, & de altari, atque pictura se habebant, sicuti expositum est, tempore quo facta est prima editio primi tomi hujus nostri Operis. Sed, cum deinde mutata esset facies universi ædificii Lateranensis tempore san. mem. Clementis XII. & area basilicæ fuisset dilata & ampliata, & antiquum hospitium, in quo degebant PP. Pœnitentiarii basilicæ, fuerit solo æquatum, & una simul dirutum sacellum cum celebri Triclinio Lateranensi, de quo sæculo præterito absolutissimum tractatum edidit Nicolaus Alemannus, necessarium existimavimus in altera Operis nostri editione hæc adnotare, ipsumque picturæ apographum ære expressum, quod forte fortuna invenimus, apponere; admonentes nos id facere, ne quis legendo quæ scripseramus, & tamquam adhuc existentia fuerant a nobis descripta; iis non repertis, crederet, nos aut deceptos fuisse, aut lectores voluisse decipere. Addidimus insuper, ne antiquarum sacrarum imaginum memoria periret, tum Triclinii, tum sacrarum imaginum instaurationem meditari tali arte, per quam antiquitatis damna repararentur. Tandem Deo adjuvante, reparationem hujusmodi perfecimus, & PP. Pœnitentiariorum hospitio alio translato, pictura renovata fuit, adhibito Calcographorum, & Antiquariorum labore, qui illam antequam diruerentur pluries delinearunt; in cujus rei testimonium posita nunc legitur inscriptio:

UAB Biblioteca de Ciències Socials

BENEDICTO XIV. P. M.
SACRARVM ANTIQVITATVM
VINDICI PROVIDENTISSIMO
QVOD
ORATORIO DIVI NICOLAI
PROPE TRICLINIVM
A SVMMIS PONTIFICIBVS
CALLIXTO II. ET ANASTASIO IV
EXTRVCTO AC REPARATO
ATQVE ÆDIBVS FRATRVM FRANCISCANÆ FAMILIÆ
FIDELIVM EXOMOLOGESI DESIGNATORVM
QVARVM AMBITV ORATORIVM IPSVM CONCLVDEBATVR
AD SPATIA AREÆ LAXANDA
SEDENTE
CLEMENTE XII. P. M.
SOLO ÆQVATIS
SACELLVM
ET VETERES IN EO PICTVRAS
TVM CHALCOGRAPHORVM INDVSTRIA
TVM ANTIQVARIORVM LABORE
PLVRIES DELINEATAS
AC PRIVSQVAM DISIICERENTVR
COLORIBVS ELEGANTER EXPRESSAS
AD PRISCVM EXEMPLAR
RENOVARI IVSSERIT
ET VETVSTISSIMA CVLTVS
DECESSORIBVS SVIS
IAMDIV EXHIBITI MONIMENTA
RELIGIOSE SERVARI CVRAVERIT
ANNO MDCCXLVI

Sed ut diximus, jam ab antiquo ſtatu pictura fuerat in aliquibus figuris mutata. Nunc ergo in tertia noſtri Operis editione utile judicavimus eam diligentius deſcribere. Quod eo magis neceſſarium viſum eſt, quod pictura prout erat antiquitus, non exacte uſquequaque expreſſa eſt. Eam primus exhibuiſſe videtur Conſtantinus Cajetanus poſt commentarios in Gelaſii vitam cum hac ſubjecta epigraphe: *Apoſtolicum venerandæ memoriæ monumentum, quod etiamnum extat in abſide Oratorii Sancti Nicolai Epiſcopi quinque abhinc ſæculis a B. Calliſto PP. II. a fundamentis extructi intra Lateranenſe Patriarchium, nunc ſolo æquatum, has ut vides Sanctorum ſummorumque Pontificum imagines repræſentans; idque nunc tandem a Reverendiſſimo P. D. Conſtantino Abb. Cajetano ad majorem Romanæ Sedis Apoſtolicæ gloriam e tenebris erutum, ac commentariis illuſtratum*: ex Cajetano eamdem repræſentarunt Papebrochius in propylæo *in append. ad Paſchalem II.* & Muratorius *tom. 3. Sriptor. rer. Italic. pag.* 417. Non defuit, qui impoſturæ argueret Cajetanum: quare apologiam pro eo ſcripſit Joannes Marius Creſcimbeni in libro inſcripto: *Stato della baſilica di S. Maria in Coſmedin* a pag. 207. de Cajetani ipſius perſona & hoc monumento fuſe loquens. Tandem D. Julius-Lucenti Ciſtercienſis Abbas *de Epiſcop. Ital.* eamdem picturam nonnihil tamen a propoſita per Cajetanum diverſam dedit, cui ſubjecta legitur hæc inſcriptio: VERA *& ſincera facies abſidæ antiqui, venerandique Apoſtolici Oratorii S. Nicolai Epiſcopi, olim in Patriarchio Lateranenſi extantis, & etiamnum exiſtentis in Collegio Pœnitentiariæ Apoſtolicæ, repræſentans SS. ſummos Pontifices quos ibi expreſſit Caliſtus Papa II. inſtauravit Anaſtaſius IV. & ſubinde (cujus arbitrio ignoratur)* GELASII, PASCHALIS, URBANI II. & VICTORIS III. *inibi recenti ſuperinducto pennicillo, nomina immutata conſpiciuntur in primum Cœleſtinum, itemque Gelaſium, Paſchalem, & Caliſtum. Sacrum hoc monumentum* SANCTITATIS *præfatorum Pontificum ad majorem Dei, & ſanctæ Apoſtolicæ Sedis gloriam ſub auſpiciis Eminentiſs. D. Cardinalis* BENEDICTI PAMPHILII *ejuſdem Patriarchii Archipresbyteri, & ſui Ordinis Protectoris reſtituit, & illuſtrat R. P. D. Julius Lucenti Ciſtercien. Abbas in opere de Epiſcopis Italiæ, ubi agit de Caſinenſium Antiſtitum ſerie; ſibi aſtipulantibus Honuphrio Panvinio, & Joanne Severano in libris de ſeptem Urbis Eccleſiis, & Reverendiſs. Abbate Conſtantino Cajetano, in vita S. Gelaſii II. Cardinali Eminentiſs. Raſpono lib. 4. de Patriarchio Lattranenſi atque codice MS. Vaticano, aliiſque dignæ notæ Scriptoribus.* Ex his verbis ne anſa detur calumniandi Cajetanum, idem Creſcimbenius *loc. cit.* animadvertit bis eamdem picturam inſtauratam poſt Panvinium, & Severanum, qui ejus meminere, ideſt poſt annum 1630. In prima reſtauratione mutatus eſt titulus duorum, vel trium illorum Pontificum, qui antiquitate exeſus erat. Hs reſtitutus eſt a Cajetano, ut ipſe indicat *in commentariis ad vitam Gelaſii II. pag.* 136. In ſecunda reſtauratone nomina Victoris III. Gelaſii II. Paſchalis II. Urbani II. permutata fuerunt in nomina Caliſti I. Gelaſii I. Paſchalis I. Hanc ergo alteram picturæ illius depravationem emendavit Abbas Lucenti. Fatendum eſt tamen non omnino eamdem picturam, uti erat, vel Cajetanum, vel Lucentium exhibuiſſe; præſertim cum primus adeo vicinas Pontificum figuras repræſentavit, & nomina eorum illorum imaginibus ſuppoſuit; alter cum ad latus ſuum cujuſque Pontificis nomen per ſyllabas, non per litteras ſingulas ſingulis imminentes; vel cum mitras eorum aliquas trina corona redimitas aut multum ornatas deſcripſit. Ut igitur exactam picturæ hujus, qualis olim erat, deſcriptionem proponamus: juvat adducere verba Grimaldi, quæ extant etiam apud Floravantem Martinellum *in Roma ex Ethn. Sacr. pag.* 380. Sic enim ait loquens de Oratorii S. Nicolai: *Hoc Oratorium, ſive ædicula pulchra & longa cum tecto ligneo imbricato vetro abſidem Aulæ Leonianæ ſcribit Panvinius ſuo tempore eſſe totam depictam: nunc . . . . tota eſt alba,*

UAB Biblioteca de Ciències Socials

ba, præter apſidem cujus ſacras imagines coloribus refricarunt. In apſidis teſtudine eſt imago Deiparæ Virginis Imperatricis ſimilis illi, qui eſt in ſacello Altempſiano in baſilica Tranſtiberina; tenet crucem, filium ſinu geſtat, hinc inde duo Angeli virgas tenentes coronam habent in capite. Ad pedes Deiparæ Calliſtus II. cum planeta, & pallio, ac quadrato diademate habet rotundam albentem barbam pulchroque aſpectu in dextris: in ſiniſtris autem Anaſtaſius IV. cum planeta & pallio & quadrato diademate pariter proſtratus. In ipſa teſtudine a dextris S. Silveſter Papa cum planeta, & pallio cum libro, & dextra benedicens cum tiara unius coronæ; a ſiniſtris eſt S. Anaſtaſius cum pallio Pontificali, & rotundo diademate. In zophoro apſidis legitur hæc mutilata inſcriptio (corruerunt literæ ex pictura, ac ſpatia litterarum notavi) eſt autem hujuſmodi.

SVSTVLIT HOC PRIMO TEMPLVM CALIXTVS AB IMO
VIP . . . . . LATE GALLORVM NOBILITATE
PRÆSIDET ÆTHEREIS PIA VIRGO MARIA CHOREIS
. . . . . PAT CVLMINE
HOC OPVS ORNAVIT, VARIIS MODIS DECORAVIT.

In parte Evangelii ſunt hi ſummi Pontifices pictura inepta, planeta & pallio induti cum orbiculari diademate & tiara unius coronæ ad parietem hemicycli, ſiniſtra tenent librum, dextra benedicunt pollice cum annulari conjuncto, S. Leo Papa, S. Paſchalis Papa cum barba alba ſeptuagenarius, S. Gelaſius Papa cum barba quinquagenarius, S. Cæleſtinus Papa etiam quinquaginta annorum. In latere epiſtolæ S. Gregorius Papa, S. Alexander Papa II. ſenex annorum 77. barba alba rotunda, extenuata facie, S. Gregorius Papa VII. annorum 50. S. Calliſtus Papa ſenex valde, non habet regnum, niſi tantum orbiculare diadema; & hoc quia fuit ante S. Silveſtrum, qui primus regnum portavit. Ita erat in zophoro columnarum majorum veteris baſilicæ Vaticanæ a S. Lino uſque ad S. Silveſtrum, orbicularia diademata habebant. In ſingulis ſunt dicta nomina Sanctorum. Hæc Grimaldus. Hujus vero nobilis monumenti, præter laudatos Panvinium, Severanum, Cajetanum, Raſponum, meminit etiam Ciampinus *de ſacr. ædific. a Conſtantino M. conſtructo pag.* 20. Ciacconius in Gelaſio II. *tom.* 1. *col.* 945. Marraccius *in Pontific. Marian. cap.* 44. & ex eo bene ſe probaſſe Gelaſium II. ut Sanctum habendum defendit *cit. loc.* Creſcimbenius: quod nos etiam facimus pro Gregorio VII. quod nimirum ejus effigies tali loco ad altare, in quo Miſſarum incruenta myſteria & a ſubſecutis Pontificibus, & ab aliis Presbyteris uſque ad hoc tempus celebrata ſunt, depicta fuerit, & inſignita ſit diademate illo orbiculato ſive nimbo ut olim vocabatur. Licet enim antiquis temporibus Imperantium etiam capitibus imponeretur ut ex Servio Gisbertus Cuperus *lib.* 2. *obſerv. cap.* 16. narrat, & nonnulla monumenta indicant; tamen, ut nunc ſolis Sanctis qui cultum in Eccleſia obtinent, affigitur, ita etiam ſæculo illo quo poſitum fuit; ut bene hoc dicendi ſint Auctores ſupra relati docuiſſe.

§. XL.

De S. Gertrude Islebienſi Virgine.

33. SAncta Gertrudis Islebienſis in Saxonia Monialis & Abbatiſſa Monialium in cœnobio Rodardenſi, ac deinde Helpedenſi, ſive Helffedenſi, Ord. S. Benedicti Congregationis Hirſaugienſis reformatæ Cluniaci, quo anno ad ſuperos migraverit, varia ſcribentibus, non eſt omnino certum.

34. Jodocus Coccius *in theſauro Catholico* eam floruiſſe ait anno 1280. Poſſevinus, Cave, Oudin *lib. de Script. Eccleſiaſt. pag.* 544. Arnoldus Wion *in ligno vitæ lib.* 5. *cap.* 89. Maximilianus Sandæus *in trolog. myſt. pag.* 655. & Hippolytus Marraccius *in liliis Marianis pag.* 179. mortuam faciunt anno 1290. Jo. Baptiſta Riccioliius *in chronol. reform. tom.* 4. *pag.* 233. & Laurentius Crement. *in præfat. ad vitam & libros S. Gertrudis* floruiſſe ſcribunt poſt, nimirum anno 1300. immo alii apud Crementium ipſum mortuam affirmant ipſo anno 1300. Antonius vero Maria Bonuccius, vir candidis moribus, mihi olim cariſſimus, in hujus Sanctæ vita, quam poſtremus omnium edidit Romæ anno 1710. *part.* 1. *cap.* 1. hæc habet: *Concordando con tutti, che il ſuo felice tranſito fu nel* 1311. *dobbiamo aſſerire, che nacque nel* 1240. *&c.* qui porro ſint hi omnes in hoc concordes, non exprimit.

35. Joannes Landſpergius Carthuſianus, qui Sanctæ vitam & revelationes primus edidit (nam quæ antea, nempe anno 1390. a Lamberto Luxonio ſcripta fertur, quod ſciam, non eſt edita) in epiſtola apologetica, quam ei præfixit, auctor eſt, B. Gertrudis revelationes per quamdam Sanctimonialem anno 1289. ſcribi cœptas. Ac deinde *in vita lib.* 1. *cap.* 3. divinitus Gertrudi monſtratus dicitur, eodem quo novus Imperator electus eſt die, Adolphus Naſſavius Rodulphi Auſtriaci Succeſſor: electus autem eſt die 7. Januarii 1292. Atque hunc eumdem annum Gertrudi ipſi ſupremum ponit lectio ſexta Officii, nuper, ut dicemus, Eccleſiæ conceſſi. Sic enim habet: *Anno Domini milleſimo ducenteſimo nonageſimo ſecundo deceſſit*: cum Officium Ordini ejus antea indultum, & a clar. mem. Cardinali Bona relatum, mortis annum fileat omnino.

36. Landſpergii demum editor Tilmannus Bredenbachius, in epiſtola nuncupatoria, quam Colonia dedit 17. Decembris 1578. prope finem aſſerit: *Libros a S. Virgine Gertrude ante annos pene trecentos partim conſcriptos, partim a confodali ejus exceptos, & ante annos quadraginta, per Joannem Landſpergium Carthuſianum &c.* Unde diſcimus, eos a Landſpergio primum editos fuiſſe an. 1538. Qui vero Landſpergium ipſum typis Venetis Etruſcum fecit, deditque anno 1568. Vincentius Bondius in epiſtola, quam Sanctæ revelationibus præmiſit, hæc ſcribit: *Il R. P. Gio. Lanſpergio Monaco della Certoſa, il quale dopo cinquecento anni di tempo ch' erano ſtate naſcoſte, venendo quaſi miracoloſamente a luce, ebbe carico di ridurle tutte inſieme &c.* Qui ſi calculus conſtaret, Alexandro III. ejuſque Decretali antiquiorem Gertrudem haberemus.

37. Sed & quas reliqui omnes Gertrudi huic Germanæ tribuunt revelationes, Martinus Antonius del Rio, vir ceteroquin eruditiſſimus, *diſquiſit. magic. lib.* 4. *cap.* 1. *quæſt.* 3. *ſect.* 4. eas illi abjudicare viſus eſt, Nivellenſi Gertrudi tribuens his verbis: *Birgitta longe antiquior Pipini Ducis Brabantiæ filia, S. Gertrudis anno* 664. *revelationes quoque ſuas collegit.* Qua ille in re profecto eſt ſingularis. Quemadmodum & in ferendo de ipſis ejuſdem Sanctæ revelationibus judicio, non ſingularis modo, ſed audax ac plane temerarium, immo & piarum aurium offenſor fuit Oudin: qui cum (*in ſuppl. ad Bellarminum de Scriptoribus Eccleſiaſticis*) ſcripſiſſet *opus iſtud devotioni mulierum aptiſſimum*; poſtquam deinde a Religione diſceſſit, elogio auctarium hoc audacius fecit (*de Scriptor. Eccleſ. tom.* 3. *pag.* 237.) *Opus iſtud devotioni mulierum cerebro laborantium aptiſſimum.*

38. Quarto poſt Gertrudis mortem ſæculo primus illi a Sede Apoſtolica cultus obvenit 7. Octobris 1606. Officium de ipſa Monialibus S. Joannis Evangeliſtæ civitatis Licienſis, juxta formam Breviarii Romani, & de conſenſu Epiſcopi, per decretum ſacræ rituum Congregationis indulgente; ac ſimiliter deinceps 20. Junii 1609. Monialibus Conceptionis B. Virginis civitatis Mexicanæ ſub ritu duplici; & 19. Decembris 1654. Monachis & Monialibus Ord. S. Benedicti Congregationis Caſſinenſis ſub ritu duplici ad libitum; & 6. Junii 1663. Congregationi Olivetanæ ad inſtar Caſſinenſis, & quatenus adeſſet in Breviario Monaſtico Benedictino; & 13. Septembris 1670. Monachis & Monialibus Benedictinis Portugalliæ ſub ritu duplici; & 17. Junii 1673. Monachis & Monialibus Benedictinis Hiſpaniarum; & 23. Septembris 1673. Monialibus Humilitatis de Urbe; & 2. Decembris 1673. iiſdem, ſed cum lectionibus propriis; & 13. Januarii 1674. Monachis & Monialibus Ord. S. Benedicti cum propriis lectionibus, hymnis, capitulis, reſponſoriis, antiphonis, & oratione, ſub ritu duplici; & 4. Auguſti 1674. Monialibus S. Benedicti in Campo Martio.

39. Officio his Indultis impetrato, actum eſt anno 1677. de B. Gertrude in Romanum Martyrologium inſerenda: ac bon. mem. Archiepiſcopus Myrenſis Bottinius tunc Fidei Promotor, in ſuis oppoſitionibus non tacuit, quod *de illius Canonizatione, immo nec etiam de Beatificatione (ſaltem formali) nullum daretur documentum.* Sed manu ejus deinde hoc adnotatum invenio: *Poſt ſcripta, fuit obtentum Breve Indulgentiæ plenariæ in die feſto Beatæ, quod eſt multum; quia juxta decretum ſel. record. Alexandri VII. non conceditur ſimilis Indulgentia, niſi prævia deſcriptione in Martyrologio: & hodie* (quid-

UAB Biblioteca de Ciències Socials

(*quidquid eſſet ante dictum decretum*) *paſſim negatur. At dixerunt Officiales Secretariæ, quod in earum libris reperitur deſcripta iſta B. Gertrudis* la magna, *tamquam digna hujuſmodi cultu.* Itaque nomen ejus Martyrologio adjectum eſt hoc decreto: *Sacra rituum Congregatio, referente Eminentiſs. & Reverendiſs. D. Cardinali Columna, inſtantiam factam nomine Ord. Benedictini per P. Magiſtrum D. Ildephonſum Mier Procuratorem Generalem Congregationis Valliſoletanæ Ord. S. Benedicti Hiſpaniarum ſupplicantem pro appoſitione S. Gertrudis Virginis, ut dicitur,* la magna, *prædicti Ordinis in Martyrologio Romano, cum elogio & verbis approbandis, reſpondit: Apponatur in Martyrologio abſque elogio: Hac die 22. Januarii* 1678. Sed poſtea indultum eſt, ut cum hoc elogio inſcriberetur: 17. *Novembris in Germania S. Gertrudis Virginis Ordinis S. Benedicti, quæ dono revelationum clara extitit.*

40. Die tandem 20. Julii 1738. inſtante per S. Clementis Cardinalem Albanum Sereniſſimo Rege Poloniæ, eodemque Duce Saxoniæ, in qua S. Gertrudis patria Islebium eſt, fel. record. Clemens XII. *in poſterum ſingulis annis die* 17. *Novembris feſto ejuſdem Sanctæ aſſignata Officium ejus, ad formam tamen Breviarii Romani redigendum, ab omnibus utriuſque ſexus tam Sæcularibus, quam Regularibus, qui ad Horas canonicas tenentur, ſub ritu duplici, ſervatis tamen rubricis, recitari, & Miſſam celebrari indulſit, ac in Breviario & Miſſali Romano imprimi mandavit.*

41. Verum animadverſo poſtmodum, eam diem 17. Novembris S. Gregorio Thaumaturgo a primis uſque Eccleſiæ ſæculis ſacram eſſe, inconveniens omnino viſum eſt, ut is qui montes etiam loco moverat, loco ipſe ſuo moveretur, ac Virgini Epiſcopus & Doctor locum daret; præſertim cum non annus modo, ſed neque dies mortis ejus certa ſit, nullo Hiſtoricorum eam exprimente; Landſpergio autem *lib.* 3. dumtaxat innuente, illam obiiſſe paulo poſt feſtum S. Lebuini, quod die 12. Novembris in Germania celebratur. Itaque Officio ad formam Romani Breviarii redacto, prodiit decretum illud approbans, ſimul & diem alium Virgini aſſignans, in hanc formam: URBIS ET ORBIS. *Suprafcriptam Orationem & lectiones ſecundi Nocturni proprias S. Gertrudis Virginis Ord. S. Benedicti ab Eminentiſs. & Reverendiſs. D. Cardinali S. Clementis diligenter reviſas atque examinatas, ſacra rituum Congregatio ad inſtantiam Sereniſſimi Regis Poloniæ benigne approbavit, ut ſingulis annis die* 15. *Novembris pro feſto ejuſdem Sanctæ aſſignata, ab omnibus utriuſque ſexus Chriſtifidelibus tam Sæcularibus, quam Regularibus, qui ad Horas canonicas tenentur, in ejus Miſſa & Officio ſub ritu duplici minori a Sanctiſſimo Domino noſtro ſub die* 20. *Junii* 1738. *Eccleſiæ univerſali conceſſo recitari debeant, ſi Sanctiſſimo Domino noſtro viſum fuerit: Die* 9. *Martii* 1739. *Factaque deinde per me Secretarium de prædictis eidem Sanctiſſimo Domino noſtro relatione, Sanctitas ſua benigne annuit: Die* 19. *ejuſdem menſis & anni* 1739.

CAPUT QUADRAGESIMUMSECUNDUM.

De Eccleſiaſtico judicio, quod in Beatificationem interponitur, utrum videlicet ſit infallibile, *& ad Fidem Catholicam pertinens.*

1. PUTANT nonnulli, utique pie credendum eſſe, ſummum Pontificem minime errare in Beatificatione, at id tamen non eſſe certum de Fide: Gonzal. *in cap. Audivimus num. 6. de Relig. & venerat. SS.*; Scacch. *de not. & ſign. ſanctit. ſect. 1. cap. 8. pag.* 97. Et *in ſuo opere MS. de natura, quidditate, antiquitate, cultu, & quibuſdam aliis annexis ad Beatificationem, & Canonizationem ſpectantibus ſect. 3. cap. 4.* Franciſcus Victon. *in tract. de Canonizat. SS. cap.* 14. Arauxo *deciſ. moral. tract. 3. quæſt. 23. §. 1. num.* 2. Ibi quippe, poſtquam docuit, certum eſſe de fide, ſummum Pontificem errare non poſſe in Canonizatione, tranſiens poſtea ad Beatificationem, & animadvertens, in ea non contineri definitivam ſententiam, ſicuti continetur in Canonizatione, ſubdit, *Quare neque tanta certitudine eſt certum, quod in ea actione Papa neutiquam poſſit errare:* & concordat P. Ceparius *in directorio MS. Canonizationis SS. lib. 2. cap. 3.* ubi ſic loquitur: *Illud tamen addam valde etiam notandum, quod, licet cultus, qui datur Beatis tam canonizatis, quam non canonizatis* (hoc eſt ſimpliciter beatificatis, ut ex contextu colligitur) *ſit ejuſdem ſpeciei, tamen in aliqua parte eſt etiam diverſus: nam cultus, qui exhibetur ſervis Dei jam defunctis nondum canonizatis, oritur ex pia tantum & probabili opinione, quam habemus, de eorum ſanctitate, & ex humana fide cum certitudine quadam tantum morali, quod fruantur æterna felicitate; at cultus, qui tribuitur Sanctis jam a Sede Apoſtolica approbatis & canonizatis, oritur ex certa & infallibili notione & exiſtimatione, quam habemus, de eorum ſanctitate & gloria ſempiterna; quæ infallibilis cognitio cauſatur in nobis ab approbatione & definitione Eccleſiæ, quod hic, vel ille ſit Sanctus, de qua definitione nemini licet dubitare &c. ita ut, qui de hoc dubitaret, poſſet jure interrogari, quid ſentiat de Fide Catholica:* tum ſequitur Card. Albitius *in tract. de inconſtantia in Fide lib. 1. cap. 40. numer. 205.* & addi poteſt Bivarius *in comment. chronici Marci Maximi in S. Joanne Eremita ab oblivione vindicato §. 2. num. 3.*

2. Alii probabile dicunt, eadem certitudine aſſerendum eſſe; Papam errare non poſſe in Beatificatione, quemadmodum nec in Canonizatione; atque ideo utrumque judicium, tum Beatificationis ſcilicet, tum Canonizationis, ad Fidem pertinere: Bordon. *de Canonizat. SS. controv. 13. num. 16.* Lezana *conſult. 1. num. 59.* Caſtropalao *tom. 1. tr. 4. de Fide diſp. 1. punct. 5. §. 5. num.* 4. Blaſius a Purificatione *in tract. de adorat. diſp. 8. dub. 4. §. 1.* Matthæucc. *in tract. de Officiali Curiæ cap. 47. num. 3.*

3. Neque deſunt, qui aſſentiuntur quidem, de Fide non eſſe, Papam errare non poſſe in Beatificatione; at immunitatem tamen ab errore ita eſſe certam autumant, ut oppoſitum rejici velint tamquam temerarium, ſcandaloſum, & errori proximum: Amicus *in curſu Theol. tom. 4. diſput. 7. ſect. 4. n.* 98. Arriaga *in curſu Theol. t. 5. diſput. 9. ſect. 6.* Silveira *opuſc. 2. reſolut. 15. quæſt. 3. & quæſt. 4. n. 21.* Verricell. *in quæſt. moral. tract. 8. quæſt. 25. n. 3.* Trulleng. *in Decalog. tom. 1. lib. 1. cap. 9. dub. 5. n. 5.* Turrianus *in. 2. 2. tom. 5. diſput. 17. n. 6.* Diana *in edit. coord. tom. 9. tract. 5. reſolut. 19. & reſolut. 20.* Del Bene *de inquiſit. tom. 2. dubit. 254.*

4. Denique Joannes a S. Thoma *in 2. 2. diſput. 9. art. 2.* docet, Pontificem *practice* errare nequaquam poſſe in Beatificatione, ita ut *temerarius* profecto & *ſcandaloſus* foret, qui negaret, cultum eſſe Beatificato exhibendum; *ſpeculative* tamen circa veritatem ſanctitatis, *ex vi ſolius* Beatificationis, errare poſſe, cum judicium in Beatificatione intercedens minime excedat latitudinem certitudinis moralis & maximæ probabilitatis, unde oppoſitum non eſſet cenſura dignum. Et quia citatus Auctor adhibuit illa verba, *ex vi Beatificationis præciſe;* pro eorum intelligentia ſubjungit, a temeritatis nimirum nota immunem eum futurum non eſſe, qui de cultu dubitaret exhibendo erga Dei ſervum a ſummo Pontifice Beatificatum, ſi quidem aſſenſus ſuperveniret totius Eccleſiæ, aut majoris partis Fidelium, ſique multitudo miraculorum non deeſſet facta in Beatitatis confirmationem, & per longum tempus continuata: quam etiam Joannis a S. Thoma opinionem refert, & ſequi videtur Dominicus a SS. Trinitate *in biblioth. Pontif. tom. 10. pag.* 496.

5. Verum non placet hæc Joannis opinio aliis ſuperius memoratis Auctoribus; qui nempe, ut vidimus, tradant licet, non eſſe de Fide Pontificem errare non poſſe in Beatificatione; ejus tamen ſunt ſententiæ, ut velint, eum qui aſſerat Pontificem erraſſe vel errare poſſe, haberi pro temerario & ſcandaloſo. Quare & ab eadem Joannis a S. Thoma opinione noviſſime recedit Rabaudi *exercit. Theolog. tom. 2. exercit. 3. cap. 1. §. 3. pag.* 157. Porro autem, cum varii ſint modi Beatificandi, non deſunt, qui volunt, eodem minime modo caſtigandos eſſe, qui unum vel alterum Beatitudinis gradum infirmant: ſed graviori interim cenſura plectendos illos, qui tamquam poſſibilem aſtruunt errorem de illis Dei ſervis, qui titulum Beatitatis ex conceſſione Apoſtolica obtinuerunt una cum Officio & Miſſa; veruntamen ita, ut id non habeatur tamquam de Fide, aut tamquam Fidei proximum, juxta ea, quæ habentur apud Gravinam *in tract. de præſcriptionibus Catholicis ſecundæ partis tom. 4. dubit. 1. in Appendice pag.* 368.

6. Hæc

6. Hæc utique ſunt Scriptorum placita. Nobis vero ſententiam noſtram nunc relaturis, ut de antiquiori ritu primum dicamus, cum quidquid olim ab Epiſcopis agebatur in cultu decernendo tum pro Martyribus, tum pro Confeſſoribus Beatificationis metas minime excederet, difficile admodum videtur, tuto aſſeri poſſe, totum id ab erroris labe immune aut fuiſſe, aut ſemper eſſe debuiſſe; tum quia nullum particularis Epiſcopi judicium unquam fuit in Eccleſia Dei habitum pro *infallibili*, tum etiam quia, nonnullos ex eis hac ipſa in re fuiſſe deceptos, certum eſt ex hiſtoriis.

7. Plura ſane exempla id comprobantia alibi narrabuntur; ſed interea ſatis erit in memoriam revocaſſe, quæ leguntur *in vita S. Martini* ſcripta a Sulpitio Severo *cap.* 11. quæ in ſuperioribus etiam expoſita ſunt: *Sed, ut reliquas virtutes ejus, quas in Epiſcopatu egit* (loquitur Auctor de S. Martino) *aggrediar, erat haud longe ab oppido proximus monaſterii locus, quem falſa hominum opinio velut conſepultis ibi Martyribus ſacraverat. Nam & altare ibi a ſuperioribus Epiſcopis conſtitutum habebatur.* En Beatificatio facta a præcedentibus Epiſcopis. *Sed Martinus non temere adhibens in certis fidem, ab his qui majores natu erant, Presbyteris, vel Clericis flagitabat, ſibi nomen Martyris, vel tempora paſſionis oſtendi, grandi ſe ſcrupulo permoveri, quod nihil certi conſtans ſibi Majorum memoria tradidiſſet. Cum aliquandiu ergo a loco illo ſe abſtinuiſſet, nec derogans Religioni, quia incertus erat, nec auctoritatem ſuam vulgo accommodans, ne ſuperſtitio convaleſceret; quodam die, paucis ſecum adhibitis Fratribus, ad locum pergit. Deinde ſuper ſepulchrum ipſum aſtans oravit ad Dominum, ut, quis eſſet, vel cujus meriti, ſepultus, oſtenderet; tum converſus ad lævam vidit, prope aſſiſtere umbram ſordidam, trucem. Imperat, nomen, meritumque ut loqueretur. Nomen edicit, de crimine confitetur, latronem ſe fuiſſe, ob ſcelera percuſſum, vulgi errore celebratum; ſibi nihil cum Martyribus eſſe commune, cum illos gloria, ſe pœna retineret. Mirum in modum vocem loquentis, qui aderant, audiebant; perſonam tamen non videbant. Tum Martinus, quid vidiſſet, expoſuit; juſſitque, ex eo loco altare, quod ibi fuerat, ſubmoveri, atque ita populum ſuperſtitionis illius abſolvit errore.* Suffragatur Socrates *in Hiſtoria Eccleſiaſtica lib. 7. cap.* 14. ubi, poſtquam retulit turbas concitatas a Monachis Nitriæ adverſus Præfectum Oreſtem, teſtatur, Ammonium Monachum, qui Præfecti caput lapide in ſeditione percuſſerat, ad Præfectum adductum eſſe, Præfectum autem, ſicuti Leges poſtulabant, palam de eo quæſtionem exercere, tormentiſque affligere, dum extremum ſpiritum ederet. Quæ res non diu poſt ad Imperatorum aures perlata eſt; quin etiam Cyrillus eamdem rem illis, ſed omnino aliter expoſitam, per litteras ſignificavit. Corpus quoque Ammonii Cyrillus ipſe capit, atque in Eccleſia quadam recondit; at non Ammonii, ſed Thaumaſii nomine nuncupavit. Deinde, cum in Eccleſia magnitudinem animi illius, perinde ac ſi grave certamen pro pietate ſuſtinuiſſet, laude & prædicatione extuliſſet, juſſit, Martyrem appellari. En Beatificatio. Verum, qui modeſtiores erant etiam ex ipſis Chriſtianis, Cyrilli ſtudium erga Ammonium minime approbarunt: nam exploratum habebant, Ammonium non in tormentis interiiſſe, ne Chriſtum negare cogeretur, ſed temeritatis ſuæ pœnas dediſſe. Quocirca Cyrillus ipſe illud facinus ſilentio paulatim perire paſſus eſt.

8. Delato poſtea beatificandi jure privativo ad Sedem Apoſtolicam, ſive ad Romanum Pontificem, reminiſci opus eſt, duplicem ex ſupradictis dari Beatificationis ſpeciem, hoc eſt formalem, & æquipollentem: tum Beatificationem formalem eſſe illam, in qua, ratis habitis virtutibus, aut martyrio, necnon ſignis ſeu miraculis, Pontifex indulget, ut Dei ſervus Beatus appelletur, atque in determinato aliquo loco colatur, & ut plurimum quidem cultu Officii ac Miſſæ in ejus honorem; Beatificationem autem æquipollentem eam eſſe, in qua, rata habita fama virtutum, aut martyrii, & ſignorum ſeu miraculorum, necnon ratis ſive cultu immemorabili cum ſcientia & tolerantia Sedis Apoſtolicæ, aut Ordinarii: ſive cultus introductione, aut continuatione ex permiſſione præcedentium Pontificum, Congregationiſve ſacrorum rituum juxta modum alibi explicandum, vel ex Patrum virorumque ſanctorum ſcriptis, vel ex communi Eccleſiæ conſenſu; ſummus Pontifex ſententiam Ordinarii, aut Delegati approbante præſtitum cultum confirmat. Urbanus etenim VIII. qui exhibitionem publici cultus ſevere prohibuit erga eos, qui non fuiſſent a Sede Apoſtolica canonizati, aut beatificati, eos tamen ab hac lege excepit, qui aliquo ex modis prædictis cultum obtinuiſſent.

9. Ducto itaque a facilioribus initio, id eſt a Beatificatione æquipollenti, probabile quidem videtur, ſummi Pontificis judicium in ea non eſſe *infallibile*, nec ad Fidem pertinere; ſed & certum eſt, a nota temeritatis immunem eum non eſſe futurum, qui ipſum erraſſe contenderet in hoc, aut illo caſu, & cultum reprobaret, quem Pontifex ipſe approbavit. Nam non modo judicium ſummi Pontificis in hac æquipollenti Beatificatione non eſt præcipiens, cum indulgens tantum ſit atque permittens, ſed nec etiam terminale eſt atque extremum: in quo profecto rerum themate concipi nequit, illud eſſe *infallibile*, & multo minus ad Fidem pertinere. Accedit, quod, niſi ante æquipollentem Beatificationem diſcuſſæ fuerint approbatæque virtutes in gradu heroico, aut niſi diſcuſſum fuerit approbatumque martyrium, quemadmodum re ipſa ſæpe contingit, cum opus ſit, ut poſt eam judicium inſtituatur ſuper ipſis virtutibus, aut ſuper martyrio; poſſibile eſt, ut virtutes ipſæ, aut martyrium minime approbentur, prout oportet, ratione ſcilicet ad Canonizationem habita, ita ut cauſa in eo ſtatu remaneat, in quo eſt. Si ergo poſt approbatum caſum exceptum, indultamque Beatificationem æquipollentem pendet ut plurimum judicium de virtutibus heroicis, aut de martyrio, quod idem eſt, ac de re ſubſtantialiter requiſita ad irrevocabilem cultus conceſſionem; ſequi videtur, antecedens permittens judicium nunquam haberi poſſe pro *infallibili*, aut de re ad Fidem pertinente. Conſueverunt quoque ipſi Romani Pontifices reſponſum ſacræ Congregationis ſuper cultu immemorabili, hoc eſt ſuper Beatificatione æquipollenti, nedum ſemper ore tenus confirmare, verum etiam id aliquando efficere per litteras Apoſtolicas in forma Brevis. Cum autem hiſce litteris Apoſtolicis de more inſeratur hæc clauſula; *ſalvæ tamen in præmiſſis auctoritate Congregationis eorumdem Cardinalium*, uti colligitur ex Brevibus approbantibus cultum immemorabilem Beatorum Joannæ filiæ Alphonſi V. Regis Luſitaniæ, Petri Armengadii, Gregorii X., Luciæ Narnienſis, Andreæ de Comitibus expeditis per ſummos Pontifices Innocentium XI. Clementem X. & Innocentium XIII. necnon paſſim ex pluribus alibi memorandis; ſervatio hæc auctoritatis Congregationis ſacrorum rituum oſtendere videtur, eoſdem Pontifices re vera cognoviſſe, judicium cultum permittens nec eſſe *infallibile*, nec ad Fidem pertinens; cum ſacræ Congregationi liberum relinquant, nihil obſtante approbatione indulgente ac permittente, novis ſupervenientibus fundamentis, ab eodem recedere. Uno verbo, judicium in Beatificatione æquipollenti intercedens innititur famæ, innitur antiquitati, innititur ut plurimum fundamentis, ſeu Indultis cultus quidem non ſine magna ratione, attamen cauſa judiciali jure non cognita, factis: præterea non eſt præcipiens, ſed permittens; non extremum, ſed tantummodo ad finem conducens; ab iiſdem demum Romanis Pontificibus non apparet haberi tamquam *infallibile*, aut tamquam ad Fidem pertinens. Quæ nimirum omnia ſimul juncta, licet temeritatis notæ eum non eximant, qui aſſereret, Romanum Pontificem erraſſe in hac vel illa Beatificatione æquipollenti (nec enim ex erroris poſſibilitate valet illatio ad ipſum errorem, nec ſine temeritatis nota licitum eſt venerabili Romani Pontificis judicio refragari, etſi tantum permittenti, quippe quod tot adhibitis diligentiis prolatum eſt) ſufficere tamen poſſe videntur, ne id afferens tamquam hæreticus ſit habendus; atque adeo apta videri poſſunt ad oſtendendum, ſummi Pontificis judicium in Beatificatione æquipollenti non eſſe *infallibile*, neque pertinens ad Fidem.

10. Beatificationis porro formalis judicium gravius certe eſt judicio Beatificationis æquipollentis. Non abſolvitur enim, niſi conſtet ex proceſſibus de virtutibus, aut de martyrio, & de ſignis ſeu miraculis, quæ ſunt ſubſtantialia requiſita Canonizationis, quin & in ſummorum Pontificum Apoſtolicis litteris ea deeſt clauſula jus ſervans Congregationis ſacrorum rituum. Sed, quamvis ex hoc inferri poſſit, temeritatis, aut gravioris theologicæ cenſuræ nota eſſe afficiendum, qui auderet afferere Romanum Pontificem in hac vel illa formali Beatificatione erraſſe; aut contenderet, non eſſe Beato exhibendum cultum eo in loco, in quo Papa indulget, ut exhiberi queat: concludi tamen certo non poteſt, vel ipſum formalis Beatificationis judicium eſſe *infallibile*, aut ad Fidem pertinere; cum ſemper ſit permittens, nunquam præcipiens, & ad finem utique conducat, ſed non ſit extremum; & ut plurimum cultus per id conceſſus intra particularem aliquam provinciam, civitatem, vel Religioſam familiam ſit coarctatus. Multo autem minus id concludi poteſt, cum ex ſupra relatis habeamus, fere uſque

ad

ad tempora ſummi Pontificis Clementis IX. expleta licet Beatificatione formali, iterato examini ſubjici conſueviſſe ea omnia, quæ jam ante formalem ipſam Beatificationem examinata fuerant & approbata, ut tranſitus fieret ad Canonizationem. Signum quippe hoc eſt, formalis Beatificationis judicium habitum non eſſe ut *infallibile*, aut tamquam pertinens ad Fidem. Etſi vero nova conſuetudo fuerit ſubinde introducta, ut in tranſitu a Beatificatione formali ad Canonizationem minime inſtituatur recens examen de virtutibus, aut martyrio, vel de ſignis ſeu miraculis jam approbatis, ſed quæſtio tantummodo reducatur ad nova ſigna vel miracula, quæ poſt Beatificationem ſupervenerunt; quomodocunque ſit, utrum id ſufficiat, necne, ut judicium Beatificationis formalis habeatur pro *infallibili*, aut tamquam ad Fidem pertinens, hoc ſaltem certum eſt, etiam hodie, abſoluto judicio formalis Beatificationis, necnon miraculorum, quæ poſt obitum ſupervenerunt, non ſolum in Congregatione generali ſacrorum rituum proponi dubium; *an tuto deveniri poſſit ad Canonizationem*; verum etiam, eodem dubio favorabiliter reſoluto, de tota cauſa iterum agi, id eſt tum de virtutibus & martyrio, tum de miraculis, in Conſiſtoriis, in quibus ſuffragium fertur ab omnibus S. R. E. Cardinalibus, atque Epiſcopis Romæ commorantibus, necnon aliis ad Urbem hanc ob cauſam vocatis. Quæ, cum profecto cæremonialia non ſint, ſed ſubſtantiam judicii reſpiciant, nec, niſi invocato Dei omnipotentis auxilio, peragantur, oſtendere aperte videntur, Beatificationis judicium neque ab ipſis Romanis Pontificibus haberi ut *infallibile*, aut tamquam quid ad Fidem pertinens. Addendum, quod ex alibi referendis, cum in ſacrorum rituum Congregatione ordinaria actum alias fuiſſet, an in honorem Beatificatorum vel Beatificatione æquipollenti, vel formali eſſent in poſterum concedendæ lectiones propriæ ſecundi Nocturni in Officio Divino; nonnulli dixerunt, minime eſſe concedendas, eo quia Beatificatio erat actus revocabilis; alii autem cenſuerunt, concedi poſſe, non obſtante, quod Beatificationis judicium non eſſet *infallibile*, nec ad Fidem pertineret: quibus nempe confirmantur ea, quæ modo dicta ſunt, quæque paucis enuntiantur *tom. 2. Operis Theologici* Patris Silveſtri Mauri Societatis Jeſu, qui Theologiam Romæ per multos annos magna cum laude docuit, ubi *lib. 7. quæſt. 140. n. 17.* ita loquitur: *An ſit de Fide, eos, qui ſolum fuerint Beatificati, eſſe in cælo, minus eſt exploratum apud Auctores. Conveniunt, eſſe ita certum, ut ſine temeritate negari non poſſit. At multi negant, id eſſe de Fide. Ratio eſt, quia, ut aliquid ſit de Fide, debet eſſe definitum. Sed ſummus Pontifex ſententiam definitivam pronuntiat tantum in Canonizatione, cujus forma eſt: Decernimus ac definimus, talem eſſe Sanctum, ac Sanctorum catalogo adſcribendum. In Beatificatione autem non pronuntiat ſententiam definitivam, ſed ſolum concedit titulum Beati, & cultum quemdam non univerſalem in tota Eccleſia, ſed limitatum ad certa loca, certaſque perſonas; ac deinde, antequam procedat ad Canonizationem, facit novas diligentias, quaſi res adhuc non ſit omnino exploratа. Cum autem aliquid jam eſt certum certitudine Fidei, eſt omnino exploratum, ac non debet fieri ulterior inquiſitio.* Hunc ſequitur ex eadem Societate P. Jo. Baptiſta Ricciolius *in tract. de immunitate ab errore in SS. Canonizatione*, quem quidem tractatum dicavit ſummo Pontifici Clementi IX. ubi *lib. 1. cap. 6. n. 8.* hæc habet: *Quæritur octavo, ſit ne de Fide, eos, qui a Sede Apoſtolica beatificati tantum ſunt, ſed nondum canonizati, eſſe Sanctos, & in gloria? Reſpondetur negative cum omnibus fere Doctoribus .... recenſitis, qui de hoc puncto tractant. Licet enim ego quoque cum multis cenſeam, hanc quoque declarationem Pontificiam eſſe infallibilem, & Spiritum Sanctum aſſiſtere Papæ, ne in hoc negotio, quod per ſe magnum eſt, & ad Fidem, Religionemque Chriſtianam ſuo modo pertinens, erret; non exiſtimo tamen, eorum ſanctitatem & gloriam certam eſſe de Fide, quia non eſt declarata a Sede Apoſtolica per ultimam ſententiam definitivam, nec univerſæ Eccleſiæ mandatum, ut colatur tamquam Sanctus, ſed ſolum alicui civitati, provinciæ, aut Ordini Religioſo permiſſum, ut ejus imago exponatur, & limitato cultu honoretur, prohibendo, ut ulterius procedatur, donec illa perſona canonizata fuerit.*

11. Videnda nunc argumenta eorum, qui contra putant, aut certum ſcilicet, aut ſaltem probabile, Romani Pontificis judicium in Beatificatione eſſe *infallibile*, & ad Fidem pertinere. Aſſerunt itaque, Romani Pontificis *infallibilitatem* in Canonizatione tamquam rem certam atque exploratam a Scriptoribus recipi; qui idcirco, ſi de Beatificatione minime loquuntur, docere velle videntur, ſe eamdem Canonizationis nomine voluiſſe comprehendere, atque adeo idem judicium de utraque eſſe ferendum. Addunt, Pontificem in Beatificatione ſæpiſſime indulgere, ut Miſſa in honorem Beatificati celebretur: cum autem Miſſæ ſacrificium nomine totius Eccleſiæ offeratur, hinc inferunt, ſi in hac cultus conceſſione judicium Papæ non eſſet *infallibile*, ſed errare poſſet; *infallibile* non eſſe, & errare poſſe in re ad univerſam Eccleſiam pertinente. Subdunt, nequaquam percipi poſſe, quomodo Pontifex, dum aliquem Dei ſervum Beatorum numero adſcribit; minime ſibi proponat, eum eſſe in cœlo & cum Chriſto regnare. Item, excluſa *infallibilitate*, periculum inſtare, ne damnatus loco juſti colatur; & ne is error ad univerſam extendatur Eccleſiam, cum Beatificatum unuſquiſque poſſit publice Beatum appellare, & publice venerari. Demum, cum judicium Papæ ſit *infallibile* in approbatione alicujus particularis Inſtituti, ſeu Religioſæ familiæ; multo magis *infallibile* ſit oportet in Beatificatione, licet Beatificatio ipſa non habeatur tamquam res, quæ univerſam reſpiciat Eccleſiam.

12. Omittimus argumentum, quod deſumitur ab aſſertione eorum, qui nullam facientes diſtinctionem inter Beatificationem & Canonizationem docent, judicium Papæ eſſe in Canonizatione *infallibile* & ad Fidem pertinere; nemo enim eſt qui non videat, illud mole ſua ruere, tum quia Auctores, qui aliquid non aſſerunt, non poſſunt haberi pro aſſerentibus; tum quia alii jam ſupra allegati non deſunt, qui utique diſtinguentes inter Beatificationem & Canonizationem, in prima minime exiſtimant, judicium Papæ eſſe *infallibile*, quod *infallibile* profecto & etiam ad Fidem pertinens in ſecunda recognoſcunt. Omittimus pariter aliud argumentum, quod eruitur ex cultu Beatorum ad univerſam Eccleſiam extenſo; coercitus quippe re vera eſt intra certos ac definitos locos, ſicuti ſupra vidimus, abſque eo quod extenſio ad univerſam Eccleſiam deduci valeat ex titulo Beati, quo Beatificatus in univerſa ipſa Eccleſia appellari poteſt; titulus namque Beati in univerſa Eccleſia competens Beatificato, nihil aliud, ſubſtantialiter ac ſevere loquendo, importat, quam ſinceram piamque publici cultus ad Dei ſervi honorem in determinato aliquando loco a Romano Pontifice conceſſi notitiam; qui, licet in alio publice exhiberi non poſſit, privatim tamen, ac laudabiliter ubique exhibetur & exhiberi poteſt, ut alibi demonſtrabitur. Cetera porro omnia ex adverſo expoſita argumenta continuo ceſſare videntur ex præcipua illa animadverſione in ſuperioribus producta, quod ſcilicet judicium Papæ in Beatificatione non eſt præcipiens, ſed indulgens atque permittens; de cujus nempe eſſentia non eſt, ut ſit *infallibile*, cum certum eſſe ſufficiat, non quidem certitudine *infallibilitatis*, aut Fidei, ſed ea tantum morali certitudine, qua Pontifex prudenter & ſapienter agit, indulget atque permittit: in quo propterea rerum themate minime urget nos contentio de *infallibilitate* in approbatione particularis alicujus Ordinis Religioſi, cum approbatio hujuſmodi Ordinum non nuda duntaxat ſit permiſſio, ſed definitio ſummi Pontificis, qua nimirum decernit, regulam, quam approbat & confirmat, nihil continere Evangelicæ perfectioni repugnans.

13. Ad rem oppido facit exemplum conceſſionum, quibus ſummi Pontifices ſolvunt homines a matrimoniis ratis, ſed non conſummatis, aliarumque conceſſionum ſolventium continentia annexa regulæ, ac profeſſioni monaſticæ. Fiunt quippe aliquando hujuſmodi conceſſiones, nec tamen ex eis deducitur, certum eſſe de Fide, poſſe Pontifices ſolvere homines a matrimonio rato, ſed non conſummato, atque a voto continentiæ annexo profeſſioni monaſticæ: adverſantibus videlicet Theologis etiam magni nominis qui poſt eaſdem conceſſiones etſi exiſtiment, prædictam poteſtatem Romanis Pontificibus nullo modo competere, non tamen putant, ſe ulli Pontificiæ definitioni refragari; utpote cum ſciant, eos in judicio permittente ac ſolvente minime definire, eiſdemque ſatis eſſe, ſi pro ſe certam certitudine morali habeant ſententiam propriæ poteſtati faventem. Quare Cardinalis Capiſucchius, poſtquam *controv. 11.* late docuit, non poſſe Eccleſiam ſolvere continentia ſolemniter annexa Profeſſioni monaſticæ exemplis ſolutionum a Romanis Pontificibus conceſſarum, reſpondet §. 3. *Pontifices ſecutos eſſe opinionem Canoniſtarum id poſſe fieri aſſerentium, & ipſis Pontificibus viſam probabiliorem.* Hinc, quamvis ſummus Pontifex aliquem Dei ſervum Beatorum catalogo adſcribens nedum ſibi proponat, verum etiam pro certo habeat, eum in cœlis eſſe & cum Chriſto regnare, & hac de cauſa publicum cultum in ejus honorem indulgeat; non tamen ſequitur, ut tamquam de Fide

cer-

certum ſtatuat ac definiat, prædictum Beatum in cœlis eſſe: veluti, ponderata Sixti IV. Conſtitutione (quæ incipit, *Grave nimis, tit. de Relig. & venerat. SS. inter Extr. comm.* ubi feſtum, Indulgentias, & alia concedit in honorem Conceptionis immaculatæ B. Mariæ Virginis, de qua infra) decet P. Seraphinus Capponi a Porrecta Ord. Prædicat. *in 3. part. Divi Thomæ quæſt. 27. art. 2.* aliique. Scilicet ad ea omnia prudenter peragenda ſufficit moralis certitudo; quemadmodum bene proſequitur P. Theophilus Raynaudus *oper. tom. 7. de retinendo titulo Immaculatæ Concep. B. Virginis §. 8. num. 32. & 33. Neque enim, ſi Gregorius XV. dixit, velle ſe, ut omnes octavo Decembris feſtum & Officium peragerent ſub nomine Conceptionis, ſumptæ, prout ea vox tunc ſonabat, hoc eſt pro prima Virginis animatione, eamque conceptionem propoſuit pro objecto cultus religioſi & laudabilis erga Deiparam pietatis, conſequens eſt, ut definiverit tamquam ex Fide certum, quod prima Virginis animatio fuerit labis originariæ expers & Immaculata: Nam ad ſtatuendam conceptionem ſic acceptam pro objecto cultus ſufficit, ut Pontifici viſum ſit pium ac probabile, quod B. Virgo ſemper labe caruerit, ejuſque prima animatio fuerit immaculata; & hoc eſt, in quo adverſarii vel ultro cæcutiunt, vel obturatos habent oculos, quibus perſpiciant, quando definitur, cultum alicujus perſonæ eſſe licitum & religioſum ac pium, non idcirco ſtatui, ut ex Fide certum, quod perſona, cui cultus decernitur, ſit ſancta & collucens gratia ſanctificante; poteſt enim religioſe ac pie coli ex ſola certitudine morali, aut ex prudenti, & probabili judicio, quod ſit cultu digna.* Eidem adhæret Natalis Alexander *in hiſtor. Eccleſ. Sæc. 2. diſſert. 16. §. 21.* ubi ait: *Eccleſia tamen, decernendo, ut non amplius ſub Sanctificationis, ſed ſub Conceptionis nomine illa Deiparæ ſolemnitas celebraretur, & ſingulare quoddam Officium probando, quo immaculata recolitur conceptio, in eam ſe magis propendere partem oſtendit, quæ immaculatam opinatur. Pietatis ergo ſit Eccleſiæ ſequi propenſionem, & Deiparæ Virginis conceptionem immaculatam prædicare .... ſed officii eſt ultra non progredi, cum Eccleſia quæſtionem illam nondum finierit, nec immaculatam Deiparæ Virginis conceptionem, ut dogma Fidei, credendam proponat.*

14. Reſpicit nempe Theophilus Raynaudus, & una cum eo Natalis ad cultum beatæ Mariæ Virginis, ut ſingulari privilegio a peccato originali in ſua conceptione ſervatæ: ſuper qua quidem re plures prodierunt Romanorum Pontificum Conſtitutiones Sixti videlicet IV. S. Pii V. Pauli V. Gregorii XV. Alexandri VII. & Clementis XI. quæ in unum collectæ legi poſſunt in notis ad Guillelmum Eſtium *tom. 2. editionis Neapolitanæ anni 1720. pag.* 8. & ex quibus utique clare deſumitur unanimis eorum propenſio erga ſententiam, quæ B. Virginem Mariam a peccato originali ſervatam in ſua conceptione adſtruit atque confirmat. Favet quoque communis, ut ita dicam, Fidelium ſenſus; teſte Petavio *tom. 6. Theol. dogm. lib. 14. cap. 2. num.* 10. ubi ſic loquitur: *Movet autem me, ut in eam ſim partem propenſior, communis maxime ſenſus Fidelium omnium, qui hoc intimis mentibus, atque defixum habent, & quibus poſſunt, indiciis officiiſque teſtantur, nihil illa Virgine caſtius purius innocentius, alienius denique ab omni ſorde ac labe peccati procreatum a Deo fuiſſe; tum vero nihil cum inferis, & horum rectore diabolo, adeoque cum qualicumque Dei offenſa, & damnatione commune unquam habuiſſe.* Attamen, cum uſque adhuc nulla prodierit Eccleſiæ definitio de immaculata Virginis conceptione, ipſique Romani Pontifices in allegatis Conſtitutionibus proteſtati fuerint, ſe prædictam quæſtionem nequaquam voluiſſe per earum rerum conceſſionem definire, Theophilus ipſe Raynaudus, & cum eo ſimul Natalis *loc. ſupra cit.* infert cultum, feſtum, & alia quæcumque fancita in honorem Virginis, ut in ſua conceptione ab originali peccato ſervatæ, minime prodeſſe, ut eadem ſervatio habenda ſit tamquam certa certitudine Fidei.

15. Affert inſuper Pater Theophilus *loc. alleg.* exemplum feſti Aſſumptionis beatiſſimæ Virginis Matiæ: *De Aſſumptione, quatenus ſpectat præcocem Virginis anaſtaſim, & corporis jam redivivi ſublationem in cœlum, idem dicere liceret; nec enim eſt Fide certum, quod B. Virgo ſit eo modo aſſumpta in cœlum, ut ex multis Doctoribus oſtenditur in diptychis. Et tamen ea Aſſumptio eſt religioſiſſimum anniverſariæ ſolemnitatis objectum.* De eodem ſcilicet feſto ita loquitur S. Bernardus *tom. 1. oper. epiſt. 174. ad Canonicos Lugdunenſes num. 3. Accepi ſane ab Eccleſia, illum diem cum ſumma veneratione recolendum, quo aſſumpta de ſæculo nequam, cœlis quoque intulit celeberrimorum feſta gaudiorum.* Gregorii præterea Turonenſis, Andreæ Hieroſolymitani, Gregorii Magni Romani Pontificis, Ildefonſi Tolentani Epiſcopi, Joannis Damaſceni, Fulberti Carnotenſis Epiſcopi, Petri Damiani, Bernardi Abbatis aſſertiones præclare oſtendunt, beatiſſimam Virginem placida morte terris ereptam in cœlos ſtatim aſſumptam fuiſſe. Piæ & religioſæ ſententiæ de aſſumpto in cœlos Virginis corpore, rationes item Theologicæ ſuffragantur petitæ ex dignitate Matris Dei, ab excellenti virginitate, ab inſigni ſupra homines omnes, & Angelos ſanctitate, ex intima cum Chriſto Filio conjunctione & conſenſione, ex Filii in Matrem digniſſimam affectu. Denique, quod caput eſt, ſi Eccleſia non modo aſſumptam in cœlum Virginem celebrat die 15. Auguſti, & aliis ſequentibus, ſed etiam homilias SS. Joannis Damaſceni, & Bernardi legendas Fidelibus tradit, quæ eam corpore ſimul & anima aſſumptam diſertiſſimis verbis affirmant, de ejus auctoritate ac ſuffragio neutiquam dubitandum eſſe videtur. *Dei Eccleſia* (verba ſunt Cardinalis Baronii *in notis ad Martyr. Rom. ad dictam diem*) *eam partem propenſior videtur, ut una cum carne aſſumpta ſit in cœlum. Nam in hujus diei celebritate illas ſanctorum Patrum homilias legendas tradidit, quibus eadem de ejus aſſumptione affirmantur.* His nihilominus minime refragantibus, nulla adhuc Eccleſiæ prodiit definitio de B. Maria Virgine corpore & anima in cœlum aſſumpta, definitio nempe id reponens inter articulos Fidei; quemadmodum præter Theophilum docet Dominicus Soto *in 4. ſent. diſt. 43. quæſt. 2. art. 1.* ubi hæc habet: *Jam vero temporum curriculo opinio hæc, aut credulitas, quod in corpore & anima fuerit in cœlum aſſumpta, plurimum inolevit. Nondum tamen inter Fidei articulos creditu neceſſarios relata eſt, quamvis ſit pientiſſime credendum: nam & in Collecta illius feſti ait Eccleſia, quod nexibus mortis deprimi non potuit;* & ſequitur Melchior Canus *lib. 12. de loc. Theol. cap.* 10. *Ut beatam Virginem non eſſe in cœlis cum corpore aſſumptam: quod licet Fidei minime adverſum ſit, ſed quia communi Eccleſiæ conſenſioni repugnat, petulanti temeritate diceretur &c.* Neque pro definitione habentur ea, quæ ex feſto, cultu, ceteriſque modo ponderatis deſumuntur.

16. Argumentatur hinc igitur ſæpe recenſitus Theophilus Raynaudus *loc. cit.* niſi jure potiori, ſaltem pari, nullam de Fide, ſed moralem tantummodo ſanctitatis certitudinem in publico eo cultu contineri, qui Apoſtolica auctoritate erga Canonizatos, & Beatificatos exhibetur. Et ſane, utcunque ſit de ejus aſſertione quoad argumentum Canonizationis, in qua nedum præceptum univerſam reſpiciens Eccleſiam, verum etiam definitiva de ſanctitate continetur ſententia, de quo quidem articulo in ſequentibus tractabitur; non ita tamen facile ejuſdem dicta quoad Beatificatos rejici poſſunt, cum in Beatificatione deſit definitiva ſententia, & cultus intra certos locos ſit coercitus: *Ac, ut præcidamus diſputationes non neceſſarias, ſaltem de his, qui Beatificati duntaxat dicuntur, certum eſt, eos pie ac religioſe coli, quamvis nemo dixit, eorum cæleſtem gloriam Fide Divina eſſe tenendam.* Similia ſunt ea, quæ habentur apud Dominicum a SS. Trinitate *in tract. de ſummo Pontifice Rom.* (*tom. 10. biblioth. Pontif. pag. 496.*) ubi, poſtquam ſibi oppoſuit, Divum Thomam ex celebratione feſti nativitatis beatiſſimæ Virginis certo colligere, eam ſanctam fuiſſe ante ſuam nativitatem; ideoque firmiſſimum ſanctitatis argumentum deſumendum eſſe ex feſti celebratione, quæ fit Sedis Apoſtolicæ auctoritate in honorem Beatificatorum, ita ſubdit: *Reſpondetur, feſtum aliquod ab Eccleſia dupliciter celebrari poſſe; uno modo ſimul cum judicio poſitivo, aut aſſenſu univerſali Eccleſiæ abſolute de ſanctitate illius, cujus feſtum celebratur; alio modo ex mera duntaxat conceſſione, vel permiſſione ſine tali judicio vel aſſenſu. Ubi primo celebratur modo, ſicut fit in Canonizatione, inde optime infertur ſanctitas alicujus; & ita S. Thomas loc. cit. ex celebratione abſoluta Eccleſiæ circa nativitatem Virginis ejus intulit ſanctitatem: ſecus autem, ſi ſecundo ſolum agatur modo; inde enim tantum ſequitur, quod talis celebritas non ſit reprobanda, ut ex eodem Divo Thoma diximus. Sic autem ſe habet Beatificatio, in qua non habetur judicium Eccleſiæ definitivum, ſed permiſſio duntaxat, nec adhuc ſemper eſt reſpectu univerſalis Eccleſiæ, ſed aliquarum ſolum in ea perſonarum. Et, licet Eccleſia etiam univerſalis celebret, ſi tamen ſpecialem habeat declarationem, quod non intendit oppoſitam damnare opinionem, ſicut fit in celebratione feſti immaculatæ Conceptionis, ex tali adhuc celebratione cum hujuſmodi declaratione non arguitur cum omnimoda certitudine ſanctitas illius, cujus feſtum agitur.*

17. De-

17. Denique, quia magnum ex adverso constituitur momentum in concessione Officii & Missæ, quæ fit in Beatificatione, nemo est qui ignoret, Missæ sacrificium offerri quidem nomine Ecclesiæ; attamen, cum oblatio fiat Deo in honorem Beati, nihil etiam obstare, quin fit oblatio in honorem ejus, qui Beatus habetur, licet ejus beatitas certa non sit certitudine Fidei; sed certitudine tantum morali. Fuit nempe opinio nonnullorum Pontificii juris peritorum, Beatificatum a Canonizato differre, eo quod in honorem Canonizati Officium recitatur, ac Missa celebratur, quæ minime fiunt in honorem Beatificati; ita Malvetius *de Canonizat. SS. dub. 1. num. 19. (inter tract. magnos tom. 13. pag. 97.)* Cassaneus *in catal. gloriæ mundi part. 3. consid. 46.* Contel. *de Canonizat. cap. 2. num. 10.* Qua forte de causa olim Romani Pontifices Missam & Officium concedentes in honorem Beati pro determinato aliquo loco protestabantur, se per eadem nequaquam intendere Beatum ipsum canonizare. Sic enim in B. Notkero Balbulo honore Missæ decorando 20. Decembris 1512. Julius II. *Volumus autem*, inquit, *quod ex his &c. dictus Notkerus propterea Canonizatus, aut alias approbatus non censeatur*: sic in B. Margarita de Cortona 8. Februarii 1515. Leo X. *Volumus autem, quod propter præmissa dicta B. Margarita Canonizata non censeatur*: & in B. Philippo Benitio 24. Januarii 1516. *Volumus autem, quod propter præmissa præfatus Philippus in catalogo Sanctorum adscriptus, seu Canonizatus publice minime censeatur*: sic in B. Laurentio Justiniano 18. Julii 1524. Clemens VII. *Volumus autem, quod propter præmissa catalogo Sanctorum adscriptus minime censeatur*: in Beata autem Agnete Virgine Ord. Præd. anno 1532. *Licet, inquam, Canonizata non sit*: & in B. Hyacintho 15. Junii 1530. *Ita tamen per hoc, quod dictus Hyacinthus Canonizatus, & catalogo Sanctorum adscriptus nullatenus censeatur*: tum in B. Raymundo 3. Julii 1542. *Ac si esset Canonizatus*: sic denique in B. Guillelmo Eremita Siculensi 27. Junii 1537. Paulus III. *Volumus autem, quod dictus Guillelmus propter præmissa Canonizatus non censeatur*. Verum ab aula postmodum recessit opinio, quod Canonizatis Officium ac Missa concedantur, non autem Beatificatis; ideoque prædicta clausula non amplius inseritur Beatificationum Brevibus. Merito scilicet opinio hæc ab aula recessit, cum in honorem Beatificatorum passim fiat Indultum Officii ac Missæ: ideoque merito Romani Pontifices opportunum, aut necessarium non amplius esse existimarunt, memoratam clausulam Brevibus Beatificationum inserere, cum ex concessione Officii ac Missæ perspectum omnibus esse viderint, minime valere argumentum ad Canonizationem, atque adeo ad *infallibile* & irrevocabile sanctitatis judicium de eo, ad cujus honorem fit in Beatificatione ipsa Officii ac Missæ concessio. Quod ut clarissime ostendatur, præponendum est ex alibi dicendis, factam fuisse non semel, aut bis, sed sæpissime concessionem Officii & Missæ in honorem Beatificatorum Beatificatione tantum *æquipollenti*; postquam videlicet definitum est, utique constare de cultu immemorabili, sed antequam facta sit discussio virtutum, aut Martyrii, & signorum sive miraculorum. Quare, quemadmodum nemo est, qui dicere audeat, *infallibile* esse judicium sanctitatis in memorata Beatificatione *æquipollenti*, pendente nimirum adhuc judicio super substantialibus sanctitatis requisitis; ita unusquisque facile dignoscere poterit, concessionem Officii ac Missæ in honorem Beati nequaquam *infallibili*, sed morali solummodo sanctitatis certitudine esse posse sine ulla absurditate sufficienter innixam.

CAPUT QUADRAGESIMUMTERTIUM.

De Ecclesiastico judicio, quod interponitur in Sanctorum Canonizatione, utrum sit infallibile.

1. HIC ante omnia operæ pretium esse censemus adnotare præsentem controversiam partim quidem a celebri ea differre, sed partim etiam cum eadem convenire, quæ tantis scilicet animorum motibus agitata est de *infallibili* summi Pontificis judicio in doctrina Fidei, & morum, de ejusdem judicii *infallibilitate*, atque auctoritate absque eo quod dependeat a consensu Ecclesiæ, deque necessitate intellectum eis subjiciendi, sub hæresis nota adversantibus imposita, eis, inquam, quæ tamquam de Fide a Romano Pontifice declarata sunt, & declarantur. Notum quippe est, complures profecto insignes ex omni tribu, & lingua, & populo Doctores stare pro *infallibilitate* Romani Pontificis ex Cathedra docentis in materia Fidei & morum, eumque recognoscere tamquam supremum in Ecclesia Judicem, a cujus definitionibus impium sit & hæreticum resilire; attamen nonnullos ex eis docere, hanc *infallibilitatem* minime ipsi competere in Canonizatione Sanctorum, nec eum hæreticum futurum, qui dubitaret de sanctitate alicujus Beati inter Sanctos, per solemnem licet Canonizationem, relati. Item animadversione dignum est, quod Auctores, qui nec *infallibile*, nec de Fide putant Romani Pontificis judicium in Fidei morumque materia, nisi accedat universalis Ecclesiæ consensus, quique idcirco *infallibilitatis* & potestatis de Fide decernendi prærogativam admittunt, & admittere tenentur in generalibus Conciliis legitime congregatis; cum potissimum tamen contra Romani Pontificis *infallibilitatem* argumentum in Canonizationis materia ex eo desumatur, quod prædictum judicium innitatur testibus humanis, qui fallere possunt & falli, atque id quidem ipsum locum sibi vindicet etiam in Canonizationibus factis in Conciliis generalibus legitime congregatis; *infallibilitatem* propterea, quam denegant Romano Pontifici in Canonizationibus, denegare quoque coguntur generalibus Conciliis. Quod & bene præcognitum fuit a Jacobo Almaino Parisiensi Doctore *in expositione circa decisiones M. G. Occam super potestate summi Pontificis, quæst. 1. cap. 16. tom. 2. operum Joannis Gersonii col.* 1072. ubi propositæ quæstioni, *an Concilium possit errare*, respondet: *Concilium errare non potest in quæstione juris, De Sanctorum Canonizatione dubium est, quia factum ist*. Et ex his nimirum evincitur, præsentem de Canonizatione controversiam partim differre ab illa modo enuntiata de *infallibilitate* summi Pontificis generaliter in decretis Fidei & morum. Conveniunt postea partim duæ hæ controversiæ, tum quia denegantes Romano Pontifici *infallibilitatem* in decretis Fidei & morum, id ipsum potiori jure docere tenentur in materia Canonizationum, quæ ab ipso factæ sunt & fient, tum quia admittentes *infallibilitatem* Romani Pontificis in decretis de Fide ac moribus, plura ex eo deducere possunt argumenta pro *infallibilitate* pariter in Canonizationum materia.

2. Hisce præmissis, tum autem initio ducto ab examine, utrum summi Pontificis judicium in Canonizatione sit *infallibile*, ut deinde transitus fiat ad ponderandum, an hæc ipsa *infallibilitas* de Fide sit, ita ut nedum impius ac temerarius, sed & hæreticus censendus esset, qui de sanctitate dubitaret, aut sanctitati refragaretur alicujus inter Sanctos per Canonizationem a Romano Pontifice relati; unico fane, ut ita dicam, ictu utraque quæstio resoluta dici posset auctoritate summi Pontificis Sixti V. quem sic loquentem in ultimo Consistorio habito pro Sancti Didaci Canonizatione refert Galesinius *in Actis ejusdem part. 3. cap. 12. Tum Pontifex . . . . e solio concionem habuit sententiarum Divinarum pondere gravissimam, doctrinæ ubertate eruditissimam, omnique argumentorum majestate & sapientiæ admiratione maxime decoratam. Qua in concione a rei, quæ agebatur, magnitudine exorsus, primo de potestate Pontificis auctoritateque Ecclesiæ, quæ a Deo tradita est, illuminate divineque dixit. Tum demonstravit & sacris Litteris, & rationibus ex intima Theologia depromptis, omnique argumentorum genere, Romanum Pontificem, verum Successorem B. Petri Apostolorum Principis, pro quo oravit Christus Dominus, ne ejus fides deficeret, eumdemque verum caput Ecclesiæ, quæ est firmamentum & columna veritatis, quæque a Spiritu Sancto regitur ac gubernatur, in Sanctorum Canonizatione errare & falli non posse. Idque non modo pie, sed necessario, & certissima fide credendum affirmavit omnibus summis rationibus divinitus in medium allatis; cum illud etiam perspicue manifestum sit, Ecclesiæ Pontificisve decreta certa & firma esse, quæ ad Fidem, aut morum disciplinam pertinentia certis & firmis principiis fundamentisve innitantur. Pluribus cum eam in sententiam dixisset ad horæ spatium concionem duxit, quam cuncti, qui interfuerunt, summa attentione atque admiratione audierunt.* At, quia responderi posset, assertiones Sixti Pontificis ab eo prodiisse, tamquam a privato Doctore, uti revera sic

pro-

prodiisse, dicendum esse videtur; ceterorum idcirco Doctorum sententias ea, qua fieri poterit, diligentia enarrabimus.

3. Prima itaque sententia est Glossæ *in cap. unic. in v. Sedis Apostolicæ: de Reliq. & venerat. SS. in 6.* ubi Auctor ejus admittendo possibilitatem erroris in Canonizatione, in eo esse sensu videtur, Papam in eadem non esse *infallibilem*. Eam autem sequuntur Innocent. *in cap. 1. num. 4.* ibique Ostien. *num. 10. v. Quid si Ecclesia erret: de Reliq. & venerat. SS.* & Felin. *in cap. Venerabili num. 2. de testibus*. Adhæret etiam ei Cardinalis Cajetanus Pontificiæ auctoritatis alioquin assertor & vindex *in tract. de Indulgent. adversus Lutherum ad Julium Medicum cap. 8.* ubi ait: *Præsumitur enim de jure pro judice semper, nisi manifeste appareat error; & supponens, ex causa legitima datam tantam Indulgentiam, veritatem prædicat, sicut absque falsitate prædicat talem Sanctum, supponens illum rite Canonizatum. Ita quod dato, quod iste Canonizatus non esset Sanctus, sed damnatus, Ecclesiæ doctrina, aut prædicatio non esset mendax, aut falsa. Quia hæc non pertinentia ad Fidem non intelliguntur affirmari & prædicari, nisi cum grano salis, hoc est, stantibus communiter præsumptis. Præsumit enim Ecclesia Canonizationem rite factam, & similiter Indulgentiam rite datam, & sic prædicat, Indulgentias valere quantum sonant. Sed, sicut potest intervenire error humanus in Canonizatione alicujus Sancti (ut S. Thomas dicit) ita potest intervenire error humanus in collatione Indulgentiæ. Si quis autem putet, Romanum Pontificem non posse errare in istis particularibus actionibus . . . . . putet quoque, ipsum non esse hominem.* Assentitur quoque Vincent. Baron. *Theolog. moral. parte altera disp. 11. sect. 2. §. 2.* Augustinus demum de Ancona, sive Augustinus Triumphus *potestate Eccles. quæst. 14. artic. 4.* ubi agit de Sanctorum veneratione; postquam docuit, quod duplex judicium datur de homine, primum nempe secundum præsentem justitiam, alterum autem juxta æternam sententiam; atque adeo quod in priori judicio potest quis esse irreprehensibilis coram hominibus, sed reprehensionem merens coram Deo; quodque in secundo judicio nihil invenitur reprehensionem merens, & culpabile sive per Deum, sive per hominem; sic ad rem concludit: *Papa ergo, canonizando aliquem Sanctum, secundum præsentem justitiam non errat, quia sic credit, eum esse Sanctum, ut informationem recipit secundum allegata & probata sibi. Dicit autem Augustinus in quadam epistola ad Severum Abbatem epist. 35. commendantem eum de sanctitate, & scientia: Qui enim sic credit, ut loquitur, etiamsi falsa loquatur, fideliter loquitur; qui autem non credit, quæ loquitur, etiamsi vera loquatur, infideliter loquitur. Quantumcumque ergo Papa non vera approbet, ex quo fideliter approbando aliquem Sanctum vel canonizando vere approbat secundum informationem sibi factam, non errat:* & id ipsum repetit *quæst. 17. art. 4. Ad primum ergo est dicendum, quod aliter judicat Deus, & aliter homo; quia Deus judicat judicio interiori habens pro teste ipsam hominis conscientiam, juxta illud ad Rom. 2. Testimonium reddente illis conscientia ipsorum, & inter se invicem cogitationum accusantium, aut defendentium. Ideo Deus in suo Judicio non fallit, neque fallitur. Sed homo judicio judicat exteriori, habens pro teste operum exteriorum evidentiam; ideo potest falli, & fallere. Ecclesia ergo non errat, canonizando aliquos Sanctos; quia non canonizat, eos esse Sanctos judicio Divino secundum determinatam sententiam, sed judicio humano secundum præsentem justitiam; secundum quem modum Sancti sunt, hominum reputatione & veneratione.* Hujus scilicet graviſſimi Auctoris sententia, etsi prima facie favorabilis videatur infallibilitati Romani Pontificis in Canonizatione, revera tamen talis non est: cum ex ea ad summum desumatur, Romanum Pontificem minime mentiri, nec simulare, quando aliquem Dei Servum Sanctorum fastis adscribit; cum quo utique stare potest, ut definit de eo quod verum non est, ideoque materialiter mentiatur: quemadmodum bene animadvertit Pater Ceparius in suo *Directorio MS. Canoniz. cap. 6.* quo in loco, recitata Augustini Triumphi opinione, hæc subdit: *Non possum non mirari, hunc alioquin virum doctum non advertisse, se tantum his suis rationibus probare, Papam non mentiri, nec simulare, sed id, quod sentit & credit, definire, sive id quod definitur sit verum, sive non; quod est dicere, non mentitur formaliter, licet materialiter possit mentiri, & per consequens errare.*

4. Pugnant vero pro summi Pontificis infallibilitate ceteri mox referendi. Dux nempe omnium est Thomas *quodlib. 9. art. 16.* ut infra latius exponetur. Porro cum S. Thoma consentiunt, admittendo similiter summi Pontificis infallibilitatem, Doctores, qui de Canonizatione scripserunt, Troilus Malvetius *in tract. de Canonizat. SS. pag. 101. n. 48. inter. tract. magn. t. 4.* Contelor. *de Canoniz. SS. cap. 10. per tot.* Jo. Antonius Garzias de Caralps *in tract. de Canoniz. SS. §. 13. & plurib. seqq.* Angel. Rocca *de Canonizat. SS. cap. 39. tom. 1. oper.* Castellan. *de Canoniz. SS. quæst. ultim. per tot.* Scacc. *de not. & sign. Sanctit. sect. 1. cap. 8. pag. 97.* Pavin. *in relat. causæ Canoniz. S. Bonaventuræ part. 2. art. 9. per tot.* Matta *de Canonizat. SS. part. 4. cap. 30. per tot.* Castellin. *de certit. glor. SS. per tot. & signanter cap. 5. punct. 8. & cap. 6.* Auctor anonymus de Canonizatione ad Cardinalem Montis Regalis *cap. 4. & cap. 5.* Virgilius Ceparius *in director. MS. Canoniz. SS. part. 2. cap. 6. per tot.* Victon. *in tract. de Canonizat. Gallico idiomate conscripto a cap. 15. usque ad cap. 23.* Ricciolius Societatis Jesu Theologus *in tractatu*, cui titulus: *immunitas ab errore tam speculativo, quam practico definitionum sedis Apostolicæ*: in quo latissime hanc sententiam tuetur, & ab objectis vindicat.

5. Pontificiæ ipsi infallibilitati in Canonizationis judicio suffragantur juris Canonici Interpretes, Fagnan. *in cap. Venerabili, a n. 10. usque ad fin. & signanter n. 39. de testibus*. Gonzal. *in cap. Audivimus, sub num. 6. de Reliq. & venerat. SS.* Covarr. *variar. resolut. lib. 1. cap. 10. n. 13.* Penia *in addit. ad Eymericum in director. Inquisit. 2. part. quæst. 17. §. Ad hæc, & §. Qui autem*. Maschard. *de probation. concl. 252. n. 57.* Barbos. *jur. Ecclesiast. universi. lib. 1. cap. 2. n. 42. & seqq.* Card. Tusc. *practicab. conclus. in v. Canonizatio concl. 41. n. 5. & seqq.* Card. Albit. *de incostant. in Fide cap. 40. n. 205.* Anaclet. ex Ordine Minorum S. Francisci Reformatorum provinciæ Bavariæ *in Jus can. tom. 3. ad cit. Decret. de Reliq. & venerat. SS. §. n. 8.* atque Eminentiss. Card. Petra docte de more, ac latissime id ipsum confirmat *in comment. ad Constit. Apost. tom. 2. in notis ad Constit. 1. Alexandri III. n. 17. & seqq.* Quodque præcipue notatu dignum est, sententia ipsa de summi Pontificis infallibilitate in Canonizatione juxta doctrinam S. Thomæ propugnatur ab omnibus Theologis tum ejusdem S. Thomæ, tum Scoti discipulis; quibus etiam ceteri, qui dicuntur Neoterici, unanimes subscribunt.

6. Inter Thomistas namque prædictæ adhærent sententiæ Joannes de Neapoli *quodlibet. 11.* S. Antonius *in summa Theol. 3. part. tit. 12. cap. 8. §. 2.* Bannez. *in 2. 2. Divi Thomæ quæst. 1. ar. 10. dub. 7. conclus. 2.* Jo. a S. Thoma *in 2. 2. Divi Thomæ quæst. 1. disput. 9. ar. 2. sub tit. de certitud. Canonizationis*; Silvester *in summa in verb. Canonizatio n. 2.* Tabiena *in summa in v. Canonizatio*; Summa Armilla *in v. Canonizatio n. 111.* Ambrosius Catharinus *in opusc. de certa SS. glor. lib. 1. tum §. Statuo ergo primum: tum subsequentibus reliquis, quibus liber ille concluditur*; Lucarinus *in controver. Thomist. concl. 30.* Gravin. *2. part. præscript. Catholicar. tom. 4. dub. 1. in append. & qu. 5. art. 2.* Melchior Canus *de loc. Theolog. lib. 5. c. 5. quæst. 5. art. 3. concl. 3. pag. 161. & pag. 165.* Ferr. *de virtut. Theolog. tom. 1. tract. de Fide quæst. 13. §. 2. n. 4. & §. 5. & 7.* Marchesius *de capite visibili Ecclesiæ dub. 4. pag. 740.* (*bibliotb. Pont. t. 9.*) Blasius a Purificat. *in tract. de ador. disp. 8. dub. 4. per tot.* Bzovius *de Pontifice Rom. cap. 32.* Dominicus a SS. Trinitate *in tract. de summo Pontifice Rom. cap. 18. §. Quinta conclusio pag. 493.* (*in biblioth. Pontif. tom. 10.*) Rabaudi *disput. Theolog. tom. 2. exercit. 3. cap. 1. pag. 144. & plurib. seqq.* Joannes Syrus *in tract. de Fide, syntag. 12. qu. 6. append. 2. §. 2.* Natal. Alexander *hist. Eccl. sæc. IV. disser. 17. in schol. tom. 4.*

7. Inter Scoti autem discipulos Franciscus Aretinus, dictus de Pitigianis, *in summa speculat. & moral. super 3. sent. Scot. distinct. 25. art. 5.* Fraſſen. *in suo Scot. Academ. ubi de effectibus & præexcellentiis Gratiæ sanctificantis, in solutione oppositionis sextæ num. 10.* Pont. *in curs. Theolog. disp. 28. quæst. 1. concl. 10.* Macedo *in schol. Theol. schol. 19. cap. 2. & cap. 4.* Angelus Petricca a Sonnino *in lib. de militant. & triumphant. Eccles. lib. 12. disput. 2. conclus. 2.* Guarnier. *in suo tomo de Eccles. triumphant. lib. 2. cap. 3. §. 2.* Cordub. *quæst. Theolog. lib. 4. quæst. 12.* Bordon. *de blasphem. cas. 22. n. 5. & par. 3. variar. resol. resol. 113.* Card. de Lauræa *tom. 1. de Fide disp. 6. art. 3. n. 120. & num. 125.* Pater a Panormo meritissimus olim sacræ rituum Congregationis Consultor *scrutin. doctrinarum, cap. 2. art. 13. n. 137. & subseqq. & cap. 3. art. 14. n. 34.*

8. Demum inter Neotericos Ven. Dei servus Card. Bellar-

Bellarminus *lib.* 1. *de SS. beatit. c.* 9. Andreas Duvallius *in* 2. 2. *D. Thomæ tract.* 4. *de ſummo Pontifice part.* 2. *quæſt.* 7. Suarez *in defenſ. Fidei Catholicæ adverſus Anglic. ſect. error. l.* 2. *c.* 8. *& tract.* 1. *de Fide diſp.* 5. *ſect.* 8. *n.* 8. Vaſquez *in* 1. 2. *D. Thomæ diſput.* 165. *c.* 9. Gregor. de Valentia *t.* 3. *diſput.* 1. *quæſt.* 1. *de objecto Fidei punct.* 7. §. 41. Arriaga *t.* 5. *curſus Theolog. tract. de Fide diſput.* 9. *ſect.* 5. *n.* 27. 28. *& ſubſeqq.* Fagundez *in tract. de quinque præcep. Eccleſ. l.* 1. *cap.* 4. *num.* 31. Azor. *inſtit. moral. par.* 2. *lib.* 5. *cap.* 7. Platel. *in ſynopſ. totius curſ. Theolog. par.* 3. *cap.* 1. §. 4. *num.* 148. ubi pro eadem ſententia ſtantes affert S. Bonaventuram, Amicum, & alios etiam; Maucler. *de monarch. Eccleſ.* 2. *par. lib.* 5. *cap.* 7. Caſtropal. *oper. moral. t.* 1. *tract.* 4. *de Fide diſput.* 1. *punct.* 5. §. 4. *n.* 2. Del bene *de offic. Inquiſit. tom.* 2 *dubit.* 253. Diana *oper. moral. in edit. coordin. tom.* 9. *tract.* 5. *reſolut.* 15. 16. 17. *&* 18. Lezana *conſil.* 1. *n.* 59. Paſqualig. *in addit. ad Lauret. de Franch. n.* 1253. Joann. Viguer. *lib.* 1. *inſtit. Theolog. de virtut. Fidei n.* 104. Veran. *in regul. Fid. Catholic. cap.* 2. §. 7. *n.* 4. P. Lupus *in Concil. general. & provincial. tom.* 3. *pag.* 573. & Lamindus Pritanius *de ingeniorum moderatione lib.* 1. *cap.* 17. *Sed tamen ritus iſte ab Apoſtolica Sede eo nunc peragitur accurato diligentique ſtudio, ut pie credendum ſit, nullum ea in re* (hoc eſt in Canonizatione) *errori locum fuiſſe, aut deinceps futurum.*

9. Sententia porro hæc communi prædicto plauſu recepta ſequentibus potiſſimum innititur fundamentis. Primum eſt, quod fieri nequit, ut a ſummo Pontifice univerſa Eccleſia ad errorem inducatur in his, quæ ad mores ſpectant; ſed id utique contingeret, ſeu contingere poſſet, ſi poſſet falli in Canonizatione; utpote quæ nihil aliud ſit, quam publicum Eccleſiæ judicium de vera ſanctitate, & gloria alicujus hominis defuncti. Argumentum hoc eſt D. Thomæ *quodlibet.* 9. *qu.* 7. *art.* 16. ubi ſic loquitur: *In Eccleſia non poteſt eſſe error damnabilis; ſed hic eſſet error damnabilis, ſi veneraretur tamquam Sanctus, qui fuit peccator, quia aliqui ſcientes peccata ejus crederent, hoc eſſe falſum, &, ſi ita contingeret, poſſent ad errorem perduci; ergo Eccleſia in talibus errare non poteſt.* Id ipſum autem præ ceteris ſupra allegatis bene explicat Melchior Canus *de loc. Theolog. lib.* 5. *c.* 5. *concl.* 3. *Multum refert ad communes Eccleſiæ mores ſcire, quos debeas religione colere. Quare, ſi in illis erraret Eccleſia, in moribus quoque graviter falleretur. Nec differt, diabolum colas, an hominem condemnatum. Atque, ſi Eccleſia abſtinentiæ legem rogaret, quæ vel rationi, vel Evangelio adverſa eſſet, turpiter ab illa profecto erraretur. Turpiter ergo etiam errabit in doctrina morum, ſi legem ferat de colendo Divo, quem colere, ſi Divus non eſt, & cum ratione, & cum Evangelio pugnat.* Eique concordant textus *in can.* 57. *& in can.* 58. 11. *quæſt.* 3. cum in primo hæc habeantur: *Si quis dixerit juſtum injuſtum, & injuſtum juſtum, abominabilis uterque apud Deum eſt. Similiter, qui Sanctum dicit eſſe non Sanctum, & rurſum non Sanctum aſſerit Sanctum, abominabilis apud Deum eſt;* & in altero: *Si quis hominem, qui Sanctus non eſt, Sanctum eſſe crediderit, & Dei eum junxerit ſocietati, Chriſtum violat.* Quatenus vero diceretur, id ipſum ſibi locum vindicare etiam in Beatificatione, abſque eo quod hinc inferatur Pontificis in eadem *infallibilitas*; replicatio tamen præſto eſſet ex dictis in Capite præcedenti, cum Beatificatio ut plurimum non univerſalem, ſed particulares reſpiciat Eccleſias, inſuper facultatem, non præceptum importet, demum non ſit ſupremum, & ultimum judicium de ſanctitate Beati, atque adeo poſſibilitas erroris ſpeculative non pugnet cum permiſſione, ſicuti cum præcepto, & præſertim quidem cum præcepto Eccleſiam univerſalem reſpiciente, ac minime ſejuncto ab extremo ſupremi Legislatoris judicio.

10. Secundum fundamentum in eo reſidet, quod judicium illud *infallibile*, eſt quod a Spiritu Sancto dirigitur, ne erret: quamobrem, cum ſummi Pontificis in Canonizatione Sanctorum judicium a Spiritu Sancto, ne erret, utique dirigatur, de ejus *infallibilitate* non videtur eſſe dubitandum. Doctrina hæc quoque eſt Divi Thomæ *quodlib. alleg.* Cum enim hæc ſibi objeciſſet: *Nullus enim poteſt eſſe ita certus de ſtatu alicujus, ſicut ipſemet de ſe: quia quæ ſunt hominis, novit, niſi ſpiritus hominis, qui eſt in ipſo, ut dicitur* 1. *Corinth.* 2. *Sed homo non poteſt eſſe certus de ipſo, utrum ſit in ſtatu ſalutis; dicitur enim Eccleſiaſt.* 9. *Nemo ſcit, utrum ſit dignus odio, vel amore. Ergo multo minus Papa ſcit. Ergo poteſt in canonizando errare. Præterea, quicumque in judicando innititur medio fallibili, poteſt errare: ſed Eccleſia in canonizando Sanctos innititur teſtimonio humano: cum inquirat per teſtes de vita & miraculis; ergo cum teſtimonium hominum ſit fallibile, videtur, quod Eccleſia in canonizando Sanctos poſſit errare.* Hæc, inquam, cum ſibi objeciſſet S. Thomas, poſtea ſic reſpondet: *Ad primum ergo dicendum, quod Pontifex, cujus eſt canonizare Sanctos, poteſt certificari de ſtatu alicujus per inquiſitionem vitæ, & atteſtationem miraculorum, præcipue per inſtinctum Spiritus Sancti, qui omnia ſcrutatur, etiam profunda Dei. Ad ſecundum, dicendum quod Divina providentia præſervat Eccleſiam, ne in talibus per fallibile teſtimonium hominum fallatur.*

11. Tertium conſtituitur in hoc fundamentum, quod cultus Sanctis delatus eſt quædam noſtræ Fidei profeſſio; unde neceſſario ſequitur, quod judicium Papæ cultum præcipiens debeat eſſe *infallibile*. Et hæc etiam doctrina eſt Divi Thomæ *in alleg. quodlib.* ubi ita ad rem noſtram loquitur: *Reſpondeo, dicendum, quod aliquid poteſt judicari poſſibile ſecundum ſe conſideratum, quod relatum ad aliquid extrinſecum impoſſibile invenitur. Dico ergo, quod judicium eorum, qui præſunt Eccleſiæ, poteſt errare in quibuslibet, ſi perſonæ eorum tantum reſpiciantur. Si vero conſideretur Divina providentia, quæ Eccleſiam ſuam Spiritu Sancto dirigit, ut non erret, ſicut ipſe promiſit Joann.* 14. *quod Spiritus adveniens doceret omnem veritatem, de neceſſariis licet ad ſalutem; certum eſt, quod judicium Eccleſiæ univerſalis errare in his, quæ ad Fidem pertinent, impoſſibile eſt. Unde magis eſt ſtandum ſententiæ Papæ, ad quem pertinet determinare de Fide, quam in judicio profert, quam quorumlibet ſapientum hominum in ſcripturis opinioni; cum Caiphas, quamvis nequam, tamen, quia Pontifex, legatur etiam inſcius prophetaſſe Joann.* 11. *In aliis vero ſententiis, quæ ad particularia facta pertinent, ut, cum agitur de poſſeſſionibus, vel de criminibus, vel de hujuſmodi, poſſibile eſt, judicium Eccleſiæ errare propter falſos teſtes. Canonizatio vero Sanctorum, medium eſt inter hæc duo: quia tamen honor, quem Sanctis exhibemus, quædam profeſſio Fidei eſt, qua Sanctorum gloriam credimus; pie credendum eſt, quod nec etiam in his judicium Eccleſiæ errare poſſit.*

12. Quamquam, cum de ejuſdem S. Doctoris ſententia dici poſſit, omnia virtutum opera, prout referuntur in Deum, eſſe quaſdam Fidei obteſtationes, per quas nobis innoteſcit, Deum hujuſmodi opera a nobis requirere, noſque pro iiſdem remunerari, quemadmodum habetur 2. 2. *qu.* 124. *a.* 5. poſſet etiam inferri, ſicut in hiſce virtutum actibus, & in his conſequenter Fidei obteſtationibus error contingere poteſt circa objecta materialia, ita & id ipſum poſſibile eſſe quoad cultum, quem Sanctis præſtamus; non obſtante, quod dicatur, & ſit quædam Fidei noſtræ obteſtatio. Sed qui ita ratiocinaretur, bene perſpectam minus haberet mentem Angelici Præceptoris. In actibus enim Divinam Fidem proteſtantibus non ſemper requiritur veritas *ſpeculativa* ex parte objecti materialis, ſed *practica* non raro ſatis eſt, ita ut videlicet de eo prudenter exiſtimetur, ubi in honore, quem Fideles exhibent & præſtant Sancto canonizato, S. Thomas majus illud exigit, nempe ut Eccleſia profiteatur tamquam *ſpeculative* verum, Sanctum ipſum eſſe in æterna gloria; ſiquidem dicit, id eſſe proximum gradui veritatis Fidei Catholicæ, ideoque pie credendum eſſe, quemadmodum colligitur ex verbis ſupra relatis.

13. Id autem ut funditus explicetur, animadvertere opus eſt, piam Fidem ſuos habere gradus. Quædam enim ſic congruunt Religioni, ut ſine ullo ejus incommodo Fides de iis abeſſe valeat, & adeſſe; puta, quod Divus Profper fuerit, vel non fuerit Epiſcopus: alia vero ſic ad Religionem pertinent, ut ſine culpabili arrogantia rejici minime poſſint, ex. gr. quod beatiſſima Virgo fuerit in templo præſentata. Atqui his quidem Eccleſia non tribuit gradum veritatis indubitatæ, quamvis aliter, ſaltem publice, docere non liceat; in his quippe duobus gradibus requiritur ſolum *practicæ* veritatis ratio, congruentia videlicet cum præſcriptione prudentis rationis. Sed ſummus adhuc habetur gradus in hoc piæ Fidei genere, ad quem utique referuntur ea, quæ Eccleſia certo certius tenenda decrevit, quæ Pontifex omnino pariter tenenda declaravit; & talia ſane ſunt, quæ definitivo judicio a ſummo Pontifice pro recto totius Eccleſiæ regimine determinata ſunt ac promulgata, inter quæ profecto eſt Sanctorum Canonizatio. Hic autem eſt ille piæ Fidei gradus, quem S. Doctor *in cit. quodlib.* indicat, cum ibi docet, ejuſmodi Sanctorum cultum eſſe Fidei profeſſionem de eorum gloria; Pontificiam in Canonizatione definitionem afflatu Spiritus Sancti non deſtitui; & Ecclc-

UAB Biblioteca de Ciències Socials

cleſiam Divinæ providentiæ ope protegi, ne in eodem rerum ordine erret.

14. Quartum fundamentum in eo poſitum eſt, quod ex ſupradictis, & alibi dicendis conſtat quidem, errorem accidiſſe circa cultum judicio particularium Epiſcoporum exhibitum erga nonnullos, qui Beati putabantur, dum re vera non erant; ſed nullus huc uſque in tot Sanctorum Canonizationibus per Romanos Pontifices factis error inventus eſt: ex quo nimirum a poſteriori, ut ajunt, deducitur, ſummorum Pontificum judicium in Canonizationibus ex ſpeciali Spiritus Sancti affiatu atque auxilio *infallibilitatis* prærogativa potiri. Quocirca Ceparius *in director. Canonizat. lib. 1. cap. 6. num. 21.* ſubdit: *Si Papa in hoc poſſet errare, aliquando in hoc deprehenſus fuiſſet aliquis error; at nullus unquam error in Canonizationibus Sanctorum hactenus fuit deprehenſus.* Quis enim unquam ſibi ſuadere poterit, Spiritum veritatis poſt tot diligentias, totque privatas & publicas preces in re adeo gravi ſummos Pontifices non eſſe ſervaturum ab errore? Ad rem hanc bene Canus *de loc. Theolog. lib. 5. cap. 5. Concl. 3. Ne igitur tantus error* (loquitur de errore, qui in Canonizatione contingeret) *in Eccleſia fit, Deus peculiariter providere credendus eſt, ne Eccleſia, quamlibet hominum teſtimonia ſequatur, in Sanctorum Canonizatione erret. Cujus peculiariſſimæ providentiæ abunde magnum argumentum eſt, quod nunquam infirmata eſt Fideles ab humanis teſtibus ſemel in hujuſmodi judiciis ſuſcepta; quod in caſibus civilibus ſæpe accidit*: itemque Pritanius *de ingen. moderat. lib. 1. cap. 17. Ceterum, ſi in his contingeret error, quem certe, modo rite peracta ſit Canonizatio, contigiſſe nemo unquam oſtendet; & contingere poſſe difficillimum putamus &c.* & clarius etiam aliis verbis ſupra relatis, nuncque iterum referendis: *Sed tamen ritus iſte ab Apoſtolica Sede eo nunc peragitur accurato diligentique ſtudio, ut pie credendum ſit, nullum ea in re errori locum fuiſſe, aut deinceps futurum. Non neceſſario igitur, ſed tamen pie credendum eſt, ut inquit S. Thomas quodlib. 9. art. 16. quod nec etiam in his judicium Eccleſiæ errare poſſit. Hæc nobis æquiſſima, hæc pia videtur ſententia, & in hac ipſemet Sixtus IV. fuiſſe videtur, dum catalogo Sanctorum adſcripſit B. Bonaventuram. Inquit enim in bulla: Confidentes, quod in hac Canonizatione non permittat nos Deus errare.* Si vero his, quæ modo dicta ſunt, opponatur, aliquos errores in Martyrologium Romanum aliquando irrepſiſſe, qui ſubinde correcti fuerunt, & pauca quædam menda etiam corrigenda ſupereſſe: qui id opponat, ſcire debet, nihil in eo eſſe commune cum re, de qua nunc agimus. In Martyrologio enim Romano inſcripta quidem ſunt nomina eorum, qui fuerunt ſolemniter per ſummos Pontifices canonizati, de quibus utique nullus error inveniri poteſt; ſed inſcripta quoque in eo reperiuntur aliorum nomina, qui in album Sanctorum unquam a ſummis Pontificibus relati ſunt, ſed tantum vel *formaliter*, vel *æquipollenter* beatificati dici poſſunt ſive per Romanos Pontifices, ſive Epiſcoporum judicio juxta antiquam diſciplinam: circa quos quatenus aliquis error irrepſiſſet, vel adhuc permaneret (qui tamen nec irrepſit, nec adeſt quoad eos, qui inter Beatos a Romanis Pontificibus relati ſunt, poſtquam ad eos delatum eſt jus privativum indulgendi Beatificationis honores) nemo eſt qui non videat, ex hoc ad rem præſentem nihil inferri poſſe. Aliquid nempe ex hoc argumento evinceretur, ſi deſcriptio in Martyrologio Romano, ſpectata ſua natura & indole, Canonizationem formalem, vel *æquipollentem* importaret; etiamſi qui ſunt deſcripti, non fuiſſent antea vel *formaliter*, vel *æquipollenter* canonizati. At id nunquam probari poterit: nam ex alibi dicendis conſtabit, pertractatam alias fuiſſe in ſacrorum rituum Congregatione quæſtionem: *Quid importet deſcriptio in Martyrologio, & utrum ad quamdam Canonizationis, an ad quamdam Beatificationis ſpeciem referri poſſit; nec eam uſque adhuc potuiſſe reſolvi.*

CAPUT QUADRAGESIMUMQUARTUM.

In quo repelluntur oppoſita iis, quæ dicta ſunt in Capite præcedenti.

1. QUÆ promoventur oppoſitiones dictis in præcedenti, ad tria capita reduci poſſunt: ad eas videlicet, quæ a ratione; ad alias, quæ ab auctoritate; ad ceteras, quæ a factis ipſis Romanorum Pontificum deducuntur. Initio autem ducto a primo capite, opponitur, ſummum Pontificem ſcire non poſſe, an Canonizandus veram charitatem habuerit, & cum ea ex hac vita deceſſerit; eo quia citra Divinam revelationem nemo ſcire poteſt, ſemetipſum, vel alium habere, vel habuiſſe charitatem.

2. Confirmatur, cum ille idem, qui eleemoſynas, jejunia, preces, pœnitentiam, & ſimilia opera peregit, certo ſcire non poſſit, ſe eſſe in Dei gratia. Quare ait Apoſtolus 1. *ad Corinth. 4. v. 4. Nihil enim mihi conſcius ſum, ſed non in hoc juſtificatus ſum.*

3. Corroboratur aſſumptum, quia prædicta opera ſunt communia bonis, & malis. Fieri etenim poſſunt & bene, & male. Præterquamquod miracula ex alibi dicendis non ſunt indubitatum ſanctitatis ſignum: item de virtutibus & miraculis aſſerta deponunt teſtes, qui fallere poſſunt, & falli: demum, quod is, qui a ſummo Pontifice canonizatur, virtutibus excelluerit, & poſt obitum miraculis claruerit, non eſt jus, ſed factum. Quæ quidem omnia ſuadere videntur, judicium Pontificis in Canonizatione *infallibile* eſſe non poſſe. Nam, quatenus perfugium adhuc haberi vellet ad afflatum Spiritus Sancti, reponitur, ſi minime deficiat auxilium Spiritus Sancti in Canonizatione, judicium Papæ in hujuſmodi definitione eſſe judicium ex Cathedra prolatum, atque adeo definitionem eſſe de Fide: quod tamen non ita facile a Doctoribus etiam, qui ſtant pro *infallibilitate* Pontificis in Canonizatione, docetur, ut in Capite ſequenti videbimus.

4. Verum, etiam admiſſo, quod citra revelationem Divinam nemo ſcire valeat, odio ne, an amore dignus ipſe ſit; admiſſo pariter, quod, qui facit opera, quæ ipſi bona ac meritoria videntur, certo ſcire nequeat, an talia quoque ſint coram Deo; admiſſo, quod gratia miraculorum, quæ fiunt in vita, ſit gratia data, quæque idcirco poteſt eſſe communis & bonis & malis; adhuc admiſſo, quod teſtes humani fallere poſſint, & falli; demum, quod aliquo modo Canonizatio ad factum pertineat; hinc tamen non infertur, judicium Papæ in Canonizatione non eſſe *infallibile*: primo, quia ſummus Pontifex, antequam ad Canonizationem procedat, diligenter inquirit in virtutes & miracula; quamobrem, licet *a priori* ſcire non poſſit, an Canonizatus ſit in æterna gloria, *a poſteriori* tamen id poteſt deprehendere: deinde, quia idem Pontifex ad Canonizationem procedit, non præviis tantum miraculis in vita patratis, verum etiam, potiſſimumque præviis miraculis poſt obitum Canonizandi ejus interceſſione factis; in quo ſcilicet rerum themate ex alibi dicendis miracula ſunt indubitata ſigna ſanctitatis: poſtremo, quia nonnullæ utique res indifferentes ſunt, nec ullum habent nexum cum materia Fidei, vel morum ſpectantium ad univerſalem Eccleſiam, ſed & aliæ ſunt, quæ ejuſmodi nexum habent; ideoque, quamvis Romanus Pontifex in factis primi generis nonnumquam falli poſſit, ſecus tamen dicendum eſt in factis ſecundi generis: inter quæ porro Canonizatio recenſetur, quemadmodum adnotarunt Ricciolius *in tractatu de immunitate ab errore in Canonizat. SS. lib. 1. cap. 5. n. 8.* & Dominicus a SS. Trinitate *de Rom. Pontific. cap. 18.* (*biblioth. Pontific. t. 10. pag. 494.*) Ad hæc omnibus prædictis objectis unica eaque ſolidiſſima reſponſione ſatisfit, ſi dicatur, quidquid ex materiæ & teſtium qualitate pro *infallibilitate* deſumitur, plene ſubmoveri, ex Divina providentia, & Spiritus Sancti præſentia, quæ Pontificem in re adeo gravi, & univerſam Eccleſiam reſpiciente ab errore ſervat. Hæc nimirum doctrina eſt D. Thomæ *in cit. quodlibet.* ubi inquit: *Dicendum, quod Pontifex, cujus eſt Sanctos canonizare, poteſt certificari de ſtatu alicujus per inquiſitionem vitæ, & atteſtationem miraculorum, & præcipue per inſtinctum Spiritus Sancti, qui omnia ſcrutatur, etiam profunda Dei*; tum autem *in reſponſione ad primum, & in reſponſione ad ſecundum*, ubi ſubdit: *Quod Divina providentia præſervat Eccleſiam, ne in talibus per fallibile teſtimonium hominum fallatur.* Conveniunt ceteri de materia ſcribentes, ut puta prædictus Dominicus a SS. Trinitate, Azor. *inſtit. moral. part. 2 lib. 5. c. 6.* & quotquot demum in ſuperioribus allegati ſunt pro Romani Pontificis *infallibilitate*: quorum tamen verbis, aut locis indicandis ſupersedemus, nedum quia obvii ſunt, verum etiam quia nos ipſi, qui tot annorum ſpatio mu-

nus Fidei Promotoris fuſtinuimus, noſtris, ut ita dicamus, oculis vidimus Divinum eumdem Spiritum Romano Pontifici aſſiſtentem in definiendis Canonizationis cauſis: in aliquibus namque ex eis, quæ feliciſſimo curſu progrediebantur, repente difficultates antea nunquam præcognitæ excitatæ ſunt, quæ prædictum felicem curſum retardarunt; in aliis contra quædam promotæ difficultates, quæ inſuperabiles videbantur, ſuadebantque, ſilentium eſſe illis imponendum, ex monumentis inſperato repertis mira facilitate ſublatæ ſunt, atque ideo cauſæ ipſæ ad ſuum optatum finem pervenerunt. Quod autem attinet ad ultimum objectum, quod, ſi non deficit afflatus Spiritus Sancti in Canonizatione, judicium Papæ in definiendo, hunc, aut illum eſſe Sanctum, erit judicium ex Cathedra prolatum, & definitio erit definitio de Fide; Doctores, qui pugnant pro *infallibilitate*, ſed putant, non eſſe de Fide, hunc, vel illum Sanctum canonizatum eſſe in æterna gloria, reſpondent, definitionem utique Pontificis Canonizantis eſſe ex Cathedra; cum non ſolum a Pontifice ex Cathedra loquente prodeant definitiones Fidei, verum etiam definitiones, ac leges toti Eccleſiæ communes, & bonum ejus univerſale reſpicientes, quia nempe ſummus Pontifex nedum eſt Doctor, ſed & Paſtor, eique Spiritus Sanctus aſſiſtit, non modo ut definiat res Fidei, ſed ut Eccleſiam quoque gubernet; at hinc tamen nunquam poſſe deduci, definitionem ejuſdem, cum aliquem Beatum in Sanctorum numerum refert, eſſe proxime de Fide. Subdunt enim, Pontificem tunc ſolum de Fide definire, quando definit aliquid, quod antea continebatur, aut in ſacra Scriptura, aut in Traditionibus Apoſtolicis: eamque, hunc, aut illum eſſe Sanctum, neque in Scriptura contineatur, neque in Traditionibus Apoſtolicis, idcirco concludunt, definitiones Pontificis Canonizantis, etſi munitas afflatu Spiritus Sancti, de Fide, ſaltem proxime, non eſſe.

5. Tranſeuntes nunc ad oppoſitiones, quæ ab auctoritate deſumuntur, jam ſupra vidimus, Gloſſam *in cap. unic. in v. Sedis Apoſtolicæ: de Reliq. & venerat. SS. in 6.* ſtatutæ refragari opinioni. En ſcilicet ejus verba: *Etſi Eccleſia in Canonizatione erraret, quod non eſt credendum, licet accidere poſſet, nihilominus preces in honorem talis, acceptæ & gratæ ſunt.* Cumque magna ſit auctoritas Gloſſæ juxta Baldum, Cinum, & alios, de quibus apud Fagnanum *in cap. Ne innitaris num.* 352. *de Conſtit.* prima idcirco ex auctoritate oppoſitio in recitatis Gloſſæ verbis haud immerito conſtituitur. Additur porro ſacrorum Canonum diſpoſitio *in cap. Sicut de teſt. & atteſt.* ubi dicitur, revocandam eſſe ſententiam Eccleſiæ, ſi conſtet, eam fuiſſe latam ſecundum aſſertionem corruptorum teſtium; tum *in cap. A nobis* 28. *de ſent. excomm.* in quo ſic legitur: *Nos igitur conſultationi tuæ breviter reſpondemus, quod judicium Dei veritati, quæ non fallit, nec fallitur, ſemper innititur; judicium autem Eccleſiæ nonnunquam opinionem ſequitur, quam & fallere ſæpe contingit, & falli: propter quod contingit interdum, ut, qui ligatus eſt apud Deum, apud Eccleſiam ſit ſolutus; & qui liber eſt apud Deum, Eccleſiaſtica ſit ſententia innodatus.* Demum objicitur illud S. Auguſtini: *Multorum corpora venerantur in terris, quorum animæ cruciantur in inferis.*

6. Facile autem eſt his omnibus reſpondere. Gloſſa quippe magnam certe tenet auctoritatem, at non tamen tantam, ut ab ea aliquando non liceat recedere; præſertim vero, cum plures in Gloſſis juris Pontificii inveniantur errores, de quibus late Nicolaus Peguletus *in tract. probabilitatis cap.* 10. cui titulus, *Errores plurimi Gloſſæ Canonicæ.* Citati poſtea textus ad facta particularia referuntur, quæ nullam habent connexionem cum materia Fidei, & morum univerſalem Eccleſiam reſpicientium, cum in illis poſſibile ſit errare Romanum Pontificem, ſed minime in iſta. Quapropter D. Thomas *loc. cit.* ait: *In aliis vero ſententiis, quæ ad particularia facta pertinent, ut, cum agitur de poſſeſſionibus, vel de criminibus, vel hujuſmodi, poſſibile eſt, judicium Eccleſiæ errare propter falſos teſtes.* Illud denique S. Auguſtini, quatenus effatum prædictum in ejus Operibus reperiatur, de quo huc uſque non conſtat, nonnulli exponunt de Ethnicis, & Gentilibus, quorum corpora ſuperbiſſimis ſepulcris ſunt incluſa. Ita Viguer *de Fide §. 3. verſic. 4.* Alii illud intelligunt de Chriſtianis reprobis, qui honorificis decorantur epitaphiis, licet in inferis crucientur: ſic Rocca *de Canonizat. SS. cap.* 42. *tom. 1. oper.* Nonnulli id volunt explicandum eſſe de Martyribus Hæreticorum, præſertim vero Donatiſtarum: ita Card. Bellarminus *tom. 1. controv. lib. 1. de SS. beatit. cap.* 9. Ceteri denique ſuſtinent, illud eſſe accipiendum de Reliquiis, quæ putantur eſſe Reliquiæ Sanctorum, & cultum habent, licet Sanctorum Reliquiæ re vera non ſint: ut docte de more Covarr. *tom. 2. oper. variar. reſolut. lib. 1. cap.* 10. *ſub num.* 13. *Quod autem poſteriori loco ex Auguſtino refertur, etſi vere ejus Auctoris nomine cenſendum ſit, quod negamus, nihil contrariam opinionem juvare videtur; non enim dixit Auguſtinus, multa corpora eorum, qui ab Eccleſia canonizati fuerunt, nos falſo venerari, cum eorum animæ in inferis cruciantur; ſed nos multa corpora in terris venerari, quæ exiſtimamus eorum, qui ab Eccleſia fuerint in Sanctos, & Divos relati, cum tamen vere eorum non ſint, ſed potius hominum damnatorum, qui in inferis cruciantur, forſan infidelium, ſicariorum, piratarum, aut latronum, qui ab humanis diſceſſere publico apud omnes depravatæ vitæ teſtimonio: & tamen fallit nos non equidem Eccleſiæ judicium, ſed rerum viciſſitudo, ex qua Chriſtiana reſpublica tot bellis Maurorum, Turcarumve tyrannide oppreſſa has illuſiones patitur circa Sanctorum corporum venerationem. Cenſet ſane Eccleſia venerandum & colendum, ut Sanctum, D. Hieronymum; at non ita decrevit proprio judicio, corpus hoc, quod nos Divi Hieronymi eſſe exiſtimamus, vere corpus illius eſſe. Sic etiam definivit, maxima veneratione Joannem Baptiſtam colendum eſſe; non ex hoc ſequitur, judicio Eccleſiæ certum eſſe, caput hoc, quod putamus eſſe Divi Joannis, procul dubio illius eſſe; forſan enim alterius eſt. Quod ſi & hoc Eccleſia, & prævia cognitione & diligenti examinatione, cenſeret, dicendum quidem eſſet, non permiſſurum Deum O. M. ſummum Pontificem in hoc falli, noſque ejus judicio decipi. Et tamen conſtanter aſſerimus, venerationem exhibendam eſſe, in hoc dubio, his Reliquiis, quæ vel ex communi Chriſtianorum opinione, vel tacito Prælatorum conſenſu, Sanctorum eſſe cenſentur. Nam, etſi in hoc error poſſet contingere, is præſumendus non eſt in re adeo gravi & ad Religionem pertinente.*

7. Facta Romanorum Pontificum examinanda ſuperſunt: inter quæ primum, fuiſſe aliquando a Romanis Pontificibus non proceſſuum confectionem, ſed ipſam cauſæ Canonizationis definitionem prudentiæ & arbitrio nonnullorum delegatam; quod factum profecto non fuiſſet, ſi ſecum ipſi reputaſſent, ſuum in Canonizatione judicium eſſe *infallibile*. Infallibilitas quippe oritur ab afflatu Spiritus Sancti, qui ipſis quidem, non autem aliis, licet eorum nomine agentibus, adeſſe dicendus eſt.

8. Re vera ſcribentes de Canonizatione Sanctorum docent, non poſſe ſummum Pontificem alteri committere definitionem cauſæ Canonizationis, cum *infallibilitas* nequeat a dignitate Pontificali, cui eſt annexa, ſejungi: Marchefius *de capit. viſibili Eccleſiæ diſput. 3. dub. 4. §. 2. pag.* 739. (*bibliotb. Pontif. tom. 9.*) Ricciolius *in cit. oper. lib. 1. cap. 6. quæſt. 1.* Eminentiſſimus Cardinalis Petra *in comment. ad Conſtit. Apoſtol. tom. 1. pag.* 533. *col. 1.* & ante hos Alphonſus de Caſtro *in tractatu de juſta Hæreticorum punitione tom. 2. cap. 6. col.* 45. ubi propoſitæ quæſtioni *an Papa poſſit alicui committere poteſtatem cenſendi de Fide &c.* negatione reſpondet, allato exemplo cauſarum Canonizationis, quas nunquam Romani Pontifices alteri commiſerunt definiendas. En ejus verba: *Si Papa poſſet poteſtatem definiendi de Fide in quemquam alium transferre, ad eumdem modum poſſet etiam Canonizationem Sanctorum alicui committere . . . . . Nam, ſi id, quod majus eſt, videlicet Fidei definitionem, Papa poteſt committere alteri, multo melius poterit committere id, quod minus eſt, videlicet Canonizationem Sanctorum. Hoc autem nullus ſanæ mentis concedet, cum ſit perpetua conſuetudine Eccleſiæ damnatum. Nam, etſi multa ad Canonizationem prævia & exacta Papa aliis committat per illos exequenda, ut puta vitæ inquiſitionem, teſtium examinationem; ipſe tamen ſolus ſummus Pontifex ſententiam profert, illum declarans fuiſſe Sanctum, & velut talem catalogo Sanctorum illum adſcribens. Nec unquam ab ipſis Eccleſiæ primordiis ad hoc uſque ſæculum fuit auditum, ut Papa alicujus Sancti Canonizationem Legato ſuo committeret.*

9. Nobis vero, ut recto ordine procedamus, duo perpendenda eſſe videntur; primum videlicet, an hæc delegatio vere unquam facta ſit; alterum autem, quatenus etiam facta fuerit, quid porro ex ea ad rem, de qua nunc agimus, inferri valeat. Ducto itaque initio a prima poſitione, prætermitti utique debent cauſæ Beatificationum, quas vidimus aliquando per ſummos Pontifices, etiam poſt delatum ad eos jus privativum beatificandi, nedum quoad confectionem proceſſuum, verum etiam quoad eorum deliberationes Epiſcopis commiſſas; cum hic & nunc

quæ-

quæstio sit, non de Beatificationis, sed de Canonizationis causis. Prætermitti quoque debet Canonizatio B. Eneconis, de qua *in superiori cap.* 8. *num.* 10. cum ex ibi adductis tantum colligi possit, cultum fuisse quidem ei solemniter delatum a Petro Episcopo Burgensi, sed in executionem Canonizationis jam decretæ ab Alexandro II. *sicut in mandatis acceperat a beato Papa Alexandro*. Quocirca Bollandiani *ad* 1. *diem Junii pag.* 120. ponderantes Indulgentiam a Gregorio XIII. concessam visitantibus Cappellam ejusdem S. Eneconis, sic ex Yepez locuti sunt: *Gregorius XIII. per expressum Breve Capellam ejus visitantibus, tamquam Sancti a suis Prædecessoribus canonizati, Indulgentias largitur pro prima Junii*. Ejusdem rationis est Actus Clementis erga B. Stephanum Auctorem Ordinis Grandimontensis: postquam enim plenam habuerat ille notionem vitæ, meritorum, & miraculorum istius (*plenius instructi de vita, meritis, & conversatione, qua supradictus vir sanctus asseritur floruisse, & quod multimodis miraculorum indiciis Divina voluit pietas eum illustrare*) ipsum inter Sanctos retulit, & negotii executionem commisit Legato Apostolico: *Hujus executionem negotii dilecti Filii nostri Joannis S. Marci Presbyteri Cardinalis Apostolicæ Sedis Legati duximus arbitrio committendam, per Apostolica illi scripta mandantes, ut ad locum vestrum accedens, & convocatis adjacentium illarum partium Episcopis, ceterisque viris religiosis, ipsum inter Sanctos auctoritate, qua fungimur, Nos denuntiet adscripsisse, & per ipsius merita Redemptoris suffragia decrevisse cum reliquorum Sanctorum interventionibus postulanda*.

10. Actibus, inquam, hisce sepositis, qui subsequuntur, examinandi sunt; nempe primum ille Benedicti Papæ VIII. qui scribens Bonifacio Marchioni, post audita opera, & miracula intercessione B. Simeonis Eremitæ in Cœnobio Padolironensi Agri Mantuani patrata, interrogationi sibi propositæ, *an liceret ecclesiam constituere, & ejus corpus in illa collocare*, sic respondet: *Si ita coruscat miraculis, ut vester homo nobis asseruit, ædificate ecclesiam, collocate in ea eumdem, juxta quem altare consecrari rogate, in quo Religiæ antiquorum Sanctorum secundantur cum sacratissimo Corpore D. N. J. C. & sic demum Divina mysteria celebrentur*. Alter est Urbani II. qui, accepta miraculorum recitatione intercessione B. Nicolai Peregrini Tranensis a Deo factorum, ita Concilio statuit: *Nos igitur causam ipsam eidem Fratri nostro Bizantio*, (videlicet Archiepiscopo Tranensi, qui miracula recitaverat) *commisimus, de ejus nimirum probitate ac scientia nihil hæsitantes, ut, quod ei, revelante Domino, visum fuerit, maturiori deliberatione constituat ad laudem, & gloriam illius, qui gratuita misericordia famulos suos mirifice gratificare consuevit*. Tertius denique Clementis III. est, qui pariter, auditis miraculis intercedente B. Othone Episcopo Bambergensi patratis a Deo, ita scripsit Episcopis Merseburgensi, atque Eistettensi: *Discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus de vita ipsius & miraculis diligentius inquiratis, quæ Nobis fuerunt per multorum litteras indicata. Et, si non inveneritis aliquid, quod obsistat, ipsum Canonizatum, auctoritate freti Apostolica, solemniter & publice nuntietis; anniversarium diem sui transitus facientes, & publice nuntiantes, ad honorem Dei, & ipsius beati viri memoriam solemnem haberi*: qui nimirum omnes Actus habentur in novo Codice Canonizationum *pag.* 3. 9. & 24.

11. Ad eorum itaque sedulum examen descendentibus, & primum quidem ad ejus, qui ad Simeonem Monachum, & Eremitam in cœnobio Padolironensi spectat, occurrit Arnoldus Wion. *in ligno vitæ part.* 2. *lib.* 3. *pag.* 238. referens, Simeonem ipsum fuisse canonizatum a prædicto Benedicto Papa VIII. *Connumeratus est in numerum Sanctorum a Benedicto Papa VIII. petente ac rogante Illustrissimo Duce, & Marchione Bonifacio Tedaldi filio*: tum cl. mem. eruditus P. Benedictus Bacchinius *in histor. monasterii S. Benedicti Padolironis lib.* 1. *pag.* 31. hæc habens: *Il santo corpo fu da' Monaci consolatissimi di tal perdita posto in loco decente, e separato; dove occorrendo frequentissimi i miracoli, quasi subito cominciarono a ripensare Bonifacio, e Richilda di procurarne la Canonizazione, che secondo que' tempi consisteva nel concedere il sommo Pontefice, che s' erigesse sopra il sepolcro, o chiesa, o altare, su cui si celebrassero i sagrosanti misteri dell' Eucaristia. Passarono per tanto a Roma per tale effetto con le credenziali, e con necessari dispacci mandati dal Duca Bonifacio alcuni Monaci del suo monastero di S. Benedetto &c. Passati in questo modo a Roma, ed esposte al Sommo Pontefice con le supplicbe del loro Principe le maraviglie, che Dio si degnava operare a gloria del suo Santo, e verificata la grandezza delle di lui virtù, e il maraviglioso delle sue penitenze, ottennero il favorevole rescritto, con cui canonizato S. Simeone, si concesse al Duca Bonifacio di far fabbricare una Chiesa dedicata in di lui onore, e quivi sopra il suo corpo di far consagrare un Altare*. Nempe, quatenus, hucusque relatis fides adhibenda sit, nihil ex ipsis inferri potest ad suadendum, fuisse Marchioni, aut alteri cuicumque commissam definitionem causæ Canonizationis B. Simeonis. Probata quippe & vera ostensa fuerunt coram Benedicto Papa VIII. probanda & vera ostendenda, *verificata la grandezza delle di lui virtù, ed il maraviglioso delle sue penitenze:* postea idem Pontifex Canonizationis decretum protulit, *ottennero il favorevole rescritto;* eoque Marchioni tantum indultum fuit, ut curare posset, ædificari Ecclesiam, & in ea Simeonis corpus collocari. Multo autem minus quid inferre licet, cum in monumento modo memorato, Indulti videlicet Marchioni concessi a Benedicto, habeantur hæc verba, *nuper sanctificati;* utpote quibus antecedens ostenditur ejusdem Simeonis Canonizatio.

12. Tametsi, ut veritati obsequamur, responsio hæc suis non caret, & quidem magnis, difficultatibus; tum quia verba prædicta, *nuper sanctificati*, præseferunt recentem obitum servi Dei Simeonis Monachi & Eremitæ, qui nempe cum fama sanctitatis paulo ante mortuus erat; tum quia accessus Monachorum ad Sedem Apostolicam, ac Marchionis petitio ex monumento supradicto fane oprime deducuntur, sed neque ex eo colligitur, editum fuisse a Benedicto Canonizationis decretum, nec ullum aliud exhibetur monumentum, unde ipsam decreti editionem liceat comprobare. Quamobrem aptior esse videtur responsio, si dicatur, Simeonem a Benedicto VIII. nequaquam canonizatum, sed tantum beatificatum fuisse; sicuti, bene perpenso allegato diplomate, probat Scacch. *de not. & sign. sanct. sect.* 10. *cap.* 5. *pag.* 813. *Hic autem Simeon non fuit canonizatus, quamvis dicatur in ea epistola*, nuper sanctificati. *Est phrasis illius temporis, qua significabatur, aliquem Dei famulum pie ac sancte obiisse . . . . . Id ipsum ex verbis ejusdem epistolæ colligitur, in qua summus Pontifex solum concedit, ut cadaver prædicti servi Dei prope altare, non autem sub altari, collocetur; ita ut Reliquiis Sanctorum antiquorum, & de more illius ætatis cum sacratissimo Corpore D. N. J. C. altare consecretur. Si autem ille Dei servus Canonizatus extitisset, Pontifex in ea epistola non diceret, altare consecrandum cum Reliquiis antiquorum Sanctorum: nec ecclesiam ad ejus honorem consecrari concedit Pontifex, sed, quod liceat prædicto Marchioni aliquam ecclesiam ædificare, & demum in ea collocare corpus Dei servi, quod erat quoddam Beatificationis genus*. Ne vero vel hoc ipsum Beatificationis genus, re non cognita, suspicari possimus commissum fuisse arbitrio & prudentiæ Marchionis, manus admovenda est ad epistolam S. Leonis IX. relatam apud Wionnium *loc. cit. pag.* 239. scriptam Episcopo Mutinensi; ex qua scilicet nedum eruitur præcedens examen Sedis Apostolicæ, sed Beati etiam corporis elatio Apostolicæ Auctoritatis ope perfecta: *Leo Episcopus servus servorum Dei Venerabili Mutinensi Episcopo salutem, & Apostolicam benedictionem. Mirabilis Deus in Sanctis suis, gloriosus, & mitis, magnæque misericordiæ, & super malitiam præstabilis, multorum Fidelium ut vera comperimus relatione, centupla remuneratione donavit sancti sui Confessoris meritum, & gloriam Simeonis Reverendissimo Abbati S. Benedicti, cui exhibeatur honor, adjuncto sibi socio Simeone Monacho & Eremita & Diacono. Mantuanus Episcopus novam ibi consecrabit ecclesiam, cui volumus, ut exhibeas honorificentiam, s. interesse te volumus hujc consecrationi, & hujus corporis elevationi, & altare in ejus honore consecretur, quem Deus summa virtutum claricavit dignitate. Amen*.

13. Simili adhuc responsione satisfieri posse videtur exemplo Urbani II. Beati nimirum Nicolai Peregrini Tranensis meminerunt David Romhæus *in catal. de Sanctis regni Neapolitani*, Ferrarius *in catal. SS. Ital. ad diem* 2. *Junii*, & Petrus de Natalibus *lib.* 1. *cap.* 78. Vita ejus, ac miracula scripta fuerunt ab Adelpherio, qui ea dicavit Bisantio seniori Archiepiscopo Tranensi, quo quidem Ecclesiam Tranensem gubernante, hoc est anno 1098. Nicolaus ex hac vita decessit. Historia quoque translationis corporis ejusdem Nicolai, quæ facta est anno 1143. sub Bisantio juniore Archiepiscopo pariter Tranensi, conscripta fuit ab Amando Diacono. Monumenta demum ista typis impressa sunt *tom.* 7. *Ital. sac.*

Fer-

Ferdinandi Ughelli *col.* 900. Sed, ut ad propositum accedamus, certum utique est, petitionem Bisantii junioris pro obtinenda Nicolai Peregrini Canonizatione fuisse promotam in Concilio Romano tunc temporis coacto coram Urbano II. ut ex verbis monumenti supra allegati, ex novo codice Canonizationum desumpti *pag.* 9. *Cum, largiente Domino, nuper cum magna Episcoporum, Abbatumque frequentia Synodale Concilium ageremus, venerabilis Frater noster Bisantius vestræ civitatis Archiepiscopus venerabilis viri Nicolai, (qui apud vos Peregrinus cognominatur) nonnulla miracula coram universo Concilio scripto edita recitavit, & eumdem Dei hominem auctoritate nostra in Sanctorum catalogo adnumerari instantissime postulavit.* Attamen, cum Urbanus II. causam commiserit eidem Archiepiscopo Bisantio, juxta verba antea relata, commissio ipsa ita explicanda esse videtur, ut sit referenda ad ejusdem Archiepiscopi potestatem, ideoque ad solam Beatificationem secundum consuetudinem tunc vigentem; ita nempe, ut sensus ejus sit, noluisse Urbanum annuere petitioni Canonizationis, sed, remisso ad Archiepiscopum negotio, hujus jurisdictionem excitasse, ut scilicet, re maturius considerata, suo jure uteretur, & sic ad Beatificationem procederet.

14. Explicatio hæc duabus fovetur circumstantiis; quarum altera est, quod, teste Amando, Archiepiscopus Bisantius ad suam Ecclesiam reversus, nihil aliud fecit, quam ecclesiam ædificare in honorem Nicolai: nec enim Apostolica auctoritate ejus cultum extra suam diœcesim, vel provinciam dilatavit, nec ejusdem cultus prolatio, sive extensio ex Urbani diplomate erui potest, cum inscriptum tantum sit *Clero, & Ordini, Nobilibus, & Plebi Trani consistentibus*. Amandus nimirum, post narratum atque in suam historiam insertum Urbani diploma, sic refert gesta ab Archiepiscopo (*apud cit. Ughel. col.* 902.): *Prædictus autem Archiepiscopus in suam reversus Ecclesiam cum missione Apostolica, & benedictione comitante, in B. Nicolai Peregrini honore incepit ecclesiam; tanti viri veneratione dignum existimans, ut, qui jam in cælo a Deo sedem receperat, ab hominibus quoque in terra Oratorii mereretur honorem, in quo supplicitur postulantibus mitis adesset. In cujus fundamentis primum lapidem cum benedictione constituit, ut & suam devotionem ostenderet, & populi desideria incitaret.* Altera autem desumitur ex aliis Actibus Urbani II. quippe qui, ut supra vidimus *cap.* 8. *num.* 12. cum Sanctarum catalogo adscripserit Godolevam Virginem, sententiam protulit in Concilio, & Episcopo Tornacensi commisit sancti corporis elevationem; tum petentibus Canonizationem servi Dei Gulgosii respondit, similes non admitti postulationes, nisi testes adsint, qui miracula suis oculis visa attestentur, & universi Synodi accedat assensus: in quo proinde rerum themate nemo facile credet, eumdem Urbanum voluisse integram Canonizationis Nicolai Peregrini causam Archiepiscopo Tranensi committere.

15. Quod demum attinet ad Canonizationem B. Othonis Episcopi Bambergensi factam a Clemente III. Clemens utique delegavit Episcopis Merseburgensi, atque Eistettensi, ut, ulterioribus adhibitis diligentiis, in vitam ac miracula Othonis inquirerent, tum autem, quatenus nihil, quod obsisteret, invenirent, eum promulgarent auctoritate Apostolica Canonizatum; sed ita quidem minime Canonizatio, at Canonizationis tantum promulgatio illis commissa dicenda est: uti recte adnotavit Ricciolius *in opere sæpe cit. lib.* 1. *cap.* 6. *num.* 1. *Nec obstat, quod Clemens III. ut refertur in chronico Bambergensi, per litteras datas anno* 1189. *videatur commisisse Episcopis ejus regionis Canonizationem S. Othonis Episcopi Bambergensis; re vera enim iis tantummodo commisit inquisitionem ulteriorem de iis, ob quæ, si vera erant, decrevit, Canonizandum esse, & purificata conditione, promulgandi Canonizationem a se sub conditione decretam. Verba enim Clementis sunt hæc: Discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus de vita ipsius & miraculis diligentius inquiratis, quæ nobis fuerunt per multorum litteras indicata; & si non inveneritis aliquid, quod obsistat, ipsum Canonizatum, auctoritate freti Apostolica, solemniter & publice nuntietis. Non dixit, canonizetis.* Consentiunt epistolæ ejusdem Clementis III. ad Bambergenses relatæ *in cod. Canoniz. pag.* 25. clarius autem res tota aperitur a Monacho Ebbone in lectionibus post vitam S. Othonis apud Bollandianos *ad diem* 2. *Julii tom.* 1. *pag.* 455. *num.* 151. ubi sic legitur: *Anno igitur Dominicæ Incarnationis* 1189. *Clemens III. Romanæ Sedis Antistes eorum, qui hujus negotii auctores extiterant, attestationes recepit, habitoque Fratrum, qui præsentes erant, consilio, sanctissimum Confessorem Dei Othonem Sanctorum catalogo adnumerandum decrevit. Eo igitur canonizato executionem translationis venerabilibus Episcopis Fratribus suis delegavit. Proinde anno a dissolutionis suæ tempore quinquagesimo Apostolici executores mandati suo reverenter functi sunt officio.*

16. Colligitur ergo ex huc usque dictis, nullo niti fundamento id, quod a nonnullis asseritur, definitionem scilicet causarum Canonizationis aliquando fuisse a summis Pontificibus commissam Episcopis. Etsi, quatenus etiam id ipsum verum esset, atque re quidem ipsa subsisteret, nihil ex eo tamen deduci posset adversus summi Pontificis *infallibilitatem* in Canonizatione Sanctorum. Nec enim unquam ratum, firmum, irrevocabile, & *infallibile* fuisset prædictorum Commissariorum Apostolicorum judicium, nisi confirmatio tacita, vel expressa summi Pontificis accessisset. Quærunt Doctores tractantes de sacris Conciliis, & eorum auctoritate, an Concilium generale indictum a summo Pontifice prærogativa *infallibilitatis* potiatur sine ejus confirmatione, & negando respondent. Quærunt item, quid dicendum sit de eodem Concilio auctoritate Papæ indicto, si eidem interveniant ipsius Legati, & decretis consentiant; tum respondent, *infallibilitatem* decretorum: existere ex subsecuta summi Pontificis confirmatione, uti post Cardinales Cajetanum, & Turrecrematam videri potest apud Melchiorem Canum *de loc. Theolog. lib.* 5. *cap.* 5. nisi forte Pontifex Legatis antea commisisset, ut aliquid in Concilio decerneretur; tunc quippe ad normam institutionis edito decreto, etiam ante Apostolicam confirmationem de ejusdem decreti *infallibilitate* neutiquam esse dubitandum. Certe Pius Papa IV. Legatis suis, qui Concilio Tridentino intervenerant, per litteras significavit, se adeo libertati Concilii favere, ut etiam de rebus Sedi Apostolicæ reservatis liberam permitteret Concilio definitionem; tametsi res erant, nedum de disciplina, verum etiam de Fide, cum non tam emendationem morum, quam hæresum confutationem respicerent. Nec enim, teste Melchiore Cano *loc. cit. pag.* 151. qui Tridentino ipsi interfuit Concilio, missi ad id fuerunt Legati cum institutione quæstionum definiendarum; nimia quippe erat earum multitudo, ac varietas: *Constat, Summi Pontificis Legatos non soleve ad Concilium accedere, ubi quæstio de Fide agitanda est, nisi instructos prius & monitos de Ecclesiæ Romanæ Fide circa ea, quæ sunt in Concilio finienda. Solere, inquam, non item oportere. Nam Legati in Concilium Tridentinum non potuere commode de quæstionibus differendis ante instrui, quoniam erant propemodum infinitæ: sed cetera fere Concilia ad unam, aut alteram Fidei tractandam causam coacta sunt, ideoque Legati de Apostolicæ Ecclesiæ Fidei prius instructi accesserunt.* Concilium autem sane decrevit, quæ in Domino decernenda existimavit; sed antiquorum Synodorum vestigiis insistens in ultima sessione supplicavit summo Pontifici pro omnium a se decretorum confirmatione: &, edita utique bulla, Pius omnia confirmavit; bulla, inquam, quæ inserta est in Bullarium Romanum, necnon ad calcem nonnullarum editionum sacri ejusdem Tridentini Concilii. Nempe exemplum hoc probe demonstrat, commissionem causarum Canonizationis, quatenus etiam facta fuisset, Pontificiæ *infallibilitati* nequaquam obsistere potuisse, instante videlicet necessitate Apostolicæ confirmationis subinde obtinendæ aut expresse, aut saltem tacite; id est eodem saltem modo, quo in superioribus dictum est, Beatificationes ab Episcopis factas ad Canonizationis gradum antiquioribus temporibus aliquando perveniisse per extensionem cultus ad universam Ecclesiam, intercedente tacito Romanorum Pontificum consensu.

17. Reliquum est, ut extremo perpendamus, an expositæ infallibilitati Romani Pontificis in Canonizatione Sanctorum obstent ea, quæ habentur *in sæpe cit. lib. sacrar. cæremon. Archiepiscopi Corcyrensis*, ubi sic legitur *sect.* 6. *cap.* 2. *Pontifex, antequam pronuntiet, consuevit protestari in hanc formam &c. Antequam ad pronuntiationem veniamus, protestamur publice apud vos præsentes, quod per hunc actum Canonizationis non intendimus aliquid facere, quod sit contra Fidem, aut Ecclesiam Catholicam, sive honorem Dei.*

18. Albertus Fabricius vir heterodoxus *in sua bibliogr. antiquar. cap.* 8. *num.* 25. ex hac nimirum infert *protestatione*, Romanos Pontifices confessos fuisse, in Canonizationibus Sanctorum falli posse. Adhæret Natalis Alexander *dissert.* 27. *sæc.* IV. Acrius adhuc id ipsum urgetur a Joanne Launojo *in epistolis suis (oper. tom.* 5.) & signanter *lib.* 1. *epist.* 5. *ad Raymundum Formentinum, & lib.*

UAB Biblioteca de Ciències Socials

lib. 3. epist. 1. ad Jo. Gerbasium, *& epist. 7. ad Christophorum Fauræum*, demum *lib. 6. epist. 14. ad Ludovicum Maræsium animadvers.* 5. acrius, inquam, id iste urget, cum ipsum non pudeat, summum Pontificem cum Sorbonicis Baccalaureis hac de re comparare. Relata siquidem *protestatione*, ita subdit *cit. epist. 5. num. 25. Hæc protestatio reapse quoad præcipua capita convenit cum ea, quam Baccalaurei Facultatis nostræ suis actibus theologicis præmittunt, & in humanæ infirmitatis subsidium assumunt, parati corrigere, si quid correctione dignum ederent, & in medium proferrent. Immo, ablegata jam tunc pertinacia, & ardenti cognoscendæ & tuendæ veritatis desiderio, correcti censentur. Sic Pontifices summi per protestationem istam significant, se sibi minime tribuere non errandi privilegium, quod Christus Ecclesiæ suæ, & eam repræsentanti Concilio pollicitus est.* Temerarium profecto, & contumeliosum in Christi Vicarium dictum! quod a solo Launojo proferri poterat, utpote Romanorum Pontificum & Sedis Apostolicæ hoste apertissimo, ex quo ipsius opuscula a sacra Indicis Congregatione fuerant merito proscripta; quemadmodum bene advertit pius Auctor *tractatus de libertatibus Ecclesiæ Gallicanæ lib. 3. cap. 11. num. 9.* ubi sic loquitur: *Hæc nunc sufficiant, ut, qui Launoii opera legunt, præsertim ejus epistolas, quæ omnes, paucissimis exceptis, contra Pontificiam auctoritatem tendunt, agnoscant in stylo acrimonia censuræ suis opusculis inustæ dolorem* (fuerunt enim prohibita ejus opuscula a sacra Congregatione Indicis) *in argumentis frequentius ab eo tractatis, ac fere in omnibus ejus epistolis jurium sanctæ Sedis extenuandorum studium, in probando argumentorum plerumque negativorum debilitatem, aut conjecturarum argutias; atque ita non ei plus fidei tribuant, quam obtinere ejus probationes mereantur.*

19. Pro oppositionis autem rejectione nonnulli dicunt, nunquam a Romanis Pontificibus enuntiatam protestationem factam fuisse; utcumque id scriptum fuerit a citato Auctore libri sacrarum cæremoniarum. Sed hoc, ut ingenue fateamur, non videtur re vera subsistere; primo, quia teste Petro Amelio *in Ordine Romano*, ut infra videbimus, Bonifacius Papa IX. eamdem emisit protestationem in Canonizatione S. Birgittæ; secundo, quia *in cit. lib. sacr. cærem. pag.* 52. aperte dicitur: *Pontifex, antequam pronuntiet, consuevit protestari in hanc formam; quod invenimus servatum a multis Pontificibus*; tertio, quia Paris de Crassis *in suis diariis* exponens necessaria pro Canonizatione S. Francisci de Paula ait, inquirendum esse, *an Papa vellet protestari ante omnia, prout aliquando dubitatum est de hujusmodi protestatione facienda, vel aliter providere vellet.* Censent alii, protestationem fuisse introductam, eo quod Pontifices aliquando quodammodo cogebantur ad Canonizationes faciendas; uti *in prædicto libro sacrarum cæremoniarum Archiepiscopi Corcyrensis loc. cit.* legitur: *Sunt tamen aliqui clarissimi viri, qui dicunt hoc introductum ex quadam causa, quæ nunc cessat, quia Papa tunc quodammodo cogebatur ad canonizandum quemdam contra suam opinionem, & propterea protestabatur.* Verum hujusce vis nullum adest vestigium: Reges etenim, Magnates, & Communia semper quidem summis Pontificibus supplicarunt pro aliquibus Dei servis referendis in album Sanctorum; nunquam vero traditum est, Pontifices fuisse coactos, vel importunis illorum precationibus adactos quemquam Dei servum, seu Beatum contra propriam voluntatem in eodem Sanctorum albo descripsisse. Alii asserunt, protestationem factam fuisse a nonnullis Pontificibus timidæ conscientiæ, quippe qui suam ignorabant potestatem; hincque inferunt, temporibus subsequentibus alios Pontifices a protestatione ipsa abstinuisse, eo quia perfectam postea suæ infallibilitatis notitiam assecuti fuerunt; uti ratiocinatur Gonzal. *in c. Audivimus sub n. 6. de Relig. & venerat. SS.* At hæc etiam responsio minime æqua videtur, quandoquidem protestatio infallibilitati non obstat, ut infra demonstrabimus: in quo propterea rerum themate nemo est qui non videat, percipi haud posse, quomodo Romani Pontifices protestationem quidem fecerint, quando ignorabant suam infallibilitatem; ab eadem autem abstinuerint, cum suæ infallibilitatis cognitionem sunt assecuti. Alii tandem existimant, consulto omissam fuisse a Romanis Pontificibus protestationem in libris ritualibus indicatam; quippe quod nunc Canonizationes præcedunt adeo exquisitæ diligentiæ, necnon ejusmodi probationum pondera, ut pie credendum sit, Deum non esse permissurum, ut summus Pontifex erret in cultu Sanctorum universali Ecclesiæ proponendo; quemadmodum argumentatur Penia *in notis ad vitam S. Raymundi lib. 3. cap. 41. observat.* 2. Sed & id minime quæstioni satis faciens videtur; quandoquidem a Romanis Pontificibus semper, omnique tempore fuerunt adhibitæ in Canonizationibus Sanctorum exquisitæ diligentiæ, prout circumstantiæ temporum exigebant; ita ut percipi nequaquam possit, quomodo ratione auctarum diligentiarum, quia sic circumstantiæ temporum voluerunt, fuerit omissa protestatio. Præterquamquod Canonizationi judicium minime innititur hominum testimoniis, qui sane, non obstantibus quibuscumque diligentiis, semper fallere possunt & falli, sed innititur præsentiæ Spiritus Sancti, juxta doctrinam D. Thomæ *in cit. quodlib. 9. art. 16.* quo scilicet posito, incongruum omnino appareret, propter augmentum diligentiarum Pontifices abstinere voluisse a sæpe memorata protestatione.

20. His igitur omnibus omissis, dicendum esse videtur primo, aliquando utique protestationem a summo Pontifice factam esse; secundo non deesse illi congruam declarationem, ita ut ex ea nihil inferri possit adversus Romanorum Pontificum infallibilitatem in Canonizatione Sanctorum; denique consuetudinem recte introductam fuisse, ut ab ea protestatione abstinerent. Quod etenim aliquando a summis Pontificibus prædicta protestatio facta sit, id desumitur ex his, quæ dicta sunt, necnon ex aliis, quæ infra dicentur. Quod vero eadem protestatio suam habeat congruam declarationem, ostenditur. Pontifex protestando, per actum Canonizationis non intendere aliquid facere, quod sit contra Fidem & Catholicam Ecclesiam, sive honorem Dei, nullatenus veretur, se in Canonizatione errare posse. Verborum sensus hic rectus & legitimus esse videtur: Protestor, me non decernere cultum Sanctis, qui Deo debetur, esse impendendum; quod quidem esset contra Fidem, & Ecclesiam Catholicam, & contra honorem Dei: & protestatio hoc modo declarata, similis est protestationi septimæ Synodi, in qua Patres declararunt, se Sanctorum imaginibus colendis latriam non afferre soli Deo debitam. Fuit hoc indicatum a Cardinali Petra *ad Constit. Apostolicas t. 2. in notis ad Constit. 1. Alexandri III. sub num.* 22. Sed clarissime prædicta innititur explicatio bullæ Canonizationis S. Udalrici editæ a Joanne XV. quam Mabillonius, ut alibi vidimus, primum indubitatæ fidei monumentum scribit de Canonizatione a Papa impetrata. En verba bullæ *in nov. cod. Canoniz. pag. 2. Communi consilio decrevimus, memoriam illius* (ideſt S. Udalrici) *affectu primo & devotione fidelissima venerandam, quoniam sic adoramus & colimus Reliquias Martyrum, & Confessorum; ut eum, cujus Martyres, & Confessores sunt, adoremus. Honoramus servos, ut honor redundet in Dominum, qui dixit: Qui vos recipit, me recipit; ac proinde nos qui fiduciam nostræ justitiæ non habemus, illorum precibus ac meritis apud clementissimum Deum jugiter adjuvemur.* Si igitur, ne populus in cultu Sanctis deferendo erret, Pontifices de servanda Catholica veritate, ac Dei honore tuendo protestati sunt; quid habet id, quæso, commune cum timore, quem dicuntur Pontifices habuisse, errandi in Canonizatione Sanctorum, opinando, se in eo judicio falli potuisse? Succedit alia declaratio undequaque independens ab ea, quæ huc usque exposita est. Porro protestatio nihil aliud erat, quam precatio Deo a Pontifice fusa, ne ipse eum sineret in errorem incidere; & id deprehenditur ex his, quæ habentur in antiquioribus monumentis, ad quæ Archiepiscopus Corcyrensis se retulit. Cardinalis nimirum Ostiensis *in cap. Audivimus sub num. 5. de Relig. & venerat. SS.* sic ait: *Facit sermonem summus Pontifex, processum recitans & probata, inducens populum ad orandum, quod Deus non permittat, ipsum errare in hoc negotio.* Auctor quoque, qui versibus descripsit Canonizationem S. Petri Cælestini factam a Clemente V. ita alloquentem Pontificem ipsum inducit apud Bollandianos *ad diem 19. Maji t. 4. p. 479.*

Vos ergo vogate,
Nosque oraturos cognoscite, quod Deus adsit
Omne bonum tribuens, perfectum quodque rependens;
Nec tantis errare sinat sponsamque redemptam
Sanguine, sed nostros miseratus dirigat actus.

Cardinalis Cajetanus *in Ordine Romano* apud Mabillon. *tom. 2. mus. Ital.* describens ritum Canonizationis hoc modo ait *cap. 115. pag. 422. Finito vero sermone hujusmodi,*

modi, *Dominus Papa prædicet*, *se oraturum*, *& hortetur alios*, *ut orent*, *ut supra*; *scilicet*, *quod Deus non permittat*, *eum errare in hoc negotio*. Hæc eadem verba leguntur apud Auctorem, qui rituum formulis præerat in aula Pontificia anno 1347. apud Raynaldum *ad dictum annum num.* 39. De Canonizatione S. Birgittæ facta a Bonifacio IX. sic effatur Petrus Amelius *in Ordine Romano* apud Mabillon. *in cit. tom.* 2. *Completo sermone*, *& facta admonitione*, *ut omnes deberent Deum rogare*, *quod non permitteret*, *eum errare*; *protestatione etiam facta*, *quod ipse non intendebat facere contra sacrosanctam Romanam Ecclesiam*; *surgens de sede*, *depositâ mitrâ*, *incepit*, *cantando*: *Veni*, *Creator Spiritus*. Jacobus Volaterranus, qui Canonizationem S. Bonaventuræ enarravit, cujusque opusculum est typis impressum apud Raynaldum *ad an.* 1482. *num.* 48. sequentia adhibet verba: *Facta reverentia*, *ponitur alia sedes ante altare*, *ita ut Papa vertat renes ad altare*, *& ibi sedet & facit sermonem*, *referens quæ gesta sunt*, *& vitam*, *ac miracula Canonizandi summarie*; *& in fine hortatur omnes*, *ut orent Deum*, *ne permittat*, *errare Ecclesiam suam in hoc negotio*; *ipse quoque identidem dicit*, *se oraturum*. Non dissimilis demum est modus loquendi in Ordine Canonizationis anni 1494. (*tom.* 3. *collect. Concil. Britan. pag.* 636.) *Et facit sermonem summus Pontifex*, *processum recitans & probata*: *inducens populum ad orandum*, *quod Deus non permittat eos errare in hoc negotio*. Sed & concordant monumenta ipsi Archiepiscopo Corcyrensi contemporanea. Etenim in bulla Canonizationis S. Francisci de Paula (*in nov. cod. Canoniz. pag.* 209.) compendio commemoratis vitæ ejusdem meritis, & miraculis, Leo X. asserit, rogasse omnes qui aderant in Consistorio, *ut suis orationibus ac jejuniis Ecclesiam Dei juvarent*, *ac*, *ne eam Altissimus modo aliquo in hujusmodi Canonizationis officio errare permitteret*, *instanter orarent*. In bulla Canonizationis S. Bonaventuræ (*cit. cod. pag.* 192.) Sixtus IV. dicit, *se in triduum orationes jejuniaque indixisse*, *ut Deus omnipotens ipsi*, *quod facto optimum in hac re esset*, *ostendere dignaretur*, *nec pateretur*, *Ecclesiam suam militantem errare*, *quæ se triumphanti conformare studeret*. Clemens autem VII. in bulla Canonizationis S. Antonini (*ibidem pag.* 229.) quæ Canonizatio facta fuerat ab Hadriano VI., narrat, eum in triduum preces & jejunia indixisse, *ut Deus omnipotens ipsi Hadriano Prædecessori*, *quod facto optimum in hac re foret*, *ostendere dignaretur*, *nec pateretur*, *militantem Ecclesiam suam errare*, *quæ se triumphanti conformare consueverat*. Quapropter, si monumenta omnia nihil aliud sonant, quam precem, quæ in Canonizatione Sanctorum a summis Pontificibus effundebatur, ne Deus ipsos sineret labi in errorem; sequitur, protestationem de non inducendo errore in Ecclesiam, de qua nonnulli loquuntur, nihil aliud re vera fuisse, quam precationem Deo fusam, ut ipse assistere dignaretur, ne summus Pontifex in errorem incideret. Porro, quod ex eadem prece nihil inferri possit adversus Romanorum Pontificum infallibilitatem in Canonizatione Sanctorum, clarissimum profecto id esse videtur; quia, si infallibilitas judicii innititur afflatui Spiritus Sancti, tantum abest, ut precatio Deo fusa, ne sinat Romanum Pontificem in errorem labi, obstet ejus infallibilitati, ut eadem sit potius præsidium usquequaque necessarium ad impetrandum afflatum ipsum Spiritus Sancti, ideoque & ad infallibilitatem obtinendam. Nec enim inconveniens putari debet, ut a Deo petamus id, quod certo certius scimus, ipsum facturum esse; cum exemplum extet Christi Domini, qui *Joann.* 17. se clarificari petiit, uti recte docet S. Thomas 3. *part. quæst.* 83. *art.* 4. *ad septimum*, ibique Magister Porrecta *in comment.*, & Magister Soto *in* 4. *sent. dist.* 13. *quæst.* 2. *art.* 4. *ad septimum*. Præclara quoque sententia S. Gregorii Magni *tom.* 2. *oper. lib.* 1. *dialog. cap.* 8. ubi hæc habet: *Ea quæ sancti viri orando efficiunt*, *ita prædestinata sunt*, *ut precibus obtineantur . . . quatenus postulando mereantur accipere quod eis omnipotens Deus ante sæcula disposuit donare*. Præterquamquod, sicuti etiam nunc ante Canonizationes summi Pontifices preces effundunt atque adeo indicunt, & nemo tamen est, qui ex his precibus putet, eos dubitare de sua infallibilitate: quocirca ad rem bene subdit P. Ricciolius *in opere sæpe cit. lib.* 1. *cap.* 3. *num.* 6. *Neque huic fiduciæ obstant orationes*, *jejunia*, *& eleemosynæ præmitti a Pontificibus solitæ*, *ne Altissimus Ecclesiam suam modo aliquo in hoc Canonizationis officio errare permittat*; *sicut non obstant infallibilitati absolutionis*, *aut confecrationis Hostiæ preces præmitti solitæ a legitimo Sacerdote*, *si forma debita supra materiam idoneam utatur*, *nec oratio repugnat fiduciæ de infallibili impetratione*, *aut fiducia orationi*. Ita ex precatione supra recensita inferri minime poterit, Pontifices dicto modo orantes aliquam de sua infallibilitate dubitationem habuisse. Tandem, quod recte introducta fuerit consuetudo, ut Pontifices ab eadem precatione instar protestationis abstinerent, demonstratur, tum quia ea poterat esse offendiculi occasio iis, qui indolem & naturam ejusdem protestationis ignorabant; tum etiam quia, si summi Pontifices preces fundunt & publicas pariter preces indicunt pro Divina ope impetranda, utque Deus suum lumen ipsis infundat, ne in errorem labantur; protestatio de voluntate non inducendi errorem in Ecclesiam, utpote virtualiter, ut dicitur, in prece contenta, est impune ac prudenter omissa; idque eo magis, cum plebs Fidelium hodie satis edocta sit de cultu qui Deo, & de cultu qui Sanctis præstandus est.

21. Sed his etiam præteritis, ponamus denique protestationem, de qua huc usque locuti sumus, minime precationem fuisse, sed veram animi summi Pontificis declarationem, qua nempe profiteretur ipse, canonizando Beatum, se non intendere, aliquem errorem in Ecclesiam inducere; adhuc tamen non apparet, quomodo ex hoc actu inferri possit, summos Pontifices admisisse, se in actu Canonizationis esse posse errori obnoxios. Non enim summi ipsi Pontifices solum emittebant dictam protestationem, verum etiam ad ulteriora progrediebantur: hoc est adhibitis licet omnibus humanis diligentiis, indictis precibus, emissis quoque per semetipsos ad Deum obsecrationibus, ut quemcumque dignaretur advertere ab actu errorem, suam quidem adhuc per actum publicum humanam patefaciebant imbecillitatem; & se tamquam homines privataque personas, citra Spiritus Sancti præsentiam, falli posse, publice protestabantur (quatenus, inquam, protestatio accipienda sit eo modo, quo ab apponentibus explicatur) ut sic videlicet per humilitatis viam ad prærogativam infallibilitatis a Deo sibi in actu universam Ecclesiam respiciente promissæ ascendere mererentur, utpote non in semetipsis, sed in præsentia Spiritus Sancti memoratam constituentes infallibilitatem. Sed &, excusa subinde quacumque formidine, sententiam porro proferebant non conditionalem, verum absolutam, atque ad universam Ecclesiam pertinentem: declarabant quippe, statuebant, definiebant firmiter tenendum, Beatos, qui a se canonizabantur, esse reponendos in Sanctorum catalogo, & esse in universa Ecclesia colendos, imposita quoque refragatoribus anathematis pœna; uti colligitur ex formulis Canonizationum plene cumulatis a Patre Ricciolio in *opere sæpe cit. lib.* 1. *cap.* 2. & a nobis pariter alias relatis. Uno verbo, oppositum argumentum ex protestatione deductum momento non careret, si Pontifices, emissa protestatione, ac protestationi ipsi inhærentes sententiam deinde tulissent conditionalem, sed secus est, quando, respectu habito ad propriam humanam imbecillitatem, protestationem emiserunt, habito autem ad præsentiam Spiritus Sancti, sententiam tulerunt. Nimirum hoc est illud, quod expresse docet S. Thomas in *cit. quodlib.* 9. *qu.* 7. *art.* 16. verbis supra relatis, & hic iterum referendis: *Dicendum*, *quod aliquid potest judicari possibile secundum se consideratum*, *quod relatum ad aliquod extrinsecum impossibile invenitur*. *Dico ergo*, *quod judicium eorum*, *qui præsunt Ecclesiæ*, *potest errare in quibuslibet*, *si personæ eorum tantum respiciantur*. *Sivero consideretur Divina providentia*, *quæ Ecclesiam suam Spiritu Sancto dirigit*, *ut non erret*, *sicut ipse promisit Joann.* 14. *quod Spiritus adveniens doceret omnem veritatem*, *de necessariis scilicet ad salutem*; *certum est*, *quod Judicium Ecclesiæ universalis errare in his*, *quæ ad Fidem pertinent*, *impossibile est*. *Unde magis est standum sententiæ Papæ*, *ad quem pertinet determinare de Fide*, *quam in judicio profert*, *quam quorumlibet sapientum hominum in Scripturis opinioni*. Concludamus itaque, protestationem infallibilitati non obesse, aut quia inducta est, ut error a populo averteretur; aut quia fuit precatio ad Deum, ne sineret, Pontificem canonizantem labi in errorem; vel demum quia sententia definitiva respectum habet ad Spiritus Sancti assistentiam, & protestatio præcedens, quatenus habenda esset pro vera & legali protestatione, respectum habet ad humanam Romani Pontificis tamquam privatæ personæ imbecillitatem. Præter supra relata, per-

perpensa memorata protestatione temerarie, uti diximus, opposita a Launojo, ad rem subdit bon. mem. Matthæus Petitdidier *in tract. Theol. de Papæ infallib. cap.* 15. §. 3. verba, quæ ex Gallico idiomate in Latinum translata sonat, ut sequitur: *Doctor Launojus nobis opponit, quod quidam summus Pontifex ante Canonizationem cujusdam Sancti protestatus est, quod in hoc actu non prætendebat aliquid facere contra Fidem; ex quo infert, quod hic Papa se recognovit errori subjectum &c. Sed in eo, quod attinet ad hoc caput, videre facile est, quod ex declaratione a Papa emissa, quod videlicet non intendebat aliquid facere contra Fidem, non recte infertur, quod se capacem reputabat proponendi universæ Ecclesiæ aliquem errorem, tamquam aliquem Fidei articulum: quemadmodum recte concludi non deberet, Concilium œcumenicum posse universæ Ecclesiæ aliquem errorem proponere, tamquam Fidei articulum, ex quo dixisset, sed non prætendere aliquid statuere contra Fidem.* In Conciliis generalibus similes preces funduntur: *Non nos patiaris perturbatores esse justitiæ, qui summam diligis æquitatem, ut in sinistrum nos ignorantia non trahat*: quemadmodum legitur apud Cardinalem Jacobum Cajetanum in Ordine, qui observatur in celebratione Concilii generalis, (*ex ejus Ordine Romano* apud Mabillon. *t.* 2. *mus. Ital. p.* 394. ut & inter Concilia Harduini *t.* 10. *col.* 21.) habetur, Cardinalem de Monte Prælidem Concilii Tridentini prædictis verbis orasse. Ideo, sicuti asserentes, Concilium generale esse infallibile, etiam citra Romani Pontificis auctoritatem, non tamen putant, ex prece modo dicta ullum infallibilitati Concilii illatum præjudicium; ita id ipsum concedere tenentur in Canonizatione Sanctorum, subsistere videlicet summi Pontificis infallibilitatem, etiamsi ante Canonizationem Pontifices oraverint, & orent, ne in errorem perducantur: quod a nobis postremo loco additum est, ut quatenus alicui ex ceteris protestationis declarationibus ea magis placeat, quæ docet protestationem nihil aliud fuisse, quam precationem, possit hoc ipsum ulteriori argumento comprobare. De prædicta protestatione aliqua habentur *in scrutinio doctrinarum c.* 30. *art.* 14. *num.* 61. P. Joannis Antonii a Panormo, nobis, dum viveret, amicitia juncti, & Consultoris Congregationis sacrorum rituum, quæ concordant cum his quæ in superioribus de eadem protestatione dicta sunt.

CAPUT QUADRAGESIMUMQUINTUM.

An sit de Fide, summum Pontificem errare non posse in Canonizatione Sanctorum; & an de Fide sit, Canonizatum esse Sanctum.

1. JUXTA adducta in superioribus communis est Theologorum & juris Pontificii peritorum sententia summum Pontificem errare non posse in Canonizatione SS. sed de eo, quod attinet ad propositam controversiam, an hoc videlicet de Fide sit, & an de Fide sit, canonizatum a Papa esse Sanctum, inter eosdem adhuc disputatur. Quocirca Sylvius *contr. lib.* 4. *q.* 2. *art.* 14. *pag.* 367. hæc habet: *Ceterum, qua certitudine sit tenendum, Pontificem non posse in Canonizatione Sanctorum errare, non prorsus liquet.* Nonnulli enim, qui tractatus ediderunt de Canonizatione Sanctorum, nedum strenue pugnant pro *infallibilitate* Papæ, sed eam etiam ad Fidem referunt; Contelorius nimirum, Rocca, Castellanus, Ceparius, Auctor tractatus de Canonizatione ad Cardinalem Montis Regalis. Alii contra admittunt quidem, pronuntque *infallibilitatem*, at putant tamen, id non esse de Fide, nec pariter esse de Fide, canonizatum esse Sanctum. Poterit id nempe unusquisque facile deprehendere, si Theologorum, & juris Canonici Interpretum auctoritates antea allegatas *infallibilitati* ipsis faventes in ipso, ut dicitur fonte recognoscere velit; quamquam & nos aliquas hic referemus, eum qui plures quærat, ad loca supra indicata remittentes.

2. Negant itaque, hæc esse de Fide, Joannes a S. Thoma *in* 2. 2. *D. Thomæ tom. unic. disp.* 9. *art.* 2. *pag.* 158. quo in loco quærens, *utrum in Canonizatione, & Beatificatione Sanctorum summus Pontifex errare possit*, relatis circa hoc variis sententiis, hanc addit: *Tertia sententia media est, esse quidem certum, Papam errare non posse in Canonizatione Sanctorum, & esse dignum censura, qui oppositum diceret; non tamen esset hæreticus, sed temerarius, impius, & scandalosus, immo & proximus errori, aut sapiens hæresim. Hæc sententia communior est apud Recentiores &c.* Quibus utique idem suffragatur Joannes docens, determinationem de æterna gloria alicujus personæ applicate & peculiariter non esse determinationem doctrinæ; & ideo non esse directe de Fide, sed reductive.

3. Antonius Cordubensis *in quæstionario Theologico lib.* 4. *quæst.* 12. *pag.* 317. *Non certo hæreticum, aut sapiens hæresim, sed valde probabiliter hæreticum, aut certe impium, & contra probabilitatem, & pietatem Fidei est dicere, quod Ecclesia, idest Papa, vel Concilium generale, in Canonizatione Sanctorum errare potest.*

4. Ludovicus a Paramo *de origine, & progressu Officii S. Inquisit. lib.* 3. *qu.* 5. *n.* 184. *pag.* 679. *Non haberet plus auctoritatis definitio illa, quam habet Canonizatio Sancti, in qua quamvis sit certum, non posse Papam errare, non tamen est adeo certum, ut sit de Fide.*

5. Franciscus Suarez *de tripl. virt. Theol. de Fide disp.* 5. *sect.* 8. *num.* 8. *pag.* 104. *Non licet Fidelibus dubitare de gloria Sancti canonizati; id enim sub præcisa obligatione præcipiunt Pontifices in ipsa Canonizatione: ergo oportet, ut illi præcepto non possit subesse error; alias deficeret Deus in re maxime necessaria Ecclesiæ, quod est contra providentiam, & promissiones ejus: & ideo, quamvis hæc illatio non sit de Fide, censeo, esse satis certam, & contrariam esse impiam ac temerariam.*

6. Gabriel Vasquez *in* 1. 2. *tom.* 2. *disput.* 165. *cap.* 9. *num.* 94. *pag.* 147. *Ut definiat* (summus nempe Pontifex) *hunc hominem, aut illum sancte vixisse, non habet principium aliquod de Fide, nempe aut Scripturam, aut Traditionem, sed solum humanum testimonium; & ideo Pontifex non censetur de Fide definire, quamvis habet assistentiam Spiritus Sancti, ne erret; ac proinde temerarium est negare id, quod ipse in Canonizatione decernit.*

7. Rabaudi *exercit. Theol. tom.* 2. *exercit.* 3. *cap.* 1. *num.* 2. *propos.* 2. *pag.* 148. *Non est per se, & immediate de Fide illum, quem Ecclesia canonizavit, esse in gloria.*

8. Dominicus a SS. Trinitate *tract. de summo Pontifice cap.* 18. *concl.* 6. *pag.* 494. (*t.* 10. *biblioth. Pontif.*) *Non est de Fide, quod summus Pontifex, generalique cum illo Concilia gaudeant privilegio infallibilitatis in Canonizatione Sanctorum, ita ut, qui hoc negaret, statim pro hæretico habendus esset.* Idque probat *pag.* 495. quia, *si Canonizatio Sanctorum . . . . . non est materia ex Fide definibilis, non pertinet ad Fidem. quod Ecclesia, vel summus Pontifex in ea definienda sit infallibilis.* Canonizationem autem Sanctorum non esse *materiam ex Fide definibilem*, variis argumentis evincit.

9. Vincentius Ferre *tract. de Fide quæst.* 13. §. 5. *pag.* 415. (*tom.* 20. *biblioth. Pontif.*) *Dico tertio: non est immediate de Fide, hunc hominem canonizatum esse vere Sanctum & in cælo regnare.*

10. Dominicus Maria Marchesius *de capite visibili Ecclesiæ dub.* 4. §. 2. *pag.* 741. (*tom.* 6. *biblioth. Pontif.*) *Sequitur, non solum istam propositionem*, Sanctus N. canonizatus est in cælo, *non esse de Fide; sed nec etiam istam*, Sanctus rite canonizatus est in cœlo.

11. Dominicus Bannes *in* 2. 2. *S. Thomæ quæst.* 1. *art.* 10. §. *Dubitatur præterea septimo: an summus Pontifex possit in Canonizatione Sanctorum errare . . . . . Sed dicit aliquis: Quare non damnamus hæresis sic asserentes? Respondetur; nos sequi in hac censura communem Theologorum sententiam, præsertim D. Thomæ in quodlibet.* 9. *Verumtamen, quia proximis temporibus fuerunt Hæretici, qui Ecclesiam in Sanctis canonizandis irridebant, atque negarent ejus auctoritatem & infallibilitatem, propterea recentiores Theologi merito decernunt, hæresim sapere Lutheranorum, asserere Ecclesiam in alicujus Sancti Canonizatione falsam fuisse, etiamsi auctoritas canonizandi non negetur.*

12. Salmanticenses *in cursu Theolog. tom.* 7. *tract.* 17. *de Fide disput.* 4. *de Rom. Pontifice dub.* 4. §. 3. *pag.* 198. *Hæc propositio: Omnis homo rite canonizatus, & acceptus ab Ecclesia in numerum SS. est Sanctus & existit in gloria* (*ex qua subjuncta Canonizatione, & acceptatione Ecclesiæ infertur, Sanctum Isidorum esse vere Sanctum & existere in gloria*) *non est immediate de Fide.*

13. Theophilus Raynaudus *in heteroclitis spiritualibus*

sect. 3. punct. 1. pag. 249. tom. 15. Quanta porro sit certitudo, quæ his Ecclesiasticis in sortem Sanctorum allectionibus ingeneratur, sub judice lis est, præsertim quoad maxime solemnem conscriptionem, sive Canonizationem ... Meam hac de re sententiam expressi in epilegomenis ad coronam auream subnot. 2. verit. 8. ubi negavi, esse Divinæ Fide certum, quod qui Canonismo honestatus est, sit cælo illatus & Sanctus.

14. Contra, de Fide esse, summum Pontificem falli non posse in Canonizationem Sanctorum, & de Fide esse, Canonizatum esse Sanctum, latissime docent & probant Angelus Maria Verricellus *in quæst. moral. & legal. tract. 8. quæst. 24. pag. 404. Respondetur affirmative, nempe de Fide credendam esse gloriam Sancti Canonizati*; qui & id pluribus persequitur.

15. Lucas Castellinus *de cert. glor. SS. cap. 3. punct. 48. pag. 210. Canonizatio Sanctorum connumeratur inter illæ, quæ Fidei sunt*; quod etiam tradit *cap. 4. punct. 3. 4. & seq. pag. 252. & seq.*

16. Rodericus de Arriaga *in disp. Theol. in 2. 2. D. Thomæ tract. de Fide disput. 9. sect. 5. num. 27. pag. 137. Definitio illa de sanctitate Henrici, seu Canonizatio illius est de Fide. Igitur ex his omnibus modis loquendi tot Pontificum colligo (quidquid aliqui in contrarium dicant) Papam in Canonizationibus non solum errare non posse, sed id esse de Fide.*

17. Adamus Tannerus *Theolog. scholast. tom. 3. disput. 1. de Fidei q. 4. dub. 7. n. 290. col. 284. Sed & firmiter credendum, Canonizationem Sanctorum a Pontifice factam esse infallibilem, ita ut sit de Fide, vere Sanctos, ac Beatos esse eos, qui a summo Pontifice canonizati sunt.*

18. Aloysius Turrianus *in. 2. 2. D. Thomæ disp. 16. dub. 3. Tertio dicendum est, probabilem esse sententiam asserentium de Fide esse, Pontificem non posse errare in Canonizatione Sanctorum.*

19. Gregorius de Valentia *commentariorum Theolog. tom. 3. disp. 1. q. 1. punct. 7. §. 41. col. 253. Quamvis enim testimonia, quæ pro alicujus hominis sanctitate afferuntur, sint humana, ideoque natura sua fallibilia, tamen posito, quod Pontifex illis inducatur tandem ad pronuntiandum, quempiam Sanctum, atque Beatum jam esse, certa Fide credendum est, testimonia illa (quatenus in genere saltem probant, pie atque sancte quenquam ex hac vita excessisse) vera esse, & hominem ejusmodi ex eorum esse numero, quos per revelationes Scripturæ generales in communi constat, Divinæ gratiæ beneficio consequi æternæ vitæ Beatitudinem &c.*

20. Alphonsus a Castro *de justa Hæretic. punit. cap. 6. tom. 2. col. 45. Sanctorum Canonizatio, ut B. Thomas docet, res est quodammodo ad Fidem spectans. Cui B. Thomæ sententiæ quodammodo favent verba, quæ summus Pontifex dicit in Canonizatione alicujus Sancti, quæ posita sunt in libro sacrarum Ecclesiæ cæremoniarum, & sunt, quæ sequuntur: Ad honorem Sanctæ, & Individuæ Trinitatis &c. Hæc verba dicit Papa, cum aliquem canonizat. In quibus id est advertendum, quod ait, talem Canonizationem fieri ad exaltationem Fidei Catholicæ.*

21. Sed & undique petitis argumentis hanc ipsam sententiam tuetur Ricciolius *in sæpe cit. oper.* & cl. mem. Cardinalis de Lauræa *in 3. lib. sent. tom. 3. disput. 6. art. 3.* totus est in probando, inter materialia Fidei Theologicæ objecta reponi ac reputari debere, quod Sancti ab Ecclesia canonizati, id est declarati tales, nempe amici Dei, eum videntes, eoque fruentes, vere sint tales: & Maurus *Theol. tom. 2. lib. 7. quæst. 140. num. 17.* docet, de Fide esse, eos, qui sunt canonizati, esse Sanctos atque in æternum beatitudine fruituros.

22. Fundamentum porro primæ sententiæ constituitur in auctoritate D. Thomæ *in sæpe cit. quolib. 9. quæst. 7. art. 16.* ubi, postquam docuit, non posse summum Pontificem errare in his, quæ attinent ad Fidem; posse autem errare in aliis sententiis, quæ ad peculiaria facta pertinent, sic tandem, ut alibi retulimus, de Canonizatione Sanctorum concludit: *Canonizatio vero Sanctorum medium est inter hæc duo; quia tamen honor, quem Sanctis exhibemus, quædam professio Fidei est, qua Sanctorum gloriam credimus, pie credendum est, quod nec etiam in his judicium Ecclesiæ errare possit.* Rursus idem S. Doctor *2. 2. quæst. 11. art. 2.* habet, hæreticum *formaliter* dici, qui negat aliquid directe pertinens ad Fidem; hæreticum autem *virtualiter & arguitive* esse, qui negat aliquid, quod evidenter infertur ex Fidei principiis. Pariter *2. 2. quæst. 1. art. 1.* tradit, Fidem non assentiri alicui, nisi quia est a Deo revelatum. Demum *1. part. quæst. 1. art. 8.* ait, nostram Fidem revelationi Apostolis, & Prophetis factæ inniti, qui canonicos Libros scripserunt, minime vero revelationi, si quæ aliis Doctoribus facta sit. Quocirca, si juxta doctrinam Angelici Præceptoris Canonizatio est quid medium inter res Fidei, & res pertinentes ad causas particulares; si tantum pie creditur, summum Pontificem esse in Canonizatione *infallibilem*; si secundum ipsum ratio formalis, seu objectum *quo* Fidei est prima veritas in dicendo, auctoritas nempe Dei dicentis; si denique pro Fide non sufficit quæcumque revelatio, sed necessaria est revelatio Apostolis, & Prophetis facta; concludunt primi, de Fide juxta doctrinam S. Thomæ non esse, quod Papa sit *infallibilis* in Canonizatione, & quod Canonizati sint Sancti, hoc est visione beatifica fruentes; cum nec Deus revelaverit, Beatum a Papa Canonizatum esse in æterna gloria, nec id contineatur in Divinis Scripturis, nec in Traditione: ita ut declaratio a summo Pontifice facta in Canonizatione, talem quemdam esse Sanctum & colendum in universa Ecclesia, nunquam directe, sed tantum *reductive* ad Fidem pertineat propter connexionem, quam habet cum propositionibus illis, quibus, Divina Scriptura duce, Sanctorum gloriam profitemur; quibusque, Fide duce, credimus, esse in ecclesia potestatem Sanctos canonizandi. In quo rerum themate, inquiunt, haud immunis a Theologica censura censendus est, qui negat Papæ *infallibilitatem* in Canonizatione, & multo minus, qui Sanctum esse negat eum, qui a Papa canonizatus est; at formalis tamen hæreticus non erit, cum ad hæresim formalem constituendam necesse sit, ut error directe tendat contra Fidem; ut constat ex doctrina Divi Thomæ supra citata, cum qua concordat Textus *in cap. super quibusdam: de verb. significat. & in can. Hæretici 24. quæst. 1.*

23. Addunt hanc eamdem sententiam sequentes, ea quæ nec implicite, nec *virtualiter* sunt revelata, ita ut certo & evidenter valeant erui ex propositionibus proxime revelatis, non posse nunc ab Ecclesia reponi inter dogmata Fidei. Cum autem declaratio sanctitatis alicujus, quam facit summus Pontifex in solemni Canonizatione, pendeat ex syllogismo, cujus minor propositio, quod ille videlicet sancte obierit, ex humanis tantum testibus comperta est Pontifici; proinde inferunt, alicujus Sancti peculiariter sumptam Canonizationem posse tamquam non certam ex Fide proponi; non tamen hinc posse deduci, quod liceat alicui impune cultum negare Sancto a summo Pontifice in album Sanctorum relato, vel quod id pugnet cum Romani Pontificis *infallibilitate* communiter in Canonizatione recepta: & cum speciali Spiritus Sancti præsentia ea in re universam Ecclesiam respiciente: tum quia, sicut nequit quis impune negare cultum latriæ Hostiæ per sacerdotem consecratæ, & quæ in sacrificio Missæ in altum tollitur, licet de Fide non sit, Hostiam quæ colenda proponitur, consecratam esse & Corpus Christi continere: ita neque quis poterit impune negare cultum duliæ Sancto canonizato, quamvis de Fide non sit, eum esse Sanctum atque beatifica visione fruentem; tum quia, etsi libenter admittatur, summum Pontificem in rebus Fidei & morum esse *infallibilem*, atque *infallibilitatem* proficisci ex afflatu Spiritus Sancti; non omnia tamen, quæ declarat in materia Fidei, & cum præsentia Spiritus Sancti *infallibilia* licet sint, ita dici debent articuli Fidei, ut, qui nonnihil negaverit, hæreticus continuo sit censendus. Propositionum, instant, damnatarum non una eademque est censura, cum varii videlicet sint hujus gradus, & variæ notæ. Quamobrem in Concilio Constantiensi, examinatis erroribus Wicleffi, & Joannis Hus, nonnulli fuerunt castigati tamquam manifesto hæretici; nonnulli tamquam erronei, nonnulli sicuti scandalum præbentes, ac blasphemi, alii ut pias aures offendentes, alii veluti temerarii ac seditiosi; & in Constitutionibus pariter S. Pii V. & Gregorii XIII. latis contra Michaelem Bajum nonnullæ ex propositionibus ejusdem deignantur tamquam suspectæ, aliæ vero in bulla *Unigenitus* san. mem. Clementis XI. captiosæ nuncupantur. Nempe, cum hæresis nota inuratur propositioni, quæ proxime adversatur Fidei Catholicæ item proximæ revelatæ, uti loquitur schola, & late prosequuntur Salmantic. *tract. 17. de Fide disput. 9. de infidelitate dub. 4. §. 2.* vel hæresis sit ejus, qui Fidem professus pertinacem habet errorem ei veritati manifeste contrarium, quæ Catholica certo sit, juxta ea quæ habentur apud Melchiorem Canum *de loc. Theologicis lib. 12. cap. 7. pag. 357.* Ex his principiis quemadmodum ostenditur, unam eamdemque propositionem particularem in materia dogmatis, aut morum a Pontifice definitam semper esse *infallibilem*, non autem semper esse de Fide; ita demon-

monſtrari creditur, ſententiam negantem, pariter eſſe de Fide hunc, aut illum Canonizatum eſſe re vera Sanctum, Divinaque viſione fruentem, minime repugnare ſummi Pontificis *infallibilitati*, ſed & bene congruere cum præſentia Spiritus Sancti eum dirigentis in negotio tam arduo *reductivo* ad Fidem pertinente, atque univerſam Eccleſiam reſpiciente.

24. Fundamentum vero eorum, qui docent oppoſitum, eſſe videlicet de Fide, quod ſummus Pontifex ſit *infallibilis* in Canonizatione Sanctorum, quodque ab eodem Canonizatus ſit Sanctus, Divinaque viſione fruatur, ſequentibus conſtat argumentis. Primo ſiquidem dicunt, hæreticum eſſe, qui aſſereret, Pontificem in condendis legibus toti Eccleſiæ communibus errare poſſe: cumque Pontifex, aliquem canonizando, univerſæ Eccleſiæ præcipiat, ut eum colat tamquam Sanctum atque in cælo regnantem, hinc concludunt & volunt, ut qui negat, Pontificem eſſe *infallibilem* in Canonizatione Sanctorum, hæreticus ſit. Addunt, poſſe Pontificem, & Eccleſiam definire tamquam certa Fide tenendum id, quod infertur ex duabus propoſitionibus præmiſſis, quarum altera de Fide ſit, altera autem *moraliter* evidens: ideoque, cum ſit de Fide, eum, qui in obſervantia legis & mandatorum perſeveraverit, ſalvum fore æternaque fruiturum beatitudine: ex proceſſibus autem factis in Canonizationibus evidens ſit *moraliter*, Canonizandum perſeveraſſe uſque in finem in obſervantia mandatorum, virtuteſque morales exercuiſſe in gradu heroico, necnon miraculis poſt mortem claruiſſe: ſubdunt, ſummos ergo Pontifices, poſtquam ex his duabus præmiſſis deduxerunt, Canonizandos eſſe Sanctos æternaque beatitudine fruentes, bene potuiſſe definire, id certa Fide tenendum eſſe: prout re vera definiviſſe dicendum eſt, ſi ponderentur Canonizationum bullæ in quibus dixerunt, & dicunt & decernunt, Canonizatum eſſe Sanctum, idque fideliter ac firmiter eſſe tenendum. Ad ulteriora hinc progredientes, admittunt utique id, quod a Deo revelatum non eſt, ſaltem implicite, eſſe non poſſe Fidei objectum: ſed & docent, in ſacra Scriptura delineatas eſſe qualitates ſeu virtutes eorum, qui ſalvandi ſunt & cum eo regnaturi, ut habetur *Matth.* 5. *verſ.* 19. item *cap.* 7. *&* *cap.* 12. & rurſus *Matth.* 19. *verſ.* 17. *&* *verſ.* 29. *&* *cap.* 24. *verſ.* 46. tum *Joann.* 12. *verſ.* 25. & iterum *Joan.* 17. quin & *Pſalm.* 14. David ſibimetipſi ſic interroganti, *Domine, quis habitabit in tabernaculo tuo, aut quis requieſcet in monte ſancto tuo?* ſibi inquam, ex Spiritus Divini afflatu hæc reſpondet: *Qui ingreditur ſine macula, & operatur juſtitiam; qui loquitur veritatem in corde ſuo; qui non egit dolum in lingua ſua, nec fecit proximo ſuo malum, & opprobrium non accepit adverſus proximos ſuos; qui jurat proximo ſuo, & non decipit; qui pecuniam ſuam non dedit ad uſuram, & munera ſuper innocentem non accepit: qui facit hæc, non movebitur in æternum.* Porro contendunt, per hæc Deum implicite revelaſſe omnes, qui ſalvandi ſunt, eos videlicet, qui conditionibus illis, virtutibus nempe, præditi fuerint uſque in finem. Unde demum argumentantur, ſummum Pontificem, poſitis diligentiis & probationibus virtutum ac miraculorum alicujus ſervi Dei jam defuncti, judicantem, eum eſſe unum ex illis implicite revelatis ſalvandis & cum Chriſto regnaturis, atque adeo ſalvatum & regnantem eſſe, non uti judicio pure naturali, & ratiocinatione mere Theologica; ſed, cum in hoc judicio formando intendat, eum præceptive proponere in univerſa Eccleſia colendum, ſpecialem habere influxum ſeu illuminationem Spiritus Sancti, quæ ſolet inſtinctus ſeu afflatus appellari; & certo atque *infallibiliter* cognoſcere, eumdem Dei ſervum fuiſſe virtutibus præditum, & illis miraculis claruiſſe, quæ ejus interceſſione facta probantur, ideoque unum ex his, quos regnaturos Deus implicite revelaverat. Volunt itaque ſic ſentientes, majorem propoſitionem eſſe revelatam, minorem ex ratiocinatione Theologica deduci, ejuſque veritatem cognoſci a Papa per inſtinctum Spiritus Sancti; & proinde concluſionem, ut dependentem a majori explicite revelata, atque in majori per inſtinctum inſpirata, dici poſſe & debere objectum Fidei.

25. Legi de his poteſt Cardinalis de Lauræa *loc. cit.* ubi tandem poſt plura ita concludit: *Ego non quæro, an ſit de Fide, quod Papa non poſſit errare in Canonizatione, ſed quæro, an ſit de Fide, quod Canonizatus ſit Sanctus; & dico eſſe; & ipſimet S. Thomas, & diſcipuli, aliique ſequentes id etiam affirmare videntur: quia, licet negent, eſſe de Fide, quod Papa non poſſit in Canonizatione errare, tamen confitentur, quod honorare Sanctum canonizatum eſt profeſſio Fidei, qua creditur gloria illius Sancti. Ergo, quod ſit Sanctus & in gloria, et-*

iam per eos eſt objectum Fidei, & hæc eſt mea controverſia. Si autem præfati Doctores dignarentur conſiderare hoc aliud motivum, quod ego forte primus adduxi, quod ſcilicet Papa canonizans non utitur ſolo inſtinctu, tamquam principaliori cauſa inducente ad canonizandum & proponendum Eccleſiæ Canonizatum, ut debito obſequio & honore veneretur, habeaturque pro Sancto, ſed utatur Theologico diſcurſu habente majorem propoſitionem revelatam, ſcilicet, Beati mites, qui perſecutionem patiuntur *&c.* *&*, Ubi ego ſum, illic erit & miniſter meus: *minorem vero naturalem, nempe cognitionem virtutum & miraculorum teſtantium, eſſe unum ex illis, quos in iis univerſalibus revelavit Deus; cujus quidem minoris veritatem Papa cognoſcit per inſtinctum: concluſio, ut dependens a majori explicite revelata, & a minori revelata ſeu inſpirata per inſtinctum, majori ratione dici poteſt & debet objectum Fidei, quam ſi dicatur, Papam uti ſolo inſtinctu, & non aliqua alia propoſitione revelata, ut huc uſque viſi ſunt loqui Auctores; & tamen dixerunt, de Fide eſſe, quod Canonizatus ſit Sanctus, & ſit profeſſio Fidei eum venerari.*

26. Hæc nimirum ſunt fundamenta eorum, qui putant eſſe de Fide, quod ſummus Pontifex ſit *infallibilis* in Canonizatione Sanctorum; quodque de Fide ſit, Canonizatum eſſe Sanctum Deique viſione fruentem: etſi, cum ipſi etiam bene cognoſcant, nullam de his latam hactenus fuiſſe definitivam ſententiam, multoſque Doctores Catholicos ac pios in contrariam abire opinionem, hæreticum idcirco formalem negant futurum eum, qui diceret, de Fide non eſſe aut Papam in Canonizatione *infallibilem*, aut Canonizatum ab eo eſſe Sanctum atque in cælis cum Chriſto regnare. Fagnanus nempe *in* 2. *lib. Decretal. ad cap. Venerabili de teſtib.* latiſſime probat, Eccleſiam *in* Canonizatione Sanctorum errare non poſſe; ſed & *n.* 39. hæc habet: *Tertia opinio aſſerit ita credendum ex neceſſitate ſalutis, & ſic damnat primam opinionem tamquam hæreticam* (eam videlicet, quæ admittit, Eccleſiam errare poſſe in Canonizatione Sanctorum) *quod plane durum videtur, cum habeat ſectatores primarios Canoniſtas, & doctiſſimum Cajetanum, & articulus nondum ſit ab Eccleſia definitus.* Quin & ipſemet P. Ricciolius, poſtquam *in ſæpe cit. opere* nedum *infallibilitatem* ſummi Pontificis in canonizando, verum etiam de Fide eſſe, Canonizatum ab eo eſſe Sanctum, conquiſitis undique argumentis demonſtravit, tandem *lib.* 1. *cap.* 6. *n.* 6. ſic ſcribit: *Quæritur ſexto, an foret hæreticus, qui negaret actu poſitivo ſanctitatem perſonæ a Sede Apoſtolica canonizatæ? Reſpondeo negative: quia tolerantur adhuc in Eccleſia Doctores illi, qui juxta opinionem cap.* 1. *relatam negant, eſſe infallibilem abſolute definitionem Papæ in Canonizatione Sanctorum; & relati in ſecunda opinione ita infallibilitatem putant, ut non putent, aut non dicant, eſſe de Fide.*

27. Videtur igitur nobis utraque opinio in ſua probabilitate eſſe relinquenda, uſquequo Sedis Apoſtolicæ judicium prodeat: quia ſcimus quidem, de Fide eſſe, quod Sancti ſunt colendi, uti definitum eſt in Conciliis generalibus *Chalcedonenſ. Nicæn. II. action.* 6. *&* *Tridentin. ſeſſion.* 25. ſcimus item, de Fide eſſe, venerationem eorum Reliquiis eſſe exhibendam; ſcimus, ſententiam a ſummo Pontifice prolatam in Canonizatione Sanctorum eſſe definitivam, necnon ad univerſam Eccleſiam pertinere, & errori juxta ſuperius dicta eſſe non poſſe obnoxiam ob ſpecialem Spiritus Sancti afflatum; inſuper ſcimus, in Concilio Conſtantienſi (*ſ.* 8. *collect. Hard. col.* 301.) inter ceteros Joannis Wicleffi errores hunc etiam condemnatum fuiſſe, *Auguſtinus, Benedictus, Bernardus damnati ſunt, niſi pœnituerint de hoc, quod habuerunt poſſeſſiones, & inſtituerunt, & intraverunt Religiones, & ſic a Papa uſque ad minimum Religioſum omnes ſunt hæretici*; ſcimus denique, anathematis pœnam impoſitam illis fuiſſe, qui declarationi ſanctitatis, ſeu Canonizationi alicujus refragarentur, veluti legitur in bulla Canonizationis B. Udalrici (*nov. cod. Canoniz. pag.* 2.) expedita a Joanne XV. in Concilio Lateranenſi: *Si quis interea, quod non credimus, temerario auſu contra ea, quæ ab hac noſtra auctoritate pie ac firmiter per hoc privilegium conſtituta ſunt, contraire tentaverit, vel hæc, quæ a Nobis ad laudem Dei pro reverentia jam dicti Epiſcopi ſtatuta ſunt, refragari, aut in quoquam tranſgredi, ſciat, ſe auctoritate B. Petri Principis Apoſtolorum, cujus vel immeriti vices agimus, anathematis vinculo innodatum.* Quæ quidem anathematis pœna Hæreticorum propria eſſe videtur, ut habetur *in cap. Cum Chriſtus*, *&* *in cap. Ad abolendam: de Hæreticis.* Neque ſolum hæc omnia ſcimus, verum etiam libentiſſime admittimus, ea non parum prodeſſe ſententiæ docenti, eſſe de Fide, quod Canoniza-

tus ſit Sanctus & ſit in æterna gloria: attamen, cum agatur de dogmate Fidei ſtatuendo, Sedis Apoſtolicæ matris & magiſtræ ceterarum Eccleſiarum, ſummique Pontifices, ad quem privative pertinent Fidei definitiones, judicium expectandum eſſe cenſemus, antequam hæreſis nota inuratur oppoſitam ſententiam ſequentibus. Eo autem magis id cenſemus, cum tot viri docti & Pontificiæ auctoritatis intrepidi aſſertores, atque adeo *infallibilitatis* ſummi Pontificis nedum in Fidei ac morum definitionibus, verum etiam in ipſo Canonizationis actu defenſores, Sanctorum quidem cultum, Reliquiarumque venerationem inter Fidei dogmata recenſeant; ſed inſimul afferant, de Fide non eſſe, hunc, aut illum Canonizatum eſſe Sanctum; pariterque de Fide non eſſe, huic, aut illi Reliquiæ venerationem eſſe exhibendam; fateantur ſane corde & animo obtemperandum eſſe ſententiæ Papæ definienti, hunc, aut illum eſſe Sanctum; ſed una ſuſtineant, eamdem definitionem non proxime, verum *reductive* tantum ad Fidem ſpectare: reſpuant profecto damnatum errorem Wicleffi, ſed hæreſim ejus rejiciant in cauſis, quas affert: ſummos tandem Pontifices dicant, recte potuiſſe & poſſe anathematis pœnam imponere debitam negantibus obedientiam Canonizationis bullæ, abſque eo quod hinc inferatur hæreſis; cum pro pœna anathematis alicui infligenda ſatis ſit, ſi is proferat propoſitionem male ſonantem, pias aures offendentem, blaſphemam, de hæreſi ſuſpectam. Quocirca videmus, ſan. mem. Clementem XI. in famigerata bulla *Unigenitus* (*Bullar. nov. tom.* 10. *par.* 1.) per quam centum & unam propoſitiones condemnavit, etſi non omnes tamquam hæreticas, ſed aliquas tamquam de hæreſi ſuſpectas, ſchiſmati faventes, erroneas, & hæreſi proximas, anathematis tamen pœna omnes infectatum fuiſſe ſequentibus verbis: *Mandantes omnibus utriuſque ſexus Chriſtifidelibus, ne de dictis propoſitionibus ſentire, docere, ac prædicare aliter præſumant, quam in hac eadem noſtra Conſtitutione continetur, ita ut quicumque illas, vel illarum aliquam, conjunctim, vel diviſim docuerit, defenderit, ediderit, aut de eis etiam diſputative, publice, aut privatim tractaverit, niſi forſan impugnando, Eccleſiaſticis cenſuris, aliiſque contra ſimilia perpetrantes a jure ſtatutis pœnis ipſo facto abſque alia declaratione ſubjaceat.*

28. Itaque, ut tantæ quæſtioni finem denique imponamus; ſi non hæreticum, temerarium tamen, ſcandalum toti Eccleſiæ afferentem, in Sanctos injurioſum, faventem Hæreticis negantibus auctoritatem Eccleſiæ in Canonizatione Sanctorum, ſapientem hæreſim, utpote viam ſternentem Infidelibus ad irridendum Fideles, aſſertorem erroneæ propoſitionis, & graviſſimis pœnis obnoxium dicemus eum, qui auderet aſſerere, Pontificem in hac, aut illa Canonizatione erraſſe, huncque, aut illum Sanctum ab eo canonizatum non eſſe cultu duliæ colendum; quemadmodum aſſentiuntur etiam illi, qui docent, de Fide non eſſe, Papam eſſe *infallibilem* in Canonizatione Sanctorum, nec de Fide eſſe, hunc, aut illum Canonizatum eſſe Sanctum. Melchior quippe Canus *de loc. Theolog. lib.* 5. *pag.* 165. ſic loquitur: *Qui fidem in his*, hoc eſt Canonizationibus, *Eccleſiæ detrahunt, eos non hæreticos quidem, ſed temerarios, impudentes, irreligioſos eſſe credimus.* Theophilus pariter Raynaudus *in corona aurea Rom. Pontificis pag.* 153. *tom.* 10. *oper.* ita fatur: *Igitur, quod alicui decernatur Canoniſmus, non facit ex Fide certum, quod talis ſit cælo illatus & potiatur beatitudine. Tametſi nemo ſanus refragabitur, quin vere pronuntiatum ſit a S. Bonaventura, referente Cathavino lib.* 1. *de certa Sanctorum gloria, fore incredibiliſſimum & horribiliſſimum ambigere de vera beatitate Sancti Canoniſmo donati & vindicati. Sed aliud eſt, rem eſſe de Fide, ita ut abſque injuria auctoritatis Divinæ per Eccleſiam propoſitæ negari non poſſit.* Item Scacch. *de notis, & ſignis ſanctitatis ſect.* 1. *cap.* 8. *pag.* 97. ait: *Et tanti ponderis eſt iſte Canonizationis actus, ut, qui cultum Canonizato negaret, de hæreſi ſuſpectus haberetur.* Pritanius demum *de ingen. moderat. lib.* 1. *cap.* 17. poſt multa concludit: *Quare a ſuſpicione hæreſis ille non abſit, atque intolerandam & pœnis dignam temeritatem, ac impudentiam præſeferat, qui rite Cœlitum catalogo adſcriptos explodat, & in iis, ut ajunt, canonizandis Eccleſiam ve ipſa, & Romanum Pontificem erraſſe dicat. Suſpicionem hæreſis memoravi, non autem hæreſim formalem.*

CAPUT QUADRAGESIMUMSEXTUM.

De expenſis, quæ fiunt, tum in pertractandis cauſis Beatificationis, & Canonizationis, tum in Solemnitate, hoc eſt cum in Beatorum, aut Sanctorum numerum aliqui Servi Dei, vel Beati referuntur.

1. VULGATISSIMA eſt, præſertim vero apud exteras nationes, querela, Pontificium ærarium divitiis redundare ſuperfluis, eiſque ex univerſi Chriſtiani orbis contributionibus, quas tamquam intolerabiles traducunt, conflatis; atque adeo Romanos dedecere Pontifices tantam divitiarum copiam, quippe quæ ut plurimum in amplificanda nepotum patrimonia nimia profuſione erogatur.

2. Porro facile eſt re ipſa reſpondere querelis. Norunt enim omnes, qui Pontificii ærarii notitiam habent, quam id exhauſtum ſit, & non modico ære alieno ad ſub veniendum Chriſtianæ Reipublicæ contracto obnoxium. Oporteret ſane, id, uti prædicant, divitiis redundare, quemadmodum prolixa oratione proſequitur Æneas Sylvius *in ſua apologia ad Martinum Mayer quæ extat in commentariis Jo. Gobellini* ubi poſt multa ſic concludit *pag.* 742. *Liquet igitur meo judicio, quando id auctoritatibus & rationibus probatum eſt, Romanam Eccleſiam divitem eſſe oportere, neque divitias ad voluptatem requiri, ſed ad tria tantum; ad ſtatum honeſtum & dignitati convenientem tenendum, ad alendos pauperes, & Eccleſias manutenendas, ad coercendos malefactores, qui Fidei ſinceritati officiunt.* Inquit nempe Salomon *Eccleſiaſt. c.* 7. 12. & 13. *Utilior eſt ſapientia cum divitiis, & magis prodeſt . . . . . ſicut enim protegit ſapientia, ſic protegit pecunia:* tum autem ſacris Litteris & Regum, & Machabæorum teſtatum eſt, in Dei templo magnam auri atque argenti vim, ingentemque theſaurum ad neceſſitates fuiſſe reſervatum. Cum igitur vis hæc deficiat, nec reditus ex terris ſummo Pontifici pleno jure ſubjectis pro eorum onerum complemento, quæ ſancta Sedes ſubit & ſubire tenetur, ſufficiant; quid mirum, ſi ex bullarum præcipue expeditione, & potiſſimum quidem in Epiſcopatuum, Abbatiarum, & Beneficiorum collatione, novum aliquod ſubſidium petatur; quod porro ceteris omnibus reditibus junctum, ſic etiam nec divitem facit Romanum Pontificem, nec eum vel ipſi ferendo oneri parem conſtituit? Decimæ ſcilicet decimarum in veteri Lege ſummo Sacerdoti a Levitis debebantur, & benignum pariter ſubſidium Epiſcopo indigenti perſolvitur; Romano autem Pontifici univerſæ Eccleſiæ clavum tenenti, & re vera indigenti, minime ſubvenietur, ne ſuprema dignitas vileſcat, neve, urgente neceſſitate, ceſſare cogatur a tot laudabilibus operibus, quæ quotidie præſtat pro Chriſtianæ reipublicæ tutela? Hiſce tamen devicti argumentis Joannes ipſe Gerſonius, & Cardinalis Perrus de Alliaco, etſi exactioni Annuorum non admodum favorabiles, ingenue admiſerunt, eorum ſolutionem permanere debere, uſquequo alio modo poſſet Romani Pontificis indigentiis ſubveniri; ut ex eorum teſtimoniis plene relatis infert Thomaſſinus *de benef. tom.* 3. *lib.* 2. *cap.* 58. *num.* 8. & *ſeqq.* Nec profuſa nonnullorum Pontificum erga nepotes liberalitas magis approbanda eſt; aut quia id olim fiebat ut plurimum citra ullum Cameræ Apoſtolicæ incommodum, per aſſignationem videlicet Eccleſiaſticorum reditum, ut puta Abbatiarum, Beneficiorum, Romanæque Curiæ Officiorum, quæ quidem, ſi non in nepotes, in alios collocata fuiſſent; aut quia ſan. mem. Innocentius XII. *in Conſtit.* 28. (*Bullar. nov. tom.* 9.) ſtatuit, Romanum Pontificem nepotibus, & conſanguineis inopia laborantibus debere pro ſua conſcientia ſubvenire, eorumdemque paupertatem eodem omnino modo ſublevare, quo pauperum extraneorum egeſtati opitulari fas eſt; præterea taxavit moderatam quantitatem Eccleſiaſticorum reditum per eum Nepoti, hujus ſcilicet meritis ita exigentibus, ad Cardinalitiam dignitatem evehendo aſſignandam; & hanc utique Conſtitutionem Innocentianam, quotquot poſt ipſum Innocentium Pontificatum Romanum adepti ſunt, adamuſſim obſervarunt, atque adeo ad effectum perduxerunt.

3. Hæc

UAB Biblioteca de Ciències Socials

3. Hæc nimirum a nobis præmissa sunt, ut cursus præcludatur nonnullorum dictis, qui honestum, & congruum, & quodammodo necessarium existimarent, Beatificationum, & Canonizationum expensas ab Ærario Pontificio subministrari. Quia vero habentur alii, qui omnes hosce sumptus, licet omnino sint necessarii, ad Romanæ Curiæ referunt avaritiam; inter quos profecto principem locum meretur exsecrabilis Apostata Marcus Antonius de Dominis *de Repub. Ecclesiastica lib. 7. c. 5. numer.* 58. ubi ait: *Eos enim Papæ canonizant, hoc est ferme deificant, quos ambitio Romana, quos avaritia deificandos suadet:* & paulo post: *Quantam vero vim pecuniæ Canonizatio requirat, novit Curia Romana, ita ut jam nisi magni Principes, aut amplæ civitates (novit hoc nuper Mediolanum) (sumptibus enim hujus ampliſſimæ civitatis paulo ante facta fuerat Canonizatio S. Caroli Borromæi) sumptus promoveant.* Nec alii desunt, qui existimantes, infinitam propemodum pecuniam in hæc negotia erogari, utilius futurum esse prædicant, si ea argenti & auri summa in acquisitionem alicujus regni Infidelibus subjecti expenderetur, ex quibus utique est Guido Patinus *tom. 1. epistol. pag. 603.* Operæ hinc pretium ducimus, in præsenti horum etiam dicta perpendere, ideoque de iis expensis, & earumdemmet ratione sermonem instituere.

4. Paris de Craffis meus illustris concivis, & celeberrimus olim summi Pontificis cæremoniarum Magister *in suis diariis MSS.* in quibus agit de Canonizatione S. Francisci de Paula, testatur, se summo Pontifici Leoni X. interroganti, cur adeo magna fieret in Canonizationibus expensa, sic respondisse: *Dixi, hanc expensam sic amplam ideo ab Ecclesia, sive a Sede Apostolica, & a Pontificibus non solum tolerari, sed etiam quodammodo præcipi, ut, ex ea quasi impossibili, vel saltem dura, absterreantur Principes, & populi ad petendum, hujusmodi Canonizationes fieri.* Quod ut in Ecclesia Occidentali præ sumptuum amplitudine futurum esse indicabat memoratus Paris, idem in Orientali similiter contigit Ecclesia, si fides præstanda sit Paulo Ricauto *in histor. status præsentis Ecclesiæ Græcæ cap. 6. pag. 164. & seq.* apud Joannem Albertum Fabricium *bibliogr. antiq. cap. 8. num. 25. §. In Orientali.* Refert namque, a schismatico & hæretico Patriarcha Constantinopolitano juridicas item agi inquisitiones, ac testes examinari de virtutibus & miraculis eorum, qui fama sanctitatis illustres hac vita discedunt, tum negotium excuti in Episcoporum Synodo, mortuumque subinde in Sanctorum album referri; sed id raro fieri propter magnam expensam ad eamdem rem necessariam.

5. Verum enim vero prætermittimus, Beatificationum & Canonizationum difficultatem nequaquam petendam esse, aut peti ab expensarum magnitudine, sed utique a longo & rigido examine, quo causæ pertractantur; uti testari poterunt quotquot hujusmodi negotiorum expeditioni tamquam Postulatores in Romana Curia vacarunt, & quemadmodum plene desumitur ex his, quæ nonnulli inter ipsos scripta reliquerunt. Joannes etenim Longinus in vita S. Stanislai Martyris apud Bollandianos *ad diem 7. mensis Maji pag. 257. t. 2.* hæc habet: *Ea difficultas utrum consulto ingesta fuerit, ut veritas de sanctitate Martyris pateſceret ad liquidum, an, ut solet Romana industria ad res aliquas honestius repellendas difficultates injicere, huic quoque difficultatem præfatam injecerit, incertum habemus:* cum quo concordat Jo. Cardinalis Cajetanus causæ S. Stanislai Relator in suis litteris ad Episcopum Cracoviensem apud Longinum *loc. cit. pag.* 259. ubi sic loquitur: *Nos finaliter stupefacti de tanta congerie probationum non admissa, præposito Procuratori diximus quasi parabolice: Necessarium habet Sanctus vester unum finaliter operari miraculum, quod discordantes in miraculis mirabiliter faciat concordare.* Marcus etiam Aurelius Grattarola, qui ad Urbem accessit & Postulatoris officio functus est in causa Canonizationis S. Caroli Borromæi, in suo opere typis edito atque in superioribus sæpe allegato *part. 1. c. 43.* postquam retulit exactissimas, quæ fiebant in causæ examine, diligentias a Cardinalibus Congregationis sacrorum rituum, ita subdit: *Nel che procedevano con tanto rigore, che io me ne lamentai più volte con essi loro, come di cosa, che avesse dell' eccessivo, e non usata nelle Canonizzazioni passate; ma mi lasciavano soddisfatto con rispondermi, che trattandosi della Canonizzazione d' un Cardinale loro collega morto poco tempo innanzi, così conveniva fare, ed erano necessarie quelle grandi diligenze, acciocchè niuno potesse dire giustamente, che fossero proceduti coi rispetti umani: alla qual risposta non sapevo replicare.* Silentio scilicet interea præterimus quidquid de nostra sollerti in excitandis difficultatibus cura, dum Fidei Promotoris officium exercebamus, testatus est bon. mem. P. Daubenton Societatis Jesu Theologus in vita Gallico idiomate scripta B. Joannis Francisci Regis; in cujus quidem causæ pertractationem usque ad Beatificationem strenue incubuit, dum Romæ morabatur, ut in eadem vita *edita Paris. ann. 1716. pag.* 329. & præterimus pariter, quæ habentur apud memoratos nuper Bollandianos *ad diem 8. mensis Maji tom. 4. pag.* 277. ubi, relatis nonnullis miraculorum instrumentis, sic ajunt: *Utrumque instrumentum mirifice facit ad cognoscendam evidenter summam illam maturitatem, gravitatemque judicii, qua in miraculis in ordine ad Canonizationes probandis utitur Romana Curia:* tum etiam *ad diem 2. Aprilis tom. 1. pag.* 217. ubi: *Ea nunc* (loquuntur de præsenti consuetudine Curiæ Romanæ in Canonizationum causis) *in multis mutata adeo difficilem esse fecit Canonizationum obtinendarum effectum, ut ejus successus debeat censeri miraculum pene majus, quam sint ea omnia, ob quæ aliquis judicatur mereri, ut in Sanctorum catalogum adscribatur.*

6. Postea stricte dicimus, necessarias profecto esse in pertractandis atque ad exitum perducendis Beatificationum & Canonizationum causis expensas; sed Romanos Pontifices earum moderationi studuisse, atque adeo non esse easdem ita amplas, ut solum Principes ac magnæ civitates eas explere valeant, sicuti Marcus Antonius de Dominis temere effutivit; quare & nonnullas tamquam superfluas jam fuisse elimanatas, &, quatenus aliquæ adhuc restent, quæ inter superfluas recenseri possint, earum similiter refectionem a Romanorum Pontificum æquitate desperandam non esse.

7. Blasius certe Ortizius Canonicus Toletanus Hadriani VI. ex Hispania in Italiam comes, &, quamdiu is vixit, ejus familiaris testatur, eum in Canonizatione SS. Antonini, & Bennonis vetuisse sumptus fieri: *Quamvis summa pecuniarum non exigua in ejusmodi Canonizationis actu tum in Pontificia familia erogandæ, tum in aliis impendiis soleat consumi, circumspectissimus tamen Papa tales sumptus quasi alienos a sanctimonia & puritate Canonizationis fieri vetuit:* ut legitur apud prædictos Bollandianos *in appendic. ad diem 2. Maji tom. 7. pag.* 555.

8. Pariter autem Sebastianus a S. Paulo Ordinis Carmelitani Patrem Danielem Papebrochium Societatis Jesu Theologum, operis Bollandiani in modo citato tomo continuatorem, proinde accusavit tamquam affirmatorem, quod sumptus in solemni Canonizatione fieri soliti sint alieni a sanctimonia & puritate ejusdem actus. Accusationi Daniel respondit, se Hadriano Papam utique laudasse propter zelum bonum, modestiam, pietatem, æquitatemque intentionis in minuendis sumptibus Canonizationum; minime vero probasse rationem ab ipso allatam, quod iidem sumptus essent alieni a sanctimonia & puritate Canonizationis; additque, censere se multas & graves esse causas, quæ sumptus fieri solitos probent tamquam valde congruos; veluti ex ipsa ejusdem responsione *Antuerpiæ edita ann. 1696. §. 141. & seqq.*

9. Sed, utcumque hæc sint, a nobis singillatim expensæ ipsæ ponderabuntur, ut de illis, quæ antea proposita sunt, probationis fundamentum desiderari non debeat. Interea vero non inopportunum esse videtur, quinimmo maxime opportunum ex Gallico in Latinum sermonem convertere, quæ post primam hujus nostri Operis editionem scripta sunt ab incognito Auctore *in discursu dogmatico de SS. Canoniz. Paris. impresso ann. 1739. pag. 65. Expensæ si statutæ fuissent, ut difficilior & exactior esset causarum discussio, prudentia laudanda esset: sed quis est qui ignorare possit, quod Commissarii accedentes ad locum ubi Sancti vixerunt, vel in quo miracula facta sunt, ut sumant informationes, multitudo testium examinandorum, multitudo scripturarum imprimendarum, honoraria solvenda negotiorum gestoribus, Congregationis Officialibus, magni festi celebratio, necessario immensas quodammodo requirunt expensas, ex quibus nullum Camera Apostolica percipit emolumentum, & quarum magna pars fit extra Urbem.*

§. I.

De Expensis, quæ fiunt in processuum constructione.

10. STatuto in causis Beatificationis & Canonizationis ordine judiciali, tamquam ad rerum veritatem eruendam aptiore, nemo est qui non videat, & confi-

conficiendos esse processus tum auctoritate ordinaria, tum Apostolica, ut in superioribus visum est, & testes aliquando ab una ad aliam Urbem esse vocandos, & Judices ordinarios vel delegatos interesse debere, adesse quoque debere Fidei Subpromotorem, ut & Notariorum Scribarumque operam necessariam esse, atque adeo hæc & similia sine expensis fieri nequaquam posse. Sed ex centum hujus generis processibus nonaginta duo extra Urbem conficiuntur, & in eos quidem non modica pecuniæ summa erogatur: proindeque impensa non est superflua, & vel nulla prorsus, vel exigua solum ejusdem pars ad Urbem mittitur. Tantum itaque, quod attinet ad rem præsentem, onus esse debet Judicum ordinariorum vel delegatorum invigilare, ne quid præter necessitatem erogetur, utque loci, in quo processus fit, taxatio observetur: siquidem ex mox referendis non taxationem Judicis delegantis, sed delegati, in hujusmodi negotiis exequi solemne & æquum est.

11. Quod si aliquando processus in Urbe conficiuntur, sive agatur de processu ordinario per Cardinalem Urbis Vicarium conficiendo, sive de processu Apostolico auctoritate sacræ Congregationis construendo; tunc & Judices, qui hisce processibus interveniunt, gratis exhibent ministerium suum, & sacra Congregatio exactissimam taxationem præfinivit, ad quam etiam Curia Cardinalis Vicarii se conformat; in qua nempe, unoquoque actu, aut quocumque conventu spectato, statuitur quid pro mercede laboris Notarii sit solvendum. Taxationis porro hujus viridis adhuc est observantia: quin & Notarius in adeptione ejus officii, interposito juramento, sic eam se observaturum spondet, ut, quatenus promissis & juramento ipsi non staret, confugientibus ad sacram Congregationem Postulatoribus, nedum sacra Congregatio eum ad observantiam cogat, sed inobservantiam etiam debitis pœnis ulciscatur. Impressa autem habitur in Appendicibus; ut ex ejus lectione unusquisque facile colligere possit, quam sit rationabilis & quam exigua; adeo quidem, ut his aliquando fuerit excitata inter Postulatores, & Notarium, qui extra Urbem confecerat processum, petente videlicet ipso mercedem juxta taxationem loci, in quo factus fuit processus, utpote ampliorem; dum illi contendebant, observandam esse taxationem sacræ Congregationis, quippe quæ minor, & ideo sibi minus incommoda. Dissensio nimirum hujusmodi contigit in causa Florentina B. Julianæ de Falconeriis; in eaque sacra Congregatio constituit nequaquam in constructione processuum remissorialium attendendam esse taxationem Notarii sacræ Congregationis, sed Curiæ Ecclesiasticæ, in qua processus fieret: uti desumitur ex decreto in dicta causa edito die 6. Martii, & die 18. Septembris 1706. cum æquum omnino sit, ut servetur taxatio loci, in quo processus construitur, juxta Textum *in cap. Statutum §. Notarium*, ibique Glossam *in V. Officium: de rescriptis: in 6.*

12. Si vero processus extero idiomate confecti sint, quia, secundum alibi dicta, nedum adhibetur Interpres, sed etiam eligitur, qui factam interpretationem recognoscat, &, si quidem opus sit, corrigat; in novissimis decretis san. mem. Innocentii XI. §. 4. sacra item Congregatio taxavit mercedem unicuique eorum persolvendam, & eam utique modicam. En verba decretorum: *Congregatio assignavit mercedem pro suis laboribus, nempe carolenum unum pro quolibet folio reducto, ita ut facies sit linearum 24. & linea syllabarum 16.* Nimirum, cum *carolenus* sit quarta pars trium Juliorum Romanorum, de mercedis tenuitate non videtur esse dubitandum. Fidei quoque Subpromotor interest constructioni horum processuum, qui fiunt in Urbe; eique, de more, pro quolibet conventu, qui ad multas horas producitur, aureus unus persolvitur: quæ certe summa non est immodica, si temporis impendii, laboris, atque animi attentionis ratio habeatur.

§. II.

De Mercede Postulatoris, Procuratoris, Advocati, Medici, & Excusoris scripturarum.

13. Postulatores, severe loquendo, illi sunt, qui Beatificationis & Canonizationis causam promovent: exempli gratia, si aliqua civitas sui concivis, si Religiosus aliquis Ordo sui Religiosi, aut quodpiam Capitulum sui Canonici, aut Familia quæpiam sui affinis vel cognati, qui sanctitatis laude floruerit, causam Beatificationis & Canonizationis introducit atque prosequitur; civitatem ipsam, Religiosum Ordinem, Capitulum, aut Familiam qui repræsentant, quique Procuratorem ad eamdem causam instituunt, veri sunt Postulatores. Verum, cum hi ad Urbem nec accedant, nec accedere possint, in more positum est, ut aliquis eligatur sive concivis, sive Religiosus, sive ex Canonicis, sive ex Familia, vel amicus Familiæ, cui necessaria creditur pecunia, quippe in Urbe commorans pro negotii progressu, Procuratorum atque Advocatorum opera utitur: & hic etiam, ut supra electus, Postulatoris nomine appellatur.

14. Nulla porro quoad hosce Postulatores merces a sacra Congregatione statuta est, statuendam etenim reliquit arbitrio præficientium, & consensui præfectorum: sed cogitatum tantum aliquando est, ut infra patebit, de cautionibus adhibendis, ut pecunia ad eosdem missa fideliter erogaretur. Quod tamen spectat ad mercedem, de qua in præsenti habetur sermo, dum Promotoris munere fungebar, satis providam quorumdam suspexi œconomiam, qui aliquem Religiosum vel ad Urbem missum, vel in Urbe commorantem negotio præficientes, subministrata cœnobio eleemosyna pro alimoniis, & tenui quadam summa Religioso ipsi pro regularibus indigentiis, superfluum hoc pacto & magnum sumptum evitarunt alioquin necessarium, ut puta, si viri nobilis, si Canonici opera hac in re adhibeatur.

15. Itaque, ut hinc transeamus ad Procuratores, & Advocatos, taxatio utique pro eorum laboribus a sacra Congregatione est constituta, quæ habebitur in Appendicibus: sed & ipsa adeo tenuis est ac modica, ut Procuratores, & Advocati Urbis, qui patrocinium habent multarum aliarum causarum forensium, causis Beatificationis & Canonizationis patrocinari recusent, scilicet quia honorarium non datur labori conveniens. Si vero Medici vocantur, ut judicium scripto ferant super miraculis, eorum profecto labor optat præmium: cum autem hoc præfinitum non sit a sacra Congregatione, licet ut plurimum non excedat præmium Advocatorum, præfiniendum quidem esse videretur, ut jurgia & querimoniæ avertantur. Sanctæ demum memoriæ Alexander VII. taxationem publicavit in Appendicibus pariter inferendam, in qua decernitur, quid Excusori, quod Fidei Subpromotori pro sua revisione & subscriptione, quid Correctoribus pro sua correctione solvendum sit; cujus nempe & viridis est adhuc observantia & adeo scrupulosa ratio, ut & ipsas exprimat cujuscumque folii lineas & linearum litteras, quemadmodum legenti patebit.

§. III.

De mercede Promotoris, & Fidei Subpromotoris.

16. Fidei Promotor suum in Urbe habet Subpromotorem, juxta ea, quæ alibi dicta sunt. Fidei autem Promotori constitutum est a summo Pontifice salarium, quod ei persolvitur citra ullam Postulatorum impensam. Quando scilicet Officium Fidei Promotoris junctum erat officio Advocati Fiscalis, emolumentum Fiscalis advocationis erat merces utriusque officii. Sed, facta divisione muneris Fidei Promotoris a munere Advocati Fiscalis, san. mem. Clemens XI. cum me constituit Coadjutorem Prosperi Bottinii Archiepiscopi Myrensis Fidei Promotoris, portionem panis & vini, quæ ex palatio Apostolico persolvebatur Fisci Advocato, persolvendam decrevit Fidei Promotori, uti colligitur ex ejus Apostolicis litteris expeditis die 5. Maji 1708. in quibus sic legitur: *Cum omnibus & singulis honoribus, oneribus, & facultatibus Promotoris hujusmodi officio de jure, usu, & consuetudine competentibus, necnon portionis panis & vini ex palatio nostro Apostolico ante hæc Advocato Fisci & Cameræ nostræ Apostolicæ dari solitis, quas pro tempore existenti Promotori Fidei in posterum assignamus.* Postea in aliis Apostolicis litteris datis die 30. Aprilis 1714. ex emolumentis & salariis solvi solitis Advocato Fisci detraxit annuam summam centuffium sive scutorum trecentorum Romanæ monetæ solvendam Fidei Promotori: *Dempta tamen ex salariis & emolumentis ejusmodi annua summa trecentorum scutorum monetæ, quam dilecto filio moderno, & pro tempore existenti Promotori Fidei assignamus.* Præter hæc emolumenta, cum Fidei Promotor scriptis exponat suas difficultates & animadversiones, consuetudo obtinuit, ut aliquid a Postulatoribus ei persolvatur causa compensationis expensarum, quas subire tenetur, ut exempla fieri curet scripturæ suarum difficultatum atque animadver-

UAB Biblioteca de Ciències Socials

verſionum, quam ut ipſis quidem Poſtulatoribus communicet, opus eſt. Quamquam & ſcio, tum Joannem Franciſcum de Rubeis, tum Proſperum Bottinium bon. mem. Fidei Promotores ſatis exiguam pecuniam eadem de cauſa recepiſſe. Quomodo deinde me ipſe geſſerim, dum eodem munere fungebar, teſtari poterunt ex Poſtulatoribus quotquot adhuc vivunt; necnon hujus rei probatio deſumi poterit ex indicibus expenſarum, quos fideliter Poſtulatores ipſi conſcribunt, ut pecuniarum reddant rationem illis, qui eas ad ipſos miſerunt.

17. Fidei porro Subpromotor ſua habet peculiaria emolumenta, quæ ipſi a Poſtulatoribus perſolvuntur; ejus quippe ſalarium præfinitum eſt in decretis Urbani VIII. *pag.* 62. ubi hæc habentur: *Subſtituto Promotoris Fidei pro quolibet proceſſu ab eodem Subſtituto examinando per Procuratores cauſarum perſolvatur ſtipendium decem ducatorum*. Quod tamen Urbani decretum, ad avertendas contentiones, & expenſarum multiplicationes, ſic explicatum fuit in decretis noviſſimis ſan. mem. Innocentii XI. §. 19. *Et pro quolibet proceſſu ab eodem Subpromotore examinando in quolibet dubio perſolvatur ei ſtipendium decem ducatorum auri præſcriptum in decretis generalibus pag. 62. cum declaratione tamen, quod, reſpectu proceſſuum auctoritate Apoſtolica in ſpecie, qui pluries ad diverſum effectum examinari debent, dictum ſtipendium debeatur pro tribus dubiis tantum; nempe prima vice, quando diſputatur validitas, ſecunda vice, quando diſputatur de virtutibus, ſeu de Martyrio, & cauſa Martyrii, & tertia vice, quando diſputatur de miraculis; quamvis diſputationes alicujus ex dictis dubiis pluries reiterari contingat, ſeu eadem dubia in diverſas inſpectiones pro faciliori reſolutione dividantur*.

18. Taxatio nempe hujus emolumenti, ut & aliorum quorumcumque in æſtimatione Innocentiana ſtatutorum, facta eſt, prævio conſilio Congregationis, cui interfuerunt octo Cardinales ſacris ritibus præpoſiti, Secretarius ſacræ Congregationis, Fidei Promotor, Subpromotor, duo antiquiores ex collegio Patronorum ſacri palatii Apoſtolici, auditis etiam Procuratoribus Generalibus Ordinum Regularium S. Dominici, S. Franciſci, S. Auguſtini, & Societatis Jeſu: ſed, his etiam minime obſtantibus, continuæ ſunt diſputationes & contentiones inter Poſtulatores, ipſumque Fidei Subpromotorem.

19. Aliquis ex Poſtulatoribus exempli gratia proceſſum aliquando exhibet, in quo vel unus, vel duo, vel tres tantummodo teſtes ſunt examinati aſſerta deponentes de virtutibus, aut Martyrio, & miraculis alicujus Dei ſervi, vel Beati, quique idcirco valde parvus proceſſus eſt: & hoc utique in caſu Poſtulator ipſe conqueritur, ſe tribus vicibus pro adeo exiguo proceſſu ſolvere debere decem aureos.

20. Quamvis enim reſponderi conſueverit, ingentes etiam, necnon in plura volumina diſtinctos quandoque ad Subpromotorem deferri proceſſus, pro quibus non exigit, niſi eamdem decem aureorum ſummam; non proinde tamen querela ceſſat, ſubdente nimirum Poſtulatore, qui parvum detulit proceſſum, ad ſe alios illos ingentes minime pertinere. In quo propterea rerum themate forte expediret parvum aliquod ſtatuere emolumentum pro unaquaque proceſſus pagina; tunc quippe modica ſumma perſolveretur ab eo, qui parvum, major autem ab alio, qui magnum deferret proceſſum.

21. Interdum etiam contingit, Judicem ordinarium, vel Judices delegatos pro aſſequenda veritate alicujus facti, ne teſtes vocentur ad locum, in quo ſit proceſſus, quempiam ſubrogare, qui ipſorum teſtium in loco degentium examen excipiat. Fit itaque a Subrogato examen, idemque mittitur ad Delegantem, a quo inferitur in ſuum ordinarium, vel Apoſtolicum proceſſum: quare & hinc oritur diſputatio, utrum ſcilicet hujuſmodi proceſſus habendus ſit pro unico, an tot ſint proceſſus, quot examina diverſis in locis a diverſis Judicibus facta ſunt ex commiſſione ipſis injuncta a Judice ordinario, vel delegato.

22. Inſuper in cauſis Beatificationis & Canonizationis non ſolum fiunt proceſſus remiſſoriales pro examine teſtium, verum etiam compulſoriales pro compellendis ſcripturis, ut puta inſtrumentis, chronicis, aliiſque iſtiuſmodi rebus. Si igitur proceſſus compulſorialis ſit a proceſſu remiſſoriali ſejunctus, habetur ille tamquam novus proceſſus, & ſeparatum quidem decem aureorum honorarium pacate perſolvitur Fidei Subpromotori: tum vero difficultas urget, an id ipſum ſit pariter obſervandum, cum in uno eodemque proceſſu & teſtes examinantur, & jura compelluntur, & item, ſive proceſſus compulſorialis ſit remiſſoriali conjunctus, ſive ab eodem ſejunctus, an tot ſint habendi proceſſus compulſoriales, quot ſunt jura compulſa, atque ex diverſis eruta locis, hoc eſt bibliothecis, aut archivis.

23. Fit demum nonnunquam compulſio unius, aut plurium proceſſuum auctoritate ordinaria confectorum in proceſſum Apoſtolicum. Stipendium nempe decem aureorum jam fuit Fidei Subpromotori perſolutum pro proceſſu ordinario, antequam compelleretur in Apoſtolicum: attamen, facta proceſſus aut proceſſuum prædictorum auctoritate ordinaria confectorum in proceſſum Apoſtolicum compulſione, diſputatio inſurgit inter Poſtulatores, & eumdem Fidei Subpromotorem, iteratum ne ſtipendium decem itidem aureorum ſolvendum ſit pro proceſſibus ipſis compulſis. Contendunt videlicet Poſtulatores, iteratum ſtipendium non eſſe debitum, cum agatur de uno eodemque proceſſu, cumque pro eo jam facta ſit ſolutio honorarii a ſacra Congregatione taxati: quare & addunt, expenſam hanc fore intolerabilem, eo quia, præter primam ſolutionem factam pro ordinario proceſſu, quando cauſa fuit introducta, præter ſolutionem repetitam, cum agitur de ejus validitate, tertia adhuc non deeſt, ſi ejuſdem compulſio fiat, & de compulſionis quidem validitate quæſtio ſit inſtituenda; non omiſſis porro reiteratis ſubſequentibus ſolutionibus, ſi in dubio virtutum & miraculorum opus ſit ad eumdem proceſſum ordinarium Apoſtolica auctoritate compulſum manum admovere. Contra autem excipit Fidei Subpromotor, ſibi omnino ſtatutam eſſe in decretis mercedem decem ducatorum auri pro quolibet proceſſu; & quidem primo, cum agitur de ejus validitate, ſecundo, cum de virtutibus, aut de Martyrio tractatur, tertio, cum res eſt de miraculis: item, proceſſum ordinarium non eſſe proceſſum auctoritate Apoſtolica compulſum, ſed ab eo ſane differre; proceſſus etenim compulſorialis fit a Judicibus delegatis, minime vero a Judice ordinario; atque adeo, viſo perpenſoque proceſſu ordinario, ſupereſſe etiam laborem examinandi, an is rite fuerit compulſus, ſi auctoritate quidem Apoſtolica compellatur.

24. Verum enimvero, quamvis hæ ſimileſque controverſiæ ut plurimum amicabili compoſitione terminari conſueverint, ubi ſcilicet aliquid a Fidei Subpromotoribus denique relaxatur; expedire profecto videretur, ut ſacrorum rituum Congregatio, quæ ad avertendas hujus generis diſputationes accuratiſſimas conſtituit taxationes, explicatius adhuc decerneret, hincque novo decreto quæſtionibus ſupra recenſitis finem imponeret: quod pariter præſtare deberet quoad aliam controverſiam, quæ præterea viget inter eoſdemmet Poſtulatores, ac Fidei Subpromotorem. Fidei nimirum Subpromotor ſcriptis exponit Fidei Promotori difficultates, quas invenire potuit in volvendo & examinando proceſſu, eas vero præſertim, quæ factum reſpiciunt; ut Fidei ipſe Promotor ſuas facilius exarare queat animadverſiones & in facto & in jure, quæ Poſtulatoribus poſtea communicantur, ut parent reſponſiones. Fidei ergo Subpromotor aliquid exigit a Poſtulatoribus propter exſcriptionem ſcripturæ, quam tradit Fidei Promotori, inſtar Procuratoris cauſæ, cui pro quolibet folio ſtaturum eſt ſtipendium in taxatione ſacræ Congregationis pro Advocatis, & Procuratoribus præſcripta. De hac, inquam, Subpromotoris exactione aliquando Poſtulatores conqueſti ſunt: quocirca operæ pretium eſſet, ut ſacra Congregatio etiam decerneret, fierine ipſa poſſit, tum quanta ſit futura.

§. IV.

De propinis, ſeu ſportulis, quæ olim ſolvebantur in Sanctorum Canonizationibus, & quæ hodie ex decretis Romanorum Pontificum ſublatæ ſunt.

25. PRO incredibilibus laboribus, quos ſubire coguntur illi, qui ſuum conſilium præſtare debent Canonizationis cauſis, olim propina quædam, ſeu ſportula eis ſolvebatur. In collectione Conciliorum Britanniæ (*tom.* 3. *pag.* 636.) extat Ordo Canonizationis Sanctorum ſæpe memoratus anni 1494. ad cujus calcem indicantur expenſæ, quæ fiunt in Curia Romana pro Canonizatione: earum autem primæ, quæ eſt *Domino noſtro Papæ in aliquo, vel aliquibus auri, vel argenti uſque ad valorem ducatorum centum*, ſubduntur iſtæ: *Tribus Commiſſariis Canonizationis in jocalibus, vel pecuniis uſque ad ducatos centum nonaginta inter omnes. Pro vino donando eiſdem ducata decem. Pro una propina vitulorum, pullorum, confectionum, & ceræ Papæ, & tribus Cardinalibus prædictis donandorum ducata* 70. Item Paris de Craſſis *in ſuis diariis MSS.* in quibus loquitur

de

de Canonizatione S. Franciſci de Paula, quæ celebrata fuit a Leone X. propinam commemorat Papæ, tribus Cardinalibus Commiſſariis, & duobus Rotæ Auditoribus perſolvendam; & Papæ quidem dicit ducatorum 225. quam tamen teſtatur non fuiſſe a ſummo eodem Pontifice receptam, tribus Cardinalibus Commiſſariis ducatorum 300. duobus Rotæ Auditoribus ducatorum 25. Inſtituta etiam ſacrorum rituum Congregatione, atque ad eam accitis tum Cardinalibus, tum Conſultoribus, mos invaluerat, ut nedum ſummo Pontifici, ſed & cuique Cardinali, & Conſultori propinæ ſolverentur; quæ omnino ſummam conſtituebant centuſſium monetæ Romanæ 3612. ut ex Actis in Beatificatione & Canonizatione S. Franciſci de Sales collectis a Dominico Cappello, & typis editis plene deſumitur, utpote in quibus ſingillatim omnes expenſæ ab initio ad finem uſque Canonizationis factæ computantur.

26. Tempore vero ſan. mem. Innocentii XI. ſacrorum rituum Congregatio decrevit, ut in poſterum nec propinæ, nec ſportulæ ſolverentur; ideoque ingens labor ſine præmio maneret; & quidem, facta hujus decreti relatione prædicto ſummo Pontifici, ipſe non modo illud approbavit & confirmavit, ſed etiam voluit, ſe eodem eſſe comprehenſum, atque adeo Succeſſoribus ſuaſit, ut id ipſum efficerent. Quamobrem, cum ſubſtitutus fuerit Innocentio Alexander VIII. & cum ab eo utique facta fuerit nonnullorum Sanctorum Canonizatio, ipſe ſan. mem. Pontifex novo confirmationis robore decretum Innocentianum communivit, & ſemetipſum pariter id complecti ſtatuit: ab eo quippe tantum exemit Secretarium ſacræ Congreg. Fidei Promotorem, atque Subpromotorem. Ab illo porro tempore ſemper ita res proceſſit, ut nunquam amplius facta fuerit ſportularum ſeu propinarum ſolutio Papæ, Cardinalibus, Conſultoribus ſacræ Congregationis, ſed Secretario duntaxat, ac Promotori; quorum ſingulis, utpote continuum laborem ferentibus, fit ſolutio aureorum centum, ut & longe minoris ſummæ, aureorum videlicet quindecim, ni fallor, ſit Fidei Subpromotori.

27. En verba decretorum: *Propoſito in ſacra rituum Congregatione, an expediat, quod in decretis Canonizationum tam factis, quam faciendis, in poſterum non dentur, nec recipiantur ſportulæ ſeu propinæ, ſacra Congregatio unanimi voto cenſuit, omnino expedire, ac ideo decrevit, quod in poſterum non dentur, nec ab ullo penitus recipiantur; quodque ſupplicetur Sanctiſſimo pro confirmatione: Die 15. Octobris 1678. Et, facta per me infraſcriptum relatione præſentis decreti SS. D. N. Innocentio XI. cum ejus lectura, Sanctitas ſua non ſolum laudavit, & approbavit, atque ab omnibus obſervari perpetuo mandavit, ſed etiam ſe ipſam ſub eo comprehenſam eſſe voluit, & declaravit; ejuſque Succeſſoribus, ut idem faciant, inſinuavit, eoſque monuit: Die 15. ejuſdem menſis Octobris, & anni 1678.*

Joannes Baptiſta de Luca Auditor.
Bernardinus Caſalius Secretarius.

Die 15. Maji 1690. Facta relatione SS. D. N. Alexandro VIII. per Reverendiſs. Archiepiſcopum Myrenſem Fidei Promotorem, & Reverendiſs. Laurentium Fliſcum ſacræ Congregationis Secretarium de ſupradicto decreto, Sanctitas ſua, ſequendo exemplum ſan. mem. Innocentii XI. Prædeceſſoris, illud approbavit, ſeque pariter in eo comprehenſum eſſe voluit: Declaravit tamen, minime in ipſo comprehendi Promotorem Fidei, Secretarium, & Subpromotorem.

28. Hodie itaque Papæ, Cardinalibus, & Conſultoribus nil aliud a Poſtulatoribus datur, quam tabula picta, repræſentans imaginem Beati, qui canonizatur: quod nempe tabulæ pictæ donum fit Cardinalibus, & Conſultoribus, occaſione Canonizationis; Cardinali autem Relatori, Secretario, ac Promotori non ſolum eadem occaſione, verum etiam, cum introducitur cauſa, & cum ſervus Dei inter Beatos refertur. De hiſce ſcilicet tabularum pictarum muneribus loquitur Jo. Baptiſta Roſſius *in ſuo clypeo caſtitatis pag.* 100. ubi narrat, ſe conveniſſe venerabilem Cardinalem Bellarminum officii cauſa, qui ipſum ſic allocutus eſt: *Pater, pleraſque iconas eleganter e parietibus pendentes indigitans, videtur ne tibi ornatus hic, & copia imaginum ſanctæ paupertati diſſentanea? Neganti, in eo quidem gradu, ac ſtatu videri; atqui, inquit, aperiam tibi candide conſilium meum &c. Imagines iſtæ donaria ſunt eorum, qui cauſas apotheoſeos virorum ſanctitate inſignium promovent, & meum patrocinium in earum procuratione depoſcunt, gaudentque vehementer, quotics appenſas ante meos oculos intucuntur, tamquam æſtimationis meæ argumentum ipſis gratiſſimum, in quo multum momenti eſt ad caritatem mutuo conſovendam: ut nihil interim dicam de affectu, quem excitari in meo corde ſentio ex aſpectu vultuum, & ſacrorum myſteriorum, quæ pictores omni artificio expreſſere, ut pietatem coloribus exprimerent.*

29. De ſportulis porro, ſeu propinis Secretario, ac Fidei Promotori perſolvendis nonnullæ aliquando exortæ ſunt controverſiæ. Interdum quippe contigit, ut aliquis eſſet Secretarius ſacræ Congregationis, aut Fidei Promotor, dum cauſa Canonizationis diſcutiebatur, eodem vero munere non amplius fungeretur, dum Canonizatio facta eſt, quo nimirum tempore propina perſolvitur; vel quia e vivis exceſſerat, vel quia ad aliud Romanæ Curiæ officium translatus erat. In hac, inquam, hypotheſi quæri conſuevit, cui propina debeatur, id eſt num heredibus defuncti, aut antiquo Secretario, vel Fidei Promotori, an ei potius, qui horum officium exercebat, quo tempore ſolemnia Canonizationis expleta ſunt. Quamquam enim nonnulli cenſuerunt, eo in caſu duplicatam propinam eſſe a Poſtulatoribus perſolvendam, ſcilicet & antiquiori Officiali, aut ejus heredibus, & etiam novo; ego tamen in ipſo facti eventu id fieri nequaquam permiſi. Sanctæ memoriæ Clemens XI. ut ſæpe retuli, me conſtituit Coadjutorem Archiepiſcopi Myrenſis Proſperi Bottinii Fidei Promotoris, qui morbo apoplectico perculſus, & nonagenario major officium exercere non poterat. Nonnulla nihilominus ipſe peregerat in cauſis quatuor Sanctorum ab eodem Pontifice canonizatorum; reliqua vero a me ipſius Coadjutore completa fuerunt. Cum autem ipſe quidem amplius non eſſet in viventibus, quando Canonizatio perfecta fuit, ideoque quando fiebat propinæ ſolutio; ne duplicata eadem propina Poſtulatores onerarentur, ſic res inter illius heredes, meque ipſum compoſita fuit, ut dimidium iis, dimidium mihi ſolveretur. Ruſſus, poſtquam exantlaveram omnes labores in cauſa S. Margaritæ de Cortona, placuit ſan. mem. Benedicto XIII. me ad Cardinalitium honorem evehere. Vacavit idcirco Promotoris officium; quo deinde delato ad Dominum Cavalchinum Archiepiſcopum Philippenſem, ſolemniter Beata ipſa Margarita in Sanctarum album fuit relata. Sed non fuerunt Poſtulatores adacti ad ſolutionem duplicatæ propinæ; una etenim & integra propina mihi ſoli, qui ſolus laboraveram, fuit ſoluta. Quamobrem Romanæ Curiæ obtrectatores facile cognoſcere poterunt, Sedis Apoſtolicæ Officiales eſſe viros honeſtos, nec eſſe, ut ipſi prædicant, ſordida avaritia inquinatos; tum etiam ſacrorum rituum Congregationem expenſas utique in Canonizationibus admittere tamquam ut plurimum neceſſarias, ſed ab earum ſuperfluitate maxime abhorrere, ut adhuc latius ex ſequentibus patebit.

§. V.

De ſolutione facienda ſacrario baſilicæ S. Petri in Beatificatione, & Canonizatione.

30. SIcut in ſuperioribus vidimus, ſolemnia Beatificationis formalis celebrantur in baſilica Vaticana: quare, præter expenſas neceſſarias ad eamdem ornandam, & mercedem eis perſolvendam, qui ſuas locant operas, nulla alia gravis fit ſolutio, quam ea, quæ continetur in mox referendo decreto; quæ porro duplicatur, quando fit Canonizatio.

31. ALEXANDRINUM DECRETUM. *SS. D. N. Alexander Divina providentia Papa VII. prout ſummum tum dignitate, tum pietate Pontificem decet, ob ſingularem ſuam decoris domus Dei dilectionem præ cæteris ſollicitus, ut baſilica Vaticana, quo par eſt tantæ molis, ſacræ etiam ſupellectilis nitore reſplendeat, ſacriſtiæ ejuſdem baſilicæ ſacras veſtes, & ſane ornatiſſimas, in Canonizatione S. Thomæ de Villanova adhibitas præcipua ſua munificentia, & in baſilicam ipſam Vaticanam religione elargitus fuit: volenſque præterea in futurum ſacriſtiæ ejuſdem indigentiis identidem religioſe conſulere, mandavit, ne in poſterum Secretarius pro tempore Congregationis ſacr. rit. decreta Beatifi-*

tificationum, & Canonizationum, quæ ab ipſa Congregatione in fine cauſarum eduntur, in Acta ſacræ Congregationis referat, neque evulget, aut ſub quovis prætextu Procuratoribus, & Poſtulatoribus cauſarum, vel aliis quibuſcumque conſignet, niſi docto, ſe Sacriſtis Majoribus præfatæ baſilicæ conſignaſſe ſacram ſupellectilem veri valoris Aureorum mille pro Canonizando, quingentorum vero ſimilium pro Beatificando; nempe in tot Planetis, Stolis, Manipulis, ac Burſis Corporalium, vel Albis, & Amictibus ad uſum Miſſarum privatarum, quæ dietim in dicta baſilica celebrantur, aut in tot Palliis, & Altarium Linteaminibus pariter ad ſimilem uſum adhibendis. Et prædictis quidem arbitrio Sacriſtarum Majorum præſtandis; quorum proinde curæ Sanctitas ſua demandavit, quæ magis pro tempore Eccleſiæ ſervitium exiget, Procuratoribus cauſarum indicare, Secretarium vero Sacræ Congregationis, & Sacriſtas prædictos admoneve, &, quod eadem feſtine impleantur, invigilare. Ne autem hujuſmodi Decreti ignorantia præſumi poſſit, idem in Acta ſacræ Congregationis referri juſſit; prout chirographum, ſeu verius ſupplicem libellum manu Sanctitatis ſuæ firmatum ibidem inferri voluit. Die 27. Septembris 1659.

32. Quia vero magna erat Poſtulatorum moleſtia in comparandis ſupellectilibus ad normam decreti Alexandri VII. eodem annuente Pontifice, prædicto facilior modus eſt ſubrogatus; ſolvendi videlicet aureos quingentos in Beatificatione, & aureos mille in Canonizatione Canonicis baſilicæ Ædituis, qui eos fideliter erogant in comparandam ipſam ſupellectilem neceſſariam, necnon Capitulo reddunt rationes expenſarum. Ideo in ejuſdem baſilicæ ſacrario ad perpetuam rei memoriam erectus eſt lapis, in quo hæc verba leguntur:

ALEXANDRO VII. PONT. MAX.
QVOD SINGVLARI EIVS MVNIFICENTIA VATIC. BASILIC.
SACRA SVPELLECTILE ABVNDANTER SIT INSTRVCTA
AD ILLAMQ. CONSERVANDAM ET AVGENDAM APOST. DECRETO
PERPETVO DVRATVRVM SVBSIDIVM SIT ATTRIBVTVM
BENEFICII MAGNITVDINEM REFERENTES
AC POSTERITATI TESTANTES
POST ANNIVERSARIA SACRA SOLEMNI RITV INSTITVTA
GRATI ANIMI MONIMENTVM
CANONICI POSVERE.

33. Hujus porro ſolutionis æquitas bene perſpecta eſt his, qui rerum Capituli baſilicæ Vaticanæ cognitionem habent. Multorum equidem annorum ſpatio Theologi proventum in eadem inſigni baſilica obtinui; teſtari autem poſſum, menſam Capitularem eſſe multo ære alieno obſtrictam, nec eam ſufficienter ſublevari potuiſſe diminutis menſtruis præſtationibus unicuique Canonico aſſignatis; quin etiam, quod præcipuum eſt, non ſatis idoneum recepiſſe levamen ab eximia beneficentia ac liberalitate ſan. mem. Benedicti XIII. qui eam liberavit ab onere ſolutionis inſignis debiti centuſſium monetæ Romanæ centum millium & ultra, eo in fabricam baſilicæ translato. Inexplicabilis nempe eſt ſacrarum ſupellectilium conſumptio, quæ propter intemperiem aeris Vaticani, & ob quotidianam tot Miſſarum celebrationem tum in templo, tum in ſacrario contingit. Cum autem onus reparationis ſupellectilium non ad fabricam, ſed ad menſam Capitularem pertineat, & hæc quidem minime haberet, quomodo id ferre poſſet, provide idcirco Alexander Papa VII. ſupradictum edidit decretum: quod, etſi ſatis non ſit, ut Capitulum ab onere reparationis penitus eximatur, prodeſt nihilominus intolerabilis expenſæ diminutioni. Quatenus autem aliquis reſponderet, potuiſſe hoc onus ipſi fabricæ imponi, hic ſciat oportet, nec fabricam ipſam opibus abundare, atque adeo eam pariter maximo ære alieno laborare: quandoquidem non modo ejus reditus erogantur in ornatum & conſervationem ampliſſimæ baſilicæ S. Petri, verum etiam, ut auxilium periclitanti reipublicæ Chriſtianæ ſubminiſtretur. Quocirca *in vita ſan. mem. Clementis XI. lib. 5. num. 3.* poſtquam narratum eſt Turcarum bellum, quod inſtabat, & poſt expoſita auxilia, quæ a provido Pontifice præparata fuerant, ut hiemali tempore adverſus Turcas adeſſent, ſic ſubditur: *Exploratum præterea habens majorem redituum partem tribunalis fabricæ Vaticanæ baſilicæ ex pia per Chriſtifideles conlata ſtipe provenire, eoſque, juxta Romanorum præſcripta Pontificum, in unam Chriſtianarum regionum tutelam adverſus hoſtium Fidei iniqua molimina erogandos ab eodem, ad alias conducendas naves bellicas, Pontificiarum aucturas numerum, æs alienum trecentorum aureorum millium contrahi voluit ex annuis proventibus diſſolvendum.* Hujuſmodi ſcilicet ſubſidia iiſdem de cauſis ab eodem fabricæ ærario ab aliis etiam Pontificibus deſumpta ſunt; ſed ultimum Clementinum, de quo modo egimus, ſatis ſit indicaſſe.

§. VI.

De ſtrenis, quæ nonnullis Officialibus Romanæ Curiæ perſolvuntur.

34. Juxta narrata in ſuperioribus, pro Canonizationibus Sanctorum Advocati Conſiſtoriales perorant in publico Conſiſtorio, vel quando pileus traditur Cardinalibus recenter creatis, aut aliquis Legatus Regius publice admittitur, vel quando, expleta Canonizationis cauſa in publico pariter Conſiſtorio, quod ab alio ſemipublico excipitur, virtutes ac miracula Canonizandi oratorio modo exponuntur. Verum, quia orationes prima illa occaſione recitatæ ad Canonizationem minime ſunt neceſſariæ, idcirco, licet inſtitutione pro iiſdem orationibus ſupra relata dicatur, honoraria eſſe a Poſtulatoribus cauſarum perſolvenda; re nihilominus ipſa etiam hodie in more eſt, ut Oratori quidem fiat aureorum decem ſolutio, non tamen a Poſtulatoribus, ſed a Curia Criminali Gubernatoris Urbis: quippe quæ eamdem ſolutionem faciebant, cum cauſarum criminalium fiebat propoſitio in ſacro Conſiſtorio, in quarum ſcilicet locum ſubrogatæ deinde ſunt Canonizationum cauſæ, quemadmodum ſimiliter diximus. Secundo utique loco habitæ orationes in Canonizationibus neceſſariæ ſunt: atque hinc Advocato Conſiſtoriali peroranti dantur a Poſtulatoribus centuſſes centum; quorum fit diſtributio inter cæteros Sacræ Conſiſtorialis Aulæ Advocatos, ſervata tamen ipſi oratori magis conſpicua ſummæ portione. Strenæ quoque perſolvuntur Cæremoniarum Magiſtris, qui haud exiguos perferunt labores & ante Solemnitatem, & in ipſa Canonizationis Solemnitate. Præſul a Secretis Brevium ad Principes, qui nomine Summi Pontificis in Conſiſtoriis, & in ipſa Canonizatione reſpondet Poſtulatorum petitionibus; Præſul Secretarius Sacri Collegii, qui geſta refert inter Acta Conſiſtorii; Præſul expoſitor bullæ Canonizationis, & alii, qui partem capiunt de emolumentis bullarum; illi denique ex Familia Summi Pontificis; hi, inquam, omnes ſtrenarum participes ſunt, quarum nempe nonnullæ cauſam habent a labore, cæteræ a conſuetudine. Si qua tamen nimietas in eis ineſſet, ſecuri poſſunt eſſe Poſtulatores de moderatione obtinenda, quatenus ſuas afferant apud Sacram Congregationem petitiones. Interea vero ipſis expedit, ad vitandas importunas pecuniam petentium moleſtias, aliquem virum gravem eligere, qui ſolvenda ſolvat, illos autem, quibus nihil debetur, dimittat. Ea ſane ſemper conſuetudo obtinuit

tinuit quo tempore exercebam munus Fidei Promotoris, cum, actum fuit de Canonizationibus peragendis. Ecquis enim sperare potest, in tanta hominum multitudine solum esse petituros, quibus utique quid debetur, non autem & alios, quibus nihil?

35. Præter strenas modo memoratas, consuetudo item invaluit dandi novam vestem nonnullis Officialibus, & Familiaribus Papæ, ut ipsa videlicet Canonizationis Solemnitas augustior appareret. De his hæc habet Paris de Crassis. *Unicuique Cardinali præsenti datur una cappa ex camelotto nova, & omnibus Officialibus Capellæ, Subdiaconis, Auditoribus, Clericis Cameræ, Acolythis datur unum Rocchettum novum. & unum Superpelliceum. Item Clericis Cæremoniarum, & Clericis Magistri Capellæ. Item duodecim Cubiculariis Papæ dantur Vestes cum Caputiis de rosato. Item quatuor Camerariis Papæ, ac duobus Assistentibus. Cubiculariis autem Papæ omnia Vestimenta nova de novo rosato. Item viginti scutiferis Papæ similiter vestes, diploides, caligæ, & birreta. Item Parafrenariis Papæ viginti quatuor dantur diploides, & vestes. Item omnibus Officialibus Palatii datur respective in rosato panno, sicut in creatione novi Pontificis.* Blasius etiam Ortizius familiaris Hadriani VI. supra citatus, loquens de summa pecuniarum, quæ impendebatur in Canonizationibus, eam memorat, quæ erogabatur in togandam Papæ familiam. Insuper Marcus Aurelius Grattarola, qui in suo Opere sæpe allegato omnia refert pertinentia ad Canonizationem Sancti Caroli Borromæi, nedum narrat *part.* 1. *cap.* 55. *&* *part.* 2. *cap.* 2. necnon eadem de causa tribus diebus factam fuisse personis miserabilibus Urbis panis distributionem, verum etiam nonnullos Officiales, ac Papæ Ministros fuisse nova veste donatos: *Si diedero* (le vesti) *a diversi Uffiziali, e Ministri di sua Santità, per onorare una tal Celebrità colla presenza di tanti Ministri Pontificj vestiti tutti a nuova livrea purpurea.* Index porro expensarum factarum in ea Canonizatione extat adhuc in bibliotheca Casanatensi Urbis, in quo hæc habentur: *Oltre alle sopraddette propine e regaglie pagate in contanti alli suddetti Uffiziali, e Ministri del Papa, sono anche state date le infrascritte vesti, e consegnate dal Depositario della Canonizzazione agl' infrascritti Uffiziali.* Cum autem nec Cardinalium, nec omnium Officialium Capellæ, nec Subdiaconorum, nec Auditorum, nec Clericorum Cameræ, nec Acolythorum, nec *Caudatariorum*, nec Scutiferorum, vel *Parafreniorum* Papæ ulla amplius mentio facta inveniatur; proinde colligere licet, moderationem expensarum factam fuisse, & largitionem vestium jam restrictam fuisse ad institutum subinde introductum, donandi videlicet Cubiculi Magistro calicem argenteum, calicem item argenteum Præfecto palatii Apostolici, vestes autem non personæ, sed officii proprias, Cubiculariis secretis Participantibus, Secretario Congregationis sacrorum rituum, Fidei Promotori, & nonnullis sacrarum cæremoniarum Magistris.

36. Inducto itaque more vestium distributionis, nullo postea negotio in vestium locum numerata pecunia subrogata fuit; atque adeo ex nonnullorum Postulatorum nimia liberalitate factum est, ut tot multiplicarentur pro ipsis vestibus pecuniæ solutiones, quot erant Sancti, qui canonizabantur, licet unica solemnitate fieret eorum Canonizatio: quin & aliquando eadem forte effusæ liberalitatis de causa unico Officiali plura officia gerenti non tantum tot factæ sunt pro vestibus solutiones, quot erant Sancti Canonizati; quamvis unica Canonizatione comprehenderentur, verum etiam tot factæ sunt, quot erant officia; perinde ac si non una esset persona, quæ plura officia administraret, sed plures; & non una, sed plures essent solemnitates.

37. Verum, delata hujus magnæ impensæ notitia ad san. mem. Innocentium XI. destinata fuit Congregatio nonnullorum Cardinalium, cui etiam interfuerunt Secretarius Congregationis sacrorum rituum, Promotor Fidei, & primus Magister cæremoniarum, pro ejus, necnon aliarum moderatione. Cumque ter Congregatio ipsa deinceps coacta esset, die videlicet 26. Julii 1680. die 9. Januarii 1682. & die 20. Julii 1690. deliberatum tandem fuit unicam omnino solutionem pro veste unicuique Officiali, & Papæ Familiari distributionem hanc ipsam participanti fieri debere, etiamsi vel plures Sancti unica solemnitate canonizarentur, vel unus Officialis plura officia administraret; ut deprehenditur ex scripturis, quæ adhuc extant in nuper memorata bibliotheca Casanatensi Urbis. Nulla scilicet habita fuit consideratio præteritæ consuetudinis; quia, cessante speciali consuetudine, vel legitima conventione, excepto casu piæ causæ ad terminos Textus *in cap. Ad Apostolicam de Simonia* voluntaria, antecedens, & facultatem præferens solutio, quamvis continuata multorum annorum spatio, apta non est ad inducendam vim in futurum, juxta cumulata a Lagunez *de fructibus par.* 1. *cap.* 15. §. 4. *num* 3. *& seqq.*

38. Hujus porro sacræ Congregationis deliberatio ad effectum penitus perducta fuit tempore san. mem. Clementis XI. Delato quippe examine ad plenam Congregationem sacrorum rituum, occasione Canonizationis ab eodem peractæ quatuor Sanctorum, coacta fuit ipsa Congregatio die 27. Septembris 1712. cui interfuerunt Eminentissimi Domini de Abdua, Ferrarius, Sacripantes, Tremoville, Fabronus, Priolus, Thomasius, Ptolemæus, Casinus, Bichius, Imperialis, Barberinus, & Hannibal Albanus, tum Carolus Collicola postea Cardinalis, sed tunc uti Protonotarius sacræ Congregationis implens vices Secretarii Inghiramii ægrotantis, & egomet ut Fidei Promotor; atque adeo communi unanimique omnium suffragio statutum est, plane unicam unicuique pro veste solutionem esse faciendam, etiamsi plurium Sanctorum fieret Canonizatio, & unicus infimul Officialis plurium officia gereret. Sacræ item Congregationis sententia a Pontificia confirmatione robur obtinuit, ejusdemque adamussim executio perfecta fuit tum in prædicta quatuor Sanctorum, tum in alia octo Sanctorum Canonizatione facta a Benedicto XIII. veluti cognosci poterit ex nominibus ædis nummulariæ S. Spiritus, apud quam pecunia deposita fuit pro expensis earumdem Canonizationum, & in qua quidem unaquæque expensa fideliter est adnotata. Hujus scilicet facti serie unicuique suadere poterit, Apostolicam Sedem redundantiæ expensarum resistere potius, quam patrocinari, dummodo ad ipsam ejus notitia perveniat.

§. VII.

De apparatu basilicæ Vaticanæ, & de pretiosis vestibus Pontificalibus ad Canonizationis solemnitatem necessariis

39. IN solemnitate Canonizationis amplum fit tabulatum in basilica Vaticana, in quo nedum thronus Pontificius, verum etiam sedilia pro Cardinalibus, Archiepiscopis, Episcopis, Pœnitentiariis, Præsulibus, & Officialibus Romanæ Curiæ collocantur, cujus porro ligna, expleta solemnitate, traduntur Canonicis ejusdem Vaticanæ basilicæ, qui eorum pretium instar chori distributionum inter se dividere consueverunt. Egregia Canonizandi facinora, & insignia miracula depicta per universam basilicam conspiciuntur; & horum pariter icones eidem basilicæ Capitulo, perfecta celebritate, tribuuntur. Ingens funalium cereorum & candelarum accensarum numerus tabulatum, altare, Apostolorum Confessionem, & universum basilicæ ambitum circumdat, & item quidquid funalium eorumdem cereorum & candelarum post Missam reliquum est, ad modo dictum pertinet ejusdem basilicæ Capitulum: sed ita tamen, ut horum omnium pretium, adhibita debita proportione, participent etiam Beneficiarii, necnon Clerici Beneficiarii, qui choro interfunt. Insuper in solemnitate Canonizationis Romanus Pontifex ut plurimum Missam canit, sicut alibi dictum est, aut saltem Missæ assistit cantatæ: cumque a Postulatoribus pretiosæ supellectiles, & integrum Pontificale ornamentum comparentur; altaris pallium, super quo sacrificium offertur, pro usu ejusdem altaris conservatur in sacrario basilicæ, ceteræ autem pretiosæ vestes pro Missa cantanda, & universum Pontificale ornamentum ad summum ipsum spectat Pontificem, qui id postea vel donat sacrario aut palatii Apostolici, aut S. Petri, vel ad aliam ecclesiam intra Urbem, aut etiam extra Urbem muneris titulo mittit. Paris nimirum de Crassis in allegatis diariis testatur, se, ut certum faceret Leonem X. Pontificalia ornamenta occasione Canonizationis cum magna recenter fieri impensa, afferri curasse ex sacrario palatii *planetam*, & *impluviam* cum imaginibus S. Bernardini factas sub Nicolao V. qui eum inter Sanctos solemniter retulerat: & ita quidem in Bononiensi Metropolitana Ecclesia conservantur adhuc sacra indumenta, quibus usus est Gregorius XV. in Canonizatione a se facta plurium Sanctorum; utpote quæ ab eodem Ecclesiæ ipsi donata, cui plurium annorum spatio ut Archiepiscopus laudabiliter præfuerat.

40. Magna profecto est pro his omnibus peragendis & comparandis impensa; sed Romani Pontifices ejus moderationi maximopere studuerunt, nedum rejecta nimia

super-

UAB Biblioteca de Ciències Socials

superfluitate & abundantia, verum etiam facta conjunctione plurium Sanctorum, quos unica Canonizatione comprehendere consueverunt: quo nempe in casu cum unum fit tabulatum, unica tantum Missa cantetur, funales cerei & candelæ non multiplicentur, facta, & miracula Canonizandorum sic depicta exponantur, ut ea unius ex Canonizandis in una tabula, alterius autem in alia tabula repræsententur, partitio propterea expensarum, quæ tunc fit inter plures Postulatores, easdem reddit tolerabiles. Neque enim inficiari quis poterit maximam esse expensarum moderationem, si & ad ea, quæ modo dicta sunt, sedulo advertere velit; & ad alia, quæ in superiori paragrapho relata fuerunt, de pretio videlicet unius vestis Officialibus & Familiaribus Papæ persolvendo, etiamsi plures Sancti simul canonizentur. Paris de Crassis hæc refert de ornamentis, quæ comparabantur pro solemnitate Canonizationis: *Omnia requisita paramenta, vestimenta, ornamenta, tam sacra, quam non sacra, emuntur & fiunt nova. Primo quidem solebant Papæ donari octo & decem petiæ telæ cortinæ tam pro camisiis, rocchettis, amictu, alba, mappis altaris, & mappulis: quam pro caligis rubeis una, aut duæ petiæ de panno scarlato pro diploidibus etiam quatuor, aut sex petiæ ex serico damasco, & tabino, & ex veluto. Item vestes suffultæ, sive foderatæ ex pellibus luporum cervorum, sive lyncum & zebellinorum, & martorum, & similium. Item pro mappis, & mappulis viginti, aut viginti quinque telæ ortiginæ; præter paramenta sacra omnia nova ex auro purissimo pertinentia ad processionem, ad Missam & ad actum non solum Pontificis, sed etiam pro persona cujusque Cardinalis Commissarii &c. præter mitram Papæ ex perlis mediocribus, & præter calicem cum patena, & ampullas, & candelabra novem argentea, videlicet septem pro altari, & duo pro credentia; ac etiam præter pallium altaris, & mappas, & pallium pulpiti pro Evangelio per Cardinalem cantando, & præter baldachinum novum, & alia, quæ regulariter & ordinario sunt præparanda pro complemento actus.* At hodie sola sacra dantur a Postulatoribus ornamenta necessaria summo Pontifici celebranti Diacono, ac Subdiacono tum Latino, tum Græco, & Presbytero assistenti; datur mitra pretiosa; datur calix cum patena aurea; dantur mappæ, & mappulæ; datur pallium altaris: sed nec candelabra novem argentea, nec alia supra recensita dantur in Sanctorum Canonizationibus.

41. Impensa pro tabulato, luminibus, & pretiosis supellectilibus inter necessarias computatæ fuerunt & enumeratæ in Congregatione antea enunciata, id est destinata pro moderatione expensarum, quæ fiunt in Canonizationibus; & quidem merito. Majestas quippe solemnitati deesset, si tabulatum, ut de eo primum dicamus, non fieret, atque adeo sine eo pauci solemnitatem videre possent, & cæremonia, ritusque, quibus peragitur. Porro, ut alibi visum est, olim in Canonizationibus alta voce legebantur miracula Canonizandorum: sed, cum præ magna hominum multitudine nemo profecto esset, qui legentem audire posset; ut hominum pietati nihilominus satisfieret, pictura, quæ ab omnibus videri potest, in lectionis locum ideo est substituta. Celebrantem vero Romanum Pontificem, aut Missæ adeo solemni in tanta re assistentem; ecquis est qui asserere audeat, pretiosam dedecere supellectilem; cum, ferventibus etiam in Christianam Religionem Ethnicorum persecutionibus, pretiosa similiter supellectili uteretur Ecclesia, teste S. Augustino *lib. 3. contra Crescentium cap. 29. num. 33. tom. 9. oper.* ubi hæc profert ex gestis Proconsularibus: *Constantino Maximo Augusto, & Constantino Juniore Nob. Cæs. Coss. &c. Postea quam perventum est in bibliothecam, inventa sunt ibi armaria inania. Ibi protulit Silvanus capitulatam argenteam, & lucernam argenteam.* Antea quoque scripserat idem Augustinus, *calices duos aureos, itemque calices sex argenteos* ab eodem Silvano traditos: ut evinceret, eum persecutionis tempore fuisse traditorem. In libro itidem Pontificali, qui Anastasii nomine inscribitur, *tom. 2. in Silvestro pag. 278.* præter alia vasa aurea, & argentea ibi memorata, sic de eo legitur: Donavit *patenam argenteam pensantem libras viginti .... scyphos argenteos duos, qui pensaverunt singuli libras denas .... amas argenteas duas &c. & pag. 307.* Obtulit *candelabra auricalca septem ante altaria, quæ sunt in pedibus decem.* Quin & alia plura ex eodem libro Pontificali desumpta, ad rem, de qua agimus, facientia, collecta legi possunt *tom. 1. de liturg. Rom. Pontif. cap. 29. disquisit. de sac. minister.* eruditi viri Dominici Georgii Præfecti bibliothecæ Cardinalis Josephi Renati Imperialis. Quatenus autem aliquis subdere petulanter vellet, non dedecere utique pretiosam supellectilem Romanum Pontificem celebrantem, immo vero ei maxime convenire, sed ea uti posse, quam jam habet in sacrario sui Pontificii sacelli, sublata Postulatorum impensa; hæc tamen nimis audax objectio sua non careret responsione: nec enim habet prædictum sacrarium tot pretiosas vestes, quot forte putatur habere. Habuit nempe, sed temporum injuria perierunt; & quotidie Ædituus sacri palatii aut antiquas restituere, aut novas ex palatii reditibus cogitur instaurare, ne desint necessaria. Præterquamquod, si id fieret, quod postulatur, non possent, expleta Canonizatione, Romani Pontifices planetam, calicem, & cetera Pontificalia ornamenta aliis ecclesiis, ut eorum mos est, dono dare.

42. Funalium denique cereorum, aliorumque luminum incensioni in adeo magna celebritate ille solum adversari poterit, qui cereorum usum tantum nocturno tempore censet in ecclesiam admittendum; sacra idcirco contempta antiquitate, cum Paulinus *de S. Felice natal. 3.* hæc habeat:

Clara coronantur densis altaria lychnis,
Lumina ceratis adolentur odora papyris
Nocte dieque micant; sic nox, splendere diei
Fulget, & ipsa dies cælesti illustris honore
Plus micat innumeris lucem geminata lucernis.

43. Qui vero plura de hoc argumento addiscere cupit, legere poterit opera celebrium virorum, qui, congesta undique sacra eruditione, argumentum ipsum solidissime pertractarunt; Ludovici videlicet Antonii Muratorii *tom. 1. anecd. dissert. 16.* quam rursus edidit in recensione operum ejusdem S. Paulini; Vincentii Ludovici Gotti amplissimi Cardinalis *tom. 1. de vera Ecclesia Christi cap. 11. §. 6. num. 52.* Auctoris demum anonymi tractatum *Parisiis editum anno 1721. de vero Ecclesiæ spiritu in usu sacrar. cæremon. §. 11. pag. 80.*

§. VIII.

De statuta contributione a quocumque Postulatore solvenda pro dissolvendo ære alieno contracto in parandis splendidis aulæis basilicæ Principis Apostolorum.

44. VAldenses, Henricianorum soboles anno 1160. a Petro Valdo ab inferis excitata, Galliam, Hispaniam, Angliam, Germaniam, & Italiam fœdarunt. Inter cetera autem eorum dogmata satis iniqua erat & illud, ornatum ecclesiæ esse peccatum, teste Fr. Rainerio Ordin. Præd. *tom. 25. bibliotb. PP. pag. 266. cap. 5.* Verum in Concilio Oxoniensi, quod habitum est anno prædicto, tum illud, tum alia eorumdem dogmata fuerunt condemnata. Dicitur enim *psalm. 25. v. 8. Dilexi decorem domus tuæ, & locum habitationis gloriæ tuæ.* Cardinalis item Baronius vir æternum laudandus *ad an. 57. & 58.* ecclesias pluribus, iisque splendidissimis ac ditissimis ornamentis antiquitus refertas fuisse demonstravit; cumque Jo. Henricus Ottius Calvinista in libro, cui titulus, *examen perpetuum Historico-Theologicum in Cardinalis Baronii annales*, eum arrodere ausus esset, Baronium Muratorius strenue vindicavit *dissert. 16. supra citat.* Consuli quoque potest Joannes Tomæus Episcopus Bosnensis *in oratione pro ecclesiæ ornamentis.*

45. Pio itaque spiritu ducti Romani Pontifices templorum utique ornatui universe prospexerunt: at aciem tamen cogitationum suarum in basilicam Principis Apostolorum diligentius intenderunt; ut in arce videlicet Religionis, hoc est in Urbe, sacrum & conspicuum B. Petri templum erigeretur; idque non suum, nec cujusque proprium, sed omnium Christianarum nationum commune, positum quippe in honorem ejus, & cui, & cujus Successoribus a Deo, ejusque Filio data est potestas super omnes gentes.

46. Templum prædictum egregia forma & magnitudine a fundamentis a Constantino ædificatum inter reliquas Urbis ecclesias magna subinde reparatione indigebat. Julius hinc Papa II. manum operi admovere tentavit. Leo X. & Hadrianus VI. variis occurrentibus impedimentis, non potuerunt perficere, quod fuerant meditati. Ceteris autem felicior Clemens VII. magnum opus aggressus est; cujus deinceps vestigiis plerique ex Successoribus institerunt. Quare & Sixtus V. & Paulus V. & Urbanus VIII. & Alexander VIII. tholum insignissimum construxerunt, basilicam amplificarunt au-

UAB Biblioteca de Ciències Socials

guſtiſſimis porticibus exterioribus, & *Confeſſionem*, ut vocant, & ſublime cathedræ altare ære inſtruxerunt atque ornarunt. Nimirum, etſi ſciamus, Deum non in manufactis templis habitare, nec manibus humanis coli aut aliquo indigere, uti legitur *Actorum* 17. 25. ſcimus etiam, voluiſſe magna auri profuſione templum a Salomone fabricari 3. *Regum cap.* 5. & 6. Quidni ergo Romani Pontifices ex univerſis orbis ſubſidiis potuerunt laudabiliter templum omnium, ut diximus, nationum attollere, idque Deo dicare in honorem Petri Principis Apoſtolorum, necnon ex iiſdem ſubſidiis, ut pariter ſupra vidimus, aliquid aliquando deſumere pro Chriſtianæ reipublicæ bono & tuitione? Quapropter S. Ambroſius *in libro de Officiis relatus in can. Aurum*; 12. *quæſt.* 2. inquit: *Aurum Eccleſia habet, non ut ſervet, ſed ut eroget & ſubveniat in neceſſitatibus &c. Nemo poteſt queri, quia captivi redempti ſunt; nemo poteſt accuſare, quia templum Dei ædificatum eſt.*

47. Nonnulla nempe ſupra tetigimus de eximiis ſubſidiis a ſan. mem. Clemente XI. pro Chriſtianæ reipublicæ defenſione inde ſuppeditatis; nunc autem aliquid indicandum eſt de liberalitate venerabilis Dei ſervi Innocentii XI. erga Viennam Auſtriæ, cum ab immani Turcarum Tyranno obſidione cingeretur: *Quis enim* (verba ſunt Auctoris tractatus *de libertat. Eccleſ. Gallic. lib. 6. cap.* 11. *num.* 6.) *obſeſſa a Turcis Vienna, toti fere Eccleſiæ non metuebat exitium? Quis Othomanicæ potentiæ in Germaniam, Italiam, ac remotiores deinde provincias irrumpenti obſtitiſſet, Chriſtianis Principibus inter ſe concertantibus, niſi providentia ſummi Pontificis in ſe ipſum avari, & in Eccleſiam liberaliſſimi, ſuis conſiliis, vigiliis, ac curis aſſiduis effuſam theſauri ſui largitionem adjunxiſſet; quo Principes ad communem Chriſtiani nominis hoſtem repellendum armatos juvaret, ac, cum propriis ipſum manibus pugnare non deceret, effuſis pecuniis vinceret?* & ante eum fuſe ſcripſerat Dominicus Berninus *in ſuis memoriis hiſtoricis part.* 2. *pag.* 65. & *ſeqq.*

48. Porro, ut ad rem redeamus, aulæa Vaticani templi majeſtati congruentia adhuc deerant, quæ univerſam uſquequaque baſilicam ornarent. Cum igitur Alexander Papa VII. conſpicua ſumma æris alieni Fabricam S. Petri pro eis parandis gravaſſet, pro faciliori poſtea ejus diſſolutione ſtatuit, ut in unaquaque Canonizatione, & pro unoquoque Canonizando centuſſium monetæ Romanæ ſex millia eam in cauſam eroganda ſolverentur. Quia vero ex aliis Fabricæ reditibus, & partim etiam ex modo memoratis ſolutionibus ſubinde factum eſt, ut ære alieno Fabrica ipſa levata fuerit; quamvis aulæa etiamnum re vera perfecta non ſint, & ſerica villoſa deſint auro intexta, quæ pro eorumdem aulæorum complemento requirerentur, & quæ ſane majorem expoſcerent impenſam; ab opere nihilominus perficiendo ceſſatum eſt, atque adeo exinde Romani Pontifices aut aliquando Poſtulatoribus omnino liberaliter ſummam prædictam condonarunt; aut, ſi eam quidem receperunt, diminutam tamen dari paſſi ſunt, hoc eſt centuſſium tantummodo quatuor millium, vel etiam duntaxat trium millium; quam pecuniam in cauſas deinde pias, ut puta in alia ornamenta ejuſdem Vaticani templi, aut aliarum eccleſiarum ſive in Urbe, ſive extra Urbem, impenderunt: ita ut aptari poſſe videantur Pontificibus Romanis, quæ S. Cyrillus Hieroſolymitanus *catechеſi* 14. *num.* 14. ſcribit de Imperatoribus, qui religionis gratia eccleſiam ornaverant. *Hujus temporis Imperatores* (ſubſtitue: Romanos Pontifices) *ſanctam hanc, in qua ſummus Salvatoris Dei reſurrectionis eccleſiam,* (ſuffice: has ſanctas eccleſias, in quibus nunc ſumus) *argento inductam, & auro infuſo diſtinctam extruxerunt, & pretioſis ex argento, auro, ac gemmis, donariis exornarunt.*

49. Eccleſia corpus eſt, ſicuti ſcribit Apoſtolus *ad Epheſ. cap.* 1. & 4. Fideles autem omnes ſunt membra illius, ut habetur 1. *Corinth.* 12. *v.* 12. quare, ſi quid patitur unum membrum, compatiuntur omnia membra; & ſi gloriatur unum membrum, congaudent omnia membra, quemadmodum extat *in eadem* 1. *epiſt. ad Corinth.* 12. *v.* 26. Scilicet hinc fit, ut egenti Capiti, hoc eſt Romano Pontifici, ditiora membra largius debeant ſubvenire: quamobrem & ipſe ceteris membris, hoc eſt aliis Fidelibus, & inferioribus Eccleſiis, inopia laborantibus valeat in omnem eventum ferre ſuppetias. Sic Chriſtianis Hieroſolymitanis magna preſſis egeſtate ceteri ſuccurreruot effuſa cum liberalitate; *quia ſecundum virtutem teſtimonium illis reddo: & ſupra virtutem voluntarii fuerunt*, inquit Apoſtolus 2. *ad Corinth.* 8. *v.* 3. ideoque hunc modum ipſe præſcripſit *v.* 13. & 14. *Non enim ut aliis ſit remiſſio, vobis autem tribulatio, ſed ex æqualitate. In præſenti tempore veſtra abundantia illorum inopiam ſuppleat, ut & illorum abundantia veſtræ inopiæ ſit ſupplementum, ut fiat æqualitas.*

50. Omnia itaque in unum redigendo, ex huc uſque dictis unuſquiſque facile ſibi ſuadere poterit, expenſas utique eſſe neceſſarias ad pertractandas, atque ad exitum perducendas Beatificationum, & Canonizationum cauſas, ſed & Romanos Pontifices earum moderationi ſtuduiſſe ac ſtudere, & pleraſque immodicas ac ſuperfluas, quæ paulatim irrepſerant, ſublatas fuiſſe; atque adeo aliquas, quæ remanſerunt, neceſſitati, ac ſolemnitati congruentes & debitas eſſe: quibus porro omnibus ſi inſuper addatur, pecunias ut plurimum conflari ex eleemoſynis, quæ univerſo ex orbe colliguntur, nec modicas eas eſſe quæ a Romana pietate ſubminiſtrantur, nulla profecto apparebit vis expenſarum tanta, quæ tolerari non poſſit. Sæpe citatus Paris de Craſſis ait, ſe legiſſe in libris Rabioli, & Auguſtini Patritii Magiſtrorum cæremoniarum, erogatam fuiſſe in Canonizationem S. Bonaventuræ ſummam ducatorum auri 27000. in libris autem ejuſdem Auguſtini, & Joannis Burchardi, in Canonizationem S. Leopoldi erogatam fuiſſe ſummam ducatorum auri 25000. Item Dominicus Cappellus ad calcem Actorum Canonizationis S. Franciſci de Sales, qui ſolus fuit inter Sanctos relatus ab Alexandro VII. indicem profert expenſarum, quæ fuerunt centuſſium monetæ Romanæ 31903. Verum, ſublatis deinde ab Innocentio XI. ſportulis, necnon aliis moderationibus ſubinde pariter introductis, ſi quidem una eademque Canonizatione plures Beati comprehendantur, expenſa minime excedit ſummam centuſſium circiter 14000. Huc uſque deducta a nobis ſcripta ſunt, antequam fuerimus ad ſummum Pontificatum evecti; cumque nonnulla dixerimus indeciſa remanere, ſacrorumque rituum Congregationis judicio nonnulla eſſe definienda, quæ ad expenſas, quæ fiunt in Beatificationibus ſervorum Dei pertinent, in ipſo noſtri Pontificatus initio manum admovimus ad novam expenſarum taxam ſtatuendam, quam & Deo dante, non ſine magno labore ſtatuimus in poſterum obſervandam. Hæc datur in Appendicibus, & in ea, ut lector advertere poterit, ſuperflua reſecantur, incerta determinantur, æqua pro laborantibus contributio reſervatur, nec aliquid operis magnitudini & magnificentiæ ſubtrahitur: quantitas autem illa ſcutorum, de qua ſuperiori n. 48. quæque pro quolibet Canonizando in majori ſumma aliquando perſolvebatur, redacta eſt in nova taxa ad quantitatem ſcutorum trium millium a Romano Pontifice expendendam in uſus ſacrarum Miſſionum, ob quam cauſam a nobis applicata eſt ſacræ Congregationi de propaganda Fide, quæ ſacris Miſſionibus præeſt.

CAPUT ULTIMUM.

De quibuſdam cautionibus neceſſariis ad cuſtodiam, & erogationem pecuniarum ex pia Fidelium largitate collectarum pro cauſis Beatificationis, & Canonizationis; deque nonnullis quæſtionibus ad hanc eamdem materiam pertinentibus.

1. ALIQUÆ ſunt Beatificationis & Canonizationis cauſæ, pro quarum ſubeundis expenſis nonnulli pii Fideles *loca montium*, aut aliam pecuniarum ſummam reliquerunt cum onere eam multiplicandi, vel certam pecuniam in monte Pietatis, aut in æde nummularia S. Spiritus Urbis depoſuerunt; ut ex reditibus ſcilicet *locorum montium*, aut ex multiplicatione, necnon, ſi forte majores occurrant expenſæ, ex venditione etiam, ac erogatione aut partis, aut totius capitis adimpleri poſſet, quidquid hac in re opus eſt. In harum nempe cauſarum numero recenſeri poterunt cauſæ Canonizationis S. Thuribii, S. Julianæ, Beatique Alexii de Falconeriis, S. Franciſci Solani, ſervi Dei Joſeph a Cupertino, ſervi Dei Appariti, & B. Hyacinthæ de Mareſcottis.

2. Itaque quoad cuſtodiam & erogationem pecuniarum modo prædicto a piis Fidelibus relictarum nihil, aut vix ali-

aliquid occurrit notatione dignum; cum totum negotium pendeat ab eorumdem arbitrio, necnon a ratione, qua id ipsi vel inter vivos, vel in ultima voluntate constituerunt. Nimirum solum adnotasse fas sit, maximopere expedire, ut facto depositio pecuniarum aut in monte Pietatis, aut in nummularia S. Spiritus æde, vel *locis montium* comparatis, pii Fideles caveant, ne ulla unquam fiat impensa, multoque minus ulla unquam capitis erogatio sine notitia & subscriptione Fidei Promotoris, vel Subpromotoris. Cum enim causæ Beatificationis, & Canonizationis in longissimum tempus protrahantur, ideoque non sit impossibile, ut vel inter heredes, vel inter illos, qui sancto huic operi absolvendo præficiuntur, quis reperiatur, qui debitam in expensis minime adhibeat diligentiam, ne dicam, fidelitatem; nullum proinde possibili huic infortunio aptius remedium inveniri potest, quam si nihil erogetur sine subscriptione Fidei Promotoris, aut Subpromotoris. Ordo certe iste præscriptus fuit, atque servatus quoad expensas, quæ factæ sunt in causa S. Thuribii. Nulla enim contigit erogatio pecuniarum, quæ non fuerit approbata a Fidei Subpromotore, cum ita sane cautum fuisset in earumdem pecuniarum depositis, & occupationibus: tum ipsa etiam cautio præfinita & adhibita fuit in expensis factis pro causa Beatificationis B. Hyacinthæ de Marescottis; nihil siquidem de eis persolutum fuit ad eamdem pertinens causam, absque eo quod a me tunc Fidei Promotore subscriberetur & approbaretur, cum id jussisset vir ampliſſimus claræ memoriæ & qualibet laude major, Cardinalis Galeatius de Marescottis sedulus illius Postulator; qui videlicet præter impensas a principio causæ huc usque factas, reliquam insuper pecuniarum summam subministravit, ut cetera fierent ad exitum usque ejusdem causæ necessaria.

3. Ea, inquam, quæ modo dicta sunt, pendent, ut vidimus, a pia Fidelium voluntate. Quia vero non in omnibus Beatificationis, & Canonizationis causis singularis præsto adest persona totam eam pecuniæ summam suppeditans, quæ pro causa requiritur, sed pleræque sunt causæ, in quibus summa pecuniarum conflatur ex eleemosynis a pluribus diversisque personis subministratis, quæ porro ad manus alicujus Postulatoris ex Religiosa quapiam familia deveniunt, ut pro sua prudentia & arbitrio illas administret, prout exigit causæ necessitas; facta idcirco aliquando est discussio, ullus ne modus adinveniri posset, quod eleemosynæ istæ caute custodirentur, & fideliter erogarentur: nimirum, non quia Postulatores, qui tunc in causas incumbebant, aliqua reprehensione vel minima digni unquam fuerint visi; verum quia, cum tractu temporis aliquis esse posset causarum Beatificationis, & Canonizationis Postulator minus sollicitus, aut cautus in erogatione pecuniæ, expedire visum fuit, malum prævenire, regulam statuendo generalem, & ad hanc ipsam rem opportunam.

4. De eadem itaque re actum fuit in sacrorum rituum Congregatione ordinaria die 7. Augusti 1694. & die 21. ejusdem mensis & anni. Sanctæ hinc memoriæ Innocentius Papa XII. Congregationem particularem destinavit Dominorum Cardinalium Carpinei, Casanatæ, Colloredi, & Albani postea ad summum Pontificatum evecti: in qua quidem Congregatione habita subinde die 11. mensis Julii anni sequentis 1695. cum ei præter dictos Cardinales interfuissent etiam Secretarius Congregationis sacrorum rituum, & Fidei Promotor, deliberatum fuit, ut Postulatores sexto quoque mense conficerent indices expensarum, eosque pro obtinenda eorumdem approbatione omnino traderent Cardinali causæ Relatori; ut hic, acceptis iisdem indicibus, eisque mature discussis una cum Secretario, & Fidei Promotore pro tempore, expensas legitimas approbaret, inutiles autem & arbitrarias rejiceret; utque in redditione rationis nullæ in posterum habendæ essent expensæ ipsæ non approbatæ, aut rejectæ. Die quoque 6. mensis Septembris anni 1696. iterum habita fuit eadem Congregatio, & in ea statutum fuit, ut Secretarius Congregationis sacrorum rituum a quocumque ex Postulatoribus, seu Procuratoribus, causarum Beatificationis, & Canonizationis per juratum indicem ab iisdem tradendum exquireret numerum certum pecuniarum, quæ pro unaquaque causa ad Urbem delatæ tunc aderant, & insuper penes quas personas, seu depositarios, quibusque conditionibus, cautionibus, & fidejussionibus tunc essent depositæ.

5. Sed non fuerunt postmodum hæc decreta publicata, & multo minus ad effectum perducta, eo quia forte deprehensum est primo, indicem ipsum pecuniarum, qui dandus dicebatur Secretario sacræ Congregationis, dari a Postulatoribus, qui ut plurimum sunt Regulares, suis Superioribus; præterea, cautionem deponendi pecunias ipsas in sacro monte Pietatis, vel occupandi in *locis montium* notissimam esse, & fere ab omnibus adhibitam; demum, Superiores, quibus redditur ratio pecuniarum erogatarum, legendo expensarum taxationem jam typis impressam, nullo negotio dignoscere posse, utrum factæ expensæ justæ fuerint, an arbitrariæ: quo nempe in casu novorum decretorum editio superflua quodammodo videri potuisset. Verumtamen, etsi nunquam promulgata, operæ pretium existimavimus hic ea etiam indicare, ne quid intactum supersit, quod fuerit a sacrorum rituum Congregatione vel definitum, vel excogitatum in his, quæ ad præsens pertinent causarum Beatificationis, & Canonizationis argumentum.

6. Reliquæ igitur tantummodo sunt quæstiones quædam eadem super re identidem occurrentes, quarum prima in eo versatur, an, absque eo quod potestas data sit ab Apostolica Sede, permissum sit Capitulo, Monasterio, aut alii cuicumque loco Religioso alienare, vendere, aut obligare bona pro perferendis expensis ad aliquam Beatificationis, & Canonizationis causam necessariis, ubi scilicet Capitulum ipsum, aut Monasterium Procuratorem, vel Postulatorem constituerunt, ut illam suo nomine ageret. Affirmando quippe huic quæstioni respondit Rota *decis.* 68. *num.* 18. coram bon. mem. Ausaldo; tum quia expensæ hujus generis sunt laudabiles, & finis, ad quem referuntur, decus respicit Ecclesiæ universalis, præter proprium & particulare; tum quia eædem expensæ fiunt ob oculos Romani Pontificis, perinde quasi earumdem scientia approbationem continuo præferat, approbatio autem ab Apostolica Sede continuo datam potestatem. Attamen, quidquid de causa sit, cum in alienatione bonorum Ecclesiæ, & in alio quocumque pacto, per quod eorum dominium transferatur, aut super illis obligatio imponatur, causa utique prætermissa, necessaria adeo sit ab Apostolica Sede facultatis impetratio, ut aliter contrahentes in anathema incurrant, juxta Textum *in cap. Ambitiosæ: de reb. Eccles. non alien. inter extr. comm.* proinde maximopere dubitarem, ne vel ipsæ supra relatæ alienationes fieri possent, absque eo quod ab Apostolica eadem Sede expressa obtineatur facultas: multo autem magis, quia minime valet argumentatio a modo, quo fiunt expensæ, ante oculos scilicet Romani Pontificis, ad conflandæ pecuniæ, per quam fiunt, approbationem, seu facultatem. Scit enim quidem summus Pontifex, causam Beatificationis, aut Canonizationis hujus, vel illius servi Dei pertractari: virtutes ac miracula, antequam ad causæ approbationem deveniat, sedulo perscrutatur; atque adeo expensarum necessitatem haud ignorat: sed, cum ignoret, utrum expensæ ipsæ fiant ex eleemosynis Fidelium, an ex peculiari quopiam legato, an potius ex venditione bonorum ad aliquam Ecclesiam pertinentium, unusquisque facili negotio videre potest, approbationem Pontificiam vicem implentem potestatis ab Apostolica Sede expresse concedendæ in hoc rerum statu adhuc desiderari.

7. Secunda quæstio id respicit, an Procurator constitutus ab aliquo in causa Beatificationis, & Canonizationis nedum obligare possit bona constituentis pro necessariis expensis, verum etiam, urgente necessitate, comparare valeat pecunias fœnore, ut necessario adimplenda adimpleantur. Porro, hac in re omnino affirmative respondendum esse nobis videtur; primo scilicet, quia Procuratori permissa dici debent ea omnia, quæ necessaria sunt ad rem mandatam gerendam; quamobrem dicitur, quod præpositus emendis mercibus obligat præponentem mutuanti pecunias eam ob causam, juxta Textum *in l. Finali ff. de exercit. act.* idemque obligat pariter præponentem, si pecunias acceperit pro solvenda pensione tabernæ, juxta Textum *in l. Quicumque §. Tamen. ff. de instit. act.* Insuper autem, quia, cum perdifficile sit invenire, qui gratis pecuniam subministret; Procuratori intelligitur data facultas eam fœnore sumendi, ne opus sibi commissum sine exitu sit deserendum; ut apud Baldum *consil.* 383. *num.* 5. *lib.* 3. Mastrill. *decis.* 204. Sanfelic. *decis.* 181. Rota coram Coccino *decis.* 1541. *num.* 8. *& seqq.* Quæ quidem omnia potiori adhuc jure sunt admittenda, quando in procurationis mandato adsunt clausulæ hanc facultatem vel expressis, vel æquam virtutem præferentibus verbis Procuratori impertientes; quemadmodum hoc super Beatificationis, & Canonizationis argumento, confirmando præcedentes decisiones editas coram Emerix juniore, late respondit Rota *in Romana, seu Limana cambiorum* 10. *Decembris* 1696. coram cla. mem. Cardinali La Tremoville, quæ est *decis.* 54.

cif. 54. poſt Cardinalem Albitium *de inconſtant. in judiciis*, & *in deciſ.* 68. coram bon. mem. Anſaldo: quæ ipſa & docte de more reſumuntur, & bene explicantur ab Eminentiſſimo Cardinali Petra *in comment. ad Conſtit. Apoſtol. t.* 4. *in notis ad Conſtit.* 7. *Joannis XXII. ſect. unica num.* 8. *& ſeqq. pag.* 57. *&* 58.

8. Tertia quæſtio eo ſpectat, an pecuniæ collectæ ex eleemoſynis Fidelium poſt Beatificationem, ut tranſitus fiat ad Canonizationem, erogari valeant in ſolutionem æris alieni Beatificationis occaſione contracti, ita ut creditores ſuper hiſce pecuniis ſuum jus experiri valeant. Negatio autem præſto eſt, quandoquidem pecuniæ eo modo collectæ non ſunt inter bona debitoris; cumque fuerint a Fidelibus datæ, ut a Beatificatione ad Canonizationem tranſitus fiat, nequeunt in alium uſum converti ſine Sedis Apoſtolicæ conceſſione, juxta Textum expreſſum *in Clem. Quia contingit: tit. de relig. domib.* atque ut ad amuſſim reſpondit Rota *in Romana revocationis ſequeſtri* 4. *Maji* 1703. & in eam confirmante 15. *Februarii* 1704. coram bon. mem. Muto.

9. Quarta quæſtione inquiritur, quid faciendum ſit de reſiduis eleemoſynis, quæ collectæ fuerunt ſi forte illarum pars ſuperſit, poſtquam abſoluta eſt cauſa Beatificationis, & Canonizationis. Hac in re, quoniam agitur de commutanda voluntate, confugiendum eſt ad Sedem Apoſtolicam; Apoſtolica autem Sedes commutationem indulgere debet pro uſu proximiori voluntati illorum, qui eleemoſynas ipſas ſuppeditarunt: ita namque Federic. de Senis *conſ.* 175. *verſ. Sed prædicta*, Riccius *deciſ.* 83. *n.* 5. *par.* 1. Sanchez *lib.* 4. *conſil. cap.* 1. *dub.* 6. Amoſtaz. *de cauſis piis cap.* 14. *num.* 42. Barboſa *jur. Eccleſ. univerſ. lib.* 3. *cap.* 21. *n.* 59. ſimileque eſt id, quod habetur *cap.* 8. *Concil. Trid. ſeſſ.* 25. *de reformat.* ubi in materia noſocomiorum decernitur, quod ſi vel nullæ, vel perpaucæ reperiantur perſonæ, quæ morbo laborent, pro quo noſocomium eſt inſtitutum, iſtius proventus convertantur in alium uſum proximiorem, & magis ſimilem inſtitutioni Fundatoris; uti recte adnotarunt Tuſch. *lib.* 2. *de viſit. cap.* 13. *num.* 24. Nicol. *inſtitut. Canon. tit. de religioſis domib. num.* 5. Moneta *de commut. ultim. voluntat. cap.* 3. *num.* 82. *& cap.* 5. *num.* 327. Palma ſenior *conſil.* 60. *num.* 21. Zypæus *in analyſ. juris Pontific. lib.* 3. *tit. de religioſis domib. conſult.* 1. *num.* 14. Poterunt exempli gratia eleemoſynæ, quæ collectæ fuerunt pro cauſa Beatificationis & Canonizationis, & quæ eadem abſoluta, ſuperſunt, interveniente Sedis Apoſtolicæ auctoritate, erogari in conſtructionem aut ſacelli, aut templi ad honorem Canonizati: id enim dici poteſt uſus proximior & magis cohærens voluntati eorum, qui pecunias elargiti ſunt; & eo utique modo in facti eventu definivit ſacra Congregatio Epiſcoporum, & Regularium. Scilicet, cum Patres Obſervantes Reformati expoſuiſſent, quod aliquæ ſupererant eleemoſynæ ex illis, quæ fuerunt collectæ pro cauſa Beatificationis ſervi Dei Jacobi Illyrici, vulgo *de Bitetto*, cauſa autem ipſa dici poterat abſoluta, approbato quippe cultu immemorabili, aliud de ea fieri, aut ulterior ab ipſa progreſſus haberi minime poterat; prædicta ſacra Congregatio die 17. Novembris 1713. audire voluit R. P. D. Secretarium ſacræ Congregationis rituum, tum die 1. Martii 1714. facultatem impertita eſt erogandi reſiduas eas eleemoſynas in ædificationem ſacelli ad honorem ejuſdem ſervi Dei erigendi.

10. Inter ceteros Regulares Ordines, qui cauſas promovent Beatificationis, & Canonizationis ſuorum Dei ſervorum, hoc eſt illorum, qui idem Inſtitutum profeſſi fama ſanctitatis & miraculorum obierunt, Ordo Seraphicus FF. Minorum reperitur. Hoc itaque poſito, quæritur præterea, an S. Franciſci Regulæ obſtet eleemoſynarum petitio pro faciendis expenſis ad cauſas prædictas neceſſariis.

11. Ratio autem dubitandi oritur *ex cap.* 4. *Regulæ* eorumdem Fratrum (inter opera S. Franciſci *p.* 31.) in quo legitur: *Præcipio firmiter Fratribus univerſis, ut nullo modo denarios, vel pecuniam recipiant per ſe, vel per interpoſitam perſonam; tamen pro neceſſitatibus infirmorum & aliis Fratribus induendis . . . . . eo ſemper ſalvo, ut, ſicut dictum eſt, denarios, vel pecuniam non recipiant.* Quamvis enim præſcriptum in ipſa Regula fuerit extenſum ad quaſdam alias neceſſitates pro tempore occurrentes, ſeu etiam ingruentes, ſicuti probat Textus *in c. Exiit* §. *In alio quoque capitulo, &* §. *Et, quia oportet, de verbor. ſignificat. in* 6. concordatque alius Textus *in Clementina Exivi* §. *Porro, tit. de verbor. ſignificat. Cum etiam recurſus ad amicos ſpeciales expreſſe tantum in duobus caſibus ſecundum Regulam concedatur, videlicet pro neceſſitatibus infirmorum, & Fratribus induendis, idque pie & rationabiliter, conſiderata neceſſitate vitæ, ad alias neceſſitates Fratrum pro tempore occurrentes, ceſſantibus eleemoſynis, ſeu etiam ingruentes ſæpe dictus Prædeceſſor noſter duxerit extendendum: Attendant Fratres præfati, quod pro nullis cauſis aliis quam prædictis, vel ſimilibus, in via, vel alibi recurrere licet eis ad amicos hujuſmodi, ſive ſint dantes pecunias, ſeu deputati per ipſos, ſive Nuntii, vel Depoſitarii, ſeu alio quovis nomine appellentur; etiamſi conceſſi per eamdem declarationem modi circa pecuniam integre ſervarentur:* hæc tamen, & his ſimilia vera tantum, & probata ſunt, quoad res vere neceſſarias, non autem & quoad voluntarias, uti bene ponderat Gloſſa *ad dictam Clementinam in v. vel ſimilibus*, ubi: *Neceſſariis, non voluntariis. Declaratur autem in dicto* §. *Porro, quod in iis, quæ ſunt neceſſaria ad victum, veſtitum, Divinum cultum, & ſpirituale ſtudium, conceſſus eſt Fratribus uſus neceſſariarum rerum; & hæ cauſæ videntur generaliter omnes neceſſitates comprehendere. Tamen, quia quædam etiam ſunt eis neceſſaria, quæ non præciſe concernunt cauſas præmiſſas immediate, ideo hic adjecit, quod etiam hoc eis liceat pro cauſis ſimilibus; ut, ſi, dum tranſeunt de loco ad locum ex cauſa Ordinis, non permittuntur in certo loco tranſire, niſi ſolvant pedagium: licet enim non debeant ad hoc cogi, tamen ex quo de facto coguntur, licitum eſt eis acquirere per eleemoſynam, ut ſolvant, ne impediantur per hoc, quod in via ſequitur &c.* Hinc igitur fit, ut rationabiliter dubitari poſſit, an juxta Regulam ſit illis permiſſum quærere eleemoſynam pro cauſis Beatificationis, & Canonizationis; ſiquidem cauſæ hæ ipſæ voluntariæ, non neceſſariæ dicuntur.

12. Verum, his adhuc nihil obſtantibus, concludendum eſt, minime adverſari Regulæ S. Franciſci Fratres prædictos, ſi pro expenſis neceſſariis in cauſis memoratis eleemoſynas quærant. Primo nempe quia, cum licitum illis ſit ſuafionibus & conſiliis pecunias quærere pro aliis perſonis extraneis indigentibus, ac pro piis operibus perficiendis, etiamſi opera, quæ perficiuntur, ad ipſos non pertineant, ſed ſint prorſus aliena, abſque eo quod ullum committant adverſus Regulam peccatum, quin immo cum laude ac merito apud Deum; quemadmodum late docent ejuſdem Regulæ explicatores, Siguenza *in cap.* 4. *Regul. Minor.* §. 18. Politius *ibidem num.* 27. Daniel Brinkner *eodem loco num.* 46. Sanctorius *de præmis cap.* 4. *pag.* 153. jure potiori non agent contra Regulam Fratres ipſi Minores, ſi eleemoſynas quærant pro cauſis Beatificationis, & Canonizationis ſuorum ſervorum Dei: nam Beatificatio, & Canonizatio ſunt opera piiſſima, & ad Religionis ac Fidei incrementum maxime pertinentia. Secundo, quia, cum pro *Cruciata* ſtrenue laboraverint SS. Bernardinus Senenſis, Joannes de Capiſtrano, & Jacobus Picenus, Beatus autem Bernardinus Feltrenſis plura peregerit pro erigendis montibus Pietatis adverſus pravas Judæorum uſuras; cumque omnes hi viri pietate ac ſanctitate celebres, etſi Ordinem Minorum profeſſi fuerint, laudabiliter tamen ea præſtiterint, quæ modo dicta ſunt, ſignum evidentiſſimum id eſt, ſine Regulæ offenſione quæri poſſe eleemoſynas pro efficiendis piis operibus, quæ nihil habent commune cum perſonis, ſtatu, & officiis dictorum Fratrum; ideoque jure, ut diximus, potiori quæri etiam poſſe eleemoſynas pro cauſis Beatificationis, & Canonizationis ſervorum Dei, qui idem Inſtitutum profeſſi ſunt. Tertio, quia, cum hæc paſſim fiant, ſcientibus Romanis Pontificibus, puritatem Regulæ & ſtatum Fratrum Minorum optime edoctis; percipi neutiquam poteſt, ipſis ſcientibus fieri, ſi Regulæ adverſarentur. Quapropter a primo ad ultimum ſtat, non eſſe a Regula vetitum, Fratres Minores eleemoſynas ab amicis percipere pro expenſis, quæ neceſſariæ ſunt in cauſis Beatificationis, & Canonizationis; velut optime ad rem concludit P. Auguſtinus Matthæuccius ſacræ rituum Congregationis olim Conſultor in opere cui titulus, *Schola paupertatis, tit.* 5. *conſil.* 1.

13. Hæc, inquam, quoad facultatem quærendi eleemoſynas. Quid autem dicendum erit quoad legatum vel domus, vel prædii, vel cenſus, aut *locorum montium*, quod fiat Fratribus Minoribus, ut reditus, vel caput erogentur in expenſas neceſſarias pro cauſis Beatificationis, & Canonizationis? Eritne ratum, an potius ad Fabricam S. Petri exiſtimandum eſt id pertinere? Videntur ſcilicet hujus generis legata ad Fabricam eſſe referenda, ſicuti legitur *in compendio privilegiorum ejuſdem Fabricæ* collectorum a bon. mem. Veſpiniano *pag.* 25. *Omnia legata, & hereditates, donationes, & alias quaſcumque diſpoſitiones ad, & in favorem FF. Capuccinorum, & Minorum*

norum Majoris Obſervantiæ, & quorumcumque aliorum Regularium, ſive Clericorum Sæcularium, quibus ab Inſtituto Regulæ habere & poſſidere bona etiam in communi, prohibitum eſt; omnia legata, hereditates, & donationes nedum in vim inſtitutionis, ſed etiam ſubſtitutionis, & fideicommiſſi eiſdem facta, & factas ad dictam Rev. Fabricam ſpectare & pertinere, ac ſpectaviſſe & pertinuiſſe: ſicque privilegia & facultates ultra eorum literalem ſenſum, conſuetudine interpretativa, ita declarata & pronuntiata fuiſſe, prout etiam Nos ex nunc, prout ex tunc, declaramus & pronuntiamus.

14. Additur, quod ſecundum Regulam S. Franciſci *cap.* 6. Fratres nihil ſibi poſſunt aſſumere, non domum, non locum, non aliquam rem; quod ipſum pariter habetur *in bulla* 5. Honorii III. *Bullar. nov. tom.* 3. *part.* 1. Sunt enim incapaces annuorum reditnum, juxta Textum *in Clementina Exivi: de verb. ſignificat.* ſunt autem incapaces eorumdem annuorum reditnum, etiamſi relicti fuiſſent cum onere celebrationis Miſſarum, juxta definitionem ſacræ Congregationis relatam a Fagnan. *in cap. Nimis prava num.* 49. *& num.* 53. *de exceſſ. Prælator.* Sunt tandem ipſi Fratres tantummodo capaces eleemoſynarum manu collatarum, quæ fiunt pro eadem Miſſarum celebratione, vetita quavis aſſignationene perpetua, cujus incapaces eſſe dicuntur: Sanchez *ad præcepta Decalogi lib.* 7. *cap.* 26. *num.* 49. Barboſ. *juris Eccleſ. univerſ. lib.* 3. *cap.* 27. *num.* 77. Adden. ad Buratt. *deciſ.* 756. *num.* 11. Pignatell. *conſult.* 16. *num.* 7. *&* 8. *tom.* 3. Torr. *de pactis futur. ſucceſſ. lib.* 2. *cap.* 36. *num.* 75. Rota *deciſ.* 456. *num.* 15. coram Merlino, *deciſ.* 1219. *num.* 8. *&* *deciſ.* 1326. *num.* 8. coram Emerix juniore. Suadent ergo hæc omnia, Fratres Minores eſſe incapaces legati prædicto conſimilis; & conſequenter id quatenus fiat, ad S. Petri Fabricam pertinere.

15. Verum enimvero, præmiſſis hiſce minime refragantibus, rata adhuc & firma videntur eſſe legata prædicta, abſque eo quod Rev. Fabrica S. Petri valeat de ipſis ſibi jus aliquod arrogare. Poſito quippe, quod reditus, & ſors erogari debeant in expenſas pro cauſis Beatificationis, & Canonizationis neceſſarias, ita ut nihil ad Fratres Minores pertineat; nihil eſt profecto in ejuſmodi legato, quod adverſetur ſeveræ paupertati a S. Franciſco conſtitutæ: ſi autem nihil paupertati adverſatur, nequeunt ipſi Fratres eorumdem legatorum dici, & eſſe incapaces: ideoque, ſi quidem capaces ſunt, ceſſat jus Rev. Fabricæ S. Petri. Neque omittendum eſt, quod exemplum annuorum reditnum cum onere celebrationis Miſſarum ad rem eſſe, aut cum propoſito pugnare minus videtur; quandoquidem, cum eleemoſynæ Miſſarum cedant in Fratrum ſubſidium, quando eleemoſyna ipſa eſt perpetua, Fratres amplius non pendent ab incerto, contra Textum *in cap. unico: de Religioſis domib. in* 6. ubi: *Quibus ad congruam ſubſtentationem reditus, aut poſſeſſiones habere Profeſſio, ſive regula quælibet interdicunt, ſed per quæſtum publicum tribuere victum ſolet incerta mendicitas.* Cui conſentit Gloſſa *in cap. unico v. mendicantes, de exceſſibus Prælat. in* 6. *Quibus victum tribui incerta mendicitas, & qui reditus, aut poſſeſſiones ex Regula, vel Conſtitutionibus habere non poſſunt.* Quocirca, cum neque caput, neque reditus legatorum, de quibus nunc agimus, cedant in ſubſidium Fratrum, ſed ſemper hi pendeant ab incerto; etiam in hypotheſi, ubi legata eadem ſint ipſis Fratribus facta, nemo non videt, exemplum annui reditus pro celebratione Miſſarum nihil habere commune cum legato Relicto pro cauſa Beatificationis, aut Canonizationis expedienda.

16. Cum itaque ex dictis ſatis ſuperque colligatur, non eſſe a Regula vetitum, ne Fratres Minores quærant eleemoſynas pro expenſis ad cauſas Beatificationis, & Canonizationis neceſſariis; nec eoſdem eſſe incapaces legati, puta domus, prædii, cenſus, ut horum ſcilicet reditus, aut caput erogentur in res prædictas: operæ nunc pretium erit videre, apud quem pecuniæ relictæ ſunt deponendæ, & quomodo ſint cuſtodiendæ, necnon utrum ex illis emi poſſint cenſus, *loca montium*, atque ſimilia, abſque eo quod adverſus ipſam S. Franciſci Regulam quid committatur. Legitur namque *in cap. Exiit: de verborum ſignificat, in* 6. §. *Ceterum, cum in eadem Regula ſit ſub præcepti diſtrictione prohibitum, ne Fratres recipiant per ſe, vel per alios denarios vel pecuniam ullo modo; idque Fratres in perpetuum ſervare cupiant, & velut injunctum neceſſe habeant adimplere, ne ipſorum puritas in hujuſmodi obſervatione præcepti maculetur in aliquo, & ne Fratrum conſcientiæ aliquibus aculeis ſtimulentur; articulum iſtum propter detrahentium morſus profundius, quam noſtri Prædeceſſores fecerint, aſſumentes, ac ipſum clarioribus determinationibus proſequentes, dicimus &c.* tum etiam convenit Clementina *Exivi* §. *Verumtamen, eod. tit.*

17. Hiſce nimirum poſitis, ſiquidem primum quæritur, apud quem pecuniæ ſint deponendæ, & apud quem cuſtodiendæ, facili negotio reſponderi poſſet, eas eſſe apud Syndicum Apoſtolicum deponendas; Fratres quippe ſtrictioris Obſervantiæ utuntur Syndico Nicolai III. & Clementis V. apud quem deponuntur eleemoſynæ, cujuſque onus eſt eas erogare in Fratrum ſubſidium, ita tamen, ut penes dantem remaneant dominium, proprietas, ac pecuniæ poſſeſſio, cum libera poteſtate eamdem recuperandi, uſquequo in rem conſtitutam ſit converſa, ut habetur *in ſæpe cit. cap. Exiit, de verbor. ſignific. in* 6. *& in Clement. Exivi eod. tit.* ceteri autem Fratres Obſervantes utuntur Syndico Martini V. apud quem pecuniæ deponuntur, ita vero, ut eorum dominium minime quidem penes dantem remaneat, ſed tranſeat in jus Sedis Apoſtolicæ. Verum, quia citatæ ſummorum Pontificum Conſtitutiones Syndicos induxerunt tantummodo quoad conſervationem pecuniarum in utilitates Fratrum convertendarum, ideo ſequitur, cum iidem Fratres nequeant penes ſe conſervare pecunias & eleemoſynas, quas a piis Fidelibus collegerunt pro cauſis Beatificationis, & Canonizationis ſuorum Dei ſervorum, ne S. Franciſci Regulæ adverſentur, eos curare poſſe, immo debere, ut illæ deponantur apud aliquam honeſtam perſonam, quæ fideliter eas conſervet, ſive hæc perſona ſit a Syndico ſejuncta, ſive ſit ipſe Syndicus, qui in hoc rerum ſtatu duplicem induet figuram, alteram Syndici pro conſervatione pecuniarum erogandarum in ſubſidia Fratrum, alteram depoſitarii & cuſtodis pro pecuniis expendendis in cauſas Beatificationis & Canonizationis. Quod utique animadverſum optime fuit in ipſo rei eventu, uti deſumitur ex ſequenti decreto Congregationis particularis habitæ tempore ſan. mem. Innocentii XII. *Facta per Andream Pierium Subpromotorem Fidei, prout ſub die* 6. *Septembris proxime præteriti* 1696. *habuerat in mandatis, relatione de ſtatu cauſæ, ſeu cauſarum Limanæ B. Franciſci Solani, & Mexicanæ Vener. ſervi Dei Sebaſtiani de Apparitio ad inſtantiam Poſtulatorum earumdem, ſeu potius Syndici Generalis Religionis Minor. S. Franciſci contra Equitem Silvam pro recuperatione pecuniarum penes ipſum Silvam depoſitarum coram Auditore Cameræ, ſive ejus Auditore introductæ, ſeu introductarum; Eminentiſſimi Patres cenſuerunt & decreverunt, cauſas pecuniarum depoſitarum penes ipſum Equitem Silvam pro cauſis Canonizationum, nempe Limana B. Franciſci Solani, & Mexicana Vener. ſervi Dei Sebaſtiani de Apparitio, non eſſe confundendas cum aliis creditis aliarum adminiſtrationum ratione Syndicatus Religionis Minorum S. Franciſci ab eodem Equite exerciti, & mihi Secretario injungendum, quod de præditis Auditorem Cameræ, ſive ejus Auditorem certiorem redderem.* Procedendo itaque ſecundum normam hujuſce decreti, nemo eſt qui non videat, unam eamdemque perſonam modo quidem Syndici vices, modo vero Depoſitarii cauſarum Beatificationis & Canonizationis implere & exercere; ita ut a primo ad ultimum ſemper ſubſiſtat, pecunias collectas eſſe deponendas vel apud honeſtam perſonam, vel etiam apud Syndicum, attamen non tamquam talem, ſed tamquam peculiarem Depoſitarium. Præterquamquod ipſæ pecuniæ, de quibus huc uſque locuti fuimus, deponi quoque poſſent in ſacro monte Pietatis; dummodo, data erogationis occaſione, aut perſona particularis ſpeciatim electa, aut ipſe Syndicus, non tamen qua talis, ſed quatenus peculiaris adminiſtrator, de illis decerneret.

18. Hæc de pecuniarum depoſito ſatis. Nunc autem ad earumdem cuſtodiam tranſeundo; ſi depoſitum factum ſit in ſacro monte Pietatis, nulla certe melior excogitari poteſt cautio pro ſecuriori pecuniarum conſervatione atque cuſtodia. At, ſi pecunia apud peculiarem aliquam perſonam ſit depoſita, quandoquidem ea, inſtantibus & exorantibus Fratribus, fuit a piis Fidelibus ſubminiſtrata, ut erogaretur in expenſas neceſſarias ad Beatificationis & Canonizationis cauſas: tenentur dicti Fratres, ſaltem ex caritate, omnem & quamcumque operam præſtare, ut eadem rite ac recte cuſtodiatur. Sanctæ memoriæ Innocentius X. *in ſua Conſtit.* 12. *Bullar. veter. tom.* 5. *pag.* 460. decrevit, ut eleemoſynarum collectarum pro ſanctis Palæſtinæ locis duæ claves haberentur, quarum altera retineretur a Commiſſario eorumdem locorum, altera autem a Syndico: *De venerabilium Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium negotio propagandæ Fidei præpoſitorum conſilio, Commiſſariis Terræ ſanctæ, ut ipſi tuta conſcientia unam ex dictis duabus clavibus penes*

nes ſe retinere libere & licite poſſint & valeant, Apoſtolica auctoritate, tenore præſentium, concedimus & indulgemus. Si itaque conſimilis gratia a ſummo Pontifice obtineri poſſet, id eſt ut una clavis eleemoſynarum collectarum pro cauſis Beatificationis, & Canonizationis retineretur a Poſtulatore, alia vero a Depoſitario, optime ſane conſultum dici poſſet rectæ ipſi pecuniarum conſervationi: ſed, cum adhuc hæc gratia obtenta non ſit, onus eſt Fratrum ſæpe Depoſitarium monere, ut ſe fideliter gerat juxta ſæpe citatum Textum *in cap. Exiit: de verbor. ſignificat. in 6. Poſſint enim perſonam eamdem exhortari ac inducere, quod fideliter in re commiſſa ſe habeat, & animæ ſuæ ſaluti in commiſſa ſibi executione provideat.* Quod ſi Depoſitarius foro cedat, aut ejus decoctio immineat, vel de ejus fidelitate timeatur, Poſtulator cauſæ debet eum ab officio removere, atque adeo alium ſubſtituere, qui vel nomine piorum, qui eleemoſynas dederunt, vel tamquam unus de populo inſtet coram Judice aut pro ſecuritate pecuniarum, ſi ullæ quidem adhuc ſuperſint, aut pro earumdem recuperatione, ſi amplius non extent penes Depoſitarium jam exauthoratum; quemadmodum fuſe docet ſupra citatus P. Auguſtinus Matthæuccius *in ſua ſchola paupertatis tit. 5. conſil. 3.*

19. Pro hujus tandem capitis abſolutione nihil aliud reſtat, quam ut quæſito reſpondeamus, an ex prædictis pecuniis emi poſſint cenſus, aut *loca montium*. Sed, cum ſuperius dictum fuerit, Fratres Minores eſſe capaces cenſuum, & *locorum montium* legatorum, quorum reditus, & caput erogentur in expenſas faciendas pro cauſis Beatificationis, & Canonizationis, ſuapte profecto argumenti vi ſequitur, pecunias pariter ex eleemoſynis collectas tuto impendi poſſe, ſi id ex prudentia exigatur, in emendis cenſibus, aut *locis montium*; dummodo in utroque caſu, vel legati videlicet, vel acquiſitionis per emptionem, omnia erogentur in cauſas prædictas atque a peculiari perſona ſeu adminiſtratore diſpenſentur.

F I N I S.

APPENDICES
QUINDECIM
MONUMENTA
COMPLECTENTES,
QUÆ IN HOC
LIBRO PRIMO
MEMORAVIMUS.

UAB
Biblioteca de Ciències Socials

APPENDIX PRIMA.

RELATIO

FACTA IN CONCISTORIO SECRETO

CORAM S. D. N.

URBANO PAPA VIII.

A FRANCISCO MARIA

EPISCOPO OSTIENSI

S. R. E. CARD. A MONTE

DIE XIII. JANUARII MDCXXV.

Super Vita, Sanctitate, Actis Canonizationis, & Miraculis piæ memoriæ

BEATÆ ELISABETHÆ LUSITANIÆ REGINÆ

De qua in Cap. 9. hujus Libri.

SANCTITATEM in regno, quasi gemmam in auro, Beatissime Pater, sapientes rerum æstimatores jure suspiciunt; qui probe norunt, societatem ejusmodi tam præclaram esse, quam raram. Ut enim Veritatis æternæ vox est quovis certior oraculo: difficilis, atque angustus est aditus in Cælum iis, qui nimis late possident terram. Quod si ad fastum & pompam Regiæ Majestatis fœminei sexus accedat natura plus nimio proclivis in vanum formæ studium, & levem pulchritudinis ambitionem, vix ullus relinquetur Sanctimoniæ locus. Atque adeo, si qua sit fœmina regio splendore conspicua, quæ fulgeat etiam claritate virtutum, appellari merito potest cæleste prodigium. E Cælo quippe detur necesse est, quod tam difficile reperitur in terris. Neque alius quisquam Sanctitatem Regibus, quasi novam coronam, imponere aut debet, aut potest, nisi Rex ille Regum, *in cujus manu cor Regis est, & per quem Reges regnant*. Hic inter alias fœminas nobiliores virtute, quam genere, in quibus dare spectaculum voluit mundo potentiæ suæ, Beatam Elisabetham Lusitaniæ Reginam elegit; ut humanum genus doceret exemplo suo, posse unum caput corona duplici nobilitari; altera majestatis in terris, altera Sanctitatis in Cælo. Quod geminum decus in Elisabetha statim agnoscet, qui res ab ea tota vita præclare sancteque gestas voluerit intueri. Hæc sane Regina *adstitit*, si minus *a dextris*, saltem ante conspectum Dei *in vestitu deaurato circumdata varietate*. Quid enim aliud fuit ejus ætas universa cum summa morum integritate, atque innocentiæ laude transacta, quam aurata quædam vestis, quæ non solum oculos, animosque mortalium in sui contemplationem admirationemque rapiebat, sed ipsos etiam Cæli Cives, ipsum rerum omnium Parentem ac Moderatorem Deum ad tam singulare spectaculum invitabat? Quid tam multæ, tam variæ, tamque insignes animi dotes, atque virtutes, quibus anima illa purissima fuit a teneris annis exornata, quid, inquam, erant aliud, nisi gemmæ pellucidæ, pretiosique lapilli, quorum varietate circumdata Cælesti Regi pulcherrimum sui specimen dedit? His illa conspicuis Cælo terræque prænitens ornamentis, non Lusitaniæ modo, in qua tanta cum Sanctimoniæ laude regnavit, non Hispaniæ, cujus e nobilissima Provincia Aragonia felicem nacta est hujus lucis usuram, sed Christiano cuilibet Regno proposita fuit a supremo rerum Principe Deo, tamquam numeris absolutum omnibus Regum exemplar. Ab illa discent, qui sceptra moderantur, quanto plus Religionis tribuendum sit, ac Deo, quam privatis, aut publicis utilitatibus; quanto comparanda sit studio Principes inter pax atque concordia; quam pie gubernanda sit etiam Regia familia; quanta exhibenda sit egentibus liberalitas; quam humaniter ac benigne populi complectendi. Nulla denique laus Regalis ac virtus in hac Principum Christianorum Idea desideratur.

Unum tantum desiderari videtur, non tam ad hujus absolutionem imaginis, quæ Divinæ dexteræ ductibus variis virtutum coloribus jam olim fuit expressa, sed ad religiosissimam Catholici Regis petitionem, ad commune totius Lusitaniæ votum, ad publicam Principum utilitatem, ad Christiani nominis gloriam ac splendorem, ut ipse, Beatissime Pater, qui Dei vices apud homines geris, & hominum causas agis apud Deum, Beatam hanc Reginam in Sanctorum numerum usitatis Ecclesiæ cæremoniis referre non dubites. Quem ad finem, de Vita, Sanctitate, & Miraculis hujus B. Reginæ juxta Sacros Canones inquiri, pro sua benignitate jussit Sanctitas Vestra. Quapropter, fabricatis de more necessariis processibus, illisque per Deputatos idoneos viros mature discussis, in eo statu versari nunc hujusmodi causa censetur, ut legitime instructa videatur. Jussu igitur Sanctitatis Vestræ coram amplissimo Sacro Senatu statum illius brevissime relaturus, ordine tripartito sic illum exponam.

Primo loco, B. Reginæ Vitam integerrimam ac Mortem sanctissimam explicabo.

Secundo, præclaras illius Virtutes.

Tertio, insignia per eam tam viventem, quam mortuam patrata miracula; & res in causa gestas.

Quæ tria si satis Vestræ Sanctitati probata fuerint, postremum caput recensendum decreverit; reliquum erit, rogatis de more singulorum Reverendissimorum Dominorum meorum sententiis, quid pro Dei gloria, & Catholicæ Fidei exaltatione magis expediat deliberare ac statuere,

UAB Biblioteca de Ciències Socials

PARS PRIMA
DE VITA.

REGIUM genus ab utroque Parente traxit Elisabetha. Pater ei fuit Rex Aragoniæ Petrus, Jacobo Rege natus, & Violantia Regis Hungariæ Filia. Mater Constantia, Manfredi Siciliæ Regis Filia, Federici Secundi Imperatoris Neptis. Nata est Elisabetha anno a Virginis partu 1271. Prodiit autem ex utero Genitricis iis (præter morem) undique obvoluta membranis, quas Secundas appellant; quod fortasse prodigium cælitus datum fuit, quasi futuræ modestiæ verecundiæque præsagium. Recens a partu ad Regem Jacobum Avum allata, atque ab eodem ad sextum ætatis annum Christianis moribus imbuta fuit: de qua ille prædicare, ac pene prædicere solitus erat, Neptem illam, atque Alumnam suam fœminarum omnium optimam clarissimamque futuram, quæ ex Aragoniorum Regum stirpe natæ unquam fuissent. Ex humanis erepto Jacobo Rege, sexennis Puella reducitur in Patris domum. Ibi, quam ab Avo didicerat, prosecuta est integerrimæ vitæ rationem. Pueriles ludos, ornatum corporis, voluptatum delicias fugiebat. Divinis precibus, ciborum abstinentiæ, caritatis operibus impense vacabat. Ut Pater ipse fuerit solitus affirmare, suarum rerum, ac Regni felicitatem Elisabethæ virtutibus ac meritis apud Deum acceptam esse referendam. Ubi vero, plenis jam annis, nubilis fuit, ob egregiam tantæ virtutis famam late vagantem, a pluribus Christianorum Principum Filiis per crebras legationes ac litteras postulata in matrimonium est. Vicit unus ex omnibus Lusitaniæ Rex Dionysius, Alphonsi Tertii Filius, cui Regiis, & Christianis ritibus nupsit Elisabetha anno partæ salutis 1287. Ejus discessum ægerrime tulit Parens, cum diceret lacrymabundus, abstrahi a se rem omnium carissimam & pretiosissimam. Nuptiis maximo cum apparatu, &, qua Reges decebat, pompa celebratis, Elisabetha ætatis anno decimo septimo Constantiam peperit; vicesimo vero Regni heredem Alphonsum. Interim illa non minorem excolendis virtutibus, quam liberis educandis, dabat operam; Viro placere studens, sed magis Deo. In sacris precibus assidua, frequens ad rem Divinam erat; ubicumque versaretur, Sacellum habebat religiose ac magnifice ornatum, Sacerdotibus, Symphoniacis, aliisque sacris Ministris instructum. Ibi ejus erat requies; ibi fere *semper habitabat*. *Humanitatis* vero, *mansuetudinis*, ac providentiæ laude omnium sibi animos demerebatur. Cum vero Dionysius Rex annos aliquot cum illa conjuncte integreque vixisset; vel ætatis flexu, vel flagitiosorum consiliis, & quibusdam quasi voluptatis injustæ præstigiis fascinatus animum ac voluntatem ab ea cœpit avertere, nullo ipsius merito; atque ad alias amorem transtulit mulierculas, a quibus singulis singulos Liberos, septem nempe, suscepit. Hæc ab aliis aliisque nuntiis accipiens Elisabetha tam palmarem injuriam tam patienter, ac moderate tulit, ut admirationi omnibus esset; immo pueros ipsos aliunde Regi natos educavit pro suis, & diligenter ad omnem laudem institui curavit. Quibus excelsissimæ ac Deo plenæ mentis indiciis victus, ac mutatus in meliorem frugem Dionysius reliquum tempus cum Uxore caste sancteque traduxit.

Interea componendis Principum aliqua sibi affinitate junctorum dissensionibus ut multum operæ posuit Elisabetha, ita plurimum gloriæ reportavit. Ac primo quidem ortum inter Dionysium Regem, & ejus Fratrem Alphonsum grave dissidium, vel potius apertum bellum, copiis utrinque coactis, & universa ferme Lusitania pro diversis partibus armata, sedavit, ac diremit amantissima pacis Regina, fusis ad Deum precibus, ac votis assiduis, adhibitis Antistitibus, ac Principibus Viris, suis postremo ad utrumque adhortationibus, atque obsecrationibus sæpius interpositis. Deinde vero non minore desudavit industria, ut cessarent mota jam arma ab Rege Dionysio in Ferdinandum puerum Castellæ Regem, ejusque Tutores. Tum gravissimæ aliorum Principum affinium dissensiones pacatæ, quæ ruinam universæ Hispaniæ secum trahere videbantur. Sed nulla glorioſior, ac magis necessaria conciliata pax ab Elisabetha, quam, cum Dionysius Parens, & Filius Alphonsus plusquam civilia inter se bella suscepissent. Iratus enim Dionysius ob arrogantiam Filii, qui stipatus facinorosis hominibus Patris auctoritatem atque imperia contemnebat, atque ipsum Regno dejicere velle videbatur, eum opprimere statuit ex improviso. Ad omnes vias posuit custodes, ne quis ad Alphonsum periculi nuntius perveniret; tum armari milites jussit, & expeditos proficisci secum contra Filium, ut justum de illo, sed acerbum, supplicium sumeret. At Elisabetha rei facta certior multos diversis itineribus nuntios clam dimisit, qui significarent Filio summum, in quo erat, discrimen; monerentque, ut iram Patris effugeret. Ipsa interim, sacris pluribus ob eam rem fieri jussis precibus, & lacrymis exposcebat a Deo, ut tantum a Viro, a Filio, a Regno malum averteret. Ejus itaque diligentia ac pietate factum est, ut saluti suæ consulens Filius ex eo loco digrederetur, ubi opprimendus erat a Patre. Ad Matrem vero se conferens pro tanto beneficio maximas egit gratias. Illa verbis, monitis, precibus contumacem Alphonsi animum infringere aggressa est: sed frustra. Nam is nihilo melior factus, aut sedatior sceleratum parare cœpit in Patrem bellum. Pater & facinoris indignitate commotus, & stimulatus ab aliis omnem quærebat viam ad impietatem Filii vindicandam. Exulcerabant hæc animum Elisabethæ; quæ summopere cupiebat, ac postulabat a Deo mitiorem Viro mentem, Filio saniorem. Non tamen defuere, qui eam apud Dionysium nimiæ caritatis in Filium, & indulgentiæ muliebris accusarent; atque adeo segregandam illam dicerent, & ademptis Castellis in liberam custodiam tradendam, ne qua Filium ope juvaret. Assentitur iis Dionysius: amandat Elisabetham; bonis fere omnibus ereptis, vetat egredi statuto loco. Ne verbum quidem illa contra Viri acerbum imperium dixit; statimque paruit, & reclamantibus aliis, moderata est. Interea Alphonsus expugnandis, atque in suam potestatem redigendis Urbibus; Dionysius iis, quæ a sua potestate defecissent, diruendis atque evertendis; uterque in Lusitania misere devastanda opes omnes operamque ponebant. Quo tempore Beata Regina, religiosissimis quibusque fœminis undique ad se convocatis, cum iis tota erat in jejuniis, precibus, lacrymis, aliisque piis operibus ad exorandum Deum, ut impendentem ruinam cælesti aliqua ope submoveret. Ubi vero audivit, bellum vehementibus utrinque odiis inflammari magis in dies, neque extingui posse quodammodo, nisi vel Viri, vel Filii sanguine, Civium strage, Civitatum excidio; continere se non potuit, quin, sua salute suorum incolumitati posthabita, e custodia convolaret ad castra, Virum obsecraret, Filium obtestaretur, cum utroque per Principes Viros ageret, lapidem omnem moveret, ut Patris in gratiam Filius reconciliaretur. Concessum tandem est magis Divino munere, quam humano, quod Elisabethæ pia sedulitas merebatur: sed non diuturna fuit illa concordia. Cum enim contra voluntatem Patris Alphonsus ad Urbem Scalabin (vulgo Sanctarenum) accedere instructo agmine conaretur, obviam illi cum exercitu processit Dionysius. Ergo armatas acies contra Filium Pater direxerat; datum utrinque fuerat belli signum; concurrebant ex utraque parte cognatis armis milites; ventum erat ad manus; cum Elisabetha tam novæ indignitatis admonita, sine famularum comitatu, sine cultu, raptim accurrit; interponit se inter Virum, & Filium, non a telis ultro citroque jactis deterrita, non a suo vitæ periculo retardata; Filium adhortationibus morigerum Patri, Virum obsecrationibus placatum Filio reddit; utrique vitam, utrique salutem restituit propemodum desperatam.

Filiam habuit, ut initio dictum est, Elisabetha Constantiam. Hanc, ut solarentur ob mortem Viri Ferdinandi Castellæ Regis, adiit cum Uxore Dionysius. Secuta Reginam est Urraca Vaschia ejus familiaris; quæ, cum subitis acerrimisque doloribus cruciaretur, Elisabetham rogavit, ut illius mali cessationem, fusis precibus, impetraret a Deo: oravit; impetravit. Cum vero, Constantia e vivis erepta, Regina Olyssiponem iret cum Dionysio, ab ignoto quodam Anachorita monita est, ut pro Filia, quæ purgante igne torquebatur, unius

anni ſpatio quotidie Sacrum fieri per integrum caſtumque Sacerdotem curaret: id enim ſe in ſomnis ab ipſa Conſtantia cognoviſſe dicebat. Fabula videbatur aliis: at Regina, de Viri conſilio, Filiæ voluntati morem geſſit; quæ, exacto jam anno, videndam ſe per quietem præbuit Matri e cruciatibus in æternam felicitatem tranſeuntem.

Jam vero Dionyſius ætate gravis, & imbecilla valetudine affectus in morbum incidit. In quo vel maxime nituit conjugalis Eliſabethæ caritas, aſſiduitas, diligentia. Non uxorem præſtabat ſe, ſed ancillam, adeo in rebus omnibus demiſſe, aſſidueque miniſtrabat. Igitur annum agens ille ſexageſimum quartum, omnibus rite peractis, quæ vel Chriſtianum hominem, vel prudentem Regem decebant, exceſſit e vivis anno a Chriſto nato 1325. menſe Januario, cum ſex & quadraginta regnaſſet annos. Ex hoc obitu ſui jam facta juris Eliſabetha, annum agens quartum ſupra quinquageſimum, ſtatim atque Vir mortuus eſt, in cubiculum ſe recepit cum una e carioribus ancillis; ibique ab ea ſuſcepit cum eximio animi ſenſu veſtem aliquot annis ante præparatam Religioſarum Virginum propriam: tum, rudi funiculo præcincta, candido linteo caput velavit. Hoc habitu proceſſit in publicum ante Viri cadaver. Proſecuta deinde eſt ſolemne funus cum pari laude conjugalis amoris, & pluſquam fœmineæ fortitudinis ad vicum uſque Odivellas prope Olyſſiponem in templum Ciſtercienſium Virginum Sancto Dionyſio dicatum, atque ab Rege Dionyſio ædificatum; ubi Regis ejuſdem corpus, ex ipſius teſtamento, cum præclaro funeris apparatu ſepultum eſt. Ex eo tempore Beata Regina pro Mariti anima ſuas preces, lacrymas, jejunia, pœnas alias ſponte ſuſceptas offerens, aliorum obſecrationes, & Sacrificia frequenter aſſidueque juſſit offerri. Quin etiam ad Compoſtellanum Divi Jacobi templum, æſtate Regis obitum conſequente, ſe contulit; illudque procul aſpiciens deſcendit in terram, ac pedibus itineris reliquum confecit. Obtulit in eamdem diem pretioſiſſima munera; Coronam gravi pondere, multis & magnis gemmis illuminatam; veſtes pennis pulcherrimis, margaritis & lapillis lucentibus diſtinctas; undulata peripetaſmata acu picta; pocula ex argento prægrandia; mulam aureo, argenteo, gemmeo inſtrumento præclaram; Pontificalem denique Sacrorum ornatuum numeris omnibus abſolutum. Ingentes vero pecunias partim in templi ſumptus obtulit, partim egentibus diviſit. Peractis omnibus religionis officiis, Compoſtellanus Archiepiſcopus proficiſcenti ſcipionem dedit, & peram, piæ peregrinationis inſignia ipſi longe cariſſima. Sub anni finem ad anniverſarias Dionyſii exequias ejus adivit ſepulcrum cum Alphonſo Filio; ubi, magna Sacerdotum, & Monachorum frequentia, juſta funebria Regi magnifice inſtaurata ſunt.

His rite peractis, Regina domeſticas omnes opes vel in ſacros uſus convertit, vel aliis diſpenſavit. Ipſa ſolitudini, jejuniis, precationibus vacare impenſius cœpit. Sacrarum Virginum domum prope Conimbricam D. Claræ nomine ædificandam ſummo ſtudio curavit: ædes etiam ſibi aliquas ſecus eum locum poni voluit, ut facilior & brevior eſſet ad Parthenonem trajectio; cujus pro voluntate ingrediendi, ac Famularum Chriſti dulciſſima conſuetudine fruendi poteſtatem a Summo Pontifice impetrarat. Publicas & privatas identidem ad eas adhortationes habebat. Ex illo numero, & S. Claræ familiæ quinque apud ſe fœminas integritate conſpicuas habebat aſſidue, cum quibus religioſam extra Clauſtra degebat vitam. Quamquam enim Deo ſe conſecrare inter Sacras Virgines habuerat in animo, a prudentibus tamen æſtimatoribus rerum datum ei potius conſilium fuit, ut ad majorem omnium utilitatem publicam illam perſonam ac dignitatem retineret. Omnibus igitur una præſto erat opibus, conſilio, auctoritate, quacumque alia re juvare poterat. In ædiculis prope memoratum Parthenonem quindecim egentes viros, ac totidem fœminas ſibi vicinas ali perpetuo certis ſumptibus juſſit; Sacerdotemque proximum cum Sacello & Cœmeterio conſtituit, qui Sacrum iis præſentibus quotidie faceret, & ſolemnes omnium horarum precationes concineret. Interea Caſtellæ Regem Alphonſum Nepotem ſuum audiens alterius ab Uxore fœminæ conſuetudine teneri, eum adivit, ac fidem ab illo extorſit, honeſtius in poſterum vivendi. Plurimum exinde temporis atque operæ impendit in eo Divæ Claræ Cœnobio perficiendo, amplificando, exornando; in quo ſuas omnes contineri delicias exiſtimabat. Quo die primum in nova cœnatione Moniales diſcubuerunt, miniſtravit eis Regina cum ſua Nuru Beatrice Regina, raro chriſtianæ demiſſionis & caritatis exemplo.

Anno vero 1333. Conimbricæ Regina commorante, ingens annonæ caritas ac fames eam Urbem vexavit. Enituit tunc, ut cum maxime, B. Eliſabethæ caritas in omne hominum genus, adeoque liberalem ſe cunctis præbuit, ut ab opum adminiſtratoribus admoneretur, ne ob alienorum opitulationem ac ſuſtentationem nimis aſſiduam ſibi poſtmodum ſuiſque deeſſe cogeretur: ſed illa Deo freta anguſtos aliorum animos reprehendit. Cum vero jam ad quartum & ſexageſimum annum perveniſſet, D. Jacobi templum inviſere iterum voluit: quod tamen eſt maxime mirum, ac minimum credibile videtur, tantum ſuſcepit itineris fœmina id ætatis, & Regina, paucis comitata, mutato veſtitu ignobilis; immo ſua ſarcina gravis, per vicos, & domos mendicans, pedibus & ivit, & rediit. Sed jam tempus erat, ut e terris, ubi peregrinata diutius illa anima fuerat, remearet in Cælum patriam ſuam. Ergo, cum ad ſedandas Alphonſi Filii cum Caſtellæ Rege Nepote diſcordias ad Oppidum Eborenſe Stremotium appellatum (ubi tunc Filius verſabatur cum Conjuge) ſe contuliſſet, partim ætatis imbecillitate, partim itineris defatigatione, in morbum incidit, qui ſupremus illi fuit: &, quamquam Filii, ac Nurus aſſiduitate diligentiſſime curaretur, inanis tamen omnis cura ſucceſſit, jam enim illa vocabatur a Deo, Deique Parente; ut illud præmonſtraſſe videtur, quod paulo ante ſupremum die evenit. Nam, præſentibus multis, ac Nuru præſertim, nihilque videntibus: Filia, filia, exclamavit, concede, quæſo, locum illi Mulieri. Cui Mulieri? reſpondit Nurus admirans. Illi, inquit, quæ amictu candido venit ad nos. Jam vero morti ſe proximam intelligens Divinis myſteriis, ac ſupremis Eccleſiæ Sacramentis ſeſe ſanctiſſime munit; ut piæ vitæ religioſa mors optime reſponderet. Poſtquam autem cum Alphonſo neceſſariis de rebus Regni colloquuta aliquantulum eſſet, a Filio, quem relinquebat, ad Cæleſtem converſa Parentem, quam adibat, ſupremis, & ſolemnibus iis vocibus illam compellavit:

Maria, Mater gratiæ,
Mater miſericordiæ,
Tu me ab hoſte protege,
Et hora mortis ſuſcipe.

Deinde Fidem ex Apoſtolorum Symbolo profeſſa, traditam a Domino precationem, aliaſque recitavit, voce paulatim ac ſenſu deficiente: donec animam Auctori ſuo reddidit, ita compoſito corporis habitu, ut non tam periiſſe, quam obdormiiſſe videretur in Domino. In hunc modum B. Regina vitam integerrime traductam ſanctiſſima morte coronavit quarto Nonas Julii Anno a Chriſto nato *1336.* ab ipſius B. Eliſabethæ ortu 65.

PARS SECUNDA
DE VIRTUTIBUS.

ETSI tota vita Sanctorum hominum perpetua quædam eſt exercitatio virtutum, atque adeo, illa cognita, hæc debent eſſe perſpectæ; par eſt tamen, ad eorum clarius agnoſcendam Sanctitatem, virtutes ſingulas diligentius contemplari. Quæ igitur in B. Regina præſtantis animi dotes præcipue floruerunt, per RR. PP. Rotæ Auditores confirmatæ, & per Sacrorum Rituum Congregationem legitimæ comprobatæ fuerunt, hæ potiſſimum numerantur.

FIDES.

QUantum hac prima Chriſtianæ Religionis virtute præſtiterit B. Regina, nemini poterit obſcurum eſſe, qui reputaverit animo, eam primo a Chriſtianis, & Catholicis Regibus ortam fuiſſe; qui toties noſtram Fidem contra perfidos hoſtes, contra Saracenos, & Barbaros fortiſſime defenderunt: deinde ſacris illam aquis ablutam, & aliis Eccleſiæ myſteriis rite munitam ſemel

ſuſce-

ſuſceptam Fidem conſtanti animo ad extremum uſque vitæ ſpiritum retinuiſſe : ac poſtremo jam ex hac vita migraturam intermortuis vocibus perfectum illud Fidei Compendium ab Apoſtolicis concinnatum recitaſſe . Quæ omnia meruerunt , ut Eliſabetha ſemper ab omnibus habita fuerit Sacroſanctæ Fidei non excultrix modo religioſiſſima , ſed etiam ſtrenuiſſima propugnatrix .

Enituit etiam hujus Fidei ſplendor e piis illis operibus , quibus Beata Regina tantopere fuit omni tempore vitæ conſtanter addicta . Licet enim Fides , ex Theologorum ſententia , in mente & cogitatione præcipue ſita ſit ; ut ea tamen juvet , opus habet operibus Fidem confirmantibus , ſine quibus mortua eſt , uti Jacobus Apoſtolus pronuntiavit . Qualis igitur , & quam vivida illa fuiſſe Fides dicenda eſt , cujus univerſa vita bonis operibus conſecrata fuit ? Integri dies in Divino Cultu ab ea traducebantur , præſertim poſt obitum Viri . Nam de multa nocte vigilans cum fœminis piorum ſtudiorum ſociis matutinis precibus recitandis vacabat . Diluculo Sacrum fieri jubebat in ſuo cubiculo . Inde in publico Sacello cum omni familia intererat alteri Sacrificio , quod cum lugubri cantu fiebat pro demortuo Rege , ac Marito . Tertium denique Sacrum ejus dici proprium coram ſe ſupplice volebat celebrari . Divini Officii reliquas horas poſtea peragebat . Tum ad adjuvandos alios vel re , vel verbis incumbebat . Inde ad ſe ſe colligendam vel contemplationi , vel ſacri cujuſpiam libri lectioni ſe dabat . Ad ſeram poſtremo noctem Divinas res mente pertractabat cum incredibili ſenſu voluptatis , & dulcium copia lacrymarum ; ut jam tum totos dies non terræ , ſed Cælo vivere videretur .

Ejuſdem Fidei excellentiam tunc Beata Eliſabetha præ ſe tulit vel maxime , cum graviſſimis vexata calamitatibus , & rerum adverſarum jactata tempeſtatibus , rectum tamen tenuit curſum pietatis in Deum : & præſertim , cum a Viro Dionyſio Rege fœminis aliis in amore poſthabita poſt conjugium , cum ab eodem relegata in liberam cuſtodiam periculoſiſſimo tempore , cum tot ſuorum vidit , & deflevit in univerſis Hiſpaniæ Regnis diſſidia . Quibus omnibus acerbiſſimis caſibus , in ejus vitæ narratione commemoratis , concuti quidem ipſa potuit , atque percelli ; de recta vero mentis , ac Fidei ſtatione deturbari non potuit .

SPES.

NON alium ſibi proponere viſa eſt Beata Regina ſcopum , in quem omnia ipſius vota collinearent , niſi illum , qui non confundit , aut deſerit ſperantes in ſe . Hinc factum eſt , ut in quibuſcumque periculis ac neceſſitatibus nihil haberet antiquius , quam ad ſacras preces , ad pia ſacrificia , ad jejunia , ad voluntarias pœnas , uno verbo , ad Divinam opem implorandam confugere . Cumque in Regio collocata faſtigio , rebuſque circumfluens omnibus , quibus humana inhiare ſolet ambitio , in iis ſpem ſuam collocare potuiſſet , ut plerique mortalium faciunt , ſtatuit illa , non in Principibus , ac Principatibus , non in copia divitiarum , non in amplitudine Regni , non in multitudine militum ſubjectorum , ſed in eo ſolo ſpem omnem reponere , a quo vitam ſperabat ſempiternam .

CARITAS IN DEUM.

HÆC Regina virtutum , perfectio legis , & vinculum perfectionis non ultimum obtinuit locum in anima laudum feraciſſima B. Reginæ . Teſtatur hoc univerſa illius vita , quæ perpetuum Amorem præferebat in Deum . Nam & Parentes coluerat , & Virum diligebat , & Filios materna benevolentia complectebatur , ob unius Amorem Divini Numinis , quod cæteris omnibus anteferebat . Ex eadem vi caritatis oriebatur ille fluxarum opum , & mortalium rerum contemptus opinione major . Inde etiam erat odium , quo vitia & impuritates proſequebatur : ut , ſi quando Divinam lædi majeſtatem animadvertebat , injuriam ſibi fieri , ſe ipſam læſam exiſtimaret . Hujus denique vis Amoris dulces ei reddebat acerbiſſimas pœnas , quas ipſa ſibi ultro inferebat ; jucunda jejunia , quibus frequenter enutritum in Regum deliciis corpus macerabat ; nocturnas vigilias , diurnos labores , longas peregrinationes non faciles modo , ſed etiam apprime ſuaves .

Verum ille præ cæteris religionis ſenſus , quo Venerabile Sacramentum , ejuſque inſtrumenta . Miniſtros , celebrationem proſequebatur , locupletiſſime teſtari poteſt hanc in Deum eximiam Caritatem . Deferre ſolita erat B. Eliſabetha ſecum , quocumque iret , ad Rem Divinam faciendam aptum Altare omnibus rebus inſtructum , atque ornatum ; ut , ubicumque eſſet , in ſuo cubiculo Ara pararetur ad Sacrum , eoque , ceu domeſtico ſacrario , frequenter uteretur : quaſi moræ impatienti ipſius Amori in Deum , ac deſiderio fieri non poſſet ſatis , niſi in promptu eſſent , ac prope , quæcumque ad evocandum e Cælo Sponſum animarum adhiberi ſolent . Erga Sacerdotes vero tanta erat pietate atque obſervantia , ut Sacrificio præſens , poſt Apoſtolorum Symbolum decantatum , accederet ad Altaris gradus , more Majorum ; & in genua procumbens , oſculanſque manus ſacerdoti pecuniam offerret modo majorem , modo minorem , ut diei ratio poſtulabat . Agnoſcebat illa nimirum in quolibet Sacerdote Summi Sacerdotis , ac Pontificis Chriſti Perſonam ; eamque demiſſe venerabatur , diligebat ardenter . Unde etiam oriebatur ſancta illa cupiditas Rei Divinæ , qua impellente Eliſabetha ſingulis diebus ternis intererat Sacris .

CARITAS IN PROXIMUM.

AMoris in Deum legitimus partus eſt Amor in Proximum ; rectèque unum internoſcitur ex alio , velut ex imagine Filii plerumque cognoſcitur Parens . Hujuſmodi vero virtute quantum B. Eliſabetha floruerit , nimium eſſet exemplis omnibus confirmare . Hujus enim exhibuit ſpecimen ſingulare , cum vitam ac ſalutem ſuam in diſcrimen adduxit , ut Virum cum Filio pugnantem eidem pacatum redderet , atque utriuſque vitam , & ex ea ſuſpenſam Luſitani Regni ſalutem ac tranquillitatem tueretur . Hanc oſtendit illa in Conimbricenſi penuria hc fame liberalitas in omne genus hominum effuſiſſima . Eamdem virtutem declarat celeberrimum illud D. Claræ Cœnobium , Sacris Virginibus ab ea juſſum ædificari tanta cum diligentia atque aſſiduitate , tot reditibus dotatum , tot nobilium fœminarum frequentia nobilitatum , illius præſentia toties illuſtratum ; ut ibi jam tum ſitum cor ſuum habere videretur , quemadmodum ibidem poni poſt obitum voluit corpus ſuum . Almoſterienſe quoque monaſterium prope Scalabin , ſeu Sanctarem a Berengaria nobili fœmina inchoatum Eliſabetha perfecit . Aliam Domum , ubi partus a parentibus expoſiti educarentur , quam Martinus Epiſcopus Guardienſis morte occupatus abſolvere non potuit , non modo abſolvit B. Regina , ſed reditibus etiam , & excipiendorum numero puerorum amplificavit . Xenodochium e regione ſuæ Domus prope Conimbricam erexit , ubi triginta Pauperes non ſolum , certis attributis ſumptibus , alebat , ac veſtiebat ; ſed etiam ſua identidem præſentia , allocutione , miniſtrandi quoque officio ſolabatur . His illa deliciis , his amœnitatibus proxime fruebatur . Non exiguum frumenti numerum dabat Religioſis Familiis , quæ in quibuslibet Luſitaniæ partibus verſabantur . Cœnobiis Monachorum , quacumque iter faceret , certam pecuniæ ſummam quotannis aſſignabat in veſtem . Nullus inopum occurrebat , in quem non ſtipem illa benigniſſime conferret : atque ex infinita multitudine , qua ſe videbat aſſidue circumfuſam , vacuum abire neminem patiebatur . Quos intelligebat præ pudore ſtipem cogere non audere , quamvis id ſuaderet neceſſitas , non ſolum ſublevabat pecunia , ſed etiam alebat . Denique communis omnium parens , & patrona cenſebatur . Hæc autem omnia , quæ memorata ſunt e multis pauca , quam aliam habuerunt originem , niſi perennem illam ac liberalem in Proximos Caritatem ?

PRUDENTIA , JUSTITIA , FORTITUDO , TEMPERANTIA .

PRoximum ab iis Virtutibus , quæ Deum ſpectant , locum obtinent illæ , quæ Morales inter præcipuæ , Cardinales dicuntur . Earum etiam ornatu ſplendido cumulare Deus voluit B. Eliſabetham , quæ mundum omnem muliebrem & exquiſitum corporis cultum , animo ſupra muliebrem conditionem erecto , negligebat .

Prudentiam igitur præ ſe B. Regina tulit eximiam , quoties graviſſimis inter Principes Viros diſſenſionibus una ipſa fœmina interveniens modum ac finem imponere & optavit , & ſcivit . Ardentia non tota modo Luſitania , ſed per univerſam Hiſpaniam bella prope civilia non ſemel Eliſabetha reſtinxit , ac lites de poteſtate atque ambitione difficillimas , quas Reges ferro decidere , ac multorum hominum ſanguine terminare decreverant ,

ipſa

ipsa potuit imbellis sui sagacitate consilii, suis ad Principes allocutionibus sedare. In rebus vero domesticis disponendis, in suæ ditionis administratione, mirum, quantam reportavit ab omnibus Prudentiæ laudem; quam a sapientissimis Majoribus hæreditario jure susceptam ingenii sui solertia propagavit, auxit industria.

Justitia vero tantum Elisabethæ cordi fuit, ut, quæ semper erat clementissima, atque in juvandis miseris vere mater; in puniendis tamen sontibus, hoc est in protegenda Justitia, virilem quemdam rigorem nacta videretur. Illud etiam proprium Justitiæ munus exequebatur, unicuique tribuendi jus suum. Deferebat enim illa pietatis obsequium Deo, caritatis affectum Vito, humanitatis officia reliquis omnibus; ut quæ Justitiam, tamquam Regina, exactura esset ab aliis, Justitiæ speciem præberet in se, tanquam æterno Regi subjecta.

Fortitudinis declarandæ tot habuit argumenta Beata Regina, quot illi Deus obtulit Patientiæ tentamenta. Quo enim animo, & quam forti pectore tulerit juvenis Viri in conjugali fide atque amore inconstantiam; Filii Patri rebellis, immo bellantis in Patrem arrogantiam sibi totique Regno funestissimam; jacturam carissimorum sibi capitum; & alia multa, quæ illi adversa atque aspera contigerunt; satis esse potuit exploratum ex iis, quæ superius narrata sunt.

Temperantiam postremo diligentissime semper coluit Elisabetha cum omnium admiratione: nam in cibo potuque non modo moderata, sed etiam parca non tam abjecit a se supervacanea, quam necessaria subtraxit. Quadruplex illa jejunium ab adolescentia solemne habuit: quadragenarium, & commune Christianorum omnium: id, quo præparari solent Homines Religiosi ad Christi Adventum; & quod Angelorum appellant, a die festo B. Virginis Assumptæ ad Archangeli Michaelis diem: ac postremo a feriis S. Joannis Baptistæ ad diem Assumptæ Virgini sacrum. A Vino consueverat abstinere. In reliquis vero corporis voluptatibus adeo sibi temperavit, ut non e nostræ mortalitatis origine nata, sed e beatarum Choris mentium ad mortales transmissa potuerit existimari.

Aliæ quædam Virtutes.

Quæ basis aliarum Virtutum, & fundamentum appellari solent, animi demissio, & Christiana Humilitas tanto fuit in B. Regina admirabilior, quanto videbatur ab ejus conditione remotior. Raro siquidem infra alios abjiciunt sese, quos supra ceteros evehit fastigium dignitatis. Et tamen Elisabetha plerumque non Reginam se præstitit, sed ancillam, quamquam eo magis tum dici Regina meruit, quod strenue regeret surgentes cum regia majestate superbiæ motus. Ministravit illa, ut dictum est, Religiosis D. Claræ Virginibus: famulata sæpius est ægrotis pauperibus. Verum una præ omnibus humilis animi significatio admirationem pariat maximam, necesse est. Sextis omnibus feriis quadragenarii jejunii tredecim Pauperes Elephantiasi, seu Lepra contaminatos in suas Ædes occulte duci jubebat: ibi lavabat eis pedes, ac stipem tribuebat. Feria vero quinta sanctioris hebdomadæ mulieribus aliquot eodem affectis morbo pedes abluebat, abstergebat linteo, osculabatur; postremo novam vestem, & calceos præbebat: ut ambigi posset an esset in illa caritas altior, an profundior humilitas.

Cæteras ejus Virtutes enarrare, longum esset. Floruit enim illa Mansuetudine quadam insigni, qua sibi omnium animos facile demerebatur: Fide in Virum, conjugiumque constanti, neque ullis ejus injuriis, aut aliorum delationibus labefactata: Pietate, ac Religione, quæ, ut paulo ante dictum est, integros in ejus vita sibi dies vindicaret: Perseverantia demum in piis ac justis rebus, quæ, veluti Virtutum reliquarum corona, Regium illius Caput in Cæli Regia circumplexa est.

Fama, & existimatio Sanctitatis.

Ab ipso statim exortu B. Elisabetha specimen præbuisse visa est Sanctitatis, cum Secundinis illis (ut appellant) prodiit involuta; quas quidem Parens Constantia (quasi jam tum prospiceret in Puella sanctum quid ac Divinum) in argentea capsula conditas in suis thesauris jussit asservari; ut vix in lucem editi corporis B. Reginæ sacræ tamquam reliquiæ in pretiosis loculamentis reconderentur. Avus vero Jacobus presensisse quodammodo Sanctimoniam credi potest, cum eam ex Aragoniæ Regum stirpe fœminarum præstantissimam pronuntiavit. Simile de illa judicium fuit Petri Parentis: simile Viri Dionysii, simile Alphonsi Filii: omnium demum, qui eam noverant, de ejus eximia Sanctitate una fuit sententia. Ad ejus non modo humanam opem, sed etiam efficaces ad Deum preces multi mortales cujusvis generis confugiebant, velut ad sacram anchoram, aut salutis aram. Ejusdem extinctæ patrocinium bono suo imploravere complures; ut in subjectis miraculis videre erit. Toto denique Lusitaniæ Regno, tot continentibus annis, de ipsius Sanctimonia, ac meritis apud Deum publica fama percrebuit: ac Deus ipse, veracem eam esse, tot collatis per miraculum beneficiis ejus patrocinio impetratis palam omnibus comprobavit.

PARS TERTIA
DE MIRACULIS.

Ut illustrior esset Elisabethæ Reginæ Sanctitas, voluit etiam Deus illi miraculorum addere lucem, quæ tantopere mortalium oculos animosque perstringit. Aliquot igitur B. hujus Reginæ meritis patrata miracula tum ex certissimis Historiis deprompta, tum juratis testibus confirmata proferentur in medium. Ac primo, quæ, dum illa viveret, edita sunt,

DE MIRACULIS IN VITA.

Puella a nativitate cæca solo tactu manus B. Elisabethæ visum consequitur.

MIRACULUM PRIMUM.

Cum aliquando Regina Elisabetha proficisceretur Conimbrica in Urbem Portum, per vicum quemdam iter habebat, nomine Arrifanam. Hic illi processit obviam rusticana quædam fœmina filiolam secum ducens ab ortu cæcam. Oravit Reginam supplex, ut oculos puellæ manibus tantum attingeret. Illa obsecratione simul ac miseratione permota morem gessit matris voluntati. Post paucos dies obviam Elisabethæ venit eadem fœmina exultans & gestiens cum filiola; quæ statim, atque tacta fuerat, usum oculorum acceperat. Agunt immortales Reginæ gratias. Hæc vero, ut erat ab ambitione laudis & gloriæ alienissima, vetuit, illis quicquam hac de re dicere, quoad ipsa viveret: idque ut ab iis facilius impetraret, vestem utrique dono dari jussit, & miraculum beneficio cumulavit. Quod totum & verissimis mandatum est historiis, & multorum testium juramento confirmatum.

Tuber in stomacho Margaritæ cujusdam a B. Regina Crucis signo statim sanatur.

MIRACULUM SECUNDUM.

In Æde Sacrarum Virginum, cui nomen est Chelis, prope Olyssiponem nobilis erat & religiosa mulier, Margarita Freila. Hæc Reginam in Urbe commorantem invisere decrevit. A qua statim atque pallida visa fuit, macieque confecta causam rogatur tantæ tenuitatis. Tuber, inquit, quod natum est super stomachum, hujus vultus, & magni mihi cruciatus est causa. Signum illa Crucis imposuit ægræ parti: quo facto, resedit omnis tumor, decessit dolor. Margarita gravi morbo liberata non potuit se præ gaudio continere, quin illico palam omnibus faceret, se ope Reginæ sanitatem fuisse consequutam. Id, cum ad aures Elisabethæ perveniisset, non parum illi molestiæ attulit: accersit ad se mulierem, graviter accusat, imperat silentium ea super re in posterum. Neque enim id beneficii suæ debere virtuti dicebat, sed omnium bonorum auctori Deo, cujus erat laus omnis & gloria.

Lepro-

Leprosus graviter in capite vulneratus, B. Reginæ manibus ovi albo imposito, confestim a vulnere liberatur.

MIRACULUM TERTIUM.

SOlita era B. Elisabetha feria sexta sanctioris hebdomadæ Elephantiacos aliquot, seu Leprosos ad se accersere, iisque pedes abluere, & stipem elargiri cum pari laude demissionis animi & caritatis. Id aliquando cum perfeciſſet in oppido quodam Scalabi appellato (vulgo Sanctarem) ex iis unus, quibus id præstiterat officium, reliquis tardior, ob morbi vim vehementiorem, substitit parumper in Regia. Quod ubi janitor quidam animadvertit, ferox & asper, ac rei gestæ ignarus acerrimis eum conviciis est insectatus: cumque ille reclamaret, fustem arripiens hominis, qui se præ morbo commovere vix poterat, caput summa vi percussit, & graviter vulneravit. Concidit infelix in terram, ea plaga accepta, & calamitatem suam cœpit ejulans lamentari. Adfuit & vocibus, & miserabili spectaculo Urraca Vaschia, Reginæ ob studium pietatis familiarissima. Ad Elisabetham excurrit, quid factum fuerit, narrat. Illa hominis miseri atque innocentis calamitate commota in suum cubiculum eum imperat deportari. Deinde album ovi exceptum stupa vulneri suis ipsa manibus imponit, additaque pecunia in reliquos sumptus hominem dimittit. Postridie, quam hæc gesta fuerant, scitatum mittit, qui se æger habeat: optime responsum fuit; & cicatricem, post factam a Regina medicinam, statim fuisse obductam. Ita Regii famuli injuriam B. Reginæ Sanctitas & clementia compensavit.

Insanabilis Cancer signo Crucis, osculoque Beatæ Reginæ sanatur.

MIRACULUM QUARTUM.

FEria quinta sanctioris hebdomadæ lavabat B. Elisabetha de more duodecim mulierum Elephantiasi, seu Lepra laborantium pedes. Quibus etiam pecuniam & vestes elargiri solebat, & ad mensam splendide acceptis ministrare. Earum una pedem alterum cancro affectum tam male habebat, ut parum abesset, quin duo digiti decidirent. Altero igitur abluto pede, ut alterum in pelvim immitteret, Regina postulavit. Illa conscia latentis mali, & horribilis deformitatis, pedem illum aut Reginæ manibus attingi, aut oculis videri, indignissimum judicabat; ideoque magis eum occulebat. Regina Urracæ Vaschiæ, quæ huic facto aderat, jubet, ut ipsa mittat in pelvim recusantis pedem. Id ubi factum est, tam gravis illico afflatus est odor ac pestilens, ut omnes Regiæ Ministræ, cum eum præ fastidio ferre non possent, se proripuerint foras. Elisabetha sola mansit, quæ Christiana magnanimitate & caritate memorabili ardens ulcus non modo non horruit, sed suis manibus tractavit, ac medicinam aliquam adhibere contendit. Accedit ergo plena misericordiæ, plena humanitatis; procumbit ante miseram fœminam; fovet calida pedem; & ulcus leniter ac molliter expurgat. Denique, ad operis sanctissimi, & glorioſissimi summam, ipsum cancrum, cujus vel odor erat intolerabilis, osculatur, & salutare Signum Crucis imponit. Mirum dictu, sed tanta virtute dignissimum: ulla interposita mora, & Signo Crucis, & osculo, & simul ingenti S. Reginæ merito insanabile ulcus factum est sanum.

Aqua in Vinum a B. Elisabetha conversa.

MIRACULUM QUINTUM.

JAcebat aliquando B. Regina gravi stomachi morbo laborans in Oppido Alenquerio. Præscripserunt ei Medici, quod requirere videbant morbi genus, ut vino modico uteretur. Illa, quæ abstinere solita erat vino, cum id curationi valetudinis necessarium esse non duceret, negavit, se esse facturam. Aquam igitur afferri sibi jussit, quæ bis allata bis in vinum est commutata; ut quodammodo videretur eo miraculo Deus & religioso Beatæ fœminæ proposito, & Medentium præscripto satisfacere velle.

Opes Pauperibus distribuendæ a B. Regina media hieme vertuntur in Rosas.

MIRACULUM SEXTUM.

UT erat in egenos maxime liberalis B. Elisabetha, in sinu sæpe ferebat, quæ iis benignissime dispensaret. Accidit, ut eam hæc in sinu clam gerentem Vir ipsius, Rex Dionysius, observaret, qui forte factus ei fuerat obviam: & facile, quid rei esset, suspicatus, non ut illam a benefaciendo revocaret, sed ut Regis, ac Viri potestate uteretur, interrogavit, quid in sinu portaret. Elisabetha, vel operis boni gloriam dissimulans vel timens, ne id facere prohiberetur in posterum, Rosas, respondit: ac, Dionysii jussu explicato sinu, opes illæ distribuendæ pauperibus in recentes Rosas commutatæ cernuntur: manifesto miraculo: cum ea pars anni ageretur, quæ gignendis intempestiva Rosis est, hiems videlicet. Ex quo præclaro facinore duxit originem illa pictorum consuetudo Sanctæ hujus Reginæ Imaginem cum Rosis in sinu passim effingendi.

DE MIRACULIS POST MORTEM

Incorruptum ex obitu manet B. Reginæ Corpus, & miris fragrat odoribus.

MIRACULUM PRIMUM.

SUmmus ille bonorum omnium Auctor, qui *mirabilis est in Sanctis suis*, B. Elisabetham non solum in humanis agentem Divinis illustravit virtutibus, & miraculis, sed etiam ad æternæ felicitatis Regna translatam admirabilibus rerum eventibus nobilitavit in terris. Ac primo quidem ejus Corpus a corruptione liberum integrumque monstravit in hunc modum. Testamento mandaverat B. Regina Filio Alphonso Regi, ut ipsius Corpus ex Oppido Stremotio, ubi diem clausura erat extremum, Conimbricam in Ædem Monialium S. Claræ deferri curaret. Cum vero Conimbrica centum, & viginti octo millibus passuum a Stremotio distaret, & Julii Mensis vehementissimi calores, quo illa tempore obierat, obstarent, quin Corpus tam longe deportaretur sine maximo putrescentis cadaveris fœtore, atque intoleranda tam deferentium, quam funus comitantium molestia; plerique censebant, opportunius fore, si vel in templo D. Francisci in eodem oppido, vel in Æde maxima Ebornensi non ita longe dissita Corpus tumularetur: exesa deinde ossa Conimbricam transferrentur. Annuit nihilominus Alphonsus a suprema matris voluntate recedere; ac funus jussit Conimbricam deduci. Tempus æstivum; circumfusi frequentia populi eam prosequentis extinctam, a qua vivente tot fuerat beneficiis ornatus; succussio loculi, in quo fuerat inclusum cadaver, justum timorem incusserant omnibus, ne paulo post ob intolerandum fœtorem cœptum opus deserere cogerentur. Non tamen ejus Corpus deseruit Divina Providentia, cujus Animam aspectu suo beabat in Cælo. Septem dierum spatio delatum cadaver non modo gravis odoris nihil afflavit, sed potius tam suaves circumfusæ multitudini inspiravit odores, ut in eo loculo pro putrescente cadavere omnia aromatum genera conclusa viderentur. Quod ubi palam omnes cognovere, ac propius accedentes experimento comprobarunt; in effusam lætitiam, in Dei laudem, in venerationem facti Corporis se se totos converterunt. Verum adhuc majus exhibere Deus voluit ad Beatæ Reginæ gloriam in ejus Corporis integritate miraculum. Anno enim Domini 1612. VII. Kalendas Maji, Illustrissimi, & Reverendissimi DD. Episcopi Conimbricensis, & Lerienſis, & Doctor Franciscus Vazius Pintus hujus causæ Judices Commissarii cum aliis præcipuis Medicis, Sacræ Theologiæ Magistris, ac Religiosis Viris præsentes adfuerunt, dum B. Reginæ sepulcrum patefactum, & sacrum ejusdem Corpus recognitum fuit. Inventum igitur hoc est integrum atque incorruptum, candido colore, cum carne, cum rutilis capillis, naso, auribus, oculis minime tabefactis, reliquis etiam partibus instructum, ac membris; quæ tacta non frangebantur, aut liquescebant. Manabat e Corpore suavis admodum ac jucundus odor: neque solum id expers corruptionis extiterat, sed vestes etiam circumjectæ, ac plura lintea superimposita solida atque tenacia permanebat. Nemo denique spectantium, & rem adeo novam atque inexpectatam admirantium non agnovit, atque extulit Divinæ potentiæ

UAB Biblioteca de Ciències Socials

tiæ vim; quæ vitæ animæque integritatem, qua Beata hæc Regina pollebat, ipſius poſt mortem Corporis integritate cenſuit remunerandam.

Faber e tecto cadens, Beatæ Reginæ ope implorata, ſurſum attollitur.

MIRACULUM SECUNDUM.

IN Monaſterio D. Claræ pars quædam ædium fabricabatur: & jam tecto ligna imponebantur. Ibi Dominicus Machadus faber lignarius operam dabat lignis clavorum adminiculo configendis. Ecce autem inopinato aliquot ex iis lignis refixa dilabebantur in terram, ſecumque fabrum illum præcipitem trahebant. Tum ille B. Eliſabethæ ſalutare ſubſidium in tanto vitæ diſcrimine imploravit: nec ſurdis auditus eſt auribus: Extemplo, per ſummum miraculum, ipſe una cum lignis, occulta quadam vi, ſurſum relatus, & in eumdem locum, e quo ceciderat, reſtitutus fuit: ligna etiam ſuis reddita ſedibus, & coaptata. Dominicus a præſenti periculo liber & incolumis, cum admiratione ac ſtupore ſpectantium, tantum in ſe B. Reginæ beneficium ex animo teſtatus eſt,

Monialis, cruribus male affectis, ab inceſſu impedita B. Eliſabethæ imploratione ſanatur.

MIRACULUM TERTIUM.

ANna Azpilcueta una erat e Sacris Virginibus, quæ prope Conimbricam in Vico, cui Cellis nomen eſt, D. Mariæ Sacrum Cœnobium colunt. Hæc diu capta cruribus, & reſolutis nervis ita tenebatur, ut per ſe incedere nullo modo poſſet. Nullum a Medicis non tentatum remedium fuit; ſed ſanitatis reſtituendæ gloria B. Reginæ relinquebatur. Proximus erat ſolemnis B. Eliſabethæ dies. Nocte vero, quæ antecedebat, Annæ Magiſtra plura exponens beneficia illius Reginæ imploratione ſuſcepta hortatur eam, ut ab ipſa præſens auxilium petat. Morem geſſit illa diligenter, & in arctiſſimum ſomnum ſoluta eſt. Ecce autem per quietem audire ſibi videtur imperantem, ut ſurgat; valetudine jam Eliſabethæ ope reſtituta. Excitata Virgo artubus contremuit omnibus. Exilit e lecto ſola; veſtes induit; in Odeum (vulgo Chorum) venit, ubi ceteræ matutinas preces canebant. Mirantur omnes, lætantur, præ animi pietate lacrymantur. Rem hanc totam publicis litteris commendavit Martinus Azpilcueta, is, qui Pontificio juri lumen ſuis libris attulit immortale.

Quinquagenaria Mulier lac abunde conſequitur ope B. Reginæ ad Pauperem Nepotem alendum.

MIRACULUM QUARTUM.

IN oppido Sarnacenſi Conimbricenſis Diœceſeos Maria Antonia, Michaelis Aloyſii uxor, quinquagenaria erat, etiam a duobus ac viginti annis infœcunda: quin etiam ex morbo quodam ab antiquo tempore in ſiniſtro ubere lacte carebat. Hæc Nepotem ex paupere Filia parvulum ſuſceperat educandum. Equitis etiam cujuſdam Olyſſiponenſis filium lactabat. Quamobrem Nepotem cibis dulcibus enutrire tentavit, quos tamen ille reſpuebat. Venit igitur una cum eo Conimbricam ad D. Claræ Cœnobium: infelicem pueri conditionem amicis Monialibus enarravit: retulit ab iis conſilium, ut rem totam B. Reginæ commendaret, ac ſummo mane jejuna reverteretur illuc vinum hauſtura cum croco; quam B. Eliſabetha potionem ad ejus mali remedium præſcripſerat. Sequitur illa conſilium: vino illo ſumpto, ad B. Reginæ ſepulchrum accedit ſupplex: ſummis eam precibus obſecrat, ut, ſibi lac a Deo impetret ad miſellum Nepotem enutriendum. Audita eſt obſecratio: lac ſtatim ſenſit uberibus largiter affuſum, ut abunde potuerit in poſterum derivatum cœlitus alimentum inſtillare Nepotulo.

Angina, morbiſque aliis Agnes Dalmeida liberata lactis copiam impetrat a B. Regina.

MIRACULUM QUINTUM.

AGnes Dalmeida, Joannis de Guerres Medici uxor, ſeptima poſt filii partum hebdomade, in anginæ morbum incidit, quo vehementer cruciabatur. Neque ſumere cibum, neque proferre verbum poterat. Lac etiam defecerat ad natum puerum nutriendum. Vir, ut Artis Medicæ peritus, plurima illi adhibuit medicamenta; ſed fruſtra. Quin adeo morbus in dies invaleſcebat, ut jam Vir de ſalute Conjugis deſperaret. Ergo Berenſem in agrum ſe contulit ad accerſendam filio nutricem. Ibi dum nocte curis anxius commoratur, ſubit animum Sanctitas B. Eliſabethæ. Illi ſuam enixe, religioſeque commendat uxorem. Flagitat ab illa præſens in tanto vitæ diſcrimine ſubſidium. Summo mane reverſus domum uxorem reperit ſanam, atque ab omni ægritudine liberam. Quærit ex illa, qua ora ſe melius habere cognoviſſet. Exacte eam uxor indicavit. Tum is probe perſpexit, eodem temporis articulo, quo ipſe procul domo pro uxore B. Reginam oraverat, ab eadem ſe clementer auditum impetraſſe, quod poſtulabat. Singulares utrique gratias Deo agit, ac B. Eliſabethæ. Idem poſtea Vir templum adivit, ubi B. Reginæ Corpus aſſervabatur, interfuit Sacro, iterumque ſuppliciter ab eadem popoſcit uxori lac, quo natus infans nutriri poſſet. Domum reverſus hoc etiam ſe beneficio cumulatum agnovit; & veneratus eſt adeo liberalem B. Reginæ beneficentiam.

Inveteratus morbus ſanatur oſculo Feretri, ubi jacebat B. Eliſabethæ Corpus.

MIRACULUM SEXTUM.

IN D. Claræ Cœnobio Conſtantia Ania, civis Ebornenſis, jamdiu inſanabili atque horribili morbo premebatur. Peſtiferum quoddam ulcus ei labia, gingivaſque cum maximo cruciatu corrodebat, ſenſimque ſerpebat latius; & parum aberat, quin illa dentes omnes amitteret. Præ doloris impetu vociferabatur aſſidue, ceterarumque tranquillitatem, ac Religioſam quietem interturbabat. Nullum Medicorum artificium ſufficiens erat ad eam peſtem depellendam. Cum igitur B. Reginæ Corpus ab oppido Stremotio Conimbricam in D. Claræ Cœnobium allatum eſſet, ſtatim Conſtantia magna cum pietate, ac fide acceſſit ad feretrum, ubi Corpus adhuc inſepultum jacebat; itaque loculum oſculata eſt, ut oris partem lue confectam ei applicaret. Recedit deinde cum ceteris. Ubi vero ſacrum B. Eliſabethæ Corpus ad ſepulchrum deferri cœpit, Conſtantia, ſe cruciatu liberatam cognoſcens, advocat ſocias; iis os inſpiciendum præbet: nulla peſtis illius indicia apparebant. Quo miraculo omnes obſtupefactæ conclamant una voce, magnam eſſe Reginæ Sanctitatem, quam Deus tam inſigni miraculo teſtatam omnibus, atque exploratam eſſe voluerit.

De Actis cauſæ, & legitima illorum confectione.

JAm vero quod attinet ad res in cauſa geſtas, & Acta Canonizationis ad S. V. ita refero. Cum fama Sanctitatis B. Reginæ, frequentia miraculorum, quæ ipſius apud Deum meritis edebantur, magis ac magis increbreſceret, atque in ejus venerationem Chriſtianorum hominum animi vehementius incitarentur; anno Chriſti 1516. Luſitaniæ Rex Emmanuel per Michaelem Sylvium Legatum ſuum a Leone X. Pont. Max. S. V. prædeceſſore & poſtulavit, & impetravit ut B. Eliſabetha tota Conimbricenſi Diœceſi ſolemni ritu cum Beatæ titulo coleretur, ejuſque Imagines publice ac privatim dedicare liceret. Anno vero 1551. Lucius Andreas Reſendius Vir apprime doctus in ejus honorem Sacras laudes, quas vulgo vocant Officium, compoſuit. Nec multo poſt Rex itidem Luſitaniæ Joannes Emmanuelis filius a Pont. Max. obtinuit, ut in Regia eamdem ſibi venerari liceret. Ac Pompejus Zambeccarius Summi Pontificis Legatus anno 1553. omnibus Orationem Dominicam, & Salutationem Angelicam ad B. Reginæ Sepulchrum recitantibus ipſius feſto die cum octo ſequentibus, & aliorum quorundam Sanctorum conceſſit omnes pœnarum remiſſiones (Indulgentias appellant) quas conſequuntur, qui iiſdem diebus Romæ templa vel intra, vel extra mœnia religioſe inviſunt.

Poſt aliquot annos Rex etiam Luſitaniæ Sebaſtianus (qui ad Regni tranquillitatem, ac ſalutem B. Eliſabethæ meritis a Deo dicitur impetratus) agit apud Paulum IV. Pontificem Maximum, ut ſuperiorem Pontificum Diplomata de B. Regina amplificaret: idque conſequutus eſt, ac præterea poteſtatem ejus Imagines exponendi, annua Sacra faciendi, eique preces fundendi per univerſam Luſitanorum Regum ditionem: ejuſque Feſtus dies dictus eſt is, quo migravit in Cœlum, nempe IV. Nonas Julii.

Anno deinde 1611. Catholicus Rex Philippus hoc nomine Tertius, & Regina Margarita Auſtriaca poſtularunt a Paulo V. Pontifice Maximo S. V. prædeceſſore, ut Canonizare, & in Sanctorum Catalogum adſcribere dignaretur B. Eliſabetham. Cum igitur tantorum Principum petitioni Sanctiſſimus Pater plurimum deferendum cenſuiſſet, cognitionem ejus cauſæ demandavit tribus Sacræ Rotæ Auditoribus, Franciſco Peniæ Decano, Franciſco Sacrato, & Alphonſo Manzanedo. Hi vero conceſſerunt ſuam Remiſſoriam, & Compulſoriam in forma directa Epiſcopo Conimbricenſi, Lerienſi, & Doctori Franciſco Vazio Pinto, qui Catholicæ Majeſtati erat a Conſiliis; ut adhiberent neceſſarias probationes teſtibus, ac ſcriptis, aliaque authentica documenta ſtatuerent ſuper Vita, ſanctitate, ac miraculis B. Reginæ. Hi omnes cum cauſæ Procuratoribus, examinatis multis teſtibus, extractis juribus, & juridicis Proceſſibus formatis, Romam eos ad jam dictos Rotæ Auditores tranſmiſerunt. Dum vero in hujuſmodi Proceſſibus diligenter expendendi tempus atque operam illi impenderent, accidit, ut Paulus V. prius, deinde Greg. XV. Pontifices Maximi S. V. prædeceſſores ex hac vita migrarent: qua propter inchoatum opus abſolvi non potuit.

Poſtquam vero S. V. poſtulantibus meritis, ad iſtud Pontificatus faſtigium evecta eſt, inſtare iterum cœpit Catholicus Rex Philippus per ſuum totius Luſitanici Regni Agentem Michaelem Suarium Pereiram, ut religioſum hoc munus perduceretur ad exitum. Placuit S. V. tam æquis tanti Principis poſtulatis aſſentiri. Quapropter a Rotæ Auditoribus Joanne Baptiſta Coccino Decano, Alphonſo Manzanedo, & Rotæ Locumtenente Jacobo de Cavaleriis relatum fuit de ſtatu cauſæ, clareque ſignificatum, poſſe eam ad noſtram Sacrorum Rituum Congregationem tranſmitti: ut, cum ipſa vidiſſet ac perpendiſſet ea, quæ in re videnda & perpendenda judicaret, ſuper petita Canonizatione ſuam ſententiam diceret.

Nos vero, Beatiſſime Pater, accepta relatione vitæ, ac miraculorum Beatæ Reginæ, & S. V. voluntate percepta; habitis ſuper ea pluribus ſeſſionibus, in quibus dictorum Auditorum concluſiones accurate, ac diligenter examinavimus; unanimi conſenſu cenſuimus, omnes ſupradictos Proceſſus fuiſſe, & eſſe validos, legitimos, & legales, & eorum probationes ſuper Sanctitate, ac miraculis B. Eliſabethæ fuiſſe legitimas & ſufficientes.

Hæc ſunt, Beatiſſime Pater, quæ ex legitimis Actis hujus cauſæ dicenda fuerunt de vita, & Moribus B. Reginæ Eliſabethæ, deque miraculis illius beneficio patratis. Quibus copioſius in multis Congregationibus perpenſis atque diſcuſſis, Cardinales Congregationis Sacrorum Rituum in eam ſententiam unanimes venerunt, Poſſe Sanctitatem Veſtram (ſi ei placuerit) ad ulteriora procedere, & Canonizationem B. Reginæ Eliſabethæ juxta Sacros Romanæ Eccleſiæ Ritus perficere, & ſolemniter celebrare.

UAB Biblioteca de Ciències Socials

APPENDIX SECUNDA

CONSTITUTIO

SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI

BENEDICTI PAPÆ XIV.

Qua ſtatuitur, ut Servorum, & Ancillarum Dei Beatificationes, & Canonizationes in Baſilica Principis Apoſtolorum peragantur.

De qua ſuperiori Cap. 36. §. 2.

BENEDICTUS EPISCOPUS SERVUS SERVORUM DEI

Ad perpetuam rei memoriam.

AD ſepulcra Apoſtolorum, quorum conſecrata Sanguine Roma, quæ fuerat Magiſtra erroris, facta eſt diſcipula veritatis; ad ſacros Beati Petri cineres, ſuper cujus fidei firmitate extructa totius ſacri ædificii Cælo inferenda conſurgit ſublimitas, Romana Mater Eccleſia in ſuis triumphat filiis, qui, calcatis Mundi blanditiis, & infernalis hoſtis ſuperatis inſidiis, ad præmia pervenerunt æterna, & quos inter ſanctos Dei Servos, & cæleſtis beatitudinis conſortes congruo devotionis cultu venerandos Romani Pontificis a Chriſto Domino accepta, & per Petrum ad Succeſſores ſuos derivata decernit auctoritas. Quæ igitur a Romanis Pontificibus Prædeceſſoribus noſtris prudenti conſilio, & provida ratione inſtituta ſunt, & longo deinde uſu recepta, pie ſancteque ſervata, Nos, quorum humilitatem ineffabilis Dei benignitas ad Cathedram Petri evehere dignata eſt, decet diligenter ſervare, & ſtudioſe cuſtodire, & ſi quid vel temporum, vel rerum varietate immutatum eſt, in integrum reſtituere, & ad priſtinam rationem ac formam revocare, atque alia diſponere, prout in Domino videtur expedire.

Sane quidem omnes & ſingulæ Beatorum Canonizationes in Urbe noſtra peragendæ in Baſilica Beati Petri Apoſtolorum Principis ſemper peractas fuiſſe, antiqua ac fide digna teſtantur monumenta. Cum autem fel. record. Benedictus Papa XIII. Prædeceſſor noſter, a quo ad Cardinalatus honorem aſſumpti fuimus, in eadem Vaticana Baſilica Beatos Turribium ex Majorga, Jacobum a Marchia, Agnetem a Monte Politiano, Peregrinum Latioſum, Joannem a Cruce, Franciſcum Solanum, Aloyſium Gonzagam, Stanislaum Koſtkam, & biennio poſt Beatam Margaritam a Cortona Sanctorum cultu honorandos ſolemniter de more conſtituiſſet, ac deinde Beatum Joannem Nepomucenum in Sanctorum numerum ſimiliter referre vellet, ei perſuaſum eſt, ut id in Baſilica noſtra Lateranenſi ſolemni ritu perageret. Nos, qui per id temporis Eccleſiæ Anconitanæ ex conceſſione, & diſpenſatione Apoſtolica præeramus, eumdem Benedictum Prædeceſſorem per noſtras litteras certiorem facere non prætermiſimus, Beatorum Canonizationes, quoties in Urbe faciendæ erant, nonniſi in Vaticana Baſilica ab antiquo tempore celebrari conſueviſſe; & ad hujuſmodi officium præſtandum eo magis Nos teneri credidimus, quia per plures annos, dum in minoribus eramus, unus ex inſignis ejuſdem Baſilicæ Capituli Canonicis extitimus, & per plures etiam annos munere Promotoris Fidei functi fuimus. Tum autem Roma benigne Nobis reſponſum eſt, quod in Baſilica Lateranenſi ſolemnis apparatus pro Canonizatione ibidem habenda jam nimium proceſſerat, noſtræque literæ ſerius, quam oportebat, ad Urbem pervenerant.

Poſtmodum a piæ mem. Clemente PP. XII. ſimiliter Prædeceſſore noſtro ab Eccleſiæ Anconitanæ ad Eccleſiæ Bononienſis regimen Apoſtolica ejus auctoritate translatis Nobis ſignificatum eſt, prædictum Clementem Prædeceſſorem BB. Vincentii de Paulis, Joannis Franciſci Regis, Catharinæ Fieſchi Adorni, & Julianæ Falconeriæ Canonizationem propediem in Eccleſia Lateranenſi ſolemniter celebraturum: Sed quoniam per id tempus jam primus liber operis noſtri de Servorum Dei Beatificatione, & Beatorum Canonizatione in publicum editus fuerat, in quo nullam ante præfati Benedicti Prædeceſſoris tempora Beatorum canonizationem in Urbe ſolemniter, niſi in dicta Baſilica, celebratam fuiſſe ſatis ſuperque demonſtratum fuerat, ulterius animi noſtri ſenſus aperire ſuperfluum duximus.

Præterea, cum ante fel. rec. Alexandri PP. VII. pariter Prædeceſſoris noſtri tempora nulla ſtatuta eſſet ſolemnitas in Beatificatione Venerabilium Servorum & Ancillarum Dei obſervanda, idemque ritum, & ſolemnitatem adhibendam in ſacra functione hujuſmodi, eamque debita pompa in Vaticana Baſilica explendam decreverit, ita ſemper poſterioribus temporibus ſervatum eſt, ut omnes beatificationes in eadem Vaticana Baſilica celebrarentur uſque ad præfati Benedicti XIII. tempora, quo Romanam Eccleſiam gubernante, quamvis in Vaticana Baſilica Beatificatio Ancillæ Dei Beatæ Hyacinthæ Mariſcottæ, & Servi Dei B. Joannis de Prado facta ſit; nihilominus Beatificatio Servi Dei B. Fidelis a Sigmaringa paulo poſt Canonizationem B. Joannis Nepomuceni in Baſilica Lateranenſi celebrata fuit: Poſt hanc vero beatificationem in ejuſdem Benedicti Pontificatu in Baſilica Vaticana ſolemni ritu relati fuerunt in Beatorum numerum Servus Dei poſtea Beatus, & nunc Sanctus Vincentius de Paulis, & Servus Dei Beatus Petrus Forerius; in Pontificatu autem Clementis XII. paulo poſt ſupradictas Canonizationes in Baſilica Lateranenſi uno eodemque die unica ſolemnitate peractas, in eadem Baſilica ſolemniter adſcriptus eſt inter Beatos Servus Dei nunc Beatus Joſeph a Leoniſſa: Cum autem a Nobis ob ineffabilem Dei benignitatem Pontificatus honorem ac onus gerentibus decretum fuiſſet, ut inter Beatos Servus Dei Alexander de Saulis adſcriberetur, ſolemnis ejuſdem Beatificationis functio in Baſilica Vaticana celebrata eſt.

Matura igitur conſideratione perpendentes, quod a Romanis Pontificibus Prædeceſſoribus noſtris omnes Venerabilium Servorum, & Ancillarum Dei Sanctificationes in Urbe noſtra ſolemniter peragendæ laudabili inſtituto, optimiſque ex cauſis ab antiquiſſimo tempore in Vaticana Baſilica, & quod ab Alexandri PP. VII. Prædeceſſoris noſtri, & ſucceſſivis deinde temporibus Beatificationes quoque in eadem Vaticana Baſilica, exceptis nonnullis ſupramemoratis Canonizationibus, & Beatificationibus ab iiſdem Prædeceſſoribus noſtris Benedicto, & Clemente in Baſilica Lateranenſi peractis, ſemper celebratæ fuerunt: Ne igitur commendabili & antiquæ conſuetudini, & prædictæ Vaticanæ Baſilicæ prærogativæ hujuſmodi ex B. Joannis Nepomuceni Canonizatione, ac Venerabilis Servi Dei Fidelis a Sigmaringa Beatificatione a Benedicto, nec non ex Beatorum Vincentii de Paulis, & Joannis Franciſci Regis, ac Beatarum Catharinæ Fieſchi

UAB Universitat de Barcelona Ciències Socials

schi Adorni, & Julianæ Falconeriæ respective Canonizatione, & Venerabilis Servi Dei Josephi a Leonissa Beatificatione a Clemente Prædecessoribus prædictis in Ecclesia Lateranensi celebratis præjudicium aliquod afferatur, hac nostra perpetuo valitura Constitutione veterem consuetudinem, ac venerandum Prædecessorum nostrorum institutum, decretumque Alexandri Prædecessoris prædicti, ac integrum ejus tenorem Apostolica auctoritate approbantes, confirmantes, & innovantes, ac illis quodcunque Apostolicæ firmitatis robur adjicientes motu proprio, ex certa scientia, ac Apostolicæ potestatis plenitudine decernimus, præcipimus, & constituimus, ut in posterum, & perpetuis inde futuris temporibus omnes & singulæ Venerabilium Servorum & Ancillarum Dei Beatificationes, ac BB. Canonizationes in Urbe nostra prædicta pro tempore celebrandæ non in aliis, quam in Basilica Principis Apostolorum de Urbe prædicta privative quoad reliquas Basilicas, Ecclesiasque ejusdem Urbis celebrari omnino debeant; utque Canonizationes, & Beatificationes in eadem Ecclesia Lateranensi a Benedicto, & Clemente Prædecessoribus prædictis, ut præfertur, peractæ nullo unquam tempore, perinde ac si in ea celebratæ non fuissent, præjudicium aliquod antiquo instituto, & Vaticanæ Basilicæ prærogativæ afferre valeant, Insuper quoniam ab eodem Alexandro Prædecessore nostro usque ab anno 1659. alterum emanavit Decretum super contributione tam in Beatificationibus, quam in Canonizationibus favore Sacrarii ejusdem Basilicæ facienda, quod a Nobis in prædicto libro primo operis nostri de Beatorum Canonizatione relatum est, motu, scientia, & potestate simili illud approbamus & confirmamus, & quatenus opus sit, quæ ab ipso Alexandro Prædecessore decreta sunt, rursus decernimus, & constituimus, & in futurum ab omnibus inviolabiliter observari volumus, & mandamus.

Præsentes quoque ex eo quod interesse ad præmissa habentes ad hoc vocati, & auditi non fuerint, aut ex alia quavis juridica & legitima, etiam necessario exprimenda causa, vel quocumque prætextu de intentionis nostræ, aut alio quovis defectu notari vel impugnari nullo unquam tempore posse, sed semper firmas validas & efficaces fore, & esse:

Sicque & non alias per quoscumque Judices etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, ac quoscumque alios Judices quacumque judicandi facultate fultos judicari & definiri debere, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, irritum quoque & inane quidquid secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Non obstantibus Canonizationibus, & Beatificationibus in prædicta Ecclesia Lateranensi, ut præfertur, celebratis, ac nostræ & Cancellariæ Apostolicæ regula de jure quæsito non tollendo; nec non constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, si quæ contra literarum nostrarum hujusmodi tenorem editæ existant, statutis, consuetudinibus, privilegiis quoque, & indultis, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter & expresse derogamus, ac derogatum esse volumus contrariis quibuscumque.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostri decreti, statuti, constitutionis, confirmationis, derogationis, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire; Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem nono Cal. Decembris Anno Incarnationis Dominicæ millesimo septingentesimo quadragesimo primo, Pontificatus nostri Anno Secundo.

D. Cardin. Passionеus,

Visa de Curia N. Antonellus. X. Sub-Datarius.

I. B. Eugenius,

Anno a Nativitate Domini nostri JESU CHRISTI millesimo septingentesimo quadragesimo primo indictione IV. die vero 13. Decembris suprascripta Constitutio affixa, & publicata fuit ad valvas Basilicæ Lateranensis, Principis Apostolorum, Cancellariæ Apostolicæ, Curiæque Generalis, in Monte Citatorio, in Acie Campi Floræ de Urbe, ac in aliis locis solitis, & consuetis per me Antonium Pelliccia Apost. Curs.

Nicolaus Cappelli Mag. Curs.

UAB Biblioteca de Ciències Socials

APPENDIX TERTIA

PUBLICA INSTRUMENTA CANONIZATIONUM

S. VINCENTII a PAULO, S. JO. FRANCISCI REGIS, S. JULIANÆ FALCONERIÆ, S. CATHARINÆ FLISCÆ ADURNÆ, S. ELISABETHÆ LUSITANORUM REGINÆ.

De quibus Cap. 36. & alibi.

CANONIZATIO B. VINCENTII A PAULO

Fundatoris Presbyterorum Sæcularium Congregationis Missionis, & Societatis Puellarum, quæ Caritatis nuncupantur.

CLEMENS EPISCOPUS SERVUS SERVORUM DEI

Ad perpetuam rei memoriam.

§. 1. SUPERNA Hierusalem, & Beata Dei viventis Civitas, in qua a Cælesti Patrefamilias unus æternæ Vitæ denarius æqualiter omnibus, qui in Vinea sua operati sunt, distribuitur, habet diversa loca, & mansiones, quas quisque pro suo accepturus est merito. Itaque anxios Apostolos de morte Christi, & de sua infirmitate trepidos, & de futuro præmio sollicitos, cum audivissent Petrum promptiorem animo, ac fidentiorem, & qui ceterorum caput, & Princeps constitutus fuerat, ter Dominum ad Galli cantum negaturum, solatus est Christus Dominus, dicens: Non turbetur cor vestrum, in Domo Patris mei mansiones multæ sunt: significant his verbis, quod nemo eorum, licet alius alio fortior, alius alio infirmior, alius alio justior, ab illa felici Domo excluderetur, in qua multæ essent mansiones, nempe diversæ meritorum in una vita æterna dignitates. Siquidem alia est claritas Solis, alia claritas Lunæ, alia claritas Stellarum; Stella enim a Stella differt in claritate, & non una expressa est in Evangelio fœcunditas; nam facit aliud quidem centesimum, aliud autem sexagesimum, aliud vero trigesimum: ubi centenus fructus Martyribus, sexagenarius Virginibus, alius aliis assignatur. Multæ igitur in Domo Dei mansiones, non una Stellarum claritas, non idem, sed multiplex est fructus, ita etiam non una est corona, quæ tempore persecutionis accipitur: habet & Pax coronas suas, quibus de varia, & multiplici congressione Victores prostrato, & subacto Adversario, coronantur: libidinem subegisse, Continentiæ palma est; contra iram, contra injuriam repugnasse, corona Patientiæ est; de Avaritia triumphus est pecuniam spernere: laus est Fidei fiducia futurorum Mundi adversa tolerare; & qui superbus in prosperis non est, gloriam de humilitate consequitur: & qui ad Pauperum fovendorum misericordiam pronus est, retributionem Thesauri Cælestis adipiscitur: & qui invidere non novit, quique unanimis, & mitis fratres suos diligit, dilectionis, & pacis præmio honoratur. In hoc Virtutum stadio, ad has Justitiæ palmas, & coronas accipiendas Beatus Dei Servus Vincentius a Paulo non solum ipse pervenit, sed alios etiam plurimos opera, & exemplo suo perduxit. Nam tamquam strenuus Dei Miles, deponens omne pondus, & circumstans peccatum propositum sibi certamen aliis virtute præcurrens inivit, & ad longævam usque senectutem adversus Principes, & Potestates, & Rectores Mundi tenebrarum harum fortiter, ac legitime certavit, & de manu Domini in æterna illa Beatitudine meruit coronari. Quem autem Deus, qui facit mirabilia magna solus, æternæ felicitatis præmio donaverat in Cælis, in Terris quoque signis, ac prodigiis illustrem reddere voluit, eo potissimum tempore, quo in Galliis novatores falsis, fictisque miraculis suos diffundere errores, pacem Catholicæ Ecclesiæ turbare, simplices ab unitate Romanæ Sedis abducere conabantur.

§. 2. Itaque Divinæ obsequentes voluntati, ut ad currendam viam salutis excitentur Fideles, ut perversorum coerceatur pravitas, & Hæreticorum confundatur improbitas, Servum Dei Vincentium ab universo fideli Populo, cujus regimini superna dignatione immerentes præsidemus, Sanctorum cultu, & honoribus colendum, ac venerandum hodierna die Apostolica Auctoritate decrevimus. Exultet igitur, & gaudeat Ecclesia, novum a Deo Patronum sibi oblatum esse, qui pro peccatis Populi apud Dominum preces adhibeat. Laudent eum universi Fideles, & eo cultu, atque iis honoribus prosequantur, quibus Deus in Sanctis suis honoratur. In Psalmis igitur, in Hymnis, & Canticis Spiritualibus, in compunctione cordis, & Egenorum miseratione præclaram de Mundo, ac Diabolo relatam victoriam, & spiritualem Servi Dei triumphum celebremus. Templa quidem in ejus honorem immortali Deo ædificentur; sed nos, qui Templum Dei sumus, humanæ pravitatis labe polluere, ac violare timeamus, demusque operam, ne quid immundum, aut profanum Templo Dei, hoc est Animæ nostræ inferatur, ne offensus Sedem, quam inhabitat, derelinquat. Ejus memoriæ, & Altaribus dona, & munera offerantur; Sed exhibeamus quoque Corpora nostra hostiam viventem, sanctam, Deo placentem, rationabile obsequium nostrum: ejus denique religiosa Simulacra, sacræque Imagines in veneratione, & cultu habeantur, sed ejus Virtutum egregiam formam, sanctæque conversationis imaginem, Divina opitulante Gratia, in nobis ipsis exprimere, ac repræsentare quoad cujusque nostrum imbecillitas patitur sollicite studeamus.

§. 3. In humili Pago, quem Ranquines dicunt, Aquensis Diœcesis, ex pauperrimis, sed piis Parentibus natus est Vincentius a Paulo, qui a Pueritia tanquam innocens Abel Pastor Ovium fuit, & ad eum, & ad munera ejus respexit Dominus. Nam in innocentia vivens, de sua parsimonia, & abstinentia gratum Deo offerebat Sacrificium pietatis; Siquidem farinam, dum a Mola rediret, & panem sibi in tenuem victum a Parentibus traditum, Pauperibus distribuebat, impendens virtuti, quod propriæ subtrahebat sustentationi,

ut

ut fieret refectio Pauperum abſtinentia jejunantis. Ardentem enim pii Adoleſcentuli caritatem paupertas non retardabat, licet parvum eſſet, quod poſſet de ſua facultate decerpere, tamen animi magnitudine cenſus anguſtiam ſuperabat. Itaque dimidium ſcutum, quod quotidiana parſimonia, & induſtria frugalitate e ſuis laboribus minutatim collegerat, occurrenti miſero totum elargitus eſt, ad exemplum illius pauperculæ Viduæ, quæ a Domino meruit laudari, quia non ex eo, quod abundabat illi, ſed de penuria ſua omnia, quæ habuit, miſit totum victum ſuum.

§. 4. Ab agreſti, & paſtoritia vita avocatus a Patre Aquas miſſus eſt ut in Convictu Fratrum Ordinis Sancti Franciſci literis operam daret. Id autem ſedulo, ac diligenter executus eſt, ea morum integritate, & erga Deum pietate ſe gerens, ut æqualibus exemplo, majoribus admirationi fuerit. Hinc Toloſæ, deinde Cæſareæ Auguſtæ in Theologiæ Studiis opera diligenter poſita, caſtus, humilis, & modeſtus, & quales in ſortem Domini vocatos eſſe decet, per omnes Eccleſiaſticos Ordines ad Sacerdotii ſublimem dignitatem aſcendit.

§. 5. Vix autem fuerat Sacerdotali honore inſignitus, inſcius, & abſens, cum fama ejus probitatis, & doctrinæ increbuiſſet, ad pinguem Beneficii præbendam nominatus eſt: quam, ubi reſcivit, ſine judiciali controverſia ſe adipiſci non poſſe, ſponte, ac libenter dimiſit; nam amans potius injuriam accipere, & fraudem pati, quam judicio cum fratre contendere, uberi voluit carere proventu, quem ſine lite ab Eccleſiaſtico Viro, ut ipſe ajebat, omnino fugienda, conſequi non potuiſſet.

§. 6. Interea ne aliis oneri eſſet, ſed ſibi, & pauperi Matri victum honeſtis laboribus, & laudabili induſtria ſubminiſtraret, humaniores literas in Caſtro non ignobili, quod Buſſetum vocant, Diœceſis Toloſanæ, deinde in ipſa Urbe edocuit. Et quoniam ejus potiſſima cura, & vigil ſollicitudo erat Adoleſcentum mentes non rerum Divinarum ſterili dumtaxat notitia inſtruere, ſed eorum animos ad Cœleſtem Sapientiam ampleclendam impellere, & mores ad ſublimem Chriſtianæ profeſſionis virtutem, & Sanctitatem informare, nobiles Viri certatim filios ſuos ejus curæ committebant, ut in via Domini, & in Sanctorum ſcientia ſub tanti Viri proficerent Evangelica diſciplina, & pietatis magiſterio.

§. 7. Profectus Maſſiliam, ut pecuniam, quæ ex credito relictæ ſibi hereditatis debebatur, acciperet, cum Maſſilia Narbonem verſus remeaturus Toloſam ſecundo vento navigaret, in Turcas incidit, qui Navis Magiſtro, aliiſque interemptis, Vincentium ſagitta vulneratum, veſtibus exutum, & catenis onuſtum in Africam Captivum abduxerunt. Multa, & gravia a Turcarum ſævitia ne Legem Domini fui defereret paſſus eſt, ſciens non eſſe condignas paſſiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis.

§. 8. Narrant, cum forte unum e Confervis ſuis ſub gravi catenarum pondere miſere laborantem conſpexiſſet, nec ad ſublevandas miſeri illius anguſtias haberet quod traderet, ſe ipſum dediſſe in vincula, ut Corporis ſui diſpendio alienam redimeret calamitatem. Duris Agrorum culturæ laboribus immiti ab hero addictus fuerat, qui ultimus extitit, (nam tres toto captivitatis tempore habuit) eumque ſæpe confueverat una ex concubinis herilibus adire, quæ a nativitate profeſſione Mahumetana, Chriſtianæ tamen Religionis Inſtituta, & Fidem audiendi percupida erat. Quadam die cum plura de Deo, & Chriſtiana Religione rogaſſet, juſſit, ut aliquid cantaret ex Canticis Sion. Tunc vero Servus Dei Pſalmum illum: *Super Flumina Babylonis illic ſedimus, & flevimus:* aliaque pia Carmina cecinit; dum autem ad incircumciſas Mahumetanæ Mulieris aures Sacrum Domini Canticum ex ore Vincentii reſonabat, Deus operatus eſt in corde profanæ Fœminæ, ut aliquam Cœleſtis dulcedinis ſuavitatem perſentiret. Itaque Domum regreſſa, Maritum, qui a Chriſtiana Fide, ut Mahumetis ſequeretur deliramenta, defecerat, convenit, eumque reprehendit Religionem ſuam reliquiſſe, quam optimam eſſe cenſebat, tum ex iis, quæ de ore Servi audierat, tum ex inuſitata voluptate, quam ex Cantico perceperat, quanta neque in Majorum ſuorum Paradiſo ſe fruituram eſſe ſperabat. Verbis Fœminæ e mmotus impius ille reſpexit fœditatem ſuam, eamque damnavit, atque exuere decrevit, adjuvantibus monitis, & orationibus probi Famuli ſui Vincentii, quicum, re compoſita, parva Navicula e Turcarum manibus in Gallias aufugit, ibique a Vincentio Apoſtolicæ Sedis Avenionenſi Pro-Legato exhibitus, ſacris ſervatis Ritibus, impoſitaque pœnitentia Eccleſiæ reconciliatus eſt.

§. 9. Romam deinde Servus Dei ſe contulit, ut ſacras Martyrum venerarentur exuvias, quorum ſanguine expiata Urbs, quæ fuerat ſedes ſuperſtitionis, facta eſt Mater, & Magiſtra Religionis, & ut ad Sepulchra Apoſtolorum ſe proſterneret, & Cathedram Petri adoraret, cujus dignitas etiam in indigno herede non deficit.

§. 10. Reverſus in Gallias, ſuadente eximia pietate Viro Petro Berullo Auctore Congregationis Oratorii Jeſu, & poſtea S. R. E. Cardinali, primum in Pariſienſi, deinde in Lugdunenſi Diœceſi Parœciam adminiſtrandam ſuſcepit, ubi factus forma Gregis ex animo Oves ſibi commiſſas dirigens in viam Domini verbo pavit, & exemplo. Et quoniam meſſis quidem multa, Operarii autem pauci, juniores Clericos in Ædibus ſuis alendos, educandoſque excepit, quibuſcum communem vitam agens eos in Lege Domini inſtruebat, ut ad majorem provecti ætatem poſſent verbo Dei, & doctrina ſalubri Eccleſiam Domini ædificare.

§. 11. Fama pietatis Vincentii, & odor bonæ ejus converſationis pervenit ad Sanctum Franciſcum Saleſium, qui eum Sanctimonialibus Viſitationis nuncupatis, quarum Monaſterium nuper Pariſiis erectum fuerat, præpoſuit: in commiſſo autem ſibi difficili miniſterio vigil ſacrarum Ancillarum Cuſtos, & prudens Animarum Rector oſtendit, opere comprobavit, quam verum, & rectum eſſet judicium Sanctiſſimi Præſulis, qui Sacerdotem Vincentio digniorem nullum ſe noſſe palam affirmabat. Porro per quadraginta annos ſingulari prudentia, cura, & ſollicitudine ſacris illis Virginibus ad viam ſalutis Beatus Dei Servus conſulit, ut quæ a carnali concupiſcentia recedentes tam carne, quam mente ſe Deo voverant, conſumarent opus ſuum, & ad Dei munera per Divina Præcepta pervenirent.

§. 12. Sed fragrans Vincentii Charitas haud intra Sanctimonialium Clauſtra continebatur, ſed cum probe intelligeret nullam eſſe excellentiorem, præſtantioremque curam, quam quæ curandis, ſanandiſque animis collocatur, ad ineundam ſpiritualem pugnam contra concupiſcentiam carnis, & pravitatem Mundi, contra ſuperbiam, & malitiam Sæculi, contra calamitates, & miſerias filiorum Adam, contra parvulorum ignorantiam, contra demum ſpirituales nequitias inſtruxit Exercitus fortium, qui præliarentur prælia Domini. Nam anno milleſimo ſexcenteſimo vigeſimo quinto inſtituit Congregationem Presbyterorum Sæcularium Miſſionis, qui contemptis atque deſertis Mundi hujus illecebris, in communem vitam caſtiſſimam ſanctiſſimamque congregati nihil proprium habentes ſimul ætatem agerent, viventes in orationibus; in lectionibus, in exhortationibus aliiſque ſpiritualibus exercitiis, quibus clericos Sæculares in ſcientia Domini, in Eccleſiaſticis Ritibus, & Sacro inſtruerent Miniſterio: Laicos autem Mandatorum Divinorum, rerumque Cœleſtium meditatione eis propoſita ad viam ſalutis currendam accenderent: qui perpetuo voto ad peragendum Apoſtolicum Sacrarum Miſſionum opus, præſertim in Pagis, in Villis, Lociſque Campeſtribus, ubi jacentibus in tenebris, & umbra mortis raro Evangelicæ veritatis lumen affulget, ſe Deo obſtringerent: qui nulla ſuperbia tumidi, nulla pervicacia turbulenti, nulla invidentia lividi, ſed modeſti, verecundi, pacati, concordiſſimam vitam, & intentiſſimam in Deum, Proximorumque ſalutem, gratiſſimum munus omnium bonorum datori offerrent.

§. 13. Chriſtiana autem Charitas erga Proximum, quæ a Charitate Dei, tanquam a fonte proficiſcitur, & mirabili quodam modo tanquam gradibus per eam ad perfectum Dei amorem aſcenditur, non ſolum providet ſaluti animarum, ſed etiam corporis indigentiis conſulit. Itaque Servus Dei perfecta ardens charitate, & Animis, & Corporibus ſubvenire, ac benefacere ſatagebat, agebatque, quantum poterat, ut proximus ſalvus corpore, ſalvuſque animo eſſet, ita tamen ut omnem Corporum curam ad ſalutem Animarum, de qua potiſſima debet eſſe ſollicitudo, referret. Quamobrem totis miſerationis viſceribus compatiens calamitatibus, & anguſtiis miſerorum præſertim Ægrotantium, Senum, Puerorum, Puellarumque, qui viribus infirmi ac debiles ſibi ſuccurrere non valentes ſæpe neceſſario deſtituti auxilio, ſuis miſeriis opprimuntur, Societatem Puellarum Caritatis nuncupatarum fundavit, quæ Senibus, Pueris, Egenis, & omnis generis Ægrotantibus curandis, inſerviendiſque diu noctuque allaborarent.

§. 14. Præterea non ſolum in ſingulis Urbium, ſed etiam Pagorum, & Villarum Parœciis Sodalitates Matrona-

tronarum inſtituit, quarum ſollicita cura, & diligenti ſollicitudine miſerorum preſſuræ & angustiæ levarentur, Ægrotantibus remedia tam Corporalia, quam Spiritualia, calamitoſis opes atque auxilium, egentibus pecunia, nudis veſtimenta, afflictis conſolatio afferretur; erigendas etiam curavit, variiſque in locis jam ante erectas adjuvit, maximeque promovit Societates Puellarum Crucis, Providentiæ, & Sanctæ Genovefæ, a quibus educarentur, inſtruerenturque in fœmineis opificiis, honeſtiſque moribus pauperes puellæ, ne in maturiorem ætatem adultæ ignorantia Dominicæ Legis, aut Divinorum Myſteriorum inſcitia laberentur, vel otioſæ diſcerent circumire Domos, & loquentes quæ non oportet, retro Satanam converterentur, vel manibus laborare neſcientes domeſticis oppreſſæ difficultatibus ad flagitia & peccata, inopia & egeſtate impellerentur.

§. 15. Inſuper Hoſpitium pro Amentibus cuſtodiendis, Domum ad immorigeros Adoleſcentes corrigendos, & amplum Hoſpitale ad fovendos, alendoſque Senes, & Artifices, qui ad ſibi victum manibus ſuis quærendum impotentes calamitate aliqua evaſerunt, ædificavit. Demum Valetudinaria pro infirmis Remigibus, qui prius in Antra more Beſtiarum detrudebantur, Pariiis, & Maſſiliæ eo enixe procurante Regia liberalitate conſtructa, & dotata fuere, in quæ miſeri illi ægritudine laborantes translatis, & Spiritualibus, & Corporalibus ſubſidiis recrearentur.

§. 16. Eximia enim Vincentii probitas vitæque integritas eo magis magiſque in diem elucens, quo ſtudiotius ab ipſo occultabatur, charæ memoriæ Ludovico XIII. Galliarum Regi innotuerat, ideoque vivens ejus opera ad diſtribuendas occultas eleemoſynas, ejuſque conſilio in nominandis Clericis ad Epiſcopales Cathedras, & Eccleſiaſtica Beneficia utebatur; Moriens autem in ultimo illo agone Vincentium ſibi adjutorem, conſolatoremque eſſe voluit.

§. 17. Poſt vero illius obitum claræ memoriæ Anna Auſtriaca illius Uxor, & Galliarum Regina eum licet reluctantem, & invitum in ſanctius conſcientiæ conſilium adſcivit: ipſe autem ubique, & in Palatio inter Aulicos, & Domi inter ſuos Miſſionis Alumnos, & in Foro inter Cives, & in privatis Domibus inter Egentes, & Calamitoſos, & in publicis Hoſpitalibus inter Senes, & Ægrotos, & in Villis, ac Pagis inter Villicos, & Agreſtes, & in ſacrarum Virginum Aſceteriis, & in Eccleſiaſticis Clericorum Conventibus, & ubique inter omnes caritatis officia obibat; Sanctitatis lucem diffundebat, bonum Chriſti odorem diſſeminabat; ſiquidem in regia Domo Sæculi vanitate contempta, & divitiis, ac honoribus conculcati, ad Deum converſas, & in Cælo fixas omnes cogitationes ſuas habebat. Itaque ejus præcipua cura fuit, ut Parochialibus Præbendis, Eccleſiaſticis Dignitatibus, & Beneficiis, quæ ſunt Bona Pauperum, & Patrimonium Chriſti, digniores præficerentur, & cum nobiles Viri filios ſuos commendarent, & promiſſis, aut minis urgerent, vel ſperanda præmia irriſit, vel prætentas minas calcavit. Neque anima fortis, & robuſta detrimento hereditatis Chriſti, & Crucis diſpendio potentes ſibi optavit amicos, aut de comminatis malis trepida inimicos formidavit.

§. 18. Inter ſuos autem Sacrarum Miſſionum Socios, quos ſecum præſertim ad Ruſticos, & Agreſtes Fidei Catholicæ myſteria, & Divina Præcepta edocendos voto obligari, tum etiam Clero rite inſtituendo, aliiſque caritatis operibus addici voluerat, robore accinctus ex alto toto peregrinationis, ac converſationis ſuæ tempore fidelem ſe Miniſtrum, ſtrenuumque, ac indefeſſum Vineæ Domini cultorem, atque operarium exhibuit.

§. 19. Cum autem illorum regimen, non ut quidam, vim feciſſet, ut adipiſceretur, ſed vim paſſus eſſet, ut acciperet, ita verſabatur, ut omnes intimis caritatis viſceribus complecteretur. Curabat enim, ne quem triſtitia affligeret, ne cogitatio ſæcularis urgeret, & vigili pietatis diſpenſatione providebat, ne illum nimius labor gravaret, ne nimia hic quiete torpeſceret, valentes Corpore avocans a deſidia, ferventes ſpiritu cogens ad requiem, ſuave Chriſti jugum omnibus allevans, & quidquid Diabolus injeciſſet avertens, omnes in ſanctam Animorum ſocietatem, & perfectam Chriſti caritatem unitos ad currendum Chriſtianarum Virtutum ſtadium verbo, & exemplo animabat.

§. 20. Ipſe autem, qui omnibus Sanctitatis merito, & dignitatis gradu anteibat, humili animi demiſſione inferior erat; ſemetipſum palam hominem dictitabat nihili, filium Villici, & olim Gregis addictum cuſtodiæ, perpetua ſuæ Congregationis præfectura in generali conventu ſe ineptum, & imparem muneri ferendo præ humilitate affirmans ſe abdicavit, & efflagitanti in locum ſui alium ſubſtitui, ab iteratis totius conventus precibus vix ei quodammodo illata eſt, ut impoſterum exerceret. Etenim quo ſublimius ad Sanctitatis altitudinem Deum cognoſcendo, & amando aſcendebat, eo inferius agnitione, & contemptu ſui ſe demittebat; ideo viliſſima quæque Domus obibat officia, & ſæpe genibus flexis, & fluentibus lacrymis veniam a ſuis petebat, quod malis exemplis aliorum animos offendiſſet: ob eximia pietatis opera excellenteſque virtutes ſummam gratiam adeptus erat in Aula regia; Plurimi enim faciebat eum Galliarum Regina, & apud omnes tum Epiſcopos, tum Cardinales, alioſque Optimates, & Eccleſiaſticos, & Sæculares, & apud omnes cujuſvis generis ſtatus, & conditionis homines magno in honore, & exiſtimatione habebatur. Ipſe vero coram Deo omnium bonorum datore humilians ſe nihil vanum, aut ſuperbum, nihil procax, aut inverecundum, nihil intemperans, aut immoderatum, vel in opere, vel in ſermone præſeferebat; ſed omnia ordinata, & ad Chriſtianam diſciplinam, & Evangelicam Sanctitatem compoſita aperte oſtendebant nihil intus latere tenebrarum, ubi foris tanta lux virtutum præfulgebat.

§. 21. Temporum iniquitas, & civilium bellorum tumultus Galliarum Cleri Sanctitatem, invecta ignorantia, corruptiſque moribus labefactaverat: ad reparandum decorem Domus Dei, reſtituendamque Eccleſiaſticam Diſciplinam vires omnes, & cogitationes ſuas Vincentius intendit. Itaque ut reſtauraretur Eccleſiaſticæ Diſciplinæ vigor, qui languore vitiorum enervatus fuerat, Religioſas Domos recipiendis Clericis, qui ad Sacros Ordines promovendi eſſent, aſſignavit, eoſque in Sacris Ritibus peragendis, Sanctiſque moribus efformandis, qui ad gradus dignitatem reſponderent, per ſe, ſuoſque Miſſionis Socios inſtruendos curavit: hic autem Sacrarum Cæremoniarum nitor, & venerabilis obſervantia in multas Galliarum Eccleſias revocata eſt.

§. 22. Inſuper cœtus adunavit Sacerdotum, qui ſtatis diebus inter ſe conferrent, & ſe in ſacris diſputationibus exercerent, ut potentes eſſent exhortari in doctrina ſana, & eos, qui contradicunt, arguere. Exemplo autem Moyſis, qui priuſquam a Deo præficeretur Iſraelitico Populo, ut eum e captivitate liberatum per Deſertum ad ſacrificandum Deo in Monte, & deinde ad Terram promiſſionis deduceret, a ſtrepitu Pharaonis Aulæ aufugit in ſolitudinem.

§. 23. Ita Clericis in ſortem Domini vocatis, qui in hujus mortalis vitæ terra deſerta, & inaquoſa ad Altare Domini miniſtrantes verbo, & exemplo, Sanctæ Dei Plebi tendendi ad Cœleſtem Patriam, excuſſo diabolicæ captivitatis jugo, præire debent, Auctor fuit, ut priuſquam ad Eccleſiaſticos gradus aſcenderent, a mundanis tumultibus in Sanctam ſecedentes ſolitudinem per aliquot dies Divinis rebus meditandis, contemplandiſque ſui muneris officiis vacarent.

§. 24. Profecto non ſolum Dei Servus Vincentius egregius fuit Miniſtrorum Altaris Inſtitutor, ſed & boni, & fidelis diſpenſatoris formam in ſe exhibuit: nam erat veluti omnium egentium, & miſerorum perfugium, & cujuſvis generis Pauperes, erogatis etiam nonnunquam, quæ ſibi ſuiſque Miſſionum Sociis videbantur neceſſaria, ita largis ſublevabat eleemoſynis, ut communiter Pauperum Pater nuncuparetur. Aſſiduam, licet jam provectus eſſet ætate, Apoſtolico Sacrarum Miſſionum miniſterio dabat operam, huc illuc alis charitatis ſuper omnem laborem, & ſuper ſenilis ætatis vires volitans lucem Evangelicæ veritatis, & Divinorum Mandatorum ſcientiam ambulantibus in tenebris, & vitiorum caligine perferebat, præſertim pauperrimis Villarum, & Pagorum Incolis, quos lumine Chriſtianæ doctrinæ deſtitutos, in ignorantiæ nocte per devia aberrantes, in viam Domini reducebat. Et quoniam charitas menſuram non habet, Servi Dei virtus Galliarum terminis reſtricta non eſt, ſed longe, lateque diffuſa eluxit: namad amplificandam Fidem & pietatem Evangelicos miſit ex ſuis Alumnis Operarios non ſolum in Italiam, Poloniam, Scotiam, Hyberniam, ſed etiam ad Barbaros, & Indos, noſtriſque Terris diſſociatas Gentes, quas ſuorum Alumnorum opera, diſpulſis Idololatriæ tenebris, ad lucem veritatis adduxit.

§. 25. In remotis autem Provinciis Animarum ſalutem expetens, Corporum etiam egeſtatibus conſulere non omittebat, ut per temporalia ſubſidia carnales homines ad Deum attraheret. Itaque non modo Lotharingiam, Campaniam, Picardiam peſte, fame, belloque vaſtatas

tas largiter refecit, missis ingentibus pecuniarum summis, ad quas distribuendas fideli opera Puellarum Charitatis utebatur, sed in aliis etiam remotissimis Regionibus Hominibus inopia, aut calamitate aliqua laborantibus subvenit; Et cum ipsa Parisiorum Civitas ingenti Annonæ penuria gravissime vexaretur, Domi suæ ad duo millia Pauperum sustentavit.

§. 26. Et quanquam variis, multisque tum Regiæ Aulæ, tum suæ Congregationis, aliorumque locorum, quæ fundaverat, vel quorum curam habebat, distentus negotiis esset, in quibus omnibus indefessam ad Dei gloriam navabat operam, tamen omnium necessitatibus subveniebat, omnium sublevabat angustias, nullum a se repellebat, omnes in Christo complectebatur. Profecto mirum erat, quod nemini ad se negaret aditum, faciles omnium postulationibus accommodaret aures, blande responderet, comiter exciperet, nullius alienaret animum, nullius concitaret invidiam, sed omnibus omnia factus, aliorum curaret corpora, aliorum sanaret spiritus, & prout quisque indigens erat, aut vestimentis, aut sumptibus, aut doctrina vestiret, aleret, instrueret, ostendens quemadmodum etsi non omnibus omnia, omnibus tamen charitas, nulli debeatur injuria; etenim injurias quæ ab aliis sibi propter justitiam inferebantur, tantum abfuit, ut, cum facile posset ulciscereture, quin neque unquam de illis queri auditus fuerit, quia de se humiliter sentiens, illas, si quando accipiebat, merito se pati judicabat. Itaque adeo patienti animo eas tulit, ut a convicium sibi faciente veniam flexis genibus petiverit, percutienti autem maxillam, alteram humiliter præbuerit.

§. 27. Militibus cæca rabie, & infano furore infortunatum quemdam Artificem jam vulneratum nudis gladiis, ut morti traderent, persequentibus corpus suum opposuit, & se in apertum vitæ discrimen objecit, ut Deo lucrareture, quem e faucibus præsentis mortis periculo capitis, & sanguinis sui eripuisset: & quidem tanta, tamque inusitata animi fortitudine attonitis, & verbis Servi Dei mollitis Militum animis, pacati recesserunt; miser autem ille vivus evasit.

§. 28. Sed quoniam Dominicus Ager, cujus nos Operarii sumus, rorante desuper Gratia Dei, fide munitur, jejuniis exercetur, eleemosynis seritur, orationibus fœcundatur; Ideo Beatus Vincentius ne mortalis corporis spirituali cultura neglecta generosum germen periret, & innascentibus spinis, ac tribulis ea producerentur, quæ urenda sunt flammis, non quæ Dominicis Horreis reconduntur, membra sua domare cilicio, conterere jejuniis, altisque pœnitentiæ operibus, præcipue in communibus totius Galliarum Regni & Catholicæ Ecclesiæ calamitatibus consuevit.

§. 29. Si in negotio aliquo gravi, & difficili sententiam rogatus, responsum dare cogeretur, aut si aliquid arduum, & insolitum faciendum sibi propositum esset, Deum, ut Sanctus Rex David, priusquam rem aggrederetur, consulebat, & supplex a Patre luminum postulabat, ut menti suæ lucem ejus claritatis infunderet, qua & quæ respondenda, aut agenda essent perspiceret, & quæ cognita, & perspecta essent, Divina præveniente Gratia, sequeretur, quod bonum, & placitum Deo esset, ea adjuvante, perficeret; Quoties e Cubiculo Domus suæ prodibat in publicum, se coram Deo in terram prosternebat, & Divinam opem enixis, sed brevibus precibus implorabat, ne transiens, licet invitus, per semitas Sæculi, & terrena, ac mundana tractans, cœno filiorum hominum inquinaretur. Ubi vero Domum rediverat, intrabat secreta cordis sui, & latitantem conscientiam ad examen vocabat, & cogitationibus inter se invicem accusantibus, aut etiam defendentibus sollicite inquirebat, studiose emendabat, severe puniebat, si quid imprudens ex ore excidisset, aut incaute operatus esset, adeo diligens erat in custodiendis viis Domini, qui mandavit Mandata sua custudiri nimis.

§. 30. Assiduæ autem orationi deditus a Divinarum rerum contemplatione nullis turbis, nullis negotiis, nullis rebus aut lætis, aut tristibus abstrahebatur. Deum enim semper præsentem menti habebat, & in ejus conspectu stabat: omnia autem, quæ ipsius oculis obversabantur, diligenti cura, sanctaque industria effecerat, ut rerum omnium Creatorem in ejus mentem revocarent, & Dei gloriam, Divinasque laudes ei suo modo loquentia, ad Cœlestem pulchritudinem contemplandam excitarent. Itaque semper modestus, & mitis, mansuetus, & benignus in omnibus mirabili animi æqualitate utens, neque lætis efferebatur, neque turbabatur adversis, quia cum Propheta dicere poterat, *Providebam Dominum in conspectu meo semper, quoniam a dextris est mihi ne commovear.*

§. 31. Ab incruento Altaris Sacrificio nunquam abstinuit, ita vivens, ut quotidie offerre posset. Et quia nonnullis ante obitum Mensibus ob tibiarum morbum gravissime adauctum pedibus insistere nequibat, aderat quotidie Missæ Sacrificio, & Pane Angelico refectus, post humilem gratiarum actionem solemnes Ecclesiæ preces pro agonizantibus præscriptas, veluti prope diem ex corporeo Carcere ad Cœlestem Patriam migraturus pio animi sensu recitabat.

§. 32. Viva enim in Deum fide animabatur, cujus dum vixit strenuus defensor, & propugnator fuit: nam exorta in Gallis hæretica tempestate, quæ turbine suo cuncta turbaverat, ingemuit Dei Servus, postquam sensit Catholicam Fidem in plerisque Jansseniana labe violari, & ab Hæreticorum astutia plurimorum illudente simplicitati, ex omni ordine multos in pravum assensum trahi. Itaque Sancto Dei zelo succensus contra communes hostes arma Fidei arripienda censuit, & quærens Deo non hominibus placere, sacros Ecclesiæ Pastores excitavit, ut supra Christi Domini Ovile excubias agentes, non sinerent Lupos rapaces Dominicas Oves latenter occidere. Itaque eo quantum poterat hortante, ac suadente, octoginta quinque Galliarum Episcopi, quibus postea alii adjuncti sunt, clam irrepentem morbum, & latentem pestem ad culmen Apostolatus ad Cathedram Petri detulerunt, ad quam pericula quæque, & scandala in Regno Dei emergentia, ea præsertim, quæ fidem lædunt, referenda sunt, ut ibi potissimum damna Fidei resarciantur, ubi nequit Fides sentire defectum. Itaque datis ad felicis recordationis Innocentium X. Prædecessorem nostrum literis, Galliarum Præsules humillimis precibus postularunt, ut Apostolico ore pullulantes damnarentur errores, quo suis constabilita regulis Ecclesia, & eo, quod illi timebant, pronuntiationis justæ firmata Decreto, improbis ad eam aditus patere non posset, qui perversis instructi verborum ambagibus, & callidis argumentorum argutiis sub imagine Catholicæ Fidei disputantes, & pestiferum exhalantes virus, hominum recte sentientium in deteriorem partem corda corrumpere, & totam veri dogmatis de libero arbitrio, & gratia Dei, & Hominum redemptione per passionem, & mortem Christi Domini quærebant evertere veritatem.

§. 33. Ubi vero responsum Roma venit, Decretum Successoris Petri submissa animi veneratione suscepit, & exultans in Domino, Sententia Apostolicæ Sedis causam finitam esse, ut tandem finiretur error, summo studio allaboravit; Et prima ejus cura, ac sollicitudo fuit, ut ab omnibus Religiosis Cœtibus, quos ipse fundaverat, vel quorum curam gerebat, occulta Catholicæ Fidei inimica pestis arceretur, ne tabidæ alicujus partis contagione sana quoque membra corrumperentur. Præterea magnam noscens esse pietatem prodere latebras impiorum, & ipsum in eis, cui serviunt, Diabolum debellare, Apostolica libertate, qualis in negotio Fidei Servum Dei decet, Regem, Reginam, Regiosque Ministros commonere non destitit, ut debitis pœnis contumaces ad obedientiam inducerent, pertinaces vero in suis erroribus, e toto Galliarum Regno tamquam pestiferam luem propellerent, atque ita Sæcularis districtio prodesset Ecclesiasticæ lenitati, quæ etsi Sacerdotali contenta judicio cruentas refugit ultiones, severis tamen Christianorum Principum constitutionibus adjuvatur, dum ad spiritale nonnunquam recurrunt remedium, qui timent corporale supplicium.

§. 34. Demum plenus dierum, & meritorum, cum ad octogesimum quintum suæ ætatis annum perveniisset, non minus senio, quam Corporis laboribus confectus, quos pietatis operibus, & Animarum saluti jugiter intentus alacriter susceperat, & ad extremum usque spiritum fortiter toleraverat, Ecclesiæ Sacramentis munitus, Cœlestia anhelans, terrena despiciens, Sacerdotibus extrema Religionis officia præbentibus, ad verba illa sibi familiaria *Deus in adjutorium meum intende*, respondens *Domine ad adjuvandum me festina*, non de sua virtute, sed de Divino adjutorio confisus Parisiis in Domo S. Lazari Presbyterorum Sæcularium Congregationis Missionum feliciter cursum consummavit quinto Kalendas Octobris Anno millesimo sexcentesimo sexagesimo.

§. 35. Post ejus mortem longe, lateque fama Sanctitatis percrebuit, quam etiam multis Deus contestatus est signis, & miraculis, quibus admirabilis ejus providentia abundantiorem exanimis Servi sui Reliquiis venerationem conciliavit, declarans quanto in honore apud Deum ejus Anima esset, cum apud ejus Corpus, quod

vita

vita emigrante tanquam deforme remanſerat, tam evidenter præſens vitæ Dator appareret.

§. 36. Itaque Pariſiis duo Proceſſus, ut moris eſt, auctoritate ordinaria conſtructi fuerunt, alter ſuper fama Sanctitatis, virtutibus, & miraculis, alter vero ſuper cultu non exhibito, quibus permiſſu felicis recordationis Clementis XI. Prædeceſſoris noſtri apertis, eorumque validitate in Sacrorum Rituum Congregatione approbata, die quarta Menſis Octobris Anno Domini milleſimo ſeptingenteſimo nono Commiſſio introductionis cauſæ ſignata fuit; ſubinde præmiſſis omnibus, quæ ex Apoſtolicæ Sedis præſcripto in hiſce cauſis exiguntur, tractatum eſt, an conſtaret de virtutibus Theologalibus, & Cardinalibus in gradu heroico; poſt ultimam autem Congregationem Venerabilium Fratrum noſtrorum Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium Sacris Ritibus præpoſitorum, quæ generalis fuit, piæ memoriæ Benedictus XIII. qui Nobis in Pontificatu præceſſit, die vigeſima prima Menſis Septembris Anno Domini milleſimo ſeptingenteſimo vigeſimo ſeptimo Decretum, videlicet conſtare de virtutibus tum Theologalibus, tum Cardinalibus in gradu heroico, publicari mandavit.

§. 37. Ventum eſt deinde ad examen miraculorum, quod peractum fuit in tribus Congregationibus, quarum ultima generalis habita fuit die decima ſecunda Menſis Julii ejuſdem anni, & approbata fuerunt quatuor miracula, ſcilicet: Primum ſubitæ ſanationis Claudii Joſephi Compoin a cœcitate. Secundum, inſtantaneæ largitionis loquelæ, & virium Mariæ Annæ Lullier Puellæ octenni a nativitate mutæ, & ad motum artuum inferiorum impotenti. Tertium inſtantaneæ ſanationis Sororis Mathurinæ Guerin ab inveterato, & maligno ulcere in tibia. Quartum vero ſubitæ ſanationis Alexandri Philippi le Grand ab inveterata, & contumaci paralyſi.

§. 38. Quod autem de miraculis a præfata Rituum Congregatione judicatum fuit, idem Benedictus Prædeceſſor noſter confirmans, ejuſdemque Rituum Congregationis eſſe locum ſolemni Servi Dei Beatificationi pronuntiantis Decreto annuens, die decima tertia Menſis Auguſti Anno Domini milleſimo ſeptingenteſimo vigeſimo nono Vincentium a Paulo in Beatorum numerum adſcripſit, & ut de B. Dei Servo quotannis die anniverſaria felicis ejus obitus quibuſdam in locis Officium recitaretur, & celebraretur Miſſa de Confeſſore non Pontifice juxta Rubricas Breviarii, & Miſſalis Romani, Apoſtolica Auctoritate indulſit, ac deinde ut ejuſdem Servi Dei nomen inter Sanctos, qui in Romano Martyrologio leguntur, referretur, & propriæ de eodem Beato Vincentio Lectiones a prænominata Rituum Congregatione, audito Fidei Promotore, approbatæ, in ſecundo Nocturno publice recitarentur, permiſit.

§. 39. Expeditis poſtea literis remiſſorialibus, & compulſorialibus pro conficiendo conſueto Auctoritate Apoſtolica Proceſſu ſuper novis miraculis, quæ ſupervenerant poſt decretam ejuſdem Servi Dei Beatificationem, eoque ad Urbem delato, & ejuſdem validitate recognita, præmiſſis conſuetis Congregationibus præparatoriis, & antepræparatoriis nuncupatis, miraculorum examen delatum eſt ad Nos, qui eidem Benedicto XIII. in ſacro Apoſtolatus onere, Divina diſponente Bonitate, ſucceſſimus, & in Congregatione Generali coram Nobis habita die trigeſima Menſis Januarii Anno Domini milleſimo ſeptingenteſimo trigeſimo ſexto, auditis Venerabilium Fratrum noſtrorum ſententiis, poſt imploratum Divinæ opis præſidium, die vigeſima quarta Menſis Junii ejuſdem anni duo ex ſeptem, quæ afferebantur, miraculis, plene approbavimus, videlicet: Primum inſtantaneæ ſanationis Sororis Mariæ Thereſiæ a S. Baſilio a putridis, & diuturnis ulceribus cum longa, & contumaci urinæ retentione, atque enormi hydrope. Et ſecundum inſtantaneæ ſanationis Franciſci Richer ab hernia perfecta inveterata, & deſperata.

§. 40. Quod cum a Nobis peractum fuiſſet, habita iterum coram Nobis generali Congregatione, in deliberatione poſitum eſt, an tuto procedi poſſet ad ſolemnem Beati Vincentii a Paulo Canonizationem, & unanimi voto Venerabilibus Fratribus noſtris Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus aſſentientibus, Decretum de peragenda Canonizatione ſolemniter pronunciavimus.

§. 41. Pluribus Menſibus poſtea elapſis Nos Conſiſtorium Secretum de more convocari juſſimus, in quo dilectus filius Antonius Felix Tituli S. Praxedis Presbyter Cardinalis Zondadari nuncupatus, ſuo, & totius Congregationis Sacrorum Rituum nomine primum retulit Scripturas, Proceſſum, omniaque cauſæ Acta rite confecta fuiſſe, & pleniſſimam auctoritatis, & legitimæ probationis vim obtinere, deinde Beati Vincentii vita, virtutibus, ac miraculis diligenter expoſitis, ſe, & ceteros dictæ Congregationis Cardinales unanimi ſuffragio cenſere, Beatum Vincentium, ſi ita Nobis videretur, poſſe in Sanctorum Catalogum adſcribi, in quorum ſententiam reliqui omnes Cardinales, qui præſentes aderant, conceſſerunt.

§. 42. Quare in tam Sancto, ac gravi negotio nihil omnino neceſſariæ diligentiæ prætermittentes ex more, inſtitutoque majorum decrevimus, ut ad ulteriora procederetur, & poſt nonnullos dies publico Conſiſtorio congregato, in eo dilectus filius Thomas Antamorus Conſiſtorialis Aulæ noſtræ Advocatus, eximia Beati Vincentii Caritate, Vitæ innocentia, & Miraculis copioſe enarratis, chariſſimi in Chriſto Filii noſtri Ludovici Francorum Regis Chriſtianiſſimi, & chariſſimæ in Chriſto Filiæ noſtræ Mariæ eorumdem Francorum Reginæ Chriſtianiſſimæ ejus Conjugis, aliorumque Catholicorum Principum, necnon Venerabilium Fratrum noſtrorum Archiepiſcoporum, & Epiſcoporum, & univerſi Cleri Regni Galliarum, totiuſque inſuper Congregationis Presbyterorum Sæcularium Miſſionis nomine, ut Beatum Vincentium in Sanctorum Catalogum referre vellemus, ſuppliciter a Nobis poſtulavit. Nos autem pro rei graviſſimæ magnitudine maturius adhuc cum Venerabilibus Fratribus noſtris S. R. E. Cardinalibus, & ceteris Archiepiſcopis, & Epiſcopis deliberandum eſſe cenſentes, publicas orationes, & jejunia indiximus, atque omnes Chriſtifideles hortati ſumus, ut Deum nobiſcum precarentur, ut daret Nobis ſpiritum Sapientiæ, & Intellectus, quo hæc arcana Cæleſtia, quæ ratione humana comprehendi non poſſunt, cognoſceremus, & illuminaret oculos mentis noſtræ, ut quid in hac graviſſima cauſa ſecundum Divinum Beneplacitum ſtatuendum eſſet perſpiceremus.

§. 43. Deinde aliud Conſiſtorium ſemipublicum a Nobis habitum eſt, in quo etiam Patriarchas, Archiepiſcopos, & Epiſcopos in Curia Romana exiſtentes, Protonotarios quoque noſtros, qui ex numero dicuntur, & Sacri Palatii Apoſtolici Cauſarum Auditores intereſſe juſſimus, quibus præſentibus cum plura a Nobis de eximia Sanctitate Servi Dei, ac miraculorum celebritate commemorata fuiſſent, recenſitis etiam inſtantiis Catholicorum Principum, & præſertim enixis precibus univerſæ Congregationis Presbyterorum Sæcularium Miſſionis, omnes rogavimus, ut quid cenſerent liberis ſuffragiis exponerent: illi autem ſinguli ex ordine gravibus ſententiis dictis, reſponderunt uno ore benedicentes Deum, Beatum Vincentium inter Sanctos Confeſſores reponendum eſſe. Horum omnium audito conſenſu, intimo cordis affectu exultavimus in Domino, qui concordes efficeret Fratrum noſtrorum voluntates, ut Nomen ejus glorificaretur in Servo ſuo, ad quem honorandum, quantum homines mortales poſſunt, corda noſtra impelleret, & mentes noſtras illuſtraret. Itaque Canonizationis diem indiximus, eoſque monuimus, ut in orationibus, ac jejuniis perſeverantes, Nobis in tanto opere exequendo ſupernum lumen, atque auxilium imperrarent.

§. 44. Omnibus autem rite abſolutis, quæ ex Sacris Conſtitutionibus, Romanæque Eccleſiæ conſuetudine peragenda erant, hodie, quæ fuit dies Dominica Sanctiſſimæ Trinitatis, in Sacroſanctam Lateranenſem Baſilicam decenter ornatam, cum Venerabilibus Fratribus noſtris S. R. E. Cardinalibus, necnon Patriarchis, Archiepiſcopis, & Epiſcopis, Romanæque Curiæ Prælatis, Officialibus, & Familiaribus noſtris, Clero Sæculari, & Regulari, ac maxima Populi frequentia convenimus, ubi repetitis pro Canonizationis Decreto petitionibus a dilecto Filio noſtro Nereo S. R. E. Diacono Cardinali Corſino nuncupato, noſtro ſecundum carnem ex Fratre Nepote, per eundem Thomam Antamorum Advocatum, & decantatis Sacris Precibus, & Litaniis, ac Spiritus Sancti gratia humiliter implorata, ad honorem Sanctæ, & individuæ Trinitatis, ad exaltationem Fidei Catholicæ, & Chriſtianæ Religionis augmentum, Auctoritate D. N. Jeſu Chriſti, Beatorum Apoſtolorum Petri, & Pauli, ac noſtra matura deliberatione præhabita, & Divina ope ſæpius implorata, ac de Venerabilium Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium, Patriarcharum, Archiepiſcoporum & Epiſcoporum in Urbe exiſtentium conſilio, & conſenſu, B. Vincentium a Paulo Sanctum eſſe decrevimus, definivimus, ac Sanctorum Catalogo adſcripſimus, prout tenore præſentium ſimiliter decernimus, definimus, & adſcribimus, illumque univerſos Chriſtifideles tamquam vere Sanctum honorare, & venerari mandavimus, & mandamus ſtatuentes, ut ab univerſali Eccleſia in ejus honorem Eccleſiæ,

& Altaria, in quibus Sacrificia Deo offerantur, ædificari, & consecrari, & singulis annis die decimanona Mensis Julii memoria ipsius inter Sanctos Confessores non Pontifices pia devotione recoli possit.

§. 45. Eademque auctoritate omnibus Christifidelibus vere pœnitentibus, & confessis, qui annis singulis eodem festo die ad Sepulchrum, in quo Corpus ejus requiescit, visitandum accesserint, septem annos, & totidem quadragenas de injunctis eis, aut alias quomodolibet debitis pœnitentiis misericorditer in Domino relaxavimus, & relaxamus in forma Ecclesiæ consueta.

§. 46. His peractis, Deum Patrem Æternum, Regemque gloriæ Christum Dominum Patris Sempiterni Filium, & Sanctum Paraclitum Spiritum, unum Deum, unumque Dominum laudibus, & confessionibus venerati, sacroque Hymno *Te Deum* solemniter decantato, omnibusque Christifidelibus tunc præsentibus plenaria omnium peccatorum suorum indulgentia, & remissione concessa, propter corporales nostras infirmitates, affectamque valetudinem, senilemque ætatem ab eadem Lateranensi Ecclesia recessimus, remanentibus in ea Venerabilibus Fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus, Archiepiscopis, Episcopis, & universo Clero, & Populo, quibus præsentibus a Venerabili Fratre nostro Thoma Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinali Episcopo Prænestino Ruffo nuncupato tanquam Cardinali in ordine antiquiori in Ara maxima præfatæ Basilicæ ex indulto, & de licentia nostra solemniter Missa cum Sancti ejusdem Confessoris commemoratione celebrata est.

§. 47. Decet autem nos gratias agere, & gloriam dare Deo viventi in sæcula sæculorum, qui benedixit Conservum nostrum in omni benedictione Spirituali, ut esset Sanctus, & immaculatus coram ipso, & cum illum dederit Nobis quasi fulgentem Solem in Templo suo in hac nocte peccatorum, & tribulationum nostrarum, adeamus cum fiducia Thronum Divinæ Misericordiæ, ore, & opere supplicantes, ut Sanctus Vincentius universo Christiano Populo prosit meritis, & exemplo, precibus adsit, & patrocinio, & in tempore iracundiæ fiat reconciliatio.

§. 48. Ceterum, quia nimis difficile foret, præsentes nostras originales literas ad singula loca, ubi opus esset, deferri, volumus, ut earum exemplis etiam impressis, manu publici Notarii subscriptis, & sigillo alicujus personæ in Dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem, quæ ipsis præsentibus fides ubique adhibeatur.

§. 49. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrorum Decreti, Adscriptionis, Mandati, Statuti, Concessionis, elargitionis, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Romæ apud S. Joannem in Laterano Anno Incarnationis Dominicæ millesimo septingentesimo trigesimo septimo, sexto decimo Kalendas Julii, Pontificatus nostri Anno septimo.

✠ Ego Clemens Catholicæ Ecclesiæ Episcopus.



✠ *Ego Franciscus Episcopus Ostien. Card. Barberinus.*
✠ *Ego Petrus Episcopus Portuen. Card. Ottobonus.*
✠ *Ego Thomas Episcopus Prænestinus Card. Ruffus.*
✠
✠ *Ego Ludovicus Episcopus Albanen. Card. Picus.*
✠ *Ego Petrus Episcopus Tusculanus Card. Corradinus.*
✠ *Ego Joannes Antonius Tit. S. Laurentii in Lucina Cardinalis De Via.*
✠ *Ego Antonius Felix Tit. S. Praxedis Presbyter Cardinalis Zondadari.*
✠
✠
✠
✠
✠
✠
✠
✠
✠ *Ego Georgius Tit. S. Mariæ in Transtiberim Card. Spinula.*
✠
✠ *Ego Ludovicus Tit. S. Priscæ Card. Belluga.*
✠
✠ *Ego Alvarus Tit. S. Bartholomæi in Insula Cardinalis Cienfuegos.*
✠ *Ego J. B. Tit. S. Matthæi in Merulana Card. de Alteriis.*
✠ *Ego Vincentius Tit. S. Petri ad Vincula Presbyter Card. Petra Major Pœnitentiarius.*
✠
✠
✠
✠ *Ego Nicolaus Maria Tit. SS. Joannis, & Pauli Card. Lercari.*
✠
✠ *Ego Franciscus Antonius Tit. S. Sixti Presb. Card. Finus.*
✠

✠

✠ Ego Fr. Vincentius Ludovicus Tit. S. Pancratii Presb. Cardinalis Gotti Ordinis Prædicatorum.
✠ Ego D. Leander Tit. S. Calisti Presb. Card. de Porzia.
✠ Ego P. Aloysius Caraffa Card. Tit. S. Laurentii in Pane, & Perna.

✠ Ego Franciscus Burghesius Card. Tit. S. Silvestri in Capite.

✠ Ego Vincentius Tit. S. Petri in Monte Aureo Presbyter Cardinalis Bichius.
✠ Ego Joseph Tit. S. Thomæ in Pariote Presb. Card. Firrao.
✠ Ego Ant. Tit. S. Stephani in Monte Celio Presb. Card. Gentili.
✠ Ego Fr. Jo. A. Card. Guadagni Tit. SS. Sylvestri, & Martini ad Montes.
✠ Ego T. Card. de Aquaviva Tit. S. Cæciliæ.
✠ Ego Dominicus SS. Quirici, & Julittæ Presb. Card. Riviera.
✠ Ego Marcellus Tit. S. Mariæ in Ara Cæli Presb. Card. Passari.
✠ Ego Petrus Card. Aldovrandus Tit. S. Eusebii.

✠ Ego Fr. P. M. Tit. S. Joannis ante Portam Latinam Card. Pieri.
✠ Ego Joseph. Tit. S. Prudentianæ Presb. Card. Spinellus.
✠ Ego L. Sanctæ Mariæ in Via Lata Prior Diaconorum Card. de Alteriis.
✠ Ego Carolus S. Agathæ in Suburra Diaconus Card. Columna.
✠ Ego Fabius SS. Viti, & Modesti Diaconus Card. Oliverius.

✠ Ego Alexander S. Mariæ in Cosmedin Diac. Card. Albanus.
✠ Ego Nicolaus S. Mariæ ad Martyres Diac. Card. Judice.
✠ Ego Nerius S. Eustachii Diaconus Card. Corsinus.
✠ Ego B. SS. Cosmæ, & Damiani Diaconus Card. Ruspolus.

Loco ✠ Plumbi.

Antonius Card. Prodatarius.
F. Cardinalis Oliverius.

VISA DE CURIA
N. Antonellus.

J. B. Eugenius.

Registrata in Secretaria Brevium.

UAB Biblioteca de Ciències Socials

SANCTISSIMI IN CHRISTO PATRIS ET DOMINI NOSTRI

CLEMENTIS XII.

PONT. MAX.

CONSTITUTIO

DE BEATO JOANNE FRANCISCO REGIS

Societatis JESU Presbytero Confessorum Canoni per eundem adscripto die XVI. Junii Anni MDCCXXXVII.

CLEMENS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

Ad perpetuam rei memoriam.

§. 1. AD sublimem sanctitatis montem, in quo Christus Dominus sedens, Discipulos suos seorsim a Judaicis turbis evocatos, christianæ sapientiæ præcepta edocuit, ex omnibus gentibus, & tribubus, & populis, & linguis, spe firmi, fide robusti, caritate ardentes, gratia, & virtute divina ascenderunt. Hi sunt, qui venerunt de tribulatione magna, & lavantes stolas suas, & dealbantes eas in sanguine Agni, intra densissimam nubem, & imperscrutabilis divinitatis caliginem ingressi sunt, ubi divinus Moyses Deum Patrem alloquitur, & ad ejus dexteram sedens, & compatiens infirmitatibus nostris interpellat pro nobis. Huc autem accedere non audeat carnalis Judæus, sed intra terminos, & sepia legalium præceptorum se contineat, & longe ab ima montis parte fumum, caliginem, & ignem, fulgura, & tonitrua, sonitum, & clangorem tubarum, gloriam Domini, hoc est magnalia gratiæ suæ, & prodigia Sanctitatis admiratione simul, & terrore perculsus prospiciat. Procul hinc omnis impurus, & profanus, omnis fera bestia, & animal immundum, ne loci sanctitatem sanguine fœdet, vel impuritate contaminet. Foris canes, & venefici, & impudici, & homicidæ, & idolis servientes, & omnis, qui amat, & facit mendacium. Accedant autem, qui vitalibus aquis in sacro fonte regnati, vel purgati Sacramento Pœnitentiæ, amicti sunt stolis candidis, accedant, sed solutis antea calceamentis ex corio mortuorum animalium, nempe mortuis relictis operibus, quia terra sancta est. Arcta est via, arduus, atque angustus est limes, & nemo tutus per eum ingreditur, & ad culmen securus pertingit, nisi vestigiis insistat Christi Domini clamantis, & dicentis: *Siquis vult venire post me, tollat crucem suam quotidie*. Ambulandum est igitur vestigiis paribus, & æmula ingressione nitendum; quia non est major Domino suo servus, nec liberatore liberatus, & qui cupimus esse Christiani, debemus quod Christus dixit, & fecit, imitari, ut respondeat ad fidem nominis sectatio veritatis. Aspera, & laboriosa hac via incessit fortis Dei miles JOANNES FRANCISCUS REGIS, qui accinctus robore, & in spiritu ambulans, calcatis desideriis carnis, & passionibus hujus temporis fortiter toleratis, per tribulationes, ac contumelias, per labores, & angustias, in orationibus, in jejuniis, in vigiliis ad montis evasit fastigium, aspiciens in auctorem fidei, & consummatorem Jesum, qui proposito sibi gaudio sustinuit crucem, confusione contempta. Nos autem, quibus superna dignatione commissum est fidelem Dei plebem in viam salutis dirigere, Beatum Dei Servum, qui ad locum latitudinis per labores, & angustias transivit, qui ad cælestem patriam per hujus mortalis vitæ tribulationes, & ærumnas pervenit, in Sanctorum numerum solemniter ex veteri more, & instituto Romanæ Ecclesiæ hodierna die adscripsimus, ut ejus propositis virtutibus, & apud Deum suffragantibus precibus, per merita unius divini mediatoris Jesu Christi nostra adjuvetur infirmitas, excitetur spes, roboretur fides, accendatur caritas. Itaque Beati Dei Servi, qui in cælis jam a Deo coronatus est, triumphum in terris spirituali lætitia exultantes in Domino celebremus, sed ita celebremus, ut ejus labores, fidem, caritatem, sanctæque res gestas intueamur. Celebremus ergo triumphum, laudemus victoriam, ut illius amemus virtutes, ut laboriosam vitam, sanctamque conversationem, quam breviter populis pro nostro Pastoralis sollicitudinis officio annunciamus, sedulo imitemur; & illius exemplo dirigatur via nostra in conspectu Domini. Angusta est, spinosa est, dura est, sed talibus, tamque multis transeuntibus lenis facta est. Transit prior ipse Dominus, transierunt Apostoli intrepidi, postea Martyres, pueri, mulieres, puellæ, transit novissime beatus JOANNES FRANCISCUS: ejus ergo non timeamus laboriosam vitam sequi, si ejus præmium cupimus, si locum, si patriam desideramus.

§. 2. JOANNES FRANCISCUS REGIS pueritia inter suos mira innocentia exacta, positaque opera ediscendis primis linguæ latinæ rudimentis in Oppidulo Galliæ Narbonensis, cui nomen Fons Coopertus, pridie Kalendas Februarii anno millesimo quingentesimo nonagesimo septimo natus est, Biterras mittitur, ut in gymnasio Societatis Jesu studiorum cursum absolveret. Enituit statim inter æquales eximia adolescentis virtus: nam otium, & improborum consuetudinem veluti pestem declinans, non veritis modo voluptatibus, sed etiam juvenilibus ludis abstinuit, & quod a literarum studio supererat temporis, fundendis ad Deum precibus, piis legendis libris, serendis de Deo, divinisque rebus sermonibus, visitandis templis, Sanctorumque memoriis impendebat.

§. 3. Ut vero nec illecebris caperetur sæculi, nec diaboli superaretur insidiis, nec demum pravis commoveretur exemplis, sed partam baptismo gratiam, & illibatum virginitatis florem servaret, Virginem Mariam Matrem Domini pio semper coluit affectu, ut hinc sumeret exempla vivendi, ubi, tanquam in speculo, species castitatis, & forma probitatis refulget. Nam potenti Matri Dei apud æternum filium Redemptorem nostrum patrocinio confisus, minime dubitabat a Deo impetraturum, ut currenti sibi per arduas virtutum semitas, id, in quo humana conditio ab infirmis viribus suis destituta langueseit, superna Dei gratia sufficeret, & quod non posset infirmitate humana, assequeretur virtute divina.

§. 4. Angelum quoque sui custodem religioso cultu prosequutus est, ad Beati Spiritus clientelam eo fidentius confugiens, quod certo sibi persuaserat, se a Dei offensa, & æterno animæ interitu illius cœlesti opera, & internis monitis, divina annuente misericordia, & Christi adjuvante gratia, liberatum iri, quia casu quodam, qui ei adhuc puero contigit, plane compertum habebat Sancti Angeli tutelaris præsidio se ab instanti mortis periculo ereptum fuisse.

§. 5. At enim probo adolescenti non satis visum est Deum colere, Deiparam, aliosque Sanctos pie venerari, & flo-

& florentis ætatis, & mundi calcatis blanditiis, toto animo ſectari virtutem; niſi etiam plures ex ſodalibus ſuis raperet ad Deum, quem ex toto corde, & tota mente ſua amabat. Itaque alios a juvenili licentia, vel noxia levitate abduxit, alios ad virtutem impenſius ſequendam incitavit, ex omnibus ſex electis, quibuſcum, præſcripta ſibi vivendi forma, ab ea, quæ a clericis in Seminariis ſervari ſolet, non diſſimilis Sanctum Sodalitium pietatis inivit. Talibus præclare virtutis initiis proluſit ad apoſtolicum ſacrarum miſſionum opus, jam tum in omnibus juvenilibus actibus prædiſcens Deum ſolum quærere, & ſaluti animarum procurandæ intentam mentem, & devotum Deo pectus habere.

§. 6. Decimum & nonum ætatis ſuæ annum agens Societatem Jeſu ingreſſus eſt, ubi nunquam interrupto curſu, per altas Chriſtianæ perfectionis ſemitas ad Deum contendens, humilitate, odio ſui, contemptu mundi, paupertatis amore, orationis aſſiduitate, divinæque gloriæ ſtudio, cæteriſque Chriſtianæ Religionis virtutibus, iis ipſis, a quibus in pietatis decurrendo ſtadio inſtituti quærebat, admirationi, atque exemplo fuit.

§. 7. Poſtea autem demandato ſibi humanas literas edocendi munere, teneros adoleſcentium animos non tam litterarum ſcientia, quam pietate in Deum imbuendos curabat. Itaque ſæpe de diligendo Deo, de obeundis chriſtianæ vitæ officiis, fugiendoque peccato, & privatim, & publice cum diſcipulis ſermonem habebat: quæque in Scholis ex ethnicorum libris explicari ſolent, quæque ab adoleſcentibus ſcribi, tractarique, exercitii cauſa, conſueverunt, huc referebat omnia, ut eorum animos non modo eruditione excultos, ſed etiam probos, ſanctoſque efformaret: Quod tam diligenti cura, & tam uberi fructu per ſeptennium explevit, ut ejus diſcipuli a cæteris gravitate morum, vitæque innocentia diſcernerentur.

§. 8. Ad Sacerdotii ſublime faſtigium præ animi modeſtia reluctans, atque invitus, Superiorum juſſu aſcendit. Sacerdos autem factus, cogitans quomodo Deo placeret, cum plane intelligeret nullum certiorem gradum ad Dei amorem eſſe, quam hominis erga hominem caritatem, totum ſe ſublevandæ egentium inopiæ, & procurandæ animarum ſaluti devovit.

§. 9. Nemo hominum erat, quem ampla ejus non complecteretur caritas, potiſſimam tamen pauperum curam gerebat, ſequens Chriſti Domini exemplum, qui, ut humanam ſuperbiam retunderet, cum ad ſanandum Reguli filium, illius domum rogatus ire noluiſſet; ad Centurionis Servum, non invitatus, ire paratus fuit. Ita ejus Servus ſpiritu Dei plenus, qui ſuper humiles requieſcit, & humilibus dat gratiam, vili, atque humili plebi ſe præbebat, & pauperibus, magiſque indigentibus ferebat auxilium, ſpectabatque in hominibus imaginem, qua ad Dei ſimilitudinem facti ſunt, & pretium magnum, quo redempti ſunt, non autem honores, & divitias, & pompas, & vanitatem Sæculi.

§. 10. Intimis igitur animi ſenſibus, & totis caritatis viſceribus, cum pauperum anguſtias cerneret, commovebatur. Nullum genus erat calamitatis, quod non ſublevaret; nullus æger, cui non ſuccurreret; nullus miſer, cui opem non ferret: alios verbis conſolabatur, aliis opere ſubveniebat. His natum, atque inſerviendis addictum ſe putabat, his diurnam, nocturnamque operam in ergaſtulis, in noſocomiis, in eorum caſis præſtabat: duos præſertim ægrotos, ſeu potius hominum cadavera, quæ fœditate morbi, & maleolenti odore omnes a ſe averterant, ipſe adivit, ſolatus eſt, & omni officiorum genere fovit: miracula ipſa, & prodigia, fere non in aliorum, quam in pauperum gratiam, atque in miſerorum auxilium patrare videbatur.

§. 11. Deſpectis inſolentis vulgi ludibriis, & pauperum exſibilationibus, viſus eſt per mediam urbem, & confertas populo vias ire onuſtus ſtramentorum faſcibus, quos emendicando paraverat, ut ægrotantibus egenis lectum ſterneret.

§. 12. Ceſſante commercio, cum langueſcerent artes, & artificibus nihil valeret induſtria, ut ſe, ſuamque familiam alerent, eorum opificia ad divites mercatores ferebat, eoſque exorabat, ut æquo pretio emerent. Puellis, quarum res domi anguſta erat, ne egeſtate opprimerentur, aut corrumperentur otio, ipſe opera fœminei artificii facienda quærebat, ut laboribus ſuis viverent, nec aliis oneri, nec ſibi detrimento, atque exitio eſſent.

§. 13. Oſtiatim ſtipem emendicabat, ut deinde collectam, ad alendos pauperes, & ſuſtentandos carceres incluſos diſtribueret. Pupillorum, & viduarum cauſas apud Judices ſtrenue tuebatur, ne divitum potentia oppreſſi, vel improborum fraude circumventi, damnum, atque injuriam acciperent: itaque miſerorum perfugium, pupillorum tutor, viduarum defenſor, eſurientium cibus, calamitoſorum ſpes, ægrorum ſolatium, communis omnium parens erat, atque ab omnibus vulgo appellabatur.

§. 14. Montem Falconenſem oppidum, vicinaque loca, quo ad hibernas miſſiones, ineunte anno milleſimo ſexcenteſimo quadrageſimo, advenerat, atrox peſtilentia invaſerat: omnium, qui erant contagioſo morbo correpti, curam alacris ſuſcepit, contemnens præſentis mortis periculum, cui vivere Chriſtus erat, mori autem lucrum.

§. 15. Anicii gravi ſæviente fame, ingentes pauperum greges pauper ipſe, ſola Dei providentia confiſus, alendos ſuſcepit, & ſubſidiis undique induſtrioſa caritate, & pia ſollicitudine corrogatis, ter etiam multiplicato per miraculum frumento, ſuſtentavit. Siquidem renovavit beniguiſſimus Deus, per manus Servi ſui, prodigia Eliæ in multiplicatione frumenti, quod in alimoniam pauperum, in ſumma illa caritate annonæ, fœminæ cuſtodiendum tradiderat. Nam Servo Dei jubenti, ut pauperibus diſtribueret, reſpondit illa, arcam jam frequentibus largitionibus exhauſtam fuiſſe; Juſſa autem inſpicere, imperioque parens, frumento exundantem invenit; nec id ſemel, ſed tertio contigit. Sed quoniam perfecta dilectio, quæ ab amore Dei proficiſcitur, agit quidem quantum poteſt, atque etiam ſupra id, quod poteſt, ut proximus ſalvus corpore, ſalvuſque animo ſit, ſed curam corporis ad ſanitatem animi refert, ideo beatus Dei Servus curabat, ut per temporalia ſubſidia homines ad Deum traheret, & per corporalem alimoniam cæleſti evangelicæ doctrinæ cibo reficeret.

§. 16. Quare Anicii ter quaque hebdomada omnes in Eccleſia convocatos erudiebat, ſæpenumero eorum audiendis confeſſionibus noctes prorſus traduxit inſomnes; tanto enim animi ſtudio, & caritatis ardore eorum invigilabat ſaluti, ut nullos labores, nulla vitæ incommoda ſentiret.

§. 17. Numeroſa ſemper pauperum turba, ubicumque degeret, ſtipatus erat: moleſte, atque inurbane in eum irruentes, ſuavi excipiebat benignitate, & admirabili ferebat patientia; aliorum ſublevans corporis anguſtias, aliorum ſanans animæ infirmitates, nullum a ſe, ſi minus temporali ſuccurrere poſſet, ſpirituali auxilio deſtitutum præteribat: Sui enim oblitus id unum præ oculis habebat, ut omnes Chriſto lucrifaceret. Hæc erat omnium votorum, & cogitationum ſuarum ſumma, regnum Chriſti amplificare, Dei gloriam, & hominum ſalutem promovere: ideo quandoque dicebat, ſe nequaquam recuſaturum cæli deliciis ſeriis frui, ſi ea dilatione ſibi concederetur, ut plures ad Dei agnitionem, amoremque perduceret.

§. 18. Quare id unum diu, noctuque propoſitum habebat, id vigili cura, inſomni ſtudio, ardentique caritate curabat in urbe, in agris, in templis, in foro, in cuſtodiis publicis, in noſocomiis, in privatorum ædibus, in eo demum, quod pœnitentibus mulierculis extruxerat cœnobio, ut bonos inflammaret ad virturem, ſceleſtos, & improbos revocaret a vitiis, curaret languidos, foveret tepidos, ſanaret infirmos, ſanos, validoſque ad currendum in via Domini impelleret.

§. 19. Vitiis bellum indixerat, quietem, famam, vitamque ipſam parvipendens, neque laboribus, neque anguſtiis, neque minis, neque metu, neque ulla periculorum denunciatione retardabatur, quominus in diſcrimine æternæ ſalutis verſantibus accurreret, flagitioſos homines a peccatis revocaret, perditæ famæ, profligatæque pudicitiæ mulieres e turpitudinum cœno educeret, orbas parentibus puellas, quarum pudicitia periclitabatur, in tuto collocaret: ſæpe a flagitioſis hominibus multis obrutus injuriis, atque etiam verberibus graviter cæſus, dum a luporum rapacium manibus innoxias, vel infirmas animas abſtrahere conatur: ſæpe ab improbis nebulonibus deceptus, & contumeliis, atque opprobriis vexatus, dum quaſi ad moribundi confeſſionem audiendam per jocum, ac ludibrium evocatur; nunquam tamen fieri potuit, ut nocturnam morientibus operam, etiam cum ſuo gravi damno, & detrimento conjunctam præſtare omitteret; aut, ut in procuranda animarum ſalute remiſſius ageret, aut, ut egentibus, atque ægrotis opem per ſe ipſum, ſi neceſſitas urgeret, cunctantius afferret: Quippe bene redemptam exiſtimabat quolibet ſuo famæ, vel capitis periculo quamcumque opem, atque auxilium, quod hominibus vel inopia, vel infirmitate afflictis, vel de animæ ſalute periclitantibus ferre poſſet.

§. 20.

§. 20. Biberat enim calicem divini amoris, de quo ait propheta, Calix tuus inebrians, quam præclarus est, & inebriatus fuerat ab ubertate domus ejus. Hoc enim calice inebriati ibant Apostoli gaudentes a conspectu concilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine Jesu contumeliam pati; hoc inebriati Martyres, læti euntes ad tormenta, ad leones, ad gladios, ad flammas, ad necem, non agnoscebant uxores flentes, non filios, non parentes, non amicos; hoc inebriatus beatus Dei Servus JOANNES FRANCISCUS, non labores, non angustias, non dolores, non contumelias, non infamiam, non mortem ipsam videbat, sed omnia terrena bona fluxa, & caduca parvifaciens, nihil erat tam arduum, tam difficile, tam laboriosum, tam cum vitæ, & mundani honoris discrimine conjunctum, quod non ultro lætus, & alacris pro Dei gloria, & animarum salute aggrederetur, in omnibus exhibens se ipsum, sicut Dei ministrum in multa patientia, in tribulationibus, in necessitatibus, in angustiis, in laboribus, in vigiliis, in jejuniis, in castitate. Mirum dictu est, quot procellis jactatus, quot probris exceptus, & maledictis laceratus, quot injuriis, & contumeliis appetitus, quam sæpe conspersus luto, in cœno conculcatus, verberibus contusus, plagis pene ad mortem usque vulneratus fuit. Mansit invictum ad mundi procellas evangelicum sacerdotalis pectoris robur; & domum, quæ ædificata fuerat supra firmam petram, nec furentes improborum turbines, nec violenti tribulationum fluctus prostravere: mens in pietate solida, in fide firma, Deo devota, non victa est tentationibus, aut periculis, sed probata.

§. 21. Majori enim semper animo, & erectiori mente, primis superatis aut laboribus, aut periculis, ad nova imperterritus pro Dei gloria veniebat. Itaque edoctus magisterio Dominico, sæpe unam percutientibus maxillam, alteram lætus exhibuit: minantibus stricto gladio necem, vel caput obtulit, vel pectus aperuit, sciens animam, qua diligebat Deum, mori non posse, nisi ab ipsa Dei dilectione, ob quam mors intentabatur, cessaret: si quis illius vicem doleret, corripiebat: admonens eum ignorare, quantum in tolerandis pro Christo opprobriis voluptatis inesset; sed qui propriis non movebatur malis, aliena forte mœrebat, miserans adversariorum cæcitatem, furorem excusans, calamitatem deplorans, & fervidis ad Deum precibus pro eorum salute deprecabatur, atque ita, quemadmodum Servi Dei solent, se de suis inimicis ulciscebatur, ut cujusque animum, quo magis sibi experiretur infensum, eum majoribus demulceret officiis caritatis.

§. 22. Etenim una erat ejus animi sollicitudo, una cura, una cogitatio, ne Deus peccatis hominum offenderetur, ideo cum id vel audiret, vel videret, maxime si prohibendi facultas nulla supereſſet, intimo doloris sensu urebatur, ut ex oculis lacrymæ, e pectore suspiria prorumperent, & interdum præ doloris magnitudine, pene animo deficeret, ut recte cum Sancto Davide exclamare possent: Defectio tenuit me pro peccatoribus derelinquentibus legem tuam.

§. 23. Plena enim, & integra charitate in Deum flagrabat, Deum menti præsentem ubique habebat, quem assidue in corde gestabat; neque ab ejus suavissimo complexu ulla re avellebatur: nullus illi erat sermo, nisi de Deo, divinisque rebus; Deum in prosperis laudabat, ad Deum confugiebat in adversis, eum consulebat in dubiis, in eo omnes delicias, & voluptates, omnem consolationem, & gaudium, quod non datur impiis, collocatum habebat: magnam noctis partem orans transigebat, quando poterat, in Ecclesia coram Sacrosancta Eucharistia; immaculatam hostiam quotidie Deo immortali offerebat ea cœlestis suavitatis dulcedine, eo fervore caritatis, ut pene a sensibus alienatus videretur.

§. 24. Rebellantis carnis motus salutari pœnitentiæ disciplina obterendi sunt, & terreni corporis infesta labes, spirituali vigore calcanda est. Ut igitur caro, quæ concupiscit adversus spiritum, omni terrenæ infirmitatis pondere deposito, ad Deum anhelantem spiritum sequeretur, Servus Dei cæteris omnibus suavis & mitis, uni sibi asper, sanctleque inimicus, corpus domabat asperrimo cilicio, cruentis flagellationibus, brevi somno, eoque super nuda tabula, aut humi capto, aquæ potu, vilique, & modico cibo, quo mortem arceret potius, quam famem pelleret, se ut Deo viveret, sustentabat: itaque in sua potestate habebat, ut nullus unquam in eo observatus fuerit, qui ad exactam christianæ perfectionis regulam non conveniret: nunquam de se, suisque rebus in gloriam Dei, & proximorum salutem gestis verba faciebat: gratulantibus autem de tot pertinacibus hæreticis conversis ad fidem, & innumeris peccatoribus ad pœnitentiam traductis modeste respondebat, non ego, sed Deus.

§. 25. Honore ab aliis affectus, & laudibus ornatus, vehementer dolebat, & graviter tristabatur, laudem sibi tribui, quæ Deo soli deberetur, palam dictitans, si probe notus esset, ac pro merito tractaretur, se prætereuntium pedibus, ut vilissimum omnium mortalium proculcatum iri. Nam ex veracissima divinæ magnitudinis, & humanæ parvitatis agnitione, & abjectissimæ filiorum Adam conditionis intuitu in se ipso, quod suum erat contemnens, & omne datum optimum, & omne donum perfectum de sursum esse cognoscens, persuasum habebat, nullam esse infamiam, aut injuriam, quam non promeruisset: ideo si quispiam eum, ut sæpe contigit, alapis, aut verberibus pessime acciperet; & gratiam habeo, inquiebat, pro certo habe, me pluribus dignum esse.

§. 26. Mansuetus, mitis, & beneficus erga omnes, angelicam quamdam modestiam in verbis, incessu, vultu, totiusque corporis habitu præseferebat, ut spectantium animis reverentiam, & venerationem sui, & amorem virtutis injiceret.

§. 27. Divinus enim amor intus latens in pectore, transiverat in decus corporis, & internam sanctitatem externa prodebant signa virtutum: Profecto amorem erga Deum, & animatam charitate fidem sanguine suo testatam facere, & vitam ipsam pro Deo profundere ardentissime cupiebat, ut ei non defuisse credendum sit coronam Martyrii, cui animus patiendi non defuit. Nam præter certa famæ, & capitis pericula, quæ pro Dei amore libenter, atque ultro subivit, non semel dicere auditus est: Quid mihi optatius, quam pro Christo mori? & ad Canadensem missionem, ut mortem pro Christi nomine oppeteret, proficisci voluit, sed altissimo divinæ providentiæ consilio ei concessum non est, ut suæ gentis utilitati serviret.

§. 28. Quippe ultimos decem vitæ annos in sacris peragendis missionibus impendit, quorum sex primos partim in inferiori Occitania, partim in Vivariensis, Valentinaque Diœcesi, novissimos autem quatuor in restituenda, stabiliendaque apud Velaunos Vivariensibus finitimos pietate collocavit. Anicii autem, quod Provinciæ caput est, æstivum tempus traducebat, hyeme vero agebat in circumpositis Urbi locis, cum frigore, & nivibus ab agrorum cultura coloni impediti, in suis tuguriis, & mapalibus otiantur.

§. 29. Modus autem, ac ratio vitæ, quam sibi ab initio constitutam, ad finem usque in missionibus constanter servavit, hujusmodi erat. Horas nonnisi binas, vel ad summum ternas somno concedens, reliquam noctis partem meditando, precando, concionesque parando impendebat: Ubi ad destinatum locum pervenerat, imbre licet madidus, aut nive perfusus, irineris lassitudine, & labore confectus, divini auxilii exposcendi causa, recta se ad Ecclesiam conferebat, quam si clausam reperisset, præ foribus in genua provolutus, vel humi prostratus, Deum tanta spiritus contentione orabat, ut nec vi frigoris, nec ubertim quandoque cadentibus nivibus a piis cum Deo colloquiis avocaretur. Postridie summo mane Ecclesiam ingressus, obvia, familiarique oratione aliquod doctrinæ christianæ caput explicabat: operam deinde dabat peccata confitentibus; mox dicebat ad populum apostolico zelo, & animi contentione vitia exagitans, impellensque ad virtutem: quo peracto sedebat rursus in sacro pœnitentiæ tribunali, quoad oblato divinæ hostiæ Sacrificio, matutinum tempus clauderet. Pomeridianum transmittebat erudiendis pueris, visitandis ægris, pauperibus sublevandis, sedandis litibus, & diffidentibus in mutuam gratiam reducendis: sub vesperam iterum concionabatur, confitentes subinde audiebat ad multam noctem, adeout sæpe adhuc jejunum a sacro tribunali Parochi, vel Populi ipsi veluti per vim avellerent.

§. 30. Sermo, & prædicatio ejus non in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, sed in ostensione spiritus, & virtutis: nam simplex quidem, incompta, & popularis oratio, sed verbis inerat quædam occulta vis, & cœlestis gratiæ virtus, quæ audientium corda penetrabat, & eorum mentes, atque animos, sive ad fugiendum vitium, sive ad amplectendam virtutem facile impellebat. Accedebat actio ipsa vehemens, & zelo Dei incensa, voxque mire ad movendum efficax, ardoris nempe, & suavitatis plena, & quod longe majus est, constans, atque firma apud omnes opinio veræ non adumbratæ virtutis, cui respondebant habitus oris ad modestiam, & humi-

humilitatem compositus, sancta sine fuco simplicitas, pœnitentiam præseferens, & paupertatem; omnia demum cœlestem quamdam spirantia sanctitatem, quæ aspectu ipso commovebant animos, & ad Dei amorem rapiebant.

§. 31. Hinc incredibilis fiebat ad eum auscultandum, sive ex æquo, sive e superiore loco de rebus divinis disereret, hominum concursus cujusvis generis, cujusvis conditionis, cujusvis ætatis, ipsique adeo hæretici virtutis admiratione capti, catholicorum ardorem quodammodo æmulari, & vincere certabant.

§. 32. Difficile est hominum inire numerum, quos vel ab omni genere flagitiorum ad bonam frugem reduxit, & in ea confirmavit, vel ab hæresi ad Ecclesiæ catholicæ sinum revocavit; & quod mirabilius est, plures catholicos adversus ipsum pessime animatos, & hostili odio incensos, pluresque Calvinianos in suis erroribus pertinaces, & quorum conversionem frustra alii catholici dogmatis Doctores aggressi fuerant, paucis ipse verbis, sceleribus, erroribusque ereptos, christianæ virtuti, catholicæque veritati restituit. Itaque ubicumque evangelici seminis serendi causa per aliquod tempus degerat, conspiciebantur compressa odia, extincta diffidia, expulsa impietas, debellata impudicitia, hæresis multorum animis evulsa, perditissimis etiam mulieribus inspiratus amor castitatis, restitutus sacramentorum usus, pueri, & majoris ætatis homines in christiana doctrina rite instituti, mores omnium immutati, & ad christianæ pietatis regulas conformati: tales erant ejus laborum, & apostolici zeli fructus, talia ejus sanctitatis, & evangelicæ prædicationis illustria monumenta.

§. 33. Sacro autem verbi ministerio primum per aliquot dies diligentem navabat operam in Oppido, vel Pago, qui totius Regionis tractus, hominum frequentia, & loci quadam dignitate princeps quodammodo erat; deinde curas, & labores suos ad loca vicina conferebat: nullus erat locus tam incultus, tam agrestis, quo sua eum charitas non propelleret: per vias situ, aspectuque horridas, per aperta vitæ pericula rusticos in sylvis, & montibus, in suis mapalibus, seu potius latibulis sparsim degentes studiosissimus animarum venator pedes semper, & jejunus ut plurimum, vel modico cibo refectus, investigabat quos erudiret, quos solaretur, quos omni ope sublevaret; exemplo evangelici Pastoris, qui relictis nonaginta novem, vadit ad ovem, quæ perierat, donec inveniat eam, & si invenerit eam, suis humeris imponit gaudens, & ad ovile reducit.

§. 34. Quærens igitur deperditas oves, ibat anxius, & sollicitus, actus impetu divini amoris indefesso cursu per ardua, & immania quæque tendentis; iter faciebat per invia plerumque nemora, per abrupta montium asperrimorum juga, per duratam frigore glaciem; per congestas, vel solutas, stagnantesque exundantibus aquis nives, per densissimos imbres, procellososque hiberno cœlo ventos, per angustos tramites præcipitiis vallatos, per quos manibus, pedibusque reptare nonnunquam cogebatur; nihil est enim tam durum, atque ferreum quod non amoris igne vincatur.

§. 35. Nullis igitur deterritus incommodis, nullis retardatus periculis, sæpe per ignotos calles recta deerravit via, sæpe in desertis mapalibus imbri, & frigori apertis pernoctavit, sæpe cum rerum omnium inopia conflictatus est: arduum aliquando montem superare aggressus, errante per glaciem, & nivem vestigio, ita corruit, ut crus frangeret, baculo tamen innixus, & a socio sustentatus, seu potius divino fretus auxilio continuavit iter, & cum ad locum, quo tendebat, perveniret, humanis deficientibus remediis, crus divinitus sanatum est, & obducto callo, mirabiliter coaluit. Viribus interdum adeo fractus erat, ut pedibus consistere non posset: non semel contigit, ut e suggestu descendens, animo linqueretur; sed nullo commovebatur periculo, omni spe, ac fiducia in Deo reposita, quæcumque temporum, locorum, negotiorumque facies esset, eumdem oris habitum quietum, & serenum præseferebat, & tranquillissima animi Deo inhærentis dulcedine fruebatur. Placebat sibi in infirmitatibus suis, in contumeliis, in necessitatibus, in persecutionibus, in angustiis pro Christo: cum enim infirmabatur, tunc potens erat, cœlestibus affluens deliciis quibus servos suos benegnissimus Deus consolari solet.

§. 36. Itaque post Evangelicæ doctrinæ semen in multis locis disseminatum, missionem Lalovesci, ignobili Viennensis Diœcesis Pago in horridis Helviorum montibus posito, ultimis adventus Dominici diebus habendam indicit, quam sibi fore postremam, Deo docente, prædicit. Intolerabilis tunc, adulta jam hyeme, erat vis frigoris, & inexplicabilis viarum difficultas inter inaccessos montes nivibus, ac glacie coopertos, vallibusque difficillimis interjectos superanda occurrebat: nihilominus, Dei nomine invocato, in viam se dedit.

§. 37. Ad ceteros durissimos illius itineris casus accessit, quod recta deerrantem via, cum nox supervenisset, & nemo eum hospitio acciperet, in derelicto tugurio, ventis, ac nivibus pervio, intempestam, & perfrigidam noctem ducere necesse fuit. Et quoniam sudore madidus ob laborem itineris constiterat, concrevit aspero frigore constrictus sanguis, & lateris dolore gravissimo, simulque acuta febri correptus est. Sed super omnem laboris magnitudinem, & pœnarum angustias ferventis amoris vi in Deum raptus, trahensque secum terrenum corporis pondus, liber, & admirandus supervolitavit animus pennis pulcherrimis & integerrimis, quibus ad Dei amplexum amor castus innititur.

§. 38. Pervenit Lalovescum, ubi Deum solum quærens, ad cœlestia sola aspirans, nullo cuiquam verbo de infirmitate corporis facto, concionem habuit ad frequentem populum e vicinis montibus collectum, in qua labentis corporis imbecillitatem, amantis animi fervor, & apostolicus sacerdotalis pectoris vigor sustinuit. Inde nullo sumpto ad respirandum spatio, pœnitentes, confessionibus tota die auditis, Deo reconciliavit. Postridie erat Natalis Domini dies: licet deterius semper se haberet, ter ad populum verba fecit, & reliquum temporis in sacro tribunali sedit; idem fecit insequenti die, donec exhaustis prorsus viribus, & animo deficiente, humanæ conditioni cedere coactus, concidit. Vix post quartam horæ partem spiritu recepto, confessiones audire perrexit, ad focum assidens in domo Parochi, quo fuerat a rusticis deportatus; sed cum iterum animo linqui cœpisset, in lecto repositus est, ubi totius anteactæ vitæ sacram exomologesim, quam paucos dies ante peregerat, iterum fecit; postea ingravescente morbo, ut summam Christi nascentis humilitatem, paupertatemque, quam totius vitæ tempore impense dilexerat, in ultimo vitæ actus exactius, ac diligentius imitando exprimeret, in stabulum deferri precatus est; sed ne citius deficeret, jussus lecto se continere, ibi Sacrosanctæ Eucharistiæ Viatico, & extremæ Unctionis Sacramento munitus, dextera Crucifixi imaginem tenens, & ad cœleste regnum, & immortalis gloriæ coronam a Christo Domino, & Virgine Maria invitatus, qui se videndos ei præbuerant, anima Divino Salvatori commendata, inter pauperum, & rusticorum turbas, quibus juvandis, & erudiendis omnem vitam suam, ac labores impenderat, hilari, ac sereno vultu spiritum Deo reddidit circa mediam noctem ultimæ diei exeuntis anni millesimi sexcentesimi quadragesimi.

§. 39. Ut vero Dei Servus ex hac mortali vita decessit, una omnium vox fuit, sanctum obiisse, & quamvis rigidissimum anni tempus vias faceret impeditissimas, tamen ad hanc vocem, quasi in vicinis locis omnibus, ac montibus exaudita fuisset, duo supra viginti Parochi, & tam densa convenere montanorum agmina, ut propter infinitam populi multitudinem concurrentem ad videndum, & osculandum defuncti corpus, differri in alium diem funus oportuerit.

§. 40. Postmodum, percrebrescente sanctitatis ejus, ac miraculorum fama, Lalovescus exiguus antea vicus, paucis tantum constans casis, & tuguriis, cœpit incolis frequentari, & quotannis redundare ingentibus advenarum catervis, eo per asperrimos montes confluentium ad beatos apostolici viri cineres venerandos, & opem ejus in variis morborum, & calamitatum generibus implorandam.

§. 41. Itaque a bonæ memoriæ Armando de Bethune Anicienſi Episcopo, auctoritate ordinaria anno millesimo sexcentesimo septuagesimo sexto confectus est processus super vita, & miraculis Servi Dei.

§. 42. Duobus supra viginti postea annis elapsis, die vigesima quinta Januarii signata est commissio introductionis causæ. Datis subinde literis remissorialibus ad conficiendum novum processum auctoritate Apostolica super non cultu, eoque ad Urbem transmisso, ejusque validitate recognita, die trigesima prima Julii, anno millesimo septingentesimo approbata fuit Sententia lata ab Archiepiscopo Viennensi super cultu non exhibito juxta decreta felicis recordationis Urbani Papæ VIII. Prædecessoris nostri.

§. 43. Impetratis subinde literis tam remissorialibus, quam compulsorialibus eidem Archiepiscopo Viennensi, & Episcopis Anicienſi, & Valentinensi directis, quorum in Diœcesibus diu versatus est Dei Famulus, ut de virtutibus illius, ac miraculis nova haberent testium

teſtium examina, & novos auctoritate Apoſtolica proceſſus conficerent: Quibus itidem Romam miſſis, diligenterque expenſis poſt diuturnum, & accuratum examen habitum in pluribus Congregationibus Venerabilium Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium Sacris Ritibus præpoſitorum, tam ſuper validitate proceſſuum, quam ſuper virtutibus Servi Dei, demum piæ memoriæ Clemens Papa XI. Prædeceſſor noſter die vigeſima ſeptima Martii, anno milleſimo ſeptingenteſimo duodecimo, auditis antea in generali Sacrorum Rituum Congregatione S. R. E. Cardinalium ſententiis, declaravit JOANNEM FRANCISCUM DE REGIS tres virtutes theologales, quatuor vero cardinales in gradu heroico exercuiſſe.

§. 44. Placuit deinde aggredi examen miraculorum, de quibus idem Archiepiſcopus Viennenſis biennio ante datis, rogatu totius Diœceſanæ Synodi ad ipſum Summum Pontificem Clementem XI. Prædeceſſorem noſtrum literis, teſtatus fuerat: idemque fecerant, miſſis ad eumdem Prædeceſſorem noſtrum literis, Epiſcopus Anicienſis, & Epiſcopus Valentinenſis Judices in cauſa delegati.

§. 45. Quorum Antiſtitum graviſſima teſtimonia confirmaverant viginti duo, partim Archiepiſcopi, partim Epiſcopi Occitaniæ, quadraginta Urbium Legati, & univerſi Optimates, quorum nomine ad eumdem Summum Pontificem Prædeceſſorem noſtrum Archiepiſcopus Narbonenſis in generalibus Provinciæ Comitiis ſcripſit.

§. 46. Sed quoniam tot miracula non poterant propter multitudinem ſingula ſeorſum expendi, & multorum variis de cauſis, ut accidere ſolet, legitimæ, neceſſariæque probationes vel deperierant, vel haberi non poterant, nonnullis ex omnibus ſelectis, & in pluribus Congregationibus S. R. E. Cardinalium Sacris Ritibus præpoſitorum per triennium diſcuſſis; duo anno milleſimo ſeptingenteſimo decimoquinto idem Prædeceſſor noſter Clemens XI. decreto ſuo approbavit, miraculum ſcilicet repentinæ liberationis Joannæ Mariæ Peret Monialis a diuturna inferiorum artuum ad motum impotentia, & hydrope tympanite: & miraculum inſtantaneæ ſanationis Joannis Gaſparis Montereymar Anicienſis ab enormi hernia. Et demum anno inſequenti, die vigeſima quarta Maji idem prælaudatus Pontifex Prædeceſſor noſter Servum Dei JOANNEM FRANCISCUM in Beatorum Confeſſorum numerum ſolemni ritu adſcripſit.

§. 47. Ab illo tempore non deſtitit Deus pluribus miraculis ſanctitatem Servi ſui magis, magiſque teſtari, ut in ejus gloriam erga ejus fidelem Servum cultus, & veneratio augeretur: etenim vere pretioſa eſt in conſpectu Domini mors Sanctorum ejus, quando nec terra carnis, vita deſerente, contemnitur, & inviſibili anima de domo viſibili diſcedente, habitaculum Servi cura Domini cuſtoditur, & in gloriam Domini a conſervis fidelibus honoratur.

§. 48. Itaque novis Apoſtolica auctoritate proceſſibus in Gallia conſcriptis de miraculis, quæ per interceſſionem BEATI JOANNIS FRANCISCI poſt ejuſdem Beatificationem Omnipotens Deus operatus eſt, ſeptem examini Sacrorum Rituum Congregationis coram Nobis habitæ propoſitis, duo decima nona die menſis Martii currentis anni approbavimus: videlicet primum inſtantaneæ liberationis Mariannæ Forget ab ingenita in infernis artubus ad motum impotentia Toloſæ in Eccleſia Societatis Jeſu, dum Beatificationis ſolemnia peragerentur: Secundum inſtantaneæ ſanationis Sororis Mariæ Tereſiæ de Montplaiſant Monialis Profeſſæ in Monaſterio Viſitationis Civitatis Sancti Amoris Diœceſis Lugdunenſis ab ingenti duritie, ſeu tumore in ventre, acuta febri, aliiſque exitialibus ſymptomatibus morti jam proximæ, nullo remanente morborum veſtigio, ac viribus incontinenti receptis.

§. 49. Denique Venerabilibus Fratribus noſtris S. R. E. Cardinalibus, in generali Sacrorum Rituum Congregatione, unanimi Sententia ſuffragium ferentibus, ad ſolemnem BEATI JOANNIS FRANCISCI Canonizationem tuto deveniri poſſe, implorato prius a Patre luminum præſidio, die quinta Aprilis ſolemniter decrevimus.

§. 50. Quod autem faciendum ſupererat, ut de præmiſſis omnibus ad univerſum S. R. E. Cardinalium Collegium relatio fieret, in Conſiſtorio ſecreto diligenter peractum eſt a Dilecto Filio noſtro Antonio Felice tituli Sanctæ Praxedis Presbytero Cardinali Zondadario nuncupato, qui ſuo, & aliorum Cardinalium Sacrorum Rituum Congregationis nomine, B. JOANNIS FRANCISCI REGIS fidei integritatem, ceteraſque egregias virtutes, & miracula, accommoda oratione expoſuit, afferens omnia ex Sacrorum Canonum præſcripto optime comprobata fuiſſe; proinde ſe, collegaſque ſuos cenſere ad ulteriora, ſi ita Nobis videretur, progredi licere, & Beatum Dei Servum in Sanctorum numerum referri poſſe; quod ceteri omnes, qui tunc aderant Cardinales, gravibus Sententiis dictis, unanimes comprobarunt.

§. 51. Convocato deinde publico Conſiſtorio, in quo Dilectus Filius Joannes Aſcevolinus Aulæ noſtræ Conſiſtorialis Advocatus pro ejuſdem Servi Dei canonizatione eloquenter peroravit, ac nomine Chariſſimi in Chriſto Filii noſtri Ludovici Francorum Regis Chriſtianiſſimi, & Chariſſimæ in Chriſto Filio noſtræ Mariæ eorumdem Francorum Reginæ Chriſtianiſſimæ ejus Conjugis, & quamplurium Venerabilium Fratrum Archiepiſcoporum, & Epiſcoporum Regni Galliarum, & potiſſimum Provinciæ Occitaniæ, necnon Dilectorum Filiorum Magiſtratuum, Procerum, & Populorum ejuſdem Provinciæ, & totius inſuper Ordinis Clericorum Regularium Societatis Jeſu, ut ad eam deveniremus, humiliter ſupplicavit: Nos rei gravitatem, ac magnitudinem præ oculis habentes, Cardinales, Patriarchas, Archiepiſcopos, & Epiſcopos ibidem præſentes omni animi contentione hortati ſumus, ut orationibus, jejuniis inſtantes eſſent, quo benigniſſimus Deus lucem ſuæ claritatis ſuper mentem noſtram effundere, & in voluntate ſua dirigere dignaretur.

§. 52. Deinde in ſemipublico Conſiſtorio vocatis non ſolum Cardinalibus, Patriarchis, Archiepiſcopis, & Epiſcopis prædictis, ſed etiam noſtris, & Sedis Apoſtolicæ Notariis, Protonotariis nuncupatis ex numero participantium, ac Palatii noſtri Apoſtolici cauſarum Auditoribus de more præſentibus, quæ opportuna, & neceſſaria videbantur, de eximia B. JOANNIS FRANCISCI Sanctitate commemorata ſunt; cumque omnes ad ejus canonizationem deveniendum, concordibus ſuffragiis cenſuiſſent, Nos unanimi eorum conſenſu audito, aperuimus os noſtrum in benedictionibus, ac Dei nutum, & voluntatem ſecuti, juſtum, & debitum eſſe cenſentes, ut quos Deus honorat in cælis, nos venerationis officio laudemus, & glorificemus in terris, celebrandæ canonizationis diem indiximus, cunctos adhortati, ut in orationibus, jejuniis, & eleemoſynis perſeverantes, Spiritus Sancti gratiam noſtræ humilitati in tam alto negotio impetrare ſtuderent.

§. 53. Demum peractis omnibus, quæ ex Sanctorum Patrum auctoritate, canonicis Sanctionibus, Sanctæ Romanæ Eccleſiæ antiqua conſuetudine, ac novorum decretorum, præſcripto agenda, & obſervanda erant, hoc eſt, die feſto Sanctiſſimæ TRINITATIS, in Sacroſancta Lateranenſi Baſilica, in qua ſolemni Ritu cum Cardinalibus, Patriarchis, Archiepiſcopis, & Epiſcopis ſupradictis, necnon dilectis filiis Romanæ Curiæ Prælatis, Officialibus, & Familiaribus noſtris, Clero Sæculari, & Regulari, ac maxima Populi frequentia mane convenimus, poſt repetitas a dilecto Filio noſtro Nereo S. R. E. Diacono Cardinali Corſino nuncupato, noſtro, ſecundum carnem, ex fratre germano Nepote, per dilectum filium Thomam Antamorum Conſiſtorialis noſtræ Aulæ Advocatum, prædictas inſtantias, quæ dudum Sedi Apoſtolicæ pro hujuſmodi canonizatione porrectæ fuerant, Nobiſque a præfato Ordine Clericorum Regularium Societatis Jeſu ſuppliciter porrigebantur, poſt ſacros hymnos, litanias, aliaſque preces decantatas, ac Spiritus Sancti gratiam humiliter imploratam, ad honorem Sanctæ, & individuæ Trinitatis, ad exaltationem Fidei Catholicæ, & Chriſtianæ Religionis augmentum, auctoritate Domini noſtri Jeſu Chriſti, beatorum Apoſtolorum Petri, & Pauli, ac noſtra, matura deliberatione præhabita, & divina ope ſæpius implorata, ac de Venerabilium Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium, Patriarcharum, Archiepiſcoporum, & Epiſcoporum in Urbe exiſtentium conſilio, & conſenſu, B. JOANNEM FRANCISCUM DE REGIS Confeſſorem, Sanctum eſſe decrevimus, & definivimus, ac Sanctorum Catalogo adſcripſimus, prout tenore præſentium ſimiliter decernimus, definimus, & adſcribimus; Statuentes ab Eccleſia univerſali illius memoriam quolibet anno, die vigeſima quarta menſis Maji, inter Sanctos Confeſſores non Pontifices pia devotione recoli debere; pariterque auctoritate omnibus utriuſque ſexus Chriſtifidelibus vere pœnitentibus, & confeſſis, qui ſingulis annis dicta die vigeſima quarta Maji ad ſepulchrum, in quo ejus corpus requieſcit, viſitandum acceſſerint,

ſeptem

UAB Biblioteca de Ciències Socials

ſeptem annos, & totidem quadragenas de injunctis eis, aut alias quomodolibet debitis pœnitentiis, miſericorditer in Domino relaxavimus, & relaxamus in forma Eccleſiæ conſueta.

§. 54. His peractis, Deum Patrem æternum, Regemque gloriæ Chriſtum Dominum Patris ſempiterni Filium, & Sanctum Paraclitum Spiritum, unum Deum, unumque Dominum laudibus, & confeſſionibus venerati, ſacroque hymno Te Deum ſolemniter decantato, omnibuſque Chriſtifidelibus tunc præſentibus plenaria omnium peccatorum ſuorum indulgentia, & remiſſione conceſſa, propter corporales noſtras infirmitates, affectamque valetudinem, ſenilemque ætatem, ab eadem Lateranenſi Eccleſia receſſimus, remanentibus in ea Venerabilibus Fratribus noſtris S. R. E. Cardinalibus, Archiepiſcopis, & Epiſcopis, & univerſo Clero, & Populo, quibus præſentibus, a Venerabili Fratre noſtro Thoma S. R. E. Cardinali Epiſcopo Prænestino, Ruffo nuncupato, tamquam Cardinali, in ordine, antiquiori, in ara maxima præfatæ Baſilicæ, ex indulto, & de licentia noſtra, ſolemniter Miſſa cum Sancti ejuſdem Confeſſoris commemoratione, celebrata eſt.

§. 55. Convenit autem, ut Deum cœli benedicamus, & coram omnibus viventibus confiteamur ei, quia fecit nobiſcum miſericordiam ſuam, agnoſcamuſque, non ſine magna Dei providentia factum eſſe, ut hiſce afflictis Romanæ Eccleſiæ temporibus, quibus maxime multiplici SS. ſuffragio indigemus, novus hic ſuffragator, & patronus fideli populo tribueretur.

§. 56. Quamobrem eumdem Patrem miſericordiarum, qui humiles exaltat, humiliter deprecemur, ut per interceſſionem S. JOANNIS FRANCISCI Eccleſiæ ſuæ pacem, & tranquillitatem, Regibus, & Principibus concordiam, & unionem, Schiſmaticis, & Hæreticis agnitionem veritatis, & ſalutis, miſeris infidelibus catholicæ fidei lumen largiatur.

§. 57. Ceterum quia difficile foret, præſentes noſtras literas ad ſingula loca, ubi opus eſſet, deferri, volumus, ut earum exemplis, etiam impreſſis, manu tamen publici Notarii ſubſcriptis, & ſigillo alicujus Perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eadem ubique fides adhibeatur, quæ ipſis præſentibus adhiberetur, ſi eſſent exhibitæ, & oſtenſæ.

§. 58. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtri decreti, definitionis, adſcriptionis, mandati, ſtatuti, conceſſionis, elargitionis, & voluntatis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum.

Datum Romæ apud Sanctum Joannem in Laterano anno Incarnationis Dominicæ milleſimo ſeptingenteſimo trigeſimo ſeptimo, ſextodecimo Kalendas Julii, Pontificatus noſtri anno ſeptimo.

✠ Ego Clemens Catholicæ Eccleſiæ Epiſcopus.



✠ *Ego Franciſcus Epiſcopus Oſtien. Cardinalis Barberinus.*
✠ *Ego Petrus Epiſcopus Portuenſis Cardinalis Ottobonus.*
✠
✠ *Ego Epiſcopus Sabinen. Cardinalis S. Clementis S. R. E. Camerarius.*
✠ *Ego Ludovicus Epiſcopus Albanenſis Card. Picus.*
✠ *Ego Petrus Epiſcopus Tuſculanus Card. Corradinus.*
✠
✠
✠
✠
✠
✠
✠
✠
✠
✠ *Ego Georgius Tituli S. Præxedis Presbyter Cardinalis Spinula.*
✠
✠ *Ego Ludovicus Tit. Sanctæ Mariæ Tranſtiberim Cardinalis Belluga.*
✠
✠ *Ego Alvarus Tit. S. Bartholomæi in Inſula Presbyter Cardinalis Cienfuegos.*
✠ *Ego Jo. B. Card. de Alteriis Presbyter S. Matthæi in Merulana.*
✠ *Ego Vincentius Card. Petra Tituli S. Petri ad Vincula Major Pœnitentiarius.*
✠
✠
✠ *Ego Nicolaus Maria Presbyter Cardinalis Lercari Tituli SS. Joannis, & Pauli.*
✠
✠ *Ego Franciſcus Antonius Tit. S. Sixti S. R. E. Presb. Card. Fini.*
✠
✠
✠ *Ego Fr. Vincentius Ludovicus Tit. S. Pancratii S. R. E. Presb. Cardinalis Gotti Ordinis Prædicatorum.*

✠ *Ego D. Leander de Porzia Presb. Card. Tit. S. Calisti.*
✠ *Ego P. Aloysius Cardinalis Carafa Presbyter Tituli S. Priscæ.*

✠ *Ego F. Tit. S. Silvestri in Capite Presbyter Card. Burghesius.*

✠ *Ego Vincentius Tit. S. Laurentii in Pane, & Perna Presbyter Cardinalis Bichius.*
✠ *Ego Joseph Tit. S. Thomæ in Pavione Presb. Card. Firrao.*
✠ *Ego Ant. Tit. S. Stephani in Monte Cœlio Presb. Card. Gentili.*
✠ *Ego Fr. Jo. Antonius Card. Guadagni Tit. SS. Silvestri, & Martini ad Montes.*
✠ *Ego Trojanus Tit. S. Cæciliæ Presbyter Card. de Aquaviva.*
✠ *Ego Dominicus Tit. SS. Quirici, & Julittæ Presb. Card. Riviera.*
✠ *Ego Marcellus Tit. S. Mariæ in Ara Cæli Presb. Card. Passari.*

✠ *Ego Fr. P. M. Tit. S. Joannis ante Portam Latinam Card. Pieri.*

✠ *Ego Laurentius Prior Diaconus Card. de Alteriis.*
✠ *Ego Carolus S. Agathæ in Suburra Card. Columna.*
✠ *Ego Fabius SS. Viti, & Modesti Diaconus Card. Oliverius.*

✠ *Ego Alexander S. Mariæ in Cosmedin Diac. Card. Albanus.*
✠ *Ego Nicolaus S. Mariæ ad Martyres Diac. Card. Judice.*
✠ *Ego Nerius S. Eustachii Dianonus Card. Corsinus.*
✠ *Ego Bartholomæus SS. Cosmæ, & Damiani Diaconus Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Card. Ruspolus.*

Loco ✠ Plumbi.

Antonius Cardinalis Pro-Datarius.
Pro Domino Cardinali Oliverio.

Cajetanus Amatus.

VISA DE CURIA

N. Antonellus.

J. B. Eugenius.

Registrata in Secretaria Brevium.

CANO-

CANONIZATIO
B. JULIANÆ FALCONERIÆ

Tertii Ordinis Servorum B. Mariæ Virginis Fundatricis.

CLEMENS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI

Ad perpetuam rei memoriam.

§. 1. HUMANUM genus, quod morsu infausti pomi primus Parens perdiderat, æternus Dei Filius Christus Dominus e captivitate peccati redempturus, formam Servi ex Virginali Utero accipere voluit, atque ita Virginis Filius, & ipse Virgo Virginem sibi copulavit Ecclesiam, cujus fœcunditati non obest Virginitas, sicut nec fœcunditas adimit Virginitatem: Casta enim, & Virgo tota Fide, quam nulla hæresis inficit macula, nullus mendax contaminat error, Cælestis Sponsi sui sequitur vestigia, læta numerosa prole filiorum, quos inexhausto, & nunquam senescenti partu quotidie sacri lavacri undis æternam parit ad vitam. Sterilis peperit plurimos, & quæ multos habebat filios, infirmata est. Sed flos ecclesiastici germinis, decus atque ornamentum gratiæ spiritalis, laudis, & honoris opus integrum, atque incorruptum, Dei imago respondens ad sanctimoniam Domini, illustrior portio gregis Christi Virgines sunt, quæ a carnali concupiscentia, & a corruptione Sæculi recedentes, tam carne, quam mente se Deo voverunt; quæ de Virginitate sua gloriam foris non quærentes; sed spe ad interiora raptæ, carnem macerantes jejuniis, & toto desiderio ad supernam patriam anhelantes, contemptæ mercede divina, laudes contemnere terrenas; quæ vigiles in præceptis Dominicis oleum sanctorum operum in vasis habentes; acceptis lampadibus suis obviam Cælesti Sponso iverunt, & cum eo intraverunt ad nuptias. Gaudet per illas, atque in illis largiter floret Ecclesiæ Matris glorioſa fœcunditas, & licet Sæculi crescat iniquitas, non definit Ecclesia Sancta esse in membris, & copiosa Sacrarum Virginum prole adversus Synagogas Satanæ quotidie lætari. Etenim non parit Virgines sacras nisi Virgo illa sacra, quæ desponsata est uni Viro casta exhiberi Christo. Ex illa non tota Corpore, sed tota Virgine spiritu nascuntur Sanctæ Virgines, & Corpore, & Spiritu. Fremat igitur infernalis hostis, & sanctæ Virginitatis invidia lividus contabescat; primæ parentis victor se ab infirmis puellis quotidie victum ingemiscat, & cælestem hanc Virtutem, quam improbitas assequi nequit, per suos impietatis ministros infamet. Parit Ecclesia quotidie Virgines, quas nulla Sæculi contagione coinquinatas offert Sponso suo, ut sequantur Agnum quocunque ierit, & quibus os obstruat obloquentium iniqua, & vituperatorum Sanctæ Virginitatis impudentiam confundat. Non deserit enim Deus Ecclesiam suam, neque cessat eam in diem, operans magnalia potentiæ suæ, nova Sanctorum prole fœcundare, & imbecillitati humanæ nova semper parare subsidia, dum in servis suis mira proponit imitationis exempla, quorum merita, & orationes nostra vult esse suffragia. Fecit nobiscum misericordiam suam benignissimus Deus, & parvitati nostræ concedere voluit, ut Sacram Virginem JULIANAM FALCONERIAM, quæ in eadem Florentina Urbe nata est, ubi primum mortalem hanc lucem aspeximus, & quam jam antea plebi suæ in gloria miraculorum manifestaverat, nos concto Christiano Populo Sanctarum Virginum cultu venerandam Apostolica auctoritate decerneremus. Itaque manus ad Cælum tollentes gratias agimus omnium bonorum largitori, qui inter multiplices tribulationes, quibus ob peccata nostra assidue affligimur, dedit Nobis de Beatæ Virginis virtutibus, ac meritis lætari, & sanctam ejus conversationem, & mirabilia Divinæ Gratiæ annunciare populis, ut cujus sacras exuvias, ac religiosas Imagines pio devotionis affectu venerantur, pari religionis ardore vitæ Sanctitatem imitentur. Non enim beatos esse homines censendum est, si Justis, & Sanctis carnis propinquitate jungantur, vel natali solo socientur; sed si eorum doctrinæ, ac moribus obediendo, atque imitando cohæresçant. Nam sicut Fratribus Christi Domini, deest secundum carnem cognatis, qui non in eum crediderunt, nihil profuit illa cognatio; sic & materna propinquitas nihil Mariæ profuisset, nisi felicius Christum corde, quam carne gestasset.

§. 2. Ex Falconeria Gente perillustri Patre nomine Clarissimo, & Matre Recordata sterilibus, atque in senectutem vergentibus nata est JULIANA Florentiæ tanquam præmium paternæ pietatis, eo tempore in lucem prodiens, quo ejus Pater Florentinæ Reipublicæ consulari potestate Princeps in Beatissimæ Virginis ab Angelo Salutatæ honorem magnificum Templum Deo Optimo Maximo extruendum curabat.

§. 3. Sed quoniam fastigium Nobilitatis est inter Dei filios computari, nec addere Nobis quidquam ad dignitatem terrenæ originis decus, nisi contemptu suo potest; ideo Sanctorum nobilitatem, Cælestemque Patriam ab infantia inquirens B. JULIANA, splendorem terrenæ Patriæ, & originis decus respuendo auxit, contemnendo dilatavit. Nam in ipso nutricis sinu, dum fasciis involvitur, infantiles manus sponte sua in Cælum tendens, mutam adhuc per ætatem linguam in dulcissima Jesu, & Mariæ nomina dissolvit, scilicet ex abundantia cordis Sanctissima Nomina proferens, quorum amor tenero in pectore latebat; manibus autem in Cælum protensis, quasi hominibus indicaret, quo stadium mortalis hujus vitæ ingressa, cursum suum, superno spiritu gubernante, dirigeret. Hinc factum est, ut puerilia omnia illius ætatis declinans, spiritualibus dumtaxat exercitationibus studeret, quibus in secretiori parte domus Anachoretarum secessus imitata, sedulam adeo navabat operam, ut Beatus Alexius JULIANÆ Parruus, unus ex Septem Ordinis Servorum Mariæ Fundatoribus, cujus exemplo, & doctrinis instituebatur, in teneris annis grandævam Puellæ virtutem admirans, Genitrici solitus fuerit dicere, eam non Puellam, sed Angelum peperisse.

§. 4. Et quidem mentis puritatem, qua Angelicis Spiritibus assimilamur, in primis coluit diligentissime præcavens omnia, quæ eam lædere possent: tanta enim modestia usa est, ut oculos nunquam in toto vitæ cursu ad hominis faciem intuendam erexerit: Non monilium, aut vestium quærens ornamenta, sed morum, speculum, aliaque muliebris vanitatis instrumenta semper abhorruit, & ornamento crinium, quod alienæ voluntati obsequens adhibere cogebatur, spissis acicularum aculeis infixis ingeniose caput lacerabat, ne inter mundanos ornatus amor Vanitatis irreperet, & mentem castam, ac puram, Deoque dicatam sæcularia desideria profanarent.

§. 5. Decimum quartum ætatis annum agens, conspicuis sibi propositis nuptiis, toto animo exhorruit purissima Virgo, probe sciens, quod mulier, quæ nupta est, cogitat, quæ sunt Mundi, quomodo placeat Viro, quæ vero innupta, & Virgo, cogitat quæ Domini sunt, ut sit Sancta corpore, & Spiritu. Urgebatur blanditiis, & minis consanguineorum; sed forte pectus, quod cælestis Sponsi amor occupaverat, nec Mundi illecebræ, nec hominum territamenta expugnare potuerunt. Nam de sua infirmitate timens in auxilium Matrem, & exemplar puritatis Deiparam Virginem ferventibus precibus advocat, ac deinde terrenum conjugium desiderio nuptiarum cœlestium plurimis lacrymis a se deprecatur. Adfuit Famulæ suæ Beatissima Virgo, ejusque ope, & potenti apud Deum patrocinio, in cujus manu corda hominum sunt, consanguineorum voluntatis JULIANA victrix evasit.

§. 6. Ut vero in futurum mundanarum nuptiarum ſpem omnem ſuis adimeret, propriis manibus ſibi crine reciſo, jampridem carnalibus circumciſis deſideriis, eligens abjecta eſſe in domo Patris ſui, Sacrarum Virginum, quas Mantellatas vocant, pauperem habitum humillime petiit, exultanter obtinuit. Anno probationis exacto ſtetit ad Altare Domini hoſtia pudoris, victima caſtitatis, & tria ſolemnia vota, quæ jampridem animo conceperat, immortali Deo nuncupavit, adſtante Dei Sacerdote Beato Philippo Benitio, qui Sacrum ei velamen, quo amatoribus Mundi occultaretur, impoſuit. Qui poſtea proxime futuri ſui obitus certior divinitus factus, Florentia Peruſium, ac deinde Tudertum ſecedere cogitans, excellentem JULIANÆ virtutem, & Sanctitatem compertam habens, ejus orationibus nedum Sacrarum Virginum Societatem Tertii Ordinis Servorum Beatæ Mariæ Virginis, quæ tum exoriebatur, ſed univerſum Servorum Ordinem commendavit, fore prædicens, ut ipſa ejuſdem Tertii Ordinis Caput, & Fundatrix, leges ei præſcribendo, futura eſſet, ſimulque monens, ne præ animi humilitate delatum ſibi munus pertinacius recuſaret.

§. 7. Interea devotum Deo pectus, & mens cæleſti Sponſo dicata mundana quæque contemnens, & Sæcularia cuncta faſtidiens, cupiebat elongari fugiens, & manere in ſolitudine, ut remotis terrenarum rerum turbis in Sancta Dei contemplatione quieſceret. Sed retraxit caritas, quæ non quærit, quæ ſua ſunt, & lex Domini, qua filii honorem, & cultum parentibus exhibere præcipiuntur. Ideo ne Vidua Mater unicæ filiæ ſolatio deſtituta, mœrens ſolitaria in domo vitam tranſigeret, debita Parenti pietatis, & ſervitutis officia, quoad vixit, præſtare non detrectavit. Remanſit igitur in Sæculo, ut Sæculum virtutem edoceret; ibi enim adeo pie, ſanctèque vitam inſtituit, adeo bonis omnibus virtutum operibus mundo præluxit, ut complures Nobiles Virgines, ac Matronas, Sæcularibus pompis repudiatis, ad Deo ſerviendum in eodem Religioſo Inſtituto exemplo ſuo provocaverit. Quin Mater ipſa ſublimis virtutis, & Chriſtianæ Sanctitatis pulchritudinem in JULIANA admirata, ſe Filiæ ſuæ in juſtificationibus Domini, & ſequendis Semitis ejus pie erudiendam, inſtituendamque dedit.

§. 8. Cum autem Ancillarum Dei Societas ad eum numerum excreviſſet, ut conveniens eſſe videretur, eis in unum Cœtum adunatis aliquam vivendi formam, ac regulam præſcribi, nulla aptior ad hujuſmodi grave opus explendum, ipſo Beato Philippo Benitio, dum viveret, præmonſtrante, judicata eſt, quam JULIANA, quæ jam imaginem ſecundi hominis, qui de Cælo eſt, in ſe portabat: Hanc enim Virginitas portat, portat integritas, Sanctitas portat, & veritas. Itaque ſapientiam edocta, ſapientiam vero non hujus Sæculi, neque Principum hujus Sæculi, qui deſtruuntur, tam prudentes, ac ſapientes regulas condidit, ut hujus Apoſtolicæ Sedis auctoritate meruerint approbari. Cuſtos Virginitatis Caritas eſt, locus autem hujus cuſtodis Humilitas, ibi quippe habitat qui dixit, ſuper humilem, & quietum, & trementem verba ſua requieſcere Spiritum ſuum. Itaque Ancilla Dei pede humilitatis ad ſublimia virtutum aſcendens, quanto magis in Sanctitate proficiebat, tanto magis ſe humiliabat in omnibus, ut coram Deo inveniret gratiam. Defuncta igitur Matre, a jugo piæ Servitutis libera, nudis pedibus, fune ad collum alligato, ad Sanctimonialium, quas ipſa inſtituerat, domum convolavit, ibique coram omnibus genuflexa, quæ omnium erat Mater, tanquam addictiſſima Serva, ut in earum conſortium admitteretur, humillimis precibus efflagitavit. At vero Sacræ Virgines profundam Magiſtræ ſuæ humilitatem, & ſublimem virtutem admiratæ, unanimi conſenſu ei Monaſterii regimen detulere; quod ipſa invita, & reluctans, ſed tandem Superiorum cedens juſſibus, ſuamque ſubmittens voluntatem accepit, tantumque oneris ob humilitatem recuſatum, ex obedientia ſuſceptum prudentia geſſit, caritate adminiſtravit.

§. 9. Nam corde humilis, verbis gravis, animo prudens, loquendi parcior, orandi ſtudioſior, nunquam otioſa, aut vacua, ſed orationi, aut operi manuum intenta, ſolita quæ Dei ſunt, non quæ ſua, quærere, offendere neminem, juvare omnes, fugere jactantiam, rationem ſequi, amare virtutem, facta eſt forma ſui parvi gregis inſtruens verbo, & exemplo. Etenim frequenter filias ſuas monere ſolebat: Deiparam Virginem præ oculis ſemper habendam eſſe, tanquam perfectiſſimum Virginitatis exemplar, in quo velut in Speculo refulget ſpecies caſtitatis, & forma virtutis. Hinc ſumenda exempla vivendi, ubi expreſſa magiſteria probitatis quid corrigi, quid evitari, quid tenere oporteret, oſtenderent: doloroſæ earum Matri, Dei ſcilicet Genitrici, ut ſimiliores efficerentur, amandam eſſe potius domum luctus, quam domum convivii; ſpernendam eſſe veſtium vanitatem, ut Beatæ Virginis religioſo habitu digniores fierent: militiam eſſe vitam Hominis ſuper Terram, ideo ſemper ad pugnam paratas eſſe debere; Amatorum Mundi irriſiones, & obtrectamenta, quibus Fœminæ Deo dicatæ impetuntur, animæ lucrum æſtimanda eſſe, ideoque Apoſtoli verba animo perpetuo retinenda: Si hominibus placerem, Chriſti Servus non eſſem: recte ab eis factum non ſemper ab aliis laudatum iri: malum autem magis in Mariæ Ancillis quam in ceteris mulieribus exaggerandum fore pro certo haberent: otium ut peſtem fugere, & aliquid indefinenter operari curarent; Vacuum enim, deſidioſumque pectus vanis cogitationibus, & diabolicis inſidiis patere: arbitrum mentis non hominem, ſed Deum quærendum: Mundi plauſus declinandos eſſe, non a creaturis, ſed a ſolo Deo in afflictionibus ſolatium, in recte factis laudem, ac præmium expectarent: nihil arduum, ac inſolitum ſine prævio, maturoque conſilio aggrediendum, humanæque prudentiæ dictamen reſpuendum eſſe, ubi divinæ legis præſcripto adverſatur: caritatem vero, quæ nulli inimica, omnibus Mater eſt, inter Sorores ita ſervandam eſſe, ut nulla divitum, vel pauperum, nulla nobilium, aut ignobilium, nulla denique perſonarum diſcretio fieret. His, atque aliis fidelis, & prudens Dei Ancilla, quam conſtituerat Dominus ſuper familiam Matris ſuæ, aſſiduis virtutum documentis ad currendum in via Domini filias ſuas muniebat.

§. 10. Ipſa autem luce ſuarum virtutum omnibus præibat, & angelica quadam modeſtia, admirabili manſuetudine, ſingulari animi demiſſione ſecum ad Deum alias rapiebat. Memor verborum Chriſti Domini, qui fecit, & docuit dicens Diſcipulis ſuis, Qui major eſt in vobis, fiat ſicut minor, & qui præceſſor eſt, ſicut miniſtrator; quas dignitate anteibat, honore ſibi præferebat, humillima quæque Monaſterii munia obibat, infirmas omni officiorum genere fovebat, aliarum voluntati obſequebatur, moleſtias patienter ferebat, conſilia libenter auſcultabat, ſtabilis in fide, humilis in timore, ad omnem tolerantiam fortis, ad ſuſtinendam injuriam mitis, ad faciendam miſericordiam facilis; amabat paupertatem, proſequebatur obedientiam, cuſtodiebat Virginitatem adeo religioſe, ut ad extremos uſque digitos Sorores ſuas manicatas incedere voluerit; ipſa vero adeo verbis, vultu, habitu, inceſſu modeſta fuit, ut externa corporis ſpecies ſimulacrum eſſet mentis, humilitatis forma, imago integritatis.

§. 11. Juſtitia noſtra, non cruciatibus delectatur Deus; ſed contra illecebras Sæculi, contra rebellantis concupiſcentiæ impetus, contra minaces fremitus inviſibilium inimicorum non corporis fortitudine, nec carnis eſt faturitate certandum: Cum hoc maxime hominis interiora corrumpat, quod exteriora delectat: & tanto fiat rationabilis anima purgatior, quanto fuerit ſubſtantia carnis afflictior. Itaque hæc Beata Virgo, quæ fuit una de numero prudentum, ducta a Spiritu Sancto in deſertum pœnitentiæ, ſeverum hunc vitæ tenorem a primis adoleſcentiæ annis ad mortem uſque conſtanti in propoſito voluntate retinuit. Sive frigus hyemale glaciaret, ſive calor arderet æſtivus, rudi ſemper, vilique panno reliquum corpus induta pedibus nudis incedebat. Vino a pueritia abſtinuit, & ſi quando eo uti vel obedientia, vel neceſſitas cogeret, ita aqua diluebat, ut omnem prorſus vini ſaporem adimeret. Crura, & brachia nodoſis funibus, virgineos autem lumbos aculeata, ferreaque zona tam arcte conſtrinxerat, ut ad eam e defunctæ corpore extrahendam ſuperinductam carnem reſecare neceſſe fuerit: Aſpero cilicio veſtiebat corpus ſuum in ſervitutem redigens, & quotidianas inſuper addebat flagellationes, ut pene exanimis quandoque deficere videretur; præſertim feria qualibet ſecunda durius carnem ſuam jejuniis, flagriſque affligebat, offerens ſe Divinæ juſtitiæ pro animabus in igne purgatorio detentis hoſtiam placationis per merita unius mediatoris Domini noſtri Jeſu Chriſti. Feria vero quarta, & ſexta in Chriſti paſſionis memoriam ab omni ſemper abſtinuit cibo, cœleſti Euchariſtiæ pane dumtaxat refecta, ſingulis autem ſabbatis in honorem Beatæ Mariæ Virginis, quam ejus ſectando virtutes impenſe coluit, modico tantum panis fruſto, & frigidæ aquæ potu corpus ſuſtentabat, reliquis autem diebus viliſſimis cibis uſa eſt, & quibus non famem ſatiaret, ſed mortem repelleret.

§. 12. Diſcipula autem Divini magiſtri, qui manens

in

in terris, non habebat, ubi caput reclinaret, super nuda humo, & ubi aliquantulum ægro corpori indulgendum esset, rudi super storea somnum breviſſimum capiebat, reliquum vero noctis in divinarum rerum contemplatione, præcipue vero in Christi, ejusque Sanctiſſimæ Matris doloribus meditandis impendebat, quos tam ardenti perferendi desiderio incensa fuit, ut ab eadem Dei Matre pœnarum, quas in unigeniti Filii morte passa fuit, particeps fieri jugiter efflagitaret, cupiens se passionum sociam esse, ut esset & consolationis; Nec abnuit votis Ancillæ suæ Regina Martyrum, tantumque dolorem, tamque acrem sensum ei a Filio impetravit, ut veluti cruci affixa quandoque pene mori videretur, atque in ejus castiſſimo pectore, & pœnarum acerbitate, & amoris divina dulcedine alteruante dicere sæpe consueviſſe traditur: Nemo de corde meo rapiat amorem meum crucifixum.

§. 13. Spiritualibus igitur abstinentiæ, & pœnitentiæ armis munita, quibus vitiorum omnium incentiva exciderat, ingressa est generosa Virgo ad pugnam contra infernales nequitias, contra antiquum serpentem irreconciliabilem humani generis inimicum: siquidem inviſibilis Hostis filiorum Adam, qui stimulante invidiæ livore primo homini gratiam datæ immortalitatis eripuit, non destitit & occultis insidiis, & aperto bello Sanctiſſimam Virginem per plures annos impetere, ut a Sancto Virginitatis, & Religionis proposito averteret, & eadem ruina, qua ipse perditus est, involveret. Modo enim impuriſſimis suggestionibus puriſſimam Sanctæ Virginis mentem polluere, modo terribilibus spectris fortiſſimum animum terrere tentavit, modo crudeliſſimis ictibus efferatam rabiem, ac furorem suum in eam effudit. Quadam die cum castiſſimum pectus totis infernalis nequitiæ viribus expugnare aggressus esset, & vehementiſſimo ejus incursu virginea mens turbaretur, & jam humana nutaret infirmitas, subito Dei offensæ horrore correptam, & impetu Divini amoris actam ex imo pectore ferunt exclamasse: Exple Domine, exple sitim crudelis hostis, meque in Infernum dejice, æternum cruciabor quidem, sed te non offendam.

§. 14. Nihil igitur veteres profuere artes, nihil profuit infernalis astutia; sed irriti ceciderunt Diabolici conatus, & virgineum pectus Divina gratia armatum infernalia tela ferire non potuerunt: ut enim potentis inimici tutius superaret insidias, & frementis facilius repelleret impetus, Deo per Orationem, quam ad decem usque, sæpe ad viginti, nonnunquam ad viginti quatuor horarum spatium protrahebat, frequentiſſime uniri studebat. Ex intima autem cum Deo unione factum est, ut tam immenso Divini amoris flagraret incendio, ut extremo in Dei offensam exardescens odio ad solum peccati nomen tota contremisceret; quin imo quadam die sceleris cujusdam narratione audita tanto perculsa dolore est, ut prope exanimis corruerit.

§. 15. Flagranti autem charitate, qua Deum amabat, complectebatur, & proximos, quos a Divinis offensis avertere sedula cura, sollicitaque industria, omnique animi conatu satagebat. Itaque ex aliorum peccatis maximo animi concepto dolore, aliena crimina severis in se animadversionibus, copioſisque lacrymis ulciscebatur. Et quoniam compertum habebat ex publicis diſſidiis inteſtina odia nasci, atque inde multa gigni scelera, & peccata, civiles discordias hortationibus, & consiliis compescuit, & diſſidentes ad pacem, & amicitiam revocavit. Præterea Matronarum luxum, & vanitatem coercuit, multos ad pœnitentiam adduxit, plurimos virtute firmavit, omnes verbis ædificavit, & exemplo. Pauperes, & Infirmos summa miseratione, & caritate a teneris annis complexa est. Nam adhuc adolescentula nudos cooperire, & famelicos pascere, proprtiis vestibus exutis, & pretioſioribus e mensa dapibus detractis consuevit, jam tunc in parvo præmeditans cuncta contemnere, & sua simul universa largiri. Nam postea sui juris facta paternam, maternamque hæreditatem ad pauperum, & Servorum Mariæ inopiam sublevandam impendit. Insuper opulentas fœminas, ad proprias in egentium alimoniam opes distribuendas suasionibus, & exemplo perduxit.

§. 16. Publica Nosocomia, dum in ædibus maternis habitabat, frequentans, & ægrotantium inserviens neceſsitatibus, eos verbis animabat ad patientiam, doctrinis instruebat ad pietatem. Quare ut benigniſſimus Deus eximiam Servæ suæ virtutem in oculis hominum illustriorem redderet, ægrotos ad ejus manuum contactum sæpe priſtinæ sanitati restituit; aliis etiam gratiæ donis eam insignivit: inter cetera ut eos, qui Virginitatem colerent, ex mira odoris fragrantia cognosceret.

§. 17. In orationibus autem tanta cœlestis dulcedinis suavitate animus ejus perfundebatur, ut in frequentes extases corpore e solo in altum sublato raperetur. At vero illud omnium animos in admirationem sui, atque amorem trahebat, quod inter tam insignia Divinæ Gratiæ dona, & admirabilium ejus virtutum laudes, eamdem semper modeſtiam, manſuetudinem, & humilitatem servavit, ut quanto altius virtutum incremento eveheretur, tanto demiſſius humilitatis profunditate descenderet.

§. 18. Demum continuatis jejuniis, diuturnique carnis macerationibus, tum etiam ob senilem ætatem, quippe septuagenaria major, debilitati stomachi morbo graviter affecta, eumque in dies ingravescentem hilari semper vultu, constantique animo perferens, ad ultimum spiritum redacta est. Cum autem extremæ Unctionis, & Pœnitentiæ Sacramentis receptis, sacram Euchariſtiam ob indignantis stomachi vitium sibi denegari intellexit, maximum in modum doluit sacra Dei Ancilla in extremo illo agone Communione Corporis, & Sanguinis Christi destituta procedere ad pugnam, & Sanctiſſimo Viatico minime refecta ex hac mortali vita proficiſci, & denique in ultimo vitæ momento a dilectiſſimo Sponso suo quodammodo separari, & ab evangelici Patrisfamilias cœna, & a regalibus nuptiis nulla sua culpa, sed sola vi morbi excludi, graviter ingemuit.

§. 19. Ut vero amantiſſimi cordis sui anguſtiis lenimentum aliquod adhiberet, Fratrem ejusdem Ordinis Servorum B. Mariæ Confeſſarium suum rogavit, ut sacra Pyxide ad se delata, aspectu saltem Anguſtiſſimi Sacramenti dolorem animi sui solaretur. Obsequente ejus voluntati Sacerdote, statim ac Euchariſticus panis illo deferente apparuit, JULIANA corporeis quidem viribus destituta, *sed ferventis* caritatis robore sustentata, se in formam Crucis super terram Dominum suum adoratura prostravit, ejusque facies antea squallore morbi, & macie deformata, Angelico quodam decore honestata eluxit. Sed præsentia Sanctiſſimi Corporis Christi immensæ caritatis exaggerato potius, quam restincto ardore, orat, ut sibi liceat Diviniſſimum Sacramentum deosculari, renuente autem Sacerdote, supplex iterum efflagitat, ut supra pectus suum candido expanso velo sacra Hostia ponatur. Voti compos effecta est, sed Panis ille Cœlestis, ubi Virgineum attigit pectus, statim, ut credibile est, interiora Sponsæ suæ pectoris arcana penetrans, ex adstantium oculis diſparuit; illa vero eodem temporis momento Cœlestem Sponsum dulciter compellans, ac dicens, dulcis mi Jesu, inter castiſſimos Divini Sponsi complexus felicem animam Deo reddidit decimo tertio Kalendas Julias anno Christi milleſimo trecenteſimo quadrageſimo primo.

§. 20. Dum vero sacræ Virginis corpus a suis Sororibus, ut fieri solet, curabatur, inventa est circa siniſtrum pectoris latus hostiæ forma carni veluti sigillo impressa, quæ Christi Crucifixi Imaginem referebat. Ita Divina operante Omnipotentia, ut imago Christi Crucifixi, quem vivens mente, & corde semper gestaverat, defunctæ in corpore a mortalium oculis conspiceretur; veluti signaculum *Divini amoris* dilectam hortantis, & dicentis, Pone me ut signaculum super cor tuum, ut signaculum super brachium tuum.

§. 21. Ubi autem felix, beataque JULIANÆ mors audita est, fama ejus Sanctitatis, & novo, atque inaudito Sacrofanctæ Hostiæ miraculo excitata, tota ferme Florentina Civitas per plures dies ad Virginis Mariæ Annuntiatæ Basilicam confluxit, Sacrum Virginis Corpus Spiritus Sancti Templum veneratura. Ut vero benigniſſimus Deus Ancillam suam, quam cœlesti, & immarcesciſili gloria donaverat, glorioſam quoque in terris efficeret, ad solum illius feretri, aut vestis contactum infirmos plurimos a variis morborum generibus mirabiliter liberavit. Quamobrem ab ejusdem obitus die usque in præsens, & miraculis illustris, & Beatæ, Sanctæque nomine nuncupata, Populis ad ejus sacras colendas exuvias undique confluentibus, in cultu nunquam intermiſso habita est. Nec solum in Etruria, sed in multis etiam Orbis Christiani Provinciis Ancilla Dei summa jamdiu veneratione colitur, ubi quoque plura Sacrarum Virginum Monasteria JULIANAM veluti Matrem suam, ac Tertii Ordinis Servorum Mariæ Inſtitutricem venerantur, ejusque regulam a felicis recordationis Innocentio Papa VIII. & Martino Papa V. Prædeceſſoribus noſtris anno milleſimo quadringenteſimo viceſimo quarto, decimo septimo Kalendas Aprilis approbatam profitentur. Quin etiam felicis recordationis Paulus V. Prædeceſſor noſter in suis literis in forma Brevis datis quarto idus Maii anno milleſimo ſexcenteſimo octavo

ad

ad claræ memoriæ Julianam Gonzagam Archiducem Auſtriæ præfati Ordinis Profeſſam, & in Germania Reſtauratricem, BEATÆ, atque ejuſdem Inſtituti PATRONÆ titulo JULIANAM condecoravit.

§. 22. Fama vero illius Sanctitatis, ac Miraculorum in dies percrebreſcente, anno ſexcenteſimo ſexageſimo ſeptimo ſupra milleſimum a piæ memoriæ Clemente IX. ſignata fuit commiſſio introductionis cauſæ canonizationis ad effectum etiam recognoſcendi, ut cautius in re tam gravi procederetur, ejus virtutes, & miracula: Ac deinde anno milleſimo ſexcenteſimo ſeptuageſimo tertio ſuper ejuſdem cultu immemorabili, & caſu excepto proceſſu Florentiæ fabricato, judicis delegati ſententia pro cultu immemorabili, & caſu excepto emanavit, quæ ad relationem bonæ memoriæ Decii Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Diaconi Cardinalis Azolini nuncupati habitam diebus nona, & viceſima ſexta menſis Julii anno ſexcenteſimo ſeptuageſimo octavo ſupra milleſimum a Sede Apoſtolica confirmata fuit. Felicis autem recordationis Innocentius XII. diebus decima menſis Januarii, & decima ſeptima Octobris anni milleſimi ſexcenteſimi nonageſimi tertii univerſo Ordini Servorum Beatæ Mariæ Virginis, & Florentinæ Civitati facultatem indulſit de illa celebrandi Miſſam, & Officium de communi Virginum ſub ritu ſemiduplici, quam deinde anno ſupra milleſimum ſeptingenteſimo decimo octavo, die decima menſis Septembris ad ritum duplicem elevavit piæ recordationis Clemens XI. Prædeceſſor noſter, eo quod Beatam JULIANAM Tertii Servorum Ordinis Fundatricem fuiſſe compertum habuit.

§. 23. Anno denique milleſimo ſeptingenteſimo viceſimo octavo, die viceſima menſis Martii a felicis recordationis Benedicto XIII. Prædeceſſore noſtro approbatæ fuerunt Lectiones propriæ ejuſdem Officii cum Hymno, & Oratione, dieque ſeptima menſis Auguſti ejuſdem anni B. JULIANÆ Nomen cum elogio inſcriptum eſt in Martyrologio Romano. Interea temporis cauſa ejuſdem Canonizationis in Sacra Rituum Congregatione mature diſcuſſa anno milleſimo ſeptingenteſimo viceſimo quinto, die quinta menſis Februarii ab eodem Pontifice decretum fuit ita conſtare de virtutibus ejus Theologalibus, & Cardinalibus, ut recte pergi poſſit ad diſcuſſionem miraculorum. Quibus ſubinde in eadem Sacra Congregatione, ut moris eſt, ad examen vocatis, denique die octava menſis Septembris Nativitati Beatæ Mariæ Virginis ſacra anno milleſimo ſeptingenteſimo viceſimo nono idem ſanctæ mem. Benedictus XIII. ex novem propoſitis miraculis quatuor ſequentia ſolemni decreto probavit, videlicet. Primum inſtantaneæ ſanationis Sororis Felicis Fortunatæ de Sardis Monialis Profeſſæ in Monaſterio Sancti Benedicti Civitatis Piſarum ab affectionibus iſtericis, convulſionibus atrociſſimis, & febri per quindecim annos continua in tertio genere. Secundum odoris ſuaviſſimi promanantis a reliquia Beatæ JULIANÆ, conſiſtente in una ex ejus coſtis in ſecundo genere. Tertium inſtantaneæ Sanationis Patris F. Horatii Riminaldi Ordinis Servorum Beatæ Mariæ Virginis ab apoplexia, ſeu paralyſi, & attractione nervorum. Et quartum inſtantaneæ emiſſionis fœtus in utero Mariæ Magdalenæ Cittadelli a pluribus diebus jam mortui; iſque in tertio genere.

§. 24. Propoſito demum in alia Generali Sacrorum Rituum Congregatione coram ſupralaudato Pontifice die quarta menſis Octobris anni milleſimi ſeptingenteſimi viceſimi noni a Venerabili Fratre noſtro Ludovico Epiſcopo Albanenſe Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinali Pico de Mirandula nuncupato ſubrogata in locum bonæ memoriæ Joſephi Renati Presbyteri Cardinalis, dum viveret, tituli Sancti Laurentii in Lucina Imperiali nuncupati Ponentis, ſeu Relatoris altero dubio, quod in hac cauſa ſupererat, nimirum: An ſtante approbatione prædictorum quatuor miraculorum tuto quandocumque procedi poſſit ad ſolemnem Beatæ JULIANÆ Canonizationem, omnibuſque tam Conſultoribus, quam Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus affirmative reſpondentibus, idem Pontifex Prædeceſſor noſter poſt imploratam de more Sancti Spiritus aſſiſtentiam, die quinta ejuſdem menſis, & anni decretum de ejuſdem Beatæ Canonizatione ſuo tempore, & loco peragenda pronunciavit. Cum vero idem Benedictus XIII. humanæ peregrinationis viam compleviſſet, Noſque nullis noſtris meritis, ſed ſola divinæ gratiæ dignatione ad Eccleſiæ gubernacula vocati eſſemus, ad augmentum Divini honoris, & Sanctæ Eccleſiæ utilitatem pertinere arbitrati ſumus, ut quod præfatus Prædeceſſor noſter faciendum ſibi propoſuerat ad effectum, & complementum produceremus. Nam plurimum etiam ad præſentium temporum calamitatem levandam intereſſe exiſtimavimus, ſi Chriſtifidelium devotio erga Sanctos, & Electos Dei, qui pro Nobis in tantis neceſſitatibus intercederent, augeretur.

§. 25. Mandavimus itaque, ut omnibus, quæ in cauſa acta fuerant, diligenter inſpectis, & recognitis, relatio eorum Nobis, & Venerabilibus Fratribus noſtris Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus in Conſiſtorio fieret. Itaque die ſexto Maii præſentis anni in Conſiſtorio noſtro Secreto dilectus filius noſter Antonius Felix tituli Sanctæ Praxedis Presbyter Cardinalis Zondadarius nuncupatus totius proceſſus ſummam, ac ſuam, aliorumque Cardinalium Sacris ritibus præpoſitorum ſententiam, nec non vitæ Sanctitatem, & miracula Beatæ JULIANÆ accurate, & luculenter expoſuit; quibus auditis reliqui omnes Cardinales, qui aderant, ad ulteriora fore procedendum communi ſuffragio pronunciarunt. Cum igitur in publico Conſiſtorio proxime a Nobis convocato dilectus filius Nicolaus Maria Sacripantes Conſiſtorialis Aulæ noſtræ Advocatus pro ejus Canonizatione eleganter peroraſſet, ac nomine diverſorum Catholicorum Regum, & Principum, & præſertim univerſi Ordinis Fratrum Servorum Beatæ Mariæ Virginis, & ipſius Familiæ Falconeriæ, ut ad eam procedere dignaremur, humiliter ſupplicaſſet; Nos de re tanta Venerabiles Fratres Noſtros Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales, & Epiſcopos in Curia præſentes conſulturos eſſe reſpondimus, atque interim Cardinales, atque Epiſcopos, qui aderant, in Viſceribus Chriſti hortati ſumus, ut orationibus inſtantes, in jejuniis, & eleemoſynis animos ſuos coram Deo nobiſcum humiliantes precibus a Deo Patre luminum expoſcerent, ut ex alto ſuper Nos lucem, & veritatem ſuam emitteret, quæ Nos ad voluntatem, & beneplacitum ejus cognoſcendum, & perficiendum deduceret.

§. 26. Itaque in ſemipublico Conſiſtorio, quod deinceps congregatum eſt, advocatis non modo Cardinalibus, ſed Patriarchis, Archiepiſcopis, & Epiſcopis in Curia noſtra exiſtentibus, intervenientibus etiam noſtris, ac Sedis Apoſtolicæ Notariis, Protonotariis ex numero Participantium nuncupatis, ac Sacri Palatii Apoſtolici cauſarum Auditoribus, cum a Nobis de eximia Sanctitate Ancillæ Dei, ac miraculorum celebritate, quæ neceſſaria videbantur, commemorata fuiſſent, omnes concorditer, ac uno ore benedicentes Deum amicos ſuos honorificantem in Terris, & coronantem in Cœlis, Beatam JULIANAM in Sanctarum Virginum numerum adſcribendam eſſe cenſuerunt. Quorum omnium audito conſenſu, intimo cordis affectu exultavimus in Domino, gratias agentes Deo, & filio ejus Domino Noſtro Jeſu Chriſto, quod Eccleſiam ſuam non derelinqueret, ſed gloria Sanctorum ſuorum illuſtrare, & patrocinio munire dignaretur. Canonizationis itaque indiximus diem, eoſdemque Fratres, ac filios noſtros monuimus, ut in orationibus, & eleemoſynis perſeverantes a Divina benignitate impetrarent; ut in tanto opere exequendo Splendor Domini Dei Noſtri eſſet ſuper Nos, qui opus manuum noſtrarum ad perficiendam ejus voluntatem dirigeret.

§. 27. Demum rite omnibus abſolutis, quæ ex Sacris Conſtitutionibus, Romanæque Eccleſiæ conſuetudine peragenda erant, hodie, quæ fuit dies Dominica Sanctiſſimæ Trinitatis, in Sacroſanctam Lateranenſem Baſilicam decenter ornatam cum Venerabilibus Fratribus noſtris Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus, nec non Patriarchis, Archiepiſcopis, & Epiſcopis, Romanæque Curiæ Prælatis, Officialibus, & Familiaribus noſtris, Clero Sæculari, & Regulari, ac maxima Populi frequentia convenimus, ubi repetitis pro Canonizationis decreto petitionibus a dilecto Filio noſtro Nereo Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Diacono Cardinali Corſino nuncupato noſtro ſecundum carnem ex Fratre Nepote, per dilectum Filium Thomam Antamorum Conſiſtorialis Aulæ noſtræ Advocatum, & decantatis Sacris precibus, & litaniis, ac Spiritus Sancti gratia humiliter implorata, ad honorem Sanctæ, & individuæ Trinitatis, ad exaltationem Fidei Catholicæ, & Chriſtianæ Religionis augmentum, Auctoritate Domini Noſtri Jeſu Chriſti, Beatorum Apoſtolorum Petri, & Pauli, ac noſtra, matura deliberatione præhabita, & divina ope ſæpius implorata, ac de Venerabilium Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium, Patriarcharum, Archiepiſcoporum, & Epiſcoporum in Urbe exiſtentium conſilio, & conſenſu Beatam JULIANAM Falconeriam Sanctam eſſe decrevimus, & definivimus, ac Sanctorum Catalogo adſcripſimus, prout tenore præſentium ſimiliter decernimus, definimus, & adſcribimus, illamque univerſos Chriſtifideles tan-

tanquam vere Sanctam honorare, & venerari mandavimus, & mandamus, ſtatuentes, ut ab univerſali Eccleſia in ejus honorem Eccleſiæ, & Altaria, in quibus Sacrificia Deo offerantur, ædificari, & conſecrari poſſint, & ſingulis annis die decima nona menſis Junii, qua ad cœleſtem gloriam vocata eſt, inter Sanctas Virgines non Martyres pia devotione recoli debeat: eademque Auctoritate omnibus Chriſtifidelibus vere pœnitentibus, & confeſſis, qui annis ſingulis eodem feſto die ad Sepulchrum, in quo corpus ejus requieſcit, viſitandum acceſſerint, ſeptem annos, & totidem quadragenas de injunctis eis, aut alias quomodolibet debitis pœnitentiis miſericorditer in Domino relaxavimus, ac relaxamus in forma Eccleſiæ conſueta.

§. 28. His peractis Deum Patrem æternum, Regemque gloriæ Chriſtum Dominum Patris Sempiterni Filium, & Sanctum Paraclitum Spiritum unum Deum, unumque Dominum laudibus, & confeſſionibus venerati, ſacroque Hymno Te Deum ſolemniter decantato, omnibuſque Chriſtifidelibus tunc præſentibus Plenaria omnium peccatorum ſuorum Indulgentia, & remiſſione conceſſa, propter corporales noſtras infirmitates, affectamque valetudinem, ſenilemque ætatem ab eadem Lateranenſi Eccleſia receſſimus, remanentibus in ea Venerabilibus Fratribus noſtris Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus, Archiepiſcopis, Epiſcopis, & univerſo Clero, & Populo, quibus præſentibus a Venerabili Fratre noſtro Thoma S. R. E. Cardinali Epiſcopo Prænestino Ruffo nuncupato, tanquam Cardinali in ordine antiquiori in Ara maxima præfatæ Baſilicæ, ex indulto, & de licentia noſtra ſolemniter Miſſa cum Sanctæ ejuſdem Virginis non Martyris commemoratione celebrata eſt. Decet autem, ut pro tam inſigni beneficio cum omni humilitate benedicamus, & glorificemus Deum, cui omnis honor, & gloria, & poteſtas in ſæcula, aſſiduis precibus ab eo poſtulantes, ut per interceſſionem Electæ ſuæ non ſecundum peccata noſtra faciat nobis, ſed infinitam bonitatem ſuam reſpiciens, & indignationem ſuam avertens a culpis noſtris, oſtendat nobis lucem miſericordiarum ſuarum, & immittat timorem ſuum ſuper Gentes, quæ non cognoverunt eum, ut cognoſcant, quia non eſt alius Deus, niſi Deus noſter.

Ceterum quia difficile foret, præſentes noſtras literas ad ſingula loca, ubi opus eſſet, deferri, volumus, ut earum exemplis, etiam impreſſis, manu tamen publici Notarii ſubſcriptis, & ſigillo alicujus Perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eadem ubique fides adhibeatur, quæ ipſis præſentibus adhiberetur, ſi eſſent exhibitæ, vel oſtenſæ. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtri decreti, definitionis, adſcriptionis, mandati, ſtatuti, conceſſionis, elargitionis, & voluntatis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum.

Datum Romæ apud Sanctum Joannem in Laterano anno Incarnationis Dominicæ milleſimo ſeptingenteſimo triceſimo ſeptimo, ſextodecimo Kalendas Julii, Pontificatus noſtri anno ſeptimo.

✠ Ego Clemens Catholicæ Eccleſiæ Epiſcopus.



✠ *Ego Franciſcus Epiſcopus Oſtien. Cardinalis Barberinus.*
✠ *Ego Petrus Epiſcopus Portuenſis Cardinalis Ottobonus.*

✠ *Ego Epiſcopus Sabinen. Cardinalis S. Clementis S. R. E. Camerarius.*
✠ *Ego Ludovicus Epiſcopus Albanenſis Card. Picus.*
✠ *Ego Petrus Epiſcopus Tuſculanus Card. Corradinus.*

✠ *Ego Georgius Tituli S. Praxedis Presbyter Cardinalis Spinula.*

✠ *Ego Ludovicus Tit. Sanctæ Mariæ in Tranſtiberim Cardinalis Belluga.*

✠ *Ego Alvarus Tit. S. Bartholomæi in Inſula Presbyter Cardinalis Cienfuegos.*
✠ *Ego Jo. B. Card. de Alteriis Presbyter S. Matthæi in Merulana.*
✠ *Ego Vincentius Card. Petra Tituli S. Petri ad Vincula Major Pœnitentiarius.*

✠ *Ego Nicolaus Maria Presbyter Cardinalis Lercari Tituli SS. Joannis, & Pauli.*

✠ *Ego Franciſcus Antonius Tit. S. Sixti S. R. E. Presb. Card. Fini.*

✠

UAB Biblioteca de Ciències Socials

✠ *Ego Fr. Vincentius Ludovicus Tit. S. Pancratii S. R. E. Presb. Cardinalis Gotti Ordinis Prædicatorum.*
✠ *Ego D. Leander de Porzia Presb. Card. Tit. S. Calisti.*
✠ *Ego P. Aloysius Cardinalis Carafa Presbyter Tituli S. Priscæ.*

✠ *Ego F. Tit. S. Silvestri in Capite Presbyter Card. Burghesius.*

✠ *Ego Vincentius Tit. S. Laurentii in Pane, & Perna Presbyter Cardinalis Bichius.*
✠ *Ego Joseph Tit. S. Thomæ in Parione Presb. Card. Firrao.*
✠ *Ego Ant. Tit. S. Stephani in Monte Cœlio Presb. Card. Gentili.*
✠ *Ego Fr. Jo. Antonius Card. Guadagni Tit. SS. Sylvestri, & Martini ad Montes.*
✠ *Ego Trojanus Tit. S. Cæciliæ Presbyter Card. de Aquaviva.*
✠ *Ego Dominicus Tit. SS. Quirici, & Julittæ Presb. Card. Riviera.*
✠ *Ego Marcellus Tit. S. Mariæ in Ara Cœli Presb. Card. Passari.*

✠ *Ego Fr. P. M. Tit. S. Joannis ante Portam Latinam Card. Pieri.*

✠ *Ego Laurentius Prior Diaconus Card. de Alteriis.*
✠ *Ego Carolus S. Agathæ in Suburra Card. Columna.*
✠ *Ego Fabius SS. Viti, & Modesti Diaconus Card. Oliverius.*

✠ *Ego Alexander S. Mariæ in Cosmedin Diac. Card. Albanus.*
✠ *Ego Nicolaus S. Mariæ ad Martyres Diac. Card. Judice.*
✠ *Ego Nerius S. Eustachii Diaconus Card. Corsinus.*
✠ *Ego Bartholomæus SS. Cosmæ, & Damiani Diaconus Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Card. Ruspolus.*

Loco ✠ Plumbi.

Antonius Cardinalis Prodatarius.
Pro Domino Cardinali Oliverio.

Cajetanus Amatus.

VISA DE CURIA

N. Antonellus.

Registrata in Secretaria Brevium.



CANO-

UAB Biblioteca de Ciències Socials

CANONIZATIO BEATÆ CATHARINÆ FLISCÆ ADURNÆ.

CLEMENS EPISCOPUS SERVUS SERVORUM DEI

Ad perpetuam rei memoriam.

GAUDET, & exultat Romana Catholica Eccleſia ſuorum filiorum læta victoriis, qui telis quidem Sæcularibus nudi, ſed divina virtute armati adverſus blandientis mundi inſidias, vel frementis infernalis hoſtis impetus, vel ſæcularium turbinum minas ſpe vivida, mente incorrupta, conſtanti fide, caritate ferventi fortes, & ſtabiles in acie ſteterunt, & bonum certamen, certamen cæleſte, certamen ſpiritale, prælium Chriſti decertarunt, glorioſum curſum conſummarunt immarceſcibilem coronam de manu Dei meruerunt. Gloriatur igitur, & merito gloriatur pia Mater Eccleſia fortitudine martyrum, conſtantia pœnitentium, Viduarum pietate, caſtitate Virginum, & ceteris præclaris ſuorum fidelium virtutibus, qui ſpectaculum facti mundo, & Angelis, & hominibus, militantes fortiter, & conſtanter dimicantes *in ſeipſis exhibuerunt ſupernæ prodigia virtutis.* Infirma enim mundi elegit Deus, ut confundat fortiora, & ea, *quæ non ſunt, ut ea, quæ ſunt, deſtrueret.* Omnipotens enim Dei virtus in ſervorum infirmitate clareſcit, & ſupernæ dignationis ſplendor, quo ſervos illuſtrat, in Eccleſiæ refunditur honorem, quæ illos ſalutari lavacro ſpiritaliter peperit, doctrinæ lacte aluit, ſacrarum Scripturarum roboravit eloquiis, ſacramentis armavit ad pugnam, hortamentis perduxit ad coronam. Itaque quo inimicorum major eſt impetus, ſævior pugna, longius certamen, pugnantis autem infirmior ætas, ſexus imbecillior, eo magis creſcit vincentis meritum, & laus, & amantiſſimæ Matris gaudium, & gloria, quæ Sanctorum recolens triumphos, eorum exhilarata laudibus, & potenti confiſa patrocinio, quotidianas, quas ab ingratis accipit filiis, ſolatur injurias, & aſſiduas abſtergit lacrymas, quibus funera plangit, & ruinas plurimorum. Benedictus Deus, qui non continet in ira miſericordias ſuas, & Eccleſiam ſuam quotidie non deſinit Divinæ gratiæ prodigiis, & glorioſis Sanctorum victoriis conſolari. Cujus conſolationis nos, quos nullis noſtris meritis univerſalis Eccleſiæ regimini præficere dignatus eſt, inter aſſiduos tribulationum, & adverſitatum fluctus, quibus pro peccatis noſtris graviter vexamur, participes eſſe voluit in Beata Catharina Genuenſi, quæ fortis illa mulier fuit, quam inventu difficilem Scriptura edixit, & cujus conſtantis animi fortitudinem cæleſtibus auxiliis roboratam, nec infernalis hoſtis impetus, nec multarum tribulationum impulſus quatere potuit, & ab illo avertere, quod in ſublimitate mentis ſuæ altiſſime conceperat, propoſito ſanctitatis. Nam per gratiam Spiritus Sancti naturæ uſum, & ſexus infirmitatem tranſgreſſa, accincta robore, & in ſpiritu ambulans deſideria carnis non perfecit, ſed in Divina caritate altius fixis radicibus, & domicilio ſuo ſuper petram robuſta mole ſolidato firma, & inconcuſſa ad infernales incurſus, & ad procellas, & turbines ſæculi ſtetit, ut ad Dei munera per Divina præcepta fortiter pergens feliciter perveniret. Hanc igitur hodierna die ſervatis de more ſolemnibus, in Sanctarum Viduarum numerum ab omnibus fidelibus colendam auctoritate cælitus nobis impertita retulimus, & ideo ejus pie, ſancteque res geſtas, præclaraſque virtutes breviter exponamus, ut earum commemoratione dolorem cordis noſtri, & pectoris noſtri anguſtias leniamus, & fideles omnes ad fugienda Mundi hujus blandimenta, ſequendaſque virtutes præclaræ hujus Viduæ exemplo provocentur. Experientia enim docente quotidie ediſcimus, humanam infirmitatem in ſtadio virtutum decurrendo exemplo amplius, quam præceptis proficere; quoniam nec difficile, quod jam factum eſt, æſtimatur; & utile, quod probatum; & religioſum, quod hereditario quodam paternæ virtutis uſu in nos eſt ſucceſſione transfuſum.

I. Genuæ, quæ celebris eſt in Liguria Civitas, & totius Genuenſis Reipublicæ caput, Catharina nata eſt anno milleſimo quadringenteſimo quadrageſimo ſeptimo: Patrem habuit Jacobum Fliſcum Proregem Regni Neapolis, quem a Roberto Fratre felicis recordationis Innocentii IV. Prædeceſſoris noſtri genus duxiſſe tradunt, & Matrem Franciſcam de Nigro ſanguinis vetuſtate nobiles, ſed longe prole ipſa nobiliores, quæ ſplendorem generis virtutum præſtantia, quæ ſola apud Deum nobilitas eſt, ſuperavit. Vix enim uſu rationis potita, & octavum ætatis ſuæ annum attingens, amore erga Deum, erga Parentes obſequio, erga ſe ipſam contemptu eximiis virtutum argumentis ad futuram Sanctitatem præluſit. Et enim Spiritu Sancto inſtruente docta Chriſtianam Sapientiam eſſe ſcire Jeſum Chriſtum, & hunc Crucifixum, frequenter in Chriſti patientis imaginem e pariete cubiculi ſui pendentem figebat oculos, cujus obtutu miro patiendi deſiderio accendebatur, ut *crucifixis carnalibus* deſideriis, mentem ſoluta, & libera ad amorem inviſibilium *tenderet.* Itaque jam magiſterium virtutis adepta, quæ præjudicium vehebat ætatis, ſpreta lecti mollitie, paleis culcitræ, ligno cervicalis vicem, & uſum præbentibus, ſomnum breviſſimum capiebat: omnia autem puerilia oblectamenta contemnens, rigida ſilentii cuſtos ſola oratione delectabatur.

II. Quamobrem ſpiritali orationis cibo nutrita, adeo in ea cæleſtis patriæ amor, mundique contemptus ſuccreverat, ut decimum tertium annum agens, conſilio Confeſſarii ſui adhibito, ſe in ſanctimonialium Monaſterio dicare Deo, totamque dedere decreverit. Sed ſacræ Virgines, quas adulta animi Catharinæ fortitudo, & ſpiritale robur latebat, ejus teneros annos, & imbecillam corporis valetudinem ratæ non aptam ferendis laboribus, & monaſticæ vitæ muneribus, conſuetudinem Moneſterii excuſantes ob teneram ejus ætatem in ſuum conſortium admittere recuſarunt. Ita diſponente altiſſimo Divinæ providentiæ conſilio, a Religioſo Monaſterii ſeceſſu repellitur, quæ poſtea in ſæculo remanens fœminis nuptis, ac viduis, quarum mentibus carnalium cupiditatum tenebras mundi conſuetudo offuderat, viam Domini ingredi volentibus tanquam lucerna in tenebroſo loco ſuper candelabrum poſita præluceret. Repulſam Dei ancilla patienter tulit, & intelligens Dominum a ſe obedientiam velle, non ſacrificium, parentum voluntati, atque imperio obſecuta nobili atque diviti viro Juliano Adurno nupſit.

III. Sed ne mundanarum voluptatum fallenti capta dulcedine in viam ſæculi abduceretur, tribulationes, & preſſuras immiſit Dominus, qui non derelinquit diligentes ſe. Namque Sponſus ab ipſo nuptiarum die eam vehementer averſatus eſt. Ille enim luxum, & pompam, hæc frugalitatem, & modeſtiam; ille hominum cœtus, & frequentiam, hæc ſilentium, & ſecretum; ille ludos, & oblectamenta ſæculi, hæc orationem, & caſtas Deum amantium delicias ſequebatur. Ideo ob contraria voluntatum ſtudia alienato mariti animo, aſpere, ac duriter ab eo tractabatur. Ipſa vero etiam ſi nulla erga virum maritalis obſequii, & cultus præterirct officia, maxime tamen illius morum, ac vitæ tædebat, unde caligantibus triſtitiæ tenebris oppreſſum eſt cor ejus, nec erat, qui conſolaretur eam. Quinquennium in luctu & mœrore tranſegit: deinde amicis, & conſanguineis fœminis ſuadentibus aliquid priſtinæ vitæ

consuetudinis remittere, ut mœrentis animi sublevaret tristitiam, aliarum nobilium fœminarum cœtus, ac domos frequentare, & vivendi rationem sequi instituit. Sed omnia benignissimus Deus felle amaritudinis conspersérat, ut servæ suæ anima falsa mundi oblectamenta fastidiens, cælestes dulcedines esuriret. Habet enim potestas illa justissima miris, & incomprehensibilibus modis per quasdam secretissimas successiones rerum sibi servientium, quas creavit, & severitatem vindicandi, & clementiam liberandi.

IV. Itaque altero fere quinquennio elapso, cum a terrenis rebus animi potius augeretur mœror, & tristitia, quam levaretur angustia (sevéra enim misericordia nihil Deus ancillæ suæ sinebat dulcescere, quod ipse non esset) ita supra modum gravata est supra virtutem, ut tæderet etiam vivere, & in se ipsa responsum mortis haberet. Graves inter animi angores propriam Sororem, quæ Sanctimonialis erat, consuluit, cujus hortatu Presbyterum Monasterii Confessarium adivit, ad cujus pedes vix dum se prostraverat, cum caligantibus jam in sæculo mentis oculis Divinæ lucis lumen subito affulsit, & doloris simul atque amoris vulnere percussa parum abfuit, quin prolaberetur in terram. Ut vero domum redivit, cum ab arcano fundo alta consideratio, irradiante Divinæ gratiæ lumine contraxisset, & congessisset totam miseriam suam in conspectum cordis sui, obortus est ingens imber lacrymarum, projectisque muliebribus ornamentis, quæ nunquam in posterum resumeret, amarissima cordis contritione, sanctaque indignatione sui detestata est anteactæ vitæ culpas, admirans Divinam clementiam, ac ineffabilem Dei bonitatem retrahentem recedentes a se, & derelinquentes fontem aquæ vivæ, ut fodiant sibi cisternas dissipatas, quæ continere non valent aquas. Itaque timore Divinæ justitiæ, admiratione misericordiarum Domini, odio erga mundum, indignatione erga se, dolore de peccatis, tanta denique tamque gravi diversorum affectuum cordis intima agitante procella, accendebatur jam concepta flamma Divini amoris, & pectore suspiria, & oculis cadebant flumina lacrymarum, acceptabile, ac gratum Deo sacrificium.

V. Cum subito mentis oculis apparuit Salvatoris Crucem bajulantis imago toto corpore sanguine diffluentis. Quam speciem animo alte infixam, vivisque expressam coloribus ita mente in posterum retinuit, ut quæcunque oculis cerneret, pretioso Christi sanguine ei viderentur adspersa, quocunque se verteret, Salvatoris patientis imaginem sibi videretur intueri. Hinc ingens patiendi ardor, ut se Passioni Christi Domini conformans, de admissis vel levibus culpis Divinæ justitiæ in sanguine, & per merita Divini mediatoris satisfaceret, & veterem hominem in se crucifigeret, & destrueret corpus peccati, ut non amplius peccato serviret. Itaque carnem suam ciliciis, flagellis, fame, siti, vigiliis, jejuniis edomuit, ne spinas, ac tribulos vitiorum produceret, sed sancta corpore, & spiritu hostiam Deo placentem se offerret.

VI. Uno vel altero anno ab admirabilis ejus conversionis die voce Christi Domini ad interiores cordis aures resonante invitata est ad peragendum cum Domino Salvatore quadragesimale jejunium, quo exercita tria illa tentationum genera, quibus ille volens tentatus est, superare edisceret, nempe intus Verbo Dei nutrita non quæreret in ista mortalis vitæ eremo voluptatem, imo ita domitam cupiditatem haberet, ut nec fami cederet; uni Deo tantum subjecta non desideraret in monte, hoc est in terrena elatione jactantiam, sed nulli creaturæ serviens, & neminem præter Deum adorans superbiam sæculi, & vanitates vanitatum calcaret; æterno demum incommutabilis veritatis spectaculo inhærens curiositatis illecebram contemneret, nec Deum tentaret, nec per fastigium Templi, idest per oculos corporis se præcipitem ageret, ut ad temporalia, & inferiora recedendo a Deo Templum, hoc est animam nostram inhabitante, perveniret: atque ita tria illa prorsus sibi subdita, & penitus confracta jejunio, & oratione teneret concupiscentiam carnis, concupiscentiam oculorum, & ambitionem sæculi. Auscultavit subito invitamenta Dominica fortis Dei mulier, & secuta est spiritum ducentem in desertum pœnitentiæ longe a mundanis oblectamentis, & sæcularibus curis inhabitantibus terras. Et non solum primæ illius quadragesimæ tempus, sed per annos plures, ut fertur, nedum quadragesimæ, verum etiam adventus ferias solo cælesti orationis cibo, & sacrosancto Eucharistiæ pane sustentata transegit, amarissimo tantum aquæ liquati salis, atque aceti potu sitim quandoque excrucians potius quam restinguens; quo tamen jejunii tempore robustior, atque vividior laboriosis caritatis muneribus perfungebatur. Ita per gratiam Spiritus Sancti naturæ usum, & Sexus infirmitatem transgrediens, cibo abstinentiæ, potu amaritudinis aluit corpus suum, docens non solum nescire vitia, sed etiam causas nescire viriorum.

VII. Ad sanctitatis igitur sublimitatem per arctas pœnitentiæ semitas celeri gradu progrediens Catharina, & a Divino humilitatis magistro edocta altitudinem perfectionis mensuram esse debere humilitatis, elegit abjecta esse in domo Patris sui magis quam habitare in tabernaculis peccatorum. Itaque se comitem adjiciens, vel potius in pietate ducem aliis nobilibus matronis, quarum cura erat infirmis pauperibusque succurrere, & miserorum calamitates, & angustias opere, & pecunia sublevare, circuibat per vicos, & plateas quærens in pauperibus, & infirmis, quem diligebat anima sua. Incedebat autem per Urbem gradu sobrio, veste humili, vultu modesto, fixis in terram oculis, ita ut prænuntia Sanctitatis anteirent signa virtutum. Egenorum vero necessitatibus prompte, ac liberaliter subveniebat, & fœminas infirmas singulari caritate complectebatur. Sternebat lectos, purgabat sordes, vilia quæque munia obibat, solabatur verbis, inserviebat manibus, pecunia sustentabat, cibis reficiebat. Laboriosum, atque humile infirmis inserviendi munus primum in privatis domibus, deinde in publico nosocomio, cujus regimen ei demandatum est, sedula cura, & diligenti sollicitudine exercuit, & ad felicem usque vitæ suæ finem retinuit, militans stipendiis suis; nihil enim unquam accepit de substantia nosocomii, sed quæ sibi pro victu, & indumentis erant necessaria, suis expensis sibi ministrari volebat.

VIII. Assiduis autem charitatis officiis erga proximum, quasi quibusdam gradibus ad parum illum, & mirabilem Dei amorem ascendit. Siquidem cum ejus corpus Templum Dei inhabitantis effectum esset, animus veluti Altare Domini, in quo sacrificium laudis quotidie Altissimo immolaretur, manu æterni Sacerdotis excusso mundanorum affectuum pulvere, & terrenarum cogitationum remotis cineribus, totus exarsit vaporem exhalans Divini ignis non solum penetrantis, inflammantisque cordis intima, sed pertingentis usque ad exteriora corporis, & ad sensum mortalium hominum. Nam thorax, ceteræque corporis partes, quæ cor ambiunt, ignem spirare videbantur, nec manibus tangi poterant, quin & dolore afficerentur, & intolerabilem ardorem persentirent.

IX. Quare per altas contemplationis vias introducta a Cœlesti Sponso in cubiculum suum, & ad contemplandam æternæ majestatis pulchritudinem admissa, Divinæ lucis fulgore mens repercussa, intimo cogitationis sensu percipiebat comparatione immensæ illius altitudinis imam mortalis conditionis paupertatem, & miseriam, inanitatem, vilitatemque sui, & cernens fastigium celsitatis sursum, & faciem abyssi deorsum, adeo se contemnebat, seque ab aliis sperni amabat, ut semetipsam nunquam proprio vocaret nomine, atque ægre ferret ab aliis se nominari. Affirmabat enim nihil esse in creaturis quod bonum esset, & Deo placere posset, sed ex nihilo eductas, & contagione labis primi Parentis contaminatas in malum semper propendere, & frequentissime in illud prolabi, nisi Dei gratia misericorditer liberentur: Ideo curandum esse ut destruatur quod ex nostro est, ut Christus ædificetur in nobis, cujus gratia adjuti dicere valeamus cum Apostolo; Vivo ego, jam non ego, vivit vero in me Christus. Etenim non solum temporalibus indigentium necessitatibus, & ægrotantium corporibus sanandis, curandisque sedulo navabat operam, sed etiam aliorum animis medendis curam omnem, ac studium impendebat: Ideo & qui ægrotantes in nosocomio decumbebant, & qui eum adibant, his atque aliis sanctissimis instruebat monitis, quibus & ad peccati fugam, & ad Dei amorem impelleret.

X. Imo dilatans spatia charitatis dialogum etiam scripsit, in quo allegorice inducens animam, & corpus peregrinationem facere statuentes, convenientesque absque diffidio iter peragere, mire ostendit quanto detrimento anima cæci amoris sui laqueis implicata in recto æternæ salutis itinere peragendo impediatur.

XI. Sed maximo ad virtutem sequendam incitamento, & exemplo, atque admirationi omnibus erat, fœminam splendido genere natam adeo humilem, ut vilissima quæque munera in publico nosocomio exerceret; adeo mitem, & patientem, ut alacri animo procacium servorum injurias, & contumelias exciperet; tanta fervenven-

ventem caritate, ut corpore licet infirma omnium ægrotantium curæ præsto esset. Et quamvis Divinæ contemplationis dulcedine in extasim rapta frequenter a sensibus aliaparetur, tamen vocata ad peragenda caritatis officia illico surgebat, & hilari, ac rubicundo vultu, veluti ex consortio sermonis Domini accurrebat, expletisque caritatis muneribus ad orationem redibat, ita Deo unita, ut nullius creaturæ recordaretur: ita proximorum curæ, & animarum saluti intenta, ut sui prorsus oblita videretur.

XII. Nam a Deo impetraverat, ut proximorum necessitatibus sublevandis inserviens, tametsi id tanta sedulitate, & diligentia præstaret, quantam alius nemo pari caritate non præditus adhibere posset, tamen statim ac officium caritatis impleverat, ejus, cui inserviverat, obliviscereturur. Itaque nulla creaturæ imago illam, quam alte corde, & mente infixam patientis Salvatoris imaginem gerebat, obumbrabat, & flagrantem illam Divini amoris flammam, qua cor illius suaviter æstuabat, nullus terrenus affectus vel restinguebat, vel minuebat: idcirco vere cum Apostolo exclamare poterat: Neque mors, neque vita, neque Angeli, neque Principatus, neque Virtutes, neque instantia, neque futura, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos separare a Charitate Dei, quæ est in Christo Jesu Domino nostro.

XIII. Profecto non illam aspera natura, & dissoluti, intolerabilesque viri mores, quos semper patienti, & remisso animo toleravit: non contemptus, & irrisiones, dum pietatis opera peragebat; gaudebat enim quod digna habita esset, pro nomine Jesu contumeliam pati: non dura eorum, qui nosocomio ministrabant, imperia, quæ humilis, ac lubens exequebatur: non carorum, & consanguineorum jactura, quam benedicens Domino æquissimo animo tulit; non corporis infirmitas, assiduæque ægritudines; cum enim infirmabatur, tunc potentior erat: non denique sive prospera, sive adversa, sive præsentia, sive futura a Deo avellere potuerunt. Sed tanquam petra immobilis adversus furentes sæculi turbines, & fremientis hostis impetus stabat, nec cælestibus donis ditata efferebatur, nec adversis concussa deprimebatur, sed perseverantissima animi putitate complectens Deum, quem semper præsentem gerebat, ad eum toto affectu se tenens, non habebat quod expectaret, vel timeret futurum; nec in præteritum trajiciens, quod meminisset; nec in præsens respiciens, quod amaret; ideo nulla vice variabatur, nec ulla in tempora distendebatur: sed cohærens Summo vero, & vere æterno bono, quod solum animæ diligenti illud sufficit, ejusque flagrans desiderium explere potest, in nullam temporum varietatem, & vicissitudinem ab illo se revolvebat, & ad se declinabat, vel defluebat ad alia. Nam invento quem diligebat anima sua, tenebat eum, nec dimittebat, in eo exultabat, gaudebat, gloriabatur, ejusque Sanctum nomen semper gerebat in corde, semper habebat in ore, nullum majus persentiens gaudium, ac solatium, quam si dulce Jesu nomen etiam ab aliis pronuntiari audiret.

XIV. Quamdam mulierem contagiosa febre in extremo vitæ laborantem, & vi morbi loquendi facultate privatam, sæpius adhortata, ut sanctum Jesu nomen pronunciaret, statim atque moventem ora animadvertit, impetu amoris Sanctissimi nominis abrepta, suique oblita, fœtidi, & pestilentis oris labia exosculata est; quorum contactu eodem infecta morbo, parum abfuit quin vitam cum morte commutaret. Sanitate deinde Dei voluntate sibi restituta, nihilo secius ac antea nulla cautione adhibita, omnique vitæ, & salutis periculo contempto, pristina erga infirmos pietatis officia alacris, & læta repetiit. Ex abundanti enim Divini amoris fonte emanabat mira illa pectoris constantia, & animi firmitas in currenda via Domini, & sectandis semitis ejus.

XV. Nam idem semper vultus, eademque frons, & præclara in omni actu vitæ æquabilitas: humilis, mitis, modesta, & misericors, humana despiciens, cœlestia inquirens, admirabilem suavitatem in verbis, ac moribus præseferebat, omnes ad se confugientes excipiebat benigne, amanter solabatur, prudenter admonebat, prompte, ac studiose sublevabat. Una, & assidua ejus cura, & perpetua cogitatio erat Dei honor, gloria, & laus nominis ejus, vitiorum, ac scelerum destructio, peccantium conversio, animarum salus; id curabat, id satagebat, huc referebat cogitationes omnes, & sedulam illam, quam pro corporibus proximorum sanandis, sublevandisque curam adhibebat.

XVI. Plures igitur abeuntes in consilia impiorum, & sequentes semitas sæculi orationibus, & suasionibus fusis, divina operante misericordia, ad viam Domini revocavit, & potissimum illud accidit, quod fore Apostolus prædixerat, ut sanctificaretur vir per mulierem fidelem. Nam etiam Julianum Adurnum virum suum lucrata est Domino, loquens illi sanctis moribus suis, quibus eam Deus pulchram fecerat, & reverenter amabilem, atque admirabilem. Etenim primum ab eo impetravit, ut sibi in castitate vivere liceret, deinde ipse ultro ad illam veniens, collatisque cum ea consiliis a viis sæculi recedens, induto habitu tertii Ordinis S. Francisci, piam vivendi rationem instituit. Cum autem in postrema ægritudine sua, ut erat ad iram proclivis, morbi incommoditatum pertæsus, tanta esset impatientia, & indignatione correptus, ut in periculo æternæ salutis versari videretur; id ubi sancta uxor conspexit, ingressa cubiculum suum oravit Dominum, qui ventis, & tempestatibus imperat, & serenitatem Cœlo, mari tranquillitatem reddit; & statim ab immortali Deo obtinuit, ut tranquillaretur impatiens mariti animus, & procellosa tempestas sedaretur. Siquidem nondum finita oratione vir, stupentibus omnibus, mutatus est, & tranquillato animo, submissoque Divinæ voluntati, patienterque toleratis extremæ vitæ molestiis, ac doloribus mortem obivit.

XVII. Anxia autem Catharinæ cura, & sollicitudo de salute animarum, & fervor ejus caritatis erga proximum pars exigua erat immensæ flammæ, qua in Dei amorem exarserat, & qua ex animo refluente in corpus, non solum cor, vicinæque partes Divini ignis ardore fervere videbantur; sed insuper pars illa cutis, quæ cordis regionem ambit, igneo rubore suffusa post felicem ejus obitum mortalium oculis apparuit. Itaque ubi non vocabat caritas, vel aliorum præcepta impellebant, ad orationem redibat, in qua cælestibus fruens contemplationis deliciis alienabatur a sensibus, & animæ a rerum sensibilium tumultu, & perturbatione liberæ in suavissima quiete supra pectus Divini Magistri recumbenti cælestia revelabantur secreta, quæ intellectus humanus percipere nequit: ineffabilis scilicet Divinæ Sapientiæ modus, quo hominum æternæ consulit saluti; humanæ cæcitatis misera conditio, quæ lacrymabili insantiens ægritudine oblata sibi repellit remedia, & Divina beneficia in suam perniciem vertit; vis Superni amoris, gratiæ Sanctificantis pulcritudo, æternæ beatitudinis gloria: Quæ postea a suis interrogata, cum maxime vellet, humanis verbis exprimere nequibat: quod enim mens Divino lumine illustrata conceperat, lingua carneis innodata vinculis parere non poterat; ut jam illud Apostoli usurpare posset: Scio hujusmodi hominem, sive in corpore, sive extra corpus nescio, Deus scit, quoniam raptus est in Paradisum, & audivit arcana verba, quæ non licet homini loqui.

XVIII. Ita igitur Beatæ Catharinæ assiduæ orationis, & cælestis contemplationis uberibus inhærentem caritas erga Deum, & erga proximum nutriverat, ac roboraverat animum, qui cum jam esset sequendo Deo factus idoneus, ac dicere posset cælesti sponso, Trahe me post te, curremus, & Divinæ majestatis sublimitas ex tanta parte, quantam mortali homini vix ferre licet, sese aperuisset, adeo mirabilis ille caritatis ardor excrevit, & tantum divini amoris surrexit incendium, ut exusta omni terrena labe, atque interiori homine purgato, & sanctificato, cælestis amoris ignis ex animo in corpus exundans vivus, & efficax, penetrabilior omni gladio ancipiti, & pertingens usque ad divisionem animæ, ac spiritus intirmam carnem tanto ferendo ardori imparem fere consumpserit, & jam pene solo spiritu viveret, nec in alio corporis sarcinam sentiret, quam in doloribus, & languoribus, quos æstuantis amoris vis, atque impetus in eam redundans efficiebat: unde in ea jam satis appareret quam divine dictum sit: Ego sum ignis consumens: & illud, Ignem veni mittere in terram: tum etiam: Lampades ejus, lampades ignis, atque flammarum.

XIX. Pleno igitur pectore æstuabat, & totis flagrabat visceribus Catharina, & animus morarum impatiens ad castissimum cælestis Sponsi ferebatur amplexum, ut sæpe amoris impetu acta cum Apostolo dicere cogeretur: Cupio dissolvi, & esse cum Christo. Nam dulce quidem est vinculum corporis, quo ligatus est homo, & ab eo solvi non vult, illa tamen quia sciebat, quid sibi repositum esset, & jam gustaverat primitias spiritus, concupiscebat dissolvi, & esse cum Christo; adeo ut quod aliis metum, ac terrorem ingerit, ipsi gaudio, ac solatio esset, si nempe aut de vita cum morte commutanda

tanda ſermonem audiret, aut ſi aliquos in noſocomio morientes aſpiceret, aut ſi ſacris precibus, aut ſancto Sacrificio, quod pro mortuis offertur, intereſſet, interna quadam lætitia, & ſpirituali gaudio afficiebatur.

XX. Gemebat *enim* gemitibus inenarrabilibus in peregrinatione ſua recordans Hieruſalem, & elevato atque extento ſurſum corde cæleſtem requirebat patriam, amatam patriam, deſideratam patriam, pulchram, & ſanctam Civitatem, & Deum ſuper eam regnatorem, & illuſtratorem, patrem, Dominum, ſponſum ſuum, dilectum ſuum, caſtas, & fortes delicias, beatam requiem, & ſolidum gaudium, unum, ſummum, verum, & ſempiternum bonum. Gratulabatur ergo aliquando ſolvenda eſſe vincula carnalium membrorum, ut acciperet indumenta, & ornamenta virtutum; ponendam eſſe carnem, ut coronam reciperet; diſcedendum eſſe a corpore, ut cum Deo conjungeretur; migrandum eſſe e terris, ut ad Cælum perveniret. Felix mutatio, ſancta migratio! Verum divinæ exequendæ voluntati ſemper intenta, & ſolum quod Domino placitum eſſet, faciendi cupida, & ſollicita, eique omne ſuum deſiderium ſubmittens, omnemque cogitationem ad Dei voluntatem conformans, vitam ſibi produci non recuſabat, ut per diuturna dolorum tormenta conformior fieret imagini Filii ſui, quia ſicut ſocii paſſionis erimus, ita erimus & reſurrectionis.

XXI. Quare inter hujuſmodi ſuaviter adverſantium deſideriorum conflictus novo quodam cæleſtis amoris angebatur martyrio, quo factum eſt, ut infirma caro inuſitata quadam, & gravi ægritudine, quæ poſtrema fuit, correpta ſuccumberet. Cum autem inſolitæ infirmitati ſanandæ nulla remedia proficerent, qui ejus ſalutis curam gerebant, ut omnia experirentur, & nihil intentatum relinquerent, convocarunt decem Medicorum conſilium, qui cum jacentem conſpexiſſent, nec ullum morbi indicium appareret, perpenſis cauſis, quibus ægrotare cœperat, ægritudinis ſymptomatibus diligenter inſpectis, cum nullum ex propinatis remediis prodeſſet, ſed *tantum* cæleſtes viſiones, & Sacram Euchariſtiam, qua tantummodo refecta, per quatuordecim ante obitum poſtremos dies vitam duxit, proſtratis ejus viribus ſolatio, & adjumento eſſe cognoviſſent, morbi novitate attoniti aliquid Divinum in mirabili illa infirmitate manifeſte comperientes, in eam convenere ſententiam, ejus ægritudinem non humanam, nec humanis ſanandam remediis, ſed eam divinitus immiſſam, & cæleſti animarum medico relinquendam.

XXII. Sexageſimum tertium ætatis ſuæ annum agebat, cum optatum tempus advenit, quo diſſolutis corporei carceris vinculis, ad optatum cæleſtis ſponſi complexum libera evolaret. Præſentiens igitur jam ſibi finem mortalis vitæ inſtare, oculis atque manu Cælum indigitans, quo mox profectura erat, verbis illis, In manus tuas Domine commendo Spiritum meum, ſuaviſſime pronunciatis paulo poſt magnitudine potius caritatis, quam morbi languens in ſecreto, & mentibus hominum impervio Divini amoris ſilentio placidiſſime obdormivit in Domino decimo ſeptimo Kalendas Octobris anno milleſimo quingenteſimo decimo.

XXIII. Ubi vero beatæ Dei famulæ mortis rumor Urbem Genuenſem pervaſit, ad ſacras ejus exuvias in magno noſocomio, ubi deceſſerat, venerandas ex omni ordine, atque ætate viri, & mulieres frequentes confluxere. Ibique plurimi ſolatium quibus angebantur moleſtiis, quibuſque afflictabantur ægritudinibus, medicinam ejus interceſſione invenerunt. Interea corpus ejus, quod flexile, incorruptum, rubroque colore circa cor, & vivo omnino ſimile cernebatur, poſt aliquot dies in ſepulcro in noſocomii Eccleſia recenter conſtructo ſumma veneratione collocatum fuit. Poſt duodeviginti menſes illo aperto, ut ſanctæ viduæ corpus ad novum tumulum decentius ornatum transferretur, quo ingenti Civium multitudini, quæ ad illud venerandum accurrebat, fieret ſatis, repoſitum eſt intra Sacelli cancellos, quibus confertim irruentium turba arceretur. Per octo continuos dies ita permanſit, populorum concurſu nunquam deficiente, aucta præſertim veneratione ex miraculis, quæ Omnipotens Deus circa illud operabatur. Quibus diebus elapſis in eadem Eccleſia ad marmoreum tumulum in ſublime erectum delatum eſt, ubi miraculis clarum publicæ venerationi expoſitum, devotionis fervore erga ſacras Beatæ Catharinæ reliquias nunquam imminuto, ad noſtra uſque tempora permanſit, Divina omnipotentia teſtimonium prodigiis dexteræ ſuæ perhibente, ſibi non perire quod moritur, & mortalium mentibus indicante, quanta in gloria eſſet in Cælis anima hujus Beatæ viduæ, cujus caro exanimis tam eximiis divinitatis effectibus in Terris ornabatur.

XXIV. Itaque nedum Genuenſium, verum etiam ceterorum Populorum erga hanc Sanctam Dei ſervam devotio, & ad ſacrum ejus corpus venerandum, cujuſvis generis, & conditionis hominum, aſſiduus concurſus fuit. Cultu igitur, & veneratione erga illa conſtanter perſeverante, & poſt centum annorum lapſum percrebreſcente, poſt confectos auctoritate ordinaria proceſſus ſuper ejus Sanctitate, & miraculis, eoſque in Sacra Rituum Congregatione exhibitos expedita fuit commiſſio die viceſima quarta menſis Maji anno milleſimo ſexcenteſimo triceſimo ſexto ad effectum fabricandi proceſſum auctoritate Apoſtolica ſuper cultu immemorabili, & caſu excepto a decretis ſel. record. Urbani VIII. Prædeceſſoris noſtri, illoque abſoluto a bonæ memoriæ Decio S. R. E. Diacono Cardinali Azzolini nuncupato cauſæ relatore propoſitum fuit dubium, an ſententia ab Epiſcopo Genuenſi Judice delegato lata ſuper cultu immemorabili, & caſu excepto eſſet confirmanda, & reſponſum fuit conſtare de caſu excepto: proinde præfatam ſententiam eſſe confirmandam, quod Decretum piæ memoriæ Clemens X. pariter Prædeceſſor noſter die ſexta Aprilis anno milleſimo ſexcenteſimo ſeptuageſimo quinto confirmavit. Præterea eodem Cardinali Azzolino cauſæ Ponente obtenta eſt die decima ſeptima menſis Auguſti anno milleſimo ſexcenteſimo octogeſimo tertio facultas conficiendi proceſſum ſuper ſanctitate vitæ, virtutibus & miraculis, ut ad Beatæ Canonizationem deveniri poſſet. Labentibus deinde pluribus annis, ac proceſſu poſt nonnullas prorogationes, & ſubrogationes nondum abſoluto, ſuffectoque in ponentem cauſæ bo. mem. Joſepho Renato S. R. E. Diacono Cardinali Imperiali nuncupato, ſupplicatum fuit pro conceſſione Officii, & Miſſæ de eadem Beata; & S. R. E. Cardinalium Sacris ritibus præpoſitorum Congregatio edito Decreto a felicis recordationis Clemente XI. prædeceſſore noſtro confirmato, die decima nona menſis Septembris anno milleſimo ſeptingenteſimo decimo conceſſit, ut in Civitate Genuenſi recitaretur Officium, & celebraretur Miſſa de Communi Viduarum in honorem B. Catharinæ, nec multo poſt eadem conceſſio ad totum Genuenſis Reipublicæ dominium fuit ampliata, ac tandem approbatum extitit Officium, & Miſſa propria de eadem Beata cum ejuſdem elogio in Romano Martyrologio apponendo.

XXV. Completo autem proceſſu ſuper virtutibus, propoſitoque dubio in præfata Sacrorum Rituum Congregatione, prodiit decretum affirmans conſtare de virtutibus in gradu heroico, quod fuit a nobis die trigeſima menſis Maji anno milleſimo ſeptingenteſimo trigeſimo ſecundo confirmatum: Abſolutoque etiam altero proceſſu ſuper miraculis, ventum eſt ad illorum examen, ſuffecto interim in cauſæ Relatorem dilecto filio Georgio tituli S. Mariæ trans Tyberim S. R. E. Presbytero Cardinali Spinula nuncupato in locum bo. me. Joſephi Renati S. R. E. Diaconi Cardinalis Imperialis nuncupati viam univerſæ carnis ingreſſi, in Congregatione coram Nobis habita die ſecunda menſis Aprilis anno milleſimo ſeptingenteſimo trigeſimo ſeptimo, ex quatuor miraculis propoſitis, tria ſequentia fuere approbata, videlicet: Primum ſubitæ ſanationis Mariæ Magdalenæ Rizzi. Hæc enim mulier, in qua a novem circiter annis iniqua vitiati humoris feritas defluxa ad infernos artus, non minus, quam ad latus ſiniſtrum extenſa, quantum vetuſtate ſua in latere acerbos enutriverat, acerbioreſque per intervalla cruciatus excitaverat, tantum in tumefactis cruribus liberam motus ademerat facultatem, jamdiu ad incurabiles amandata, quum tota nocte ſanationem præcedente a lateris dolore ſævius torqueretur, poſt invocationem B. Catharinæ brevi ſomno correpta ſana ſurrexit diluculo, ac Liberatrici ſuæ gratias referens, ad conſueta benevalentium officia incolumis reverſa eſt. Tertium ſatuationis repentinæ Mariæ Franciſcæ Xaveriæ Gentilis Patritiæ Genuenſis, quam & ſcorbutica ægritudo a tredecim fere annis invaſerat, & ſpirandi difficultas, convulſiones cum nervorum in pedibus attractione, ac vivæ lucis, omniſque rumoris intolerantia ita vexabant, ut nec ambulare, nec decumbere poſſet omnino, niſi cervicalibus plurimis fulciretur. Hæc in ſpem conſequendæ ſalutis erecta, ſi Beatæ exuvias coram ei datum eſſet venerari: voti compos facta, in geſtatoria ſella a Beatæ viſitatione domum redux, nil hæſitans ſe divinitus perfectam obtinuiſſe ſalutem, domeſticas ſcalas animoſa conſcendere, ſedere, ſurgere, atque ambulare illico cœpit, quibus afflictabatur morbis undequaque depulſis. Et quartum inſtantaneæ curationis Blanchæ

chæ fœminæ in hoſpitali incurabilium a vigintiquinque annis jacentis, quæ ex antiqua femoris luxatione, artuum infernorum, dexteræque manus paralyſi gravabatur, dum ad Beatæ ſepulchrum toto ſpiritus conatu ſalutem flagitat, repente attractam manum extendit, & utrumque crus imbecille expedite movet, ac graditur, perfectæ incolumitati reſtituta.

XXVI. Denique generali Sacrorum Rituum Congregatione coram Nobis convocata, propoſitaque quæſtione, an ſtante præfatorum miraculorum approbatione ad ſolemnem Beatæ Catharinæ Fliſcæ Adurnæ Canonizationem tuto poſſet deveniri: Cum Venerabiles Fratres noſtri S. R. E. Cardinales præfatæ Congregationis Sacris ritibus præpoſitæ affirmative reſpondiſſent, nos poſt humillimas noſtras, aliorumque fuſas ad Deum preces, ut in re tam gravi cæleſtis adjutorii lumen concederetur ex alto, die tricesima Aprilis anno milleſimo ſeptingenteſimo triceſimo ſeptimo ad B. Catharinam ſolemni ritu in Sanctarum album adſcribendam procedi poſſe declaravimus.

XXVII. Poſtea die ſexta ſequentis menſis Maji in Conſiſtorio noſtro ſecreto a dilecto filio Antonio Felice tituli S. Praxedis Presbytero Cardinali Zondadario nuncupato præmiſſorum omnium, quæ in cauſa acta fuerant, nec non vitæ, & miraculorum Beatæ Catharinæ ſummatim, & appoſite relatione facta, cum reliqui Cardinales, qui adfuerunt, idem cenſuiſſent, in publico Conſiſtorio proxime a nobis habito, audita per dilectum filium Gabrielem Serianum Conſiſtorialis aulæ noſtræ Advocatum diſerta oratione de virtutum excellentia, vitæque ſanctitate B. Catharinæ; tum etiam humillimis ſupplicationibus, quæ nobis pro ejuſdem Beatæ Dei Servæ Canonizatione nomine totius Cleri, & Populi inclytæ Genuenſis Reipublicæ porrigebantur, de re tanta, tamque arduo negotio nos, ut oportebat, cum Venerabilibus Fratribus noſtris S. R. E. Cardinalibus, Archiepiſcopis, & Epiſcopis maturius deliberaturos reſponſo dato, eoſdem Cardinales, & Epiſcopos ad implorandum eleemoſynis, jejuniis, & orationibus Divinum auxilium in Domino hortati ſumus. Deinde eorumdem Cardinalium, Patriarcharum, Archiepiſcoporum, & Epiſcoporum in Urbe præſentium Conſiſtorio Semipublico indicto, in quo etiam noſtri, & Apoſtolicæ Sedis Notarii, Protonotarii nuncupati ex numero Participantium, & Sacri Palatii Apoſtolici cauſarum Auditores vocati adfuerunt, iidem Cardinales, Patriarchæ, Archiepiſcopi, & Epiſcopi omnes Beatam Catharinam ex iis, quæ a nobis propoſita, & in proceſſibus relata fuerant, in Sanctorum numerum adſcribendam eſſe cenſuerunt; Quorum ſententiis auditis nos gratias Deo agentes, quod Ancillam ſuam per Miniſterium noſtrum honorificari velle dignaretur, Canonizationis diem indiximus, omneſque interim, ut eleemoſynis, orationibus, ac jejuniis ad nobis cæleſtem Spiritus Sancti gratiam in tanta re, gravique negotio impetrandam diligenter, ac perſeveranter inſiſterent, iterum adhortati ſumus.

XXVIII. Demum rite omnibus abſolutis, quæ Sanctorum Patrum auctoritas, ſacrorum Canonum ſtatuta, Sanctæque Romanæ Eccleſiæ antiqua conſuetudo in re hujuſmodi peragenda præſcribunt, hodie, quæ fuit dies Dominica Sanctiſſimæ Trinitatis, in Sacroſanctam Lateranenſem Baſilicam decenter ornatam cum Venerabilibus Fratribus noſtris S. R. E. Cardinalibus, nec non Patriarchis, Archiepiſcopis, & Epiſcopis, Romanæque curiæ Prælatis, Officialibus, & familiaribus noſtris, Clero ſeculari, & Regulari, ac maxima Populi frequentia convenimus, ubi repetitis pro Canonizationis decreto petitionibus a dilecto filio noſtro Nereo S. R. E. Diacono Cardinali Corſini nuncupato noſtro ſecundum carnem ex fratre Nepote per dilectum filium Thomam Antamorum Conſiſtorialis aulæ noſtræ Advocatum, & decantatis ſacris precibus, & Litaniis, ac Spiritus Sancti gratia humiliter implorata: Ad honorem Sanctiſſimæ, & individuæ Trinitatis, ad exaltationem Fidei Catholicæ, & Chriſtianæ Religionis augmentum, auctoritate Domini noſtri Jeſu Chriſti, beatorum Apoſtolorum Petri, & Pauli, ac noſtra, matura deliberatione præhabita, & Divina ope ſæpius implorata, ac de Venerabilium Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium, Patriarcharum, Archiepiſcoporum, & Epiſcoporum in Urbe exiſtentium conſilio, & conſenſu B. Catharinam de Fliſco Viduam Sanctam eſſe decrevimus, & definivimus, ac Sanctarum Catalogo adſcripſimus, prout tenore præſentium ſimiliter decernimus, definimus, & adſcribimus, illamque univerſos Chriſtifideles tanquam vere Sanctam honorare, & venerari mandavimus, & mandamus, ſtatuentes ut ab univerſali Eccleſia in ejus honorem Eccleſiæ, & Altaria, in quibus Sacrificia Deo offerantur, ædificari poſſint, & conſecrari, & ſingulis annis memoria ipſius die decima quinta menſis Septembris inter Sanctas nec Virgines nec Martyres pia devotione recoli debeat: eademque auctoritate omnibus Chriſtifidelibus vere pœnitentibus, & confeſſis, qui annis ſingulis eodem feſto die ad Sepulchrum, in quo corpus ejus requieſcit, viſitandum acceſſerint, ſeptem annos, & totidem quadragenas de injunctis eis, aut alias quomodolibet debitis pœnitentiis miſericorditer in Domino relaxavimus, ac relaxamus in forma Eccleſiæ conſueta.

XXIX. His peractis Deum Patrem æternum, Regemque gloriæ Chriſtum Dominum Patris Sempiterni Filium, & Sanctum Paraclitum Spiritum unum Deum, unumque Dominum laudibus, & confeſſionibus venerati, ſacroque Hymno Te Deum ſolemniter decantato, omnibuſque Chriſtifidelibus tunc præſentibus Plenaria omnium peccatorum ſuorum Indulgentia, & remiſſione conceſſa, propter corporales noſtras infirmitates, affectamque valetudinem, ſenilemque ætatem ab eadem Lateranenſi Eccleſia receſſimus, remanentibus in ea Venerabilibus Fratribus noſtris Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus, Archiepiſcopis, Epiſcopis, & univerſo Clero, & Populo, quibus præſentibus a Venerabili Fratre noſtro Thoma Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinali Epiſcopo Præneſtino Ruffo nuncupato, tanquam Cardinali in ordine antiquiori, in Ara maxima præfatæ Baſilicæ, ex indulto, & de licentia noſtra ſolemniter Miſſa cum Sanctæ ejuſdem nec Virginis nec Martyris commemoratione celebrata eſt. Cum omni autem humilitate æquum eſt, ut nos pro tam inſigni beneficio gratias Deo agamus, & confiteamur Domino Dominorum, per quem amici ejus coronantur in Cælis, & honorificantur in terris, & a quo gloria, & honor, & pax omni operanti bonum. Et quoniam Sanctæ hujus præſidium videmus nobis divinitus comparatum, ineffabilem Dei clementiam obſecramus, ut cujus in terris voluit his noſtris calamitoſis temporibus gloriam manifeſtari, ejus ſuffragantibus precibus per merita, & paſſionem Filii ſui Chriſti Domini Salvatoris noſtri faciem ſuam a peccatis noſtris avertens, nos a præſentibus hujus mortalis vitæ anguſtiis liberare, & in hoc ſæculo cæleſti gratia ſua, & in futuro æterna Sanctorum felicitate donare dignetur.

XXX. Ceterum quia difficile foret, præſentes noſtras literas ad ſingula loca, ubi opus eſſet, deferri, volumus, ut earum exemplis, etiam impreſſis, manu tamen publici Notarii ſubſcriptis, & ſigillo alicujus Perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eadem ubique fides adhibeatur, quæ ipſis præſentibus adhiberetur, ſi eſſent exhibitæ, vel oſtenſæ. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtri decreti, definitionis, adſcriptionis, mandati, ſtatuti, conceſſionis, elargitionis, & voluntatis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum.

Datum Romæ apud Sanctum Joannem in Laterano anno Incarnationis Dominicæ milleſimo ſeptingenteſimo triceſimo ſeptimo, ſextodecimo Kalendas Julii, Pontificatus noſtri anno ſeptimo.

✠ Ego

✠ Ego Clemens Catholicæ Eccleſiæ Epiſcopus.



✠ Ego Franciſcus Epiſcopus Oſtien. Cardinalis Barberinus.
✠ Ego Petrus Epiſcopus Portuenſis Cardinalis Ottobonus.

✠ Ego Epiſcopus Sabinen. Cardinalis S. Clementis S. R. E. Camerarius.
✠ Ego Ludovicus Epiſcopus Albanenſis Card. Picus.
✠ Ego Petrus Epiſcopus Tuſculanus Card. Corradinus.

✠ Ego Georgius Tituli S. Praxedis Presbyter Cardinalis Spinula.

✠ Ego Ludovicus Tit. Sanctæ Mariæ in Tranſtiberim Cardinalis Belluga.

✠ Ego Alvarus Tit. S. Bartholomæi in Inſula Presbyter Cardinalis Cienfuegos.
✠ Ego Jo. B. Card. de Alteriis Presbyter S. Matthæi in Merulana.
✠ Ego Vincentius Card. Petra Tituli S. Petri ad Vincula Major Pœnitentiarius.

✠ Ego Nicolaus Maria Presbyter Cardinalis Lercari Tituli SS. Joannis, & Pauli.

✠ Ego Franciſcus Antonius Tit. S. Sixti S. R. E. Presb. Card. Fini.

✠ Ego Fr. Vincentius Ludovicus Tit. S. Pancratii S. R. E. Presb. Cardinalis Gotti Ordinis Prædicatorum.
✠ Ego D. Leander de Porzia Presb. Card. Tit. S. Caliſti.
✠ Ego P. Aloyſius Cardinalis Caraſa Presbyter Tituli S. Priſcæ.

✠ Ego F. Tit. S. Silveſtri in Capite Presbyter Card. Burgheſius.

✠ Ego Vincentius Tit. S. Laurentii in Pane, & Perna Presbyter Cardinalis Bichius.
✠ Ego Joſeph Tit. S. Thomæ in Parione Presb. Card. Firrao.
✠ Ego Ant. Tit. S. Stephani in Monte Cœlio Presb. Card. Gentili.
✠ Ego Fr. Jo. Antonius Card. Guadagni Tit. SS. Silveſtri, & Martini ad Montes.
✠ Ego Trojanus Tit. S. Cæciliæ Presbyter Card. de Aquaviva.
✠ Ego Dominicus Tit. SS. Quirici, & Julittæ Presb. Card. Riviera.
✠ Ego Marcellus Tit. S. Mariæ in Ara Cœli Presb. Card. Paſſari.

✠ Ego Fr. P. M. Tit. S. Joannis ante Portam Latinam Card. Pieri.

✠ Ego Laurentius Prior Diaconus Card. de Alteriis.
✠ Ego Carolus S. Agathæ in Suburra Card. Columna.
✠ Ego Fabius SS. Viti, & Modeſti Diaconus Card. Oliverius.

✠ Ego Alexander S. Mariæ in Coſmedin Diac. Card. Albanus.
✠ Ego Nicolaus S. Mariæ ad Martyres Diac. Card. Judice.

✠ *Ego Nerius S. Euſtachii Diaconus Card. Corſinus.*
✠ *Ego Bartholomæus SS. Coſmæ, & Damiani Diaconus Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Card. Ruſpolus.*

Loco ✠ Plumbi.

Antonius Cardin. Prodatarius.
Pro D. Card. Paſſioneus.

VISA DE CURIA

N. Antonellus.

J. B. Eugenius.

Regiſtrata in Secretaria Brevium,

UAB Biblioteca de Ciències Socials

CANONIZATIO BEATÆ ELISABETHÆ LUSITANORUM REGINÆ.

BENEDICTUS EPISCOPUS SERVUS SERVORUM DEI

Ad perpetuam rei memoriam.

RATIONI congruit, & convenit æquitati, ut ea, quæ Romani Pontificis provida deliberatione, ac Venerabilium Fratrum ſuorum S. R. E. Cardinalium, nec non Patriarcharum, Archiepiſcoporum, & Epiſcoporum tunc in Romana Curia commorantium unanimi conſilio decreta, definita, & ſtatuta fuerunt, licet ipſius ſuperveniente obitu, Literæ Apoſtolicæ deſuper confectæ non fuerint ſuum debitum conſequantur effectum.

I. Gaudeat in Domino, & in donis gratiæ ſuæ glorietur felix Luſitaniæ Regnum; ſed laudent alii Cæli illius temperiem, amœnas Tagi ripas, divitias ex toto Orbe navibus eo illatas, & congeſtas, nobilitatem Urbium, hominum ingenium & ſolertiam, & in remotiſſimis Terrarum Orbis regionibus detegendis, ſubjiciendiſque felicitatem. Una eſt, quæ præcipuam ex Sacerdotali ore laudem meretur, & quæ in Sancta Dei Eccleſia merito extolli & prædicari debet, ſuorum ſcilicet Regum pietas & religio. Hæc enim Luſitanum Regnum fundavit, hæc ampliavit, hæc ad ſummam gloriæ & laudis magnitudinem evexit, hæc in ea amplitudine, qua nunc floret, ſervat & cuſtodit. Nam Princeps ille & genere, & virtute clarus Henricus, qui Luſitaniæ Regni decus, ac gloriam barbararum gentium incurſu, ac veluti inundatione afflictam erexit, atque inſtauravit, cum in Hiſpania adverſus Mauros Alphonſo Sexto ſtrenuam navaſſet operam, & Theraſiam ejus filiam in Uxorem, & Luſitaniæ partem in dotem, & præmium virtutis accepiſſet, eam ſtatim, ereptis e Maurorum poteſtate aliis oppidis, plurimum auxit. Poſteaquam vero e Hieroſolymitana expeditione, quam pietatis, & Religionis ſtudio ſuſceperat, reverſus eſt, nunquam bello contra Mauros abſtinuit. Nam quinque ſupra viginti de Mauris reportatis victoriis, multiſque de manubiis ac ſpoliis hoſtium Templis, ac Cœnobiis erectis, ad Aſturicam, quam obſidebat, in armis, prout Fidei propugnatorem decebat, ultimum diem obiit. Nec ejus filius Alphonſus tanto Patre inferior fuit. Teſtes ſunt Leiria Urbs munitiſſima Mauris erepta, Scalabis inexpugnabile Oppidum in poteſtatem redactum, Olyſſippo expugnata, innumerabiles Maurorum, & Barbarorum copiæ pauco militum numero pluries disjectæ, unus & triginta Barbarorum Reges armis devicti. Siquidem nunquam a perſequendis bello Crucis hoſtibus terra marique ceſſavit, donec eliminata e Luſitaniæ finibus Mahumetana ſuperſtitione, Catholica Religio a pluribus annis exul veluti triumphans in propriam ſedem reduceretur: Cujus non minus virtus in bello, quam pietas in pace reſplenduit. Nam egregio pietatis documento cum ex acie domum redibat, in Monaſterium Sanctæ Crucis ſe recipere, ibique cum Religioſis Viris Chorum adire, orare, pſallere, ſacriſque myſteriis adeſſe ſolitum fuiſſe traditur. Difficilis quidem res eſſet, ſi quis Luſitanorum Principum, qui Henrico, & Alphonſo ſucceſſerunt, fortiter ac pie geſta perſequi, & præſtita ab eis in Catholicam Religionem officia recenſere vellet. Innumera enim non ſolum in vicinis, ſed in remotiſſimis partibus adverſus Mauros, Turcas, Saracenos, Idololatras bella pro Religione ſuſcepta, relatæ victoriæ, parta pietatis trophæa. Ingentes claſſes adverſus Chriſtianorum hoſtes maximo ſumptu paratas, & omni re inſtructas in ultimas & prorſus ignotas Orbis regiones miſſas quis ignorat? Et antiqua Luſitanorum Regum virtutis exempla adverſus Chriſtiani nominis inimicos renovata noſtra memoria vidimus, & contra ferales Turcarum debacchantium impetus præſens in Luſitanorum Regum pietate Roma, & Italia ſenſit auxilium. Sed Chriſtianum nomen non ſolum armis, opibus, & ſanguine ſuo Luſitani Reges tutati ſunt; verum etiam longe lateque ſtudio, cura, ac ſollicitudine propagarunt, ut hanc unam egregiam laudem propriam ſibi facere velle viſi ſint, Evangelium Chriſti Domini diſſeminare, Catholicæ Fidei lucem diffundere, ſuperſtitioſos cultus abolere, Crucis vexillum in longe diſſitas, & nunquam ab aliis aditas regiones inferre. Nam eorum opera ora Punica arcibus occupata, mari Atlantico emenſo, inſuliſque per illud ſparſis, totaque ulteriore Lybia qua mari luſtrata, qua terra penetrata, Arſinario Promontorio, Guinea, Zanguebaria, & Promontoriis intra & ſub Æquatore conſtitutis, & ultra ad Cancri tropicum utraque Æthiopia, Inſuliſque vaſtis, Perſici, & Arabici freti ſinubus pervaſis, qua Aſia ab Africa disjungitur, barbaris atque efferis Nationibus venerandum Chriſti nomen, ac ſalutaris Evangelii doctrina annunciata eſt. Inſuper India, quam late intra Indum & Gangem protenditur, tranſmiſſa, in Auream Cherſoneſum, & Sumatram, plurimaſque immenſi illius Archipelagi inſulas ad Molucas uſque, ultimamque Japoniam, & in Sinicum Imperium, & Tartarico Regno proximas regiones; inſuper ad Occidentales Indos curſu deducto, in Pernambuchum, Marananiam, ceteraſque vaſtiſſimæ Braſiliæ Terras ſacris Miniſtris, & Verbi Dei Concionatoribus Regio ſumptu, & Apoſtolicæ Sedis auctoritate miſſis, populis habitantibus in Regione umbræ mortis, Luſitanorum Regum, aliorumque Catholicorum Principum pietate Lux Evangelicæ Fidei affulſit. Profecto admiratione ſuſcipi potius, quam pro meritis laudari in Domini poteſt munificentia, & Religio Luſitanorum Regum in large, ac ſplendide protegendis, ſublevandiſque populis ad Catholicam veritatem recens adductis, in alendis, ac ſuſtentandis Sacrarum Miſſionum Miniſtris, in ædificandis inter barbaras gentes immortali Deo Templis, in extruendis Religioſorum Virorum Cœnobiis, in erigendis pro erudienda in Catholica Religione, & Eccleſiaſtica diſciplina juventute Sacris Ædibus, & Seminariis, aliiſque peragendis, quæ ad expellendas Mahumetanæ impietatis, vel Idololatriæ errorum tenebras, & ad diffundendum Chriſtianæ veritatis lumen conducebant. Itaque tantis pietatis operibus, & tam præclare a Luſitanis Regibus in bello & pace pro Religione geſtis, hanc inter cetera amplam mercedem retulit benigniſſimus Deus, ut in Regia Domo, ac Familia exiſterent fœminæ morum integritate, & vitæ ſanctitate illuſtres, quæ Deo dilectæ, & mundo mirabiles in Servorum Dei numerum a Catholica Eccleſia adſcribi mererentur; ut ſi Luſitaniæ Regnum in terris ſuorum Regum virtute, & pietate maxime confideret, majus in Cælis in ſuorum Principum ſanctitate, & meritis incolumitatis ſuæ præſidium haberet. Ex hoc numero fuerunt Theraſia, Sancia, Mafalda, Joanna. Sed præ omnibus & ſanctarum operationum laude, & cæleſtium miraculorum magnitudine emicat Beata Eliſabeth Regina, quam fel. rec. Urbanus Papa Octavus Prædeceſſor Noſter pro ſua Paſtorali ſollicitudine tanquam ſanctam, & electam Dei in univerſali Eccleſia colendam, & venerandam Apoſtolica auctoritate decrevit. Et Nos, quos in Apoſtolatus miniſterio, licet immerentes, Divini conſilii altitudo ſuccedere voluit, ejus vitam, & res mirabiliter ſancteque geſtas Chriſtiano Populo conſiderandas proponimus, ut Principes Fœminæ inter Regales delicias, & mundanos aulæ faſtus præ oculis habeant, quam imitentur; omnes ve-

ro ad quam calamitosis hisce temporibus, & in tanta rerum omnium perturbatione supplices confugiant, ut quæ in terris contrarias dissidentium Principum voluntates miro gratiæ Dei dono in concordiam reducebat, modo in Cælis Beata precibus apud Deum pro Nobis intercedere velit, quo tanti gravissimorum bellorum motus, armorumque turbines potentissimæ Divinæ voluntatis jussu compescantur, & diremptis dissidiis, reconciliatisque inter se discordantium Principum animis, Sancta Dei Ecclesia Regi pacifico, & omnium bonorum Datori gratiarum hymnos, & debitas laudes persolvens in tranquillitate quiescat, ac pace & concordia filiorum suorum lætetur.

II. Nata est Elisabeth anno a Virginis partu millesimo ducentesimo septuagesimo primo: Pater ei fuit Rex Aragoniæ Petrus, Jacobo Rege natus, & Violantia Regis Hungaria filia: Mater Constantia, filia Manfredi Siciliæ Regis, & Friderici Secundi Imperatoris neptis. Proluxit in ea fax illa virtutum, quæ cum ætate ipsa adolescens, & in diem magis magisque relucens in hoc sæculo, tanquam in tenebricoso loco, lumine ac splendore suo viam salutis aliis præmonstraret. Recens enim a partu ad Regem Jacobum Avum allata, atque ab eodem ad sextum ætatis annum Christianis moribus imbuta, de ipsa prædicare, ac pene prædicere ille solebat, neptem illam, atque alumnam suam fœminarum omnium optimam, clarissimamque futuram, quæ ex Aragoniorum Regum stirpe natæ unquam fuissent. Ex humanis erepto Jacobo sexennis puella reducta in Patris domum, ibi, quam ab Avo didicerat, prosecuta est integerrimæ vitæ rationem. Pueriles ludos, ornatum corporis, voluptatum delicias tenera adhuc, & infantili ætate, sed cælo matura fugiebat, Divinis precibus, ciborum abstinentiæ, Caritatis operibus impense vacabat, ut pater ipse fuerit solitus affirmare, suarum rerum, ac Regni felicitatem Elisabethæ virtutibus, ac meritis apud Deum acceptam esse referendam.

III. Educata pudice ac sobrie ubi plenis annis nubilis facta est, longe clarescens honestis moribus suis, quibus eam Deus etiam mortalibus oculis pulchram faciebat, & reverenter amabilem atque mirabilem, a pluribus Christianorum Principum Filiis per crebras legationes, & literas in matrimonium expetitur. Sors obtigit Lusitaniæ Regi Dionysio Alphonsi III. filio, cui Regiis, & Christianis ritibus nuptui tradita, non tanquam viro, sed tamquam Domino subdita fuit, studens eum demereri conjugalibus obsequiis, & Deo lucrifacere. Et quoniam bonum conjugii est, & Dei donum proles ex legitimis nuptiis suscepta, hanc quoque Deus largitus est famulæ suæ, ut pudicitia, sanctisque moribus, & fœcunditate etiam Viro suo probaretur. Nam ætatis anno decimo septimo Constantiam filiam peperit, vicesimo vero Regni heredem Alphonsum. Sed quos in hanc mortalem lucem ediderat, iterum parturiens Deo bonis erudiebat monitis, sanctisque moribus informabat, & exemplo suo, quod longe efficacius verbis est, ad pietatem, omnemque virtutem instituebat.

IV. Etenim illa non minorem excolendis in se virtutibus, quam in liberis educandis, aliisque necessariis rebus procurandis dabat operam, in Sacris precibus assidua, frequens ad rem Divinam erat, ubicumque versaretur, Sacellum habebat religiose constructum, ac magnifice ornatum, Sacerdotibus, aliisque Sacris Ministris instructum, quo a tumultuantibus sæculi curis secedens in Sancta Dei contemplatione quiesceret; ibi enim ejus erat requies, ibi fere semper habitabat soli Deo intenta, & cælestibus inhians divitiis, terrenas opes, & vana corporis ornamenta, quibus animæ pulchritudo non augetur, sed corrumpitur, contemnebat: decenti & modesto indutа cultu, composito vultu, & demissis oculis incedens externo præferebat in habitu virtutem, quæ intus latebat in corde. Ubique enim Deum sibi præsentem habebat, & quo magis in eum amore ferebatur, eo vehementius vitia & peccata odio prosequebatur, ut si quando Divinam lædi Majestatem animadvertebat, injuriam sibi fieri, & se ipsam læsam existimaret.

V. Hujus etiam vis Sancti amoris dulces ei reddebat acerbissimas pœnas, quibus subjicere corpus, & in servitutem redigere curabat, ne ad Creatorem suum tendentem animum cœnosis terrenarum cogitationum motibus impediret, & rebellantium passionum turbis ad terrena a Cælestibus avocaret. Quadruplex illa jejunium ab adolescentia solemne habuit: quadragenarium & commune Christianorum omnium; alterum, quo præparari solent homines Religiosi ad Christi adventum; tertium, quod Angelorum appellant, a die festo Beatæ Virginis Assumptæ ad Archangeli Michaelis diem; ac postremum a feriis S. Joannis Baptistæ ad diem Assumptæ Virgini Sacrum. His igitur jejuniis, & insuper nocturnis vigiliis, diurnisque laboribus, aliisque pœnis in Regum deliciis enutritum corpus macerabat; a vino, in quo est luxuria, adeo assueverat abstinere, ut mediam fere anni partem solo pane transigeret & aqua.

VI. Cum aliquando jaceret gravi stomachi morbo laborans in Oppido Alenquerio, præscripserunt ei Medici, ut vino uteretur; illa vero, cum id curationi valetudinis necessarium esse minime duceret, & sanctum suum propositum in abstinendo a vino levi ex causa mutare timeret, renuit id facere, jussitque aquam sibi afferri. Sed æterni Dei benignitas, qui voluntatem timentium se facit, dignata est voluntati famulæ suæ obsequi, ne hominum consilio indictam sibi abstinentiæ legem transgredi cogeretur, voluitque eam uti remedio, quod per os Apostoli sui discipulo ejus Timotheo ægrotanti suggesserat, scribente ad eum Paulo, *utere modico vino propter stomachum*. Itaque renovato mirabili illo prodigio, quod primum, cum inter homines Christus Dominus versaretur, in nuptiis Canæ factum est, aqua bis ad eam allata, bis Omnipotentis voluntatis suæ nutu, quo res omnes e nihilo eduxit, in vinum commutata est.

VII. Ex amore Dei summa illa Caritas erga proximum oriebatur, qua consolabatur afflictos, succurrebat egenis, pauperibus inserviebat, curabat ægrotos, omnes in Christo complectebatur, sublevabat pecunia, reficiebat alloquio. Nullus inopum occurrebat, in quem illa stipem benignissime non conferret, atque ex infinita multitudine debilium, languentium, pauperum, infirmorum, qua se videbat assidue circumfusam, vacuum abire, aut solatio destitutum neminem patiebatur: Quos intelligebat præ pudore stipem petere non audere, quamvis id suaderet necessitas, non solum prompta eis subveniebat pecunia, sed etiam quotidianis sumptibus sustentabat: Non exiguum frumenti numerum dabat Religiosis familiis, quæ in quibuslibet Lusitaniæ partibus versabantur: Cœnobiis Monachorum, quacumque iter faceret, certam pecuniæ summam quotannis assignabat in vestem. Almosterienſe Monasterium prope Scalabim a Berengaria nobili fœmina inchoatum ipsa perfecit: Aliam domum, ubi partus a Parentibus expositi educarentur, quam Martinus Episcopus Guardiensis morte occupatus absolvere non potuit, non modo absolvit, sed reditibus etiam, & excipiendorum numero puerorum amplificavit. Xenodochium e regione suæ domus prope Conimbricam erexit, ubi triginta pauperes certis attributis sumptibus alebat, ac vestiebat, atque identidem præsentia, allocutione, ministrandi quoque officio solabatur; denique communis omnium Parens, & Patrona censebatur, & temporalibus necessitatibus miserorum subveniens, animas, quorum corporibus succurrebat, humanitate ac benignitate sua ad Deum trahere satagebat.

VIII. Consueverat Beata Elisabeth feria sexta majoris hebdomadæ elephantiacis aliquot, seu leprosis pedes abluere, & stipem elargiri. Id aliquando cum perfeciſſet in oppido quodam Scalabi appellato, ex iis unus, quibus id præstiterat officium, reliquis tardior ob morbi vim vehementiorem substitit parumper in Regia, quod ubi Atriensis quidam Servus animadvertit, ferox & asper, ac rei gestæ ignarus, acerrimis eum conviciis est insectatus: cumque ille reclamaret, fustem arripiens hominis, qui se præ morbo commovere vix poterat, caput summa vi percussit, & graviter vulneravit. Concidit infelix in terram ea plaga accepta, & calamitatem suam cœpit ejulans lamentari. Accurrit & vocibus & miserabili spectaculo Urraca Vaschia, renunciatque Reginæ, cui ob studium pietatis erat familiarissima, quid factum fuerit; illa hominis miseri atque innocentis calamitate commota in suum cubiculum eum imperat deportari, deinde album ovi exceptum stupa vulneri suis ipsa manibus imponit, additaque pecunia in reliquos sumptus eum dimittit. Postridie quam hæc gesta fuerant, scifcitatum mittit quomodo se æger habeat, optime responsum fuit, & cicatricem post factam a Regina medicinam statim fuisse obductam. Ita Regii famuli injuriam Beatæ Reginæ Sanctitas, & clementia compensavit.

IX. Ejusdem majoris hebdomadæ feria quinta lavare duodecim mulierum elephantiasi, seu lepra laborantium pedes, iisque etiam pecuniam, & vestes donare, & ad mensam splendide acceptis ministrare consueverat. Earum una pedem alterum cancro affectum tam male habebat, ut parum abesset, quin duo digiti deciderent; altero igitur abluto pede, alterum in pelvim immittere, Regina postulante, renuebat. Conscia enim latentis mali, & cur-

pis deformitatis, pedem illum aut Reginæ manibus attingi, aut oculis videri indigniſſimum judicabat. Sed Urraca Vaſchia, quæ Eliſabethæ aderat, ejus juſſu recuſantis pedem in aquam mittit. Id ubi factum eſt, odor illico afflatus eſt tam gravis ac peſtilens, ut omnes Regiæ Miniſtræ, cum eum præ faſtidio ferre non poſſent, ſe propripuerint foras; ſola imperterrita manſit Regina, quæ Chriſtiana magnanimitate, & Caritate memorabili ulcus non modo non horruit, ſed ſuis manibus tractare, ac medicinam aliquam adhibere aggreſſa eſt. Accedit ergo plena miſericordiæ, plena humanitatis, procumbit ante miſeram fœminam, fovet calida pedem, & ulcus leniter ac molliter expurgat; poſtremo ejus, *qui vulneratus eſt propter iniquitates noſtras, & reputatus eſt quaſi leproſus, & percuſſus a Deo*, amoris impetu acta ipſum carierum, cujus vel odor erat intolerabilis, oſculatur, & ſalutare Signum Crucis imponit. Mirum dictu, ſed tanta virtute digniſſimum! nulla interpoſita mora, & ſigno Crucis, & oſculo, & ſimul Beatæ Reginæ merito inſanabile ulcus Dei omnipotentia factum eſt ſanum.

X. Cum aliquando proficiſceretur Conimbrica in Urbem Portum, per vicum quemdam iter habuit nomine Ariſanam; hic illi obviam proceſſit ruſticana quædam fœmina filiolam ſecum ducens ab ortu cœcam; oravit Reginam ſupplex, ut oculos puellæ manibus tantum attingeret; illa obſecratione ſimul, ac miſeratione permota morem geſſit matris voluntati; poſt paucos dies exultans, & geſtiens venit ad Eliſabetham cum filiola, quæ ſtatim atque tacta fuerat, uſum oculorum acceperat; agunt immortales Reginæ gratias, ipſa vero a Magiſtro humilitatis edocta, qui pertranſiens benefaciendo, & ſanando omnes, ſe tamen beneficiorum auctorem prodi nolebat, vetuit illis rem palam facere, utque facilius impetraret, veſte utramque donavit. Nobilis quædam, & religioſa mulier Margarita Freila, quæ in Æde Sacrarum Virginum, cui nomen eſt Chelis, prope Ulyſſipponem morabatur, Reginam in Urbe commorantem adivit, a qua ſtatim ac pallido vultu, & macie confecta viſa eſt, cauſam rogatur; tuberculum, reſpondit, ſuper ſtomachum natum; ſignum illa Crucis ægræ parti imponit, quo facto, reſedit omnis tumor, dolorque deceſſit. Margarita tam gravi morbo liberata præ gaudio continere ſe nequivit, quin illico omnibus manifeſtaret Eliſabetham tam inſperatæ curationis auctricem. Quod cum ad aures ejus perveniſſet, non parum inde moleſtiæ accepit, dolens laudem ſibi aut gloriam ullam tribui, quam ſoli Deo debitam intelligebat. Itaque accerſita ad ſe muliere, graviter cum ea conqueſta eſt, ſilentiumque in poſterum imperavit. Et quoniam profuſa in egenos Caritate maxime erat liberalis, in ſinu ſæpe ferebat, quæ iis benigniſſime diſpenſaret. Accidit, ut eam hæc in ſinu clam gerentem Vir ipſius Rex Dionyſius obſervaret, qui forte ei factus obviam interrogavit, quid in ſinu portaret, roſas, inquit; ac Dionyſii juſſu explicato ſinu, opes illæ diſtribuendæ pauperibus in recentes roſas verſæ conſpiciuntur. Ita omnipotens Deus, qui aridam Aaron virgam germinare fecit, & turgentibus gemmis erumpere flores, ad dictum Beatæ Eliſabethæ opes pauperibus deſtinatas in fragrantes roſas media hyeme commutavit, ut quantum ſibi gratum, ac ſuave eſſet Famulæ ſuæ miſericordiæ in pauperes ſacrificium, tam mirabili prodigio oſtenderet.

XI. Neceſſitatem tribulationum non uno in loco nos monet Spiritus Sanctus in Sacris Scripturis dicens: *Sicut ſocii paſſionum eſtis, ſic eritis & conſolationis*: & rurſus: *Hæredes quidem Dei, cohæredes autem Chriſti, ſi tamen compatimur, ut & conglorificemur*. Itaque benigniſſimus Deus, qui per ineffabiles providentiæ ſuæ vias amariſſimis offenſionibus etiam illa adſpergens, quæ licito quidem, ſed fortaſſe nimio amore a Servis ſuis tenentur, rotis cordis affectibus, & intimis animi conatibus ad ſe miſericorditer ſæviens eos ire compellit, B. Eliſabetham maximis perturbationum fluctibus, & adverſitatum tempeſtatibus jactari ſivit. Et quidem Conſtantiam Filiam præreptam ſibi inverſo quodammodo naturæ ordine graviter doluit; tum etiam aliorum Cariſſimorum jacturam non mediocri animi ſui dolore fortiter ſuſtinuit. At Conſtantia Filia, permittente Deo, qui conſolatur Nos in omni tribulatione noſtra, exacto unius anni ſpatio, quo pro ipſius anima Sacrum quotidie fieri per integrum, caſtumque Sacerdotem curaverat, Matrem conſolata eſt, cum per quietem e purgantis ignis pœnis in æternam felicitatem tranſeuntem ſe illi præſentem exhibuit.

XII. Sed inter alia multa adverſa, & aſpera, quæ ipſi acciderunt, maximo quidem mœrore afflixit Regis mariti abalienatus animus, & ad illicitos amores abreptus. Nam Dionyſius, qui aliquot annos cum illa conjuncte, integreque vixerat, quibuſdam quaſi voluptatis injuſtæ præſtigiis faſcinatus, voluntatem ab ea cœpit avertere, omnemque amorem ad quaſdam tranſtulit mulieres, ex quibus liberos etiam ſuſcepit. Toleravit illa patienter ſpreti cubilis injurias, & fracti maritalis fœderis crimen, atque humili cordis oculo indignas mulieres ſibi prælatas reſpexit, neque cum aliquo de Mariti infidelitate conqueſta eſt, neque ullam hac de re cum eo habuit ſimultatem; ſed expectans in ſilentio miſericordias Domini, qui ſolus facere poteſt mundum de immundo conceptum ſemine, loquebatur ei ſanctis operibus ſuis, pietate ſua, manſuetudine ſua, tolerantia ſua, humilitate ſua. Tantæ igitur virtutis luce e lethali peccati ſomno excitus Dionyſius aperuit mentis oculos, agnovitque turpitudinem ſuam, eamque deteſtatus reliquum vitæ tempus caſte ſanctequ traduxit.

XIII. At vero piiſſimæ Reginæ animum non minori mœrore ac triſtitia perculerunt exorta inter ſumma, & cariſſima ſibi capita diſſidia. Sed hoc quoque Servæ ſuæ grande donum conceſſerat ille, cui juxta Prophetam nomen eſt *Admirabilis, Conſiliarius, Deus Fortis, Pater futuri Sæculi, Princeps Pacis*, ut inter diſcordes animas tam ſe fortem gereret, ut labores, ærumnas, & extrema vitæ pericula pro earum ſalute contemneret, tam mitem, ut irarum morbis exaſperata pectora alloquio ſuo leniret; tam prudentem, & pacificam, ut irreconciliabili odio diſſidentes ad pacem, & concordiam reduceret. Ac primo quidem gravem inter Dionyſium Regem, & ejus Fratrem Alphonſum ortam diſcordiam, vel potius apertum bellum, copiis utrinque coactis, ſciſſaque univerſa Luſitania in contrarias partes, compreſſit, ac diremit amantiſſima pacis Regina, fuſis ad Deum precibus, Sacrorum Antiſtitum, & Principum Virorum opera adhibita, ſuis poſtremo ad utrumque adhortationibus, atque obſecrationibus ſæpius interpoſitis. Deinde vero non inferiori laboravit cura atque induſtria, ut revocarentur mota jam arma ab Rege Dionyſio in Ferdinandum Pucrum Caſtellæ Regem, ejuſque tutores: Tum graviſſimæ aliorum Principum affinium diſſenſiones per eam pacatæ ſunt, quæ pernicioſa mala univerſæ Hiſpaniæ allaturæ videbantur.

XIV. Sed nulla illuſtrior, ac magis neceſſaria conciliata pax ab Eliſabetha, quam cum Dionyſius Parens, & Filius Alphonſus pluſquam civilia inter ſe bella ſuſcepiſſent. Indignatus enim Dionyſius ob Filii contumaciam, qui facinoroſorum turmis ſtipatus Patris auctoritatem, & imperium contemnebat, Regnoque dejicere minabatur, ſtatuerat ex improviſo eum opprimere. Appoſitis igitur ad omnes vias Cuſtodibus, ne quis periculi nuncius ad Alphonſum iret, armatos raptim milites, & expeditos ſecum proficiſci juſſit, ut acerbas de filio pœnas ſumeret. At Eliſabetha rei certior facta per Nuncios diverſis itineribus emiſſos quanto in diſcrimine verſetur, Filio ſignificat, monetque, ut iram Patris declinet. Ipſa interim precibus, & lacrymis apud Deum expoſcebat, ut tantum a Viro, a Filio, & a Regno malum averteret. Ejus itaque diligentia, atque pietate factum eſt, ut Filius digreſſus e loco, ubi opprimendus erat, ſaluti ſuæ provideret, cujus contumaciem in Patrem animum pia Mater, ad quam de tanto beneficio gratias actura ſe contulerat, monitis ac precibus infringere aggreſſa eſt. Verum is nihilo melior factus ſceleratum parare cœpit in Patrem bellum, qui facinoris indignitate commotus, aliorumque conſiliis ſtimulatus omnem viam ad vindicandam impietatem Filii quærebat. Exulcerabant hæc animum Eliſabethæ, quæ demiſſe, atque aſſidue a Deo precabatur mitiorem Viro mentem, Filio ſaniorem. Accuſata vero apud Dionyſium nimiæ caritatis in Filium, & muliebris indulgentiæ, ademptis Caſtellis, boniſque fere omnibus ereptis, ne qua Filium ope juvaret, in liberam cuſtodiam tradita eſt, juſſaque ne ſtatuto loco egrederetur. Æquo animo indignam paſſa eſt calumniam piiſſima Regina, neque conqueſta eſt de acerbo Viri imperio; ſed ſtatim paruit, & aliorum reclamantium querelas compeſcuit. Interea Alphonſus expugnandis, atque in ſuam poteſtatem redigendis Urbibus, Dionyſius iis, quæ a ſua poteſtate defeciſſent, diruendis, atque evertendis uterque in Luſitania miſere devaſtanda opes omnes, operamque ponebant. Quo tempore Beata Regina religioſiſſimis quibuſque fœminis undique ad ſe convocatis, cum *iis* tota erat in jejuniis, precibus, lacrymis, aliiſque piis operibus ad exorandum Deum, *qui ventis, & mari imperat, & obedium ei*, ut horridam tempeſtatem, quæ ingentem ruinam ſecum ferebat,

UAB Biblioteca de Ciències Socials

ſuperna ope ſedaret. Ubi vero accepit, bellum vehementius in diem inflammari, neque extingui poſſe niſi vel Viri, vel Filii ſanguine, Civium Strage, Civitatum excidio, continere ſe nequivit, quin Caritatis pennis e cuſtodia convolaret ad Caſtra, virum obſecraret, Filium obteſtaretur, cum utroque per ſe, & per Principes Viros ageret, ut Patris in gratiam Filius reſtitueretur. Conceſſum eſt Dei munere, quod Eliſabethæ pietas merebatur; Sed non diuturna fuit illa concordia. Etenim cum Alphonſus contra voluntatem Patris ad Oppidum Scalabin accedere inſtructo agmine conaretur, obviam illi cum exercitu proceſſit Dionyſius. Itaque armatas acies contra Filium jam Pater direxerat, datum utrinque fuerat belli ſignum, concurrebant ex utraque parte cognatis armis milites, ventum erat ad manus, cum Eliſabeth ſui oblita, de animarum ſalute tantummodo ſollicita, ſine famularum comitatu, ſine cultu raptim accurrit, interponit ſe inter Virum, & Filium, non a telis ultro citroque jactis deterrita, non a ſuæ vitæ periculo retardata, Filium adhortationibus morigerum Patri, Virum obſecrationibus placatum Filio reddit, utrique vitam, utrique ſalutem, operante Domino, & loquente ad eorum corda, dum Famulæ ſuæ ad aures verba inſonabant, reſtituit.

XV. Jam vero Dionyſius ætate gravis, & imbecilla valetudine affectus in lethalem morbum incidit; tum vero vel maxime enituit conjugalis Eliſabethæ caritas, aſſiduitas, diligentia. Præſtitit enim ſe non uxorem, ſed ancillam, adeo in rebus omnibus demiſſe, diligenterque miniſtrabat, non minus operi intenta, quam orationi, cui quod ab infirmi Mariti cura ſupererat temporis, die ac nocte vacabat, magis de illius animæ, quam de corporis ſalute ſollicita. Dionyſius autem annum agens ſexageſimum quartum, omnibus rite peractis, quæ vel Chriſtianum hominem, vel prudentem Regem decebant, ex hac mortali vita exceſſit, cum annos ſex, & quadraginta regnaſſet.

XVI. Mariti morte ſui juris facta Eliſabeth totam ſe Deo tradidit, & ſecuta eſt exemplum fortiſſimæ mulieris Judith, quæ poſt obitum Viri *in ſuperioribus Domus ſuæ fecit ſibi ſecretum cubiculum, in quo cum puellis ſuis clauſa morabatur, & habens ſuper lumbos ſuos cilicium jejunabat omnibus diebus vitæ ſuæ*. Ita Beata Eliſabeth ſtatim ac Vir deceſſit, in cubiculum ſe recepit cum una e carioribus ancillis, ibique ab ea ſuſcepit eximio animi ſenſu pauperem veſtem Religioſarum Virginum propriam, tum rudi ſuaiculo præcincta, candido linteo caput velavit, domeſticas autem opes vel in ſacros uſos convertit, vel egentibus diſpenſavit: Ædes inſuper aliquas ſecus Sacrarum Virginum domum, quam prope Conimbricam Beatæ Claræ nomine ædificandam ſummo ſtudio curaverat, ſibi poni voluit, ubi ex illarum Virginum cœtu quinque apud ſe integritate conſpicuas habebat aſſidue, cum quibus Religioſam extra Clauſtra degebat vitam. Siquidem de multa nocte vigilans cum Virginibus piorum ſtudiorum ſociis matutinis precibus recitandis vacabat; diluculo Sacrum fieri jubebat in ſuo cubiculo; inde in publico Sacello cum omni familia intererat alteri Sacrificio, quod cum lugubri cantu fiebat pro demortuo Rege, ac Marito; tertium denique Sacrum ejus diei proprium coram ſe ſupplice volebat celebrari. Divini Officii reliquas horas poſtea peragebat, tum ad juvandos alios vel re, vel verbis incumbebat, inde ad ſeſe colligendam vel contemplationi, vel ſacri cujuſpiam libri lectioni ſe dabat; ad ſeram poſtremo noctem Divinas res mente pertractabat cum incredibili ſenſu voluptatis, & dulcium copia lacrymarum, ut integros dies non terræ, ſed Cælo vivere videretur.

XVII. Præterea cæteras omnes virtutes, quas in Viduis exigit Apoſtolus Paulus ſcribens ad Timotheum, in ſe diligenter atque eximie expreſſit, pietatis ſcilicet officium, hoſpitalitatis ſtudium, humilitatis obſequium, miſericordiæ miniſterium, liberalitatis ſubſidium, omniſque boni operis executionem. Nam in ædiculis prope memoratam Virginum domum extructis quindecim egentes viros, ac totidem fœminas ali perpetuo certis ſumptibus juſſit, Sacerdotemque proximum cum Sacello, & Cœmeterio conſtituit, qui Sacrum iis præſentibus quotidie faceret, & ſolemnibus ſtatutarum horarum precationibus præeſſet. Miſericordia autem, & liberalitas maxime in Beata Vidua excelluit, cum ingens annonæ caritas, ac fames Conimbricam Urbem vexaret; tanta etiam fuit largitate in omne hominum genus ſublevandum, adeoque liberalem ſe cunctis præbuit, ut ab opum adminiſtratoribus admonita fuerit, ne ob alienorum opitulationem, ac ſuſtentationem nimis aſſiduam ſibi poſtmodum, ſuiſque deeſſe cogereretur; ſed illa Deo freta, non minus ac Sareptana Vidua, quæ, ut Prophetæ Domini ſubveniret, omne vitæ ſuæ ſubſidium ultro ei deferens, nihil ſibi reliquit, anguſtos aliorum animos reprehendit.

XVIII. Quæ vero ad pietatem erga Deum, curam erga ſuos, humilitatem, manſuetudinem, abſtinentiam pertinent, longum ac difficile eſſet omnia referre. Abſoluto B. Claræ Cœnobio, in quo perficiendo plurimum pecuniæ, atque operæ impenderat, quo die primum in nova cœnatione Moniales diſcubuerunt, miniſtravit eis cum ſua Nuru raro Chriſtianæ demiſſionis, & Caritatis exemplo. Quartum & ſexageſimum ætatis annum agens Jacobi Apoſtoli Templum iterum adire decrevit; tantum ſuſcepit itineris Fœmina id ætatis & Regina paucis comitata, mutato veſtitu ignobilis, imo, quod prorſus mirabile eſt, ſua ſarcina gravis per Vicos, & domos mendicans pedibus ivit, & reverſa eſt, intuens certe in præclarum illud impigræ devotionis exemplar, Beatam videlicet Mariam Virginem, quæ per omnes annos in die ſolemni Paſchæ cum Joſeph Hieruſalem petebat. Pervenit ad illius aures, Alphonſum Nepotem ſuum Caſtellæ Regem alterius ab uxore fœminæ conſuetudine teneri, ad eum nulla interpoſita mora proficiſcitur, tantumque præſentia ſua, ac verbis effecit, ut ab eo fidem acciperet, honeſtius in poſterum vivendi. Inter ipſum Alphonſum Nepotem, & Alphonſum Filium gravi enato diſſidio, ad ſedandas exortas diſcordias pacifici, & Cæleſtis Regis diſcipula in Oppidum Eborenſe Stremotium appellatum, ubi tunc Filius verſabatur cum Conjuge, ſe contulit; ſed partim ætatis imbecillitate, partim itineris defatigatione in morbum incidit, qui ſupremus illi fuit. Cum autem jam ſe morti proximam intelligeret, Divinis myſteriis, ac ſupremis Eccleſiæ Sacramentis ad ultimum illud certamen ſeſe ſanctiſſime muniit, ut piæ vitæ religioſa mors optime reſponderet. Poſtquam autem cum Alphonſo neceſſariis de rebus Regni colloquuta aliquantulum eſt, a Filio, quem relinquebat, ad Cæleſtem converſa Parentem, quam adibat, & quæ paulo ante ſe videndam ei præbuerat, ſacris illis Eccleſiæ vocibus Beatam Virginem compellavit, *Maria Mater gratiæ, Mater miſericordiæ, Tu nos ab hoſte protege, & hora mortis ſuſcipe:* deinde fidem ex Apoſtolorum ſymbolo profeſſa, Dominicam orationem, aliaſque recitavit voce paulatim, ac ſenſu deficiente, donec die quarta Julii anno a Chriſto nato milleſimo trecenteſimo tricesimo ſexto, ab ipſius Beatæ Eliſabethæ ortu ſexageſimo quinto, ſanctiſſimam animam Auctori ſuo reddidit.

XIX. Divulgato autem obitus nuncio, maximus cujuſvis generis hominum concurſus ad ejus funus factus eſt. Nam fama illa ſanctitatis, quæ de ipſa, dum adhuc viveret, univerſum Luſitaniæ Regnum impleverat, poſteaquam ex hac mortali vita diſceſſit, maxime percrebuit. Itaque ejuſdem Defunctæ patrocinium bono ſuo imploravere complures, ſingularibus a Deo beneficiis per ejus interceſſionem obtentis. Nam Clementiſſimus Deus, cujus natura bonitas, cujus voluntas potentia, cujus opus miſericordia eſt, Beatam Eliſabetham non ſolum in humanis agentem Divinis illuſtravit miraculis, ſed etiam ad æternæ felicitatis Regna translatam admirabilibus rerum eventibus nobilitavit in terris. Ex quibus Nos ea ſolum, quæ in cauſæ Canonizationis examine rite diſcuſſa, & perpenſa, tanquam ejus Sanctitatis cæleſtia indicia, & argumenta cunctorum ſuffragiis approbata fuerunt, hoc loco referemus. Ac primo quidem ejus corpus a corruptione liberum, integrumque a Deo ſervatum eſt. Quoniam delatum ex Oppido Stremotio, ubi ultimum diem obiverat, Conimbricam per longiſſimum iter ſeptem dierum æſtivo tempore non modo fœtoris nihil afflavit, ſed potius tam ſuaves circumfuſæ multitudini inſpiravit odores, ut in eo loculo pro putreſcente cadavere omnia aromatum genera concluſa viderentur. Sed quod longe mirabilius eſt, cum anno Domini milleſimo ſexcenteſimo duodecimo Beatæ Reginæ ſepulcrum apertum, & ſacrum ejuſdem corpus recognitum fuit, inventum eſt integrum, atque incorruptum cum carne, capillis, auribus, oculis minime tabefactis, & quæ tacta non frangebantur, aut liqueſcebant. Manabat autem ex toto corpore ſuavis admodum, ac jucundus odor, & Divinum incorruptibilitatis beneficium cum veſtibus ipſis circumjectis, & pluribus linteis ſuperimpoſitis quodammodo communicaverat, quæ ſolida & integra poſt adeo diuturnum tempus permanebant.

XX. Pars quædam ædium in Monaſterio Sanctæ Claræ recens fabricata erat, eique imponebantur ligna tecti, dabatque operam in ligna clavis configenda Dominicus Machadus Faber lignarius, cum inopinato aliquot ex iis lignis refixa dilabuntur in terram, ſecumque Fabrum illum præcipitem trahunt; tum ille Beatæ Eliſabethæ opem implorat. Extemplo ipſe una cum lignis occulta quadam vi ſurſum relatus, & in eumdem locum, quo ceciderat, reſtitutus fuit, & ligna etiam ſuis reddita ſedibus, & coaptata.

XXI. Anna Azpilcueta Virgo Sacra in Cœnobio Beatæ Mariæ prope Conimbricam in Vico, cui nomen Cellis, diu capta cruribus, & reſolutis nervis ita tenebatur, ut per ſe incedere nullo modo poſſet, nulloque a Medicis remedio ſanari. Proximus erat ſolemnis Beatæ Eliſabethæ dies; nocte vero, quæ antecedebat, Annæ Magiſtra expoſitis pluribus beneficiis illius imploratione ſuſceptis, hortatur eam, ut ab ipſa præſens auxilium petat. Morem geſſit illa diligenter, & in arctiſſimum ſomnum ſoluta eſt. Ecce autem per quietem audire ſibi videtur imperantem, ut ſurgat, valetudine jam Eliſabethæ ope reſtituta. Excitata Virgo exilit e lecto, veſtes induit, in odeum, vulgo chorum venit, ubi ceteræ matutinas preces canebant. Mirantur omnes, & præ animi gaudio, & pietate lacrymantes agunt gratias omnium bonorum Auctori, qui mirabilis eſt in Sanctis ſuis.

XXII. In Oppido Sarnacenſi Maria Antonia Michaelis Aloyſii uxor jam quinquagenaria, & quæ jampridem ex quodam morbo in ſiniſtro ubere lacte carebat, Nepotem ex paupere filia parvulum ſuſceperat enutriendum, & cujuſdam Equitis Filium lactabat. Nepotem cibis dulcibus, lacte ſibi deficiente, enutrire tentavit, eos tamen ille reſpuit. Inops igitur conſilii venit una cum eo Conimbricam ad Beatæ Claræ Cœnobium, & Monialium hortatu ſumit vinum cum croco, quod Beata Eliſabeth ad hujuſmodi mali remedium præſcripſerat; ſupplex deinde ad ejus ſepulcrum accedit, oratque ſummis precibus, ut lac ſibi a Deo impetret. Exaudita eſt precatio, lac ſtatim ſenſit uberibus affuſum, ut abunde potuerit in poſterum donatum Cælitus alimentum utrique Infanti ſufficere.

XXIII. Agnes de Almeida Joannis de Guerres Medici uxor ſeptima poſt filii partum hebdomada in anginæ morbum incidit, quo vehementer cruciata, & cibum ſumere, & verba proferre impediebatur. Lac etiam defecerat ad natum puerum nutriendum. Vir, omni artis ſuæ opera fruſtra adhibita, deſperans de ſalute conjugis Barenſem in Agrum ſe contulit ad accerſendam filio nutricem. Ibi dum nocte curis anxius commoratur, ſubit animum Sanctitas Beatæ Eliſabethæ, illi ſuam enixe, religioſeque commendat uxorem; ſummo mane reverſus domum uxorem reperit ſanam. Quærit ex illa; qua hora ſe morbo liberam ſenſerit, comperitque ab omni ægritudine liberatam eodem temporis momento, quo ipſe procul domo Beatam Reginam oraverat. Subinde Templum adit, ubi Reginæ corpus aſſervabatur, intereſt Sacro, iterumque ſuppliciter ab eadem expoſcit uxori lac, quo natus infans nutriri poſſit; domum regreſſus hoc etiam ſe beneficio cumulatum agnovit.

XXIX. Conſtantiæ Aniæ Civi Eborenſi in Cœnobio Beatæ Claræ peſtiferum quoddam ulcus, labia, gingivaſque cum maximo cruciatu corrodebat, ſenſimque ſerpebat latius; præ doloris impetu vociferabatur aſſidue, ceterarumque Virginum tranquillitatem, religioſamque quietem interturbabat, nullaque Medicorum arte ea peſtis depelli poterat. Allato Beatæ Reginæ corpore ab Oppido Stremotio Conimbricam in Beatæ Claræ Cœnobium, ſtatim Conſtantia magna cum pietate ac fide acceſſit ad pheretrum, ubi corpus adhuc inſepultum jacebat; & ita loculum oſculata eſt, ut oris partem lue infectam ei applicaret. Recedit deinde cum cæteris; ubi vero ſacrum Beatæ Eliſabethæ corpus ad ſepulcrum deferri cœpit, ſe cruciatu liberatam ſentiens, advocat Socias, iis os inſpiciendum præbet, & nulla amplius peſtis illius indicia apparebant. Quo mirabilis rei eventu omnes attonitæ admirantur Dei potentiam, & Beatæ Reginæ ſanctitatem laudibus efferunt, quam tam inſigni miraculo Deus omnibus teſtatam, atque exploratam eſſe volebat.

XXV. Cum igitur fama Sanctitatis Beatæ Reginæ ob frequentiam miraculorum, quæ ipſius apud Deum meritis edebantur, magis ac magis increbreſceret, atque in ejus venerationem Chriſtianorum hominum animi vehementius incitarentur, felicis record. Leo Papa X. Prædeceſſor noſter anno milleſimo quingenteſimo decimo ſexto, inſtante cl. me. Emmanuele Luſitaniæ Rege, per Literas Apoſtolicas in forma Brevis conceſſit, ut in Eccleſiis, & Monaſteriis Civitatis, & Diœceſis Conimbricenſis de præfata Dei famula ſemel in anno commemorationem vel officium recitari, & in eorumdem locorum Eccleſiis, & domibus juxta piorum Fidelium devotionem ejuſdem imaginem depingi, ac illam inter alias Sanctorum imagines teneri, & ut Beatam coli, & reputari liceret, poſſentque Chriſtifideles ad illam preces effundere, & ab ea petere, ut pro ipſis apud Altiſſimum intercederet; & ſubinde ſel. pariter record. Paulus PP. Quartus ſimiliter Prædeceſſor noſter, inſtante clar. mem. Sebaſtiano Luſitaniæ Rege, qui ad Regni tranquillitatem, ac ſalutem Beatæ Eliſabethæ meritis a Deo dicebatur impetratus, conceſſionem, & indultum hujuſmodi ad totum Portugalliæ Regnum extendit, & ampliavit: poſtea piæ memoriæ Gregorius Papa XIII. ſimiliter Prædeceſſor noſter Officium & Miſſam pro Cathedrali & Diœceſi Conimbricenſi, & nonnullas indulgentias Confratribus cujuſdam Confraternitatis ſub ejuſdem Beatæ Eliſabethæ invocatione erectæ, & omnibus Chriſtifidelibus Eccleſiam dictæ Confraternitatis die feſto ejuſdem Beatæ Eliſabethæ viſitantibus de Apoſtolica auctoritate elargitus eſt. Anno vero milleſimo ſexcenteſimo undecimo, univerſo Luſitaniæ Regno pro dictæ Beatæ Canonizatione inſtanter agente, recol. memor. Paulus Papa V. pariter prædeceſſor noſter cognitionem cauſæ demandavit tribus Cauſarum Palatii Apoſtolici Auditoribus, Franciſco nempe Pæniæ Decano, Franciſco Sacrato, & Alphonſo Manzanedo, qui proceſſus Apoſtolica auctoritate conficiendos decreverunt, atque ad id munus peragendum Conimbricenſem, & Leirienſem Epiſcopos, & Doctorem a Regis Conſiliis Franciſcum Vazium eadem auctoritate deputarunt; utque Epiſcopi, & Doctor Franciſcus præfati diligenter demandato negotio perfuncti fuere, omnia acta eiſdem Auditoribus tranſmiſerunt. Cumque interim, dum proceſſus hujuſmodi conficiebantur, præfatus Paulus Prædeceſſor, & rec. etiam memoriæ Gregorius Papa XV. ſimiliter Prædeceſſor noſter humanitatis debitum perſolviſſent, & præfatus Urbanus Prædeceſſor ad Sacrum Apoſtolatus apicem Divina Providentia aſſumptus fuiſſet, ac pro parte præfati Luſitaniæ Regni inſtanter requiſitus eſſet, ut negotium hujuſmodi promovere, & ad ulteriora procedere dignaretur, acceederentque aliorum idem ſuppliciter expoſcentium preces, præfatus Urbanus Prædeceſſor, ut ea maturitate quæ rem tantam decebat, negotium tranſigeretur, habitam a præfatis Auditoribus de ſtatu cauſæ relationem, ad S. R. E. Cardinales Sacris Ritibus Præpoſitos remiſit, qui eam diligentiſſime inſpicerent, ac de tota cauſa accurate cognoſcerent. Quod cum illi ita perfeciſſent, ac pro Beatæ Reginæ Canonizatione omnes unanimiter cenſuiſſent, bonæ memoriæ Franciſcus Maria Epiſcopus Oſtienſis S. R. E. Cardinalis a Monte nuncupatus totius proceſſus ſummam, & ſuam Collegarumque ſententiam coram dicto Urbano Prædeceſſore in Conſiſtorio ſuo ſecreto expoſuit, quibus auditis reliqui Cardinales, qui aderant, ad ulteriora fore procedendum communi ſuffragio pronunciarunt. Igitur cum in publico Conſiſtorio quondam Joannes Baptiſta Mellini tunc Aulæ Conſiſtorialis Advocatus pro ejus Canonizatione peroraſſet, ac nomine prædicti Luſitaniæ Regni, ut ad eam procedere dignaretur, humiliter ſupplicaſſet, dictus Urbanus Prædeceſſor de re tanta S. R. E. Cardinales, & Epiſcopos in Romana Curia præſentes conſulendos eſſe reſpondit, atque interim Cardinales, Patriarchas, Archiepiſcopos, & Epiſcopos præfatos intimo cordis ſui affectu vehementer in Domino hortatus eſt, ut orationibus inſtantes, in jejuniis, & eleemoſynis animas ſuas coram Deo ſecum humiliantes expoſcerent a Deo Patre luminum, ut ex alto ſuper ipſum lucem, & veritatem ſuam emitteret, quæ ipſum ad voluntatem, & beneplacitum ejus cognoſcendum, & perficiendum deduceret. Sequenti itaque ſemipublico Conſiſtorio vocatis ad illud non modo Cardinalibus, ſed Patriarchis, Archiepiſcopis, & Epiſcopis in Curia exiſtentibus, præſentibus etiam Sedis Apoſtolicæ Notariis, ac Palatii Apoſtolici Cauſarum Auditoribus, cum plura ab eo de eximia Sanctitate Beatæ Reginæ, ac miraculorum frequentia, & celebritate, populorumque erga eam devotione commemorata fuiſſent, expoſitis etiam inſtantiis præfatis, quæ coram ipſo fiebant, omnes concorditer, ac uno ore benedicentes Deum amicos ſuos honorificantem, Beatam Reginam Eliſabetham canonizandam eſſe, atque inter Sanctas Viduas adſcribendam cenſuerunt: Quorum omnium audito conſenſu, intimo cordis affectu exultavit in Domino, & jubilavit in ſalutari ejus gratias agens Deo,

Deo, & Filio ejus Domino Noſtro Jeſu Chriſto, quod Eccleſiam miſericorditer reſpexiſſet, ac tanta gloria illuſtrare decreviſſet. Canonizationis inde publicavit diem, eoſdemque Fratres, & Filios ſuos monuit in orationibus, & eleemoſynis perſeverandum eſſe, ut in tanto opere exequendo ſplendor Dei eſſet ſuper ipſum, mentemque ſuam ad perficiendam ejus voluntatem dirigeret. Demum peractis omnibus, quæ ex Sacris Conſtitutionibus, ac Romanæ Eccleſiæ conſuetudine peragenda erant, anno Incarnationis Dominicæ milleſimo ſexcenteſimo viceſimo ſexto, octavo Calendas Julii Pontificatus ſui anno tertio in Sacroſancta Principis Apoſtolorum Baſilica cum eiſdem Cardinalibus, nec non Patriarchis, Archiepiſcopis, & Epiſcopis, Romanæque Curiæ Prælatis, Officialibus, & Familiaribus ſuis, nec non Clero Sæculari, & Regulari, ac maxima Populi frequentia convenit, ubi repetitis pro Canonizationis decreto petitionibus nomine totius Luſitaniæ Regni a Michaele Suarez Pereyra per Joannem Baptiſtam Mellini Conſiſtorialis Aulæ ſuæ Advocatum præfatum, decantatis ſacris Precibus, & Litaniis, ac Spiritus Sancti gratia humiliter implorata, ad honorem Sanctiſſimæ, & Individuæ Trinitatis, & Fidei Catholicæ exultationem, auctoritate Omnipotentis Dei Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, Beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli, ac ſua, de eorumdem S. R. E. Cardinalium, Patriarcharum, Archiepiſcoporum, & Epiſcoporum in Romana Curia præſentium conſilio, ac unanimi conſenſu, glorioſæ memoriæ Reginam Eliſabetham, de cujus vitæ Sanctitate, fidei ſinceritate, & miraculorum excellentia plene conſtabat, Sanctam eſſe definivit, ac in Sanctarum Viduarum Catalogo adſcribendam eſſe decrevit, & adſcripſit, illamque ab univerſis Chriſtifidelibus tanquam vere Sanctam honorari, ac venerari mandavit, ſtatuens ab univerſali Eccleſia in ejus honorem Eccleſias & Altaria, in quibus Sacrificia Deo offeruntur, ædificari & conſecrari, & ſingulis annis die quarta Julii, qua ad Cæleſtem gloriam tranſlata fuit, ejus Officium, ut de Sancta Vidua ad præſcriptum Romani Breviarii celebrari poſſe. Eademque auctoritate omnibus Chriſtifidelibus vere pœnitentibus & confeſſis, qui ſingulis annis ad Sepulcrum, in quo corpus ejus requieſcit, viſitandum acceſſiſſent, feſto die præfato unum annum, & unam quadragenam, in ejus vero octava quadraginta dies de injunctis eis, ſeu alias quomodolibet debitis pœnitentiis miſericorditer in Domino relaxavit. Poſtremo gratiis Deo actis quod Eccleſiam ſuam inſigni hoc, novoque luminari illuſtrare dignatus eſſet, cantata in Sanctæ Eliſabethæ honorem infraſcripta a ſe compoſita oratione temporum illorum calamitatibus, ac Sanctæ Reginæ virtutibus accommodata, videlicet: *Clementiſſime Deus, qui Beatam Eliſabetham Reginam inter cæteras egregias dotes bellici furoris ſedandi prærogativa decoraſti, da Nobis ejus interceſſione poſt mortalis vitæ, quam ſuppliciter petimus, pacem ad æterna gaudia pervenire. Per Dominum &c.* ad Altare Principis Apoſtolorum Miſſam celebravit cum ejuſdem Sanctæ Reginæ Viduæ commemoratione, omnibuſque Chriſtifidelibus tunc præſentibus plenariam omnium peccatorum ſuorum indulgentiam conceſſit. Ne autem de definitione, decreto, adſcriptione, mandato, ſtatuto, relaxatione, aliiſque præmiſſis, pro eo quod ſuper illis per eumdem Urbanum, ejuſque Succeſſores piæ memoriæ Innocentium Decimum, Alexandrum Septimum, utrumque Clementem nonum, & decimum, Innocentium undecimum, Alexandrum octavum, Innocentium duodecimum, Clementem undecimum, Innocentium decimum tertium, Benedictum decimum tertium, atque Clementem duodecimum Pontifices Prædeceſſores Noſtros Literæ de more conſcriptæ, & promulgatæ non fuerunt, unquam poſſit in poſterum quomodolibet hæſitari; Nos, qui iiſdem Romanis Pontificibus, diſponente Domino, in Cathedra Beati Petri licet immeriti ſucceſſimus, volumus, & Apoſtolica auctoritate decernimus, quod definitio, decretum, adſcriptio, mandatum, ſtatutum, relaxatio, aliaque præmiſſa a dicto die octavo Calendas Julii anni milleſimi ſexcenteſimi viceſimi quinti ſuum debitum ſortiantur effectum, ac ſi ſuper illis ipſius Urbani Prædeceſſoris Literæ ſub datum ejuſdem diei confectæ fuiſſent, prout ſuperius enarratur, quodque præſentes Literæ ad probandum plene definitionem, decretum, adſcriptionem, mandatum, ſtatutum, relaxationem, & alia præmiſſa ubique ſufficiant, nec ad id probationis alterius adminiculum requiratur. Ceterum quia difficile foret, præſentes noſtras Literas ad ſingula loca, ubi opus eſſet, deferri, volumus, ut earum exemplis etiam impreſſis, manu publici Notarii ſubſcriptis, & ſigillo alicujus Perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis eadem ubique fides habeatur, quæ ipſis præſentibus adhiberetur, ſi eſſent exhibitæ vel oſtenſæ. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Noſtrorum decreti, & voluntatum infringere, vel ei auſu temerario contraire; ſi quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem quarto Calendas Maji anno Incarnationis Dominicæ milleſimo ſeptingenteſimo quadrageſimo ſecundo, Pontificatus Noſtri anno ſecundo.

✠ Ego Benedictus Catholicæ Eccleſiæ Epiſcopus.



✠ *Ego T. Epiſcopus Oſtien. & Veliternen. Card. Ruſus Decanus, & S. R. E. Vice Cancellarius.*
✠ *Ego A. Epiſcopus Sabinen. Cardinalis S. Clementis S. R. E. Camerarius.*
✠ *Ego L. Epiſcopus Portuenſis Card. Picus.*
✠ *Ego Petrus Epiſcopus Tuſculanus Card. Corradinus.*
✠ *Ego V. Epiſcopus Prænestinus Card. Petra Major Pœnitentiarius.*
✠
✠
✠
✠

✠ *Ego*

UAB Biblioteca de Ciències Socials

✠ *Ego Ludovicus Tit. Sanctæ Praxedis Cardinalis Belluga.*

✠ *Ego Fr. Vincentius Ludovicus Tit. S. Sixti Presbyter Cardinalis Gotti Ordinis Prædicatorum.*
✠ *Ego Joseph Tit. S. Mariæ Transtyberim Presbyter Card. Accorambonus.*

✠ *Ego Vincentius Tituli S. Matthæi in Merulana Presbyter Cardinalis Bichius.*
✠ *Ego Joseph Tituli S. Crucis in Hierusalem Presbyter Card. Firrao.*
✠ *Ego Antonius Tituli S. Stephani in Monte Cœlio Presb. Card. Gentili.*

✠ *Ego T. Tit. S. Cæciliæ Presbyter Cardinalis de Aquaviva.*
✠ *Ego D. Tit. Basilicæ Sanctorum Duodecim Apostolorum Presbyter Card. Rivera.*
✠ *Ego P. Tit. S. Eusebii Card. Aldovrandus.*
✠ *Ego F. P. M. Tit. S. Joannis ante Portam Latinam Presb. Card. Pieri Ordinis Servorum B. Mariæ Virg.*

✠ *Ego D. Tit. S. Bernardi ad Thermas Presbyter Card. Passioneus.*
✠ *Ego S. Tit. S. Priscæ Presbyter Card. Valenti.*

✠ *Ego P. Tit. SS. Nerei & Achillei Presbyter Card. de Tencin.*

✠ *Ego Alexander Tit. S. Agathæ in Suburra Diaconus Card. Albanus.*
✠ *Ego Nicolaus S. Mariæ ad Martyres Diac. Card. Judice.*
✠ *Ego Nerius S. Eustachii Diaconus Card. Corsinus.*
✠ *Ego A. S. Georgii in Velabro Diaconus Card. Mosca.*
✠ *Ego J. B. S. Cæsarei Diaconus Card. Spinula.*

✠ *Ego C. S. Nicolai in Carcere Tulliano Diaconus Card. Rezzonicus.*
✠ *Ego P. S. Angeli in Foro Piscium Diaconus Card. Columna.*
✠ *Ego C. M. S. Mariæ in Porticu Diaconus Card. Sacripantes.*

P. Cardin. Prodatarius.
D. Card. Passioneus.

VISA DE CURIA

N. Antonellus.

J. B. Eugenius.

Registrata in Secretaria Brevium.

UAB Biblioteca de Ciències Socials

APPENDIX QUARTA.

PUBLICA INSTRUMENTA SOLEMNIUM BEATIFICATIONUM SANCTÆ ROSÆ LIMANÆ, ET SANCTI TURRIBII.

De quibus in Cap. 24.

Monumenta publica Solemnium Beatificationis Servæ Dei ROSÆ DE S. Maria a Civitate Limæ, dicta Regum in Peruvio, *Tertii Ordinis S. Dominici, in Basilica Principis Apostolorum, & in Ecclesiis Beatæ Mariæ super Minervam, S. Ignatii Societatis Jesu, & SS. Jacobi, & Udephonsi Nationis Hispanorum de Urbe peractorum Anno 1668.*

Ex Actis Sacrorum Rituum Congregationis.

In Nomine Domini. Amen.

PRÆSENTI publico Instrumento cunctis ubique pateat evidenter, & sit notum, quod anno a Nativitate ejusdem Domini Nostri Jesu Christi Millesimo sexcentesimo sexagesimo octavo, Indictione sexta, die Dominico, decima quinta mensis Aprilis, Pontificatus autem Sanctissimi in Christo Patris, & Domini Nostri, Domini Divina Providentia Papæ Clementis Noni anno primo (a) Postquam, servatis ex forma Decretorum felicis recordationis Papæ Urbani VIII. ac de stylo Sacrorum Rituum Congregationis servandis, ad instantiam Admod. R. P. Magistri Fr. Antonii Gonzalez Sacerdotis Professi Ordinis S. Dominici, Prædicatorum nuncupati, Provinciæ Peruanæ Diffinitoris, ac Reverendiss. P. Fr. Joannis Baptistæ de Marinis ejusdem Ordinis Generalis Magistri Socii, & causæ Beatificationis, & Canonizationis Venerabilis, & Beatæ Servæ Dei Rosæ de Sancta Maria Tertii ejusdem Ordinis a Civitate Lima, seu Regum in Peruvio Procuratoris coram eadem Sacrorum Rituum Congregatione, cui primo dicta causa per præfatum Papam Urbanum VIII. ac secundo per felicis item recordationis Papam Alexandrum VII. commissa fuerat, præviis Processibus auctoritate Ordinaria compilatis, discussi fuerunt etiam Processus auctoritate Apostolica fabricati super Sanctitate vitæ, virtutibus, & miraculis ejusdem Servæ Dei, Populique in eam devotione; &, admissa illorum validitate, indultaque etiam per eumdem Papam Alexandrum VII. cognitione super relevantia, non obstante, quod, juxta præscriptum Decretorum prædicti Urbani VIII. spatium quinquaginta annorum ab ejusdem Servæ Dei obitu non esset elapsum, fuerunt approbatæ ejusdem Servæ Dei Virtutes Theologales, & Cardinales in gradu heroico, pluraque miracula post illius mortem a Deo patrata; dictaque Sacra Congregatio de mandato ejusdem Sanctissimi D. N. Papæ Clementis IX. habita censuit, quandocumque eidem Sanctissimo visum fuerit, ad solemnem ejusdem Servæ Dei Canonizationem, & interim ad Indultum, ut in toto Orbe terrarum Beata nuncupetur, deveniri, & de ea, tanquam Virgine non Martyre, in certis die, & locis Missam celebrari, & Officium recitari posse; idemque Sanctissimus ad preces Potentissimi Caroli Secundi Hispaniarum Regis Catholici, ac Sereniss. Mariannæ Reginæ Viduæ ejus Genitricis, totiusque Ordinis prædicti S. Dominici Indultum prædictum super dictæ Servæ Dei in Beatam nuncupatione, illiusque Corporis, & Reliquiarum Fidelium venerationi expositione, ac Imaginum radiis, & splendoribus exornatione, Officiique, & Missæ de ea, hoc est, de Virgine non Martyre, juxta Rubricas Breviarii, & Missalis Romani, sub duplici Ritu celebratione, facultatemque etiam Solemnia Beatificationis intra certa tempora, ac certis etiam in locis, &, postquam in Basilica Principis Apostolorum de Urbe celebrata essent, in Ecclesia S. Jacobi Nationis Hispanorum de Urbe celebrandi benigne concessit ex Litteris Apostolicis datis Romæ apud S. Sabinam die 12. Februarii anni curentis 1668. sub annulo Piscatoris, ut moris est, expeditis, inferius registrandis, ad quas habeatur relatio: &, postquam etiam prædicti Patris Magistri Fr. Antonii Gonzalez causæ Procuratoris vigilanti, solertique opera magnificentissime parata fuerunt omnia, quæ ad Solemnia dictæ Beatificationis in prædicta Basilica necessaria visa sunt; ac præsertim, quoad ornatum Basilicæ, infixa in extrinseca Templi facie super media, majorique ex quinque foribus depicta Servæ Dei ad Cælum evolantis effigies, superposita duobus hinc inde Cycnis, unaque Stella ex cæruleo, argenteoque mixtis coloribus, & quodam Epigrammate, illique submissa eorumdem Sanctiss. D. N. Papæ, Catholici Regis, dictæque Civitatis Limæ simul, & Ordinis Dominicani Insignia, parietes dein Porticus induti Aulæis varie intersutis, & pluribus in plures, & diversas formas refertis, seu eis additis auro liuitis Picturis, Hieroglyphicis, Epigrammatibus compendiatis dictis, & salibus Servæ Virtutes, & Acta subtiliter, & eleganter exprimentibus; atque hinc maximum, & augustissimum Templum undique convestitum villosis, & Damascenis purpurei coloris holosericis, corrigiis aureis per spatia corrigatis, a majori corona ad imum per pilas, & parietes pariter, citra magnos fornices, & hemisphærium, interpositis peristromatibus auro, sericoque mire elaboratis; encarpaque, vulgo festones, panniculis sericis bicoloribus conflata semicirculo duplici arcubus aversa, interpendulis ex eadem materia inversis adinstar volemarum furculis, in singularum Capellarum, & fornicum fronte; ac eorumdem Sanctissimi D. N. Papæ, Catholici Regis, & Reginæ Matris colorata in telas Simulacra in intrinseca supra portas facie percommode appensa; ac prope supremam Templi partem attalicis super indumentis quatuor a lateribus suspensæ pictæ Tabulæ quasdam a Deo per Servam suam receptas gratias referentes; & in extrema apside, quæ pretiosam, atque mirificam Divi Petri continet Cathedram, & satis amplum explicat Theatrum, decenter aptata alia picta Tabula cum Imagine ejusdem Servæ Dei supra nubes elatæ, Puerum Jesum in ulnas tenerrime gestantis, ac supra se binos Angelos ipsam quasi rosea corona redimientes, & infra plures utrimque Indos eam adorantes habentis; & ad ipsius Tabulæ pedes collocatum ejusdem Servæ

(a) In Basilica Principis Apostolorum.

væ Dei dormientis, & Angeli in gratantem oris contemplationem molli elevatione extremitatis, scilicet veli a fronte, ac manicatæ tunicæ prope manus vertebram, eam leniter excitantis marmoreum Simulacrum super Altari, Cruce, & Candelabris argenteis, aliisque paramentis ex Ecclesiæ cultu luculenter ornato; ac in eodem Theatro prope, & ab utroque Altaris latere compositæ Sedilia, a dextera scilicet pro Eminentissimis, & Reverendissimis DD. S. R. E. Cardinalibus eidem Sacrorum Rituum Congregationi Præpositis, ac Illustrissimis, & Reverendissimis DD. ejusdem Sac. Congregationis Prælatis, & Consultoribus, & a læva pro Eminentissimo, & Reverendissimo D. Cardinali dictæ Basilicæ Archipresbytero, ac Illustrissimis, & Reverendissimis DD. ejus Vicario, Basilicæ prædictæ Canonicis, & Adm. Rev. P. Magistro Fr. Petro Maria Passerino supradicti Ordinis Generali, ac prænominato Fr. Antonio Gonzalez dictæ causæ Procuratoribus, aliique tres hinc pariter inde demissorum Subselliorum ordines pro reliquo ejusdem Basilicæ Clero; elevataque ad Subselliorum dorsum duo pro Principibus, & Magnatibus, alterum scilicet virilis, & alterum muliebris sexus, ad prospectum Tabulata, Theatro ipsi imminentia, attalicis quoque fimbriatis operta; quatuor desuper æquo spatio dispertitis ex ligno sculptis, ac per scuta coloribus distinctis, levique argento circumdatis eorumdem Sanctissimi Domini Nostri Papæ, Regis Catholici, Civitatis Limæ, & Ordinis Dominicani Stemmatibus; ac per singula fulcra infixis argento item coopertis Angelorum statueolis; & quamplurimi Cerei, & Candelæ in Confessione Sanctorum Apostolorum Petri, & Pauli, seu insigni loco, in quo Reliquiæ illorum asservantur, & Ara maxima, dictumque circa Theatrum super argenteis, & per singula Basilicæ Altaria super æneis candelabris impositæ; pluraque etiam thuriferaria, & florum vasa suaviter olentia certis in locis accommodata; strataque villosis tapetibus area; & sex Musicorum Chori cum organis, tubis, aliisque musicalibus instrumentis non longe a Theatro dispositi; & ipsum quidem Theatrum ligneis repagulis, custodiaque Militum Helvetiorum ex Cohorte Pontificia ad arcendum supervenientis turbæ impetum munitum; paratæque simul extra Basilicam in Amplissimi Amphitheatri circo Peditum Sclopetariorum phalanges, atque illic etiam, & in certis, ut postea cognitum est, aliis Urbis locis ænea tormenta, ignivomæ pilæ, tubæ, tympani, atque campanæ; atque in locis solitis affixum Edictum per Eminentiss. & Reverendiss. D. Cardinalem ejusdem Sanctiss. D. N. Papæ Generalem Vicarium emanatum super Indulgentia plenaria, & remissione peccatorum per eumdem Sanctissimum concessa confessis, & sacra Communione refectis dictæ Beatificationis Solemniis intereſſentibus, seu prædictam Basilicam eo die devote visitantibus: Ego ejusdem Sacrorum Rituum Congregationis Notarius, Cancellarius, & Archivista infrascriptus advocatus ad adnotandum ejusdem Beatificationis Solemnia, & prope paratum in Theatro suggestum collocatus insedens, præmissis omnibus, & singulis adnotatis, alia quoque inferius describenda adnotavi, videlicet: Accensis, & undique collucentibus ante dictis Cereis & Candelis, dictisque Militibus Helvetiis Theatrum ab anteriori sepientibus, confluenteque, & extra Theatrum stante innumera populi multitudine, multisque utriusque sexus Principibus Tabulata occupantibus, ac pluribus etiam Rom. Cur. Prælatis in corona dictorum Militum permanentibus, advenere primum in Theatrum Eminentissimi, & Reverendissimi DD. Cardinales, ex dictæ Sacrorum Rituum Congregationi Præpositis, Ginettus præfectus, Brancaccius, Sforza, de Ilcio, Rospillosus, Gualterius, Azzolinus, Celsus, Medices, ac Sigismundus Chisius, & Illustrissimi & Reverendissimi DD. Roccius electus Damascenus Sacri Palatii Apostolici Præfectus, de Aquino Protontarius Apostolicus ad Acta ejusdem Sacræ Congregationis deputatus, Libellus ex eodem Ordine Dominicano ejusdem Palatii Apostolici Magister, Casanate Sacræ Congregationis Sanctiss. Inquisit. Assessor, Albergatus, & Bevilacqua Sacr. Rom. Rotæ, & causarum Palatii Apostolici Auditores, de Rubeis Sanctæ Fidei Promotor, & Casalius ejusdem Sacrorum Rituum Congregationis Secretarius, necnon plures diversorum Ordinum Sacræ Theologiæ Doctores prædictæ Sacræ Congregationis Consultores, scilicet Esparza Societatis Jesu, Tartalea Ordinis Carmelitarum Discalceatorum, Bona Ordinis Cistercienſis, Leo Ordinis Carmelitarum, Lauria Ordinis Minorum Conventualium S. Franſciſci, & Galicius Ordinis Clericorum Regularium S. Pauli; quibus per parata Subsellia consedentibus, supervenerunt a Sacrario, præcedente Cruce, & Acolytis, processionaliter Clerus totus dictæ Basilicæ, & suis locis Illustriss. & Reverendiss. DD. Canonici Rochetto, & Superpelliceo contecti, cum Illustriss. & Reverendiss. Domino olim Episcopo Vasionenſi Eminentiss. D. Cardinalis Archipresbyteri dictæ Basilicæ Vicario: &, post factam adorationem ad Altare Sanctissimi Sacramenti, ante quod appensæ videbantur sex Lampades argenteæ effigie, & inscriptione Nominis, Nativitatis, Mortis, & Beatificationis Servæ Dei affabre cælatæ, certasque ad Confessionem, & Altare SS. Apostolorum emissas preces, Illustriss. & Reverend. D. Phœbeus Archiepiscopus Tarsenſis, Archihospitalis S. Spiritus in Saxia Præceptor, Sanctiss. D. N. Papæ Prælatus domesticus, & Ceremoniarum Præfectus, ejusdem Sacræ Rituum Congregationis Consultor, & prædictæ Basilicæ Canonicus Pluviali albo pretioso indutus cum Mitra Solemnia celebraturus inter duos Concanonicos cum Dalmaticis, subsequente Eminentiss. & Reverendiss. D. Cardinali Carolo Barberino ejusdem Basilicæ Archipresbytero. Hisque pariter una cum prænominatis Ordinis Dominicani Generali, & dictæ causæ Procuratoribus, post similiter factam ad Crucem existentem in Altari Cathedræ, in quo & dictæ Servæ Dei Imago, & Simulacrum aderant, genuum, & capitis inclinationem, loca sua, dicto vero Illustriss. D. Archiepiscopo celebraturo paratum ad sinistram Faldistorium tenentibus, ac duobus illico Basilicæ, & Capituli præfatorum Ceremoniarum Magistris ad nutum prædictorum Eminentissimorum DD. Cardinalium conducentibus, dictus Illustriss. D. Casalius e suo se loco removens accessit ad standum a latere Eminentissimi D. Cardinalis Ginetti Præfecti; & uno, eodemque tempore coram, & ante eum, aliosque prænominatos DD. Cardinales dictæ Sacræ Congregationis constiterunt supradicti Generalis Ordinis, & particularis causæ Procuratores: habentesque præ manibus Breve, seu Litteras prædictas Apostolicas Sanctiss. D. N. Papæ Clementis IX. in forma Brevis, ut præfertur, expeditas super Indulto denominationis dictæ Servæ Dei in Beatam, concessionisque venerationis, & cultus, & aliorum prænarratorum, illudque, seu illas eidem Sacræ Congregationi reverenter præsentantes, ipso Patre Procuratore Generali perorante, institerunt, seu idem P. Procurator Generalis institit in sequentem sententiam; videlicet: In hac Sacrorum Rituum Congregatione visis meritis V. Servæ Dei Rosæ de S. Maria Tertii Ordinis S. Dominici, Limæ in Regno Peruano Indiarum Occidentalium ortæ simul, & mortuæ, constitoque de ejus Sanctitate Vitæ, Virtutibus Theologalibus, & Cardinalibus, pluribusque miraculis, quæ Deus Omnipotens ad ejus post mortem interceſſionem operatus fuit, eadem Sacra Congregatio decrevit, quandocumque Sanctissimo placuerit, tuto deveniri posse ad ejusdem Servæ Dei Canonizationem; & interim indulgeri, ut Beatæ nomine nuncupetur, ac in certis die, & locis de ea, tanquam Virgine non Martyre, Missam celebrari, & Officium recitari posse. Continuo autem, Catholico Rege Carolo II. ac Regina Marianna ejus Matre, dictoque Ordine S. Dominici humiliter, & enixe supplicantibus, Sanctiss. D. N. Papa Clemens IX. pro sua benignitate per Breve datum die 12. Februarii præsentis anni 1668. concessit, ut ipsa Beatæ nomine nuncupari, colique, & venerari possit; facultatemque de ea Missam, & Officium sub duplici ritu de Virgine non Martyre, Solemniaque Beatificationis in expressis in dicto Brevi, seu Litteris Apostolicis die, temporibus, & locis celebrandi, & recitandi, & in hac præsertim Basilica ipsa Solemnia peragendi, atque alias, prout in dictis Litteris, impertitus fuit. Quæ ut exequutioni debitæ demandentur, ac de eis penes omnes Fideles constet indubie, Ego, tanquam dicti Ordinis Generalis Procurator, una cum Pat. Magistro Fr. Antonio Gonzalez causæ dictæ Beatificationis, & Canonizationis Procuratore hic præsente, humili supplicatione ab eadem Sacra Eminentiarum Vestrarum Congregatione instanter peto, dictum Breve, seu Litteras Apostolicas, quas originaliter exhibeo, recipi, & admitti, & in dicta primum Basilica publicari; & juxta illius, seu illarum præscriptum, & formam, ac Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Ritum Solemnia publicationis, & Beatificationis hujusmodi celebrari; aliaque omnia, & singula desuper necessaria, & opportuna ex dispositione Brevis, & Litterarum prædictarum exequi mandari ad majorem Dei, & Servæ suæ gloriam omni meliori modo &c. Dictique tunc Eminentissimi DD. Sacrorum Rituum Congregationis Cardi-

Cardinales recepta pro ipsa Congregatione ab eodem Eminentiſ. Præfecto Litteras prædictas Apoſtolicas, illaſque viſas integras, illæſas, intactas, nulliuſque vitii ſuſpectas, admiſerunt, & publicari, dictaque Solemnia celebrari, & alia deſuper neceſſaria, & opportuna ad earumdem Litterarum formam fieri, & exequi mandarunt: dictiſque Procuratoribus inde cum reverentia, & gratiis recedentibus, & loca ſua repetentibus, illas quidem ad prædictum Eminentiſſimum D. Cardinalem Archipresbyterum e conſpectu aſſidentem deferendas cum relatione præcedentis inſtantiæ Procuratorum, ac ſuæ ipſorum deliberationis, dictus Eminentiſs. Præfectus (aliis conniventibus) conſignavit eidem Illuſtriſs. D. Caſalio Secretario; per quem incontinenti cum relatione delatas idem Eminentiſs. D. Cardinalis Archipresbyter viſas, & ſimili cum reverentia receptas uni ex dictis Cæremoniarum Magiſtris dedit cum mandato, per Manſionarium Archiviſtam dictæ Baſilicæ palam, & publice perlegi faciendi; prout ex illius ad hujus manus perventas, porrecto mihi &c. ibidem aſſiſtenti per ejuſdem cauſæ Procuratorem illarum tranſumpto impreſſo ſigillo dicti Eminentiſſimi D. Cardinalis Præfecti munito, ac ejuſdem Illuſtriſſimi D. Secretarii manu ſubſcripto, meque illud præ manibus tenente, & auſcultante, idem Manſionarius Archiviſta, tanquam filius obedientiæ, conſcenſo ſuggeſtu, de verbo ad verbum alta, & intelligibili voce perlegit, & publicavit, & e ſuggeſtu deſcendens, retento pariter penes ſe ſimili tranſumpto impreſſo, ſigillato, & ſubſcripto, eidem Patri Procuratori adhuc præſenti, & recipienti reſtituit tenoris ſequentis; videlicet:

CLEMENS PAPA IX. Ad perpetuam rei memoriam. SANCTÆ Matris Eccleſiæ, quæ Virgo caſta uni Viro deſponſata eſt Chriſto, glorioſa fœcunditas in omni quidem prole, quam per Dei gratiam quotidie profert, multipliciter gaudet, in Sacris vero Virginibus, quæ ſtudioſa Chariſmatum meliorum æmulatione expertem carnalis contagionis integritatem virtutum floribus exornarunt, ineffabiliter exultat, atque floret. Illarum, quæ, accenſis lampadibus, exierunt obviam Sponſo, & intraverunt cum eo ad nuptias, ſublimem gloriam condignis honoribus in terris celebrari decet, ut, quæ ſequuntur Agnum, quocumque ierit, luctanti cum ſæculi tentationibus, infirmitati noſtræ adjutorii cæleſtis opem atque præſidium a Sponſo jugiter impetrare dignentur. In hanc curam Nos ex debito Paſtoralis officii, quo Catholicæ Eccleſiæ adſtringimur, propenſius incumbentes piis Catholicorum Regum, aliorumquem Chriſti Fidelium votis, quibus Ancillarum Dei in Cælis regnantium veneratio in terris promovetur, libenter annuimus; ſicut matura deliberatione adhibita, ad Omnipotentis Dei gloriam, Eccleſiæ honorem, Chriſtianæ Religionis robur, ac ſpiritualem Fidelium conſolationem, atque ædificationem ſalubriter in Domino expedire arbitramur. Cum itaque, diligentiſſime diſcuſſis, atque perpenſis per Congregationem Venerabilium Fratrum Noſtrorum S. R. E. Cardinalium Sacris Ritibus Præpoſitorum proceſſibus de Sedis Apoſtolicæ licentia confectis ſuper vitæ ſanctitate, & virtutibus in gradu heroico, quibus Serva Dei ROSA de Sancta Maria Virgo Limana Tertii Ordinis S. Dominici multipliciter claruiſſe, necnon miraculis, quæ ad ejus interceſſionem a Deo patrata fuiſſe aſſerebantur, Congregatio præfata coram Nobis conſtituta unanimiter cenſuerit, quandocumque Nobis videretur, ad ſolemnem ejuſdem Servæ Dei ROSÆ Canonizationem juxta ritum ejuſdem S. R. E. tuto poſſe deveniri; interim vero indulgeri, ut in toto Orbe terrarum Beata nuncupetur: hinc eſt, quod Nos piis, atque enixis cariſſimi in Chriſto Filii Noſtri Caroli Hiſpaniarum Regis Catholici, ac cariſſimæ in Chriſto Filiæ Noſtræ Mariannæ Reginæ Viduæ ejus Genitricis, & totius Ordinis S. Dominici ſupplicationibus Nobis ſuper hoc humiliter porrectis benigne inclinati, de prædictorum Cardinalium conſilio, & unanimi aſſenſu, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium indulgemus, ut memorata Dei Serva ROSA de Sancta Maria in poſterum BEATÆ nomine nuncupetur; ejuſque Corpus, & Reliquiæ venerationi Fidelium (non tamen in Proceſſionibus circumferenda) exponantur; Imagines quoque radiis, ſeu ſplendoribus exornentur; atque de ea ſub duplici Ritu recitetur Officium, & Miſſa celebretur de Virgine non Martyre ſingulis annis juxta rubricas Breviarii, & Miſſalis Romani die vigeſima ſexta Auguſti, quæ prima eſt non impedita poſt diem vigeſimam quartam ejuſdem menſis, qua ſpiritum Creatori reddidit: hæc vero in locis duntaxat infraſcriptis, nempe in Civitate, & Diœceſi Limenſi, ac univerſo Ordine S. Dominici, tam Fratrum, quam Monialium; &, quantum ad Miſſas attinet, etiam a Sacerdotibus confluentibus. Præterea, primo duntaxat anno a datis hiſce Litteris, & quoad Indias, a die, quo eædem præſentes Litteræ illuc pervenerint, inchoando, in Eccleſiis Civitatis, & Diœceſis, ac Ordinis Prædicatorum, necnon in omnibus Cathedralibus, & Metropolitanis Hiſpaniarum, & Indiarum Solemnia Beatificationis ejuſdem cum Officio, & Miſſa ſub ritu duplici majori die ab Ordinariis conſtituta, & intra ſex menſes promulganda celebrandi facimus facultatem. Romæ vero in Eccleſia S. Jacobi Nationis Hiſpanorum intra bimeſtre, poſtquam tamen in Baſilica Principis Apoſtolorum celebrata fuerint, eadem Solemnia pariter celebrari permittimus. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, ac Decretis ſuper non Cultu editis, ceteriſque contrariis quibuſcumque. Volumus autem, ut earumdem præſentium Litterarum tranſumptis, ſeu exemplis, etiam impreſſis, manu Secretarii præfatæ Congregationis Cardinalium ſubſcriptis, & Sigillo Præfecti ejuſdem Congregationis munitis eadem prorſus fides ab omnibus, & ubique, tam in judicio, quam extra illud habeatur, quæ præſentibus ipſis haberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Datum Romæ apud S. Sabinam ſub anulo Piſcatoris die duodecima Februarii 1668. Pontificatus Noſtri anno primo. I. G. Sluſius. Romæ ex Typographia Rev. Cameræ Apoſtolicæ 1668. Bernardinus Caſalius Sac. Rituum Congregationis Secretarius. Loco ✠ Sigilli dicti Eminentiſſimi D. Cardinalis Præfecti.

Qua lectione abſoluta, Illuſtriſs. D. Archiepiſcopus celebrans e Faldiſtorio inter Diaconum, & Subdiaconum medius ſtans, depoſita Mitra, elata voce inchoavit Canticum *Te Deum laudamus*. Reliqua proſequentibus Muſicorum Choris, & in ipſo Cantici initio ſubmotis velis ſericis, quibus tam dictæ in Altari Servæ Dei Imago, & Simulacrum, quam aliæ quatuor in Baſilica, & reliquæ ſuper media ex foribus exiſtentes Imagines obductæ fuerant, idem Celebrans, & Miniſtri illi aſſiſtentes, Eminentiſſimi DD. Cardinales, ac Prælati, & Conſultores dictæ Sacræ Congregationis ſupra memorati, Eminentiſſimus D. Cardinalis Archipresbyter cum illius Vicario, necnon Canonici omnes, & cunctus Clerus, ceterique ibidem præſentes Principes, & Magnates, & reliqua univerſi Populi multitudo in genua procidentes Imagines ipſas devotiſſime venerati ſunt; & in ſignum lætitiæ auditus eſt ingens Organorum, & aliorum Muſicalium inſtrumentorum concentus, Tormentorum æneorum, Pilarum, & Scloperorum boatus, Tubarum clangor, Tympanorum pulſus, & Campanarum ſonitus: finitoque dicto (*Te Deum laudamus*) Cantico, ac per Diaconum Evangelii prolato Verſiculo, *Ora pro nobis*, BEATA ROSA, habitaque Chori reſponſione, *Ut digni efficiamur promiſſionibus Chriſti*, necnon per ipſum Illuſtriſſimum Dominum Celebrantem recitata Oratione propria de dicta Beata, & illius Imagine, ac Simulacro thurificatis, idem Illuſtriſſimus Dominus Celebrans cum Aſſiſtentibus Pontificalibus ad Sacrificium indutus Miſſam de Virgine non Martyre ſolemniter celebravit; egregiis, ac primæ claſſis percantantibus Cantoribus, ac perſonantibus Organis, & univerſæ fere Muſices inſtrumentis: certis interim in ſpatiis dicto cauſæ Procuratore Imaginem Beatæ in ſerico delineatam, & impreſſam, ac aureis virgulis intextis circumdatam, in grandiorem, & augultiorem formam pro ratione perſonarum, una cum dictarum Litterarum Apoſtolicarum tranſumpto impreſſo, ac liberculo compendii in Latinum, compendioloque in Italicum Vitæ dictæ Beatæ prædictis Eminentiſs. DD. Cardinalibus, Prælatis, Canonicis, Conſultoribus, Principibus, & aliis de dicto Clero diſtribuente. Atque ita Solemnia Beatificationis dictæ Servæ Dei ROSÆ *de S. Maria Tertii Ordinis Sancti Dominici* in Baſilica Principis Apoſtolorum de Urbe manſ dicti diei Dominici celebrata ſunt. Ad Vaticanum in Civitate Leonina, quæ Regio Burgi dicitur, præſentibus, videntibus, audientibus, & intelligentibus Perilluſtri ac Rever. D. Dominico Capello Sacerdote Aſculan. Diœceſis Protonotario Apoſtolicus & Illuſtriſſimo D. Dominico de Homine Abbatiæ Farfen. nullius Diœceſis, Teſtibus ad præmiſſa ſpecialiter habitis.

In Veſperis autem ejuſdem diei Dominici prælibatus Sanctiſſimus Dominus Noſter Papa Clemens IX. multis præcedentibus Nobilibus, Magnatibus, Dynaſtis, Principibus, ac Sanctitatis Suæ ſecundum carnem Conjunctis, & Familiaribus, pluribuſque Eminentiſs. & Reverendiſs. DD. S. R. E. Cardinalibus, atque Prælatis cum eorum Aulicis, ac Stipatoribus Helvetiis ex ipſorum Ductoris juſſu de more per latera procedentibus, & adſtantibus, Templumque maximum complente innumera Po-

puli multitudine, perſonaliter acceſſit ad dictam Baſilicam Principis Apoſtolorum; ibique, prius adorato Sanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento, ſe contulit ad citatum in antecedenti Inſtrumento Altare Cathedræ, & in Genicolario ante illud pro Sanctitatis Suæ majeſtate decenter accommodato genuflexus, una cum Eminentiſſimis DD. Cardinalibus, Prælatis, Principibus, & Magnatibus, ceteriſque Sanctitati Suæ inſervientibus in præpoſteram ſemicoronam ſuper genibus ſolo innixis, Deo preces ſumma cum devotione fudit, ac expoſitis in eodem Altari Imagine, marmoreoque Simulacro B. Roſæ de S. Maria e Civitate Limæ in Peruvio Tertii Ordinis S. Dominici ex Indulto Suæ Sanctitatis ejuſdem diei mane in Beatam nuncupatæ Cultum, & Venerationem palam, & publice exhibuit: oblatamque inde Sanctitati Suæ per Reverendiſſimum P. Fr. Joannem Baptiſtam de Marinis dicti Ordinis S. Dominici Generalem Magiſtrum, & Adm. Rev. P. Mag. Fr. Antonium Gonzalez cauſæ Beatificationis, & Canonizationis dictæ B. Roſæ Procuratorem in genua pro gratiarum actione Imaginem ejuſdem Beatæ pretioſo, multiformique lapide circumfultam lætanter excepit, ac ſui oris oſculo devote confovit; oblatoſque etiam in pluribus pollubris argenteis acervos Imaginum pariter ejuſdem Beatæ in ſerico diverſorum colorum delineatarum, aureiſque ligulis pro laciniis concluſarum, majoris, & minoris moduli, impreſſorumque Brevis Apoſtolici ſuper Beatificatione, & liberculorum compendii vitæ ejuſdem Beatæ, florumque etiam, & florum faſciculorum, hilari, gratoque vultu, a ſuis Familiaribus accipi, & ad ſui votum diſtribuendos conſervari, mandare dignatus fuit. Aſſiſtentes vero Eminentiſſimi Domini Cardinales, Prælati, Principes, Dynaſtæ, Magnates, Sanctitatis Suæ Familiares omnes, multique Aulici, & poſt Sanctitatis Suæ receſſum, alii pariter Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales, Oratores Cæſareus, ac Regis Galliæ, Reipublicæ Venetæ, Sereniſſimi Ducis Etruriæ, aliique Civitatum Oratores, Principes, & Magnates utriuſque ſexus, qui ad eamdem Baſilicam eo die numeroſe confluxerunt, ex aliis congrue exornatis, & impreſſis Imaginibus, Apoſtolicis Brevibus, liberculis, & floribus illis præ lætitia diſtributis, alias, alia, & alios multa cum devotione per totum diei reliquum receperunt. Et, ut ad me fama retulit, in ejuſdem diei nocte ad Eccleſiam SS. Jacobi, & Ildephonſi Nationis Hiſpanorum, S. Mariæ ſuper Minervam, aliaque Monaſteria tam Fratrum, quam Monialium ſupradicti Ordinis S. Dominici, ac ad Excellentiſſimi Catholici Regis Oratoris Palatium, Plateamque Hiſpaniæ nuncupatam feſti ignes ardere, luminaria collucere, igniti radii convolare, ac pulveriariæ pilæ obſtrepere viſæ, & auditæ ſunt; ita ut univerſalis in Urbe pro dicta Beatificatione crederetur lætitia. Super quibus &c.

Eiſdem Anno, Indictione, & Pontificatu, quibus ſupra, die vero Dominico 13. menſis Maji, (a) Ego Sac. Rit. Congregat. Not. Cancellarius, & Archiviſta infraſcriptus, qui ad requiſitionem Adm. Rev. P. Magiſt. Fr. Antonii Gonzalez Sacerdotis Profeſſi Ordinis S. Dominici Provinciæ Peruanæ Deffinitoris, & Socii Reverendiſs. Patris Fr. Joannis Baptiſtæ de Marinis ejuſdem Ordinis Generalis Magiſtri, ac Procuratoris cauſæ Beatificationis, & Canonizationis B. ROSÆ de S. Maria Tertii ejuſdem Ordinis e Civitate Lima Regni Peruani in America Metropoli ſub die decima quinta Aprilis proxime præteriti ex præſcripto Apoſtolico ſel. rec. Papæ Alexandri VII. in S. R. E. ritum deducto adnotavi Solemnia Beatificationis ejuſdem Beatæ in Baſilica Principis Apoſtolorum de Urbe primum peracta, requiſitus iterum, ut Solemnia quoque hujuſmodi in Eccleſia S. Mariæ ſuper Minervam ejuſdem Ordinis ſecundo loco, ac primo mane ex diebus octo pro illis in ea deſtinatis pariter celebranda adnotarem; accedens ad dictam Eccleſiam, quæ magnificam refert Baſilicam olim Deæ Minervæ impia ſuperſtitione dicatam, & deinceps inter redempti generis humani ſæcula, Omnipotentis Dei beneficio, B. Mariæ ſemper Virgini catholico ritu ſacratam, & conſiſtens in dictæ Eccleſiæ Platea, quæ tunc multo Curruum, & Populi cœtu referta erat, quadratam in formam inſignita Obeliſco Ægyptiis notis exſculpto marmorei Elephanti dorſo ſuſtentato, propriis oculis vidi domorum ſingularum parietes Aulæis undequaque contectos, & ex diverſis coloribus Pallia in feneſtrarum Liminibus expanſa, parataque etiam tunc perlucido die, licet mortua, pro nocturnis tenebris luminaria, & a dextera ejuſdem Plateæ, ſi contra Eccleſiæ faciem iveris, magnum excitatum Altare candelabris majoribus, & minoribus, ac florum vaſis, & ſimulacris argenteis inſtar acuminati montis multipliciter exornatum, & candelis ardentibus elucens cum Cruce, & Crucifixo Domino noſtro Jeſu Chriſto pariter argenteis, ac delubro ejuſdem Beatæ nonnullis ſuper nubeculis in cacumine ſtantis, & Cælum intuentis habitu dicti Dominicani Ordinis induto, atque altius umbella ſerica cooperto: & mox converſus ad extrinſecam Templi faciem, quæ integram lambit Plateæ latitudinem, inſpexi medio in ſupercilio ejudem Beatæ ad Cælum aſcendentis in ovatam circulationem depictam Imaginem; & ab eodem ſupercilio totam faciem ſericis diſcoloribus, æquo tamen ordine ad mediam, & exinde, atque a lateribus uſque ad exteriorem graduum arcolam Aulæis pariter obductam; ac prædictis ſuper ſericis, & Aulæis diſpoſitas quatuor grandiores pictas Tabulas, & alia permulta pennicillo, & pigmentis expreſſa, argentoque, & auro perunctа ejuſdem Beatæ Geſtu, necnon Stemmata, Emblemata, Elogia; & Encomia in eamdem Beatam, & in prælibatum Sanctiſſ. D. N. Papam Clementem IX. Catholicum Hiſpaniarum Regem, Eminentiſſimos, & Reverendiſſ. DD. S. R. E. Cardinales, Ordinis Dominicani Protectorem, & Eccleſiæ prædictæ Titularem, Excellentiſſimumque ejuſdem Regis Catholici apud Sanctiſſimum Oratorem, necnon Senatum, Populumque Romanum: & ipſum Ordinem, Regnumque Peruanum, ac denique in quartam partem Orbis Americam medium faciei locum, in muliebrem formam coloratam cum aliis quibuſdam ſibi in genua ancillantibus occupantem exarata: viſui quidem, & ingenio meo jucundiſſima. Quibus paſtus, mediam ex tribus foribus Eccleſiæ ejuſdem attingens, primo, ac longo intuitu Ara majori noviter extructa, multiſque luminibus emicante oculorum acie pertacta, mediam quoque luculentiorem ex tribus, aliaſque duas a lateribus longiſſimi, latique admodum Templi naves, ſeu ſtationes perluſtrans Templum totum pulcherrime, & graviter a ſummo ad imum adornatum conſpexi; Damaſcenis ſcilicet rubei coloris holoſericis, aureis lineis inſtriatis, muros, & arcus expanſe: fericis vero purpureis villoſis, & attalicis croceis pilas, & ſummum odeum obſtruentibus, cum aureis quoque in coronam circa ſummitatem pendentibus laciniis: &, ne (ut credo) ex uniformi, & longa conſtructionis ſpecie ſatiaretur, ſed hilari varietate recrearetur, & remoraretur intuitus, vidi pariter ſuper eiſdem plura interpolato quodam ordine diſtributa peripetaſmata, ſacras & alicubi fere latenter profanas Hiſtorias referentia; & per ipſa media, majoremque navem ſpatiis intercalaribus, totidem culcitras opere Phrygio ex auro, atque ſerico elevato contextas; Beatorum, & Sanctorum Dominici Ordinis a cingulo ſurſum effictas Imagines in ipſarum centro concludentes. Cumque ulterius procedere vellem, a dextera mihi ſe obtulit concamerata Capella pro dicta Beata eadem in Eccleſia ſelecta, ferreis cancellis ab anteriori præſepta, ac egregie intus, & foris in altera ejuſdem Eccleſiæ navi tentorio duplici levium crocei, & purpurei coloris ſericorum fornicata, & inde venuſte confutis periſtromatibus, ac florulentis aureis ſerico commixtis, & contraſciſſis ex raſo ſericis apparata, cum eademmet figura, in qua primum venerationis Cultum eadem Beata in Baſilica Principis Apoſtolorum obtinuit, ſuperimmiſſa Altari Cruce, & Candelabris ex argento, atque Pluteolo ex lapidibus pretioſis perdecenter compoſito: ante quod Cruce, & Imagine conſaluratis, in averſa intrinſecus Eccleſiæ facie, mediaque ſuper majorem portam navi vidi etiam tres affixas pictas Tabulas coronis ligneis auro nitentibus circumvallatas cum ejuſdem Sanctiſſimi Domini Noſtri Papæ, & Catholicorum Pueri adhuc, & Viduæ Matris Regum Iconibus: & inde, laborioſe per ſtipatam multitudinem progrediendo, ſolitum ad conciones Suggeſtum, & octo utrinque per intervalla diſpoſita ad cantica, & modulationes Tabulata conveſtita aliis holoſericis Damaſcenis, culcitriſque materia e ſimili, cyanei tamen coloris pariter phrygiatis, cum aliis Beatorum, & Sanctorum Dominicani Ordinis a medio ſurſum effictis Imaginibus; atque e fornicibus mediæ, & alterius tranſverſæ ſuperioris navis ſuſpenſa quinque pendula ex ligno contexta, atque contorta, æneoque colore perfuſa Candelabra cum plurium accenſarum Candelarum, quaſi palmitum e ceſpitibus erumpentium, mani-

(a) In Eccleſia S. Mariæ ſuper Minervam.

manipulis; eosdemque fornices per totam prædictarum majoris, & alterius transversæ navis longitudinem concinnatos percrebris quadripartitis encarpis ex bombycino bicolori consertis, eorum quidem, & ipsorum fornicum semicirculis orbes totidem efformantibus, & e præsignatis finibus in suspensas pyramidulas terminantibus: ita ut oculi in tam splendidum, & multiformem apparatum occupati singula alia Ecclesiæ Altaria prædiviti, & elegan-ti supellectili, ac in unoquoque collucentibus Candelis instructa fere prætermiserint, aut non nisi obiter attigerint. Sed, cum propter confertam, & oblectantem turbam ulterius prosequi nequirem, vix retrogradus ad alteram ex foribus reversus, & ex proxima Conventuali Porta perductus a Sacrista ad locum Chori ea occasione ab anterioribus tabularum sepibus explicati, qui subpositis gradibus reliquæ imminet Ecclesiæ, excultiora quidem, & ditiora, ne dicam excultissima, & ditissima vidi. Nam, eodem toto Choro, atque Chori fornice convelato consarcinatis holosericis pariter Damascenis aureis sulculis rastratis, & infra attalicis, & villosis (ut præmissum est (sericis, & Phrygio etiam opere, & lacinis dupliciter circumvinctis, soloque operto tapetiorum stragulis, ac ex eodem fornice pendulo alio descriptis consimili Candelarum cespitio in sequentibus Solemnium diebus paulo infra in transversa navi, ut mihi assertum fuit, transferendo, erant in eadem transversa, scilicet ad dexteram, Capella Divo Dominico dicata cum Altare argenteis similiter Cruce, Candelabris, Sanctorum Semiconibus, & Pallio, aliisque ornamentis ubertim expolito; & ad sinistram ante Capellam D. Thomæ de Aquino ad id in inferiori parte, facili tamen cum aditu, conclusam duo Xisti, seu Ligella duo etiam pro quolibet stationes habentia, a se tamen separata, ad Principes mares segregatim a fœminis, & e contra, excipiendos angulatim constructa, ac holosericis pariter Damascenis, & aliis levioribus conopeata, vittisque similiter Phrygiis circumsepta, ac plura illis in pavimento subpositis pro aliis Proceribus scamna. Medius vero ante novum Altare locus quadrangulatus Militibus Helvetiis Pontificiis in locis opportunis præmunitus, ac villosis etiam tapetibus stratus continebat subsellia a duobus, & fere toto tertio lateribus e serico pariter purpureo, & in eo medio genicularium, ac bina pulvinaria purpureo etiam serico, villoso tamen, contecta pro Eminentissimis DD. Cardinalibus parata: & huic denique superstans Portæ majori per diametrum oppositum surgebat Theatrale semiperistylium unius ordinis rotundarum, ex ligno quidem, sed adeo artificiose connexarum, & compictarum, ut ab ea, quam effingebant, pretiosi lapidis materia nequaquam extraneæ viderentur; exceptis rimulis a medio ad epistylia, & inde vermiculationibus in diversas formas ad bases usque ex argento perlimitis, ipsisque etiam exceptis epistyliis, quæ ex argento pariter, seu argentatis laminulis stanneis in rosas, & lilia distributis circumquaque coronata videbantur, cum encarpuis consimilibus columnis hinc, & inde adhærentibus, cumque unica semizona pariformiter collineata, & absoluris numeris corrimata columnas ipsas consulciente pro semiperistylii termino simul, & basi; in qua recta a columnarum capitibus collocatæ stabant ex materia in colorem marmoreum redacta sex integræ dicti Ordinis Dominicani Sanctarum Mulierum Statuæ redimitæ sertis fictarum e serico rosarum albarum, & Milesiarum, quasi plaudentes, ac Beatæ a cingulo sursum in medio earum ad prospectum inter serica depictæ triumphum condecorantes: & in dicto semiperistylii centro aderat Ara major, seu majus Altare sumptuose non minus, quam splendide constructum; & in tapetiato pavimento ante dictum Altare dispositæ septem magnæ argenteæ Conchæ plenæ rosis, aliisque diversicoloribus bene redolentibus floribus in varias, ac præsertim Fontium, & Pyramidum, formas comportatis. Cumque gradatim ascenderet oculus, exultabat in, & circa dictum Altare permicans multa Candelabrorum, & Funalium argenteorum, ac una pretiosiori crystallinorum cohorte, numerosaque Candelarum, & Cereorum collucentium serie tam in ipso Altari, quam a lateribus perapte distributa, & in ipsis quoque circumcirca columnis, ac semiperistylii zona inter bicolores e serico fictas rosas circulatim infixa; & in Pallio quidem ex operosa, ac perlucida variarum gemmarum congerie, auratoque argento artificiose elaborato, ut ita dicam, cæcutiebat: nam ex pretiosioribus nullus fere deerat, qui operi non famuleretur, atque splendesceret, lapillus; inter quos mirabilior, utpote apud me forsan innotior, erumpebat quatuor in planis columnulis pretiosorum item lapidum perpolita cylindrorum in bo-

tris, & acinis commutatorum compactio; ita ut certo modo, ad discutiendum, dixerim, oculorum ophthalmiam opus esset aciem altius intendere, ac super ipso Altari videre: prout intendens vidi eam marmoream, quæ in Basilica Principis Apostolorum prima Solemnium die exposita fuit, Beatæ dormientis, & Angeli eam excitantis Statuam cum superadditis, velut in marmore pariter effictis, Simulacris B. Mariæ Virginis quasi excitationem demandantis, & Pueri Jesu in illius sinu assidentis, Matrisque mandatis, ac excitaturæ motibus conniventis inter alios Angelos, & nubes pariter effictas marmoreo Angelo excitanti conterminas: & nihil tandem non sumptuosum, non magnificum, non eleganter, & symmetrice dispositum, non admiratione, & commendatione dignum; mihi tamen pro munere neque amplificandum, neque extenuandum, sed veridice tantum, ac pure, & simpliciter exarandum, & nihilominus dubitandum, singula absolvisse, aut describi præsumpta jejune descripsisse, seu quod multiplici varietate præoccupatus, seu quod impar oneri fuerim. Præmissis autem hic, meque cornu tenus Epistolæ stantibus, prævia, ut mihi &c. assertum fuit, de licentia SS. Domini N. Papæ per Sanctitatis Suæ Cursores pro habenda ibidem Capella Cardinalitia de more facta intimatione, supervenerunt in Ecclesia singulatim Eminentissimi, & Reverendissimi DD. Cardinales Brancacius, Ursinus, Sfortia, Odescalchus, Raggius, Homodeus, Ottobonus, Borromæus, Vidonus, Piccolominæus, Ninus, Spinula, Rospilliosus, Maidalchinus, Lanthgravius, Carolus Barberinus, Gualterius, Azzolinus, Franzonius, Celsius, Medices, & Sigismundus Chisius; qui, post adoratum Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum in uno ex Altaribus navis a Choro dexteræ collocatum, ac successive aliquantulum oratum ante supra descriptum Altare majus, assiderunt in paratis Subselliis: statimque, prædictis octo Musicorum Chioris armoniose, & graviter, & aliquando selectis magis canoris vocibus magis etiam suavitee excantantibus, ac musicalibus Instrumentis symphonizantibus, per Illustrissimum, & Reverendissimum Dominum a Cornea ex eodem Ordine Dominicano Episcopum Urbevetanum indutum sacris pretiosis sericis Vestibus ex raso albo aureis lineis intercurrentibus phrygiatis cum multis miro artificio pictis acu rosis, & floribus, Civitatisque Limanæ, & Ordinis Dominicani permixtis non longe a fimbriis Insigniis, prius in Faldistorio aliquantisper immoratum, solemniter celebrata fuit Missa de Virgine non Martyre cum Oratione propria de eadem Beata; assistentibus ei uno cum Pluviali, & aliis duobus cum Dalmaticis e simili consutis Diacono, & Subdiacono, ac Cæremoniarum Magistro, aliisque Clericis ministrantibus: & inter ejusdem Missæ Solemnia post Evangelium per Reverendissimum Paulum Olivam Soc. Jesu Generalem Præpositum Apostolicum, & magni nominis Concionatorem in alio Suggestu a communi sejunctim excitato habita super Vita, Gestis, & miraculis Beatæ excelsa, & candida elocutione contexta Italice Panegyris: in elevatione Sanctissimi Sacramenti pro Solemnium, seu triumphi plausu exoneratis in proximis Plateis numerosis Pilis ferreis pulvere bellico onustis horrisone reboantibus, multisque congemino pulsatis verbere Tympanis elate perstrepentibus, atque cavis inflatis Tubis peracute clangentibus: factaque post Communionem per duos ex Reverendis Patribus dicti Ordinis Dominicani singulis DD. Cardinalibus, & Principibus, atque Magnatibus distributione Imaginis ejusdem Beatæ in serico filis aureis circumligato, necnon in ovatis Sigillis argenteis, ac simul liberculi Vitæ ejusdem Beatæ, Brevisque Pontificii super illius Beatificatione, sericique Concionatorum ad laudes explicandas qualibet die infra Octavam destinatorum in papyro respective impressorum: atque, præter innumeram gentium multitudinem, inter ceteros in Ligellis spectantibus, & audientibus illustriss. & Excellentiss. DD. Catholicæ Majestatis, & Reipublicæ Venetiarum apud Sanctissimum Oratoribus, Camillo Rospilliosio ejusdem Sanctissimi Germano Fratre, illiusque tribus Excellentiss. Filiis, & aliis pluribus utriusque sexus Principibus, atque Magnatibus. Super quibus &c. Actum Romæ ante, & in dicta Ecclesia, præsentibus, videntibus, & intelligentibus Illustribus Dominis Francisco de Corduba Toletanæ Diœcesis, & Joanne de Zenzano Calaguritanæ Diœcesis Testibus ad præmissa vocatis, ac specialiter habitis &c. Post hæc autem requisitus pro adnotatione continuationis dictorum Solemnium audivi, & plerumque etiam vidi in prædicta Ecclesia S. Mariæ super Minervam mo-

do, & forma præmiſſis exornata eadem Solemnia continuata, & reſpective Miſſas de Virgine non Martyre, ac Veſperas cum Oratione propria de dicta Beata ſolemniter celebrata per infraſcriptos Celebrantes, & ſuos Aſſiſtentes indutos Pluvialibus, & Dalmaticis pretioſis opere Phrygio, ſerico, & auro contextis, Clericoſque dicti Ordinis Dominicani Alba, & ex eodem opere ſemicaputiis, atque cruralibus in Alba petiis, ſingulis diebus per Hebdomadam; ardentibus ſemper Candelis iteratis vicibus renovatis in Altaribus, Candelabris, & locis ſupra deſcriptis, Muſicorum Choris percantantibus, & Organis, Lyris, aliiſque Teſtudineatis nervorum Lignis perſonantibus, cum ſtrepitu Pilarum, Tympanorum, & Tubarum ad elevationem Sanctiſſimi Sacramenti in Miſſis, & ad Canticum MAGNIFICAT in Veſperis: ſcilicet eodem die Dominico 13. Maji ad Veſperas per eumdem, qui Miſſam eo mane celebraverat, Illuſtriſſimum, & Reverendiſſimum D. a Cornea Epiſcopum Urbevetanum; die Lunæ 14. per Reverendiſſimum P. Fratrem Jo. Baptiſtam de Marinis ejuſdem Ordinis Generalem Magiſtrum; die Martis 15. per Reverendiſſimum P. F. Hyacinthum Libellum ex eodem Ordine Sacri Palatii Apoſtolici Magiſtrum; die Mercurii 16. per Reverendiſſimum P. Magiſtrum Fratrem Dominicum Mariam Puteobonellum ex eodem Ordine, Sacræ, & Univerſalis Inquiſitionis adverſus hæreticam pravitatem Commiſſarium; die Jovis 17. per Admodum Rev. P. Magiſtrum Fr. Petrum Mariam Paſſerinum ejuſdem Ordinis Generalem Procuratorem; die Veneris 18. per Adm. R. P. Magiſtrum Fr. Leonardum Hanſen Provincialem Angliæ, ac Reverendiſſimi P. Magiſtri Generalis ejuſdem Ordinis a Secretis, & Socium; die Sabbati 19. per Illuſtriſſimum, & Reverendiſſimum D. Bernardinum Caſalium Sac. Rit. Congregationis Secretarium, & Baſilicæ Principis Apoſtolorum de Urbe Canonicum; & denique die Dominico 20. dicti Menſis Maji, in quo cecidit dies Pentecoſtes, per Illuſtriſs., & Reverendiſs. D. Franciſcum Mariam Phœbeum Archiepiſcopum Tarſenſem, Archihoſpitalis Sancti Spiritus in Saxia Præceptorem, Sanctiſſimi D. N. Papæ Prælatum Domeſticum, & Cæremoniarum Præfectum, Sac. Rit. Congregationis Conſultorem, & Baſilicæ ſupradictæ S. Petri de Urbe Canonicum, qui tamen Miſſam de Spiritu Sancto cum Oratione propria de dicta Beata ſolemni ritu celebravit. Et in fine Veſperarum cujuslibet diei ſuper ejuſdem Eccleſiæ Pulpito habitas ſublimes, & vividas in Italicum Orationes rhetoricis, & ſacris numeris conſtantes ſuper vita, virtutibus, miraculis, & laudibus ejuſdem Beatæ Populi mentes, & animos informantes, ac ad devotionem, & exemplum excitantes per egregios, & ex diverſis Ordinibus ſelectos Doctores Populo prænotificatos per impreſſas, & in pluribus Urbis locis affixas notulas; ſcilicet die Lunæ per Illuſtriſſimum, & Reverendiſſimum D. Fr. Thomam de Aquaviva ex eodem Ordine Dominicano Electum Bituntinum; Martis per Admodum Rev. Pat. Fr. Joannem Auguſtinum Tartaleam Ordinis Carmelitarum Diſcalceatorum, Sacrorum Rituum Congregationis Conſultorem, & S. Officii Inquiſitionis Qualificatorem; Mercurii per Admodum Rev. Pat. Fr. Joſephum Euſanium Procuratorem Generalem Ordinis S. Auguſtini; Jovis per Admodum Rev. P. Fr. Ludovicum Garzonium Procuratorem Generalem Ordinis Servorum Beatæ Mariæ; Veneris per Admodum Rev. P. Fr. Martialem Peregrinum Ordinis Minorum Conventualium S. Franciſci, Conſultorem Sacræ Congregationis Indicis, & in Inſigni Gymnaſio Sapientiæ Urbis Lectorem; Sabbati per Admodum Rev. P. D. Blaſium Mariam Landum Congregationis Canonicorum Regularium Lateranenſium; Dominico Pentecoſtes poſt Miſſam per Admodum Rev. P. F. Angelum Nuzzam Ordinis Dominicani, & poſt Veſperas per Adm. Rev. P. Fr. Andream Lao Procuratorem Generalem Ordinis Carmelitarum, Conſultorem Sac. Congregationis Rituum, & S. Officii Inquiſitionis Qualificatorem: Confluente ad quælibet dictarum Miſſarum, Veſperarum, & Orationum Officia, atque etiam continuatis horis ad inviſendum, & ad Altaria præſertim dictæ Beatæ, & majus orandum numeroſa gentium multitudine; & in ipſo quidem die Dominico octavo dictorum Solemnium ante Capellam dictæ Beatæ exiſtentem, ut præmiſſum fuit, in eadem Eccleſia, in qua per Sanctiſſimum D. N. Papam Confeſſis, & Sacra Communione refectis indicta, & conceſſa fuerat Plenaria peccatorum Remiſſio, ſuſcipiente Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum; ut vix numerari, & cum aliis ſimilibus in Urbe a memoria hominum per mihi &c. a pluribus fide dignis factas aſſertiones comparari non poſſit: Et in quolibet dictæ Hebdomadæ ſero ad multam noctem perlucentibus Candelis ad Altare conſtructum in Platea dictæ Eccleſiæ, aliiſque luminibus ad feneſtras circum jacentium domorum, atque funalibus in ipſa Platea, & in ſublimiori loco faciei ejuſdem Eccleſiæ; pluribuſque ardentibus doliis, & convolantibus ignitis per aera radiis, iteratoque, & commixtim horribili ſimul, & hilari ſonitu pariter, ut ſupra, reboantibus Pilis ferreis, ac perſtrepentibus Tubis, & Tympanis. Super quibus &c.

Eiſdem Anno, Indictione, & Pontificatu, quibus ſupra; die autem vigeſima tertia ejuſdem menſis Maji (a). Ad Eccleſiam Sancti Ignatii Societatis Jeſu ut Ego idem Sacrorum Congregationis Rituum Notarius, Cancellarius, & Archiviſta accederem, monitus majori ſuper Porta adeſſe vidi magnam Tabulam coloribus depictam cum ejuſdem Beatæ a ſolo ſupra nubes elatæ, & ore ad Vultus lateris Domini Noſtri Jeſu Chriſti adhærentis, & quorumdam aſſiſtentium Angelorum Imaginibus; prædictamque Eccleſiam Bombycino rubeo per ſpatia apparatam, & in Altari majori conſimilem, diverſæ tamen formæ, & alterius, ut apparebat, Artificis manus, expoſitam Tabulam, dictumque Altare coornatum Candelabris cum accenſis ex cera alba Candelis, pluribuſque eximii operis, & pretii Semiconibus argenteis, ac efficiorum florum vaſis in ſymmetricum, gravem, & venuſtum ordinem compoſitis, & in ipſius Eccleſiæ majori navi fere per totam multas pretioſas, & inferioris generis ſellas, ligneaque ſedilia pro Auditoribus diſpoſita; ac a dextera, in puncto ſcilicet, ut videbatur, medio accommodatum Suggeſtulum conopeatum; & hinc inde, mutuo conſpectu ad pilarum baſes, quatuor pro modulationibus Choros holoſericis pariter villoſis, & Damaſcenis conveſtitos. Quibus a me &c. perluſtratis, Eminentiſs. & Reverendiſs. D. Martius Epiſcopus Portuenſis S. R. E. Cardinalis Ginettus Sanctiſſimi D. N. Papæ Generalis Vicarius, Sacræ Rituum Congregationis Præfectus, & Romani Puerorum Seminarii Protector, ac Illuſtriſs. & Reverendiſs. D. Abbas Felix, & Illuſtriſs. & Excellentiſs. D. Thomas Fratres de Roſpilioſiis Sanctiſſimi D. N. Papæ Nepotes, nonnulli S. R. E. Prælati, pluresque diverſorum Ordinum Religioſi, ac permulti diverſæ conditionis, & qualitatis Viri ſedilia occuparunt, & reſpective ſteterunt: atque illico, ſacro quodam Hymno per Muſicorum Choros ad Organa, & alia Inſtrumenta muſicalia percantato, unus in ſolutum, ac ſecundus ejuſdem Seminarii Alumni, qui Convictores nuncupantur, ac tertius Collegii Romani ejuſdem Societatis Scholares imberbes talaribus veſtibus induti, & biretto ex tempore contecti in vinctum, qui pedibus adſtrictus, ſeu in Verſibus compoſitus dicitur, ſermonem Latinum, interpolatis eorumdem Muſicorum cantionibus, in duabus, & ultra horis, miras de Beata laudes gratis vocibus, & geſtaminibus exararunt. Super quibus &c.

Eiſdem Anno, Indictione, & Pontificatu, quibus ſupra; die vero Dominico decima menſis Junii (b). Cum Ven. Eccleſia SS. Jacobi, & Ildephonſi Nationis Hiſpanorum de Urbe, in qua per Sanctiſs. D. N. Papam Clementem IX. indultum fuerat, ut Solemnia Beatificationis Servæ Dei Roſæ de S. Maria Tertii Ordinis S. Dominici e Civitate Limæ Regni Peruani intra bimeſtre, poſtquam in Baſilica Principis Apoſtolorum de Urbe celebrata fuiſſent, etiam celebrari poſſent, per Literas Apoſtolicas die 12. Februarii proxime præteriti ſub anulo Piſcatoris apud S. Sabinam datas, & regiſtratas in Inſtrumento deſcriptionis eorumdem Solemnium ſub die 15. Aprilis pariter proxime præteriti per me &c. recepto, ad quod &c. ſive Illuſtriſſimus, & Reverendiſſimus Dominus Joannes Antonius de Ottallora Sac. Romanæ Rotæ, & cauſarum Palatii Apoſtolici Auditor, ejuſdem Eccleſiæ Gubernator, & Perilluſtris D. Firminius de Balanza Adminiſtrator vice, & nomine dictæ eorum Nationis in dicta Beatificatione exultantes, & effectu gratiæ, & Indulti prædictorum congaudere cupientes die, de qua ſupra, pro celebratione Solemnium in dicta eorum Eccleſia deſignata adornari fecerint duas, quas habet dicta Eccleſia, facies, alteram ſcilicet conſpectum inſignis Gymnaſii Sapientiæ, & alteram magnam, celebremque Agonis Plateam reſpicientes, configuratis, & vernantibus Aulæis cum pluribus ſparſim deſuper infixis in ſphæricam, ovatam, quadratamque formam graphice pictis eorum-

(a) In Eccleſia S. Ignatii Soc. Jeſu. (b) In Eccleſia S. Jacobi, & Ildephonſi Nat. Hiſp.

rumdem Servæ Dei, Sanctiſſimi D. N. Papæ, Regis Catholici, & Eccleſiæ prædictæ Imaginibus, Geſtis, & Inſigniis, ac in illos, & illorum quemlibet Elogiis, & Emblematibus; & ante dictas facies ferme ſemicirculatim ſuper haſtilibus humi fixis pedamentis ad emicandum in nocte diſpoſitis bituminatis Sartaginibus, ac ad obſtrependum compreſſo obſtructis pulvere Pilis ferreis, Tubis, & Tympanis: & ad ejuſdem Eccleſiæ Portas, aliaque Urbis loca affigi Plenariam papyro impreſſam per Sanctiſſimum conceſſam Indulgentiam iis, qui eam ipſo die Dominico a primis Veſperis uſque ad occaſum Solis devote viſitarent; præfatamque interius Eccleſiam per parietes, pilas, arcus, & fornices undique conveſtiri: duarum ſcilicet a lateribus navium Damaſcenis holoſericis rubei, & alterius bene cum eo cohærentis coloris, ac in ſpiſſorum arcuum ſpatiis conchyliatis ex bombycino bicolori panniculis, & ex fornicibus pluribus concurvis eorumdem panniculorum pancarpiis quadrangulatim pendentibus; latioris vero, mediæque navis oſtrinis pariter Damaſcenis holoſericis gravioribus recenter conſtructis numeroſo aurearum ligularum ordine collimatis, aureiſque laciniis prope ſummitatem circumdatis, & in quolibet illius arcu ex ipſa holoſericorum ſobole conchyliis auro itidem rimulatis ſimul, & coronatis, totoque fornice ab odeo citra prorſus obducto quatuor ex bombycino conopeis ad invicem ſuccedaneis in conchyliis auro pariformiter corrimatis, & in ipſo odeo villoſis purpureis, & attalicis croceis auro contextis cum laciniis pariter aureis ex ipſo villoſo in coronam procedentibus, in dictoque odei fornice aliis Damaſcenis holoſericis auro ſimiliter ligulatis, ac certis in partibus ſpatio, & ordine congruis conchyliatis, & inde retro in averſa Eccleſiæ facie majori ſuper Porta ſuſpenſis ejuſdem Sanctiſſimi D. N. Papæ, Catholici Regis, & Reginæ Matris Iconibus: Ego ejuſdem Sacrorum Rituum Congregationis Notarius, Cancellarius, & Archiviſta, qui ejuſdem Beatificationis Solemnia primum in Baſilica Principis Apoſtolorum, ac deinde in Beatæ Mariæ ſuper Minervam, & S. Ignatii Societatis Jeſu Eccleſiis peracta deſcripſeram, pro deſcriptione etiam Solemnium hujuſmodi in dicta Eccleſia SS. Jacobi, & Ildephonſi requiſitus, poſtquam præmiſſa omnia, & ſingula adnotavi, in dicta quoque Eccleſia vidi, & adnotavi quatuor pro ſacris cantionibus, atque Cantoribus elevata Ligella ab utroque dictæ majoris navis latere diſtributa, oſtrinis item Damaſcenis holoſericis cooperta, aureiſque laciniis coronata, atque cratibus ex ligno aurato compactis, ac fictis ex argento vaſculis, & floſculis ſuperfulta; odeumque deinceps intra, & prope columnularum ſepem magna argentea Candelabra cum Cereis, & inde ſupra plures continens ſuaveolentium florum acervos, in turritum nempe, ac monticuloſum modulos expreſſos, duaſque etiam a majoris Altaris lateribus cum ipſis floribus magnas Conchas argenteas, ac ipſum denique Altare majus in conſpicuam, atque gravem compoſitum majeſtatem, Cruce, ac multiformium Candelabrorum argenteorum cum Cereis deſuper colluccentibus eleganti ſerie præmunitum, & ſuper eo expoſitam grandiorem pictam Tabulam cum Beatæ in ſomnis, ſeu in raptum, dum oraret, viſentis, ac Domini Noſtri Jeſu Chriſti in nubibus aſſidentis, & fere Cruci a tergo erectæ inter Angelorum Choros innixi, manuque dextra pro pœnis temporalibus coronarum præ trutinantis Imaginibus induſtri Pictoris manu ad vivum delineatis: Et, dum hæc conquirebam, in Eccleſiam ingreſſus eſt Illuſtriſſimus, & Excellentiſſimus D. Don Antonius Petrus Alvarez, Oſorius, Gomez, Davila, & Toledo Marchio de Aſtorga, de Velada, & de S. Romano, Comes de Traſtamadara, Dux de Aguiar, Dominus ſeptem Villarum &c. pro Catholica Majeſtate apud Sanctiſſimum Orator, magna Servorum, & Aulicorum ſtipatus caterva; qui, adorato Sanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento in uno ex Altaribus ad ſiniſtram perdecenter aſſervato, ad ſupradictum majus accedens Crucem, ac D. N. Jeſum Chriſtum, Beatamque in dicta Tabula expreſſam veneratus eſt: eoque inde in parata ad dextram ſella conſedente, ac ſolemne Miſſæ Sacrificium opperiente, ex alia dictæ Eccleſiæ Capella, quæ S. Didaco dicata eſt, ac ad paramenta Celebraturi, & Aſſiſtentium electa fuerat, ad adorationem ejuſdem Sanctiſſimi Sacramenti, & inde ad dictum Altare majus proceſſit Illuſtriſſimus, & Reverendiſſimus Fr. D. Thomas de Sarria Archiepiſcopus Tarantinus ex Ordine S. Dominici pretioſioribus Mitra, & Caſula, ſeu talari antipartita Tunica, quæ pluviale dicitur, indutus cum Aſſiſtente, ac Diacono, & Subdiacono, præcedentibus Florerio, ſeu, quem vocant, Los Pertiqueros, ac ſucceſſivo ordine Cruce cum Acolytis; ibique, peracta in genua aliquantiſper oratione, atque tunc Muſicorum Choris in gravem, ſonorumque tonum percantantibus, ſeque Sacris ad Miſſæ Sacrificium Veſtibus albis ſericis elegantes phrygiatis prope, & in Faldiſtorio ad ſiniſtram contegente, ſic contectus una cum ejuſdem Aſſiſtente, Diacono, & Subdiacono conſimili ſerico, aliiſque pluribus pro miniſterii ſervitio Cotta indutis Sacerdotibus, & Clericis Miſſam de Virgine non Martyre cum Oratione propria de dicta Beata ſolemni pompa celebravit: & inter Solemnia hujuſmodi Adm. Rev. Pat. Nicolaus Martinez Societatis Jeſu in Suggeſtu ſimilibus holoſericis purpureis auro laciniatis conveſtito, & umbellato amplam habuit de vita, virtutibus, & miraculis Beatæ in Hiſpanicum Orationem; Chorique Muſicorum ad Organa, & alias connervatas Cymbulas concertatis modo, alterniſque modo vocibus, & cantionibus intra morem Eccleſiæ aures, & animos permulcendo ad ſuperna rapuerunt; & in Elevatione Sacratiſſimæ Hoſtiæ exploſa eſt commixta multipliciter, fragoſaque ad lætitiam excitans Pilarum, Tubarum, & Tympanorum quantitas: Adſtantibus ſemper dicto Excellentiſs. D. Oratore, & ingenti Populi continue confluentis, & reſluentis multitudine. Acta ſunt hæc Romæ extra, & prope, ac in dicta Eccleſia, præſentibus &c. Illuſtribus DD. Joanne de Zenzano Calaguritan. & Franciſco de Corduba Toletan. Diœceſum Teſtibus ad præmiſſa ſpecialiter habitis &c. Solemnia autem hujuſmodi cantionum, & exploſionum in eadem Eccleſia, & circa eam ſervata etiam eſſe, non ſolum per atteſtationes Teſtium ſupradictorum ex poſt facto cum juramento adhibitorum, ſed ex facti notorietate compertum, cognitumque fuit, ad Veſperas in præcedenti die Sabbati, & in ipſo die Dominico, ac ad Orationem *Salve Regina*, & Litanias B. Mariæ Virginis, aliaſque de dicta Beata Cantiunculas ſerotinis horis in duobus ſubſequentibus diebus Lunæ, & Martis; ardentibus in noctem paratis in haſtis bituminibus, & inter bomborum, ſonituum, & clangorum ſtrepitus e proximis ædibus pluribus erumpentibus ignitis radiis recto, obliquo, & circulato curſu tenebras effindentibus, & crepitantibus ad plauſum in terris Beatæ, gaudiique illius Cæleſtis Gloriæ ſignificationem.

Ex quibus factum eſt, ut ſuper prænarratis quoad continuationem Solemnium in Veſperis in Baſilica Principis Apoſtolorum, ac in S. Mariæ ſuper Minervam, S. Ignatii, & SS. Jacobi, & Ildephonſi Eccleſiis, atque extra eas reſpective, tamquam notoriis, nullos ſpeciales Teſtes adhibendos eſſe putaverim; ſed mei ſolius atteſtationis, & fidei, ac ſuper aliis omnibus, & ſingulis præmiſſis coram me, & Teſtibus prænominatis peractis, præſens a me petitum, & alia plura, publicum, & publica confecerim, atque tradiderim Inſtrumentum, & Inſtrumenta.

Ego Horatius de Abbatibus Sac. Rit. Congreg. Notarius, Cancellarius, & Archiviſta de præmiſſis rogatus ſubſcripſi, & cum Signo quo utor, publicavi requiſitus.

Loco ✠ Signi.

NOs Martius Dei, & Apoſtolicæ Sedis gratia Epiſcopus Portuen. S. R. E. Cardinalis Ginettus Sanctiſſimi D. N. Papæ Vicarius Generalis, Romanæque Curiæ, ejuſque Diſtrictus Judex Ordinarius, & Sacrorum Rituum Congregationis Præfectus. Univerſis fidem facimus, & atteſtamur, ſupradictum D. Horatium de Abbatibus de præmiſſis rogatum, & qui præſentes ſubſcripſit, & publicavit, eſſe ejuſdem Sacrorum Rituum Congregationis Notarium, Cancellarium, & Archiviſtam publicum, authenticum, legalem, & fide dignum, ac talem, qualem ſe facit; ſuiſque Scripturis ſimilibus, ſeu alias ab eo ſubſcriptis in Judicio, & extra ſemper adhibitam fuiſſe, & de præſenti indubiam adhiberi fidem. In quorum &c.

Datum Romæ ex Ædibus noſtris hac die 16. Julii 1668.

Loco ✠ Sigilli.

Pro D. Carolo Cæſareo Gerard.
Hieronymus Morettus in fidem &c.

MO-

MONUMENTA PUBLICA

Solemnium Beatificationis Servi Dei TURRIBII *Archiepiſcopi Limani in Eccleſia Principis Apoſtolorum, & in Eccleſia Beatæ Mariæ Montis Serrati, necnon Feſtivitatis in Collegiata Eccleſia S. Anaſtaſiæ de Urbe in Altari eidem Beato primum erecto.*

In Nomine Domini. Amen.

PRÆSENTI publico Inſtrumento cunctis ubique pateat evidenter, & ſit notum, quod Anno ab ejuſdem Sanctiſs. D. N. Jeſu Chriſti Nativitate milleſimo ſexcenteſimo ſeptuageſimo nono, Indictione ſecunda, die vero ſecunda menſis Julii, Pontificatus autem Sanctiſſimi in eodem Chriſto Patris, & D. N. D. Innocentii Divina Providentia Papæ XI. Anno tertio (a). Cum Congregatio Eminentiſſimorum, & Reverendiſſimorum DD. Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium Sacris Ritibus Præpoſitorum habita coram Sanctiſſimo D. N. Innocentio Papa XI. poſt maturam, diligentemque diſcuſſionem proceſſuum auctoritate Apoſtolica peractorum ſuper Sanctitate vitæ, heroicisque virtutibus, & miraculis Ven. Servi Dei TURRIBII olim Archiepiſcopi Limani, auditis etiam Reverendiſſimorum Conſultorum ſuffragiis, uno ſpiritu, unaque voce cenſuerit, poſſe, quandocumque eidem Sanctiſſimo placeret, ad ſolemnem ejuſdem Servi Dei Canonizationem, juxta Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Ritum, tuto deveniri, ac interim indulgeri, ut Beatus nuncupetur, & de eo, tanquam Confeſſore Pontifice, Officium recitetur, & ſacroſanctum Miſſæ Sacrificium celebretur; idemque Sanctiſſimus ad pias, enixaſque preces Majeſtatis Catholicæ Caroli Hiſpaniarum Regis, ac Mariannæ Reginæ Viduæ ejus Genitricis, ac Reverendiſſimorum Archiepiſcoporum, & Epiſcoporum, necnon Cleri, Univerſitatum, Collegiorum, & Populorum tam Hiſpaniarum, quam Regni Peruani, de conſilio, unanimique aſſenſu dictorum Eminentiſſimorum, & Reverendiſſimorum DD. Cardinalium dd. Sacris Ritibus Præpoſitorum, auctoritate Apoſtolica indulſerit, ut præfatus Servus Dei Turribius olim Archiepiſcopus Limanus in poſterum Beati nomine nuncupetur, ejuſque Corpus, & Reliquiæ venerationi Fidelium (non tamen in Proceſſionibus circumferenda) exponantur, Imagines quoque radiis, ſeu ſplendoribus exornentur, ac de eo ſub Ritu ſemiduplici in omnibus Eccleſiis tam Sæcularium, quam Regularium utriuſque ſexus Officium recitetur, & Miſſa celebretur de Confeſſore Pontifice ſingulis annis juxta Rubricas Breviarii, & Miſſalis Romani die 27. Aprilis, qua ipſius Servi Dei Corpus translatum, & in Metropolitana Eccleſia Limana repoſitum fuit, intra certa tempora, & certis in locis, poſtquam tamen in Baſilica Principis Apoſtolorum Urbis fuerint eadem Solemnia celebrata, ut latius, atque diffuſius apparet ex Literis Apoſtolicis datis Romæ apud S. Petrum ſub anulo Piſcatoris die 28. Junii proxime præteriti, ad quas condigna habeatur relatio: Cumque omnia, quæ ad Solemnia dictæ Beatificationis in prædicta Baſilica neceſſaria viſa ſunt, diligenti opera Perilluſtris, & Admodum Rev. D. Joannis Franciſci Vagliadolid cauſæ Beatificationis, & Canonizationis dicti Servi Dei Procuratoris ſpecialiter conſtituti parata fuerint; & præſertim in exttinſeca maximi, & auguſtiſſimi Templi facie infixa Effigies dicti Servi Dei, & ſupra ejuſdem Templi januas, nempe ſupra mediam inſignia dicti Summi Pontificis, ac Præfati Regis Catholici, ſupra vero binas alias laterales Stemmata dictæ Civitatis Limanæ, & reſpective Reverendiſſimi Capituli dictæ illius Metropolitanæ; Porticus autem, totumque Templum prædictum conveſtitum ſericis paramentis purpurei coloris cum corrigiis aureis; ac alia Tabula pariter cum Effigie depicta dicti Servi Dei aptata ſupra Altare dicatum Cathedræ Sancti Petri Cruce, & Candelabris argenteis auratis, aliiſque paramentis pretioſis ornatum; & ibi ab utroque dicti Altaris latere compoſita ſedilia, a dextera ſcilicet pro dictis Eminentiſs. & Reverendiſs. DD. Cardinalibus dictæ Sacrorum Rituum Congregationi Præpoſitis, ac Illuſtriſs., & Reverendiſs. DD. ejuſdem Sac. Congregationis Prælatis, & Conſultoribus, a ſiniſtra vero pro Eminentiſſimo, & Reverendiſſimo D. Cardinali Archipresbytero, Illuſtriſſimis, & Reverendiſſimis DD. ejus Vicario, & Canonicis dictæ Baſilicæ, ac dicto Rev. D. Joanne Franciſco Vagliadolid Procuratore præfato, pluresque alii demiſſorum ſcamnorum ordines pro reliquo ejuſdem Baſilicæ Clero, & aliis Prælatis, nobilibuſque Viris; necnon quamplurimi Cerei, ſeu Candelæ tam in Altari, in quo aſſervantur Reliquiæ Sanctorum Apoſtolorum Petri, & Pauli ſuper argenteis, quam in ſingulis aliis Altaribus dictæ Baſilicæ ſuper æneis Candelabris impoſiti; & quatuor Muſicorum Chori cum Organis non longe a prædictis ſedilibus compoſiti; ac etiam cuſtodia Militum Helvetiorum ex Cohorte Pontificia ad arcendum Populi multitudinis impetum: Ego Ejuſdem Sacrorum Rituum Congregationis Notarius, Cancellarius, & Archiviſta infraſcriptus vocatus ad notandum ejuſdem Beatificationis Solemnia, præmiſſis omnibus adnotatis, alia quoque infra dicenda fideliter adnotavi; videlicet. Accenſis, & collucentibus dictis Cereis, ſeu Candelis ſuper dicta Altaria, ut ſupra, poſitis pluribuſque Prælatis, ac nobilibus Viris in corona dictorum Militum permanentibus, magnaque utriuſque ſexus Populi multitudine extra coronam eorumdem Militum exiſtente, advenerunt primo Eminentiſſimi, & Reverendiſſimi DD. Cæſar Fachenettus dictæ Sac. Congregationis Præfectus, aliique Cardinales eidem Sac. Congregationis Præpoſiti, ac Illuſtriſſimi, & Reverendiſſimi DD. Prælati, & Conſultores ejuſdem Sac. Congregationis, totamque Sacram Congregationem præfatam repræſentantes; &, eiſdem conſidentibus in ſedilibus ipſis reſpective paratis a Sacrario dictæ Baſilicæ proceſſionaliter diſceſſerunt, præcedente Cruce, & Acolytis, totus Clerus ejuſdem Baſilicæ, Illuſtriſſimi, & Reverendiſſimi DD. Canonici Rochetto, & Superpelliceo induti, Illuſtriſſimus, & Reverendiſſimus D. Vicarius Eminentiſſimi, & Reverendiſſimi D. Archipresbyteri dictæ Baſilicæ, ac Illuſtriſs., & Rereverendiſs. D. Phœbeus Archiepiſcopus Tarſenſis, Ven. Archihoſpitalis Sancti Spiritus in Saxia pariter de Urbe Præceptor, Sanctiſs. D. N. Papæ Prælatus Domeſticus, & Cæremoniarum Præfectus, dictæque Sacrorum Rituum Congregationis Conſultor Pluviali albo indutus cum Mitra Solemnia celebraturus inter duos Canonicos cum Dalmaticis, ſubſequente Eminentiſs., & Reverendiſs. D. Cardinali Franciſco Barberino ejuſdem Baſilicæ Archipresbytero, &, facta adoratione ad Altare Sanctiſſimi Sacramenti, effuſiſque precibus ante Altare Sanctorum Apoſtolorum, ſeſe contulerunt ad locum, ut ſupra, paratum, & deſtinatum pro dicta Solemnitate: prædictiſque omnibus loca ſua tenentibus, cum duobus Baſilicæ prædictæ Cæremoniarum Magiſtris Illuſtriſs. & Reverendiſs. D. Bernardinus Caſalius Sacræ Congregationis præfatæ Secretarius e loco ſuo ſe movens acceſſit ad ſtandum e latere dicti Eminentiſs., & Reverendiſs. D. Cardinalis Fachenetti Præfecti; & eodem tempore coram Eminentia Sua, aliiſque Eminentiſs., & Reverendiſs. DD. Cardinalibus dictæ Sac. Congregationis conſtitutus prædictus Rever. D. Joannes Franciſcus Vagliadolid Procurator antedictus habens præ manibus Litteras Apoſtolicas prædictas in forma Brevis, ut ſupra, expeditas, illaſque dictæ Sac. Congregationi debita reverentia præſentans, ac peroratis inſtitit dictas Litteras Apoſtolicas, quas originaliter exhibuit, recipi, & admitti, ac in dicta Baſilica juxta illarum formam, ac Sanctæ Romanæ Eccleſiæ ritum Solemnia publicationis, & Beatificationis hujuſmodi celebrari, aliaque omnia, & ſingula deſuper neceſſaria, & opportuna, ex diſpoſitione Brevis, Litterarumque prædictarum exequi mandari ad majorem Dei, dictique ſui Servi gloriam, omni meliori modo &c. Hujuſmodique oratione, ſeu inſtantia completa, dicti Eminentiſſimi, & Reverendiſſimi DD. Cardinales præfatæ Sac. Congregationis, receptis pro ea per dictum Eminentiſſimum D. Cardinalem Fachenettum Præfectum

(a) In Baſilica Principis Apoſtolorum.

ctum Litteris Apoſtolicis prædictis, eiſque repertis illæſis, nulloque modo ſuſpectis, illas admiſerunt, ac publicari, dictaque Solemnia celebrari, & alia deſuper neceſſaria, & opportuna ad earumdem formam fieri mandarunt: dictoque D. Procuratore inde recedente, redditis tamen prius debitis gratiis ea, qua potuit, reverentia, prædictus Eminentiſſimus D. Cardinalis Præfectus, aliis annuentibus, conſignavit dicto Illuſtriſſimo, & Reverendiſſimo D. Caſalio Secretario prædictas Literas Apoſtolicas, ad effectum deferendi cum relatione præcedentis inſtantiæ dicti D. Procuratoris omniumque ab Eminentia Sua, & aliis Eminentiſſimis DD. Cardinalibus dictæ Sacræ Congregationis, ut ſupra, mandatorum ad dictum Eminentiſſimum D. Cardinalem Archipresbyterum e conſpectu ſedentem, prout illæ per dictum Illuſtriſſimum D. Caſalium incontinenti delatæ fuerunt; quas idem Eminentiſſimus D. Archipresbyter debita cum reverentia recepit, & vidit, unique ex dictis DD. Cæremoniarum Magiſtris dedit, & mandavit, per Manſionarium Archiviſtam dictæ Baſilicæ palam, & publice perlegi; prout dictus Archiviſta eaſdem Literas ſuis præ manibus receptas, porrecto tamen mihi Notario ibidem aſſiſtenti per dictum D. Vagliadolid Procuratorem præfatum illarum Tranſumpto impreſſo, Sigillo dicti Eminentiſs. & Reverendiſſimi D. Cardinalis Præfecti munito, & per dictum Illuſtriſs. D. Caſalium Secretarium ſubſcripto, meque illud præ manibus tenente, & auſcultante, idem Manſionarius Archiviſta parendo mandatis prædictis, conſcenſo Suggeſto retro ſedilia dd. Reverendiſſimorum DD. Canonicorum exiſtente, de verbo ad verbum alta, & intelligibili voce perlegit, & publicavit, & e Suggeſto deſcendens, retento pariter penes ſe ſimili tranſumpto, eidem D. Procuratori adhuc præſenti, & recipienti reſtituit, tenoris inferius regiſtrandi. Qua lectione abſoluta, Illuſtriſſimus, & Reverendiſſimus D. Archiepiſcopus celebrans, depoſita Mitra, inchoavit Canticum *Te Deum laudamus*, reliqua proſequentibus Muſicorum Choris: & in ipſo Cantici initio, amotis velis ſericis, quibus dictæ Imagines prædicti Servi Dei, ut ſupra reſpective exiſtentes, contectæ fuerant, idem Celebrans, & Miniſtri ei aſſiſtentes, Eminentiſſimi DD. Cardinales, Illuſtriſſimi DD. Prælati, & Conſultores dictæ Sacræ Congregationis, ac Eminentiſſimus D. Cardinalis Archipresbyter, & illius Vicarius, necnon Canonici, & cunctus Clerus, ceterique Prælati, & nobiles Viri, ac reliqua Populi multitudo, genibus flexis, Imaginem præfatam ſupra prædictum Altare Cathedræ collocatam, & exiſtentem devotiſſime venerati ſunt; & ſtatim plurimorum tormentorum bellicorum extra dictam Baſilicam paratorum, & poſitorum, ſtrepitus, & bombus auditus fuit: finitoque dicto Cantico, ac per Diaconum Evangelii prolato Verſiculo *Ora pro nobis, Beate Turribi*, habitaque Chori reſponſione *Ut digni efficiamur promiſſionibus Chriſti*, necnon per ipſum Illuſtriſſimum D. Celebrantem recitata Oratione propria de dicto Beato, illiuſque Imagine thurificata, idem Illuſtriſſimus D. Celebrans cum dictis aſſiſtentibus Pontificalibus ad Sacrificium indutus Miſſam de Confeſſore Pontifice ſolemniter celebravit, perſonantibus Organis, & Cantoribus percantantibus, dictoque D. Procuratore Imagines dicti Beati delineatas, vel impreſſas, videlicet unam in ſerico aureis virgulis circumdatam in grandiorem, aliam in auguſtiorem formam pro ratione perſonarum, & alteram in papyro, una cum liberculo compendii Vitæ dicti Beati cuilibet ex adſtantibus Eminentiſſimis DD. Cardinalibus, Prælatis, Canonicis, Conſultoribus, nobilibus Perſonis, & aliis de dicto Clero diſtribuente. Et ita Solemnia Beatificationis dicti Servi Dei Turribii olim Archiepiſcopi Limani in Baſilica Principis Apoſtolorum de Urbe mane dicti diei Dominici celebrata ſunt; præſentibus ibidem, audientibus, & intelligentibus his, videlicet Perilluſtr. & Admod. Rev. D. Dominico de Homine, & D. Bartholomæo Buturo dicti Illuſtriſſimi, & Reverendiſſimi D. Caſalii Secretarii Familiaribus, Teſtibus ad prædicta omnia, & ſingula vocatis, habitis ſpecialiter, atque rogatis. Tenor vero Tranſumpti impreſſi Literarum Apoſtolicarum, de quo ſupra fuit facta mentio, eſt, qui ſequitur; videlicet. Innocentius Papa XI. Ad perpetuam rei memoriam. Laudemus Viros glorioſos, qui magna virtute adepti ſunt gloriam in converſatione gentis, & commiſſas ſibi Chriſti oves verbo, & exemplo fideliter paſcere, Deique Domum ædificare, atque corroborare ſtuduerunt, qui, quaſi arcus refulgens inter nebulas gloriæ, & quaſi flos roſarum in diebus vernis, Eccleſiam univerſam Nominis ſui celebritate, & ſpiritualium aromatum odore impleverunt, ac demum, feliciter decurſo mortalis ævi ſtadio, immarceſcibilem juſtitiæ coronam in æterna Cæleſtis Hieruſalem ſtabilitate accipere meruerunt. Quos inter cum Dei Servus Turribius, olim Archiepiſcopus Limanus, chariſmata meliora æmulatus, ac Theologicarum, Moraliumque Virtutum omnium fulgore conſpicuus longe, lateque ſplenduerit; Apoſtolici muneris, quod, viribus licet, & meritis impares, Divina dignatione gerimus, ratio exigit, ut illius Cultui, & venerationi in terris, ad Dei laudem, ad Eccleſiæ decus, & præſidium, ad Chriſtiani Populi ſpiritualem conſolationem, atque ædificationem, poteſtate nobis a Domino tradita conſulamus. Cum itaque, confectis dudum ex hujus Sanctæ Sedis Apoſtolicæ licentia Proceſſibus de Vitæ Sanctitate, heroiciſque Virtutibus, quibus idem Servus Dei Turribius multipliciter fulſiſſe, piiſque ſtudiis, quibus Catholicam Fidem, Eccleſiaſticamque diſciplinam per Sanctæ Synodi Tridentinæ Decreta ſancitam in nova illa Chriſtianitate ſtabiliviſſe, ac miraculis, quæ ad manifeſtandam hominibus ejus Sanctitatem a Deo patrata fuiſſe aſſerebantur, Congregatio Venerabilium Fratrum Noſtrorum Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium Sacris Ritibus Præpoſitorum poſt maturam, diligentemque illorum diſcuſſionem coram Nobis conſtituta, auditis etiam Conſultorum ſuffragiis, uno ſpiritu, unaque voce cenſuerit, poſſe, quandocumque Nobis placeret, ad ſolemnem ipſius Servi Dei Turribii Canonizationem juxta ejuſdem Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Ritum tuto deveniri, ac interim indulgeri, ut nuncupetur Beatus, & de eo, tamquam Confeſſore Pontifice, Officium recitetur, & ſacrofanctum Miſſæ Sacrificium celebretur: Hinc eſt, quod Nos piis, enixiſque precibus cariſſimi in Chriſto Filii Noſtri Caroli Hiſpaniarum Regis Catholici, & cariſſimæ in Chriſto Filiæ noſtræ Mariannæ Reginæ Viduæ ejus Genitricis, ac Venerabilium Fratrum Archiepiſcoporum, & Epiſcoporum, Cleri, Univerſitatum, Collegiorum, & Populorum tam Hiſpaniarum, quam Regni Peruani Nobis ſuper hoc humiliter porrectis paterna benignitate annuentes, de memoratorum Cardinalium unanimi conſilio pariter, & aſſenſu, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium indulgemus, ut idem Servus Dei Turribius olim Archiepiſcopus Limanus in poſterum Beati nomine nuncupetur, ejuſque Corpus, & Reliquiæ venerationi Fidelium (non tamen in Proceſſionibus circumferenda) exponantur, Imagines quoque radiis, ſeu ſplendoribus exornentur, atque de eo ſub Ritu ſemiduplici in omnibus Eccleſiis tam Sæcularium, quam Regularium utriuſque ſexus recitetur Officium, & Miſſa celebretur de Confeſſore Pontifice ſingulis annis juxta Rubricas Breviarii, & Miſſalis Romani die vigeſima ſeptima Aprilis, qua ipſius Servi Dei Corpus tranſlatum, & in Metropolitana Eccleſia Limana repoſitum fuit, cum ſpiritum Creatori reddiderit die vigeſima tertia Martii, quæ Feriis Quadrageſimæ, vel Feſtis Paſchalibus impedita eſſe ſolet. Hæc autem, videlicet recitationem Officii, & Miſſæ celebrationem fieri concedimus in locis duntaxat infraſcriptis; nempe in Civitate, & Diœceſi Limana, ubi obiit, in Civitate Majoricæ in qua natus eſt, & in Collegio Ovetenſi nuncupato Univerſitatis Studii Generalis Salmanticenſis, in quo humanis, diviniſque literis imbutus fuit; &, quantum ad Miſſas attinet, etiam a Sacerdotibus confluentibus. Præterea, primo duntaxat anno a datis hiſce Literis; &, quoad Indias, a die, quo eædem Literæ illuc pervenerint inchoando, in Eccleſiis Civitatum, & Diœceſis, ac Collegii præfatorum reſpective Solemnia Beatificationis ejuſdem Servi Dei cum Officio, & Miſſa ſub Ritu duplici majori, die ab Ordinariis locorum reſpective conſtituta, & intra ſex menſes promulganda, poſtquam tamen eadem Solemnia in Baſilica Principis Apoſtolorum de Urbe celebrata fuerint, pariter celebrandi facimus poteſtatem: Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, ac Decretis de non Cultu editis, ceteriſque contrariis quibuſcumque. Volumus autem, ut earumdem præſentium Literarum Tranſumptis, ſeu Exemplis, etiam impreſſis, manu Secretarii prædictæ Congregationis Cardinalium ſubſcriptis, & Sigillo Præfecti ejuſdem Congregationis munitis eadem prorſus fides ab omnibus, & ubique, tam in judicio, quam extra illud habeatur, quæ ipſis præſentibus haberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub Anulo Piſcatoris die vigeſima octava Junii milleſimo ſexcenteſimo ſeptuageſimo nono, Pontificatus Noſtri Anno Tertio. I. G. Sluſius. Loco ✠ Sigilli Eminentiſſ. Præfecti. Bernardinus Caſalius Secretarius.

Eiſdem

Eiſdem Anno, Indictione, & Pontificatu, quibus ſupra; die vero decima nona menſis Novembris (a). Cum ad pias preces Majeſtatis Catholicæ Caroli Hiſpaniarum Regis, & Mariannæ Reginæ Viduæ ejus Genitricis, ac Reverendiſſimorum DD. Archiepiſcoporum, & Epiſcoporum Hiſpaniæ, & Indiarum porrectas Sanctiſſimo D. N. D. Innocentio Papæ XI. poſt celebrata in Baſilica Principis Apoſtolorum de Urbe Solemnia Beatificationis Servi Dei Turribii olim Archiepiſcopi Limani, vigore Literarum Apoſtolicarum in forma Brevis ſub Anulo Piſcatoris expeditarum die vigeſima octava præteriti menſis Junii, prælibatus Sanctiſſimus hujuſmodi ſupplicationibus inclinatus eadem Solemnia Beatificationis memorati Servi Dei cum Officio, & Miſſa ſub Ritu duplici majori in certis locis, die ab eorumdem locorum Ordinariis conſtituendo, Romæ vero in Eccleſiis S. Jacobi, S. Mariæ Montis Serrati Nationis Hiſpanorum, & S. Caroli in Via Lata, ſeu Curſus Nationis Mediolanenſis conceſſerit, indulſerit, ſeu permiſerit, ut ex aliis Literis Apoſtolicis in forma Brevis, ut moris eſt, expeditis pariter ſub Anulo Piſcatoris Romæ apud Sanctam Mariam Majorem die 27. Septembris etiam proxime præteriti; quarum exemplum impreſſum, manu publici Notarii ſubſcriptum, Sigilloque perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitum mihi Notario, Cancellario, & Archiviſtæ Sacrorum Rituum Congregationis conſignatum a Perilluſtri, & Adm. Rev. D. Joanne Franciſco Vagliadolid cauſæ Beatificationis, & Canonizationis dicti Servi Dei Turribii Procuratore, præſentibus &c. Ego idem Notarius allegavi tenoris inferius regiſtrandi: Cumque dictus Rev. D. Vagliadolid conſueta ſua diligenti opera, & cura intra terminum in præinſertis Literis Apoſtolicis præfixum curaverit, hujuſmodi Solemnia etiam in d. Eccleſia S. Mariæ Montis Serrati celebrari, omniaque ad hoc neceſſaria, & opportuna præparari; & ſignanter totam Eccleſiam prædictam paramentis ſericis rubeis cum liſtis, ſeu faſciis aureis ornari; ſupra Altare majus Cruce, & Candelabris argenteis, aliiſque præſtantiſſimis paramentis exornatum Tabulam pictam cum Effigie dicti Beati apponi, & aptari; ac ibidem ſedem materiæ, operæque pretioſam a cornu dextero dicti Altaris collocari, ſubſequentibus ab utroque latere ejuſdem Altaris ſedilibus nobiliter indutis; cunctaque alia Altaria dictæ Eccleſiæ conſimilibus paramentis, Crucibus, Candelabris, aliiſque Sacris Supellectilibus conveſtiri; & in ſingulis Candelabris prædictis Cereos, vel Candelas imponi; duoſque quamplurimorum Muſicorum Choros cum Organis prope ordinem dd. ſedilium componi: hiſque omnibus per me Notarium, Cancellarium, & Archiviſtam vocatum ex parte dicti D. Procuratoris deſcriptis, alia quoque ad inſtantiam ejuſdem fideliter adnotavi, ut infra; videlicet. Accenſis, & fulgentibus dictis Candelis, ut præfertur, impoſitis, pervenit ad Eccleſiam prædictam Illuſtriſſimus, & Excellentiſſimus D. Don Gaſpar de Haro, & Guzman apud Sanctiſſimum D. N. præfatæ Catholicæ Majeſtatis Orator cum comitatu Illuſtriſſimorum, & Reverendiſſimorum DD. Patriarcharum, Archiepiſcoporum, Epiſcoporum, & Prælatorum, numerum in totum viginti conſtituentium, aliorumque innumerorum Nobilium Virorum, & Aulicorum; factaque per omnes, genibus flexis, ante Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum adoratione, effuſiſque ſimili modo precibus ante dictum Altare majus, Excellentia Sua ſe poſuit in prima deſcripta Sede, Patriarchæ vero, Archiepiſcopi, & Epiſcopi, aliique Prælati in memoratis ſedilibus, reliqui autem Nobiles Viri, & Aulici prope ſedilia prædicta e conſpectu ejuſdem Altaris, ſubſequente per totam dictam Eccleſiam magni Populi multitudine; hiſque ſic exiſtentibus, diſceſſit e Sacrario ejuſdem Eccleſiæ Illuſtriſſimus, & Reverendiſſimus D. Angelus a Nuce Archiepiſcopus Roſſani Pluviali albo indutus cum Mitra, Solemnia celebraturus inter duos Sacerdotes cum Dalmaticis, præcedentibus Cruce, & Acolytis; factaque pariter per eos adoratione ad Altare Sanctiſſimi Sacramenti, ſeſe contulerunt ad prædictum Altare majus pro hujuſmodi Solemnitate deſtinatum, & ſucceſſive, venerata prius, ac thurificata Imagine prædicti Servi Dei ſupra dictum Altare, ut præfertur, collocata, præfatus Illuſtriſſimus, & Reverendiſſimus D. Archiepiſcopus de Roſſano Pontificalibus indutus cum dictis Aſſiſtentibus Miſſam ſub Ritu duplici majori ſolemniter celebravit, inflantibus Organis, aliiſque ſonantibus Inſtrumentis & Muſicis canentibus, pluribuſque Sacerdotibus nomine dicti D. Vagliadolid Procuratoris Imagines dicti Beati, tam in ſerico, quam in papyro delineatas, vel impreſſas, juxta gradus perſonarum, una cum libercolo compendii vitæ ejuſdem Beati prædictis Excellentiſſimo D. Oratori, Reverendiſſimis DD. Patriarchis, Archiepiſcopis, Epiſcopis, & Prælatis, aliiſque Nobilibus Viris, & Populo aſſtanti diſtribuentibus. Hujuſmodi Solemnitatibus durantibus, non defuerunt plures Eminentiſſimi, & Reverendiſſimi Domini Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales, qui devotionis cauſa ad venerandum dictum Beatum præfatam Eccleſiam petierunt. Et ita Solemnia Beatificationis dicti Servi Dei Turribii de mane dicti diei in dicta Eccleſia celebrata ſunt. De ſero autem ejuſdem diei ab omnibus Sacerdotibus, totoque Clero præfatæ Eccleſiæ cum ſimili Organorum, aliorumque Inſtrumentorum ſonitu, ac Muſicorum cantu Officium ejuſdem Beati ſolemniter recitatum fuit, perſeverante concurſu, & multitudine Populi confluentis ad Solemnia hujuſmodi uſque ad occaſum Solis. Et ita &c. Super quibus &c. Actum in Eccleſia prædicta, præſentibus ibidem, audientibus, & intelligentibus his; videlicet DD. Melchiorre Petruccio de Canepina Hortanæ Diœceſis, & Joanne Carolo Mancino Sabino, Teſtibus ad prædicta omnia, & ſingula vocatis, habitis ſpecialiter, atque rogatis. Tenor vero Exempli impreſſi Literarum Apoſtolicarum, de quibus ſupra fuit facta mentio, talis eſt, prout infra; videlicet. Innocentius Papa XI. ad futuram rei memoriam. Cum Nos per Noſtras die vigeſima octava Junii proximi præteriti expeditas Literas, de Venerabilium Fratrum Noſtrorum Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium Sacris Ritibus Præpoſitorum unanimi conſilio pariter, & aſſenſu, auctoritate Apoſtolica indulſerimus, ut Servus Dei Turribius olim Archiepiſcopus Limanus in poſterum Beati nomine nuncuparetur, ejuſque Corpus, & Reliquiæ venerationi Fidelium (non tamen in Proceſſionibus circumferenda) exponerentur, Imagines quoque radiis, ſive ſplendoribus exornarentur, atque de eo ſub Ritu ſemiduplici in omnibus Eccleſiis tam Sæcularium, quam Regularium utriuſque ſexus Civitatis, & Diœceſis Limanæ, ac Civitatis Majoricæ, & in Collegio Ovetenſi nuncupato Univerſitatis Studii Generalis Salmanticenſ. Officium, & Miſſa recitaretur, & celebraretur de Confeſſore Pontifice ſingulis annis die vigeſima ſeptima Aprilis: Præterea, primo duntaxat anno a datis præfatis Literis, &, quoad Indias, a die, quo eædem Literæ illuc perveniſſent, inchoando, in Eccleſiis Civitatum, & Diœceſis, ac Collegii præfatorum reſpective Solemnia Beatificationis ejuſdem Servi Dei cum Officio, & Miſſa ſub Ritu duplici majori, die ab Ordinariis locorum reſpective conſtituta, & intra ſex menſes promulganda, poſtquam tamen eadem Solemnia in Baſilica Principis Apoſtolorum de Urbe celebrata fuiſſent, pariter celebrandi fecerimus poteſtatem, & alias, prout in Noſtris Literis præfatis in ſimili forma Brevis emanatis, quarum tenorem præſentibus pro plene, & ſufficienter expreſſo, & inſerto haberi volumus, uberius continetur: Et ſicut pro parte Cariſſimi in Chriſto Filii Noſtri Caroli Hiſpaniarum Regis Catholici, & Cariſſimæ in Chriſto Filiæ noſtræ Mariannæ Reginæ ejus Genitricis, ac Venerabilium Fratrum Archiepiſcoporum, & Epiſcoporum Hiſpaniæ, & Indiarum Nobis nuper expoſitum fuit, ipſi, Solemnia Beatificationis hujuſmodi in aliis quoque Eccleſiis pro ſpirituali Populorum conſolatione celebrari poſſe, plurimum deſiderent: Nos piis eorumdem Regis, & Reginæ, ac Archiepiſcoporum, & Epiſcoporum precibus Nobis ſuper hoc humiliter porrectis benigne inclinati, eiſque paterna caritate, quantum cum Domino poſſumus, favorabiliter annuere cupientes, ut intra annum proximum, &, quoad Indias, a die, quo præſentes Literæ illuc pervenerint, numerandum, in Cathedralibus, & Metropolitanis Eccleſiis Hiſpaniæ, & Indiarum, ac in una Eccleſia Oppidi Madriti Toletanæ Diœceſis per Ordinarium loci deſignanda Solemnia Beatificationis memorati Servi Dei Turribii itidem cum Officio, & Miſſa ſub Ritu dpplici majori, die ab Ordinariis locorum reſpective conſtituta, & intra ſex menſes promulganda, pariformiter celebrari valeant, auctoritate Apoſtolica, tenore preſentium concedimus, & indulgemus; Romæ vero in Eccleſiis Sancti Jacobi, & Sanctæ Mariæ Montis Serrati Nationis Hiſpanorum, ac Sancti Caroli in Via Lata, ſeu Curſus Nationis Mediolanenſis eadem Solemnia intra bimeſtre proximum ſimiliter celebrari, permittimus. Præterea ad augendam Fidelium Religionem, & animarum ſalutem cæleſtibus Eccleſiæ theſauris pia caritate intenti omnibus, & ſingulis

(a) In Eccleſia Sanctæ Mariæ Montis Serrati.

gulis utriusque sexus Christi Fidelibus vere pœnitentibus, & confessis, ac Sacra Communione refectis, qui aliquam ex Ecclesiis supradictis die, quo Solemnia Beatificationis hujusmodi juxta præscriptum præsentium Literarum ibidem respective celebrabuntur, devote visitaverint, & ibi pro Christianorum Principum concordia, hæresum extirpatione, ac Sanctæ Matris Ecclesiæ exaltatione pias ad Deum preces effuderint, Plenariam omnium peccatorum suorum Indulgentiam, & Remissionem misericorditer in Domino concedimus: Præsentibus pro una vice tantum valituris. Volumus autem, ut earumdem præsentium Literarum Transumptis, seu Exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & Sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis eadem prorsus fides tam in judicio, quam extra illud habeatur, quæ haberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Anulo Piscatoris die vigesima septima Septembris millesimo sexcentesimo septuagesimo nono, Pontificatus Nostri Anno Tertio. I. G. Sluius. Loco ✠ Sigilli Illustrissimi, & Reverendissimi D. Stephani Brancatii Archiepiscopi Adrianopolitani. Ita est: Jacobus Antonius Redoutey Notarius publicus Apostolicus. Super quibus omnibus, & singulis præmissis petitum fuit a me ejusdem Sac. Congregationis Rituum Notario, Cancellario, & Archivista infrascripto, ut unum, vel plura, publicum, seu publica conficerem, atque traderem Instrumentum, & Instrumenta, prout opus fuerit, & requisitus ero.

Ego Jacobus Saxus Sabinus publicus Apostolica auctoritate Notarius in Archivio Romanæ Curiæ descriptus, ac Sacrorum Rituum Congregationis Notarius, Cancellarius, & Archivista de prædictis Solemnitatibus in præfatis Basilica, & Ecclesia respective celebratis rogatus præsens Instrumentum, seu Instrumenta subscripsi, & publicavi, meoque solito Signo signavi requisitus &c.

Loco ✠ Signi.

Nos Gaspar Tituli S. Silvestri de Capite S. R. E. Presbyter Cardinalis de Carpineo SS. D. N. Papæ Vicarius Generalis, Romanæque Curiæ, ejusque Districtus Judex Ordinarius &c. Universis & singulis fidem facimus, & attestamur, supradictum D. Jacobum Saxum de præmissis rogatum esse ejusdem Sac. Rituum Congregationis Notarium, Cancellarium, & Archivistam publicum, authenticum, legalem, & fide dignum, talemque, qualem se facit, ejusque publicis, & similibus Scripturis semper in Judicio, & extra adhibitam fuisse, & de præsenti adhiberi fidem. In quorum &c. Datum Romæ ex Ædibus nostris hac die prima Septembris 1680.

Loco ✠ Sigilli.

Pro D. Ant. de Blanchis Not.
Antonius Nardus, in fidem &c.

In Nomine Domini. Amen.

PRæsenti publico Instrumento cunctis ubique pateat evidenter, & sit notum, quod Anno ab ejusdem D. N. Jesu Christi salutifera Nativitate millesimo sexcentesimo, octogesimo, Indictione tertia, die vero quinta mensis Maji, Pontificatus autem Sanctissimi in eodem Christo Patris, & D. N. D. Innocentii Divina Providentia Papæ Undecimi anno ejus quarto (a), cum alias, servatis juxta formam Decretorum San. Mem. Urbani VIII. ac Sacrorum Rituum Congregationis servandis, Sanctiss. D. N. Innocentius Papa XI. ad enixas, ac repetitas preces Potentissimi Caroli Secundi Hispaniarum Regis Catholici, ac Sereniss imæ Mariannæ Reginæ Viduæ ejus Genitricis, necnon Archiepiscoporum, Episcoporum, Cleri, Universitatum, Collegiorum, & Populorum tam Hispaniarum, quam Regni Peruani indulserit, ut Venerabilis Dei Servus Turribius Archiepiscopus Limanus Beati nomine nuncupetur, ejusque Reliquiæ, & Imagines radiis, seu splendoribus exornatæ publico Fidelium Cultui exponantur, ac de eo, tanquam de Confessore Pontifice, sub Ritu semiduplici, juxta Rubricas Missalis, & Breviarii Romani, die XXVII. Aprilis certis in locis Missa celebrari, & Officium recitari possint; prout in Literis in forma Brevis sub Anulo Piscatoris die 28. Junii anni proxime præteriti 1679. expeditis plenius continetur: Cumque hujusmodi Indultum Sanctitas Sua ad Ven. Collegiatam Ecclesiam S. Anastasiæ de Urbe extendi posse concesserit suis Literis pariter in forma Brevis expeditis die nona mensis Martii prox. præt. tenoris sequentis, videlicet: Innocentius Papa XI. Ad futuram rei memoriam. Illius vices, licet immeriti, gerentes in terris, qui Sanctos, & electos suos corona justitiæ donat in Cælis, piis Christi Fidelium votis ad augendam eorumdem Beatorum Cælestis Hierusalem Civium venerationem laudabili studio tendentibus libenter annuimus, illaque favoribus, & gratiis prosequimur opportunis. Cum itaque, sicut dilectus Filius Joannes Franciscus de Vagliadolid Canonicus Metropolitanæ Ecclesiæ Limanæ, ac Postulator in causa Canonizationis Beati Turribii olim Archiepiscopi Limani Nobis nuper exponi fecit, ipse, ad augendam Christi Fidelium erga eumdem Beatum Turribium venerationem illius Imaginem in Sæculari, & Collegiata Ecclesia S. Anastasiæ de Urbe super Altari ibidem a dilectis etiam Filiis Capitulo, & Canonicis ejusdem Ecclesiæ ad id concesso publico Fidelium cultui exponi posse, plurimum desideret; Nos ipsius Joannis Francisci desiderio hac in re, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium duntaxat consequen. harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de Ven. Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium Sacris Ritibus Præpositorum consilio, ut Imago memorati Beati Turribii in prædicta Ecclesia S. Anastasiæ super Altari ad id, sicut præmittitur, concesso publicæ Christi Fidelium veneration exponatur, ipsiusque Beati Turribii Festum die 27. Aprilis, uti certis in locis, quæ in Literis Nostris in simili forma Brevis super illius Beatificatione emanatis expressa sunt, etiam in ipsa Ecclesia S. Anastasiæ cum Officio, & Missa, juxta Rubricas Breviarii, & Missalis Romani, & quantum ad Missas attinet, a Sacerdotibus quoque confluentibus celebretur, Apostolica auctoritate, tenore præsentium concedimus, & indulgemus: Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud S. Petrum sub Anulo Piscatoris die nona Martii 1680. Pontificatus Nostri Anno Quarto. I. G. Sluius. Loco ✠ Anuli Piscatoris. Cum autem in præfata die 27. Aprilis Festivitati Beati Turribii, ut præmittitur, assignata occurrerit hoc anno Sabbatum in Albis, ideoque juxta Rubricas Breviarii Romani idem Festum ad aliam diem transferri contigerit, & ab eodem Sanctiss. D. N. indultum fuerit, ut illud hoc anno in die quinta Maji Dominica secunda post Pascha cum Officio, &, quoad Missas, etiam a confluentibus, in memorata Ecclesia Sanctæ Anastasiæ celebrari possit, & valeat: Ego Notarius publicus infrascriptus requisitus pro parte, & ad instantiam d. Rev. D. Don. Joannis Francisci de Vagliadolid Metropolitanæ Ecclesiæ Limanæ Canonici, & in causa Canonizationis ejusdem Beati Turribii Postulatoris vigilantissimi, ut Solemnia Festivitatis hujusmodi adnotarem, ad præfatam vetustissimam Ecclesiam S. Anastasiæ sub Palatio accessi, meque personaliter contuli; &, ubi perveni ad viam Foro Boario obversam, quæ ad eamdem Ecclesiam ducit, Arcum triumphalem ibi erectum holosericis convestitum conspexi, in quo Effigies prædicti Beati Turribii inter Summi Pontificis, ac Regis Catholici, his vero hinc Capituli, inde Civitatis Limæ subjecta Stemmata, eminebat. Extrinseca Templi facies undique Aulæis, ac peristromatis exornata supra Portam Beati Imaginem Suæ Sanctitatis, Senatus, Populique Romani, ac Cardinalis Gastaldi Ecclesiæ Titularis Insigniis imminentem præferebat. Ecclesiam ingressus illam undique sericis paramentis pulcherrime adornatam aspexi; sed præsertim in primo statim aditu, quamvis longo intuitu, stromata e serico Damasceno rubro, aureis a summo ad imum usque rectis lineis decurrentibus distincta, quibus tota Aræ maximæ apsis, ac latera Altaris in principio navis majoris ad ejusdem Beati honorem erecti utrinque tegebantur, jucundissimum efficiebant prospectum. In media, ac latiori Templi nave plura super ejusdem holoserici industri acu picta peripetasmata, quæ sacram Davidis historiam referebant, inter fenestras distincto, idoneoque ordine distributa, vaga, & speciosa varietate totius ornatus elegantiam non mediocriter augebant. Quamplurimi Cerei su-

(a) Festivitas in Ecclesia Collegiata S. Anastasiæ.

per argenteis Candelabris per Altaria collucebant; & in primis, præter Aram maximam, prædictum Altare in principio navis majoris inter argenteas thecas, non ſolum eximio opere, verum etiam pretioſiſſimis Beati Turribii Reliquiis conſpicuas, pluribus illuſtre luminibus, multiſque ex argento florum vaſis exornatum emicabat. Tabula in illo erat, quæ Imaginem Beati Turribii, Miſſæ Sacro peracto, aquam ex arido ſolo ad Populi levamen, non ſine magno adſtantium ſtupore, educentis a non obſcuri nominis Pictore ad vivum expreſſam repræſentans ſpectantium ad ſe oculos, animoſque trahebat; ita ut omnes, flexis genibus, eumdem Beatum venerantes gratias ab illo aut implorarent, aut ei pro acceptis beneficiis ſingulari pietatis ſenſu redderent. In ipſa majori nave ſcamna viridi panno, albis deſuper impoſitis mappis, cooperta hinc inde in quadrum diſpoſita longo ordine excurrebant; ut ibi confluentes Chriſti Fideles a frequenti, & conferta multitudine non interturbati ea, qua par erat, pietate, & reverentia Sacra Euchariſtia reficerentur. Tanta autem fuit Populi frequentia ad hæc B. Turribii Solemnia inſolito concurſu, & eo majori devotionis fervore confluentis, quo ſibi apertos fuiſſe dignoſcebat Cæleſtium gratiarum theſauros per Indulgentiæ Plenariæ, ac generalis peccatorum expiationis conceſſionem a Sanctiſſimo D. N. factam omnibus utriuſque ſexus Chriſti Fidelibus, qui eamdem Eccleſiam ipſo die Dominico a primis Veſperis uſque ad occaſum Solis devote viſitarent, ac inſuper per ſacra Numiſmata cum iiſdem Indulgentiis, ſtatutis diebus, juxta formulam a Sanctitate Sua ultimo injunctam acquirendis, & Animabus quoque in Purgatorio exiſtentibus per modum ſuffragii applicandis, iis omnibus diſtributa, qui eo mane, animo rite expiato, in eadem Eccleſia Cæleſti Dape refecti ſunt; qui quidem ad Omnipotentis Dei gloriam, ac Beati Turribii laudem, & venerationem, ut infraſcripti Teſtes medio juramento, tactis pectoribus, more &c. aſſeruerunt, & ex Particulis eo die conſumptis dignoſcere potuerunt, ad numerum fere octo millium aſcenderunt. Hujuſmodi vero Indulgentiarum conceſſionis, necnon diſtributionis ſacrorum Numiſmatum cum præfatis Indulgentiis Edicta publica Typis impreſſa ſolitis in locis, ac compitis viarum affixa fuerunt, prout Ego obſervavi, ac etiamnum proſtare vidi, tenoris ſequentis, videlicet: Loco ✠ ✠ ✠ Imaginis prædicti Beati Turribii in medio, & hinc inde Stemmatum Summi Pontificis Innocentii XI. & Eminentiſſimi, & Reverendiſſimi D. Cardinalis Gaſtaldi ejuſdem Collegiatæ Eccleſiæ Titularis. *Invito alla Comunione generale nella Chieſa di S. Anaſtaſia Domenica 5. Maggio per la Feſta del Beato Torribio Arciveſcovo di Lima. Domenica 5. Maggio nella Chieſa di S. Anaſtaſia ſi celebrerà la Feſta del Glorioſo B. Torribio Arciveſcovo di Lima. E tutti quelli, che Confeſſati, e Comunicati, dalli primi Veſpri ſino al tramontare del Sole di detta Domenica, divotamente viſiteranno la ſuddetta Chieſa, ed in eſſa l' Altare del ſopradetto Beato, dove ſtaranno eſpoſte le ſue Sante Reliquie, conſeguiranno l' Indulgenza Plenaria, e Remiſſione di tutti li peccati, conceduta per iſpezial Breve da Noſtro Signore Innocenzio XI. con pregare S. D. M. conforme la ſua Santa Intenzione. In oltre per maggior profitto ſpirituale, a tutti quei Fedeli, che ivi ſi comunicheranno, ſi diſtribuirà la Medaglia con la Benedizione in articolo di morte, e con altre Indulgenze da applicarſi anche all' Anime del Purgatorio per modo di Suffragio, ſecondo la forma ultimamente ſtabilita da Sua Santità. Perciò s'eſorta ciaſcun Fedel Criſtiano all' acquiſto di sì gran teſoro d' Indulgenze. In Roma, nella Stamperia della Reverenda Camera Appoſtolica* 1680. Præſtituta hora, Illuſtriſſimus, & Reverendiſſimus D. Proſper Bottinius Archiepiſcopus Myren. Sacræ Fidei Promotor, qui, ut infraſcripti Teſtes pariter aſſeruerunt, die ſecunda prædicti Menſis Maji currentis præfatum Altare eidem Beato Turribio dicatum conſecraverat a DD. Capitulo, & Canonicis ejuſdem Eccleſiæ ad Miſſæ Sacrum peragendum invitatus, e Sacrario, præcedente Cruce cum Acolytis, Clericis, aliiſque pro miniſterii ſervitio Sacerdotibus Cotta amictis, necnon præfatis Canonicis, inter duos ex ipſis antiquiores Rochetto, & Mantelletto indutus ad Altare majus ſe contulit: ubi, brevi facta oratione, ſedens in Faldiſtorio Sacras, & ad Miſſæ Sacrificium idoneas, multo rigentes auro, ac eleganter phrygiatas veſtes cum Mitra pretioſa induit; &, aſſiſtentibus ſibi Presbytero, Diacono, & Subdiacono, pluribuſque ex ſupradictis Clericis, necnon Canonicis ſuis in ſtallis conſidentibus Miſſam de Confeſſ. Pontif. Organorum, & Muſicorum concentibus intermixtam ſolemni pompa celebravit. Duo enim ad Cantores excipiendos Odea, ſeu Tabulata Aulæis ſericis conveſtita, ac ligneis craticulis auro ſplendentibus permunita inter majorem, minoreſve Templi naves hinc inde aſſurgebant. In elevatione Auguſtiſſimi Sacramenti (prout etiam ſummo mane, & ad Canticum *Magnificat* in utriſque Veſperis peractum eſt) quamplurimæ ignivomæ pilæ æneæ incendiario pulvere onuſtæ, pro hujuſmodi Solemnitatis plauſu exploſæ, horribili ſimul ſtrepitu adſtantium lætitiam cum religione conjunctam geminarunt. Demum Veſperarum Officia, aſſiſtentibus DD. Canonicis, ceteriſque Sacerdotibus, ac Clericis, per D. Canonicum Decanum jucundis, ac exquiſitis Muſicorum vocibus, & ſuavibus variorum Inſtrumentorum harmoniis abſoluta fuerunt. Inſuper innumeræ Imagines ejuſdem Beati Turribii in varias formas impreſſæ, ſingulæ tamen admiranda, & glorioſa ejus Geſta exhibentes, necnon compendium ejus Vitæ innumerabili utriuſque ſexus Chriſti Fidelium multitudini a ſummo mane uſque ad Veſperas ad præfatam Eccleſiam, ut Beatum Archiepiſcopum, ejuſque Reliquias ſuper Altari expoſitas venerarentur, ac ſuam erga eumdem pietatem, & religionem oſtenderent, celebri, ac innumerabili concurſu confluenti pro qualitate, & gradu quoque ſuo tanta liberalitate diſtributæ fuerunt, ut unuſquiſque ſuæ ſatisfecerit erga prædictum Beatum devotioni. Atque ita hujuſmodi Solemnia in honorem Beati Turribii celebrata ſunt. Super quibus omnibus, & ſingulis prædictis petitum fuit a me Notario publico infraſcripto, ut unum, ſeu plura publicum, ſeu publica, Inſtrumentum, & Inſtrumenta conficerem, atque traderem, prout opus fuerit, & requiſitus ero. Actum Romæ in dicta Eccleſia Sanctæ Anaſtaſiæ ſub Palatio, præſentibus ibidem, videntibus, & omnibus prædictis intereſſentibus Perilluſtri, & Adm. R. D. Carolo Philippo de Angelis Filio q. Dominici Romano, ac R. D. Ambroſio dell' Aquila Filio q. Franciſci Ruben. Diœceſis, Magiſtro Cæremoniarum, & Sacriſta reſpective ejuſdem Collegiatæ, Teſtibus ad ſupradicta omnia, & ſingula vocatis, habitis ſpecialiter, atque rogatis.

Ego Jeremias de Rubeis Curiæ Cauſarum Eminentiſſimi, & Reverendiſſimi D. Sanctiſſimi D. N. Papæ Cardinalis Vicarii Generalis Notarius de præmiſſis rogatus præſens Inſtrumentum ſubſcripſi, & publicavi requiſitus &c.

Loco ✠ Signi.

NOs Gaſpar Tituli S. Silveſtri de Capite S. R. E. Presbyter Cardinalis de Carpineo, SS. D. N. Papæ Vicarius Generalis, Romanæque Curiæ, & ejus Diſtrictus Judex Ordinarius &c. Univerſis &c. fidem facimus &c. ſupradictum D. Jeremiam de Rubeis de præmiſſis rogatum fuiſſe, & eſſe publicum, verum, legalem, authenticum, & fide dignum Notarium, ac talem, qualem ſe facit; Scripturiſque ſuis publicis, & ſimilibus ſemper in Judicio, & extra adhibitam fuiſſe, & de præſenti magis indubiam adhiberi fidem. In fidem &c. Datum Romæ ex Ædibus noſtris hac die prima Septembris 1680.

Loco ✠ Sigilli.

Pro D. Antonio de Blanchis Not.
Andreas de Achillis, in fidem &c.

UAB
Biblioteca de Ciències Socials

APPENDIX QUINTA.

BREVIA

BEATIFICATIONUM SERVI DEI

PETRI FORERII,

SERVÆ DEI

CATHARINÆ DE RICCIIS,

SERVI DEI

ALEXANDRI SAULII,

ET SERVI DEI

CAMILLI DE LELLIS,

De quibus in Superiori Cap. 24.

Beatificatio Servi Dei PETRI FORERII *de Mataincuria Sacerdotis Lotharingi, Præpositi Generalis, & Reformatoris* Congregationis Salvatoris Noſtri, nuncupatæ Ordinis Canonicorum Regularium S. Auguſtini, *necnon Inſtitutoris* Monialium Congregationis ſub titulo Dominæ Noſtræ, & Regula ejuſdem Sancti Auguſtini.

BENEDICTUS PAPA XIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

LAUDEMUS Viros glorioſos, qui in converſatione gentis non ſecundum carnem ambulantes, ſed ſpiritu facta carnis mortificantes non ſolum ſemetipſos, ac voluntatem ſuam cum omnibus terrenis deſideriis abnegarunt, atque ſub ſuavi regularis diſciplinæ jugo obtulerunt Deo in holocauſtum, verum, diffuſa in cordibus ſuis caritate, non minus de aliena, quam de propria ſalute ſolliciti viam mandatorum Domini, ac Chriſtianæ perfectionis ſemitam, in qua direxerant greſſus ſuos, Chriſti Fideles verbo, & exemplo, ſaluberrimiſque præceptis, & inſtitutis conſtanter ſectari, ac tuto decurrere edocuerunt, feliciterque confecto mortalis hujus ævi ſtadio, æternam repromiſſionem, ac juſtitiæ Coronam in Cæleſtis Hieruſalem ſtabilitate accipere meruerunt. Quos inter cum longe, lateque refulſerit Dei Servus PETRUS FORERIUS de Mataincuria, Sacerdos Lotharingus, Præpoſitus Generalis, & Reformator Congregationis Salvatoris Noſtri, nuncupatæ Ordinis Canonicorum Regularium Sancti Auguſtini, necnon Inſtitutor Monialium Congregationis ſub titulo Dominæ Noſtræ, ac Regula ejuſdem Sancti Auguſtini, digna tanti Parentis Soboles, quæ, quaſi Arcus refulgens inter Nebulas, & quaſi Flos roſarum in diebus Vernis, Eccleſiam nominis ſui celebritate, ac ſpiritualium aromatum odore implevit; Apoſtolici Miniſterii, quod, viribus licet, & meritis longe impares, divina dignatione gerimus, ratio poſtulat, ut illius Cultui, & venerationi in terris, ad Dei laudem, ipſius Eccleſiæ decus, ſpiritualemque Populi Chriſtiani ædificationem, poteſtate Nobis a Domino tradita conſulamus. Cum itaque mature, diligenterque diſcuſſis, atque perpenſis per Congregationem Venerabilium Fratrum Noſtrorum S. R. E. Cardinalium Sacris Ritibus Præpoſitorum Proceſſibus de Apoſtolicæ Sedis licentia rite, & recte confectis ſuper vitæ Sanctitate, & virtutibus heroicis, quibus idem Servus Dei PETRUS FORERIUS multipliciter claruiſſe, necnon miraculis, quæ ad ejus interceſſionem, & ad manifeſtandam hominibus illius Sanctitatem a Deo patrata fuiſſe aſſerebantur, & ſubinde auditis per Nos de more eorumdem Cardinalium, ac etiam hujus Congregationis Conſultorum Suffragiis, aſſiduiſque, ac humilibus precibus implorato prius Superni Luminis auxilio, alias decreverimus, prædictum Servum Dei Beatum cum ſolitis Indultis declarare: Hinc eſt, quod Nos piis, atque enixis Cariſſimi in Chriſto Filii Noſtri Caroli Hiſpaniarum Catholici, & Romanorum Regis in Imperatorem electi, ac dilecti Filii Nobilis Juvenis Franciſci Lotharingiæ, & Barri Ducis, & dilectæ pariter in Chriſto Filiæ Nobilis Mulieris Carolæ Eliſabethæ a Francia Lotharingia itidem, & Barri Duciſſæ Viduæ, necnon Venerabilium Fratrum Epiſcoporum Tullenſis, & Virdunenſis, dilectorumque Filiorum totius Cleri, & Populi Ducatuum Lotharingiæ, & Barri hujuſmodi, ac univerſi Ordinis Canonicorum Regularium Sancti Auguſtini, præcipue vero dictæ Congregationis Salvatoris Noſtri, ac inſuper Monialium memoratæ Congregationis ſub titulo Dominæ Noſtræ ſupplicationibus Nobis ſuper hoc humiliter porrectis paterna benignitate annuentes, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium indulgemus, ut idem Servus Dei PETRUS FORERIUS in poſterum BEATI nomine nuncupetur, ejuſque Corpus, & Reliquiæ Venerationi Fidelium (non tamen in Proceſſionibus circumferenda) exponantur, Imagines quoque radiis, ſeu ſplendoribus exornentur, ac de eo recitetur Officium, & Miſſa celebretur de Confeſſore non Pontifice ſingulis annis juxta Rubricas Breviarii, & Miſſalis Romani die vii. Julii, cum dies ix. Decembris, qua ipſe Servus Dei Spiritum Creatori reddidit, & aliæ plures illam ſubſequentes, ut notum eſt, impeditæ reperiantur. Porro recitationem Officii, ac Miſſæ celebrationem hujuſmodi fieri concedimus in locis duntaxat infraſcriptis, videlicet in Oppido Mirecuriæ Tullenſis Diœceſis, in quo dictus Servus Dei natus eſt, in Monaſterio, ſeu Abbatia de Calmuſiaco, Gallice Chaumouſey, ubi Habitum præfati Ordinis Canonicorum Regularium ſuſcepit, Profeſſionemque Regularem emiſit, in Oppidis Mataincuriæ ejuſdem Tullenſis Diœceſis, in quo curam Animarum obivit, ejuſque Venerabile Corpus requieſcit, ſeu depoſitum reperitur, & Graii in Comitatu Burgundiæ, unde ad Cælos evolavit, & ubi Cor illius aſſervatur, ac Lunevil-

læ, ubi prima ſuſceptæ Reformationis fundamenta jecit, ab omnibus utriuſque ſexus Chriſti Fidelibus tam Sæcularibus, quam Regularibus, qui ad Horas Canonicas tenentur, necnon in univerſa Congregatione Salvatoris Noſtri, ac Eccleſiis, ſive Capellis, vel Oratoriis Congregationis Monialium ſub titulo Dominæ Noſtræ, quas idem Dei Servus reformavit, ac reſpective inſtituit, ſicut præmittitur, &, quantum ad Miſſas attinet, etiam ab omnibus Presbyteris, ad Eccleſias, in quibus Feſtum peragetur, confluentibus. Præterea, primo duntaxat anno a datis hiſce Litteris, & quoad Indias, a die quo eædem Litteræ illuc pervenerint, inchoando, in Eccleſiis Oppidorum, Monaſterii, ſeu Abbatiæ, ac utriuſque Congregationis hujuſmodi Solemnia Beatificationis ipſius Servi Dei cum Officio, & Miſſa ſub Ritu duplici majori die ab Ordinariis gratiam, & communionem Sedis Apoſtolicæ habentibus reſpective conſtituta, poſtquam tamen in Baſilica Principis Apoſtolorum de Urbe celebrata fuerint eadem Solemnia, pro qua re diem xxix. currentis menſis Januarii aſſignamus, pariter celebrandi facimus poteſtatem: Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, ac Decretis de non Cultu editis, ceteriſque contrariis quibuſcumque. Volumus autem, ut præſentium Literarum Tranſumptis, ſeu Exemplis, etiam impreſſis, manu Secretarii ſupradictæ Congregationis Cardinalium ſubſcriptis, & Sigillo Præfecti, ſeu Pro-Præfecti ejuſdem Congregationis munitis eadem prorſus fides ab omnibus, & ubique tam in Judicio, quam extra illud habeatur, quæ ipſis præſentibus haberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub Anulo Piſcatoris die decima Januarii 1730. Pontificatus Noſtri anno ſexto.

Pro D. Card. Oliverio.
C. Archiepiſcopus Emiſſenus.

BEATIFICATIO

Servæ Dei CATHARINÆ DE RICCIIS Monialis expreſſe Profeſſæ Ordinis Sancti Dominici.

CLEMENS PAPA XII.

Ad perpetuam rei memoriam.

IN Apoſtolicæ dignitatis faſtigio nullis licet meritorum Noſtrorum ſuffragiis, per ineffabilem Divinæ Bonitatis abundantiam conſtituti ad ea, per quæ Sacrarum Virginum cum Cæleſti Sponſo in Beata æternitate regnantium, in quibus, utpote vaſculis imbecillioribus, opus dexteræ Excelſi mirabilius apparuit, ac tanquam pretioſis monilibus multipliciter gaudet, atque refulget Eccleſiæ Matris gloriosa fœcunditas, Cultus, & Veneratio in terris promoveatur, libenter intendimus; ſicut pia Chriſtifidelium, præſertim Catholicorum Principum, vota poſtulant, & ad Omnipotentis Dei gloriam, ipſiuſque Eccleſiæ decus, & præſidium, ac ædificationem Fidelium, & Animarum ſalutem cognoſcimus in Domino expedire. Cum itaque, accurate diſcuſſis, atque perpenſis per Congregationem Venerabilium Fratrum Noſtrorum Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium Sacris Ritibus Præpoſitorum Proceſſibus de Sedis Apoſtolicæ licentia confectis ſuper Vitæ Sanctitate, & virtutibus in gradu heroico, quibus Serva Dei Catharina de Ricciis Monialis expreſſe Profeſſa Ordinis Sancti Dominici claruiſſe, necnon miraculis, quæ ad ejus interceſſionem a Deo patrata fuiſſe aſſerebantur, Congregatio præfata coram Nobis conſtituta, auditis etiam Conſultorum Suffragiis, unanimiter cenſuerit, ad ejuſdem Servæ Dei Beatificationem, quandocumque Nobis videretur, tuto procedi poſſe: Hinc eſt, quod Nos piis, atque enixis dilecti Filii Nobilis Viri Joannis Gaſtonis Hetruriæ ſibi ſubjectæ Magni Ducis, ac totius Ordinis Sancti Dominici, necnon dilectarum in Chriſto Filiarum Monialium Monaſterii S. Vincentii Civitatis Pratenſ. in quo prædicta Serva Dei Regularem Profeſſionem emiſit, atque in Domino obdormivit, ſupplicationibus Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, de memoratorum Cardinalium conſilio, & aſſenſu, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium indulgemus, ut eadem Serva Dei CATHARINA DE RICCIIS in poſterum Beatæ nomine nuncupetur, ejuſque Corpus, & Reliquiæ venerationi Fidelium (non tamen in Proceſſionibus circumferenda) exponantur, Imagines quoque radiis, ſeu ſplendoribus exornentur, ac de ea ſub Ritu duplici recitetur Officium, & Miſſa celebretur de Virgine non Martyre ſingulis annis juxta Rubricas Breviarii, & Miſſalis Romani die xiii. Februarii. Porro recitationem Officii, ac Miſſæ celebrationem hujuſmodi fieri concedimus in locis tantum infraſcriptis, nempe in Civitate Florentina, ubi dicta Serva Dei ortum habuit, in præfata Civitate Pratenſ. ubi diem clauſit extremum, ac in univerſo Ordine Sancti Dominici tam Fratrum, quam Monialium, cujus Habitum geſſit; &, quantum ad Miſſas attinet, etiam a Sacerdotibus confluentibus. Præterea, primo duntaxat anno a datis hiſce Literis, & quoad Indias, a die quo eædem præſentes Literæ illuc pervenerint, inchoando, in Eccleſiis Civitatum Florentin. ac Pratenſ. & Ordinis prædictorum Solemnia Beatificationis ejuſdem cum Officio, & Miſſa ſub Ritu duplici majori, die ab Ordinariis reſpective conſtituta, & intra ſex menſes promulganda, poſtquam tamen in Baſilica Principis Apoſtolorum de Urbe celebrata fuerint ejuſmodi Solemnia, pro qua re diem xxiii. menſis Novembris proxime venturi aſſignamus, pariter celebrandi facimus poteſtatem: Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, ac Decretis de, & ſuper non Cultu editis, ceteriſque contrariis quibuſcumque. Volumus autem, ut ipſarum præſentium Literarum Tranſumptis, ſeu Exemplis, etiam impreſſis, manu Secretarii ſupradictæ Congregationis Cardinalium ſubſcriptis, & Sigillo Præfecti, ſeu Pro-Præfecti ejuſdem Congregationis munitis eadem prorſus fides ab omnibus, & ubique tam in Judicio, quam extra illud habeatur, quę ipſis præſentibus haberetur, ſi forent exhibitę, vel oſtenſę. Datum Romę apud S. Mariam Majorem ſub Anulo Piſcatoris die prima Octobris 1732. Pontificatus Noſtri anno tertio.

F. Cardinalis Oliverius.

BEA-

BEATIFICATIO

Servi Dei ALEXANDRI SAULII ex Clericis Regularibus Sancti Pauli Barnabitis nuncupatis, primum Alexiæ, deinde Papiæ Epiſcopi.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Ad perpetuam rei memoriam.

BENIGNITATEM Dei noſtri, & divitias bonitatis ejus in Servi Dei Alexandri Saulii primum Alexiæ, deinde Papiæ Antiſtitis virtutibus, ac meritis extollere & prædicare, non religionis modo debitum eſſe ducimus officium; ſed nihil etiam intelligimus in hac temporum conditione eſſe opportunius, quam ut univerſis Chriſtifidelibus, & animarum maxime Paſtoribus uberiora ſuppetant ad imitationem exempla; atque in ejuſdem patrocinio, factiſque admirandis præſidia ad pacem, tranquillitatem, & ſalutem tam inter Chriſtianos omnes, quam inter eos potiſſimum populos procurandam, quos ab illo per viginti & amplius annos, non tamquam ſolius Alexiæ Epiſcopo, ſed totius Corſicæ Apoſtolo, olim ſalutaribus monitis, ac legibus inſtructos, & moribus correctis, extinctis odiis, conciliatis animis, reformatiſque Clericis, viam mandatorum Dei currere edoctos ipſa rerum humanarum divinarumque perturbatio jamdudum inibi exorta a tradita ſanctiſſima diſciplina alienos tenet. Eapropter inter præcipuas partes Apoſtolici muneris, quod altiſſimo Divinæ ſapientiæ conſilio infirmitati noſtræ impoſitum eſt, illam miniſterio noſtro rite ſancteque obeundo magis congruentem reputamus, ut ad cœleſtem Nobis promerendam opem ſtudeamus, quantum Nobis ex alto conceditur, ad omnipotentis Dei gloriam, Catholicæ Eccleſiæ decus, bonumque Chriſtiani Populi exemplum, promovere Cultum & Venerationem ejuſdem Servi Dei, qui puritiæ curriculo ſumma cum pietatis, & doctrinarum laude confecto, ſeverioris diſciplinæ inſtitutum in Congregatione Clericorum Regularium S. Pauli Barnabitarum nuncupata amplexus, omnium religioſarum virtutum ſplendore longe lateque præfulſit, & ad Paſtorales ovium ſibi commendatarum curas evocatus, ita ſe geſſit, ut optimi Paſtoris officio perfunctum a Paſtorum Principe Jeſu Chriſto æterna mercede donatum fuiſſe non dubitemus. Cum igitur mature diligenterque diſcuſſis, atque perpenſis per Congregationem Venerabilium Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardin. Sacris Ritibus Præpoſitorum Proceſſibus de Apoſtolicæ Sedis licentia confectis ſuper Vitæ Sanctitate, & virtutibus tam theologicis, quam moralibus, in gradu heroico, quibus idem Servus Dei Alexander Saulius multipliciter claruiſſe, necnon miraculis, quæ ad ejus interceſſionem, & ad manifeſtandam hominibus ipſius Sanctitatem, a Deo patrata fuiſſe aſſerebatur; eadem Congregatio coram Nobis conſtituta, auditis etiam Conſultorum ſuffragiis, uno ſpiritu, unaque voce cenſuerit, poſſe, quandocumque Nobis videretur, prædictum Servum Dei Beatum declarari cum conſuetis Indultis; hinc eſt, quod Nos piis atque enixis quamplurium Venerabilium Fratrum Archiepiſcoporum, & Epiſcoporum, necnon Dilectorum Filiorum Magiſtratuum, Procerum, & Populorum Italiæ præſertim, ac totius inſuper antedictæ Congregationis Clericorum Regularium Sancti Pauli ſupplicationibus (quas olim etiam humiliter datas ſel. record. Prædeceſſoribus noſtris Innoc. Papæ X. clar. mem. Ferdinandus Romanorum Rex in Imperatorem electus, Clementi Papæ X. bon. mem. Emmanuel Sabaudiæ Dux, & Innoc. Papæ XI. Coſmus itidem bon. mem. Etruriæ ſibi ſubjectæ Magnus Dux piarum ſuarum precum acceſſione roboraverant, & felicis pariter recordationis Clementi Papæ XII. itidem Prædeceſſori noſtro Chariſſima in Chriſto Filia noſtra Maria Amalia utriuſque Siciliæ, & Hieruſalem Regina illuſtris, ac Nobis ipſis nuper dilecti Filii nobiles Viri Dux & Reſpublica Januenſis renovarunt) Nobis ſuper hoc humiliter porrectis benigne inclinati, de ſupradictæ Congregationis conſilio & aſſenſu, auctoritate Apoſtolica tenore præſentium indulgemus, ut idem Dei Servus Alexander Saulius in poſterum Beati nomine nuncupetur, ejuſque Corpus & Reliquiæ veneration-Fidelium (non tamen in Proceſſionibus circumferendæ i exponantur. Imagines quoque Radiis, ſeu ſplendoribu) exornentur, ac de eo quotannis die vigeſima tertia menſis Aprilis recitetur Officium & Miſſa de Communi Confeſſoris Pontificis cum Oratione a Nobis approbata, juxta Rubricas Breviarii, & Miſſalis Romani. Porro recitationem Officii, & Miſſæ celebrationem hujuſmodfieri concedimus dumtaxat in univerſa Congregatione eorumdem Clericorum Regularium Sancti Pauli Barnabitarum, in Civitate Mediolanenſi, ubi natus, & Regularem emiſit Profeſſionem, in Diœceſibus tam Alexienſi, quam Ticinenſi, quibus Epiſcopus præfuit, & in Civitate Januenſi, unde Originem duxit, & ubi adhuc ejus nobilis Gens & Familia perſtat, ab omnibus utriuſque ſexus Chriſtifidelibus tam Sæcularibus, quam Regularibus, qui ad Horas Canonicas tenentur, & quantum ad Miſſas attinet, etiam ab omnibus Sacerdotibus ad Eccleſias, in quibus Feſtum peragetur, confluentibus. Præterea primo dumtaxat anno a datis hiſce literis, & quoad Indias a die, quo eædem literæ illuc pervenerint, inchoando, in Eccleſiis Congregationis Civitatum & Diœceſum antedictarum Solemnia Beatificationis ipſius Servi Dei cum Officio & Miſſa ſub ritu duplici majori, die ab Ordinariis reſpective conſtituta, poſtquam in Baſilica noſtra Sancti Petri in Vaticano de Urbe celebrata fuerint eadem Solemnia ipſa die 23. currentis menſis Aprilis, pariter celebrandi facimus poteſtatem, non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, ac Decretis de non Cultu editis, ceteriſque contrariis quibuſcumque. Volumus autem, ut earumdem præſentium literarum tranſumptis, ſeu exemplis etiam impreſſis, manu Secretarii dictæ Congregationis Cardinalium ſubſcriptis, & Sigillo Præfecti ejuſdem Congregationis munitis eadem prorſus fides ab omnibus, & ubique, tam in Judicio, quam extra illud habeatur, quæ ipſis præſentibus haberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Anulo Piſcatoris die 23. Aprilis 1741. Pontificatus Noſtri Anno Primo.

D. Cardinalis Paſſioneus.

BRE-

UAB Biblioteca de Ciències Socials

BREVE

Beatificationis Beati CAMILLI De LELLIS Fundatoris Clericorum Regularium Miniſtrantium Infirmis.

BENEDICTUS PP. XIV.

Ad perpetuam rei memoriam.

IN virtutibus, rebuſque a Servo Dei CAMILLO DE LELLIS Congregationis Clericorum Regularium Miniſtrantium Infirmis Fundatore ad divini honoris cultum promovendum, augendumque, & ad opportuna procurandæ animarum Chriſtifidelium ſaluti commoda, ac remedia comparanda præclare geſtis, in quibus magnificata eſt dextera Excelſi, & ampliſſime triumphavit virtus Spiritus Sancti, divina ipſius miſericordiarum Patris, qui mirabilis eſt in Servis ſuis, opera revelare, & confiteri non ſolum honorificum, ſed in hac potiſſimum aſpera temporum conditione ſalutare etiam, ac neceſſarium eſſe ducimus, ut & univerſi Chriſtifideles benignitatem Dei noſtri, & divitias bonitatis ejus prædicantes, nova, atque uberrima habeant ad imitationem exempla, & ipſe Servus Dei meritis honoribus mactatus in terris certo e Cælis patrocinio ſuo in diebus noſtris impetret perpetuæ inter Chriſtianos Principes pacis communis Populorum tranquillitatis, & æternæ ſalutis auſpicia, atque præſidia. Erraverat ille quidem a ſemita, quam tenuerant Servi Dei, qua iter ad Cæleſtem Patriam intenditur, & ipſum fore perſecuturum capta quædam in nativitate auguria addicebant; ſed peculiari miſerentis Dei providentia in viam rectam in ſolemni die Purificationi Beatæ Virginis Mariæ Immaculatæ ſacra revocatum adeo replevit ſpiritus timoris Domini, ſpiritus conſilii, & fortitudinis, ut ejuſdem amoris igne accenſus, amare fleverit; atque arduum Chriſtianæ pœnitentiæ, & perfectionis ſtadium ingreſſus, curriculum omnium virtutum, relicto aliis, atque ſui præſertim Inſtituti Alumnis ad præeuntem impigre ſectandum incitamento, confecerit; Unde a bonorum omnium largitore Deo immortalis beatitudinis bravium accepiſſe nullus ambigendi ſit locus. Quamobrem nihil ad ſupremum, graviſſimumque Apoſtolicæ ſervitutis in Catholicæ Eccleſiæ procuratione imbecillitati noſtræ per ineffabilem divinæ bonitatis abundantiam demandatum miniſterium rite ſancteque obeundum intelligimus eſſe aptius, aut magis idoneum, quam ut, quantum Nobis ex Alto conceditur, ejuſdem Servi Dei CAMILLI de Republica Chriſtiana, atque hac Alma Urbe noſtra, in qua maxime luculentiſſima ſuarum virtutum præſetulit ſpecimina, & mortali vitæ finem impoſuit, benemerentiſſimi cultum, & venerationem ad Omnipotentis Dei gloriam, Catholicæ Eccleſiæ decus, & Chriſtiani populi utilitatem promoveamus. Cum itaque, mature, diligenterque diſcuſſis, atque perpenſis per Congregationem Ven. Fratrum Noſtrorum S. R. E. Cardinalium ſacris Ritibus præpoſitorum proceſſibus de Apoſtolicæ Sedis licentia confectis, ſuper vitæ ſanctitate, & virtutibus tam Theologicis, quam Moralibus in gradu heroico, quibus eumdem Servum Dei CAMILLUM DE LELLIS multipliciter claruiſſe, nec non miraculis, quæ ad ejus interceſſionem, & ad manifeſtandam hominibus ipſius ſanctitatem a Deo patrata fuiſſe aſſerebatur, eadem Congregatio coram Nobis conſtituta, auditis etiam Conſultorum ſuffragiis, uno ſpiritu, unaque voce cenſuerit, poſſe quandocumque Nobis videretur, prædictum Servum Dei BEATUM declarari cum conſuetis indultis: Hinc eſt, quod Nos piis, atque enixis antedictæ Congregationis Clericorum Regularium Miniſtrantium Infirmis jamdudum ſæpius porrectis ſupplicationibus, quibus olim ſuas, & cl. me. Hiſpaniarum Reges Catholici, tum Philippus III. tum Philippus IV. ad fel. rec. Paulum PP. V. Greg. PP. XV. & Alex. PP. VII. Prædeceſſores noſtros, & utriuſque ſexus Principes, ac Duces, nec non Nobiles Viri Electi Civitatis Neapolitanæ, aliique ex Ordine Eccleſiaſtico preces, & vota conjunxerant, Nobis nuper iterum porrectis benigne inclinati, de ſupradictæ Congregationis conſilio, & aſſenſu, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium indulgemus, ut idem Servus Dei CAMILLUS DE LELLIS in poſterum BEATI nomine nuncupetur, ejuſque Corpus, & Reliquiæ venerationi fidelium (non tamen in proceſſionibus circumferendæ) exponantur; Imagines quoque radiis, ſeu ſplendoribus exornentur, ac de eo quotannis die XV. menſis Julii recitetur Officium, & Miſſa de Communi Confeſſoris non Pontificis cum Oratione a Nobis approbata juxta Rubricas Breviarii, & Miſſalis Romani. Porro recitationem Officii, & Miſſæ celebrationem hujuſmodi fieri concedimus dumtaxat in univerſa Congregatione eorumdem Clericorum Regularium Miniſtrantium Infirmis, & in Civitate, ac Diœc. Theatina, ubi natus, ab omnibus utriuſque ſexus Chriſtifidelibus tam Sæcularibus, quam Regularibus, qui ad Horas Canonicas tenentur, & quantum ad Miſſas attinet, etiam ab omnibus Sacerdotibus ad Eccleſias, in quibus Feſtum peragetur, confluentibus. Præterea primo dumtaxat anno a datis hiſce litteris, & quoad Indias a die, quo eædem literæ illuc pervenerint, inchoando, in Eccleſiis Congregationis, Civitatis, & Diœceſis antedictæ ſolemnia Beatificationis ipſius Servi Dei cum Officio, & Miſſa ſub ritu duplici majori, die ab Ordinario reſpective conſtituta, poſtquam in Baſilica noſtra S. Petri in Vaticano celebrata fuerint eadem ſolemnia Dominica ſecunda poſt Paſcha Reſurrectionis D. N. JESU CHRISTI currentis anni MDCCXLII. pariter celebrandi facimus poteſtatem. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, ac Decretis de non cultu editis, ceteriſque contrariis quibuſcumque. Volumus autem, ut earumdem præſentium literarum tranſumptis, ſeu exemplis, etiam impreſſis, manu Secretarii dictæ Congregationis Cardinalium ſubſcriptis, & ſigillo Præfecti ejuſdem Congregationis eadem prorſus fides ab omnibus, & ubique tam in judicio, quam extra illud habeatur, quæ ipſis præſentibus haberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die VII. Aprilis MDCCXLII. Pontificatus Noſtri Anno Secundo.

D. Card. Paſſioneus.

UAB Biblioteca de Ciències Socials

APPENDIX SEXTA.

BREVE

SOLEMNIS BEATIFICATIONIS BB. MARTYRUM

GORCOMIENSIUM

Undecim ex Ordine Fratrum Minorum Sancti Franciſci de Obſervantia, & aliorum octo, qui in odium Orthodoxæ Fidei 9. Julii 1572. ſimul Brilæ perempti ſunt.

De quo in ſuperiori Cap. 27.

CLEMENS PAPA X.

Ad perpetuam rei memoriam.

SANCTORUM Martyrum, quos a caritate Chriſti non tribulatio, non anguſtia, non fames, non nuditas, non periculum, non perſecutio, non gladius ſeparavit, ſed Fidei, dilectioniſque vigor inter cruciatuum certamina, Agonotheta Chriſto adjuvante, victores præſtitit, &, conſumato paſſionis curſu, ad cæleſtis Coronæ gloriam evexit, agones, & triumphos in Sancta Dei Eccleſia celebrari, ac condignis laudum præconiis, atque venerationis honoribus decorari decet; ut, qui ſanguinis ſui pretio immortalitatem emerunt, illuſtriaque invictæ virtutis ſuæ exempla reliquerunt, de noſtra ſint ſolliciti, qui de ſua ſunt ſalute ſecuri, & pia, potentique apud Imperatorem Noſtrum, qui in fortiſſimorum pugilum ſuorum honoribus honoratur, & cui ipſi in ſtolis candidis die, ac nocte ſerviunt in Templo ejus, interceſſione, imbecillitati noſtræ inter ſæculi tentationes laboranti cæleſtis gratiæ munera impetrent, quibus & nos rectum vitæ curſum tenere, & propoſitum nobis æternæ beatitudinis bravium conſequi mereamur. In hanc Nos curam ex debito Paſtoralis Officii, quod infirmitati Noſtræ credidit Divina dignatio, propenſis ſtudiis incumbentes flagitantia id ipſum Chriſtifidelium vota, & exauditionis gratiam libenter admittimus; ſicut ad gloriam Omnipotentis Dei, ad exaltationem Catholicæ Fidei, ſpiritualemque Fidelium conſolationem, atque ædificationem ſalubriter in Domino expedire arbitramur. Cum itaque mature, diligenterque diſcuſſi, & perpenſi fuerint per Congregationem Venerabilium Fratrum Noſtrorum S. R. E. Cardinalium Sacris Ritibus Præpoſitorum Proceſſus de hujus Sanctæ Sedis Apoſtolicæ licentia confecti ſuper Martyrio, & cauſa Martyrii novemdecim Dei Servorum Gorcomienſium nuncupatorum, undecim quidem Ordinis Fratrum Minorum S. Franciſci de Obſervantia nuncupatorum, videlicet Nicolai Pichi Gorcomienſis Guardiani, Hieronymi Werdani Vicarii, Theodorici Emdeni Amersfortii, Nicaſii Joannis Hezii, Willehadi Dani, Godefridi Mervellani, Antonii Werdani, Antonii Hornarienſis, Franciſci Rodii Bruxellenſis Sacerdotum, & Petri Aſcani, ac Cornelii Wicani Laicorum, & aliorum octo, nempe Joannis Sacerdotis Ordinis Prædicatorum, & Adriani Becani, ac Jacobi Lacopii Aldenardenſis amborum Ordinis Præmonſtratenſis, & Joannis Oſterwicani Canonici Regularis Ordinis Sancti Auguſtini, ac Leonardi Vecchelii Buſcoducenſis, Nicolai Poppelii Weldani, Godefridi Dunei Gorcomienſis, & Andreæ Waltheri Sacerdotum, & Parochorum ſæcularium, qui omnes ſimul in odium Catholicæ Fidei, primatus Romanæ Eccleſiæ, & Auguſtiſſimi Euchariſtiæ Sacramenti poſt atrociſſima, & immaniſſima tormenta Brilæ in Hollandia Anno 1572. interfecti Palmam Martyrii accepiſſe aſſerebantur, ac ſuper Signis, Prodigiis, & miraculis, quæ ad manifeſtandam Mundo finalem eorum perſeverantiam a Deo edita, & patrata fuiſſe dicebantur; factaque demum coram Nobis omnium, quæ in hac cauſa geſta ſunt, plena, & diſtincta relatione, præfata Congregatio Cardinalium, auditis etiam Conſultorum Suffragiis, cenſuerit poſſe, quandocumque Nobis videretur, ad Solemnem eorumdem Dei Servorum Canonizationem tuto deveniri, interim vero indulgeri, ut in univerſo Terrarum Orbe Beati nuncupentur: Hinc eſt, quod Nos piis, atque enixis Cariſſimi in Chriſto Filii Noſtri Leopoldi Romanorum Regis Illuſtris in Imperatorem electi, aliorumque Principum, ac diverſorum, præſertim Belgii, Antiſtitum, necnon Ducatus Brabantiæ, & Comitatus Flandriæ Ordinum, ac dilectorum Filiorum Franciſci Mariæ a Cremona Miniſtri Generalis, & totius Ordinis Fratrum Minorum S. Franciſci de Obſervantia nuncupatorum, & ſignanter Ignatii de Broeyer ejuſdem Ordinis Profeſſoris, & Secretarii Generalis, ac Nationis Germano-Belgicæ Ordinis hujuſmodi in Romana Curia negotiorum Geſtoris, ſeu Agentis Generalis, hujuſque cauſæ Procuratoris ſupplicationibus Nobis, & huic Sanctæ Sedi ſuper hoc humiliter porrectis benigne inclinati, de memoratorum Cardinalium conſilio, & unanimi aſſenſu, Auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium indulgemus, ut præfati Servi Dei Nicolaus Pichus, Hieronymus Werdanus, Theodoricus Emdenus, Nicaſius Joannes Hezius, Willehadus Danus, Godefridus Mervellanus, Antonius Werdanus, Antonius Hornarienſis, Franciſcus Rodius, Petrus Aſcanus, Cornelius Wicanus, Joannes Adrianus Becanus, Jacobus Lacopius, Joannes Oſterwicanus, Leonardus Vecchelius, Nicolaus Poppelius, Godefridus Duneus, & Andreas Waltherus in poſterum Beatorum nomine nuncupentur, eorumque Corpora, & Reliquiæ Venerationi Fidelium (non tamen in Proceſſionibus circumferenda) exponantur, Imagines quoque radiis, ſeu ſplendoribus exornentur, ac de eis quotannis die felicis eorum tranſitus recitetur Officium, & Miſſa celebretur de Communi plurimorum Martyrum juxta Rubricas Breviarii, & Miſſalis Romani. Porro recitationem Officii, & Miſſæ celebrationem hujuſmodi fieri concedimus in locis duntaxat infraſcriptis, videlicet in tota Hollandia ab omnibus utriuſque ſexus Chriſti Fidelibus tam Sæcularibus, quam Regularibus, qui ad Horas Canonicas tenentur, ac in Eccleſiis tam Fratrum, ſeu Canonicorum Regularium, quam Monialium omnium Ordinum, quos memorati Servi Dei ſuo Martyrio illuſtrarunt; &, quantum ad Miſſas attinet, etiam a Sacerdotibus ad Eccleſias hujuſmodi confluentibus. Præterea, primo duntaxat anno a datis hiſce Literis, & quoad Indias, a die, quo eædem Literæ illuc pervenerint, inchoando, in Eccleſis Hollandiæ, & Ordinum præfatorum reſpective Solemnia Beatificationis eorumdem Dei Servorum cum Officio, & Miſſa ſub Ritu duplici majori, die ab Ordinariis reſpective conſtituta, & intra ſex menſes promulganda, poſtquam tamen in Baſilica Principis Apoſtolorum de Urbe celebrata fuerint eadem Solemnia, quam ad rem diem XXIV. currentis Menſis Novembris aſſignamus, pariter celebrandi facimus poteſtatem: Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, ac Decretis de non Cultu editis, ceteriſque contrariis quibuſcumque. Volumus autem, ut earumdem præſentium Literarum Tranſumptis, ſeu Exemplis, etiam impreſſis, manu Secretarii prædictæ Congregationis Cardinalium ſubſcriptis, & Sigillo Præfecti ejuſdem Congregationis munitis eadem prorſus fides ab omnibus, & ubique tam in Judicio, quam

quam extra illud habeatur, quæ haberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Dat. Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Anulo Piscatoris die XIV. Novembris 1675. Pontificatus Nostri Anno Sexto.

I. G. Slusius.

Loc. ✠ Anuli Piscatoris.

In hanc Appendicem insertæ sunt Literæ Apostolicæ non ita obviæ, vel saltem adhuc non editæ in Bullario Romano, nonnullorum Dei Servorum formali Beatificatione Beatificatorum: cumque post Librum primum jam Typis editum Sanctissimus Dominus Noster Clemens Papa XII. in Beatorum numerum retulerit Servum Dei Josephum a Leonissa Sacerdotem expresse Professum Ordinis Capuccinorum Sancti Francisci, operæ pretium esse censemus Literas Apostolicas in hanc Additionem inserere.

CLEMENS PAPA XII.

Ad perpetuam rei memoriam.

PAstorum Princeps Jesus Christus, cujus vices in terris plane immerentes gerimus, quemadmodum nova semper in Ecclesia sua instaurat exempla virtutum, & de terra nostra novos sibi suscitat, & erigit Servos, ut collocet eos cum Principibus populi sui, & solium gloriæ teneant in Cælis, ac tanquam stellæ fulgentes in perpetuas æternitates, illuminent his qui in tenebris, & in umbra mortis sedent, ad dirigendos pedes nostros in viam pacis; ita Nos debitum Sacrosancti Apostolatus nostri officium ducimus, & Catholicæ Religioni magis adaugendæ, & Christifidelibus ad pietatem amplius excitandis in hac temporum conditione valde opportunum, ut benignitatem Dei nostri, & memoriam sanctitatis ejus in virtutibus ac meritis Servorum suorum extollentes, ac prædicantes, eorum præsertim debitæ venerationis cultum promovere satagamus, qui postquam lubricum inter blandientis mundi illecebras pueritiæ iter mira cum morum innocentia confeciſſent, arduum perfectionis curriculum sub severioris disciplinæ instituto ineuntes, non solum dignos in pietatis, & doctrinarum palæstra progressus fecerunt, verum etiam verbo & exemplo facem ceteris præferentes, adeo incredibili Divinæ gloriæ, & animarum salutis procurandæ zelo exarserunt, ut, omnes Christo lucrifaciendi causa, labores, ludibria, verbera, cruciatus, ac mortem ipsam Christiana fortitudine contemnentes, tandem evolarint ad coronam legitime certantibus repositam in Cælis a bonorum omnium largitore Deo, qui servorum suorum agones ac labores laudabiliter pro sui nominis gloria completos, signis etiam, & miraculis illustrare dignatus est. Cum itaque mature diligenterque discussis atque perpensis per Congregationem Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium Sacris ritibus Præpositorum Processibus de Apostolicæ Sedis licentia confectis super vitæ sanctitate, & virtutibus tam Theologicis, quam Moralibus in gradu heroico, quibus Servum Dei Josephum a Leonissa Presbyterum expresse Professum Ordinis Fratrum Minorum Sancti Francisci Capuccinorum nuncupatorum multipliciter claruisse, necnon miraculis, quæ ad ejus intercessionem, & ad manifestandam hominibus ipsius Sanctitatem a Deo patrata fuisse asserebatur; eadem Congregatio coram Nobis constituta auditis etiam Consultorum suffragiis, uno spiritu, unaque voce censuerit, posse, quandocumque Nobis videretur, prædictum Servum Dei BEATUM declarari cum consuetis Indultis: Hinc est, quod Nos piis atque enixis nonnullorum Venerabilium Fratrum Antistitum, Catholicorum Principum, & Universitatum, necnon totius memorati Ordinis Fratrum Minorum Sancti Francisci Capuccinorum, & nominatim Gregorii a Roma ejusdem Ordinis Sacerdotis expresse Professi, hujusque causæ Postulatoris, supplicationibus Nobis & huic Sanctæ Sedi super hoc humiliter porrectis benigne inclinati, de supradictæ Congregationis consilio & assensu, auctoritate Apostolica, tenore præsentium indulgemus, ut præfatus Servus Dei Josephus a Leonissa in posterum BEATI nomine nuncupetur, ejusque Corpus & Reliquiæ venerationi Fidelium (non tamen in Processionibus circumferendæ) exponantur; Imagines quoque radiis, seu splendoribus exornentur, atque de eo quotannis die felicis ejus transitus, seu alia die non impedita illam immediate sequenti, recitetur Officium, & Missa celebretur de Communi Confessoris non Pontificis, juxta Rubricas Breviarii, & Missalis Romani. Porro recitationem Officii, & Missæ celebrationem hujusmodi fieri concedimus duntaxat in universo Ordine Minorum Sancti Francisci Capuccinorum utriusque sexus, in loco Leonissæ Diœcesis Spoletanæ, in quo natus est, & ubi venerabile ipsius Corpus requiescit, atque in Terra Amatricis Reatinæ Diœcesis, unde ad Cælos evolavit, ab omnibus utriusque sexus Christifidelibus tam Sæcularibus, quam Regularibus, qui ad Horas Canonicas tenentur; & quantum ad Missas attinet, etiam ab omnibus Sacerdotibus ad Ecclesias, in quibus Festum peragetur, confluentibus. Præterea primo duntaxat anno a datis hisce Literis, & quoad Indias, a die quo eædem Literæ illuc pervenerint, inchoando, in Ecclesiis Ordinis, Loci, ac Terræ præfatorum Solemnia Beatificationis ipsius Servi Dei cum Officio & Missa sub ritu duplici majori, die ab Ordinariis respective constituta, postquam tamen in Ecclesia Lateranensi de Urbe celebrata fuerint eadem Solemnia, pro qua re diem vigesimam secundam currentis mensis Junii assignamus, pariter celebrandi facimus potestatem: Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac Decretis de non Cultu editis, cæterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, ut earumdem præsentium Literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu Secretarii dictæ Congregationis Cardinalium subscriptis, & sigillo Præfecti ejusdem Congregationis munitis, eadem prorsus fides ab omnibus & ubique tam in Judicio, quam extra illud, habeatur, quæ ipsis præsentibus haberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Anulo Piscatoris die 19. Junii 1737. Pontificatus Nostri Anno septimo.

UAB Biblioteca de Ciències Socials

APPENDIX SEPTIMA.

COMPENDIA

VITÆ, VIRTUTUM, ET MIRACULORUM,

NECNON

ACTORUM IN CAUSIS CANONIZATIONIS BEATORUM

PII QUINTI,

ANDREÆ AVELLINI,

FELICIS A CANTALICIO,

ET

CATHARINÆ DE BONONIA,

De mandato Sanctæ Memoriæ

CLEMENTIS XI.

Compositа ab hujus Operis AUCTORE tunc FIDEI PROMOTORE, ægrotante bonæ memoriæ INGHIRAMIO Secretario Congregationis Sacrorum Rituum.

De quibus nempe in superiori Cap. 34.

Compendium Vitæ, Virtutum, & Miraculorum, necnon Actorum in Causa Canonizationis B. Pii QUINTI Summi Pontificis ex Secretaria Congregationis Sacrorum Rituum.

PIUS, inter Romanos Pontifices hujus nominis Quintus, Michael antea dictus, in Oppido Boschi Derthonensis Diœcesis in Insubria natus est, anno reparatæ salutis 1504. quarto decimo Kalendas Februarii, Paulo Ghisilerio Patre, Matre vero Dominica Augeria. Etenim Ghisileria Gens, quæ Bononiæ perantiqua Nobilitate illustris, atque Ordini Senatorio adscripta, Civilium dissidiorum causa, ut ab Historicis memoriæ proditum est, in varias Italiæ Regiones distracta fuerat, præfato etiam apud Insubres Oppido sedem, ac domicilium posuit: ubi, quamquam ob rei familiaris inopiam in angustum redacta, nihilominus tamen usque ad Michaelis ortum inter principes ejusdem Oppidi Familias locum tenere visa fuit. Michael igitur hujus Gentis Alumnus sacro regenerationis lavacro Cælo renatus, & pia, Christianaque educatione ad majora Virtutum fastigia præformatus, statim ac quartum decimum ætatis annum attigit (prævenerat enim eum Dominus in benedictionibus dulcedinis) Mundo vale dixit, & Fratrum Prædicatorum Instituto nomen dedit: in quo quidem exacta disciplinæ regularis observantia cum primis elucens, Genuæ Sacerdotio initiatus fuit anno 1528. Postmodum vero, ubi quam multa Ordinis munia, Lectoris scilicet, Prioris, & Definitoris, ut vocant, laudabiliter obivit, peracto summa fidelitate, ac prudentia apud Novocomenses primum, deinde apud Bergomates Fidei Quæsitoris munere, Supremæ Romanæ Inquisitionis Commissarius renuntiatus est. Quo quidem in munere cum strenue, fideliterque laboraſſet, Paulus IV. Pontifex Maximus ad Episcopale Regimen Nepesinæ Ecclesiæ illum assumpsit, ac subinde anno 1557. in Sacrum Cardinalium Ordinem coopravit; eique Supremi, ac perpetui Inquisitoris provinciam nemini umquam antea, nec postea collatam demandavit, facta omnibus Episcopis, ac Delegatis jussione, ut in rebus ad Sanctum Officium pertinentibus ipsum veluti Superiorem agnoscerent. Hanc vero ampliſſimam Dignitatem Pius Quartus, qui Paulo Quarto in Pontificatu successerat, Cardinali Alexandrino (hoc enim nomine Beatus Pius inter Purpuratos Patres dignoscebatur) nedum confirmavit, verum etiam a Nepesino Episcopatu ad regendam ampliorem Ecclesiam Montis Regalis in Subalpinis Pium novis in dies fulgentem meritis transtulit. Interea, Pio Quarto die 9. Decembris anni 1565. viam universæ carnis ingresso, Cardinalis Alexandrinus summo omnium Patrum consensu Pontifex Maximus renuntiatur die 7. Januarii anni 1566. qui, assumpto Pii Quinti nomine, postquam Ecclesiam rexisset annos sex, menses tres, dies viginti quatuor, ætatis suæ anno sexagesimo octavo obdormivit in Domino, & ad Cælestem Patriam migravit.

Ex his, quæ hactenus strictim, cursimque dicta sunt, perspicue colligi potest, quatuor fuisse gradus, ac veluti cardines, quibus Vitæ Beati Pii decursus summa cum laude peractus est. Egit enim inter Fratres Prædicatores Viri Religiosi partes; in Ecclesia vero, tamquam lucerna super candelabrum posita, & lucens, & ardens, Episcopi, Cardinalis, ac Summi Pontificis Dignitate perfulsit. Quamdiu vero in Sancti Dominici Familia vixit, id unum semper præ oculis habuit, ac re ipsa implevit, ut singulas Ordinis sui Regulas, Sanctionesque servaret. Literarum studio addictus in eo totus erat, ut viva probatorum Patrum exempla sibi proponeret imitanda: ratus, & quidem merito, basim, ac fundamentum Vitæ spiritualis in assidua ad Deum precatione, atque in legendis, imitandisque Sanctorum Virorum rebus gestis, Sancti Dominici præsertim, ac eorum, qui Dominicanam Familiam Sanctitatis fama illustraverant, esse collocanda. Præceptoris munere aliquando functus, ita perpetuo Auditores suos instituit, ut non solum ab eo scientiarum cognitionem acciperent, sed etiam ad formandos mores optima caperent documenta virtutum. Fratrum Regimini præpositus, Priorque designatus & rerum temporalium, & Animarum curam magna cum laude conjunxit: præsertim vero in regendis Sacrarum Virginum Cœnobiis diligens illius prudentia nulli unquam reprehensioni obnoxia mirabiliter enituit. Neque aliter se se exhibuit, cum munus Definitoris exercuit. Ita denique animo fuit non minus, quam corpore ad modestiam, ac gravitatem compositus, ut ab omnibus non jam Frater

Michael (quod erat ei nomen a Baptiſmo inditum , & in Religione retentum) ſed Sanctus Bernardinus paſſim appellaretur .

Verum in exercendo Sanctæ Inquiſitionis miniſterio plane invictus hujus Viri zelus pro tuenda Orthodoxa Religione apparuit . Etenim neque manifeſtum aliquando vitæ diſcrimen , neque Laicalium Poteſtatum , quæ metuenda erat , indignatio facere potuerunt , quin ille , ut par erat , curſum quibuſdam Hæreticorum Libris Novocomenſi cuidam Mercatori , ut per Italiam evulgarentur , tranſmiſſis fortiter inhiberet . Erat tunc temporis ſuo viduata Paſtore Curienſis Eccleſia apud Rhætios ; cui Canonicus quidam , e Gente Planta dictus , etſi ſuſpectæ Fidei , ob ſuffragiorum numerum forte præficiendus erat . Mittitur propterea hujuſce cauſæ cognitor Beatus Pius , eaque ad Juris normam probe confecta , Hæreſeos crimine reus Canonicus ille declaratus eſt , Pius vero rem hanc totam ita forti animo geſſit , ut nunquam Ordinis ſui indumenta per breve tempus exuere voluerit ; quamquam eum omnes , ut alieno veſtitu incederet , hortarentur , ne oculos Hæreticorum offenderet , qui capitale odium adverſus Dominicanos Fratres profitebantur . Negavit id ſe facturum Pius , ſancte teſtatus , ſe quam libentiſſime , ſi ita Deo viſum fuerit , Sacra illa Veſte indutum mortem oppetiturum . Pari ſane conſtantia Bergomenſem Civitatem ab Hæreticorum peſte diligenter purgavit , ubi invicto animo adverſus Medolacum falſæ doctrinæ Propagatorem acerrime inſtitit , quamvis magna Amicorum , ac Conſanguineorum copia ſuffultum , a quibus ſubinde graves excitatæ turbæ . Id quoque egit adverſus ejuſdem Urbis Epiſcopum , cujus profecto præpotens auctoritas eo devenerat inſaniæ , ut quoſdam nefarios homines immitteret , qui integerrimum Fidei Miniſtrum , vi dolove captum ultimo fato maximis cruciatibus addicerent . Verum uterque tandem jure , ac merito Hæreſeos damnatus Hæreticorum pœnas luit . Medolacus enim carceri apud Venetos mancipatus extremum diem miſerrime clauſit ; Epiſcopus vero e Sede Epiſcopali ejectus dignitatem amiſit .

Quæ in Epiſcopatu Pius V. operatus eſt , cum iis , quæ Cardinalium Collegio adſcriptus item geſſit , una , eademque ratione conſideranda ſunt . Etenim , ut diximus , eodem quaſi tempore & Nepeſinus Epiſcopus , & Cardinalis renuntiatus eſt , pauloque poſt Montis Regalis Eccleſiam gubernavit . Quare hic primo loco ſeſe offert admirabilis hujus Viri humilitas , qua ille Epiſcopale onus , ut viribus ſuis impar , ſibi a Paulo Quarto oblatum a ſe avertere adniſus fuit ; additis precibus , ut miſſionem a ſæculi curis impetraret , utque in tranquilla Ordinis ſui ſtatione tandem aliquando quieſceret , atque ut pauperculus , & humilis in nidulo ſuo moreretur . At Divina providentia ad majora vocatus , tantum abfuit , ut voti compos efficeretur , ut ampliſſima Cardinalis Dignitate , quaſi novo lumine , cohoneſtaretur ; nova enim hæc Dignitas ſplendorem , coloremque addidit virtutibus ſuis : neque bene præparatum Pii animum , vel minimo humani faſtus tumore corrupit , ſed intra cancellos conſuetæ humilitatis , ac modeſtiæ ab omni ambitus ſuſpicione liberum ſervavit . Etenim paucos in famulatum ſibi adſcivit homines probos illos quidem , quoſque , veluti Filios Pater amantiſſimus , ſumma caritate proſecutus , more Religioſorum vitam ſecum agere conſueſecit . Porro , cum ea tempeſtate apud Tridentum coacta Synodo ardua Religionis , Diſciplinæque Eccleſiaſticæ negotia tractarentur , illaque Romæ maturo conſilio , ac diſcuſſione in Præſulum doctiſſimorum conventu examini ſubjicerentur , magni ponderis apud omnes , ſummoque in pretio erant Cardinalis Alexandrini ſuffragia ; qui ſæpius , data opportunitate , liberrime in rebus maximi momenti mentem ſuam aperiebat , etſi quorumdam odium incurrendum eſſe prævidiſſet . Dici vix poteſt , quanta fuerit hujus Viri erga pauperes liberalitas , præſertim cum non niſi infra neceſſarios ſumptus annuum Cenſum obtineret . Diœceſim Montis Regalis ſollicitudine vere Paſtorali viſit , ut damna , quæ gravia , Prædeceſſorum hac de re negligentia , invaluerant , refarciret : ſed , ubi nullum a Sæculari Magiſtratu auxilium ad puniendos Hæreticos impetrare potuit , Romam invitus rediit , rebus illius Gregis ad Animarum ſalutem ea , qua potuit , prudentiori diſciplina compoſitis .

Nunc , ut ad ea gradum faciamus , quæ Pius , ut Pontifex Summus , exhibuit , exempla virturum , illud in primis in eo mirabile fuit , quod nec quæſiiſſe unquam , nec optaſſe quidem ſupremæ Dignitatis faſtigium viſus fuerit ; ſed Pontificali oneri mira ſibi Sacri Collegii conſenſione delato , non niſi poſt fuſas Deo ferventiſſimas preces , humillime collum ſubmiſerit . Jam vero ultra Compendii fines excurrere oporteret , ſi cuncta ſingillatim clementiæ , beneficentiæque monumenta recenſenda forent , quibus nedum eos , qui vel minimum commodi ipſi contulerunt , verum etiam illos , qui de ſe male meriti fuerant , abunde cumulavit . Longum item nimis eſſet , orationum , precationumque frequentiam recenſere , interdiu nunquam intermiſſam , de nocte vero ſæpius adauctam , ubi alicujus momenti negotium erat decernendum . Nulla denique , quamvis prolixa , ſatis eſſet oratio , ut abſtinentias , carnis macerationes , jejunia a Piiſſimo Pontifice inter tot , tantaſque ardui miniſterii curas numquam intermiſſa explicaret . Pius enim in Pontificatu , ſi veſtium externam formam demas , nihil de priſtina Religioſæ vitæ ſeveritate quidquam immutaverat . Unum hic aperire ſufficiat , illum ſcilicet non titulis , non divitiis , non novo quidem honoris gradu Conſanguineos ſuos inſignitos , ac donatos voluiſſe . Nam Michaelem Bonellum ſuum ex Sorore Pronepotem , non niſi poſtquam & Dominicanæ Familiæ nomen dedit , & Sacrarum Literarum peritiam adeptus eſt , & totius Sacri Collegii approbationem meruit , Cardinalibus adſcripſit . Neminem item in Aula Pontificia locum habere paſſus eſt , niſi illum , quem probatæ vitæ ratio , atque integerrimi mores commendaſſent . Nulli apud ipſum ad Eccleſiæ Dignitates aditus patuit , niſi cui merita prudenti judicio expenſa ad illas obtinendas viam ſtraviſſent , vireſque ad illas probe exercendas abunde ſuppeditaſſent . Totus in eo fuit , ut Subditorum commoda provideret ; Quorum querelas , ſuppliceſque recurſus , quantovis ſanitatis ſuæ diſpendio , data cuilibet fandi copia , prolataque audiendi patientia a mane uſque ad veſperas , pene quotidie excipiebat . Flagrans in eo propagandæ Religionis Catholicæ deſiderium : indefeſſus pro inſtauranda Eccleſiaſtica Diſciplina labor : incredibilis , ac quaſi perpetua in extirpandis erroribus vigilantia : ad ſublevandam indigentium inopiam prona , & inexhauſta beneficentia : pro tuendis Eccleſiæ Juribus ferreum pectus , ac robur invictum : talis demum , ac tantus in eo effulſit ſplendor virtutum , ut ab ejus Sanctitatis radio illuſtrati , & Nobilis quidam Anglus , & Ollicæ Dux , Hebræique nonnulli ad admirabile Evangelii , Orthodoxæque Fidei lumen libenter acceſſerint ; quos inter Elias quidam Archiſynagogus divitiis , famaque celebris una cum Filiis Vaticano in Templo Solemni Ritu Beati Pii Pontificis manu Sacri Baptiſmatis gratiam accepit .

Qua rectitudine , qua juſtitia , qua æquitate S. Apoſtolicæ Sedis Regimen , totumque Eccleſiaſticum Ordinem Pius adminiſtraverit , editæ ab eo Sanctiones inter Romanorum Pontificum Decreta typis evulgatæ , probe teſtantur . Quanta porro ipſe fecerit , ut in Gallia , Belgio , Germania , Scotia , Anglia , Poloniaque ſarta tecta Catholica Religio conſervaretur , ac propagaretur , ex autographis Scriptorum monumentis , ac publicis , omnique fide dignis Hiſtoricis colligi poteſt : atque , ut famigerata illa inter Chriſtianos Principes adverſus Selimum Turcarum Tyrannum & animorum , & armorum conſpiratio perficeretur , ita Pium Quintum adlaboraſſe conſtat , ut merito , quod in ea geſtum fuit , Pii Quinti opus publica prædicatione dictum fuerit .

Cum Galliam omnem Hæreſis Hugonottorum appellata ſuſque deque verteret , atque hujus rei cauſa nonnulla eſſent parum Orthodoxæ Religioni conſentanea in publicum emiſſa edicta , ita forti animo apud Regem Chriſtianiſſimum inſtitit Pius Quintus , ut illa penitus fuerint abrogata . Tum conſilio , pecunia , commeatu , ac Militibus in Galliam , Duce Comite Sfortia Sanctæ Floræ Domino , opportune tranſmiſſis , taliter Catholicorum partes adjuvit , ut celebri adverſus Hæreticorum Copias parta victoria , accifis illius Regni rebus non leve remedium allatum fuerit .

Neque minores in Belgio turbas ad labefactandam Religionem excitaverant Heterodoxi ; quibus ne ſtatim curſum inhiberet Hiſpaniarum Rex , curatis tantummodo in præſens politicis rebus , dilatoque in aliud tempus Religionis negotio , Auctores erant Aulicorum Conſiliariorum quamplurimi . Pius igitur Pontifex evertit tam perniciosa conſilia ; collataque tempeſtive pecunia , nonnulliſque inter Italos bellicoſis Viris , ut Belgium pro Fide pugnaturi peterent , perſuaſis , in cauſa fuit , ut quamplurimæ , Albano Duce belli ſummam dirigente , de Hæreticis victoriæ fuerint reportatæ .

Prope erat , ut Cæſar neceſſitate compulſus in Auſtriæ Archiducatu Dynaſtis , & Nobilibus Auguſtanæ Confeſſionis liberum exercitium permitteret ; ni Pius Pontifex , miſſo ad Cæſarem Cardinali Commendono , pericula Ortho-

thodoxæ Religionis, quæ jam jam imminebant, opportune avertisset.

Neque minori præsidio præsens fuit paterna Pii Quinti caritas Mariæ Stuardæ Scotorum Reginæ, ubi illam per summam injuriam carceri mancipatam resciyit ab Angliæ Regina Elisabetha, quam Hæresis crimine notatam Regio Jure exutam Pontificia auctoritate declaravit.

Apud Polonos publicis Edictis exilio mulctati fuerant Antitrinitarii, Hæreticique reliqui: at Confessionis Augustanæ, Calvinianæque Hæreseos Professoribus in Polonia degere erat impune permissum. Quare Pius Quintus apud Regem effecit, ut solemnem ille, ac jurejurando firmatam sponsionem ederet, qua sese in Religione Catholica ad mortem usque perseveraturum, ac nunquam passurum, vel minimum imminui, immutarive Romanæ Fidei dogmata, avitosque Ritus, quidquid contra niterentur Hæretici, sancte promitteret.

Quis autem enumerare poterit unquam, quot, quantosque labores, sumptus, curasque impenderit Pius in firmando illo, quod supra diximus, Christianorum Principum fœdere, quo Selimi Turcarum Tyranni victoriis multis arroganter intumescentis superbia pene confracta est? Nam præsens adfuit Divinæ dexteræ auxilium ferventibus Pii Pontificis precibus imploratum, cum, inito ad Æchinadas Navali prælio, talem de victis hostibus, qualem numquam antea, triumphum Christiana Classis reportavit.

Verum alia, & fortasse majora ad Religionis incrementum Pium Pontificem cogitantem præpropera mors, Deo sic disponente, pervasit. Cujus in occursum humilem, constantem, patientemque animum præseferens Piissimus Senex, extrema vi morbi correptus, acerbissimos dolores ita fortiter pertulit, ut solum ad Jesu Christi Crucifixi Imaginem dulciter suspirans, hæc sæpius ingeminare verba auditus fuerit: *Domine, adauge dolores, sed auge etiam patientiam*. Ubi vero morbus invaluit, negotiis quavis de re longe sepositis, in id unum, quod erat omnibus anteponendum, totus incubuit, ut scilicet sese bene præparato animo morti advenienti sisteret. Iteratis igitur vicibus mundata pœnitentiæ Sacramento conscientia, Sanctissimo Jesu Christi Corpore sibi per manus Cardinalis Alexandrini Pronepotis porrecto, salutari illo supremi itineris Viatico refectus est. Postmodum, quod sane mirandum fuit, ad invisendas Septem celeberrimas Urbis Ecclesias incessit, potioremque viæ partem e Basilica Sancti Pauli ad Sancti Sebastiani Templum nullo vehiculo usus pedibus perfecit; timentibus, qui aderant, ne vitæ cursum medio in itinere consummaret. Denique, statim ac novissimam appropinquare horam præsensit, sacrum Christianorum Principum fœdus Cardinalis Alexandrino ferventissime commendavit. Dein Davidicos Psalmos sibi prælegendos popposcit, lectori mandans, ut illos alta voce pronuntiaret, facta singulis versiculis pausa; ut ipse Divina eloquia per aures admissa dulcissimo contemplationis ruminaret affectu. Tandem, cum Historia Passionis D. N. J. C. ex Evangelio legeretur, manibus in modum Crucis extensis, nullo motu, strepituve facto, suaviter efflavit Animam, eamque reddidit Creatori.

Maxima, eo defuncto, statim percrebuit de Piissimo Pontifice fama Sanctitatis. Quare non Romani Populi solum, verum etiam plurimorum e vicinis Regionibus hominum concursus ad visendum illius Cadaver factus est; ut majorem Custodum, Militumque numerum adhibere opus fuerit, ne Populi fervor, qui Beati Cadaveris vestes jam violenter sciderat, Carnes etiam in frusta distractas secum asportare præsumeret.

Agi cœptum de Pio inter Sanctos referendo anno 1621. cujus rei gratia instructis variis & Ordinaria, & Apostolica auctoritate, ut vocant, Processibus, fuit, ut mos erat illius temporis, tribus antiquioribus Romanæ Rotæ Judicibus eosdem examinandi demandata facultas: qui, lato de hac re Judicio, & documentorum auctoritatem probarunt, & virtutum præstantiam heroicum gradum attigisse, ac miracula supra communem naturæ usum fuisse patrata dixerunt. Horum Judicio Sac. Rituum Congregationis examen superinductum; in quo pariter loco suo stetit juridica Actorum validitas, atque in gradu heroico comprobatæ virtutes, simulque duo, quæ subsequuta fuerant miracula plene comprobata. Quorum primum fuit, ab igne penitus illæsas remansisse hujus Beati Pontificis Icones duas, ex papyro unam, alteram ex tela confectas, in Sacello D. Antonii Cardonæ, & Sessæ Ducis e pariete pendentes; quamquam ignis ita vehementer per totam ædem grassatus fuisset, ut etiam argentea simulacra igne vi liquefacta fuerint, lapideumque Altare in formam cocti pumicis transierit, ac universa Sacra illius Ædiculæ Supellex (dictis duntaxat duabus Imaginibus, eaque pavimenti parte, in quam una Imaginum ceciderat, exceptis) in favillam, & cinerem redacta fuerit.

Alterum fuit Tiburtiæ Florentinæ Auximanæ Mulieris septuagenariæ repentina sanatio. Hæc siquidem acuta, malignaque febri correpta, aliisque congestis morbis oppressa, ita ut Medicorum testimonio intra trium horarum spatium jam jam moritura crederetur, ubi Beati Pii indulsum ægro corpori devote applicavit, nulla interposita mora, firma, ac vegeta e lectulo surrexit, multosque deinceps annos feliciter vixit.

Fuerunt Pontificio Decreto firmata, tum quæ ad virtutes, tum quæ ad miracula pertinerent, Sacræ Congregationis Judicia; remisso in aliud tempus reliquorum miraculorum, quæ a causæ Postulatoribus proponebantur, examine.

Interea, cum san. mem. Urbanus Octavus de hujusmodi causis novas Leges evulgasset, novum condere Processum de non Cultu, ut dicunt, ac quasdam a Pontifice exaratas Epistolas exhibere necesse fuit. Quibus omnibus adamussim impletis, de observantia Decretorum constitit: constitit etiam, nihil in prædictis Epistolis contineri, quod non pietatem tanti Pontificis redoleret. Quamobrem instauratum fuit examen miraculorum nedum relictorum, sed eorum etiam, quæ intermedio tempore asserebantur contigisse. Horum duo præcipue omnium calculis approbata. Primum fuit mira quædam triticeæ farinæ perampla multiplicatio, quæ in Monasterio Sanctimonialium Sancti Dominici apud Paratum in Etruria accidit. Alterum Divina illa Beato Pio immissa cognitio, qua eadem prorsus die, eademque hora, quibus Navalis, quam supra innuimus, victoria a Christianis reportata fuerat, Pius Quintus clarissime illam rescivit, atque iis, qui secum aderant, patefecit: qui, cum mensem, diem, horamque notassent, ubi postea certus de victoria Nuntius advenit, illam, uti Pius ipsis prædixerat, evenisse, apertissime cognoverunt.

Judicium de hisce duobus miraculis a Sacra Rituum Congregatione pronuntiatum Summus Pontifex confirmavit: Cumque eadem Sacra Congregatio judicaverit, Pium Quintum inter Beatos censeri posse, Officio, ac Missa in ejus honorem concessis; Clemens Decimus Pontifex Maximus, Pium Beati nomine insigniri, ejus Reliquias publice venerari, & aliquibus in locis de eo Officium recitari, Missamque Confessoris Pontificis secundum Breviarii Romani Rubricas celebrari, permisit; ut ex Brevi Apostolico die 27. Aprilis anni 1672. dato perspicue colligitur. Aliæ item extant hujusmodi indulti postmodum datæ extensiones.

Verum, reassumpta denuo causa, expeditisque Remissorialibus, ac Compulsorialibus Literis, ut quæ post Indulti Cultus concessionem supervenerant rite probarentur, novi Processus fuerunt efformati; quorum diligenter perpensa, & deinde admissa validitate apud Sacr. Rituum Congregationem, hujus Rescriptum Sanctissimus in Christo Pater Clemens XI. quem Deus Omnipotens diu servet incolumem, comprobavit. Firmata Actorum validitate, suum subiit examen eorumdem relevantia; duoque propterea de novo expensa in Generali Congregatione coram Summo Pontifice, & simul approbata miracula. Unum fuit Margarita Massia decennis Puella paralysi diuturna laborans, quo morbo ejus crura, ac coxendices vehementer agitabantur, momento sanitati restituta. Alterum instantanea item eductio fœtus materno in utero multos ante dies prædefuncti absque parientis dolore, ab evidenti mortis discrimine servata pariter Isabella Riccia Genitrice. Auditis Cardinalium, & Sacr. Congregationis Consultorum Suffragiis, nulla statim a Sanctissimo Domino capta deliberatio, ut in re tanti momenti Divinum de more in antecessum imploraret auxilium. Probavit tandem Sanctitas Sua duo illa ultimo loco posita miracula; habitaque denuo coram Sanctitate Sua Generali Congregatione, fuit in deliberatione positum, an tuto ad Solemnem Canonizationem Beati Pii deveniri posset: cumque unanimi consensu omnes affirmative respondissent, iterum Sanctissimus Dominus Noster, antequam hoc de negotio quidquam decerneret, Divinæ gratiæ adjutorium expetendum censuit. Vocatis postmodum Sacræ Rituum Congregationis Secretario, atque Promotore Fidei, Decretum pro Canonizando, & inter Sanctos referendo Beato Pio Quinto publicavit. Pro cujus Decreti exequutione precibus in vestibulo causæ olim a Regibus, & Principibus Christianis quamplurimis devote porrectis suas modo humillimas supplicationes addit omnis Fratrum Prædicatorum Ordo.

UAB Biblioteca de Ciències Socials

COMPENDIUM

Vitæ, Virtutum, & Miraculorum, necnon Actorum in causa Canonizationis B. ANDREÆ AVELLINI Presbyteri Congregationis Clericorum Regularium Theatinorum. Ex Secretaria Congregationis Sacrorum Rituum.

ANDREAS Avellinus, in Sacro Fonte Lancellottus appellatus, apud Castrum Novum in Regno Neapolitano Lucaniæ Provinciæ Oppidum anno 1521. Parentibus Joanne Avellino, & Margarita Apella, natalem diem sortitus est. A Patruo ejusdem Loci Archipresbytero, qui educandi Nepotis curam in se receperat, Christianis moribus pie, ac laudabiliter instructus, primisque in Patria Grammaticæ rudimentis informatus, ut alibi majori cum fructu sublimiorum scientiarum cognitionem acquireret, paterna e Domo discessit.

Ita vero ad Literarum exercitationes animum applicavit, ut numquam ex sui ipsius mente Dei timorem excidere passus fuerit; ratus in primis, veræ pietatis amorem, atque animæ perficiendæ negotium reliquis bonarum artium studiis merito esse anteponenda. Quo factum est, ut piissimus Adolescens, quamquam in ipso efferveſcentis ætatis flore non semel ab impudicis Mulieribus ad inhonestas voluptates allectus, castimoniæ candorem sancte coluerit, illibatumque servaverit.

Redux in Patriam Clericali militiæ, Deo vocante, nomen dedit; totusque in eo præcipue fuit, ut proximorum saluti quam diligentissime vacaret. Quapropter & in Patria commorans, & per vicina Oppida excurrens Christianæ Fidei instituta Pueros docere passim, omnesque Regionum illarum incolas ad exercendos devotionis actus incendere cœpit, summo animarum emolumento. Verum, quia nondum Legibus operam navaverat, Materno consilio acquiescens Neapolim se contulit, ut Juris utriusque adeptus peritiam, reliqua Litterarum ornamenta nova Jurisprudentiæ accessione cumularet. Sacerdos interea factus, ac Legalibus disciplinis non leviter eruditus causarum patrocinia, in Foro duntaxat Ecclesiastico, proque privatis quibusdam personis secundum Sacrorum Canonum Sanctiones agere incœpit: a quo tamen munere non diu postea abstinuit Joannis Marinonii Clerici Regularis Theatini persuasione distractus. Hic enim Vir probatæ Virtutis, quem ille sibi conscientiæ ducem selegerat, ut eam vivendi rationem Andreas iniret, quæ ab omni tumultu, animæque periculo sepositа uni Deo vacare solet, effecit.

Nam quidquid honoris, quidquid dignitatis, lucrive a Forensi exercitatione se consecuturum aliquando speraret, vanitatis plenissimum demonstravit; summam vero Christianæ Vitæ in eo esse positam, ut quisquis, Sacerdos præsertim, & animæ propriæ, & proximorum salutis curam haberet quam diligentissimam.

Igitur per hujusce perfectionis iter incedere cupiens Beatus Andreas eam vivendi consuetudinem arripuit, quæ Sacerdotis eximii nomen ita inter probos Neapolitanæ Urbis Ecclesiasticos jure, ac merito ei conciliavit, ut Archiepiscopi Vicarius ad absolendos, qui licenter irrepserant inter Monasterii cujusdam Sanctimoniales adversus regularem disciplinam abusus Andream, veluti huic rei perficiendæ mirifice idoneum, destinandum putaverit. Ille vero, porrectis in antecessum ferventissimis Deo precibus, exploratoque conscientiæ suæ moderatoris consilio, arduum hujusmodi reformationis opus alacriter aggressus est. Quod quidem nullis unquam parcens laboribus ita, Deo auxiliante, feliciter absolvit, ut Moniales, illæ præsertim, quæ longius ab Instituto defeciverant, ad optimam frugem cito redierint, unique Deo, ac spiritualibus rebus arctius sese adstrinxerint.

Aliqua erat inter eas, quæ per annos bene multos profani Viri cujusdam commercio implicita fuerat. Hunc ergo Diaboli laqueum Andreas forti brachio penitus contrivit, facto utrique interdicto: Viro scilicet, ne ad Monasterium accederet: Moniali, ne crates gratia colloquendi cum eo frequentaret. Quo facto, tanto in Dei Servum exarsit odio perditus homo ille, ut hanc sibi illatam, ut male putabat, injuriam ulcisci adversus Beatum Andream, obstirmato animo deliberarit. Quamobrem Sicarios, qui Andream, sicubi invenissent, perderent, quater immisit. Horum primo frustrata est impetus non bene cognita sceleratis hominibus Beati Viri facies. Secundo loci Sanctitas intra cancellos continuit; etenim Andream flexis genibus in Templo, ingenti fervore, orantem invenerant. Tertio postmodum id facinus aggressi leve in ejus facie vulnus inflixerunt. Quarto tandem, duabus in vultu pariter inflictis plagis, pessime habitum reliquerunt: nam alterum ex vulneribus profundius adactum, atque ab una ad alteram faciei partem late perductum, dissecta insigniori arteria, aut in proximo ei mortem allaturum, aut, si unquam medicas manus admisisset, maximum, perpetuumque deformitatis vestigium ejus in vultu relicturum existimabatur.

Nihil vero in ipso percussionum impetu Andreas dicere auditus, nisi Deo gratias agere, quod ob Divini honoris causam hujusmodi affici contumelia, quam gloriæ loco reputabat, aliquando dignatus esset. Protinus, ad Cœnobium Sancti Pauli Theatinorum sese asferri, poposcit, ut ibi a Joanne Marinonio Directore, cui eo tempore regendæ illius Domus erat demandata provincia, auxilium, ac levamen acciperet. Verumtamen ad majora, Deo sic disponente, servatus, nedum e mortis faucibus ereptus, sed ita penitus postea convaluit, ut nullum ex acceptis vulneribus indicium cicatricis apparuerit, nisi e proximo, & diligentius intuenti.

Decumbentem assidua caritate solati sunt Theatini Patres; atque, ut constanter ferret dolorum angustias, blandis, ac piis sermonibus confirmarunt. Ipse vero Dei amore permotus, non solum veniam percussoribus hilari animo impartitus est, verum etiam tunc existentem Proregem, Amicorum opera, ne Rei tanti facinoris meritas darent pœnas, enixe rogavit. Aliud hujusmodi heroicæ mansuetudinis exemplum præclare exhibuit, cum, audita cujusdam Neporis sui nece, hujus Interfectori, data statim pace, Christiana magnanimitate prorsus ignovit.

Sed, ut ad vulnerati curam redeamus, hæc in Ædibus Theatinis, ut supra meminimus, peracta viam stravit Omnipotenti gratiæ Dei, quæ, hac data occasione, Andream ad amplectendum Theatinorum Institutum in auxilio opportuno efficaciter vocavit. Horum enim Patrum satis ille probaverat vivendi rationem; eamque arbitratus fuerat non genio suo tantum, verum etiam ad procurandam & animæ suæ, & proximorum salutem maxime accommodatam. Anno igitur 1556. ætatis suæ 35. Clericis Regularibus Theatinis adscriptus est; Virum illum in Tyrocinio Præceptorem sortitus, quem in sæculo conscientiæ suæ moderatorem elegerat, Joannem scilicet Marinonium. Hoc duce, celeri cursu præcipuis Religiosæ Vitæ documentis plene imbutus eo perfectionis statim pervenit, ut Sociis esset grande Virtutis exemplum.

Emicuit in eo supra ceteras solidæ humilitatis Virtus admirabili, invictæque patientiæ, & mansuetudini conjuncta. Itaque exercendis vilioribus ministeriis, laudabili more apud Religiosos Regulari disciplina insignes dudum recepto, satis, superque probatus, ut seni cuidam infirmo phreneſi pene continua ob morbi violentiam laboranti opem suam impenderet, jussus fuit. Quam sane sedulo impendit, summo caritatis affectu, ab Officiis quantumvis contemptibilibus, & nauseam moventibus minime abhorrens. Et, quamquam æger aliquando in ipso furoris excessu Andream pugnis, ac colaphis impeteret, numquam ille, hac de causa, conqueri auditus: tantumque abfuit, ut ab incœpto serviendi officio desisteret, ut adhuc post emissam Professionem per aliud circiter biennium in hac humili pietatis exercitatione usque ad ægroti obitum hilariter perseveraverit.

Expleto probationis tempore, Votisque Solemnibus emissis, Romam venit, Superiorum permissu, Loca Sacra veneraturus; ea præsertim, in quibus Sanctorum Martyrum Reliquiæ religiosissime servantur. Ad horum Sepulcra & assiduas fundere preces, & cordis sui Divino igne æstuantis incendia exhalare visus est: Eorum, sæpe enim ajebat, beatam invidere sortem, quibus in Orthodoxæ Fidei testimonium & ad majorem Dei gloriam propagandam sanguinem, vitamque profundere datum fuit. Diebus quinque supra triginta Romæ commoratus Neapolim rediit: ubi Tyronum Institutioni

ni præfectus, ſummum cujuslibet Religioſæ Familiæ bonum è recta Novitiorum educatione originem trahere, ſecum ipſe animo reputans, ita ſedulo in hanc curam incubuit, ut prima Virtutum lineamenta in Tyronum animis perfecte duceret, eoſque præſertim ad ſanctæ Orationis ſtudium excitaret. Eſſe enim Orationem (dicere ſolitus erat) Animarum Cibum, adeoque Religioſi cujuſque propriam, ut neminem ab Orationis amore alienum Religioſi nomine dignum ipſe putaret.

Hic autem, quamplurimis hujuſmodi præclare geſtis ſilentio prætermiſſis, minime reticenda erit celebris illa Nicolai Zecchii a Beati Andreæ Inſtitutionibus profecta in optimam frugem mutatio. Etenim Nicolaus, famigeratus in ſæculo Doctor, ac Publicus Legum Interpres, prope ſexagenarius in Clericorum Regularium Ordinem admiſſus nescio quid mundani tumoris a doctrina, ac veteri conſuetudine exurgentis adhuc inter Religioſos retinere videbatur. Ad hujus mali radicem Beatus Andreas veræ humilitatis Cultor ſumma dexteritate falcem applicuit, eo felici eventu, ut Nicolaus non amplius alte ſapere, ſed de ſe perquam humillime ſentire viſus fuerit, atque in omni Virtutum genere, maxime in calcanda humilitatis ſemita, multum deinceps profecerit.

Itaque, cum admirabile quoddam prudentiæ lumen in ſingulis hujuſce Beati Viri actibus Theatina Familia elucere vidiſſet, Patres rati, optimum fore, ac conſentaneum ad Religionis commoda, ſi regimini Neapolitanæ Domus Divi Pauli Andreas admoveretur, illum præfatæ Domus Præpoſitum declararunt. Andreas vero ſtatim ac hujuſmodi provinciam ſubiit, hæc, tamquam præcipua ſui muneris exercitamenta, ſemper præ oculis habuit, ut nimirum omnes ad Divinas laudes perſolvendas frequentes adeſſent: ut graviter, ac decenter pſallerent: ut ſingulas cæremonias, rituſque ſervarent: ut ſilentii tempora ſerio cuſtodirent: ut demum uniuſcujuſque Viri Religioſi vita, veluti Chriſti bonus odor, in omni loco ad populorum ædificationem nil, niſi ſanctum, rectumque, ſpirare videretur. Quare, ſi quis umquam fuit Conſtitutionum Ordinis prævaricator, ſi quis remiſſe Dei ſervitium obiret, is profecto acrem Andreæ cenſuram incurrit.

Erat autem ipſe viva quædam omnium cenſura. Nam, quidquid verbo doceret, firmare ſolebat exemplo. Ad miniſtrandum Pœnitentiæ Sacramentum Superiorum auctoritate deſignatus fideliter, ac patienter etiam, cum Novitiis dirigendis, ac Cœnobii Præpoſitus eſſet, fideliter, ac patienter id munus executus eſt. His vero ſolutus oneribus, vix dici poteſt, quanta aſſiduitate, ac diligentia Fidelium Confeſſiones exciperet. Nulla apud eum acceptio perſonarum. Nobiles, ac plebejos, bene valentes, & ægrotos, Domi, & extra Domum, ſingulos ope ſua indigentes, omnibus omnia factus, paterno caritatis amore complectebatur. Ut animas Chriſto lucrifaceret, ac miniſterium ſuum impleret, incommoda quæcumque, quantumvis ſibi gravia, & dura, flocci fecit. Non hyemales pluviæ, non æſtivus calor, non opprobria, non pericula, non humana quædam prudentiæ carnis dictamina Andreæ umquam impedimento fuere, quin poſcentibus Pœnitentiæ Sacramentum miniſtraret. Immo, quoties ſpiritualis proximorum utilitas ad id impelleret, & Domo egredi, & ad Templum accedere Pœnitentes excepturus ſollicitus animarum Pater, donec vixit, conſuevit: quamquam, e loco ſuo dilapſis in ſcrotum inteſtinis, incredibili aliquando, acerbiſſimoque dolore torqueretur. Quamobrem jure, ac merito factum eſt, ut animarum totius Neapolitanæ Civitatis Moderator, ac Magiſter communi appellatione & diceretur, & eſſet. His enim caritatis artibus fidelis ſervus, & prudens conſtitutus a Domino ſuper Familiam ſuam, accepta cælitus talenta Deo cum fœnore reddidit. Animarum lucro ſemper intentus quamplurimas e peccatorum barathro, in quo diu, multumque voluntario vinculo obſtrictæ jacuerant, miſerandas animas ad acquirendam Filiorum Dei libertatem revocavit. Quamplurimis item, ut aſcenſiones in corde ſuo diſponerent, irentque de virtute in virtutem, lumina quædam ad id opportuna obtulit, viamque paravit. Nam ſolida ſpirituum diſcretione præditus propria ſingulis remedia, ut recto tramite ad Deum tenderent, ad cujus honorem, & gloriam omnia dirigebat, prudenter impertiebatur.

Hæc, & ſimilia Chriſtianæ, & heroicæ caritatis documenta Beati Andreæ nomen apud Neapolitanos jam fatis, ſuperque inclareſcere fecerant; cum Sanctus Carolus Borromæus, ut in Urbe Mediolanenſi Theatinorum Patrum Collegium inſtitueretur, optavit. Noverat enim ipſe, dudum Regnante Pio IV. Pontifice Maximo, cum Romæ ageret, quænam eſſet Clericorum Regularium Inſtitutio, & quænam apud illos optima, & exemplaris vivendi ratio. Patres igitur in Generalibus Comitiis anno 1570. celebratis quoſdam ex ſuis, quos inter Andream Vicarii titulo inſignitum, ut Sanctiſſimi Cardinalis voto plene ſatisfacerent, Mediolanum mittere ſtatuerunt. Summa & humanitate, & veneratione Theatinos excepere Mediolanenſes. Tum Sanctus Carolus æquus probitatis æſtimator ſtatim novit, quanti valerent Beati Andreæ virtutes: unde non audiendis duntaxat Confeſſionibus, ceteriſque hujuſmodi piis exercitationibus Andream addixit, verum etiam in arduis quibuſque ampliſſimæ Diœceſis negotiis illius non ſemel uſus eſt conſilio.

At nondum integer excurrerat annus, ex quo Regulares Clerici Mediolani primam ſedem fixerant, cum Beatus Andreas (ægre nimis id ferente Sancto Carolo) Placentiam, ibi novam Religionis ſuæ Domum excitaturus, petere juſſus fuit. Placentinam Eccleſiam ea tempeſtate regebat Paulus de Aretio Theatini Inſtituti olim Profeſſor, & Beati Andreæ in Tyrocinio ſocius; qui Sacro poſtea Cardinalium Collegio adſcriptus Neapolitanam Metropolim gubernavit, ac tandem ea Sanctitatis fama obiit, ut ejus Beatificationis cauſa apud Sacram Rituum Congregationem introducta fuerit. Hic ergo piiſſimus Præſul, quos olim in ejuſdem Inſtituti profeſſione Fratres habuerat, Epiſcopus in Paſtorali Gregis ſui cura Theatinos voluit Coadjutores. Hoc igitur in loco quam benigne, quam amanter Andreas ab Epiſcopo exceptus fuerit, ac quanto ipſe ſtudio Placentinis Sacramenta miniſtrare ſuſceperit, longum nimis eſſet enarrare, ac ſuperfluum. Mirabile vero fuit, minimeque reticendum illud flagrantiſſimæ caritatis opus, quo Mulieres in libidinis cœno perditas, ac pene ſepultas ferventi conatu a peccandi conſuetudine penitus retrahere Andreas contendit. Ex harum numero duodecim feliciter emerſas, Epiſcopo opem, auxiliumque ferente, intra ſepta Domus cujuſdam, de Beatæ Mariæ Magdalenæ nomine poſtea dictæ tamquam in refugii loco, male actæ vitæ crimina expiaturas ſimul habitare coegit. Crevit autem in dies hujuſmodi fœminarum pœnitentium numerus, & Inſtitutio, aſſidua Beati Andreæ ſolicitudine, ac diligentia; qui, quas ipſe primus ſeminarat, pietatis fruges agri Dominici laboriosus Cultor etiam atque etiam excolere numquam deſtitit.

Vitioſi quidam, corruptique mores altas in Placentinæ Diœceſis Clero dudum radices fixerant. Has Paſtorali zelo, ſecundum Tridentini Concilii de Reformatione Decreta, Paulus Epiſcopus evellere cupiens Beati Andreæ opera, opportuno ſatis conſilio, uti cogitavit. Andreas ergo, quamquam ignoti nominis advena, dux piis Viris huic rei adlaborantibus datus, difficillimum reformationis opus ad extremum uſque perfecit.

Interea ad Religionis ſuæ incrementa vigilans in Lombardiæ Provincia Viſitator eſt deſignatus; & poſtmodum, ut in novo Collegio Præpoſiti munere fungeretur, iterum Mediolanum miſſus, ubi nova exhibuit Sancto Carolo Borromæo exempla probitatis. In quibus illud ſane præcipuum, quod ex eleemoſynis a liberali manu Sanctiſſimi Archiepiſcopi quolibet menſe Andreæ donatis ipſe, illa tantum portione retenta, quæ ad alendam Familiam ſuam erat ſatis, reliquum Sancti Patris ſui Cajetani imitator diligentiſſimus ad ipſum donatorem remittebat. Romanam item, ac Neapolitanam Provinciam viſitaturus acceſſit, in quibus maximas Ordini ſuo utilitates afferre curavit. Denique, quamquam ab omni Superioritatis gradu maxime abhorreret, invitus ad regendam Neapolitanam Sancti Pauli Domum, Deo ſic diſponente, iterum adſcitus fuit, ut inſignior ejus virtus magis atque magis eluceret. Etenim orto ea in Urbe ingenti Populi tumultu ob Annonæ caritatem, Andreas non ſolum quidquid frumenti domeſtico in horreo ſervabatur pauperibus diſtribuit, verum etiam, ut Divinam averteret iram, ſolemnem Supplicationem indixit: unde Beati Viri Verbo, & exemplo quamplurimi ad pœnitentiam revocati ſe ſe e tumultuantium numero ſubtraxerunt; quo factum eſt, ut ſeditionis furor penitus conquieverit.

Verum pro coronide rerum a Beato Andrea præclare geſtarum hoc unum ultimo loco addere ſufficit. Duobus peculiari religione Votis ſeſe Deo Vir piiſſimus obſtrinxerat. Unum erat, quo ſemper propriæ voluntati obſiſtere; alterum, quo Divinæ gratiæ adjutus præſidio ad novum aliquem de die in diem perfectionis gradum contendere, firma ſponſione ſtatuerat. Quibus promiſſis fideliter ſtetiſſe, conſtat tum ex iis, quæ breviter hactenus dicta ſunt, tum ex aſperrimis ſui Corporis afflictationibus; quibus, veluti pœnitentiæ victimam ſanctæ

mor-

mortificationis gladio mactatam, sese obtulit Deo viventi: qui hujus hostiæ odoratus odorem suavitatis, bene multa charismatum dona ad ejus Sanctitatem manifestandam fideli Servo suo largiri dignatus est, veluti maximarum signa virtutum. Emicuit inter ea divinitus collocatum pene familiare prophetiæ lumen: quo quidem illustratus & futura, & absentia quasi præsentia sæpe vidit; &, quod summum est, cordium secreta funditus aliquando penetravit.

At jam octavum supra octogesimum ætatis suæ annum, qui erat 1608. reparatæ salutis, attigerat Beatus Andreas, cum e strato surgens primo mane, Sacellum ingressus, ac Sacerdotalibus de more Ornamentis indutus, ad Aram Missæ Sacrificium celebraturus accessit. Ubi vero Rem Divinam agere cœpit, ad illa verba: *Introibo ad Altare Dei*: ita repente apoplexia perculsus fuit, ut, nisi Minister Sacrificio inserviens jam jam labantem, suppositа manu, sustentasset, dubio procul in terram corruisset.

Accurrere protinus adstantes: tum Patres hac de re admoniti supervenientes Beatum Senem, ut ut eis datum, in Ædem Templo proximam adductum Sacris Vestibus exuerunt. Quapropter plurima sunt adhibita, sed incassum, medicamenta. Nam prævalida morbi vis omnem ei loquendi usum interdixerat, illæsa tamen in totum discernendi facultate; quod per data ab ipso signa plane compertum fuit. Etenim motibus quibusdam, ac nutibus, ut ad Aram majorem perduceretur, ardens desiderium ostendit.

Cum vero Superior, an suscipiendæ Eucharistiæ gratia id expeteret, interrogasset, annuit ille, iterato Capitis flexu: nec a nutibus desistere, aut quiescere visus, nisi, cum hoc de negotio se idem Superior illi facturum satis spopondisset, postquam scilicet, quod erat tunc opportunius, in Cubiculum ægrotans asportatus fuisset. Eo perductus, ac lectulo stratus, Medicis, qui jam advenerant, nullam salutis spem dantibus, sed intra paucas horas ægrum moriturum pronuntiantibus, Sanctissimo Viatico primum, extrema dein Unctione munitus fuit. In tanta vero perturbatione spirituum id plane mirandum, quod, singulari Dei beneficio, ita mente semper integra permansit, ut, viso a longe in Sacerdotis manibus Divinissimo Sacramento, datis haud vulgaribus pietatis, ac devotionis indiciis, e lecto surgere, quantum per vires licuerat, conatus fuerit, non nisi humi stratus, Dominum gloriæ in sui cordis hospitium susceпturus. Verum, ne id executioni mandaret, obstitere pariter & morbi adversarius impetus, & Superioris præceptum.

Itaque post susceptа Ecclesiæ Sacramenta per aliquot horas aliquatenus conquiescens, quamplurimis, tum ex Religiosis Viris, tum ex Sæcularibus in ejus Cubiculum introeuntibus, atque ab eo benedictionem postulantibus, singulos ille penitus agnovisse indicans singulorum votis, Paterna impartita benedictione, satisfecit. Extremo postmodum ingruente Agone (quoniam non semel, se validissimum cum humani generis hoste certamen in illa novissima lucta habiturum, ipse prædixerat; ac propterea omnes Orationi instantes vellet, quod, iis intercedentibus, Divinæ misericordiæ auxilium, quo Victor evaderet, affuturum speraret) statim ac ii, qui præsentes erant, Andreæ vultum, quasi inducta pavoris ac mœroris nube infuscatum viderunt, pugnæ tempus a Beato Viro prædictum adesse rati, ferventissimas pro eo preces ad Deum fundere cœperunt. Verum Andreas, conversis iterum, atque iterum ad Imaginem devotissimam e Cubiculi pariete pendentem firmissimo intuitu oculis, consuetæ hilaritati redditus placida, serenaque facie ex hujusce vitæ pelago ad æternæ tranquillitatis portum feliciter evolavit.

Qualis, quantaque fuerit post ejus obitum, quæ de Beato Andrea longe lateque diffusa est, fama Sanctitatis, notum est apud omnes. Igitur earum rerum, quas illo tempore accidisse constat, peculiarem, distinctamque narrationem silentio prætereuntes, quæ sequuta sunt, paucis indicasse sufficiet. Igitur Andreas anno 1608. eo mortis genere, quod paulo ante commemoravimus, defunctus est: Anno vero 1625. inter Beatos Solemni Ritu adscriptus. Etenim nondum latæ Leges erant, quibus cavetur, ne hujusmodi Beatificationis Servorum Dei quorumcumque, ac Canonizationis causæ, nisi post elapsum ab illorum obitu annum quinquagesimum, tractarentur: hoc solum interea permisso, ut scilicet & virtutum, & miraculorum probationes procurare, ac conficere liceret; ne per tam longa ætatum intervalla, certiora, atque illustriora monumenta Sanctitatis prorsus interciderent. Quamobrem nonnulli statim post Beati Viri decessum & Ordinaria primum, & Apostolica dein auctoritate efformati fuere processus. Quorum examine, secundum morem ea tempestate receptum, tribus antiquioribus Romanæ Rotæ Auditoribus demandato, Actorum illi validitatem approbarunt; tum, Beati Andreæ virtutes heroicum attigisse gradum; & octo inter alia, partim dum viveret, partim post mortem ab ipso patrata miracula, communem operandi modum a natura institutum transcendisse, prævia legitima discussione, declararunt.

Horum omnium Relatio in Sacra Rituum Congregatione exposita una cum Rotali Judicio seriam, rigidamque censuram subiit. Qua peracta, eadem Sacra Congregatio, & validos Processus, & Andreæ virtutes heroicas esse, censuit. Tum, admissis inter vera, ac probata miracula septem instantaneis sanationibus, etiam pro miraculo habendum dixit, quod hic subjungimus. Accidit aliquando, ut Beatus Andreas Domum Camilli de Curtis Neapolitana in Curia Regentis Catharinam Ceraffam morbo decumbentem visitaturus adiret, eique Christianæ pietatis Officia more suo præstaret. Quibus inde perfunctus, circa tertiam noctis horam, recusato, quod in promptu erat, rhedæ commodo, pedead Domum Theatinorum a Divi Pauli nomine indigitas tam reversurus discessit. Interim copiosus, dum iret, ac pene inundans e Cælo indesinenter cadebat imber: nihilo tamen minus ne una quidem aquæ guttula Servi Dei, Sociique vestes asperserit, tetigitve. Immo homines duo, qui viæ comites dati, ut accensam præferrent facem, ubi hæc imbrium, ac ventorum impetu extincta est, Andream repentina luce circumfusum viderunt; quare omnes ad Divi Pauli Cœnobium feliciter pervenere. Ad hæc, iidem duo per longum itineris tractum, & dum Dei Servo famularentur, & dum ad suas postmodum ædes redirent, continuo maxima circumquaque imbrium copia decidente, in nulla aut corporis aut vestimentorum parte injuriam, quantumvis minimam, ab aquis undique confluentibus passi sunt.

Porro quidquid a Sacra Rituum Congregatione de validitate Processuum, tum de heroico virtutum gradu, ac de miraculis judicatum Summus Pontifex confirmavit. Deinde, cum eadem Sacra Congregatio esse locum solemni Servi Dei Beatificationi, dixisset, Urbanus VIII. Diplomate dato die 10. Junii anni 1625. Andream Beatorum Fastis adscripsit: & Clericis Regularibus Theatinis, ut in ejus honorem Officium, ac Missam de Communi Confessorum non Pontificum celebrarent, recitarentque, die obitus Servi Dei anniversaria, quotannis indulsit. Eadem postea celebrandæ Missæ potestas Sacerdotibus quibuscumque die præfato in Ecclesia Patrum Theatinorum Rem Sacram facturis ab eodem etiam Pontifice concessa fuit.

Interea Neapolitana Civitas, ac nonnullæ utriusque Siciliæ Urbes Beatum Andream in Patronum, ac Protectorem summa Religione sibi eligendum statuerant. Quapropter Urbanus Octavus, dato super hoc negotio speciali Rescripto, Patribus Theatinis facultatem dedit, ut Neapolitanis Civibus partem Corporis Beati Andreæ dono darent inter Lipsana Ecclesiæ Metropolitanæ reponendam. Fuit autem necessarium hujusmodi Apostolicæ Auctoritatis Decretum, quod in Generalibus Theatinorum Comitiis Lege cautum erat, ne quemquam vel minima a Beati Cadavere distracta portione donatum vellent. Idem vero Summus Pontifex, audita prius hac de re Sacræ Rituum Congregationis deliberatione, ut de Beato Andrea, tamquam de Patrono, ac Protectore, apud Neapolitanos, Panormitanos, Capuanosque & Missa, & Officium recitarentur, indulsit. Nondum enim ab Apostolica Sede, ne ii, qui Beatorum duntaxat nomine insigniti, nec inter Sanctos adhuc solemniter relati fuerunt, in Urbium, Locorumque Patronos adscirentur, statutum fuerat.

Igitur post Urbani VIII. Generalium Decretorum promulgationem, facta novæ Commissionis gratia, negotium Canonizationis Beati Andreæ reassumptum fuit; atque, ob Apostolicas hactenus commemoratas Concessiones a Legibus prædictis per Urbanum VIII. sancitis ejusmodi Causam excipiendam esse, a Patribus declaratum. Tum, adaucta in dies hujus Servi Dei fama Sanctitatis, ejus Nomen Pontificia Sanctione una cum illis, quæ in Romano Martyrologio leguntur, rite adnumeratum; ac Patribus Theatinis permissum, ut proprias de Beato Andrea Lectiones a Sacra Rituum Congregatione, audito Fidei Promotore, approbatas in secundo Nocturno publice recitarent, Datis postea Literis

Remis-

UAB Biblioteca de Ciències Socials

Remissorialibus, ut vocant, ac Compulsorialibus, ut earum rerum, quæ post Beatificationem acciderant, probationes perficerentur, varii de novo diversis in locis conditi fuere Processus; quorum postea discussa, ac probata validitas. Tum ex octo a Postulatoribus in Congregatione coram Sanctissimo Domino Nostro habita propositis miraculis tertium, quartum, & sextum plenis calculis approbata.

Fuit autem tertium sanitas Jacobo Giovio in instanti restituta. Hic enim, attracta, atque exsiccata nervorum compage in dimidia superioris Corporis parte, vitale officium minime expeditum habebat.

Quartum fuit instantanea item curatio Joannis Baptistæ Corizzi a nimis profundo capiti inflicto vulnere, ne relicto quidem vel minimo cicatricis indicio.

Sextum denique fuit Pueri Scipionis Arlei instantanea pariter sanatio; siquidem hujus graviter contusa frons, ac laxatæ, quæ per collum extenduntur, vertebræ illico fuerunt pristinæ integritati restitutæ.

His itaque ordine suo peractis, Sanctissimus Dominus Noster Clemens XI. dilato per id temporis judicio, ut precibus ad Deum de more porrigendis, ac in re tam gravi summe necessariis in antecessum vacaret, postmodum die 25. Maji anni 1704. tria proxime laudata miracula suffragio suo comprobavit.

Denique, cum die 18. Novembris ejusdem anni 1704. Generali Congregatione coram Sanctitate sua indicta, proposito Dubio, An tuto Solemnis Beati Andreæ Canonizatio perficienda foret, affirmative Patres respondissent, eadem Sanctitas Sua & preces ipsa fundere statuit, &, ut a Christifidelibus funderentur, indixit. Postremo, vocatis & Secretario Sacræ Congregationis, & Fidei Promotore, die 12. Maji anni 1707. ut Beatus Andreas Solemni Ritu Sanctorum albo adscriberetur, decrevit: cujus Decreti executionem enixe modo flagitat Patrum Theatinorum Ordo universus, qui postulationibus Catholicorum Regum, ac Principum dudum in ipsa Causæ introductione Apostolicæ Sedis exhibitis suas etiam humillimas preces adjungit.

COMPENDIUM

Vitæ, Virtutum, & Miraculorum, necnon Actorum in Causa Canonizationis BEATI FELICIS A CANTALICIO *Laici Capucini.*

Ex Secretaria Congregationis Sacrorum Rituum.

CANTALICIUM Diœcesis Civitatis Ducalis Castrum in Reatinorum finibus positum Beati Felicis Natale Solum fuit. Hinc enim anno 1513. (ut verosimilior fert opinio) ex Parentibus manuum laboribus, agrorumque culturæ addictis, piis tamen, ac Deum timentibus, primam lucis usuram accepit. Anno dein 1543. Capucinorum Religionem ingressus est. Ac tandem die 18. Maji anno 1587. ex hac vita decessit.

Felix, ubi primum ei per ætatem licuit, Agriculturam & ipse exercere cœpit: quo in statu jam inde a Puero plurima ab eo exhibita fuerunt indicia Sanctitatis, quæ futuram hujus Beati Viri admirabilem virtutem præsignabant. Erat quippe apud omnes recte vivendi exemplar, a quavis peccandi occasione abhorrens, Beatæque Virginis Mariæ cum primis assiduus, fervensque Cultor.

Literarum plane rudis, Gesta Veterum Patrum ab aliis sibi prælecta continuo imitari cupiens, ubi, illorum quosdam rigidioris abstinentiæ sectatores paucis pro cibo fructibus, ac leguminibus contentos esse, animadvertit: inspirante Patre luminum, Capucinorum Regulam austeros Eremitarum mores inter Cœnobitas renovantem summa animi contentione amplectendam decrevit. Quare hujusmodi consilium Viro Religioso, qui Fratribus prædictis in Civitatis Ducalis Cœnobio præerat, patefecit. Accidit autem, ut quanto magis iste rigorem, atque asperitatem Instituti Capucinorum Felici ob oculos ponere satagebat, tanto ille ferventiori conatu ad ineundam asperrimæ hujus Vitæ rationem incenderetur. Denique Felicem in Ecclesiam prudens Superior (Guardianum Minores Fratres appellant) adduxit; illique ostensa Crucifixi Imagine, en, inquit, quanta pro nobis Jesus Christus Dominus Noster perpessus est! His auditis, ita compassivi doloris jaculum Beati Felicis animam transverberavit, ut in effusissimas lacrymas erumpere visus fuerit. Sensit propterea Guardianus, quam ardens, firmumque foret Felicis in sancta vocatione propositum.

Acceptis igitur Literis ad Romanæ Provinciæ Præsulem, Romam se contulit, ut, quod diu, multumque optaverat, Religiosæ professionis Habitum inter Fratres Capucinos impetraret. Optimi Adolescentis desiderio a Patribus factum satis; qui, ut annum probationis de more compleret, Felicem Anticolim (hoc in loco Cœnobium erat ad id designatum) miserunt.

Mira hic edere cœpit Seraphici Patris imitator humilitatis, obedientiæ, ac ferventissimæ devotionis exempla. Sed, aliquali postmodum morbo correptus, parum abfuit, quin ab emittenda Professione arceretur: at, integerrimis moribus, rectaque Felicis indole bene pensitatis, illum eorum contubernio dignum Patres existimarunt; præsertim, cum adversam ejus valetudinem nihil prorsus obstitisse viderint, quin omnes ipse muneris sui partes adamussim expleret.

Solemni ergo Professione emissa, Felici, quoniam & laboribus idoneus, & morum candore insignis, & sancta quadam simplicitate conspicuus merito reputabatur, Superiores quæritandi ostiatim per Urbem res alendis Fratribus necessarias curam demandarunt. Quod sane laboriosum munus per integros quadraginta annos, admirabili patientia, modestiaque insigni, ita exercuit, ut nemini offendiculo, omnibus esset exemplo. Ut vero hujus Viri Dei imaginem suis depictam coloribus, quoad fieri potest, ante oculos habeamus, breviter hic illa recensenda est vivendi ratio, quam ille iniit & in Cœnobio cum Fratribus vivens, & per Urbem excurrens eleemosynas collecturus.

Erat illi in Conventu semper cara, ac dilecta solitudo, non aspera illa quidem, & humanitatis expers, sed quæ, dum caritas, amorque fraternitatis id postularent, comis, blanda, & officiosa. Erant Divini amoris igne examinata, & casta, tum semper ad proximorum ædificationem directa ejus eloquia. Nullum, quod propriæ laudis quidquam saperet, verbum protulit umquam humillimus Dei Servus; erga singulos, suos præsertim Superiores, obsequentissimus. Si quid quandoque in aliquibus corrigendum animadverteret, Christianæ Caritatis lege compulsus hoc, parum alioquin superbæ naturæ gratum remedium ita dulci humanitatis condimento, ac prudentiæ sale mitigabat, ut nullius iram, ac indignationem moveret; sed potius leniter, quos monebat, ad meliorem frugem amplectendam induceret.

Egregia in eo virtus Obedientiæ promicuit; quæ profecto in Viro petendæ eleemosynæ causa extra Monasterii septa dies pene totos insumente censenda est singularis, cum Fratribus hujusmodi officia exercentibus liberior quædam vagandi potestas sæpe concedatur. Si quid ex assiduis hujus actuosæ Vitæ laboribus supererat temporis, Felix, veterum Monachorum ritu, otii inimicus infensissimus in efformandis ligneis quibusdam Sanctæ Crucis simulacris protinus ad excitandam Jesu Christi Passionis memoriam devote distribuendis insumebat. Sane, ut, quam pie, sancteque inter domesticos Cœnobii parietes vixerit Beatus Felix, plene innotescerent, unum sufficeret dixisse: illum scilicet sanctissimi Ordinis, quem profitebatur, Instituta integre, inviolabiliterque servasse; adeo ut etiam statis apud Capucinos horis Orationi mentali quotidie semper interfuerit, quamquam ministerii onus, quo indesinenter occupabatur, aliter ei suadere potuisset.

Veruntamen non ea solum, quæ Capucinorum Regula statuit, fideliter implere, sed quamplurima peculiarium virtutum exercitia Felix ad majoris perfectionis apicem contendens superaddere visus fuit. Nam præscriptam Fratribus Laicis semel in hebdomada Dominici Corporis sumptionem ter ille in hebdomada frequentavit. Tum per quindecim, qui obitum suum præcessere, annos Sacerdoti primam in Ecclesia Missam celebranti devote ministrans singulis diebus Divino Eucharistiæ Pane, Directoribus id permittentibus, refectus est. Noverant enim ejus conscientiæ Moderatores eximiam Beati Viri puritatem, ignitumque Divinæ Caritatis fervorem; quare illi

re illi quotidianæ Communionis gratiam merito concedendam putarunt. Ille vero & uberrimo lacrymarum imbre perfusus, ut vix, ac ne vix quidem aliquando Confessionem, quæ Communioni præmitti solet, proferre valeret, & summo devotionis æstu ad Cælestem Mensam inhians, mira Panis Angelici omne delectamentum in se habentis suavitate recreabatur.

Primo noctis crepusculo, Fratribus de more in Ecclesia vigilantibus, aliqualem lasso corpori requiem daturus cubitum ire solebat. Ac secunda noctis hora surgens e lectulo Ecclesiam, statim ac Fratres ab ea recessissent, ingrediebatur; ibique, remotis arbitris, aut in Cœmeterio subtus Ecclesiam posito, aspero flagello corpus suum diverberabat. Inde cum vocali, tum mentali Orationi intentus, usque dum tempus matutinas Laudes recitandi adveniret, inter Divina commercia vigilabat: atque, ut Ecclesiæ Curatori, qui ex munere id agere debuerat, levamen afferret, consueta signa, quibus ad Matutinum Fratres excitantur, ipse dabat; ac protinus Cellam repetens modicissimo somno aliquantulum refectus, expletis matutinis Laudibus, iterum Ecclesiam ingressus Sanctæ Orationis studia ad auroram usque prosequebatur. Qua primum illucescente, *dato solito* Campanæ *signo* pro Angelica Salutatione recitanda, primæ Missæ Sacrificio adstabat, non prius ab Ecclesia egressurus, nisi, cum tempus exeundi e Conventu ad eleemosynas petendas adveniret.

Duo solemnia jejuniorum tempora apud Fratres Minores Capucinos, sancita lege, servantur. Unum omnibus Christi Fidelibus commune, quod Quadragesimale appellamus. Alterum peculiari Statuto inter Fratres Minores receptum initium sumit a Festo Omnium Sanctorum, & usque ad Dominicam Nativitatem producitur. Quibus insuper Capucini Fratres speciatim tertium addere solent; idque Benedictorum nomine, ex oraculo S. Patris Francisci, communiter indigitant. Hisce *solemnibus* jejuniis alia nonnulla superaddidit Beatus Felix rigidissima, supra communem usum exacte servata abstinentia, duabus præsertim Sextis Feriis, ac Sabbatis Dominicas Resurrectionis, ac Pentecostes præcedentibus, in quibus ab omni prorsus alimento abstinere consuevit.

Quoniam vero ob muneris sui exercitium statæ horæ communi Fratrum refectioni interesse rarissime poterat, peculiarem quemdam, inaffectatum, & Fratrum oculos fugientem jejunandi modum invenit. In Romano Capucinorum Cœnobio, ob ingentem Fratrum multitudinem, quorum *nonnulli* justis de causis a primo sumendæ refectionis tempore eximuntur, quasi per omnes diei horas mensæ locus, pane duntaxat singulis mantilibus suppositio, paratus invisitur. Redux igitur a munere suo Beatus Felix, non advocatis mensæ Ministris, solo pane contentus, & libentius aliquando collectis, quæ in Cistula supererant, fragmentis, hausta e puteo aqua, sitim sedabat; vino duntaxat, & communibus Fratrum cibis tunc refici solitus, cum hæc a Ministris de ejus reditu certis palam apponerentur.

Sæpissime vero, ut promptius de nocte surgeret, dormiebat incœnatus. Storea nudis trabibus superposita lectuli loco ipsi erat; pulvinar lignum palmitum male junctorum fasce involutum. Post tot, tantosque per diem exantlatos labores somnum tandem aliquando capere coactus, non jam stertens, sed de genu flexus supra lectulum, suppositia manu caput substentabat: &, non nisi extrema naturæ lassitudine ad id cogente, somnum brevem, secundum meræ necessitatis mensuram, recubans carpebat. Nudis semper pedibus incessit sandaliis numquam usus, nisi per octo ante obitum annos, hyemali duntaxat tempore, tum ob senectutem, tum ob colicæ affectionem, qua graviter afflictabatur, cujusque insultus eximia, atque heroica patientia toleravit.

Quotidiana ambulandi exercitatione, disruptæ calcaneorum cuti, ad vim doloris augendam, crassiori ex filo futuras inducere solebat. Septem celebriores Urbis Basilicas (quod frequenter agebat) devotionis gratia visitaturus, interula ferreis anulis intertexta, quam modo hic, modo illic in ædibus per viam occurrentibus clam abscondere solitus erat, ad nudam carnem indutus incedebat. Quod quidem pium macerandæ carnis instrumentum, veluti quoddam insignis pœnitentiæ trophæum, post Beati Viri mortem Bavariæ Duci dono dedere Patres Capucini inter venerandas Reliquias collocandum.

Hactenus de claustrali, ac domestica vivendi ratione, quam Beatus Felix inter Fratres, non interrupto Virtutum exercitio, usque ad exitum vitæ prosequendam curavit. Nunc ad ea, quæ per Urbem eleemosynas colligens late præbuit, pietatis, ac religionis documenta gradum faciamus.

Mirabile profecto fuit, ut fidelis Domini Servus alienis semper commodis addictus numquam de nimia, gravique laborum farcina questus fuerit. Mirabile fuit, ut per longum annorum quadraginta decursum nullus de eo rumor ad aures Superiorum pervenerit, qui integerrimæ ejus probitatis nomen, morumque candorem vel minimum infuscaret. Mirabile fuit, ut nemo unquam a semel suscepto munere Felicem submovendum putaret; ut nullus demum fuerit, qui de Beato Viro aut siniſtri quidquam suspicari, aut male obloqui auderet; tametsi ille Viros inter, ac Mulieres indiscriminatim, officii sui causa, versari pene quotidie coactus fuisset. Tam sancta, tam prudens, tam grata omnibus erat ab eo suscepta vivendi ratio; tam insuper eximia, tam singularis illius modestia, ut numquam oculos purissimæ castitatis amator in Mulierum vultus licenter conjiceret: numquam vanæ curiositati indulgens per vicos, & plateas oberrare visus, nulloque sæcularis amicitiæ, aut suspectæ familiaritatis vinculo obstrictus fuerit.

Spargebat passim verbo, & exemplo irreprehensibili efficacia salutis monita, ac cælestis semina pietatis. Benefactoribus ægrotantibus summa caritate præsens aderat ea, quæ poterat, cum animæ, tum corporis solatia collaturus; precesque pro eis & fundebat ipse, &, ut Fratres reliqui in Oratorio funderent, Auctor erat. Nobilium, plebejorum, divitum, pauperum, omnium votis satisfacere paratus singulis ædificationem, singulis opportunum levamen afferebat. Si aliquando contigerat, eum cum aliqua ex illustribus fœminis de animæ negotio sermonem habere, a laudibus cujuspiam probæ Mulieris facto verborum initio, ad hujus perfectionem, ad quam illa *nondum* accesserat, colloquentem inducere consueverat. Quæ pietatis sensa intimo cordis affectu prolata, atque unice ex desiderio salutis alienæ profecta ingentem in Audientium animis Virtutis amorem excitabant.

Tantus erat in eo rerum Divinarum fervor, tantusque simplicitatis, & innocentiæ candor, ut sæpe, a devotis amicis ad id invitatus, cantiunculas quasdam a se olim digestas, ut Divini amoris flammas excuteret, & recitare, & canere quandoque minime recusaret. Si quæ Familia ad egestatem redacta in oculos Beati Felicis incurrerat, hanc ille, protinus collato, quod in promptu erat, subsidio, benigne sublevabat; facta a Superioribus facultate, ut, tamquam dispensator fidelis, ubi necessitas cogeret, aliquid ex collectis eleemosynis in pauperum usum erogaret. Summa rectæ intentionis puritate præditus quacumque ex re hortandi proximos ad bona opera exercenda opportunitatem mirifice capiebat. Contigit aliquando, ut in Bibliotheca Jurisperiti cujusdam sua tempestate insigni hinc magnam librorum copiam, illinc Crucifixi Imaginem prospiceret. Quamobrem statim in hæc verba prorupit: Inutilia prorsus erunt tot librorum volumina, nisi, & ut Jesum Christum discamus, & ut mandatis ejus fideliter obtemperemus, inserviant.

Satis, superque conspicua sunt, quæ & Cardinalis Sfortia, & Divus Philippus Nerius de Beato Felice humilitatis experimenta ceperunt. Beatum Felicem semel per Urbem incedentem laudatus Cardinalis advocavit; tum, Rosam auriculæ impositam, ac malum Persicum odorantis in morem gestare, & per vicos, & plateas incedere, jussit. Paruit illico Servus Dei, & admirantis Populi ludibriis contemptis, sic incedens ad Cœnobium usque humiliter perrexit.

Summam cum Divo Philippo Nerio familiaritatem, ac necessitudinem Beatus Felix contraxerat. Igitur accidit, ut semel in una ex celebrioribus Urbis Romanæ semitis alter alterum offenderet. Tum, peractis de more vicissim humanitatis officiis, Felix Philippum, an fieret, interrogavit: cui Philippus, maxime, respondit, Tunc Felix, modo experiar, inquit, an vere mortificationem diligas; & ei lagenam e collo subductam, ut biberet, ministravit. Hinc adstantis Populi multitudo Philippum sic bibentem admirata nihil ex eo offendiculi cepit, sed omnes uno ore dixerunt: Ecce, quomodo Sanctus Sancto propinat ad bibendum. Philippus autem, ut Felici suam rependeret vicem, novoque humilitatis experimento illius Sanctitatem probaret, pileum suo e capite detractum Felicis capiti imposuit, atque, ut eo coopertus ambularet, injunxit. Dicto paruit Felix. Quare Philippus, cui Felicis humilitas satis perspecta erat, resumpto pileo, reliquum viæ, Felice comite, est prosequutus; discceptantibus, qui aderant, quis eorum altero humilior foret, perfectioreque. Multa præterea

legun-

leguntur in Actis horum Sanctorum, quæ mutuam inter ipsos amicitiam, ac familiaritatem maxime testatam faciunt. Etenim sæpe invicem sese invisere solebant ea tenerrimi amoris significatione, ut aliquando præ gaudio dulces inter amplexus ne verbum quidem proferre possent.

Sed jam novissimum vitæ suæ tempus instare Beatus Felix agnovit: quo quidem splendidiora sunt, quæ ipse edidit, exempla Virtutum, ac signa Sanctitatis. Obitum enim suum ante præscitum jam jam futurum bis prænunciavit: & in Ædibus Olgiatorum, cum se non amplius ad petendas eleemosynas illuc accessurum dixit; & in Ædibus pariter Cæsarinorum, ubi, datis præter morem ad osculandum manibus, se quantocyus hanc vitam relicturum, illosque præsentiæ suæ copiam haud iterum habituros, adstantibus quamplurimis, auditus est affirmare. Et sane non diu post lethali morbo vexatus decubuit. Quapropter, sanctæ obedientiæ virtute, ut iis uteretur commodis, quæ Fratribus Infirmis permittuntur, Superiores præceperunt. Ipse vero, quamdiu per vires licuit, e lectulo surgens ad Ecclesiam Deum oraturus convolabat; donec id quoque eadem obedientiæ lege ipsi interdictum fuit. Denique, novissimo mortis agone singulari constantia tolerato, Ecclesiæ Sacramenta, ut petiit, summo pietatis, ac religionis fervore suscepit; visaque Cælorum Regina Angelicis Choris comitata, extremum vitæ spiritum suaviter exhalavit.

Sic igitur, exactis inter Fratres Capucinos annis fere quatuor & quadraginta, Beatus Felix die 18. Maji anni 1587. plenus dierum, & meritorum ex hac laboriosa vita ad æternæ quietis stationem migravit. Ita vero Sanctitatis ejus fama, dum inter vivos ageret, longe, lateque percrebuerat, ut, statim ac illius obitus innotuit, innumera Romani Populi multitudo ad Ecclesiam Divi Bonaventuræ turmatim accurrens non nisi difficillime Beati Cadaver ad templum e Cœnobio transferendum permiserit.

At, media in Ecclesia locato tandem Corpore, sensim longe frequentior invaluit concursus. Osculari pedes, discindere vestes, capillos, pilosque e mento, ac capite certatim divellere pia turba satagebat. Quare Cadaver e medio sublatum intra Aræ majoris cancellos, atque, ut a singulis commode conspici posset, eminentiori situ locare necesse fuit. Quo in loco Marianus Perbenedictus Urbis Gubernator prudenti consilio Curiæ Ministros adstare jussit. Verum Populi fervor in Ædiculam, quam Beatus Felix, dum viveret, incoluerat, summa vi irrumpens quidquid in ea reperit, tamquam pietatis monumentum, abstulit, distraxitque.

Interea Cardinalis Sanctæ Severinæ Ordinis Capucinorum eo tempore Protector, præter morem a Fratribus hactenus servatum, plumbeam propriis expensis Arcam faciendam, atque in ea positum Beati Felicis Corpus in Cœmeterio, quod erat Fratrum sepulturæ destinatum, sepeliendum curavit. Cum vero in dies frequentior devotus Populus ad Cœmeterium ventitaret, sive Beati Felicis intercessione Divinam opem imploraturus, sive pro acceptis beneficiis Deo gratias acturus, pretiosum Corpus e Cœmeterio in Templum transferre, atque in dextera parte Sacelli Jesu Christo Crucifixo dicati, Cardinalibus Sanctæ Severinæ Ordinis protectore, ac Rusticuccio Sanctissimi Domini Papæ Vicario præsentibus, sepulturæ mandare, visum est opportunum.

Tantum vero abfuit, ut inde Populorum concursus deferbuerit, ut valentiores postea vires (Deus enim hujus Servi sui precibus quamplurima miraculorum dona impartiri dignabatur) per tempus acquisierit. Porro Sixtus V. Pontifex Maximus, cujus auctoritate Corporis translatio e Cœmeterio ad Ecclesiam peracta creditur, duodecim comitantibus S. R. E. Cardinalibus, postquam Eucharistiæ Sacramentum in Ecclesia Patrum Capucinorum adoravit, Sacellum Sanctissimi Crucifixi, ac Beati Felicis sepulchrum genuflexus invisit, ejusque precibus sese commendavit. Idem præstitit Greg. XV. qui singulares a Deo gratias hujusce Servi Dei intercessione relatus est accepisse. Beati Felicis Imaginem Paulus V. imprimi permisit, addita Epigraphe, quæ illius Sanctitatem indicaret.

Porro, cum multos super virtutibus, & miraculis Beati Felicis compilassent processus Ordinarii simul, & Apostolici Delegati, contigit, ut, antequam de prædictis agendi locus datus fuisset, Urbani Octavi Decreta evulgarentur, quibus remotio, ac suspensio Cultus præscribitur quorumcumque Dei Servorum, quos nondum Romana Sedes aut inter Beatos, aut inter Sanctos recensendos dixisset. Quare, exorto dubio, an horum Decretorum vigore Beato Felici Cultus denegandus esset, idem Pontifex Urbanus VIII. quod Beato Felici Pontificiæ auctoritatis interventione fuerat jam Cultus exhibitus, eumdem Cultum interrumpi nec posse, nec debere, minimeque hujusmodi Casum Legibus ab eo latis obnoxium esse, declaravit. Quamobrem ex more, qui tunc temporis obtinuerat, tribus antiquioribus Romanæ Rotæ Auditoribus Beatificationis, & Canonizationis Beati Felicis causa est demandata, qui validitatem Actorum, virtutes in gradu heroico, & miracula, facta omnium prædictorum relatione, approbaverunt.

Tum Sacra Rituum Congregatio, iisdem sedulo perpensis, de virtutibus in gradu heroico, & de quatuor miraculis plene constare pronuntiavit, ac Summus Pontifex Congregationis Judicium confirmavit. Fuerunt autem probata miracula, quæ sequuntur.

Clarix Guarneria Mulier Romana molestissimo pedum tumore, tanta doloris vehementia, ut e lecto surgere minime posset, laborabat. Tertius annus erat, ex quo vi morbi ita afflictabatur, ut viribus macie pene consumptis, vix ipsi per lectulum sese movere concederetur. Itaque, post adhibita incassum pharmaca, Beati Felicis opem expetitura ad Ecclesiam Capucinorum advehitur; ibique, inunctis a Viro Religioso Ægrotæ pedibus oleo lampadis ad Sepulchrum Beati Felicis accensæ, statim & dolor, & tumor evanuit, ut incolumis domum repetere potuerit, ac si nullo unquam morbo affecta fuisset.

Paulus item Tiburtinus Capucini Ordinis Professor Romano in Cœnobio degens articulari morbo correptus (cujus tanta vis erat, ut non solum ei motum, incessumque, verum etiam, ne manum ori admovere posset, prohiberet) quadraginta dierum spatio miserum in morem pene desperatus jacuerat. At, Beati Felicis implorato præsidio, has sibi visus est audire voces: Meum pete Sepulchrum. Quare, cum e lecto surgere conanti morbi violentia impedimento esset, denuo Beatum Felicem oravit Ægrotus. Præsens statim adfuit Beatus Felix, mirisque irradiata splendoribus Cella, jussit, ut oleum e sua lampade sumptum acciperet, efficax in eo adversus morbi violentiam præsidium habiturus. Credidit dictis Ægrotus, oleoque inunctus statim convaluit pristinæ sanitati restitutus.

Dominicus Floronus ex Agro Tiburtino oriundus, acuta, continuaque febri divexatus, apoplexia, paralysi, aliisque hujusmodi symptomatis supervenientibus, miserandum in modum jacebat Ægrotus. Et jam cancer latus ejus corrodere, tumor præterea caput, ac quasi totum corpus extendere cœperat: unde frustra omni Medicorum ope advocata, menses excurrerant quatuor, ex quo immobilis, veluti Cadaver, in proximo moriturus existimabatur. Uxor igitur Romam accedens, in Beati Felicis intercessione omni posita fiducia, ejusdem lampadis oleum domum reversa attulit. Ægroti Corpus unxit, & illico omnem illam morborum congeriem abscessisse comperit, ac summa lætitia Maritum integram Corporis sanitatem consecutum fuisse, mirata est.

Puer annorum quatuor a variolis male habitus oculorum lumen penitus amiserat, ut nec, quod ei comedendum porrigebatur, agnoscere, nec nummorum valorem discernere, nec, nisi adhibito viæ duce, incedere posset. Quapropter, cum nulla medicamentorum subsidia profutura viderent mœstissimi Parentes, uni Deo, quem, Beato Felice intercedente, quamplurima patrare miracula non ignorabant, Filii sanitatem commendandam putarunt. Inunctis igitur sæpe laudatæ lampadis oleo Pueri oculis ante Servi Dei Sepulchrum, statim videndi usum Filio restitutum mirabiliter agnoverunt.

His itaque miraculis, ac virtutibus luculenter probatis, Felix Beatorum Fastis adscriptus est: nam Urbanus Octavus Pontifex Maximus, dato Apostolico Diplomate Kalend. Oct. anno 1625. ut Felix Beati nomine insigniretur, atque ut Officium, ac Missa in ejus honorem quibusdam in locis celebrari possent, indulsit. Quod postea indultum latius fuit ampliatum.

Jamque ab anno 1630. Beati Felicis Nomen Romano Martyrologio fuit adscriptum: ut vero a Beatificatione ad Solemnem Canonizationem jure suo pateret iter, novam Innocentius Decimus facultatem commisit. Unde, confectis denuo Apostolica auctoritate processibus, eorumque expensa, ac probata validitate, perseverare & Sanctitatis famam, & Venerationem, & Cultum, & Populorum erga Beatum Felicem devotionem, Patres declararunt. Item, præhabito Sacræ Rituum Congregationis Consilio, idem Innocentius Decimus unum ex miraculis, quæ post indultam Beatificationem superve-

nerant, approbavit. Etenim Carolus a Tudetto Laicus Capucinus tumore quodam, eoque pertinaci afflictus finistri poplitis liberum usum taliter amiserat, ut non nisi ligneis fulcris innixus, viam carpere posset. Hic Beati Felicis adjutorium expetens ejusdem lampadis oleo poplitem unxit. Quo peracto, apparuit Ægroto Beatus Felix, & die Purificationi Beatæ Mariæ Virginis sacro se pristinæ incolumitati restituendum fore prædixit. Et sane ita accidit; nam eo ipso die convaluit, etsi die præcedenti insanabilem Caroli morbum Medici pronuntiassent.

Hæc inter plurima selecta fuere miracula, relictis iis, quorum non satis plena allata probatio. Demum, aliis super ceteris miraculis, quæ patrata dicebantur, confectis processibus, Generalique Rituum Congregatione coram Sanctissimo Domino Nostro Clemente XI. die 31. Januarii anni 1708. celebrata, aliud ex iis, quæ post Beatificationem contigerant, miraculum approbatum; instantanea nimirum Leopoldi Francisci de Tozzis, mirabilisque curatio. Hic siquidem adhuc Puer in peracutam, malignamque febrim inciderat e pulmonum inflammatione prognatam; cujus vi vehementissime perculsus, amissis motu, ac loquela, oculisque jam clausis, veluti mortuus existimabatur. Quare hujus Mater, Beati Felicis auxilium ut imploraret, vix ad Templum Capucinorum processerat, cum illico Puer ipse convaluit.

Firmato igitur a Sanctitate Sua Sacræ Congregationis Judicio, alteroque indicto Consessu, ac in eo propositio Dubio; An tuto deveniendum foret ad Beati Felicis Canonizationem: Patres unanimes affirmarunt. Sanctitas vero sua, dilata ad tempus deliberatione, post suas, aliorumque fusas ad Deum preces, Cælestis adjutorii Lumen enixe expetens, Sacræ Congregationis Secretario, ac Promotore Fidei coram se vocatis, die 8. Maji anni 1709. Decretum Solemnis Canonizationis Beati Felicis pronuntiavit. Pro cujus executione, post Regum, ac Principum supplicationes initio causæ Sanctæ Sedi porrectas, modo etiam humillime postulat, ac reverenter flagitat tota Fratrum Capucinorum Familia.

COMPENDIUM

Vitæ, Virtutum, & Miraculorum, necnon Actorum in causa Canonizationis BEATÆ CATHARINÆ DE BONONIA *Monialis Professæ Ordinis Sanctæ Claræ.*

Ex Secretaria Congregationis Sacrorum Rituum.

VIGRIORUM Familia divitiis satis affluens honesto loco apud Ferrarienses fuit. Ex hac ortus est Joannes, qui Studiorum causa Bononiam missus, ac in celebri illa Universitate Juris utriusque Lauream consecutus Benvenutam ex Domo Mamolina, vetusta nobilitate conspicua, ea in Urbe Uxorem duxit. Hisce Parentibus in lucem prodiit Beata Catharina die 8. Septembris anno 1413. Hujus futura Sanctitas insigni prodigio divinitus præmonstrata. Nam, quum Patavii domestica curaturus negotia Joannes ejus Pater moraretur ipsamet nocte, qua Bononiæ Benvenuta Uxor Catharinam peperit, Cælesti visione admonitus futuras natæ Puellæ virtutes prægnovit.

Igitur Catharina statim a puerilibus annis magnarum præbere cœpit indicia virtutum; ad quarum apicem, crescente ætate, pervenit. Etenim, spretis illis, quibus innocenter gaudere pueritia solet, oblectamentis, cum vix pedibus incedere didicisset, mira erga pauperes affecta animi benignitate, ac misericordia, quidquid præ manibus habere contigerat, in egenos liberaliter erogabat. Anno ætatis XI. Ferrariam a Parentibus adducta, ut in Aula Margaritæ Nicolai Marchionis Estensis Filiæ nobilium puellarum contubernio adscriberetur, ea in Urbe Bononiæ cœptum Latinarum Literarum curriculum ita prosecuta est, ut uni Sacrorum Librorum lectioni toto mentis conatu se consecraverit. Erat in Virgine Catharina senilis prudentia, modestia vero singularis, quibus non amorem duntaxat omnium, qui secum agere consueverant, verum etiam speciem quamdam venerationis sibi conciliabat. Exacto in Aula Ferrariensi quasi triennio (Margarita Estensi Roberto Malatestæ Ariminensium Domino in matrimonium tradita) ubi se ab Aulæ vinculis solutam sensit, illico a Sæculi tumultu abstrahere cogitavit. Facillime vero hujusce voti compos effecta est: nam, defuncto Patre, piissima Genitrix, quæ sola superstes erat, sanctum Filiæ propositum studiose adjuvit, probavitque sententiam.

Eminebat ea tempestate inter Ferrarienses Mulieres pietate, & religione insignis Lucia quædam de Mascarone dicta, quæ Habitu Tertii Ordinis Sancti Augustini induta, aperto domi suæ veluti quodam pietatis Gymnasio, nonnullas in eo sæculari veste adolescentulas ita ad Christi sectanda vestigia erudiebat, ut secum religiosissime vitam traducerent, essentque omnibus exemplo. Nam, aut in fundendas assidue ad Deum preces, aut in honestos manuum labores, quidquid supererat temporis, impendentes non nisi festis diebus, ut Sacris interessent, per Urbem incedere videbantur. Hunc sibi locum, tamquam virtutis Tyrocinium, Beata Catharina eligendum putavit: quo quidem non solum postea Regularis Monialium Clausura, verum etiam, ut perfectioris vitæ desiderio, ad quam piæ illæ Virgines anhelabant, plene satisfieret, tum quoad Habitus formam, tum quoad præcepta Disciplinæ, Sanctæ Claræ Institutio stabilita fuit. Hinc primum, omni penitus rerum terrenarum sollicitudine seposita, arctius perfectionis iter Catharina, ut Sociis, tanquam virtutis exemplum, præluceret, mirabiliter arripuit: nunquam, & nusquam verba facere audita est, nisi cum Deo, vel de Deo locutura, otiosis allocutionibus, iisque præsertim, quæ vel minimo alicui offendiculo esse poterant.

Eo potissimum omnem animi curam semper intendit, ut cunctis ob amorem Jesu Christi contemptui esset.

Ac, quemadmodum ipsa vilissimam sese inter Creaturas ex corde reputabat, ita apud singulos idem de se judicium extare cupiebat; probe noscens, veræ Sanctitatis ædificium non nisi humilitatis fundamento superstrui posse, nullumque hactenus hominum, nisi per regiam humilitatis viam, ad Regna Cælorum perveniisse, aut aliquando perventurum. Quamobrem & viliora sibi indumenta, & abjectiora ministeria semper optabat: tantoque caritatis fervore operam suam Sororibus, ægrotis præsertim, alacri, promptoque animo locabat, ut a nullo umquam Officio, quamvis sordido, ac laborioso, abhorrere visa fuerit. Ex hujusmodi sanctæ humilitatis radice, veluti legitimus fructus, exactæ Obedientiæ virtus originem traxit, quæ totius Religiosæ vitæ basis est, ac fundamentum. Hujus vero eximiæ Obedientiæ specimen non unum Beata Catharina exhibuit. Nam difficillimis sæpenumero probata experimentis, nihil umquam de prompta ad exequendum voluntate remisit, ardua quæque longe, multumque supra vires jam jam exacturata aliquando, nisi eadem Obedientiæ lex, ne illa executioni mandaret, protinus intercessisset. Nihil illi dulcius, suavius nihil, quam sanctæ Orationis, Divinæque contemplationis pabulo refici quotidie, tamquam unico vitæ spiritualis alimento. Quamquam gravibus, iisque diuturnis, tentationibus ab humani generis hoste vexata, numquam tamen, Divinæ gratiæ præsidio munita, victa succubuit; sed multas, illustresque de triumphatis hostibus victorias reportavit. Hinc factum est, ut suo satis edocta experimento, iisque, quæ spiritualis vitæ stadium incipientibus offendiculo esse solent, plene perceptis, mirabile illud scripserit Volumen, quo imbecillioribus animis adversus hujusmodi infirmitates præsentissima remedia præpararet.

Verum, cum secreto quodam humilitatis instinctu Volumen ad calcem usque perfectum flammis comburendum tradidisset, superno Divinæ vocis oraculo admonita illud iterum scribere coacta est de Septem Spiritualibus Armis titulo prænotatum. Hoc vero nemini, quoad vixit, videndum, sed conscientiæ Moderatori duntaxat jam jam moritura exhibuit: ut, singulis ipse eo in Volumine contentis maturo judicio expensis, tunc ejus legendi copiam Sororibus faceret, cum id ad animarum salutem, majoremque Dei gloriam conducere existimasset. Et sane, quam magna ex isto Beatæ Catharinæ Volumine iteratis typis evulgato profluxerit utilitas, quamplurimæ orandi studio addictæ Animæ summo cum fructu hujusmodi Librum assidue legentes, præsensque in il-

in illo auxilium adversus occultas Tentatoris insidias invenientes experientia comprobarunt.

Diuturnis affecta morbis, jejuniis insuper, vigiliis, innumerisque afflictationibus voluntarie assumptis, invictam tolerantis animi constantiam semper exhibuit. Quare, veluti aurum in camino tribulationis, diu, multumque probata, uberrimos Cælestium gratiarum fontes in se derivavit, dono præsertim prophetiæ, variisque a Deo immissis visionibus illustrata. Annibalem Bentivolum adversus Philippum Mediolanensium Ducem pugnaturum victorem fore, prædixit eo ferme modo, quo postea per omnia veridicum Beatæ Catharinæ vaticinium monstravit eventus. Futurum Orientalis Imperii excidium, casuramque Regiam Constantinopolis Urbem in Mahumedis Secundi manus post bimestrem obsidionem ipso Pervigilio Pentecostes anni 1453. item prædixit; ut neminem lateret, ruinam Græcorum propter ipsorum adversus Spiritum Sanctum blasphemias justo Dei judicio fuisse permissam.

Beatum Thomam Cantuariensem Episcopum, & Martyrem sibi Divinæ Orationis Præceptorem semel præsentem habuit, bis vero Seraphicum Patrem Sanctum Franciscum. Item, cum Dominicæ Nativitatis nocte de more vigilans Orationi esset intenta, Deiparam videre meruit Puerum Jesum in ulnis gestantem.

Nec silentio prætereundum, quod semel inter Missarum solemnia Choros Angelicos Divinum Trisagium ita dulciter canentes audierit, ut, si diutius (quemadmodum ipsamet testata est) Cælestis ille Cantus perduraſſet, animam profecto suaves inter concentus effavisset.

Interea apud Moniales primum, ac postmodum per Ferrariensem Urbem, vicinasque Regiones fama Sanctitatis Beatæ Catharinæ longe, lateque percrebuerat. Quare defuncta Monasterii Abbatissa, de subroganda in demortuæ locum Beata Catharina Sanctimoniales unanimiter deliberarunt. Illa vero, ubi Sororum consilia rescivit, dici vix potest, quanta vi verborum, additis insuper singultibus, lacrymisque, ut hujusmodi onus a se deprecaretur, conata fuerit: id unum vehementer optans, ut ab omni prælationis honore aliena continuum exhiberet Sororibus singulis, viliori cuiquam, infimoque ministerio addicta, famulatum. Hos vero heroicæ humilitatis sensus tam intimo cordis affectu sinceriſſime protulit, ut Abbas Sanctæ Justinæ, qui Romæ degere solitus Ferrariæ tunc forte aderat, maximum ex hisce ceperit veræ virtutis documentum; ac deinde, quoties aut animæ, aut corporis angustia premeretur, precibus Beatæ Catharinæ adhuc viventis sese commendare solitus fuerit; ratus, se certo certius, quidquid in votis haberet, Beatæ Catharinæ precibus a Deo impetraturum: nec quidem illum hujusmodi fiducia umquam fefellit. Tantum propterea valuit apud Moniales Beatæ Catharinæ humilis excusatio, ut tunc a munere regendi Monasterium fuerit liberata. Verum non diu post, ut virtuti sanctæ Obedientiæ morem gereret, onus suscipere coacta fuit.

Hæc igitur sublimium virtutum exempla ardens in nonnullis Italiæ urbibus desiderium excitarunt, ut Sanctarum Virginum, quæ Ferrariæ tot, tantosque Sanctitatis radios, Beata Catharina duce, emittebant, pium, ac laudabile Institutum longe, lateque propagatum vellent.

Id in primis Civitas Bononiensis expetiit, & Romanum Pontificem, ut voti compos efficeretur, oravit; atque Apostolicis, quæ opus erant, obtentis Rescriptis, Ferrariam Legatos misit, ut secum inde ad novum Monasterium Bononiæ excitandum Moniales aliquot, quarum una Abbatissæ, ac Fundatricis munere fungeretur, asportarent. Legati benigne suscepti, ac rebus singulis rite compositis, eorum admissa petitio: & demum Beata Catharina id oneris subire, Sociisque assumptis ad novam fundationem, sanctæ Obedientiæ mandato, sese accingere jussa est.

Postremo Legatis abeuntibus Ferrariensium Monialium Gubernatrix, habebitis, inquit, Beatam Catharinam designans, Virginem, quæ famam Sanctæ Claræ, moresque sanctissimos erit apud vos aliquando instauratura. Verum dixisse, rei probavit eventus. Interea Beata Catharina, quamquam eo tempore gravi oppressa morbo decumberet, ita ut in itinere defectura crederetur, nihilo tamen minus iter aggressa est; acciditque, ut, Divino favente præsidio, illico aliquatenus convalesceret. Ut vero tumultus, qui facile oriri poterat inter Ferrarienses Cives discessionem Beatæ Catharinæ ægre ferentes, provide evitaretur, Legati Bononienses, Fratresque Divi Francisci, qui comites itineris dati erant, noctu discedere deliberarunt. Ubi proximus Sacrarum Virginum adventus Bononiensibus nuntiatus, incredibilis inter eos animorum consensio, etsi hactenus in acerrimas factiones distractos, apparuit; qua certatim summis & honoris & benevolentiæ signis pium illud agmen, ducem præsertim Beatam Catharinam, exceperunt; Cardinalibus Bessarione Pontificio Legato, ac Philippo Calandrino Urbis Episcopo obviam euntibus, Clero, Magistratibus, & Senatu universo comitantibus.

Menses fere quatuor in Sancti Antonii Xenodochio moram fecere novellæ Moniales; donec Sancti Christophori Cœnobium Beatæ Catharinæ cura, ac vigilantia in commodiorem formam redactum fastis auspiciis ingressæ, insigne Sacrarum Virginum Collegium aperuerunt. Hujus vero Instituti Sanctitas, exemplo præsertim Beatæ Fundatricis, adeo, tamquam Christi bonus odor, late manare cœpit, ut brevi temporis intervallo quamplurimæ ex nobilioribus Familiis honestissimæ Virgines in Catharinæ societatem receptæ cælestem illam vivendi formam fuerint amplexatæ.

His itaque bene, sapienterque constitutis, venit in mentem Franciscanis Fratribus Monasterii Directoribus, ut ad servandas sanctiori methodo inter Moniales Sanctæ Claræ Constitutiones Diploma Apostolicum impetrarent, quo munus Abbatissæ non uni Monialium, donec viveret, ut hactenus servatum, sed singulis trienniis, renovata electione, modo uni, modo alteri conferendum statueretur. Hujus consilii novitas non levem injecerat metum, ne in singulis Monialium Collegiis turbæ excitarentur. Ægre enim Abbatissas, quæ semel regendi munus cum earum vita duraturum susceperant, ab illo removeri posse, nonnulli existimabant. Quapropter Provinciæ Præsul, cui nota satis erat Beatæ Catharinæ humilitas, ut apud reliqua Franciscani Ordinis Monasteria novæ huic Constitutioni faciliorem viam sterneret, provido consilio a Bononiensi hoc Cœnobio hujusmodi reformationem incœpit: atque, ubi primum ad istud accessit, coacto Monialium Capitulo, Diploma Pontificium de triennali Abbatissarum electione insperato promulgavit.

Quo audito, tantum abfuit, ut quid humanum Beata Catharina passa fuerit, ut lætanter exultans humi strata Deo gratias egerit, quod tandem aliquando suis annuisset precibus Divina Majestas; hilarique vultu ad Præsulem conversa gratias ei dixit de bono nuntio reddendas: atque illico Monasterii negotia ita componere studuit, ut futuræ Abbatissæ suis præcipue monitis instructæ regiminis sarcina levior, faciliorque redderetur.

Hæc singularis animi moderatio non Provinciæ Præsidem solum, verum etiam Moniales singulas in admirationem rapuit: quæ sane majorem in modum excrevit, ubi congregatis ad novam electionem Abbatissæ Monialibus, Beata Catharina Capitulum ingressa humillimo incessu, vultuque, petita venia, sese libere, libenterque Officio spoliavit. Quo facto, Sorori Annæ Morandæ Ravennati (una hæc erat e Monialibus Ferraria Bononiam translatis) Cœnobii regimen plenis suffragiis collatum. Verum hæc, cum in gravem morbum incidisset, vix elapso anno, Præfecturam dimittere coacta fuit. Quare Monialibus consilium novæ Abbatissæ eligendæ ineuntibus, una omnibus non sine prodigio injecta mens est, ut Beatam Catharinam iterum in Abbatissam eligerent. Quam quidem electionem, ut pote Divinæ voluntatis opus ratam habuit Provincialis Minister, omnibus plaudentibus, una duntaxat id ægre ferente Catharina, quæ, nisi validissimus sanctæ Obedientiæ stimulus accessisset, ut denuo Præfecturam susciperet, nullo modo in animum induxisset.

Hujus novæ electionis rumor statim ac per Urbem innotuit, multas Nobilioris Ordinis Puellas, ut ad Sanctæ Claræ Institutum profitendum, Catharina duce, locum præfato in Monasterio enixe flagitarent, excitavit. Verum, cum ob Cellularum angustias omnium votis minime satisfieri posset, Deo fundendas de more preces Catharina cogitavit. Tum Deus Sponsæ suæ desideriis obsecundans Puellarum Consanguineis liberalem animum cælitus indidit: quo factum est, ut collatis pecuniis ad dilatandos Monasterii fines accurrerint, illudque in ampliorem, commodioremque formam redegerint.

Interea Catharinam materna quadam sollicitudine nihil reliqui facientem, ut optime rerum & temporalium, & spiritualium regimen in Monasterio procederet, morbus acer, idemque mortiferus invasit. Quapropter Virgo prudens convocatis Sororibus quamplurima salutis

monita æstu Divinæ caritatis plenissima communicavit, susceptisque reverenter Ecclesiæ Sacramentis, sese in occursum Divini Sponsi, lampade non vacua, præparabat. Erat autem una omnium Sororum, eaque fervens, ad Deum fusa deprecatio, qua tot, tantisque cumulatam virtutibus Beatæ Matris vitam diutius in commune commodum protrahendam postulabant. Annuit piarum Virginum precibus clementissimus Dominus: Nam post extasim, quam passa fuerat Catharina, e lectulo incolumis surrexit, atque ad obeunda consueta munia statim sese applicavit. Annum vero, quem unum supervixit, insignioribus Christianarum virtutum operibus, ac ferventiori caritatis exercitio Catharina coronavit. Solitudini intentius vacans, sacros, piosque Libros assidue volutabat; & non interrupta precum, meditationumque frequentia, vitam potius inter Cælites, quam inter mortales, agere videbatur. Nam sæpissime in Ecclesiæ secretiori angulo posita, uni rerum Cælestium contemplationi addicta, majorem diei, noctisque partem dulciter illacrimans, atque ad Beatam Patriam suspirans impendebat. Tum Sororibus, ut aliquid remitteret, monentibus, ne recens a morbo ob inclementiam rigidioris aeris longe gravius incurreret vitæ discrimen, nondum, reponebat, venit hora mea.

At jam hebdomadæ majoris tempus advenerat, quo, ablutis de more Sororum pedibus satis prolixam Orationem habuit, qua singulas ad mutuam caritatem, atque ad amorem Crucis vehementer hortata est: tum, altera in Capitulo habita Concione, resolutionis suæ tempus jam jam instare prædixit. Id vero minime tunc a Sororibus animadversum; præsertim, cum iis diebus familiarius inter eas versari, nullo dato vicinæ mortis signo, lætior, hilariorque visa fuerit. Sed tandem, sumpta cœna in communi refectionis loco, ubi prope Dormitorium accessit, levatis in Cælum oculis, hæc proferre audita est: Poteras, Jesu dulcissime, hanc mihi gratiam impartiri, ut, cum privatam agerem vitam, animam meam ad te vocares. Quæ quidem verba cum ad aures Illuminatæ de Bembis Monialis perveniissent, hæc, an male se haberet, Catharinam interrogavit: cui illa respondit: Jam vitæ meæ cursum consummavi. Protinus acerrimis correpta doloribus ægrotantium more decubuit. Tum, mira, Christianaque patientia mortiferis illis toleratis angustiis, sumptisque summo Religionis affectu Sacramentis, oculis in Imaginem Crucifixi e pariete pendentem sæpe conversis, Hymnos quosdam, quos ipsamet ad excitandos devotionis igniculos compositerat, recitavit. Denique, advocata Vicaria, cui post ejus obitum gubernandi Monasterii provincia erat demandanda, eidem Sorores singulas tota animi contentione commendavit: atque iis, ac similibus teneriimæ pietatis affectibus, assiduaque Sanctissimi Nominis Jesu invocatione extremum diem clausit, atque in osculo Domini moriens caducam vitam cum æterna commutavit anno Domini 1463. ætatis autem quinquagesimo.

Hujus Beatæ Virginis obitu summo mœrore affectæ Moniales, cum illam magno, dum viveret, Sanctitatis nomine celebrem reverenter observassent, certatim aliquam Vestium Defunctæ particulam, aut rei cujuslibet, quæ Beatæ Virgini usui fuerat, rapere contendebant, veluti venerandum piæ Matris Monumentum. Elato in Ecclesia pretioso Cadavere, ut Justa Christiano ritu persolverentur, instauratæ passim lacrymæ, instaurati denuo gemitus, instaurata suspiria. Hæc manus osculabatur, illa pedes, aliæ vultum: omnes a dulcissimo Beati Corporis amplexu minime divelli poterant. Fuit pretiosus ille Thesaurus primum in Cœmeterio sepulturæ mandatus: sed, cum cælestem e Sepulchro odorem efflare cœpisset, atque Ægrotos quamplurimos, qui sepulturæ locum frequenter invisebant, ac sese Beatæ Catharinæ precibus commendabant, Omnipotens Deus, mirabilis in Sanctis suis, sanitati restituere dignatus fuerit; Moniales, absque ligneæ saltem Arcæ tegmine Beatum Corpus terræ mandasse, pœnituit. Novum igitur consilium capiunt, quod Sacerdoti, qui eis a Sacris Confessionibus erat, aperiunt. Hic, rejecta primum Monialium petitione, postmodum fusis ad Deum precibus humum effodere permisit, hac data conditione, ut, si quid fœtoris inde exiret, denuo congesta humo, ab incepto desisterent, si vero odor adhuc perciperetur, Capsa lignea Cadaver includerent, illudque iterum terræ mandarent. Verum, id consilii exequi ubi incipiunt Moniales, maxima imbrium copia, atque immanis ventorum vis statim oborta est. Sed indicta ad Deum supplicatione, illico serenitas redit: quare Beatum Corpus e terra erutum suavissimum spirans odorem, candidum, incorruptum, miraque pulchritudine exornatum, etsi per decem, & octo dies humatum jacuisset, repertum est. Hujus prodigii fama per Urbem totam longe, lateque perlata. Hinc Alexander Longarius, Bononiensis Diœcesis Vicarius, cui propter absentiam Calandrini Cardinalis Episcopi rerum spiritualium cura commissa erat, locum invisit; deque singulis certior factus Beatæ Defunctæ virtutes, habita ad Moniales Concione, laudibus exornavit. Venerandum insuper Beatæ Corpus septem dierum spatio ante oculos omnium exponi permisit. Ad hoc visendum tanta Populorum multitudo non ex Urbe, Agroque Bononiensi solum, verum etiam ex vicinis Regionibus accurrit, ut per Urbis semitas, ne quis oriretur inopinus tumultus, vigiles Militum copias collocare necesse fuerit. Cum vero Omnipotentis Dei bonitas varia charismatum dona ægrotis nonnullis, hujus Famulæ suæ intercessione, Divinam opem postulantibus largita fuerit; novo excitato Sarcophago, in quo Sacrum illud Depositum fuit collocatum, duæ appositæ claves, quarum unam Sacerdos Pœnitentiæ Minister, alteram Moniales custodirent. Porro hujusmodi Sepulchrum nimia festinatione extructum, non levem injecit metum, ne a recenti calce, quæ fortasse nondum satis exaruerat, atque ab intercluſa aeris humiditate Beatum Cadaver aliquid vitii contraxisset, unde corrumperetur: quare illud in aptiorem, ac salubriorem Monasterii locum transferre, decretum fuit. Cum vero ad venerandum Beati Corporis prodigium Peregrinantium turba pene quotidie ventitaret, Moniales in altiorem Chori partem sæpius illud asportare cogebantur, ut ex Ostiolo, quo Sororibus Eucharistiæ Sacramentum porrigebatur, piæ Advenarum devotioni Beati Cadaveris præsentia satisfacerent: quod sane perpetuum, & non leve incommodum erat. Quapropter, prope vetus Sacrarium parata Ædicula, apertaque in pariete Fenestra, Beatum ex ea Corpus omnibus videri datum, incorruptum quidem, non Cadaverum more decumbens, sed viventis ad instar sedens, atque erectum. Frequens exinde, ac nunquam interrupta nedum Bononiensium, verum etiam Alienigenarum erga Beatam Catharinam visa est efflorere devotio.

Dudum a Pontificatu Clementis VII. qui Bononiam Carolo V. imperii Romani Coronam collaturus advenerat, ac mirabilem Beati Corporis incorruptionem inspexerat, deque summa rerum sedulo inquisierat, actum fuit, ut inter Sanctas Solemni Ritu B. Catharina referretur. Et sane de hoc negotio perficiendo Clemens Pontifex mentem suam satis explicarat: sed tot, ac tantæ publicæ, privatæque, arduæ illæ quidem, tunc temporis res emergentes impedimento fuere, ne huic causæ manus admoveret Romana Curia in varias, magnasque negotiationes distracta. Nihilo tamen minus laudatus Pontifex Bononiensibus Monialibus in Monasterio præfato degentibus facultatem concessit, ut quotannis in honorem Beatæ Catharinæ Officium a Magistro Apostolici Palatii approbatum, anniversario die, quo Beata e vivis excesserat, Ecclesiastico Ritu recitarent, tum singulis anni diebus inter Horas Canonicas de eadem commemorationem haberent. Atque ut ii, qui die festo Beatæ Catharinæ dicato, Pœnitentiæ, & Eucharistiæ Sacramentis rite susceptis, Ecclesiam, ubi Corpus Beatæ requiescit, devote invisissent, Indulgentiam peccatorum consequerentur, idem Pontifex concessit. Tum etiam idem recitandi Officii Indultum ad quædam Monialium Civitatis Ferrariensis Monasteria extendit; utque in die festo Beatæ Catharinæ una cantaretur Missa propria in Ecclesiis Monialium præfatarum Bononiæ, & Ferrariæ, reliquis vero diebus privatæ Missæ devotionis causa, secundum Romanæ Ecclesiæ Ritum, non a quibuscumque, sed a Sacerdotibus duntaxat, qui Monialibus essent a Confessionibus, celebrarentur, indulsit. Postea vero, cum Sixtus V. Curtio Franco Vaticanæ Basilicæ Canonico Officia Romani Breviarii expurgandi, corrigendique negotium demandasset, fuit ab eodem Beatæ Catharinæ Officium ad normam prædictam reformatum. Clemens vero Octavus, habito hac de causa in Sacra Rituum Congregatione examine, Nomen Beatæ Catharinæ Romano Martyrologio Apostolica auctoritate inferendum mandavit.

Anno tandem 1645. Solemnis Canonizationis causa introducta fuit; & secundum Urbani VIII. Decreta, habita prædictorum Indultorum ratione, hujus Casus exceptio approbata: atque pariter examini subjectum, probatumque fuit Opus supra laudatum, cujus titulus, de Septem Spiritualibus Armis, a Beata Catharina conscriptum. Processu item super fama Sanctitatis in genere

Apo-

Apostolica auctoritate confecto, atque hujusmodi fama rite approbata, ad specialem inquisitionem gradum fecit Sacra Congregatio: in qua, facta discussione validitatis, ac relevantiæ Actorum in specie, utrumque probatum; & Decreto suo censuit Sacra Congregatio, constare de Virtutibus Theologalibus, & Cardinalibus in gradu heroico: Summus vero Pontifex Innocentius XI. anno 1680. tale Decretum confirmavit.

His peractis, novi fuere instructi Processus de miraculis, quæ post permissam Venerationem supervenerant. Horum Processuum perpensa simul fuit, & admissa validitas. Hinc transitus factus est ad examen relevantiæ; & ex octo a Postulatoribus propositis miraculis duo in Generali Rituum Congregatione coram Sanctissimo Domino Nostro Clemente XI. habita die 31. Martii anni 1701. approbationem meruerunt: Sextum scilicet, & Octavum. Nihil tunc pronuntiatum a Summo Pontifice; qui tamen postea, causa exactius pensitata, ubi Divini Spiritus opem ferventibus precibus imploravit, Sacræ Congregationis Decreto robur Apostolicæ Confirmationis adjunxit, prædictis Sexto, & Octavo miraculo approbatis die 5. Decembris anni 1703.

Fuit autem Sextum miraculum Justinæ Calcinæ Monialis in Monasterio Corporis Christi Bononiæ instantanea curatio. Hujus enim male luxata manus, quæ jam inde a novem mensibus minime flecti, ac testimonio Medicorum nullo naturali pharmaco curari poterat, statim fuit sanitati restituta. Octavum vero miraculum instantanea item curatio fuit Sororis Mariæ Geltrudis de Ghirardellis eodem in Monasterio Monialis; cujus, ob febrim vehementissimam phreneſi, ac lethargo comitatam, fuerat a Physicis penitus conclamata salus. Post horum miraculorum approbationem, coacta tandem Congregatione coram Sanctissimo Domino die 18. Novembris anni 1704. cum in ea disceptatum, an esset locus, ut Beata Catharina Solemni ritu inter Sanctas Virgines describeretur, annuerunt unanimiter Patres: Sanctitas vero sua Judicium distulit, donec postmodum, suis, aliorumque Christi Fidelium precibus Divino implorato præsidio, Sacræ Congregationis Secretario, Fideique Promotori die 17. Maji anno 1707. jussit, ut publici juris facerent Decretum Canonizationis Beatæ Catharinæ, pro qua supplicationibus Regum, ac Christianorum Principum causæ initio Sanctæ Sedi porrectis modo suas etiam humillime adjungit Senatus, Populusque Bononiensis.

APPENDIX OCTAVA.

RESPONSIONES PRÆSULUM

A Secretis Brevium ad Principes

LATÆ IN PUBLICIS CONSISTORIIS

NOMINE SCILICET CLEMENTIS VIII.

IN CANONIZATIONE SANCTI HYACINTHI,

NOMINE SIXTI V.

IN CANONIZATIONE SANCTI DIDACI,

ET NOMINE GREGORII XV.

IN CANONIZATIONE SANCTÆ TERESIÆ,

De quibus Superiori Cap. 34.

PRO CLEMENTE VIII.

IN CANONIZATIONE SANCTI HYACINTHI.

Ex Actis ejus Canonizationis editis a Fr. Severino Cracovienſi.

QUÆ de Beati Hyacinthi excellenti fide, & caritate, illuſtri totius vitæ Sanctitate, & miraculorum gloria copioſa modo ſunt oratione explicata, jucunda admodum fuere Sanctiſſimo D. N. Grata quoque pia, & efficax poſtulatio de eodem Viro Dei in Sanctorum numerum referendo, non ob id ſolum, quod Sigiſmundi Tertii Poloniæ, & Sueciæ Regis filii ſui cariſſimi perſpectam pietatem agnoſcat, neque ex eo tantum, quod Regni Poloniæ Ordinum omnium religioſo hoc ſtudio delectetur; ſed propterea maxime, quod in hac etiam cauſa intuetur admirabilem Dei providentiam in Eccleſiæ Catholicæ gubernatione, quam Unigeniti Filii ſui pretioſo Sanguine acquiſivit. Nam, cum his noſtris periculoſis temporibus, in quæ fines ſæculorum devenerunt, extiterint homines ſuperbi, blaſphemi, reprobi circa Fidem, qui Satanæ inſtinctu veritati reſiſtentes auſi ſunt dicere, Sanctos cum Chriſto regnantes non eſſe venerandos, neque invocandos; ad eorum impietatem hac etiam ratione coarguendam, hoc ipſo potiſſimum tempore, excitavit Deus corda Regum, quæ in ejus manu ſunt, & quocumque vult, convertit illa, Populorum quoque devotionem accendit, ut Beatos quoſdam Viros Servos ſuos, qui vitæ innocentia ſingulari, & miraculis claruerunt, Romani Pontificis auctoritate eorum Sanctorum numero adſcribi poſtularent, quos Catholica, & Apoſtolica Eccleſia toto terrarum Orbe religioſe veneratur. Sic ante paucos annos, magnis, & aſſiduis precibus Philippi Regis Catholici, in Sanctorum numerum a Sixto Quinto Pontifice Maximo relatus eſt Beatus Didacus; ſic a tribus Poloniæ Regibus apud complures Romanos Pontifices actum eſt, & nunc magna contentione agitur, ut idem honor Beato Hyacintho tribuatur; quorum alter Seraphici Patris Franciſci, alter ex Glorioſi Patriarchæ Dominici ſanctiſſima diſciplina proditi: Deo fortaſſe ita diſponente, ut duo clariſſimi Ordines, unde tam multæ ad Eccleſiam Dei utilitates promanarunt, hac etiam noſtra ætate duorum Summorum Pontificum, & duorum Illuſtriſſimorum Sanctorum conſimili gloria decorentur, tantoque magis Hæreticorum perfidia convincatur de Veneratione, & Cultu Sanctis jure optimo adhibendo, qui ſempiterna felicitate in Cælo perfruuntur, quos Deus ipſe, ut Amicos ſuos, miris modis honorat, & in quibus mirabilis, & glorioſus apparet, & quorum meritis, & interceſſione magna in hominum genus confert beneficia. Sed & eo quoque nomine Deo, & Patri miſericordiarum gratias agit S. D. N. quod hoc difficillimo tempore, cum Eccleſia Catholica, & Chriſtiana Reſpublica ab Hæreticis, & Turcis vehementiſſime oppugnatur, Reges pii, & Populi fideles Spiritus Sancti afflatu plures ſibi Cæleſtes Patronos, & Advocatos adoptare ſtudeant, quorum patrocinio, & gratia a multis, quæ imminent, periculis liberentur. Et quidem Sanctitas Sua pie exiſtimat, digitum Dei hic eſſe: etenim tam diuturna tot Catholicorum Poloniæ Regum, & Præſulum, omniumque Ordinum in eadem re ab hac S. Apoſtolica Sede petenda perſeverantia, & duorum Maximorum Pontificum graviſſima Decreta tanti ſunt momenti, ut Beato Hyacintho in Sanctis adſcribendo viam quodammodo muniiſſe videantur. Verum tanta eſt hujus rei magnitudo, & deliberationis gravitas, ut adhuc Sanctitas Sua attentius, atque diligentius, quid facto opus ſit, conſiderandum, & cum his Venerabilibus Fratribus ſuis, S. R. E. Cardinalibus, Archiepiſcopis, & Epiſcopis inquirendum, ac conſulendum eſſe, cenſeat. Quare eos omnes magnopere hortatur, & monet, ut Acta, quæ de vita, Sanctitate, & miraculis Beati Hyacinthi confecta ſunt, diligenter expendant, Deumque humiliter orent, quemadmodum Sua quoque Sanctitas & fecit, & faciet, ut Eccleſiam ſuam, quæ eſt columna, & firmamentum veritatis, ſuo, ut ſemper ſolet, numine moderetur, & regat, & eorum corda, qui Miniſtri Chriſti ſunt, & diſpenſatores myſteriorum ejus, ſuæ gratiæ lumine colluſtret, ut in tam pio, & præclaro opere, in tam gravi, & religioſa actione id ſolum, quod ad ipſius Dei gloriam, ad incrementum Fidei, ad Eccleſiæ Catholicæ exaltationem, denique ad Chriſtiani Populi ædificationem maxime pertineat, ab eadem Sanctitate Sua deliberetur, & decernatur.

PRO SIXTO V.

IN CANONIZATIONE

SANCTI DIDACI.

Ex ejus Actis collectis a Penia.

DIUTURNAM Philippi Regis Catholici postulationem de B. Didaco, Viro & vitæ Sanctitate, & miraculorum copia, & magnitudine clarissimo, in Sanctorum Catalogum adscribendo dignissimam judicat Sanctissimus Dominus Noster perpetua Regis ipsius pietate, & gloria. Qui enim curam, cogitationemque omnem habet locatam, & fixam in Catholica Religione tuenda, & propaganda; quj & semper antea, & hoc maxime tempore summis opibus contendit, ut deleta Hæreticorum perfidia, Fides Catholica in veterem dignitatem, atque amplitudinem vindicetur; cujus omnia tum belli, tum pacis studia ad Dei gloriam referuntur, inque eā consumuntur; huic censet Sanctissimus Dominus noster convenire, de augenda etiam quodammodo Cælestium gloria cogitare, & postulare (si ita videatur Romano Pontifici, cujus ea potestas, atque actio propria est) ut ei Viro, cui nihil fuisset in hac vita Deo carius, quique ipse Deo carissimus fuisset, is honos tribuatur, qui possit maximus adhiberi, ut Pontificis scilicet ipsius Decreto declaretur Sanctus esse ex eorum numero, quos Ecclesia quotidianis honoribus veneratur. Et Beati quidem illius vita, ac miracula aliquot de multis nunc sunt disserta, & gravi oratione expositā. Agit autem Sanctissimus Dominus Noster Deo gratias immortales, quod tanta cum sui Nominis gloria, cum Ecclesiæ lætitia, cum Piorum fructu cumulet Servos suos summis virtutibus, velitque, illos summa apud omnes in veneratione, atque admiratione esse. (*a*) Laudatur Deus in Sanctis suis, ac mirabilis prædicatur: proponitur auxilium ad implorandum, exemplum ad imitandum, segnities nostra ad accusandum, dum agnoscimus, tanto nos illis inferiores esse, tamque longe ab illorum perfectione abesse. Sed facit rei magnitudo, ut censeat Sanctissimus Dominus Noster, de Regis postulatione esse etiam, atque etiam cogitandum, cumque suis Fratribus deliberandum. Hortatur igitur eos, monetque, ut de Actis Beati Didaci, quæ confecta sunt, quam diligentissime considerent, quodque ipse jampridem facit, Deum orent, (*b*) e cujus Vultu debent hominis judicia prodire: ut ostendat, quid facto maxime opus sit, actionemque hanc omnium gravissimam totam dirigat ad suam gloriam, Sanctæque Ecclesiæ suæ fructum, atque amplitudinem.

PRO GREGORIO XV.

IN CANONIZATIONE

SANCTÆ TERESIÆ.

Ex Actis ejusdem Viennæ Austriæ editis anno 1628.

SPECTACULUM Deo gratissimum, atque hominibus admirandum præbuit Hispanæ Virginis fortitudo, in ipso vitæ semper militantis tyrocinio omnium Imperatorum laudes supergressa. Atque in id mentis oculos libentissime convertit S. D. N. Qua ætate vel ipsas materni cubiculi tenebras plerique formidamus, Puella septennis, jam micans splendoribus Sanctorum, a Parentum complexu divellitur, monstrorum feracem Africam petitura, deducente pietate, ac periculis invitantibus, ubi ferox amore martyrii Tyrannorum sævitiam provocaret; clamitans, plaudente Cælo: *Quis nos separabit a caritate Christi? tribulatio, an angustia, an periculum, an gladius?* Compendiarium illa quidem iter institerat, ut violenta raperet Regnum Dei: verum opportunis id sepsit impedimentis misericordiarum Pater, quo tanta virtus Orbi profutura per longiores Divinorum mandatorum, ac consiliorum semitas ad æternitatis palmam properaret.

Id autem ita cumulate præstitit, ut non iisdem, quibus vitam, finibus opera suæ pietatis concluserit. Vivit adhuc Teresiæ Sanctimonia in Religiosis Virginibus, ac Viris Carmelitanis, quos voluntariis supplicis edocuit, vires corporis, id est, arma vitiorum, continenter expugnare; & modo Principes juvat Sapientium Magistra, modo Divini eloquii voce tonans, & gladio salutis armata in aciem prodit de impiorum sententiis triumphatura.

In his, ceteriſque laudibus non præsenti solum oratione, sed totius Christianæ Reipublicæ plausu celebratis, in Principum, Populorumque, ac præsertim Philippi IV. Catholici Regis, precibus triumphalia Sanctitatis ornamenta B. Teresiæ postulantium Divinæ clementiæ magnitudinem agnoscit S. D. N. atque admirabilem Hispaniæ gloriam Sanctos non minus religiose venerantis, quam feliciter progignentis. Sed tanta in deliberatione Cælum jejuniis, precibus, atque eleemosynis petendum est; ut per hos bene hærentes scalarum gradus in tertii Cæli altitudinem Pontificiæ mentis pietas ascendat, mortalibus renunciatura, quæ sponte non licet homini loqui. Proinde rogat omnes Sanctitas Sua, ut his pietatis officiis secum Patrem luminum imploretis. Ipse autem Venerabiles Fratres suos S. R. E. Cardinales, tum Patriarchas, Archiepiscopos, atque Episcopos in consilium adhibebit, ut in cælestibus honoribus decernendis Divinitatis jussa capessat, & Catholicæ Ecclesiæ laudibus inserviat.

In hanc sententiam respondere me, jussit Sanctissimus Dominus Noster.

(*a*) Psal. 150. & 67. S. Bernard. in vig. SS. Petri, & Pauli. (*b*) Psal. 16.

AP-

UAB Biblioteca de Ciències Socials

APPENDIX NONA

SUMMORUM PONTIFICUM

ALLOCUTIONES HABITÆ

IN SEMIPUBLICIS CONSISTORIIS,

PAULI VIDELICET PAPÆ V.

CUM AGEBATUR DE CANONIZANDA

BEATA FRANCISCA ROMANA,

E T

URBANI PAPÆ VIII.

CUM DE CANONIZANDO

BEATO ANDREA CORSINO,

De quibus ſuperiori Cap. 34.

SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI

PAULI PAPÆ V.

Ex Manuſcripto apud AUCTOREM.

MIRABILIS eſt Deus in Sanctis ſuis; cujus egregia facinora pietate, miſericordia, & admiratione plena, quemadmodum elapſis temporibus in Servis ſuis, ita nunc etiam in hac ſua Ancilla Franciſca Romana inſigniter promulgare voluit; ut, ſi quid Divinus cultus, & honor erga Majeſtatem ſuam, ſuoſque Sanctos magis magiſque in dies augetur, veluti auctus, & ad hæc noſtra uſque tempora propagatus in hac ſua dilecta Famula Franciſca videatur. Quocirca jure merito ob eximias ejus, atque adeo excellentes virtutes dignam exiſtimamus, quæ Sanctarum Catalogo adſcribatur. Adſunt in ipſa, quæ omnia requiruntur, de puritate Fidei, de vitæ Sanctitate, ac de miraculorum corufcatione, in Beatorum Canonizationibus neceſſaria, atque opportuna. Hæc namque Dei Serva alta quadam, & profunda ſui animi demiſſione (quæ vero virtutum omnium eſt fundamentum) perpetua in Majores, ac Superiores ſuos obedienta aſſociata reſplenduit; ardentiſſima in Deum, & proximum repleta caritate, in adverſis fortis, & patiens in ſollicitudinibus, ac tribulationibus, quas illi præpotens Dei manus, ut meritum merito adderet, inferebat, conſtantiſſima; ac denique in tentationibus, quibus illam humanæ naturæ hoſtis, ut eam ab amore ſui Domini averteret, ſæpe affligebat, & excruciabat, veluti inexpugnabilis arx, immobilis ſemper extitit. Potus, cibique abſtinentiſſima fuit; & ut plurimum corpus ſuum ita acriter macerabat, idque tantum, ut ſpiritus in ſe fervor concreſceret, ut perſæpe a ſenſibus alienata ad ipſummet Dei Filium, ejuſque Sanctiſſimam Matrem, & Sanctos ſuos intuendum conſcenderit. Talis, tantaque præterea fuit hujus Famulæ Dei Franciſcæ puritas Fidei, caritaſque, & amor erga Suam Divinam Majeſtatem, quamplurimis aliis, innumerabilibuſque virtutibus comitibus, ut merita ſit in Socium, Cuſtodem, & Protectorem Archangelum continuo habere, quem ipſa evidenter conſpiciebat, & familiariter cum eodem, perinde ac inter conjunctiſſimos fieri ſolet, verſabatur; quin etiam per ipſum ab incurſionibus, & cruciatibus diaboli perpetuo defendebatur. Unde tot, tantiſque meritis, ac virtutibus longe, lateque collucente, mirum haudquaquam videtur, ſi per ipſam Deus Optimus Maximus, tam dum viveret, quam poſt ejus felicem in Domino obdormitionem, infinita prope Prodigia operatus fuerit; inter quæ potiſſimum nonnulla iis ſimillima fecit, quæ Salvator noſter in terris patravit. Deficientem panem Conſororibus ſuis multiplicavit, ut Chriſtum ſequentibus ipſum Turbis in Deſerto feciſſe legimus: & confidens in aquis nil minus eſt madefacta. Hominum inſuper corda Divino repleta ſpiritu cognoſcebat, & eorum intimiores, ac ſecretiores partes, atque cogitationes mirabiliter penetrabat. Poſt ejus vero glorioſam animi a corpore ſegregationem, pretioſiſſimus ille, venerabiliſque theſaurus non fœtorem, ut cetera ſolent cadavera, ſed ſuaviſſimum, ac nectareum odorem emanavit: atque ita, ejus meritis, & interceſſione, tam dum inter mortales vixit, quam poſt ejus obitum, quamplurimi utriuſque ſexus Chriſtifideles contagioſis, diverſiſque morbis, peſte, febre, multiſque aliis variis, diverſiſque infirmitatibus, ac tribulationibus liberati fuerunt: ut latius ex relatis in hac cauſa a Decano veſtro in Conſiſtorio Secreto dignoſcere facillime potuiſtis. Quare, propter hæc omnia, exiſtentibus in hac Beata Dei Serva iis omnibus neceſſariis, & opportunis, quæ in alicujus Sancti Canonizatione requiruntur, hanc etiam in Sanctarum Mulierum Cœtum referri poſſe, judicamus. Veruntamen opinioni Noſtræ minime inhærentes, quid de hoc vos, Fratres Cariſſimi, ſentiatis, hodie audire cupimus.

SAN-

SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI

URBANI PAPÆ VIII.

PROPOSITIO, ET SENTENTIARUM ROGATIO

PRO CANONIZATIONE

B. ANDREÆ CORSINI.

Ex Suffragiis in ejus Canonizatione editis Romæ anno 1629.

MILITANTIS Ecclesiæ sollicitum, variisque perturbationibus obnoxium statum non aptius alio, quam Navis in Mari fluctuantis symbolo, si quis attente consideret, exprimi posse crediderit quod facili negotio comprobarit, si velit ire per singula, quæ congruunt utriusque regimini. Nec abs re fuerit existimare, nobis hanc a Christo Domino insinuatam fuisse cognitionem, dum sæpius in mari voluit e Navicula docere Discipulos: & huc forsan respexerunt Summorum Pontificum primi, qui sibi ad subsignanda Diplomata delegerunt Anulum effigie Piscatoris in Navicula cælatum: hinc etiam videtur invaluisse mos, ut de Ecclesia differentes eam Petri Navim dicamus; nec Patrum desideratur auctoritas, qui Navim Ecclesiæ typum esse confirment. Hanc profecto Navim Sancti Spiritus afflatu dirigi, non licet ambigere. Quod cum ita sit, quis eat inficias, ab eodem Sancto Spiritu Ecclesiæ eam injectam fuisse mentem, ut Beatissimam Virginem maris Stellam nuncupet? Hujus saluberrimæ lucis opem sentire eos, qui rerum humanarum tempestatibus agitati ejusdem Virginis implorant patrocinium, pro comperto est: quod illa sæpe liberaliter solet, & clementer impartiri, fusis ad Filium precibus, ut Divinam ob peccata nostra vindictam nobis imminentem avertat. Nostris vero præsertim temporibus varias minitantibus procellas luculentum liberalitatis exhibuit, & clementiæ testimonium. Non satis enim fuit, ut ipsa genus humanum pravis affectibus æstuans luce sua juvaret, & solaretur; sed, quos antiquitus vana gentium superstitio splendores Castori, & Polluci ad tutelam navigantium perperam tribuit, videmur jure optimo nos Sanctissimæ Virginis beneficio acceptos referre debere. Suspicimus enim geminos ab ejus luce radios recenter promicantes, Sanctam videlicet Teresiam nuper albo Cælitum adscriptam, & Beatum Andream Corsinum præcipuis ejusdem Virginis prærogativis insignitum, ex cujus Religiosa de Monte Carmelo Familia prodiit amborum decor, & splendor, qui nobis affulget. Omnium jam patet oculis affatim Sanctæ lumen Teresiæ: sed, ut etiam magis esset conspicuum Beati jubar Andreæ, ferventissimis votis, & accuratissimis precibus olim Respublica Florentina, suo Civi generis nobilitate præstanti, suppliciter a Nostris Prædecessoribus petiit, Sanctorum Cultum rite decerni; nec minori deinde studio Corsina Gens, & Ordinis Carmelitani Generalis Præpositus intermissam rerum vicissitudine petitionem prosecuti sunt; quibus pluries iterata Regum, aliorumque magnorum Principum efficax accessit postulatio. Quamobrem Servi Dei, quæ per tria fere sæcula constanti fama percrebuit, Sanctimoniam, ac, priusquam nasceretur, præsagitam, & in mira ad Episcopatum Fesulanum electione celebratam, diligens habita more Majorum perquisitio comprobavit. Nam in Palatii Nostri Auditorio, & per Patres a Sacris Ritibus solerter est examinata; ac demum in Consistorio Nostro Secreto relata simul cum operibus, quæ supra mortalis conditionis vires B. Andreas vivens, & post obitum mirabiliter patravit: Inter quæ hecticæ, & assidue pulsæ repente febres, morbus comitialis sanatus, corpus a lepra mundatum, crura ulcerum sanie scatentia statim pristinæ restituta valetudini, cæcoque lux reddita. Poterant hæc cælestem B. Andreæ partam felicitatem præmonstrare; sed certiorem de ea facile est concipere notitiam. Nam Dei Mater Virgo Famulo suo, integerrime vita peracta, paucos dies antequam decederet, in somnis apparens perennem Beatarum Mentium voluit gloriam prænuntiare. Ceterum, cum Sancta Teresia fœminis exemplar Virtutum e Beatissimæ Virginis Carmelitano Instituto proposita sit, si Templis & Aris colatur Beatus Andreas, habebunt etiam viri generatim, quem invocent, & imitentur. Nec quisquam, licet perditissimis imbutus moribus, salutaris immutationis privabitur spe: nam & ipse e lupo in agnum conversus, ac tandem Pastor effectus egregie Pastorali functus est munere; cujus optime administrandi specimen petere poterunt Episcopi, & hinc præcipue, qui fortiter onus Episcopale sustinent, sollicitudinum, & perturbationum, quibus premuntur, singulare solamen accipere. Denique de tutelari præsidio Beati Andreæ, in quo se gloriaturam Dei Mater asseruit, cur gloriari posse non speret Mater Ecclesia, cum sit alias illum adversus hostiles acies propitium Apostolicæ Sedis experta propugnatorem?

Utrum igitur Beato Antistiti Andreæ, qui dudum in Cælo Dei fruitur aspectu, Sanctorum Titulos in terris, & Venerationem rite decernamus, deliberandum est. In re tam gravi, Venerabiles Fratres, dicite quid sentiatis: nihil enim, vobis inconsultis, statuere volumus.

UAB Biblioteca de Ciències Socials

APPENDIX DECIMA.

SUFFRAGIA

IN SEMIPUBLICIS CONSISTORIIS LATA A VENERABILI VIRO

CARDINALI BELLARMINO

TEMPORE CLEMENTIS VIII.

ET TEMPORE PAULI V.

CUM AGEBATUR DE CANONIZATIONE

SANCTI RAYMUNDI, ET SANCTÆ FRANCISCÆ ROMANÆ,

Accedunt Suffragia in Semipublicis Conſiſtoriis ab AUCTORE lata, non tamquam Fidei Promotore, ſed ut Archiepiſcopo Theodoſiæ,

DUM TEMPORE BENEDICTI XIII.

PERTRACTABANTUR CANONIZATIONES SANCTORUM

PEREGRINI LAZIOSI, ALOYSII GONZAGÆ, STANISLAI KOSTKÆ, JACOBI DE MARCHIA, JOANNIS A CRUCE, AGNETIS POLITIANÆ, FRANCISCI SOLANI, ALPHONSI TURRIBII;

De quibus nimirum ſuperiori Cap. 34.

Addita etiam libentiſſime fuiſſent excellentiora Suffragia in modo dictis Semipublicis Conſiſtoriis adjecta a Cardinalibus, & aliis Epiſcopis doctrina longe præſtantioribus; ſed, licet inſtanter petita fuerint, obtineri haud potuerunt.

CLEMENTI VIII. PONT. MAX.

SUFFRAGIUM ROBERTI CARDINALIS BELLARMINI

IN CANONIZATIONE SANCTI RAYMUNDI.

QUOD veteri inſtituto, maturo conſilio, publico teſtimonio excellentium Virorum Sanctitas ab Apoſtolica Sede declaretur, Deo perhonorificum, Sanctis Viris glorioſum, atque Eccleſiæ univerſæ utiliſſimum eſſe, non dubito. Quod vero ad S. Raymundum attinet, ego fretus diligentia graviſſimorum Patrum, quibus hoc negotium commiſſum fuit, facile mihi perſuadeo, de hujus viri innocentia vitæ, miraculorum gloria ſatis conſtare; ac propterea cenſeo, honorem meritis ejus debitum non eſſe ulterius differendum: & eo magis in hanc ſententiam adducor, quod S. Hyacinthum Sanctitas Veſtra paucis ante annis in numerum Sanctorum retulit. S. Hyacintho S. Raymundus *ſimillimus fuit, eodem ſeculo vixit, eumdem* Habitum geſtavit, iiſdem Inſtitutis informatus ad perfectum vitæ culmen pervenit, eodem Fidei ardore, ac profectu Evangelium prædicavit, ſimili gloria miraculorum floruit, atque adeo ſimili, ut aquarum profunda uterque ſine navi, ſine ponte tranſierit. Decet igitur, SS. Pater, ut biga iſta Sanctorum (Chryſoſtomi verbo utor) quæ Chriſti jugum pari devotione portavit in terris, & nunc pari felicitate triumphat in Cælis, ab eodem Summo Pontifice, Chriſtique Vicario conſecretur.

PAULO V. PONT. MAX.

SUFFRAGIUM EJUSDEM CARDINALIS BELLARMINI

IN CANONIZATIONE

SANCTÆ FRANCISCÆ ROMANÆ.

VERSAMUR hodie, Pater Beatiſſime, in negotio arduo, atque difficili, fortaſſe etiam in negotiorum omnium maximo. Quamvis enim Sanctorum, qui cum Chriſto regnant in Cælis, tam ingens ſit numerus, ut S. Joannes in Apocalypſi dixerit: *Vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat*; tamen pauci ſunt, quos Deus ſingulari providentia elegit, ut eis per Vicarium ſuum in terris publici decernantur honores. Neque enim ad hanc excellentiam ſatis eſt, ut coram Deo Sancti ſint; ſed oportet, ut certiſſimis documentis probetur, eos, dum viverent, veræ Sanctitatis gloria aliis præluxiſſe, & in eadem Sanctitate diem extremum clauſiſſe, & demum, poſt mortem carnis, animas eorum ad æternam Beatitudinem perveniſſe. In horum paucorum, ſed feliciſſimorum hominum numerum Sanctam Franciſcam Romanam referri poſſe merito jureque optimo credimus. Nam ex diuturna, & accurata diſcuſſione ſatis conſtitit, eam non ſolum vitæ Sanctitate, ſed etiam ſignis, & prodigiis Divinis, & dum viveret, & poſt-

poſt obitum, claruiſſe. Accedit etiam, quod, cum ii, qui in album Sanctorum referuntur, quaſi faces clariſſimæ in edito loco ponantur, ut multis mortalibus viam ad perfectionem oſtendant, S. Franciſca omni ætati, omni gradui exemplar virtutum proponeretur: quippe quæ ab ipſa infantia multis annis virginitatem coluit, aliis non paucis in caſto conjugio verſata eſt; poſtea etiam laborioſam viduitatem exercuit; ad ultimum vitam religioſam, & perfectam in Monaſterio duxit. Itaque & Virginibus, & Conjugatis, & Sanctimonialibus ejus declarata Sanctitas mirifice proderit. Quare cenſeo, finem huic tanto negotio jam tandem per Sanctitatem Veſtram omnino eſſe ponendum.

SUFFRAGIA AUCTORIS

IN CANONIZATIONIBUS ANTEA MEMORATIS.

BEATI PEREGRINI.

Beatiſſime Pater.

MONET egregius Eccleſiæ Doctor Ambroſius *in prima David Apologia*, electos Domini aliquando cadere, & acriores ad currendum reſurgere, nec a lapſu ullum illis impedimentum afferri, ſed velocitatis potius incentiva cumulari, Divinamque gratiam eos aliquando præterire; ut, ſicut innocentiæ, ita & pœnitentiæ magiſterium ab eorum actibus deſumamus: quæ omnia paucis verbis Theologi, quos Scholaſticos appellamus, complexi ſunt, cum docuerunt, permiſſionem peccatorum in prædeſtinatis eſſe prædeſtinationis effectum: nec ab eis receſſerunt alii, qui de Canonizatione tractantes dixerunt, aliquos propter innocentiam, ceteros propter pœnitentiam Canonizari.

Porro, hæc in B. Peregrino contigiſſe, certum eſt. Poſtquam etenim juvenili furore percitus Sancto Philippo Benitio concionanti alapam impegit, ad ejus pedes ſtatim provolutus, & in Ordinem Servorum Matris Dei non ſine divino prodigio receptus vitam in cinere, & cilicio uſque ad octogeſimum annum traduxit, & ejus anima poſt obitum, Sanctis comitantibus, ad Cælum deferri mirabiliter viſa eſt; &, dum adhuc Corpus erat inhumatum, multa a Deo ejus interceſſione miracula patrata ſunt; & adeo magna percrebuit fama Sanctitatis, ut ejus Cultus nedum meruerit approbari, & ampliſſimis Indultis a Sede Apoſtolica augeri, ſed, omnibus etiam rite, & recte adimpletis, quæ a Sacris Canonibus poſtulabantur, nihil in ejus cauſa deſideretur, ſi ſolam Solemnis Canonizationis Sententiam excipiamus.

Hanc a Te, Beatiſſime Pater, univerſi expectamus, ut novum in Cælis Interceſſorem, & novum pœnitentiæ exemplum, quod imitemur, habeamus. Eam a Te expectat Ordo Servorum Matris Dei, & jure ſuo quodammodo expoſcit. Novit enim, ſuam firmitatem, & Apoſtolicam inſtaurationem ſe debere Nicolao Tertio ex Tua Gente Urſina Summo Pontifici. Novit etiam, Apoſtolica Miniſteria Sancto Philippo Benitio ab eodem Nicolao Tertio commiſſa, & laudabiliter exercita multum contuliſſe, ut Sanctus eſſet. Quapropter in eam ſpem fideiter erigitur, ut ſuprema, & infallibilis a Te Sententia proferatur, per quam Beatus Peregrinus S. Philippi Benitii Alumnus inter Sanctos recenſeatur.

BEATI ALOYSII.

Beatiſſime Pater.

SI ea, quæ, dum Cardinalis, & Archiepiſcopus eras, in honorem B. Aloyſii feciſti, attente conſidero, ſuperflua mihi profecto videntur ea omnia, etſi maximi momenti, quæ Tibi pro ejus impetranda Canonizatione proponere poſſe exiſtimarem. Tu etenim bina ei dicata Altaria publica Ceremonia conſecraſti, &, poſtquam de ejus Sanctitate in Synodo Diœceſana plura luculenter diſſeruerat, publicas pro Canonizatione, de qua Romæ tractandum audiveras, preces indixiſti, conceſſa precantibus Indulgentia. Tu Parochis edixiſti, ut, ſicubi miraculum Beati contingeret, aut contigiſſet, id Tibi ſtatim denuntiaretur; &, altero ex Canonicis miraculum denuntiante, Proceſſum ſuper eo inſtituiſti ad omnes novi etiam Juris regulas tam exactum, tam accuratum, & abſolutum, ut ceteris ad exemplum proponi poſſit: eodemque inſtructus Romam adveniens Miſſam primum, & Officium de eo pro Tua Metropolitana, & deinde pro tota Diœceſi impetraſti; & Beneventum rediens media in Synodo favorabilia Decreta promulgaſti, Beati Nomen in Kalendario repoſuiſti, & eum toti Clero Patronum dediſti, & Feſtum, quod antea una cum *Capitulo* in Eccleſia Patrum Societatis Jeſu celebrare conſueveras, in Eccleſiam Metropolitanam tranſtuliſti, & Pontificale Sacrum, Veſperas, & Panegyricam de eo Concionem habuiſti. Tu denique, viſis, matureque ponderatis Scripturis ad Te, licet ab Urbe abſentem, tranſmiſſis, quæ ſuper Cauſæ reſumptione fuerant compoſitæ, mihi Fidei Promotoris munere fungenti Literas dare dignatus es, quibus ſapienter ſcripſiſti, eam concluſioni, quam reſumptioni, propiorem. Agebatur enim, uti ſubdebas, de Principe Chriſti cauſa ſpoliato, de Virgine nullis libidinum ſtimulis tentato, de Contemplativo nullis mentis evagationibus obnoxio, de Innocente, ſimul tamen & Pœnitente, de Confeſſore, ſimul tamen & Martyre Caritatis; denique de Beato, cujus plane ſingularis Sanctitas teſtimonio Venerabilis Dei Servi Cardinalis Bellarmini, & Sanctæ Mariæ Magdalenæ de Pazzis fuerat confirmata, cujus Nomen peculiari elogio in publicas Eccleſiæ Tabulas relatum eſt, & cujus Cultus centum abhinc annis in Eccleſia, & Romana præſertim, non interruptus perſeverat. A reliquis abſtineo, quæ, prævio Sacræ Congregationis Rituum conſilio, ad Summum Pontificatum evectus pro cauſæ concluſione feciſti. Quapropter nihil aliud mihi ſupereſſe videtur, quam meas Tibi humillime preces exhibere, ut conſilium, quod antea dabas, nunc accipere non dedigneris, Solemnique Ritu B. Aloyſium Gonzagam Sanctorum Confeſſorum Catalogo auctoritate, qua polles, tandem adſcribas.

BEATI STANISLAI.

Beatiſſime Pater.

SUorum heroicitatem, ſeu Sanctitatem Filiorum Eccleſia canonizat, hoc eſt, imitandam ſimul, & venerandam proponit, divinitus edocta lucernam non ponere ſub modio, ſed ſuper Candelabrum, ut lucear.

Et in Martyre quidem cujus ſola mors imitanda proponitur, ſatis habet, ſi vel momentanea ſit heroicitas mortis; in qua tamen vel ſola tanta plerumque colligitur heroicitas, quanta vel in longam alterius vitam poſſet extendi.

At in Confeſſore, cujus non modo mortem, ſed & vitam imitandam Fidelibus proponit, heroicitatem deſiderat non momentaneam, ſed diuturnam, nec ſolius mortis, ſed etiam vitæ; quantæ autem, non eſt definitum: nec vero facile definiri poteſt, cum fieri valeat, ut brevis interdum Heros longum adæquet, ſive, ut verbis utar Sapientis, *conſummatus in brevi explevit tempora multa*.

Talis fuit heroicitas Tobiæ in Deum pii, in concaptivos liberalis, hominum conſortia fugientis, nihilque puerile in pueritia gerentis: *Hæc*, inquit Scriptura, *& his ſimilia ſecundum Legem Dei Puerulus obſervabat*. Talis heroicitas Samuelis, pueri ante Deum magnificati, & proficientis, ac tam Deo, quam hominibus placentis. Talis heroicitas Danielis, Sociorumque aquam, & legumina præ cibo, ac potu regio poſtulantium. Talis heroicitas Joannis, qui puer creſcebat, & confortabatur Spiritu, & erat in deſertis.

Ac talis denique fuit heroicitas ejus, de quo nunc agitur, Beati Stanislai. Puerulus voces minus pudicas audiens exanimis in terram cadebat; quotidiana Fratris vexatione ab arctiori ad laxiorem vitam ſe pertrahi nunquam eſt paſſus; tandem Dei amore ſic æſtuabat, ut gelida pectus aqua refrigerari oporteret: ita ut nec delicatior potuiſſet eſſe adulti caſtimonia, nec firmior fuiſſet viri conſtantia, neque caritas poſt ſæculum vehementius arſiſſet.

Cenſeo igitur, brevem annis, longum Virtutibus Heroem

roem Fidelium imitationi, simul & venerationi proponendum; ut Puer annorum octodecim pudori sit puero centum annorum, condemnetque justus mortuus vivos impios, & juventus celerius consummata longam vitam injusti, nec suus denique desit Beniamin adolescentulus in Familia Sanctorum.

B. JACOBI DE MARCHIA.

Beatissime Pater,

ABstineo libentissime a commemoratione virtutum, & miraculorum B. Jacobi Piceni; satis enim, superque nota sunt, & hucusque fuerunt ab aliis luculentissime relata. Ut autem ad Solemnem ejus Canonizationem tandem procedere digneris, fas sit, in memoriam revocare, Te, dum Cardinalatus officio fungebaris, propriis oculis alterum ex miraculis vidisse, quod ad Summum Pontificatum evectus, juridicis accedentibus documentis, & prævio Sacrorum Rituum Congregationis consilio, approbasti. Ferunt Historici, Innocentium IV. suis oculis miraculum vidisse a Deo intercessione B. Stanislai Cracovienſis patratum, inductumque ab hoc fuisse, ut inchoatam ejus Canonizationem absolveret. Hujus itaque tui Prædecessoris exemplum, Beatissime Pater, sequi ne dedigneris, ut Fratrum Minorum Familia novum Evangelicæ perfectionis exemplum, Apostolici Ministri formam sedulo, & invicti Operarii, Fideles omnes Interceſſionem, & Christiana Respublica difficillimis hisce temporibus solidissimum adversus hæreses, quas Jacobus vivens profligavit, habeat patrocinium.

B. JOANNIS A CRUCE.

Beatissime Pater,

EX multis aliqua proferam, quæ exoptatæ B. Joannis a Cruce Canonizationi mihi plurimum prodesse posse videntur. Sancta etenim Teresia eum adhuc viventem eximia Sanctitatis laude in suis Epistolis prosecuta est: & quantum auctoritatis momentum statuendum sit in Sanctorum attestationibus de aliorum Sanctitate prolatis, Tabulæ Ecclesiasticæ, quas Martyrologium appellamus, facile ostendunt. Succedit quod suorum Cœnobitarum persecutiones, easque diuturnas, & asperas, propter justitiam invicto animo toleravit: quæ profecto Sanctitatis tessera est, quemadmodum ex Actis Sanctorum Benedicti, Romualdi, & Columbani, qui similia a suis passi sunt, ut cetera prætereantur, desumitur; necnon ex hujus S. Sedis antiquissima observantia, quæ in discutiendis Sanctorum, etiam Confessorum, gestis sedulo semper exquisivit, an, & quo animo calumnias, & contumelias passi sint, teste Henrico Cardinali Hostiensi, qui sæculo tertiodecimo sua in Decretales Commentaria exaravit. Additur, quo consilio, & opera validissimum præbuit S. Teresiæ adjutorium, ut Ordinis Carmelitani Viros ad severiorem disciplinam revocaret; & Sancta hæc Sedes Canonizationis honorem illis libenter indulgere consuevit, quorum admiranda vitæ Sanctitas sit utilitati Populorum conjuncta; inter quos illi recensentur, qui virtute insignes, & prodigiis illustres Sanctorum Ordinum fuerunt Fundatores: quibus alii succedunt, qui Religiosas Familias ad Sanctioris Instituti studium prospere invitarunt, ut *in Bulla Canonizationis S. Petri de Alcantara* fel. rec. Clemens Papa Decimus inquit. Demum unum ex miraculis approbatis contigit, dum Solemnia Beatificationis peragebantur: miraculumque tali præsignato tempore a Deo patratum voluntatem ostendit de majori Cultus amplitudine in ejus honorem statuenda. Eum itaque, Beatissime Pater, Sanctorum Confessorum Catalogo solemniter adscribe: Deo siquidem perhonorificum, Sanctis Viris gloriosum, atque Ecclesiæ universæ utilissimum est, quod publico testimonio excellentium Virorum Sanctitas ab Apostolica Sede declaretur.

B. AGNETIS VIRGINIS POLITIANÆ.

Beatissime Pater.

NOn sine peculiari Dei providentia factum arbitror, Canonizationem B. Agnetis Monialis Professæ Ordinis Prædicatorum ad hæc usque tempora dilatam, ut ejus videlicet Sanctitas Sanctæ Catharinæ Senensi ejusdem Ordinis divinitus revelata, Decreto Summi Pontificis Ordinem quoque Prædicatorum professi universæ Ecclesiæ colenda proponeretur. Opus itaque a Clemente VII. inchoatum, quodque Clemens VIII. & Gregorius XIII. prosecuti sunt, feliciter absolve; & Agnetem, quam Dominus semper vigilantem invenit, tot heroicis virtutibus præditam, tot cælestibus charismatibus, dum viveret, illustratam, tot prodigiis, & miraculis post obitum clarificatam, quamque non procul, nec in ultimis finibus terræ, sed in Claustris Monialium præclarissimi Tui Ordinis Prædicatorum in Etruria invenisti, Sanctarum Virginum Catalogo adscribe: ut enim opportune monet *in Homilia de Sanctis Epipodio, & Alexandro* S. Eucherius hisce aureis verbis; *Magnum est publicis, atque communibus dare Vota Solemnitatibus; sed excellentior quædam Festivitas judicanda est, alumnis exultare Virtutibus.*

B. FRANCISCI SOLANI.

Beatissime Pater.

HAbuit in Beatis Jacobo Piceno, ac Francisco Solano Ecclesia Dei nobile par Heroum. Ambo in eodem Ordine Minorum Virtutis stadium alacriter ingressi brevi metam attigere. Par utrique ardor corpus ciliciis, & flagellis cruciandi, ac perpetua fere a carnibus abstinentia macerandi. Ambo longis itineribus ad longinquas peregrinati sunt Nationes sementem Evangelicam sparsuri: atque euntes quidem ibant, & flebant mittentes Semina sua; venientes autem venerunt cum exultatione portantes Manipulos suos in horreum Cælestis Patrisfamilias congregandos. Ambo denique tam simili miraculorum gloria floruerunt, ut per stupentes fluminum undas liquidum iter solidum utriusque pedibus præbuerit obsequium. Hoc similitudinis morum, signorum, ejusdemque Instituti Regularis argumento feliciſſime usus est *in suo Consistoriali Suffragio post Epistolas familiares edito* Venerabilis Dei Servus Cardinalis Robertus Bellarminus Summo Pontifici Clementi Octavo suafurus, ut, absoluta per eum Canonizatione Beati Hyacinthi Ordinis Prædicatorum, aliam Beati Raymundi ejusdem Prædicatorum Familiæ absolveret. Fas itaque etiam mihi sit illud impræsentiarum usurpare, dum ad pedes Beatitudinis Vestræ provolutus humillimas exhibeo preces, ut Canonizationi jam præsignatæ Beati Jacobi Piceni Ordinis Minorum aliam Beati Francisci Solani ejusdem Ordinis superaddere dignetur. Decet etenim (utor verbis S. Joannis Chrysostomi) decet, inquam, ut *biga Sanctorum*, quæ Christi jugum pari devotione portavit in terris, & tunc pari felicitate triumphat in Cælis, ab eodem Summo Pontifice, Christique Vicario consecretur.

B. TURRIBII.

Beatissime Pater.

CUncta, quæ pro Beati Turribii Canonizatione per Sacros Canones postulabantur, post longa temporum intervalla, Te Judice tandem, Te Præside, expleta sunt. Ei itaque debitos Sanctitatis honores ne differas; ut Sanctorum ex Orbe novo Dyptica, quæ a Rosa de Sancta Maria Virgine Limana Tertii Ordinis S. Dominici initium habuerunt, Archiepiscopi Limani accessione feliciter augeantur; ut Fides Christiana, quam Fratres Prædicatores in amplissima Regione Peruviana sudoribus, & sanguine primi irrigaverunt, novo hoc præsidio munita lætius adolescat; ut omnes demum per Orbem Catholicum Antistites, etsi Pastorali sollicitudine insignes, in tanto Archiepiscopo Sanctis annumerando habeant, quod admirentur, quod imitentur, & colant.

AP-

UAB Biblioteca de Ciències Socials

APPENDIX UNDECIMA.

RESPONSIONES

IN SOLEMNI CANONIZATIONE

Datæ a Præſulibus Secretariis Brevium ad Principes Poſtulatorum petitionibus nomine Summorum Pontificum; hoc eſt,

PRO CLEMENTE VIII.
IN CANONIZATIONE SANCTI RAYMUNDI,
PRO SIXTO V.
IN CANONIZATIONE SANCTI DIDACI,
ET PRO BENEDICTO XIII.
IN CANONIZATIONIBUS BEATORUM AB EO FACTIS,

De quibus ſupra.

ACCEDIT BREVIS
RELATIO CÆREMONIARUM, QUÆ HABITÆ FUERUNT
IN CANONIZATIONE QUINQUE BEATORUM
ISIDORI, IGNATII, FRANCISCI XAVERII, TERESIÆ, ET PHILIPPI NERII,
Dum in Sanctorum Album
A GREGORIO XV.
RELATI SUNT:

Quæ nempe omnia retigimus in ſuperiori Cap. 36.

PRO CLEMENTE VIII.
IN CANONIZATIONE SANCTI RAYMUNDI.

Ex ejuſdem Actis collectis a Penia.

DEBITO obedientiæ munere perſoluto Paulus Alaleo Magiſter Cærèmoniarum Odoardum Cardinalem Farneſium advocavit, qui protinus cum Bernardino Scotto Conſiſtoriali, & regis Advocato ad Pontificem in Solio ſedentem acceſſit; exhibitaque reverentia conſueta, ſtante Cardinali ante infimum Solii gradum, Advocatus, poſitis humi genibus, ſupplex primo rogavit, ac Regio nomine inſtanter poſtulavit (vulgus primam facere inſtantiam dicit) ut Beatus Raymundus Sanctorum numero adſcriberetur, his verbis.

Batiſſime Pater.

REverendiſſimus Dominus Cardinalis Farneſius hic præſens nomine Catholicæ Majeſtatis Philippi III. Hiſpaniarum Regis inſtanter petit, per Sanctitatem Veſtram pronuntiari Beatum Raymundum de Peniaſort Barcinonenſem Ordinis Prædicatorum Catalogo Sanctorum D. N. Jeſu Chriſti adſcribendum, & tamquam Sanctum venerandum ab omnibus Chriſtifidelibus.

Huic primæ petitioni Marcellus Veſtrius Secretarius Domeſticus nomine Suæ Sanctitatis ita reſpondit.

PRIMA RESPONSIO.

REgiæ poſtulationi Sanctiſſimus Dominus Noſter ſic me jubet reſpondere. Juſtorum quidem omnium magna eſt, & admirabilis dignitas, nam ſemita bonorum operum, quibus ad pervenem vitam gradiuntur, quaſi Lux ſplendens procedit, & creſcit uſque ad perfectam diem, cæleſtis nimirum beatitudinis, & æternæ claritatis: ſed illorum certe præſtantia major eſt, quibus propria laus eruditionis accedit; erit enim lumen eorum in Cælo, veluti ſplendor firmamenti. Qui autem non ſibi ſolum juſti ſunt, verum etiam ad juſtitiam eruiunt multos, horum profecto amplitudo longe maxima eſt, ſiquidem fulgebunt, tamquam ſtellæ, in perpetuas æternitates. Merito igitur pia Mater Eccleſia, quæ ab ipſo Juſtitiæ, & Sanctitatis Auctore Deo ſanctificatur, & regitur, Sacris, ac Solemnibus Myſteriis intenta, etſi omnes ſempiternæ felicitatis poſſeſſores debitis laudibus proſequatur, clariſſima tamen Mundi lumina, Viros ſcilicet inclytos, & glorioſos doctrina, Sanctitate, miraculis illuſtres præcipuis honoribus veneratur, & prærogativa potioris Cultus attollit. Cum vero Summus Eccleſiæ Principatus a Chriſto Domino traditus ſit Romano Pontifici, qui in altiſſimo dignitatis

Apo-

Apoſtolicæ faſtigio, & ſupremi Sedis judicii conſtitutus ſecreta Divini Beneplaciti manifeſtat, & quæ Fidei ſunt, certiſſima diſpoſitione determinat; idcirco ejus eſt de Juſtorum innocentia, & miraculorum veritate rectam ferre Sententiam, Sanctorum venerationem præcipere, & Chriſtifideles ad illorum invocationem; & exemplum invitare. Quamobrem S. D. N. egregios illos Eccleſiarum Regni Aragoniæ Antiſtites, Summos Reges, & inſignes Populos ſapienter admodum, & religioſe feciſſe exiſtimat, cum Beatum Raymundum a Peniafort Barcinon. Ordinis Prædicatorum, qui ſua ſingulari ſcientia, morum ſanctimonia, & operum admirandorum magnitudine Hiſpaniarum Regna, tamquam lucidiſſimum ſidus, jamdiu illuſtravit, Sanctis Confeſſoribus in Eccleſia Dei annumerari ſuppliciter petierunt: etenim illi rem auctoritate Romanorum Pontificum digniſſimam, & eiſdem Regnis perutilem, ac glorioſam poſtularunt. Magnopere autem Sanctitas Sua lætatur, Cariſſimum in Chriſto Filium ſuum Philippum III. Hiſpaniarum Regem Catholicum, virtutum omnium, & præſertim pietatis laude clariſſimum, omnibus tandem, quæ ad hanc rem peragendam requiruntur, abſolutis, id flagitare, nempe ut Beatus hic Vir ex Hiſpaniarum Regnis, quæ ſuperioribus ſæculis multis Viris Sanctis abundarunt, ſecundus ætate noſtra Sanctus eſſe decernatur, qui ad totius Eccleſiæ tranquillitatem ſuo apud Deum patrocinio tuendam communibus Fidelium precibus invocetur. In quo gratias agit Deo bonorum omnium largitori, quod ejuſdem Regis pietatem hoc tempore, quo hæreticæ pravitatis ſectatores, Sanctos invocandos eſſe, temere adhuc negant, ut Catholicæ Fidei veritas magis illuſtretur, ad hoc poſtulandum excitarit. Quocirca, ut ea, quæ pie, & ſancte hoc in genere inſtituta ſunt, ſummo ſtudio, & matura conſultatione adhibita, conficerentur, Sanctiſſimus D. N. Acta vitæ, & miraculorum Beati Raymundi Viris Divini, & humani juris peritiſſimis examinanda commiſit, & Ipſe diligenter perlegit, in Sacro Conſiſtorio omnia recenſuit, ſententias Venerabilium Fratrum ſuorum S. R. E. Cardinalium, & ceterorum Antiſtitum, qui tunc in eo interfuerunt, attente audivit, illos ad eleemoſynas, preces, & jejunia tum oratione, tum exemplo invitavit. Demum, ut hæc præſtantiſſima Actio ad optatum finem perducatur, quæ ſuperſunt, rite peracturus hunc celeberrimum diem, & locum in hac Sacroſancta, & Auguſtiſſima Baſilica, fideliſſimo videlicet Apoſtolorum Principis, ſuper quem verbo Domini ædificata eſt Eccleſia, ac Myſteriorum Redemptionis noſtræ Sacrario, cum magno, & ſolemni apparatu indixit. Sed, quoniam tanta eſt hujuſce rei magnitudo, & difficultas, ut omnem humanam facultatem ſuperet, hanc ob cauſam, antequam rem definiat, hortatur omnes, ſimul in Domino ſecum orare, ut, meritis, & precibus Sanctiſſimæ Virginis, ac Matris Dei, Reginæ Confeſſorum omnium, quibus magnus hic Servus Dei petitur aggregari, & Beatorum Apoſtolorum Petri, & Pauli, qui ſuo Martyrio huic Urbi Fidem, & Sanctitatem attulerunt, ac glorioſi Patris Sancti Dominici, ex cujus diſciplina Beatus Raymundus prodiit, totius denique Curiæ Cæleſtis, per Apoſtolicæ ſervitutis miniſterium, quo funguntur, ſi ita Divinæ bonitati placuerit, hujus Beati Viri Cultus in terris, & Sanctorum lætitia in Cælis augeatur.

Hac reſponſione abſoluta, Papa de Solio deſcendens ad Faldiſtorium poſitis genibus cum Mitra oraturus acceſſit.

Interim a duobus Cantoribus Litaniæ decantatæ ſunt, quibus Cantorum Chorus reſpondebat.

His abſolutis, Papa iterum Solium conſcendit.

Rurſus Magiſter Cæremoniarum Farneſium Cardinalem advocavit una cum Scotto advocato; &, eadem reverentiæ cæremonia ſervata, idem Cardinalis per eumdem Advocatum inſtanter, & inſtantius eiſdem verbis pro Canonizatione peragenda ſummopere ſupplicavit. Tunc vero idem Veſtrius Secretarius in hæc verba reſpondit.

SECUNDA RESPONSIO.

HÆc deliberatio, in qua de Beato Raymundo in numerum Sanctorum referendo agitur, tam ſublimis, & ardua eſt, ut Sanctiſſimus D. N. iterum communes, & publicas preces adhibendas eſſe cenſeat. Itaque omnes etiam, atque etiam monet, orationi unanimiter inſtare, ut Spiritus Sanctus, Spiritus ille ſanctificationis, & gratiæ, ſine quo nihil ſanctum eſt, Divinum hoc opus Cæleſti ſuo Numine proſequatur.

Quibus dictis, iterum Papa ex Solio deſcendens ad Faldiſtorium una cum Mitra oraturus proceſſit.

Tum Franciſcus Cardinalis Sfortia Diaconus Cardinalis Aſſiſtens a dextris Papæ ad Populum converſus alta voce dixit: *Orate*. Illico Pontifici fuit Mitra detracta; & Cardinales, & Prælati omnes Mitras deponentes, genibus humi poſitis, ſecreto una cum Pontifice magna devotione oraverunt, donec Alexander Perettus Cardinalis Montaltus Diaconus aſſiſtens a ſiniſtro Pontificis latere alta voce pronuntiavit: *Levate*. Nam mox Papa, & ceteri ab oratione ſurrexerunt.

Tunc Prælati Aſſiſtentes Librum ad Pontificem ante Faldiſtorium ſine Mitra ſtantem detulerunt, ex quo Papa Hymnum *Veni, Creator Spiritus* inchoavit: & iterum in genua procumbens, quod etiam ceteri Prælati fecerunt, tamdiu genuflexi perſtiterunt, quamdiu primus verſiculus expleretur. Nam, eo expleto, Papa conſurgens, accepta Mitra, iterum Solium conſcendens, ibidem mox eadem Mitra depoſita, ſtans Hymni finem expectavit, ſimiliterque omnes ſine Mitris ſtantes conſtiterunt.

Hymno expleto, duo Cantores verſic. *Emitte Spiritum tuum, alleluja* cecinerunt; &, cantato ſimiliter reſponſo per Cantores *Et renovabis faciem terræ, alleluja*, Papa ex Libro, quem ſibi Prælati Aſſiſtentes detulerunt, Orationem *Deus, qui corda Fidelium* recitavit.

Oratione finita, Papa, ſuſcepta Mitra, conſedit; & tunc tertio Magiſter Cæremoniarum eumdem Cardinalem Farneſium advocavit, qui, eadem cæremonia retenta, pro Canonizatione tandem peragenda Regis nomine inſtanter, inſtantius, & inſtantiſſime ſupplicavit.

Ad hæc tandem Veſtrius Secretarius his brevibus verbis reſpondit.

TERTIA RESPONSIO.

TEmpus jam adveniſſe exiſtimat Sanctiſſimus Dominus Noſter, quo Beatus Raymundus meritorum, ac virtutum omnium, quæ Sanctos decent, gloria cumulatiſſimus, auctore Deo, Sanctorum Catalogo adſcribatur. Ad laudem igitur Divini Nominis, & Catholicæ Religionis exaltationem, juxta Apoſtolicas traditiones, & Sanctorum Patrum conſtitutiones, eum illi honorem in Eccleſia Dei decernere ſtatuit, qui Sanctis Confeſſoribus exhibetur. Quare, Ordinis Prædicatorum Religioſi, mementote Præpoſitorum veſtrorum, qui vobis locuti ſunt verbum Dei, quorum intuentes exitum converſationis, imitamini Fidem: Chriſtifideles, annuntiate hoc in univerſa terra, quoniam mirificavit Dominus Sanctum ſuum; lætamini in Domino, & confitemini memoriæ ſanctificationis ejus.

His omnibus rite ſervatis, & ſolemniter actis, Pontifex ex Libro, quem ſibi Prælati Aſſiſtentes detulerunt, quorum unus ſupra caput ſuſtinuit Librum, & alter Candelam accenſam, cum Mitra in Solio ſedens hanc Canonizationis Sententiam in hæc ipſa verba pronuntiavit.

Ad honorem Sanctæ, & Individuæ Trinitatis, exaltationem Fidei Catholicæ, ac Chriſtianæ Religionis augmentum, auctoritate ejuſdem Dei Omnipotentis, Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, Beatorum Apoſtolorum Petri, & Pauli, & Noſtra, de Fratrum Noſtrorum conſilio decernimus, & definimus, bonæ memoriæ Raymundum de Peniafort Barcinonenſem Ordinis Fratrum Prædicatorum Sanctum eſſe, ac Sanctorum Catalogo adſcribendum, ipſumque Catalogo hujuſmodi adſcribimus: ſtatuentes, ut ab Univerſali Eccleſia anno quolibet in die ſeptima Januarii Feſtum ipſius, & Officium, ſicut pro uno Confeſſore non Pontifice, devote, & ſolemniter celebretur.

Inſuper, eadem auctoritate, omnibus vere pœnitentibus, & confeſſis, qui annis ſingulis, eodem die feſto, ad Sepulturam ejuſdem devote acceſſerint, eaſdem Indulgentias concedimus, quæ ceteris dicti Ordinis Sanctorum Eccleſiis conceſſæ ſunt.

PRO

PRO SIXTO V.

IN CANONIZATIONE

SANCTI DIDACI.

Ex ejuſdem Actis a citato Penia collectis.

QUOD *ſummis precibus Catholicus Hiſpaniarum Rex Philippus tum a ſuperioribus Pontificibus, tum a Sanctiſſimo D. N. Sixto V. poſtulavit, poſtulatque hodierno die, ut Beatus Didacus Apoſtolica auctoritate in Sanctorum Catalogum adſcribatur; id facere, ſemper judicavit Sanctiſſimus Dominus Noſter, eſſe ſua ſponte maximum, omnium exiſtimatione ampliſſimum, cultu, & religione perpetuum. Antecedere vero oportere tria quædam ſumma ejus, qui hoc tanto honore dignus declaratur, Fidei ſinceritatem cum ſingulari quodam zelo conjunctam, miraculorum perſpicuitatem, vitæ Sanctitatem, hoc eſt, perfectam virtutum omnium comprehenſionem. Hæc igitur ſecum reputans voluit Sanctiſſimus Dominus Noſter, his omnibus de rebus quam diligentiſſime cognoſci: quid, quo loco, quo tempore, quibus Teſtibus factum diceretur, conſiderari: Fratres ſuos S. R. E. Cardinales, ceteroſque Antiſtites, re etiam cum Viris doctiſſimis, & rerum cognoſcendarum, judicandarumque peritiſſimis communicata, ſententiam dicere voluit; Ipſe denique omnia Beati Didaci vitæ, ac miraculorum Acta perlegere, accuratiſſimeque examinare: totam vero rem Divino in primis præſidio muniendam eſſe exiſtimavit. Ergo ante illa omnia multum, ac ſæpe Deum precatus eſt, ut vellet tum ſibi adeſſe, tum ceteris, quos in Conſilium adhiberet, ac univerſam Actionem gubernare. Ubi compertum eſt tandem, ea, quæ de Beato Didaco ferebantur, quæque ad hanc cauſam maxime pertinebant, vera eſſe, & multis teſtimoniis confirmata, egit continuo & ſuo, & Beati Didaci, & Regis Catholici, & utriuſque tum militantis, tum triumphantis Eccleſiæ nomine gratias Divinæ Bonitati, quod voluerit, multas, maximaſque res per ſe potiſſimum agi uno tempore; Beatum illum hoc gaudio cumulari; ſummo, ac pietatis pleno Regis deſiderio ſatisfieri; Ad Catholicam Religionem hoc etiam incrementum accedere; Beati bujus opem implorantium fidem Apoſtolica auctoritate munitam, certiorem eſſe, fructum præſentiorem (quid enim non impetret firma fides, (a) ac pia, & fine ulla hæſitatione precatio?) (b) Cæleſtem denique Hieruſalem matrem noſtram, noſtra in primis cauſa, hac nova etiam lætitia exultare, quod, dum Sanctorum ex hac vita diſceſſum publico honore proſequimur, facile ſe ſe oſtendat (modo ſapienter id faciamus) noſtra fides, & caritas. (c) Illis enim laborum, dolorum, ærumnarum finem, bonorumque omnium adeptionem, perpetuamque poſſeſſionem gratulamur: noſtrum vero ipſi animum, ac vitam, ſimilem exitum optantes, precanteſque, illorum cogitatione confirmamus. Etenim, (d) ſi plerique in gymnicis certaminibus athletarum plauſu, & lauro commoti ſeſe exuerunt, ſeque multo cum ſudore cædi, & contundi (modo vincerent) gloriæ loco duxerunt, ac ne ingemuerunt quidem, ut lauri ſcilicet, & oleæ ramum referrent; quanta cum alacritate oportet nos labores omnes ſubire, & perferre, propoſita illorum patientia, & virtute, quos ſempiterna gloria redimitos credimus, & veneramur? Hoc igitur tam multarum, tamque præſtantium rerum ſtudio adductus, hac caritate incenſus huc ſe contulit Pater Sanctiſſimus, quæ reſtant, cupidiſſime confecturus. Sed, ut illud veriſſime dictum eſt, Multum valet juſti deprecatio aſſidua (e), ſic cupit, omnes una ſecum orare; ut, meritis, ac precibus Beatiſſimæ Virginis Mariæ, cujus hodierno die Viſitatio celebratur, Beatorum Apoſtolorum, Petri, & Pauli, ad quorum Corpora hæc peraguntur, Beati Franciſci, in cujus Ordine Beatus Didacus eluxit, Beatorum omnium, quorum Cultus augetur, velit Deus, & Dominus noſter Actionem hanc ſuæ gloriæ cauſa ſuſceptam ſua ope amplecti, & fovere.*

His habitis, Cardinalis Deza receſſit. Pontifex ex Sede eminenti deſcendens ad Faldiſtorium, poſitis genibus, cum Mitra oraturus acceſſit. Interim Litaniæ in Choro decantatæ ſunt. Quibus abſolutis, Papa ad Sedem eminentionem eſt reverſus.

Iterum Magiſter Cæremoniarum Cardinalem Dezam advocavit, qui, per eumdem Advocatum iterum dicendo, inſtanter, & inſtantius pro Canonizatione peragenda ſummopere ſupplicavit. Tunc vero idem Secretarius Boccapadulius in hæc verba reſpondit.

Summa rei gravitas facit, ut cenſeat Sanctiſſimus D. N. eſſe etiam, atque etiam implorandam opem, & gratiam Spiritus Sancti, Spiritus conſilii, & ſapientiæ, qui nos monet, movet, edocet, ſicque illuſtrat, & ducit, ut nullo nos loco errare, aut hærere patiatur.

Quibus dictis, iterum Papa ex Sede eminentiori deſcendens ad Faldiſtorium una cum Mitra oraturus proceſſit.

Tum Cardinalis Sfortia Diaconus a dextro Pontificis latere ad Populum converſus alta voce dixit: *Orate.* Illico Pontifici fuit Mitra detracta, ceterique Prælati eam depoſuerunt; &, genibus humi poſitis, ſecreto una cum Pontifice magna devotione oraverunt, donec Cardinalis Montaltus Diaconus a ſiniſtro Pontificis latere alta voce pronuntiavit: *Levate.* Mox Papa, & ceteri ab oratione conſurgunt. Prælati vero Aſſiſtentes librum ad Pontificem ante Faldiſtorium ſtantem deferunt, ex quo Papa Hymnum *Veni Creator Spiritus* inchoavit; & iterum in genua procumbens, quod etiam ceteri Prælati effecerunt, tandiu genuflexi perſtiterunt, donec primus verſiculus expleretur. Tunc conſurgens Pontifex, ſuſcepta Mitra, ad ſedem eminentem revertit, ceteris interim ſtantibus. Hymno expleto, Cantores verſiculum *Emiſte Spiritum tuum &c.* concinuerunt: & Pontifex Orationem: *Deus, qui corda Fidelium &c.* recitavit.

Qua peracta, Cardinalis Deza tertio, cum eodem Advocato Canonizationem peragi, & abſolvi dicendo, inſtanter, inſtantius, & inſtantiſſime ſupplicavit.

Ad hæc Boccapadulius Secretarius his brevibus verbis reſpondit.

Poſtquam ita placere credit Sanctiſſimus D. N. Divinæ Bonitati, Decrevit, Beatum Didacum Virum & vitæ Sanctitate, & miraculorum virtute clariſſimum in Sanctorum Catalogo adſcribere.

His omnibus rite ſervatis, & ſolemniter actis, Prælati Pontifici Aſſiſtentes librum de more ad ſuam Sanctitatem attulerunt.

Tunc Pontifex in Sede illa eminentiori, de qua ſæpe dixi, id eſt, in Solio Pontificio, ut graviſſimum illud, & maximum negotium perageret, Mitra indutus, ſedens tandem Beatum Didacum Sanctum & Sanctorum Catalogo adſcribendum definivit, atque decrevit, ut in Diplomate Canonizationis narratur, his verbis:

Demum, cum jam nihil omnino ex his, quæ a Majoribus pie, ſancteque ſunt hoc de genere inſtituta, eſſet prætermiſſum, immo potius matura deliberatio, ſummaque diligentia abundantius adhibita; invocato Sancto Creatore Spiritu, cujus conſilio, & ſapientia Sancta Eccleſia, columna, & firmamentum veritatis regitur, ejuſque Numen ſæpe a Nobis ex intimo corde multis etiam lacrymis imploratum præſens adeſſe non dubitantes.

Ad honorem Sanctæ, & individuæ Trinitatis, Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, ad exultationem ſuperne, & triumphantis Hieruſalem matris noſtræ, ad exaltationem Fidei Catholicæ, & Chriſtianæ Religionis augmentum, auctoritate ejuſdem Sanctæ Trinitatis Beatorum Apoſtolorum Petri, & Pauli, ac Noſtra, de Venerabilium Fratrum Noſtrorum S. R. E. Cardinalium, omnium Patriarcharum, Archiepiſcoporum, & Epiſcoporum, in Romana Curia exiſtentium conſilio, & unanimi conſenſu, Beatum Fratrem Didacum de Sancto Nicolao Provinciæ Bæticæ Hiſpanum, Ordinem Minorum Sancti Franciſci expreſſe profeſſum, ſepultumque Compluti in Eccleſia Fratrum ejuſdem Ordinis, de cujus Fidei puritate, excellentia vitæ, & miraculorum in vita, & poſt mortem claritate Nobis pleniſſime conſtat, in Sanctorum Confeſſorum Numerum, & Catalogum adſcribendum eſſe, decrevimus, & adſcripſimus,

(a) Marc. 2. (b) Jac. 2. (c) Origen. lib. 2. in Job. (d) S. Chryſoſt. de continentia in Joſeph. t. 2. (e) Jac. 5.

pſimus, prout, per præſentes decernimus, & adſcribimus, eumque, ut Sanctum, ab omnibus venerandum eſſe, mandamus: ſtatuentes, ut ab univerſali Eccleſia anno quolibet die 12. Novembris Feſtum ipſius, & Officium, ſicuti pro uno Sancto Confeſſore tantum, ad formam in Rubricis Breviarii præſcriptam, devote celebretur; quodque in ejus honorem Eccleſiæ, & Altaria, in quibus Deo Sacrificia offerantur erigi, & fundari poſſint. Eademque auctoritate omnibus vere pœnitentibus, & confeſſis, qui ſingulis annis eodem die feſto ſupradictam Eccleſiam Oppidi Compluten. Toletanæ Diœceſis ubi ipſius Corpus requieſcit, necnon Altaria, & Eccleſias, quæ in ejus honorem conſtructæ erunt, devote viſitaverint, eaſdem Indulgentias, privilegia, & gratias conceſſimus, & elargiti ſumus, quemadmodum concedimus, & elargimur, quæ ceteris dictis Ordinis Sanctorum Eccleſiis conceſſæ ſunt.

PRO BENEDICTO XIII.

IN CANONIZATIONE SANCTORUM

TURRIBII, JACOBI DE MARCHIA, ET AGNETIS POLITIANÆ.

AD PRIMAM POSTULATIONEM.

APPRIME intelligit Sanctiſſimus Pater, in quantam Nominis gloriam, & Catholicæ Religionis ornamentum ceſſura ſint, & quam utiliter, opportuneque ad imitationis incitamentum, Chriſtianæque diſciplinæ fructum redundatura illuſtria exempla, & merita Beatorum Turribii Archiepiſcopi Limani, Jacobi de Marchia laudatiſſimi Ordinis Minorum, & Agnetis Politianæ Virginis ex inclyta Prædicatorum Familia, ſi Solemni Judicio colenda proponantur Eccleſiæ, atque ex hac Sublimi Beati Petri Sede Apoſtolico præconio populis annuntientur. Ut tamen, quæ, Deo auctore, ſuſcepit, eodem adſpirante perficiat, inde cenſet, eſſe invocandum Spiritum conſilii, unde Pugiles Chriſti ad certandum bonum certamen Spiritum ſortitudinis hauſerunt. Hortatur proinde Sacrum Cardinalium Senatum, ceteroſque inſignes Ordines, Chriſtique Fideles univerſos, qui ad Sanctam hujuſce diei Celebritatem convenerunt, ut ad hanc principem Aram procumbentes ſupplices preces effundant, Divinamque opem ardentius implorent.

AD SECUNDAM.

INſtantius eſſe pulſandas cæleſtis clementiæ fores, Pater Sanctiſſimus cenſet, ac præcipit; ut lumen Divini Vultus, quo humanæ mentis colluſtratur obſcuritas, perſeverantia obſecrationis obtineat.

AD TERTIAM.

QUod eſt tandiu flagrantibus votis expetitum, Sanctiſſimus Pater non ultra differre animum induxit. Itaque inter Sanctos Confeſſores Pontifices Beatum Turribium, inter Sanctos vero Confeſſores non Pontifices Beatum Jacobum de Marchia referet; Beatam vero Agnetem de Monte Politiano Sanctis Virginibus adſcribet; ad Omnipotentis Dei laudem, qui glorificatur in conſilio Sanctorum, eorumque corona, & merces eſt magna nimis.

IN CANONIZATIONE AUTEM

SANCTORUM ALOYSII GONZAGÆ, AC STANISLAI KOSTKÆ.

AD PRIMAM POSTULATIONEM.

CUM inter mirabilia opera Domini nihil memoriam Sanctitatis ejus magnificentius extollat, quam vita immaculata, & merces copioſa Juſtorum, ſuper quos effloruit Sanctificatio ejus; in gaudio Spiritus Sancti excipit Beatiſſimus Pater dignitſſimam poſtulationem, ut Beatorum Aloyſii Gonzagæ, & Stanislai Koſtkæ e Societate Jeſu ſuaviſſima Nomina Eccleſiaſticis Sanctorum Tabulis conſignentur. Præſertim quod, acriores Chriſtifidelibus ſtimulos ad currendam ſalutis viam admoveri non poſſe, reputet, quam, ſi propoſitos habeant ad imitandum integerrimos Adoleſcentes, qui inter obſtantes, & occurſantes illecebras, & offenſiones tam contento curſu properarunt ad palmam, ut ipſa vitalis ſtadii brevitas inter præcipuas eorum laudes emineat; quibus nimirum incredibilis virtutis ardor, & vis caritatis curſum vitæ diuturnioris abrupit. Ut vero ad ferendam, promulgandamque Sententiam, propitio Deo, aggrediatur, præcipit, ut una cum Sacro Cardinalium Senatu ceteri Ordines, Chriſtique Fidelium conventus ad hoc Sanctuarium Altiſſimi vota, preceſque ſuſcipiant; ut, quæ ad majorem ipſius gloriam, & Chriſtianorum eruditionem ſalubriter inſtituta ſunt, in laudem gloriæ gratiæ ſuæ, & in magnificentia ſanctificationis abſolvantur.

AD SECUNDAM.

NImis profundæ factæ ſunt cogitationes ejus, qui exaltat electos de plebe ſua, ut ſolium gloriæ teneant. Mandat propterea Sanctiſſimus Pater, novas preces effundi ad Deum veritatis, ut, ſicut illos per ſemitas juſtitiæ deduxit in via mirabili, ita per oſtenſionem virtutis ſuæ tanto Judicio præire, & Apoſtolicos greſſus dirigere dignetur.

AD TERTIAM.

NIhil jam ſupereſſe intelligit Sanctiſſimus Pater, quod Chriſtianæ plebis lætitiam, ac debitam Beatis Adoleſcentibus Nominis, & Cultus Celebritatem, Laureamque moravi poſſit. Mox igitur Aloyſium, & Stanislaum inter Sanctos Confeſſores non Pontifices referet: ac fore confidit, ut, qui veluti novellæ plantationes in juventute ſua, tempori antevertentes fructuum ubertate lætificaverunt Eccleſiam, coruſcantes in firmamento Cæli, veluti Stellæ in perpetuas æternitates, luceant his, qui in tenebris ſedent; &, quibus exemplo viam munierunt ad Patriam, precibus etiam ſuis, ac patrocinio ſubvebant ad Coronam.

UAB Biblioteca de Ciències Socials

ACCURATA,

ET PERBREVIS RELATIO CÆREMONIARUM,

QUÆ HABITÆ FUERUNT

IN SOLEMNI CANONIZATIONE QUINQUE SANCTORUM

ISIDORI, IGNATII, FRANCISCI XAVERII, TERESIÆ A JESU, ET PHILIPPI NERII,

QUI A

GREGORIO XV. PONT. MAX.

Die 12. Martii Anni 1622. in Sanctorum numerum relati fuerunt.

Ex Actis Canonizationis

SANCTÆ TERESIÆ

Viennæ Austriæ impressis anno 1628.

Sapientiam Sanctorum narrent Populi, & laudes eorum nuntiet Ecclesia. Nomina autem eorum vivent in sæculum. Eccl. 44.

CATHOLICA Ecclesia ab Spiritu Sancto edocta, atque illuminata magna quidem sapientia ordinavit, ut, qui in hoc sæculo piam coluerunt vitam, veramque Legem Evangelicam in perfecto Dei, & proximi amore observavere, essent, quemadmodum in Cælo scripti in Libro Vitæ, ita pariter inter nos mortales præclaro, æternoque nomine connotati; verificans dictum illud Prophetæ dicentis: *In memoria æterna erit Justus*. Et hoc illa præstat, præter gloriam, quæ Deo exhibetur, ut nos miserrimi peccatores, qui terrenis rebus, earumque affectibus annexi, a quibus, nisi per Sanctorum exemplum, pene separari nescimus, animadvertentes, & considerantes, quod illi Christi amore operati sunt, confundamur in corde nostro non præstantes similia opera, nec eorum vestigia sequentes; cum videamus, ipsos pariter non fuisse minus fragiles, tentatos, nec minoribus affectos persecutionibus, nec alterius naturæ, quam nos. Ista igitur de causa, inter alia, Pia Mater Ecclesia proponit nobis horum quinque Sanctorum sequenda vestigia, declarando, & definiendo illos veræ Sanctitatis exemplaria hac celebri Canonizatione: nempe Isidorum nobilissimi Oppidi Matriti Patronum, qui circa annum 1150. natus fuit, agriculturamque professus obiit anno 1170. Ignatium de Loyola Hispanum, Institutorem Societatis Jesu, qui ortum habuit Arpeitiæ in nobilissima Guipuzeæ Provincia in Cantabria, Pompejorumque Diœcesis anno Domini 1491. & ad Superos evolavit die ultima Mensis Julii anni 1558. Franciscum Xaverium, qui natus fuit in parte illa Regni Navarræ, quæ ad Hispaniam pertinet ann. 1497. obiit deinde in Insula deserta nomine Sanciano; Teresiam a Jesu, Carmelitarum Discalceatorum Fundatricem, quæ orta in Urbe Abulæ an. Domini 1515. animam Deo reddidit die 5. Octobr. 1582. Philippum Nerium Florentinum, Fundatorem Congregationis Patrum Oratorii, nominatorum *Ecclesiæ novæ*, qui ortum habuit Florentiæ anno Domini 1515. & obiit anno 1595. qui omnes conspectui mundi apponuntur, tamquam lucidissima Sanctitatis specula, a quibus poterunt Sacerdotes Sæculares, & Regulares, Laici, & Mulieres particularem imitationem desumere. Itaque, ut illorum desiderio satisfacerem, qui huic Solemni Festivitati interesse non poterunt, peroptant tamen, quamvis non integram, tamen particularem cognitionem de ejus descriptione habere, brevem hanc, & summariam Relationem promere deliberavi; attingens, ut commodius potero, præcipua quæque ad Ritus, & Cæremonias pertinentia.

Locum tantæ Solemnitatis celebrandæ præbuit Basilica ipsa Sancti Petri in Vaticano toto Orbe longe celeberrima. Immensum foret singula recensere, quæ ad Apparatum, & Pompam ingeniose fuerunt excogitata; ut nihil omnino omissum fuerit, quod ad decorem, ac magnificentiam tantæ Festivitatis conducere videbatur. Ne ergo iis minutatim recensendis diutius immoremur, ad Cæremonias, quæ in hoc solemni Actu principaliorem partem obtinent, specialiter recensendas sermonem convertemus. In dicta igitur Canonizatione, die illo ad hunc effectum præscripto, qui fuit duodecimus Martii, hora decima quarta, cum jam omnia præparata essent in dicta Basilica, & omnia Theatri, & Altaris luminaria accensa essent, & cerei Sacrosanctum Christi Vultum circumstantes, necnon Reliquiarum Sanctæ Lanceæ, & innumerabilium candelarum ante ceteras Sanctorum Reliquias accensarum copia esset, descendit Sanct. D. N. Gregorius XV. Pont. Max. a Palatio suo Sancti Petri in Vaticano, præcedentibus Illustriss. Dominis Cardinalibus, humeris hominum allatus, sedens solemni pompa in Sede, a qua prope Altare descendens genua flexit ad pedem Faldistorii; ubi primas preces fudit ad Deum, ad hoc, ut ejus cor, & animum dirigeret circa Actionem, quæ sperabatur ad Dei gloriam, & dictorum Beatorum in Catalogo Sanctorum adscribendorum honorem. Hoc facto, sedente iterum in sua Pontificali Sede, venerunt Illustrissimi Domini Cardinales, & accesserunt ad eum adorandum, & reverentiam, & obedientiam Suæ Sanctitati præstandam: & postea, sedente unoquoque suo proprio loco, fuerunt præsentati coram Summo Pontifice per Magistrum Cæremoniarum Illustrissimus Dominus Cardinalis Ludovisius Nepos Suæ Beatitudinis, ac Procurator pro dictis Beatis, & Advocatus Reverendiss. Dominus Zambeccarius, ambo ad hoc deputati, qui pro parte Cæsareæ Majestatis, Regum, & Principum Christianorum primam protulerunt instantiam in hunc modum:

Beatissime Pater: *Cardinalis Ludovisius hic præsens nomine Suæ Cæsareæ Majestatis, Regum, ac Principum Catholicorum instanter petit, per Sanctitatem Vestram pronuntiari, Isidorum Agricolam, Ignatium Loyolam, Franciscum Xaverium, Teresiam de Jesu, ac Philippum Nerium Catalogo Sanctorum Domini Nostri Jesu Christi adscribendos, & tamquam Sanctos venerandos ab omnibus Christifidelibus.*

Ad hanc primam instantiam nomine Suæ Beatitudinis respondit ejus Secretarius dicens:

Quoties ex ætherea Mundi regione insolitum aliquod lucis spectaculum effulget, novum repente in cælo sidus pullulare, vulgus arbitratur, fallaci oculorum indicio, atque incerto coloris testimonio credens. At enim cælestium rerum periti auxiliaria instrumenta adhibent, aliorumque sententiis perspectis, novitii splendoris itinera sæpe, ac diligentissime ipsi metiuntur; nihil tam metuentes, quam, ne temere sempiterno stellarum cœtui inserant evanidum aliquod igniscentis aeris ludibrium. Consimilem ferme rationem in Ecclesia Dei, quæ Regnum Cælorum appellatur, licet agnoscere. Enituit aliquando in his mortalitatis tenebris alicujus Hominis pietas super communes humanæ Virtutis fines evecti: nonne videmus, quam non

difficulter Populi Religione imbuti eum fama, ac voluntate in Cælum tollant, ac tamquam Cohæredem Christi, & Domesticum Dei veneretur?

Verum lubricos illos assensus sustinet Apostolica auctoritas, penes quam Supremum Sanctitatis Judicium est. Neque enim solummodo vilis terrarum vapor alieno lumine, aut pereunte igne coruscans cælestes Stellarum Fulgores, sed etiam Angeli tenebrarum Angelos lucis imitantur.

Quare sapienter constitutum est, ut Hominis in Sanctorum numerum referendi res gestæ accuratissimis quæstionibus explorentur, jurati Testes adhibeantur, rogentur Ecclesiasticorum Principum sententiæ, Miracula ipsa examinentur, quæ videntur esse Angelorum linguæ, & testimonia Divinitatis, denique jejuniis, orationibus veritas conquiratur; ut Deus ipse, qui numerat multitudinem stellarum, & singulis eis nomina vocat, & nobis Astra indicare videatur, quæ Sanctimoniæ radiis Firmamentum Ecclesiæ illustrantia fulgebunt in perpetuas æternitates.

Hæc omnia rite, ac more Majorum confecta esse, gaudet Sanctissimus Dominus noster, ita ut, hominibus consentientibus, & Spiritu Sancto docente, explorata jam sit eorum quinque Beatorum Virtus, quibus Sanctorum Nomina, atque Insignia Imperatoris, Regum, Principum, Populorumque precibus petuntur in præsentia.

Quis enim de Beati Isidori meritis hodie dubitaverit, cui quingentos prope annos famulatur illa in utroque Orbe dominans Hispania? Triumphalis Agricola, Regum obsequio, & Provinciarum patrocinio Clarissimus; qui, dum glebas, inopia cogente, subigeret, thesauros Divinæ gratiæ effodit, quibus Cælestis Gloriæ Principatus emercaretur.

Ignatius Loyola, in cujus meditatione Divini Amoris ignis æternus exarsit, universas Terrarum Regiones, cunctasque sæculorum ætates animo complexus, in quas Christianum Imperium propagaret, Societatem instituit, quæ Pietatis, ac Sapientiæ armis communita Nomen Jesu portaret coram Gentibus, impiosque Hæreticorum conatus continenter infringeret.

Jam vero ceteris Orbis finibus excedendum est ei, qui Francisci Xaverii laudes velit Populorum utilitate metiri. Cum enim Evangelii luce Orientis tenebras illustravereit, patuit, majora Christianorum Sacerdotum caritati, quam salutarium siderum conversionibus beneficia ab Indiis deberi, Cælumque, quod Dei gloriam enarrat, Catholicam Ecclesiam esse, unde Alienigenis in mortis umbra habitantibus Sol justitiæ oriatur.

Teresia Virginitatis liliis coronata, & voluntariis suppliciis cupiditatum arma in proprio corpore contundens semper de viribus Dæmonum in militante Ecclesia triumphavit; cui Æterna Sapientia loqui videbatur, sanctiora Divinitatis arcana patefaciens; quæ Martyri palmam consecuta esset, nisi Cælestis Sponsus perpetuo Virginei Cordis holocausto delectatus, Victimam hanc incruentam servasset sacris Carmeli pascuis in pristinum decorem restituendis.

Deum cujus Bellatoris triumphos non obscurat inexpugnabilis Philippi Nerii pax, atque tranquillitas? Ejus Cor Angelorum præsidio, & Dei excubiis custoditum Inferni æternus Hostis, cum, tamquam cælestis fortitudinis turrim, a se expugnari posse desperaret, sacrilegis armis aggredi vix audebat; scilicet, ne in perpetuis ejus victoriis sua dedecora semper agnosceret.

Hi autem omnes, cum in terris commorantes animo in Cælestem Patriam demigrarent, nunc regnantes in Cælo præsentiam, opemque suam Orbi Terrarum quotidianis miraculis testantur.

Quare totius Christianæ Reipublicæ votis gratificaturus Sanctissimus Dominus Noster diem hodiernum Beati Gregorii splendoribus illustrem illuxisse putat in omnem posteritatis memoriam celebrandum, quo Rex Gloriæ hos Beatos in Cælestis Regni consortium jam pridem ascitos humano generi palam adorandos, imitandosque Apostolica auctoritate proponi velit.

Sed judicia Dei abyssus multa, atque Omnipotentis fulgorem non ipsa Cherubim virtus audet oculis irretortis intueri. Quamobrem nunc potissimum Religiosis supplicationibus adeundus est Dominus Sanctorum Principatum tenens, ut, Beatissima Virgine, ac Sanctis omnibus suffragantibus, præcipue vero faventibus Beatis Apostolorum Principibus, quorum Corpora in hoc Augustissimo Orthodoxæ Religionis Domicilio coram veneramur, Spiritus Sancti Lux Pontificiæ menti effulgeat; & negotium hoc, quo generis humani gloriam, Divini Cultus incrementum, atque ipsius æternitatis gaudio continentur, tandem, Terra, Cæloque plaudentibus, pie, ac rite perficiantur.

In hanc sententiam respondere me, jussit Sanctissimus Dominus Noster.

Quibus verbis prolatis, Summus Pontifex descendit a sua Sede, & genua flexit, capite Mitra cooperto, accessitque ad Faldistorium, ubi per aliquod tempus oravit, & in Choro decantatæ fuerunt Litaniæ Sanctorum cum aliis precibus: quibus terminatis, redivit Papa iterum ad suam Sedem; & jam secundo accesserunt idem Cardinalis, & Advocatus ad secundam ferendam instantiam eadem forma, qua primo: quibus idem Secretarius respondit in hæc verba.

Solemnes Sanctitatis Titulos, atque Triumphos Apostolica auctoritate Hominibus decernere omnino nihil aliud est, quam Cælis Principe, & Terrarum Patronos declarare, ac Pontificiis laudibus arcanum Divinitatis Sanctuarium patefacere. Quod quidem tanti est, ut Sanctissimus Dominus Noster ejusmodi Opus mox absoluturus iterum in hoc Ecclesiasticæ Hierarchiæ Senatu, & variarum Nationum frequentia Spiritus Sancti Lumen implorandum hoc temporis momento arbitretur.

In hanc sententiam respondere me, jussit Sanctissimus Dominus Noster.

Quibus dictis, secundo descendit Papa a Sede, Mitra capiti imposita, & accessit ad Faldistorium, ubi Cardinalis Diaconus Assistens plebem versus alta voce dixit *Orate*, &, ablata Mitra, flexit genua Papa cum omnibus Cardinalibus, & aliis, & orationem fuderunt tacitam. Postea, dicto ab eodem Cardinali *Levate*, cum starent omnes, præsentato Libro per Prælatos Assistentes Summo Pontifici, alta voce Ipse intonavit Hymnum *Veni, Creator Spiritus*, & postea genua flexerunt omnes tanto tempore, ut Chorus primum versum absolverit. Postea redeunte Sua Beatitudine ad Sedem, reliquis stantibus, fuit terminatus a Choro Musica præclara dictus Hymnus cum versiculo *Emitte Spiritum tuum &c.* & Sua Beatitudo dixit Orationem *Deus, qui corda Fidelium &c.* & sedit iterum. Tunc jam tertio accesserunt idem Cardinalis, & Advocatus tertiam instantiam proferentes, supplicantesque eadem forma, qua primo, & secundo: quibus Secretarius idem nomine Suæ Beatitudinis respondit in hunc modum.

Audite, Cæli, quæ loquor; audiat Terra
verba oris mei.

Cum e re Christiani Nominis esse sibi pie persuadeat Sanctissimus Dominus Noster, cælestes honores quinque bisce Beatis tribui, Divino Numine instinctus ex altissima hac Christianæ Sapientiæ Cathedra, quam Divinæ Veritatis Oraculum Deus ipse constituit in terris, Isidorum Agricolam, Ignatium Loyolam, Franciscum Xaverium Hispanos, Philippum Nerium Florentinum, in Sanctorum Confessorum Catalogum, Teresiam de Jesu Hispanam in Sanctarum Virginum Numerum referendos esse, decernit.

Quibus peractis, idem Cardinalis Ludovisius, & Advocatus prædictus referens Sanctissimo debitas, & perhonestas gratias sic tandem affatus est.

Beatissime Pater: Idem Cardinalis Ludovisius hic præsens nomine Cæsareæ Majestatis, Regum ac Principum Catholicorum acceptat pronuntiationem per Sanctitatem Vestram factam, & ei immortales gratias agit; ac eodem nomine supplicat, ut Sanctitas Vestra dignetur decernere Literas Apostolicas super hac Canonizatione factas.

Rogantur etiam omnes, & singuli Protonotarii, aliique Notarii hic præsentes, ut super hujusmodi Solemnis Canonizationis Actu conficiant unum, vel plura publica, Instrumentum, vel Instrumenta ad perpetuam rei memoriam.

Tunc Sanctissimus ipsos benedicens manu dextra, facto Signo Crucis, respondit *Decernimus*. Et statim unus ex Prælatis Assistentibus legit alta voce Sententiam Sanctissimi, & Decretum Canonizationis.

UAB Biblioteca de Ciències Socials

APPENDIX DUODECIMA.

TAXATIO NOTARII CONGREGATIONIS SACRORUM RITUUM,

De qua in superiori Cap. 46.

ORDINI, E TASSA

Da offervarfi dal NOTAJO della Sacra Congregazione de' Riti, rinnovati, e ftabiliti dalla medefima Sacra Congregazione.

1. SI ordina, che il Notajo non faccia Regiftri, fe non degli Atti giudiziarj, e non dell'efame de' Teftimonj, o altro; e quelli fieno fenza eftenfione de' termini, o ripetizione de' titoli, eccetto che nel primo Atto: quali Regiftri debbano onninamente farfi in tutte le Cauſe.

2. Che per ogni centinajo de' fogli di Regiftro ben fatto, e fecondo la Riforma della fel. mem. di Paolo V. fotto il titolo de' Regiftri, non pigli più di quattro fcudi, nè per collazionatura, nè per rubricatura, nè per qualfivoglia altro preteſto.

3. Le iſtanze de' Principi, Religioni, Univerſità, ed altri nelle Cauſe di Beatificazioni, e Canonizzazioni dal Segretario ſi conſegnino al Notajo, il quale le regiſtri negli Atti, non altrimenti *per extenſum*, ma indicando ſolamente il nome del Principe, o altri, che fa l'iſtanza, e la data della Lettera, cioè *Pro introductione Cauſæ inſtant Talis Rex ſuis Literis datis die tali &c. & talis Rex &c.* ed in altra ſeparata, o ſuſſeguente carta, dopo gli Atti fatti per l'introduzione della Cauſa, ſcriva, *Pro Cuaſe proſecutione, ad effectum obtinendi Literas Remiſſoriales in genere, inſtant N. Rex &c.* e gli Originali ſi conſervino nell'Archivio; nè ſe ne dia l'eſtratto *de verbo ad verbum*, ma ognivolta che ſarà richieſto il Notajo, ne dovrà dare un Riſtretto da cavarſi dal detto Regiſtro, o Manuale, come ſopra: e per eſſe Copie ſi paghi a ragione di Copia, come ſi dirà al ſeguente num. 4. E per la Fede di eſſe ſi dieno due giulj per ciaſcuna Copia, delle quali una ſi darà all'Eminentiſſimo Signor Cardinal Ponente, l'altra a Monſig. Segretario, e l'altra a Monſig. Promotore della Fede.

4. Per la Copia degli Atti fatti in Curia, o fuori di eſſa in forma di buon'Originale non ſi paghi più di bajocchi ſette e mezzo per foglio, da tutte due le bande; e la facciata ſia di linee ventiquattro, e la linea di ſillabe ſedici: ed, eſſendo ſcritta in forma di Regiſtro, ſi paghi a ragione di Regiſtro, come ſopra.

5. Per la Copia pubblica di qualfivoglia Proceſſo tanto fatto *auctoritate Ordinaria*, quanto *Apoſtolica*, ſi paghino al Notajo bajocchi ſette e mezzo per foglio ſolamente, ſenza alcun'altro emolumento, o mercede per detta Copia, o Scrittura; ed il foglio ſia di facciate, linee, e ſillabe, come al detto numero 4.

6. Tutti li Regiſtri, Copie, e Scritture ſi debbano fare in carta buona, e lettera intelligibile, e ſecondo la Riforma, ed Ordini ſopraddetti; altrimenti il Notajo ſia tenuto farle copiar di nuovo, ſenza altra ſpeſa.

7. Che li Proceſſi, che vengono *de partibus*, tanto fatti *auctoritate Ordinaria*, quanto *auctoritate Apoſtolica*, non ſi regiſtrino per conto alcuno, ſecondo la detta Riforma, ancorchè non paſſaſſero venti fogli, ma ſolo ſi poſſano rubricare, ſe non ſaranno rubricati, e non interamente; nel qual caſo ſi poſſa ſolo rubricare quello, che manca, e non altro.

8. Per la Rubricazione di qualfivoglia coſa, che n'abbia biſogno, ridotto il Proceſſo a carte buone, conforme alla detta Riforma, oltre detti bajocchi ſette e mezzo per foglio la Scrittura, ſi paghino giulj dieci per cento; e tale Rubricazione debba in ſoſtanza contenere tutto quello, che contiene il Corpo della Scrittura: e venendo Proceſſo, o altra Scrittura rubricata *de partibus*, non eſſendo interamente rubricata, ſi paghi ſolamente quello, che manca, come ſi è detto.

9. Per l'Aſcoltazione, e Collazione de' Proceſſi, ogni volta che ſia continuata a ragione di ſei ore il giorno, non ſi paghi al Notajo più d'uno Scudo il giorno, oltre gli emolumenti ſuddetti; e gli Ajutanti ſieno deputati dalle Parti, dalle quali loro ſi paghi quel tanto, che ſarà convenuto: e per la Fede dell'Aſcoltazione di tutto il Proceſſo ſi paghino giulj cinque per la prima Copia ſolamente: e, quando le Parti voleſſero altre Copie autentiche di detti Proceſſi, oltre la prima, non poſſa il Notajo pretendere più di bajocchi cinque per foglio ridotto, come ſopra, compreſavi la Rubricatura; ma, oltre detti bajocchi cinque per foglio, ſe gli debba la mercede della Collazionatura, ed Aſcoltazione, come ſopra, e per la Fede di detta Aſcoltazione bajocchi venticinque per ciaſcuna di dette Copie duplicate.

10. Per le Compulſorie ſi paghino giulj dodici, conforme preſcrive la Riforma ſuddetta di Paolo V. al Tribunale dell'A. C.

11. Per le Remiſſorie in genere, anche *ſuper non Cultu, ſuper Caſu excepto*, o altre, in oſſervanza, ed eſecuzione de' Decreti della Santiſſima Inquiſizione, non ſi paghi più di Scudi ſei: per quelle in ſpecie, di Scudi dieci in tutto; compreſavi la Scrittura, ed ogni altra coſa ſpettante alle medeſime ſpedizioni. Nè per la Scrittura degl'Interrogatorj, che ſi mandano chiuſi, prenda il Notajo mercede alcuna; ma per gli Articoli l'eccedività della ſcrittura ſopra a quindici fogli ſe gli paghi a ragione di bajocchi ſette, e mezzo il foglio, come al num. 5. Ed occorrendo di dette Lettere darne duplicati, non debba il Notajo per eſſi eſigere altro, che la metà della mercede ſtabilita per la prima ſpedizione; ed eſſendovi eccedività di ſcrittura degli Articoli, come ſopra, debba la detta eccedività pagarſi a ragione di bajocchi 5. il foglio.

12. Per Compulſa di qualfivoglia Scrittura fuori di Officio, per l'Acceſſo, e per Seſſione di tre ore non poſſa pigliar più d'otto giulj: per la Fede in fine del Proceſſo compulſato cinque giulj; e per la ſcrittura a ragione di bajocchi ſette, e mezzo per foglio, come al num. 4. Dentro l'Officio per ciaſcuna Seſſione di tre ore giulj cinque per la Fede, e ſcrittura, come ſopra.

13. Dovendoſi compulſare Libri ſtampati, dandoſi dalle Parti un Sunto, ſia tenuto il Notajo inſerirlo in fine del Proceſſo, ſenza farne copia, o regiſtro di ſorte veruna.

14. Per ogni eſame nell'Officio, ſe finiſce in una ſeſſione, ſi paghino giulj tre; ſe ci vogliono più ſeſſioni, finchè ſi finiſce l'eſame di d. Teſtimonio, non poſſa il Notajo pretendere più di giulj due per ſeſſione, e fuori dell'Officio il doppio.

15. Per le Surrogazioni de' Giudici, o nuovi termini nelle Cauſe di Beatificazioni, e Canonizzazioni non ſe gli paghi più di quindici giulj in tutto: per ciaſcuna ſpedizione di Lettere Remiſſoriali, e Compulſoriali, Proroghe di termini, e Surrogazioni di Giudici da farſi ſolamente per comandamento degli Eminentiſſ. Sig. Cardinali, Prefetto della Sacra Congregazione, o Ponente nelle Cauſe controverſe, non ſi paghi più di quello, che preſcrive la Riforma ſuddetta al Tribunale dell'A. C.

16. Per qualfivoglia Citazione ſemplice da ſpedirſi ſolamen-

lamente come sopra, e da eseguirsi fuori di Roma, non si paghi più di giulj tre; e per quelle, che si spediscono con le Inibizioni in virtù delle commessioni, giulj dieci.

17. Per il duplicato di qualsivoglia Scrittura pubblica, o privata con Sottoscrizione, Sigillo ec. o senza, non si debba pagar più di cinque bajocchi per foglio.

18. Occorrendo dar altra Scrittura, o far altre fatiche non espresse nella presente Tassa, l'emolumento si stabilisca dall'Emiientiss. Sig. Cardinal Prefetto; nè possa il Notajo prendere alcun altro emolumento, ancorchè concorra la medesima, o maggior ragione delle mercedi espresse.

19. Che nelli Processi delle Beatificazioni, e Canonizzazioni s' osservi puntualmente per le Commessioni, Remissorie, Compulsorie, Articoli, Interrogatorj, ed altro la forma prescritta nelli Decreti, e Norma di fare i detti Processi pubblicati d' ordine della Santa Memoria d' Urbano VIII. l' anno 1642. ed ora confermati da N. Sig. coll'aggiunte, che si sono fatte.

20. Che il Notajo debba ritenere il Libro *receptorum*, e fedelmente in esso notare quanto gli entra in mano de' suoi emolumenti, sotto pena della privazione dell' Officio.

21. Che si facciano due Manuali, cioè uno degli Atti delle Cause di Beatificazioni, e Canonizzazioni, e l' altro degli Atti delle Cause controverse; nelli quali si registrino tutte le comparse, proteste, citazioni, ed intimazioni con le sue intitolazioni, quali restino sempre nell' Officio; nè per questi si paghi cosa alcuna: e possano sempre da tutti gl' interessati esser veduti, e letti *gratis*, e il Notajo sia sempre obbligato mostrarli.

22. Non possa il Notajo estrarre fuori d' Officio gli Processi originali, o qualsivoglia altra Scrittura prodotta; ma debba darne copia pubblica, o semplice, secondo che le Parti chiederanno.

23. Per la Restituzione di qualsivoglia Scrittura prodotta, *dimissa copia*, si diano tre giulj; e debba il Notajo far buoni due fogli, e dalli due in su gli si paghi a ragione di sette bajocchi, e mezzo, come sopra al num. 4. Ma, se si restituiscono in una volta più Scritture prodotte in uno sol' Atto, si debbano solamente tre giulj, e di più l' eccessività della copia come sopra.

24. Che volendo le Parti veder Processi, o qualsivoglia altra Scrittura originale dentro l'Officio, sia il Notajo tenuto lasciarle vedere senza mercede alcuna.

25. Sappiano le Parti, che nella Segreteria della Sacra Congregazione tutto si spedisce *gratis*, nè perciò debbono al Notajo per Sigillo, Scrittura, Sottoscrizione, o qualunque altra cosa, che si faccia in Segreteria, emolumento, o mercede alcuna.

26. Che non possa pretendere il Notajo per il Viatico cosa alcuna nell'andare a leggere citazioni.

27. Che il Notajo debba dare il giuramento in S. Congregazione d'osservare la presente Tassa, ed Ordini nella forma seguente.

Ego N. Notarius a S. Congregat. specialiter deputatus in causis ejusdem Sacræ Congregationis, tactis Sacrosanctis Dei Evangeliis, juro & promitto, fideliter exercere Officium mihi concessum, & ad unguem observare supradictam Taxam, sub pœna perjurii, privationis Officii ipso facto incurren. & restitutionis contra, & ultra dictam Taxam habitorum, & acceptorum, aliisque pœnis arbitrio ipsius Sacræ Congregationis.

28. Che si facciano stampare li presenti Ordini, e Tassa, ed il Notajo debba tenerli pubblicamente affissi nell' Officio, affinchè a ciascuno possano apparire; ed il tutto sia obbligato ad osservare tanto nelle cause di Beatificazioni, e Canonizzazioni, quanto rispettivamente in quelle de' Sacri Riti, sotto le pene contenute nel detto Giuramento: dandosi facoltà di ricorrere ad ognuno, che si sentisse gravato, e vedesse non osservarsi quanto è espresso di sopra; perchè vi si prenderà la debita provisione. Dato in Roma li 6. Agosto 1678.

A' 15. Ottobre 1678. Avendo io infrascritto fatta relazione della suddetta Tassa a Nostro Signore Innocenzio XI. con la sua intera lettura, la Santità Sua l'ha lodata, ed approvata; ed ha comandato, che si osservi, e si pubblichi.

Gio: Battista de Luca Auditore, e Segretario de' Memoriali.

UAB Biblioteca de Ciències Socials

APPENDIX DECIMATERTIA.

TAXATIO MERCEDIS PROCURATORUM, ET ADVOCATORUM,

De qua in ſuperiori Cap. 46.

TASSA

Per gli AVVOCATI, e PROCURATORI, che patrocinano le Cauſe di Beatificazione, e Canonizzazione nella Sacra Congregazione de' Riti, rinnovata, e ſtabilita dalla medeſima Sacra Congregazione.

1. PER lo Spoglio univerſale, che ſi fa *pro una vice tantum*, ſi oſſervi la Taſſa del 1658. al §. 3. ove ſi diſſe, che non ſi poſſa dare più di Scudi 4. per ogni centinajo di fogli di eſſo Proceſſo ridotto, cioè, che il foglio ſia di due facciate, e ciaſcheduna facciata ſia di linee 24. e la linea di ſillabe 16.

2. Per le Scritture ne i due ſoli dubbj principali, cioè *ſuper virtutibus, & miraculis*, ſi poſſano dare Scudi 20. per ciaſcheduna, e non più.

3. Per le Riſpoſte ne i medeſimi dubbj ſi poſſano dare Scudi 10. e per tutte l'altre Scritture, che riſguardano fatica conſiderabile, in tutti gli altri dubbj ſi poſſano dare Scudi 15. per ciaſcheduna Scrittura, e non più.

4. Per le Scritture d' Introduzione delle Cauſe nuove, e di Riaſſunzione di quelle introdotte avanti li Decreti del 1642. ad affetto di ſegnarſi nell' une, e nell' altre la Commeſſione, ſi poſſano dare Scudi 15. e non più.

5. Per le copie originali di tutte le Scritture ſi paghino bajocchi 15. il foglio, ridotti come ſopra.

6. Per il Sommario, che ſi farà ſopra ciaſchedun dubbio, ſi diano cinque bajocchi per carta dello ſteſſo Sommario, che ſarà fatto, ridotte le carte, come ſopra.

7. Per li Memoriali di qualſivoglia ſorta, o grandi, o piccioli che ſiano, non ſi diano più di giulj 12. per ciaſcheduno; eccettuate le Scritture di Riaſſunzione, o Introduzione delle Cauſe, quali ſogliono andare ſotto nome di Memoriali, per le quali s'oſſervi ciò che s'è diſpoſto di ſopra al num. 4.

8. Per la prima Copia originale tanto delli ſopradetti Sommarj, quanto de i Memoriali ſi dia ſolo bajocchi ſei la carta, ridotta come ſopra.

9. Per l'informazione in voce, quando s' informa tutta la Congregazione con l'intervento dei Conſultori, non ſi diano più di Scudi 30. tra il Procuratore, e gli Avvocati; e, quando s' informa la ſola Congregazione Ordinaria, ſi dia la metà.

10. L' Emolumento degli Avvocati ſia di Scudi 10. per la Scrittura; e per l'Informazione in voce ſia il medeſimo, che ſi dà a' Procuratori.

11. Per la Minuta di qualſivoglia Commeſſione non ſi paghi più di giulj 15. e per le due Copie da farſi al Signor Cardinal Ponente, ed al Segretario ſi paghi a ragione di bajocchi ſei il foglio, ridotto come ſopra.

12. Per l' Acceſſo del Procuratore al Signor Cardinal Ponente, ed al Promotore, e per la Minuta, o Copia originale del fatto concordato non ſi paghi più di giulj 12.

13. Per l' Informazione in voce di Noſtro Signore, e dell' Auditore di Sua Santità ſi diano al Procuratore Scudi 3. moneta, ed altrettanti all' Avvocato, ſe informerà anch'eſſo.

14. Per le Citazioni, ed Intimazioni non ſi paghi coſa alcuna; e per l'eſecuzione di eſſe ſi paghi a ragione della Taſſa de' Curſori.

15. Le Copie delle Oppoſizioni del Promotore, eccetto la prima originale, ſi facciano fare dalle Parti, le quali, fatte che ſaranno, dovranno portarle al Promotore, che ſigillate le darà alle medeſime Parti, per diſtribuirle alli Signori Cardinali, Protonotario, Secretario, e Conſultori.

16. Per qualſivoglia fatica, o Scrittura non eſpreſſe di ſopra s' intenda l' arbitrio de' Signori Cardinali Prefetto della Sacra Congregazione, e Ponente della Cauſa; nè poſſano i Curiali arbitrare da ſe medeſimi.

17. E li ſuddetti Ordini ſi debbano regiſtrare ne i Regiſtri della Sacra Congregazione, e ſi debbano fare ſtampare, e pubblicare, e puntualmente oſſervare ſotto pena di perpetua privazione del patrocinio, e ſollecitazione delle Cauſe vertenti nella detta Congregazione, e ſotto altre pene ad arbitrio della medeſima Sac. Congregazione.

A' 15. Ottobre 1678. Avendo io infraſcritto fatta relazione della preſente Taſſa a noſtro Signore Innocenzio XI. la Santità Sua l'ha lodata, ed approvata; ed ha comandato, che ſi oſſervi, e ſi pubblichi.

Gio: Battiſta de Luca Auditore,
e Segretario de' Memoriali.

APPENDIX DECIMAQUARTA.

TAXATIO

Pro mercede Scripturarum excuſoris, necnon Fidei Subpromotoris pro earum reviſione, correctorumque pro correctione.

De qua in ſuperiori Cap. 46.

QUAMVIS fel. record. Urbanus Octavus, Decreto edito die 31. Januarii 1631. moxque relato, & impreſſo inter noviſſima Decreta die 12. Martii 1642. pag. 61. in cauſis Beatificationum, & Canonizationum expreſſe prohibuerit, Relationes Auditorum Rotæ, Informationes in facto, & in jure, & alias quaſcumque Scripturas tractantes de cauſis Beatificationum, & Canonizationum imprimi ante earumdem cauſarum terminationem, cum tamen experientia fuerit deinceps compertum, in illis exemplandis per Amanuenſes ob eorum imperitiam, vel incuriam ut plurimum multa errata irrepere, quæ verum illarum ſenſum immutant, & Poſtulatores cogi graves impenſas ſubire, quæ maxima ex parte minuerentur, ſi eiſdem liceret, illas Typis mandare: ideo Sanctiſſimus D. N. Alexander Divina providentia Papa Septimus utrique malo provida ſollicitudine conſulere volens, de Conſilio S. R. E. Cardinalium Sac. Rituum Congregationi Præpoſitorum, in qua hujuſmodi negotium diſcuti mandaverat, habito die 9. Aprilis præſentis an. 1661. motu proprio, & ex certa ſcientia, ſuo ſpeciali Decreto indulſit, & mandavit, ut in poſterum Informationes tam in facto, quam in jure, Summaria, Memorialia, Oppoſitiones R. P. D. Fidei Promotoris, Reſponſiones, Replicationes, ac omnes, & quæcumque aliæ Scripturæ quomodolibet pertinentes ad cauſas Beatificationum, & Canonizationum, imprimi, & Typis mandari poſſint, & valeant; non obſtantibus præfatis Decretis, quibus in hac parte duntaxat Sanctitas Sua ſpecialiter, & expreſſe derogavit, & derogatum eſſe voluit.

Ut vero præſens Decretum ſuum integrum, ac plenum effectum ſortiatur, eadem Sanctitas Sua licentiam, & facultatem hujuſmodi impreſſionis conceſſit impreſſori, ſeu Typographo Camerali pro tempore. Cumque in Literis fel. rec. Sixti Papæ V. datis Romæ apud Sanctum Petrum Kalend. Febr. an. 1589. Pontificatus 4. ſuper erectione Officii Impreſſoriæ Cameralis in Urbe, eidem inter alia concedentis privative quoad omnes alios facultatem imprimendi Litium Informationes, non fuerit ſtatutum juſtum pretium, quod dictus Impreſſor legitime petere, ac exigere valeat a partibus imprimere volentibus dictas Informationes; ac præterea Scripturæ hujuſmodi ad cauſas Beatificationum, & Canonizationum pertinentes non potuerint comprehendi in Inſtrumento ſuperius noviſſime facto cum Typographo moderno, ex quo tunc, & hucuſque vetitum eſſet, illas typis mandari: ideo Sanctiſſimus, pro minori partium diſpendio, ac ſumptus æquitate conſtituenda, congruam Taxationem in certa ſumma, cujus limites nullatenus tranſgredi poſſint, pro dictis Informationibus, aliiſque Scripturis, ad cauſas Beatificationum, & Canonizationum pertinentibus duntaxat, ſtatuere, ac præſcribere volens expreſſe declaravit, & mandavit, ut ad ſummum ſolvantur Julii quindecim obolorum decem in ſingulos pro quolibet folio cum Apoſtillis, omnibus, & ſingulis ipſius Impreſſoris ſumptibus, & impenſis, etiam quoad correctionem, papyrum, & alia quæcumque; imprimendo tamen, ut infra: videlicet:

Ut folium contineat quatuor paginas, quælibet autem pagina, ſeu facies dicti folii debeat continere lineas quinquaginta quatuor, & quælibet linea literas ſexaginta quinque circiter: additis præterea Apoſtillis opportunis in margine: Charta vero ſit alba, & quæ vulgo dicitur, *Franceſe da ſcrivere*, melioris conditionis, quæ poſſit inveniri; & character Sylvius cum ſuo Curſivo ſimili, in Apoſtillis tamen longe minor.

Inſuper ſexaginta tantummodo exemplaria imprimantur, niſi plura deſiderentur a Secretario dictæ Congregationis Sac. Rituum; quo caſu pro exemplaribus, quæ ſupra prædictum numerum imprimentur, ſolvantur Julii tres duntaxat pro unoquoque folio aliorum quinquaginta exemplarium, integro pariter Impreſſoris ſumptu, ut ſupra; & ſic reſpective ad majorem, ſeu minorem quantitatem.

Omnia vero, & ſingula exemplaria Impreſſa conſignentur eidem Secretario, ab eoque ſubſcribantur, & Sigillo ejuſdem Sacræ Congregationis muniantur, præſente Impreſſore. Si vero penes Impreſſorem, vel alios quoſcumque quavis dignitate, præeminentia, vel auctoritate, etiam ſpeciali, ac individua expreſſione dignos, præter ſubſcripta, & ſigillata, ut ſupra, aliquod aliud exemplar reperiri contigerit, talis Impreſſor, & alius quicumque luat pœnam Aureorum quingentorum pro quolibet exemplari ex nunc ipſo jure Cameræ Apoſtolicæ applicandorum.

Neque prædicta quoquo modo imprimantur, niſi prius reviſa, & ſubſcripta fuerint per Fidei Subpromotorem; cui Poſtulatores, ſeu Agentes Cauſarum pro honorario Reviſionis hujuſmodi ſolvere teneantur Carolenum unum ad rationem cujuslibet folii impreſſi, abſque eo quod opus ſit alia reviſione, licentia, aut approbatione, etiam Viceſgerentis, Cardinalis Vicarii in Urbe, ac Magiſtri Sacri Palatii Apoſtolici: exceptis tamen Oppoſitionibus, Reſponſionibus, & Replicationibus, aliiſque Scripturis ipſiuſmet Promotoris Fidei, quibus ſola ejus ſubſcriptio ſufficiat.

Pro Correctione vero Impreſſionis ab iiſdem Cauſarum Poſtulatoribus, ſeu earum Agentibus duo Caroleni pro quolibet folio perſolvantur Correctoribus ab iiſdem deputandis; qui deducendi erunt a ſumma prædicta Juliorum quindecim, vel quatuordecim, niſi Correctio ipſimet Impreſſori demandetur ab eiſdem Poſtulatoribus, ſeu Cauſarum Agentibus.

Quod ſi Impreſſor, ſeu Typographus Cameralis pro tempore onus imprimendi Informationes, ac Scripturas prædictas pertinentes ad cauſas Beatificationum, & Canonizationum ſubire noluerit pro pretio, ut ſupra, per Sanctitatem Suam ſtatuto, & taxato, aliiſque conditionibus, modis, limitationibus, ac declarationibus ſuperius expreſſis; tunc Sanctitas Sua ſimili motu proprio, & ex certa ſcientia, ſpecialiter, & expreſſe, quatenus opus ſit, derogando præfatis Literis Sixti Papæ Quinti ſuper erectione dicti Officii Impreſſoriæ Cameralis in Urbe, aliiſque forſan Conſtitutionibus, Ordinationibus, ſeu Literis Apoſtolicis, aut alias quomodocumque, & qualitercumque in favorem dicti Officii Impreſſoriæ Cameralis emanatis, quarum tenores pro plene, ac ſufficienter expreſſis haberi voluit, perinde ac ſi literaliter, ac de verbo ad verbum in præſenti Decreto eſſent inſertæ, facultatem, & licentiam hujuſmodi imprimendi dictas Informationes, ceteraſque omnes, & ſingulas Scripturas ad cauſas Beatificationum, & Canonizationum quomodolibet pertinentes conceſſit omnibus, & ſingulis Impreſſoribus, ſeu Typographis Urbis pro eodem pretio taxato, ut ſupra, minorique etiam, ſi reperiatur, aliiſque conditionibus, modis, limitationibus, ac declarationibus ſuperius expreſſis.

Ne autem in executione præſentis Decreti aliqua mora, dilatio, aut impedimentum ſuboriri queat, Sanctitas Sua mandavit Typographo Camerali, ut poſt triduum a notificatione præſentis Decreti per Secretarium Sacræ Congregationis facienda declarare teneatur, ac debeat eidem Secretario, an ſupradictum onus Impreſſionis modo, quo ſupra, ſubire velit: alioquin, ipſo Impreſſore Camerali intra dictum terminum non acceptante, vel eidem Secretario non declarante voluntatem ſuam, ex tunc libera licitaque ſit hujuſmodi Impreſſio omnibus, & ſingulis Impreſſoribus, ac Typographis Urbis, ut ſupra, cum Clauſula ſublata, & Decreto irritante, & non obſtantibus ſupradicta Conſtitutione Sixti Quinti, necnon altera Pii Quarti de regiſtrando, & cunctis quomodolibet concernentibus intereſſe Cameræ, & quibuſcumque aliis Conſtitutionibus, ac Literis Apoſtolicis, necnon Regulis Cancellariæ a Sanctitate Sua editis, etiam de Jure quæſito non tollendo, ceteriſque omnibus in contrarium quomodolibet facientibus.

Expreſ-

Expreſſe quoque declaravit Sanctitas Sua, quod tales Informationes, Summaria, & aliæ quæcumque Scripturæ Canonizationum, quantumvis impreſſæ, reviſæ, ſubſcriptæ, & ſigillatæ, ut ſupra, nullum prorſus probationis gradum faciant in ordine ad Beatificationem, & Canonizationem; ſed eam tantummodo fidem mereantur, quam alias haberent, ut ſimplices Copiæ, abſque tali impreſſione, reviſione, ſubſcriptione, & obligatione prædictis.

Ac ita Sanctitas Sua decrevit, declaravit, juſſit, voluit, derogavit, & inviolabiliter obſervari mandavit reſpective: addito, quod præſens Decretum ad perpetuam rei memoriam in Codices Congregationis Sacr. Rituum referatur, ac de more ſubſcriptum, & obſignatum in authentica forma tradatur, & exhibeatur in Actis ejuſdem Sacræ Congregationis: utque illud, ac omnia, & ſingula in eo contenta ad omnium, etiam quorum ſpecialiter intereſſet, intererit, ſeu intereſſe poterit, notitiam, & certam ſcientiam deducantur: &, ne aliquis de illius ignorantia excipere poſſit, voluit pariter, ac juſſit, illud imprimi, ac typis mandari. Die 19. Julii 1661.

SUbpromotor Fidei a Reverendo Patre Promotore deputatus, cui onus incumbit primo loco ſpoliandi, & examinandi Proceſſus (ex quibus pendet Beatificationum, & Canonizationum ſubſtantia) ad effectum referendi eidem Promotori, debeat hujuſmodi munus diligentiſſime, ac cum omni rigore adimplere; ac Summaria, quæ ſolent a Procuratoribus fieri, antequam typis mandentur, conferat cum Proceſſibus, ſubſecuta atteſtatione, quod fuerunt per ipſum reviſa, & in quolibet folio ſe ſubſcribat: eamdemque diligentiam conferendi cum exemplari manuſcripto iterum faciat, poſtquam fuerint impreſſa, cum iterata ſubſcriptione in fine; quam ſubſequatur ſubſcriptio, & Sigillum Secretarii: nec ante prædictas ſubſcriptiones poſſint tam ſummaria, quam Informationes publicari, ſub graviſſimis pœnis tam quoad Poſtulatores, quam etiam quoad Impreſſorem, arbitrio Sac. Congregationis, ſeu Eminentiſſimi Cardinalis Præfecti infligendis. Idemque Subpromotor (quatenus ipſe D. Promotor) ex diligenti, & accurata reviſione proceſſuum, quam facere ſolet, neceſſarium, vel opportunum duxerit) teneatur aliud Summarium objectionale ad comprobationem oppoſitionum conficere, quod Sacra Congregatio plurimum expedire cognoſcit, ad hoc, ut veritas magis eluceſcat. Et pro quolibet proceſſu ab eodem Subpromotore examinando in quolibet Dubio perſolvatur ei ſtipendium decem Ducatorum auri præſcriptum in Decretis Generalibus *pag.* 62. cum declaratione tamen, quod reſpectu proceſſuum auctoritate Apoſtolica in ſpecie, qui pluries ad diverſum effectum examinari debent, dictum ſtipendium, debeatur pro tribus Dubiis tantum, nempe prima vice, quando diſputatur validitas, ſecunda vice, quando diſputatur de Virtutibus, ſeu de Martyrio, & cauſa Martyrii, & tertia vice, quando diſputatur de miraculis; quamvis diſputationem alicujus ex dictis Dubiis pluries reiterari contingat, ſeu eadem Dubia in diverſas inſpectiones pro faciliori reſolutione dividantur.

Conſiderans quoque Sacra Congregatio, quod principale fundamentum in cauſis Beatificationum, & Canonizationum conſtitui debet in fideli Interpretatione proceſſuum extero idiomate confectorum, & quod, licet ex laudabili obſervantia Interpres ſemper fuerit electus ab Eminentiſſimo Ponente, citato, & audito Reverendo Patre Fidei Promotore, nihilominus ſuper hoc Decreta Generalia nihil diſponunt: idcirco decrevit, quod in poſterum in qualibet cauſa Interpres eligatur ab Eminentiſſimo Cardinali Ponente, citato, & audito Rev. P. Fidei Promotore; & pro majori cautela, poſtquam Interpretatio fuerit facta, revideatur ab aliquo Viro probo, & perito, qui ſecrete ad hoc officium aſſumatur ab eodem Eminentiſſimo Ponente; &, ſi reperiatur aliquis error ſubſtantialis, Interpres ſevere puniatur arbitrio Sacræ Congregationis, per quem Eminentiſſimum deferri debeat tam Interpreti, quam Reviſori Juramentum de fideliter ſibi munus commiſſum adimplendo: quibus etiam eadem Sacra Congregatio aſſignavit mercedem pro ſuis laboribus, nempe Carolenum unum pro quolibet folio reducto, ita ut facies ſit linearum 24. & linea ſyllabarum 16.



AP-

UAB Biblioteca de Ciències Socials

APPENDIX DECIMAQUINTA.

NUOVA TASSA,
E RIFORMA
DELLE SPESE PER LE CAUSE
DELLE
BEATIFICAZIONI, E CANONIZZAZIONI,

E dell'altre Spese per la Solennità delle medesime Beatificazioni, e Canonizzazioni.

FATTA, E PUBBLICATA

Per ordine di Nostro Signore

PAPA BENEDETTO XIV.

1. LA Santità di Nostro Signore Papa BENEDETTO XIV. volendo con stabile provedimento rimediare a qualche disordine, o abuso introdotto, e molto più prevenire quei maggiori, che in progresso di tempo potrebbero introdursi circa le spese, che si fanno nelle Cause di Beatificazione, e Canonizzazione; e volendo altresì sopire varie controversie eccitate sopra l'intelligenza, ed osservanza di altre Tasse fatte da' suoi Predecessori: dopo avere per lo spazio di più mesi, e in molte conferenze con Persone perite, prudenti, e disinteressate, esaminata, e fatta esaminare parte per parte tutta la materia, inerendo a ciò, che sua Beatitudine nello scrivere della materia stessa in più luoghi, ma particolarmente nel *Lib.* 1. *de Servor. Dei Beatificatione Cap.* 46. preventivamente aveva insinuato, ha consegnata a me infrascritto Secretario della Congregazione de' Sagri Riti la seguente nuova Tassa, e Riforma, con ordine preciso alla stessa Sacra Congregazione, che in avvenire la faccia inviolabilmente osservare da qualunque Persona, a cui respettivamente ciò spetti, procedendo contra i trasgressori alle pene in essa contenute, ed altre a suo arbitrio: non ostante qualunque altra Tassa, Consuetudine, o Decreto, che vi fosse in contrario, derogandovi anco, quando vi faccia di bisogno. E prima in quanto al

Promotore della Fede.

1. PER la Copia delle Animavversioni da lui sottoscritte, che chiamasi Copia Originale sopra la Commissione per introdurre, o riassumere la Causa, o sopra il Culto, o non Culto, o sopra la validità de' Processi, o sopra la Fama delle virtù, de' Miracoli *in genere*, gli si possano dare *scudi cinque di giulj dieci*, e non più.

2. Per la Copia Originale delle Animavversioni sopra le Virtù *in specie*, o sopra il Martirio, o sopra i Miracoli, *scudi dieci*, e non più. E per quelle seconde, e terze Animavversioni sopra gl'istessi Dubbj, se dopo la Congregazione Antepreparatoria, o Preparatoria gli occorrerà di doverle fare, *scudi cinque*, e non più.

3. Per la Copia Originale delle Animavversioni, o Note, che la Sacra Congregazione impongagli di fare sopra Concessione d'Ufficio, descrizione nel Martirologio, Revisione di Scritti, Ordinatorj di Giudizio, Spedizione di Lettere Remissoriali &c. ed anche sopra l'ultimo Dubbio, *An tuto deveniri possit ad Beatificationem, vel Canonizationem*, *scudi tre*, e non più.

4. Per la Copia Originale delle Istruzioni, che per la ricerca degli Scritti attribuiti a' Servi di Dio, o per altra simile occorrenza, d'ordine della Sacra Congregazione dovrà fare, *uno scudo d'oro*, e non più. E per altre Copie della medesima Istruzione, che in più, e diversi Luoghi debbano mandarsi, *giulj due*, e non più.

5. Per la Copia Originale degl'Interrogatori, sopra de' quali si debbono esaminare i Testimonj ne' Processi del non Culto, o Culto, o Fama della Santità *in genere*, *scudi due*, e non più; e delle Virtù *in specie*, o Miracoli, *scudi tre*, e non più.

6. Dichiarando, che per ogni altra opera, o fatica, che per ragione dell'uffizio suo nelle dette Cause egli faccia, o debba fare, come di Accessi ad Archivj, Librerie, Altari, Cappelle, Sepolcri, a riconoscere Scritture, Inscrizioni, Culto, non Culto, Cadaveri da esaminarne l'incorruzione, o farne traslazione &c. non gli si dee verun altro emolumento, o regalo: restando quelle a sufficienza rimunerate colle rendite dell'Avvocatura Fiscale, quando ad essa si trovi unito il Promotorato della Fede; e quando no, colla Pensione annua di *scudi trecento*, solita assegnarsi su le dette rendite, e colla parte di Palazzo, che in tal caso dall'Avvocato Fiscale suol trasferirsi al Promotore.

7. Ed avverta il predetto Promotore di stendere le sue Animavversioni con la possibile brevità, che permetta la materia, di cui si tratti; astenendosi dal ripetere quelle opposizioni, che siano state già rigettate, come irrelevanti, in altre simili Cause: siccome ancora ristringendo le seconde, e terze Animavversioni unicamente ai punti delle difficoltà eccitate da' Consultori nelle Congregazioni precedenti, ed all'indicazione di quelle, che eccitate nelle prime Animavversioni, secondo il giudizio de' Consultori, non hanno avuta sufficiente risposta.

Sottopromotore della Fede.

1. PER lo Spoglio ed esame di quei Processi, siano Ordinarj, o Apostolici, siano Remissoriali, o Compulsoriali, o pure Remissoriali e Compulsoriali insieme, che, per notare ciò, che vi sia da opporre, egli dovrà distintamente fare tre, o quattro volte, cioè ora per la Segnatura della Commissione introduttiva, o riassuntiva della Causa, ora per il Dubbio della validità de' Processi, ora per quello delle Virtù *in specie*, o del Martirio, ed ora per quello de' Miracoli, regolando l'emolumento suo di tre, o quattro volte a proporzione di quello dovuto al Procuratore, che ne fa lo spoglio universale per una sola volta, e v'impiega maggior tempo, e fatica, gli si paghino *giulj quindici*, e non più, per ogni centinajo di carte, che siano di facciate due, e la facciata di linee ventiquattro, e la linea di sillabe sedici, in ciascheduno de' suddetti esami.

2. Per li Processi sopra la Fama della Santità, e de' Miracoli *in genere*, e sopra il non Culto, e dovendosene fare una sola volta lo spoglio, e l'esame per ogni cento carte ridotte, come sopra, *scudi tre*, e non più.

3. L'istesso, e non più, cioè *scudi tre*, se gli dia per lo spoglio ed esame del Processo particolare sopra il Culto. Ma quando il Processo sia unitamente fatto sopra la Fama ec. e sopra il Culto, allora siccome per questo Processo si saranno dati al Sottopromotore *giulj quindici* per ogni cento carte, trattandosi di segnare la Commissione; così non gli si dia per ogni cento carte del medesimo Processo più di *giulj* parimente *quindici*, e non più, trattandosi di approvare il Culto.

4. Per

4. Per gli Proceſſi, che ſi formano ſopra i Miracoli ſeparatamente dal Proceſſo delle Virtù, facendoſene lo ſpoglio e l'eſame diſtintamente due volte, cioè quando ſe ne diſputa la validità, e quando ſe ne eſamina la rilevanza, ſe gli paghino in ciaſcheduno di detti Eſami *ſcudi due*, e non più, per ogni centinajo di carte ridotte, come ſopra.

5. Per le Note, o Copia Originale delle Note, o Difficoltà, che nello ſpoglio del Proceſſo dovrà aver ricavato in apparecchio delle Animavvverſioni (*che dee poi ſtendere il Promotore, e non eſſo Sottopromotore*) ſopra la Fama della Santità *in genere*, o ſopra il non Culto, *giulj quindici*, e non più: ſopra la Commiſſione per introdurre, o riaſſumere la Cauſa, o ſopra il Culto, o ſopra la validità di più Proceſſi, *ſcudi due*, e non più: ſopra le Virtù *in ſpecie*, o ſopra il Martirio, o ſopra i Miracoli, in qualunque numero eſſi ſiano, *ſcudi tre*, e non più. Nè oltre al detto emolumento poſſa egli pretendere altro ſotto qualſivoglia titolo, o pretesto. Ma quando a queſte Note vada unito Sommario obbiezionale, che il Promotore per avventura impongagli di fare; gli ſe ne paghi la Copia a ragione di *bajocchi ſei il foglio* ridotto, come ſopra.

6. Per la Reviſione delle Scritture Stampate, e per la Reviſione, o Confronto de' Sommarj, o Documenti della Cauſa con i Proceſſi, o altri Originali, *un carlino*, e non più, per ogni foglio di Stampa, che ſia di quattro facciate.

7. Per la correzione de' Sommarj, che ſi ſtampano, gli ſi paghino dallo Stampatore *carlini due* per ogni foglio di Stampa, come ſopra.

8. Ritrovandoſi Poſizioni ſtampate col *Reviſa* del Sottopromotore antecedente, e volendoſene la ſottoſcrizione dal Sottopromotore ſucceduto; non poſſa egli pretendere, nè il Poſtulatore per eſſa dargli verun emolumento: avendolo già dato al ſuo Anteceſſore, quando quelle ſi ſtamparono.

9. In caſo però di doverſi le dette Poſizioni, o Sommarj riſtampare, per la Reviſione, o Confronto della Stampa nuova coll'antica, il Poſtulatore gli dia *un carlino*, e non più, per ogni foglio di Stampa, come ſopra. E per la correzione lo Stampatore Camerale dovrà dargli *carlini due* per ogni foglio di Stampa, come ſopra.

10. Per le Seſſioni, o Aſſiſtenza ne' Proceſſi Apoſtolici, che ſi formino in Roma, gli ſi diano *bajocchi dodici, e mezzo*, per ogni foglio delle Teſtimonianze, e *bajocchi cinque* per ogni foglio degli Atti, e non più: con queſto, che il foglio ſia di due facciate, e la facciata di linee ventiquattro, e la linea di ſillabe ſedici, e che nel calcolo di detti fogli non vada compreſo il tenore de' Documenti prodotti, o compulſati, o regiſtrati nel Proceſſo, nè del Mandato di Procura, Privilegio de' Notaj, Articoli, Interrogatorj, Decreti della Sacra Congregazione, Surrogazioni de' Giudici, Proroghe di termini, e ſimili. Nè oltre al detto emolumento poſſa egli pretendere altro a qualſivoglia titolo.

11. In dette Seſſioni, e in ciaſcheduna di eſſe, non poſſa impedire al Procuratore della Cauſa d'indurre, e far giurare contemporaneamente quel numero de' Teſtimonj, che vorrà. Avvertendo a non far moltiplicare Atti ſuperflui; mentre non ſaranno attesi: ma la mercede ſi paghi ſolamente per quegli Atti, che ſono puramente neceſſarj per la Validità del Proceſſo.

12. Per le Seſſioni, o Aſſiſtenza nell'aſcoltare, e confrontare le Copie de' Documenti inſeriti, o compulſati nel Proceſſo, co' loro Originali; e ſimilmente nell'aſcoltare, e confrontare la Copia del Proceſſo, (che alla Sacra Congregazione poi ſi preſenta) pure col ſuo Originale, gli ſi poſſa dare *uno ſcudo di giulj dieci*, e non più, per ogni cento carte, come ſopra.

13. Nè per verun'altra operazione, o fatica, qui non eſpreſſa, poſſa egli a qualunque titolo, e per qualſivoglia ragione eſigere, o le Parti dargli mercede veruna.

14. E queſto regolamento, che ſi dà per il Sottopromotore della Fede, intendaſi pur anche dato per il Promotor Fiſcale del Cardinal Vicario in Roma, o de' Veſcovi fuori, nel far proceſſi, o altro, che gli ſia comune col detto Sottopromotore: ſe non che, ove la Taſſa degli altri Tribunali ſia minore, quella debbaſi oſſervare.

15. Stampata queſta, dovrà il Sottopromotore nella Sacra Congregazione giurarne l'oſſervanza nella forma, che più abbaſſo ſi troverà preſcritta per il Notajo.

Notajo.

1. FAccia tutti i Regiſtri, Copie, e Scritture in carta buona, con lettera, o carattere intelligibile, e ſecondo la Riforma, ed Ordini di Paolo V. al titolo de' Regiſtri: altrimente ſia tenuto a farle copiare di nuovo ſenz'altra ſpeſa delle Parti.

2. Tenga due Manuali: uno degli Atti nelle cauſe di Beatificazione, e Canonizzazione; e l'altro delle Cauſe controverſe, o contenzioſe: in ciaſcun de' quali ſi regiſtrino tutte le comparſe, proteſte, citazioni, e intimazioni, colle ſue intitolazioni; e reſtino ſempre nell'uffizio; nè per queſti ſi paghi coſa alcuna; e poſſano ſempre da chi vi ha intereſſe eſſer veduti, e letti *gratis*; e il Notajo ſia ſempre obbligato a moſtrarli.

3. In ogni Cauſa faccia onninamente Regiſtro, ma ſolamente degli Atti giudiziarj, e non dell'eſame de' Teſtimonj, o di altro: ſenza eſtenſione di termini, o ripetizioni di titoli, fuorchè nel primo Atto.

4. Non regiſtri negli Atti *per extenſum* le Iſtanze de' Principi, Religioni, Univerſità, ed altri, che il Segretario de' Riti dovrà conſegnargli: ma ſolo accennando il titolo della Beatificazione, o Canonizzazione, o altro più particolare dell'Introduzione, o Riaſſunzione, o ulterior proſeguimento della Cauſa, per cui ſono prodotte; ſotto il detto Titolo ponga i Nomi, o Catalogo degl'Iſtanti, rimettendo gli Originali delle Iſtanze a conſervarſi nell'Archivio de' Riti. Nè di eſſe richieſto dovrà darne Eſtratto *de verbo ad verbum*: ma un riſtretto da cavarſi dal detto Regiſtro, o Manuale. E per le Copie di tale Riſtretto, che i Poſtulatori dovranno dare al Cardinal Ponente della Cauſa, al Segretario, e al Promotore, paghiſi a ragion di Copia, come appreſſo ſi dirà. Nè per la Fede di ciaſcuna Copia ſi paghi più di *giulj due*.

5. Così neppure dovranno, ſecondo la detta Riforma, in conto alcuno regiſtrarſi i Proceſſi, che vengono *de Partibus*, o ſian Ordinarj, o Apoſtolici, ancorchè non paſſaſſero fogli venti: ma ſolo poſſano rubricarſi ſe non ſaranno rubricati, o non interamente: nel qual caſo potrà ſolo rubricarſi quello, che manca, e non altro.

6. Per la Rubricazione di qualſivoglia coſa, che ne abbia di biſogno, ridotto il Proceſſo a carte buone, conforme alla detta Riforma, oltre ad *un carlino* per ogni foglio di Scrittura, il quale ſia di facciate due, e la facciata di linee ventiquattro, e la linea di ſillabe ſedici, gli ſi paghino per ogni cento carte di Rubricatura *giulj dieci*, e non più. E la Rubricatura debba in ſoſtanza contenere quanto per diſteſo contiene il corpo della Scrittura.

7. Per ogni cento carte di Regiſtro ben fatto, e ſecondo la ſuddetta Riforma di Paolo V. non riceva più di *ſcudi quattro*, nè per confronto, nè per rubricatura, nè per qualunque altro pretesto.

8. Per qualſivoglia ſemplice Citazione da ſpedirſi ſolamente, come ſopra, e da eſeguirſi fuor di Roma, non ſi paghi più di *giulj tre*. E per quelle, che ſi ſpediſcono colle Inibizioni in virtù delle Commiſſioni, non più di *giulj dieci*. Nell'andare però egli a leggere Citazioni, non poſſa pretendere alcuna coſa per viatico.

9. Per ogni eſame nell'Uffizio, ſe finiſce in una ſeſſione, non poſſa pigliare più di *giulj tre*: nè appreſſo più di *due*, ſe a finirlo ci vanno più ſeſſioni.

10. Per le Remiſſorie *in genere*, e (dove occorra) ſopra il Culto, e non Culto, ed altre ſimili non ſi paghi più *di ſcudi ſei*, e per le Remiſſorie *in ſpecie* non più di *ſcudi dieci* in tutto, e per tutto, compreſavi la Scrittura, ed ogni altra coſa ſpettante a tale ſpedizione. Che ſe occorrerà duplicare queſte Remiſſorie, allora ſi dimezzi la mercede. Nè per la Scrittura degl'Interrogatorj, che ſi mandano chiuſi, prenda il Notajo coſa alcuna: ma per gli Articoli, quel di più, che ſarà ſopra fogli quindici, ſe gli paghi a ragione di *un carlino*; e nel Duplicato, a ragione di *bajocchi cinque* il foglio, come ſopra. Nelle Cauſe controverſe però per ciaſcuna ſpedizione di Remiſſorie, e Compulſorie, Proroghe di Termini, e Surrogazioni di Giudici (da non farſi, ſe non per comando de' Cardinali Prefetto della Congregazione, e Ponente della Cauſa) non ſi paghi più di quello, che la ſuddetta Riforma preſcrive al Tribunale dell'A. C.

11. Per Surrogazione de' Giudici, o nuovi Termini in Cauſe di Beatificazione, e Canonizzazione non ſi paghi più di *giulj quindici* in tutto.

12. Per le Compulſorie non ſi paghi più di *giulj dodici*,

dici, come prescrive la suddetta Riforma di Paolo V. al Tribunale dell' A. C.

13. Dovendosi compulsare Scritture fuori dell' Uffizio, per gli Atti di detta Compulsa si paghino *bajocchi cinque* per foglio ridotto, come sopra; e per la Copia delle Scritture compulsate *bajocchi sette, e mezzo*, e non più; nè per Accesso, o altro gli si debba alcun emolumento. E per la collazione di dette Scritture con loro originale *bajocco uno* per foglio ridotto, come sopra.

14. Nella Compulsa di Libri stampati dandosene dalle Parti un Sunto, sia egli tenuto inserirlo nel Processo al fine senza farne Copia, o Registro alcuno.

15. Per l' Ascoltazione, e Confronto de' Processi non si paghi al Notajo più di *bajocco uno* per foglio ridotto, come sopra: e gli Ajutanti siano deputati dalle Parti a quel prezzo, che fra loro sarà convenuto. Nè per la Fede dell' Ascoltazione, o Confronto di tutto il Processo col suo Originale si paghi più di *giulj cinque* per la prima Copia solamente. E quando le Parti ne volessero altre Copie autentiche, non possa il Notajo pretendere più di *bajocchi cinque* per foglio ridotto, come sopra, con tutta la Rubricatura. In oltre se gli debba la mercede del Confronto, e Ascoltazione, come sopra, e per la Fede di essa *bajocchi venticinque* per ciascuna delle dette Copie duplicate.

16. Non possa il Notajo estrarre dall' Uffizio i Processi Originali; ma debba darne Copia autentica, o semplice, secondo che le Parti chiederanno.

17. Per la Copia degli Atti fatti in Curia o fuori di essa, in forma di buon Originale, non si paghi più di *bajocchi cinque* il foglio, che sia di pagine, o facciate due, e la facciata di linee ventiquattro, e la linea di sillabe sedici. Ed essendo scritto in forma di Registro, paghisi a ragione di Registro, come sopra.

18. Per la Copia pubblica di qualsivoglia Processo Ordinario, o Apostolico non si dia più di un *carlino* il foglio ridotto, come sopra, senza altro emolumento, o mercede per essa Copia, o Scrittura.

19. Portando il Postulatore al Notajo Copia di qualche Processo Originale esibito per gli Atti suoi, debba egli riceverla, e servirsene in luogo della Copia, che di quel Processo far dovrebbe, con bonificare al Postulatore *bajocchi cinque* per ogni foglio ridotto come sopra.

20. Per il Duplicato di qualunque Scrittura pubblica, o privata, con sottoscrizione, sigillo &c. non si debba pagar più di *bajocchi cinque* il foglio, ridotto come sopra.

21. Occorrendo dare altra Scrittura, o fare altra fatica qui non espressa, l' emolumento si tratti dal Cardinal Prefetto della Sacra Congregazione: nè possa il Notajo prendere di più, benchè concorra la medesima, o anche maggior ragione d' altre mercedi qui espresse.

22. Per la Restituzione di qualsivoglia Scrittura prodotta, *dimissa Copia*, gli si diano *giulj tre*; e debba il Notajo far buoni due fogli: e da questi due in su, se gli paghi a ragione di *un carlino* il foglio ridotto, come sopra. Ma se si restituissero in una volta più Scritture prodotte in un sol Atto; gli si debbano per tutte insieme solamente *giulj tre*, con quel di più, che porterà l' eccesso della Copia sopra i due fogli condonati, come sopra.

23. Volendo le Parti vedere Processi, o qualsivoglia Scrittura Originale dentro l' Uffizio; sia tenuto il Notajo lasciarla loro vedere, senza mercede alcuna.

24. Sappiano le Parti, che nella Segreteria della Sacra Congregazione de' Riti tutto si spedisce *gratis*; e però non debbano al Notajo per sigillo, sottoscrizione, o qualunque altra cosa, che si faccia nella detta Segreteria, pagare mercede, o emolumento alcuno.

25. Debba il Notajo tenere il Libro *Receptorum*, e fedelmente in esso notare quanto gli entra in mano de' suoi emolumenti, sotto pena d' esser privato dell' Uffizio.

26. Ai Notaj del Tribunale del Cardinale Vicario, che si deputano per Attuarj de' Processi tanto Ordinarj, che Apostolici, che si fanno in Roma, per ogni foglio ridotto, come sopra, degli Esami de' Testimonj, si paghi l' emolumento *di un giulio*, e non più, e per ogni simil foglio degli Atti di detti Processi puramente necessarj per la validità de' medesimi, *bajocchi cinque*, e non più.

Per l' intera Copia autentica di detti Processi comprensiva tanto delle Testimonianze, quanto de' Documenti prodotti, o compulsati, e degli Atti de' medesimi Processi, che si dee presentare alla Sacra Congregazione de' Riti, si paghi *un giulio*, e non più, per ogni foglio di essa Copia, ridotto come sopra.

Per il Confronto, o Ascoltazione di detta Copia con i Processi, e Documenti Originali, si paghi *un bajocco*, e non più, per ogni foglio ridotto, come sopra. Nè possano essi Notaj pretendere altro emolumento, oltre il già sopra taffato, per qualsifia altro titolo, o pretesto, o per ragione di viatico, o di farsi fuori del loro Uffizio i Processi.

27. Quanto poi a' Notaj delle Curie Ecclesiastiche d' altre Diocesi, osservisi la Tassa locale di esse Curie, se sarà minore di questa; o debba osservarsi questa, se quella sarà maggiore.

28. Stampati che siano questi Ordini, e Tasse, debba il Notajo della Sacra Congregazione tenerli sempre patentemente affissi nell' Uffizio, affinchè a ciascuno possino apparire.

29. E il tutto sia egli obbligato ad osservare tanto nelle Cause di Beatificazione, o Canonizzazione, quanto nelle altre appartenenti ad essa Congregazione, sotto le pene contenute nel Giuramento, che egli dovrà fare in questa forma nella Congregazione istessa: *Ego N. Notarius ab hac Sacra Congregatione in Causis ad eam pertinentibus specialiter deputatus, tactis Sacrosanctis Evangeliis, juro, & promitto, me fideliter exequuturum Officium mihi commissum, ac Taxam auctoritate Sedis Apostolicæ mihi constitutam omnino observaturum, sub pœna perjurii, privationis Officii ipso facto incurrendæ, ac restitutionis omnium contra, vel ultra dictam Taxam habitorum, aut acceptorum, aliisque pœnis ipsius Sacræ Congregationis arbitrio imponendis.*

30. Ed a chiunque, per non osservarsi quanto sopra si dispone, si sentisse gravato, sia lecito ricorrere alla Sacra Congregazione de' Riti, che proverderà.

Traduttore, e Revisore.

AL Traduttore de' Processi da lingua straniera in Italiana, o Latina, e al Revisore della Traduzione fatta, deputati dal Cardinal Ponente della causa, per ogni foglio, che sia di facciate due, e la facciata di linee ventiquattro, e la linea di sillabe sedici, paghisi *un carlino*, e non più.

Stampatore Camerale.

PEr ogni foglio di stampa, che sia di pagine, o facciate quattro, e la facciata di linee cinquantaquattro, e la linea di lettere sessantacinque in circa, di Carattere *Silvio*, col suo corsivo corrispondente, ma più piccolo nelle postille marginali, in carta migliore, che si trovi, al numero di Copie sessanta, gli si possano dare al più *giulj quindici*, ove siano, e *quattordici*, ove non siano Postille: restando a suo carico tutta la spesa pur anco della Correzione. Ma se per bisogno della Causa il Segretario della Sacra Congregazione giudicherà, che se ne stampino in maggior numero, allora per ogni simil foglio d' altre *Copie cinquanta* gli si paghino *giulj tre* solamente: come più diffusamente si ordina nel Decreto di Alessandro VII. *a dì 19. Luglio 1661.* In caso però, che lo Stampatore non osservi puntualmente, come dee, la Tassa circa la Stampa; neppure i Postulatori siano tenuti ad osservarla circa il pagamento: ma gli diano tanto di meno, a proporzione della inosservanza.

Sostituto della Segretaria.

1. AL Sostituto della Segretaria de' Riti, e suo Compagno, non si dee ricognizione, o emolumento alcuno per i Decreti, o altro; dovendo spedire tutto *gratis*.

2. Volendo però i Postulatori il Duplicato di qualche Decreto, si paghi al sostituto *testone uno*, e non più. Ma quando siano più, o molti Decreti insieme in occasione di ricavare lo stato di una Causa, o simile gli si diano *bajocchi quindici*, e non più, per ogni Decreto, non compresi però quei Decreti, che concernono le proroghe de' termini, per li quali non si paghi cosa alcuna.

3. E

3. E quando nelle Lettere, che la Sacra Congregazione ſcrive ſopra qualche punto, s'inſeriſcono Inſtruzioni, gli ſe ne paghi la Copia, per inſerirla ne' Regiſtri, a ragione di *bajocchi cinque* per carta.

Giudici.

INerendo al Decreto fatto dalla Sacra Congregazione de' Riti *a dì* 15. *Settembre* 1678. approvato dal Ven. Innocenzo XI. che in eſſo volle compreſo anche ſe ſteſſo, non ſia lecito a veruno di dare, nè di ricevere Propine, o Sportule per Decreti fatti, o da farſi in Cauſe di Beatificazione, e Canonizzazione. Nè da queſta proibizione reſtino in conto alcuno eſcluſi il Segretario di eſſa Congregazione, o il Promotore, o il Sottopromotore della Fede (a' quali per altro non manca, come più avanti ſi dirà, a titolo di Regaglia la debita ricognizione;) e molto meno i Giudici Ordinarj, o Aggiunti, o Delegati, quando fanno Decreto, o danno Sentenza ſopra il Culto, o non Culto. Neppure poſſano i detti Giudici pretendere, o conſeguire alcun emolumento per l'aſſiſtenza alla formazione de' Proceſſi sì Ordinarj, che Apoſtolici, e tanto in Roma, che fuori; ma ſolo nei giorni di tal aſſiſtenza, ſe ſiano obbligati al Coro, s'intendano diſpenſati dal medeſimo, e lucrino le Diſtribuzioni, come i preſenti. Quando poi doveſſero andare a Luogo diverſo da quello del loro Domicilio, ſi ſomminiſtrino dai Poſtulatori le Speſe neceſſarie pel viaggio, e per i vittuali (moderati però, e frugali) in tutto il tempo, che la neceſſità del Proceſſo richiederà una tale aſſenza.

Avvocati, e Procuratori.

1. PEr l'Iſtruzione a formar un Proceſſo gli ſi poſſano dare *ſcudi quattro*, e non più; e la Copia ſi paghi a ragione di *bajocchi ſei il foglio*, che contenga due facciate, ed ogni facciata linee 24. e la linea ſillabe 16.

2. Per lo ſpoglio de' Documenti a formare gli Articoli da produrre ne' Proceſſi, ad ogni cento carte *ſcudi quattro*, e non più. E per ciaſcuno Articolo, *giulio uno*, e non più.

3. Per ogni Memoriale grande, o piccolo, che ſia, e ſua Copia, *giulj dodici*, e non più.

4. Per la minuta di qual ſi ſia Commiſſione da ſegnarſi dal Papa, *giulj quindici*, e non più; e per le due Copie da darſi a tal effetto al Segretario della Congregazione *bajocchi ſei* ad ogni foglio ridotto, come ſopra, e non più.

5. Per le Citazioni, e Intimazioni, facendoſi dal Procuratore, o Sollecitatore, non ſi paghi coſa alcuna; e per l'eſecuzione di eſſe paghiſi a ragione della Taſſa de' Curſori.

6. Per lo Spoglio univerſale, che il Procuratore fa tutto in una volta, del Proceſſo, ad ogni cento carte di eſſo ridotte, come ſopra, *ſcudi quattro*, e non più.

7. Per la Scrittura ne' ſoli Dubbj principali delle Virtù, o Martirio, o de' Miracoli *in ſpecie*, ſi poſſano dare *ſcudi venti*, e non più.

8. Per le Scritture ne' Dubbj ſopra l'introduzione della Cauſa, o ſua Reaſſunzione, o ſopra la validità de' Proceſſi, o ſopra il Culto, o ſopra il non Culto, o ſopra la Fama della Santità, e Virtù *in genere*, ed altri conſimili *ſcudi quindici*, e non più.

9. Per le Riſpoſte all'Animavverſioni del Promotore ne' Dubbj maggiori delle Virtù, o Martirio, o Miracoli, o alle Cenſure ſopra gli Scritti ec. *ſcudi dieci*. Ma dove in queſte, o altra Scrittura il punto, che ſi tratta, richiegga ſtudio, e fatica conſiderabile, entri l'arbitrio del Cardinale Ponente della Cauſa per l'aumento di detta mercede. Simile ſomma, e non più *di ſcudi dieci* ſi poſſa dare per le Riſpoſte all'Animavverſioni de' Dubbj dell'introduzione o Reaſſunzione della Cauſa, validità de' Proceſſi, e Culto immemorabile; e per quelle della fama della Santità *in genere*, e non Culto, ſi diano *ſcudi cinque*, e non più.

10. Per la Scrittura ſopra la Conceſſione d'Uffizj, e Meſſe, Deſcrizione nel Martirologio, e ſimili, *ſcudi tre*; e per le Riſpoſte all'Animavverſioni del Promotore, quando ſi fanno d'ordine della Sacra Congregazione, *ſcudi tre*.

11. Per la Copia Originale di tutte le Scritture, e Riſpoſte ſopra enunziate, ſottoſcritte dal Procuratore, o Avvocato, ad ogni foglio ridotto come ſopra, *carlini due*.

12. Per il Sommario de' Documenti, e Depoſizioni de' Teſtimonj ſopra ciaſcun Dubbio, ad ogni foglio ridotto, come ſopra, *bajocchi cinque*; e per la copia Originale di eſſo Sommario ad ogni foglio ridotto, come ſopra, *bajocchi ſei*, e non più.

13. Per le Poſtille nel margine d'eſſo Sommario, o delle Scritture, ad ogni centinajo di eſſe, *ſcudi due*, e non più.

14. Per il Riſtretto degli Atti diſputandoſi della validità de' Proceſſi, *ſcudi tre*; e la Copia Originale ſi paghi a ragione di quella de' Sommarj, come ſopra.

15. Per la Tabella, o Catalogo de' Teſtimonj, che ſi dà nel medeſimo Dubbio, *giulio uno* per Teſtimonio, e non più.

16. Per l'Informazione in voce alla Congregazione, ove intervengono i Conſultori, ſi diano *ſcudi trenta* tra il Procuratore, e l'Avvocato, quando anch'eſſo informi; altrimenti ſpettino tutti al Procuratore. Per l'Informazione alla ſola Congregazione Ordinaria ſi diano *ſcudi quindici*; e quando s'informa per la conceſſione d'Uffizio, e Meſſa, Deſcrizione nel Martirologio ec. ſi dia *la metà*, e non più.

17. Per l'Informazione in voce al Papa, e al ſuo Uditore, *ſcudi tre* al Procuratore, ed altrettanti all'Avvocato, ſe anch'eſſo informerà.

18. Per l'Acceſſo del Procuratore al Cardinale Ponente, e al Promotore della Fede, e per la Minuta, e Copia Originale del Fatto concordato *giulj dodici*, e non più.

19. L'iſteſſo, e non più, cioè *giulj dodici*, ſi dia per l'Acceſſo, e Informazione al Cardinale Prefetto, o al Cardinal Ponente, o al Promotore della Fede, o al Segretario per Memoriali, e Iſtanze, che ſi propongano *extra ſolium*, e per la ſollecitazione ancora de' Decreti.

20. Per Congreſſo co' Periti, e Poſtulatore circa gli Ordinatori del Giudizio, o altro a ben condurre la Cauſa ſi diano *teſtoni otto* al Procuratore, ed altrettanti all'Avvocato, ſe v'interverrà.

21. Per qualſivoglia altra fatica, o Scrittura non eſpreſſa di ſopra rimettaſi la mercede al Cardinale Prefetto, o Cardinale Ponente della Cauſa, e non all'arbitrio de' Curiali.

22. E chi non oſſerva queſti Ordini, ſia privato del Patrocinio delle Cauſe appartenenti alla Sagra Congregazione de' Riti, con altre pene ad arbitrio della medeſima.

Medici.

NOn debbano i Medici, che ſono deputati a ſcrivere, o *ad opportunitatem*, o *pro veritate* ſopra i Miracoli, far diſtinte, e proliſſe Scritture; ma in una ſola Scrittura addurre ſtrettamente le ragioni ſopra ciaſcuno de' Miracoli propoſti. Nè tampoco debbano riſpondere a tutte le oppoſizioni del Promotore della Fede: ma ſolamente a quelle, che ſpettano alla loro profeſſione. E per tali Scritture, e Riſpoſte, ſi poſſono dar loro *ſcudi trenta in tutto*, benchè più, o meno ſiano i Miracoli propoſti.

Mancie.

1. SIa in totale libertà, ed arbitrio degli Agenti, Poſtulatori, e Procuratori delle Cauſe, dare, o non dare Mancie alle Famiglie del Cardinale Prefetto, del Cardinale Ponente, del Secretario, e del Promotore per gli Reſcritti favorevoli, che portano. Ma volendo ſpontaneamente dar loro qualche ricognizione, ſi permette, che ſolamente in occaſione di Reſcritto favorevole ſopra la Reviſione delle Opere, la Segnatura della Commiſſione, il Culto, e non Culto, la Fama della Santità, la validità de' Proceſſi, e Conceſſione d'Uffizio, e Meſſa per gli Beati dopo il Culto dichiarato, e non di altri Reſcritti, ad ogni Famiglia de' ſopra nominati, e non di altri, poſſa darſi *teſtone uno*; e in occaſione del Reſcritto, o Decreto approvativo delle Virtù, o del Martirio, o de' Miracoli, e per il final Decreto della Beatificazione, o Canonizzazione, *teſtoni due*, e non più. Non vietando, che al Soſtituto della Segreteria altresì poſſa darſi da chi voglia, per quei primi Reſcritti, *teſtoni due*, e per queſti ſecondi *teſtoni quattro*, e non più.

2. Altrettanto, cioè *teſtoni quattro*, e non più, ſi permette, che dianſi ai Servidori del Secretario ſolamente, per la fatica di girare intimando ai Cardinali, e Conſultori ogni Congregazione ſtraordinaria, cioè Antepreparatoria, o Preparatoria, o Generale, per le Virtù, o il Martirio, o i Miracoli; ſiccome pure per la fatica di ſigillare le poſizioni *teſtoni due*.

3. E a quelli del Promotore ſi permette, che diaſi *teſtone uno*, e non più, per quando inſieme colle Animavverſioni riportino i Proceſſi a caſa del Poſtulatore, o Procuratore della Cauſa.

Regali.

AQuelli, che ſtudiano, o votano ſopra a queſte Cauſe, non poſſano i Poſtulatori, e Procuratori di eſſe, ſotto pena di privazione dell'Uffizio, ed altre più rigoroſe ad arbitrio della Sacra Congregazione de' Riti, dar verun Regalo, ancorchè ſia di ſoli Comeſtibili, tanto prima che le dette Cauſe ſi propongano nelle Congregazioni, quanto dopo propoſte, ed anco riſolute. Anzi neppure ſia loro permeſſo dare alcuna coſa per avere ſollecitamente o le Note dal Sottopromotore, o le Animavverſioni dal Promotore della Fede; ma ſolamente loro ſi permette di uſare qualche *corteſia* in piccola quantità di Comeſtibili nel Dicembre, e nell'Agoſto a quelli, che ſecondo il coſtume ſuole uſarſi, cioè al Segretario, Promotore, Avvocato, Procuratore, Sottopromotore, e Soſtituto della Segretaria, e queſto in tempo di Cauſa viva, che ſtiaſi agitando, e non quando per anni e anni reſta ſoſpeſa, o per farſi i Proceſſi, o per altro motivo.

Quadri.

1. PER la Segnatura della Commiſſione poſſa darſi ſecondo il ſolito un Quadro rappreſentante il Servo di Dio al Cardinal Ponente della Cauſa, e al ſuo Uditore, al Segretario della Congregazione, e ſuo Soſtituto, al Promotore della Fede, e ſuo Sottopromotore, all'Avvocato, e al Procuratore; e per la ſolenne Beatificazione, oltre a queſti, anco al Papa, e al Cardinal Prefetto, e non ad altri.

2. Per la ſolenne Canonizzazione poi poſſa darſi al Papa, a i Cardinali, e Conſultori della Congregazione, al Maggiordomo, al Maeſtro di Camera, ai Maeſtri di Cerimonie, all'Avvocato Conſiſtoriale, che fa l'Orazione, all'Uditore del Cardinal Ponente, al Soſtituto della Secreteria, all'Avvocato, e Procuratore della cauſa, al Sottopromotore della Fede, al Notajo della Sacra Congregazione, e non ad altri: nè d'una miſura, o d'uno iſteſſo prezzo a tutti: ma più, o meno, ſecondo la qualità della Perſona, a cui ſi dà.

Beatificazione.

1. PER il Decreto della Beatificazione ſi paghino, ſecondo la diſpoſizione di Aleſſandro VII. alla Sagreſtia di San Pietro per Suppellettili da provederſi ad uſo di eſſa Baſilica *ſcudi cinquecento d'oro*, che di moneta corrente ſono *ſcudi ottocento venticinque*.

2. Per il Breve della Beatificazione alla Segreteria de' Brevi *ſcudi quarantatre*, e *bajocchi ſettantacinque*: e per mancia alla Sala, o Famiglia del Cardinale Segretario *ſcudi tre*, e non più.

3. Ai Maeſtri di Cerimonie della Baſilica Vaticana in tutto *ſcudi dodici*, e non più.

4. Ai Sagreſtani minori, ed altri Miniſtri di detta Baſilica *ſcudi ventuno*, e *bajocchi cinquanta* da diſtribuirſi fra loro, ſecondo il ſolito dai Sagreſtani maggiori.

5. A chi legge dal Pulpito il Breve della Beatificazione *giuli quindici*, e non più.

6. La ſpeſa per l'Apparato della Baſilica, Cera per la Funzione, Quadro per l'Altare, Muſica per la Meſſa cantata, Immagine in ſeta, e carta, Compendio della Vita del Beato, e per tutto il reſto a decoro di tal ſolennità, potrà da' Poſtulatori regolarſi ſecondo il conſueto.

7. Al Notajo della Sac. Congregazione de' Riti per l'aſſiſtenza, e rogito dell'Atto *ſcudi tre*, e non più.

8. Alla Guardia degli Svizzeri *ſcudi dodici*.

9. Ai Bombardieri pure degli Svizzeri per lo ſparo del Cannone *ſcudi quattro*.

10. Ai Bombardieri di Caſtello per lo ſparo de' Mortaletti vicino alla Baſilica *ſcudi quattro*.

11. Ai Trombetti del Popolo Romano *ſcudi tre*.

12. Per Mancia, o Ricognizione al Soſtituto della Segreteria de' Riti, e ſuo Compagno, *ſcudi cinque*, e non più. Alla Sala del Papa, del Cardinale Prefetto, del Cardinale Ponente, del Segretario de' Riti, e del Promotore della Fede, per ciaſcuna, *ſcudi tre*, e non più. Alla Sala del Prelato, che celebra la Meſſa, *giuli ſei*; ed altrettanto a quella dell'Uditore del Papa.

Canonizzazione.

1. PER il Decreto della Canonizzazione di ciaſcun Beato alla Sagreſtia di S. Pietro, come ſopra, *ſcudi mille d'oro*, che di moneta corrente ſon *ſcudi mille ſeicento cinquanta*.

2. Gli ſcudi ſeimila di moneta corrente per la Canonizzazione di ciaſcun Beato, ſoliti contribuirſi dai Poſtulatori, e ſborſarſi al Papa, applicati già da Aleſſandro VII. ad eſtinguere il debito contratto per l'Apparato della Gran Baſilica di S. Pietro, ed eſtinto poi quello, rivolti dai Succeſſori ad altri uſi pii, e ridotti anche or a quattro, ed or a tremila; da qui avanti ſtabilmente ſi riducono a ſoli *tremila*, ed in perpetuo reſtino applicati *alla S. Congregazione de Propaganda Fide*, per doverſi erogare in ſuſſidio delle graviſſime ſpeſe neceſſarie per le Miſſioni, e mantenimento de' Miſſionarj nelle parti degl'Infedeli: ſperandoſi, che anco gli altri Pontefici Succeſſori approveranno un sì pio uſo per la propagazione della Fede Cattolica, e per la Converſione de' Popoli che vivono nelle tenebre dell'errore.

3. Le Ricognizioni, che con titolo di Calici, di Veſti, e di Regaglie in queſta occaſione dai Poſtulatori alle Perſone della Famiglia, e Cappella Pontificia, e ad altri ſi davano, moltiplicandole ancora ſecondo il numero de' Beati, qualora più inſieme ſi canonizzaſſero; per l'avvenire reſtino ridotte al numero, norma, e quantità, che deſcritta, e taſſata ſi troverà nell'infraſcritta Liſta.

4. E quanto alle Veſti, o Calici, inerendo al riſoluto *il dì 27. Settembre* 1712. da una Congregazione di tredici Cardinali ſopra ciò da Clemente XI. particolarmente deputati, non ſi multiplichino più; ma diaſi una ſola Veſte, o un ſolo Calice: quantunque più inſieme ſi canonizzino Beati, e taluno abbia inſieme più Uffizj, per ragione de' quali ſia ſtato conſueto darſi.

5. L'iſteſſo ſi oſſervi ancora quanto alle Regaglie, che in caſo di Canonizzarſi più inſieme, non dovranno per ogni Beato moltiplicarſi con tutti univerſalmente: ma ſolo con quelli, che o nella precedente Cauſa di quel Beato, o ne' prevj Conciſtori, o nella Canonizzazione ſteſſa avranno fatto qualche particolare operazione: ſiccome anche con quelli, che avranno a titolo oneroſo qualche Ufficio, per ragione di cui ſono ſtati delle dette Regaglie ſoliti partecipare; e ſono il Segretario de' Riti, e ſuo Soſtituto, il Segretario de' Brevi a' Principi, il Promotore della Fede, e ſuo Sottopromotore, l'Avvocato Conciſtoriale, che fa l'Orazione, e l'Iſtanze, il Procurator Generale del Fiſco, il Segretario del Sagro Collegio, l'Avvocato, e il Procuratore della Cauſa, i Mazzieri, e i Curſori del Papa, gli Oſtiarj, la Guardia del Governatore di Roma, i Cuſtodi della Catena, e della Porta Ferrea, i Mandatarj del Cardinal Vicario, e la Sala del Papa.

6. Nè verun altro, il quale non ſia nominato, nè deſcritto nell'infraſcritta Liſta, poſſa pretendere Ricognizione alcuna a titolo di Veſti, e Regaglie, ancorchè per ragione di Carica, o Uffizio, che abbia nel Palazzo Apoſtolico, e appreſſo al Papa, poteſſe allegare qualch'eſempio in favor ſuo: dichiarandoſi fin d'adeſſo abolita ogni conſuetudine in contrario, anche riſpetto alla quantità della Ricognizione aſſegnata a ciaſchedun deſcritto nella detta Liſta; volendoſi, che quella non ſia maggiore della notata, e taſſata in eſſa. E ſia ſolo in arbitrio del Papa di diſtribuire tra alcuni della ſua Famiglia non regiſtrati nella mentovata Liſta, ma altronde meritevoli per qualche rifleſſo, o pur farne altro uſo, che ſtimerà più conveniente, *ſcudi dugento* per ciaſcun Beato, da depoſitarſi dai Poſtulatori nelle mani del Maggiordomo a diſpoſizione di Sua Santità per queſt'effetto. In caſo però, che mutandoſi coll'andar del tempo le circoſtanze, non ſi giudicaſſe di ſtare a quello, che circa tali Ricognizioni qui ſi diſpone; reſtino ancora diſobbligati da tal Contribuzione, e Depoſito i Poſtulatori.

7. Gli

7. Gli Uffiziali della Fioreria del Palazzo Apoſtolico debbano dare gli Strati di panno roſſi, e verdi, che ſervono per coprire i Banchi, il Pavimento, e i Gradi del gran Soglio Pontificio, ed anche gli Scabelli, che biſognano; e per gli detti Strati, ed altro, come ſopra, e per Paratura, gli ſi diano in tutto *ſcudi quattrocento*, e non più, oltre la ſolita Regaglia.

8. Per la Bolla della Canonizzazione di ciaſcun Santo acciocchè ſollecitamente, come ſi dee, ſi ſpediſca, e non ſe ne differiſca, come talora è occorſo, per un Secolo e più la ſpedizione, prima della Canonizzazione ſteſſa ſiano depoſitati da ciaſcun Poſtulatore nel Monte della Pietà, o nel Banco di S. Spirito *ſcudi ſeicento quarantanove* di moneta corrente (e non più, come per avanti coſtumavaſi) da ripartirſi, come ſiegue. Al Prelato, che ſtende la Bolla, *ſcudi centocinquanta*. All' Uffizio dello Scrittor ſegreto, Straordinario, e per le Majuſcole, *ſcudi cento ſettantacinque*. All' Uffizio del Piombo *ſcudi ottantaſette* e *bajocchi cinquanta*. Alla Segreteria de' Brevi, e per il Regiſtro, *ſcudi centoſettantaſei*, e *bajocchi cinquanta*. E allo Spedizioniere *ſcudi ſeſſanta*: con che a carico, ed obbligo ſuo ſia di fare qualunque altra ſpeſa, e fatica per la compita ſpedizione della Bolla, e darne al Poſtulatore una Copia colle poſtille per la Stampa.

9. Le altre ſpeſe occorrenti per la Paratura della Baſilica in Funzione sì ſolenne, Cera per l' Illuminazione, e Proceſſione, Supellettili Sacre sì per l' Altare, che per il Sommo Pontefice celebrante, e ſuoi Miniſtri alla gran Meſſa, Immagini del Santo in ſeta, e carta, Compendj della ſua Vita da diſtribuirſi, ed altre coſe a sì gran Solennità neceſſarie, e convenienti, potranno regolarſi ſecondo l' uſato nell' altre Canonizzazioni.

10. Ed affinchè quanto di ſopra intorno alle ſpeſe della ſolenne Canonizzazione ſi è preſcritto, eſattamente ſi eſeguiſca, la Sacra Congregazione de' Riti deputi Perſona di autorità, che abbia per tale affare abilità, e inſieme le facoltà neceſſarie, ed opportune.

11. Per ultimo ſi avverte, che quantunque ai Poſtulatori, e Agenti delle Cauſe, i quali amminiſtran il denaro di chi le promuove, non ſi faccia per ora qui alcuna nuova determinazione; ma ſi laſcino le coſe nello ſtato, in cui ſi trovano, e debbono trovarſi ſecondo la giuſtizia: potrà nondimeno la preſente nuova Taſſa, e Riforma ſervire di norma a chi ſomminiſtra il detto denaro da ſpenderſi nelle medeſime Cauſe, e di lume, a fine di riconoſcere l' amminiſtrazione, che ſe ne fa dagli Agenti, e Poſtulatori ſteſſi, confrontando le partite de' Pagamenti con gli Ordini di queſta nuova Taſſa e Riforma.

Liſta delle Ricognizioni ſotto titolo di Veſti, Regaglie, ed altro da darſi ai ſeguenti nella ſomma, che ſi nota.

Al Maggiordomo per un Calice ſcudi ſeſſanta.

Al Maeſtro di Camera del Papa per un Calice ſcudi ſeſſanta.

Al Segretario della Congregazione de' Sacri Riti per la *Veſte* ſcudi cinquanta, e per *Regaglia* ſcudi centocinquanta.

Al Promotore della Fede per la *Veſte* ſcudi cinquanta, e per *Regaglia* ſcudi centocinquanta.

Al Segretario de' Brevi a' Principi per la *Veſte* ſcudi cinquanta, e per *Regaglia* ſcudi centocinquanta.

All' Avvocato Conciſtoriale, che fa l' iſtanze nella Funzione della Canonizzazione per la *Veſte* ſcudi cinquanta, e per *Regaglia* ſcudi trentaſette, e ba: 50.

Al medeſimo per l' Orazione, o ſia Relazione, che fa in Conciſtoro, della Vita, Virtù, e Miracoli del Beato, ſcudi centocinquanta.

Al Primo Maeſtro di Cerimonie del Papa per la *Veſte* ſcudi cinquanta, e per *Regaglia* ſcudi centocinquanta.

Al Secondo Maeſtro di Cerimonie per la *Veſte* ſcudi cinquanta, e per *Regaglia* ſcudi centocinquanta.

Ai Maeſtri di Cerimonie non partecipanti ſcudi dugentodue, e ba: 50. cioè ſcudi novanta per le *Veſti*, e ſcudi centododici, e ba: 50. per *Regaglia*.

Agli altri Maeſtri di Cerimonie Soprannumerarj ſcudi cinquanta in tutto, da dividerſi tra di loro.

Al Sagriſta del Papa per la *Veſte* ſcudi diciotto, e per *Regaglia* ſcudi quarantacinque.

Ai tre Prelati Aſſiſtenti ſcudi centonovantaſei in tutto da dividerſi tra di loro, cioè ſcudi centocinquanta per le *Veſti*, e ſcudi trentaſei per *Regaglie*.

Ai Camerieri Segreti del Papa ſcudi novecento in tutto, da dividerſi tra i ſoliti, cioè ſcudi quattrocentocinquanta per le *Veſti*, e ſcudi quattrocentocinquanta per *Regaglia*.

Al Maeſtro del Sagro Palazzo ſcudi trentaſette, e ba: 50. per *Regaglia*.

Al Segretario del Sagro Collegio ſcudi diciotto per *Regaglia*.

Al Procuratore Generale del Fiſco ſcudi trentaſette, e ba: 50. per *Regaglia*.

Al Commiſſario della Camera Apoſtolica ſcudi cinquanta per la *Veſte*.

Al Foriere maggiore di Palazzo ſcudi cinquanta per la *Veſte*.

Ai Cappellani Segreti del Papa ſcudi dugentoquarantacinque in tutto, da dividerſi tra di loro, ſecondo il ſolito, cioè ſcudi dugento per le *Veſti*, e ſcudi quarantacinque per *Regaglia*.

Agli Ajutanti di Camera del Papa ſcudi centocinquantacinque in tutto, da dividerſi tra di loro, ſecondo il ſolito, cioè ſcudi centoventicinque per le *Veſti*, e ſcudi trenta per *Regaglie*.

Ai Cappellani comuni per *Regaglie* ſcudi diciotto in tutto, da dividerſi tra di loro, ſecondo il ſolito.

Agli Accoliti Ceroferarj per *Regaglie* ſcudi quindici in tutto, da dividerſi tra di loro, ſecondo li ſolito.

Ai Buffolanti per *Regaglie* ſcudi trenta in tutto, da dividerſi tra di loro, ſecondo il ſolito.

Al Sottofagriſta per la *Veſte* ſcudi quattordici, e per *Regaglia* ſcudi trentacinque.

Ai Cherici di Cappella per *Regaglia* ſcudi dodici in tutto, da dividerſi tra di loro, ſecondo il ſolito.

Ai Sottocherici per *Regaglia* ſcudi ſei in tutto, da dividerſi tra di loro, ſecondo il ſolito.

Ai Cherici Segreti per *Regaglia* ſcudi dodici in tutto, da dividerſi tra di loro, ſecondo il ſolito.

Al Diacono, e Subdiacono Greci per *Regaglia* ſcudi ſei in tutto.

Ai Muſici di Cappella ſcudi ſettantacinque in tutto, da dividerſi tra di loro, ſecondo il ſolito.

Ai Muſici Soprannumerarj ſcudi ſei in tutto, da dividerſi tra di loro, ſecondo il ſolito.

Ai Cuſtodi de' Libri di detta Cappella ſcudi ſei in tutto.

Ai Camerieri *extra muros* per *Regaglia* ſcudi trenta in tutto, da dividerſi tra di loro, ſecondo il ſolito.

Agli Scudieri per *Regaglia* ſcudi trenta in tutto, da dividerſi tra di loro, ſecondo il ſolito.

Alle Lancie Spezzate per *Regaglia* ſcudi dodici in tutto, da dividerſi tra di loro, ſecondo il ſolito.

Agli Offiziali della Fioreria ſcudi cinquantadue e bajocchi 50. in tutto, cioè ſcudi trenta per le *Veſti*, e ſcudi ventidue, e bajocchi 50. per le *Regaglie*, da dividerſi tra di loro, ſecondo il ſolito.

Al Cuſtode delle Obblazioni per *Regaglia* ſcudi dieci.

Agli Offiziali, e Serventi della Baſilica di San Pietro per *Regaglia* ſcudi ſeſſantanove, e bajocchi 40. in tutto, da dividerſi tra di loro, ſecondo il ſolito, dai Canonici Sagreſtani Maggiori di detta Baſilica.

Al Segretario del Tribunale del Cardinale Vicario per *Regaglia* ſcudi dodici.

All' Avvocato della Cauſa per *Regaglia* ſcudi trenta.

Al Procuratore della Cauſa per *Regaglia* ſcudi trenta.

Al Sottopromotore della Fede per *Regaglia* ſcudi trenta.

Al Soſtituto della Segreteria della Congregazione de' Sagri Riti per *Regaglia* ſcudi trenta.

Al Notajo della Congregazione de' Sagri Riti per *Regaglia* ſcudi diciotto.

Al Cuſtode di detta Congregazione per *Regaglia* ſcudi tre.

Al Capitano de' Cavaleggieri ſcudi cinquanta.

All' altro Capitano de' Cavaleggieri ſcudi cinquanta.

Alla Guardia de' Cavaleggieri ſcudi ventidue, e bajocchi 50. in tutto, da dividerſi tra di loro, ſecondo il ſolito.

Ai Trombetti de' medeſimi ſcudi tre in tutto.

Al Capitano degli Svizzeri ſcudi cinquanta.

Alla Guardia de' medeſimi, Tamburini, e Pifferi ſcudi quarantatre, e bajocchi 50. da dividerſi tra di loro, ſecondo il ſolito.

Ai Bombardieri de' medeſimi ſcudi tre in tutto.

Ai Bombardieri di Caſtello ſcudi tre in tutto.

Al Concerto de' Tromboni di Caſtello ſcudi cinque in tutto.

Ai Trombetti, e Tamburini del Popolo Romano ſcudi tre, e bajocchi 20. in tutto, da dividerſi tra di loro, ſecondo il ſolito.

Ai Mazzieri del Papa per *Regaglie* ſcudi ventidue, e bajocchi 50. in tutto, da dividerſi tra di loro, ſecondo il ſolito.

Ai

Ai Curſori del Papa per *Regaglie* ſcudi ventidue, e bajocchi 50. in tutto, da dividerſi tra di loro, ſecondo il ſolito.

Agli Oſtiarj ſcudi quindici in tutto per *Regaglia* da dividerſi tra di loro, ſecondo il ſolito.

Alla Guardia del Governatore di Roma per *Regaglia* ſcudi venti in tutto, da dividerſi tra di loro, ſecondo il ſolito.

Al Cuſtode delle Catene per *Regaglia* ſcudi quindici.

Al Cuſtode della Porta Ferrea per *Regaglia* ſcudi quindici.

Ai Mandatarj del Cardinal Vicario per *Regaglia* ſcudi dieci in tutto, da dividerſi tra di loro, ſecondo il ſolito.

Agli Scopatori ſegreti, ed altra Famiglia baſſa del Papa per *Veſti*, e *Regaglie* ſcudi centoquarantotto in tutto, da dividerſi tra di loro, ſecondo il ſolito, a tenore della Nota, che ſi dà al Maggiordomo a tal effetto.

Al Decano, e Palafrenieri del Papa ſcudi ſeſſanta in tutto, cioè ſcudi quindici al Decano per la *Veſte*, e ſcudi quarantacinque al medeſimo, ed a detti Palafrenieri per le *Regaglie*.

A ciaſcheduna Sala de' Cardinali della Congregazione de' Sagri Riti ſcudi due, e bajocchi 40.

Alla Sala del Segretario di detta Congregazione ſcudo uno, e bajocchi 80. e l'iſteſſa ſomma alle Sale del Promotore della Fede, del Sagriſta, e delli due Maeſtri di Cerimonie Partecipanti.

Ed affinchè queſta nuova Taſſa, e Riforma ſia nota a tutti, ſpecialmente a quelli, che debbono oſſervarla ſotto le pene eſpreſſe nella medeſima, Noſtro Signore coll' oracolo della ſua viva voce ha ordinato, che ſi regiſtri ne' Libri della Segreteria della Sacra Congregazione, e che ſottoſcritta, e munita del Sigillo, ſi pubblichi anche colle Stampe.

Queſto dì 14. Aprile 1741.

Loco ✠ Sigilli.

T. Patriarcha Hieroſolymitanus Secretarius.

FINIS LIBRI PRIMI.

UAB
Biblioteca de Ciències Socials

Tab. I.

NUMISMATA ILLUSTRIORES BENEDICTI XIV. RES GESTAS INDICANTIA



UAB
Biblioteca de Ciències Socials



UAB
Biblioteca de Ciències Socials

Tab. II.



UAB
Biblioteca de Ciències Socials



UAB
Biblioteca de Ciències Socials

Tab. III.



UAB
Biblioteca de Ciències Socials



UAB
Biblioteca de Ciències Socials

BENEDICTI XIV.

PONT. OPT. MAX.

OLIM

PROSPERI CARDINALIS

DE LAMBERTINIS

OPERA OMNIA

IN UNUM CORPUS COLLECTA,

ET NUNC PRIMUM IN QUINDECIM TOMOS DISTRIBUTA.

EDITIO NOVISSIMA

ANTEACTIS OMNIBUS AUCTIOR, CASTIGATIOR, ET MELIORI ORDINE DISPOSITA,

ADDITIS PRÆTEREA TRIBUS INTEGRIS VOLUMINIBUS, QUÆ NUNC PRIMUM PRODEUNT,

Et pluribus aliis factis luculentissimis accessionibus, quas Præfatio Tomo primo præfixa melius docebit.

TOMUS SECUNDUS

CONTINENS

DE SERVORUM DEI BEATIFICATIONE, ET BEATORUM CANONIZATIONE

LIBRUM SECUNDUM, ATQUE APPENDICES AD EUM PERTINENTES.



IN TYPOGRAPHIA BASSANENSI,

MDCCLXVII.

SUMPTIBUS REMONDINI VENETI.

SUPERIORUM PERMISSU, AC PRIVILEGIO.

UAB
Biblioteca de Ciències Socials

BENEDICTI XIV.

PONT. OPT. MAX.

O L I M

PROSPERI CARDINALIS

DE LAMBERTINIS

OPERA OMNIA

IN UNUM CORPUS COLLECTA,

ET NUNC PRIMUM IN QUINDECIM TOMOS DISTRIBUTA.

EDITIO NOVISSIMA

ANTEACTIS OMNIBUS AUCTIOR, CASTIGATIOR,
ET MELIORI ORDINE DISPOSITA,

ADDITIS PRÆTEREA TRIBUS INTEGRIS VOLUMINIBUS,
QUÆ NUNC PRIMUM PRODEUNT,

Et pluribus aliis fidis luculentissimis accessionibus, quas Præfatio Tomo primo præfixa velut docebit.

TOMUS SECUNDUS

C O N T I N E N S

DE SERVORUM DEI BEATIFICATIONE, ET BEATORUM CANONIZATIONE

LIBRUM SECUNDUM, ATQUE APPENDICES
AD EUM PERTINENTES.



IN TYPOGRAPHIA BASSANENSI,

MDCCLXVII.

SUMPTIBUS REMONDINI VENETI.

SUPERIORUM PERMISSU, AC PRIVILEGIO.

UAB Biblioteca de Ciències Socials

INDEX CAPITUM

HUJUS LIBRI SECUNDI.

Caput Primum.

DE *Ordinariorum* facultate, atque auctoritate in conficiendis Processibus in causis Beatificationis Servorum Dei, & Canonizationis Beatorum. *Pag.* 1

Caput Secundum.

De iis, qui veniunt appellatione *Ordinariorum* quoad confectionem Processuum in materia Beatificationis, & Canonizationis. 4

Caput Tertium.

De antiquiori Sedis Apostolicæ consuetudine circa Processus *Ordinariorum*. 8

Caput Quartum.

De viribus Processuum, qui fiunt ab *Ordinariis*. 10

Caput Quintum.

De Congruentia inter Processum Ordinarium, & Apostolicum. 12

Caput Sextum.

De Ordinariorum Processuum singularitate; hoc est, an aliquando eorum ope tantum, & citra Apostolicum Processum deveniri possit ad Beatificationes, & Canonizationes. 15

Caput Septimum.

De non Cultu, deque nonnullis ad ornatum materiæ de non Cultu præmittendis. 17

Caput Octavum.

De diligentiis adhibitis post reservationem Causarum Beatificationis, & Canonizationis Sedi Apostolicæ, ne Cultus iis præstaretur, qui eum minime merebantur. 20

Caput Nonum.

De moderatione Cultus erga non Beatificatos, nec a Sede Apostolica Canonizatos. 22

Caput Decimum.

De his, quæ gesta sunt tempore Clementis VIII. & Pauli V. circa Cultum exhibendum Servis Dei non Beatificatis, neque Canonizatis. 24

Caput Undecimum.

De Summi Pontificis Urbani VIII. Decretis. 29

Caput Duodecimum.

De nonnullis explicationibus ad prædicta Urbani VIII. Decreta, deque nonnullis quæstionibus ad eorum Funus, & Sepulchra, qui Servorum Dei appellatione veniunt, pertinentibus. 33

Caput Decimum Tertium.

De quæstionibus aliis ad anniversariam obitus Dei Servorum diem, eorumque Reliquias pertinentibus. 38

Caput Decimum Quartum.

De quibusdam aliis controversiis quoad Imagines prædictorum Dei Servorum; necnon de actibus sine ulla dubitatione ad publicum Cultum referendis, & ideo interdictis. 41

Caput Decimum Quintum.

De more spectante ad Judicium super non Cultu in Causis Beatificationis, & Canonizationis. 43

Caput Decimum Sextum.

De pœnis statutis adversus violatores Decretorum Urbani VIII. 47

Caput Decimum Septimum.

De casu excepto a Decretis Urbani VIII. in genere. 48

Caput Decimum Octavum.

In quo antea dicta comprobantur exemplis. 51

Caput Decimum Nonum.

De casu excepto a Decretis Urbani VIII. vel per communem Ecclesiæ consensum, vel per Patrum, Virorumque Sanctorum Scripta. 55

Caput Vigesimum.

De Casu excepto ex Indulto Pontificio. 58

Caput Vigesimum Primum.

De Casu excepto ex Permissione Sacræ Congregationis; & de aliis, quæ communia sunt tum Casui excepto ex Pontificiis Indultis, tum Casui excepto ex dicta Permissione. 64

Caput Vigesimum Secundum.

De Casu excepto ab Urbani VIII. Decretis ex tempore immemorabili, & nominatim de tempore requisito ad constituendum immemorabile. 67

Caput Vigesimum Tertium.

De modo probandi centenarium annorum Cultus numerum deque ceteris requisitis ad constituendum Casum exceptum ex tempore immemorabili. 69

Caput Vigesimum Quartum.

De Casuum ab Urbani VIII. Decretis exceptorum declaratione a Romanis Pontificibus, prævio Sacrarum Congregationum, præsertim vero Sacrorum Rituum consilio, hucusque facta. 72

Caput Vigesimum Quintum.

De Revisione Operum conscriptorum a Dei Servis, de quorum Beatificatione, & Canonizatione tractatur. 118

Caput Vigesimum Sextum.

Quænam sint Opera Servorum Dei revidenda, & approbanda. 120

Caput Vigesimum Septimum.

Quando, per quos, & quomodo fieri debeat Operum Revisio. 123

Caput Vigesimum Octavum.

De advertendis in horum Operum Revisione. 126

Caput Vigesimum Nonum.

Utrum Doctrina, quæ, cum scripta fuit, non erat censura digna, est autem, cum examinatur, progressum impediat ad ulteriora in Causa Canonizationis. 128

Caput Trigesimum.

In quo antecedentis Capitis sententia confirmatur exemplis Causarum Canonizationis. 130

Caput

Caput Trigesimum Primum.

In quo alia ad antecedentium comprobationem exponuntur desumpta ex Relationibus *Revisorum* exhibitis, Congregationi Sacrorum Rituum. 133

Caput Trigesimum Secundum.

De adnotatis, & adnotandis per *Revisores* super Visionibus, Revelationibus, & Prophetiis. 137

Caput Trigesimum Tertium.

An doctrina contra Fidem, vel Ecclesiæ regulas obstet Beatificationi, & Canonizationi, si ante obitum a Dei Servo fuerit retractata, aut fuerit Judicio Ecclesiæ subjecta, cum scripta fuit. 139

Caput Trigesimum Quartum.

De Libris, sive Operibus Servorum Dei, quæ reperiri non possunt, & de aliis, quæ iisdem falso aliquando adscribuntur. 143

Caput Trigesimum Quintum.

De *Signatura Commissionis* in genere. 146

Caput Trigesimum Sextum.

De *Signatura Commissionis* in Causis, quæ post Urbani VIII. Decreta introducuntur, & quæ procedunt per viam non Cultus. 149

Caput Trigesimum Septimum.

De *Signatura Commissionis* in Causis, quæ post Urbani VIII. Decreta introducuntur, & quæ procedunt per viam Casus excepti. 154

Caput Trigesimum Octavum.

De *Commissione*, quæ dicitur *Reassumptionis*. *ibid.*

Caput Trigesimum Nonum.

De substantia, & usu, seu *praxi* Judicii in genere super fama Sanctitatis, aut Martyrii. 157

Caput Quadragesimum.

De Famæ probatione. 160

Caput Quadragesimum Primum.

De his, quæ famæ Sanctitatis obstare possunt. 162

Caput Quadragesimum Secundum.

In quo exposita confirmantur exemplis Causarum in Sacrorum Rituum Congregatione pertractatarum. 165

Caput Quadragesimum Tertium.

De validitate processuum, & signanter eorum qui auctoritate Ordinaria conficiuntur. 169

Caput Quadragesimum Quartum.

De validitate Processuum, & signanter eorum, qui auctoritate Apostolica conficiuntur. 172

Caput Quadragesimum Quintum.

De his, quibus inscribuntur Litteræ *Remissoriales*, & *Compulsoriales* pro conficiendis Processibus auctoritate Apostolica. 175

Caput Quadragesimum Sextum.

De exhibitione, seu præsentatione Litterarum *Remissorialium*, & *Compulsorialium*, & de his, qui ad earum executionem procedere possunt. 179

Caput Quadragesimum Septimum.

De his, quæ fieri possunt, aut nequeunt a Judicibus *Remissorialibus*, & de aliis personis, quæ ad conficiendos Processus requiruntur. 183

Caput Quadragesimum Octavum.

De Juramento a supradictis præstando, deque *Citatione*, Inductione, & Testium quoque Juramento. 187

Caput Quadragesimum Nonum.

De Testium Examine. 193

Caput Quinquagesimum.

De aliis necessariis ad constructionem Processus. 199

Caput Quinquagesimum Primum.

De nonnullis aliis requisitis in confectione nonnullorum Processuum, & de omnium Processuum apertione in Urbe facienda auctoritate Sacræ Congregationis. 202

Caput Quinquagesimum Secundum.

De Processu *Compulsoriali*, & ejus validitate. 206

Caput Quinquagesimum Tertium.

De nonnullis petitionibus, quæ aliquando Sacrorum Rituum Congregationi exponuntur pro felici exitu Causarum Beatificationis, & Canonizationis. 208

Caput Ultimum.

In quo aliæ petitiones Postulatorum proponuntur, & examinantur. 212

UAB Biblioteca de Ciències Socials



DE SERVORUM DEI BEATIFICATIONE, ET BEATORUM CANONIZATIONE

LIBER SECUNDUS,

IN QUO SINGILLATIM EXPENDUNTUR OMNIA AD FORMAM JUDICIARIAM CAUSARUM EARUMDEM PERTINENTIA.

CAPUT PRIMUM.

De Ordinariorum facultate atque auctoritate in conficiendis processibus in causis Beatificationis Servorum Dei, & Canonizationis Beatorum.

QUAMVIS in capite 31. & sequentibus libri præcedentis, seriem Actorum exposuerimus pertinentium ad initium, progressum, & finem causarum Beatificationis & Canonizationis; cum tamen id cursim factum sit, ne videlicet quæstionum præliminarium pertractatio, quæ eo in libro fuerat instituta, nimiam pateretur interruptionem; nedum opportunum, sed & necessarium visum est in præsenti, unumquemque Actum in priori libro leviter indicatum sedulo perpendere & examinare: ut justa atque integra, quoad nostrarum virium debilitas feret, totius materiæ notitia habeatur. Cum autem initium causarum Beatificationis & Canonizationis desumatur a processibus, qui fiunt ab Ordinariis; de facultate idcirco, & auctoritate eorumdem tum in hoc capite, tum in aliquibus sequentibus agetur.

1. Multiplex, ut alibi dictum est, processus ab Ordinario conficitur in causis Beatificationis & Canonizationis: hoc est, primo super fama sanctitatis, virtutum, aut Martyrii, & miraculorum; secundo super non cultu, quatenus causa per hanc viam procedere debeat, vel super casu excepto a decretis Urbani VIII. si per aliam. Hi vero duo ultimi processus, nisi fiant ab Ordinario, conficiuntur auctoritate delegata a sancta Sede, sicuti alias monuimus, & infra adhuc pluribus exponemus. Nempe, quod attinet ad processus super non cultu, vel super casu excepto, nulla potest esse difficultas de Ordinariorum facultate. Cum etenim horum processuum institutio ad summum Pontificem Urbanum VIII. referatur, idem Urbanus non solum sententiam super non cultu, vel super casu excepto, sed ipsam etiam processus confectionem recognovit esse de juribus Ordinariorum; si quidem processum hunc construere, & sententiam ferre vellent: Sedis autem Apostolicæ auctoritatem tunc solummodo inducendam censuit, cum neque confectus processus, neque sententia lata est ab ipsis Ordinariis. Id colligitur ex decretis ab eo editis die 5. Julii 1634. & in appendicibus imprimendis, quibus præscripsit, non posse ad ulteriora procedi in causa Beatificationis & Canonizationis, *nisi Postulator prius per legitimas juridice susceptas probationes* docuerit de non cultu, vel de casu excepto; *& nisi postea successive idem Ordinarius, aut ab Apostolica Sede ad hoc specialiter Delegatus, diligenti præhabita disquisitione, circa eamdem personam*, de cujus agitur Beatificatione, *supra citato decreto*, de non cultu videlicet, aut de casu excepto, *nullatenus contraventum esse, rite pronuntiaverit*: quod etiam clarius in alio decreto confirmavit: *Particularis processus cum subsequenti pronuntiatione Ordinarii, seu Apostolicæ Sedis Delegati, sicut præcedere debet ex forma prædictorum decretorum super cultu non adhibito, ita etiam præcedere debet, & ab eisdem respective faciendus est, quando aliquis Postulator allegaret, se versari in uno ex casibus exceptuatis.*

2. Idem judicium ferendum est de processu super fama sanctitatis, virtutum, Martyrii, & miraculorum aut signorum, sive spectato jure communi, sive jure Concilii Tridentini, sive inspecta consuetudine, sive animo attento ad decreta Congregationis sacrorum rituum.

tis revelaverant, detulit ad Senatum cum prærogativa suffragii sui. Senatus, quia non in se probaverat, respuit. Cæsar in sententia mansit, comminatus periculum Accusatoribus Christianorum.

4. Eusebius Cæsariensis *lib. 2. Hist. Eccles. c. 2. ex vers. Rufini* rem totam sic exponit: *Cum per omnem jam locum de resurrectione, & mirabilibus Domini Jesu Christi, & de Ascensione ejus ad Cælum felix fama loqueretur, ac per omnium aures beati hujus rumoris volveretur opinio; quoniam antiqui moris erat apud Romanos, ut Provinciarum Judices, si quid forte novi in his, quas regebant, Provinciis accidisset, vel Principi, vel Senatui nuntiarent, ut ne ex his, quæ gerebantur, ignorare aliquid viderentur; de Resurrectione a mortuis Domini, & Salvatoris nostri Jesu Christi, quæ jam in omnem locum fuerat pervulgata, Pilatus Tiberio Principi refert. Sed & de cæteris mirabilibus ejus, & ut, post mortem cum resurrexisset, a quamplurimis jam Deus esse crederetur. Tiberius, quæ compererat, retulit ad Senatum: Senatus autem sprevisse dicitur pro eo, quod non sibi prius hujus rei judicium fuerit delatum; sed authoritatem suam prævenit vulgi sententia. Lex enim erat antiquitus designata, ne quis apud Romanos Deus haberetur, nisi Senatus Decreto, atque sententia confirmatus. Porro autem pro vero hoc erat, quod gerebatur, ne Divina Virtus humanis putaretur assertionibus indigere. Cumque, secundum ea, quæ supra diximus, renuisset Senatus, Tiberius tamen tenuit sententiam suam, ut ne quid adversus Doctrinam Christi contrarium moliretur.*

5. Concordat Sanctus Joannes Chrysostomus *hom. 26. in epist. 2. ad Corinthios tom. 10. pag. 624.* ubi sic loquitur: *Romanorum Senatus . . . . hanc potestatem habebat ut Deos crearet atque conscriberet. Cum res omnes a Christo gestæ nuntiatæ sunt, Romam misit is, qui Judæorum Nationi præerat, sciscitans ex ipsis, num eum quoque Deum creare placeret. Id vere illi facere recusarunt, quod iniquo, atque infenso animo ferrent, ante Decretum suum, atque sententiam Crucifixi potentiam effulgentem universum Orbem ad sui Cultum attraxisse.*

6. Paulus Orosius *lib. 7. Histor. cap. 4. tom. 6. Biblioth. PP.* sic loquitur: *Postquam passus est Dominus Christus, atque a mortuis resurrexit, & discipulos suos ad prædicandum dimisit, Pilatus Præses Palæstinæ Provinciæ ad Tiberium Imperatorem, atque ad Senatum retulit de passione, & resurrectione Christi; consequentibusque virtutibus, quæ vel per ipsum palam factæ fuerant, vel per Discipulos ipsius in nomine ejus fiebant, & de eo, quod certatim, crescente plurimorum fide, Deus crederetur. Tiberius cum suffragio magni favoris retulit ad Senatum ut Christus Deus haberetur. Senatus indignatione motus, cur non sibi prius secundum morem delatum esset, ut de suscipiendo Cultu prius ipse decerneret, Consecrationem Christi recusavit, Edictoque constituit, exterminandos esse Urbe Christianos; præcipue cum & Sejanus Præfectus Tiberii Suscipiendæ Religioni obstinatissime contradiceret: Tiberius tamen edicto accusatoribus Christianorum mortem comminatus est.*

7. Sanctus Gregorius Turonensis *lib. 1. Histor. cap. 23.* factum narrat: *Pilatus autem gesta ad Tiberium Cæsarem mittit, & ei tam de Virtutibus Christi, quam de passione, vel resurrectione ejus insinuat. Quæ gesta apud nos hodie retinentur scripta. Tiberius autem hoc ad Senatum recensuit; quod Senatus cum ira respuit pro eo, quod non ad eum primitus advenisset.*

8. Nicephorus Callistus *lib. 2. Histor. cap. 8.* hæc habet: *Consuetudo autem inde a plurimis annis obtinuerat, ut, qui Præfecturas, ac Provincias sortiti essent, res novas, quæ sub eis accidissent, singulas summum Imperium habenti Cæsari significarent, ut illum nihil prorsus rerum lateret. Itaque de Resurrectione ex mortuis, aliisque prodigiis Jesu Christi Tiberio Cæsari scribens Pilatus, cum res ejus plerasque, tum quod ex mortuis redivivus, sibique ipsi superstes, Deus jam a multis, & quidem præcipuus, inter alios Deus esse crederetur, renuntiavit. Quam rem Tiberius ad Senatum Romanum retulit. Senatus autem non esse deliberandum de ea censuit, sub illo quidem prætextu, quod ille non prius, veteri more ipsius Senatus sententia in Deos esset relatus, re autem ipsa, quod Divinæ Doctrinæ disciplina humano prorsus non indigeret auxilio. Sed enim, etiamsi Senatus ad eum modum verbum de Servatore rejecisset, Cæsar tamen in sententia sua perstitit, salutarique prædicationi impedimento non fuit.*

9. Denique apud Lampridium in *Alex. Severo* c. 43. legitur, id ipsum fieri voluisse ab Imperatore Hadriano, & subinde ab ipso Alexandro Severo: *Christo Templum facere voluit, eumque inter Deos recipere; quod & Hadrianus cogitasse fertur, qui Templa in omnibus Civitatibus sine Simulacris jusserat fieri; quæ hodie idcirco, quia non habent Numina, dicuntur Hadriani, quæ ille ad hoc parasse dicebatur: sed prohibitus est ab iis, qui consulentes sacra, repererant, omnes Christianos futuros, si id optato evenisset, & Templa reliqua deserenda.* Fama quippe mirabilium a Christo Domino patratorum percrebuerat; nec ea a solis Christianis, sed etiam ab aliis Historicis non Christianis non sine laude fuerant exposita. Ut ceteros prætereamus, illustre est de Christo testimonium Josephi Hebræi *lib. 18. antiquitatum cap. 4.* Nec enim nos præclarum Josephi de Christo testimonium credimus, pio dolo a priscis Christianis historiæ Josephi assutum; siquidem ipsum ut genuinum exhibent Eusebius *in hist. Ecclesiastica*, Hieronymus *in lib. de script. Ecclesiast.* Isidorus Pelusiota *in epist.* Sozomenus, & Nicephorus, atque adeo ut genuinum vindicant Valesius *in notis ad Eusebium*, Huetius *in demonstratione Evangelica*, Tillemontius *not. 40. in ruinam Judæorum tom. 1. hist. Imperatorum.*

10. Hucusque adducta, ni fallimur, nedum ostendunt, quid esset Apotheosis apud Gentiles, sed & cujus fieret auctoritate. Heterodoxi recentiores, Catholicæ Religioni, & Apostolicæ Sedi infensissimi, superstitiosam prædictam Gentilium Apotheosim, seu Consecrationem pluribus prosequuntur, & audent asserere, Sanctorum nostrorum Canonizationem cum ea convenire, & ab ea suam originem desumpsisse; quemadmodum videri potest apud Rodulphum Hospinianum *in tract. de origine, progressu, cæremoniis, & ritibus Festorum c. 6.* & Joannem Albertum Fabricium *in bibliograph. antiq. c. 8. n. 24.* Sed toto cælo aberrant, cum nec nostrorum Canonizatio conveniat cum Apotheosi Gentilium, nec ab ea suam deducat originem.

11. Dictum est, nostrorum Canonizationem non convenire cum Apotheosi Gentilium: primo, quia heroica nostrorum factinora, & miracula eorum intercessione a Deo patrata, multorum testium de visu proprio, & de rebus potentiæ visivæ subjectis innituntur affirmationi, quorum etiam dicta serio perpenduntur & examinantur; in Apotheosi vero Gentilium res ut plurimum conficiebatur per testis assertionem referentis, se consecrandum vidisse ex igne redivivum cælum penetrare. Prima Apotheosis, quæ facta sit a Romanis, Romuli fuit. In honorem quippe Romuli sacrificia expleta sunt, uti bene observat Saubertus *de sacrificiis c. 5.* quidquid in contrarium opinatus sit Vossius *de idololat. lib. 1. cap. 12.* Et prædicta Apotheosis soli innixa est testimonio Julii Proculi, qui suggerentibus senibus illis, qui Romulum occiderant, quippe timebant, ne ipsorum facinus proderetur, affirmavit, seipsum vidisse splendidis vestibus indutum, ipsumque audivisse sibi imperantem, ut templum in sui honorem erigeretur, utpote inter Divos adscripti, & ut in posterum non Romulus, sed Quirinus appellaretur; uti referunt Minutius Felix *in Octavio*, Livius *l. 1.* Plutarchus *in vita Romuli*. Similia contigerunt in Apotheosi Octaviani Augusti: *Nec defuit vir Prætorius* (verba sunt Suetonii in ejus *vita c. 101.*) *qui se effigiem cremati euntem in cælum vidisse juravisset;* ideoque S. Justinus Martyr *in apol. cit. n. 21.* scribit: *Nam & morientes apud vos Imperatores semper immortalitati consecrandos judicatis, ac producitis, qui etiam juratus vidisse se crematum Cæsarem in cælum abeuntem dicat.* Eodem sæculo mortua Drusilla Caji Caligulæ soror consecrata est, atque ut ait Dio *l. 59. p. 648. Panthea vocata, & Divinis honoribus per omnes urbes culta.* Et Vossius quidem eam habitu Veneris cognomine Pantheæ consecratam putat, & Lipsio assentitur, qui eodem refert veterem inscriptionem, in qua *Venus cælestis Augusta* nominatur. Jam vero idem Dio asserit fuisse virum quemdam Senatorii ordinis, qui eam se vidisse in cælum ascendentem juravit; sic enim subdit: *Livius etiam quidam Geminius Senator, vidisse se eam in cælum ascendentem, ac cum Diis conversantem juravit, perniciem sibi liberisque, si vanum id asseruisset, imprecatus.* Id quoque indicat Seneca *in lusu de mort. Claud.* atque in aliis aliorum Augustorum Augustarumque consecrationibus contigit. Ut vero hoc mendacium animis fortius insideret, combusto Imperatoris corpore, & in cineres redacto, aquila dimittebatur, quæ animam Principis deferre in æthera dicebatur, teste Herodiano *l. 4. num. 3.* ubi post longam cæremoniarum descriptionem sic concludit. *Mox ab extremo, minimoque tabernaculo, tamquam a fastigio quodam simul cum subjecto igni, aqui-*

causæ Beatificationis & Canonizationis; posito quoque ex his, quæ alibi dicta sunt, non posse eosdem Beatificationis & Canonizationis honores indulgere, cum id sit summo Pontifici reservatum; in præsenti examinare opus est, an possint ipsi auctoritate sua ordinaria post confectum processum approbare revelationes ac miracula, eademque publicare eadem sua ordinaria auctoritate, sive sermo sit de Servis Dei necdum beatificatis, nec canonizatis, sive de Servis Dei jam beatificatis, sive demum de iisdem etiam in album Sanctorum relatis.

7. Porro multa sunt, quæ favere videntur huic ordinariæ jurisdictioni. In primis etenim Leo Papa X. *in sua Constit.* 22. *Bullar. nov. tom.* 3. *par.* 3. §. 7. decrevit, inspirationes, seu manifestationes factas peculiaribus personis non esse publicandas, aut populo prædicandas, nisi fuerint examinatæ a Sede Apostolica; quatenus autem periculum sit in mora, nisi præcedat approbatio Episcopi, ita cavit: *Volumus, ut lege ordinaria tales assertæ inspirationes, antequam publicentur, aut populo prædicentur, ex nunc Apostolicæ Sedis examini reservatæ intelligantur. Quod si sine moræ periculo id fieri non valevet, aut urgens necessitas aliud suaderet, tunc, eodem ordine servato, Ordinario loci notificentur; ut ille, adhibitis secum tribus, aut quatuor doctis & gravibus viris, hujusmodi negotio cum eis diligenter examinato, quando id expedire videbunt, super quo eorum conscientias oneramus, licentiam concedere possint.* Item, licet Innocentius III. in Concilio generali Lateranensi, de quo *in cap. Cum ex eo: de Reliq. & venerat. SS.* decreviffet, Reliquiis recens inventis publicam venerationem nequaquam deberi, nisi prius auctoritate Romani Pontificis fuerint approbatæ; sacrum nihilominus Tridentinum Concilium *sess.* 25. *de invocat. venerat. & Reliq. SS. & sacris Imaginibus* tum miraculorum, tum Reliquiarum examen ad Episcopum detulit modo, qui sequitur: *Nulla etiam admittenda esse nova miracula, nec novas Reliquias recipiendas, nisi eodem recognoscente & approbante Episcopo: qui simul atque de iis aliquid compertum habuerit, adhibitis in consilium Theologis & aliis piis viris ea faciat, quæ veritati & pietati consentanea judicaverit. Quod si aliquis dubius aut difficilis abusus sit extirpandus, vel omnino aliqua de iis rebus gravior quæstio incidat, Episcopus, antequam controversiam dirimat, Metropolitani & Comprovincialium Episcoporum in Concilio provinciali sententiam expectet; ita tamen, ut nihil, inconsulto sanctissimo Romano Pontifice, novum aut in Ecclesia hactenus insuetatum decernatur.* Consentit quoque textus *in can. ultim. de consecrat. dist.* 3. *& in cap. Conquestus, de feriis*, ubi colenda dicuntur festa, quæ singuli Episcopi in suis diœcesibus cum Clero & populo colenda esse decreverint. Accedunt denique exempla illustrium Episcoporum, qui sua auctoritate ordinaria in ipso rei eventu usi sunt. Anno quippe 1669. Episcopus Tullensis, prævio Theologorum consilio, & concurrente Medicorum judicio, sententiam tulit, in qua pronuntiavit, sanationem quamdam esse inter miracula recensendam, eam factam fuisse intercessione tunc Servi Dei, nunc B. Petri Fourerii, se eam uti prodigiosam approbare, ejusque typis impressionem & promulgationem permittere in tota civitate atque diœcesi; addita hortatione ad omnes Fideles, qua Deo supplicarent, ut summo Pontifici meritum Servi Dei patefaceret; veluti legitur in vita ejusdem Petri Fourerii Gallico idiomate scripta a Canonico Joanne Bedel, & formis excusa in civitate Tullensi anno 1674. Sanctæ quoque memoriæ Benedictus Papa XIII. antequam in Sanctorum album referret S. Aloysium Gonzagam, dum erat Archiepiscopus Beneventanus anno 1716. sua auctoritate ordinaria construi fecit processum omnibus numeris absolutum super prodigiosa sanatione, B. Aloysii intercessione, concessa Canonico Lizzæ; & processus confectionem secuta est sententia sequentibus verbis concepta: *Christi nomine repetito, pronunciamus, sententiamus, decernimus, & definitive declaramus, concludenter constare in casu, de quo agitur, prædictum infirmum Dei ope, & modo consuetam naturæ facultatem excedente, meritis & intercessione prælaudati B. Aloysii Gonzagæ sanatum fuisse: ac proinde, vere constare de miraculo, tertii tamen ordinis, & uti tale posse ab omnibus Christifidelibus publicari, ubique locorum prædicari, & typis dari posse & licere, decernimus, declaramus, & definitive sententiamus.* Nec alia desunt exempla similium sententiarum ab Episcopis auctoritate ordinaria latarum super miraculis a Deo patratis intercessione Sanctorum jam canonizatorum.

8. Sed, ne aliqua accidat ambiguitas, distinguendus esse videtur casus a casu, atque adeo separandus casus Servorum Dei non adhuc beatificatorum, aut canonizatorum a casu Beatorum, atque Sanctorum. Porro quoad casum Servorum Dei neque beatificatorum, neque canonizatorum dicendum est, posse quidem Ordinarios auctoritate sua ordinaria processum conficere super virtutibus & miraculis, uti supra visum est, at eosdem tamen non posse miracula & revelationes approbare, & eas populo proponere, vel publicare. Si etenim non possumus aliquem colere pro Sancto sine auctoritate Sedis Apostolicæ, etiamsi per eum miracula fierent, juxta citatum textum *in cap. Audivimus: de Reliq. & venerat. SS.* sequitur, non posse Episcopum approbare miracula, quæ patrata dicuntur intercessione alicujus Servi Dei, & ea publicare, ac populo proponere; quia statim ac id fieret, populus induceretur ad eum colendum sine Sedis Apostolicæ auctoritate, cum populus ipse sciat, miracula, quæ fuerunt approbata, esse signa sanctitatis. Insuper, si Urbanus Papa VIII. tum in suis decretis generalibus editis anno 1625. tum in Brevi eadem confirmante edito anno 1634. ne cultus præstaretur Dei Servis nec beatificatis, nec canonizatis, prohibuit, quominus libri typis imprimerentur, in quibus gesta eorum, miracula, & revelationes continentur, nisi præcedat recognitio & approbatio Ordinarii, post consilium ab eo adhibitum Theologorum aliorumque piorum atque doctorum virorum, & nisi negotium instructum ad Sedem Apostolicam mittatur, hujusque responsum expectetur; cum additione, quod ejusmodi libri, quamvis ab Ordinario revisi & post Sedis Apostolicæ responsum approbati, nihil magis probent, ratione habita ad Beatificationem & Canonizationem, quam sine tali approbatione de jure fecissent, non obstante quocumque longissimo temporis cursu, ut infra videbimus: ostendunt profecto hæc omnia, non posse potiori jure Ordinarios sua auctoritate ordinaria miracula horum Dei Servorum approbare, & ea publicare, ac populo proponere; veluti ad rem argumentatur Cardinalis de Lauræa *in 3 lib. sent. tom.* 4. *disput.* 20. *de miraculis art.* 26. *num.* 2233. *& seq.* & pergit Bordon. *de miraculis meditat.* 31. *num.* 80.

9. Uno verbo, non solum Sedes Apostolica cultum publicum prohibuit erga Dei Servos non beatificatos, neque canonizatos, verum etiam exclusa voluit ea omnia, quæ ad publicum ipsum cultum referri possunt, & quæ populum ad eum inducere valent, ante judicium a se proferendum. Quamobrem, præter adducta, videmus, tabellas votivas, & horum Servorum Dei Imagines non posse in ecclesiis retineri, nec eas pingi posse cum laureolis & diademate, juxta ea quæ in progressu exponentur. Cum autem Episcopale judicium super approbatione miraculi, & hujus promulgatio auctoritate ordinaria, populum inducere possit ad publicum cultum ante Sedis Apostolicæ judicium; propterea fit, ut, licet Ordinarius conficere possit processum super sanctitate, virtutibus, Martyrio, & miraculis, non possit tamen ferre judicium aut de Sanctitate, aut de virtutibus, aut de Martyrio, aut de miraculis ipsis, & multo minus suum judicium vel sententiam promulgare. Parum quippe urgeret qui diceret, ex approbatione signorum & miraculorum minime inferri publicum cultum, cum Alexander III. *in cit. cap. Audivimus* eum sine Sedis Apostolicæ auctoritate prohibuerit, etiamsi miracula fierent: quandoquidem vis non stat in eo argumento, quod non liceat sine Papæ auctoritate aliquem colere tanquam Sanctum, quamvis per eum miracula fierent; sed præcipuum momentum habetur in alio, id est quod fieri nequeant ea, quæ ante Sedis Apostolicæ judicium populum ad publicum cultum inducunt, aut inducere valent.

10. Neque, his positis, magis obstant cetera superius ponderata: quoniam allegata bulla Leonis X. loquitur de inspirationibus, ac manifestationibus, quæ fiunt personis adhuc viventibus, uti colligitur *ex cit.* §. 7. ubi: *Ceterum, si quibusdam eorum* (loquitur præcipue de Religiosis) *Dominus futura quædam in Dei Ecclesia inspiratione quapiam revelaverit, ut per Amos Prophetam ipse promittit, & Paulus Apostolus Prædicatorum princeps „ Spiritum (inquit) nolite extinguere, prophetias nolite spernere " hos aliorum fabulosorum & mendacium gregi connumerari, vel aliter impediri, minime volumus. Extinguitur namque ipsius gratia Spiritus, Ambrosio teste, si incipientibus loqui fervor contradictione sopitur, & tunc Spiritui Sancto injuria certe fieri dicitur.* Retento itaque hoc eodem themate, summus prædictus Pontifex modum præscribit, quo sunt examinandæ similes inspirationes & manifestationes, æque ac Innocentius III. *in cap. Cum ex injuncto: de Hæreticis*, loquendo de his, qui se invisibiliter missos a Deo prædicant, modum præfiu-

vit adhibendum, ut dignoſcatur, utrum miſſio ſit Divina, an humana; ſtatuens videlicet, ut, qui aſſerit ſe miſſum a Deo, inviſibilem hanc miſſionem probet ope miraculi, vel per ſpeciale Scripturæ teſtimonium. Igitur, ſi Bulla Leonina non loquitur de manifeſtationibus, quæ factæ ſunt Servis Dei defunctis, eadem nihil habet commune cum caſu, de quo nunc agimus: ut porro prætereamus, quod, etſi per impoſſibile Conſtitutio Leonis poſſet ad has etiam manifeſtationes extendi, ei ſemper derogatum dici deberet ex poſteriori Conſtitutione ſupra citata Urbani VIII. a qua reliqua quæcumque contraria de medio tolluntur.

11. Sequitur diſpoſitio ſacri Concilii Tridentini, cujus cum duæ ſint partes, altera Reliquias reſpicit, altera pertinet ad miracula. Quoad primam igitur, Concilium Lateranenſe prohibens venerationem Reliquiarum recens inventarum ſine ſummi Pontificis approbatione, venerationem utique prohibet Reliquiarum, quæ eſſent alicujus Servi Dei non beatificati, neque canonizati; ſed non prohibent ſine Sedis Apoſtolicæ auctoritate venerationem Reliquiarum Beatorum, atque Sanctorum, niſi in caſu, in quo magna dubitatio adeſſet de harum Reliquiarum identitate. Cum autem regula juris ſit, ut jurium correctio evitetur, quantum fieri poteſt; ex hoc infertur, quod, ſi Concilium Tridentinum dat Epiſcopis facultatem, prævio conſilio Theologorum, Reliquias approbandi, id numquam intelligi poteſt de Reliquiis Servorum Dei non beatificatorum, neque canonizatorum, ſed de Reliquiis tantum Beatorum atque Sanctorum: excepto caſu, in quo de identitate difficultates inſtarent, quæ dignæ eſſent judicio Concilii provincialis, aut ſummi Pontificis; uti ad rem bene ponderant *in cit. cap. Cum ex eo: de reliq. & venerat. SS.* Fagnan. *n.* 5. *& ſeq.* Gonzal. *ſub num.* 2. Pirhing *ad eundem titulum* §. 2. *num.* 10. *&* 11. Diana *in edit. coordinat. tom.* 3. *tract.* 3. *reſolut.* 91. *num.* 3. Quamobrem, ſi facultas data Epiſcopis a Tridentino minime extenditur ad Reliquias Servorum Dei non beatificatorum, neque canonizatorum, ſed eſt coercita intra Reliquias Beatorum, atque Sanctorum; nemo eſt qui non videat, eam præſenti quæſito neutiquam ſuffragari.

12. Quoad partem vero, quæ pertinet ad miracula, duplex eſt Scriptorum opinio: prima quod Concilium det Epiſcopis facultatem miracula approbandi non tam Canonizatorum, quam haud Canonizatorum propter univerſitatem verborum; juxta Fagnanum *loc. cit. num.* 7. *& ſeq.* Grananet. *in cap. Audivimus, num.* 5. *de Reliq. & venerat. SS.* Carraſcum *in leges Recopilat. regni Caſtellæ cap.* 5. *per totum*, Barboſam *de offic. & poteſt. Epiſcop. part.* 3. *allegat.* 97. *n.* 2. *& ſeq.* Pignatel. *conſult.* 37. *per tot. tom.* 5. qui omnes afferunt deliberationem Congregationis ſacri Concilii: altera, quod Concilium loquatur de approbatione miraculorum, quæ tantum fiant interceſſione Sanctorum jam canonizatorum, non autem & eorum, qui adhuc canonizati non ſunt; ne oblique lædatur jus privativum ſanctæ Sedis beatificandi atque canonizandi. Sic Scacchus *de not. & ſign. ſanct. ſect.* 8. *cap.* 1. *fol.* 579. Paſqualigo *ad Lauret. de Franch. in controv. inter Epiſcopos & Regulares num.* 1204. Azorius *inſtitut. moral. part.* 1. *lib.* 9. *cap.* 8. *quæſt.* 8. *per tot.* Sanchez *in præcept. Decalog. lib.* 2. *cap.* 43. *num.* 10. *tom.* 1. Contelor. *de Canonizat. SS. cap.* 5. *per tot.* Verum, ſejuncto Concilii textu a definitione, ſeu interprete ſacræ Congregationis decreto, textus ipſe Concilii minime favet aſſumptioni: loquitur namque de miraculis Sanctorum, qui tantum pie in Domino mortui ſunt, necdum vero a ſancta Sede beatificati, aut canonizati; ut Scacchus *loc. cit. pag.* 580. Definitio porro ſacræ Congregationis, quæ nequaquam conficta eſt, quemadmodum Scacchus ipſe eſt ſuſpicatus, ſed repetitur *in lib.* 134. *poſitionum pag.* 13. conſtat ſequentibus verbis: *Decreto Concilii ſect.* 25. *de invocat. venerat. & Reliq. SS. cavetur in hæc verba: Nulla etiam admittenda eſſe nova miracula, niſi eadem recognoſcente & approbante Epiſcopo; qui, ſimul atque de iis aliquid compertum habuerit, adhibitis in conſilium Theologis & aliis piis viris, ea faciat, quæ veritati & pietati conſentanea judicaverit. Quæritur, an hæc Concilii diſpoſitio, quæ videtur admodum univerſalis, intelligenda ſit de miraculis Sancti etiam non canonizati, an vero de miraculis Sanctorum canonizatorum dumtaxat. Die* 6. *Decembris* 1625. *ſacra Congregatio Concilii reſpondit, de omnibus eſſe intelligendam.* Quapropter, ſi diligenter attendantur verba tum quæſiti, tum reſponſionis, unuſquiſque facili negotio cognoſcere poterit, eamdem reſolutionem ſeu definitionem haud loqui de approbatione miraculorum, quæ facta ſint interceſſione Dei Servorum, qui adhuc non ſunt canonizati, neque beatificati, ſed de approbatione miraculorum ſolummodo, quæ a Deo facta ſint interceſſione aut Sanctorum canonizatorum, aut Beatorum non adhuc canonizatorum, qui juxta vulgarem loquendi modum Sancti non canonizati dicuntur; vel etiam de approbatione miraculorum, quæ factæ ſint interceſſione Sanctorum, qui non fuerunt a ſummis Pontificibus canonizati, adhibito Canonizationis ritu poſtmodum introducto, qui vulgari pariter loquendi modo Sancti non canonizati nuncupantur: atque adeo, ſi ipſa ſacræ Congregationis reſolutio non loquitur de approbatione miraculorum, quæ facta ſint a Deo interceſſione Dei Servorum nondum beatificatorum aut canonizatorum, qui nunquam dici poſſunt Sancti non canonizati, clarum eſt, nequaquam ex diſpoſitione ſacri Concilii Tridentini inferri poſſe, Epiſcopis auctoritate ſua ordinaria miracula approbare & publicare licere quæ facta ſint interceſſione Dei Servorum nec beatificatorum nec canonizatorum. Neque enim diſſimile judicium ferendum eſt ſuper *can. ult. de conſecr. diſt.* 3. & ſuper *cap. Conqueſtus: de feriis:* cum eorum Conſtitutio ſibi vindicet locum in feſtis tantum, quæ ab Epiſcopis indicuntur ad honorem Sanctorum jam canonizatorum, uti ponderat Gloſſa *in cap. unic. in verb. Sedis Apoſtolicæ: de Reliq. & venerat. SS. in* 6. & cumulatis concordantibus ſequitur Contelor. *de Canonizat. SS. cap.* 4. *num.* 15.

13. Hæc quoad Dei Servos non beatificatos, neque canonizatos. Quod ſi ſermo convertatur ad Canonizatos, vel Beatificatos, ſive verba ſint de Canonizatis juxta ritum antiquiorem, ſive juxta recentiorem, ſive de Beatificatis Beatificatione formali, ſive Beatificatione *æquipollenti*, non ſolum poſſunt Ordinarii ſua auctoritate ordinaria proceſſus conficere ſuper miraculis, ſed, adhibitis cautionibus a ſacro Concilio Tridentino præſcriptis, poſſunt etiam ipſa miracula approbare ac publicare; tum quia id eis non eſt a jure prohibitum, tum quia eiſdem favet ſacrum Tridentinum Concilium *loc. cit.* Præterquamquod, cum Beatorum cultus ſit a Sede Apoſtolica permiſſus, Sanctorum autem cultus ſit ab eadem præceptus, ceſſant pericula de cultu publico præſtando ante Sedis Apoſtolicæ judicium: veluti firmat Hurtado *de ver. Martyr. reſolut.* 43. §. 13. *num.* 1. late proſequitur Cardinalis de Lauræa *in lib.* 3. *ſent. t.* 4. *diſput.* 20. *art.* 26. *num.* 2227. *& ſeq.* & adhæret Matta *de Canoniz. SS. par.* 4. *cap.* 29. Pro complemento materiæ addendum tantummodo eſſe videtur, quod proceſſus, qui fieret auctoritate ordinaria ab Epiſcopo ſuper miracula Beatificati & non canonizati, prodeſſe utique poſſet, ut Deus in iſto gloria cumularetur, atque Chriſtifideles alacrius poſſent ad eum preces fundere in ſuis neceſſitatibus; minime vero conferret ad Canonizationem obtinendam; cum ex alibi dictis & infra latius exponendis proceſſus omnes, qui fiunt ab Ordinariis poſt appoſitionem manus ſanctæ Sedis, nullitatis vitio laborent: quod quidem optime fuit prænotatum a Poſtulatoribus cauſæ S. Aloyſii Gonzagæ, qui Canonizationis petitionem non miraculo approbato in proceſſu Beneventano, ſed aliis comprobatis in proceſſibus Apoſtolicis promoverunt.

CAPUT SECUNDUM.

De iis, qui veniunt appellatione Ordinariorum *quoad confectionem proceſſuum in materia Beatificationis & Canonizationis.*

1. POSTQUAM viſum fuit, Ordinarios habere facultatem conficiendi proceſſus, ſermonis ordo requirit, ut indicentur illi, qui hac in re veniunt appellatione *Ordinarii*. Cum autem Judex Ordinarius ſit, qui ex proprio munere, atque adeo jure ſuo juriſdictionem exercet, juxta textum *in l. more*, ibique Gloſſa *in verb. Suo jure ff. de juriſdict. Ordinar.* conſequens eſt in re, de qua nunc agimus, Ordinarios eſſe Epiſcopos in ſuis diœceſibus, ſecundum Gloſſam *in cap. Cauſa, in verb. Habentibus: de in integrum reſtitut.* Ordinarius vero non ſolum erit ille, in cujus diœceſi eſt corpus Canonizandi, ſed ille etiam, in cujus diœceſi miracula contigerunt, vel in qua homines degunt, qui ſuper ſanctitate & miraculis

UAB Biblioteca de Ciències Socials

lls sunt examinandi; veluti adnotarunt Ceparius *in cit. director. Canonizat. par.* 1. *cap.* 3. Contelor. *de Canoniz. SS. cap.* 4. *num.* 21. & Auditores Rotæ *in relatione S. Andreæ Corsini part.* 3. §. 1. *num.* 213. *typis impressa post primam consultationem Lezanæ.* Possunt autem Episcopi, etiamsi non fuerint consecrati, dummodo litteræ expeditæ fuerint Apostolicæ, juxta textum *in cap. Injunctæ: de elect. inter Extrav. comm.* possunt, inquam, ad prædictorum processuum constructionem devenire. In eo quippe statu facere profecto valent, quæ ad jurisdictionem pertinent, quamvis peragere nequeant, quæ Ordinis potestatem respiciunt, juxta textum *in cap. Transmissum: de elect.*

2. Si vero Sedes vacet Episcopalis, appellatione *Ordinarii* comprehenditur Capitulum Ecclesiæ cathedralis, sive Vicarius Capitularis. Cum enim, mortuo Episcopo, Capitulum Ecclesiæ cathedralis ipsius vicæ fungatur, eique succedat in omnibus, quæ sunt jurisdictionis ordinariæ, ut apud Fagnanum *in cap. His quæ, num.* 49. *de majorit. & obedient.* Dianam *oper. moral. tom.* 3. *in edit. coordin. tract.* 5. *resolut.* 2. Pellegrin. *in prax. Vicar. part.* 1. *sect.* 4. *subsect.* 1. *num.* 1. Barbos. *jur. Eccles. universi. lib.* 1. *cap.* 32. *num.* 61. Solorzan. *de jur. Indiar. lib.* 3. *cap.* 13. *num.* 1. *& seqq.* idque, loquendo tum de jurisdictione contentiosa, tum de voluntaria, ficuti probat textus *in cap. Unico: de majorit. & obed. in* 6. & præter Dianam *loc. cit. resolut.* 3. & Pellegrinum *loco pariter citato num.* 2. late prosequuntur Garz. *de benefic.* 5. *part. cap.* 7. *num.* 4. Genuens. *in prax. Cur. Archiep. Neapol. cap.* 87. *sub num.* 1. hinc fit, ut ad Capitulum, Sede vacante, vel ad Vicarium Capitularem, tanquam Ordinarium, pertineat facultas conficiendi processus de fama virtutum & miraculorum, necnon super non cultu, aut casu excepto Servorum Dei, de quorum Beatificatione & Canonizatione agendum est. Ita respondit Congregatio sacrorum rituum anno 1621. cujus decreti verba sunt ea, quæ sequuntur: *In causa Toletana Servæ Dei Joannæ a Cruce, cum processus fuerit fabricatus, Sede Episcopali vacante, videatur, an penes Capitulum resideat jurisdictio recipiendi hujusmodi probationes, Sede vacante, & Dominus Spada scribat pro veritate. Die* 8. *Maji* 1621. *referente Illustriss. Crescentio, processum fabricatum, Sede vacante, esse validum, & Capitulum succedere in jurisdictione necessaria, in voluntaria autem non ita de plano; cum tamen moderniores teneant, succedere etiam in voluntaria, propterea fuit conclusum, causam in tali statu esse, ut possit committi Auditoribus Rotæ juxta solitum, facto prius verbo cum Sanctissimo: & Sanctitas sua annuit, die* 20. *Julii* 1621. Quod decretum laudavit & approbavit bon. mem. Prosper Bottinius Myrensis Archiepiscopus & Fidei meritissimus Promotor in suis animadversionibus factis occasione introductionis causarum Servi Dei Francisci de Castillo, & Servi Dei Petri Claver Sacerdotum Soc. Jesu; idque etiam adnotavit P. Ceparius *lib.* 3. *cap.* 2. *vers. Et idem dicendum est.*

3. Vicarius quoque Apostolicus, qui a Sede mittitur Apostolica ad gubernandam aliquam diœcesim, sive Sede plena, sive vacante, ordinaria potitur jurisdictione; ita tamen, ut ab ejus sententiis non appelletur ad Papam, sed ad Metropolitanum, juxta ea, quæ plene probat Pellegrinus *in prax. Vicar. part.* 1. *sect.* 6. *num.* 4. Quocirca & hic in re, quam pertractamus, poterit processum conficere; prout similiter respondit sacra Congregatio in Bisinianen. Servi Dei Humilis de Bisiniano 25. *Septembris* 1688. *&* 24. *Martii* 1689.

4. Item veniunt *Ordinarii* nomine Præsules illi inferiores, qui, licet characterem non habeant Episcopalem, jurisdictionem tamen obtinent quasi Episcopalem, habentque territorium separatum cum exclusione cujuscumque Episcopi, ita ut in eo omnia peragant, quæ perageret Episcopus, exceptis his, quæ ad potestatem Ordinis spectant. Nam, etsi non admittatur hæc propositio a Contelorio *de Canonizat. SS. cap.* 4. *num.* 24. nihilominus eam puto verissimam; tum quia, si Præsules isti inferiores veniunt appellatione *Diœcesani* in materia etiam nova & præjudiciali, veluti ex Fagnano *in cap. Accedentibus, n.* 29. *de excessib. Prælat.* inque suo territorio separato omnes exercent actus jurisdictionis, nihil apparet, quod eos arcere possit a confectione processus, quæ, ut monuimus, non est actus Ordinis, sed jurisdictionis, quemadmodum ad rem docet Pasqualigus *in nos. ad Lauret. de Franch. de controvers. inter Episcopos, & Regulares num.* 1193. & sequitur Ceparius *in direct. Canonizat. lib.* 1. *cap.* 2. *vers. Eamdem autoritatem*: tum quia in sacra Congregatione non desunt exempla consimilium processuum. Signanter in causa supra memorata Servi Dei Patris Francisci a Præcetto Capuccini, cum P. Procuratori Generali Ordinis, juxta ea quæ in superioribus dicta sunt, mandatum fuisset, ut instaret coram Ordinario, processus subinde confectus fuit anno 1688. & sequenti a Vicario Generali Capituli Lateranensis, utpote quod in territorio Ferentilli plenam jurisdictionem habet spiritualem. Pariter in causa Marochitana tunc Servi Dei, nunc B. Jo. de Prado, re secundum juris solemnitatem discussa, approbata fuit validitas processus jam Marochii confecti a quodam P. Mathia Missionario, uti colligitur ex decreto edito die 5. Aprilis 1704. non nisi quia ostensum fuit a Postulatoribus, quod in bulla Joannis XXII. Fratr. Min. in quascumque mundi partes proficiscentibus pro exercitio Missionum concessus fuit usus jurisdictionis quasi Episcopalis in illis locis, ubi Catholici non aderant Episcopi. Similis quoque potestas data fuit a summo Pontifice Hadriano VI. Fratribus Ordin. Mendicantium, præsertim vero Ordinis Minorum Regularis Observantiæ; ut in locis videlicet Indiarum, in quibus nondum fuerant fundati Episcopatus, vel, si fundati fuerant, intra spatium tamen duarum diætarum nec Episcopi, nec horum Officiales in locis ipsis poterant reperiri, ut, inquam, possent dictorum Fratrum Præsules, vel alii Fratres, quibus id a suis Præsulibus commissum esset, jurisdictionem Episcopalem exercere, exceptis his, quæ Ordinem requirunt Episcopalem; quemadmodum legitur in ejusdem Pontificis bulla typis impressa apud Verricellum *de Mission. Apostol. tit.* 4. *pag.* 221.

5. Verum adversus prædictorum Præsulum inferiorum facultatem conficiendi in hac materia processus plura sunt, quæ urgent: idest, primo dispositio sacri Concilii Tridentini *sess.* 25. *in decreto de invocat. SS. sup. cit.* deinde constituta in epistola encyclica sacræ Congregationis pro conficiendis processibus, item quoddam decretum generale formis excusum inter decreta Urbani VIII. denique quædam deliberatio capta a sacra Congregatione in ipso rei eventu. Initio itaque ducto a Sacro Concilio Tridentino, quemadmodum ab eo decernitur, nemini licere insolitam ponere ullo in loco Imaginem, nisi ab Episcopo fuerit approbata; nec ulla etiam admittenda esse nova miracula, nisi eodem recognoscente & approbante Episcopo; ita ab hoc eodem Concilii textu inferri posse videtur, solis competere Episcopis jurisdictionem conficiendi processus, exclusis Præsulibus inferioribus, licet habentibus jurisdictionem quasi Episcopalem; sicuti, animadversa limitante illa particula *nisi*, ponderant Novar. *in summ. bullar. comment.* 115. *num.* 13. Ricc. *in prax. part.* 4. *resolut.* 290. Maceratens. *variar. resolut. lib.* 1. *resolut.* 112. *cas.* 42.

6. Quod tamen a prædicta Concilii sanctione excluſi dici nequeant Præsules inferiores habentes jurisdictionem quasi Episcopalem cum territorio separato, quandoquidem nulla limitans dictio excludit casus similes, & eandem rationem habentes, argumentatur Fagnanus *in cap. Accedentibus, num.* 43. *& seq. de excessib. Prælat.* Multo autem minus id dici potest, quia, etiamsi idem Concilium *sess.* 24. *cap.* 20. *de reformat.* decernat, ut causæ matrimoniales, & criminales non judicentur a Decanis, Archidiaconis, aut aliis inferioribus, sed ab Episcopis *tantum*; non obstante tamen limitante illa particula *tantum*, minime censentur excluſi a cognitione causarum criminalium, ac matrimonialium Præsules inferiores habentes territorium vere separatum, prout probat ipse Fagnanus *in eodem c. Accedentibus, n.* 37. *& seq. de excess. Prælator.* & Rota post Tamburinum *de jure Abbat. decis.* 39. *tom.* 3. *atque in nullius, seu Fuldens. jurisdict.* 27. *Aprilis* 1705. §. 21. coram bon. mem. Molines Decano. Id ipsum ergo censendum est quoad aliam dispositionem ejusdem Tridentini *sess.* 25. *de invocat. venerat. & Reliq. SS.* quamvis in hac reperiatur limitans alia particula *nisi*: potissimum vero, quia sacrum ipsum Concilium, quando ab aliquo actu voluit arcere hos Præsules inferiores, id significantius expressit, quemadmodum habetur *sess.* 25. *cap.* 3. *de reformat.* ubi, loquendo de anathematibus, quæ monitionibus præmissis, causa acquirendæ revelationis, ut ajunt, aut pro deperditis, aut pro subtractis rebus ferri solent, inquit: *A nemine prorsus, præterquam ab Episcopo, decernantur.* Quare sacra Congregatio Concilii Tridentini interpres bene definivit, jus ferendi hujusmodi anathema in territorio separato, in quo Præsul inferior plenam obtinet jurisdictionem, non ad eum, nec ad Episcopum pertinere, sed ad Sedem Apostolicam; uti responsum

fuit

fuit *in Lucens.* 22. *Januarii* 1598. *lib.* 9. *decretorum pag.* 50. *a tergo*, *& in nullius provinciæ Aprotinæ* 12. *Septemb.* 1609. *lib.* 11. *decretorum pag.* 65.

7. Sequuntur reliqua superius indicata: & quod quidem attinet ad encyclicam sacræ Congregationis epistolam pro conficiendis hisce processibus, licet ea inscripta sit Patriarchis, Archiepiscopis, & Episcopis, ut alibi videbimus; tamen minime consequitur, non posse Præsules inferiores antea memoratos conficere processus, de quibus agimus: tum quia epistola inscripta est iis, qui ut plurimum hosce processus conficiunt; tum quia eadem sacra Congregatio *in forma commissionis generalis* typis impressa inter decreta Urbani VIII. indefinite loquitur de processibus auctoritate ordinaria confectis, ubi ait: *Propterea, cum jam sint confecti processus auctoritate ordinaria super sanctitate vitæ, virtutibus, & miraculis &c.* tum etiam quia statim post epistolam encyclicam inscriptam Patriarchis, Archiepiscopis, & Episcopis ita subditur: *Declarando, per hujusmodi decreta & ordinationes non censeri Ordinariis aliquam novam facultatem concessam ultra eam, quæ de jure eis competit.* Quantum autem spectat ad generale enuntiatum decretum, quod infra referemus, quamvis in eo prohibeatur omnibus, & singulis personis Ecclesiasticis tum Sæcularibus, tum Regularibus, etiam S. Joannis Hierosolymitani, Societatis Jesu, necnon aliis quantumvis peculiari commemoratione dignis, quominus processum conficere queant in causa Canonizationis & Beatificationis; in cujus decreti sequelam ablatum dicitur a Præsulibus inferioribus habentibus territorium separatum jus construendi hos eosdem processus, veluti ponderat Cardinalis de Lauræa *in* 3. *sent. tom.* 4. *disput.* 20. *de miraculis art.* 26. *num.* 2243. id nihilominus nullum Præsulibus inferioribus præjudicium afferre dicendum est; cum generalis clausula non comprehendat nisi æquales expressis, & ideo extendi nequeat ad ipsos Præsules inferiores territorium separatum habentes. Etenim, quando in Lege, vel Canone sunt enumeratæ minores & inferiores personæ, nequeunt generali clausula, quæ subsequitur, comprehendi majores & superiores expressis ipsis, aut enumeratis; ut est apud Fagnanum *in cit. cap. Accedentibus*, *num.* 39. *de excess. Prælat.* Igitur sola superest sacræ Congregationis resolutio capta ipso in rei eventu, ea nempe quæ prodiit *in causa Pratens.* 3. *Decembris* 1616. cujus pariter ope contendunt nonnulli, decisum fuisse ab eadem sacra Congregatione, non posse sæpe memoratos Præsules inferiores ad horum processuum confectionem devenire. Barbosa in *collect. Apostol. decis. collect.* 473. Pac. Jordan. *tom.* 2. *lib.* 7. *tit.* 1. *num.* 160.

8. Verum neque resolutione ista probatur intentio. Disputabatur enim, ad quem pertineret confectio processus super comprobatione nonnullorum miraculorum cujusdam Imaginis Beatissimæ Virginis; hoc est utrum ad Præpositum Pratensem, sub cujus cura erat locus Imaginis, an ad Episcopum Pistoriensem, qui asserebat, sibi competere jurisdictionem in territorio Pratensi, an vero ad Archiepiscopum Florentinum, in cujus diœcesi situs erat locus, in quo Imago est inventa. Cum itaque magnæ tunc vigerent controversiæ circa jurisdictionem in territorio Pratensi, Episcopo scilicet Pistoriensi eam sibi vindicante, Præposito contra acriter sustinente, eamdem sibi competere, sicuti refertur a Fagnano *in cap. Cum ab Ecclesiarum*, *num.* 13. *& seq. de offic. Ordinar.* (quibus tandem finis impositus est anno 1553. erecta Pratensi Ecclesia in Cathedralem, eademque æque principaliter unita Pistoriensi, ut de sententia bullæ Innocentii Papæ X. apud Ughellium *Ital. sacr. tom.* 3. *col.* 326.) sacra autem Congregatio propterea responderit, confectionem processus spectare ad Archiepiscopum Florentinum, ne forte præjudicium aliquod ex diversa resolutione derivaretur in jus tum ab Episcopo Pistoriensi, tum a Præposito Pratensi in eodem Pratensi territorio sibi tributum; profecto ipsa hæc facti series plane ostendit, allegatam resolutionem minime obesse Præsulibus inferioribus vere habentibus territorium separatum, & jurisdictionem quasi Episcopalem in Clerum ac populum.

9. Hactenus de his, qui veniunt appellatione *Ordinarii*; nunc videndi alii, qui nomine eodem hac in re nequaquam comprehenduntur. Ordinarii namque pro horum confectione processuum erant etiam Vicarii Generales Episcoporum, loquendo de jure communi: quia Vicarius omnia potest, quæ spectant ad jurisdictionem illius, cujus vices gerit, unumque & idem constituit cum Episcopo tribunal; veluti ad rem pro jurisdictione Vicariorum argumentatur Contelorius *de Canonizat. SS. cap.* 24. *num.* 6. Cardinalis de Lauræa *in* 3. *lib. sent. tom.* 4. *disp.* 20. *ar.* 26. *n.* 2219. *& seqq.* Ceparius *in cit. director. Canonizat. part.* 1. *cap.* 3. & conferunt adducta *in relatione Auditorum Rotæ pro causa S. Raymundi de Pennafort part.* 1. *art.* 2. §. *Ideoque informationes, & in relatione S. Caroli Borromæi part.* 1. §. *Supradictis*: ita ut, me licet olim tanquam Fidei Promotore opponente adversus validitatem processus Montis Politiani facti anno 1622. in causa Servi Dei Roberti Cardinalis Bellarmini, quod non ab Episcopo, sed a Vicario Generali sine peculiari Episcopi delegatione fuerat constructus, definitum nihilominus fuerit die 3. Februarii 1714. pro ejus validitate. Verum, cum sacra Congregatio in epistola encyclica scripta Patriarchis, Archiepiscopis, & Episcopis die 12. Martii 1631. & typis impressa in decretis generalibus, mandaverit Episcopis, ut per semetipsos conficerent processus, & solum, legitimo occurrente impedimento, subrogare possent Vicarium, aut alium in dignitate Ecclesiastica constitutum (*Quod per te ipsum exequi, sacra Congregatio summopere exoptat: sed, si ob invaletudinem, sive ob legitimum aliud & grave impedimentum id conficere non valebis, super quo conscientiam tuam onerat eadem sacra Congregatio, poterit amplitudo tua delegare Vicarium Generalem, vel alium in dignitate Ecclesiastica constitutum*) sequitur, Vicariis hodie non licere, regulariter loquendo, tanquam Ordinariis, ad horum processuum constructionem devenire. Utrum autem processus aliter factus post editionem dictæ epistolæ nullitatis vitio laboret, necne, alias appositе tractabimus.

10. Appellatione quoque *Ordinarii* non amplius veniunt Nuntii Apostolici, etiamsi antiquitus confecerint & ipsi in hac materia processus jure suo, & citra peculiarem delegationem Apostolicam. Id enim fuit ipsis prohibitum in epistola sacræ Congregationis anni 1631. formis impressa in decretis generalibus; *Cum sacra rituum Congregatio, matura habita consideratione, judicaverit, si Pontificii per Europam Nuntii sese ingerant in excipiendis inquisitionibus de integritate vitæ, virtutibus, atque miraculis viri cujuspiam cum aliqua sanctitatis fama defuncti, facile futurum, ut progressione temporis, præsumpta palam opinione, videantur hujusmodi Acta tanquam habere pondus Apostolicæ auctoritatis: ideo sacra eadem Congregatio, re prius ad Sanctissimum relata, censuit Dominationi tuæ in memoriam revocandum, ne ullius omnino hominum rogatu, impulsuve ducatur in posterum, ut apud tuum tribunal, & ab aliis tua auctoritate suffulti de hujus generis rebus agi atque inquiri permittat; nisi eadem Congregatio per literas remissoriales & compulsoriales, aut quavis alia ratione, per te ipsum fieri debere, specialiter significet. Et, ne aliquis in tam gravi negotio subrepat abusus, jussit eadem Congregatio, Amplitudinem tuam hac epistola fieri certiorem de iis, quæ continentur in adjuncto decreto, ut curet, ab omnibus omnino observari. Sacræ igitur Congregationis sensum libenter sequetur Dominatio tua, quam interim Deus incolumem prosperamque conservet.*

11. Dictum est, olim a Nuntiis Apostolicis processus confectos fuisse in causis Beatificationis & Canonizationis: idque colligitur ex relationibus Rotæ Auditorum in causis SS. Ignatii, & Francisci Borgiæ, necnon in causa S. Isidori Agricolæ, ut habetur in ejus vita apud Bollandianos *ad diem* 15. *Maji tom.* 3. Nuntii videlicet in Hispania sine ulla particulari delegatione Apostolica fecerunt, aut fieri mandarunt primos in prædictis causis processus super sanctitate vitæ, virtutibus & miraculis enuntiatorum Sanctorum; innixi forte facultatibus, quas habebant, Legatorum de Latere, atque exemplo ejus, quod factum fuerat a Cardinali Jordano Ursino Apostolico Legato, cujus mandato constructus est processus in causa B. Wernheri a Judæis occisi, ut in ejus vita apud dictos Bollandianos *ad mensem Aprilis*. In hujus autem juris exercitio Nuntii ipsi Apostolici perseverarunt usque ad tempus editæ epistolæ, de qua supra: cujus tamen dispositio obstat processibus post eam conficiendis, non iis vero ante eam confectis. Idcirco, cum in causa Servi Dei Simonis de Roxas ageretur de validitate processus antea confecti auctoritate Cardinalis Julii Sacchetti in Hispania Nuntii, & ipse tunc fungens munere Fidei Promotoris assererem, eum esse nullum ex defectu jurisdictionis ad normam citatæ epistolæ encyclicæ, sacra Congregatio die 10. Septembr. 1718. respondit pro validitate.

12. Olim præterea processus conficiebantur a Religiosis in causis Servorum Dei, qui idem Regulare Institutum fuerant professi. Quamobrem non solum in vita S. Thomæ de Aquino apud Bollandianos legimus, delatum

fuisse

fuisse Joanni XXII. processum edocentem ejus virtutes ac miracula factum in civitate Neapolitana a Fratribus Guillelmo de Thoco, & Roberto Lectore Ordinis Prædicatorum, auctoritate F. Roberti de S. Valentino Ordinis Vicarii, & Definitorum Capituli provincialis in Conventu Galecanæ; verum etiam anno 1611. habemus in Actis Beatificationis tunc Beati, nunc Sancti Andreæ Avellini collectis a Caggiano *pag.* 21. demandatum fuisse a Præposito Generali Congregationis Clericorum Regularium cuidam P. Basilio Scorza Clerico Regulari, ut examini subjiceret testes Religiosos ejusdem Instituti, necnon processum conficeret super virtutibus, cum in processibus confectis ab Archiepiscopo Neapolitano actum esset tantum de miraculis: *Propterea jussu Illustrissimi Cardinalis Aquavivæ Archiepiscopi Neapolitani, ac aliorum Episcoporum integerrimo examine sunt gratiæ comprobatæ, ac miracula patefacta. Cumque non sit hactenus de ejusdem Andreæ vita & moribus testibus, ut par est, aliquid confirmatum; propterea nos ex nostrorum Patrum Consultorum scientia tibi præcipimus, ut, quamprimum licuerit, cures cum consilio & assistentia nostri Fratris Domini Thomæ Pellicionii, ut testes idonei ac fide digni, præstito prius juramento de veritate dicenda, interrogentur, si noverint de ejusdem Andreæ ardenti, dum vitam ageret, in Deum fide, de eniza erga proximum caritate, de arctiori vita ex Dei amore peracta, de insigni adversarum omnium tribulationum tolerantia, ac denique de singulis ejus virtutibus: his vero debita solemnitate confectis, originale clausum ac sigillo munitum ad nos transmittas. Cuncta igitur suo loco statuas, ut digesta per ordinem Sanctissimo valeamus offerre; & ipse, visis deinde ac consideratis omnibus, a Deo edoctus, quid super hoc sit exequendum discernat.* Et hoc modo processus confectus est, quemadmodum testatur ipse Caggianus. Dubitatum tamen tunc fuit, an Superiores Religiosorum Ordinum legitime devenirent ad constructionem horum processuum, quamquam ageretur de Servo Dei ejusdem Ordinis: in qua controversia, post relationem Rotæ Auditorum in causa S. Hyacinthi, Contelorius *in tract. de Canonizat. cap.* 4. *num.* 24. respondit, eosdem processus irritos esse. Cardinalis autem de Lauræa *in* 3. *sent. tom.* 4. *disp.* 20. *art.* 26. *de miraculis num.* 2226. ex sequenti decreto infert, non posse a prædictis Superioribus Religionum confici processus, cum in eo etiam prohibeatur collectio attestationum extrajudicialium. En verba ejusdem decreti typis impressi inter decreta generalia Urbani VIII. *Sacra rituum Congregatio, ut res hæc* (Beatificationis videlicet & Canonizationis) *plane amplissima atque gravissima vite sanctæque conficiatur, prohibet omnibus & singulis personis Ecclesiasticis tam Secularibus, quam Regularibus, etiam S. Jo: Hierosolymitani, Soc. Jesu, vel aliorum, quamvis speciali nota dignorum, ne audeant ipsi per se, vel per alios capere informationes super sanctitate & miraculis alicujus defuncti, neque ullo modo exquirere, aut obtinere ad hunc effectum extrajudiciales testificationes, sub pœnis arbitrio sacræ Congregationis. Quod si Superiori, Sacristæ, seu alteri Officiali illius ecclesiæ, in qua requiescit corpus ipsiusmet defuncti, vel alterius etiam ecclesiæ fuerint revelata aliqua miracula seu prophetiæ dona, possint ea recipere sub sigillo secreti ab ipsis tantum Relatoribus, in quorum gratiam contigisse narrabitur: teneantur tamen quamprimum commode poterunt, eadem deferre, vel obsignata transmittere Episcopo loci; cum expressa declaratione, quod revelationes sic, ut supra, receptæ non faciant aliquem probationis gradum, etiam cujusvis longissimi temporis cursu. Quod decretum cum fuerit ad notitiam SS. D. N. Urbani Papæ VIII. deductum, Sanctitas sua illud approbavit, ac imprimi & ubique publicari mandavit; hac die* 12. *Martii* 1631. Cohærenter ad hæc, dum fungebar munere Fidei Promotoris, actum fuit in sacrorum rituum Congregatione in causa Indiarum, seu Goana Servorum Dei Rodulphi Aquavivæ, & sociorum de validitate processuum. Validitas fuit approbata, uti desumitur ex decreto edito die 2. Aprilis 1718. excepto tamen examine testium, quod anno 1598. receptum fuerat auctoritate P. Provincialis Soc. Jesu.

13. Postremo Judices laici minime veniunt hac in re appellatione *Ordinarii*, cum spiritualibus causis nequeant laici se immiscere. Adversus hæc animadverti utique posset, fuisse a Leone IX. e Galliis redeunte relatum inter Sanctos B. Gerardum Tullensem Episcopum in Synodo Romana habita anno 1050. remque ipsam sic peractam fuisse, ut habetur in ejus litteris Apostolicis editis a Mabillonio *ad sæc.* v. *Bened. pag.* 895. *& tom.* 4. *annal. pag.* 739. *Sanctam Synodum interrogavimus, si deberet ut Sanctus venerari, & Sanctus deinceps nominari. Ad quod tam Archiepiscopi, quam Episcopi, tam Abbates, quam Clerici, ac laici, quorum utrorumque magna intererat multitudo, quasi uno ore clamaverunt, ipsum Dominum Gerardum virum esse Sanctum, a Deo inter Sanctos numerandum & venerandum &c. Decrevimus igitur, sic sancta annuente ac laudante Synodo, ut ex hoc Sanctus habeatur, & Sanctus colatur.* Item, in Canonizatione S. Bernardini Senensis auctoritate civitatis Senarum confectos fuisse processus super miraculis ejus intercessione patratis; quemadmodum legitur in ejus vita scripta ab ejusdem Contemporaneo, & edita a Surio *ad diem* 20. *Maji tom.* 3. Demum in Canonizatione etiam S. Francisci de Paula alios constructos fuisse processus a Judicibus laicis super nonnullis miraculis, necnon processus eosdem fuisse summis Pontificibus oblatos; ut habetur apud Surium, & apud Bollandianos *ad diem* 2. *Aprilis* in vita prædicti S. Francisci. Sed, utcumque hæc sint, juxta hodiernam certe disciplinam, si Episcopus committeret laico confectionem processus in causa Beatificationis & Canonizationis, hic esset nullus; veluti ex Cepario *in direct. Canoniz. lib.* 3. *cap.* 2. §. *Secundo, quia*; quare multo magis processus nullitate laboraret, si confectus esset a laico propria auctoritate. Profecto ante decreta Urbani VIII. in causa Harlemen. Martyrum Gorcomiensium dictum fuit die 27. Junii 1620. processus esse nullos, utpote factos a Judicibus laicis. Similiter post eadem Urbani VIII. decreta Alexander VII. in Congregatione generali sacrorum rituum coram se habita die 29. Novembris 1658. jussit, doceri Postulatorem causæ Vivarien. Jacobi Salesii, & Guillelmi Saltamochii e Soc. Jesu, quod testes examinati a Judice laico, vel turmatim examinati ab Episcopo non præstant post decreta prædicti Urbani sufficienter ansam pro *signatura commissionis* causæ Beatificationis & Canonizationis. In causa denique S. Joannis Francisci Regis, cum disputaretur de validitate processus, non confecti quidem a laico, sed a persona in dignitate Ecclesiastica constituta ex commissione Episcopi, cum adjuncto tamen ad normam epistolæ encyclicæ alibi referendæ; quia de ejusdem adjuncti Clericatu non constabat, noluit sacra Congregatio validitatem approbare, sicuti colligitur ex decreto edito die 23. Augusti 1704.

14. Nunc, cum exposuerimus, quinam sint, qui veniunt, quinam autem minime veniant *Ordinariorum* nomine, restat, ut videamus, quid præcedere debeat, antequam illi devenire possint ad confectionem processuum super fama virtutum & miraculorum alicujus Servi Dei pie in Domino defuncti. Etsi nullo negotio respondetur proposito quæsito: quandoquidem in epistola encyclica pro Patriarchis, Archiepiscopis, & Episcopis typis impressa inter decreta generalia Urbani VIII. dictum fuit, non debere Ordinarios statim initium dare processui Beatificationis & Canonizationis, ne temere inquisitio instituatur; sed expectandum, ut vigeat fama aut alicujus virtutis eminentis, aut alicujus miraculi patrati: *Quoniam nimia plerumque proclivitas atque celeritas occasionem errori præbet, non prius generaliter super vitæ sanctitate inquiri permittat, quam particulariter de alicujus virtutis eminentis gradu, aut peculiari miraculo præcedat famæ comprobatio, prout prudentiæ tuæ magis expedire videbitur.* Notandum igitur tantummodo, satis esse, ut prædicta constent Ordinario citra juris solemnitatem; si enim secundum hanc de illis constare deberet, necessarius esset processus ante processum.

CA-

UAB Biblioteca de Ciències Socials

CAPUT TERTIUM.

De antiquiori Sedis Apostolicæ consuetudine circa processus Ordinariorum.

1. LOQUI hic instituimus de temporibus proxime elapsis, postquam Sedes Apostolica causas Beatificationis & Canonizationis sibi reservavit; & hoc quidem sensu dicimus, nullum in jure Pontificio fieri verbum de processu ab Ordinario conficiendo, ut ab eo sancta Sedes moveatur ad committendam inquisitionem Apostolicam super virtutibus ac miraculis Canonizandi. Honorius quippe III. Episcopum, & Abbatem delegavit ad inquirendum in virtutes & miracula Mauritii Abbatis Cistercienſis Ordinis tantum post insinuationem illi de hujus virtutibus & miraculis factam ab Episcopo, & Capitulo Corosopitensi, Abbatibusque apud Cistercium in Capitulo generali congregatis; ut habetur ex ejus regesto apud Manriquez *ad an.* 1223. necnon *in cap. Venerabili, de testib. & attest.* Nulla quoque de eodem processu ab Ordinario conficiendo fit mentio apud eos, qui antiquioribus temporibus institutum, & ordinem causarum Canonizationis exposuerunt. Dicunt etenim, Sedem Apostolicam minime moveri ad inquirendum in virtutes & miracula cujusvis Dei Servi, nisi personæ authenticæ & honestæ factum Romano Pontifici denuntient, & sæpius supplicent pro Canonizatione. Sic legitur apud Cardinalem Ostiensem *in cap. Audivimus, n.* 2. *de Relig. & venerat. SS.* qui scripsit sæculo XIII. testimonium perhibente Pancirolo *de claris leg. Interpret. lib.* 3. *cap.* 14. Sic quoque in Cæremoniali in bibliotheca Vaticana existente, edito autem apud Raynaldum *ad an.* 1347. *n.* 34. quod monumentum pertinet ad sæculum XIV. teste bon. mem. Archiepiscopo Phœbeo olim Secretario Congregationis sacrorum rituum in sua dissertatione typis impressa post Acta Canonizationis SS. Petri de Alcantara, & Mariæ Magdalenæ de Pazzis collecta a Dominico Capello *pag.* 364. Ad idem sæculum spectant Ordo Romanus Jacobi Cardinalis Cajetani mortui sub Clemente VI. quem publici juris fecit Mabillonius *in* 2. *tom. musei Ital.* in quo pariter sic habetur *cap.* 115. *Audita per D. N. Papam fama alicujus Sancti, & ab aliquibus honestis & authentis personis eidem D. N. Papæ negotio denuntiato, ac supplicato eidem continuatis vicibus, ac pluries instanter pro Canonizatione hujusmodi Sancti facienda, D. N. Papa consuevit hoc proponere inter Fratres.* Concordat Ordo Canonizationis Sanctorum ex regesto Archiepiscopi Cantuariensis editus Sæculo XV. & formis excusus *in collect. Concil. Britan. tom.* 3. *pag.* 636. Initio denique sæculi XVI. Cæremoniale Romanum promulgatum est sub Leone X. ubi *sect.* 6. *cap.* 1. hæc extant: *Postquam, increbrescente fama de excellentia vitæ, opinione sanctitatis, & miraculorum coruscatione, summus Pontifex sæpe fuerit per Reges, Principes, seu populos certior factus, rogatusque, ut aliquem vita jam functum adscribendum in Sanctorum catalogo, & venerandum, ut Sanctum, decernat; re cum Fratribus mature tractata, si procedendum ad inquisitionem censuerit, committat aliquibus Prælatis in illis Partibus, ubi vitam duxit, & mortuus jacet ille, de quo agitur, ut se diligenter informent, & solerter inquirant de fama, opinione, & devotione populorum circa illum talem.* Quocirca Jo: Garzias de Caralaps *in tract. de Canoniz. SS. c.* 5. §. 17. *p.* 180. scripsit, quod temporibus proximis reservationi harum causarum sibi factæ a Sede Apostolica Episcopi reputarunt, se esse spoliatos jurisdictione, quam olim habebant, conficiendi processus super gestis Servorum Dei, atque adeo quod ad eorum constructionem non deveniebant, nisi tanquam summi Pontificis Delegati; ita ut mirum non sit, si antiquiores Canonizationes factæ fuerint a Romanis Pontificibus sine Ordinariorum processibus.

2. Quidquid autem sit de assertione Joannis Garzias de Caralaps, ut clarius constet de antiquiori ipsa Sedis Apostolicæ consuetudine, quærendum est, an nomine nuntiorum, certificationum, & supplicationum summo Pontifici factarum, antequam Apostolica Sedes ad inquisitionem committendam moveretur, comprehensi unquam esse potuerint processus facti ab Ordinariis super sanctitate vitæ, virtutibus, & miraculis ejus, pro cujus Canonizatione postulatio promovebatur. Quamvis ipse facile credam, Reges, Principes, & populos supplicationibus atque postulationibus monumenta addidisse sanctitatem & miracula comprobantia, vel in ilsdem supplicationibus ac petitionibus de his testimonia dedisse, necnon de fama, ac populi devotione, mihi tamen ipsi suadere non possum, supplicationibus atque postulationibus semper accessisse processum juridicum ab Ordinario confectum. Ad quod utique suadendum satis superque esset animadvertere, quod processus in genere, qui post dictas supplicationes ac petitiones a summo Pontifice demandabatur, non erat processus juridicus, cum fieret sine testium juridica examinatione, uti legitur in citato Cæremoniali Leonis V. & infra demonstrabitur. Percipi quippe non potest, quomodo processum juridicum ordinarium subsequeretur processus non juridicus Apostolicus. Sed, si alia nihilominus exquirantur pro ejusdem assumptionis comprobatione, ea profecto non erunt admodum desideranda.

3. Si enim manus admoveatur ad antiquiores Canonizationum bullas, ad eam videlicet Canonizationis B. Udalrici, quæ facta fuit a Joanne XV. ad eas B. Godeardi, ac B. Sturmii, quæ factæ fuerunt ab Innocentio II. ad eam B. Henrici I. factam ab Eugenio III. vel B. Othonis a Clemente III. vel B. Bernuvardi a Cælestino III. vel B. Geraldi ab eodem pariter Cælestino, sive B. Antonii a Gregorio IX. sive B. Richardi ab Urbano IV. sive denique ad eam B. Gedwigis factam a Clemente IV. unusquisque facili negotio cognoscere poterit, aut Canonizationes easdem factas fuisse ex documentis & probationibus, quæ juridicum processum minime constituebant, aut inquisitionem Apostolicam fuisse demandatam dependendo a supplicationibus atque postulationibus nullo Ordinarii processu vallatis. Porro, quamquam temporibus intermediis nonnulla appareant exhibitorum documentorum vestigia, antequam Sedes Apostolica mota fuerit ad inquirendum; quemadmodum desumitur ex bulla Canonizationis B. Vulstani sub Innocentio III. ubi exponitur, ad Apostolicam perveniſſe audientiam tanti viri merita & miracula, ipsum autem Pontificem mandasse, ut nonnulli Delegati diligenter veritatem inquirerent, *non per testimonia tantum*, prout forte factum fuerat ab his, qui pro Canonizatione supplicaverant, *sed per testes juratos, & scripturam authenticam*; item ex bulla Canonizationis B. Willelmi factæ ab Honorio III. ubi refertur, Archiepiscopum, & Capitulum Eboracense pluries pro eadem Canonizatione institisse, cum de Beati virtutibus & miraculis constaret *ex testimoniis multorum fide dignorum*, sed voluisse Pontificem Inquisitores destinare, ut testes exciperent, prout exceperunt, necnon eos diligenter examinarent, velut etiam effecerunt: hæc tamen & his similia, tantum abest, ut probent, processus ordinarios præcessisse, ut evincant potius, exhibita fuisse monumenta juridicum processum nequaquam constituentia.

4. Prima processus ordinarii mentio, quam reperire potuerimus, referenda videtur ad petitam Canonizationem S. Raymundi de Pennafort sub Nicolao Papa III. Cum enim Archiepiscopus Tarraconensis, & Suffraganei in Concilio provinciali Tarracone coacto anno 1279. id est quatuor annis elapsis ab obitu prædicti Sancti ejus virtutes & miracula Nicolao III. Romano Pontifici denuntiassent, & humiliter supplicassent, ut ad Canonizationem procedere dignaretur, quemadmodum habetur ex eorum epistola typis impressa apud Peniam *in vita & Actis prædicti Sancti lib.* 3. *cap.* 2. idemmet Penia *in observat.* 1. *ad dictum cap.* 2. non levibus inductus conjecturis existimat, supplicationibus Concilii provincialis additum fuisse processum, etsi processus nulla fiat mentio in litteris ad Pontificem datis: *Quamquam autem in his Episcoporum litteris non dicatur, aliquem tunc legitimæ probationis processum super miraculis Beati Raymundi ad Sanctissimum fuisse transmissum; verisimile tamen est, eos non aliter vel scripturos, vel Canonizationem fuisse postulaturos, quam super ea re confecto prius aliquo processu, unde Sanctissimus, an decernenda ulterior inquisitio, vel ad Canonizationem deveniendum foret, judicare potuisset. Huic conjecturæ non leve accedit argumentum, quoniam in Actis hujus causæ publicum Instrumentum productum fuerat a Jacobo quodam de Portu publico Notario exceptum, quinto kal. Februarii, anno* 1279. *actum; quo testificabatur ille, se, de speciali injunctione & mandato Arnaldi Episcopi Barcinonensis, attestationes multorum testium super miraculis, quæ Deus per sanctum*

ctum ſuum Rev. P. F. Raymundum de Pennafort mirabiliter operari dignabatur, recepiſſe. Quin & ipſum confirmat *lib. 3. cap. 3. in obſervat.* ubi poſtquam conſideravit, quod in litteris ſcriptis a decem Conventibus Ordinis Prædicatorum ad Bonifacium Papam VIII. afferebatur, Martinum Papam IV. tribus Cardinalibus commiſiſſe, ut expenderent probationem miraculorum, quia ſuper vitæ ſanctitate B. Raymundi nulla probatio videbatur requirenda, ſubdit: *Quamobrem non videtur amplius dubitandum de confectione proceſſuum ad Nicolaum III. tranſmiſſorum, licet hactenus non ſit alius proceſſus repertus, quam ille, quem fabricavit Jacobus de Portu, de quo ſupra dictum eſt*.

5. Porro ſub Joanne XXII. de proceſſibus confectis auctoritate ordinaria, antequam ab eo facta fuiſſet Apoſtolica delegatio, exempla non deſunt in cauſa Roberti Cantuarienſis Archiepiſcopi, in cauſa S. Thomæ de Aquino, in cauſa B. Claræ de Montefalco. Thomas Lancaſtriæ Comes Pontifici preces exhibuerat, ut Sanctorum albo inſcriberet Robertum Cantuarienſem Archiepiſcopum. Pontifex petitioni reſpondit modum deſcribens, quo cauſa rite erat introducenda apud Sedem Apoſtolicam, ut ex ejus litteris ad Comitem reſcriptis habetur apud Raynaldum *ad an.* 1318. *num.* 29. En verba: *Circa id, quod de Canonizatione ſan. mem. Roberti Cantuarienſis Archiepiſcopi ſupplicaſti, ſcire te volumus, quod Romana Mater Eccleſia non conſuevit, ſuper tanta cauſa præſertim, præcipitanter aliquid agere, quin potius tale negotium ſolemnis executionis indagine ponderare. Propter quod, ſi negotium ipſum credis promovendum, oportet, quod illud coram Fratribus noſtris in Conſiſtorio per ſolemnes perſonas ex parte Prælatorum, & Cleri, & populi Anglicani, vitam, merita, atque miracula ipſius Archiepiſcopi atteſtantium ſpecialiter deſtinatas ſolemniter proponatur. Supplicatione ſubjuncta, ut inquiſitio de hujuſmodi vita mirabili, miraculis ejus, & meritis glorioſis, perſonis idoneis committatur, ut juxta exitum inquiſitionis ipſius Canonizatio fieri debeat, vel omitti*. Mentio ibi fit *atteſtationum*, mentio *ſupplicationum*. Hoc ſecundum expreſſe pertinet ad preces. Illud primum plus quiddam continere videtur, quam preces, & ſic quamdam ſpeciem proceſſus ordinarii, ſub ipſum exordium cauſæ proponendum in Conſiſtorio. Unde cohærenter ad hæc, & ſignanter anno 1319. initium datum eſt auctoritate ordinaria, inſtante Capitulo Cantuarienſi per ejus Archiepiſcopum cuidam proceſſui, qui adhuc extat, ſuper aſſertis miraculis interceſſione Servi ſui Roberti a Deo patratis, in quo examinati fuerunt teſtes a Notario ſine interrogatoriis, confirmante ipſo Capitulo veritatem narratorum: *Reputamus veritate fulciri, cum hujuſmodi corporis paſſiones, membrorum deſtitutio, ac mortis indicia, de quibus ſupra fit mentio, nuſquam ſoleant ita ſubito curari per viam naturæ*; quemadmodum habetur *tom. 2. Concil. Britan. pag. 486. & ſeqq. & pag.* 491. In cauſa S. Thomæ, ut ſupra vidimus, confectus fuit proceſſus auctoritate Superiorum Religioſi Ordinis Dominicani: in cauſa autem B. Claræ conſtructus fuit auctoritate ordinaria proceſſus ab Epiſcopo Spoletino, teſte Jacobillo *in vita ejuſdem Beatæ inter vitas Sanctorum Umbriæ*; quod ipſum latius perſequitur Baptiſta Piergilius in alia vita B. Claræ ab ipſo ſcripta, & typis edita. Hic enim narrat *part. 3. cap. 16.* Berengarium Donadei Vicarium Generalem Epiſcopi Spoletini, prævio Conſilio Theologorum & Juriſconſultorum, necnon adſcitis Aſſeſſoribus, conſtruxiſſe proceſſum ſuper virtutibus & miraculis Beatæ anno 1309. tum *ſeq. cap.* refert, eumdem Berengarium anno 1315. petiiſſe civitatem Avenionenſem, atque in publico Conſiſtorio nedum nomine provinciæ Umbriæ ſupplicaſſe ſummo Pontifici pro inquiſitione decernenda, verum etiam contenta in proceſſu expoſuiſſe; hinc Papam commiſiſſe Napolioni Cardinali Urſino Legato Perufiæ & Spoletini Ducatus, ut ſecreto eadem exploraret: condito deinceps per Cardinalem ipſum Legatum juxta mandata novo proceſſu, eoque tradito memorato Berengario, hunc iterum anno 1316. Avenionem veniſſe; tum, facta a nonnullis Cardinalibus ad id electis novi ejuſdem proceſſus ſummo Pontifici relatione, deputatos fuiſſe Commiſſarios, qui publicum alium conſtruerent proceſſum; atque adeo, examinatis per eoſdem quadringentis & ſeptuaginta teſtibus, electos demum fuiſſe tres Cardinales, Epiſcopum videlicet, Presbyterum, & Diaconum, quorum opera, præſertim vero Cardinalis Urſini, poſtquam tertii hujus proceſſus ſummarium confectum eſt, id in Conſiſtorio relatum fuiſſe Pontifici, qui ſe favorabilem futuræ Canonizationi, quæ tamen adhuc peracta non eſt, verbis demonſtravit.

6. Ad hæc etiam, ut cetera prætereantur, ſub Eugenio Papa IV. facta eſt Canonizatio S. Nicolai de Tolentino, & initium datum eſt cauſæ Canonizationis S. Franciſcæ Romanæ. Cum autem in bulla Canonizationis S. Nicolai narretur, trecenta & unum miracula fuiſſe expoſita, ad eorumque comprobationem trecentos ſeptuaginta & unum teſtes fuiſſe examinatos; hi certe non potuerunt eſſe examinati auctoritate Apoſtolica, ſed auctoritate ordinaria. Facta quippe miraculorum & probationum expoſitione in Conſiſtorio, uti bulla proſequitur, mandata fuit inquiſitio per Apoſtolicam auctoritatem facienda, atque adeo tres Cardinales deſtinati fuerunt, qui præmiſſorum veritatem, necnon miraculorum continuationem inveſtigarent. In cauſa vero S. Franciſcæ Romanæ, quod confectus fuerit ſub eodem Eugenio proceſſus auctoritate ordinaria, id eſt auctoritate Epiſcopi Auximani, qui erat ejuſdem Eugenii Vicarius in Urbe & hujus territorio, legitur in relatione Auditorum Rotæ *part. 1. art. 1.* ubi enumeratis quatuor proceſſibus in ea cauſa factis, ſubditur: *Primus ſignatus A fuit confectus anno 1440. quo B. Serva Dei ab hac vita migravit a Sanctio Epiſcopo Bovenſi, & Fratre Ludovico Ord. Carthuſien. Priore Monaſterii S. Crucis in Jeruſalem de Urbe; quos ad recipiendum teſtes ſuper vita & miraculis B. Servæ Dei deputavit Andreas Epiſcopus Auximanus Eugenii Papæ IV. tunc in Urbe & ejus diſtrictu in ſpiritualibus Generalis Vicarius*. Sub Sixto denique IV. Joannes de Planis Epiſcopus Petragoricenſis Acta publica inſtrui curavit in cauſa Eliæ Vice-Comitum de Bourdeille, qui nobiliſſima ſtirpe natus Franciſcanis Inſtitutis nomen dederat, tum autem a Petragoricenſi Epiſcopatu ad Turonenſem Archiepiſcopatum translatus, & inter S. R. E. Cardinales ab eodem Sixto adſcitus, ſanctitatis & miraculorum fama celebris hac vita diſceſſerat, ut habetur apud Raynaldum *ad an.* 1483. *num.* 62.

7. Verum, quid eſſent hi proceſſus ab Ordinariis confecti, de quibus hucuſque locuti ſumus, quid etiam eſſe potuerint alii proceſſus eorum auctoritate ſubſequenter facti uſque ad ea tempora, quibus in Canonizationum cauſis Judices illi uti cœperunt una cum proceſſibus Apoſtolicis; atque adeo an tantum nomine differrent a teſtimoniis, quorum, ſicut antea novimus, meminerunt Innocentius III. in bulla Canonizationis B. Vulſtani, & Honorius III. in bulla Canonizationis B. Willelmi, in præſenti eſt inveſtigandum. Si noſtra, qualiſcumque eſt, ſententia requiratur, probabile apud nos eſt, proceſſus prædictos non habuiſſe niſi nomen proceſſus, conditionibus autem juridici proceſſus caruiſſe, & quod conſequitur, unum & idem fuiſſe cum teſtimoniis ab Innocentio, ac Honorio relatis. Proceſſus etenim conditus ab Epiſcopo Auximano in cauſa S. Franciſcæ Romanæ factus eſt ſine juridica teſtium examinatione, quippe teſtes in eo nihil depoſuerunt cum juramento, neque fuerunt ſingillatim & ſeparatim examinati. Quocirca Rotæ Auditores in citata relatione *part. 1. art. 2.* animadverſis modo dictis defectibus cenſuerunt, ejuſdem proceſſus nullam habendam fuiſſe rationem, ſeque eo, tanquam adminiculo, tantummodo uſos eſſe dixerunt. Quod efficit, ut magna cum probabilitate afferere poſſimus, proceſſus tunc temporis factos ab Ordinariis non habuiſſe niſi nomen proceſſus, ideoque proceſſus juridicos nequaquam fuiſſe: tum quia nimis veriſimile eſt, quod Epiſcopus Auximanus Papæ Vicarius proceſſum in cauſa S. Franciſcæ confecerit juxta morem tunc temporis receptum & aliorum inſtar, qui ab Ordinariis conficiebantur; tum quia Rotæ Auditores in memorata relatione *art. 2.* expreſſe dixerunt, ſimiles proceſſus fieri conſueviſſe ſine juridica teſtium examinatione: *Circa hunc primum proceſſum ſignatum A modicus fuit nobis labor ſuſcipiendus: nam, licet hic, tanquam fundamentum futuri ſtatus cauſæ, initium dederit aliis proceſſibus; tamen de eo, tamquam invalido, non fuiſſe habendam rationem cenſuimus, quia non habet ſolemnitates neceſſarias; cum ſit proceſſus informativus ad effectum inquiſitionis, qui juxta veterem & probabilem ritum Sedis Apoſtolicæ præcedit commiſſionem cauſæ, & fit ſine juridica teſtium examinatione*.

8. Fateri itaque cogimur, veros Ordinariorum proceſſus ad poſteriora tempora pertinere; ad ea videlicet, quando in cauſarum diſcuſſione tum Rotæ Auditores, tum ſacrorum rituum Congregatio eis uſi ſunt, non tanquam adminiculis, ſed tanquam probationibus una cum proceſſibus Apoſtolicis: quod profecto non præſtitiſſent, niſi iidem proceſſus confecti fuiſſent ad juris normam, & veras juridici proceſſus conditiones habuiſſent. Quis enim

unquam sibi suadere poterit, memoratos Rotæ Auditores, qui in relatione causæ S. Franciscæ processum ordinarium rejecerunt, ut irritum; qui in relatione causæ S. Andreæ Corsini nullum dixerunt esse processum factum anno 1602. ab Episcopo Fesulano, utpote factum postquam summi Pontifices Paulus II. & Sixtus IV. manum ad eamdem causam apposuerunt; qui in relatione causæ S. Andreæ Avellini processibus Apostolicis tantum usi sunt, cum in eis contineretur satis probationum; qui simili tandem modo se gesserunt in relatione causæ S. Thomæ de Villanova, atque in relatione causæ S. Catharinæ de Ricciis, quemadmodum ex earumdem relationum lectione desumitur; uti deinde potuisse una cum testibus Apostolicis etiam testibus examinatis auctoritate ordinaria in causis SS. Francisci Borgiæ, Ignatii, Francisci Xaverii, Isidori Agricolæ, Paschalis de Baylon, Caroli Borromæi, & Joannis de Deo, SS. Mariæ Magdalenæ de Pazzis, atque Teresiæ, Servorum Dei Juliani a Sancto Augustino, Hieronymi Æmiliani, & Joannæ de Cruce, sicuti pariter ex relationum lectione deprehenditur; nisi causarum harum processus servatis servandis, confecti fuissent ab Ordinariis: eo vel magis cum iidem Auditores in citatis relationibus processuum ipsorum validitatem ut plurimum adstruant, antequam testibus in iis examinatis utantur tum occasione discussionis virtutum, tum occasione discussionis miraculorum?

9. Idcirco, omnia in unum redigendo, concludendum esse videtur, antiquioribus temporibus, proximis videlicet harum causarum reservationi sibi factæ a Sede Apostolica, nullos in causis Canonizationum adhibitos fuisse processus juridicos ab Ordinariis confectos; sed horum processuum juridicorum confectionem esse referendam ad tempora posteriora, quibus ipsæ Canonizationum causæ ad normam veri & quodammodo contentiosi judicii redactæ sunt. Quamvis enim videamus opponi posse, aliquas Canonizationes fuisse peractas ex processibus tantum Ordinariorum; quod nequaquam factum esse, nisi hi veri processus fuissent, responderi nihilominus potest, adducta in hac sectione ad prima Canonizationis tempora minime pertinere, sed ad posteriora, postquam scilicet Sedes Apostolica causas easdem sibi reservavit; quibus posterioribus temporibus difficile erit casum reperire, ubi Canonizationes factæ fuerint ex solis Ordinariorum processibus. Quatenus autem exemplum aliquod suppeteret, quod *nobis certe notum non est*, & fortasse omnino deest, id regulam minime destrueret, sed esset potius ipsius regulæ limitatio ex ejusdem solutione proveniens: nemini siquidem dubium esse debet, quin possit, ut infra patebit, summus Pontifex ad Canonizationem procedere ex solis Ordinariorum processibus.

CAPUT QUARTUM.

De viribus processuum, qui fiunt ab Ordinariis.

1. MATERIA capitis præsentis non potest exponi, nisi facta casuum distinctione: nam de ea quidem agitur a Doctoribus, veruntamen cum aliqua confusione; dum plerique eorum scripserunt ante editionem decretorum Urbani VIII. & sine cognitione consuetudinis Congregationis sacrorum rituum. Quamobrem, ut aliqua cum claritate incedamus, videndum est primo, an processus Ordinariorum satis sint ad comprobandam obedientiam decretis Urbani VIII. sive super non cultu, sive super casu excepto; deinde, an sufficiant ad probandas virtutes, Martyrium, & miracula Beatificandorum; & postremo, an etiam ad comprobanda Canonizandorum miracula.

2. Ducto itaque initio ab obedientia decretis Urbani VIII. si Ordinarii sua auctoritate ordinaria conficere queunt processus vel super non cultu, vel super casu ab Urbani VIII. decretis excepto; & si Sedes Apostolica Judices non constituit delegatos pro eorumdem processuum constructione, nisi, cum ipsi Ordinarii, condito processu super fama, virtutibus, Martyrio, ac miraculis, abstinuerunt a confectione memorati processus super obedientia decretis Urbani VIII. clarum est consequens, tum non cultum, tum casum exceptum probari posse ex solis Ordinariorum processibus secundum juris solemnitatem confectis.

3. Transeundo postea ad virtutes, Martyrium, atque miracula, & retento themate alibi indicato; id est quod aliquæ Canonizationum causæ procedunt per viam non cultus, aliæ autem per viam casus excepti; item, quod in causis primi generis Beatificatio formalis debet Canonizationem præcedere, secus in aliis secundi generis; demum, quod in causis primi generis, ut procedatur ad Canonizationem, miracula superveniisse debent post formalem Beatificationem, in causis autem secundi generis superveniisse debent ab indulta veneratione: ex eo, inquam, themate nemo est qui continuo non videat, nullo modo posse ex processibus Ordinariorum pro impetranda Canonizatione illa probari miracula, quæ in causis procedentibus per viam non cultus post formalem Beatificationem debent superveniisse. Nam, si ex alibi dictis, necnon ex alias dicendis nequeunt Ordinarii ullo modo se immiscere Canonizationum causis post appositionem manus sanctæ Sedis; & de appositione manus sanctæ Sedis post Beatificationem non est dubitandum, cum manus appositio deprehendatur ex *signatura commissionis*, ut infra videbimus; ideo infertur, miracula, quæ post Beatificationem supervenerunt, & quorum ope Canonizatio petenda est in causis procedentibus per viam non cultus, neutiquam probari posse ex Ordinariorum processibus, sed esse solis processibus Apostolicis comprobanda. Itaque in hoc rerum statu quæstio redigitur ad probationem virtutum, Martyrii, & miraculorum in Beatificandis Beatificatione formali, & in quorum causis proceditur per viam non cultus, necnon ad virtutes, Martyrium, atque miracula, quorum probatio necessaria est in causis procedentibus per viam casus excepti, ut ad Canonizationem fiat progressus.

4. Ut autem res magis perspicua evadat exemplo, ponamus, Ordinarium primo suo processu, quem conficit in causa Confessoris procedente per viam non cultus, probationes juridicas excepisse nedum super fama, verum etiam super virtutibus heroicis atque miraculis, iisque non tantum in genere, sed & in specie: ponamus, eumdem in causa Martyris similiter procedente per viam non cultus in suo primo processu nedum probationem excepisse super fama Martyrii, verum etiam super Martyrio ac ejus causa; neque solum super signis ac miraculis in genere, sed & super ipsis in individuo: nunc quæritur de viribus & efficacia horum processuum quoad probationem virtutum & miraculorum pro Beatificatione obtinenda. Statuamus item, Ordinarium in causis Confessoris, sive Martyris procedentibus per viam casus excepti primo suo processu probationes excepisse non modo super fama virtutum, & Martyrii, ejusque causa, sed etiam super Martyrio, & virtutibus in specie, & præterea super miraculis confectis post indultam venerationem; id enim efficere potest in causis procedentibus per viam casus excepti, quod minime potest in aliis causis procedentibus per viam non cultus: quæritur de viribus hujus processus in Canonizationis gratiam.

5. Dictum est, Ordinario licere in causis procedentibus per viam casus excepti conficere processum etiam super miraculis, quæ supervenerunt ab indulta veneratione, quod ei minime licet in causis procedentibus per viam non cultus: in causis quippe procedentibus per viam non cultus nequit Ordinarius conficere processum super miraculis, quæ ab indulta veneratione supervenerunt, nisi processum conficiat post appositionem manus sanctæ Sedis, quod de jure facere nequit. Secus vero se habet res, sive, ut melius loquamur, se potest habere in causis procedentibus per viam casus excepti. Contingere enim potest, ut alicui Servo Dei cultus a Sede Apostolica concessus sit ex probationibus extrajudicialibus, aut ex aliquo Ordinarii processu; contingere item potest, ut post completum centenarium cultus annum miracula aliqua secuta sint intercessione Dei Servi; & in his circumstantiis nemo est qui prohibere possit Ordinario, ne primo suo processu, præter virtutes seu Martyrium, probationes etiam excipiat super miraculis, quæ supervenerunt; cum non dicatur, Sedes Apostolica manum ad causam apposuisse, nisi per *signaturam commissionis*; & nulla profecto in expositis casibus *commissionis signatura* habita fuerit.

6. Sed, ut eo redeamus, unde digressi sumus, de statuta quæstione circa vires processuum, qui ab Ordinariis con-

conficiuntur ſuper virtutibus, Martyrio, ac miraculis in Beatificationis gratiam in cauſis procedentibus per viam non cultus, necnon ſuper virtutibus, Martyrio, ac miraculis in Canonizationis gratiam in cauſis procedentibus per viam caſus excepti, non una eſt Scriptorum opinio. Prima eſt Fortunati Scacchi *in tract. de not. & ſign. ſanctit. ſect. 11. cap.* 4. ubi docet, ex proceſſibus Ordinariorum oriri ſanctitatis indicium, nec Sedem Apoſtolicam moveri, niſi Ordinarii proceſſus præcedat; at concludit, proceſſus Ordinariorum minime ſufficere ad probandas virtutes atque miracula, ſed totam vim eſſe conſtituendam in proceſſibus Apoſtolicis: *Immo non alias movetur Sedes Apoſtolica, niſi prius ab Ordinariis locorum proceſſus prædicti fabricati fuerint .... Ergo ex proceſſibus fumus ſanctitatis exurgit: fumus, inquam, non autem argumenta certa ſanctitatis .... Reſtat igitur, ut omnino valida argumenta ex ſolis proceſſibus remiſſorialibus ſumantur, qui de Actibus & miraculis alicujus Dei Servi Sedis Apoſtolicæ auctoritate fabricati omnino validi reperti fuerint, atque in nullis ſubſtantialibus deficientes.* Senſus videlicet hujus Auctoris eſt, teſtes Ordinariorum proceſſibus exceptos ſane prodeſſe ad introducendam Beatificationis & Canonizationis cauſam; ſed, introducta cauſa, eos ad nihilum, ſaltem loco probationis, valere, vix autem ad quidquam loco adminiculi, quando, ſignata *commiſſione*, procedendum eſt ad ulteriora, hoc eſt ad examen virtutum, Martyrii, atque miraculorum. Verum hæc opinio nullo modo admittenda eſſe videtur: nam primo, ſi, non obſtante harum cauſarum Sedi Apoſtolicæ reſervatione, poſſunt Ordinarii conficere proceſſus, nec enim juriſdictione iſta privati unquam fuerunt; percipi nequit, quomodo proceſſus ab iis confecti non conferant niſi ad cauſam introducendam, & quomodo probationes ab iiſdem legitime, & ſervatis ſervandis exceptæ ſuper virtutibus, Martyrio, ac miraculis pro neglectis habendæ ſint, vel tantum in adminiculorum claſſe ſint reponendæ; cum de jure Acta coram legitimo Judice profint cuilibet cauſæ, licet ad ſuperiorem deinde Judicem deferatur, ut infra demonſtrabitur.

7. Secundo, ſi vera eſſet aſſertio Scacchi, impoſſibilis quodammodo redderetur perfecta & concludens probatio virtutum ac miraculorum in cauſis procedentibus per viam non cultus, atque miraculorum in cauſis procedentibus per viam caſus excepti. Ponatur namque, aliquem Dei Servum mori cum fama ſanctitatis & miraculorum: jam non debet Ordinarius ſtatim moveri ad inquirendum, ſed expectare debet, ut videat, utrum fama eadem evaneſcat, an incrementum capiat. Conficiendus eſt ſubſequenter ab eo neceſſario proceſſus ſuper fama, virtutibus, Martyrio, ac miraculis; necnon, ſi ei libet, conficere poteſt proceſſum ſuper non cultu. Proceſſus deinde iſti ad Sedem Apoſtolicam ſunt mittendi: tum, niſi eodem ſolutum ſit, opus eſt, ut decennium elabatur a die traditionis proceſſuum Actis ſacræ Congregationis, antequam fieri poſſit verbum de cauſa introducenda. Decennio elapſo, ſupervenire debent aliæ Epiſcoporum litteræ de percrebeſcente fama ſanctitatis, virtutum, & miraculorum. Si proceſſus ſint extero idiomate exarati, debet fieri eorum interpretatio: ſi Dei Servus opera conſcripſerit, eadem ſunt perquirenda, exhibenda, & a ſacra Congregatione approbanda: ſemper vero fieri debet proceſſuum exemplar authenticum a Notario ſacræ Congregationis, idemque eſt Fidei Subpromotori tradendum, ut ſuas faciat adnotationes. Componendæ ad hæc ſunt a Fidei Promotore animadverſiones, eædemque ſunt cum Poſtulatoribus communicandæ, qui ſuas parare debent reſponſiones. Paratis reſponſionibus, expectandum eſt, ut Cardinalis Relator inſtare poſſit ſacræ Congregationi pro *ſignatura commiſſionis*: quo facto, atque adeo favorabiliter conſtituto, poſt ſummi Pontificis confirmationem, proponenda inſuper eſt petitio, ut expediantur *litteræ remiſſoriales* in genere, niſi eis ſolutum ſit, quod tamen non ſit, niſi in cauſis Martyrum. Completo a Delegatis proceſſu in genere, fieri debent de eo omnia, quæ dicta ſunt de proceſſu Ordinarii, atque adeo in propoſitione dubii ſuper fama ſanctitatis in genere explenda ſunt omnia, quæ dicta fuerunt de propoſitione cauſæ ſuper ea introducenda, ſive ſuper *ſignatura commiſſionis*: & tandem petendæ ſunt *litteræ remiſſoriales* pro proceſſu in ſpecie. Convenire itaque debent Epiſcopi delegati, & dandum eſt initium proceſſui: in quo vix repeti poſſunt aliqui ex teſtibus jam examinatis in proceſſu ordinario, quandoquidem reliqui, experientia id comprobante, mortui eſſe ſoleant tempore initii proceſſus ipſius Apoſtolici in ſpecie; adeo ut Poſtulatores in hoc novo proceſſu perquirere teneantur novos teſtes oculatos, qui ita facile reperiri non poſſunt, necnon alios teſtes ex audito ab his, qui viderant. Cum autem probatio virtutum, Martyrii, & miraculorum in cauſis procedentibus per viam non cultus deſumenda ſit a teſtibus ut plurimum oculatis, ſi oculati illi jam legitime excepti auctoritate ordinaria, ſignata *commiſſione*, pro neglectis habendi ſint, continuo ſequitur, impoſſibilem reddi probationem virtutum atque miraculorum in eiſdemmet cauſis; & id ipſum, proportione ſervata, dicendum eſt quoad miracula in cauſis procedentibus per viam caſus excepti; quia, licet in his, utpote antiquis, virtutes probentur per teſtes auritos, miracula nihilominus oculatorum ope probantur.

8. Tertio, cum teſtes examinati auctoritate ordinaria de more ut plurimum compellantur in proceſſum Apoſtolicum, & cum proponitur dubium de validitate proceſſuum, examinentur etiam proceſſus auctoritate ordinaria confecti; hæc omnia eſſent inutilia, ſi poſt ſignatam *commiſſionem* nulli eſſe poſſent uſui proceſſus auctoritate ordinaria confecti, vel ſi teſtes in eis examinati ad ſolam adminiculorum vim eſſent redigendi: purum quippe adminiculum deſumi valet etiam ex teſtibus nulliter examinatis, ut adnotarunt Rotæ Auditores in cauſa S. Franciſcæ Romanæ; ubi, poſtquam firmarunt, proceſſum auctoritate ordinaria confectum nullitate laborare, ideoque nihil conducere ad probationem aſſequendam, addiderunt, ſe eodem nihilominus uſos tanquam adminiculo: *Diximus tamen, hunc proceſſum poſſe deſervire pro adminiculo veritatis.*

9. Quarto, ac poſtremo Auctores, qui conſuetudinem ſacræ Congregationis haud ignorarunt, prædictæ opinioni adverſantur. Ceparius enim *in directorio lib. 1. cap. 3.* hæc habet: *Dubium hic oriri poteſt, an virtutes, ſanctitas, & miracula, quæ probata legitime reperiuntur in proceſſibus factis auctoritate Ordinariorum, poſſint deſervire, & debeant admitti ad effectum Canonizationis, an vero tantum deſerviant ad dandum fumum ſanctitatis: & reſpondetur, ſine dubio poſſe deſervire pro ipſa Canonizatione; quod probatur uſu & praxi.* Cardinalis de Lauræa *in 3. ſent. t. 4. diſput. 20. art. 26. num. 2224.* ſimiliter ait: *Epiſcoporum enim proceſſibus vel Apoſtolica auctoritate compulſatis, vel ex ejuſdem diſpenſatione admiſſis abſque compulſatione Beatorum & Canonizatorum cauſæ diſcutiuntur.* Sequiturque etiam potiori rationi Pignatellus *conſult. 27. tom. 5.* cui late adhæret Matthæucius *in pract. Theologico-Canonica ad cauſas Beatificat. tit. 1. cap. 2. per tot.*

10. Altera opinio eſt Petri Franciſci de Rubeis olim egregii Fidei Promotoris, qui *in diſcurſu edito pro veritate in cauſa Cæſarauguſtana Martyrii B. Petri de Arbues*, exorta controverſia, an poſſent approbari ſigna ac miracula ex ſolis proceſſibus Ordinarii validis, atque in Apoſtolicum proceſſum compulſis, inquit: *Ego vero, licet in Canonizatione Confeſſorum ne lato quidem ungue recederem a ſtilo Sedis Apoſtolicæ haud ſtandi probatis in proceſſibus confectis auctoritate ordinaria, niſi eadem ſint plene juſtificata in proceſſibus Apoſtolica auctoritate poſtea conſtructis, ſequendo dictum Trotti Malvetii, idemque omnino ſervarem in Canonizatione Martyrum quoad probationem Martyrii & cauſæ illius, ex mente Auguſtini de Triumphis; non tamen adeo ſevere procederem in probatione miraculorum, quæ in Martyribus requiruntur pro majori dilucidatione veritatis, non autem pro cauſa formali & motiva Canonizationis. Et in hoc caſu tantum, ſecus autem ſuper probatione Martyrii & cauſæ illius, verificabilis eſt opinio dicentium, quod ſuper ſignis valeant admitti proceſſus peracti & probationes exceptæ auctoritate ordinaria, quæ illa plenè concludant.* Cum autem ſententia hæc Petri Franciſci de Rubeis duplicem habeat partem, quarum prima cauſas reſpicit Confeſſorum quoad virtutes ac miracula, cauſas Martyrum quoad Martyrium & cauſam Martyrii, altera vero ſigna reſpicit ac miracula in cauſis Martyrum; de illa poſtea tractabimus, nunc de iſta. Itaque, quod ad hanc attinet, quoniam ex Apoſtolicæ Sedis conſuetudine exæquatæ ſunt Cauſæ Martyrum cauſis Confeſſorum in argumento miraculorum, quæ in utriſque requiruntur, conceptu difficile eſt, quomodo ſolis Ordinariorum proceſſibus probari poſſint miracula in cauſis Martyrum, probari autem ſimiliter non poſſint in cauſis Confeſſorum. Sententia igitur ipſa quoad hanc poſtremam partem minime eſt admittenda, nec eſt ullo pacto uſu recepta. In cauſa quippe Canonizationis, ſeu declarationis Martyrii tunc Beati, nunc Sancti Joannis Nepomuceni cum ageretur de ſignis ſeu miraculis, & ſignanter de linguæ integritate; ipſe vero tunc ſungeas munere Fidei

Promotoris oppoſuiſſem, integritatem prædictam nequaquam eſſe probatam, cum probatio deſumeretur ex teſtibus auctoritate ordinaria examinatis anno 1719. de more autem Sedis Apoſtolicæ deſumenda ſit vel ex proceſſibus Apoſtolicis tantum, vel ad ſummum ex Ordinariis & Apoſtolicis, teſtibuſque in utroque proceſſu concordantibus: providi Poſtulatores neutiquam auſi ſunt aſſerere, in cauſis Martyrum ſigna & miracula probari tantum poſſe ex proceſſibus ordinariis; utpote qui ſcirent, id non eſſe in ſacram Congregationem admittendum; ſed dixerunt atque evicerunt, miraculum inniti non ſolum probationibus exceptis proceſſu ordinario, verum etiam eis exceptis Apoſtolico. En verba ipſorum: *Miraculi hujus præſtantiam Reverendiſſimus Promotor enervare contendens objicit primo loco, neceſſariam probationem deficere, eo quia, prout ſupponit ipſe, incorruptionis certitudo innitatur tantum teſtibus auctoritate ordinaria examinatis; quando, juxta Sedis Apoſtolicæ ſtilum, in cauſis Canonizationum probationes non ſufficiunt, quas proceſſus ordinarius ſubminiſtrat, ſed una ſimul hæ requiruntur, quæ in proceſſus Apoſtolici conſtructione fuerunt comparatæ. Verum his facile datur reſponſio: ſiquidem veritatem memorati ſtili non inficiamur, cum, data unione probationum, quæ ex utroque proceſſu, ordinario nimirum & Apoſtolico, reſultat, certitudo illa confletur, cui Sedes Apoſtolica innixa in Canonizationis negotio procedere ſolet; ſed e converſo vim objectionis elidimus, eo quod, ſi ad calculum revocentur probationes, quæ tam ſuper primo, quam ſuper ſecundo miraculo, quorum utrumque B. Joannis linguam reſpicit, compilatæ fuerunt, plane conſtabit, miraculum incorruptionis ex utroque proceſſu, Apoſtolico non minus, quam ordinario, deſumi.*

11. Alia demum opinio eſt eorum, qui dicunt, non eſſe quidem procedendum ad approbationem virtutum, Martyrii, & miraculorum ex ſolis proceſſibus auctoritate ordinaria confectis; at hos ipſos proceſſus valere non ſolum ad *ſignaturam commiſſionis*, verum etiam ad cauſæ progreſſum, & ſignanter in reſolutione dubiorum modo relatorum, dummodo addatur ipſis proceſſus Apoſtolicus, probationeſque hoc exceptæ cum eis congruant in illo receptis, ita ut ex proceſſibus omnibus ſimul junctis ad Beatificationem & Canonizationem procedatur. Ita ſenrit Caſtellinus *in tract. de certit. glor. SS. pag.* 89. ubi hæc habet: *Proceſſus formati auctoritate ordinaria Epiſcoporum eorum locorum, in quorum diœceſibus ſunt recondita corpora ſive Reliquiæ Canonizandorum, ſive fiunt miracula a Deo ob eorum interceſſionem & merita, niſi teſtes alibi reperiantur, poterunt abſque dubio deſervire pro negotio Canonizationis; non tamen ipſi ſoli, ſed, ſi illis addatur proceſſus Apoſtolica auctoritate fabricatus: Quoties enim proceſſus Ordinarii concors fuit probationibus reſultantibus ex ſecundo proceſſu, tunc ex illo & iſto ſimul conjunctis poteſt procedi ad Canonizationem.* Sic etiam ſenſerunt Rotæ Auditores in relatione cauſæ S. Caroli Borromæi §. *Quia Mediolanenſes*, ubi, poſtquam docuerunt, poſſe Ordinarios conficere proceſſus, ſubdiderunt, cum iis ſolis non procedi ad Canonizationem, ſed alios Apoſtolicos proceſſus eſſe conficiendos; *ex quibus* (hoc eſt proceſſibus tum ordinariis, tum Apoſtolicis) *poſtea, ſi cauſa videatur bene inſtructa, devenitur ad Canonizationem Sanctorum:* in relatione S. Andreæ Corſini apud Lezanam *conſult. 1. num. 212. tom. 4. oper.* ubi; *Nos in hoc articulo ſequimur mediam opinionem, quam in effectu poſtremo loco ſecuti ſunt Majores noſtri in relatione ſuper Canonizatione S. Caroli in verſiculo, Quia Mediolanenſes; quod ſcilicet probationes factæ coram Ordinariis non rejiciantur, ſed cum illis ſolis non fiat Canonizatio, ſed addatur proceſſus Apoſtolica auctoritate fabricatus, qui ſi correſpondeat probatis coram Ordinario, ex omnibus ſimul conjunctis proceditur ad Canonizationem:* in relatione cauſæ S. Iſidori *miraculo tertio poſt obitum*, ubi: *Non reperitur interdictum Ordinariis, quod poſſint informationes ſuper vita & miraculis recipere, qui dicuntur proceſſus informativi; & teſtibus ſic examinatis maxime defertur, præſertim cum aliis remiſſorialibus:* & in relatione cauſæ S. Pii V. *part. 1. ſub §. Alterum vero*, ubi pariter: *Exploratum eſt, probationes factas coram Ordinario circa Canonizationem non eſſe omnino rejiciendas, ſed cum proceſſu auctoritate Apoſtolica conjungendas, & ex his ſimul junctis, quando correſpondent proceſſui Apoſtolico, ad Canonizationem procedi.* Eamdem ſententiam Proſper Bottinius Archiepiſcopus Myrenſis & meritiſſimus olim Fidei Promotor amplexus eſt non ſolum in ſuis animadverſionibus, quas pro munere ſuo in hiſce cauſis exaravit, verum etiam in diſcurſu edito pro veritate ad directionem ſimilium cauſarum, occaſione cauſæ Canonizationis tunc Beati, nunc Sancti Franciſci Solani. Relatis quippe hinc & illinc opinionibus, ita concludit: *Ceterum nec una, nec altera opinio rigoroſe tenenda eſt, ſed media, quod ſcilicet probationes factæ coram Ordinariis non rejiciantur, ſed cum illis ſolis non fiat Canonizatio, ſed addatur proceſſus Apoſtolica auctoritate fabricatus; qui ſi correſpondeat probatis coram Ordinario, ex omnibus ſimul junctis procedi poteſt ad Canonizationem.* Et hæc ultima ſententia tot gravium virorum, necnon in Sedis Apoſtolicæ inſtitutis maximopere verſatorum auctoritate ſulta retinenda eſſe videtur.

CAPUT QUINTUM.

De congruentia inter proceſſum ordinarium, & Apoſtolicum.

1. POSTQUAM viſum eſt, proceſſus factos ab Ordinariis, in quibus contineantur probationes virtutum, aut Martyrii, & miraculorum pro formali Beatificatione obtinenda in cauſis procedentibus per viam non cultus, ſimileſque proceſſus ab Ordinariis confectos, in quibus habeantur probationes virtutum, Martyrii, & miraculorum pro obtinenda Canonizatione in cauſis procedentibus per viam caſus excepti ad conſtituendum probationis genus eſſe admittendos, eorumdemque vim non eſſe redigendam ad vim puri adminiculi, dummodo tamen probationes ipſorum proceſſuum congruant cum probationibus deſumendis ex proceſſu Apoſtolico ſubinde conficiendo, ita ut ex utriuſque cenſus proceſſibus ſimul junctis vel ad formalem Beatificationem, vel ad Canonizationem progreſſus fiat; reſtat, ut videamus & explicemus eam convenientiam atque concordiam, quæ inter utriuſque rationis proceſſus debet intercedere.

2. Petrus Franciſcus de Rubeis *loc. cit.* minime rejicit proceſſus auctoritate ordinaria confectos; veruntamen vult, quod probata in proceſſu ordinario plene rata fiant in Apoſtolico; & in hoc reponit concordiam & conſonantiam inter utrumque proceſſum. Pater Ceparius vero *in direct. Canonizat. lib. 1. cap. 3.* dicit, convenientiam atque concordiam nequaquam debere in hoc conſiſterę, quod plene probata in proceſſu ordinario ſint comprobanda in Apoſtolico; ſed in eo, quod probatis in proceſſu ordinario virtutibus, probatiſque miraculis, probetur in Apoſtolico continuatio famæ ſanctitatis, miraculorum, & populi devotionis: *Tunc autem concordare & reſpondere dicendi ſunt, quando probatur per proceſſus auctoritate Apoſtolica factos continuata fama ſanctitatis, & devotio populi, & frequentia ſepulchri, ſi hoc habetur, & fama miraculorum, vel aliquæ virtutes, ſeu miracula in ſpecie & individuo, ſi fieri poteſt: non autem quod, quæ in individuo de ſanctitate & miraculis probata reperiuntur in proceſſibus ordinariis, eadem probari debeant in proceſſibus Apoſtolicis; quia hoc eſſet deſtruere Canonizationes, & eas, ne ſequantur, impedire &c. quia fieri poteſt, ut tractetur de canonizando aliquo Servo Dei, qui vixerit ante centum, vel ducentos annos, ſicut nunc tractatur de ſanctiſſimo ac nobiliſſimo viro B. Laurentio Juſtiniano I. Veneto Patriarcha, qui obiit ann. D. 1455. Si igitur nunc proceſſus Pontificii deberent ita concordare cum proceſſibus ordinariis, qui tunc fuiſſent formati, ut, quæ tunc fuerunt per teſtes de viſu & certa ſcientia depoſita, eadem omnino in iſtis proceſſibus Pontificiis probarentur, id fieri nullo modo poſſet, cum jam a multis annis mortui ſint, qui eo tempore vixerunt; atque ita impediretur, ne ſequi poſſet tanti viri nobilitate & ſanctitate clariſſimi Canonizatio &c. Si ſolummodo requireretur, ut etiam in proceſſu Apoſtolica auctoritate confecto aliqua miracula in ſpecie probarentur, rigida tamen ac dura ſententia videretur; cum videamus, Deum ad invotionem aliquorum Sanctorum per aliquod temporis ſpatium ingentia miracula operatum eſſe, ac deinde ceſſaſſe.* Matthæuccius denique *in practica Theologico-Canonica ad cauſas Beatificat. & Canonizat. tit. 1. c. 2.* poſtquam docuit, conjungendos eſſe proceſſus ordinarios, & Apoſtolicos, atque ex ambobus inſimul concordantibus, & quidem regulariter in ratione cœqualis probationis, pro-

progressum fieri ad Beatificationem & Canonizationem, subjungit, sufficientem concordiam adesse, si, mortuis testibus occulatis examinatis in processu ordinario, alii testes auriti examinentur in processu Apostolico, qui consentiant cum testibus ipsis oculatis examinatis in ordinario.

3. Sententia autem Petri Franciſci de Rubeis, qui congruentiam constituit in plena per Apostolicum processum comprobatione eorum, quæ in ordinario probata fuerunt, quia proinde non tribuit processui ipsi ordinario, nisi vim puri adminiculi, ideo ex superius adductis nullo pacto admittenda videtur. Sententiam autem P. Ceparii suo valido non careret fundamento, si de ea esset agendum ad normam juris communis: de jure quippe communi attestationes in aliquod judicium receptæ fidem etiam faciunt in eadem causa, & inter easdem personas coram alio Judice, ut apud textum *in cap. Causam*, 1. *de testib. & attest.* ubi: *Susceptis attestationibus utriusque partis, quæ ab aliis Judicibus sunt receptæ*. Propterea tradunt Doctores, quod Acta causam instruentia, seu spectantia ad merita litis probationem constituunt in alio Judicio inter easdem personas; veluti habet Glossa *in l. Cum antea, v. Judicis C. de receptis arbitris*, & late prosequuntur *in allegat. cap. Causam* Gonzalez *n.* 5. Barbosa *num.* 2. *&* 3. Layman *num.* 4. *de testib. & attest.* confirmatque Piringh *ad lib.* 2. *Decretal. de probationibus* §. 2. *num.* 68. dummodo tamen Acta prioris judicii valida omnino sint. Unde doctrina Butrigarii *in l. Ab hostibus* §. *Quod simpliciter ff. Ex quibus causis majores* 25. *annis in integrum restituantur*, dicentis plenam probationem factam in compendiario judicio sufficere etiam in judicio pleno, sic explicatur, ut recte cedat, quando facta fuit plena probatio quoad modum procedendi, quoad substantiam probationis, atque ad modum examinandi; juxta declarationem Butrii *in cap. causam quæ, 1. n. 7. vers. Quod credo*, ibique Aretin. *num.* 29. & Felin. *num.* 6. *de testib.* cum aliis *in decis.* 35. *num.* 3. *par.* 1. *diverſ. & in decis.* 335. *num.* 14. coram Ludovisio. Ex quibus antecedentibus bene inferri posset, probationes & miracula plene probata in processu ordinario non egere nova probatione in Apostolico; & idcirco satis esse, ut in processu ipso Apostolico probetur continuatio famæ sanctitatis, miraculorum, ac devotionis populi. Sed, cum in re præsenti Sedes Apostolica præter processum ordinarium, suum etiam processum exposcat, atque adeo in hoc repetendi sint testes examinati in ordinario, si adhuc vivant, sive commode repeti possint, & a Postulatoribus exhibeantur articuli, qui habent pro argumento easdem virtutes, idem Martyrium, eamdem Martyrii causam, eademque ipsa miracula, quæ in ordinario processu probata fuerunt, necnon etiam nova miracula, si nova post processum ordinarium supervenerint, & novos quoque virtutum actus, si recens de iis notitia accesserit; hæc omnia profecto palam faciunt congruentiam processuum explicatam a P. Cepario, ut consistentem in probatione continuationis famæ sanctitatis, miraculorum, & populi devotionis, nullo modo posse subsistere.

4. Neque enim attendenda est absurditas, quam objicit, de impossibilitate Canonizationes faciendi in causis antiquis. In istis quippe, cum virtutes probatæ sunt testibus oculatis in processibus ordinariis, probari postea possunt & confirmari in processibus Apostolicis per testes tantum auritos, deque publica voce ac fama, sicuti suo loco videbimus; quin immo in causis procedentibus per viam casus excepti, ut fuit illa S. Laurentii Justiniani allegata a P. Cepario, in argumento virtutum ex alibi dicendis admittuntur æque in processum ordinarium atque in Apostolicum testes auriti tantum, & de publica voce ac fama. Loquendo autem de novis miraculis, quæ dicit non esse expectanda, cum aliquando Deus per aliquod temporis spatium dignetur miracula patrare intercessione nonnullorum Servorum suorum, postmodum vero a miraculorum patratione desistat, animadversio ipsius P. Ceparii nimis probat, nova miracula non esse necessaria, quæ ab indulta veneratione superveniant, ut ad Canonizationem transitus fiat. Hæc tamen dicta censeri volumus citra ullam tanti viri injuriam, quæ in eum cadere non potest, utpote cum scripserit ante editionem decretorum, quibus statuta lex est de novis miraculis, quæ intercedere debent inter Beatificationem & Canonizationem. Siquidem ergo solus supereſt concordiæ & inter utrumque processum congruentiæ modus a Matthæuccio expositus, hic utique videtur admittendus; veruntamen cum sequentibus explicationibus atque limitationibus.

5. Harum prima est, quod, si quid, sive quantum ad virtutes, sive quantum ad Martyrium, sive quoad miracula, vel non est ullo modo probatum, vel non est plene probatum in processu ordinario, plene autem comprobatum est in Apostolico, id ad causam sufficere debebit: tum autem ordinarius ipse processus in casu imperfectæ probationis inserviet pro adminiculo ratione habita ejus, quod est plene probatum in Apostolico: intra quos terminos procedunt exempla supra relata causarum SS. Thomæ de Villanova, & Andreæ Avellini, necnon S. Catharinæ de Ricciis.

6. Secunda est, quod, si aliquod miraculum solummodo probatum est testibus auctoritate ordinaria examinatis, & ideo nulla adest ejusdem miraculi probatio in processu Apostolico, nequit in hac facti specie ut vera exhiberi congruentia inter utrumque processum: quamobrem miraculum probatum in processu tantum ordinario prodesse nequaquam poterit ad Beatificationem, aut Canonizationem obtinendam. Hinc, quidquid sit de secundo & tertio miraculo, quorum fit mentio in relatione Rotæ Auditorum exarata in causa S. Raymundi *part.* 2. *art.* 10. item de quarto miraculo, cujus *in art.* 2. pariterque de primis tribus miraculis, quorum in relatione causæ S. Andreæ Corsini *part.* 1. §. 3. quæ probata dicuntur ex solis processibus ordinariis, teste P. Cepario *lib.* 1. *cap.* 3. (hæc etenim & similia exempla ad rem facere minus videntur, vel quia sunt anteriora decretis Urbani VIII. post quæ ridigior mos est introductus, vel quia, cum in allegatis causis plura alia ex processibus Apostolicis fuerint approbata miracula, siquidem duo de jure sufficiunt ad Canonizationem obtinendam, tuto asseri nequit, quod Canonizatio obtenta fuerit ex miraculis per solum processum ordinarium comprobatis) in causa certe tunc Beati, nunc Sancti Felicis a Cantalicio, quæ proposita fuit anno 1675. & idcirco post Urbani VIII. decreta, cum ageretur de miraculo liquoris e Beati corpore manantis, nulla capta fuit deliberatio, eo quia testes id deponentes fuerant ordinaria tantum auctoritate examinati. Id ipsum autem sibi vindicat locum etiam quoad miraculum vel signum in causa Martyris, juxta ea, quæ in superioribus dicta sunt, atque adeo extendendum quoque videtur ad Martyrium & causam Martyrii, cum agatur de unico actu, hoc est de morte pro Fide susceptа. Verum, quod attinet ad virtutes, si aliqui actus heroici, ex. gr. Fidei, aut Charitatis, essent plene probati in processu ordinario, etsi de eis nullum fieret verbum in Apostolico, dummodo tamen in processu Apostolico plene essent comprobati alii actus earumdem virtutum, ex probationis ordine non videntur actus primi generis excludendi. Et hoc pacto intelligenda est assertio P. Ceparii *lib.* 1. *cap.* 3. ubi ait, nonnullas virtutes fuisse probatas ex processibus ordinariis in causis SS. Didaci, & Franciſci Xaverii: quod sane pluries admissum observavi, cum causa muneris mei intereram Congregationi sacrorum rituum. Ratio vero est, quia, cum in dubio virtutum quæstio sit non de actibus, sed de habitibus, qui ex pluribus atque continuatis actibus innotescunt, id efficit, ut, probato habitu ex actibus vel in solo processu Apostolico, vel in utroque processu relatis, non rejiciatur ulterior habitus probatio proveniens ex actibus in solo processu ordinario enuntiatis: hæc enim actus probatio redigitur, severe loquendo, ad vim adminiculi, habita ratione habitus, de quo disputatur.

7. Tertia id respicit, quod, cum res adhuc est integra, curare debent Postulatores, sive loquamur de virtutibus, sive de Martyrio, sive de miraculis, ne desint in processu Apostolico testes oculati de iis deponentes. Nam, si, confecto processu ordinario, in quo testes oculati testimonium tulerunt, timeatur obitus horum, vel aliorum, qui simili modo in novo processu deponere possent, ex alibi dicendis instare queunt ipsi Postulatores pro concessione *litterarum remissorialium* examinandi causa in specie testes senes, valetudinarios, aut cito abfuturos. Quod si testes in processu ordinario examinati ex visis deposuerint de actibus heroicis virtutum, vel de morte pro Fide susceptа, vel de aliquibus determinatis miraculis, alii autem testes oculati sint concordes in processu Apostolico; licet in hoc aliqui etiam testes auriti reperiantur, in hisce tamen circumstantiis nihil est quod obstet concordiæ probationum ac testium in utroque processu contentorum: & in his utique circumstantiis bene compertum est, quod ex utroque processu simul juncto progressus fit ad Beatificationem & Canonizationem.

8. Ultima propositio eo spectat, quod, prætermittendo causas procedentes per viam casus excepti (in qui-

quibus virtutes atque Martyrium probantur per teſtes auritos, & in quibus proinde, ſi probata in proceſſu ordinario per teſtes auritos, aut de publica voce & fama, ſive per hiſtorias ac monumenta, confirmata deinde ſint in Apoſtolico per ejuſdem generis probationes, tuto pede, unitis infimul probationibus, ad ulteriora fit progreſſus, id eſt ad approbationem prædictarum virtutum atque Martyrii) ſi verſemur in cauſis progredientibus per viam non cultus, in quibus probationes directæ requiruntur, hoc eſt per teſtes oculatos, ſive agatur de virtutibus, ſive de Martyrio, ſive de miraculis; & in his probationes omnes directæ, atque per oculatos teſtes contineantur in proceſſu ordinario, tantum autem ſubſidiariæ, per auritos nimirum teſtes habeantur in Apoſtolico; hoc opus, hic labor eſt, ut videatur, an fieri valeat horum proceſſuum conjunctio; atque adeo ex ambobus ſimul junctis ad Beatificationem & Canonizationem procedi poſſit.

9. Videtur tamen aliqua diſtinctio de jure intercedere debere inter miracula, & virtutes, aut Martyrium, necnon inter cauſas, in quibus citra ullam Poſtulatorum culpam non fuerunt tempore opportuno confecti proceſſus Apoſtolici, & eas, ubi ſine ulla rationabili cauſa Poſtulatores ipſi Apoſtolicorum eorumdem proceſſuum conſtructionem diſtulerunt. Quod enim attinet ad miracula, utriuſque proceſſus conjunctio de jure difficilius poterit admitti; cum cauſa Beatificationis & Canonizationis ſit voluntaria, non ſit neceſſario definienda, & nova miracula poſſint ſupervenire. Verum, quod ad virtutes ſpectat, quæ amplius ſupervenire non poſſunt, facilior poterit eſſe locus conjunctioni probationum, ſi culpa abfuerit, ut infra; præſertim, ſi teſtes oculati, qui depoſuerunt in proceſſu ordinario, nullam patiantur exceptionem in dictis & in perſonis, ſique, deficientibus in proceſſu Apoſtolico teſtibus oculatis, in eo ſaltem reperiantur teſtes ex audito ab iis, qui viderunt. In hiſce namque circumſtantiis abſonum non videtur virtutes & Martyrium approbare dependendo a prædictis probationibus ſimul unitis, ad normam textus *in cap. propterea: de teſtib. & atteſt.* ubi: *Circumſpectus Judex atque diſcretus motum animi ſui ex argumentis & teſtimoniis, quæ rei aptiora eſſe compererit, confirmabit.* Nec enim aliqua pro hac re deerunt exempla. In cauſa quippe B. Hyacinthæ de Mareſcottis fuerunt approbatæ virtutes non per ſolos teſtes relatos in proceſſu Apoſtolico, in quo pauci oculati, iique ad probandum minime accommodati examinati fuerant, ſed & per hos, & per alios auritos in eumdem proceſſum deductos, inſuper additis aliis multis oculatis, qui fuerant examinati in proceſſu ordinario, quique plene in hoc ipſo depoſuerant. Item in cauſa B. Joannis de Prado approbatum fuit Martyrium, facta conjunctione proceſſuum, hoc eſt ordinarii, in quo plures teſtes oculati de ipſo Martyrio & ejuſdem cauſa depoſuerant, nec non Apoſtolici, in quo teſtes ex audito ab iis, qui viderant, & unus tantum oculatus teſtis fuerant examinati. Hæc ipſe teſtari poſſum, qui munere Fidei Promotoris tunc fungebar, cum in ſacra Congregatione prædictæ cauſæ diſcuſſæ fuerunt.

10. Dictum eſt autem, *de jure* difficilius quæſitam conjunctionem admitti, quando agitur de miraculis; quia accedente Apoſtolica diſpenſatione, poterit eſſe locus eidem conjunctioni, teſte Cardinali de Lauræa *in 3. lib. ſent. tom. 4. ar. 25. §. 6. num. 1164.* ubi: *Per proceſſum auctoritate ordinaria rite & valide formatum, quamvis non compulſatum auctoritate Apoſtolica, ſi Pontifex eum admittit, plene probatur miraculum ad effectum beatificandi & canonizandi; dummodo in ipſomet ſit concludenter per teſtes de viſu probatum, & conſtet de identitate proceſſus antiquitus formati.*

11. Verum, quidquid ſit de ſolutione modo memorata, profecto, ut explicationibus atque limitationibus hactenus expoſitis locus eſſe queat, ſequentia adjuncta concurrant oportet. Primum, quod in ſacra Congregatione diſcuſſa ſit & approbata validitas proceſſus ab Ordinario confecti: quamobrem, cum in ſuperioribus viſum eſt, Acta coram aliquo Judice probare etiam coram alio, additum adhuc eſt, id verum eſſe, ſi legitime facta fuerint. Quod & ad rem, de qua agimus, ſuaſit bon. mem. Andreas Pierius, qui ſpatio triginta & amplius annorum functus eſt munere Fidei Subpromotoris, in ſuo ſermone Italico ad Archiepiſcopum Myrenſem Fidei Promotorem ſuper cauſa Viterbien. B. Hyacinthæ de Mareſcottis, ubi occaſione virtutum ſecundum juris ſolemnitatem examinatus fuit articulus de conjunctione utriuſque proceſſus: *Veduteſi le ſcritture reſponſive alle animavverſioni di Monſignor Illuſtriſſimo Promotore mandateſi al Pieri, egli non ha alcun dubbio, che li teſtimonj eſaminati con autorità Apoſtolica poſſano eſſere coadjuvati da' teſtimonj eſaminati con autorità ordinaria, non ſolo in ragione di adminicolo, ma in grado di prova, di modo che queſta poſſa renderſi piena, e concludente con l'una e l'altra ſpecie de' teſtimonj, purchè la ſacra Congregazione abbia con ſuo precedente decreto approvata la validità de' proceſſi fabbricati con autorità ordinaria, e ne appariſca negli Atti il reſcritto poſitivo.* Quibus pariter Cardinalis de Lauræa *loc. cit. n. 1166.* conſentit, dum expoſcit validitatem proceſſus ordinarii, ut iſte admitti valeat ad probandum: *Dixi, ſi recte & valide formatus ſit proceſſus; ſi enim eſſentiale aliquid ei deficiat, nullus eſt, & nihil concludet.*

12. Secundum, quod proceſſus ordinarius compulſatus ſit in Apoſtolicum, ut conſtet videlicet de illius identitate, quodque fuerit in loco authentico conſervatus; uti animadvertit Matthæucc. *in cit. practica Theologico-Canonica tit. 1. cap. 2. num. 7.* & ut ipſi quoque animadverterunt Rotæ Auditores in relatione S. Iſidori Agricolæ *miraculo tertio, poſt obitum*, ubi: *Et eo maxime, quando horum teſtium examinatorum* (intellige *auctoritate ordinaria*) *depoſitiones fuerunt, ſervatis ſervandis, compulſatæ.* Quare in omnibus cauſarum relationibus, in quibus iidem Rotæ Auditores teſtibus examinatis in proceſſu ordinario uſi ſunt non tanquam adminiculo, ſed tanquam probatione, nunquam id præſtiterunt, niſi prævia eorum legitima in proceſſum Apoſtolicum compulſatione. Tamen ſolemnitas iſta ceſſaret; ſi, ut ſupra vidimus, Pontifex ab ea diſpenſaret; quemadmodum ſummus Pontifex Benedictus XIII. die 12. Martii 1726. effecit in cauſa S. Agnetis de Monte Politiano, in qua approbatum fuit unum miraculum deponendo a teſtibus utriuſque proceſſus, prævia diſpenſatione compulſationis proceſſus ordinarii in Apoſtolicum faciendæ; & quemadmodum teſtatur etiam Cardinalis de Lauræa *loc. cit.* ubi, poſtquam docuit, proceſſum ordinarium non compulſatum in Apoſtolicum adhuc admitti ad probandum, ſi ſummus Pontifex ab eadem compulſatione diſpenſaverit, *num. 1167.* ait: *Fieri enim poteſt, ut proceſſus ille non fuerit compulſatus, cum factus fuit alter proceſſus auctoritate Apoſtolica, & nihilominus Patroni cauſæ exhibeant illum auctoritate ordinaria confectum; in quo caſu ſummus Pontifex diſpenſare ſolet in hac ſolemnitate: & eum admittit ad probandum: quod egomet pluries factum vidi in cauſis regionum remotiſſimarum.*

13. Tertium, quod teſtes proceſſus ordinarii mortui ſint tempore, quo fieri cœpit proceſſus Apoſtolicus: ſi enim tunc viverent, & non repeterentur Auctoritate Apoſtolica, nulla eis fides tribuenda videtur. Ita proſequitur Cardinalis de Lauræa *in 3. lib. ſent. tom. 4. diſp. 20. art. 26. num. 2243.* ubi: *Quia proceſſus illi facti auctoritate ordinaria aliquando, & ſæpe inſerviunt principaliter Sanctæ Sedi ad Beatificationem & Canonizationem, ſi fuerint compulſati ejuſdem Sanctæ Sedis auctoritate, & quod antiqui teſtes ſunt mortui &c.* Quod & fuit adnotatum ab Archiepiſcopo Myrenſi in diſcurſu edito pro veritate in cauſa B. Solani, ubi: *Facilius autem admittuntur etiam proceſſus auctoritate ordinaria, quando ſupervenit obitus teſtium, qui in proceſſibus Apoſtolicis repeti non potuerint; ut in hac cauſa contigit pluribus, ſicuti habetur ex fide Parochorum fol. 1010. uſque ad 1016. Conformando igitur ſe hujuſmodi praxi SS. Dominus noſter per ſutum reſcriptum clementer annuit, quod in hac cauſa haberi poſſit ratio etiam de proceſſibus auctoritate ordinaria factis: dummodo ſuper iiſdem miraculis adſint alii proceſſus auctoritate Apoſtolica fabricati. Quod pariter fecit ad relationem Eminentiſſ. Cardinalis de Carpineo in cauſa Segobien. Servi Dei Joannis de Cruce.* Et hæc omnia fomitem accipere poſſunt a juris diſpoſitione; cum videamus, tum a jure Civili *in l. final. C. de teſtib.* tum a Pontificio *in cap. Præſentata, eod. tit. de teſtibus*, ſtatui ac definiri, quod coram Judice repetantur tantummodo illi teſtes, qui fuerunt examinati coram Arbitro, quique adhuc vivunt; ad differentiam illorum, qui mortui ſint, utpote cum horum tantum atteſtationibus ſtandum eſſe dicatur.

14. Quartum, quod nulla interſit Poſtulatorum negligentia; ut adnotavit bon. mem. Jo. Baptiſta Bottinius in ſuis animadverſionibus editis ſuper hoc articulo in cauſa Viterbien. Beatæ Hyacinthæ de Mareſcottis, cum a ſan. mem. Clemente XI. ſpecialiter fuiſſet deputatus ad implendas vices Archiepiſcopi Myrenſis Fidei Promotoris: *Conſiderandum propono, an de aliqua negligentia redargui poſſint ipſi Poſtulatores, ob quam fieri non potuerit teſtium repetitio in proceſſu auctoritate Apoſtolica: proceſ-*

processus quippe auctoritate ordinaria fabricatus fuit anno 1688. unde nisi dilata fuisset confectio processus auctoritate Apostolica usque ad annum 1692. non contigisset obitus tot testium in illo examinatorum, quorum propterea repetitio commode fieri potuisset. Hæc autem negligentia præscindendo ab aliis præjudicialibus effectibus, quos culpæ suspicio parere posset, & præsertim diminuendi fidem testibus auctoritate Apostolica examinatis præstandam, si dilatio ea non vacaret, saltem parere potest præjudicium & infortunium, quod eorumdem testium non repetitorum minor sit habenda ratio, quam, si etiam a negligentiæ nota hujusmodi dilatio esset immunis: sibi enim imputare debent Postulatores, si tamdiu distulerunt processum auctoritate Apostolica conficere; nec proinde, ob præmorientiam testium, eorum fidem & auctoritatem convalidare valent; juxta notum axioma, quod vigilantibus & non dormientibus jura subveniunt. Adderem autem ipse ad assumptionis comprobationem famigeratum dictum in hisce causis Angeli Roccæ *in tract. de Canoniz. SS. cap. 31. oper. tom. 1.* id est: *Arduitas item operis maturitatem postulat; quanto enim opus est magis arduum, tanto majori industria, & celeritate, diligentiæque tarditate faciendum est.* Præterquamquod, aliter ratiocinando, sequeretur absurditas: sequeretur namque, quod vilesceret auctoritas processuum Apostolicorum, si negligentiæ causa finerent Postulatores, omnes testes oculatos auctoritate ordinaria examinatos mori; hinc autem solos auritos examinari in processu auctoritate Apostolica conficiendo. Re enim ipsa tum in causa B. Hyacinthæ de Marescottis super virtutibus, tum in causa B. Joannis de Prado super Martyrio Postulatores omnem lapidem moverunt, ut notam culpabilis dilationis a me tanquam Fidei Promotore ipsis oppositam averterent, prout feliciter propulsarunt, ostendendo probabiles causas, propter quas tanto tempore processus Apostolici constructionem distulerant.

CAPUT SEXTUM.

De Ordinariorum processuum singularitate; hoc est, an aliquando eorum ope tantum, & citra Apostolicum processum, deveniri possit ad Beatificationes & Canonizationes.

1. QUÆSTIONEM in hoc capite propositam non de Beatificationibus & Canonizationibus æquipollentibus instituimus, sed de formalibus. Certum est quippe, æquipollentes Beatificationes expleri posse, & passim expletas fuisse, necnon expleri ex solis Ordinariorum processibus; confecto videlicet ab iis processu super cultu immemorabili, aut alio casu excepto a decretis Urbani VIII. lataque ab iisdem sententia, quæ subinde confirmationem obtinuit, aut obtinet ab Apostolica Sede: & pariter compertum est, non raro etiam sine quocumque processu Canonizationes æquipollentes perfectas fuisse; præcepto scilicet antiquo alicujus cultu a summo Pontifice quavis justa ratione ducto per Officii, ac Missæ recitationem, celebrationemque in Ecclesia universa. Tractant itaque de formalibus Beatificationibus & Canonizationibus Auctores, dum quærunt, an eæ fieri possint citra ullum Apostolicum processum, & ope tantum processuum auctoritate ordinaria confectorum.

2. Molphesius *consil. 26. num. 21.* postquam exposuit usum Sedis Apostolicæ addendi processibus ordinariis processus Apostolicos, sic scribit: *Licet Canonizatio sic communiter fieri soleat, posset tamen summus Pontifex cum solis informationibus captis per locorum Episcopos ad Canonizationem procedere, si processus legitimi sint, & requisita necessaria fuerint legitime probata.* Concordat Contelorius *de Canoniz. SS. cap. 5. num. 23.* ubi: *De jure etiam ex solis processibus ab Ordinario rite & recte fabricatis potest Papa ad Canonizationem procedere.* Ad rem pariter præsentem conferunt ea, quæ habentur apud Bollandianos *ad diem 24. Martii tom. 3. pag. 519.* Ibi namque refertur, Henricum Episcopum Lincopensem anno 1469. Judices commissarios destinasse processui sua auctoritate ordinaria faciendo in causa B. Catharinæ Suecicæ conceptis hisce verbis: *Ut, si contentari noluerit Sedes Apostolica de his, quæ pro parte tunc collecta & conscripta sunt, vel quæ ad eam directa fuerint; sed decreverit, unum, vel plures Prælatos de Regno, vel Partibus extra Regnum ad locum ipsum in Vastenum dirigere ad inquisitionem diligentiorem, & examinationem uberiorem & magis exactam faciendam, requirendam, & peragendam, possint tunc hujusmodi testes jam recepti, collecti, & inscripti ad faciendam & perhibendam plenam fidem citari, & opportune juxta negotii exigentiam convocari & seriose ac specialiter requiri & examinari.* Verba enim illa, *Si contentari noluerit Sedes Apostolica*, satis ostendunt, ab Apostolica Sede aliquando quidem factam fuisse Canonizationem ex Ordinariorum processibus una cum processibus Apostolicis, sed & interdum ex solis illis Ordinariorum. A Canonizationibus autem ad Beatificationes transeundo, narrat Aurelius Grattarola *in Actis Canonizationis S. Caroli Borromæi part. 1. cap. 26.* sibi in Urbe suasum fuisse, non posse profecto ex solis processibus per ordinarios confectis ad Canonizationem progressum fieri, veruntamen cum eis solis posse Beatificationem obtineri: *Pareva ad alcuni, che fosse stato ben dimandare il titolo di Beato, perchè l'avressimo ottenuto facilmente con questi soli processi*, hoc est cum processibus factis ab Ordinario: *ma noi giudicammo, esser meglio attendere alla spedizione della Canonizzazione, per la speranza ferma, che vi era, di vederla tosto spedita.* Item P. Ceparius *in direct. lib. 2. cap. 12.* ita habet: *Sixtus V. instituit Congregationem Cardinalium super sacros ritus: itaque ejus tempore cœperunt tractari hæc negotia in eadem Congregatione. Proponebatur instantia & supplicatio facta Pontifici de Beatificatione alicujus de mandato Papæ. Congregatio processus informativos formatos ab Ordinariis locorum, vel etiam processus remissoriales formatos auctoritate Apostolica, & alias scripturas inspiciendas committebat alicui ex illis Cardinalibus ad relationem faciendam in dicta Congregatione. Informabantur alii Cardinales dictæ Congregationis: & postea, facta ab eo Cardinali, cui commissa fuerat causa, relatione in Congregatione, ad plura suffragia decernebatur, an tale privilegium esset per Sedem Apostolicam concedendum. Postmodum ab antiquiori Cardinali dictæ Congregationis in proximo Consistorio referebatur Papæ sententia Congregationis, & Pontifex approbabat; & privilegium concedebatur per litteras patentes ejusdem Congregationis, ab eodem antiquiori Cardinali, seu Præfecto dictæ Congregationis expeditas, subscriptas, & suo sigillo munitas, in quibus dicebatur, quod, facta Sanctissimo relatione sententiæ Congregationis, Pontifex approbaverat.* Ubi notanda sunt verba illa disjunctiva, *processus informativos formatos ab Ordinariis locorum, vel etiam processus remissoriales formatos auctoritate Apostolica*: ex iis quippe cognoscitur, Beatificationis honores aliquando fuisse concessos ex solis Ordinariorum processibus.

3. Hæc sunt, quæ apud Auctores de materia tractantes leguntur. Verum, si de Sedis Apostolicæ consuetudine sermo fieri velit, dicimus primo, antiquum esse morem Sedis ejusdem Apostolicæ, & fere cœvum reservationi causarum eidem factæ, ut ad Canonizationem progressus non fiat, nisi accedentibus processibus auctoritate Apostolica factis: secundo, morem prædictum esse rationi innixum: tertio, nullam factam fuisse post memorata tempora Canonizationem cum solis Ordinariorum processibus: postremo, adhuc disputari posse, an in formalibus Beatificationibus & Canonizationibus unquam ex dispensatione concessum fuerit, ut ad probandum aliquem causæ articulum, aut ad probandum aliquod miraculum, super quo testes Apostolici nihil deposuerant, processus ordinarius perinde haberetur, ac si esset Apostolica auctoritate constructus, & ideo nullo indigens supplemento ex processu vere Apostolico.

4. Quod igitur mos non procedendi ad Canonizationes ex solis Ordinariorum processibus, sed accedentibus etiam processibus Apostolicis, sit coævus reservationi causarum factæ Apostolicæ Sedi, ex his, quæ in superioribus dicta sunt, nulloque negotio demonstratur. Ibi enim non ex placitis Auctorum, seu ex legibus ab ipsa Sede Apostolica præscriptis probatum est, supplicationes, petitiones, & processus Ordinariorum initium dedisse causis Canonizationis; atque adeo, cum ex iisdem legibus alibi referendis desumatur, Sedem Apostolicam a prædictis petitionibus, supplicationibus, & processibus edoctam præcipere consuevisse constructionem processuum sua au-

fua auctoritate faciendam, ordine certe iſto perſpicuum fit, coævam eſſe reſervationi earumdem cauſarum conſuetudine procedendi ad Canonizationes, non ex ſolis Ordinariorum proceſſibus, ſed accedentibus etiam Apoſtolicis. Pariter, quod uſus hic rationi ſit innixus, deprehendi facile poteſt: accuratiores quippe diligentiæ pro veritate eruenda adhibentur profecto in proceſſibus Apoſtolicis, quam in proceſſibus Ordinariorum. Si vero objiceretur, eadem ipſa a nonnullis Ordinariis hodie in ſuis proceſſibus adhiberi cautionum remedia, quæ adhibentur in proceſſibus Apoſtolicis; reſponderi tum poſſet, id ſane laudabiliter a nonnullis Ordinariis præſtari, attamen non ab omnibus; atque adeo legem reſpicere ad ea, quæ frequentius, non autem ad alia, quæ rarius contingunt. Porro addidiſſe fas ſit, convenire dignitati Sedis Apoſtolicæ, ut ad tanti negotii definitionem deveniatur, dependendo etiam a proceſſu ſua auctoritate confecto: eoque magis, cum Apoſtolicus proceſſus non ab uno, ſed a pluribus Epiſcopis Judicibus delegatis conficiatur; nec Apoſtolicus proceſſus conficiatur, niſi tranſmiſſis a Fidei Promotore in Urbe exiſtente interrogatoriis ad ſuum Subpromotorem exiſtentem in loco, in quo fit proceſſus; novique proceſſus conſtructio ſuper iiſdem virtutibus, ſuper eodem Martyrio, & aliquando ſuper iiſdem miraculis, ſuper quibus primus proceſſus confectus eſt ab Ordinario, rigidiorem, accuratiorem, & ad veritatem confirmandam magis aptam efficiat indaginem, quæ hiſce cauſis eſt omnino neceſſaria. Item, quod nulla poſt dicta tempora facta fuerit Canonizatio ex ſolis Ordinariorum proceſſibus, propterea oſtenditur, quia omnia exempla, quæ pro adverſa aſſumptione afferri poſſent, ſunt dictis temporibus anteriora. In cauſa autem S. Caroli Borromæi Poſtulatores quidem ſupplicaverunt, ut ad Canonizationem progreſſus fieret ex ſolis Ordinariorum proceſſibus; veruntamen id aſſequi minime potuerunt, teſte Grattarola *loc. cit. Miſero in diſputa, ſe i proceſſi fatti con autorità ordinaria valevano per la Canonizzazione: benchè alcuni di loro diceſſero* (loquitur nempe de Rotæ Auditoribus) *che potevano valere, fu però concluſo, che s' aveſſero a fare nuovi proceſſi con autorità Apoſtolica; poſciachè la ſanta Sede Apoſtolica non è ſtata ſolita canonizzare alcun Santo con altri proceſſi, che con quelli fatti di ſua commiſſione.* Idem *cap. ſeq.* poſtquam narravit obitum Clementis VIII. & electionem Leonis XI. & commiſſionem introductionis prædictæ cauſæ ab hoc ſignatam, ſubdit: *Anzi, parendogli, che la cauſa doveſſe andare per queſto riſpetto troppo in lungo, dimandò a Monſignor Franceſco Penia, ſe era poſſibile venire alla Canonizzazione co i primi proceſſi; e dicendogli, che non conveniva farlo, lo pregò con grand' iſtanza come Giudice, che egli era e che maneggiava tutta la cauſa, che ſollecitaſſe di sbrigarla preſto, dicendo d' avervi poco di vita e che bramava di vederla toſto finita.* Quamvis enim ratio in id regeri valeat, quod aliquot ordinarii proceſſus in eadem S. Caroli cauſa minime validi fuerint; reſponderi nihilominus poteſt, duplici de cauſa conceſſum haud fuiſſe, ut cum illis ſolis ad Canonizationem liceret procedere, id eſt, & quia proceſſus ipſi nullitate laborabant, & in primis quia id erat præter conſuetudinem.

5. Hæc comprobantur ex relatione Rotæ Auditorum in dicta cauſa. En quippe Poſtulatorum petitio ſimul cum negativo ad eamdem reſponſo: *Quia Mediolanenſes pro Canonizatione inſtantes acriter prætendebant, ex duobus proceſſibus Mediolani ordinatis ita cauſam fuiſſe inſtructam, ut, nullis aliis factis proceſſibus aut probationibus receptis, deveniri poſſet ad Canonizationem Famuli Dei Caroli; ideo, ſuper hoc dato particulari dubio, eoque diſcuſſo die 10. Januarii 1605. tametſi Dominus Litta in ſententiam affirmativam propendere videretur, nihilominus tandem concluſum fuit, novum proceſſum ſuper inquiſitione ſpeciali auctoritate Apoſtolica fuiſſe faciendum.* Subſequitur autem ratio in eo conſiſtens, quod, licet Ordinarii poſſint proceſſus conficere, de Sedis tamen Apoſtolicæ more cum iſtis ſolis ad Canonizationem nequaquam proceditur: *Ceterum, poſtquam Sedes Apoſtolica graviſſimis cauſis ducta Sanctorum Canonizationem ſibi reſervavit, non conſuevit cum proceſſibus auctoritate ordinaria confectis Sanctos canonizare; ſed ſervatis ſervandis, uti mox explicabitur, & confectis articulis, & datis interrogatoriis in Curia auctoritate Apoſtolica fiunt proceſſus: ex quibus poſtea, ſi cauſa videatur bene inſtructa, deveniturad Canonizationem Sanctorum.* Cui rationi alia poſtea ſuperadditur a proceſſuum nullitate deducta: *Supradictis accedebat, quia in caſu propoſito ſatis poterat dubitari de validitate dictorum proceſſuum.* Præterquamquod expoſitione facti non ita pridem memorati Leonis XI. hæc habentur: *Statim me Peniam Rotæ Decanum advocari juſſit, qui poſtulationem ſacri Collegii, & ſuum deſiderium ſignificans hortabatur, ut quamprimum negotium abſolveretur: dicebat enim, ſe adeo ſenem non poſſe longas moras expectare, & propterea cupere ſe, ut cum ſolis proceſſibus auctoritate ordinaria factis in cauſa procederetur. Penia, commemorato ſtatu cauſæ & reſolutione jam facta, Sanctiſſimo expoſuit, non poſſe cum dignitate ſua & Sedis Apoſtolicæ rem tantam aggredi & perficere cum prædictis proceſſibus; ideoque novum omnino auctoritate ſua & Sedis Apoſtolicæ fore fabricandum. Quibus auditis, facile acquievit Pontifex; id ſolum adjiciens, ut celeriter, quantum fieri poſſet, articuli formarentur, & remiſſoria expedirentur.*

6. Id denique, quod diſputari adhuc poſſit, an unquam ex diſpenſatione conceſſum fuerit pro formalibus Beatificationibus & Canonizationibus obtinendis, ut ad probandum aliquem cauſæ articulum, aut aliquod miraculum, ſuper quo teſtes Apoſtolici nihil depoſuerant, proceſſus ordinarius perinde haberetur, ac ſi eſſet Apoſtolica auctoritate confectus, & idcirco nullo indigens ſupplemento ex proceſſu vere Apoſtolico; deducitur ex aſſertione Cardinalis de Lauræa in ſuperioribus relata. Nam, cum ibi aſſerat, miraculum plene probari Beatificationis & Canonizationis gratia tantum per teſtes oculatos examinatos in proceſſu ordinario, etiamſi hic non ſit compulſatus in Apoſtolicum, dummodo tamen Pontifex prædictum proceſſum admittat: quæri proinde poteſt, utrum hæc aſſertio ſit intelligenda de caſu, in quo teſtes oculati omnes ſunt in proceſſu ordinario, auriti autem ſunt in Apoſtolico, in quem ordinarius non eſt compulſatus, quo ſenſu eam nos antea explicavimus; an potius accipienda ſit de caſu, in quo omnes teſtes oculati habentur in proceſſu ordinario, nullus vero vel auritus in Apoſtolico invenitur, qui verbum faciat de miraculo, de quo loquuntur teſtes proceſſus ordinarii in proceſſum Apoſtolicum minime compulſati. Ex qua duplici præfatæ aſſertionis interpretatione oritur, eſſe etiamnum diſputabile, an ad probandum aliquem cauſæ articulum, vel aliquod miraculum, ſuper quo teſtes Apoſtolici nihil depoſuerunt, nec ullus in Apoſtolico proceſſu de eo reperitur teſtis vel auritus, admiſſi unquam fuerint per Apoſtolicam diſpenſationem ſoli teſtes oculati in proceſſu ordinario examinati.

7. Sed ipſam hanc rem propius aſpicere poſſe videntur nonnulla ſacræ Congregationis reſcripta, per quæ variis ex circumſtantiis modo conceſſum fuit, modo negatum, ut proceſſus ordinarius ita haberetur, quaſi eſſet Apoſtolica auctoritate confectus. Fuit quippe hæc conceſſio facta in cauſa tunc Beati, nunc Sancti Thuribii, Limana videlicet Beatificationis 25. Martii 1668. in cauſa Segobien. tunc Beati, nunc Sancti Joannis a Cruce die 3. Septembris 1674. in alia Limana tunc Beati, nunc Sancti Franciſci Solani die 3. Septembris 1674. in alia Limana tunc Beati, nunc Sancti Franciſci Solani die 9. Septembris ejuſdem anni, atque in Romana, ſeu civitatis Ducalis tunc Beati, nunc Sancti Felicis a Cantalicio die 17. Maji 1676. contra vero fuit id denegatum in cauſa Hermelen. Martyrum Gorcomienſium 17. Junii 1673. in Portugallien. Ven. Servi Dei Antonii a Conceptione 16. Septembris 1673. & in Romana, ſeu Polona tunc Beati, nunc Sancti Stanislai Novitii Societatis Jeſu die 1. Martii 1681. Verum, ut ingenue loquamur, videntur potius conſimiles ſupplicationes fuiſſe a Poſtulatoribus exhibitæ, ut probationes proceſſus ordinarii conjungi poſſent cum probationibus proceſſus Apoſtolici, non adminiculi, ſed æqualis probationis ratione; quam, ut aliquis cauſæ articulus, vel aliquod miraculum, de quo teſtes Apoſtolici vel ex audito, nihil depoſuerant, probari poſſet ex ſolis teſtibus oculatis in proceſſu ordinario examinatis. Huic porro conjecturæ locus aperitur ex mox adducendis. Dum munere fungebamur Fidei Promotoris, Poſtulator cauſæ S. Joannis Franciſci Regis ſupplicavit ſan. mem. Clementi Papæ XI. ut prima pars proceſſus Anicienſis auctoritate ordinaria confecti ſimiliter haberetur, ut ſi eſſet auctoritate Apoſtolica confectus: aderant enim in ea teſtes oculati deponentes de pluribus actibus heroicarum virtutum & de miraculis, cum in proceſſu Apoſtolico fere omnes teſtes haberentur auriti, reliqui vero, qui habebantur oculati, ad integram probationem minime ſufficerent. Deputata autem particulari Congregatione quinque Cardinalium ex his, qui ſacris ritibus erant præpoſiti, necnon Secretarii Congregationis rituum, & mei tunc Coadjutoris Fidei Promotoris ſequens editum decretum eſt: *Porrecto*

SS. Do-

SS. Domino N. ſupplici libello a Poſtulatore cauſæ Beatificationis & Canonizationis Servi Dei Joannis Franciſci Regis, eodemque remiſſo ad Congregationem particularem a Sanctitate ſua ſpecialiter deputatam, eadem Congregatio die 21. Februarii 1711. reſpondit, poſſe, ſi Sanctiſſimo videbitur, in caſu, de quo agitur, & ex motivis ac cauſa currentibus admitti ad ſubſtantiam probationis, & non pro ſolo adminiculo, primam partem proceſſus Anicienſis auctoritate ordinaria conſtructi, validi quoad dictam primam partem a ſacra Congregatione declarati. Factaque Sanctitati ſuæ relatione, eadem, audito Fidei Promotoris Coadjutore, benigne annuit die 23. Martii 1711. Decretum iſtud ad minimum oſtendit, diſputabile id eſſe, utrum, petentibus Poſtulatoribus, ut proceſſus ordinarius perinde habeatur, quaſi eſſet Apoſtolica auctoritate confectus, hoc ita intelligendum ſit, ut alicui cauſæ articulo ſolus ſufficere poſſit proceſſus ordinarius, etſi nihil de eodem articulo contineatur in proceſſu Apoſtolico, an potius, ut proceſſum ipſum ordinarium non adminiculi, ſed æqualis probationis ratione conjungere liceat cum Apoſtolico.

8. Addi quoque poteſt, quod, licet hodie pacata ſit in ſacrorum rituum Congregatione opinio de conjunctione utriuſque proceſſus æqualis probationis reſpectu, quotieſcumque concurrant adjuncta ſuperius expoſita, aliter tamen res olim ſe habebat: nonnulli ſiquidem ex Conſultoribus adhærebant ſententiæ in ſuperioribus confutatæ, id eſt quod, *commiſſione* ſignata, nulla ratio habenda eſſet proceſſus ordinarii, vel ad ſummum, ſi aliqua ejus eſſet habenda, non poſſet tamen haberi, niſi tanquam puri adminiculi. Poſtulatores cauſæ B. Hyacinthæ de Mareſcottis diſputandum propoſuerunt dubium de viribus proceſſus ordinarii, utrum ſcilicet conjungi poſſet cum proceſſu Apoſtolico ratione æqualis probationis, an potius puri adminiculi: nulla autem capta fuit a ſacra Congregatione ordinaria ea de re deliberatio, ſed tantum dictum fuit, de eodem articulo agendum eſſe in propoſitione cauſæ ſuper dubio virtutum. Item, cum primum in cauſa B. Joannis de Prado propoſitum fuit coram ſan. mem. Clemente XI. dubium de Martyrio & cauſa Martyrii, ipſe equidem meo ſuffragio probare conatus ſum probationis imbecillitatem, eo quia validiora argumenta deſumebantur ex proceſſu ordinario, qui minime poterat conjungi cum Apoſtolico, niſi tanquam purum adminiculum: attamen alii Conſultores reſponderunt, prædictam ſententiam eſſe nimis rigidam, quin & fuiſſe ſententiam Petri Franciſci de Rubeis Fidei Promotoris, ſed eam nunquam fuiſſe a ſacra Congregatione receptam. Porro, cum Poſtulator cauſæ S. Franciſci Regis exhibuit ſupplicationem antea recenſitam, clar. mem. Cardinalis Ferrarius, qui particulari illi interfuit Congregationi, non modo dixit, & ideo profecto recte dicere poterat, quoniam inſigni doctrina pollebat, ſe vim petitionis nequaquam percipere (cum etenim prima pars proceſſus Anicienſis fuiſſet valida declarata a ſacra Congregatione, nec non teſtes in ea examinati jam eſſent mortui, quando conditus fuit proceſſus Apoſtolicus, de jure erat, nec aderat diſpenſationis neceſſitas, ut teſtes examinati Auctoritate ordinaria conjungerentur æqualis probationis ratione cum teſtibus proceſſus Apoſtolici) ſed & mihi demandavit, ut rem per ſua principia perpenderem: quod ſane ſi præſtitiſſem, vir ille doctiſſimus ſibi pollicebatur, me eam dimiſſurum, quam amplexus fueram, ſententiam in Congregatione habita ſuper cauſa B. Joannis de Prado, cujus ipſe erat Relator. Mandatis itaque morem geſſi, iterumque propoſita cauſa ipſa ſuper eodem dubio, diſſertationem exaravi, in qua tametſi ſcriberem more Fidei Promotoris, atque adeo contenderem, Martyrium non eſſe probatum; perpenſis nihilominus fundamentis, & rationibus, quæ pugnabant pro conjunctione proceſſus ordinarii cum Apoſtolico, non adminiculi, ſed æqualis probationis reſpectu, faſſus etiam ſum, hanc eſſe veriorem ſententiam, & hanc eamdem eſſe uſu retinendam, dummodo adjuncta ſuperius relata non eſſent deſideranda. Cumque concordia fuerint Conſultorum, & Cardinalium ſuffragia, tum autem a ſan. mem. Clemente Papa XI. prius viſis accuratiſſime videndis, necnon eo, quo pollebat, ingenio, eaque, qua præditus erat, rerum experientia omnibus & ſingulis diligenter conſideratis, editum fuerit decretum de ipſa Martyrii approbatione; tunc ceſſare cœpit toties dicta dubitatio de viribus proceſſus ordinarii, hoc eſt utrum ad æqualem probationem cum proceſſu Apoſtolico, an ad ſimplex ejus adminiculum eſſet redigendus. Rurſus poſtea de hoc eodem articulo actum eſt, quando propoſitum fuit dubium de virtutibus B. Hyacinthæ de Mareſcottis: ſed & tunc ſacra Congregatio ſententiæ inhæſit in cauſa B. Joannis de Prado receptæ, & ſimiliter etiam fecit in ceteris cauſis propoſitis ac definitis, dum fungebar munere Fidei Promotoris. Verum, ſi ante hæc tempora in ſacra Congregatione diſputabatur, quanti valeret proceſſus ordinarius conjunctus cum Apoſtolico, veriſimile profecto eſt, poſtulatores temporibus ſuperioribus ſupplicantes, ut proceſſus ordinarius ita haberetur, quaſi eſſet Apoſtolica auctoritate confectus, nihil aliud petere voluiſſe, niſi, ut conjungi poſſet æqualis probationis ratione cum proceſſu Apoſtolico. Quare ſubſiſtit aſſertio ſuperius indicata, quod adhuc diſputari poſſit, an ex Apoſtolica diſpenſatione unquam pro formalibus Beatificationibus & Canonizationibus obtinendis conceſſum ſit, ut ad probandum aliquem cauſæ articulum, aut aliquod miraculum, ſuper quo teſtes Apoſtolici nihil depoſuerunt, proceſſum ordinarium perinde habere liceat, ac ſi eſſet Apoſtolica auctoritate confectus.

9. Reſumentes igitur, quæ fuſe hactenus dicta ſunt quoad proceſſus Ordinariorum, ſtatuimus quidem, Ordinarios ante appoſitionem manus Sedis Apoſtolicæ poſſe conficere proceſſus nedum ſuper non cultu, aut ſuper caſu excepto, verum etiam ſuper fama virtutum, Martyrii, & miraculorum; quin immo maximopere expedire, ut in eoſdem proceſſus probationes etiam recipiantur de virtutibus, Martyrio, & miraculis in ſpecie; atque adeo hos ipſos proceſſus, ſi rite & recte confecti ſint, conjungi poſſe æqualis probationis ratione cum proceſſibus Apoſtolicis, modo inter ordinarios, & Apoſtolicos adſit congruentia; ſed & aſſerimus, cauſarum Poſtulatores neutiquam poſſe ſibi blandiri, ut, deficientibus omnino probationibus in proceſſu Apoſtolico ſuper aliquo cauſæ articulo, aut ſuper quopiam miraculo, ex ſummi Pontificis indulgentia proceſſus ordinarius ita haberi valeat, quaſi eſſet Apoſtolica auctoritate confectus, quando res eſt de Beatificatione & Canonizatione formali. Pro materiæ demum complemento adjiciendæ hic viderentur neceſſariæ conditiones ad validitatem proceſſuum ab Ordinariis conficiendorum: verum, quoniam multa communia ſunt ſuper validitatis argumento proceſſus ordinarios inter, & Apoſtolicos, idcirco, cum de horum validitate tractabimus, conditiones etiam pro illorum validitate exponemus.

CAPUT SEPTIMUM.

De non cultu, deque nonnullis ad ornatum materiæ de non cultu præmittendis.

1. CONFECTIONEM proceſſuum auctoritate ordinaria conſtruendorum ſuper fama virtutum, aut Martyrii, & miraculorum ſequitur confectio proceſſus eadem auctoritate conficiendi, quatenus Ordinarius eum conſtruere velit, ſuper non cultu, & quatenus cauſa per non cultus viam progredi debeat, ut alias dictum eſt.

2. Ad ornatum autem, & hujus de non cultu materiæ intelligentiam nonnulla ſunt præmittenda. Ac primum quidem præſentem non cultus materiam minime ad eos pertinere, qui in numerum Beatorum, vel Sanctorum relati ſunt aut juxta Eccleſiæ uſum ante tempora Alexandri III. aut juxta conſuetudinem & diſciplinam poſt dicta tempora, vel prope eadem introductam; nec ad eos pariter attinere, qui ſunt in poſſeſſione cultus immemorabilis, aut quibus cultus exhibetur vel ex permiſſione ſummorum Pontificum, vel ſacræ rituum Congregationis, vel per Patrum, virorumque ſanctorum ſcripta; ſed eam tantum coercitam eſſe in illis Dei Servis, qui mortui ſunt cum fama ſanctitatis & miraculorum, necnon pro quibus nulla omnino militat publici cultus conceſſio ſive ab expreſſa ſive a tacita Sedis Apoſtolicæ auctoritate proveniens.

3. Præmittendum eſt quoque, neminem poſſe publi-

co cultu memoratos Dei Servos colere, etiamsi per eos miracula fierent; cum Apostolica auctoritas sit necessaria, ut eos publico cultu venerari possimus, juxta textum Alexandri III. sæpe citatum *in cap. Audivimus: de Reliq. & venerat. SS.* ubi: *Cum, etiamsi per eum miracula plurima fierent, non liceret vobis pro Sancto absque auctoritate Romanæ Ecclesiæ eum publice venerari.* Nam, etsi modo dictum verbum *publice*, quod est in secunda collectione Decretalium, quam publici juris fecit Antonius Augustinus, non inveniatur in ultima collectione facta per S. Raymundum de Pennafort auctoritate Gregorii IX. communis nihilominus est Eruditorum opinio, confugiendum esse ad antiquiores collectiones, ut verus habeatur sensus Canonis, vel Decretalis in ultima collectione relatæ, quandoquidem hujus Conditor brevitati consulens nonnulla detraxit, sine quibus aliquando genuinum sensum assequi non licet: quemadmodum animadvertit Cujacius *ad cap. 1. Qui Clerici vel voventes*, pluribusque hac in re congestis eum exornat Gonzalez *in appar. ad jus Can. num. 53.* & sicut ipsemet Antonius Augustinus *in præfat. antiquar. Decretal.* ad Gregorium XIII. fatetur his verbis: *Multa sunt a Raymundo detracta, quæ, nisi legantur, vix relictorum sententiam deprehendimus*; quæ verba laudat & sequitur Rota *in Nullius Tudelæ, seu Tirasonen. Decimarum 9. Junii 1698. §. Relevantia in fine* coram claræ memoriæ Cardinali Caprara. Quatenus autem aliquis mordicus insistere vellet procemio nostrarum Decretalium ubi Gregorius profitetur, superflua solummodo fuisse resecata; *Ad communem & maxime studentium utilitatem per dilectum Filium Fratrem Raymundum Capellanum & Pœnitentiarium nostrum illas in unum volumen (resecatis superfluis) providimus redigendas*, hinc scilicet inferendo, non posse textum nostræ collectionis suppleri textu relato in secunda Decretalium collectione; fugiendi gratia inopportunam disputationem satis erit ad rem præsentem subdere, quod verbum illud *publice*, quamquam non reperiatur *in cap. Audivimus* nostræ collectionis, habetur tamen *in cap. Cum ex eo* (ejusdem collectionis) *eod. tit. de Reliq. & venerat. SS.* ubi: *Inventas autem* (sermo est de Reliquiis) *de novo nemo publice venerari præsumat, nisi prius auctoritate Romani Pontificis fuerint approbatæ.* Hic nempe textus, secundum alibi dicta, sine ulla dubitatione procedit quoad Reliquias eorum, qui Apostolica auctoritate minime beatificati, aut canonizati fuerunt.

4. Insuper præmonere juvat, quod, licet hos Dei Servos publico cultu venerari non possimus, nihil tamen prohibet, quin eos privato cultu prosequamur. Si enim illis, dum vivunt, laudabile est, ut cultum ipsum privatum impendamus, & nos eorum precibus commendemus: Sanctus quippe Athanasius *in libro de Virginitate num. 22. tom. 2. oper.* inquit: *Si ingressus fuerit vir justus in domum tuam, cum timore & tremore occurres ipsi, & procides humi ad pedes ejus adorans*; & S. Hieronymus *in vita S. Paulæ* narrat, eam, cum sanctos Eremitas inviseret, consuevisse ad eorum pedes se advolvere, perinde ac si in singulis Christum adoraret; Sanctus autem Joannes Chrysostomus *in Act. Apostolor. homil. 53. num. 5. tom. 9. oper.* subdit, justos viros domi nostræ retinendos, advocandos & quærendos, atque adeo ad illorum domicilium accedendum, ut benedictionem recipiamus: *Si non domi recipias, illum adi, cum illo versare, ad ejus domum accede ut possis illo frui, ejusque benedictione; magna quippe est Sanctorum benedictio, quam assequi curemus, ut eorum precibus adjuti, Dei qui illos roborat, misericordia fruamur.* Potiori profecto ratione eosdem privato cultu post obitum venerari poterimus, quando regnare creduntur in cælis, & pie potest existimari, eos pro nobis esse apud Deum intercessores; veluti late firmant Glossa *in cap. unico, v. Sedis Apostolicæ: de Reliq. & venerat. SS. in 6. & in cap. Audivimus* Zabarell. *num. 7.* Abb. *num. 3.* Innocent. *num. 4.* Ostiens. *num. 11.* Fagnan. *num. 18. & 19.* Barbos. *in cap. Cum ex eo, num. 5. de Reliq. & venerat. SS.* Silvester *in summa v. Canonizatio num. 1.* Angel. *in summa in eodem verb. Canonizatio num. 2.* Layman. *in Theol. moral. lib. 4. tract. 7. cap. 5. num. 14.* Bonacina *oper. moral. tom. 2. disput. 3. quæst. 1. punct. 2. n. 2.* Azor. *instit. moral. tom. 2. lib. 5. cap. 6. quæst. 8. in fine*, Castropalao *oper. moral. tom. 2. de adorat. disput. 1. punct. 3. num. 7.* Blasius a Purificatione *in tract. de adorat. disput. 8. dub. 5. §. 3. num. 66. & seq.* Carena *de sancto Officio par. 2. tit. 17. §. 12. num. 47.* Del Bene *de inquisit. tom. 2. dubit. 234. sect. 2. num. 1.* Albit. *de inconst. in Fide par. 1. cap. 40. num. 183.* Pasqualig. *in addit. ad Lauret. de Franch. de controv. inter Episcop. & Regular. tit. de cultu erga non Canonizatum num. 1222.* Contelor. *de Canonizat. SS. cap. 22. num. 1. & plurib. seqq.* Castellin. *de certitud. glor. SS. cap. 2. punct. 24. & punct. 26. in director. Canonizat. lib. 2. cap. 7. §. Dico primo, & §. Dico secundo*, & latissime quidem Baldell. *Theol. moral. tom. 2. lib. 3. disput. 12. num. 1. & num. 20.* Penia *in tract. hac de re edito, ac typis impresso apud Pignatell. consult. 38. num. 9. tom. 5.* Molphes. *consil. 45. num. 17. & plurib. seqq.* Pignatell. *consult. 499. num. 7. & 8. consult. 104. num. 1. & plurib. seqq. tom. 9. & consult. 197. num. 8. tom. 10.* Porro concordant infra referenda Urbani VIII. decreta. Cum enim minime prohibeatur oblatio tabellarum ad sepulcra Servorum Dei non beatificatorum, neque canonizatorum, dummodo reponantur in loco privato, juxta ea quæ mox dicenda sunt; cumque post eadem decreta passim examinentur miracula, quæ facta sunt, invocato nomine eorumdem Dei Servorum; manifesta hæc utique sunt indicia, quod in iisdem decretis prohibitus quidem est publicus cultus, nequaquam vero privatus.

5. Præmittendum est denique, cultum posse dici publicum duplici modo. Ac primo quidem publicus est, cum palam & coram aliis exhibetur, juxta illud 2. *Machab. c. 3. v. 18. Alii etiam gregatim de domibus confluebant publica supplicatione obsecrantes pro eo, quod &c.* & *Actor. cap. 16.* ubi Paulus, ut verbera accepta coram aliis memoraret, ait, *Cæsos nos publice &c.* vel *cap. 20.* ubi, ut suas exponeret conciones populo factas, ait: *Vos scitis &c. quomodo nihil subtraxerim utilium, quominus annuntiarem vobis & docerem vos publice & per domos testificans &c.* quibus consentit textus *in Clementina unica, de Judæis & Saracenis*, ubi: *Ad locum insuper, ubi olim quidam sepultus extitit Saracenus, quem ut Sanctum Saraceni alii venerantur & colunt, magna Saracenorum earumdem partium & aliarum confluit publice multitudo.* Deinde publicus est, cum publica auctoritate exhibetur, qua significatione sumitur vox *publicum* in *L. 1. ff. de Justit. & Jur.* ubi sic legitur: *Hujus scilicet Juris duæ sunt positiones, publicum & privatum: publicum Jus est, quod ad statum rei Romanæ spectat; privatum, quod ad singulorum utilitatem. Sunt enim quædam publice utilia, quædam privatim. Publicum Jus in Sacris, in Sacerdotibus, in Magistratibus consistit; privatum vero Jus tripartitum est &c.* Convenit Textus *in L. Si finita §. Si publicus locus publice reficiatur ff. de damno infecto*; ad quem Glossa ait: *Publice, id est publica auctoritate Principis, vel Senatus, vel per præceptum Præsidis.* Simile etiam est illud, quod habetur apud Plinium Juniorem *lib. 10. Epistol. 8.* quo loco scribens ad Trajanum Imperatorem, & ab eo petens Sacerdotium more Gentilium ita ait: *Cum sciam, Domine, ad testimonium laudemque morum meorum pertinere tam boni Principis judicio exornari, rogo, dignitati, ad quam me provexit indulgentia tua, vel auguratum, vel Septemviratum, quia vacant, adjicere digneris, ut juro Sacerdotis precari Deos pro Te publice possim, quos nunc precor pietate privata.* Item, ut a profanis ad Sacra redeamus, Theologi docent, precationem aliam esse publicam & communem, aliam privatam & singularem: publicam scilicet, quæ fit nomine Ecclesiæ ab ejus Ministris pro populo; privatam vero, propriam, & particularem, quam quisque nomine proprio aut alieno facit, non tamen sicut Ecclesiæ Minister.

6. Cum itaque Cultus & publicus fit ratione loci, ut, si fiat in loco publico, seu coram aliis; & publicus dicatur intuitu personæ, ut si exhibeatur ab homine, qui sit Ecclesiæ Minister in loco publico, vel privato; & appelletur denique publicus qualitatis respectu, hoc est si ex Ecclesiæ institutione solis sit exhibendus Beatificatis, aut Canonizatis; putant proinde nonnulli, cum prohibitus est publicus Cultus erga Dei Servos non Beatificatos, neque Canonizatos, publicum id esse accipiendum secundum omnes significationes prædictas. Contelor. *de Canoniz. SS. cap. 22. num. 7. & seq.* Castellin. *de Certitud. Glor. SS. cap. 2. punct. 23. & punct. 24.* & latissime Rocca in suo *Tractatu de novis Reliquiis inter ejus opera Romæ edita anno 1719. tom. 1. pag. 224. & sequentibus.* Alii autem sentiunt, in casu, de quo nunc agimus, appellatione publici Cultus minime intelligi eum, qui publice exhibetur coram aliis, ex. gr. in Ecclesia, aut in Foro; sed eum, qui exhibetur nomine Ecclesiæ, vel ex hujus institutione. Quocirca concludunt, quod qui Cultum ab Ecclesia institutum pro Beatorum, aut Sanctorum veneratione exhiberet alicui

Ser-

Servo Dei non Beatificato, neque Canonizato, publico Cultu eum profequeretur, licet clam ageret, & fine Teſtibus. Paſqualigus in *Addit. ad Laurez. de Franch. tit. de Cultu erga non Canonizatos num.* 1222. Bonacina *Oper. Moral. tom.* 2. *diſp.* 3. *qu.* 1. *punct.* 2. *num.* 2. Layman in *Theol. Moral. lib.* 4. *tit.* 7. *cap.* 5. *num.* 14. Del Bene *de Inquiſit. part.* 2. *dub.* 234. *ſect.* 7. *ſub num.* 1. Molpheſ. *conſil.* 45. *num.* 20. Ex oppoſito vero, qui in loco publico Cultum adhiberet, privatum tantummodo impenderet, quotieſcumque is non eſſet de genere Cultus, qui ex Eccleſiæ inſtitutione Beatificatis, aut Canonizatis adhibetur: uti profequitur Scacch. *de Not. & ſignis Sanctit. ſect.* 10. *cap.* 2. *verſ. Ex hoc*, & fuſe adnotavit Hurtad. in *Reſolut. de vero Martyrio reſolut.* 43. §. 11. *per totum*.

7. Porro poſtrema hæc ſententia magis conſona eſt rationi, necnon Urbani VIII. Decretis infra enuntiandis. Magis autem congruens eſt rationi; quia, ſi circumſtantia loci publici illicitum non efficit Cultum, qui viro pietate conſpicuo adhuc viventi exhibetur, cum ad ejus genua in foro, & in Eccleſia provolvi poſſimus, ejuſque precibus nos commendare; multo minus illicitum poterit efficere Cultum, qui eidem poſt obitum impendatur, dummodo id non fiat per actus ex inſtitutione Eccleſiæ ſolis Beatificatis, & Canonizatis exhibendos, ut argumentatur Baldell. in ſua *Theol. Moral. tom.* 2. *lib.* 3. *diſput.* 12. *num.* 1. Magis etiam ſententia ipſa conſona eſt Decretis Urbani VIII. inter articulos enim inſertos formulæ *Litterarum Remiſſorialium* in genere ſequens habetur: *Item, quod Servi Dei Corpus ſepultum fuit in loco N. & in Eccleſia N. & ſemper, ac continuo fuit ad illum venerandum magnus concurſus Populi, & aliorum Exterorum ad illud confluentium propter famam & opinionem Sanctitatis illius; & quod hoc fuit, & eſt publicum, & notorium, ac fuit & eſt publica vox & fama*. Pariter inter interrogatorias Fidei Promotoris poſitiones legitur: *Interrogetur quoque, an ſciat, & in quo loco, & loco loci, & quo tempore, & ex qua infirmitate dictus N. obierit; & an ſciat, ubi ſit ſepultum corpus ejus: & an unquam ipſe acceſſerit ad ejus ſepulcrum, & audiverit alios ad illud accedere, & an ſemel, aut aliquoties tantum, vel frequenter & ſæpius; & an fama foret, quod talis acceſſus fieret, quia reputaretur pro Sancto, & intercedere poſſet pro ipſo & aliis; & dicat, a quibus; & quoties audiverit, & an audiverit, an diminutus fuerit concurſus, vel potius auctus & quotidie augeatur ab eo tempore, quo incepit*. Idcirco, cum concurſus ad ſepulcrum, locum publicum, ut puta eccleſiam, reſpiciat; nemo eſt qui non videat, cultum minime dici poſſe publicum in re & pro cauſa, de qua nunc agitur, eo quod is in loco publico exhibeatur. Aliter enim ratiocinando, ſequeretur abſurditas: ſequeretur enim, quod probari non poſſet aut celebritas ſepulcri Servorum Dei, aut veneratio populorum; quorum tamen omnium non modica habetur ratio in Beatificationis & Canonizationis cauſis; quemadmodum differit Ceparius *in director. Canoniz. lib.* 2. *cap.* 7. *verſ. Quia, ſi prohibitus*, & late proſequitur Matthæuccius *in practica Theologico-Canonica ad cauſas Beatificat. & Canonizat. quæſt. proœm. cap. unic. num.* 25. *& ſeq.* Ibi namque ait, quod, ſi cultus publicus eſſet ille, qui in publico loco exhibetur, non ſolum probari minime poſſet frequentia atque concurſus ad ſepulcrum, verum etiam committi nequaquam deberet inquiſitio in genere ad probandam famam ſanctitatis. Hæc ſiquidem probari non poteſt, niſi per actus dicto modo publicos & externos; aut, facta hac probatione, obſtacula continuo adeſſent, propter quæ Beatificationis & Canonizationis cauſæ perpetuum imponendum eſſet ſilentium.

8. His cohærenter explicari præterea debet loquendi modus a ſummis Pontificibus frequenter adhibitus tum in Brevibus Beatificationum, tum in Canonizationum bullis, cum pro ſuo cujuſque reſpectu facultatem dant vel mandatum, ut Beatus aliquis, vel Sanctus tum publice, tum privatim colatur: ſicut in bulla Pii II. Canonizationis S. Catharinæ Senenſis §. 15. *Eamque, tanquam Sanctam, publice privatimque colendam eſſe, decernimus*: in bulla Sixti IV. Canonizationis S. Bonaventuræ §. 20. *Statuentes &c. ut feſtum ipſius &c. ſolemniter & devote celebrent Divinum Officium, veluti pro uno Confeſſore, Pontifice, & Doctore, tam publice quam privatim, prout contigerit &c. perſolventes*: in bulla Leonis X. Canonizationis S. Franciſci de Paula §. 39. *Et eum, tanquam Sanctum, publice privatimque colendum eſſe, declaramus atque mandamus*: in bulla Clementis VII. Canonizationis S. Antonini §. 31. *Ac eum, tanquam Sanctum, publice privatimque colendum eſſe, declaravit & voluit*: in Brevi Leonis X. Beatificationis S. Philippi Benitii §. 3. *Liceat vobis abſque aliqua ſuperſtitione, vel quaſi idololatriæ nota, ac conſcientiæ ſcrupulo venerari &c. & ad eumdem Philippum &c. in orationibus, & Officiis, ac Miſſarum ſolemniis preces tam publice, quam private ſeu ſecrete fundere*: & paſſim in aliis, quæ brevitatis gratia omittuntur. Præceptum enim quoad Canonizatos, vel facultas quoad Beatificatos colendi eos publice & privatim, explicanda ſunt de cultu ex Eccleſiæ inſtitutione ſolis Beatis, aut Canonizatis præſtando, quique ſine Apoſtolica conceſſione neque publice, neque privatim erga minime Beatificatos, aut Canonizatos exhiberi poteſt: quoniam, ſi eſſent intelligenda de privato illo cultu ac de illa privata veneratione, quam unuſquiſque jure ſuo impendere etiam poteſt erga non Beatificatos, aut Canonizatos, ejuſmodi præceptum atque facultas ſuperfluitatis vitio laborarent, ut vel leviter conſideranti patebit, quod neutiquam dicendum videtur.

Alii vero hanc ipſam rem explanant quidem diverſis verbis, ſed quæ tamen in eamdem ſubſtantiam collineant. Dicunt nimirum, quod, ſicuti juxta Doctores triplex eſt pœnitentia, id eſt alia ſolemnis & publica ſimul, alia publica tantum, alia autem privata tantum; & ſicuti ſolemnis ac publica ea eſt, quæ fit in capite Quadrageſimæ cum ſolemnitate; ſimpliciter autem publica, quæ quidem fit publice, ſed ſine modo dicta ſolemnitate; privata demum, quæ quotidie imponitur ſingulatim & occulte: ſimiliter cultus alius eſt privatus, alius publicus, alius ſolemnis; dum privatum appellant cultum, qui fit a perſona privata, locoque ac modo privato; publicum, qui coram aliis utique & in loco publico fit, ſed a privata perſona ob cauſam particularem; ſolemnem denique, qui fit, ut ab Eccleſia inſtitutus, habens determinatas quaſdam cæremonias ab ipſa approbatas in Dei atque Sanctorum obſequium. Ita docent Conſtantinus Palamolla, & Cardinalis Xavier, qui peculiares tractatus tempore Clementis VIII. ut infra exponemus, ſuper hoc argumento ediderunt: quorum verba cum refert P. Ceparius *in direct. Canoniz. lib.* 2. *cap.* 7. inſuper addit, quod, quemadmodum in adoratione *latriæ*, quæ ſoli Deo convenit, & in ea *duliæ*, quæ Sanctis exhibetur, habentur nonnulli actus ambarum communes; genibus quippe ſimiliter flexi tum Deo, & Sanctiſſimo Sacramento, tum Sanctis ſupplicamus; qui actus ſolo interno ſenſu invicem diſtinguuntur: ita in cultu ſolemni, atque in privato quidam adſunt externi actus, qui ſunt utrique communes; eodem enim modo genua flectimus coram Imagine Dei Servi necdum inter Beatos, aut Sanctos relati, ac coram Dei Servo jam beatificato, aut canonizato: adeo ut non niſi per agentis animum alter actus ab altero diſtingui valeat, utpote, cum genua flectamus ad unius conſpectum, tanquam Sancti, vel Beati jam declarati, ad alterius vero, quia habemus eum, ut virum bonum ac ſanctum.

10. Præmiſſa hac vocabulorum notione, denique concludunt, nullo prorſus jure prohibitum eſſe exhibere Dei Servis adhuc non beatificatis, ſeu canonizatis cultum privatum, necnon etiam cultum publicum, ſed ſolummodo interdictionem verſari circa cultum ſolemnem: ſi etenim prohibitio ipſa extenderetur ad cultum quoque publicum non ſolemnem, repetunt id quod ſupra monitum eſt ab aliis, videlicet, quod impoſſibile foret probare famam ſanctitatis, ſepulcri celebritatem, & populorum devotionem erga eum, pro cujus Canonizatione promovetur poſtulatio; veluti poſt Joannem Viguerium *in inſtitut. Theolog. de virtute Fidei*, & Thomam Waldenſem *de Sacramentalib. tom.* 3. *tit.* 13. *cap.* 98. argumentatur P. Ceparius *loc. cit.* & proſecuti ſunt Theologi, qui, ut diximus, ſcripſerunt tempore Clementis VIII. Cardinalis videlicet Bellarminus *in tract. contra Anonymum*, Gallonius 1. 2. 3. & 4. *Tract. & in duabus reſponſionibus ad Anonymum*, Flaminius Riccius 1. & 2. *Tract. concl.* 2. Benedictus Juſtinianus *concl.* 4. Palamolla *cap.* 1. *Dicto primo*, Plumbinus *concl.* 3. Epiſcopus Palanterius *in ſuo tract.* §. *Ad articulos de non Canonizatis*, Antonius Carolus Aquilanus §. *Altera ſententia eſt*, Anonymus Rotæ Auditor *in ſuo tract.* §. *Nec veriſimile videtur*, Patres Societatis Jeſu *in ſcripto omnium nomine confecto & vulgato*, Jacobus Creſcentius Abbas S. Eutitii *in alio ſuo tract. de hac re inito* §. *Non videtur dubitandum*, Federicus Cardinalis Borromæus Archiepiſcopus Mediolanenſis *in epiſt. ad Gallonium*, atque Franciſcus Penia Rotæ Auditor in ſuo ſcripto pro cultu Ser-

tu Servi Dei Philippi Nerii tunc neque beatificati, neque canonizati *concl. ult.* ubi omnium instar hæc habet: *Quamvis pro Sancto nondum canonizato non liceat solemne Officium decantare, nec solemnes preces fundere; non tamen videtur generaliter prohibitum, nec fortassis expediret generaliter prohibere, ne in publico etiam quisquam posset cereos accendere in honorem illius, quem putat Sanctum: quia ex hoc tepesceret devotio, & illius viri, qui fortasse Sanctus est & cum Deo regnat, gloria occultaretur, & impediretur aliquod bonum præsens vel futurum. Immo videmus, hinc etiam sæpe sumptum argumentum a viris piis ad confidentius petendam alicujus Canonizationem; ut patuit in processibus S. Didaci, & S. Hyacinthi, & B. Raymundi de Pennafort, in quo hoc ipso anno fuerunt productæ litteræ Concilii Tarraconensis ad Nicolaum Papam, quibus commendatur vir ille ex eo potissimum, quod post ejus obitum illius sepulcrum in multa reverentia habebatur propter frequentem populorum visitationem, & multiplicatorum luminarium multiplicationem & illustrationem, & numerosam multitudinem cereorum imaginum, quæ in eodem sepulcro appendebantur. Quin immo in Remissoriis, quæ solent concedi pro habendis probationibus ad aliquem canonizandum, solet articulari, quod talis, qui petitur canonizari, jam ante Canonizationem a populis consueverit prædictis rebus honorari: & nisi ista præcederent & præmitterentur, difficulter quisquam posset canonizari; cum ex his omnibus argumenta petantur ad patefaciendam illius boni viri sanctitatem, quæ alias penitus occultaretur.*

CAPUT OCTAVUM.

De diligentiis adhibitis post reservationem causarum Beatificationis & Canonizationis Sedis Apostolicæ, ne cultus iis præstaretur, qui eum minime merebantur.

1. FACTA sibi a Sede Apostolica reservatione causarum Beatificationis atque Canonizationis, summi Pontifices, & zelantes Ecclesiæ Præsules non destiterunt deinceps a diligentiis, ut scandala removerentur; quotiescumque scilicet ad eorum aures pervenit, quod cultus a populo nonnullis præstabatur, qui cultum minime merebantur, ad normam antiquioris disciplinæ alibi a nobis expositæ, quæ ante eamdem reservationem in Ecclesia vigebant. De Bonifacio enim Papa VIII. legimus mandasse, ut Hermanni cujusdam corpus apud Ferrarienses jam viginti annis pro Sancto culti e sepulcro erueretur atque combureretur; habita in ejus hæresim diligentissima inquisitione; uti referunt Platina *in ejus vita*, Scacchus *de not. & sign. sanct. sect.* 10. *cap.* 4. *pag.* 797. Castellinus *de cert. glor. SS. cap.* 2. *punct.* 48. Galesinius *in Actis Canoniz. S. Didaci par.* 3. *cap.* 6. Paramo *de origine SS. Inquisitionis lib.* 2. *tit.* 3. *cap.* 5. *n.* 37. *& trib. seqq.* & Cardinalis de Lauræa *in* 3. *lib. senten. tom.* 4. *disput.* 20. *de miraculis art.* 25. §. 5. *num.* 1140.

2. Urbanus V. in suis litteris Apostolicis expeditis in forma Brevis ad Archiepiscopum Ravennatensem, & Episcopos ejusdem Suffraganeos cultum abrogari præcepit, qui a Fratribus Prædicatoribus cuidam F. Jacobo, a Fratribus autem Eremitis S. Augustini cuidam F. Francischino publice impendebatur: *Molesta significatio ad nostrum pervenit auditum, quod quidam Fratres Prædicatorum, & Eremitarum S. Augustini Ordinum in provincia Ravennatensi degentes, & fraudem legi facere non verentes, Prædicatores videlicet quemdam Jacobum Prædicatorum, Eremitæ vero Fratres prædicti q. Franciscbinum Eremitarum Ordinum percussum ictu fulminis & extinctum, non Sanctos, cum sit eis sub tali vocabulo a jure prohibitum, sed Beatos publice in plateis & eorum ecclesiis in prædicationibus, & alias astruere moliuntur; & singulis annis in anniversariis seu diebus obitus eorumdem in Divinis Officiis solemniter efferunt, prout de Sanctis ab Ecclesia Romana approbatis in eorumdem etiam solemnibus festivitatibus per ipsam Ecclesiam observatur; ac populos fideles inducunt, ut in ipsis anniversariis seu diebus ab operibus manualibus abstineant; &, quod quæstus suspicione non caret, ut ad ecclesias, in quibus eorumdem Jacobi, & Franciscbini humata sunt corpora, catervatim pergant & solemnes oblationes faciant, verbis persuasivis inducunt; altaria quoque sub prædictorum Jacobi, & Franciscbini vocabulis in suis ecclesiis præsumpserunt erigere, ac si forent ut Sancti per Sedem Apostolicam approbati. Cum itaque talia sint a jure prohibita, nec sint aliqualiter toleranda, Fraternitati vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus in vestris civitatibus, & diœcesibus, præmissa, vel similia per eosdem Fratres, & alias quascumque personas de cetero attentari, districtius prohibere curetis, contradictores, cujuscumque status, ordinis, sexus, vel conditionis existant, auctoritate nostra per censuram Ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo, invocato ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis. Non obstantibus exemptionibus & quibuslibet aliis privilegiis eisdem Ordinibus, & aliis quibusvis ab Apostolica Sede concessis; seu, si eis, vel eorum aliquibus, aut ipsorum locis, & Ordinibus a dicta Sede indultum existat, quod excommunicari, suspendi, aut ipsi & eorum loca interdici non possint per litteras Apostolicas non facientes plenam & expressam ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi, ac eorum personis, necnon locis, nominibus, & Ordinibus propriis mentionem. Datum apud Montem Flasconem Kal. Septembris an.* VI. ut in regesto Secretariæ de Curia Urbani V. anno sexto fol. 165.

3. Idem Pontifex in aliis litteris Apostolicis ad Episcopos per Ducatum Britanniæ constitutos cultum amoveri jussit, qui in illis regionibus Carolo de Blesio exhibebatur: *Molesta significatio ad nostrum perduxit auditum, quod quidam Religiosi, etiam Ordinum Mendicantium, q. Carolum de Blesio, tamquam pro justitia mortuum, Martyrem, & Sanctum in ecclesiis in prædicationibus, & alias adstruere moliuntur; & singulis annis in ejus anniversario in Divinis Officiis solemniter efferunt, prout de Sanctis ab Ecclesia Romana approbatis in eorum solemnibus festivitatibus per ipsam Ecclesiam observatur; personisque sepulturam ipsius Caroli visitantibus quædam signa plumbea tradunt, sicut cuntibus ad sepulcra Sanctorum in certis tradi partibus consuevit; & alias eum venerari non verentur, ac si foret ut Sanctus per Sedem Apostolicam approbatus. Cum itaque talia sint a jure prohibita, nec debeant sub dissimulationis pallio tolerari, Fraternitati vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus singuli vestrum in singulis vestris civitatibus & diœcesibus, præmissa, vel similia per eosdem Religiosos, etiamsi Prædicatorum, Minorum, Eremitarum S. Augustini, & Carmelitarum Ordinum existant, aut alias quascumque personas de cetero attentari, districtius prohibere curetis; contradictores, cujuscumque status, ordinis, sexus, vel conditionis existant, auctoritate nostra per censuram Ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo, invocato ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis. Non obstantibus exemptionibus & quibusvis aliis privilegiis eisdem Ordinibus, aut aliis quibusvis a dicta Sede concessis; seu, si eis, vel eorum aliquibus, aut ipsorum locis, & Ordinibus a Sede Apostolica indultum existat, quod excommunicari, suspendi, aut ipsi aut eorum loca interdici non possint per litteras Apostolicas non facientes plenam & expressam ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi, ac eorum personis, necnon locis, & Ordinibus propriis mentionem. Datum, ut supra, scilicet apud Montem Flasconem xvii. kal. Octobris anno* VI. in regesto Secretariæ de Curia Urbani V. anno sexto fol. 171.

4. De prædicto autem Carolo de Blesio, seu de Blois Duce Britanniæ plura habentur apud Andream du Chesne *in histor. Domus de Castillon pag.* 227. ubi narratur, eum obiisse in bello adversus Joannem de Montfort anno 1364. tum inquisitionem in ejus vitam atque miracula cœptam fuisse, necnon suum habuisse progressum sub Urbano V. & Gregorio XI. atque adeo Abbatem ac Monachos monasterii Montis S. Michaelis in diœcesi Abricensi testimonium de ejus meritis addidisse; sicut ex monumentis apud Auctorem ipsum expositis: qui quamvis insuper tradat *pag.* 239. eumdem Carolum fuisse in Sanctorum album relatum, idque deducat ex testamento cujusdam Joannis de Monte Bason condito anno 1394. in quo duæ præscribuntur peregrinationes instituendæ cum oblatione unius cerei, altera ad S. Gillum in Provincia, altera ad S. Carolum a Guingamp; nemo tamen est qui hujusce fundamenti imbecillitatem non videat, deficiente potissimum Canonizationis diplomate, necnon obnitente recensito ipso Brevi Urbani V.

5. Por-

5. Porro Simon de Caramando Epiſcopus Pictavienſis in Synodo provinciali anno 1387. apud Bocchelium *lib. 4. decret. Eccleſ. Gallic. cap. 13.* ſub pœna anathematis præcepit parochiarum Rectoribus, ne in ſuis eccleſiis permitterent venerationem erga corpora nonnullorum, de quorum ſanctitate haud conſtabat, & quorum veneratio cœpta fuerat, hortatoribus quibuſdam Prædicatoribus populumque ſimplicem ad eam inducentibus. Gennadius Patriarcha Conſtantinopolitanus apud Raynaldum *ad an. 1453. num. 15.* Græcos acriter increpavit, quia extollebant, & celebrabant, quin immo tanquam Sanctos adorabant Palamam, & Epheſi Marcum, hominem nec ſatis mentis compotem, ſed tumidum ſapientiæ oſtentatorem, nullo virtutis vel Sanctitatis fundamento. In Synodo quoque Carnotenſi anni 1526. apud Raynaldum *ad an. hunc ipſum num. 132.* diſtricte prohibetur, ne intra vel extra eccleſiam Imago vel pictura novi & incogniti Sancti prætextu novi miraculi erigatur, vel ponatur. Præterea notum eſt & etiam alibi relatum, quid fuerit a ſacro Concilio Tridentino præſcriptum *ſeſſ. 25. de invocat. venerat. & Reliqu. SS.* Demum de S. Carolo Borromæo Archiepiſcopo Mediolanenſi refert Joannes Petrus Juſſanus *in ejus vita lib. 6. cap. 7.* quod, audito quodam aſſerto prodigio aquæ mirabiliter manantis ex oſſibus cujuſdam defuncti nocte præcedente feſtum S. Petri in Vinculis in loco Liani, inquiſitionem in id fieri juſſit; cumque nihil ratum compertumque fuerit vel quoad defuncti ſanctitatem, vel quoad ipſum miraculum, ſepeliri fecit ſub humo capſam & oſſa, ne populus deciperetur.

6. A veſtigiis autem ſummorum Pontificum, & Eccleſiæ Præſulum ne ipſi quidem receſſerunt viri Religioſi, qui omnem pariter lapidem moverunt, ut cultus eorum tolleretur, quorum meritis minime debitus erat. S. Vincentius Ferrerius in ſua epiſtola ad Magiſtrum Generalem ſui Ordinis Prædicatorum refert, ſe diu multumque laboraſſe, ne in quadam valle die Corporis Chriſti celebritatem ſequenti feſtum celebraretur, ut a multo tempore fiebat, cujuſdam S. Orientis: quod etiam adnotat Ceſtellin. *de certit. glor. SS. cap. 2. punct. 49. §. 2.* Item opera Fratrum Prædicatorum, atque Minorum minutatim confracta fuerunt, necnon inter ſtercora diſperſa oſſa Arnaldi hæretici Albigenſis, & cujuſdam homicidæ a Judicibus morte damnati, quæ per annos ſexdecim a deceptis populis cultum habuerant; uti referunt Mariana *l. 12. rer. Hiſp. c. 1.* atque Malvenda *annal. Ord. Præd. ad an. 1220. cap. 11.* His conſimilia facta ſunt Brixiæ circa corpus Guidonis a Lacha, & in diœceſi Biterrenſi circa corpus alterius, qui ſchiſma excitaverat contra Joannem XXII. veluti poſt Prateolum, & Lutzemburgum adnotavit Gravina *tom. 4. continuat. part. 2. Catholic. præſcrip. quæſt. 5. art. 1. pag. 317.* ac præterea in civitate Antuerpienſi circa corpus cujuſdam Guillelmi Cornelii, hortatore atque impellente Nicolao Ordinis Prædicatorum Epiſcopo Cameracenſi, qui cultum eidem illicite impendi comperit, utpote cum fuiſſet hæreſis labe infectus, quæ populum ad ejus ſepulcrum accedentem latuerat; quemadmodum habet Caſtill. *1. part. chron. S. Dominici lib. 3. cap. 54.* Nimirum juxta ſacros Canones proceditur etiam adverſus hominem mortuum, qui fuerit hæreticus; & ejus oſſa, modo diſcerni valeant ac ſejungi, ex humo extrahuntur & comburuntur; ſicuti ex textu in *l. Manichæos §. 2. verſ. In mortem*, ubi Gloſſa *in verb. Subire C. de Hæreticis, & in cap. Si quis Epiſcopus*, ubi Gloſſa *in verb. Et poſt mortem tit. de Hæreticis*, late proſequuntur Odofred. *in cit. l. Manichæos num. 1. verſ. Item ibi poſſunt. C. de Hæreticis*, Farinacc. *de hæreſi quæſt. 197. §. 4. per totum*, Penia *in comment. ad Eymeric. in direct. Inquiſit. par. 3. quæſt. 40. comment. 89. verſ. Quod ſi quandoque pag. 162. col. 1.* Carena *de officio S. Inquiſit. par. 2. tit. 19. de modo procedendi contra defunctos §. 2. & 3. num. 10.* Paramo *de ordine judiciario S. Offic. l. 3. qu. 4. n. 79. & 84.* Souſa *aphoriſm. Inquiſi. l. 2. c. 50. n. 9.* Card. Albit. *de inconſt. in Fide c. 21. ſub n. 37. verſ. Et propterea*. Ad hæc tribunal ſanctiſſimæ Inquiſitionis civitatis Valentiæ die 3. Maji 1619. edicto removeri juſſit cultum in eamdem civitatem introductum erga quemdam Sacerdotem Franciſcum Hieronymum Simo mortuum die 25. Apr. an. 1600. de cujus aſſertis virtutibus ac miraculis cum nonnulla Acta ſubinde confecta fuiſſent & ad ſacrorum rituum Congregationem miſſa, fuerunt hæc poſtea ſupremæ Inquiſitioni Romanæ tradita & adhuc extant in ejus archivo. Sed, ne nimia exemplorum, ceteroquin facile cumulandorum, congeries lectoribus tædium afferat, præſens argumentum concludemus decreto ſanctæ Romanæ & univerſalis Inquiſitionis in Congregatione habita coram Ven. Dei Servo Innocentio Papa XI. a quo circumſcriptum fuit decretum Vicarii Generalis Caſſanenſis, qui anno 1678. auctoritate ordinaria, impoſtoris cujuſdam calliditate deceptus cultum approbaverat aſſerti Anachoretæ Joannis Calà.

Feria V. die 27. Junii 1680.

In Congregatione generali ſanctæ Romanæ & univerſalis Inquiſitionis habita in palatio Apoſtolico apud S. Petrum coram SS. D. N. D. Innocentio Divina providentia Papa XI. ac EE. & RR. DD. S. R. E. Cardinalibus in tota republica Chriſtiana contra hæreticam pravitatem generalibus Inquiſitoribus a ſancta Sede Apoſtolica ſpecialiter deputatis.

DElato ad hanc ſacram Congregationem ſancti Officii decreto impreſſo Hyacinthi Micelli Vicarii Generalis Caſſanenſis, ſub die 9. Novembris 1678. coram teſtibus in oppido Caſtrivillarum, ut ibi aſſeritur, publicato, per quod idem Vicarius præſumpſit auſuſque fuit definitive pronuntiare, q. Joannem Calà jamdiu defunctum aſſertum Anachoretam fuiſſe in quaſi poſſeſſione cultus, atque ideo in ea manutenendum, & alias, prout in ipſo decreto plenius continetur: Cum eadem ſacra Congregatio, re mature diſcuſſa, ſpecialiter hoc factum SS. D. N. Innocentio XI. retuliſſet, Sanctitas ſua, votis EE. DD. Cardinalium Inquiſitorum generalium auditis, enuntiatum Vicarii Caſſanenſis decretum circumſcribendo, uti nullum nulliuſque roboris vel valoris haberi mandat, ac ſi nullatenus emanaſſet. Præcipit inſuper, omnem cultum hactenus q. aſſerto Joanni Calà exhibitum penitus tolli & interdici; prout Sanctitas ſua præſentis decreti tenore tollit & interdicit: oſſa etiam, aliaſque corporis partes ſeu reliquias, quatenus e tumulo fuerint extracta, in ſepulcro, ubi alia Fidelium defunctorum cadavera quieſcunt, recondi, & cum illis confundi, nunquam inde amovenda ſeu extrahenda: Imagines vero tam depictas quam ſculptas vel impreſſas ipſum Joannem Calà repræſentantes, prout & ejus veſtes aliaſque reliquias extrinſecas, ab omnibus ſingulis eccleſiis, oratoriis, ſacellis & altaribus omnino tolli & amoveri: diademata, radios, laureolas, titulum Beati, omnia quoque ac ſingula ſanctitatis ac beatitudinis ſigna vel indicia undequaque deleri ſeu aboleri: libros, codices, & folia quæcumque, ſive manuſcripta ſive impreſſa, in quibus de prætenſa ejuſdem Joannis ſanctitate, miraculis, vaticiniis, viſionibus, aliiſque hujuſdi ſignis tractatur, ut falſa & apocrypha prorſus improbari. Quos etiam libros, codices, & folia una cum omnibus & ſingulis tranſumptis ſeu copiis tam impreſſis quam manuſcriptis decreti a Vicario Caſſanen. ut præfertur, emanati, omnibuſque Imaginibus ſive depictis ſive ſculptis aut impreſſis eumdem Joannem quocumque ſanctitatis vel beatitudinis ſigno repræſentantibus idem Sanctiſſimus prohibet vetat & interdicit; adeo ut nemini, cujuſcumque gradus, ſtatus, ſexus, & conditionis exiſtat, eoſdem libros, codices, ac folia retinere, legere, imprimere, vel imprimi ſive tranſcribi curare, aut ad uſum quomodolibet communicare, Imagines vero cum aliquo ſanctitatis vel beatitudinis ſigno retinere, aut communicare nullatenus liceat; ſed omnes ac ſinguli a die publicationis hujus decreti protinus teneantur locorum Ordinariis vel hæreticæ pravitatis Inquiſitoribus libros, codices, folia, & Imagines, quæ hic interdicuntur, omni prætextu poſthabito, exhibere. Quæ omnia & ſingula Sanctiſſimus D. N. diſtricte præcipit, ſervarique omnino mandat ſub pœnis in librorum prohibitorum indice, ac in decreto ſan. mem. Urbani Papæ VIII. ſub die 5. Maji 1639. contentis, aliiſque gravioribus arbitrio Sanctitatis ſuæ, ac hujus ſacræ Congregationis. Quod decretum, prout jacet, expoſitum idem ipſum eſt, cujus cum laude mentionem fecerunt Pater Papebrochius *in reſponſione ad exhibitionem errorum pag. 18.* & Bayle, licet heterodoxus *in dictionar. hiſtor. tom. 2. in verb. Innocentius XI. pag. 1547. editionis anni 1720.*

CA-

UAB Biblioteca de Ciències Socials

CAPUT NONUM.

De moderatione cultus erga non Beatificatos, nec a Sede Apostolica Canonizatos.

1. AREMOTIONE cultus iis exhibiti, qui cum minime merebantur, transitum facimus ad cultus moderationem sæpe præscriptam quoad eos, qui sanctitatis quidem fama occubuerant, sed non adhuc fuerant beatificati, aut a Sede Apostolica canonizati, quibus videlicet ex antea dictis solus privatus cultus competere potest. A Theologorum autem & juris Pontificii peritorum placitis sumemus exordium, ut ad consuetudinem atque Apostolicæ Sedis sensum postea descendamus. Celebris itaque suo tempore Theologus Augustinus Triumphus Anconitanus, qui mortuus est anno salutis 1328. quemque commendarunt, dum ejus meminerunt, Jacobus Philippus Bergomas *in supplemento Chronicorum*, Joannes Trithemius *in libro de scriptoribus Ecclesiasticis*, & Sixtus Senensis *in Bibliotheca*, quærenti, an possit Missa celebrari in honorem non Canonizati, *in tract. de potest. Eccles. quæst.* 14. *art.* 5. ita respondet: *Dicendum, quod, secundum Augustinum lib.* 22. *de civit. Dei in veneratione Corporum Sanctorum, & Martyrum non erigimus altaria, in quibus sacrificemus Martyribus, sed uni Deo & Martyrum & nostro sacrificium immolamus. Nam ipsum sacrificium est Corpus Christi, quod non offertur ipsis Sanctis, sed Deo, quamvis in memoria eorum Sacerdos sacrificet, quia Dei Sacerdos est, non eorum. Nulli ergo Sancto, quantumcumque per Ecclesiam canonizato, sacrificium offertur, licet in memoria ejus offeratur sacrificium, & Missa celebretur, dummodo sit per Ecclesiam canonizatus: & ratio est, quia Missæ celebratio & communis oratio fit in persona totius populi & totius Ecclesiæ. In memoria ergo illius debet talis solemnitas celebrari, qui est ab illo, qui est Caput totius Ecclesiæ, canonizatus, & in sanctitate comprobatus. Privata tamen oratione & veneratione potest quilibet illum, quem credit esse Sanctum, honorare & venerari, atque ejus patrocinium invocare.* Non distinguit hoc loco Triumphus Beatificatos a Canonizatis: attamen, cum Missæ celebrationem referat ad summi Pontificis auctoritatem, inferri proinde posse videtur, mentem ejus esse, quod Missa celebranda minime fit in honorem ejus, qui non est canonizatus, nec etiam ejus, qui beatificatus non est; vel, si beatificatus est, in cujus tamen honorem id nondum fuit concessum, ut Missa celebraretur: cui sensui adhæret Rocca *in cit. tract. de nov. Reliq. pag.* 231. *tom.* 1. *oper.* Venerabilis porro Dei Servus Cardinalis Bellarminus *controvers. tom.* 2. *lib.* 1. *de SS. beatit. cap.* 10. docet cum communi Theologorum sententia, licere quidem cultum privatum exhibere minime Canonizato, sed non ita cultum publicum. Quamobrem statuit, etsi nequeant in ejus honorem templa & altaria erigi, ac sacrificia celebrari, neque possit publicum festum fieri, neque Reliquiæ possint in templo constitui publice honorandæ; licitum tamen esse non Canonizatum credere & vocare Sanctum, dummodo non prædicetur tanquam ab Ecclesia in Sanctorum catalogo inscriptus; eum invocare, etiam aliis audientibus; ejus Imaginem pingere, ac venerari, modo extra templum; & Reliquias servare pariter & colere, etiam aliis videntibus, dummodo scandalum absit. Profecto displicuerunt hæc Francisco Peniæ Rotæ Romanæ Auditori hisce in rebus versatissimo, ut ex ejus scripto per Cardinalium manus Romam misso, necnon typis impresso apud Pignatellum *consult.* 38. *tom.* 5. Veruntamen Cardinalis ipse Bellarminus haud decere existimavit, prædictum scriptum congruenti responsione carere, quemadmodum sequentia ejusdem verba apud Pignatellum *loc. cit.* præseferunt: *Ego vero non amplificasse, sed nimis in angustum redegisse mihi videor honorem, qui viris egregiis nondum canonizatis debetur. Negavi enim, posse eos publice prædicari tanquam Sanctos; negavi, posse publice invocari; negavi, posse in litaniis, vel Divinis Officiis nominari; negavi, posse altaria & templa in eorum memoriam erigi; negavi, posse Imagines eorum cum diademate pingi vel in templis collocari, quasi essent Sanctorum canonizatorum Imagines; negavi, posse dies festos in eorum honorem celebrari; negavi denique, Reliquias eorum publice honorandas posse proponi. Est ne aliquid, quod addi potuerit? At dixisti, posse hominem non canonizatum appellari Sanctum. Ita est. Sed etiam S. Bernardus vocavit Sanctum Malachiam statim a morte, & vitam ejus, ut vere Sancti, descripsit. Sanctus quoque Thomas Sanctum appellavit Bonaventuram adhuc in carne mortali viventem. S. Catharina Senensis in epistolis suis Sanctam perpetuo vocat Agnetem Politianam recenter mortuam: & alia id genus exempla sine numero afferri possent. Et quid facio mali, si, quem Sanctum esse pie credo, Sanctum etiam nominem? At dixisti, posse privatim coli & invocari eos, qui cum sanctitatis opinione decedunt. Neque id nego; quia nullus negat, id jure fieri. Dixisti, posse privatim alumnos alicujus sancti viri nondum canonizati in ejus anniversario die lætari peculiariter, & Deo agere gratias. Dixisti, posse Imaginem viri nondum canonizati pingi, & in privato cubiculo retineri & honorari. Dixi omnino, &, quod dixi, posse fieri, facio; nisi forte honorem picturæ magis mercantur viri clari litteris, aut prælis, quam religione & pietate conspicui. Dixisti, Reliquias hominum nondum canonizatorum posse privatim haberi & coli. Ita est; & qui negat id, valde imperitum se ostendit historiarum, quibus vitæ Sanctorum continentur. Nam non solum mortuorum, sed etiam viventium, qui cum opinione sanctitatis inter homines versantur, fragmenta vestium, sudariorum, singulorum reliquias ciborum, capillorum, aquam lotionis manuum, & similia pie rapi solita testantur historiæ de vita S. Bernardi, S. Francisci, & aliorum. Cœpit autem hæc consuetudo Apostolorum tempore. Deferebantur enim semicinctia & sudaria a corpore Pauli super ægrotos, ut scribit S. Lucas Act.* 19. *& inde per universam Ecclesiam hoc pietatis genus propagatum est. Neque Concilium Lateranense prohibet privatum Reliquiarum novarum cultum, sed publicum tantum, ut ipsa verba per se fidem faciunt.*

2. Molphesius autem *consil.* 45. *ad consuetud. Neapolit. tom.* 2. postquam *concl.* 1. tradidit, hominem mortuum cum fama & signis sanctitatis posse coli cultu privato, si absit scandalum populi, posse quoque Sanctum vocari, & precibus invocari, modo id non fiat publico cultu; *conclus.* 3. amplius docuit, Imagines hujusmodi hominum licere etiam depingere atque in ecclesiis retinere, dummodo tamen pingantur atque retineantur non eodem modo, ac pinguntur & retinentur Sanctorum canonizatorum Imagines: quam deinceps conclusionem explicans, inquit, Imagines Canonizatorum pingendas esse cum diademate, sed aliorum tantum cum radiis circa caput fulgentibus; tum Canonizatorum Imagines super altare, Imagines autem aliorum a dextra, vel sinistra altaris parte esse collocandas. Hinc progreditur Auctor ad alias conclusiones: quare *in quarta* ait, ad sepulcra & Imagines non Canonizatorum tabellas præterea & dona deferri posse, atque ob acceptarum gratiarum memoriam appendi; *in quinta*, ad eorum sepulcra lampades etiam & cereos ad eorum laudem & honorem accendi posse; *in sexta*, licitum insuper esse die anniversaria obitus eorum peculiariter lætari, ab operibus vacare, Missam solemnem de Sanctissima Trinitate cantare, conciones de eorumdem virtutibus ad populum habere, ipsorumque nomina recensere in litaniis, quæ in particularibus ecclesiis recitantur; *in septima* demum, res adhuc & facta illorum statim post obitum posse in lucem edi ad posterorum doctrinam, dummodo cordati viri & veraces ea scripserint: quæ omnia Molphesius ipse petitis undique exemplis atque rationibus comprobare conatus est.

3. Sed hæc pariter impugnata fuerunt a Castellino *de cert. glor. SS. cap.* 2. *punct.* 20. quod tamen mirum esse non debet, cum hic scripserit post edita infra memoranda Urbani VIII. decreta, ante autem Molphesius. Quamquam, quod attinet ad exempla a Molphesio in suo consilio allegata, contendit Castellinus, auctoritatem Episcoporum, vel sanctæ Sedis facultatem de ipsis intercessisse; utpote cum pleraque ex eis ad cultum publicum referantur, nunquam vero sine Ecclesiastica auctoritate licitum fuerit publico cultu prosequi Servos Dei non beatificatos, neque canonizatos. Veruntamen, cum sacræ Rotæ Romanæ Auditores in relationibus causarum Canonizationis, quas olim edebant, de hoc eodem argumento loquentes pro adstruenda fama sanctitatis necdum Beatificatorum, seu Canonizatorum usi sint argumentis deductis non modo ex Actibus a Molphesio perpensis, sed & ex aliis majoris ponderis ac momenti mox enuntiandis; nonnulli existimarunt, vel eos ex hisce Actibus plerosque ad cultus privati classem retu-

lisse,

liſſe, vel in eo ſenſu fuiſſe, quod eſſe poſſet in aliquo caſu permiſſum, ut aliquis actus publici cultus exhiberetur non Beatificato, ſeu Canonizato, ſanctitatis & miraculorum fama celebri, etiam ſine Apoſtolicæ auctoritatis interventione. Fertur enim in relatione cauſæ S. Franciſcæ Romanæ *part.* 3. *art.* 7. ejus ſepulcro fuiſſe ſemper magnam venerationem adhibitam, ejus Imaginem multis in eccleſiis atque ſacellis depictam, die ejuſdem obitus jus minime redditum in Curia Capitolina, populum Romanum Calicem argenteum cum quadam ceræ portione quotannis eadem die ad eccleſiam S. Mariæ Novæ, in qua ejus corpus ſepultum eſt, detuliſſe, ipſaque etiam in eccleſia, multis præſentibus Cardinalibus atque Præſulibus, panegyricam orationem de ejus laudibus habitam fuiſſe. In relatione S. Andreæ Corſini *part.* 4. §. 1. narratur, Miſſam celebratam & Officium proprium in ejus honorem fuiſſe recitatum, ſingulis annis Juſtitiæ Vexilliferum, alioſque civitatis Florentinæ Magiſtratus acceſſiſſe ad eccleſiam B. Mariæ de Carmelo, ubi ejus corpus conditum eſt, eique donaria obtuliſſe, necnon ejus Imaginem ſuper altari collocatam fuiſſe. In relatione cauſæ S. Iſidori Agricolæ *art.* 2. *de ſanctitate vitæ in genere* exponitur, Officium proprium in eccleſia S. Mariæ Matritenſis recitatum fuiſſe die ejus feſto, Miſſamque cum Oratione propria celebratam, ſolemne quoque feſtum eadem die habitum, Sodalitatem ſub ejus invocatione inſtitutam, Imagines in altaribus cum ſplendoribus & diademate depictas, publicas proceſſiones pro ejus veneratione comparatas, ſepulcrumque oblationibus, luminaribus, atque argenteis lampadibus illuſtratum: donorum item argenteorum, tabellarum, & lampadum ad ſepulcrum S. Paſchalis de Baylon, & B. Joſaphat Archiepiſcopi Pollocenſis mentio habetur in relationibus cauſarum eorumdem; collocationis autem Imaginis in eccleſiis ac in altaribus in relatione cauſæ S. Joannis de Deo *tit. de fama & communi opinione ſanctitatis*: atque in relatione cauſæ S. Andreæ Avellini *tit. de frequentia ad ſepulcrum*, *cap.* 4. ubi etiam additur, innumeras tabellas, aliaque votiva argentea fuiſſe ad ejus ſepulcrum appenſa, necnon civitatem Neapolitanam per ſuos publicos Officiales die anniverſaria obitus ejuſdem, Calicem ei funaleſque cereos inter Miſſarum ſolemnia, quæ in eccleſia S. Pauli, ubi corpus ipſius humatum eſt, celebrabantur, obtuliſſe. Sed & innumerabilia ſunt ea, quæ habentur in relatione cauſæ S. Franciſci Xaverii *tit. de publica fama ſanctitatis*; ubi tabellas ſuſpenſas, ſolemneſque ad ejus ſepulcrum peregrinationes, loca item, in quibus, dum viveret, verſatus eſt, habita tanquam religioſa, atque Imagines in eccleſia Cotatæ in Comerini promontorio publicæ venerationi expoſitas unuſquiſque legere poteſt. Nec minoris profecto momenti ſunt reliqua in relatione cauſarum SS. Ignatii, & Philippi Nerii allata: in prima quippe, præter continuatam frequentiam ad Ignatii ſepulcrum, ad cubiculum in quo ægrotavit & in quo mirabiliter a Deo vocatus eſt, atque ad ſpeluncam, & cetera loca in quibus pœnitentiam egit, de qua certe diſputari poſſet, an ad cultum publicum eſſet referenda, legitur inſuper in cubiculo erectum altare cum lampade accenſa, necnon altare aliud in ſpelunca, ubi Miſſæ celebrabantur: in ſecunda vero *tit. de opinione ſanctitatis* habentur Philippi Imagines cum ſplendore ac diademate typis impreſſæ, cubiculum in ſacellum converſum in quo Miſſa celebrari cœpta, dies mortis populi frequentia, intervenientibus etiam pluribus S. R. E. Cardinalibus & Præſulibus, ſolemniter peracta, lampades argenteæ ad ejus ſepulcrum oblatæ ac jugiter accenſæ, ſenatuſque & Populi Romani decretum, ut ſingulis annis eadem mortis die Calicis ei oblatio fieret una cum quatuor cereis facibus, ſicuti fit in feſtis aliorum quorumdam Sanctorum. Confirmatur denique ipſa hæc aſſumptio ex his, quæ contigerunt in Canonizationibus SS. Thomæ de Aquino, & Didaci. Poſt ſeptimum namque circiter menſem ab obitu S. Thomæ, cum ejus corpus eſſet a ſacello S. Stephani eccleſiæ monaſterii Foſſæ Novæ referendum ad primum ſepulcrum juxta altare majus ejuſdem eccleſiæ (a quo ſublatum antea fuerat cauſa timoris, ne de monaſterio tolleretur) & magna ſuavis odoris fragrantia ex eo emanaſſet; non ſolum totus conventus, inſtituta ſupplici proceſſione, necnon monaſterii Priore cum quibuſdam ex Monachis ſacris induto veſtibus, ſanctum corpus ad primum prædictum ſepulcrum honorifice retulit, ſicut habetur in bulla Canonizationis §. 9. *in nov. cod. pag.* 138. verum etiam Cantor alta voce incepit, *Iſte Sanctus dignè in memoria vertitur hominum, qui ad gaudium tranſiit Angelorum*: necnon collocato in marmoreo loculo corpore, conventus Miſſam de Confeſſore cantavit; eo quia, tot viſis miraculis, de ſuprema ejus gloria dubitari non poterat, veluti legitur in ejus vita ſcripta a Guillelmo de Thoco Ordinis Prædicatorum eidem contemporaneo *cap.* 11. quam publici juris fecerunt Bollandiani *ad diem* 7. *Martii tom.* 1. Paulo autem poſt obitum S. Didaci, cum Henricus IV. Caſtellæ Rex, & hujus filia graviter ægrotaſſent, tunc precibus illius ac meritis valetudinem recuperaſſent, quam nullis Medicorum remediis aſſequi potuerant, Regem beneficii memorem ſacellum ejus nomine extruxiſſe, ejuſque corpus intra arcam ferream pie recondi juſſiſſe, narratur in vita S. Didaci conſcripta a Penia *lib.* 2. *cap.* 7. in Actis ejus Canonizationis collectis opera Galeſinii *part.* 2. cujus regiæ piæque munificentiæ non ſolum meminit Marcus Antonius Cardinalis Columna in relatione ab eo habita in Conſiſtorio ſecreto occaſione Canonizationis ejuſdem S. Didaci, ut colligitur ex eademmet relatione typis impreſſa poſt allegatam vitam a Penia exaratam §. *Ejus vero morte audita*; ſed & ſummus ipſe Pontifex Sixtus V. factum commendavit *in bulla Canonizationis* (*in nov. cod. Canoniz. pag.* 239.) ubi: *Quocirca laudanda eſt pietas & magnificentia clar. mem. Henrici IV. Caſtellæ Regis, qui una cum filia periculoſe ægrotans, & B. Didaci precibus ſanitate impetrata, nobile ſacellum grati animi ſui monumentum extruxit, ibique in arca ferreis laminis diligenter communita Beati Didaci corpus decenter recondi juſſit.*

4. His attamen, & ſiqua ſimilia ſunt nihil obſtantibus, ſequentibus exiſtimarem ipſe propoſitionibus rem totam abſolvi poſſe. Prima eſt, non ſolum ſummos Pontifices ſtatuiſſe, ne poſſit cultus publicus deferri minime Beatificatis, aut Canonizatis, ideoque privatus tantummodo cultus exhibeatur Servis Dei ſanctitatis & miraculorum fama illuſtribus, verum etiam fere omnes indicatos actus pro publici cultus actibus habuiſſe, quique proinde Dei ſervis non beatificatis aut canonizatis nequaquam impendi potuerint. Si etenim, cum ſummi ipſi Pontifices, præviis vel *extrajudicialibus* cognitionibus, vel juridicis proceſſibus de Sanctitatis ac miraculorum fama, aliquem Beatitatis honorem Dei Servis indulgere voluerunt, permiſerunt, ut eorum Imagines in eccleſiis, & inter Imagines aliorum Sanctorum, aut cum ſingulis cultum publicum redolentibus exponerentur; ſi pro inducendo vel augendo cultu mandarunt, corpora horum Dei Servorum e loco humili in locum honorabiliorem transferri; ſi ſuſpenſionem publicam tabellarum, & luminum ad ſepulcra incenſionem fieri poſſe conceſſerunt; ſi poteſtatem dederunt feſtum publice agendi, aut Reliquias exponendi, aut commemorationem habendi in Divinis Officiis, aut denique Miſſam in eorum honorem, quin etiam die anniverſaria eorum obitus Miſſam de Sanctiſſima Trinitate, vel de æterna Sapientia, vel de omnibus Sanctis celebrandi: apertiſſima profecto hæc ſunt indicia, ſummos eoſdem Pontifices reputaſſe, actus illos ad publicum cultum redigi, & ſine Apoſtolica auctoritate exhiberi minime poſſe Dei Servis non adhuc beatificatis vel canonizatis, quos ipſi per ejuſmodi conceſſiones inter Beatos referebant.

5. Secunda propoſitio eſt, inſtituta ſacrorum rituum Congregatione, nec ipſam ab his receſſiſſe, quæ modo propoſita ſunt, immo vero firmiter iis inhæſiſſe. Quod ſane omnino probant, quæ ab ea indulta ſunt, de quibus alibi; quippe quæ conſimilia ſunt indultis, antequam ipſa inſtitueretur, a ſummis Pontificibus: ſed id comprobant relationes Rotæ Auditorum, quæ in eadem examen ſubierunt, utpote cum vel adducta in ſuperioribus ex allegatis ejuſmodi relationibus tacitam re ipſa ſive expreſſam ponant Apoſtolicæ auctoritatis interventionem. In cauſa enim S. Andreæ Corſini jam agebatur de celebratione feſti cum Miſſa & Officio proprio ante annum 1440. quæ approbata ſubinde fuere per vivæ vocis oraculum a Gregorio XIII. veluti conſtat ex ipſa relatione §. 2. In relatione autem ſupra citata S. Iſidori, poſt memoratam feſti conſtitutionem in ejus honorem, ſequentia habentur: *Et, quamvis de aliqua licentia Apoſtolica expreſſa non doceatur, nec de jure Epiſcopus, nec alius præter Romanum Pontificem poſſint inducere, quod feſtum Sancti non canonizati per Papam celebretur &c. nihilominus, cum hujuſmodi celebratio tantis abhinc annis ſit in conſuetudine, ſcientibus & videntibus Prælatis ejuſdem diœceſis, quin & approbantibus, & in ea convenerit totus populus; quamvis non poſſit negari, hanc hujus feſti celebrationem inducendam ad ſolum Pontificem ſpectare, cum verſemur in Sancto non canonizato, ſicque illius confirmationem requiri; illa inducitur ex dicta*

anti-

antiqua consuetudine, & omnino præsumitur. In relatione demum causæ S. Philippi Nerii non solum dicitur, omnia acta fuisse media in Urbe, &, quod consequitur, cum scientia atque patientia Romanorum Pontificum, verum etiam subditur, Imagines cum splendoribus ac diademate fuisse typis impressas Romæ Superiorum auctoritate, cubiculum autem fuisse in sacellum conversum, ac Missam in eo celebratam, quod indulserit Clemens VIII. ut etiam monet Castellinus *de certit. glor. SS. cap. 2. punct. 22. §. 5.* Favent præterea secundæ huic propositioni ea, quæ infra exponentur de cultu S. Caroli Borromæi non adhuc beatificati aut canonizati. Nunc vero saltem addendum, sacrorum rituum Congregationem die 7. Augusti 1609. in epistola scripta ad Episcopum Monopolitanum mandavisse, ne Imago Cardinalis Monopolitani retineretur in Choro ecclesiæ monasterii S. Leonardi, eo sub obtentu, quod Imagines solummodo Sanctorum in ejusmodi loco servandæ sint: *Non pare alla sacra Congregazione, che Suor Eufrasia sorella del già Cardinale di Monopoli tenga il Ritratto d' esso Cardinale nel Coro della Chiesa del monastero di S. Leonardo di cotesta città; essendo luogo dove non si devono tenere, se non Ritratti de' Santi. E' parso però a questi miei Illustrissimi Signori di significare a V. S. col mezzo di questa mia, ch' ella lo faccia levare in ogni modo.* Item anno 1612. & ideo ante Beatificationem S. Andreæ Avellini, quæ facta est anno 1624. sacram eamdem Congregationem jussisse, Andreæ Imaginem amoveri, quæ die anniversaria obitus ejusdem collocata fuerat super sepulcrum una cum votivis oblatis, ut habetur in Actis dictæ Beatificationis collectis a Joanne Antonio Caggiano *pag. 28. & pag. 52.* Postremo, ejusdem Congregationis Secretarium a Patre Castellino propterea interrogatum, quemadmodum iste testatus est *in cit. oper. de certit. glor. SS. cap. 2. punct. 8. §. 3.* sibi respondisse, quod fuerit ab ea sæpenumero declaratum, atque adeo a summis Pontificibus approbatum, non esse profecto sine ejus auctoritate, & sine causa ab eademmet cognita permissum cereos accendere, atque id genus alia efficere ad sepulcra Servorum Dei nondum beatificatorum aut canonizatorum. Quæ omnia haud dubie patefaciunt, sensum sacræ Congregationis etiam nunc temporis fuisse, quod actus ii ad cultum publicum pertinerent; neque proinde exhibendi essent Dei Servis sine Sedis Apostolicæ auctoritate, idest ante eorum Beatificationem aut Canonizationem.

6. Tertia propositio sit, Sedem Apostolicam toleravisse porro interdum nonnullos ex prædictis actibus, quamvis ad publicum cultum pertinentes, nec eos improbasse, etsi præstitos Dei Servis ante Beatificationem & Canonizationem; at potissimum tamen, cum pro iis pugnabat antiquitas, scientiaque ac patientia Ordinariorum intercesserat, vel cum fuerunt introducti non causa turpis lucri, aut alicujus affectus humani, verum aut ex publica atque constanti fama sanctitatis, aut ex visibili miraculorum patratione. Ad primum quippe propositionis caput referri possunt ea omnia, quæ infra dicentur, cum agetur de cultu immemorabili; ad secundum autem pertinere queunt, quæ contigerunt in casis SS. Thomæ de Aquino, & Didaci, necnon in aliis, quæ facile cumulari possent. Quapropter ad rem bene inquit P. Ceparius *in direct. ms. Canonizat. lib. 2. cap. 9. Non ausim ego improbare nostrorum Majorum pietatem, devotionem, & venerationem, quam sincero corde & ex vero devotionis affectu aureis illis temporibus præteritorum sæculorum erga eos, qui cum opinione sanctitatis obierant, ostenderunt. Vigebat enim multum Christiana simplicitas, & sine dolo & malitia, sine fuco & fallaciis ad eos colendos & adorandos accedebant, prout Spiritus Sanctus sua eos inspiratione movebat: & ideo a summis Pontificibus in variis bullis Canonizationum obsequia Canonizandis præstita merito commendantur & approbantur.*

7. Sit demum quarta propositio, Sedem Apostolicam subsequentibus temporibus antiquiores tolerantiæ contrarias renovasse, atque adeo novas pro suo cujusque rei respectu sanxisse leges ad statuendum modum super exhibitione cultus erga Dei Servos non beatificatos, neque canonizatos, ut infra exponemus, cum videlicet pro sua summa prudentia id faciendum duxit, quo, diminuta simplicitate, aucta vero malitia, periculum quodcumque deceptionis in re adeo gravi averteretur. *Periculosum est* (inquit Baptista Vintimiliensis in tractatu de Canonizatione S. Bonaventuræ ad Sixtum IV. in responsione ad secundum argumentum) *periculosum est in hujusmodi factis, Sedis Apostolicæ prævenire judicium.* Convenit autem Galesinius de Canonizatione S. Didaci *part. 3. cap. 6.* ubi docet esse maximum inconveniens prædicta facere, sive tolerare, cum *ambiguitatem, confusionem, atque perturbationem sæpius pariant: & aliquando idem a quibusdam uti Sanctus colatur, dum ab aliis irridetur.* Nec omitti possunt verba Patris Ceparii *loc. cit.* qui, licet scripserit ante editionem novarum legum, necessarium tamen existimavit, aliqua de eis suo loco & tempore edendis monere: *At vero nostris hisce calamitosis temporibus aurea illa simplicitas videtur si non prorsus extincta, saltem valde diminuta, & crevit malitia hominum super terram & invaluerunt humani affectus, verendum est, ne ex industria potius humana quam ex motione Divina aliqui incipiant venerari, coli, & in honore haberi, ut Sancti, qui duxerint quidem vitam piam & etiam Religiosam in observatione mandatorum Dei & consiliorum Christi, & ceteris Religiosis exemplo præfulserint; sed tamen non eam excellentiam vitæ & sanctitatis habuerint, & celebrem sanctitatis famam & opinionem, quæ a sacris Canonibus in iis, qui canonizandi sunt, jure requiritur. Quamobrem modus est adhibendus, & præcludendus aditus ambitioni & aliis humanis affectibus, & providendum, ne sit in potestate cujusque privatæ personæ, vel Religiosæ familiæ, seu nationis, eum mundo celebrem reddere, quem excellentia meritorum & vita supra communem aliorum ordinem ducta non commendaverint. Ut igitur huic periculo occurratur, censerem, aliqua ex his, quæ hactenus permissa fuerunt in honorem Beatorum nondum ab Ecclesia approbatorum, esse moderanda, alia etiam omnino prohibenda, prout sanctissimis Summis Pontificibus expedire videbitur.*

CAPUT DECIMUM.

De his, quæ gesta sunt tempore Clementis VIII. & Pauli V. circa cultum exhibendum Servis Dei non beatificatis, neque canonizatis.

1. ETSI juxta sacros Canones sæpe memoratos solum privatum cultum exhibere liceat Dei Servis non beatificatis, neque canonizatis (qua de re nulla unquam fuit, quam noverim, controversia, saltem, postquam editæ sunt Apostolicæ Constitutiones relatæ inter Decretales *ad tit. de Relig. & venerat. SS.*) atque adeo ex Apostolicæ Sedis consuetudine, postquam ad eam privative quoad omnes ipsæ Beatificationum & Canonizationum causæ delatæ sunt, dignosci facile possunt actus qui ad privatum, ab iis, qui ad publicum cultum sunt referendi; certum nihilominus est, quod ejusmodi adhuc de quibusdam actibus disputationes supererant, nonnullis afferentibus, eos privatum, aliis autem contendentibus, publicum cultum importare; quodque præterea tolerantia Superiorum Ecclesiasticorum adeo in hisce rebus excreverat, ut necessarium plane existimatum fuerit novas leges sancire, nedum pro dirimendis controversiis, verum etiam pro modo statuendo de ipso cultu erga eosdem Dei Servos non adhuc a Sede Apostolica beatitatis aut sanctitatis titulo decoratos.

2. Summus Pontifex Clemens VIII. provinciam hanc aggressus est, quo Pontifice, quid in eam rem actum fuerit, exponitur in codice manuscripto existente in archivo Conventus PP. Carmelitarum S. Mariæ trans Pontem, qui probabiliter exaratus fuit a P. Procuratore Generali dicti Ordinis tempore Clementis VIII. Interfuit enim ille tanquam Consultor Congregationi habitæ coram dicto summo Pontifice die 25. Novembris 1602. In codice sunt descripta nomina Cardinalium & Consultorum memoratæ Congregationis, quæ nunc non recensentur, cum eorum fiat diligens enumeratio in ms. opere P. Ceparii Soc. Jesu Auctoris contemporanei paulo post referendo. Continentur in manuscripto archivi S. Mariæ trans Pontem allocutio summi Pontificis Clementis VIII. & Cardinalium responsa. *Il ragionamento che fece nostro Signore, fu così: Una cosa son per dirvi, che se bene forse parerà di poco momento; a me però pare di molta consideratione: & è intorno a quel-*

a quelli, che ſono paſſati di queſta vita con opinione di bontà, verſo i quali ſi fanno, come intendiamo, & quì, & fuori opere, che non poſſono, nè devono farſi, ſe non con autorità noſtra, & di queſta S. Sedia Apoſtolica: dalla quale ſe haveſſero avuto quanto biſognarebbe, non ſi potrebbe quaſi far più di quello, che ſi fa. Noi certo vorremmo, che tutti foſſero Beati, & che per le loro opere foſſero conoſciuti per tali. Ma il volerlo dimoſtrare ſenza l' autorità noſtra, queſto è quello che ci preme. Un P. M. Filippo intendiamo nella Chieſa Nuova che ſia tenuto con tanta veneratione, che vi abbino eretto altare, ornatogli il ſuo ſepolcro, poſto fuori la ſua Imagine con lampade, lumi, & voti: che ſe fuſſe canonizzato, non potrebbe quaſi haver più. Così il P. Ignatio è tenuto in tanta veneratione, che niente più: & ſe bene l' habbiamo detto al P. Generale del Gieſù, che non lo permetta; pur tuttavia ſi vuol fare il tutto ſenza di Noi. Così d' un altro in Sant' Apoſtoli, & un altro in S. Pietro in Montorio ſi va facendo quello, che non ſi può. Così il Cardinale Borromeo, il quale certo ai giorni noſtri è ſtato ſplendore & ornamento nella Chieſa di Dio: pur il voler fare verſo di lui ſenza la noſtra licenza quello che non ſi deve, ci dà gran travaglio. E perciò vi habbiamo fatto chiamare quì, perchè intorno a queſto negotio, che ci dà molto faſtidio, e del quale pur Noi habbiamo viſto un poco queſta materia, & ci pare, che non ſi poſſa procedere così; ci diciate quello, che giudichiate eſpediente.

Allora riſpoſe il Sig. Cardinale di Como, che queſto era un negotio di molta conſideratione, ſendo che non ſi poſſano veramente verſo ai ſuddetti fare le dette attioni, ſe non con l' autorità di ſua Santità, & della S. Sedia Apoſtolica: & che anco ſendoſi di già dati molti voti da' Fedeli con concorſo di devotione verſo loro, biſognava penſare di rimediare allo ſcandalo, che forſe ſarebbe potuto ſeguire, prohibendolo, o laſciandolo così caminare innànzi. Et che perciò era bene, che S. Santità ſi laſciaſſe in queſto mezzo intendere di queſto ſuo penſiere, divulgandolo; & poi farne far Congregatione tra eſſi Signori Cardinali col ſentire i voti de' ſuddetti Padri, e riferire il tutto a S. Santità per farvi poi ſopra la conveniente determinatione. Et quanto al divulgarlo, replicò N. S. che perciò haveva fatto chiamare così buon numero di Cardinali alla preſenza de' detti Padri; perchè ſi ſapeſſe la ſua intentione: & che ſarebbe ſtato bene il fare detta Congregatione.

Confermò l' iſteſſo il Signor Cardinal di Firenze, dicendo, che era bene il provedere: maſſime quì in Roma: acciò dall' eſempio di quello, che quì ſi fa, imparaſſero l' altre città quello, che ſi deve fare. Perchè altrimenti ne ſarebbero ſeguiti inconvenienti, a' quali poi non ſi ſarebbe potuto rimediare.

Approvò l' iſteſſo il Signor Cardinal Pinelli; ſoggiungendo, che gli pareva molto ſtrano il vedere in S. Pietro in Montorio in particolare, che fuſſe poſta un' Imagine & il corpo di un Religioſo vicino all' altare del SS. Sagramento: sì che chi andava ad adorare quello, pareva che inſieme adoraſſe quel Religioſo.

Altro non aggiunſe il Signor Cardinale d' Aſcoli, confermando il detto da gli altri Signori Cardinali.

Diſſe il Sig. Cardinal Giuſtiniani, che quanto ſopra di ciò ſi faceva ſenza l' autorità e licenza della S. Sedia Apoſtolica, era contrario ai ſacri Canoni & al Concilio di Trento, & a quello che inſegnano i ſacri Dottori: come anco moſtrava il Sig. Cardinal Baronio nelle ſue note del Martirologio. Et che perciò nella Congregatione de' Veſcovi in certa occaſione de' miracoli d' un' Imagine della B. Vergine (penſo a Rimini) ſi diſſe, che biſognava andare molto avvertiti in queſta materia.

Il Sig. Cardinale di S. Cecilia lodando il detto da gli altri, aggiunſe, che veramente biſognava provedere: perchè quanto a quello, che s' era fatto al Sig. Cardinale Borromeo in Milano, apportava gran maraviglia a molti di quella città; non eſſendoci ſtata la licenza Apoſtolica.

Et perchè dopo il Sig. Cardinal Borgheſe, che confermò il ſuddetto, diſſe il Sig. Cardinal Baronio che quanto al Cardinal Borromeo pareva, che fuſſe altra ragione; ſendo che il tutto ſi fuſſe fatto con tacita licenza di S. Santità: perchè havendogli ſcritto Monſignor Seneca, gli riferì il contenuto della lettera; per il che pareva, che S. Santità tacitamente conſentiſſe & accettaſſe quello che ſi faceva: replicò S. Santità dicendo, che altro era il dirgli, che ſe una donna voleva dare, per eſempio, una libra di cera per ſua devozione, ſi accettaſſe; & altro che ſi faceſſero le attioni, che ſi intendevano, verſo di lui. Perciò ſoggiunſe il ſuddetto Sig. Cardinale di S. Cecilia, che egli aveva inteſo eſſer ſtato offerto una lampada a nome del Duca di Savoja, con tanta pompa & ſolennità & con apparato di chieſa & dieci Quadri, ne' quali erano le attioni più inſigni di detto Cardinale, quaſi come miracoli di lui ſucceſſi: sì che daſſe gran maraviglia a diverſi di quella città, come ſimil coſa ſi faceſſe ſenza licenza Apoſtolica.

Conſeguentemente il Sig. Cardinal Bianchetti confermò il detto da gli altri Signori Cardinali, con dire, che penſava, che quanto ſi faceva quì in Roma, fuſſe con licenza di S. Santità. Et perciò egli con Arrigone, Toſco, & S. Marcello non aggiunſero altro del ſuddetto.

Solo il Sig. Cardinal Viſconte aggiunſe, che andando egli in viſita della ſua dioceſi di Spoleti, ritrovando certe venerationi, che ſi facevano non con la debita licenza, l' haveva prohibite, & che ora ſi doveſſe fare l' iſteſſo.

Nè altro fu aggiunto da' Signori Cardinali Nepoti di ſua Santità.

3. Succedunt expoſita a P. Ceparo, qui *in ſuo directorio part. 2. cap. 5.* rem totam ſequentibus verbis aperuit: *Cum concurſus maximus fieret Mediolani ad ſepulcrum ſanctiſſimi viri Caroli Cardinalis Borromæi Archiepiſcopi Mediolanenſis, ad quod Chriſtifideles votivas tabellas appendebant, candelas & lampades accendebant, pretioſa dona afferebant, eleemoſynas ingentes erogabant, & Romæ Servus Dei Philippus Nerius Oratorii Inſtitutor in honore & populi devotione haberetur, pro quo jam ſacellum magno ſumptu extructum fuerat, & Patris Ignatii Lojolæ Societatis Jeſu Fundatoris Imago a Cardinali Baronio ſupra ejus ſepulcrum fuiſſet expoſita, ad quam quotidie votivæ tabellæ & donaria creſcebant: quidam, qui non videbatur bene affectus erga Patres Oratorii, & erga Religioſos Societatis, & non parum gratia pollebat apud ſummum Pontificem Clementem VIII. & ſe Theologum, Juriſtam, Canoniſtam, & in hujuſmodi rebus omnium, qui tunc Romæ eſſent, verſatiſſimum eſſe jactabat, cæpit impugnare honores, qui Romæ præſtabantur Beatis horum duorum Ordinum Fundatoribus, eoque magis invehebatur in cultum, qui exhibebatur B. Carolo Borromæo, quo cultus ille major & univerſalior erat. Dicebat, cultum illum eſſe publicum, & contra Canones, & præter Eccleſiæ conſuetudinem, & illicitum & periculoſum & omnino prohibendum: cumque ſe conſervandæ Eccleſiaſticæ diſciplinæ zelo moveri, dictitaret, non paucos initio traxit in ſuam ſententiam, & magnis etiam viris timorem incuſſit, ne Mediolani ex affectu nationali vel cognationis illi honores B. Carolo publice exhiberentur, neve Congregationis Oratorii Patres, & Alumni Societatis Jeſu plus æquo amplificarent venerationem ſuorum Fundatorum. Hinc factum eſt, ut aliqui plus æquo audaciores effecti irriderent eos, qui ſepulcra Servorum Dei nondum canonizatorum adirent, & per jocum dicerent: Quis ſcit, an hic, quem tu colis, in inferno crucietur? Ego enim de hoc poſſum timere, cum non ſit canonizatus. Hæc & ſimilia per contemptum proferebant non ſine audientium ſcandalo & admiratione. Pervenit hic rumor ad aures Clementis ſummi Pontificis, qui, ut vir prudentiſſimus erat & valde doctus ac pius, ne quid contra jus, faſque fieret, anno Domini 1602. die 25. Novembris, ſtudio indagandæ veritatis, ſancto zelo pro Paſtorali ſua cura permotus peculiarem Congregationem inſtituit ſuper titulis & honoribus dandis piis viris a Sede Apoſtolica nondum approbatis, & die 20. Decembris ejuſdem anni coram ſe dictam Congregationem haberi voluit. Fuerunt ad eam Congregationem vocati Cardinales ſeptemdecim, & varii Theologi diverſorum Ordinum Religioſorum; & prima vice eam Congregationem intimavit Illuſtriſs. Cardinalis Comenſis Collegii Cardinalium Decanus. Nomina Cardinalium, qui huic Congregationi interfuerunt, ſunt infraſcripta: videlicet Cardinalis Comenſis Decanus, Medices qui poſtea fuit Leo XI. Pinellus, Bernerius dictus Aſculanus Dominicanus, Sfondratus dictus S. Cæciliæ, Juſtinianus, Burgheſius qui nunc vivit & feliciter regnat in Sede Petri & dicitur Paulus V. Baronius, Blanchettus, Avila, Arigonius, Vicecomes, Tuſcus, S. Marcelli: Theologi vero vocati fuerunt Fr. Hieronymus Xavier Generalis Ordinum Prædicatorum poſtea Cardinalis, Fr. Joannes de Rada Procurator Generalis Ordinis S. Franciſci de Obſervantia, Fr. Joannes Baptiſta Plumbinus ſimiliter Procurator Generalis Ordinis Eremitani S. Auguſtini, Fr. Baſilius Auguſciola Procurator Generalis Ordinis Carmelitarum, Fr. Antonius Vivolus de Corneto Procurator Generalis Ordinis Servorum, Fr. Hieronymus Pallanterius Ordinis Conventualis S. Franciſci, P. Benedictus Juſtinianus Soc. Jeſu Theologus & Rector tunc Pœnitentiariorum Domini Papæ ſeu S. Petri, P. Flaminius Riccius Præpoſitus Congregationis Oratorii, P. Conſtantinus Palamolla ex Clericis S. Blaſii de Annulo; &* pre-

præterea adfuit Dominus Joannes Paulus Mucantius, vocatus ut Secretarius sacræ Congregationis rituum. In hac autem Congregatione tractatum fuit de obsequio & honore exhibendo iis, qui Beati vulgo dicuntur, & non sunt adhuc canonizati vel approbati a Sede Apostolica. Memoriale autem dubiorum est infrascriptum, quod ex titulo & inscriptione apparet, vel fuisse a Papa confectum, vel ab aliquo suæ Sanctitati præsentatum.

De Servis Dei, qui cum fama & celebri apud multos sanctitatis opinione in Deo moriuntur, plurima videntur quæri posse: mihi infrascripta occurrebant.

1. *An in ipso obitu liceat omittere consueta Ecclesiæ Officia & preces pro defunctis.*
2. *An liceat eorum corpora induere vestibus magis pretiosis, quam eorum status & conditio ferat, & usus communis postulet.*
3. *An liceat ea sepeliri in loco valde conspicuo & sanctiori, & forma & modo peculiari ad sanctitatem indicandam.*
4. *An liceat sepulcrum seu arcam aperire ad corpus ostendendum, venerationis seu pietatis causa.*
5. *An liceat ponere ad sepulcrum cereos & lampades ardentes.*
6. *An liceat proprium sacellum extruere.*
7. *De elogiis & inscriptionibus sepulcrorum.*
8. *De laudationibus in eorum funere & anniversariis.*
9. *An liceat eos publice appellare cum præfatione Beati, vel Sancti.*
10. *An liceat Fidelibus ad eorum sepulcra genua flectere, eosque venerari & invocare.*
11. *An eorum Imagines liceat depingere:*
    an cum splendore & radiis & diademate.
12. *An eorum Imaginem in ecclesia ponere liceat:*
    an in loco etiam valde insigni:
    an & in altari, ubi celebratur.
13. *An ejusmodi Imagines pictæ, aut in ære incisæ publice divendi possint.*
14. *An vita imprimi & pervulgari.*
15. *An liceat ad sepulcrum tabellas & imagunculas ex ære, aut argento apponere ad beneficia accepta testificanda.*
16. *An ex Reliquiis corporum, aut ex indumentis, seu aliis monumentis dare liceat, & ad ægrotos transmittere.*
17. *De miraculis, quæ denuntiantur, an sint examinanda & approbanda.*
18. *An posito quod ex his quæ supra sunt descripta, multa facere liceat, an, inquam, quivis id possit, exempli causa, Parochus, Abbas monasterii; an Episcopi auctoritas requiratur.*
19. *An ea quæ licent, simul omnia sint facienda, an potius paulatim, prout fama sanctitatis & miraculorum augetur.*
20. *An liceat anniversarium diem festum ducere, & quid in eo agere liceat.*
21. *De templis, altaribus, Missæ sacrificio, & Horis Canonicis non videtur in dubium revocandum, cum satis manifestum sit, non licere, nisi pro solis Canonizatis, aut ex speciali indulto Sedis Apostolicæ.*
22. *An in hac materia locum habeant, quæ decernuntur a sacra Tridentina Synodo sess. 25. de veneratione Sanctorum & sacris Reliquiis & Imaginibus, præsertim in eo genere, ne insolita Imago ponatur in ecclesia, nisi approbata ab Episcopo.*
23. *De novis miraculis & novis Reliquiis non recipiendis, nisi approbante Episcopo ex Theologorum consilio.*
24. *De gravioribus dubiis in Concilio provinciali proponendis: ac de summo Pontifice consulendo.*

Ex quibus videntur remedia confici atque adhiberi posse, ne nimia facilitate homines beatificentur, & quodammodo in canonizando judicium Sedis Apostolicæ præveniatur.

Ex altera vero parte ratio præscribatur, qua insignes sanctitate viri meritis honoribus non priventur.

Deinde manu SS. D. Papæ hæc verba subscripta erant, quæ latine reddita sunt sequentia:

Nolumus agere de his, pro quibus habentur diplomata Pontificum Prædecessorum nostrorum, neque de illis, qui ab immemorabili tempore ut Beati coluntur; sed de recentioribus, & quid in posterum servandum sit.

4. In manuscripto archivi S. Mariæ trans Pontem fuse exponitur quidquid a Consultoribus Congregationis deductum fuit in binis aliis Congregationibus habitis die 20. Decembris 1602. & 10. Januarii 1603. *In Congregatione habita in palatio Apostolico die 20. Decembris 1602. hora 21. in qua interfuerunt præter Cardinales, qui alias in prima adfuerant, etiam Cardinales de Avila, & Antonianus; Consultores vero fuerunt Reverendiss. Pater Generalis Ordinis S. Dominici, & Procuratores Generales Ordinum Minorum de Observantia, S. Augustini, Carmelitarum, & Servorum, & Pater Pallanterius, & Pater Monasterii S. Blasii de Annulo vocati.*

Cum Illustriss. D. Cardinalis Comensis præmisisset, Congregationem haberi de mandato Sanctissimi; ut jam ab omnibus in illa fuisse statutum audiri potuit, in qua præfati Patres consulerent de negotio Servorum Dei non canonizatorum quid decernendum ipsis videretur: tunc Illustriss. D. Cardinalis Baronius quæsivit, cur non adesset P. Flaminius Congregationis Oratorii, cum jam præcedente die loquens cum Sanctissimo ab ipso audisset, quod adesse deberet? Cui respondit Cardinalis Comensis, se eos vocari curasse, quos idem Sanctissimus sic sibi imposuisset vocandos: de quo forte etiam Illustriss. D. Cardinalis Aldobrandinus rescire potuisset. Qui tunc respondit, se a Sanctissimo in superiori Congregatione tantum habuisse in mandatis, quod vocaretur Generalis S. Dominici.

Quoad ordinem eorum, qui dicturi erant, censebat Cardinalis Baronius dignioren esse dandum Clericis Regularibus, ex eo quod in Concilio Tridentino fuisset decretum, Jesuitas in numero Cleri Secularis quoad locum esse ponendos. Sed tunc responderunt Cardinales Asculanus, & Arrigonius, in aliis Congregationibus etiam superioribus diebus in aliis causis habitis, & præsertim in illa Lotharingiæ, in qua aderant decem, vel forte plures Consultores diversorum Ordinum, semper locum superiorem fuisse datum Mendicantibus. Et addito a Cardinali Comensi, quod posset citra præjudicium cujuslibet servari nunc dictus ordo; tandem

Primus fuit Pater ex monasterio S. Blasii. Qui licet in omnibus videretur sequi ea, qua tradita sunt ab Illustriss. D. Cardinali Bellarmino in libro de cultu Sanctorum cap. 10. tamen in his, quæ spectant ad publicum, vel privatum cultum, censuit, publicum non esse penitus concedendum Servis Dei non canonizatis, sed tantum privatum. Et cum ad singula in articulis posita descenderet, sequutus est opinionem Viguerii tract. de virtute Fidei cap. 11. quoad tabellarum appensionem; ita tamen quod publicum cultum omnino negaret, & rationibus comprobaret, non esse omnino dandum.

Secundo loco accessit P. Pallanterius: qui circa naturam Canonizationis discurrens, eamque fuse declarans idem etiam videbatur annuere de publico & privato cultu. Et deveniens ad nonnulla in articulis posita declaravit quænam dicatur insolita Imago, dicens, quod si quis modo pingere vellet Christum recumbentem in cœna non modo consueto, sed stratum super cubili, ut facilius Magdalena ejus pedes lavaret, & Joannes super pectus ejus recumberet, hæc diceretur insolita Imago, & non deberet admitti: addens, optime fuisse cautum a Concilio super hoc.

Tertius, Procurator Generalis Ordinis Servorum affirmans, discipulum non debere esse supra magistrum, dixit, quod cum ipse Patavii fuisset discipulus prædicti P. Pallanterii, nil addere debebat ad ejus dicta; sed ea omnia penitus sequebatur, & confirmabat.

Quartus, Procurator Carmelitarum primo suppositis distinctione cultus interni & externi, & his declaratis primam posuit conclusionem, non esse difficultatem de cultu interno, sed tantum de externo. Secundo, suppositione facta divisionis cultus externi in publicum, & privatum, & subdivisio publico in publicum tantum & solemnem, posuit conclusionem, publicum & solemnem omnino negandum Servis Dei non canonizatis, & privatum esse permittendum, cum conditionibus tamen explicandis in articulis datis. Et in universum facta tertia suppositione diversi temporis facultatis canonizandi, videlicet vel ante Alexandri III. & Innocentii III. tempora, vel post, conclusionem posuit, ante prædicta tempora quemlibet Episcopum in sua diœcesi potuisse canonizare; post vero dicta tempora solum Romanum Pontificem: ita tamen, quod etiam nunc quilibet Episcopus, ne in privato cultu aliquis error vel abusus irrepat, debeat & possit judicium non approbationis, sed examinis interponere eorum, quæ circa hujusmodi Servos Dei non canonizatos eveniunt; ut deinde referantur summo Pontifici approbanda, vel discutienda: ut deinde distinctius in articulis singulis declarari poterit.

Quintus, Procurator Ordinis S. Augustini ita confirmavit distinctionem factam publici & privati cultus, ut censeret, nullo unquam tempore potuisse dari aliquem cultum, nisi accessisset licentia summi Pontificis. Et cum ad nonnulla in articulis posita deveniret, affirmabat, Imaginem cum radiis Servi Dei non canonizati posse haberi saltem in privatis cubiculis; & alia nonnulla addidit, quæ non sunt bene memoriæ commendata.

Sex-

Sextus, Procurator Ordinis Minorum assumpsit exponendum Canonem Innocentii III. videlicet, quod inventas de novo Reliquias nemo publice venerari præsumat, præsertim illa duo verba Reliquias, *&* publice: *dicens quoad primum terminum, Reliquias posse considerari vel non Canonizati, vel Canonizati; vel certas earum, aut incertas; si non fallit memoria. Et verbum* publice *divisit juxta præcitatam distinctionem, conveniens cum omnibus, publicum non esse dandum. Et privatum licet admittere videretur; tamen coarctavit quibusdam conditionibus. Et deveniendo ad nonnulla posita in articulis, declarabat hanc suam mentem exemplo Pontificis, qui canonizavit S. Claram, quod cum adesset ejus exequiis, & Fratres vellent facere Officium pro defunctis, volebat Papa recitari Officium de Virginibus, & quod tunc Cardinalis Ostiensis dixit Papæ, in hoc esse morose procedendum, ne præveniret judicium Canonizationis.*

Septimus, Generalis Ordinis S. Dominici præmisit quatuor vel quinque optimas distinctiones ad cultum Sanctorum spectantes, ex doctrina S. Thomæ desumptas: ex quibus singulis elicuit conclusiones; quibus etiam de publico & privato cultu loquens, ita primum negavit, ut & in secundo suas poneret difficultates, quibus non ita facile omnibus concederetur. Et licet sibi ipsi objiceret, quod sic præcluderetur via Canonizationibus faciendis, attulit responsionem, probans multipliciter quæ statuerat de privato cultu statuenda: quæ omnia non possunt adduci, cum memoriæ non succurrant.

Et cum advenisset 24. hora vespertina, fuit dissoluta Congregatio.

In Congregatione habita in palatio Apostolico die 10. Januarii 1603. in qua interfuerunt decem & septem Cardinales, qui alias intererant, & omnes alii Consultores, præterquam Pater Procurator Generalis Minorum de Observantia, & additi sunt Pater Procurator Generalis Capuccinorum, P. Benedictus Justinianus Societatis Jesu, & P. Flaminius Congregationis Oratorii.

Primus ad dicendum fuit Pater Procurator Capuccinorum, qui proposuit quæstionem solitam: & pro ejus solutione præmisit tres distinctiones cultus, qui dicatur alius publicus & privatus, alius solemnis & privatus, alius vero publicus & secretus; juxta quam distinctionem tres attulit conclusiones: probans, cultum solemnem publicum, & etiam privatum publicum non posse dari Sanctis non canonizatis; sed tantum privatum secretum.

Secundus fuit P. Justinianus: qui supposito non esse quæstionem de jure Divino naturali, vel positivo, sed tantum de jure Canonico; & præmissis tribus notandis distinctionibus cultus interni, & externi, & aliis sæpius relatis confirmans ex doctrina D. Th. quinam cultus pertineat ad observantiam: attulit quatuor conclusiones. In quarum duabus primis consensit cum aliis quoad cultum solemnem: sed in duabus postremis dissensit; probans, cap. de Reliq. & venerat. Sanctor. esse intelligendum de publico, quod publica auctoritate fiat; quod pluribus legibus Civilibus & Canonicis, & rationibus confirmavit, adeo ut censuerit cultum publicum, qui coram aliis fiat, dummodo non sit auctoritate publica, dari posse non Canonizatis.

Tertius P. Flaminius dicens, se in omnibus consentire cum prædicto Patre, & quod jam alias suam sententiam aperuerit; nonnulla alia confuse addidit, quibus videbatur velle probare, nihil fuisse factum erga B. Philippum, quod non posset tolerari; sed tamen esse paratum cum suis ad ea exequenda, quæ a Sanctissimo determinarentur.

Et sic fuit terminata Congregatio.

Merito ergo P. Ceparius in prædicto opere scripsit, Theologos ad Congregationem admissos generaliter locutos fuisse de obsequiis, quæ licite præstari possunt Servis Dei nondum ab Apostolica Sede approbatis: quæ quidem obsequia alii amplificarunt, alii vero restrinxerunt, omissa responsione ad dubia a Sanctitate sua disputationi proposita. Post hæc tum Theologi, qui eidem interfuerant, tum alii Theologi, necnon Pontificii juris Periti, licet ad Congregationem haud vocati, varios super iisdem dubiis scripserunt tractatus, qui collecti habentur in bibliotheca PP. Congregationis Oratorii Urbis in volumine signato littera Q. Summus autem Pontifex, visis videndis, habitoque nonnullorum Cardinalium consilio, statuit, in posterum ejusmodi quæstionibus silentium imponere, resque, ut erant, relinquere: quod & fecit. Quocirca tribus illis annis, quibus eidem quæstioni motæ adhuc supervixit, neque de ea ullum amplius verbum fieri fivit, neque voluit, ut Congregatio præterea cogeretur; teste eodem P. Cepario *loc. cit.*

5. Clementi VIII. successit Leo XI. quo post paucos dies e vivis erepto, Paulus Papa V. creatus est. Ab hoc vero resumptam fuisse disputationem, cui silentium a Clemente VIII. fuerat impositum, certum est: extat enim in Vaticana bibliotheca codex 3729. in quo continetur disquisitio Auditorum Rotæ Romanæ de præcavenda hominum mortuorum veneratione ante Romani Pontificis approbationem jussu Pauli Papæ V. conscripta. Ferur quoque, ab hoc Pontifice nonnulla ea de re sancita fuisse decreta. Testis est Castellinus Auctor ei contemporaneus *in suo opere de certit. glor. SS. cap. 2. punct. 29.* ubi: *In confirmationem supradictorum omnium a sacra quoque Congregatione Illustriss. DD. Cardinalium, Prælatorum, ac Theologorum super prædictis a Clemente VIII. specialiter instituta 1602. & a Paulo V. reassumpta anno 1607. prævio voto in scriptis celeberrimorum Theologorum ..... & ab eisdem proprio nomine subscripto, quæ vota vidi, legi pluries, ac diligenter consideravi, ideo prædictorum Theologorum auctoritate (aliquando usus sum) fuerunt condita nonnulla decreta prohibentia ante dicta fieri ad sepulcra, sive ad Imagines illorum, qui adhuc non sunt per Ecclesiam beatificati; injungendo Episcopis, ut, quatenus opus esset, supradicta prohiberent, etiam edicto publico: ut latius in Actis ejusdem Congregationis habetur, SS. Domino Papa singula approbante, atque præcipiente illorum decretorum observantiam. Exemplaria fidelia sunt, quæ ego legi ac relegi: modo reservantur apud viros graves, & Religiosos quamplures hic in Urbe.* Profecto, etsi decreta hæc nunquam a me visa fuerint, eorum tamen sanctio certa esse videtur nedum ex modo allegato Castellini testimonio, verum etiam ex his, quæ referuntur tum a Molphesio, tum a Rotæ Auditoribus in relatione causæ S. Cajetani. Molphesius enim *consil. 45. n. 76.* sic habet: *Hoc idem*, nihil videlicet innovandum esse, *fuit resolutum coram SS. D. N. Paulo Papa V. anno proxime elapso 1615. quoad nostrum Beatum Patrem Cajetanum. Fuit enim dictum, nihil esse innovandum, & fuit etiam provisum, ut nostri manuteneantur in possessione, & quod, dum ab aliis turbarentur, recursum haberent ad Congregationem Sanctissimæ Inquisitionis, quæ in hoc eos defenderet; & dedit nostris diem, quo tale decretum fuit factum: in hoc enim Sanctissimo Tribunali non dantur copiæ decretorum, ut sciunt omnes.* Rotæ autem Auditores *in cit. relatione tit. de fama Sanctitatis Servi Dei post mortem* scriptis hæc prodiderunt: *Istam parvo populorum in Dei Servum pietatem ac devotionem summi Pontifices etiam mire observarunt. Etenim sel. record. Paulus V. in generalibus quibusdam ordinationibus circa præcavendam absque Ecclesiæ judicio defunctorum venerationem commissis professus est, se in nihilo eis, quæ hujus Beati personam respicerent, derogare voluisse; immo intentionis fuisse, ut perduraret populorum devotio, tanquam erga Beatum, cujus tituli nunc etiam vigentis accessionem permittebat. Quæ omnia vivæ vocis oraculo idem SS. Pontifex Joanni Delphino Cardinali Vicentino, postmodum Roberto Cardinali Bellarmino, ac tandem etiam Oratori Veneto comprobavit; mandavitque Fr. Deodato Gentili Dominicano Episcopo Casertano Neapoli Nuntio Apostolico, ut in commissa generalium ordinationum executione circa Servi Dei Cajetani personam nihil innovaret.* Sed & apud Marcum Antonium Boldettum *in observat. de cœmet. SS. Martyrum lib. 1. cap. 43.* mentio fit edicti ab hoc eodem Pontifice editi, in quo, gravibus pœnis impositis, mandavit, ne per Urbem fierent, aut collocarentur in ecclesiis picturæ, neve quidquam pingeretur super muros viarum publicarum, nisi prævio Cardinalis Vicarii permissu, atque adeo nisi prius re communicata cum ipso, vel cum Præsule ejus vices gerente.

6. Veruntamen apud P. Cepariun ne vestigium quidem reperitur memoratorum Pauli Papæ V. decretorum, licet ille duxerit vitam ad Pontificatum usque summi Pontificis Urbani VIII. uti colligere est ex monumentis in archivo Romano Societatis Jesu existentibus. Postquam enim in iis narratum est, quid ille idem egerit & quanta diligentia causas pertractaverit Beatificationis & Canonizationis Servorum Dei e suo Religioso Ordine, id subditur: *Quapropter & Cardinales, & Auditores Rotæ, & Advocati, & Secretarii rituum eum hisce de rebus consulere non dedignabantur, ut, tot negotiis onustum cum videret Cardinalis Pius, Canonizationis bajulum subvidens appellaret; & Urbanus ipse VIII. ne Religiosi curru per Urbem vehrentur prohibens, ipsum, quem tot simul causæ huc atque illuc vocabant, duxerit excipiendum.* Quin immo ipse *in suo directorio par. 2. cap. 6.* monita nonnulla reliquit, quatenus futuris temporibus ea reassumpta fuissent, de quibus silentium jam factum fuerat sub Clemente VIII. Dicit quippe & monet primo, ne cul-

tus ſolis Sanctis canonizatis debitus & reſervatus, ulla ratione, inconſulta Sancta Sede, exhibeatur etiam Sanctis non adhuc canonizatis: ſecundo ait, cavendum nihilominus, ne ita coerceatur cultus Servorum Dei, qui cum celebri ſanctitatis fama moriuntur, ut præcludatur aditus ad eorum Canonizationem, erga eos retardetur devotio, careantque Fideles beneficiis ac gratiis, quas eorumdem invocatione, necnon privata veneratione conſequerentur: hinc tertio loco ſubjungit, cavendum quoque eſſe, ne facile quid innovetur, aut prohibeatur, vel quovis modo immutetur circa antiquas & laudabiles conſuetudines in Eccleſia receptas, atque adeo ab immemorabili tempore a populo Fideli ſervatas in veneratione & cultu eorumdem Dei Servorum: denique id etiam videndum admonet, ne de hoc negotio in conſilium adhibeantur, qui privato aliquo animi affectu magis, quam ratione ducuntur. Item *part.* 2. *cap.* 9. ſequentibus indicat verbis, quid ſignanter ſtatuendum foret, ſi iterum actum eſſet de cultu exhibendo Dei Servis non beatificatis, neque canonizatis: *Non videtur negandum, quin eorum vita religioſe tranſacta evulgetur, & in narrationis etiam decurſu aliquando veri Beati, vel Sancti appellentur: at, quod inſcribatur opus, & in prima pagina imprimatur* VITA BEATI, VEL SANCTI TALIS *&c. non videtur permittendum ſine licentia Sedis Apoſtolicæ. Et ego fortaſſe primus id ſervavi, ut dixi ſupra, qui cum vitam B. Aloyſii Gonzagæ typis mandare Superiorum juſſu deberem, facultatem petii a ſummo Pontifice Paulo V. ut cum præfatione Beati imprimi poſſet; qui, antequam annueret poſtulatis, vitæ hiſtoriam tribus S. R. E. Cardinalibus inſpiciendam & examinandam & diligenter cum proceſſibus conferendam commiſit, ſcilicet Cardinali Hieronymo Bernerio Epiſcopo Aſculano ex Ordine Prædicatorum, Roberto Cardinali Bellarmino e Societate Jeſu, & Hieronymo Pamphilio tunc urbis Romæ Vicario, viris doctiſſimis & piiſſimis. Similiter, quod eorum Effigies & Imago imprimatur, videtur permittendum; nam, ut ait Seneca epiſt.* 64. „ *Quidni ego magnorum virorum Imagines habeam, incitamenta animi, & natales celebrem? Quidni illos honoris cauſa ſemper appellem?* " *At, quod imprimatur cum radiis vel ſplendoribus ſeu cum diademate ſine licentia Sedis Apoſtolicæ, non videtur permittendum; ſed ſervetur, quod in litteris in forma Brevis expeditis a Clemente VII. anno* 1524. *pro beatiſſimo viro Laurentio Juſtiniano ſervatum eſſe legimus. Nam Pontifex, dum concedit, ut in memoriam ejus B. Laurentii Patriarchæ Officium de uno Epiſcopo Confeſſore ſingulis annis die, qua migravit in cœlum, celebrari poſſit, & in Miſſis & Matutinis & Veſperis commemoratio fieri ab omnibus, qui voluerint, ſubdit: Et ejus Imago in eccleſiis, ſive Chriſtifidelium domibus, ſine tamen diademate, & non tanquam Canonizati, ſed tanquam Beati, libere & licite retineri valeat, Auctoritate Apoſtolica concedimus &c. Ex quibus verbis videtur colligi, Sanctos canonizatos ſolum cum diademate eſſe pingendos, Beatos vero, qui a Sede Apoſtolica ſunt approbati, & de quibus Miſſa ſeu Officium poteſt recitari, vel titulum Beati ſunt conſecuti, cum ſolis ſplendoribus ſeu radiis debere pingi, ut ſupra diximus. Quæ diſtinctio ortum habuit a Pictoribus, ut docet Troilus Malvetius in ſuo tractatu de Canonizatione, ut ſupra retulimus. Quare, qui nondum ſunt approbati nec canonizati, neque cum ſplendoribus neque cum diademate pingendi mihi videntur. Multo minus eorum Imago in publicis eccleſiis exponenda videtur auctoritate privata ad adorandum; hoc enim redolere videtur publicam & ſolemnem adorationem. Si tales Imagines exponantur vel ad ornatum, vel ſuper eorum ſepulcra in memoriam ipſorum, ut fit etiam in ſepulcris aliorum paſſim, tolerari poteſt; quia virtus eximia & vitæ ſanctitas præferenda eſt ſanguinis claritudini, & bellicæ laudi, & aliis doctrinæ, vel naturæ dotibus, ob quas hujuſmodi monumenta nunc in eccleſiis ponuntur cum inſcriptionibus: ſed, quod ponantur in altari, vel in alia parte templi, ut a populo veneretur, id ſine Sedis Apoſtolicæ, vel ſaltem Concilii provincialis in una provincia, aut ſine Epiſcopi prævio examine, diligenti indagatione & conſultatione, ac tandem approbatione, non auſim dicere, quod liceat; cum Concilium Tridentinum ſeſſ.* 25. *tit. de invocatione, & Reliquiis Sanctorum, & ſacris Imaginibus expreſſe dicat:* „ *Statuit Sancta Synodus, nemini licere ullo in loco, vel eccleſia, etiam quomodolibet exempta, ullam inſolitam ponere vel ponendam curare Imaginem, niſi ab Epiſcopo approbata fuerit. Nulla etiam admittenda eſſe nova miracula, nec novas Reliquias, niſi eodem recognoſcente & approbante (ſubdit Concilium de modo approbationis) qui, ſimul atque de iis aliquid compertum habuerit, abhibitis in conſilium Theologis & aliis piis viris, ea faciat, quæ veritati & pietati conſentanea judicaverit. Quod ſi aliquis dubius aut difficilis abuſus ſit exſtirpandus, vel omnino aliqua de iis rebus gravior quæſtio incidat, Epiſcopus, antequam controverſiam dirimat, Metropolitani & comprovincialium Epiſcoporum in Concilio provinciali ſententiam expectet, ita tamen, ut nihil, inconſulto SS. Romano Pontifice, novum aut in Eccleſia hactenus inuſitatum decernatur* ". *Hæc Concilium: quibus verbis ſine dubio ſublata eſt omnis facultas exponendi novas Imagines in templis ſine Ordinariorum approbatione, ſi qua antea fuiſſet. Addo graves Auctores in ea eſſe ſententia, ut Concilium in hoc loco non loquatur de Imaginibus eorum, qui cum opinione ſanctitatis moriuntur, ſed Sanctiſſimæ Trinitatis, & aliorum Sanctorum jam approbatorum; ne ſcilicet novo & inuſitato modo pingatur Trinitas, unde ſcandalum oriri poſſit, & ſic de aliis Imaginibus. Similiter dico, licere in die anniverſario alicujus Beati lætari peculiariter, & ſingulariter etiam Deo gratias agere, &, ſi quis velit, etiam in gratiarum actionem Miſſam de Sanctiſſima Trinitate dicere, & privatim etiam in cubiculo, ſeu in alio loco, etiam ſacro, preces ei porrigere; ſed non licet vigiliam ſeu jejunium pridie ejus diei injungere, vel diem feſtum ſolemnem indicere, & alia facere, quæ pro ſolis Canonizatis, ſeu ab Eccleſia approbatis fieri ſolent. Item hactenus privatæ perſonæ candelas ad ſepulcrum accendere & alia luminaria potuerunt ex peculiari devotione, ſeu vota & donaria offerre, & vota ſeu tabellas votivas appendere. Hæc enim omnia, cum ex pio affectu perſonarum erga aliquem fiant, permittebantur juxta conſuetum Eccleſiæ morem: ſed, quia periculum eſt, ne populi humana induſtria ab aliquibus ad vota affigenda, & luminaria accendenda incitentur, licet devoto affectu & pia intentione iſti moveantur, conſerem, in poſterum debere ab Ordinario deputari aliquem, ſive Vicarium, ſive alium virum doctum & pium, ſine cujus licentia nemo poſſet tabellas affigere, lampades ſeu alia luminaria accendere ad ſepulcra iſtorum nondum a Sede Apoſtolica approbatorum, nec flores & ſimilia ſternere, nec ipſa ſepulcra ornare, nec donaria offerre. Quod ſi quis hunc Deputatum ad licentiam petendam, ille teneretur illum examinare, prævio juramento, de cauſa & motivo, &, an ab aliquo fuerit ad hoc faciendum impulſus ſeu hortatus: hac ratione in ſcriptis remaneret depoſitio & examen tabellas afferentis, obviaretur fraudibus, & populi devotio non impediretur. Denique ea omnia mihi vitanda eſſe videntur, quæ redolent publicitatem & ſolemnitatem. Quod ſi quis dicat, noviſſimis hiſce temporibus in Beatis recentioribus hunc rigorem ſervatum non fuiſſe, reſpondeo: In primis nulla adhuc prohibitio facta eſt circa hoc; & nos non dicimus, quod facta ſit, ſed tantum annuimus, expedire, ut fiat, ne ardor aliquorum & zelus non ſecundum ſcientiam ad hos honores aliquos humana induſtria promoveat, qui tali veneratione digni revera non ſint, etiamſi viri pii & virtute præditi fuiſſe credantur. Quoniam vero noſtrum non eſt decernere, quid permittendum, quid prohibendum ſit, poſt indicatam ſententiam noſtram, relinquamus hæc omnia judicio ſanctæ Romanæ Eccleſiæ, quæ in his, quæ pertinent ad Fidem & ad mores, errare non poteſt, ut ſupra dictum eſt lib.* 1. *cap.* 6. *Hoc unum tantum cavendum monerem, ne ita omnia prohibeantur, ut præcludatur aditus Canonizationibus futuris, nec impediantur Fideles ea facere, quæ ab Eccleſia prærequiruntur, ut ſigna & indicia devotionis populorum. Eſt igitur devotio privata populi permittenda: quæ ſapiunt publicitatem & ſolemnitatem, videntur omnino tollenda.*

7. Hactenus P. Ceparius, ex cujus dictis ſatis perſpicue inferri poſſe videtur, etſi condita fuerint a Paulo V. decreta, de quorum ſanctione tot adſunt idonei teſtes ſupra memorati, ea tamen non promulgata, ideoque ad effectum perducta non fuiſſe, aut eorum ope ſufficienter proviſum non fuiſſe cultui Dei ſervis necdum beatificatis, vel canonizatis impendendo. Quamobrem & in decretis Urbani VIII. mox referendis nullum fit verbum eorumdem Pauli V. decretorum: quod præter morem Romanorum Pontificum alioqui fieret, qui de ſuorum Anteteceſſorum decretis meminiſſe conſueverunt, quoties aliquid illis ſtatuendum fuit de materia in hiſce contenta.

CA-

UAB Biblioteca de Ciències Socials

CAPUT DECIMUMPRIMUM.

De ſummi Pontificis Urbani VIII. decretis.

1. PUTANT nonnulli (ut eſt apud Spondanum *ad annum* 1623. *n.* 13. apud Philippum Brietium *ad annum* 1624. *pag.* 893. & apud Marcum Bataglinum Epiſcopum Nucerinum *ad an.* 1625. *num.* 5.) Urbanum VIII. ſcandalis quibuſdam permotum fuiſſe, quæ ſæculi ſuperioris initio contigerunt, ad promulganda generalia decreta de cultu erga Dei Servos neque beatificatos, neque canonizatos. Sed ex iis, quæ ſunt a nobis ſuperius relata, ſatis conſtat, rei hujus initium a tempore Clementis VIII. eſſe repetendum, progreſſum a tempore Pauli V. Urget porro regula juris, juxta quam dicitur, actum referri debere ad titulum, de quo conſtat, non autem ad alium excogitatum, de quo minime conſtat.

2. Itaque, utcumque illa ſint, ipſe Pontifex Urbanus, re diſcuſſa in Congregatione ſanctiſſimæ Inquiſitionis die 13. Martii, & 3. Octobris 1625. cultum prohibuit atque venerationem erga illos, qui non fuerunt ab Apoſtolica Sede beatificati, aut canonizati, ut ex ſequentibus decretorum verbis aperte deprehenditur: *Cum SS. in Chriſto Pater & Dominus noſter Dominus Urbanus Divina providentia Papa VIII. die* 13. *Martii* 1625. *decretum ediderit infraſcripti tenoris, videlicet: SS. Dominus noſter ſollicite animadvertens abuſus, qui irrepſerunt & quotidie irrepere non ceſſant in colendis quibuſdam cum ſanctitate, aut Martyrii fama vel opinione defunctis; qui etſi neque Beatificationis neque Canonizationis honore inſigniti ſint ab Apoſtolica Sede, eorum tamen Imagines in oratoriis, atque eccleſiis, aliiſque locis publicis ac etiam privatis cum laureolis, aut radiis ſeu ſplendoribus proponuntur &c. Volenſque proinde hujuſmodi abuſibus pro debito officii Paſtoralis occurrere, re etiam cum Illuſtriſs. & Reverendiſs. DD. Cardinalibus contra hæreticam pravitatem in univerſa republica Chriſtiana generalibus Inquiſitoribus communicata & mature conſiderata ac diſcuſſa, declaravit, ſtatuit, & decrevit, ne quorumvis hominum cum ſanctitatis, ſeu Martyrii fama (quantacumque illa ſit) defunctorum Imagines, aliaque prædicta, & quodcumque aliud venerationem & cultum præſeferens & indicans in oratoriis, aut locis publicis vel privatis, vel eccleſiis tam Sæcularibus, quam Regularibus cujuſcumque Religionis, Ordinis, Inſtituti, Congregationis, aut Societatis apponantur, antequam ab Apoſtolica Sede canonizentur, aut Beati declarentur; &, ſi quæ appoſitæ ſunt, amoveantur, prout eas ſtatim amoveri mandavit &c.* Atque adeo in executionem horum decretorum ſtatim ablatæ fuerunt ab Urbis eccleſiis Imagines nonnullorum virorum, qui ſanctitatis fama erant illuſtres, ſed adhuc non fuerant beatificati, aut canonizati; teſte Caſtellino *de certit. glor. SS. c.* 2. *punct.* 54. *In executionem hujus decreti ſeu decretorum mira celeritate in multis eccleſiis Urbis ablatæ fuere Imagines Famulorum Dei nondum honore Beatificationis condecoratorum; quamvis illorum vita & mors extiterit, ut fertur, admirabilis & glorioſa, non ſine ſanctitatis opinione & miraculorum fama.* Quin etiam ſtatim ac ad remotiſſimas regiones eorum notitia pervenit, præſtita eis eſt debita obedientia, ſicuti videre eſt in vita S. Roſæ Limanæ ſcripta a Leonardo Hanſen *cap.* 31. *num.* 12. necnon in vita tunc Beati, nunc S. Franciſci Solani ſcripta a Tiburtio Navarro *lib.* 2. *cap.* 19.

3. Porro, quamvis ad tollendam eorumdem decretorum ignorationem inſerta iis fuerit ſequens clauſula, *Et, ne præmiſſorum ignorantia poſſit ab aliquo prætendi, voluit, ut decretum hujuſmodi, ſeu illius exemplum ad valvas Baſilicæ Principis Apoſtolorum Urbis, ac in acie Campi Floræ affixum omnes proinde arctet atque afficiat, ac ſi unicuique perſonaliter intimatum fuiſſet; quodque præſentium tranſumptis, etiam impreſſis, manu Notarii publici ſubſcriptis, ac ſigillo alicujus perſonæ in Eccleſiaſtica dignitate conſtitutæ munitis eadem prorſus fides habeatur, quæ præſentibus haberetur, ſi forent exhibitæ vel oſtenſæ*; miſſa nihilominus adhuc fuerunt eorundem exemplaria ad Epiſcopos, ut & propriis in diœceſibus eadem promulgari curarent; quemadmodum deſumitur ex ſequenti epiſtola Cardinalis Mellini Urbis Vicarii ad Cardinalem Borromæum Archiepiſcopum Mediolanenſem typis impreſſa in libro inſcripto, *Flores directorii Inquiſitorum pag.* 481. *La licenza di molti troppo avanti traſcorſa nel culto e veneratione di perſone morte con fama di Martirio, e ſantità, prima che della vita ed azioni loro ne ſia, conforme alla diſpoſizione de' ſacri Canonici, preſa informazione, e decretatogli onore di Santo o di Beato, ha data occaſione alla Santità di noſtro Signore di porvi freno con un decreto generale ſtabilito nella Congregazione del ſanto Offizio. Ne rimetto a V. S. Illuſtriſſima con queſta gli eſemplari, acciò uno ſi compiaccia pubblicarlo in coteſta ſua dioceſi, e de gli altri ne mandi uno a ciaſcheduno ſuo Veſcovo Suffraganeo con la copia della preſente lettera, acciò ſe le procuri inviolabilmente l'oſſervanza; procedendo in ſimili occaſioni nella forma preſcritta, e caſtigando chi vorrà contravvenire, ſecondo la diſpoſizione del preſente decreto.*

4. Præterea, quod propoſitum noſtrum propius reſpicit, cum idem Pontifex Urbanus VIII. decreta prædicta *ſpecifica* forma confirmaverit in Brevi expedito die 5. Julii 1634. typis autem impreſſo in libello decretorum generalium, eodem ſtatuit, decrevit, & addidit, non poſſe initium dari cauſæ Beatificationis & Canonizationis, niſi confecto proceſſu ſeorſum ab altero ſuper fama ſanctitatis, virtutum, & miraculorum, in quo probatus ſit non cultus, tum autem niſi ſententia accedat Judicis ordinarii, aut delegati ſuper obſervantia erga eadem decreta. *Demum vero, ut hujuſmodi decreta obſervarentur indubie ac omnimodam ſortirentur executionem, cum eiſdem Cardinalibus re pariter communicata, deque eorumdem conſilio, præmiſſis addidimus, ſtatuimus, decrevimus atque declaravimus, ne ex tunc deinceps quiſpiam Ordinariorum, aut ab Apoſtolica Sede ad hoc ſpecialiter Delegatorum ſuper alicujus utriuſque ſexus cum ſanctitatis, aut Martyrii fama vel opinione defuncti miraculis, revelationibus, aliiſve ejuſmodi ſanctitatem redolentibus ex integro informationes quo modo reciperet, aut proceſſum inſtrueret, vel hucuſque receptas informationes inſtructumve proceſſum ulterius proſequeretur, niſi Poſtulator prius per legitimas juridice ſuſceptas probationes, circa perſonam ejus, de cujus miraculis, revelationibus, aliiſve rebus geſtis ſanctitatem præferentibus ageretur, præſcriptam in præfato noſtro decreto formam omnino ſervatam extitiſſe, docuerit, & niſi poſtea ſucceſſive idem Ordinarius, aut ab Apoſtolica Sede ad hoc ſpecialiter Delegatus, diligenti præhabita diſquiſitione circa eamdem perſonam, ſupracitato decreto nullatenus contraventum eſſe, rite pronuntiaverit. Utque id inviolabiliter obſervetur, ſtatuimus inſuper ac decrevimus, ne tranſmiſſi ad Urbem undecumque hujuſmodi proceſſus a Congregationis ſacrorum rituum Secretario minuſve a ſanctæ Fidei Promotore quomodolibet aperiantur, niſi prius in ipſa ſacrorum rituum Congregatione, alio ſejunctim oblato authentico proceſſu, ex eo Ordinarium, aut ab Apoſtolica Sede ſpecialiter Delegatum rite ac recte, ut præmittitur, cognoviſſe ac pronuntiaſſe, prælibato decreto nequaquam contraventum eſſe, plene conſtiterit, ac deinde a nobis judicialiter aperiendi eos proceſſus facultas indulta fuiſſet.* Sed & concordant decreta generalia, ubi: *Sub prohibitione facta Secretario Congregationis ſacrorum rituum, necnon ſanctæ Fidei Promotori, ne aperiatur proceſſus undecumque ad Curiam tranſmiſſus, niſi ſervata forma tradita in prædictis decretis, comprehendi declaratur etiam Protonotarium Apoſtolicum ad hujuſmodi munus pro tempore deſtinatum, & alium quemcumque.*

5. Præter generalem vero cultus prohibitionem Pontifex in iiſdem decretis actus etiam nonnullos expreſſit, quos neutiquam exhibendos ſanxit iis ipſis, qui tantummodo Dei Servi jure appellantur: quorum primus ille eſt antea indicatus, ſcilicet, quod eorumdem Dei Servorum Imagines neque depingi poſſent cum laureolis, radiis ſeu ſplendoribus, neque retineri ſive in ſacellis, ſive aliis in locis publicis aut privatis, ſive in eccleſiis tum Sæcularibus, tum Regularibus cujuſcumque Ordinis, Inſtituti, aut Societatis: *Eorum tamen Imagines in oratoriis, atque eccleſiis, aliiſque locis publicis, ac etiam privatis cum laureolis, aut radiis ſeu ſplendoribus proponuntur &c. Volenſque proinde hujuſmodi abuſibus pro debito officii Paſtoralis occurrere &c. declaravit, ſtatuit, & decrevit, ne quorumvis hominum cum ſanctitatis, ſeu Martyrii fama (quantacumque illa ſit) defunctorum Imagines, aliaque prædicta, & quodcumque aliud venerationem & cultum præſeferens & indicans in oratoriis, aut locis publicis ſeu privatis, vel eccleſiis tam Sæcularibus, quam Regularibus cujuſcum-*

juscumque Religionis, Ordinis, Instituti, Congregationis, aut Societatis apponantur, antequam ab Apostolica Sede canonizentur, aut Beati declarentur; &, si quæ appositæ sunt, amoveantur, prout eas statim amoveri mandavit: quod & habetur in citato Brevi decreta ipsa confirmante. Quantum autem ad hunc actum attinet, nihil aliud ponderandum est, nisi, quod duo sunt, quæ de eo in eisdem decretis prohibentur; alterum est, quod Imagines non apponantur ad altare publicum vel privatum, etiamsi depictæ essent sine laureolis, radiis aut splendoribus, alterum vero, quod non depingantur cum ipsis laureolis, radiis aut splendoribus, sicque depictæ nullo in loco seu publico seu privato retineantur; ut ad rem prosequuntur decreta generalia: *Imagines eorum, qui cum sanctitatis, seu Martyrii fama obierunt, non apponantur in altari publico vel privato, & multo minus cum diademate, laureolis, & radiis seu splendoribus, vel alio quocumque modo venerationem & cultum præferente & indicante: hæ enim prohibentur apponi non solum in altaribus prædictis, sed etiam in oratoriis, vel ecclesiis, aut locis publicis seu privatis quibuscumque, antequam a Sede Apostolica canonizentur, vel Beati declarentur.* Id ipsum adnotavit Carena *de sancto Offic. part. 2. tit. 17. §. 12. num. 49. & 50.* confirmaturque ex decreto sacræ Congregationis edito die 11. Januarii 1681. in causa Ordinis Eremitarum Camaldulensium Congregationis Montis Coronæ, quod ita habet: *Sacra rituum Congregatio, auditis animadversionibus Reverendiss. Fidei Promotoris factis circa Imagines Fratris Pauli Justiniani Ordinis Eremitarum Camaldulensium Congregationis Montis Coronæ impressas Venetiis absque debita licentia cum laurea circa caput, & infrascripta inscriptione & verbis. Beatus Paulus Justinianus Patritius Venetus, Eremita Camaldulensis, Congregationis Montis Coronæ Auctor & Institutor, clarissimum Religiosæ observantiæ lumen, & perpetuus Eremiticæ austeritatis vindex, admirabili vitæ sanctimonia ac virtutum splendore &c. obiit 1528. die 28. Junii, anno vero ætatis suæ 52. mandavit, ut colligantur omnes Imagines una cum ære, & consignentur Secretario, & injungatur Procuratori Generali præfati Ordinis, qui certioret de hoc decreto omnes Superiores Ordinis, & curet executionem: Hac die 11. Jan. 1681.* Accedit, quod postea scriptum fuit Patri Majori Ordinis Eremitarum Camaldulensium Montis Coronæ Neapolis, ne molestaret seu perturbaret quemdam suum Monachum causa denuntiationis ab hoc factæ sanctissimæ Inquisitioni, & sacrorum rituum Congregationi quoad Imagines ære impressas ejusdem Fratris Pauli Justiniani &c. cum titulo Beati & laurea &c. die 14. Februarii 1681. Hæc autem addduximus, tantum ut constantem sacra Congregationis disciplinam in curanda observantia erga generalia decreta demonstremus, minime vero, ut ullam inuramus notam glorioso ipsi Dei Servo Paulo Justiniano, vel Augustino Romano Fiori Monacho Camaldulensi, qui illius vitam Romæ edidit anno 1724. eam summo Pontifici Benedicto XIII. dicavit, Paulumque appellavit Beatum, necnon *cap. ult.* ostendere conatus est, a tempore, quo ille obiit, usque in præsens eo nomine insignitum fuisse.

6. Secundus actus ex allegatis Sanctissimæ Inquisitionis decretis prohibitus libros spectat continentes virtutes, Martyrium, revelationes, atque miracula Servorum Dei neque beatificatorum, neque canonizatorum. Hi namque typis imprimi prohibentur sine recognitione atque approbatione *Ordinarii*, qui & tenetur adhibere ad consilium Theologos, aliosque pios & doctos viros, tum autem negotium instructum ad Sedem Apostolicam mittere, hujusque responsum expectare. Ita enim habent eadem decreta. *Ac pariter imprimi de cetero inhibuit libros eorumdem hominum, qui sanctitatis, sive Martyrii fama vel opinione, ut præfertur, celebres e vita migraverint, gesta, miracula vel revelationes, seu quæcumque beneficia, tanquam eorum intercessionibus a Deo accepta, continentes, sine recognitione atque approbatione Ordinarii; qui in iis recognoscendis Theologos, aliosque pios ac doctos viros in consilium adhibeat; &, ne deinde fraus, aut error, aut aliquid novum ac inordinatum in re tam gravi committatur, negotium instructum ad Sedem Apostolicam transmittat, ejusque responsum expectet. Revelationes vero, & miracula, aliaque beneficia supradicta, quæ in libris horum hominum vitam & gesta continentibus hactenus sine recognitione atque approbatione hujusmodi impressa sunt, nullo modo approbata censeri vult, mandatque sua sanctitas.* Et ita pariter habetur in Brevi eadem confirmante.

2. Sedes autem Apostolica aut utitur opera Fidei Promotoris in horum operum revisione, uti desumitur ex sequenti decreto Congregationis sacrorum rituum, *Consulta sacrorum rituum Congregatione per Reverendiss. P. Magistrum sacri palatii super modo concedendi licentiam imprimendi libros continentes vitas, gesta, & miracula Servorum Dei non adhuc a Sede Apostolica Sanctorum fastis adscriptorum, eadem sacra Congregatio censuit, in posterum, antequam typis mandentur, revidendos esse per R. P. D. Fidei Promotorem, & per eumdem in sacrorum rituum Congregatione referendos: Hac die 17. Novembris 1674.* aut eorumdem revisionem defert ad Congregationem sanctissimæ Inquisitionis; quæ, accepta relatione ab aliquo ex suis Relatoribus seu *Qualificatoribus*, si quando illa typis imprimendi facultatem tribuit, injungit locorum *Ordinariis* observantiam erga sæpe memorata Urbani VIII. decreta; uti colligitur ex alio sequenti decreto: *Die 3. Julii 1638. facta relatione EE. & RR. DD. Cardinalibus generalibus Inquisitoribus in Congregatione sancti Officii habita in Conventu S. Mariæ super Minervam de multitudine librorum continentium vitas Servorum Dei, qui reperiuntur in Cancellaria sancti Officii, qui jam fuerunt per Religiosos deputatos considerati, dixerunt, remittendos esse ad locorum Ordinarios cum hac epistola, quæ inserviat pro responso, de quo in decretis; & semper in posterum formula hæc in hujusmodi casibus ad unguem observetur: Si rimanda a V. S. il libro della vita del Servo di Dio N. N. composta da N. N. e si ricorda alla sua prudenza l' osservanza delli decreti altre volte fatti dalla sacra Congregazione sotto li 13. Marzo 1625. e 5. Luglio 1634. Et, facta relatione, Sanctissimus approbavit.* Sed & ejusmodi facultas non datur a Sede Apostolica, nisi ab Auctore principio & fini operis apponantur *protestationes* mox referendæ, aut æquam significationem habentes. Præterquamquod eadem Sedis Apostolicæ approbatio ipsis majorem probationis vim ad Beatificationem & Canonizationem minime addit illa, quam haberent sine eadem approbatione: quemadmodum ex decretis generalibus constat: *Responsum quod a Sede Apostolica in vim prædictorum decretorum expectare debent Ordinarii locorum, ut imprimi possint libri continentes gesta, miracula, seu revelationes eorum, qui cum prædicta fama sanctitatis, seu Martyrii decesserunt, non detur, nisi cum insrascriptis protestationibus in dictis libris & historiis inserendis. Declarando etiam expresse, quod tales libri seu historiæ, licet ab Ordinariis revisæ, & post Sedis Apostolicæ responsum approbatæ, non faciant majorem gradum probationis in ordine ad Canonizationem seu Beatificationem, quam quæ alias absque tali approbatione de jure fecissent, non obstante quocumque longissimi temporis cursu.*

8. Formula porro protestationis principio libri adjungendæ juxta decreta generalia Urbani VIII. sequentibus concepta est verbis: *Cum Sanctissimus D. N. Urbanus Papa VIII. die 13. Martii anno 1625. in sacra Congregatione sanctæ Romanæ & universalis Inquisitionis decretum ediderit, idemque confirmaverit die 5. Julii anno 1634. quo inhibuit, imprimi libros hominum, qui sanctitate, seu Martyrii fama celebres e vita migraverunt, gesta, miracula, vel revelationes, seu quæcumque beneficia, tanquam eorum intercessionibus a Deo accepta, continentes sine recognitione atque approbatione Ordinarii; &, quæ hactenus sine ea impressa sunt, nullo modo vult censeri approbata: idem autem Sanctissimus die 5. Junii 1631. ita explicaverit, ut nimirum non admittantur elogia Sancti, vel Beati absolute, & quæ cadunt super personam, bene tamen ea quæ cadunt supra mores & opinionem, cum protestatione in principio, quod iis nulla adsit auctoritas ab Ecclesia Romana, sed fides tantum sit penes Auctorem: Huic decreto, ejusque confirmationi & declarationi observantia & reverentia, qua par est, insistendo, profiteor, me haud alio sensu, quidquid in hoc libro refero, accipere, aut accipi ab ullo velle, quam quo ea solent, quæ humana duntaxat auctoritate, non autem Divina Catholicæ Romanæ Ecclesiæ, aut sanctæ Sedis Apostolicæ nituntur; his tantummodo exceptis, quos eadem sancta Sedes Sanctorum, Beatorum, aut Martyrum catalogo adscripsit.*

9. Formula vero protestationis in fine libri ab Auctore exprimendæ, prout eadem Urbani VIII. generalia decreta ferunt, est hujusmodi: *Lector adverte, in elogiis virorum illustrium, quos hoc libro complexus sum, nonnulla me obiter attingere, quæ sanctitatem ipsis videantur adscribere: perstringo nonnunquam aliqua ab iis gesta, quæ cum vires humanas superent, miracula videri possunt, præsagia futurorum arcanorum, manifestationes, revelationes, illustrationes, &, si qua sunt alia hujusmodi; beneficia item in miseros mortales eorum intercessione divinitus collata: denum nonnullis sanctimoniæ, vel*

Mar-

Martyrii videor appellationem tribuere. Verum hæc omnia ita meis lectoribus propono, ut nolim ab illis accipi tanquam ab Apostolica Sede examinata atque approbata: sed tanquam quæ a sola fuorum Auctorum fide pondus obtineant, atque adeo non aliter, quam humanam historiam. Proinde Apostolicum sacræ Congregationis sanctæ Romanæ & universalis Inquisitionis decretum anno 1625. editum, & anno 1634. confirmatum, integre atque inviolate, juxta declarationem ejusdem decreti a Sanctissimo D. N. Urbano Papa VIII. anno 1631. factam servari a me, omnes intelligunt; nec velle me vel cultum aut venerationem aliquam per has meas narrationes ulli arrogare, vel famam & opinionem sanctitatis, aut Martyrii inducere, seu augere, nec quidquam ejus existimationi adjungere, nullumque gradum facere ad futuram aliquando ullius Beatificationem, vel Canonizationem, aut miraculi comprobationem: sed omnia in eo statu a me relinqui, quem, secluſa hac mea lucubratione, obtinerent, non obstante quocumque longissimi temporis cursu. Hoc tam sancte profiteor, quam decet eum, qui sanctæ Sedis Apostolicæ obedientissimus haberi filius cupit, & ab ea in omni sua inscriptione & actione dirigi.

10. Tertius demum actus veritus est ad sepulcra Servorum Dei neque beatificatorum, neque canonizatorum lampadum ac luminum incensio; necnon imaginum ex cera, vel argento, seu, quod idem est, votivarum tabellarum suspensio: *Ad horum hominum sepulcra, vetuit etiam ac inhibuit, tabellas atque imagines ex cera, aut argento, seu ex alia quacumque materia, tam pictas, quam fictas, atque exculptas appendi seu affigi; & lampades sive alia quæcumque lumina accendi sine recognitione ab Ordinario, omnino prout supra, facienda, Sedique Apostolicæ referenda ac probanda.* Quo pertinet & Breve decreta, quorum sunt modo exposita verba, confirmans.

11. Cum vero in dubitationem adductum esset, an ex ipsis expositis verbis vetita dici posset absolute ac simpliciter tabellarum votivarum oblatio, summus sæpe dictus Pontifex sequentem emisit declarationem, quam legere est in toties citatis decretis: *Postmodum vero idem Sanctiss. D. N. a quibusdam revocari in dubium, accepit, an tabellas & imagines, quas in posterum offerri contigerit, recipere & antea oblatas conservare liceret, Sanctitas sua, quæ tantummodo voluit, occurrendo abusibus, qui irrepere videbantur, certiorem parare viam ad eorum in terris gloriam, quorum sanctimoniam Divinæ clementiæ placuerit admirandis operibus illustrare, re prius cum Illustriss. & Reverend. DD. Cardinalibus contra hæreticam pravitatem generalibus Inquisitoribus communicata, præsenti decreto declaravit, quod, sicut nunquam prohibuit, nec suæ intentionis fuit prohibere oblationem receptionemque tabellarum, & imaginum hujusmodi, ita ut nulli deinceps hæsitationi locus relinquatur, statuit impræsentiarum & decernit, ut quoties ad aliquam ecclesiam, aut oratorium, locumque alium publicum sive Secularem, sive Regularem tabellas & imagines, aliudve simile quispiam detulerit, ac, intercessione hominum inter Sanctos, vel Beatos non adscriptorum, quamvis cum Martyrii, vel sanctitatis fama demortuorum, optata se impetravisse, dixerit; liceat Ecclesiasticis personis ecclesiarum, locorumve prædictorum curæ præpositis tabellas & imagines sive pictas, sive ex quavis materia fictas, atque alia quæcumque collatæ gratiæ fidem facientia simul cum deferentis, aliorumque, qui consciī fuerint, attestationibus recipere, atque approbantibus Ordinariis, ad quos referre statim omnia teneantur, in secreto aliquo seorsum ab ecclesia loco custodire, ibidemque annota jam collocare & asservare; ut, si quando Dominus talium virorum merita Beatificationis seu Canonizationis honore in terris decorare voluerit, extent hujusmodi sanctitatis qualescumque probationes Apostolicæ Sedis judicio tunc examinandæ.* Et de eo pariter consentit Breve, in quo decreta confirmantur: quod optima sane ratione statutum fuisse cognoscitur, ut videlicet hinc tollerentur abusus, illinc vero minime interiret memoria miraculorum aut beneficiorum a Deo, suis Servis intercedentibus, effectorum; juxta illud Theodoreti *in sermone de Martyribus t. 4. op. collect. Vales. pag. 606.* ubi: *Quod vero votorum compotes fiant, qui fideliter petunt, palam testantur illorum donaria curationem indicantia. Alii enim oculorum, alii pedum, alii manuum simulacra suspendunt ex argento, aurove confecta ... Hæc autem morborum depulsionem indicant, cui testandæ ab iis posita sunt, qui sanitatem receperunt*; necnon juxta ea, quæ apte ad rem expendit Rocca, licet scripserit ante Urbani decreta, *in tract. de nov. Reliq. pag. 230. op. tom. 1.* Nomine autem loci ab ecclesia secreti, in quo conservandæ sunt tabellæ & imagines votivæ, comprehenditur etiam sacrarium; dummodo conservatio item in eo secreta sit, & a quocumque cultu atque veneratione remota, quod & firmant sæpe memorata decreta: *Votivæ tabellæ, imagines, & res aliæ ad beneficia accepta testificanda, quæ in secreto retineri mandantur, etiam in sacrario custodiri permittuntur, secreto tamen, & eo modo, quo cultum & venerationem non præseferant.*

12. Tres igitur sunt actus præcipui, qui prohibiti sunt ex decretis Urbani: scilicet primo Imaginum in altari publico vel privato retentio, earumque pictura cum laureolis, radiis aut splendoribus; retentio quippe in altari publico vel privato venerationem, additamentum vero radiorum, splendorum, & similium, æternam significat felicitatem. Ita enim Pignatellus differit, respectu quidem picturarum in ecclesiis existentium *consul. 208. n. 6. tom. 1.* respectu autem picturarum cum aureolis, radiis & splendoribus *consul. 47. num. 2. tom. 4.* Laureolarum porro nomine indicatur circulus lucidus circa caput, qui etiam diadema appellatur, teste Cardinali Albitio *de inconst. in Fide par. 1. c. 40. n. 180.* de quo adhuc diademate qui plura scire cuperet, legere poterit Joannem Ciampinum *veter. Moniment. cap. 14.* ubi multa erudite ad rem congerit, tum autem celebrem virum senatorem Philippum Bonarota in *Opere de Fragmentis Vitrorum pag. 65.* Conscripta quoque fuit a Francisco Maria Turrigio *hist. Martyrii S. Theod.* in cujus *cap. 21.* postquam narravit, effigiem dicti Sancti inventam fuisse depictam cum circulo supra caput, tum inquit, quod licet Diadema Regium apud Romanos, & exteras gentes constaret ex fascia candida, teste Simone Scardio, cum quo consentit Alexander ab Alexandro *genial. dier. l. 10.* circulus nihilominus ille diadematis nomen in re, de qua nunc agimus, assumpsit. *Intorno al capo ha il circolo chiamato volgarmente la diadema, indizio di santità Canonizzata da santa Chiesa, come di quello, che gode nel Cielo la Beatitudine, che è (così la definisce Boezio) uno stato perfettissimo accumulato di tutti i beni; il che viene rappresentato da quella figura circolare, che è di tutte le figure Matematiche la più compita, e perfetta: onde vien nominata al nostro proposito nell' Apocalisse, Corona vitæ.* Ante editionem quippe Decretorum tolerantia tum in Urbe, tum extra Urbem adeo excreverat, ut plures imagines horum Dei Servorum non Beatificatorum neque Canonizatorum in ecclesiis retinerentur, etiam cum Diademate depictæ; ut late ostendit Pater Ceparius *in suo directorio part. 2. cap. 8. in responsione ad dub. 11.* Sed, cum sensus Apostolicæ Sedis infra etiam comprobandus semper fuerit, quod prædicta importarent cultum publicum tantummodo exhibendum Dei Servis Beatificatis, aut Canonizatis, merito postea Urbanus VIII. tolerantiam late nimis extensam abrogavit.

13. Secundo prohibita est librorum, qui continent virtutes, Martyrium, Revelationes, ac miracula Servorum Dei non Beatificatorum, neque Canonizatorum, editio: nam, etsi id non erat absolute, & per se malum, quare nec fuit absolute ab Urbano prohibitum, nonnulla tamen ad abusus arcendos statuenda videbantur, prout sane prudenter constituta fuerunt. Id vero non erat absolute, & ex se malum; cum & Sanctissimi Patres, & Ecclesiæ Doctores vitas, ac miracula Servorum Dei cum sanctitatis laude defunctorum conscripserint, atque adeo non raro in Canonizationibus ipsis habita fuerit ratio consimilium historicarum narrationum a viris fide dignis exaratarum. Aliqua nihilominus merito constituta fuerunt ad removendos abusus; cum debeant Ecclesiæ Præsules diligenter cavere, ne inter scribenda, aut evulganda miracula fictio aliqua irrepat, sicuti ad hæc ipsa Decreta respicientes recte adnotarunt Baldell. *in theolog. moral. tom. 2. lib. 3. disput. 13. a numer. 13. ad numer. 21.* & Cardinalis Albitius *de Inconstantia in Fide part. 1. cap. 40. numer. 191. & sequentibus.* Additur, quod, nisi statutum esset, Servorum Dei vitas a viris fide dignis conscriptas, servatis omnibus, quæ præscripta sunt a Concilio Tridentino & decretis, non habere majus in probando pondus respectu Beatificationis & Canonizationis, non obstante Apostolico responso, quam habuissent, si responsum Apostolicum ante eorum editionem necessarium non accessisset; prætendi posset, nullas alias probationes ex ordinario, & Apostolico processu deducendas pro Beatificatione & Canonizatione requiri: qua profecto in re magna contineretur absurditas, tum quia necessitas utriusque processus in superioribus visa est, tum quia, ceteris prætermissis, & signanter exemplo vitæ S. Aloysii Gonzagæ ante ejus Beatificationem & Canonizationem conscriptæ a P. Cepario, & prævio solemni examine approbatæ, de quo alias, alterum

rum ſuppetit exemplum *vitæ* S. Philippi Nerii a P. Gallonio longe ante decreta exaratæ. Sex nempe S. R. E. Ampliſſimi Cardinales, Palavicinus, Federicus Borromæus, Franciſcus Maria Archiepiſcopus Senenſis, Cæſar Baronius, Alphonſus Vicecomes, Hieronymus Pamphilius atteſtati fuerant, ſe partim propriis oculis vidiſſe, partim ex certo graviſſimorum virorum ſermone ea cognoviſſe, quæ *in* prædicta vita legebantur, veluti habetur in relatione Rotæ Auditorum *tit. de opinione ſanctitatis*; & nihilominus, ut ad Philippi Beatificationem & Canonizationem progreſſus fieret, neceſſe fuit, narrata in eadem vita teſtibus concordibus, ſeu *conteſtibus* ſecundum juris ſolemnitatem examinatis comprobari.

14. Votivarum tabellarum ſuſpenſioni, de qua ſermo habendus eſt, nonnulla ex veteri Teſtamento deſumpta favere poſſe videntur. Cum adhærentes Coræ auſi fuiſſent incenſum offerre, ut fecerat Aaron, omnes, ad ducentos & viginti igne arſerunt; & juſſu Dei thuribula ab incendio erepta in laminas producta ſunt, quæ fuerant affixæ altari, tum quia in eis oblatum fuerat incenſum Domino, ut filii Iſrael eas cernerent pro ſigno & monimento, uti legitur *Num. cap.* 16. Philiſthæi aurea vota, quæ ſculpi fecerant in memoriam plagarum & flagellorum, nullatenus auſi ſunt Arcæ Dei affigere, ſed poſuerunt Arcam ſuper plauſtrum & capſellam, quæ habebat mures aureos ad ſimilitudinem anorum, uti legitur 1. *Reg.* 6. 11. Et Abulenſis inſtituta ad dictum Scripturæ ſacræ locum quæſtione, quid de dictis votis aureis factum ſit, reſpondet probabilius ſibi videri, relicta fuiſſe in Sanctuario Domini, & poſita in aliquo loco, in quo ab omnibus viderentur, ad laudem Dei, ut videlicet ſemper extaret memoria miraculi de reductione Arcæ de terra Philiſtinorum, necnon poteſtatis magnæ Dei, quæ Philiſtinos percuſſit. Æneus Serpens, teſte S. Auguſtino *de civit. Dei lib.* 10. *cap.* 8. *tom.* 7. *oper.* propter memoriam celeberrimi facti reſervatus eſt uſque ad tempus Ezechiæ, & manſit in templo Salomonis, ut per illum moverentur Iſraelitæ ad magis rogandum Deum gratias referentes pro ſuſceptis.

15. At ad noſtra redeundo, in ſeptima Synodo *act.* 4. *apud Hard. tom.* 4. de S. Symeone Stylita adhuc vivente traditur, quod cum ad eum acceſſiſſet quidam Mercator Antiochenus, qui a dæmonio vexabatur, & ab eo ſanatus eſſet, ejuſdem Imaginem in veſtibulo ſuarum ædium poſuit, quam quia quidam improbi & infideles de loco deturbarunt, hi ſevere puniti ſunt: item de eodem Symeone ſimiliter adhuc vivente ſubdit Theodoretus, quod Romæ Artifices in veſtibulis & porticibus omnium officinarum parvas quaſdam illius Imagines ponebant, ut inde præſidium & tutelam ſibi pararent. Frater Severinus de Cracovia *in vita S. Hyacinthi pag.* 120. narrat, puerum ejus interceſſione a ſubmerſione in aqua fuiſſe liberatum, & matrem filii a ſubmerſione liberati veſtes ad ejus ſepulcrum appendiſſe. In proceſſu Apoſtolico confecto anno 1319. ſuper Canonizatione S. Thomæ de Aquino *num.* 21. hæc habentur: *Frater Nicolaus de Biperno &c. Converſus monaſterii de Foſſa Nova ordinis Ciſtercienſis &c. dixit, quod multa vota ſuperſunt ſuper ſepulcrum ipſius appenſa.* B. Raymundus Capuanus *in vita S. Catharinæ Senenſis apud Bollandianos ad diem* 30. *Aprilis tom.* 3. *pag.* 950. claudit agmen miraculorum ejus interceſſione a Deo factorum, ſequentibus verbis: *His quoque ſignis & miraculis ... noveris lector alia multa adjuncta fuiſſe, quæ in ſcriptis non fuerunt redacta, ſed patuerunt per ſigna, ideſt per imagines ceræ, quæ in maximo numero poſitæ ſunt ſuper ſepulcrum ejus etiam tempore, quo ibi perſonaliter eram præſens.* In proceſſu quoque ſuper Canonizatione S. Antonini *num.* 47. hæc narrantur: *Frater Vincentius Tucci Converſus Ordinis Prædicatorum petit a Priore, ut tabulam cum fortuna, & navi, & Fratribus ſupplicantibus cum ipſo vovente depingi faciat, & apponi ante ſepulcrum B. Antonini in memoriam beneficii recepti.* Inſuper in relationibus Rotæ Auditorum, videlicet de S. Raymundo *part.* 2. *art.* 9. de S. Andrea Corſino *part.* 4. §. 1. de S. Ludovico Bertrando *tit. de magno concurſu populi poſt obitum*, necnon paſſim in Canonizationum bullis SS. Ludovici Epiſcopi Toloſani, Didaci, Raymundi, Caroli Borromæi, Brigittæ, & Franciſcæ Romanæ ad probandam ſanctitatis famam, & populorum devotionem non leve in appenſis tabellis conſtituitur fundamentum.

16. Accedit, quod confecto auctoritate Nuntii Apoſtolici ad Hiſpanias, uti ante tempora Conſtitutionis Urbani more receptum erat, proceſſu ſuper vita & miraculis Servi Dei Simonis de Roxas, quæſtio exorta eſt, an ad ejus ſepulcrum votiva appendi poſſent, quæ a Fidelibus offerebantur; coactaque juſſu Nuntii Congregatione plurium Theologorum, & Pontificii juris Peritorum, affirmans prævaluit opinio, quam Sedis Apoſtolicæ judicio ſubmiſerunt, cum reputaverint, prædicta ad cultum potius privatum, quam ad publicum eſſe referenda; uti legere eſt in dicto proceſſu *fol.* 295. Ex quibus proinde factum eſt, quod in decretis Urbani non fuit abſolute vetita ſuſpenſio tabellarum, ſed viſa eſt permitti poſſe cum modificationibus ſupra indicatis. Unde Cardinalis Albitius *loc. cit. cap.* 40. *num.* 186. *& ſeqq.* ita ſcribit: *Licet enim per ſe loquendo affixio tabellarum & imaginum ad Sanctos nondum approbatos, non ſit abuſus, nec Urbanus hujuſmodi affixiones improbaverit tanquam abuſus, quia hoc eſſet contrariari antiquiſſimo uſui Eccleſiæ a Patribus approbato, & a nemine reprobato &c. nihilominus, quia circa illas fortaſſe irrepſerant, vel poterant irrepere abuſus, ideo emanavit decretum Urbani VIII. cum declarationibus ſupradictis:* cum quo convenit & Hurtado *de vero Martyrio reſolut.* 43. §. 11. *verſ. Sed modo ſupereſt, & ſeqq.*

17. Supereſt, ut verba fiant de luminum incenſione ad ſepulcra eorumdem Dei Servorum. Plura legi poſſunt de laudabili antiquiſſimo uſu cereos comburendi in noſtris eccleſiis, erudite de more ſuo collecta *tom.* 1. *anecd.* a docto viro Ludovico Antonio Muratorio *diſſert.* 16. ſed ad rem propius ponderanda eſt doctrina Baldelli *loc. cit. n.* 22. ubi exornans decreta Urbani VIII. hæc habet: *Communiter noſtris temporibus non appenduntur lampades, nec lumina accenduntur in eccleſiis, niſi ad auguſtiſſimam Euchariſtiam, vel ad Sanctiſſimam Virginem, aut ad Sanctos magnæ & approbatæ ſanctitatis, eorumque liquorum conſumptio eſt veluti juge ſacrificium in Dei honorem & in illorum memoriam: &, ſi libere permitterentur etiam appendi & accendi ad quoſcunque non approbatos, facile daretur occaſio communiter credendi, quod etiam illi eſſent abſolute Sancti & approbati, & etiam ad illos paulatim obreperet cultus publicus ſine auctoritate & approbatione Eccleſiæ &c. Ex Bellarmino, re vera hujuſmodi lumina non accenduntur hujuſmodi Sanctis ut Sacrificia, vel tanquam ſignum publicæ adorationis & cultus, ſed ſolum ut ſignum particularis & privatæ lætitiæ, ſiquidem ignis communiter accendi ſolet ad ſignificandam lætitiam; vel ut ſignum gloriæ qua probabiliter credimus frui Sanctos nondum approbatos, ſiquidem olim in ſignum claritatis & gloriæ etiam Romanis Imperatoribus ignis præferebatur ex Herodiano: vel denique in ſignum & proteſtationem æternæ vitæ, quam ſperamus & credimus in cælis vivere ipſas animas, & ſuo tempore eſſe victura etiam corpora. Ceterum, quamvis hæc ita ſint, & dictæ ſignificationes lætitiæ, gloriæ, & vitæ per lumina ad Sanctos nondum approbatos non ſint ex publica inſtitutione vel auctoritate, ſed ſolum ex devotione privata, ex qua optamus & precamur illis lucere lucem æternam, & pie credimus, jam de facto lucere, & ideo non ſint re vera cultus publicus: quia tamen exterius hoc non conſtat, &, qui illas vident fieri in eccleſiis, facile poſſunt decipi, quod fiant auctoritate publica; recte potuerunt prohiberi decreto Pontificis, & ſolum permitti pro Sanctis canonizatis aut beatificatis*

CA

CAPUT DUODECIMUM.

De nonnullis explicationibus ad prædicta Urbani VIII. decreta, deque nonnullis quæstionibus ad eorum funus, & sepulcra, qui Servorum Dei appellatione veniunt, pertinentibus.

1. POSTQUAM expositа fuerunt ea, quæ in citatis Urbani VIII. decretis de non cultu præscribuntur, aliæ quædam quæstiones, quæ circa illorum intelligentiam identidem excitatæ sunt, a sacris postea Congregationibus resolutæ, videndæ nobis occurrunt.

2. Harum prima est, an admitti possint elogia Beati, aut Sancti in libros continentes vitas eorum, qui beatificati necdum fuerunt, nec a sancta Sede canonizati. Sanctus quippe Hieronymus *in epist. 45. ad Asellam tom. 1.* vocat Paulam Romanam jam tum Sanctam: S. Catharina Senensis in suis epistolis Agnetem de Monte Politiano semper Sanctam appellavit: pariterque Frater Severinus Cracovienſis de Canonizatione S. Hyacinthi *lib. 3. & 4.* ostendit, eum sæpissime ante Canonizationem Sanctum denominatum fuisse. Itaque & inter dubia disputanda coram Clemente VIII. nonum erat, *An liceat eos*, hoc est Dei Servos, *mortuos cum fama sanctitatis appellare cum præfatione Beati, vel Sancti.* Porro hac de re constitutum fuit, admitti quidem posse elogia Sancti, aut Beati, quæ cadunt supra mores & opinionem, ea vero nequaquam, quæ cadunt supra personam: nam, cum Pater Vicarius Generalis Capuccinorum olim in suo supplici libello exposuisset Congregationi sanctissimæ Inquisitionis, quod in annalibus Religiosi sui Ordinis plurium mentio fiebat virorum, qui dicebantur perfectæ & sanctæ vitæ, & plura feciſſe miracula, hincque quæsiviſſet, an id refragaretur decretis editis de non cultu; summus Pontifex Urbanus VIII. *die 5. Junii 1631.* ita definivit: *Sanctissimus Dominus noster mandavit, non debere admitti elogia Sancti, vel Beati absolute, & quæ cadunt super personam; bene tamen posse Magistrum sacri palatii Apostolici admittere ea, quæ cadunt supra mores & opinionem, cum protestatione in principio, quod his nulla adsit auctoritas ab Ecclesia Romana, sed fides tantum sit penes Auctorem.* Quod profecto decretum, quamvis emanaverit occasione petitionis P. Vicarii Generalis Capuccinorum, atque tantum de sacri palatii Magistro loquatur, vim tamen habet decreti generalis, ad omnesque casus extensi, necnon *Ordinarios* omnes comprehendentis, cum ab ipsis vitæ Servorum Dei, adhibitis ad consilium Theologis aliisque doctis viris, examini sunt subjicendæ; ut ad rem animadvertit Lezana *conf. 1. num. 26. & duobus seqq.* Et decreto ipsi cohærenter conceſſa fuit ab eodem Urbano VIII. anno 1640. P. Philippo Alegambe Theologo Societatis Jesu facultas typis imprimendi Scriptorum ejusdem Societatis catalogum, licet in eodem nonnullos ex eis Sanctos appellet: in sequelam quippe protestationis in superioribus expositæ existimatum fuit, nominationem eamdem mores tantum & opinionem respicere, minime vero super personas cadere; uti testatur Baldellus *Theol. moral. tom. 2. lib. 3. disp. 13. num. 21.* Quin immo, cum in sacrorum rituum Congregatione disputatum fuerit in causa Romana Servi Dei Leonardi Fundatoris Congregationis Clericorum Regularium Matris Dei, an adversaretur non cultui inscriptio publico in loco posita, in qua diem ipsius obitus enuntiante habebantur hæc verba: *Obiit Romæ non sine magna sanctitatis opinione*; etsi Archiepiscopus Philippensis tunc Fidei Promotor assereret, id refragari non cultui, quia quamquam admittantur elogia, quæ mores & opinionem respiciunt, id tamen efficitur ratione protestationis juxta decreta emittendæ, quod nulla in eis insit auctoritas Ecclesiæ Romanæ, sed fides tantum stare debeat penes Auctorem, reponentibus nihilominus postulatoribus, protestationem eamdem sibi locum vindicare solummodo in libris typis imprimendis, minime vero in inscriptionibus; die 10. Decembris anni 1729. pro non cultu responsum fuit.

3. Contra, quoniam in exemplis mox subnectendis Beati nominatio (quod ipsum de Sancti etiam appellatione potiori jure dicendum esset) visa fuit non opinionem, sed personam designare, ideo sacrorum rituum Congregatio voluit, ut is titulus abraderetur. Anno proinde 1648. demandatum ab ea fuit Archiepiscopo Neapolitano, ne evulgari sineret exemplaria vitæ Servæ Dei Ursulæ Benincasæ cum nomenclatione Beatæ: *Archiepiscopo Neapolitano scribatur, ut edicto publico exemplaria vitæ & miraculorum Sororis Ursulæ Benincasæ in Regno Siciliæ impressa, cujus impressionem cum titulo Beatæ ipse prohibeat, illaque divulgari non permittat, ac divulgata colligat, contra Auctores impressionis processum faciat, & certioret: die 23. Junii 1648.* Similiter ab eadem sacra rituum Congregatione statutum fuit die 12. Junii 1657. ut typis quidem committeretur vita Servi Dei Hippolyti Galantini, verum sine Beati titulo, utque antiqui codices jam formis excusi cum ipso titulo, in sacræ ejusdemmet Congregationis archivo asservarentur.

4. Ad hæc circa annum 1701. mortuus est in Urbe P. Franciscus Scuderus Tertii Ordinis Sancti Francisci cum magna sanctitatis fama; ejus autem corpus post tredecim dies incorruptum atque tractabile non sine confluentium admiratione sepulturæ mandatum est, uti colligitur ex processu auctoritate Cardinalis Vicarii confecto a de Rubeis ejus Notario: tum impressa fuit ejus Imago sine laureolis, radiis aut splendoribus, sed sub ea positum fuit sequens elogium: *Vera effigies Servi Dei Patris Francisci Scuderi &c. qui, Regularis disciplinæ cultu, assidua Crucis & rerum cœlestium meditatione, carnis maceratione, morum innocentia, mundi, ac sui contemptu, ceterisque Religiosi hominis virtutibus ad supremum usque vitæ spiritum exhibitis, eximiam sanctimoniæ famam consecutus, obiit.* Quamquam vero totum id factum fuerit, prævia approbatione Magistri sacri palatii, subinde tamen mota fuit controversia, an in prædicto elogio quidquam contineretur adversus Urbani VIII. decreta. Quare bon. mem. Frater Bonaventura a S. Elia Panormitanus Religiosus ejusdem Tertii Ordinis Sancti Francisci Theologicam dissertationem composuit, in qua ostendit, nihil eo elogio inesse, quod posset decretis repugnare. Dixit enim, magnum interesse discrimen inter id, quod defunctus quis vocetur *assertive Sanctus*, & istud aliud, quod dicatur *sanctimoniæ fama conspicuus*; utpote cum primum, quia defuncti *personam* proxime tangit, profecto sit interdictum; ubi alterum, quia refertur *ad puram opinionem, & extrinsecam denominationem*, vetitum neutiquam affirmari potest. Attulit decretum Urbani recens memoratum, necnon exempla. Nam & Servus Dei Franciscus Caracciolus tum apud Barbosam *in summa Apostol. decis. collect. 170. num. 2.* tum apud P. Hippolytum Maraccium in libro, cui inscriptio, *Fundatores Mariani*, mortuus narratur cum magna sanctitatis opinione; & in templo Sancti Francisci civitatis Assisiensis, ubi sepulta est Maria filia Ducis Sabaudiæ, super ejus sepulcrum sculptum est elogium, quod a summo Pontifice Alexandro VII. compositum fertur sequentibus verbis: *Mariæ Caroli Emmanuelis Sabaudiæ Ducis, & Catharinæ Hispaniæ Infantis filiæ, Sancti Francisci Tertii Ordinis, vitæ moribus, virtutibus, studio, sacris peregrinationibus, alendis pauperibus, templis ornandis magnam sanctimoniæ famam consecuta, obiit Romæ anno Domini 1656. ætatis 62. atque hic, ubi sepulcri locum elegit, condita est.* Tum vero, quia doctus Auctor prævidit, quod sibi opponi poterat, hæc & alia hujusmodi, quæ forte tolerantur in libris & vitis propter *protestationes* juxta legem decretorum eis apponendas, elogiis, quæ sub Imaginibus imprimuntur, vel sepulcris insculpuntur, minime aptari posse, distinxit elogium intra simplicem & nudam famæ sanctitatis relationem coercitum ab elogio sive præconio, quod, posita ipsa sanctitatis fama, ad libitum placitumque Scriptorum ampliatur: & ad hoc quidem ait respicere protestationum legem, ne ampliatio adeo excrescat, ut in sanctitatis personalis significationem transeat, quod contingere nequit de illo, cum sistat in pura ac simplici famæ narratione. Quamobrem & in ipsa protestationum formula nulla fit mentio famæ, sed tantum sanctitatis, ut ex verbis supra relatis desumitur: *Lector, adverte, in elogiis virorum illustrium, quos hoc libello complexus sum, nonnulla me obiter attingere, quæ sanctitatem ipsis videantur adscribere.*

Dissertationi demum subscripserunt bon. mem. Prosper Bottinius Archiepiscopus Myrensis tunc Fidei Promotor, Fr. Joannes Antonius de Panormo Ordinis Minorum Observantium, Bartholomæus Carenno, & Joannes Laurentius Lucchesinus Religiosi Societatis Jesu, Joannes Baptista Cruccianus Clericus Regularis, & F. Honorius ab Assumptione Carmelita Excalceatus, qui omnes erant tunc Consultores Congregationis sacrorum rituum, tum Joannes de Myro Abbas Cassinensis, Fr. Carolus Franciscus Varesius ex minoribus Observantibus Reformatis, & Fr. Antonius Maria Castelli Ordinis Servorum, qui erant sancti Officii *Qualificatores*, tum etiam Antonius Franciscus Saluthy ex Clericis Regularibus Minoribus, & Fr. Augustinus Pipia Amplissimus deinde S. R. E. Cardinalis, tunc Consultores Congregationis Indicis, denique Joseph de Alpharo e Societate Jesu sacræ Pœnitentiariæ Theologus. Verum, si ea de re disputatum fuisset in sacrorum rituum Congregatione, quod quidem factum non fuit, ipsa fortassis correctionem elogii utpote nimis ampli mandasset, prout de alio egit elogio, quod erat supra sepulcrum Servi Dei Caroli a Setia in ecclesia S. Francisci trans Tiberim in Urbe. Post primam hujus Operis editionem ter in sacrorum rituum Congregatione occasio se obtulit agendi, dum disceptaretur de non cultu, de elogiis seu epitaphiis appositis ad Imagines, vel sepulcra Servorum Dei, in causa videlicet Servi Dei Petri Canisii die 23. Junii 1736. sub cujus Imagine aderat inscriptio satis ampla apposita in ecclesia S. Nicolai Friburgi; in causa Servæ Dei Joannæ Mariæ Bonhomi die 24. Novembris 1736. cum in judiciali visitatione monasterii, in quo ea obierat, inventæ fuerint a Judicibus nonnullæ ipsius Imagines cum inscriptionibus satis amplis; & in causa Servi Dei Francisci Posadas, de qua actum fuit die 20. Maji 1741. & in qua inventa est Imago ipsius, sub qua elogium erat inscriptum magno cum encomio. Porro in his omnibus, non obstante Fidei Promotoris oppositione ex dictis inscriptionibus desumpta, responsum fuit pro non cultu, cum omnia eorum verba, licet satis magnifica, mores, famam & opinionem Servorum Dei respicerent, nec ullatenus Servorum Dei personis, titulum Sancti, vel Beati absolute tribuerent, juxta decretum Urbani VIII. supra relatum *n.* 2.

5. Secunda, quæ mota est ac resoluta, controversia circa Martyris titulum versatur, an scilicet is adhiberi posset in typica eorum librorum impressione, ubi agitur de aliquo ab Infidelibus in odium Fidei occiso. Ea autem super re a Congregatione sanctissimæ Inquisitionis duo an. 1658. edita fuere decreta; alterum quorum die 7. Novemb. conceptum est sequentibus verbis: *Proposito quæsito, an sint appellandi absolute Martyres ab Infidelibus occisi, eorumque mors dicenda Martyrium ante omnem Ecclesiæ approbationem; &, an liceat dicere, mortuus est pro Christo, occisus est pro Fide, combustus pro Christo, vel potius in odium Fidei, Christi, Religionis, Evangelii; cum non possint typis mandari miracula & revelationes Servorum Dei, nec etiam cum protestationibus &c. fuit dictum, ut permittatur usus nominis Martyris in casu expresso; quando tamen præmittantur, & postponantur solitæ protestationes, addita in eisdem expressione, quod non intendit Auctor eos, quorum vitæ conscribuntur, nec in vim ejus scriptorum aliquo pacto teneri pro Martyribus.* Alterum huic simile 13. Novembris his comprehenditur: *Proposito quæsito sacræ Congregationi sancti Officii, an scilicet, firmato: non posse typis mandari miracula & revelationes Servorum Dei, nec etiam cum protestationibus, sint absolute appellandi Martyres ab Infidelibus occisi, eorumque mors dicenda Martyrium ante omnem Ecclesiæ approbationem, & an liceat dicere, mortuus est pro Christo, vel potius in odium Christi, Fidei, Religionis, Evangelii, sacra Congregatio decrevit, permittendum esse usum nominis Martyris in casu expresso; quando tamen præmittantur, & postponantur solitæ protestationes, addita in eisdem expressione, quod non intendit Auctor eos, quorum vitæ conscribuntur, haberi, nec in vim ejus scriptorum aliquo pacto teneri pro Martyribus.* Subjungit autem Baldellus *loc. cit. lib. 3. disput. 13. num. 21.* sæpius fuisse a suis Religiosis Romæ typis excusas cum Superiorum facultate atque approbatione epistolas Indicas super Martyria nonnullorum e suo Religioso Ordine, aliorumque Fidelium in Japonia tantum cum protestatione initio libri apposita, quod nullam intendebant auctoritatem aut fidem illis adhibere, nisi pure humanam, nec eos, quos dicerent a Tyranno causa Fidei interfectos, proponere & declarare ut vere Martyres, aut aliquem publicum cultum ac venerationem iis arrogare. Concordant demum deliberationes Congregationis sacrorum rituum: cum etenim post editam relationem Rotalem in causa Japonen. viginti trium Martyrum, atque adeo ante ejus discussionem in sacrorum rituum Congregatione (sine qua ex alibi dictis judicium Rotale definitivum non erat) in Conventu de Ara-Cæli in Urbe tabella quædam fuisset exposita, in qua dictorum Dei Servorum Imagines erant depictæ cum inscriptione, quod ipsi fuerant Martyres declarati a Rotæ Auditorio: sacra eadem Congregatio die 7. Novembris 1626. jussit, ut omnia delerentur. Contra, dum ipse fungerer munere Fidei Promotoris; & dubium ageretur de non cultu in causa Servorum Dei Rodulphi Aquavivæ, & Sociorum, etsi opposuerim, contra Urbani decreta factum esse, eo quia sub illorum Imaginibus scriptum erat elogium, in quo dicebantur pro Christo & ejus Fide vitam amisisse; sacrorum tamen rituum Congregatio die 20. Novembris 1717. censuit, inscriptionem ipsam memoratis decretis minime adversari. Idem etiam judicium latum fuit in causa Ven. Servi Dei Joannis de Britto Religiosi pariter e Societate Jesu: nam pro meo munere non cultui opposui quamdam inscriptionem repertam super capsa, in qua ejus ossa asservabantur, utpote quæ ita sonaret: *Hic asservantur ossa Venerabilis Patris Joannis de Britto occisi de mandato Ramanadever Reguli Maravensis in odium Fidei quarta Febr. millesimo sexcentesimo nonagesimo tertio*; veruntamen die 30. Julii 1729. pro non cultu responsum fuit. Nimirum eas cepit sacra Congregatio deliberationes, quia in prima inscriptione prætendi videbatur, quod illi, quorum Imagines expressæ erant in tabella, habendi essent & colendi pro Martyribus; quod de inscriptionibus postremis affirmari probarique non poterat.

6. Tertia protestationes ad principium & finem libri apponendas respicit, id est, utrum eæ tantum sufficientes essent ad rem & causam, de quibus agimus; an potius necesse quoque esset, ut miracula coram Ordinario comprobarentur ante editionem illorum librorum, in quibus ipsa recensentur. Itaque, primum solummodo satis esse, definitum fuit, sicuti colligitur ex sequenti decreto: *In Congregatione generali sanctæ Romanæ & universalis Inquisitionis habita in Conventu S. Mariæ super Minervam die 23. Maji 1668. cum dubitatum fuisset, utrum decretum sanctæ Inquisitionis editum die 2. Oct. 1625. & confirmatum per Breve Apostolicum a san. mem. Urbano VIII. die 5. Julii 1634. una cum declarationibus inde emanatis exigeret ante impressionem librorum continentium gesta, miracula, seu revelationes eorum, qui cum fama sanctitatis decesserunt, approbationem Ordinarii quoad veritatem dictorum miraculorum; fuit resolutum, decretum supradictum cum Brevi & explicationibus inde emanatis respicere approbationem tantum libri, non autem miraculorum, revelationum, aliarumque rerum gestarum, ut supra; & ideo, sufficere protestationes, & quod dicti libri approbentur ab Ordinariis cum participatione Theologorum, expectato responso a Sancta Sede Apostolica.* Colligitur etiam id ipsum ex his, quæ referuntur a Cardinali Albitio *in tract. de inconst. in Fide par. 1. c. ult. n. 204. Cum de an. 1668. clar. mem. Petrus Franciscus de Rubeis tanquam Promotor Fidei dubitasset, an dictæ protestationes essent sufficientes, an vero miracula, antequam ederentur &c. deberent coram Ordinario verificari; delata re ad san. mem. Clem. IX. qui, ut dixi, interfuit una mecum, & Secretario Congregationis rituum in Congregatione super prædictis habita, censuit sufficere; quia in prima protestatione tollitur examinatio Ordinarii, & jure merito: nam, si revelationes & miracula, quæ imprimi desiderantur, essent recognita, adhibitis Theologis, ab Ordinario, & uti recognita demum imprimerentur, non est dubitandum, quin in sacra Congregatione rituum aliquam fidem facerent, si de Beatificatione Servi Dei, cujus miracula approbata sunt, agendum contingeret; quam tamen fidem omnino summus Pontifex Urbanus per illas protestationes auferre voluit. Et, licet quidam ex Eminentissimis dictæ sacræ Congregationis rituum dubitaverit, ne ob longum temporis spatium ex dicta impressione miraculorum oriretur fama sanctitatis, trepidabat tamen, ubi non erat timor: nam, si fama illa haberet ortum ex illa impressione, oriebatur a titulo infecto; ideo nullum probationis gradum facere poterat, tanquam proveniens ab erronea causa.*

7. Cum igitur Urbanus Papa VIII. in suis decretis emissis anno 1625. necnon in Brevi eadem confirmante edito anno 1634. constituerit, ne libri continentes gesta, miracula, & revelationes Servorum Dei evulgarentur sine recognitione atque approbatione Ordinarii, qui Theologos, aliosque pios & doctos viros ad consi-

lium

lium adhibere tenentur; dubitari vero subinde poterat, an hujusmodi approbatio respicere deberet veritatem miraculorum; ideo sacra Congregatio sanctissimæ Inquisitionis, ut vidimus, anno 1668. dixit, approbationem Ordinarii ad librum tantum esse referendam, non & ad veritatem miraculorum in eo narratorum; & hinc eorum coram ipso Ordinario comprobationem ante libri editionem exclusit. Quocirca quæ habentur ex Cardinali Albitio *loc. cit.* ubi scilicet videtur tollere velle Ordinarii recognitionem, non absolute & simpliciter de quacumque recognitione & approbatione accipienda sunt; id enim adversaretur literæ decretorum Urbani: sed de ea tantum recognitione atque approbatione, cui præiret singularis narratorum comprobatio, in qua facti specie locum habet ejus animadversio, quod exposita in libro aliquam fidem facerent in causa Beatificationis & Canonizationis, secus quam statutum est in toties enuntiatis Urbani decretis. Sanctus Parisius de Bononia Confessor Monachus Ordinis Camaldulensis mortuus est anno 1267. Fit ejus mentio in Martyrologio Romano ad diem 11. Junii, necnon de eo quædam extant apud Surium, Jacobum de Voragine, & Carolum Sigonium. Quod autem ad rem nostram interest, post ejus obitum Albertus Episcopus Tarvisinus homo gravissimus ejusdem vitam edi curavit antea tamen examinatam, adhibitis nonnullis fide dignis testibus: quo sane modo si vitæ Sanctorum ederentur, unusquisque facili negotio deprehendere posset, aliquam & quidem non modicam fidem eis in Beatificationis & Canonizationis causa denegari jure non posse. Sed, cum Urbanus noluerit, quod ex recognitione atque approbatione Ordinarii, etiamsi & Apostolicæ Sedis pro typica impressione facultas accedat, præseferat historia conscripta majorem fidem ea, quam præseferre posset, si sine ipsis recognitionibus atque approbationibus edita esset; propterea evidentissime patet, approbationem & recognitionem ab Urbano præscriptam non fore habendam, prævia demonstratione veritatis narratorum in vita, vel historia, quæ de gestis Servorum Dei evulgatur. Quod si quis objiceret, non modicam auctoritatem in causis Beatificationis & Canonizationis quoad virtutes & Martyrium sibi vindicare vitas & historias illorum, quorum causæ pertractantur, conscriptas a sibi contemporaneis, qui sint fide digni, & in quibus insint adjuncta ad id necessaria ut eorum scriptis fides habeatur: huic respondendum esset, utique id fieri, quando versamur in causis, quæ sunt inter exceptas a decretis Urbani VIII. quibus, ut infra videbimus, nullum idem Pontifex voluit præjudicium afferri: secus vero quoad alias causas, quæ procedunt per viam non cultus, de quibus tantum in præsenti sermonem facimus.

8. Porro, quoniam non solum actus singulatim expressi in decretis Urbani VIII. publicum cultum important, verum etiam alii plures adsunt ejusdem speciei, ut animadvertit Pignatell. *consult.* 41. *num.* 1. *tom.* 4. utque comprobatur ex iisdem decretis, in quibus universe prohibentur cum actus ipsi hucusque perpensi, tum *quodcumque aliud venerationem & cultum præseferens & indicans*, hoc est cultum publicum, prout supra monitum est; propterea nobis pariter alii hujusmodi actus ponderandi videntur, de quibus in causis Beatificationis & Canonizationis sæpe disputari contingit, an ad publicum cultum, necne, sint referendi.

9. In funere Servorum Dei cum sanctitatis fama morientium extraordinarius aliquando ad id fit populorum concursus, cadaver defertur super humeros Magnatum, multi catervatim accedunt ad deosculandas manus ac pedes, eorumque vestimenta diripienda, & eorumdem præclara gesta picturis vel affixis ecclesiæ parietibus vel circum funebre pegma expositis repræsentantur. Itaque, si hæc prodeant ex sincero devotionis affectu, semota quacumque industria humana, nihil in eis erit, quod reprehensionem mereatur; cum enim proveniant ab opinione & fama sanctitatis, neque fiant nomine Ecclesiæ, nec instituta sint ab ipsa Ecclesia ad exhibendum cultum Beatificatis & Canonizatis, referenda idcirco erunt ad cultum privatum, nec ulla unquam ratione dici poterunt Urbani decretis repugnantia. Anno quippe 1622. mortuus est Lugduni S. Franciscus de Sales; cumque in funere atque cadaveris translatione plura ejusmodi facta fuerint; Joannes Fabrius vir nobilis dixit, se eadem minus approbare, utpote debita tantum Sanctis canonizatis: verum, cum cæcus & elinguis aliquandiu postmodum factus esset, recuperatis tandem visu & loquela, peccatum tunc patratum agnovit, quando exhibitum magno Gebennensi Antistiti cultum improbavit; quemadmodum legitur in vita ejusdem S. Francisci scripta a Francisco Salesio ipsiusmet nepote *lib.* 10. Item cadavera Servorum Dei Bernardi a Corleone Capuccini, & Alphonsi de Orosco Ordinis Eremitarum S. Augustini ad sepulturam delata fuerunt super humeros Magnatum; quare, cum in eorum causis de non cultu disputabatur, Fidei Promotor dixit, de eo non constare propter actus modo memoratos; at sacrorum tamen rituum Congregatio constare respondit, nec eos actus habuit tanquam ad publicum cultum pertinentes. Multo autem minus picturæ, de quibus supra, inter publici cultus actus poterunt recenseri, dummodo insignia tantum defunctorum facta, utpote conciones, itinera, domus pias ab ipsis, dum viverent, extructas repræsentent, necnon ab his abstineant, quæ ad quodpiam miraculorum genus referri queunt. Id enim passim in Urbe solemne est, cum agitur funus Romanorum Pontificum, & in civitate nostra Bononiæ id ipsum peractum fuit in celebri funere clar. mem. Cardinalis Gabrielis Palæoti primi ejusdem Archiepiscopi, teste Alamano Blanchetto *in chronico mſ. tom.* 5. *fol.* 386. Doctores denique, qui de materia ex professo scripserunt, in ea sunt opinione, quod osculatio manuum & pedum in prædictis circumstantiis ad privatum tantummodo cultum sit referenda; Bonacina *oper. moral. tom.* 2. *disput.* 3. *quæst.* 1. *punct.* 2. *sub num.* 2. §. 2. *Licere*, Del Bene *de Inquisit. tom.* 2. *part.* 2. *dub.* 234. *sect.* 2. *petit.* 2. & 3. Pasqualig. *in addit. ad Laurei. de Franch. de controv. inter Episcop. & Regular. num.* 1225. *& seqq.* quanquam ab iis discrepat Contelor. *de Canon. SS. cap.* 22. *num.* 5. ubi ait, hos actus publice exercitos ex Ecclesiæ consuetudine non fieri, nisi in honorem Sanctorum approbatorum. Verum, si hæc fiant non solemniter, nec per publicos ministros, veluti fit in ecclesiis circa Reliquias Sanctorum approbatorum; privatim autem fiunt & ex privata tantummodo devotione, publico licet in loco exerceantur, semper erunt referenda ad privatum cultum minime vetitum, ut appolite habet Baldell. *tom.* 2. *lib.* 3. *disput.* 13. *num.* 31.

10. Eorumdem Dei Servorum cadavera vestibus pretiosis alias induuntur, necnon in eorumdemmet funere orationes ipsorum gesta commemorantes habentur. De hac vero re nullum pariter fit verbum in Urbani VIII. decretis. Quamobrem existimarem, nec hosce actus iisdem adversari, & tantum privatum, nequaquam publicum cultum importare; quemadmodum & responderunt Theologi, qui suos tractatus ediderunt tempore Clementis VIII. Constantinus videlicet Palamolla *cap.* 2. §. 7. Joannes Rada *in responsione ad dub.* 2. Antonius Carolus Aquilanus *in responsione ad quæsita primæ classis*. Præterquamquod id fertur, teste Razzio, erga corpora S. Dominici, & B. Jacobi Veneti, necnon in chronicis Ordinis S. Francisci *tom.* 1. *lib.* 2. *cap.* 73. narratur, nobilem Romanam Matronam Jacobam de Septensolis divinitus admonitam de proximo obitu S. Francisci Assisium petiisse, & inter cetera secum tulisse pro ejus funere vestem pretiosiorem; eoque defuncto, corpus unguento inunxisse, & ea veste contexisse, quæ usque adhuc inter ceteras Reliquias in sacrario Conventus Assisiensis ejusdem S. Francisci asservatur. Consentiunt insuper Doctores antea allegati *locis citatis*, & quidem merito; quod enim attinet ad funebres orationes ejusmodi defunctorum gesta referentes, dummodo intra debitos fines coerceantur, nec eæ profecto haberi poterunt ut vetitæ vel ab ipsis decretis Urbani, vel ab ulla juris dispositione. Porro S. Bernardus sermones habuit duos in obitu S. Malachiæ Episcopi, tum etiam alium in obitu Girardi Monachi sui fratris, qui extant *vol.* 1. *oper.* Cardinalis Ostiensis orationem habuit in funere S. Claræ, ut narrat Surius *in ejus vita num.* 28. *ad diem* 12. *Augusti tom.* 4. &, si communiter laudationes in funere fieri consueverunt pro viris nobilibus, pro Principibus, pro viris in aliqua scientia, professione, aut arte excellentibus, potiori certe jure fieri poterunt, modo consentanea servetur moderatio, de viris cum sanctitatis & miraculorum fama decedentibus.

11. Inter dubia tempore Clementis VIII. disputanda primum id erat, *An in ipso obitu Servi Dei cum fama & celebri opinione sanctitatis ex hac vita decedentis liceat omittere consueta Ecclesiæ Officia & preces pro defunctis*. Ad hoc, tametsi in decretis Urbani de eo actum nihil fuit, negativa tamen responsio mihi certa esse videtur, sive sermo sit de Confessore, sive de Virgine, sive de Martyre, nisi a Deo nuntietur, rem esse aliter perficiendam; sicut in Breviario Carmeli-

melitarum circa funus B. Alberti contigiſſe fertur, ubi Clero Miſſam defunctorum, populo autem Miſſam de S. Confeſſore canendam eſſe contendente, duo Angeli Miſſam *Os juſti* inchoarunt; quod & eveniſſe in funere S. Thomæ Archiepiſcopi Cantuarienſis, teſtatur Surius *in ejus vita*. Ceterum conſueta defunctorum Officia fuerunt perſoluta in funere SS. Dominici, Franciſci, Antonii, Bernardini, & aliorum: quin immo, cum in obitu S. Claræ Virginis de Aſſiſio Fratres Minores cantare cœpiſſent Officium pro defunctis, ſummus Pontifex Innocentius IV. qui cum cœtu Cardinalium funeri intererat, ſuaſit, ut pro ea Officium de Virginibus caneretur; verum, Cardinali Oſtienſi monente, rem eſſe attentius conſiderandam, ſivit, defunctorum Officium recitari, quemadmodum legitur apud citatum Surium *in vita ejuſdem Sanctæ num.* 28. Inſuper, mortuo S. Bonaventura in Concilio Lugdunenſi II. anno 1274. ejus exequiis interfuit Gregorius Papa X. cum omnibus Præſulibus, qui erant in Concilio, & Petrus Oſtienſis Epiſcopus Sacrum fecit; poſtea die ſequenti Pontifex ipſe in publica ſeſſione omnibus tum Præſulibus, tum Presbyteris per univerſum orbem mandavit, ut Miſſam unuſquiſque celebrare deberet pro illius anima, aliam vero pro animabus aliorum omnium, qui mortui erant ad Concilia, ſive ad Concilium advenjendo, in eo ſtando, vel ab eodem redeundo; ut habetur in Actis ejuſdem II. Concilii Lugdunenſis. Quamvis enim ſaltem de Martyribus dicat Innoc. III. *in cap. Cum Marthæ, de celebrat. Miſſarum: Injuriam facit Martyri, qui orat pro Martyre*; cum id tamen intelligendum ſit tantum de Maryre vindicato, aptari quoque nequit ei, qui mortuus creditur pro Chriſto, abſque eo quod de ipſius pretioſa morte ſummi Pontificis judicium acceſſerit. Suadent autem hucuſque adducta, non eſſe regulariter in funeribus hujuſmodi virorum omittenda Eccleſiæ ſuffragia, quippe quod hac in re publica & quaſi ſolemnis ineſſet declaratio, eos eſſe perfecte Beatos, & noſtris precationibus non indigere; quod ante Eccleſiæ judicium fieri omnino non licet. Nam, etſi adhuc ſciam, habita notitia, nonnullos Religioſos fuiſſe a Tyranno in odium Fidei interfectos, mandato Superioris Religioſis ejuſdem Ordinis non fuiſſe olim pro eis indicta ſuffragia; cum tamen in præſenti quæratur, non quid factum fuerit, ſed quid fieri debuiſſet, id etiam poſitioni noſtræ minime refragatur. Quid autem dicendum erit, ſi conſanguinei Servorum Dei in horum obitu luctus cauſa veſtes non mutent? Porro id factum fuit in obitu B. Helenæ Utinenſis Viduæ Tertii Ordinis Eremitarum S. Auguſtini; Prætor enim Utinenſis conſanguineis ejus prohibuit, ne ſumerent veſtes atras, ut patet ex Bollandianis *ad diem* 23. *Aprilis tom.* 3. *pag.* 248. Verum, cum veſtium ſtrarum uſus non ſit ab Eccleſia præſcriptus, iſque pluribus in provinciis non ſervetur, quando agitur de mortuis in bello pro republica, aut pro Rege; cenſerem, noſtro etiam in caſu, ſi negligeretur, quod tamen ut fieret, minime auctor eſſem, nullum obſtaculum inde exiſtere non cultui.

12. De ſepulcro etiam horum Dei Servorum plures identidem excitatæ ſunt controverſiæ: & primum in tertio dubio, quod erat inter diſputanda coram Clemente VII. ita habebatur: *An liceat corpora Servorum Dei ſepelire in loco valde conſpicuo & ſanctiori, & forma ſeu modo peculiari ad ſanctitatem indicandam*. Huic dubio Theologi affirmative in ſuis tractatibus reſponderunt, Gallonius *tract.* 1. *quæſt.* 1. *& tract.* 2. *dicto primo*, Plumbinus *concl.* 3. §. 1. Anguiſciola §. *Quo vero ad ea, &* §. *Cum pariter*, Pallanterius *in reſponſ. ad articulos*, Antonius Carolus Aquilanus *in reſponſ. ad quæſita primæ claſſis ad tertium*; pro qua aſſumptione comprobanda plura etiam erudite collecta legi poſſunt apud P. Ceparium *in director. mſ. part.* 2. *cap.* 8. *in reſponſione ad tertium dubium*, ubi denique concludit: *Et paucæ ſunt urbes, in quibus non aliquod videatur tale exemplum, etiam antequam Sedes Apoſtolica quemquam iſtorum beatificaret, id eſt ſtatim poſt mortem*.

13. Enimvero, ad ipſum uſum deſcendendo, ſine nota publici cultus, & abſque eo quod commiſſum quid dici queat ſeu contra jus commune, ſeu contra Urbani decreta, corpora Servorum Dei, qui cum ſanctitatis & miraculorum fama moriuntur, ſepeliri re ipſa queunt vel in ſepulcro ſeparato, vel in aliqua capſa collocanda in ſepulcro communi cum inſcriptione nominis ipſorum, ſaltem ne de *identitate* ulla valeat tractu temporis exoriri dubitatio. Anno 1614. Seraphinus de Porrecta Ordinis Prædicatorum non ſine ſanctitatis laude mortuus eſt: cumque ejus corpus eſſet ſepeliendum Bononiæ in cœmeterio communi Fratrum ſui Ordinis, propter prædictam ſanctitatis famam obtentum fuit a Patre Priore Provinciali, ut in eodem quidem loco ſepeliretur, ſed in capſa cupreſſina, teſte Michaele Piò Bononienſi in ejus vita Bononiæ typis impreſſa anno 1615. *cap.* 10. Mortuus eſt etiam S. Stanislaus Koſtka anno 1568. Sanctus autem Franciſcus Borgia tunc Generalis Societatis Jeſu Præpoſitus mandavit, ejus corpus utique ſepeliri, ubi alii Religioſi humabantur, verum in arca lignea; quanquam etiam tum non fuerat id in Societate ipſa conceſſum, niſi S. Ignatio, & Patri Jacobo Laynez Præpoſito jam pariter Generali, ut habetur in vita ejuſdem S. Stanislai Romæ formis excuſa *lib.* 1. *cap.* 11. Animadvertunt inſuper Doctores, præſertim vero Del Bene *loc. cit. petit.* 3. & Paſqualig. *num.* 1226. quod, ſi hæc & his ſimilia libere fiunt erga illos etiam, qui hac vita decedunt ſine ulla ſanctitatis fama, multo magis erga eos fieri poterunt, qui cum ipſa ſanctitatis laude moriuntur: alii vero benefactum ſeparatæ ſepulturæ horum Dei Servorum plurimi ducunt ad avertendum ſupradictum periculum, ne quando identitatis probatio deficiat; nempe Pignatellus *conſult.* 48. *per tot. tom.* 4. Caſtellinus *de certit. glor. SS. cap.* 2. *punct.* 32. *n.* 41. *pag.* 301. & Molphefius *conſil.* 45. *n.* 15. ubi: *Si enim hujuſmodi viris ſanctitate perſpicuis locus ab aliis ſeparatus non daretur, ſed ſimul cum aliis humarentur, non poſſent ſuo tempore ab aliis ſegregari & disjungi; & ſic Eccleſia careret corporibus & aliis SS. Reliquiis, & Sanctorum cultus maximam pateretur jacturam*. Ego profecto memini in cauſa B. Hyacinthæ de Mareſcottis tum bon. mem. Proſperum Bottinium Archiepiſcopum Myrenſem Fidei Promotorem, tum meipſum, qui ei ſucceſſeram, quæſtionem de fama ſanctitatis in obitu & poſt obitum moviſſe; eo quia condita fuerat in communi Monialium ſepulcro, nec fuerat ejus corpus in capſa ſegregata repoſitum. Quamobrem & non ſine magno labore ab Epiſcopis, qui proceſſum confecerunt, ſepulcrumque aperuerunt, oſſa nonnulla diſcreta fuere; quæ pro ejus oſſibus habita ſunt, tantum Peritorum judicio deducto tum ex eo ſignanter loco, in quo certo conſtabat corpus jam humatum fuiſſe, tum ex eorumdem oſſium magnitudine, ejus ſtaturæ, dum viveret, reſpondente; & quæ poſt Hyacinthæ Beatificationem celebri arca excepta collocata ſunt in eccleſia prædictarum civitatis Viterbienſis Monialium, quarum Inſtitutum profeſſa fuerat, & quas inter ſupremum diem expleverat. Sejuncta itaque ab aliis ſepultura viros ſanctitate conſpicuos haud dedecet: nec enim repugnare poteſt non cultui. Quapropter, cum in cauſa Servi Dei Ludovici de Ponte Religioſi Societatis Jeſu diſputaretur de ipſo non cultu, etiamſi ego item, tamquam Fidei Promotor, ejuſdem comprobationem nullam oſtendere conatus eſſem, eo quod illius corpus peculiari in ſepulcro conditum fuerat, ſacrorum tamen rituum Congregatio non cultum approbavit: in quo ſenſu alias etiam perſtitit, ubi corpus Servi Dei cum ſanctitatis laude defuncti fuit quidem in ſepulcro communi, at in capſa pretioſa reconditum; vel ubi in ſepulcro ſimul peculiari atque pretioſo & exornato. Exemplum primi caſus deſumi poteſt ex cauſa B. Joannis de Prado, in qua nihilominus pronuntiatum fuit pro non cultu, licet Fidei Promotor oppoſuerit, quod ejus oſſa recondita fuerant in ſepulcro ſane vulgari, verum in capſa pretioſa. Exemplum autem alterius habere eſt ex cauſis Servorum Dei Cardinalium Ximenes, & Bellarmini, in quibus pariter ſacra Congregatio non cultum approbavit, quamvis Fidei Promotor oſtenderit, eorum corpora magnificentiſſimis ſepulcris concluſa fuiſſe. Sed & addi poſſunt exempla cauſæ tum S. Catharinæ de Ricciis, in qua item reſponſum fuit pro non cultu; quamvis ſuper ſepulcrum depicta eſſet ejuſdem Imago in capite habens coronam florum, in manibus Crucifixi effigiem; tum S. Vincentii de Paulis, cujus etiam non cultui nihil obſtitit animadverſio a me, tanquam Fidei Promotore, excitata, quod ejus ſepulcrum Angelorum ſimulacris eſſet exornatum. Sibi enim omnibus hiſce in caſibus locum vindicat ratio non ſemel antea repoſita, quod eodem plane modo ſepeliantur etiam interdum eorum corpora, qui nulla ſe comitante ſanctitatis fama moriuntur.

14. Sequitur difficultas quoad locum ſupra terram elevatum, in quo aliquando contingit corpora horum Dei Servorum ſepeliri. Sanctus enim Pius V. *Conſtitut.* 9. §. 6. *Bull. nov. tom.* 4. *par.* 2. ita ſtatuit: *Et, ut in eccleſiis nihil indecens relinquatur, iidem provideant, ut capſæ omnes, & depoſitæ, ſeu alia cadaverum conditoria ſupra terram exiſtentia omnino amoveantur, prout alias ſtatutum*

fuit,

fuit, & defunctorum corpora in tumbis profundis infra terram collocentur. Quod & late adnotarunt Lavor. *var. lucubrat. tit.* 2. *c.* 1. *num.* 3. Barbos. *decis. Apostol. in verb. sepultura collect.* 675. *num.* 5. & Scacch. *de not. & sign. sanct. sect.* 9. *cap.* 1. *pag.* 657. Porro censent nonnulli, elationem sepulcri super terram, notam publici cultus præseferre; inter quos Pignatell. *consul.* 15. *n.* 21. *& consul.* 186. *per tot. t.* 1. Sed, ut distincte in hoc etiam articulo procedamus, primo adnotandum est, aliqua corpora Dei Servorum adhuc post dictam Constitutionem fuisse condita in sepulcris supra terram elevatis; uti de corpore Sancti Francisci Salesii tumulato in ecclesia Visitationis civitatis Aniciensis testatur Franciscus Salesius ejusdem nepos in ipsius vita *lib.* 10. necnon de cadavere superius memorati Seraphini de Porrecta translato in templum S. Dominici civitatis Bononiæ, & sepultura ibidem supra humum elata honestato refert Michael Piò in ejus pariter vita *cap.* 11. Secundo, summorum item Pontificum cadavera de more locari in sepulcris supra terram elevatis, absque eo quod hinc ullus publicus vel etiam privatus cultus inferatur. Quare in causa Venerab. Servi Dei Innocentii XI. responsum fuit pro non cultu, licet ejus corpus modo prædicto sepultum sit in basilica Vaticana. Tertio, Pii Constitutionem decernere & loqui de cadaveribus depositis in sepulcris supra humum quidem elevatis, sed existentibus in ipsis ecclesiis: quocirca Constitutioni eidem locus esse non poterit, ubi Servorum Dei cadavera sunt supra terram elata extra ecclesiam. Cadaver enim Servi Dei Joannis de Britto asservatur in arca existente supra terram in cubiculo Patris Procuratoris Societatis Jesu provinciæ Malabariæ in Collegio Goano, & in ejus causa responsum fuit pro non cultu, veluti supra monuimus. Quin immo, cum in eadem causa super dubio non cultus relatio pro veritate facta fuerit a Carolo Alberto Cavalchino nostro dignissimo successore in officio Fidei Promotoris nunc S. R. E. Cardinali, post excitatam difficultatem de positu cadaveris dicti Servi Dei in arca modo memorata, is ita respondit: *At vero difficultas omnis facile removetur, advertendo, quod præfata constitutio S. Pii V. edita potissime pro ecclesiarum cultu in suo nitore servando prohibet duntaxat retentionem cadaverum supra terram in ecclesiis; unde contra dictam bullam Pianam peccare non dicitur, qui in aliquo cubiculo, seu alio loco privato retineat supra terram cadaver, sive capsam cum ossibus alicujus defuncti. Et de facto consimilis objectio facta ab Eminentissimo de Lambertinis super eodem dubio de non cultu in causa Crassetana Venerabilis Servi Dei Joannis a S. Guillelmo, cujus cadaver, uti constabat ex processu, retinebatur supra terram in cubiculo Ecclesiæ contiguo, nec non in causa Januen. Ven. Servæ Dei Mariæ Victoriæ de Furnariis, cujus pariter Corpus asservatur in capsa detenta supra humum in cubiculo privato Monasterii, nihil obstitit, quin ab hac sacra Congregatione declararetur, sufficienter paritum fuisse decretis san. mem. Urbani VIII. absque eo quod demandata sit repositio dictorum corporum, seu cadaverum sub humo: quin immo in terminis etiam fortioribus urnæ, sive capsæ cum cadavere supra terram existentis in sacrario judicatum fuit, eam non importare publicum cultum in causa Cortonen. Ven. Servæ Dei Veronicæ de Lapparellis.* Quarto, ad comprobandam obedientiam decretis de non cultu aliquando fuisse sepulta sub humo corpora Servorum Dei antea super terram condita, necnon in ecclesiis sita; quemadmodum factum fuit in causis Servorum Dei Alphonsi de Orosco, Andreæ Hibernon, Joannis Baptistæ a Conceptione, Servæ Dei Agnetis a Jesu, & S. Joannis Francisci Regis. Quinto, toleratum alias fuisse a sacra Congregatione cenotaphium in ecclesia supra terram elevatum, dummodo corpus esset sub humo reconditum; & hoc censu processit eadem sacrorum rituum Congregatio in causa Servæ Dei Joannæ Franciscæ Fremiot de Chantal, dum fungebar munere Fidei Promotoris, die 19. Augusti, & die 9. Decembris 1719. Postremo, alias etiam sacram eamdem Congregationem permisisse, ut tam extra quam intra ecclesias corpus, ubi erat, permaneret, licet esset supra humum elatum, modo tamen quodcumque signum cultus abesset, aut quidpiam aliud, quod ad cultum præstandum invitare posset. Exemplum adest in causa Servæ Dei Mariæ Annæ de Jesu Ordinis Beatæ Mariæ de Mercede Redemptionis Captivorum. Corpus enim ejus erat sepultum in ecclesia S. Barbaræ civitatis Matritensis, erat a terra sublatum, & locatum erat intra parietem dividentem alterum sacellum ab altero, sic ut ab utraque parte per crates ferreas videretur: sed, misso per Nuntium Apostolicum instrumento, ex quo demonstrabatur, ita clausum fuisse corpus, ut ab utraque parte solus ipse appareret & æqualis paries albus instar aliorum ecclesiæ parietum, responsum fuit pro non cultu. In causa etiam a laudato Cardinali Cavalchino citata Servæ Dei Veronicæ Lapparellæ; cum ejus corpus fuisset in ecclesia sepultum an. 1620. sub humo, Episcopus autem Rubio conficiens processum super ejus virtutibus & miraculis, illud e primo loco anno 1630. extrahi & transferri ad sacrarium concluſum arca intra parietem constituta, jussisset, sacra Congregatio sensit, id minime refragari non cultui, nedum quia haud agebatur de ecclesia, sed de sacrario, verum etiam quia nec in arca, nec in pariete contiguo ulla cultus signa apparebant, aut ulla aderat extra parietem ipsius arcæ prominentia. Idem denique sensus fuit ejusdem sacrorum rituum Congregationis in causa S. Jacobi Goattemalæ, Beatificationis & Canonizationis Ven. Servi Dei Fratris Petri de Bettancur: nam, cum opponeretur, ejus ossa reposita esse supra terram in ecclesia S. Francisci a latere altaris majoris, responderunt Postulatores, id non cultui haud obstare; nulla siquidem exteriora publici cultus indicia ab Inspectore reperta fuerant.

15. Alia demum controversia sequenti eventu comprehenditur. Dum ageretur de introducenda causa Beatificationis & Canonizationis Ven. Servi Dei Patris Francisci de Hieronymo Societatis Jesu, opposui cultum, qui ejus sepulcro adhibebatur, eo quod nonnulli floribus id interdum ornabant. Profecto inter ecclesiarum ornamenta & olim & nunc flores ac frondes recensentur, juxta illud S. Augustini *tom.* 3. *de civit. Dei lib.* 22. *cap.* 8. *num.* 13. *Abscedens, aliquid de altari florum, quod occurrit, tulit, eique, cum jam nox esset, ad caput posuit*; S. Paulini *natal. III. Spargite flore solum, prætexite limina sertis*; & S. Hieronymi *in epist.* 60. *ad Heliodorum num.* 12. *tom.* 1. *oper. Qui basilicas Ecclesiæ* (loquitur de Nepotiano) *& Martyrum conciliabula diversis floribus, & arborum comis, vitiumque pampinis adumbrarit.* Sacra nihilominus Congregatio sensit, actum illum privati cultus fines eodem in casu minime præteriisse; quippe in quo oblatio florum a nonnullorum privata pietate derivaretur, nec ulla publica auctoritas ei esset intermixta: quo adjuncto posito, id citra publici cultus notam fieri haudquaquam potuisset. Ad publicum enimvero cultum relata est oblatio florei serti, quæ per annos singulos fiebat, publica intercedente auctoritate, a Matritensibus B. Isidoro Agricolæ, veluti legitur in relatione Cardinalis a Monte; ut ad publicum cultum refertur oblatio florei pariter serti, quæ fit quotannis in honorem B. Julianæ Cornelienſis a Consulibus Leodiensibus in ecclesia Cornelienſi, sicut habetur apud Bollandianos *ad diem* 5. *Aprilis tom.* 1. *pag.* 443. Quare, quod asserunt nonnulli, florum oblationem Martyrum non vindicatorum sepulcris post Urbani VIII. decreta fieri neutiquam posse, quemadmodum habet Hurtado *de vero Martyrio resolut.* 43. §. 11. id intelligendum atque explicandum est de illis tantum florum oblationibus, quæ non privata aliquorum pietate fiunt, sed ex vi publicæ Auctoritatis, sicuti modo diximus; sive ex eo, quod aliquis suo in testamento jusserit, hæredes singulis annis florum ipsam facere oblationem alicujus Servi Dei sepulcro, sicut in exemplo, quod affert idem Hurtado: nam & hoc non ad propriam privatamque pietatem esset referendum, sed ad vehemens potius desiderium cultum illius introducendi atque amplificandi, tametsi ante Apostolicæ Sedis judicium.

CA-

UAB Biblioteca de Ciències Socials

CAPUT DECIMUMTERTIUM.

De quæstionibus aliis ad anniversariam obitus Dei Servorum diem, eorumdemque Reliquias pertinentibus.

1. VIRI eruditi P. Papebrochius *in conatu chronico historico ad catalogum Romanorum Pontificum pag.* 3. & Pagius *ad an.* 69. *num.* 18. dicunt, veteres fere omnes sanctos Pontifices alio die coli, quam quo obierunt. Sed si veritatem amamus; Sanctos antiquis etiam temporibus solemni honore insignitos fuisse fateri debebimus illis iisdem diebus, quibus vitam hanc caducam cum immortali moriendo commutarunt: tantum autem sæculo V. admissam fuisse disciplinam, ut Sanctus quis præter suæ mortis diem cultum in Ecclesia obtineret. Ignorabatur dies, qua decessit S. Martyr Julianus; cumque populus anxius esset, qua die eum colere deberet, dies ipsa divinitus fuit ei manifestata, teste Gregorio Turonensi *lib.* 2. *de miraculis Martyrum cap.* 29. ubi hæc habet: *Hujus festivitatis tempus ignara plebs mœsta pendebat, nesciens diem, in quo Martyr beatus deberet pro virtutis, ac passionis gloria honorari; & hæc ignorantia usque ad B. Germanum Antissiodorensem Antistitem est protracta &c. Tunc ille: Oremus, inquit, & fortasse nobis hæc Domini potentia revelabit. Quod cum fecissent, mane orto ... ait, V. Kal. mensis septimi celebrandam esse festivitatem.* Argumentum porro id ipsum erudite, ut omnia solet, persequitur Ludovicus Antonius Muratorius *t.* 1. *anecd. dissert.* 19. *per tot.*

2. Ad similitudinem deinde solemnis festi instituti pro die anniversaria obitus Sanctorum, quoniam nonnulla pariter a viris piis introducta fuerunt celebritatis argumenta in diem anniversariam obitus Dei Servorum, de quibus noster est sermo, ex. gr. in diei ejusdem vigilia jejunium, in die autem ipsa ab operibus servilibus abstinentia, panegyricæ orationis recitatio, suffragiorum pro mortuis intermissio, necnon Missæ in honorem omnium Sanctorum, vel de Æterna Sapientia, aut de Sanctissima Trinitate celebratio; de his nunc quæritur, an exhiberi licite valeant, & citra publici cultus notam, qui neutiquam impendendus est ipsis Dei Servis non beatificatis neque canonizatis, tum vero, quia aliquando civilia quædam, & minime religiosa in civitatibus & oppidis festa fiunt eadem die anniversaria; de his quoque disputatur, an licite agi queant & sine ulla læsione vel juris communis, vel Urbani VIII. decretorum.

3. Itaque, ut ad singulorum examen descendamus, nullo modo prohibitum videtur, ne privatæ aliquæ personæ sponte sua in vigilia diei anniversariæ jejunent, neve anniversaria ipsa die a servilibus operibus abstineant. Sanctus enim Hieronymus in vita S. Hilarionis inquit, Hilarionem obitum S. Antonii licet absentis cognovisse & enuntiasse; postea, instante die ejus anniversaria, eo se contulisse, ubi defunctus erat, ut ipsam ejusdem dormitionis diem præviis nocturnis vigiliis ibidem celebraret: Cassianus *collat.* 19. *c.* 1. refert, diem anniversariam mortis cujusdam Prioris abbatiæ festo ritu peractam a Monachis fuisse: & alia plura ejusdem generis passim apud Surium occurrunt: quibus exemplis inhærendo, Auctores practici docent, id citra publici cultus notam fieri posse; uti Del Bene *de Inquisit. tom.* 2. *part.* 2. *dubit.* 234. *sect.* 2. *petit.* 6. 7. & 8. Pasqualig. *in addit. ad Laur. de Franch. de controv. inter Episcop. & Regul. tit. de cultu erga non canonizatos num.* 1224. & *num.* 1229. Bonacina *oper. moral. tom.* 2. *disp.* 3. *quæst.* 1. *punct.* 2. *sub num* 2. §. 3. *Licere*, & §. 4. *Non licere*, Baldell. *tom.* 2. *lib.* 3. *disp.* 12. *num.* 24. & 25. Quamvis autem ab his dissentiat Contelorius *de Canoniz. SS. cap.* 22. *num.* 2. ejus tamen dictum sic explicandum esse putarem, ut tantum procedat quoad jejunia, atque ab operibus servilibus abstinentiam a Superiore Ecclesiastico indictam; ex ea quippe circumstantia actus ipsi publici cultus naturam induerent, quemadmodum prosequuntur Doctores prædicti, sive tum solum, quando non sponte sua, sed ex aliorum impulsu jejunium fieret a Fidelibus, & opera servilia die anniversaria omitterentur. Ut enim inquit Auctor tractatus de Canonizatione ad Cardinalem Montis Regalis *cap.* 5. possunt aliqui æmulatione, turpis lucri aut avaritiæ gratia, illusione, levitate, vel affectione parum considerata adduci, necnon alios adducere ad illa peragenda. Quamobrem Urbanus Papa V. in suo Brevi supra relato Religiosos redarguit, populum Fidelem ad id inducentes, ut diebus anniversariis nonnullorum non adhuc ab Ecclesia beatificatorum aut canonizatorum ab operibus servilibus vacaret. Sive denique, cum, publica auctoritate intercedente, jejunium atque ipsa ab operibus abstinentia explerentur; sicuti Neti in Sicilia contigit, ubi Senatusconsulto sancitum est, ut in festo B. Conradi Eremitæ populus ab omni servili opere feriaretur, veluti extat apud Bollandianos *ad diem* 19. *Februarii tom.* 3. *pag.* 160. Hinc enimvero non ad privatum, sed ad publicum cultum relatum est decretum Populi Romani de observanda in Foro Capitolino, tanquam feriata, die obitus Franciscæ Romanæ ante ipsius Canonizationem: item in causa Beati Gregorii X. cum de casu excepto quæreretur, publicum cultum sapere dictum est, quod in statuto Arerino præscripta fuisset vacatio ab opere servili die ejus festo: pariterque in causa B. Dalmatii Monerii, quando de ejus cultu immemorabili disputabatur, tanquam publicus cultus habitus est Senatus Gerundensis actus mox enuntiandus. Cum in memoriam liberationis civitatis ab obsidione Gallorum idem Senatus vovere annuam celebrationem festi B. Dalmatii decrevisset, & ob id Episcopi auctoritatem imploraasset (sine enim Ecclesiastica auctoritate ex alibi dicendis festum de præcepto nequit instituì) Episcopus autem petitioni assentiri renuisset, ne nimia festorum multiplicatio populo esset onerosa, edictum ille promulgavit, quo cives exoravit, ut diem anniversariam Beati instar festorum de præcepto celebrarent. Hujus autem postremæ exceptionis est ratio, quod, quemadmodum vetitum est facere votum publicum in honorem horum Dei Servorum, & publici voti nomine intelligendum est illud quod fieret a tota aliqua civitate, aut populo ex decreto, mandato, aut consensu publico, uti prosequitur Baldell. *loc. cit.* Ita publica intercedente auctoritate festum cum jejunio agi nequit; ideoque horum permissio sine publici cultus nota redigenda esse videtur ad spontaneam aliquorum abstinentiam a cibis vetitis in vigilia, atque ab operibus servilibus in die ipsa anniversaria.

4. Succedunt in examine panegyricæ orationes, omissio suffragiorum pro defunctis, & celebratio Missæ in honorem omnium Sanctorum, vel de Æterna Sapientia, aut de Sanctissima Trinitate. Quod autem attinet ad panegyricam orationem, siquidem eam haberi quotannis licet in honorem virorum illustrium, ut re vera media in Urbe quotannis habetur in Collegio Romano Patrum Societatis Jesu in honorem Gregorii XIII. summi Pontificis, potiori jure haberi posse videtur in honorem Dei Servi cum sanctitatis & miraculorum fama defuncti, dummodo tamen orator se contineat intra debitos fines, & Beatitatis aut Sanctitatis titulum a moribus & opinione ad personam non transferat: quod, ut antea vidimus, omnino fieri nequit, sicut & vidimus, ab Urbano V. nonnullos Religiosos fuisse merita severitate correctos, eo quia Carolum de Blesio Martyrem & Sanctum in ecclesiis atque concionibus adstruere moliebantur, & adhuc alios neque beatificatos neque canonizatos Beatorum nomine suis in concionibus appellabant. Ego vero tutius fore censerem ab eisdem orationibus penitus abstinere, quandoquidem ut plurimum suspicio subest, quod originem ducant a personis lapidem omnem moventibus pro concilianda aut conservanda fama sanctitatis Dei Servi, propter quem instituuntur. Quare, cum Clerici Regulares Minores anno 1629. magna solemnitate celebrassent diem obitus Servi Dei Francisci Caraccioli, a tribunali autem sanctissimæ Inquisitionis fuisset in eos animadversum, facta indebiti cultus remotione, editum est a san. mem. Urbano VIII. die 16. Maji 1630. sequens decretum. *Lecto memoriali Patrum Clericorum Regularium Minorum S. Mariæ Majoris Neapolis, quo petunt, sibi concedi licentiam celebrandi anniversarium in die obitus q. P. Francisci Caraccioli eorum Religionis Fundatoris, & faciendi hac occasione orationem ordinariam in genere demonstrativo; juxta tamen bullam super a Sanctitate sua emanatam, Sanctissimus noluit concedere; sed mandavit, scribi Episcopo Molphettæ, ut eis significet*

gnificet, quod abſtineant. Quod ſpectat vero ad omiſſionem ſuffragiorum pro defunctis, celebrationemque memoratarum Miſſarum, Molanus *ad diem 5. Januar. in natali SS. Belgii* narrat, quod in territorio Falkenburgenſi colitur quidam B. Gerlacus Eremita, fit ejus commemoratio in vigilia Epiphaniæ, &, quia non eſt canonizatus, Miſſæ ſacrificium peragitur de Æterna Sapientia: Item *ad diem 19. Aprilis*, quod Bertinenſes in die anniverſaria obitus cujuſdam Bernardi Pœnitentis Beati nuncupati celebrant anniverſarium Officium pro omnibus defunctis, deinde, Sacro expleto, pergunt ad monumentum Beati canentes reſponſum, *Juſtorum animæ in manu Dei ſunt*, cum Oratione, in qua generatim fit mentio omnium Sanctorum, quorum Reliquiæ eo in templo ubi hæc fiunt, requieſcunt: demum *ad diem 11. Octobris*, quod Tornacenſis Eccleſia colit Brunonem Epiſcopum Colonienſem Officio proprio, necnon Colonienſis Eccleſia etſi eum non colat tanquam Sanctum, cum nunquam fuerit ab Apoſtolica Sede canonizatus, die tamen mortis ejuſdem omnia Canonicorum Colonienſium collegia ad S. Pantaleonem conveniunt: & in ejuſdem Epiſcopi Brunonis honorem celebrant Miſſam de Æterna Sapientia. Molpheſius pariter *in cit. conſil. 45. concluſ. 6.* pluribus congeſtis exemplis probare conatur, Miſſam ſolemnem de Sanctiſſima Trinitate die anniverſaria horum Dei Servorum licite celebrari: quibus inſuper addi poſſet, quod in vita Servi Dei Alphonſi de Oroſco Bononiæ typis impreſſa anno 1661. legitur, id eſt facta translatione corporis ejuſdem Alphonſi anno 1621. ex uno ad alium locum juſſu Ferdinandi de Auſtria Archiepiſcopi Toletani, eaque poſt accepta compendiaria documenta a Cardinali Cenino tunc in Hiſpanias Nuntio, peractum fuiſſe feſtum & cantatam Miſſam ſolemnem omnium Sanctorum, ut etiam habetur in hiſtoria Conventus S. Auguſtini civitatis Salamantinæ edita a P. Thoma de Herrera. Verum, quoniam minime licet ſuffragia pro mortuis omittere in funere ipſorum Dei Servorum, nec licita eſſe poterit eorumdem prætermiſſio in die anniverſaria, atque adeo ſubſtitutio Miſſarum in honorem Sanctorum, aut de Æterna Sapientia, vel de Sanctiſſima Trinitate, quippe cum harum Miſſarum celebratio ex alibi dicendis ad cultum publicum referatur. Molanus enim ipſe in prædicto Sanctorum Belgii natali *ad diem 29. Aprilis* recenſet, Dononii celebrari anniverſaria Juſta cujuſdam Avæ Beatæ appellatæ, ſed, ſicuti agitur pro defunctis, & ſicuti id ipſum alibi fieri tradit erga Walbertum, Pipinum, Idubergam cum ſanctitatis fama defunctos, nunquam vero in Beatorum aut Sanctorum catalogo adſcriptos. Ita Bollandiani *ad diem 4. Maji tom. 1. inter prætermiſſos* teſtantur, in abbatia Thorenſi ad Moſam adhuc celebrari exequias inſtitutas pro anima Herſwindis primæ Abbatiſſæ non ſine ſanctitatis fama defunctæ, utpote cum ea appelletur Venerabilis in florario manuſcripto, Beata a Greveno, Sancta Abbatiſſa a Caniſio, Sancta abſolute a Ferrario, Sauſſajo, Galeſinio, Arturo. Et profecto, ut ab exteris ad noſtra tranſeamus, in ſacrorum rituum Congregationem introducta fuit cauſa Beatificationis & Canonizationis Servi Dei Innocentii XI. probataque in ea fuit obedientia decretis Urbani VIII. ſuper non cultu, necnon abſolutum eſt judicium ſuper fama ſanctitatis in genere; & per ſingulos nihilominus annos die anniverſaria obitus ipſius coram ſacro Cardinalium Collegio canitur Miſſa mortuorum pro ſuffragio animæ ejuſdem. Neque enim his obſtant alia exempla exadverſo expoſita; tum quia non quæritur, quid olim factum fuerit, ſed quid hodie faciendum ſit, tum quia nonnulla ex prioribus poſſunt ad jus revocari per centum annorum, aut immemorabilem conſuetudinem, cui Urbanus nullum voluit præjudicium afferri, præſens autem diſputatio de illis eſt Dei Servis, quorum caſus & cauſæ non ſunt inter exceptas ab ejuſdem Urbani decretis.

5. Feſta demum civilia & minime religioſa ea ſunt, quæ in aliquo oppido vel civitate fiunt, recurrente die anniverſaria Servi Dei cum ſanctitatis laude defuncti, ex communi populi ſenſu, vel Magiſtratus imperio; ſicut in Hiſpaniis taurorum agitationes, & his ſimilia. Itaque, quod attinet ad hæc, Petrus de Quintanilla in tractatu Hiſpano idiomate conſcripto ſuper decretis de non cultu §. 2. *num.* 10. dicit, eadem nullo modo eſſe interdicta: oppoſitam autem ſententiam amplexus eſt Hurtado *de vero Martyrio reſolut. 46. §. 11. verſ. Sed nunquid*; eo quia cultus ille exhibetur publice, & intuitu religionis ac ſanctitatis, quæ nondum eſt vindicata. Veruntamen, cum idem cultus ſit pure civilis, & non raro publice etiam impendatur in memoriam nativitatis Principis, aut liberationis civitatis ab obſidione vel aggreſſione hoſtili, aut pro aliqua inſigni victoria reportata, crederem, eum nequaquam adverſari juri communi, aut Urbani VIII. decretis. Præterquamquod teſtari poſſum, in cauſa B. Joannis de Prado, cum de miraculis diſputaretur ante ejus Beatificationem patratis, in uno autem ex eis ageretur de liberatione ab imminenti mortis periculo pueri lancea percuſſi in quodam publico ludo, qui ad Joannis honorem celebrabatur, miraculum quidem iſtud ex probationis defectu minime fuiſſe admiſſum, at neminem tamen difficultatem excitaſſe quoad non cultum; ut factum procul dubio fuiſſet, ſi exiſtimatum eſſet, actum eum non cultui refragari. Nec enim negotium faceſſere poteſt exemplum S. Joannis Chryſoſtomi, dum ludos increpavit, qui ad ſtatuam Eudoxiæ adhuc viventis peragebantur: nam ludi illi populares fiebant in platea media inter eccleſiam, & ſtatuam; quod Joannes arbitratus eſt cedere in dedecus eccleſiæ, propterea quia forte clamor populi & Officia Divina, & conciones impediebat. Quocirca Socrates *lib. 6. hiſtor. c. 18.* ait: *Joannes cum ad contumeliam eccleſiæ iſta fieri cenſeret, priſtinam loquendi libertatem reſumens, contra eos, qui hæc agebant, linguam ſuam denuo armavit.* Cui concors eſt Sozomenus *lib. 8. cap. 20.* ubi: *Hæc Joannes ad contumeliam eccleſiæ geſta eſſe, in ſermone ad populum criminatus eſt.*

6. Quoad eorumdem Dei ſervorum Reliquias, de quibus nunc ex ordine propoſito eſt differendum, ſæpe in ſacrorum rituum Congregatione diſputatum eſt, an, ſi aliqua earum pars, ex. gr. cor, aſſervetur extra ſepulcrum in ſeparato aliquo loco, id repugnare valeat non cultui, ſeu quod idem eſt, utrum actus hic ſit referendus ad cultum publicum, an ad privatum. Sacra autem eadem Congregatio ſemper ſenſit, id ipſum non cultum minime lædere, modo vel ipſum cor aliquo in conditorio repoſitum ſecreto cuſtodiatur, nec in loco aliquo exponatur occaſionem cultui præbente. Anno 1666. mortua eſt non ſine fama ſanctitatis Maria Felix Orſina Dux de Momoranſi Religioſa & Superior Ordinis Viſitationis in civitate de Moulins, cumque corpus ejus fuiſſet traditum ſepulturæ, cor repoſitum fuit in cuſtodia argentea, quemadmodum legere eſt *in cap. 32.* ejuſdem vitæ ex Gallico idiomate in Italicum converſæ, & Romæ formis impreſſæ anno 1724. Præterea cor S. Franciſci Saleſii fuit a corpore ſeparatum, atque in decenti tabernaculo conditum: verum, cum nunquam fuerit ad venerationem expoſitum, fuit in ejus cauſa reſponſum, conſtare de non cultu, quemadmodum habetur apud Pignatell. *conſult. 114. num. 17. & ſeq. tom. 8.* quod & contigit in cauſa B. Petri Forerii. Similiter, dum ſungebar munere Fidei Promotoris, etſi in cauſis S. Vincentii de Paulis, & Ven. Servi Dei Innocentii XI. ipſe oppoſuiſſem, eorum corda fuiſſe a corporibus ſeparata & peculiaribus in cuſtodiis ſervata, cum tamen Poſtulatores probaſſent, nunquam ea fuiſſe ad venerationem expoſita, ſacra Congregatio ſententias latas ab Ordinariis ſuper non cultu approbavit. In cauſa item Servi Dei Antonii Baldinucci e Societate Jeſu Presbyteri, dum agebatur de non cultu, cum vox irrepſiſſet, ejus cor a corpore ſegregatum in civitate Tuſculana aſſervari, eadem ſacra Congregatio die 3. Auguſti 1726. mandavit, ut videretur, an factum exiſteret; & an ipſi cordi, quatenus factum exiſteret, publicus cultus eſſet nunquam exhibitus, ſive exhiberetur: at vero, comperto facti defectu, editum eſt decretum de non cultu.

7. Recentibus hiſce conſentiunt etiam antiquiora ſacræ ejuſdem Congregationis decreta. In cauſa quippe Toletana Ven. Servi Dei Franciſci a Puero Jeſu edita hæc fuerunt: *Propoſito iterum dubio, an ſententia Vicarii Matritenſis lata ſuper non cultu eidem Servo Dei exhibito confirmanda foret, & reaſſumptis oppoſitionibus Fidei Promotoris, iiſque mature ponderatis, Congregatio ſacrorum rituum cenſuit, ſcribendum eſſe Eminentiſſ. Cardinali de Aragonia Archiepiſcopo Toletano, qui per ſe, ſeu per ejus Vicarium in Spiritualibus Compluti commorantem diligenter inquirat, an, & qui cultus & veneratio exhibeatur parti brachii ejuſdem Servi Dei illuc delati, & quod dicitur ſervari in eccleſia Patrum Carmelitarum Excalceatorum dicti oppidi; nec non Archiepiſcopo Valentino, qui pariter videat, an, & qualis cultus & veneratio præſtetur particulæ Reliquiæ ejuſdem Servi Dei, quæ dicitur Valentiam delata: &, quatenus ambo negative reſpondeant, dictum fuit, poſſe in hujuſmodi cauſa ad ulteriora procedi, 14. Auguſti 1666. & Sanctiſſimus annuit die 21. Octo-*

Octobris 1666. Rursus *sacrorum rituum Congregatio ad relationem Eminentiss. de Ilcio, attentis litterris responsivis Eminentiss. Cardinalis de Aragonia Archiepiscopi Toletani, & Archiepiscopi Valentini, nullam exhiberi venerationem Reliquiis dicti Servi Dei illuc delatis & custoditis, scilicet in ecclesia Patrum Excalceatorum Carmelitarum oppidi Compluti diœcesis Toletanæ, & Valentiæ, & reassumptis quoque deductis in sacrorum rituum Congregatione die* 14. *Augusti* 1666. *censuit, constare de non cultu, & sufficienter fuisse paritum decretis Urbani VIII. & procedi posse ad ulteriora in causa, die* 31. *Augusti* 1669. *& Sanctissimus annuit die* 8. *Octobris* 1669.

8. In causa Spoletina Ven. Servi Dei, nunc Sancti Josephi a Leoniſſa Sacerdotis Capuccini sequens emanavit: *Sacrorum rituum Congregatio censuit, per litteras particulares sacræ Congregationis rituum scribendum esse Eminentiss. Episcopo Spoletano, qui per se ipsum, vel per suum Vicarium Generalem una cum Notario, & testibus, necnon cum interventu Subpromotoris per Reverendiss. Promotorem Fidei subdelegandi accedat & diligenter inquirat, an, & qui cultus & veneratio exhibeatur cordi prædicti Servi Dei, quod cum aliis memoriis dicitur servari in sacristia, ecclesia, & Conventu Patrum Capuccinorum dictæ terræ de Leonissa, & per litteras suas responsivas eandem sacram Congregationem certioret, die* 26. *Novembris* 1678. *& Sanctissimus annuit die* 4. *Decembris* 1678. Responsionibus autem acceptis, quod cultus ei nequaquam exhiberetur, pro non cultu statutum fuit, & ut ad ulteriora progressus fieret.

9. In causa denique tunc Beati, nunc Sancti Fidelis a Sigmaringa hoc prodiit: *Sacra rituum Congregatione habita sub die* 21. *Augusti proxime præteriti, propositoque per Eminentiss. & Reverendiss. Dominum Cardinalem Casanate Ponentem dubio, an sententia lata per Reverendiss. Episcopum Curiensem Judicem delegatum ab eadem sacra Congregatione super cultu non exhibito dicto Servo Dei, & paritione decretis super non cultu editis esset confirmanda, vel infirmanda in casu & ad effectum, de quo agitur, negative rescripsit: sed modo, discussa & mature considerata attestatione dicti Reverendiss. Episcopi Curiensis in suis litteris responsivis eidem sacræ Congregationi directis de remotione cultus dicti Servi Dei e latere Capellæ ecclesiæ Capuccinorum Waldkirchii, & de illius repositione in loco privato extra dictam ecclesiam in capsula clausa & sigillo dicti Reverendiss. Episcopi Curien. munita, ac etiam audito Reverendiss. Fidei Promotore censuit, constare de paritione dictis decretis, facta obligatione capitulariter per Fratres Capuccinos de non amovendo, nec ostendendo cranium sub pœna excommunicationis reservatæ sacræ Congregationi; si Sanctissimo Domino nostro placuerit. Hac die* 22. *Januarii* 1689. *Et, facta de prædictis Sanctissimo relatione, Sanctitas sua benigne annuit, die* 24. *Martii* 1689.

10. Igitur quod publicum cultum importat, id tantum (ut sæpe diximus) vetitum est; & ideo nec corpora, nec Reliquiæ horum Dei Servorum poterunt ad publicam venerationem exponi in ecclesiis, juxta textum *in cap. finali: de Relig. & venerat. SS.* & quemadmodum ad rem prosequitur Baldell. *tom.* 2. *lib.* 3. *disput.* 12. *num.* 28. Nam & Clerici ipsi Regulares Minores, in quos diximus fuisse animadversum propter amplitudinem cultus præstiti Servo Dei Francisco Caracciolo, hujus corpus in quadam capsa collocatum die ejusdem obitus anniversaria ad publicam exposuerant venerationem sua in ecclesia. Secundum enim communem consuetudinem non aperiuntur sepulcra, ut corpora Fidelibus ostendantur, nisi in eis recondita sint Beatorum, aut Sanctorum corpora, sicuti fit in Urbe de corpore S. Philippi Nerii, in civitate Florentina de corpore S. Mariæ Magdalenæ de Pazzis, in Monte Falco de corpore B. Claræ, in civitate Tifernate de corpore B. Margaritæ, & in civitate Lucensi de corpore B. Zitæ. Item non aliam ob causam institutum est, ut Reliquiæ exponantur, nisi quo Christianorum pietas incendatur, & ex earum aspectu uberrima bonorum seges in Fidelium animos derivetur; quemadmodum erudite demonstravit Petrus Morettus Canonicus basilicæ trans Tiberim *in dissertatione de ritu ostensionis sacrarum Reliquiarum n.* 12. & 13. Quæ cum non conveniant nisi Sanctorum vindicatorum Reliquiis, sequitur, tum eadem, tum his similia fieri nequaquam licere quoad corpora & Reliquias Servorum Dei neque beatificatorum neque canonizatorum.

11. Porro, cum dictum sit, nec corpora nec Reliquias eorumdem Dei Servorum posse ad publicam venerationem exponi in ecclesiis, quæritur, an ea saltem exponere liceat in altari domus privatæ. Huic quæstioni nonnulli affirmanter respondent, ut Sanchez *in summa lib.* 2. *cap.* 43. *num.* 7. atque Baldell. *loc. cit. num.* 31. Sed, si juxta decreta Urbani VIII. nequeunt illorum Imagines retineri in ædiculis, aliisque locis sive publicis sive privatis, etiamsi depictæ sint sine laureolis, radiis aut splendoribus, multo minus poterunt eorumdem Reliquiæ in altari, licet privato. Re enim ipsa, dum fungebar munere Fidei Promotoris, sacrorum rituum Congregatio die 20. Novembris 1717. approbavit non cultum tum in causa Servorum Dei Rodulphi Aquavivæ ac Sociorum, tum in causa Servi Dei Leonardi de Fusco 9. Augusti 1721. quamquam a me objectum fuerit, quod eorum Reliquiæ servabantur extra sepulcrum peculiaribus in capsulis, quia a Postulatoribus ostensum fuit, eas servari in distinctis capsulis, verum præter locum sacrum. Contra, cum de latione Reliquiarum horum Dei Servorum ad ægrotos disputaretur, an fieri id queat citra violationem juris communis, aut decretorum Urbani VIII. ratione habita juris communis affirmanter respondet P. Ceparius *in direct. part.* 2. *cap.* 8. *ad dub.* 15. & ego pariter, quatenus petitio, quod Reliquiæ ipsæ afferantur, sine ulla industria prodeat a spontanea pietate Fidelis ægrotantis, qui ad intercessionem Servi Dei confugiat, nihil video, quod fines privati cultus prætereat. Enimvero etiam Fidei Promotoris munere fungens sæpenumero vidi, & a sacrorum rituum Congregatione & a summis Pontificibus approbata pro Beatificatione obtinenda nonnulla miracula patrata intercessione Servorum Dei, quorum Reliquiæ ad ægrotos delatæ fuerant. De suspensione demum Reliquiarum eorumdem Dei Servorum ad collum cum quæstio fit, an id fieri licite possit; si adhærendum foret opinioni S. Philippi Nerii, negatione esset respondendum: sensit enim is, in cubiculo potius reservandas, quam ferendas ad collum appensas Sanctorum Reliquias, veluti legitur in ejus vita scripta a Jacobo Baccio *lib.* 2. *cap.* 2. *n.* 10. & 11. Sed, quoniam Theologi docent, licitum esse ac merito dignum, ad collum alligatas deferre Sanctorum Reliquias, dummodo absit superstitio, & deferantur ex fiducia in Deum & Sanctos, ut habetur apud S. Thomam 2. 2. *quæst.* 96. *art.* 4. *ad tertium*, quem sequitur S. Antoninus *in summa Theolog. part.* 3. *tit.* 12. *cap.* 8. *tom.* 2. consequens est, suspensionem ad collum Reliquiarum etiam Servorum Dei nondum beatificatorum aut canonizatorum non posse, hoc fundamento posito, impugnari. Ita, si quæstio fuerit, utrum id ipsum importet cultum publicum an privatum, placet opinio, quod tantum privatum præseferat, cum Pasqualig. *in addit. ad Lauret. de Franch. num.* 1223. cui etiam concordat Cardinalis Bellarminus loco alias indicato, signanter vero in sua dissertatione apud Pignatell. *consult.* 38. *sub num.* 19. *tom.* 5. Huc referri potest illud S. Eulogii Cordubensis, dum *in epistola ad Baldegotonem sororem S. Floræ* ita scribit (*biblioth. PP. tom.* 15. *pag.* 305.) *De cetero direximus tibi pro memoria venerabilis sororis tuæ Floræ cingulum, quo illa in carcere usa est*: necnon id quod extat in bulla Canonizationis S. Didaci (*in nov. cod. pag.* 238.) ubi, cum de ejus funere sermo fit, hæc habentur: *Ad ejus corpus magni undique concursus facti, illud devote omnes contingere, amictus particulas præscindere, capillos devotionis gratia evellere.*

UAB
Biblioteca de Ciències Socials

CAPUT DECIMUMQUARTUM.

De quibuſdam aliis controverſiis quoad imagines prædictorum Dei Servorum; necnon de actibus ſine ulla dubitatione ad publicum cultum referendis, & ideo interdictis.

1. QUÆSTIONUM poſtea Dei Servorum picturas reſpicientium, quæ ad præſens videndæ ſuperſunt, prima eſt, an ſicuti prohibitum fuit Imagines horum Dei Servorum depingere cum radiis, laureolis aut ſplendoribus, ita vetitum dicendum ſit & eas ſimpliciter depingere, & in ipſis picturis repræſentare aut eorum pretioſam mortem, ſi loquamur de Martyribus, aut inſigne aliquod factum, ſi de aliis, quod in eorum hiſtoriis legatur. Contelorius *de Canoniz. SS. cap. 22. num. 2.* ſtat pro hujus rei interdictione. Verum, cum quædam ſint, quæ ex ſui natura & indole cultum ſeu venerationem præferunt, ut radii ipſi, laureolæ, ac diademata; alia autem ſint, quæ, quantum quidem in ſe eſt, id minime important, utpote factum tantummodo repræſentantia pertinens ad hiſtoriam vitæ aut mortis illius, cujus eſt Imago; nemo non videt, nullam ab illis ad hæc fieri poſſe illationem, ideoque in hoc rerum themate concludendum fore, quod, ſalva manente interdictione picturæ cum radiis, diademate aut ſplendoribus, permiſſum eſſe poterit cum Imagines eorumdem Servorum Dei depingere, tum ipſa in pictura effingere aut glorioſam eorumdem mortem, aut eximium aliquod factum in eorum hiſtoriis relatum, ſicuti animadvertit Pignatellus *conſult.* 438. *per tot. tom.* 1. *& conſult.* 47. *tom.* 4. Conſonat vero & conſuetudo, tum quia plerumque, quando a Poſtulatoribus fit petitio pro cauſa in ſacrorum rituum Congregationem introducenda, cum ſcripturis typis impreſſis diſtribuuntur Imagines Dei Servi, eæque non ſolæ, ſed una cum repræſentatione mortis iſti inflictæ a Tyranno, ſi agatur de Martyre, vel alicujus glorioſi facti, ſi de Confeſſore; tum quia, ſignata Commiſſione, dono datur Imago depicta Servi Dei, cujus cauſa eſt introducta, Cardinali Relatori, Secretario Congregationis ſacrorum rituum, ac Fidei Promotori, ut alibi dictum eſt. Et ſane in omni fere pictura, præter Imaginem, aliquod etiam notabile factum vitæ Servi Dei expreſſum habetur. Cum autem de his nulla unquam mota fuerit controverſia, evidentiſſime patet, conſimiles picturas nequaquam vetitas dici poſſe tanquam publicum cultum importantes.

2. Secunda quæſtio circa hæc verſatur, an liceat toties memoratorum Dei Servorum Imagines depingere cum perſona ad eorum genua provoluta; an ipſos Dei Servos referre liceat genibus flexis cultum exhibentes Chriſto Domino, Beatiſſimæ Virgini, aut alicui Sancto jam canonizato; an demum eorumdem Servorum Dei Imagines induere fas ſit perſona alicujus Sancti jam canonizati, quemadmodum factum fuerat de Imagine Servi Dei Antonii Baldinuccii Societatis Jeſu depicta in quodam ſacello, & ita aptata S. Franciſco Xaverio, ut Sanctus iſte eſſet ſub illius Imagine repræſentatus. Itaque, ut omnia ſingulatim perpendamus, ſi loquamur de Imaginibus ipſorum Dei Servorum depingendis cum perſona ad earum genua provoluta, id utique nulla ratione fieri poteſt; genuum enim flexio ſignum eſt ab Eccleſia admiſſum pro cultu externo denotando, uti probat textus *in cap. Sane: de celebrat. Miſſar.* utque ad rem docet Pignatell. *conſult.* 208. *num.* 2. *tom.* 1. Si porro agamus de Imaginibus horum Dei Servorum genibus flexis cultum Chriſto, Beatiſſimæ Virgini, aut alicui Sancto jam canonizato exhibentibus, & eas pariter ſic pingi non poſſe dicendum eſt, quando ipſæ Imagines in aliquo altari ſive eccleſiæ, ſive ſacelli eſſent reponendæ; tum quia id foret oblique eludere diſpoſitionem decretorum Urbani VIII. quæ, ut ſæpe dictum eſt, arcent Imagines eorumdem Servorum Dei ab ipſis altaribus; tum quia, ſi juxta Alexandri VII. decreta Imagines Servorum Dei jam beatificatorum prædicto modo depingi nequeunt & collocari in eccleſiis & altaribus extra loca, quibus eorum veneratio indulta fuit, potiori jure concludendum videtur, conſimiles picturas vetitas eſſe, quando, prout hic, agimus de Servis Dei necdum beatificatis, aut canonizatis. Ad ſummum igitur ejuſmodi picturæ permiſſæ tunc tantum dici poterunt, cum clare conſtat, eas non fuiſſe expoſitas publici cultus erga eas inducendi gratia, ſed alia ex cauſa diſparata, & ad publicum cultum nunquam referenda; ut puta, ſicut aliquando in eccleſiis licite collocantur Imagines beneficiorum, ita & Imago Servi Dei erga Eccleſiam benefici exhibens cultum Chriſto Domino, aut Beatiſſimæ Virgini non poterit haberi pro re ad publicum cultum tendente, quemadmodum recte cogitat Scacchus *de not. & ſign. ſanctit. ſect. 9. cap. 6. pag.* 713. Enimvero, etſi in cauſa Servi Dei Leonardi de Fuſco ipſe tanquam Fidei Promotor oppoſuiſſem, quod in altari majori Eccleſiæ Monialium civitatis Litterenſis aderat ejus Imago depicta ſupplicis inſtar ſub Imagine Beatiſſimæ Virginis Roſarii, cumque Poſtulatores reſpondiſſent, Imaginem illam eſſe ſine laureolis, radiis aut ſplendoribus, necnon alium de familia Fuſca eſſe eodem modo in eadem tabella depictum, ideoque has Imagines nihil aliud præferre, quam monaſterium fuiſſe a dicta familia conſtructum; ſacrorum rituum Congregatio die 9. Auguſti 1721. non cultum approbavit. Sanchez quidem *lib. 2. ſummæ* eaſdem Imagines quacumque ex cauſa expoſitas concedere videtur, ubi docet, non eſſe attendendum acceſſorium, ſed principale, juxta textum *in l. Etſi non ſunt §. Perveniamus ff. de auro & argento legato*, ad quem communiter Doctores eamdem regulam firmant. Verum, cum aperte pateant Urbani VIII. decreta, quæ generatim prohibent retentionem Imaginum horum Dei Servorum in altari ſive eccleſiæ ſive ſacelli, nullo modo ab eis eſt recedendum, ut ad rem argumentatur Hurtado *de vero Martyrio reſolut.* 43. §. 11. Denique, ſi ſermo ſit de Imaginibus Servorum Dei indutis perſona alicujus Sancti jam canonizati, vel alicujus Beati aliquo in altari collocandis, id etiam minime licere, eſt reſpondendum; cum unuſquiſque facile deprehendere queat, hiſce & hujuſmodi aliis fieri fraudem decretis Urbani. Quapropter ſupra indicata Imago Servi Dei Antonii Baldinuccii, quæ fuerat expoſita in quodam ſacello ab ipſo extructo in eccleſia ſubterranea Cathedralis Reatinæ, amota fuit, antequam dubium in ſacra Congregatione proponeretur ſupra ejus non cultu.

3. Tertia quæſtio eſt, an horum Dei Servorum Imagines ſine laureolis, radiis aut ſplendoribus depictæ poni poſſint in eccleſiis vel ſacellis, ſed extra altaria, & ſeorſum ab Imaginibus Beatorum vel Sanctorum; nulla ſiquidem rationabilis haberi poteſt dubitatio, quando illæ non eſſent ab his ſeparatæ, teſte Cardinali Palæoto *lib. 2. de Imag. cap.* 13. ubi: *Sicchè volendoſi oſſervare la debita ragione delle coſe, non s' averiano nelle chieſe, e negli altri luoghi ancora, dove foſſero poſte Figure de' Santi, da mettere tra loro, nè accompagnare inſieme Immagini di quelli, che non ſono Santi, potendo parere queſta livrea troppo ſproporzionata e indegna.* Videretur itaque propoſitæ quæſtioni affirmativa deberi reſponſio; quandoquidem & olim & nunc ad ornatum eccleſiarum ponuntur etiam Imagines Imperatorum, Regum, atque Epiſcoporum. Quoad Imagines ſcilicet Imperatorum, ceteris prætermiſſis, id deſumitur ex Sigonio *de regno Ital. lib.* 1. *col.* 73. *tom.* 2. ubi ſic loquitur: *Septimo kalendas Maji Imagines Phocæ, & Leontiæ Auguſtorum Romam de more delatæ ſunt. Eis in conſpectum productis, Clerus & Senatus in Lateranenſi baſilica Julii lætitia geſtiens acclamavit: Exaudi Chriſte. Phocæ Auguſto & Leontiæ Auguſtæ vita. Inde juſſu Gregorii in oratorio S. Cæſarii Martyris in palatio ſunt repoſitæ.* De Conſtantino etiam ſummo Pontifice legitur apud eumdem *lib. 3. col.* 154. *Ad populum progreſſus eamdem cauſam ingenti animi magnitudine perovavit; atque, eo conſentiente atque jubente, decrevit, ne Philippici, tanquam hæretici Imperatoris, aut litteræ aut nummi reciperentur, neque Imago ejus, ut aſſueverat, in templum inferretur, neque nomen in ſacrorum ſolemnibus ederetur.* Quoad Imagines autem Epiſcoporum Cardinalis Baronius *ad ann.* 488. *num.* 1. ex Suida notat, in more fuiſſe pingi & in eccleſiis poni Imaginem Acacii adhuc viventis, huneque Epiſcopum Conſtantinopolitanum primum extitiſſe, cui is honor fuerit exhibitus; etſi Valeſius *in notis ad Theodorum Lectorem lib. 2. pag.* 578. *tom. 3. collect. Valeſ.* contendit, hunc morem fuiſſe antiquiorem, utpote cum temporibus Gennadii invaluiſſet. Theodorus

dorus quoque Lector *loc. cit.* teſtatur, Macedonium Epiſcopum Conſtantinopolitanum eodem honores affectum fuiſſe; quippe refert, Timotheum ejus ſucceſſorem nunquam in eccleſiis ſolemnia Miſſarum inchoaſſe, niſi prius Macedonii Imagines illinc eſſent ablatæ. Denique, S. Paulini adhuc viventis Imaginem a Severo una cum Imagine S. Martini in baptiſterio eccleſiæ a ſe conſtructæ collocatam fuiſſe, conſtat ex ipſius S. Paulini epigrammate, quod habetur in ejuſdem epiſt. 32. ad Severum.

Abluitis quicumque animas, & membra lavacris,
Cernite propoſitas ad bona facta vias.
Adſtat perfectæ Martinus regula vitæ;
Paulinus, veniam quo mereare, docet.
Hunc peccatores, illum ſpectate Beati:
Exemplar Sanctis ille ſit, iſte reis.

4. Si igitur & olim expoſitæ fuerunt, & etiamnum in eccleſiis exponuntur Epiſcoporum tum viventium, tum mortuorum Imagines, neutiquam vetitus eſſe videtur & Imaginum Servorum Dei poſitus in eccleſiis, modo pictæ ſint ſine radiis, laureolis ac ſplendoribus, ſintque extra altaria locatæ, & ſeparatim ab Imaginibus Beatorum atque Sanctorum; ſicuti ex recentioribus, qui poſt decreta Urbani VIII. ſcripſerunt, adnotarunt Paſqualig. *in addit. ad Lauret. de Franch. tit. de cultu erga non Canonizatos num.* 1219. *& ſeq.* atque Del Bene *de Inquiſit. tom. 2. par. 2. dubit.* 234. *ſect. 2. petit. 5. num.* 1. *& 2.* ex iis vero, qui ante eadem decreta, late Molpheſius *conſil.* 45. *n.* 32. ac P. Ceparius *direct. par. 2. cap. 8. in reſponſ. ad dub. 2.*

5. Nihilo tamen minus ab Imaginum horum Dei Servorum collocatione in eccleſiis, etiamſi pictæ ſint ſine radiis, necnon extra altaria, ſeorſumque a Beatorum vel Sanctorum Imaginibus ponantur, crederem omnino abſtinendum eſſe. Etenim jam ſupra vidimus, ſacram Congregationem improbaſſe collocationem Imaginis Cardinalis Monopolitani in choro Monialium: deinde, cum ante decreta Urbani VIII. Patres Societatis Jeſu in ſua eccleſia, quæ eſt in Urbe dicata Sanctiſſimo Jeſu nomini, ad ejus ornatum ponere exoptaſſent Imagines Ignatii Azevedi & Sociorum, quos pro Chriſto Martyrio affectos fuiſſe contendebant atque etiam contendunt, id quidem fecerunt ex permiſſione ſummi Pontificis Gregorii XV. quemadmodum teſtatus eſt Cardinalis Ludoviſius ejus nepos; veruntamen, editis Urbani decretis, Imagines ipſas illinc amoverunt, nec amplius ibi eaſdem collocarunt, ut non cultum probare poſſent. Poſtremo littera decretorum Urbani VIII. prohibens collocationem harum Imaginum in eccleſiis generatim loquitur & ſine ulla limitatione, ideoque obſtare ei minime valent antiqua exempla antea memorata. Nam illud Acacii graviter reprehenditur a Cardinali Baronio hiſce verbis *loc. cit.*: *Tanti fuit hic faſtus & arrogantiæ, ut ſineret, ſuas ipſius Imagines adhuc viventis (quod de nullo ante eum Epiſcopo legitur) in eccleſiis dedicari.* Alterum Macedonii ſatis ſuperque reprobatum apparet ab ipſa Timothei circumſpectione. Denique in Imaginem S. Paulini abunde ab eodem Paulino animadverſum fuit (*in cit. epiſt.* 32. *ad Severum*): *Sed in eo metuo, ne operibus tuis, quibus iniqua viarum ſæcularium dirigis, & clivoſa complanas, ex illo, de quo ſemper conqueror, affectu in nos tuo ſalebram offenſionis immiſceas; quod ſplendidos devotionis in Chriſto tuæ titulos noſtris nominibus infuſcas, & juſtis laboribus hanc iniquitatem inſeris, ut locum ſanctum etiam vultibus iniquorum polluas. Recte enim in loco refectionis humanæ Martinus pingitur, qui cæleſtis hominis imaginem perfecta Chriſti imitatione portavit; ut deponentibus in lavacro terrenæ imaginis vetuſtatem imitanda cæleſtis animæ occurrat effigies. Noſter vero quis illic locus eſt, qui &c. ab immaculatis malitia, a perfectis infirmitate diſtinguimur? Quæ ergo ſocietas lumini, & tenebris? lupis, & agnis? ſerpentibus, & columbis? hoc eſt nobis, & Martino? &c. Et quidem, niſi ſcirem te impenſo nimis in nos amoris ſtudio hanc informaſſe picturam, malitioſum te & callidum criminarer; qui noſtræ humilitatis obſcuras nocte perſonas ex adverſi juxta parietis regione depictas ſancto capiti contuliſſe, ut illum tantum pingeres, nos vero potius deformares, quos jure, conſpecta Martini facie, deſpuendos ad probrum ridiculæ comparationis exponeres.* Quod ſi adhuc objiciatur hodiernus etiam mos habendi & retinendi in eccleſiis Imagines Regum, Principum, atque Epiſcoporum; id unum ſaltem manet, non valere argumentum ab his Imaginibus ad illas Servorum Dei non beatificatorum neque canonizatorum. Retentio ſcilicet Imaginum Dei Servorum ad aliud referri nequit, niſi ad cultum, vel ad viam cultui aperiendam ante Sedis Apoſtolicæ judicium; quæ quidem res neutiquam fieri poteſt: ubi retentionem Imaginum Regum, Principum, aut Epiſcoporum evidenter cultus gratia inſtitutam nemo ſane affirmabit; cum omnes ſciant, id fieri, ut innoteſcat, vel eos eſſe de eccleſia benemeritos, ejuſque protectores; vel, ſi agatur de Imaginibus Epiſcoporum, hos eſſe, qui præſident diœceſi, in qua ſita eſt eccleſia.

6. Hucuſque de actibus, circa quos quæſtio moveri poteſt, utrum publicum cultum præſeferant, necne. Qui ſequuntur, extra controverſiam poſiti ſunt, quippe non obſcure publicum cultum important; cujuſmodi ſunt erectio altarium in alicujus honorem, ejus commemoratio in Divinis Officiis, Officium ſive proprium, ſive de communi, & Miſſæ celebratio, necnon invocatio in litaniis, uti ad rem bene perpendit Cardinalis Bellarm. *tom. 2. lib. 1. de SS. beatit. cap.* 10. ubi ait: *Licet invocare non Canonizatum, etiam aliis audientibus &c. at non liceret in publicis litaniis, & ſacro Officio id facere.* Et ubi pariter de altaribus, ac Miſſæ celebratione loquens ſubdit: *Non videtur licere ullo modo eos honores Sanctis non canonizatis deferre: nam templa, & altaria, & ſacrificia ſunt ex natura ſua publici cultus: nullum eſt enim ſacrificium in Eccleſia, niſi commune, & a Deo ipſo inſtitutum; templa autem & altaria ad ſacrificium referuntur.* Commendanda itaque eſt vigilantia Joannis Georgii ab Halwil Præſulis Conſtantienſis, qui ſuam diœceſim viſitans cum Saxellam perveniſſet, ubi requieſcit corpus Nicolai de Rupe Anachoretæ, de quo alias ſermo fiet, & in ejus honorem reperiſſet Miſſam ibidem celebrari, id fieri omnino vetuit anno 1603. licet per annos ſexaginta duos id ipſum factum fuiſſet; ſicuti legere eſt in vita dicti Nicolai ſcripta a Petro Hugone Soc. Jeſu *cap.* 8. typis impreſſa apud Bollandianos *ad diem* 22. *Martii tom.* 3. Confirmantur prædicta ex relatis in ſuperioribus, potiſſimum vero ex Conſtitutionibus Urbani V. ſevere redarguentis eos, qui Divina Officia celebrabant, & altaria erigebant in honorem ab Apoſtolica Sede nondum Canonizati. Quare & merito inter dubia, quæ diſputanda erant coram Clemente VIII. vigeſimum primum conceptum fuit ſequentibus verbis; *De templis, altaribus, Miſſæ ſacrificio, & Horis Canonicis non videtur in dubium revocandum, cum ſatis manifeſtum ſit, non licere, niſi pro ſolis Canonizatis, aut ex ſpeciali indulto Sedis Apoſtolicæ.* De altarium tamen dedicatione Sanchez *lib. 2. in Decal. cap.* 43. *num.* 7. dubitanter loquitur: neque enim audet aſſerere, ejuſmodi dedicationem fieri non poſſe in honorem non Beatificatorum neque Canonizatorum. Alii vero dedicationem privatam, quæ conſiſtit in ſola collocatione Imaginis ſuper altare erectum in aliquo ſacello privato, a ſolemni dedicatione diſtinguunt. Hæc enim expoſcit actionem Epiſcopalem ſub certis precibus & ritibus in Romano Pontificali rituali libro præſcriptis; hinc dicunt, hanc publicum cultum importare, non item illam. Ita porro Baldell. *tom. 2. lib. 3. diſp. 12. n. 22.* ubi tamen aſſerit, optimum eſſe abſtinere ab altarium erectione etiam primo modo, quia communi opinione dedicatio quoque ſic facta accipitur ut ſignum publici cultus. Sed, quoniam Urbanus VIII. per ſua decreta prohibuit retentionem Imaginum ſæpe memoratorum Dei Servorum vel in ipſo altari privato, etiamſi depictæ eſſent ſine radiis, diademate aut ſplendoribus; unuſquiſque facile ac probe deprehendere poterit, poſt ejuſdem Urbani decreta nullum amplius eſſe locum prædictis controverſiis, & multo minus poſſe eorumdem Dei Servorum cellas, habitacula, ædes in quibus nati ſunt, in ſacella, ſacras ædiculas, aut eccleſias converti. Id enimvero olim factum fuit, cum cella B. Ægidii Ordinis Minorum in Conventu prope Peruſiam in ſacellum verſa fuerit, quod etiam contigit de cella alterius B. Ægidii Ordinis Prædicatorum: cumque habitaculum B. Gerardi Tertii Ordinis S. Franciſci in eccleſiam migrarit, ab ejus nomine dictam Villæ Magnæ prope Florentiam, ut habetur apud Bollandianos *ad diem* 23. *Aprilis tom.* 3. *pag.* 220. *ad diem* 13. *& 14. Maji tom.* 3. *pag.* 250. *& 402.* verum id ipſum hodie efficere nequaquam licet, cum quilibet publicus cultus per allegata decreta Urbani VIII. vetitus ſit, præſertim, cum vel ante eadem decreta, qui exoptabant res debito ordine peragere, cellas prædictas non auderent in ſacella vertere, niſi prævia Sedis Apoſtolicæ auctoritate. Sic cellulam B. Hoſannæ Virginis Tertii Ordinis Prædicatorum Mantuæ in ſacelli uſum indulgentia Clementis VIII. deductam teſtatus eſt Cardinalis Bernerius; ſicque ejuſdem Pontificis permiſſu de cubiculo

S. Phi-

S. Philippi Nerii pariter in facellum erecto teſtimonium dixerunt Rotæ Auditores in relatione cauſæ ejuſdem *tit. de opinione ſanctitatis*.

7. Denique & de invocatione in litaniis, ſi antiquiora monumenta percurrantur, neque ea videtur eſſe intra ſolos Canonizatos coercita; præſertim, ſi minime agatur de litaniis pro Eccleſia univerſali, ſed de eis, quibus utuntur particulares Eccleſiæ. Apud Bituricenſes enim in litaniis invocabatur B. Joanna Valeſia, apud Netinos B. Conradus Eremita, apud Belgas B. Pipinus Dux, apud Barcinonenſes B. Ollegarius, apud Helvetios B. Nicolaus de Flue, apud Ordinem Præmonſtratenſem B. Juliana Cornelienſis, apud Monachos S. Galli B. Notkerus Balbulus, ut habetur ex Bollandianis *tom. 1. Februarii pag. 576. tom. 3. ejuſdem menſis pag. 160. & 259. tom. 1. Martii pag. 496. tom. 3. ejuſdem pag. 274. & tom. 1. Aprilis pag. 443. & 578.* Molanus quoque *in natali SS. Belgii ad diem 11. Decembris* teſtis eſt, apud Moniales in Brabantia invocari in litaniis B. Idam Virginem Ordinis Ciſtercienſis; *ad diem 6. Martii*, apud Moniales Ordinis Minorum exorari B. Coletam; & *ad diem 5. Junarii*, in quodam territorio invocari pariter in litaniis B. Gerlacum Eremitam; at quia canonizatus non eſt, ſubmiſſa id fieri voce: *Sancte Gerlace, ora pro nobis*. Item, cum diſputabatur de cultu immemorabili B. Zitæ Lucenſis, oſtenſum fuit, eam fuiſſe invocatam in quibuſdam particularibus litaniis; & demum, conceſſum fuiſſe a Clemente VII. ut nomen S. Hyacinthi, a Paulo autem III. ut illud S. Raymundi, etiam ante eorum Canonizationem, in litaniis ediceretur, teſtatur Caſtellinus *de certit. glor. SS. cap. 2. punct. 6. §. 6.* Itaque, quoniam pleraque ex allatis exemplis Beatos reſpiciunt tantummodo ſic vulgo nuncupatos, qui potius Servi Dei cum ſanctitatis fama defuncti, quam jure Beati appellandi ſunt; quandoquidem, ſi eorumdem exemplorum unum aut alterum demas, ceteris deſuit auctoritas Apoſtolica; concludi poſſe videtur, licere Dei Servorum nomina invocare in litaniis, ſi iſtæ ſint particulares, privatimve recitentur: ita enim Molphef. *conſil. 45. num. 48.* & Baldell. *loc. cit. n. 21.* Sed hac etiam de re quævis controverſia ex Conſtit. 122. Clementis VIII. hodie ceſſet oportet; nam juxta Conſtitutionem ipſam, ex alibi dicendis, ſine facultate atque approbatione Congregationis ſacrorum rituum aliæ litaniæ recitari nequeunt, quam communes, & illæ, quæ cantari ſolent in ſacra æde Lauretana.

CAPUT DECIMUMQUINTUM.

De more ſpectante ad judicium ſuper non cultu in cauſis Beatificationis & Canonizationis.

1. SUMMUS Pontifex Urbanus VIII. in ſuis decretis, necnon in Brevi, quo eadem confirmantur, non ſolum prohibuit exhibitionem publici cultus Dei Servis non beatificatis aut canonizatis, verum etiam vetuit, a quocumque Ordinario, vel Delegato inquiſitionem agi in eorum famam, virtutes, aut miracula, niſi prius, legitimo confecto proceſſu, oſtenſum fuerit, ſatis paritum decretis ipſis publicum cultum prohibentibus, & niſi lata fuerit ab eodem Ordinario, vel Delegato ſententia de obedientia iiſdem decretis præſtita, juxta ea, quæ alias monuimus. Pro inſtituti itaque noſtri ratione nunc uſus exponendus eſt prædicti proceſſus conficiendi, atque ſententiæ ſuper non cultu ferendæ: veruntamen in hoc capite nullum verbum faciemus de rebus ad ejuſdem proceſſus validitatem pertinentibus, utpote quas conſulto nunc prætermittimus, ut in alia capita eas regeramus, ubi ſcilicet appoſite & conjunctim validitas ipſa proceſſuum tum ordinariorum, tum Apoſtolicorum pertractabitur.

2. Proceſſus igitur de non cultu una cum ſententia ſecundum litteram decretorum præcedere deberet confectionem proceſſus ordinarii ſuper fama ſanctitatis in genere: verum, cum in formula Commiſſionis typis impreſſa inter decreta generalia ponatur, quod poſſit etiam aliquando Ordinarius proceſſum conficere ſuper fama ſanctitatis, virtutum, & miraculorum, nullo licet confecto proceſſu ſuper non cultu (*Supplicatur, quatenus dignetur cauſam & cauſas Beatificationis & Canonizationis &c. eidem ſacrorum rituum Congregationi committere & mandare cum facultate &c. proceſſum ad partes factum ſuper obſervantia decretorum &c. ſuper non cultu editorum* (*quatenus factus ſit*) *recipiendi, aperiendi, &, citato & audito Fidei Promotore, diſcutiendi, ex eodemque declarandi, dictis decretis ſufficienter paritum fuiſſe* (*quatenus vero dictus proceſſus ſuper obſervantia dictorum decretorum ad partes factus non ſit*) *illius confectionem, ſi in Curia aderunt probationes, committendi Eminentiſſ. Domino Cardinali Sanctitatis veſtræ Vicario; ſi vero extra Curiam, alicui Epiſcopo, ut ad ejuſdem proceſſus ad partes confectionem juxta tenorem decretorum eorumdem deveniat*) hinc eſt, quod juxta hodiernam ſacræ Congregationis conſuetudinem, ſi proceſſus factus ſit ab Ordinario, & ab eodem prolata ſit ſententia ſuper non cultu, proponitur in ſacrorum rituum Congregatione ordinaria dubium, *An ſententia Ordinarii ſuper non cultu lata ſit confirmanda, vel infirmanda*: ſed ſi proceſſus ſuper non cultu ab eodem Ordinario confectus non ſit, & conſequenter ab eo ſententia minime lata ſit de obedientia decretis præſtita; tum, ſignata Commiſſione, petuntur a ſacrorum rituum Congregatione ordinaria litteræ remiſſoriales pro conficiendo ſuper non cultu proceſſu auctoritate Apoſtolica. Nec enim poſt appoſitionem manus Sedis Apoſtolicæ per *ſignaturam Commiſſionis*, juxta alibi annotata, permiſſum eſt amplius Ordinario proceſſum ſua auctoritate conficere ſuper non cultu, ut pariter in decretis ipſis generalibus indicitur: *Poſtquam vero Apoſtolica Sedes appoſuerit manum in aliqua ex prædictis cauſis, non poterit Ordinarius amplius in ea quoquo modo ſe intromittere, nec etiam ad effectum conficiendi particulare proceſſum ſuper cultu non adhibito, qui formandus erit per eum, cui per ſummum Pontificem, vel per ſacram rituum Congregationem hujuſmodi facultas fuerit delegata*.

3. Completo ſic proceſſu, necnon eodem ad ſacræ Congregationis Secretarium delato, ut Notario tradatur, petitur a ſacrorum rituum Congregatione ordinaria facultas illud aperiendi: cumque ipſa reſpondere conſueverit *pro aperitione, ſervatis ſervandis*, apertio fit, citato Fidei Promotore, coram Protonotario ſacræ ejuſdem Congregationis. Poſt hæc proponitur in eadem ordinaria ſacrorum rituum Congregatione dubium, *An ſententia Judicis delegati ſuper non cultu lata ſit confirmanda, vel infirmanda*: tum autem & in hoc caſu, & ubi proceſſus ac ſententia ab Ordinario profluxerint, ſcribente fidei Promotore tum adverſus proceſſus validitatem, tum adverſus ſententiæ juſtitiam, probationumque ſufficientiam pro non cultu adſtruendo, cunctaſque exponente difficultates, quæ non cultui opponi poſſunt; contra vero ſcribentibus in facto Procuratoribus & in jure Advocatis, ſi neceſſitas id exigat, pro validitate proceſſus, pro juſtitia ſententiæ, pro ſufficientia probationum, & objectarum difficultatum diſſolutione: ſi omnia compoſita videantur, ſacra Congregatio reſpondet pro confirmatione ſententiæ; &, Sanctiſſimo Domino approbante Congregationis reſcriptum, abſolutum eſt judicium ſuper non cultu.

4. Addendum eſt autem, quod, licet (ut dictum fuit) neceſſaria ſit ſententia præcedens Judicis ordinarii, vel delegati ſuper non cultu, nihilominus, ſi ſententia ipſa Judicis ordinarii, vel delegati difficultates ita patiatur, ut confirmari non poſſit, dummodo tamen conſtet ex Actis de obedientia ſufficienter decretis præſtita, adhuc abſolvitur judicium ſuper non cultu; etſi non amplius per reſcriptum ſententiam confirmans, ſed per aliud declarans, ſatis paritum fuiſſe decretis, ideoque ad ulteriora procedi poſſe. Sic, ut alia pleraque reticeantur exempla, factum fuit, dum munere fungebar Fidei Promotoris, in cauſa Sancti Flori in Gallia Servæ Dei Matris Agnetis a Jeſu: in ea enim cum ageretur de non cultu, Ordinarius autem in ſua ſententia dixiſſet, nunquam violata fuiſſe Urbani VIII. decreta, me porro oſtendente præcedentem eorumdem decretorum læſionem, ſacra Congregatio, die 14. Junii 1714. nequaquam confirmavit ſententiam, ſed reſpondit, de non cultu conſtare & de obedientia ſufficienter decretis exhibita.

5. Id ipſum ſacra Congregatio efficere ſolet, quando ſententia Ordinarii, vel Delegati adſtruens non exhibitionem publici cultus, confirmari non poteſt, eo quia in proceſſu conſtat de cultu, non conſtat autem de ejus amotione, ſicuti in prædicta cauſa Sancti Flori; ut propterea nova documenta ſint neceſſaria ad ipſam cultus amotionem oſtendendam: nempe etiam tunc ſententia non confirmatur, ſed reſpondetur, conſtare de ſufficienti obedientia decretis, quemadmodum colligere licet ex reſcri-

reſcripto edito in cauſa S. Fidelis de Sigmaringa die 22. Januarii 1689. Concordat adhuc reſcriptum editum die 31. Julii 1700. in cauſa S. Joannis Franciſci Regis. Nam primum quidem definitum fuerat, ſententiam ſuper non cultu ab Archiepiſcopo Viennenſi latam non eſſe confirmandam; confecto vero ſubinde proceſſu ſuper comprobatione remotionis cultus, reſponſum tum fuit, conſtare de obedientia: prout etiam monuerat bon. mem. Archiepiſcopus Myrenſis tunc Fidei Promotor in ſuis animadverſionibus: *Determinare proinde poterunt Eminentiſſimi Patres, an, attentis prædictis, ſit locus confirmationi ſententiæ; vel potius, quatenus ex novo proceſſu exiſtiment reſultare ſufficientem probationem amotionis omnimodæ cultus, reſcribi queat, ſufficienter paritum fuiſſe, prout in aliquibus caſibus ſervatum fuit.* In cauſa quoque Ven. Servi Dei Joannis de Britto, me tunc Fidei Promotore oſtendente, non cultum non eſſe ex Actis jure probatum, ideoque ſententiam ſuper eodem confirmandam non fore, cum ſacra Congregatio eam confirmare recuſaſſet, veluti deſumitur ex reſcripto edito die 20. Novembris 1717. completis poſtea probationibus ſuper non cultu, eadem ſacra Congregatio cenſuit die 30. Julii 1729. attento novo proceſſu *ſufficienter paritum fuiſſe decretis*, ſuadente pariter id ipſum in ſua relatione Archiepiſcopo Philippenſi tunc Fidei Promotore ſupra laudato his verbis: *Neque novum eſt, quin potius apprime reperitur eſſe juxta praxim hujus ſacræ Congregationis, ut, ſemel propoſito conſimili dubio ſuper confirmatione, vel infirmatione ſententiæ latæ per Ordinarium, aut Judicem delegatum ſuper paritione decretis ſanctæ memoriæ Urbani VIII. eoque negative reſoluto, ſi poſthac ad melius comprobandam dictam paritionem novus conſectus fuerit proceſſus, ſeu nova acceſſerint documenta, idem dubium amplius non diſputetur, ſed ex integro proponatur iſtud: An conſtet de ſufficienti paritione decretis ſanctæ memoriæ Urbani VIII. ſuper non cultu in caſu &c. nullaque facta mentione proceſſus a præcedenti reſolutione negativa, ſimpliciter reſcribatur: Conſtare de ſufficienti paritione &c.*

6. Ad hæc juxta litteram decretorum probationes debent eſſe ſecundum juris ſolemnitatem ſuſceptæ ſuper non cultu; &, quod conſequitur, ſecundum eamdem litteram proceſſus ſuper ipſo non cultu debet eſſe tam rite rectæque confectus, ut eo non cultus ipſe plene probetur, quemadmodum pluribus oſtendit Pignatell. *conſult.* 201. *per tot. tom.* 1. Verum, quia non cultus probandus eſt non modo quoad locum, ſive eccleſiam, ubi ſepultus eſt Dei Servus, de cujus Beatificatione & Canonizatione tractatur, ſed etiam quoad alia loca, ut docemur ex inſtituto, & ex decretis ſacræ Congregationis in cauſa Bononien. Servæ Dei Pudentianæ de Zagnonis (in qua, cum probatus eſſet non cultus reſpectu civitatis Bononiæ, ubi illa ſepulta fuit, dictum eſt, eum probandum eſſe etiam reſpectu aliorum locorum, juxta deliberata die 5. Maji 1667. die 24. Januarii, & die 21. Septembris 1671.) hinc, quoniam de ratione probationum non cultus ſermo in præſens inſtituendus eſt, operæ pretium ducimus primum de ſepulcri loco differere, deinde de aliis eccleſiis ſive ſacellis tum ejuſdem loci, hoc eſt civitatis aut oppidi, in quo Dei ſervus conditus eſt, tum aliorum locorum.

7. Quoad ſepulcrum ergo probatio non cultus concludentiſſima ſit oportet; decreta quippe Urbani ſpeciatim eum prohibent circa idem Dei Servorum ſepulcrum juxta ea, quæ in ſuperioribus dicta ſunt. Quamobrem probatio non cultus quoad ſepulcrum deſumitur ex teſtibus afferentibus ſe id vidiſſe, nec in eo quidquam unquam deprehendiſſe, quod publicum cultum ſaperet, id eſt nec tabellas, nec imagines, nec lampades, nec luminaria. Enimvero, quamvis in teſtibus iſtis neceſſe appareat, quod negationem coarctent, præſcindendo ſenſum ab actu, ut habent Pacianus *de probat. cap.* 40. *num.* 14. & 15. Farinaccius *de teſtibus quæſt.* 65. *num.* 230. & Rota *deciſ.* 729. *num.* 27. & *deciſ.* 757. *num.* 12. *part.* 18. *recent.* ſufficienter tamen ipſamet probatio perfecta videtur, ſtatim ac ipſi deponunt, ſe pluries ſepulcrum vidiſſe, nec circa idem quidquam unquam deprehendiſſe ad publicum cultum ſpectans; quandoquidem coarctata negatio *exiſtentiæ* alicujus rei in certo loco ſatis probata manet per ſolam rei ejuſdem in eodem loco non viſæ depoſitionem, utpote quæ *virtualiter* præſeſert ejus viſæ affirmationem, quotieſcumque ibidem extitiſſet, ſicuti pariter arguunt Bald. *in cap. Tertio loco, num.* 11. *de probat.* Dec. *in cap. Quoniam, num.* 66. *eod. tit.* Butr. *in cap. Bonæ, num.* 57. *Primo anno*, Bellamer. *num.* 57. *verſ.* 10. *circa idem*, Abbas *num.* 13. *de elect.* & prædicti Pacian. *de probat. lib.* 1. *cap.* 37. *num.* 25. & *ſeqq.* ac Farinacc. *de teſtib. quæſt.* 65. *num.* 215. 216. & 219.

8. Verum, præter haſce teſtium depoſitiones, non cultus inſuper quoad ſepulcri locum optime comprobatus manet ex ſucceſſivo Judicis ad ſepulcrum ipſum acceſſu. Examinatis nempe teſtibus, Judex proceſſum conficiens una cum Promotore Fiſcali, & Notario ſepulcrum adit, propriiſque rimatur oculis, an quidquam in eo inſit cultum publicum redolens: eccleſiam deinde, ubi idem ſitum eſt ſepulcrum, luſtrat, ut videat, an in ea ulla adſit Imago Dei Servi radiis ac ſplendoribus exornata, vel aliquo in altari poſita: poſt hæc quærit de tabellis oblatis, & locum inviſit, ubi aſſervantur, ut dignoſcere queat, violatane ſint hæc in re Urbani VIII. decreta ſæpe memorata, an obedientia potius iis præſtita fuerit: ingreditur tandem monaſterium, ſeu domum eccleſiæ annexam, ſive in ea habitent Monachi, ſive Moniales, ſive Canonici, ut certus ſit, an ibi etiam ulla reperiatur Imago Servi Dei, quæ adverſetur Conſtitutionibus antea indicatis. Quibus omnibus expletis, ſi nullum occurrerit publici cultus indicium, nihil amplius deſiderandum eſſe videtur pro ſuadenda cultus negatione circa locum ſepulcri Servi Dei.

9. De eo tamen Judicis acceſſu adnotandum, quod is, utpote ſuperlativam conſtituens probationem, omitti non poteſt, niſi duobus in caſibus; quorum unus eſt, quando in Urbe fit proceſſus ſuper non cultu de aliqua cauſa Indiarum, aut alius remotiſſimæ regionis. Nam, ſi in Urbe adſint qui de non cultu teſtimonium dicere queant, conſtruitur profecto auctoritate Apoſtolica a Cardinali Vicario proceſſus ſuper ipſo non cultu, ut alibi exponemus: at, quemadmodum in eo rerum ſtatu acceſſus ad ſepulcrum impoſſibilis reputatur, ita non cultus probatio quoad idem ſepulcrum tota tunc conſtituitur in teſtibus cum negatione coarctata deponentibus. Alter eſt vero, cum corpora Servorum Dei cremata, aut in mare projecta fuere: eo enim in caſu, ſimiliter quia impoſſibilis eſt viſitatio ſepulcri, non cultus probabitur tantum ope teſtium vel deponentium de publica voce ac fama circa eumdem non cultum, vel aſſerentium, ſe vidiſſe conſervari Reliquias illorum, ſi quæ forte ſuperfuiſſent, abſque cultu, vel denique teſtantium, ſe utique eorumdem Imagines aſpexiſſe, ſed depictas atque retentas ſine ulla publici cultus nota; ſicuti firmat Pignatell. *conſult.* 238. *num.* 9. & *num.* 12. *tom.* 1. Has igitur circumſtantias præſcindendo, ſemper requiritur acceſſus Judicis ad ſepulcrum; ita ut, ſi Judex proceſſum conficiens, qui ſit a Sede Apoſtolica delegatus, propter ſui ſenectutem, viarumque aſperitatem ipſum ſepulcri locum adire non valeat, tunc ſupplicetur ſacræ Congregationi pro facultate alium Epiſcopum in illius locum ſubſtituendi, quæ concedi ipſi Delegato conſuevit: ita quippe factum fuit in cauſa Mediolanen. Servi Dei (nunc Beati) Hieronymi Æmiliani, uti deſumitur ex decreto edito die 26. Januarii 1664. & in cauſa Viennen. in Gallia S. Joannis Franciſci Regis, ut ex decreto in eadem cauſa emanato die 7. Februarii 1699. Præterquam quod, ſi proceſſus ſuper non cultu pro cauſis remotiſſimarum regionum in Urbe conſtruendus ſit, ideoque omittatur (ut nuper diximus) acceſſus Judicis ad ſepulcrum, non cultus ipſe quoad idem ſepulcrum plene porro per teſtes comprobetur oportet. Re enim ipſa, dum fungebar munere Fidei Promotoris, confecto in Urbe proceſſu a Cardinali Vicario pro cauſa Meliapuren. Ven. Servi Dei Joannis de Britto, cum ipſe oppoſuiſſem, non cultum circa ſepulcrum probari dicto tantum unius teſtis oculati, reſponſum a Poſtulatoribus fuit, teſtem eumdem adjuvari aliis teſtibus de audito a pluribus videntibus, atque adeo relaxandum eſſe juris rigorem, quando agitur de probationibus faciendis extra locum ſepulcri, & magna difficultate comparandis propter locorum diſtantiam: veruntamen noluit ſacra Congregatio confirmare ſententiam ſuper non cultu, veluti colligere eſt ex reſcripto edito die 20. Novembris 1717. ſed, exorantibus Poſtulatoribus, die 22. Januarii 1618. datæ ſunt litteræ peculiares ejuſdem ſacræ Congregationis ad Archiepiſcopum Goanum, quibus ei injunctum fuit, ut vel ipſe, vel eo legitime impedito, ejus Vicarius Generalis una cum Promotore Fiſcali Curiæ Archiepiſcopalis, Notario, ac teſtibus Collegium Societatis Jeſu adiret, diligenterque inquireret, an in loco, ubi oſſa Servi Dei aſſervabantur, quidquam reperiretur publicum cultum redolens; tum præfatorum teſtium examina, prævio, juramento, reciperet, publicumque

que de omnibus conficeret inſtrumentum. Hoc autem ad Urbem tandem perducto, ejuſque facta communicatione cum Archiepiſcopo Philippenſi mihi ſucceſſore in Fidei Promotoris officio, cum is recognoviſſet ac plene approbaviſſet quæ geſta fuerant in civitate Goana pro executione reſcriptorum ſacræ Congregationis, decretum denique fuit, obedientiam ſufficienter decretis præſtitam fuiſſe.

10. Hucuſque adducta, quæ ſepulcrum reſpiciunt, probationemque non cultus quoad ipſum ſepulcrum, excipit ſermo de eccleſiis aut ſacellis ejuſdem civitatis aut oppidi, in quo Dei Servus ſepultus eſt, & de probatione non cultus pariter quoad eadem loca. Itaque circa hæc ipſa non cultus probatio deſumi poteſt ex teſtibus deponentibus, ſe in civitate oppidove vidiſſe vel Imagines Dei Servi ſine radiis, laureolis & ſplendoribus, vel nunquam eaſdem Imagines cum ſignis publici cultus, vel demum nullam unquam illius Imaginem poſitam in eccleſiis aut ſacellis ejuſdem civitatis aut oppidi, & quidem coarctantibus negationem, eo quia, ſi aliter res ſe habuiſſet, ipſi id minime ignoraſſent, necnon allata ſcientiæ cauſa deducta ab experientia & plena cognitione ejuſmodi rerum in civitate oppidove contingentium. Nec enim, ad rem præſentem quod ſpectat, deſpiciendus eſt ordo ſervatus in cauſa Limana Servi Dei Nicolai Aillon, in qua Promotor Fiſcalis inſtitit atque obtinuit, ut valvis eccleſiæ Cathedralis, aliiſque conſuetis civitatis locis affigerentur edicta adverſus ſcientes, minime autem denuntiantes publicum cultum, ſi forte is præſtitus eſſet aut præſtaretur Dei Servo, de cujus Beatificatione & Canonizatione agebatur. Concludendum ergo, quod, ſi teſtes deponant, (ut ſupra dictum eſt) quin etiam ad abundantiorem cautionem ea addatur edictorum promulgatio, abſque eo quod quis compareat, qui de cultu teſtimonium dicat, non cultus quoad alia quoque loca civitatis aut oppidi, ubi Dei Servus ſepultus eſt, habendus erit uti maxime probatus: niſi forte Fidei Promotor præexiſtentiam cultus iiſdem in locis comprobaſſet, tunc enim, non ſolum loquendo de locis ipſis ſitis intra civitatem aut oppidum, ubi Dei Servus conditus eſt, verum etiam de aliis extra civitatem aut oppidum ipſum conſtitutis, ſemper danda eſt opera a Poſtulatoribus, ut præterea plene demonſtrent, cultum illum amotum fuiſſe. Fungente quippe me munere Fidei Promotoris, cum in cauſa Sancti Flori in Gallia Servæ Dei Matris Agnetis a Jeſu Poſtulatores plene oſtendiſſent non cultum in civitate Langeaci, ubi illa eſt ſepulta, ipſe autem plene pariter demonſtrarem, in ejus honorem erectum fuiſſe in civitate Anicienſi ſacellum, res iſta ad ſacrorum rituum Congregationem delata fuit: atque ipſa quidem reſpondit pro non cultu, ſicut habetur ex decreto edito die 16. Junii 1714. attamen tantum, poſtquam Epiſcopus Anicienſis eamdem certiorem reddidit, nullum amplius cultus veſtigium prædicto in ſacello, quod dicatum etiam erat Beatiſſimæ Virgini ſanctiſſimi Roſarii, ſuperfuiſſe.

11. Poſt ſermonem de ſepulcro, deque eccleſiis & ſacellis illius civitatis aut oppidi, ubi ſepulcrum eſt, reſtat, ut alia loca videamus præter civitatem aut oppidum ipſum, in quibus aut probabile eſt aut poſſibile, cultum adeſſe. Nimirum, ſi loquamur de locis, in quibus probabile eſt, cultum adeſſe, præter proceſſum ſuper abſentia cultus a loco ſepulcri, formandus profecto eſſet proceſſus & in ipſis aliis locis, ad hoc ut æque & perfecte conſtare poſſet de non cultu. Atque ita factum fuit in cauſa Neapolitana Servi Dei Franciſci Caraccioli, ubi quoniam corpus ejus in una civitate, viſcera autem in alia condita erant, conſtructi fuere duo proceſſus ſuper non cultu; ſuus videlicet in utroque loco. Item in cauſa Neritonen. Servi Dei Joſeph a Cupertino tres conſimili ex ratione facti ſunt proceſſus ſuper non cultu; id eſt unus in civitate, in qua ille natus erat, alter in ea, in qua diu moram traxit, tertius denique in qua ſepultus eſt: tum autem, facta omnium proceſſuum conjunctione, lata fuit ab Ordinario civitatis, ubi idem Dei Servus tumulatus eſt, ſententia ſuper non cultu. Verum, quia, facta concludenti probatione non cultus quoad locum ſepulcri, leviores deinde ſufficiunt probationes quoad alia loca, in quibus probabile tantummodo eſt, cultum publicum impenſum fuiſſe, aut impendi; quemadmodum ſæpiſſime adnotavit bon. mem. Proſper Bottinius Archiepiſcopus Myrenſis olim Fidei Promotor in ſuis animadverſionibus, & nominatim in illis ſuper non cultu Servorum Dei Dionyſii a Nativitate, & Redempti a Cruce: *Quoties enim datur plena & concludens probatio paritionis reſpectu ſepulcri, ad quod præcipue dirigitur prohibitio, & ubi veriſimiliter adeſſet cultus, ſi alicubi exhiberetur, facilius admittitur probatio præſumptiva reſpectu aliorum locorum:* idcirco, expenſis parcendi cauſa, ſi facta ſit ope proceſſus juridica probatio quoad ipſum ſepulcri locum, ſufficiens poſtea quoad alia loca, in quibus cultus ſolummodo probabilis eſt, putatur deſumpta tantum ex Ordinarii atteſtatione, in qua, poſt adhibitas per ſe vel per ſuum Vicarium Generalem, accito ſemper Promotore Fiſcali, debitas diligentias, afferat, ibidem nullum cultus adeſſe veſtigium. Aliter enim ratiocinando ſequeretur, in omni fere cauſa conficiendos eſſe plures proceſſus ſuper non cultu; cum fere contingat, ut Dei Servi nati ſint in una civitate, in alia vero moriantur, & ut poſtquam in una civitate per longum temporis ſpatium morati ſunt, in alia poſtmodum extremum obeant diem. Dum Fidei Promotoris officium exercebam, ageretur autem de non cultu in cauſa Servæ Dei Joannæ Franciſcæ Fremiot de Chantal, probabilitatem publici erga eam cultus, magnamque hujus veriſimilitudinem extra ſepulcri locum demonſtravi: quamobrem ſacra Congregatio ſuum judicium ſuper non cultu ſuſpendit, ſicut erui poteſt ex reſcripto edito 19. Auguſti 1719. necnon mandavit, ut darentur litteræ ad Ordinarios una cum inſtitutione, ut ipſi vel eorum Vicarii ſimul cum Promotore Fiſcali & teſtibus ea loca adirent, in quæ veriſimile erat cultum fuiſſe introductum; tum ſacram Congregationem certiorem facerent, utrum cultus ibidem exiſteret, necne. Datis itaque reſponſionibus minime exiſtere cultum comprobantibus, decretum poſtremo fuit pro non cultu, die 19. Decembris 1719.

12. Si porro de iis locis verba fiant, in quæ poſſibile tantum eſt cultum fuiſſe introductum, prima facie probandus eſſe videretur non cultus etiam quoad eadem. In formula enim *Sententiæ*, qua Judices ordinarii, vel delegati uti ſolent, hæc ſunt verba: *Definitive ſententiamus, circa Sepulcrum Imagines, & Reliquias, aut alibi circa perſonas, & memoriam dicti Servi Dei nihil penitus, nullibi quidquam reperiri, quod publicæ venerationis, & cultus ſignum præferat.* Dictio enim illa *nullibi* non modo comprehendit loca, ubi probabile eſt cultum adfuiſſe, ſed illa quoque, in quibus is ſolummodo poſſibilis eſt; & ita quidem, ut apta nata ſit complecti univerſum terrarum orbem, ubi viget & admittitur profeſſio Catholicæ Religionis. Attamen negativa opinio non tantum probabilis eſt, verum etiam veritati magis innixa, atque adeo uſu accepta, id eſt, quod parendi gratia decretis Urbani VIII. neceſſe non ſit, ut Poſtulatores probent non cultum in omnibus terrarum partibus ex ſola illius in his poſſibilitate. Negatio quippe hæc ita ſimplex & minime coarctata probari certe non poteſt; idcirco, quoniam hujuſmodi probatio eſt impoſſibilis, id dicere velimus, Urbani legem impoſſibilia præcipere, concludendum erit, nequaquam requiri probationem non cultus quoad ea etiam loca, in quibus cultus eſt tantummodo poſſibilis; ſed, decretis ſatisfactum eſſe, dicendum, quotieſcumque probatio non cultus, concludens & coarctata, facta eſt quoad ſepulcrum & loca, ubi compertum erat cultum fuiſſe adhibitum; veriſimilis autem quoad alia item facta eſt, quo ſolum probabilis eſt cultus introductio, quemadmodum late probat Pignatell. *conſult. 238. per totam, tom. 1.* Nec enim officit dictio illa *nullibi*, quæ ab aliquibus uſurpatur in ſententia ſuper non cultu; utpote cum interpretationem non ægre patiatur intra ea tantum loca coercitam, quæ in ipſis Urbani VIII. decretis exprimuntur, in quibuſque ex inſtituto eadem non cultus probatio fieri conſuevit. Hic porro fuit ſenſus ſacræ Congregationis in cauſis Florentina S. Catharinæ de Ricciis, & Mexicana Servi Dei Gregorii Lopez, necnon, articulo ſolemniter examinato, in Japonen. Servor. Dei Caroli Spinulæ, & Angeli Orſucci, in Carthaginien. Servi Dei Petri Claver, in Sancti Flori in Gallia Servæ Dei Agnetis a Jeſu, in Romana Servi Dei Joſephi Mariæ Cardinalis Thomaſii 15. Julii 1724. &c.

13. Proceſſu perfecto, fertur (ut diximus) a Judice ordinario, vel delegato ſententia ſuper non cultu, & de ejus confirmatione in ſacrorum rituum Congregatione judicium poſtea inſtituitur. Hac autem de re ſi judicium id fiat poſt non longam temporis ab ipſa ſententia intercapedinem, inutilis ſane manet quæſtio, quam nunc diſputandam proponimus; ſed, ſi inter ſententiæ lationem, ejuſque confirmationis petitionem notabile temporis ſpatium interceſſerit, diſputandum reſtat, utrum, quia poſſibilis fuit intermedia alicujus cultus introductio, ſententia ipſa ſit ex jam confecto proceſſu

ceſſu confirmanda, an potius novus ad id requiratur proceſſus. Itaque, ad quæſtionem iſtam quod ſpectat, diſtinguendus eſſe videtur caſus a caſu. Si enim ſolummodo poſſibilis ſit introductio novi cultus ex longo temporis ſpatio, utique nequit ſententia ſuper non cultu ex actis præteritis confirmari, ſed vel novus requiritur ſuper eodem non cultu proceſſus, vel neceſſe eſt, ut per litteras particulares ſacra Congregatio mandet Ordinario civitatis, in qua eſt ſepulcrum Dei Servi, ut una cum Promotore Fiſcali & teſtibus accedat ad locum ſepulcri, videatque, an novus cultus fuerit introductus. Attamen, poſtquam aut novus advenit proceſſus probans continuationem non cultus, aut Ordinarii reſponſio ſupradictum teſtans acceſſum, itemque non cultus continuationem, & quidem aliquando cum, aliquando ſine publico rei geſtæ inſtrumento ac teſtium examine, facta novorum documentorum communicatione cum Fidei Promotore, eodemque nihil opponente, vel, quatenus opponat, data objectionibus congruenti reſponſione, ſi præcedens ſententia ex actis præteritis purgata ſit, omnino eadem a ſacrorum rituum Congregatione confirmari conſuevit. Exemplum autem novi mandati proceſſus deſumere eſt ex cauſa Cortonen. Ven. Servæ Dei Veronicæ de Lapparellis: in ea quippe lata fuerat ſuper non cultu ſententia anno 1679. petebatur autem illius confirmatio anno 1719. quare afferebantur atteſtationes Epiſcoporum extrajudiciales ſuper continuatione ejuſdem non cultus: nihilo tamen minus, quoniam agebatur de magna temporis intercapedine, & modica locorum diſtantia, ſacra Congregatio injunxit loci illius Epiſcopo, ut una cum Promotore Fiſcali ac teſtibus ſepulcrum adiret, & *Proceſſiculum* conficeret ſuper continuatione non cultus; quo confecto, necnon ad Urbem miſſo, reſponſum fuit die 15. Julii 1719. pro confirmatione ſententiæ. Exempla porro epiſtolæ ſacræ Congregationis demandantis Ordinario acceſſum ad ſepulcrum ſimul cum Promotore Fiſcali, atque adeo approbationis ſententiæ ſuper non cultu, ſtatim ac advenit ejuſdem Ordinarii reſponſio non cultus continuationem teſtans, frequentiſſima ſunt in eadem ſacra Congregatione. Ita enim factum fuit in cauſa Spoletina Servi Dei, nunc S. Joſephi a Leoniſſa die 26. Novembris 1678. in cauſa Neritonen. Servi Dei Joſephi a Cupertino die 19. Julii 1687. in cauſa Servi Dei Humilis de Biſiniano 25. Septembris 1688. necnon, dum munere fungebar Fidei Promotoris, in cauſa Panormitana Servi Dei Aloyſii la Nuza die 1. Julii 1713. & in cauſis Sancti Flori in Gallia Servæ Dei Matris Agnetis a Jeſu, ac Florentina Servi Dei Benedicti a Podio Bonitio die 19. Junii 1714. Exempla denique epiſtolæ ſacræ Congregationis, qua Ordinario præcipitur acceſſus ad ſepulcrum cum Promotore Fiſcali ac teſtibus, addita conditione miſſionis publici inſtrumenti rei geſtæ, necnon examinis teſtium, & quidem inſertis in id atteſtationibus ab his factis, deſumuntur ex cauſis Servæ Dei Sororis Mariæ Crucifixæ, Servæ Dei Gregorii Cardinalis Barbadici, & paſſim ex aliis hic inutiliter referendis. In prima quippe prolata fuerat ab Ordinario Agrigentino ſententia ſuper non cultu anno 1701. petebatur autem ejus confirmatio anno 1718. ſed, me tanquam Fidei Promotore opponente poſſibilitatem introductionis novi cultus propter longam temporis intercapedinem inter ſententiam, & petitionem confirmationis, ſacra Congregatio die 2. Aprilis ejuſdem anni juſſit, teſtes in Urbe exiſtentes & bene edoctos examinari ſuper continuatione non cultus. Præterquamquod datæ fuerunt litteræ ad Vicarium Capitularem civitatis Agrigentinæ ſimul cum modo additionis ab eo peragendæ, comitibus Promotore Fiſcali & teſtibus, ad locum ſepulcri, tum inſtrumenti inſuper faciendi, & una cum teſtium examine ad Urbem mittendi: quo demum perducta notitia executionis mandatorum per epiſtolam reſpondentis Vicarii, perque inſtrumenti & examinis teſtium miſſionem, die 29. Novembris 1721. pro non cultu decretum fuit. Item in altera, hoc eſt, in cauſa Servi Dei Gregorii Cardinalis Barbadici, cum inter ſententiam ſuper non cultu, & petitionem confirmationis anni viginti novem interceſſiſſent; ipſeque proinde fungens munere Fidei Promotoris in animadverſionibus monuiſſem, quod ſententia confirmari non poterat, niſi nova accederet probatio continuationis non cultus per acceſſum Ordinarii una cum Promotore Fiſcali & teſtibus ad locum ſepulcri, publicique inſtrumenti miſſionem una cum teſtium examine; providi Poſtulatores hæc omnia effici curarunt, antequam dubium ſuper non cultu in ſacra Congregatione proponeretur. Et ſane, poſt earum rerum complementum, propoſitio in ſacra Congregatione eodem dubio, reſcriptum obtinuerunt die 15. Julii 1724. pro confirmatione ſententiæ ab Ordinario ſuper ipſo non cultu latæ.

14. Cum autem ſæpenumero ſupra verba facta ſint de longa temporis intercapedine inter ſententiam ſuper non cultu, & petitionem ejus confirmationis, ad hæc quærendum ſupereſt, cujuſmodi eſſe oporteat tempus longum in caſu noſtro ac pro cauſa, de qua agimus. De juris enim rigore reſpondendum eſſe videtur, longum tempus eſſe illud, quod decem annorum metam prætergreditur. Nam, ſi, confecto ab Ordinario ſuper non cultu proceſſu, eodemque ad ſacram Congregationem miſſo una cum altero proceſſu ejuſdem auctoritate condito ſuper fama virtutum & miraculorum, hic juxta legem decretorum Innocentii XI. ſpatio decem annorum in ſacræ Congregationis archivo ſervari debet, antequam proponi valeat de *ſignatura Commiſſionis* petitio; hinc, decem elapſis annis, novæ requiruntur epiſtolæ Epiſcoporum percrebreſcentem ſanctitatis famam, miraculorumque aſſiduitatem teſtantium, nulla continuationis non cultus mentione facta, ut infra videbimus; apertiſſimum profecto ſignum hoc eſt, introductionem novi cultus per decem annorum curſum ſecundum eadem decreta nequaquam præſumi, &, quod conſequitur longam temporis intercapedinem vere probari non poſſe, niſi a tempore decem annorum metam prætereunte. Verum, ut diximus, id prorſus eſt de juris rigore: alioquin, ad avertendam quamcumque controverſiam, non raro etiam vidi, cautos Poſtulatores vel teſtes ad perpetuam rei memoriam examinatos attuliſſe de continuatione non cultus, epiſtolam Ordinarii afferentis, ſe acceſſiſſe ad ſepulcrum ſimul cum Promotore Fiſcali ac teſtibus, nullum autem publici cultus veſtigium inveniſſe; licet inter ſententiam, & petitionem ejuſdem confirmationis tempus elapſum eſſet ſeptem tantummodo aut octo annorum, ſicuti contigit in cauſa Servi Dei Nicolai a Longobardis, aut etiam tantum annorum quatuor, ut in cauſa Servi Dei Antonii Baldinuccii.

15. Si vero, ut eo revertamur, unde digreſſi ſumus, præter poſſibilitatem introductionis novi cultus ex multi temporis intercapedine præſumptam, aliqua inſuper aſſeratur probatio evincens, cultum fuiſſe introductum; tunc, ſive tempus elapſum inter ſententiam, & petitionem ipſius confirmationis notabile ſit, ſive non, minime poterit a ſacra Congregatione de non cultu reſponderi, niſi vel novo auctoritate Apoſtolica prius confecto proceſſu ſuper eodem non cultu, ſeu ſuper cultus amotione, necnon alia lata a Judice delegato ſententia, veluti factum fuit in cauſa S. Joannis Franciſci Regis, juxta ea quæ in ſuperioribus dicta ſunt; vel miſſo ſaltem ab Ordinario loci publico de cultus amotione inſtrumento, ut evenit in cauſis ſequenti capite referendis. Neque enim aliam ob rationem reſponſum in his fuit pro non cultu, quamvis probatum eſſet, cultum adfuiſſe, niſi quia, data a ſacra Congregatione ad loci Ordinarium epiſtola, ut una cum Promotore Fiſcali & teſtibus locum novi cultus adiret, dignoſceretque, utrum is adhuc perſiſteret, an eſſet amotus, advenerunt Ordinariorum reſponſiones ſimul cum authentico inſtrumento de jam effecta cultus amotione. Reliquis igitur inferius amandatis, nunc ad rem aptiſſimum tantum ſuppetit exemplum cauſæ Polonæ Beatificationis & Canonizationis Servi Dei Patris Andreæ Bobola Sacerdotis Profeſſi Societatis Jeſu; in qua die 9. Aprilis 1729. ſacra Congregatio pro non cultu reſpondit, atque adeo pro obedientia Urbani VIII. decretis ſufficienter præſtita, tametſi obſtabat temporibus intercapedo inter ſententiam, & petitionem ejus confirmationis, necnon probatio introductionis intermediæ nonnihil publici cultus: ſed exhibuerant Poſtulatores epiſtolam ſacræ Congregationis ſcriptam die 1. Martii 1727. Epiſcopo Luceorienſi de novo acceſſu ad ſepulcrum Servi Dei faciendo, inſtructionem a me tunc Fidei Promotore eo miſſam, ut recte omnia implerentur, publicumque inſtrumentum prædicti ad ſepulcrum acceſſus, præſentiæque Promotoris Fiſcalis ac teſtium in mandatorum executionem peractum; ex quibus nimirum publici cultus abſentia maxime fuit comprobata.

16. Concordant cum his, quæ dicta ſunt, concordant, inquam, cetera ſacræ Congregationis reſponſa poſt primam Operis editionem prolata. In cauſa Servi Dei Joannis Dominici Lucheſii decem & ſeptem anni effluxerant, in cauſa Servæ Dei Joannæ Mariæ Bonhomi triginta quinque effluxerant anni, in cauſa Servi Dei Bonaven-

naventuræ a Potentia decem effluxerant anni, in causa Servi Dei Angeli de Paulis decem & octo anni effluxerant a die prolatæ sententiæ super non cultu ad diem instantiæ pro confirmatione ejusdem. Et favorabile in omnibus prodiit responsum, transmissa ab Ordinariis locorum authentica attestatione modo supra expositio de continuatione non cultus, uti colligitur ex responsis editis die 15. Septembris 1736. die 24. Novembris 1736. die 13. Julii 1737. die 27. Januarii 1742. sublataque hoc modo oppositione excitata a Fidei Promotore de possibilitate introductionis publici cultus post sententiam latam super non cultu.

17. Notatu quoque dignum est, quod licet in causa Servæ Dei Sororis Mariæ a Jesu Monialis Professæ Ordinis Minorum S. Francisci civitatis Angelopolitanæ in Indiis Occidentalibus quadraginta duo anni effluxissent a die prolatæ sententiæ ad diem instantiæ pro ejus confirmatione, nihilominus Fidei Promotor censuit, quodcumque leve adminiculum sufficere pro probatione continuationis non cultus, nedum attenta magna locorum distantia, ex quibus probatio continuationis fuisset transmittenda, sed etiam quia cum ex processu plane constitisset, ab obitu Servæ Dei ad diem sententiæ spatium sexaginta annorum effluxisse, nec eo temporis intervallo ullum publicum cultum fuisse exhibitum, hoc ipsum a fortiori dixit præsumendum post latam de non cultu sententiam. De hoc temperamento satis æquo Postulatores gratias egerunt Fidei Promotori, illudque recipiendum esse dixerunt; sed professi sunt, se eo non egere, productis videlicet argumentis authenticis & aptis pro suadenda continuatione non cultus, quæ jam ad se ab Indiis curaverant transmitti, quorum ope sententia super non cultu confirmationis robur obtinuit, uti colligitur ex responso edito die 7. Decembris 1737.

CAPUT DECIMUMSEXTUM.

De pœnis statutis adversus violatores decretorum Urbani VIII.

1. QUI publicum cultum exhibet non Beatificatis neque Canonizatis a S. Sede, interrogari potest ab Inquisitoribus hæreticæ pravitatis, quid sentiat de Romani Pontificis auctoritate, qui justis de causis hanc sibi facultatem probandi & proponendi Sanctos Ecclesiæ colendos specialiter reservavit; sicuti post Zanchinum *de Hæreticis* adnotavit Penia *in tract. hac de re edito, & typis impresso apud Pignatell. consult.* 38. *num.* 12. *tom.* 5. tum sequitur idem Pignatell. *tom.* 1. *consult.* 51. *in fine.* Porro, qui talia peragit, reus est superstitionis; uti late docet Castellin. *de certitud. glor. SS. cap.* 2. *punct.* 8. *&* 9. necnon recte animadvertit Natalis Alexander *Theolog. Moral. tom.* 9. *lib.* 4. *de Decal. pag.* 86. ubi: *In hoc superstitionis genus incidunt, quicumque ..... Sanctos nondum vindicatos, sive a Romano Pontifice solemni Beatificationis, aut Canonizationis Ritu in Sanctorum album relatos publice colere .... audent.* Etenim, juxta Divum Thomam 2. 2. *quæst.* 92. *art.* 1. superstitio religioni opponitur, non quia plus exhibet cultus, quam vera religio, sed quia vel eum impendit, cui minime convenit, vel modo, quo non est impendendus. Quamobrem, cum incolæ & habitatores Terræ Neti Syracusanæ Diœcesis ante Sedis Apostolicæ auctoritatem cultum publicum Beato Conrado exhibuissent, dubitarent autem, se idcirco anathema incurrisse, aliasque Ecclesiasticas sententias ac pœnas, Summus Pontifex Leo X. priusquam Beatitatis titulum Conrado impertiretur, commisit Episcopo Syracusano, ejusve Generali Vicario, ut eos de hujusmodi excessibus absolveret forma Ecclesiæ consueta; ut habetur ex ejus Brevi apud Bollandianos *ad diem* 19. *Februarii tom.* 3. *pag.* 160.

2. Item præter has aliæ sunt impositæ pœnæ violatoribus Decretorum, & Constitutionis Urbani VIII. de non cultu. Scilicet, si Clerici Regulares in his deliquerint, puniuntur ab Ordinariis, aut Inquisitoribus privatione officiorum, *vocis activæ & passivæ, & suspensione a Divinis*: si autem Clerici Sæculares, plectuntur pariter ab iisdem privatione officiorum, *suspensione a Divinis*, ab administratione Sacramentorum, & ab executione suorum Ordinum *respective*, & aliis etiam pœnis arbitrariis. Excusores vero librorum sine *protestationibus* in superioribus recensitis, ut & pictores Imaginum cum radiis, laureolis aut splendoribus pœnam subeunt amissionis tum librorum tum Imaginum, & puniri etiam possunt pœna pecuniaria, & corporali juxta criminis gravitatem. Hæc quippe leguntur in citatis ipsis decretis: *Ut autem præmissa diligentius observentur, universis & singulis tam Ordinariis, quam hæreticæ pravitatis Inquisitoribus districte præcipit, ut in sua quisque diœcesi vel provincia sedulo pervigilet, ne sine approbationibus prædictis Imagines cum memoratis signis exponantur, aut miracula, revelationes, ac beneficia prædicta publicentur, aliave contra superius disposita fiant: transgressores vero, si Regulares fuerint, privationis suorum officiorum, ac vocis activæ & passivæ, necnon & suspensionis a Divinis, si vero Clerici Sæculares, privationis pariter suorum officiorum, suspensionis a Divinis, & ab administratione Sacramentorum, executioneque suorum Ordinum respective, aliisque arbitrio prædictorum Ordinariorum, seu Inquisitorum pro modo culpæ infligendis pœnis plectendo. Qui autem libros impresserint, aut Imagines pinxerint, sculpserint, seu quoquo modo effinxerint vel formaverint, ceterique artifices circa præmissa qualitercumque delinquentes prædicta omnia amittant, & insuper pecuniariis, aliisque etiam corporalibus pœnis, juxta criminis gravitatem, eorumdem Ordinariorum, seu Inquisitorum arbitrio afficiantur: contrariis quibuscumque non obstantibus.* Fuerunt quoque eadem confirmata in Brevi typis impresso inter generalia ipsa decreta: juxta quæ anno 1629. supremæ Inquisitionis Congregatio ad graves pœnas damnavit nonnullos ex Clericis Regularibus Minoribus, qui in ecclesia S. Mariæ Majoris Neapolis suaserunt & permiserunt, ut cultus publicus exhiberetur Servo Dei Francisco Caracciolo eorumdem Instituti Fundatori non adhuc beatificato, uti supra monitum fuit; quod & præstitit eadem Congregatio adversus Patres Ministrantes Infirmis anno 1648. qui similiter in civitate Neapolis festum Servi Dei Camilli de Lellis necdum beatificati (nunc vero canonizati) celebrarunt, ejusque miracula propalarunt, Beatum eum appellantes, necnon ejusdem statuam exponentes cum phiala asserti miri liquoris.

3. Denique *nullitate* insanabili laborarent processus omnes & omnia Acta causæ Beatificationis & Canonizationis, in qua omissa esset constructio processus auctoritate aut ordinaria, aut Apostolica super non cultu, & in qua non esset de eo sententia a Judice lata, atque a sacra Congregatione approbata; quemadmodum ex memorato Brevi Urbani VIII. inter decreta generalia formis impresso: *Omniaque & singula decreta hujusmodi ab omnibus, ad quos spectat & infuturum quomodolibet spectabit, observari omnino præcipimus, sub pœna nullitatis quarumcumque informationum, processuum, ac interpretationis aliter, quam prævia suprascripta prænotione, institutorum, eorumque admissionis, publicationis, ac interpretationis; ita ut earumdem informationum receptiones, processuumve institutiones, necnon earum admissiones ac publicationes & interpretationes habeantur pro non receptis non institutis non admissis non publicatis non interpretatis, eorumque amplius ratio aliqua nullatenus alicubi unquam haberi debeat.*

4. Ad hæc aliquando dubitatum fuit, an in causa Beatificationis & Canonizationis, in qua Fidei Promotor ostenderit, non fuisse statim paritum decretis, vel post eorum promulgationem retentas adhuc in altaribus Imagines Servi Dei neque beatificati neque canonizati, vel votivas adhuc tabellas ad ejus sepulcrum appensas superfuisse, novumque post eadem decreta cultum publicum introductum; an, inquam, hac in causa imponenda sit pœna negationis audientiæ, ita ut non sit in posterum permittendus ad ulteriora progressus, licet Postulatores plene porro demonstrent, dictum cultum sublatum fuisse. Verum hodie quælibet cessat difficultas, tum quia pœna hæc non fuit absolute & simpliciter in decretis expressa, tum quia decretorum violatio eatenus impedimento est causæ progressui, quatenus de cultus amotione nulla exhibetur certitudo: hæc enim est natura pœnæ, quæ imponitur pro contumacia, non pro crimine, ut ea scilicet cesset, cessante contumacia; sicuti probat textus *in cap. Ex litteris, de Constitution. Quia tamen constitutum non fuit, ut in perpetuum hujusmodi privatio duraret; cum tam juris Canonici, quam*

nostri

noſtri moris exiſtat, ut is, qui propter contumaciam communione privatur, cum ſatisfactionem congruam exhibuerit, reſtitutionem obtineat; mandamus, quatenus ſupradictum Magiſtrum ſtatutis veſtris nunc humiliter parere curantem ad communionis veſtræ conſortium in Magiſtratibus admittatis. Cui conſentit textus *in l. Sed etſi per Prætorem ff. Ex quibus cauſis Majores &c.* ubi: *Dum decreto Prætoris non obtemperat, juriſdictionem ei denegaverit.* Idem fuſe docet Pignatell. *conſ. 55. per tot. tom. 1.* Re vera plurimæ ſunt Beatificationis & Canonizationis cauſæ, in quibus non aliam ob rationem probatus fuit non cultus, progreſſuſque ad ulteriora factus fuit, quamvis in eis decretorum de non cultu violatio præceſſiſſet, niſi quia, quo tempore facta fuit petitio approbationis ſententiæ de eodem non cultu, ipſa jam decretorum violatio de medio ſublata fuerat. Quapropter nunc ſtat pro regula, quod cultus prætéritus, dummodo tempore lationis ſententiæ non adſit, vel ſi quidem adſit, amoveatur tamen, antequam ſententia ipſa ſuper non cultu confirmetur, minime impediat approbationem ejuſdem non cultus, & ſubſequentem ad ulteriora progreſſum. Ejuſmodi nempe fuerunt cauſæ Gebennen. S. Franciſci Saleſii, Valentina Servi Dei Andreæ Hibernon, Segobien. tunc Beati, nunc Sancti Joannis a Cruce, Papien. Servi Dei, nunc Beati Alexandri Sauli, Majoricen. Servæ Dei Catharinæ Thomaſiæ, Corduben. Servi Dei Joannis Baptiſtæ a Conceptione, Mediolanen. ſeu Veneta Servi Dei, nunc Beati Hieronymi Æmiliani, Salutiarum Servi Dei Juvenalis Ancinæ, Toletana Servæ Dei Mariannæ de Jeſu Ordinis Excalceatorum B. Mariæ de Mercede, alia Toletana Servæ Dei Mariannæ de Jeſu Tertii Ordinis S. Franciſci de Pœnitentia, item Toletana Servi Dei Alphonſi de Oroſco, Sancti Flori in Gallia Servæ Dei Agnetis a Jeſu, Neapolitana Servi Dei Franciſci Caraccioli, Romana Servi Dei, nunc Sancti Camilli de Lellis, & noviſſime Sancti Jacobi Goattemalæ Servi Dei Fratris Petri de Betrancur, necnon Polona Servi Dei Patris Andreæ Bobola. In his quippe omnibus & compluribus aliis ideo approbatus fuit non cultus, quia cultus, qui adfuerat, ante judicium de non cultu de medio ſublatus erat. Similiter & quærenti Archiepiſcopo Panormitano, an conficere deberet proceſſum ſuper non cultu in cauſa Servæ Dei Urſulæ Mariæ Santini, ſacra Congregatio die 27. Septembris 1687. reſcripſit, ut proceſſum conficeret, eo quia tabula depicta, quæ non cultui obſtare poterat, unde Archiepiſcopi dubitatio ortum duxerat, jam triennio ante amota fuerat. Item, quod potius eſt, in cauſa Neapolitana Servi Dei Pauli Cardinalis Buralis ſacra Congregatio utique approbavit non cultum; at mandavit tamen, ut decretum Poſtulatoribus non traderetur, niſi prius conſtitiſſet per publicum documentum, a quodam ſacello amotam fuiſſe Effigiem dicti Servi Dei, uti colligitur ex reſcripto dato die 18. Julii 1654. Demum in cauſa pariter Romana, ſeu Terracinen. Servi Dei Caroli de Setia eadem ſacra Congregatio reſpondit quidem pro non cultu; ſed pariter Cardinali cauſæ Relatori demandavit, ut vel moderari, vel removeri curaret epitaphium, quod ejuſdem Servi Dei ſepulcro appoſitum fuerat; ſicuti defumere eſt ex decreto edito die 13. Martii 1700. præterquamquod ſimilia contigerunt etiam in cauſa Corduben. Servi Dei Joannis Baptiſtæ a Conceptione 9. Julii 1678. Quin immo, ſi poſt approbationem non cultus, notitia ſuperveniat introductionis novi cultus, ſacrorum rituum Congregatio ſæpe memorata Poſtulatores moneri curat, ut ipſius cultus amotionem oſtendant, utpote cum ſine ea ulteriorem progreſſum cauſa non ſit habitura: quomodo factum fuit in cauſa Valentina S. Paſchalis de Baylon die 19. Februarii 1558. & in Segobien. S. Joannis de Cruce 3. Junii 1662. *Sacræ Rituum Congregationi innotuit, in eccleſia Fratrum Carmelitarum Excalceatorum civitatis Toletanæ extructam olim fuiſſe quamdam Capellam in honorem Servi Dei, Joannis a Cruce, & in ea expoſitam extitiſſe Imaginem ejuſdem Servi Dei, ac inſuper eamdem Imaginem Pariſiis excuſam cum radiis & ſplendoribus & cum titulo Beati, papyro impreſſam circumferri: & ſacra Congregatio de aſſenſu Sanctiſſimi, non ſuſpenſa diſcuſſione dubii ſuper virtutibus, mandavit, interim ſcribi Archiepiſcopo Toletano pro documentis remotionis Imaginis præfatæ, necnon exquiri laminam ejuſdem Imaginis, & Secretario ſacræ Congregationis conſignari; interim vero non debere conſignari decretum, niſi de more prædictis. Die 3. Junii 1662.*

CAPUT DECIMUMSEPTIMUM.

De caſu excepto a decretis Urbani VIII. in genere.

1. HUCUSQUE dictum fuit de cauſis Beatificationis & Canonizationis procedentibus per viam non cultus: nunc dicendum eſt de aliis cauſis Beatificationis pariter & Canonizationis, quæ procedunt per viam extraordinariam caſus excepti. Urbanus enim VIII. in ſæpe allegatis decretis prohibuit quidem exhibitionem publici cultus iis, qui minime beatificati aut ab Apoſtolica Sede canonizati fuiſſent; verum illos excepit, qui colebantur ſive per communem Eccleſiæ conſenſum, ſive per immemorabilem temporis curſum, ſive per Patrum virorumque ſanctorum ſcripta, ſive denique temporis longiſſimi ſcientia ac tolerantia Sedis Apoſtolicæ, vel Ordinarii; declarans, *quod per ſupradicta præjudicare in aliquo non vult neque intendit iis, qui aut per communem Eccleſiæ conſenſum, vel immemorabilem temporis curſum, aut per Patrum virorumque ſanctorum ſcripta, vel longiſſimi temporis ſcientia ac tolerantia Sedis Apoſtolicæ, vel Ordinarii coluntur:* quod & ratum habuit in Brevi decreta eadem confirmante. Scilicet id inſtar eorum eſt, quæ tempore Clementis VIII. fuerunt a Pontifice iſto ſuaſa Cardinalibus & Conſultoribus, qui intereſſe debebant Congregationi, ubi diſputandum erat de cultu erga non Beatificatos neque Canonizatos, ut in ſuperioribus enuntiavimus. Schedulæ ſiquidem dubiorum de eadem materia inſtitutorum Clemens addidit propria manu hæc verba: *Nolumus agere de his, pro quibus habentur diplomata Pontificum prædeceſſorum noſtrorum, neque de illis, qui ab immemorabili tempore ut Beati coluntur; ſed de recentioribus, & quid in poſterum ſervandum ſit:* quemadmodum refert P. Ceparius *in director. Canoniz. lib. 2. cap. 5.* Ab his igitur exceptionibus, quæ in decretis Urbani leguntur, quæque (ut vidimus) a Clemente etiam VIII. antea excogitatæ fuerunt, ortum ducit via extraordinaria, quæ dicitur caſus excepti, per quam procedere debent Beatificationis & Canonizationis cauſæ, quæ progredi nequeunt per ordinariam non cultus: adeo ut, ſicuti Poſtulatores, quorum cauſæ per dictam non cultus viam progrediuntur, proceſſum ſuper eodem conficere, atque ab ordinario, vel delegato Judice ſententiam, in qua ipſe non cultus approberur, ſubinde a ſacra Congregatione confirmandam reportare tenentur; ita, proportione ſervata, onus ſit Poſtulatorum, quorum cauſæ procedunt per viam caſus excepti, curare, ut conficiatur proceſſus ſuper eodem, necnon ut a Judice ordinario, vel delegato feratur ſententia, in qua pronuncietur, conſtare de caſu excepto a decretis Urbani, poſtea a ſacra ipſa Congregatione confirmanda. Sic plane ſe habent decreta generalia: *Particularis proceſſus cum ſubſequenti pronuntiatione Ordinarii, ſeu Apoſtolicæ Sedis Delegati ſicut præcedere debet ex forma prædictorum decretorum ſuper cultu non adhibito, ita etiam præcedere debet & ab eiſdem reſpective faciendus eſt, quando aliquis Poſtulator allegaret, ſe verſari in uno ex caſibus exceptuatis; nempe, quod cultus fuerit adhibitus ex indulto ſummorum Pontificum, vel permiſſione ſacræ Congregationis, vel per communem Eccleſiæ conſenſum, vel per immemorabilem temporis curſum, aut per Patrum virorumque ſanctorum ſcripta, vel longiſſimi temporis ſcientia atque tolerantia Sedis Apoſtolicæ vel Ordinarii; ut ſemper appareat in primis, fuiſſe ſatisfactum ſupradictis decretis.*

2. Ex verbis autem modo recitatis deſumitur, plures eſſe caſus exceptos: unum videlicet, qui dicitur per communem Eccleſiæ conſenſum; alterum, qui per indultum ſummi Pontificis: tertium, qui per ſacræ Congregationis permiſſionem; quartum, qui per Patrum & virorum ſanctorum ſcripta; poſtremum, qui per immemorabile vel longiſſimum tempus. Porro, quod attinet ad uſum in hiſce Beatificationis & Canonizationis cauſis receptum, is eſt, qui ſequitur. Primo fit ab Ordinario proceſſus ſuper fama virtutum ac miraculorum, & petitur *ſignatura commiſſionis* juxta ea, quæ in ſuperioribus dicta ſunt. Deinde, ſi factus fuerit ab Ordinario proceſſus ſuper caſu excepto, ab eodemque lata ſit de ipſo ſententia, proponitur in ſacra Congregatione ordinaria dubium:

bium: *An ſententia Judicis ordinarii ſuper caſu excepto ſit confirmanda, vel infirmanda*: ſi confectus vero non ſit ab Ordinario proceſſus ſuper caſu excepto, petuntur *litteræ remiſſoriales* pro ejuſdem confectione auctoritate Apoſtolica; tum, eodem abſoluto, &, prout mos eſt aperto, proponitur in ſacra ipſa Congregatione ordinaria dubium: *An ſententia Judicis delegati ſuper caſu excepto ſit confirmanda, vel infirmanda*. Poſtremo, ſcribente Fidei Promotore tum contra validitatem, tum contra *relevantiam* proceſſus, Procuratoribus autem & Advocatis reſpondentibus ſi excitatæ difficultates ſublatæ fuerint, ſacra Congregatio reſpondet vel pro confirmatione ſententiæ, vel quod ſufficienter conſtat de caſu ab Urbani decretis excepto: quo ſacræ Congregationis reſponſo a ſummo Pontifice comprobato, abſolutum dicitur ſuper caſu excepto judicium. Sed & aliquando Poſtulatores inſtant, ut decretum ſacræ Congregationis a ſummo Pontifice, Secretario intercedente, approbatum confirmetur per litteras Apoſtolicas in forma Brevis: quod profecto, etſi petentibus denegari minime conſuevit, non eſt tamen de ſubſtantia, ſed ad majorem tantum ſolemnitatem. Re enim ipſa ejuſmodi Brevibus, quorum nonnulla infra referentur, ſemper apponitur clauſula, *ſalva tamen auctoritate Congregationis ſacrorum rituum:* ſcilicet ut oſtendatur, per novam confirmationem in forma Brevis nihil rei additum fuiſſe pertinens ad ejuſdem ſubſtantiam, quæ idcirco ſemper, novis advenientibus circumſtantiis, poteſt ab eadem ſacra Congregatione ad novum examen revocari; verum additam tantummodo fuiſſe externam ſolemnitatem.

3. Dictum eſt autem, ſacram Congregationem reſpondere, aut confirmandam eſſe ſententiam, aut ſatis conſtare de caſu excepto; quia, cum aliquando contingat, ut ipſa ſententia confirmari nequeat, ex Actis vero ſive ex proceſſu conſtet, cauſam verſari inter exceptas a decretis Urbani, tunc, ulteriores expenſas evitandi gratia, inaneſque in ea facti ſpecie circuitus, ſacra Congregatio ſane abſtinet a confirmatione ſententiæ, ſed Actis nihilominus inhærendo pronuntiat, ita conſtare de caſu excepto, ut ad ulteriora progreſſus fiat. Prætermiſſis quippe exemplis, quæ ex infra allegandis decretis deſumi poterunt, id colligere licet ex reſponſis ſacræ Congregationis in Bononien. tunc Beatæ, nunc Sanctæ Catharinæ de Bononia 1. Februarii 1649. in Neapolitana tunc Beati, nunc Sancti Andreæ Avellini 24. Auguſti 1652. in Valentina tunc Beati, nunc Sancti Ludovici Bertrandi, & in Florentina tunc Beatæ, nunc Sanctæ Mariæ Magdalenæ de Pazzis 1. Aprilis 1662. Veruntamen, ne quid intactum relinquamus, non erit inopportunum hic adnotare, quod utique juxta hodiernam conſuetudinem ſemper conficitur proceſſus ſuper caſu excepto a Judice ordinario, vel delegato; ſed juxta morem antiquiorem conficiebatur is etiam interdum a Cardinali cauſæ Relatore, citato Fidei Promotore, ut habetur ex decretis in Florentina tunc Beati, nunc Sancti Philippi Benitii 26. Auguſti, & in Valentina tunc Beati, nunc Sancti Paſchalis de Baylon 3. Octobris 1645. Pariter adnotare licet, quod ſecundum uſum hodiernum ſententia ſuper caſu excepto fertur quidem a Judice ordinario, vel delegato, & deinde a ſacra Congregatione confirmatur; verum ſecundum ritum antiquiorem ſententia ipſa pronuntiabatur item a Cardinali cauſæ Relatore, poſtea ab eadem ſacra Congregatione confirmabatur, ut ex decretis emanatis in cauſa Valentina tunc Beati, nunc Sancti Thomæ de Villanova 25. Septembris 1649. in Sulmonen. ſeu Aprutina tunc Beati, nunc Sancti Joannis a Capiſtrano 3. Decembris 1650. in Salamantina tunc Beati, nunc Sancti Joannis a Sancto Facundo 23. Septembris 1651. & in Cortonen. tunc Beatæ, nunc Sanctæ Margaritæ de Cortona die 17. Martii 1653. quod poſtremum ad illuſtrandum ritum antiquiorem hic plane exponitur.

Facto proceſſu per Eminentiſs. & Reverendiſs. Dominum Cardinalem Coſtagutum deputatum in cauſa Canonizationis Servæ Dei Beatæ Margaritæ de Cortona Monialis Tertii Ordinis S. Franciſci de Pœnitentia ſuper caſu excepto a decretis ſel. record. Urbani VIII. in ſanctiſſima Inquiſitione ſuper non cultu editis, citato & audito R. P. D. Fidei Promotore, ac prævia relatione probationum coram ipſo Eminentiſſimo factarum, necnon jurium productorum ac reſpective repetitorum, exemplar decreti in ſacra Congregatione, præſente ſanctæ Fidei Promotore, Eminentia ſua legit, & facto mihi Secretario ejuſdem Sacræ Congregationis conſignavit tenoris ſequentis, videlicet „

Cortonen. Canonizationis Servæ Dei Beatæ Margaritæ de Cortona Monialis Tertii Ordinis S. Franciſci de Pœnitentia.

Viſis per nos Commiſſione manu Sanctiſſimi ſignata in Actis producta ſub die 10. Julii 1645. necnon decreto deputationis noſtræ in Relatorem cauſæ in vim dictæ Commiſſionis factæ per ſacram rituum Congregationem ſub die 22. ejuſdem menſis: viſis inſtrumentis mandatorum procuræ fact. per civitatem & homines Cortonæ, ac Religionem S. Franciſci de Obſervantia in Actis product. & rogat. reſpective: viſiſque duabus litteris Apoſtolicis ſub plumbo expeditis, videlicet alt. ſel. record. Leonis Papæ X. ſub datum Florentiæ anno Incarnationis Dominicæ 1515. anno ejus tertio, conceſſionis, quod in civitate & diœceſi Cortonen. præfata Margarita ſine alicujus demeriti, ſeu idololatriæ, aut infamiæ labe, ſeu ſcrupulo conſcientiæ a quibuſcumque Chriſtifidelibus publice & privatim coli, necnon in eccleſia S. Margaritæ feſtum ejuſdem Margaritæ cum ſolemnitate & Officio unius Sanctæ nec Virginis nec Martyris ſub die 22. Februarii, donec ad Canonizationem ipſius B. Margaritæ proceſſum fuerit, celebrari libere & licite valeret, Ordinarii ſeu cujuſvis alterius licentia ſuper hoc minime requiſita, & nihilominus, ut Chriſtifidelium devotio ad eamdem B. Margaritam pleniùs augeatur, ac eorumdem Fidelium animarum ſaluti fructuoſius conſulatur, de omnipotentis Dei miſericordia, BB. Petri & Pauli Apoſtolorum ejus auctoritate confiſi, omnibus & ſingulis utriuſque ſexus Chriſtifidelibus vere pœnitentibus & confeſſis, ſeu confitendi propoſitum habentibus, qui poſt præſentem annum eccleſiam S. Margaritæ prædictam in dicto feſto Cathedræ B. Petri a primis Veſperis reſpective ad occaſum ſolis ejuſdem feſti incluſive devote viſitaverint annuatim, & ad illius reparationem & manutentionem, ac paramentorum & ornamentorum Divino cultui in ea neceſſariorum fulcimentum manus adjutrices porrexerint, ducentos annos & totidem quadragenas de injunctis eis pœnitentiis miſericorditer in Domino relaxavit: & altera ſel. record. Urbani VIII. ſub datum Romæ apud S. Petrum anno Incarnationis Dominicæ 1623. Pontificatus ſui anno primo, indultum, & deſuper confectas litteras hujuſmodi ad omnes & ſingulas perſonas tam viros quam mulieres nunc & pro tempore exiſtentes ejuſdem Ordinis S. Franciſci, earumque eccleſias tam intra Italiam quam extra eam ubicumque conſiſtentes, ita quod ex tunc de cetero in perpetuis futuris temporibus poſſint hujuſmodi feſtum dictæ B. Margaritæ in earum eccleſiis hujuſmodi quotannis dicta die 22. Februarii cum Officio nec Virginis, nec Martyris celebrare, & eamdem B. Margaritam privatim & publice venerari libere & licite poſſint & valeant, Apoſtolica auctoritate prædicta extendit, ac extenſum & extenſas ex tunc eſſe & fore; dictas perſonas deſuper a quoquam quovis prætextu, colore, vel ingenio moleſtari, perturbari, aut quoquo modo impediri nullatenus unquam poſſe, necnon quidquid ſecus ſuper his a quoquam quavis auctoritate ſcienter vel ignoranter contigerit attentari, irritum & inane dicta auctoritate decrevit; non obſtantibus præmiſſis, ac, quatenus opus ſit, regula ipſius Urbani de gratiis ad inſtar non concedendis, aliiſque quibuſcumque conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, necnon omnibus illis, quæ dictus Leo prædeceſſor in dictis litteris voluit non obſtare, ceteriſque contrariis quibuſcumque: viſis citationibus legitime contra R. P. D. Promotorem Fidei executis, aliiſque viſis videndis & conſiderandis, & facto prius verbo in Congregatione hodie habita, eodem Domino Promotore Fidei citato audito & præſente, dicimus decernimus & declaramus, conſtare dictæ B. Margaritæ de Cortona cultum exhibitum fuiſſe & ad præſens exhiberi ex dictis indultis Apoſtolicis, & propterea hujuſmodi caſum comprehendi inter exceptos a decretis ſanctiſſimæ Inquiſitionis ab Urbano VIII. ſuper non cultu editis, & ideo conſtare de caſu excepto ex dictis indultis Apoſtolicis. Et ita dicimus decernimus & declaramus non ſolum præmiſſo, verum etiam omni alio meliori modo &c. Hac die 8. Februarii 1653.

Ita pronuntiavi Ego V. Cardinalis Caſtagutus.

Quibus peractis, decretum præfatum fieri poſſe, ſacrorum rituum Congregatio cenſuit hac die 8. Februarii 1653. illudque ex nunc, prout ex tunc, unanimi conſenſu approbavit, ſi Sanctiſſimo Domino noſtro placuerit; prout, facta relatione per Eminentiſs. Reverendiſs. Dominum Cardinalem Cornelium Præfectum, Sanctitas ſua annuit die 17. Martii 1653.

4. Diximus quoque, juxta hodiernam conſuetudinem, & prout fert decretorum ſignificatio, neceſſe eſſe, ut

 conſi-

conficiatur peculiaris processus super casu excepto, utque sententia proferatur a Judice ordinario, vel delegato super eodem. Quod tamen non servatur duobus in casibus, quorum alter est, si *dispensatione* Postulatores absolvantur ab onere processum peculiarem conficiendi, & reportandi a Judice ordinario, vel delegato sententiam; tunc etiam sacra Congregatio pronuntiat super casu excepto, non obstante defectu peculiaris processus & sententiæ memoratæ. Quod si in causa extent processus confecti ante decreta Urbani VIII. super virtutibus, Martyrio, aut miraculis, in quibus insint etiam probationes casus excepti, ut puta quibus inserta sint Brevia summorum Pontificum, qui cultum concesserunt, probationesve, quæ plene demonstrent, cultum fuisse a tempore immemorabili personæ, de qua agitur, exhibitum, tunc (ut alibi adhuc videbimus) parcendi causa impensis, temporisque jacturæ, summus Pontifex aliquando in signatura Commissionis benigne indulget, ut sine ope novi peculiaris processus, sine latione sententiæ Judicis ordinarii, vel delegati; ideoque dependendo tantum ab antiquioribus prædictis processibus, libere disputetur ac resolvatur a sacra Congregatione dubium, *An constet de casu ab Urbani VIII. decretis excepto.*

5. Alter casus est, quando Postulatores contendunt, causam versari inter exceptas a decretis Urbani VIII. minime quidem ratione temporis immemorabilis, sed ratione cultus concessionum a summis Pontificibus, aut a sacra Congregatione factarum: nec enim tunc etiam opus est peculiari processu super casu excepto, sive sententia Judicis ordinarii, vel delegati; verum satis tantum est, ut in forma authentica exhibeatur aut Breve Pontificium, aut sacræ Congregationis decretum a summo Pontifice approbatum, atque a sacra Congregatione feratur decretum super casu excepto. Sic nempe ad correctionem antiquioris ritus, juxta quem construebatur processus peculiaris super casu excepto etiam in prædicta facti specie, statutum fuit instar regulæ generalis in decreto edito die 27. Maji 1645. Proposito namque dubio, *An in jam Beatificatis a sancta Sede requiratur processus super non cultu; vel super casu excepto, vel potius satis sit producere Breve Beatificationis*, responsum fuit, *In jam Beatificatis a sancta Sede non requiri processum super casu excepto; sed, signata Commissione & productis instantiis, satis esse producere Breve Beatificationis, & postea decretum sacræ Congregationis extendere.* Quapropter in causa tunc Beati, nunc Sancti Felicis a Cantalicio, quæ paulo post dictum decretum in sacra Congregatione proposita fuit, exhibitis tantummodo Brevibus Urbani VIII. quibus facta fuerat ejus cultus concessio, & ideo absque eo quod peculiaris ullus processus super casu excepto confectus esset, de casu ipso excepto responsum fuit; quemadmodum liquet ex sequenti decreto.

Visis per nos Commissione manu Sanctissimi signata, & decreto Congregationis nostræ in vim dictæ Commissionis facto per sacrorum rituum Congregationem, necnon simili decreto a Sanctissimo confirmato, quod coram nobis procederetur ad probationem casus excepti a decretis Urbani VIII. Visis litteris ejusdem Urbani VIII. in forma Brevis, quibus conceditur, ut Felix a Cantalicio Ordinis S. Francisci Capuccinorum Beatus nuncupetur, atque Officium & Missa de eo in die sui obitus a Fratribus sui Ordinis certis locis, Romæ vero etiam a confluentibus, recitari & celebrari respective possint, aliisque similibus litteris extensionis concessæ ad universos Fratres dicti Ordinis ubique existentes, & ad Sacerdotes confluentes: visisque citationibus legitime executis contra R. P. D. Promotorem Fidei, aliisque visis videndis & consideratis, & facto verbo, eodem R. P. D. Promotore Fidei præsente, in Congregatione hodie habita, dicimus decernimus & declaramus, constare, prædicto B. Felici a Cantalicio cultum exhibitum fuisse & ad præsens exhiberi ex indultis Apostolicis, & propterea hujusmodi casum comprehendi inter exceptos in decretis Sanctissimæ Inquisitionis super non cultu editis ab eodem Urbano VIII. & eisdem decretis sufficienter satisfactum fuisse & esse. Et ita dicimus decernimus & declaramus non solum præmisso, verum etiam omni alio meliori modo.

Et Eminentissimi Patres sacrorum rituum Congregationi præpositi, prædictis auditis & perpensis, censuerunt, decretum præfatum posse fieri juxta formam dictæ minutæ, quod ex nunc pro tunc unaniniter approbarunt, si Sanctissimo placuerit. Et, facta Sanctissimo de prædictis relatione per Eminentissimum Dominum Cardinalem Caponium Præfectum, Sanctitas sua annuit. Die 9. Decembris 1645.

6. Dum fungebar munere Fidei Promotoris, actum itidem fuit de eodem articulo in causa tunc Beati, nunc Sancti Aloysii Gonzagæ. Prætendentibus enim Postulatoribus approbationem casus excepti ex indultis a Romanis Pontificibus, per simplicem horum exhibitionem, nullo confecto peculiari processu, nec ulla super eodem a Judice ordinario, vel delegato lata sententia, obtentu modo memorati decreti editi anno 1645. oppositi, decretum ipsum sibi vindicare locum tantum in Beatificatis Beatificatione formali, hoc est causa secundum juris solemnitatem cognita, & prævia discussione virtutum ac miraculorum, minime vero in Beatificatis Beatificatione *æquipollenti* per cultus videlicet concessionem, causa non cognita solemniter. Addidi etiam uniformem observantiam. Namque in causis SS. Margaritæ de Cortona, Catharinæ de Bononia, & Agnetis de Monte Politiano, itemque S. Peregrini Latiosi, in quibus cultus ex indultis præcesserat, sed causa secundum juris solemnitatem non cognita, probatus fuit casus exceptus per processum peculiarem, & prævia sententia Judicis ordinarii, vel delegati; excepta causa S. Margaritæ, in qua lata non fuit sententia, eo quia juxta consuetudinem supra indicatam tunc sententia super casu excepto pronuntiabatur a Cardinali causæ Relatore. Verum, strenue respondentibus iisdem Postulatoribus primo, decretum anni 1645. loqui de Beatificatis, Beatificatos autem tam esse, qui *formaliter*, quam qui *æquipollenter* Beatificationis concessionem consecuti sunt; secundo, eamdem rationem in utroque casu vigere, cum utrobique exhibitio indulti in forma authentica sine ope peculiaris processus uno oculi ictu patefaciat, causam versari inter exceptas ab Urbani decretis, cultumque exhiberi ex Pontificiis ipsis indultis; tertio peculiarem processum sic mandatum fuisse in earum Commissionibus expeditis ante prædictum annum 1645. eumdemque peculiarem processum una cum sententia Judicis ordinarii, vel *respective*, delegati præcessisse in causis S. Agnetis, & S. Peregrini, propterea quod Postulatores earum casum exceptum constituerunt non tam in indultis a Romanis Pontificibus, quam in cultu immemorabili, qui certe sine formali processu probari nequit. Rationes istæ placuerunt sacræ Congregationi, quæ idcirco die 23. Septembris 1724. in eadem S. Aloysii causa, nullo prævio processu peculiari; & sine sententia Judicis ordinarii, vel delegati, in sequelam sæpe citati decreti editi anno 1645. casum exceptum ex indultis Apostolicis approbavit.

7. Hucusque adducta quantum ad Dei Servos, vel Beatos, quorum causæ ad Canonizationem rendunt, quidem valent: verum, quid dicendum erit de illis Dei Servis, vel Beatis, qui sunt in possessione cultus immemorabilis, qui nacti sunt indulta a Pontificibus, aut a sacra Congregatione, quive coluntur, Patribus approbantibus aut viris sanctis suis in scriptis, absque eo quod ullus sit, qui pro eorum Canonizatione instet? Necesse ne erit propterea, ut hi propria in cultus possessione permaneant, *Commissionem* signari, processum confici, ferri sententiam, necnon a sacra Congregatione sententiam ipsam approbari; & ita sane, ut, hisce haud concurrentibus conditionibus, cultus eorumdem sit amovendus? Porro crederem, omnimoda negatione esse respondendum. Etenim san. mem. Urbanus VIII. in suis decretis editis anno 1625. ut tolleret abusus, prohibuit quidem cultum publicum erga Dei Servos non beatificatos neque ab Apostolica Sede canonizatos, sed simul protestatus est, se nullum præjudicium afferre iis voluisse, qui vel per communem Ecclesiæ consensum, vel per immemorabilem temporis cursum, vel per Patrum virorumque sanctorum scripta, vel longissimi temporis scientia ac tolerantia Sedis Apostolicæ, aut Ordinarii jam colebantur: & in Brevi decreta eadem confirmante, emanato anno 1634. addidit, peculiarem processum esse conficiendum, sententiam super casu excepto esse ferendam, hujusque confirmationis auctoritatem ab Apostolica Sede obtinendam esse, sicut & clarius significavit in aliis subsequenter factis decretis, quorum verba in superioribus relata sunt: quæ tamen additiones factæ fuerunt tantum pro directione causarum Canonizationis, nec unquam ea mente Pontifex fuit, ut cultus erga eos amoveretur, qui in aliquo ex casibus exceptis versantur, & de quorum Canonizatione nemo est qui cogitet, nisi prius fuerit signata Commissio, confectus peculiaris processus, sententia lata, eademque a sacra Congregatione confirmata. Ad hæc, si secus ratiocinari quis vellet, magnæ profecto sequerentur absurditates & scandala fere intolerabilia. Etenim,

ut ne-

UAB Biblioteca de Ciències Socials

ut nemo ignorat, in omnibus propemodum Catholici orbis diœcesibus plerique Dei servi, atque Beati cultum publicum nanciscuntur sive ratione immemorabilis, sive propter indulta a summis Pontificibus, absque eo quod signata fuerit unquam Commissio, aut ullus unquam confectus fuerit peculiaris processus, sententiave lata super casu ab Urbani decretis excepta; de quorum cultu removendo si agi vellet, aut id nequaquam obtineretur, aut saltem non sine magnis perturbationibus & offendiculis. Denique, tempore, quo ipse Fidei Promotoris munus obibam, post amotionem nonnullarum insolitarum Imaginum præseferentium Sanctum quemdam Liberatum de Lauro, sacra Congregatio jussit, processum confici super ejus cultu immemorabili, subinde vero, jam lata ab Ordinario sententia, negotioque ad eamdem sacram Congregationem remisso, quia mihi uti Fidei Promotori pro signatura Commissionis instanti responsum a Postulatoribus fuit, se tantum supplicare pro cultu non amovendo, nolle autem prosequi causam Canonizationis, sacra ipsa Congregatio (ut infra latius demonstrabitur) re vera a Commissionis signatura abstinuit, nihil esse innovandum respondit, & tantummodo confirmavit antecedentia decreta, quibus insolitæ quædam atque irreverentes Imagines ejusdem S. Liberati vetitæ fuerant. Ex hac facti serie bene desumitur, solemnitates additas de signatura Commissionis, de peculiari processu, de latione sententiæ, de ejusque confirmatione tantum ordinem causarum Canonizationis respicere, ideoque minime necessarias esse ad conservandum cultum erga Dei Servos, qui eum obtinuerunt ex indultis Apostolicis, aut ex sequela immemorabilis temporis. Nempe ad hos quod attinet, solummodo Ordinariorum onus est invigilare, sint ne vere in aliquo ex casibus ab Urbani decretis exceptis, hoc est an cultus eorum sit re ipsa immemorabilis, præsteturve dependendo ex indultis a sancta Sede, aut ex sceptis Patrum virorumque sanctorum: tum, quatenus viderint, cultum eis exhiberi, & casum esse inter exceptos ab Urbano VIII. de eo abolendo cogitare nequaquam debebunt; & poterunt etiam, servatis servandis, præsertim vero forma statuta a Concilio Tridentino *sess. 25. de invocat. venerat. & Reliq. SS.* sententiam ferre, quæ in hisce circumstantiis non indiget confirmatione Apostolica. Id testatur Matta *de canonizat. SS. part. 4. cap. 23. n. 21.* ubi: *Quæres quinto, utrum sententia lata ab Ordinario super casu excepto indigeat confirmatione Apostolica? Et breviter respondeo cum distinctione, videlicet: Si non agatur de procedendo ad ulteriora in Canonizatione, sed tantum lata sit ad effectum non removendi, & cultum immemorabilem continuandi, non indigere confirmatione; quia hoc nullibi cautum reperitur. Si vero instetur, procedi ad ulteriora pro Canonizatione vel Beatificatione, esse omnino necessariam confirmationem Apostolicam; ut constat ex dispositione decretorum, & observatur in praxi.* Præterquamquod docuerat idem Matta *eod. loc. num. 16.* Superiores, & Custodes ecclesiarum non teneri instare coram Ordinario, vel Sede Apostolica pro declaratione cultus immemorabilis, quando agitur tantum de eodem minime removendo, nisi forte quid cultui opponatur, & ejus amotio prætendatur; secus ac, cum progredi intenderent ad formalem Canonizationem; tunc quippe pro ipsa casus excepti declaratione instare utique tenerentur. Si vero, iidem Ordinarii comperirent, in sua diœcesi cultum exhiberi alicui Dei Servo non beatificato neque canonizato, atque adeo pro quo nullus militaret ex casibus exceptis in decretis Urbani VIII. in eo facti modo caute procedendo, possent negotium ad Sedem Apostolicam deferre; quæ profecto, nulla prævia signatura Commissionis, nec ulla intercedente Ordinarii sententia, decernere deberet, sit ne perseverandum in ejusdem cultus exhibitione, an ab eadem abstinendum. Quod si dicatur, rem aliter se habuisse in causa S. Liberati de Lauro, utpote in qua & responsum fuit pro signatura Commissionis, & minime defuit sententia Ordinarii, quamvis ageretur de cultu tantum non amovendo: reponi nihilominus potest, ea postea in causa re vera nunquam signatam fuisse eamdem Commissionem, mandatum etiamsi fuerit nonnullas ob rationes alibi referendas, ut signaretur; sacram quoque Congregationem tunc cognovisse, non esse absolute & simpliciter necessariam ipsam Commissionis signaturam, quando agitur solum de cultu non amovendo, absque intentione progrediendi ad ulteriora, hoc est ad Canonizationem; injunctum item fuisse Ordinario, ut processum conficeret, quo ejus jurisdictio excitaretur, quippe cujus exercitium non erat necessarium, cum dubitaretur, an cultus S. Liberati de Lauro non beatificati neque Canonizati esset inter casus ab Urbano VIII. excepros; latam demum fuisse sententiam ab Ordinario super cultu immemorabili, quod ipsi ex antea dictis facere licet; at eam tamen a sacra Congregatione minime confirmatam fuisse, cum tantummodo, nihil esse innovandum, responderit: siquidem juxta doctrinam Mattæ paulo ante expositam Ordinarii sententia super cultu immemorabili nulla indiget confirmatione Apostolica, quando non agitur de Canonizatione impetranda, sed de cultu tantum non removendo.

CAPUT DECIMUMOCTAVUM.

In quo antea dicta comprobantur exemplis.

1. INNUMERA porro præsto essent exempla, quibus, quæ hucusque dicta sunt, confirmari possent: verum nonnulla tantum indicasse sat erit, quæ ex Anconitana diœcesi colligere licet, necnon ex Bononiensi, ad cujus regimen ab Anconitana translati olim fueramus.

2. In Cathedrali Anconitana ecclesia magna in capsa reconditum est corpus S. Liberii seu Oliverii, qui est inter Anconæ Patronos, cujusque meminerunt Petrus Galesinius *in Martyrol.* Petrus Equilinus *in cat. lib. 11. cap. 155.* & Ferrarius *in cat. SS. qui in Martyrol. Rom. non sunt, ad diem 27. Maji.* Acta quædam apocrypha referunt, Joannem Armeniæ Regem potentissimum, cui in ipsa Armenia parebant viginti quatuor Reges diademate coronati, prælio victum fuisse; Liberium autem ejus filium tunc aufugisse, ut sepulcrum Domini, Apostolorum Petri & Pauli, & S. Jacobi visitaret; quare a nonnullis peregrinis Armeniis Romam petentibus prope Anconam deprehensum fuisse, ubi eremitidem vitam elegerat, & ubi statim magna infirmitate correptus, Cruciferorum habitu, pie in Domino obiit, & post obitum miraculis claruit. Aliquos hinc ex peregrinis ad corporis custodiam remansisse, narrando prosequuntur, at alios Armeniam rediisse, ut Regem de filii interitu certiorem facerent: hunc vero, ea re cognita, supplices preces S. Gregorio Magno adhibuisse, ut cadaver sibi traderetur; sed remente Pontifice, Armenios, qui pro corporis custodia substiterant, sua spe frustratos discessisse, ideoque corpus fuisse conditum in loco, qui hodie dicitur *Penedaria*: demum, postquam Attila Anconitanæ urbis suburbana vastavit, cum subter rudera sanctum corpus diu latuisset, concludunt, Liberium sive Oliverium cuidam Religiosæ feminæ per visum mandasse, ut ab Episcopo Thrasone determinato in loco fieret sui corporis perquisitio; quo invento, & non sine miraculis delato ad sacellum S. Laurentii, quod erat de jure cujusdam Matronæ præpotentis, & totius Piceni dominæ, nomine Maximillæ, fuisse tandem in sacelli loco ædificatam Cathedralem ecclesiam, ubi honorifice corpus ipsum reconditum fuit, & usque in præsens asservatur. Verum mirum est, quot argumentis, quot conjecturis, quotque validissimis probationibus eorumdem Actorum sinceritas impugnetur a Bollandianis *ad diem 27. Maji pag. 728. & seqq. tom. 6.* quorum postea probabilis opinio est, Liberium sive Oliverium filium potius fuisse Haythonis Armeniæ Regis; eumque, quoniam coronari nunquam voluit, assumpto prius Fratrum Minorum habitu, Fratrem Joannem appellatum esse; deinde peregrini specie prope Anconam Gregorii X. tempore occubuisse, ejusque corpus non diu post mortem propter sanctitatis existimationem in novam Cathedralem ecclesiam translatum fuisse: eamque opinionem roborant auctoritate Actorum S. Gerii Patroni Montis Sancti & filii Comitis Lunelli in provincia Occitania, qui sæculo XIII. Romam profectus, & inde Anconam iter instituens, ut, socio sibi adjuncto S. Liberio, ad transmarina loca pergeret, mortuus est, antequam ad eum perveniret. Sanctus hic Liberius seu Oliverius, unus est ex illis, qui nunquam beatificari fuerunt, aut ab Apostolica Sede canonizati. Nihilominus, quia de ejus causa ad Canonizationem promovenda nemo unquam cogitavit, deque ejus cultus antiquitate una cum

virtutum atque miraculorum fama nulla unquam mota fuit controverſia, cultum obtinet in civitate Anconitana ab immemorabili tempore cum Officio, ac Miſſa de communi Confeſſoris non Pontificis, abſque eo quod ſignata unquam fuerit *Commiſſio*, ullave acceſſerit ſuper ipſo immemorabili cultu Ordinariorum ſententia.

3. In eadem Cathedrali eccleſia ad publicam venerationem expoſitum eſt corpus B. Antonii Fatati. Fuit hic Canonicus ejuſdem Cathedralis anno 1431. tum Vicarius Generalis Epiſcopi Senenſis, deinde Commiſſarius Eugenii Papæ IV. pro Decimis colligendis in ditionibus Senenſi, ac Lucenſi, poſtea a Nicolao V. Canonicus baſilicæ Vaticanæ, ejuſdemque baſilicæ Vicarius conſtitutus eſt. Ad hæc elatus ad Epiſcopatum Aprutinum, officium Clerici Cameræ Apoſtolicæ, Quæſtoris, & Gubernatoris Piceni, necnon Conſiliarii Alphonſi Regis Neapolitani laudabiliter exercuit. Ad ſummum autem Pontificatum evecto Pio II. nedum Commiſſarii Generalis in tota Eccleſiaſtica ditione pro Decimis colligendis munere honeſtatus eſt, ſed etiam Epiſcopatu civitatis Anconitanæ, quæ erat ipſius patria. Poſt obitum Pii in ejus Epiſcopali palatio, qui contigit, cum Pius idem Anconam acceſſiſſet pro expeditione, quam paraverat, ut Paläſtinam recuperaret, præterea a Paulo II. Bononiam ille miſſus eſt, ut Quæſtoris Apoſtolici provinciam adminiſtraret: quemadmodum ex authenticis documentis, quæ adhuc extant in archivo Dominorum de Fatatis, pluries ipſe recognovi. Denique ſub Sixto IV. vitam cum morte commutavit anno 1484. & ejus corpus fuit in Cathedrali de more ſepultum. Sed anno 1529. admonitu cujuſdam peregrini, qui ſibi per viſum nuntiatum aſſeruit, corpus in locum honorabiliorem eſſe transferendum, ut civitas liberaretur a peſte, quæ in ea graſſabatur, repoſitum fuit ſub altari, in quo ab antiquo tempore erant Reliquiæ, & in quo Miſſæ celebrabantur; ad quod porro magnus concurſus per continuatam multorum annorum ſeriem factus eſt exhibendæ venerationis cauſa tum Reliquiis, tum ipſi corpori. Circa annum autem 1627. cum Reliquiæ ad novum altare translatæ fuerint, in quo etiamnum collocatæ ſunt, actum pariter fuit de Beati corpore ad idem altare transferendo, ſub eodemque recondendo. Quare conſtructus fuit auctoritate ordinaria proceſſus, in quo plures teſtes ſecundum juris ſolemnitatem examinati depoſuerunt, ſe ſemper vidiſſe corpus B. Antonii ad publicam venerationem expoſitum ſub antiquo Reliquiarum altari, ſuper quod Miſſæ celebrabantur; propriis item oculis conſpexiſſe homines ad illud venerandum accedentes; remque ſic etiam ſe habuiſſe antiquiſſimis temporibus, velut ipſi a ſuis Majoribus audiverant. Verum, Epiſcopo Luchio, qui tunc Anconitanæ Eccleſiæ præerat, moras nectente, res eadem tandem ſic compoſita fuit, ut corpus, ubi erat, remaneret, nec ejus fieret translatio ad recens altare: at conſtructo tamen novo ſepulcro ſupra terram elato, in quo corpus ipſum integrum adhuc manet indutum Epiſcopalibus veſtibus, & ad omnium conſpectum expoſitum, qui ad ejus interceſſionem paſſim confugiunt, ut a Domino Deo gratias conſequantur. Nempe Beatus quoque Antonius Fatatus nunquam fuit beatificatus, aut ab Apoſtolica Sede canonizatus, nec unquam de ejus cauſa ad Canonizationem introducenda cogitatum fuit: attamen, cum ex proceſſu conſtet de ejus cultu immemorabili, neque deſit fama virtutum ac miraculorum, conſentientibus Ordinariis, manet in poſſeſſione ſui cultus.

4. In eccleſia Fratrum Minorum Obſervantium S. Franciſci ejuſdem civitatis Anconitanæ publice pariter colendum proſtat in ſepulcro ſupra terram elato cadaver adhuc integrum B. Gabrielis Ferretti eumdem Ordinem profeſſi, quod, accenſis luminibus, iis oſtenditur, qui videre cupiunt. Mortuus ipſe Gabriel eſt anno 1456. de cujus virtutibus ac miraculis plura habentur apud Gonzagam, Marcum Ulyſſiponenſem, Arturum *in Martyrol.* Wadingum *ad ann.* 1456. *tom.* 12. & Julianum Saracenum *in hiſtor. civit. Anconit.* In ejus autem obitu S. Jacobum de Marchia honorarium ſermonem habuiſſe; tum ab excitatis miraculorum frequentia Anconitanis civibus Legatos ad Calliſtum III. miſſos fuiſſe, ut inquiſitionem de eo Apoſtolicam mandaret; qua commiſſa prædicto S. Jacobo, hunc adhibitis Notariis, probatiſque teſtibus, proceſſum conſtruxiſſe, quem ad Pontificem detulit, relicto Fratribus Anconitanis authentico exemplari, tradunt citatus Gonzaga *de orig. Seraphicæ Relig. part.* 2. *pag.* 195. poſt eum Auditores Rotæ *in relat. cauſæ S. Jacobi de Marchia tit. de Auctoribus*, *qui de eo in ſcriptis mentionem fecerunt*, necnon Caſtellinus *de certitud. glor. SS. cap.* 2. *punct.* 39. Etſi proceſſus iſte, ex quo etiam Wadingus miracula quædam deſumpſit in ſuis annalibus relata, nec Romæ, nec Anconæ, diligentiis licet adhibitis, adhuc potuit inveniri. Fertur inſuper, ſororem B. Gabrielis a Calliſto bullam impetraſſe, ut ad nobilius ſepulcrum fratris corpus tranſportaretur; quemadmodum habet modo memoratus Wadindus, qui ex Gonzaga quoque narrat, eamdem bullam in archivo Anconitano aſſervari. Sed, præterquamquod nec ipſa hæc bulla unquam eſt reperta, adſunt etiam litteræ Apoſtolicæ Innocentii VIII. inſcriptæ Fratribus Ordinis Minorum de Obſervantia S. Franciſci de Ancona, quas ipſe autographas inveni, & iiſdem Religioſis credidi, quæ ita conceptæ ſunt: *Innocentius Papa VIII. Dilecti filii, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Deſideratis, uti nobis exponi nuper feciſtis, corpus Gabrielis Ordinis Minorum de Obſervantia in eccleſia veſtra reconditum, cujus meritis & interceſſione Altiſſimus nonnulla ibi in dies dicitur operari, pro augenda Chriſtifidelium devotione e loco, ubi reconditum eſt, exhumari facere, & in marmoreo ſepulcro, quod ad hoc ipſum conſtrui feciſtis, condere, nobiſque humiliter ſupplicaſtis, dignaremur vobis licentiam deſuper concedere. Nos hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, ut corpus ſeu oſſa ejuſdem Gabrielis e loco, ubi reconditum eſt, exhumari & in dicto ſepulcro ſine aliqua ſolemnitate recondi facere poſſitis & valeatis, licentiam & facultatem vobis concedimus per præſentes, non obſtantibus Conſtitutionibus &c.* Datæ ſunt hæ litteræ Apoſtolicæ anno 1489. & cum in eis nullum fiat verbum præcedentis idem corpus transferendi aſſertæ facultatis a Calliſto III. conceſſæ, de hujus veritate maximopere dubitandum eſt. Utcumque tamen hæc ſint, cum, aperta parva feneſtella die 11. Novembris, quo Beati ejuſdem Feſtum in eccleſia Fratrum celebratur, corpus ipſum ad omnium venerationem exponatur (quemadmodum etiam, data occaſione, fit aliis anni diebus, prout antea dictum eſt) necnon pius ſemper acceſſus ad ejus ſepulcrum ſit, ejuſque veſtis decenter in ſacrario conſervetur, atque ad ægrotos deferatur; & hæc omnia facta ſint & fiant ab immemorabili tempore: hic quoque B. Gabriel unus eſt ex illis, qui minime beatificati fuerunt, aut ab Apoſtolica Sede canonizati, de cujus licet cauſa Canonizationis gratia reſumenda poſt Calliſti III. tempora nunquam actum fuerit, conſentientibus nihilominus Ordinariis, abſque eo quod ulla acceſſerit de caſu excepto ſententia, permanet in poſſeſſione cultus, coerciti tamen & limitati intra fines, quibus ei fuit exhibitus a tempore immemorabili.

5. Similiter in Metropolitana eccleſia Bononienſi ſepultum eſt corpus B. Ludovici Morbioli, cujus Imago publicæ venerationi ibidem expoſita eſt, etſi minime collocata ſuper altari, in quo Miſſa celebretur. Imago votivis tabellis circumdatur, & ante eam candelæ cultus gratia accenduntur; necnon die obitus anniverſaria nonnulla feſti ſigna Beato exhibentur, poſitis circum eamdem Imaginem quibuſdam ornamentis, majorique cereorum numero ante ipſam accenſo; quamvis ceteroquin in ejus Beati honorem nec Officium recitetur, neque Miſſa celebretur.

6. A latere ſiniſtro extra eccleſiæ portam, palatium Archiepiſcopale verſus, in lapide marmoreo & literis auratis ſequens etiam extat elogium.

BEATO LUDOVICO MORBIOLO BONONIENSI,
Viro vitæ ſanctimonia admirabili, morum integritate, miraculorum claritate illuſtri,
Cujus inclita facta Baptiſta Mantuanus luculento carmine proſecutus eſt.
Vix. An. LII. Obiit V. Non. Novemb.
CIↃCCCCLXXX.
Chriſtum dilexi, fovit me denique Chriſtus.
Quæſivi Chriſtum, Chriſtus & ecce mihi.

7. Baptiſta itaque Mantuanus Carmelita in ſupradicto elogio allegatus hæc *tom.* 2. *oper.* cecinit de B. Ludovico Morbiolo.

Luſtra decem vitæ, binoſque peregerat annos:
Hæc fuit humanæ meta ſuprema viæ.
Ante fores Petri gelidam converſus in Arctos
Eſt locus antiquæ religionis opus.
Hic jacuit primum; poſt ſex a funere menſes
Erutus, & magna conditus æde fuit.
Hic nova concurſu fiunt miracula magno,
Votaque dat ſacro Felſina tota loco.

Qui

Qui venit ægrotans, redit ad sua limina liber;
Et miseros homines ossa sepulta juvant.
Loripedes, oculis capti, nodisque podagræ
Divinam illabi testificantur opem.
Summa virum probitas simul, & miracula Sanctum
Esse probant, Fidei si sit habenda fides.

8. Sed ejusdem Beati sanctitatis & miraculorum cum laude meminerunt etiam Sigonius *de Episcopis Bononiensibus lib. 4. in vita Philippi Calandrini*, Philippus Ferrarius *in catal. SS. qui non sunt descripti in Martyrol. Rom.* Gabriel Cardinalis Palæotus *in catal. SS. & BB. Bononiensium ad calcem libri Archiepiscopalis Bononiæ*, Pompejus Vizanus *in histor. Bononiæ lib. 8.* Gaspar Bombacius *in sacr. memor. Bononiensium fama sanctitatis illustrium*, Antonius Masinius *in Bononia perlustrata*, Jo. Franciscus Niger *in annalibus MSS. ad ann.* 1485. Post edita autem Urbani VIII. decreta, instantibus Canonicis & Capitulo ecclesiæ Metropolitanæ Bononiensis, clar. mem. Cardinalis Hieronymus Boncompagnus Bononiæ Archiepiscopus auctoritate sua ordinaria confici jussit processum super fama Beati ipsius Ludovici virtutum & miraculorum, necnon super cultu ejus immemorabili, ut ab Apostolica Sede obtineri possit ejusdem Canonizatio. Qui quidem processus etsi inchoatus tantum fuit, nunquam vero perfectus, nec ulla postmodum vel a prædicto Cardinali Hieronymo, vel ab alio ejus successore lata est de cultu immemorabili sententia; quia tamen de ipsa cultus antiquitate nullus unquam dubitavit, permanet ille in sui cultus possessione, nec ulla de eo mota est aut movetur controversia.

9. In Ecclesia Canonicorum Lateranensium ejusdem civitatis Bononiæ, quæ est sub invocatione S. Joannis in Monte, sacellum extat Dominorum de Bentivolis extructum in honorem S. Cæciliæ, ubi sepultum est corpus B. Helenæ ab Oleo Virginis Bononiensis. Petrus Lucensis Canonicus Regularis Lateranensis Ordinis vitam hujus Virginis & egregia ejus facinora conscripsit: fuerat enim rector conscientiæ & *Confessarius* ejusdem, sicuti desumere est ex fine citatæ vitæ ab ipso exaratæ; quæ tamen nunquam typis est edita, sed asservatur inter manuscripta Mutii Mariæ Grati Metropolitanæ Bononiensis Canonici. Scriptor quoque anonymus, sed synchronus longiori stylo vitam hujus B. Helenæ persecutus est, necnon concursum ad ejus tumulum, & subsecuta prodigia ac miracula. Eadem pariter recensentur apud Scriptores rerum Bononiensium, Comitem nempe Carolum Bentivolum *in compendio vitæ nostræ Beatæ edito Bononiæ anno* 1651. Pompejum Vizanum *in histor. Bononiæ lib. 10.* Celsum Phaleonium Canonicum Regularem *in memoriis historicis Episcoporum Bononiæ*, Gasparem Bombacium *in sacris memoriis hominum Bononiensium sanctitate illustrium*, & Antonium Masinium *in Bononia perlustrata*: præterquamquod *in catal. SS. & BB. Bononiensium evulgato post Archiepiscopalem librum* Cardinalis Gabrielis Palæoti descriptum est B. Helenæ ab Oleo nomen.

10. Mortua autem est Beata hæc Helena anno 1520. die 23. Septembris; a quo tempore usque in præsens, scientibus & neutiquam repugnantibus Ordinariis, publicus eidem cultus exhibitus est. Non solum enim Beata passim est appellata, ejusque Imago cum radiis aut splendoribus depicta; verum etiam die ejusdem festo capsa, in qua reconditum est ipsius corpus, aperitur, atque ad populi venerationem exponitur. Appensa quoque semper fuerunt ad ejus sepulcrum signa pro gratiis ejus intercessione a Deo collatis: quocirca Petrus Aretinus Auctor Beatæ ipsi contemporaneus *pag. 103. part. 1. giornata 2. de' suoi ragionamenti* sic scribit: *Ed in un anno vi si attaccò più ceri, più vesti, più camiciuole, e più tavolette, che non sono intorno alla sepoltura di Santa Beata Lena dall' Olio a Bologna.* Enimvero auctus adeo est subinde donariorum argenteorum numerus, ut anno 1695. facta restauratione sacelli, in quo beatum corpus conditum est, expedire visum fuerit ea conflare, & in sacram argenteam supellectilem convertere. Non recitatur quidem in ejus honorem Officium, nec Missa celebratur; sed ab obitus tempore usque adhuc peractum est ac peragitur die ejusdem anniversaria festum cum peculiari apparatu & prævia in signum celebritatis habendæ æris Campani pulsatione. Causa tamen Beatificationis & Canonizationis hujus Beatæ nunquam introducta est, nec ullus unquam confectus fuit processus ab Ordinariis super ejus cultu immemorabili seu annorum centum ante edita Urbani VIII. decreta: tametsi, cum de hujus antiquitate nulla unquam excitata fuerit controversia, necnon Episcopi pro tempore (sicuti dictum est) sciverint & approbaverint prædicti publici cultus exhibitionem, perstat Beata hæcce in ejus possessione.

11. Cum anno 1125. Martinus Prior Generalis Ordinis Calmadulensis in loco, qui dicitur *Stifonte*, aut *Settefonti*, ad octavum a Bononia lapidem monasterium ædificasset pro Monialibus sui Ordinis, quædam Lucia, instante fine sæculi XII. & Bononiensem Ecclesiam gubernante Gerardo II. in idem monasterium recepta mira sanctitatis laude floruit, & paulo post ejusdem Gerardi obitum pie in Domino occubuit.

12. Hæc Virgo erat Bononiensis, cujus cognomen ignoratur; de qua Ven. Ambrosius Camaldulensis, qui prædicti Ordinis Generalis Prior renuntiatus est anno 1431. ubi in suo itinerario refert, se prædictum monasterium visitasse, quod appellabatur S. Christinæ, hæc habet: *Monasterium S. Christinæ vetustum conspeximus. Ibi conditum est S. Luciæ corpus. Ejus cum vitam legere vehementer cuperemus, nullam adesse scriptam comperimus. Erat hoc celebre illius, vulgatumque miraculum. Adamaverat illam quippe speciosissimam juvenis nobilis, adibatque frequens monasterium visendæ ejus gratia. Id ubi advertit Virgo pudicissima, fenestra damnata, sese intra cellulæ secreta continuit, Patri, qui in abscondito videt, placere desiderans. Juvenis amore ebrius, cum spem omnem ejus potiundi sibi sublatam cerneret, desperatione victus, sese ad remotiores barbarasque nationes contulit. Interea Virgo felix migravit ad Dominum, cum juvenis a Saracenis captus Fidem negare, aut mortem oppetere cogebatur. Inclusus carcere & compedibus vinctus, ut solet intellectum auditui dare vexatio, recordatus est Luciæ sacratissimæ Virginis, compunctusque corde: Ob (inquit) Lucia Virgo Christi, si quid apud Deum prævales, adjuva me atque his necessitatibus libera. In his verbis somno corripitur: expergefactusque prope monasterium ferme ad jactum lapidis, vinctus compedibus, consueti signi sonum haurit auribus. Apparuit illi per visum Virgo Christi; & ille ad ejus aspectum admirans, Vivis ne (inquit) Lucia? Et illa. Vivo veram vitam, ait: Vade, & compedes istas ad sepulcrum meum defer, Deoque gratias age, qui te de imminenti periculo liberavit. Paruit ille jussis. Eas nos compedes vidimus; neque desunt, qui asseverent, eas nulla unquam ratione potuisse divelli.* Quæ etiam ex eodem Ven. Ambrosio scribunt Augustinus Florentinus Camaldulensis *in historia sui Ordinis lib. 2. cap. 6.* & Carolus Sigonius *oper. tom. 3. in histor. Episc. Bonon. lib. 2. in vita Gerardi.*

13. Ipsum hujus B. Luciæ corpus in memorata ecclesia S. Christinæ Castri Stifontis, seu Septem Fontium conditum testatur insuper Cherubinus Ghirardaccius *part. 1. lib. 3. histor. Bononien.* Jo. autem Franciscus Niger *in annal. Bononiensibus mss.* qui asservantur in bibliotheca Instituti scientiarum illius civitatis, *ad annum* 1198. non modo miraculum prædictum refert, verum etiam narrat, ecclesiam præfatam non amplius retinuisse nomen S. Christinæ, sed huic subrogatum fuisse nomen S. Luciæ; postea *ad annum* 1573. exponit, beati corporis translationem ab eadem ecclesia ad ecclesiam S. Andreæ Ozzani factam fuisse.

14. De hac porro translatione nulla potest esse dubitatio: præmanibus enim habuimus ipsi litteras Apostolicas Gregorii XIII. expeditas anno 1562. per quas eo obtentu, quod immineret ruina ecclesiæ S. Christinæ, seu S. Luciæ, quodque undique in eam convenirent viri facinorosi, ut locali immunitate fruerentur, commisit Ordinario Bononiensi, ut ossa B. Luciæ ad ecclesiam S. Andreæ Ozzani transferret; ipsumque authenticum tractavimus processum constructum ab Angelo Perutio Vicario Cardinalis Gabrielis Palæoti, per quem ipsa ossium B. Luciæ translatio, probandis comprobatis, præscribitur. Confectus fuit hic processus anno 1572. anno autem sequenti translatio est ad effectum perducta, & ideo in Actis subsequentium Ecclesiæ S. Andreæ Ozzani visitationum, quarum altera facta est anno 1599. a Cardinali Gabriele Palæoto, altera anno 1632. a Cardinali Columna Archiepiscopis Bononiæ, legitur sacra ossa P. Luciæ eadem in ecclesia prope altare majus esse collocata.

15. Verum prope ipsum altare majus sacra hæc ossa non permanserunt, nisi ad annum usque 1642. quo nempe tempore facta est alia eorum translatio ad sacellum ejusdem Ecclesiæ in cornu Evangelii, compositæque sunt ipsæ. Reliquiæ in ligneo tabernaculo cæruleo colore auroque picto cum hac inscriptione: *Hic jacet corpus*

B. Lu-

B. Luciæ Virginis Stifontinæ ex primariis primæ mulieribus, quæ Moniales Camaldulenſes S. Chriſtinæ inſtituere, anno Domini 1025. *tranſlatum* 1642. Et beatum corpus ibi etiamnum ſumma religione colitur, confluentibus undique Fidelibus, qui præſentem ejus opem ſibi adfuiſſe variis in periculis prædicant, oblatis tabellis donariiſque quampluribus, quibus ſacellum idem ornatum apparet. Nullus vero ſuper cultu immemorabili hujus Beatæ proceſſus auctoritate ordinaria, ſive Apoſtolica unquam factus eſt; & tamen, ſcientibus minimeque contradicentibus Ordinariis, eadem permanet in poſſeſſione antiqui ſui ac notiſſimi cultus.

16. Demum Beatis hactenus indicatis, quorum corpora coluntur in civitate, aut diœceſi Bononienſi, totidem alios etiam Bononienſes addemus, eoſque in antiqua cultus poſſeſſione eodem modo perſtantes, attamen extra Bononienſem diœceſim conditos; hoc eſt B. Nicolaum Albergatum, B. Archangelum Cannetum, & S. Bononium Abbatem. Anno 1443. in civitate Senenſi pie in Domino defunctus eſt B. Nicolaus Albergatus ex Monacho Carthuſiano Bononiæ Epiſcopus, poſtea Ampliſſimus S. R. E. Cardinalis; & ejus cadaver Florentiam ad monaſterium Carthuſienſe tranſlatum eſt. De quo porro hæc habentur apud S. Antoninum *in chron. part.* 2. *tit.* 15. *cap.* 22. §. 2. *Ex hac Religione* (ſcilicet Carthuſianorum) *aſſumptus ille vir venerabilis Nicolaus nomine Bononienſis ad Epiſcopatum Bononienſem invitus, & poſtea ad Cardinalatum a Martino Papa V. ſemper ſervatis vigorem ſuæ Religionis, ſpeculum ſine macula omnibus Curialibus & Præſidentibus; pater pauperum; inter Principes ſæculi diſſidentes pacis reformator; Schiſmatis impeditor. Demum ſub Eugenio Papa Senis migravit ad Chriſtum ex infirmitate calculi, cui exenterato repertus eſt lapis groſſus ad modum ovi in fundo veſicæ quaſi incarnatus*: & rurſus *part.* 3. *tit.* 22. *cap.* 7. §. 3. ubi egregia ejus facinora exponuntur: *Qui poſtmodum Cardinalis Presbyter a Pontifice creatus, ſicut in Epiſcopatu fuerat Antiſtitum exemplar inſigne, ita in Cardinalatu extitit Cardinalium ſpeculum.* Tres item celeberrimi viri Jacobus Zenus, Poggius Florentinus, & Carolus Sigonius vitam ejus exararunt: tum Frater Georgius Garnefelt Carthuſianus Colonienſis anno 1618. eximios adunavit Scriptores, qui B. Nicolai cum ſanctitatis laude meminerunt. Ejuſdem vita iterum typis edita fuit a Fratre Bonaventura Cavallo ex Ordine Minorum Obſervantium Reformatorum; ut etiam alia nondum evulgata conſcripta fuit anno 1697. ab Archipresbytero Joanne Antonio Victorio. Quod autem attinet ad publicum ei præſtitum cultum, ejus Imago depicta apparet coruſcantibus & ſplendentibus radiis ornata nedum in Carthuſia Bononiæ ac Florentiæ, ſed etiam in toto Ordine, multiſque aliis in eccleſiis, præcipue vero in templis Beatiſſimæ Virginis Mariæ e Libertate, S. Stephani, S. Agnetis Ordinis Prædicatorum, & S. Claræ Ordinis Patrum Capuccinorum. Præterea die 9. Maji, natali videlicet ejuſdem, in eccleſia S. Annæ Patrum Carthuſianorum omnis honor & cultus B. Nicolao defertur, Miſſæque celebrantur, nulla tamen mentione de eo facta. Extat inſuper Bononiæ veneranda quædam triginta trium Sodalitas in honorem vitæ Domini noſtri Jeſu Chriſti annorum inſtituta, & a perſeverantia fauſte denominata, cujus Fratres Crucem, B. Nicolai proprium inſigne, manu geſtantes, vexillo præeunte, in quo depicta eſt Imago Beati, ſingulis primis diebus Dominicis cujuſque menſis inſtructo ſupplici agmine, eccleſiam adeunt Beatiſſimæ Virginis a Divo Luca depictæ, & publica precatione interceſſionem B. Nicolai implorant; itemque quotannis Dominica Septuageſimæ, ſupplicatione peracta, Concionatorem ex Ordine Prædicatorum audiunt B. Nicolai virtutes & laudes enarrantem, tum ad nuper memoratam S. Annæ eccleſiam accedunt, ubi ſolemnis canitur Miſſa, nulla tamen facta commemoratione Beati.

17. Hæc ex ſyngrapha deducta ſunt, quam Canonicus Symeon Santagatha Presbyter Bononienſis ad Bollandianos miſit rogatu Patrum Carthuſiæ Bononiæ, quamque ipſi Bollandiani *ad diem 9. Maji tom.* 2. ediderunt in vita Beati. Sed etiam confectus fuit auctoritate ordinaria proceſſus ſuper fama ejus virtutum & miraculorum, necnon cultu immemorabili, nulla tamen ab Ordinario Bononienſi prolata ſententia; qui ad Urbem quoque miſſus fuit pro introducenda cauſa Canonizationis, dum ibi ipſe morabar, Fideique Promotoris munere fungebar. Verum, etſi ex nonnullorum requiſitorum defectu *Commiſſionis ſignatura* obtineri minime potuit, nullum nihilominus præjudicium publico cultui, cujus poſſeſſionem ab immemorabili tempore Beatus hic noſter tenet, allatum eſt.

18. Item B. Archangelus Cannetus Canonicus Regularis Congregationis Salvatoris mortuus eſt anno 1513. ejuſque corpus adhuc, ut fertur, incorruptum manet ſub altari Beatiſſimæ Virginis Mariæ Reginæ Angelorum in eccleſia S. Ambroſii civitatis Eugubinæ. Mirabilia ejuſdem geſta memorantur & referuntur a Conſtantino Ghino *in natalibus Sanctorum Canonicorum pag.* 23. a Joanne Baptiſta Signio *in libro de Ordine ac ſtatu Canonico lib.* 4. *cap.* 14. a Ludovico Jacobillo *in Sanctis & Beatis Umbriæ tom.* 2. *pag.* 367. a Gaſpare Bombacio *in prima parte Bononienſium ſanctitate illuſtrium pag.* 112. ab Antonio Maſinio *in Bononia perluſtrata part.* 1. a Bollandianis *ad diem 16. Aprilis tom.* 2. *inter prætermiſſos*, a Comite Valerio Zano *in ipſiuſmet Beati vita.*

19. Antiquior etiam vitæ ejus deſcriptio aſſervatur in archivo S. Ambroſii civitatis Eugubinæ, quam inſertam legimus in proceſſum auctoritate ordinaria confectum die 2. Maji 1617. a Michaele Thoma de Sancto Leone Vicario Generali Epiſcopi Eugubini. Authenticum autem iſtius proceſſus exemplar extat Bononiæ in archivo Canonicorum Regularium Salvatoris, in quo multa habentur de ſanctitate vitæ B. Archangeli, de miraculis, de corporis integritate, necnon de antiquo continuatoque cultu: præterquamquod ex ejuſdem lectione deſumitur, proceſſum ipſum fuiſſe confectum, ut exhiberetur Apoſtolicæ Sedi pro Officii recitatione in Beati honorem impetranda. Verum, cum petitio nunquam poſtea propoſita fuerit, nullum quoque in ejus honorem Officium recitatur; etſi in antiqua ac nota cultus poſſeſſione permanet, ſcientibus ac tolerantibus, quin immo approbantibus Ordinariis.

20. Anno autem 1206. obiit S. Bononius Abbas Ordinis S. Benedicti, cujus nomen deſcriptum eſt in catalogo Sanctorum typis impreſſo *poſt Archiepiſcopalem Bononiæ librum*, in catalogo Sanctorum Italiæ, necnon in Martyrologio Romano *ad diem* 30. *Auguſti*. Inſuper ejus geſta recenſentur a Sigonio cum *in hiſtor. de Epiſcopis Bononienſibus*, tum *in hiſtor. Bononiæ*; itemque in hiſtoriis Leandri Alberti, Ghirardaccii, & Bombacii. Antiquiora vero ejuſdem Sancti Acta habentur in archivo Monachorum Benedictinorum abbatiæ S. Stephani civitatis Bononiæ, quæ etiam legi poſſunt apud Surium *ad diem* 30. *Auguſti tom.* 4. ad quem a Carolo Sigonio, mandante Cardinali Palæoto, miſſa fuerunt. Cum his alia acta cohærent, quæ extant in archivo Capituli Cathedralis S. Euſebii Vercellenſis, quorum authenticum exemplar ad nos miſit Eminentiſſ. Cardinalis Ferrerius Vercellarum Epiſcopus; a quo pariter accepimus Officium proprium ipſius Sancti, quod olim in Eccleſia Vercellenſi recitabatur, recitatione ejus omiſſa anno 1575. quo tempore in eadem Eccleſia ritus ceſſavit Euſebianus: tametſi adhuc multa de eodem referuntur in lectionibus propriis officii S. Petri Epiſcopi Vercellenſis. Ita & in litaniis juxta ritum Euſebianum ejuſdem Sancti nomen invocabatur; ut etiam hodie invocatur ſecunda die Rogationum in litaniis, quæ recitantur a Clero Vercellenſi: quin immo in quodam vico diœceſis Hyporegienſis, cui nomen *Settimo Rotaro*, eccleſia Parochialis in honorem ipſius Sancti Deo dicata eſt, in eaque die 30. Auguſti Officium recitatur de communi, quemadmodum & apud Bononienſes efficitur.

21. Hujus porro Sancti exemplum ad rem præſentem re vera minus pertinet; cum publicus cultus eidem delatus ſit, atque adeo deferatur non ſolum ex permiſſione ac tolerantia Ordinariorum, ſed auctoritate etiam Sedis Apoſtolicæ, quæ ejus nomen Romano appoſuit Martyrologio. Addatur, quod, cum is vita deceſſerit ante Alexandri III. tempora, optimo jure contendi poteſt, fuiſſe inter Sanctos relatum juxta ritum antiquiorem. Exemplum tamen ipſum attuliſſe non pœnitet, ſaltem quia confert ad gloriam hujus Sancti noſtri concivis, pro cujus Officii proprii conceſſione, Deo dante, quam primum ſupplicabitur ſacrorum rituum Congregationi.

22. Sancti igitur Bononii exemplum ſimile potius dicendum erit exemplis SS. Marcellini Epiſcopi civitatis Anconæ, Conſtantii Manſionarii eccleſiæ S. Stephani ejuſdem civitatis, Theodori, & Acontii Manſionariorum baſilicæ Vaticanæ, Herculani II. hujus nominis inter Epiſcopos Peruſinos, & Frigdiani Epiſcopi Lucenſis. Horum omnium honorifica mentio habetur apud S. Gregorium *oper. tom.* 2. *lib.* 1. *dial. cap.* 5. *& 6. & lib.* 3. *cap.* 9. 13. 24. *&* 25. necnon ex indultis a ſacra Congregatione in nonnullis eccleſiis, vel, pro ſuo cujuſque reſpectu,

ſpectu, a cœtibus Regularibus Officia cum lectionibus propriis ad eorum honorem recitantur, Miſſæque celebrantur. Item, cum mortui fuerint ante tempora reſervationis cauſarum ſibi factæ ab Apoſtolica Sede, & eorumdem nomina deſcripta ſint in Martyrologio Romano, eorum omnium cultus non in ſola conſiſtit antiquitate, & ſcientia ac tolerantia Epiſcoporum, ſed Apoſtolica inſuper præferet indulta, &, ſi non formalem, ſaltem *æquipollentem* ſanctitatis approbationem ab Apoſtolica ipſa Sede; quæ ſane approbatio ante memoratam cauſarum reſervationem ad Canonizationis gradum pertingebat.

CAPUT DECIMUMNONUM.

De Caſu excepto a decretis Urbani VIII. vel per communem Eccleſiæ conſenſum, vel per Patrum virorumque ſanctorum ſcripta.

1. QUÆ in ſuperiori capite dicta ſunt, prima utique facie ab argumento caſus excepti a decretis Urbani VIII. quod tractandum nobis propoſuimus, aliena videre poſſunt: veruntamen re ipſa non ſunt, ut in progreſſu patebit. Scilicet, cum plures (ut antea monuimus) ſint caſus excepti a prædictis decretis, de omnibus ſingillatim deinceps agendum eſt; nunc quidem de duobus, id eſt de eo, qui exceptus eſt per communem Eccleſiæ conſenſum, deque excepto per Patrum virorumque ſanctorum ſcripta.

2. Caſus itaque exceptus per communem Eccleſiæ conſenſum eſt, non quando aliquis Dei Servus cultum obtinet in particulari quadam Eccleſia, conſentiente hujus Epiſcopo, annuente Clero, & majori parte Fidelium ejuſdem diœceſis ipſum Dei Servum colente; ſed, cum publicum cultum habet, niſi in toto orbe Catholico, ſaltem in majori ejus parte. Vox etenim *Eccleſiæ* in decretis Urbani minime de particulari, ſed de univerſali accipitur Eccleſia, uti perpendit Pignatellus *conſult.* 244. *tom.* 1. & ſequitur Bordonus *controv.* 13. *n.* 46. Ideo vero dictum eſt, caſum hunc exceptum pertinere ad cultum, qui, niſi in omni, majori ſaltem in orbis Catholici parte cuiquam exhibetur, quoniam eadem Urbani decreta cultum exigunt non per univerſalem, nec per univerſalis Eccleſiæ, ſed per communem Eccleſiæ conſenſum: vox ſiquidem *univerſalis*, ſi uſurpata fuiſſet, omnem & quamcumque comprehenderet Eccleſiam. Quamobrem in Dictatu S. Gregorii VII. *can.* 2. apud Chriſtianum Lupum *part.* 4. *CC.* legitur, ſolum Romanum Pontificem jure dici univerſalem, utpote cum nulla ſit in orbe Catholico Eccleſia, quæ ejus auctoritati non ſubjiciatur; & ante S. Gregorium VII. S. Gregorius Magnus Joannem Jejunatorem Epiſcopum Conſtantinopolitanum, qui ſe Œcumenicum Patriarcham nominaverat, in litteris ad Mauritium Imperatorem, ad Conſtantiam Auguſtam, ad Eulogium & Anaſtaſium Epiſcopos, ad Joannem Epiſcopum, & ad Sabinianum Diaconum ſeveriſſime exagitavit, ut videre eſt *tom.* 2. *oper. lib.* 5. *epiſt.* 24. 25. 43. 18. & 19. Ne autem ulla accidat ambiguitas, eorum memoriam repetere juvat, quæ alias dicta ſunt, id eſt, quod Canonizatio antiquitus fiebat, quando, poſt conceſſum ab Epiſcopo cultum alicui Dei Servo, cultus idem paulatim ad alias diœceſes, & demum vel ad univerſam Eccleſiam, vel ad majorem ejus partem extendebatur, conſentiente ſummo Pontifice, juxta morem ac diſciplinam, quæ vigebat ante reſervationem cauſarum Beatificationis & Canonizationis Sedi Apoſtolicæ factam. Nempe, cum de his eo modo canonizatis intelligi nequeat caſus ab Urbani VIII. decretis exceptus, ne ſequatur abſurditas, quod ſemel legitime canonizati iterum canonizentur, ſeu quod inſtituatur examen de eorum virtutibus, Martyrio, aut miraculis, qui in Sanctorum album jam relati ſunt; fateri propterea cogimur, caſum exceptum in decretis Urbani per communem Eccleſiæ conſenſum de illis tantum Dei Servis habendum eſſe, qui poſt factam cauſarum Beatificationis & Canonizationis Sedi Apoſtolicæ reſervationem occubuerunt, publicumque cultum obtinuerunt, ſi non in omni, in majori ſaltem Eccleſiæ parte. Nam, licet hujuſmodi cultus, inſcia Apoſtolica Sede, introduci nequaquam potuiſſet, introductum tamen atque prædicto modo dilatatum, cum fieri id nequeat ſine expreſſo tacitove Epiſcoporum conſenſu, Apoſtolica Sedes eum tolerat, nec amovendum jubet; ſed ubi ad Canonizationem procedendum ſit, tantummodo præcipit, ut per proceſſum ejuſdem probatio fiat, deinde tranſitus ad alia, quæ a ſacris Canonibus præſcribuntur pro ipſa Canonizatione impetranda.

3. Hinc porro factum eſt, ut ab Urbani VIII. tempore uſque in præſens caſus nullus per communem Eccleſiæ conſenſum exceptus fuerit declaratus; quin immo tantum Poſtulatores cauſæ B. Salvatoris ab Horta inſtiterint pro declaratione caſus excepti per communem Eccleſiæ conſenſum: quippe qui pedes figere non poterant in cultu immemorabili, ſiquidem Beatus ille mortuus haud erat centum annis ante citata Urbani decreta. Communem namque ipſi Eccleſiæ conſenſum conſtituebant in erectione altarium, inque aliis publici cultus ſpeciebus, quæ eidem præſtabantur in eccleſiis Fratrum Minorum per univerſum fere Catholicum orbem diſſeminatis. Verum, opponente primum Proſpero Bottinio Archiepiſcopo Myrenſi Fidei Promotore, poſtea me ad idem officium electo oppoſitionem proſequente, quod communis Eccleſiæ conſenſus vere affirmari non poſſet de cultu, qui tantum adhibebatur in eccleſiis Fratrum Minorum exemptis a juriſdictione & viſitatione Epiſcoporum; quodque, ut is ſtatui rite queat, adhibendus videatur in eccleſiis tum Regularium tum Sæcularium, præſertim autem in Cathedralibus majoris ſaltem partis orbis Catholici, uti bene ponderat Scacchus *de not. & ſign. ſanctit. ſect. 9. cap. 6. §. Notandum*; declarationem caſus excepti, ratione habita communis Eccleſiæ conſenſus, eis aſſequi datum non fuit; ſed eam demum obtinuerunt, gratia permiſſionis ſacræ Congregationis, atque Apoſtolicorum indultorum, ut infra videbimus.

4. Quatenus ergo, quod adhuc factum non eſt, temporibus conſecuturis fieri deberet (quod tamen, prout humano ſenſu res æſtimari poteſt, impoſſibile mihi videtur) quia onus eſſet Poſtulatorum probare exhibitionem publici cultus majori in orbis Catholici parte, ideoque in eccleſiis non unius tantum, vel alterius Regularis Inſtituti, ſed in eccleſiis etiam Sæcularium, innumeri fere proceſſus ſuper eadem cultus exhibitione eſſent ab iis propterea comparandi: hæc namque caſus excepti probatio cum per proceſſum fiat, quot ſunt Epiſcoporum diœceſes, in quibus factam aſſererent publici cultus exhibitionem, tot ſane eſſe deberent proceſſus; vel, quatenus unum ſolummodo eligeret Epiſcopum pro confectione proceſſus, quia ad eum ſaltem (ut alibi patebit) mittenda eſſent ab aliis Epiſcopis authentica monumenta de cultu, qui in unaquaque eorum diœceſi adhiberetur, ex horum monumentorum congerie intolerabilis propemodum evaderet ejuſmodi proceſſus. Præterquamquod cauſæ haud ſatis eſſet, ut Poſtulatores oſtenderent cultum in majori orbis Catholici parte præterito tantum tempore adhibitum; ſed & oſtendendus eſſet eo etiam adhiberi, & quidem in majori pariter orbis Catholici parte, quo ipſa petitur caſus excepti approbatio; tum quia Urbanus in ſuis decretis utitur verbo temporis præſentis, *coluntur*; tum quia incongruum omnino foret, ſi cultus approbaretur, qui præterito viguit, non autem eo viget tempore, quo petitur ejus approbatio. Quibus denique ſi quis addat, quod, cum in decretis Urbani minime explicitum ſit tempus, quo cultus per communem Eccleſiæ conſenſum initium habuiſſe debet, diſputari proinde poſſet, utrum receptiſſimi cultus eſſet habenda ratio, an ſaltem cœpiſſe deberet ante annos quadraginta, vel a die obitus Servi Dei. Nemo profecto non videt inextricabiles, quæ in hac facti ſpecie excitarentur, difficultates, quarum cauſa ſicuti nunquam antea fuit, ita & poſthac futura forte nunquam eſt ſine obice ipſa caſus per communem Eccleſiæ conſenſum excepti declaratio.

5. Similis caſui excepto per communem Eccleſiæ conſenſum eſt caſus exceptus per Patrum & virorum ſanctorum ſcripta. A tempore ſiquidem Urbani VIII. quo judicium incepit de caſibus exceptis, uſque ad præſens de iſto etiam nulla unquam a ſacrorum rituum Congregatione facta eſt declaratio ſeparatim ab alia ratione, hoc eſt a cultu immemorabili, qui ſolus & ſine alius rei adjutorio caſum conſtituit ab Urbani VIII. decretis

exce-

exceptum. In eadem ſcilicet ſacrorum rituum Congregatione nonnullæ diſputatæ ſane ſunt cauſæ ſuper caſu excepto, in quibus viri ſancti laudabile de Servis Dei teſtimonium perhibuerant; ut cauſa B. Ollegarii, ubi allata ſunt teſtimonia SS. Bernardi, & Vincentii Ferrerii; cauſa S. Catharinæ Fliſcæ Adurnæ, ubi teſtimonium allatum eſt S. Franciſci Saleſii; cauſa Servorum Dei Martyrum Fratris Joannis Sacerdotis, & Petri Laici Ordinis Minorum S. Franciſci; & cauſa B. Gregorii X. quibus favebat teſtimonium S. Antonini Archiepiſcopi Florentini, velut infra demonſtrabimus: verum, quoniam Poſtulatores præcipuum momentum conſtituerunt in cultu immemorabili, ſacra Congregatio, non ratione ſcriptorum a ſanctis viris editorum, ſed ratione cultus immemorabilis ad caſus excepti declarationem demum proceſſit. Sola autem adeſt cauſa S. Agnetis de Monte Politiano, ubi, cum ageretur de caſu ab Urbani VIII. decretis excepto, quoniam lata erat a Cardinali Urbis Vicario ſententia, qua pronuntiaverat, cultum publicum & venerationem eidem exhibitam fuiſſe, necnon exhiberi ex conceſſione atque indultis ab Apoſtolica Sede ſummiſque Pontificibus, accedentibus etiam ſcriptis Patrum virorumque ſanctorum; etſi ipſe tanquam Fidei Promotor oppoſui, quod ſententia eadem confirmaretur non abſolute & ſimpliciter, ſed reſtricte tantum, id eſt quoad Apoſtolica indulta, quæ erant certa & indubitata, non ſimul vero quoad ſcripta Patrum & virorum ſanctorum; re tamen ſerio diſcuſſa, prodiit reſolutio ipſam Cardinalis Vicarii ſententiam in omnibus confirmans: *Cenſuit, conſtare de caſu excepto, & ſententiam Eminentiſs. Cardinalis Vicarii eſſe confirmandam, ſi Sanctiſſimo Domino noſtro viſum fuerit: Die* 3. *Februarii* 1714. *Factaque deinde per me Proſecretarium de prædictis Sanctiſſimo Domino noſtro relatione, Sanctitas ſua benigne annuit: Die* 14. *ejuſdem menſis & anni* 1714. Patrum vero virorumque ſanctorum ſcripta, quorum mentio facta fuit in ſententia Cardinalis Vicarii, erant nonnullæ epiſtolæ S. Catharinæ Senenſis, & ſignanter *centeſima ſexageſima ſeptima in libro antiquo epiſtolarum ejuſdem*, itemque teſtimonium S. Antonini 3. *part. hiſtor. tit.* 23. *cap.* 13. §. 3. *pag.* 689. ubi ſic loquitur: *In Monte Politiano diſtrictus Florentini unum monaſterium, ubi quieſcit B. Agnes Soror dicti monaſterii, quæ ſanctitate & miraculis claruit.*

6. Quod ſi aliquando eventus daretur, qui hucuſque nunquam ſe obtulit, ut approbatio caſus excepti per Patrum & virorum ſanctorum ſcripta ſeorſum a cultu immemorabili, vel ab indultis Apoſtolicis peteretur; plura profecto a ſacrorum rituum Congregatione ſtatuenda, & a Poſtulatoribus pro ipſa ejuſdem caſus excepti approbatione dicto modo inſtantibus peragenda forent. In primis namque ſtatuendum eſſet, quid in toties citatis decretis veniat nomine *Patrum*. Eccleſiæ enim Patres, ſevere loquendo, illi ſolummodo dici poſſunt, quos ob eminentem doctrinam, inſignem vitæ ſanctitatem, & ſufficientem antiquitatem uti tales agnovit, atque adeo ſive tacite ſive expreſſe ipſa declaravit Eccleſia; quamobrem S. Bernardus poſtremus Patrum appellatur, quemadmodum docet Petrus Annatus *in appar. lib.* 4. *art.* 2. *per tot.* Quapropter caſus exceptus per Patrum & ſanctorum virorum ſcripta ad illos tantum Dei Servos contrahendus eſſe videtur, qui mortui ſunt, antequam Sedes Apoſtolica ſibi Beatificationis atque Canonizationis cauſas reſervaſſet: ſicuti hoc ſuper argumento tradit Scacchus *de not. & ſign. ſanct. ſect.* 1. *c.* 7. *pag.* 83. Cui concors eſt Bordon. *contr.* 13. *n.* 46. ubi inquit, de ſenſu decretorum Urbani VIII. credendum eſſe ſcriptis ſanctorum Patrum circa vitas & geſta aliorum Sanctorum, etiamſi iſti ab Apoſtolica Sede canonizati non fuerunt, juxta textum *in can. Sancta Romana Eccleſia diſt.* 15. *Item vitas Patrum Pauli, Antonii, Hilarionis, & omnium Eremitarum, quas tamen vir beatiſſimus ſcripſit Hieronymus, cum omni honore ſuſcipimus.* Attamen ab his diſſentit Pignatellus *conſult.* 244. *tom.* 1. *num.* 9. *Nec ideo dicta decreta diſcretive excipientia illos, qui per Patrum virorumque ſanctorum ſcripta loquuntur, reſtringenda ſunt ad eos, qui obdormiverunt ante tempora Alexandri III. quive Sancti nomen promerentur.* Cujus Auctoris ſenſus eſſe videtur, caſum exceptum per Patrum virorumque ſanctorum ſcripta tum eos complecti, qui ante, tum qui poſt reſervationem harum cauſarum Sedi Apoſtolicæ factam occubuerunt. Sed his aliiſque hujuſmodi propoſitionibus primum videtur objici poſſe, quod, cum caſus exceptus per Patrum etiam & virorum ſanctorum ſcripta in cauſa S. Agnetis (uti dictum eſt) approbatus fuerit, etiamſi nec ipſa, nec Sancta Catharina Senenſis, Sanctuſve Antoninus, quorum dictis ipſa excepti caſus approbatio adhæſit, ex hac vita migraverint ante tempora ſæpe dictæ reſervationis; ſequitur, *mentem* ſacræ Congregationis non eſſe, ut hæc caſus excepti approbatio eos tantum reſpiciat, qui ante tempus illud obierunt, atque adeo pro intelligentia decretorum nomen *Patrum* non eſſe ſtricte, ſed laxe accipiendum, ita ut adhibitum dici debeat ad ſignificandos omnes indiſcriminatim ſanctos viros, qui laudabile de iis Dei Servis teſtimonium perhibuerint, de quorum caſu excepto diſputandum occurrat. Deinde vero, ſervato ſemper themate, quod approbatio caſus excepti, de qua nunc loquimur, ad ulteriora tendat, atque ad Canonizationem ducat, obſtare prædictis poſſet; quod, ſi caſus exceptus per Patrum & virorum ſanctorum ſcripta eos etiam indefinite reſpiceret pie mortuos ante reſervationis tempus, de quibus ſancti viri judicium tulerunt eorum vitas deſcribendo, magna hinc ſequeretur abſurditas: ſequeretur enim agi poſſe de Canonizatione SS. Pauli, Antonii, Hilarionis, aliorumque Eremitarum, quorum vitas (ut vidimus) oratione conſecratus eſt S. Hieronymus; tum etiam SS. Caſſii Narnienſis Epiſcopi, Conſtantii Aquinatis Epiſcopi, Cerbonii Epiſcopi Populoniæ, Iſaac Eremitæ, de quibus, præter alios ſupra memoratos, plura habentur apud S. Gregorium *tom.* 2. *lib.* 3. *dial. cap.* 8. *c.* 11. & 24. necnon S. Alypii Tagaſtenſis Epiſcopi, cujus virtutes plurimum commendat S. Auguſtinus *tom.* 1. *oper. lib.* 6. *confeſſ. a cap.* 7. *uſque ad* 10. & *lib.* 9. *c.* 4. & 5. *uſque ad* 11. item *tom.* 7. *lib.* 22. *de civ. Dei cap.* 8. *num.* 3. demum *tom.* 10. *lib.* 1. *contra duas epiſtolas Pelagianorum* (quod idem etiam facit S. Paulinus *ep.* 35. *ad Alypium*) item *ep.* 147. *ad Proculejanum*, 169. *ad Euſebium*, & 36. *ad Caſulanum, quæ ſunt inter epiſtolas S. Auguſtini tom.* 2. *oper.* & denique tot aliorum, quorum vitæ conſcriptæ fuerunt a S. Hieronymo *in Epiſtolis*, a S. Gregorio Turonenſi *de gloria Martyrum & Confeſſorum*, a Venerabili Beda *tom.* 3. *oper.* atque a S. Antonino *in ſumma hiſtor.* Ad has igitur controverſias, &, quæ eas conſequuntur, abſurditates evitandas, in ipſo rei eventu non modo a ſacrorum rituum Congregatione ſolemniter explicandum eſſet, an Urbani decreta comprehendant Dei Servos titulo Beati aut Sancti decoratos, de quorum virtutibus miraculis, & cultu teſtimonia defumuntur ex ſcriptis virorum ſanctorum ante reſervationem cauſarum Sedi Apoſtolicæ factam; verum etiam hi ipſi ſolemniter excipiendi eſſent, qui mortui ante tempora reſervationis ejuſdem, & memorati in ſcriptis virorum ſanctorum, Canonizationis honores conſecuti ſunt per extremum ſanctæ Sedis decretum, eo modo, qui in more poſitus erat ante cauſarum reſervationem ſoli Apoſtolico judicio factam. Inſuper, ut ulterius hac in re procedamus, ſi juxta litteram decretorum, pro firmando caſu ab ipſis Urbani VIII. decretis excepto per ſcripta Patrum virorumque ſanctorum, neceſſe eſt, ut Servi Dei, ſeu Beati cultum habeant; omnino ſimul neceſſario ſtatuendum eſſe videretur, quod adhuc conſtitutum non fuit, ejuſdem cultus initium; utrum videlicet præceſſiſſe debeant tempus decretorum annis triginta vel quadraginta, an ea potius cœpiſſe tempore, quo Patres virique ſancti de eorum, quorum caſus diſputatur, virtutibus miraculiſque ſcripſerunt: niſi forte determinare oporteret, cultum ipſum debere eſſe introductum ante tempora, quibus Patres virique ſancti ſcribunt, adeo ut eorum ſcripta ad id utique conferant, ut cultus jam introductus firmus ratuſque fiat, minime vero, ut introducatur. Quæ poſtrema aſſertio conſona videtur menti bon. mem. Proſperi Bottinii Archiepiſcopi Myrenſis, meique meritiſſimi anteceſſoris in Fidei Promotoris officio; qui, cum ageretur de caſu excepto infra memorando Servorum Dei, ſeu Beatorum Joannis de Peruſio, & Petri de Saxoferrato, proindeque a Poſtulatoribus S. Antonini teſtimonium adduceretur de eorum morte pro Chriſto ſuſcepta, ſit inquit: *Quartum documentum ex chronicis S. Antonini profertur. Verum in dicta chronica minime vocantur Beati ſeu Sancti, neque ex relatis in eadem reſultat aliquod ſignum publici cultus & venerationis erga ipſos. Quod ſi concurreret, utique hoc unicum teſtimonium S. Antonini ſatis eſſet ad ſuſtinendum, hanc cauſam verſari in caſu excepto ex lege decretorum generalium per Patrum virorumque ſanctorum ſcripta.*

7. Ad Poſtulatores poſtea quod attinet, quotieſcumque ab iis petenda foret approbatio caſus excepti per Patrum atque virorum ſanctorum ſcripta ſeparatim a cultu immemorabili, præter conſtructionem proceſſus auctoritate ordinaria ſuper fama virtutum, aut Martyrii,

tyrii, & signorum seu miraculorum, comparari adhuc ab iisdem deberet processus auctoritate ordinaria, vel Apostolica tum *remissorialis*, tum *compulsorialis*. *Remissorialis* quidem pro testibus examinandis super actuali publici cultus existentia: dedeceret enim (sicut antea diximus) proponere casum exceptum super cultu alicujus Dei Servi, vel Beati, qui vel nunquam ei fuerit adhibitus, vel, si adhibitus, minime tamen eo tempore, quo petitur ejusdem approbatio. *Compulsorialis* vero, ut in judicium compellantur scripta Patrum & virorum sanctorum, aliaque monumenta cultum probantia a tempore per sacram Congregationem, uti supra, statuendo: quæ porro scripta, præter consuetam Judicis ordinarii, vel delegati sententiam, hujusque confirmationem ab Apostolica Sede impetrandam, exhibenda & producenda viderentur sequentibus adjunctis vallata.

8. Primum, quod eadem scripta loquantur de Dei Servis jam vita functis, non autem adhuc viventibus; quia, quoad vivunt, possunt de bonis in malos verti: & ideo ad rem optime suggerit de S. Francisco de Paula adhuc vivente, quem indicat nomine Fratris Roberti, Philippus de Comines *de rebus gestis Ludov. XI. & Carol. VIII. Reg. Gall. lib. 6. cap. 8. Inter viros habitos sanctimonia celebres unus erat in Calabria nomine Frater Robertus, quem omnes appellare consueverunt virum sanctum. Hunc ad se arcessivit Rex* (Ludovicus IX.) ..... *Deinde Romam transivit, ubi honorifice habitus a Cardinalibus omnibus, ac ter admissus ad secretum Pontificis colloquium fuit; semperque tres vel quatuor horas sedere apud se eum Pontifex voluit in Pontificali sede (maximus profecto honor homini tam exiguæ conditionis .....) Tanta sapientia in responsis usus, ut cuncti eum mirarentur &c. Vivit adhuc; adeoque adhuc posset in melius pejusve mutari. Quare supersedeo pluribus de eo loqui.* Sic ergo ad firmandum casum hunc exceptum in causa ex. gr. S. Bonaventuræ, si tunc, cum acta fuit, introducta fuisset disciplina probandi casum exceptum per Patrum & virorum sanctorum scripta, satis nequaquam fuisset assertio S. Thomæ de Aquino, qui eum adhuc viventem Sanctum appellavit: sicuti nec in causa S. Ignatii sufficisset testimonium S. Philippi, qui vultum ejus tum etiam vitam ducentis splendore supra naturam illustratum vidit, quemadmodum extat in relatione Rotæ Auditorum *tit. de temperantia*, & in bulla Canonizationis illius (*in nov. cod. pag.* 334.) ubi: *Excellentem vero Famuli sui sanctitatem comprobari voluit etiam Altissimus supernaturali splendore vultus, quem, dum viveret, aliquando viderunt B. Philippus Nerius, & quondam Oliverius Manareus:* nec denique in causa tunc Beatæ, nunc Sanctæ Catharinæ de Ricciis sufficisset, si, quod adhuc vivens mirandum in modum sese videndam obtulerit S. Philippo Nerio (qua de re in relatione ipsius S. Philippi *sub tit. de visionibus*, in relatione prædictæ Sanctæ *part. 2. de vita §. Et de mutuo*, & in bulla Canonizationis ejusdem S. Philippi *in cit. cod. pag.* 322.) fuisset ejusdemmet Sancti scriptis comprobatum.

9. Alterum, quod, si Sancti titulo in scriptis Patrum virorumque sanctorum quidam sint decorati, titulus ille minime fuerit adhibitus præconii aut panegyrici orationis gratia, sive ratione muneris, quod obierunt, dum in viventibus censebantur. Pluribus exemplis hoc argumentum persequitur Theophilus Raynaudus *oper. tom.* 11. *in opere de Valeriano cap.* 10. *Quin etiam nemo sanctos Patres criminatur, aut inducta spongia delendam contendit delatam quandoque apud eos hæreticis, aut suspectæ Fidei hominibus Sancti appellationem sive ratione muneris, quod obibant, sive &c.* Concordat autem Scacchus *de not. & sign. sanct. sect. 1. cap. 8. Sed neque laudis de causa in aliqua panegyri titulus beatitatis a sanctis Patribus aliquibus viris prædefunctis collatus argumentum subministrat, aut aliquid operatur ad effectum Beatificationis & Canonizationis. Id manifestum est ex orationibus decantatis a Patribus in laudem Constantini, & ab Ambrosio in laudem Valentiniani, & Gratiani, ex quibus Valentinianus, dum adhuc catechumenus esset, proditus & interfectus in bello cum decesserit, nihilominus sanctus Doctor non semel Beatos Gratianum, & Valentinianum appellat: Beati ambo (inquit) si quid meæ orationes valebunt. Ita ille in fine concionis, quam habuit in obitu Valentiniani. Pari ratione in concione ab eodem dicta in laudem Theodosii eumdem Beatum appellat, eumdemque susceptum ab Angelis & a Sanctis dicit se existimare.*

10. Ideirco Patrum & virorum sanctorum scripta, quibus probari possit casus exceptus ab Urbani VIII. decretis, serium de vera Dei Servorum, quorum causa tractatur, sanctitate ac miraculis a Deo ipsorum intercessione patratis, necnon publico erga eosdem cultu testimonium complecti debent, ut & *tom. 2. Mss.* clar. mem. Cardinalis Casanate, quæ asservantur in celebri bibliotheca ab eo Romæ instituta in cœnobio Patrum Prædicatorum, habetur *pag.* 142. *Quod attinet ad dicta sanctorum Patrum, oportet, eos de hoc Servo Dei mentionem fecisse, ut de viro insignito speciali nota & gloria sanctitatis, referendo heroicas Servi Dei virtutes, &, quod potius est, decessum in pace, seu in gratia finalis perseverantiæ.*

11. In hac postremo materia de casu excepto per Patrum virorumque sanctorum scripta quæri opportune posset, an ad eum statuendum satis sit testimonium viri sancti dicentis, se animam ejus, de quo agitur, revelatione supra naturam, vidisse in cælum receptam; & fuisse sibi a Deo patefactum, æterna illum frui beatitudine propter excellentes virtutes & heroicos harum actus, quos exercuit usque ad obitum. Non incommode autem dictum est, an satis sit testimonium viri sancti uti supra, id perhibentis: nam, si alii testarentur, fuisse illa Sancto ipsi manifestata, aut ab eo visa, nulla utique eorum hac de causa haberi posse ratio videretur. Re enim ipsa, etsi in Brasilien. causa Canonizationis seu Declarationis Martyrii Servorum Dei Ignatii Azevedi, & triginta novem Sociorum Martyrum Societatis Jesu plura fuerunt allata documenta comprobantia, S. Teresiam vidisse, dum morierentur, eorum animas in cælum receptas; in ejusdem tamen causæ progressu minime actum fuit de statuendo casu excepto per Patrum & virorum sanctorum scripta, propter difficultatem forte tunc previsam, necnon a meis Antecessoribus, & a me, dum fungebar munere Fidei Promotoris, ipso in causæ decursu excitatam, quod visio videlicet non S. Teresiæ, sed aliorum dictis esset probata, qui ad summum id ab eadem audivisse asserebant. Quæ tamen a me dicta censeri debent conjecturaliter potius, quam affirmanter; quippe cum Postulatores ipsi in responsionibus ad excitatas difficultates strenue ostendere conati sint, visionem ex testimonio S. Teresiæ dicendam esse comprobatam; nec ullum adhuc prodierit a sacra Congregatione re super eadem responsum. Pariter haud inconsulto supernaturalis cælestisque visionis, necnon heroicarum virtutum mentionem fecimus; primum quidem, quia examinandæ forent qualitates visionis, ut appareret, vera ne esset an imaginaria, atque adeo utrum cælestis & supra naturam, necne. Ex sanctitate enim ejus, cui facta est revelatio, absolute inferri nequeunt prædictæ qualitates visionis, cum possit etiam vir sanctus credere, se habuisse visionem cælestem, tametsi ex ejusmodi non fuerit, quemadmodum, agendo de revelatione facta S. Elisabeth filiæ Regis Hungariæ, & ab ipsa renuntiata, inquit S. Antoninus *summ. histor. part. 3. tit. 19. cap. 11. Nec per hoc detrahitur sanctitati Elisabeth, si non creditur* (dictæ revelationi) *quia & sancti viri Prophetæ aliquando credunt a Deo sibi aliqua revelari spiritu prophetiæ, quæ ex phantasia sua trahunt in visionibus suis;* sequiturque Baronius *in not. ad Martyrol. Rom. ad diem* 15. *Augusti*. Deinde vero, quia non est cultus publicus in Ecclesia exhibendus omnino omnibus, qui pie in Domino obierunt, & quorum animæ in cælum receptæ sunt, sed illis tantum, qui visione beatifica fruuntur, quique, dum viverent, fulserunt virtutibus, non utcumque, sed in gradu heroico, & gratia miraculorum, ut habet Augustinus Triumphus *de potest. Eccles. quæst. 19. art.* 1. Neque temere demum quæstionem contraximus intra terminos casus excepti per Patrum virorumque sanctorum scripta, eam minime proponentes pro causa duriori, hoc est Canonizationis obtinendæ: nam, licet Ecclesia Canonizatorum honore prosequitur S. Paulum primum Eremitam, S. Cæsarium, S. Germanum Episcopum Capuanum, Sanctamque Scholasticam Virginem, quorum animas in cælum ferri viderunt, atque adeo pro suo cujusque respectu soli testari potuerunt sanctissimi viri Antonius, Gregorius Nazianzenus, ac Benedictus; alias tamen de illorum vitæ sanctitate probationes minime defuisse credendum est, antequam eorumdem cultus introduceretur, atque ad Ecclesiam universalem juxta antiquum Sanctos canonizandi morem extenderetur; veluti animadvertit Arauzo *decis. moral. tract. 3. quæst. 23. §. 1. num. 24. Et quidem ad S. Pauli Eremitæ Canonizationem Apostolica Sedes, non ex solius visionis testimonio ab Antonio prolato, & per sanctissimum Hieronymum scripto, sed simul ex ejus vita ac sanctitatis fama per totum orbem terrarum diffusa,*

mota atque afflata a Spiritu Sancto fupplente vicem plurimorum ocularium teſtium proceſſit.

12. Sed addendum quoque eſt, quod, etſi concordes ſint Theologi in docendo, perſonam, cui fit revelatio, & quidem veræ revelationis adjunctis comitatam teneri huic credere (ſolum quippe invicem diſſident, dum examinant, an credere ei teneatur eadem Fide Catholica, qua Fideles myſteria toti Eccleſiæ propoſita credunt) quapropter legimus, ſummum Pontificem Innocentium III. ex viſionibus & cæleſtibus revelationibus ſibi factis, auctoritate Apoſtolica confirmaſſe Ordines Regulares inſtitutos, alterum a S. Franciſco, alterum a SS. Joanne de Matha, & Felice Valeſio; ut tamen quæſtio indicata de Canonizatione per privatam revelationem obtinenda ſuum progreſſum habere poſſet, revelationem ipſam ſufficienti de cauſa ſummo Pontifici, cui renuntiata animo fingi debet, proponi oporteret; quemadmodum monet prædictus Arauzo *loc. cit.* §. 2. *num.* 30. Sufficientes autem cauſæ aliunde forte deſumi non poſſent, quam vel [illegible] miraculo, quod in comprobationem ſuæ viſionis fieret a Deo, cui facta eſt revelatio, juxta regulam textus *in cap. Cum ex injuncto, de Hæreticis*, vel ex ſerio ejus virtutum, & miraculorum examine, cujus anima in cælum recipi viſa eſt; in quo nihilominus examine non modicam ſibi conciliaret auctoritatem aſſertio viri jam ſancti, qui eamdem revelationem ſibi factam tradidiſſet. Quocirca *in bulla Canonizationis S. Antonini* (*in cod. Canoniz. pag.* 228.) ſic legitur: *Licet ex ſanctis operibus ſuis Beatus & Sanctus ab omnibus ejus vitam intuentibus, aut famam integerrimam audientibus certiſſime crederetur; eam tamen opinionem roborat manifeſta & oculata viſio Dominica cuidam Tuccio Monacho monaſterii Ciſtelli Florent. Ciſtercien. Ordinis in civitate ipſa Florentina, & Conſtantio de Fabriano tam ſanctitate vitæ claro, quam ſcientia & doctrina in dicto Prædicatorum Ordine, Profeſſori in civitate Aſculana oblata, quorum utrique eadem noctis hora, qua dictus B. Antoninus ad Dominum tranſivit, ejus animam ab Angelis in cælum viſibiliter portari viderat.* Item quamvis in cauſa S. Petri de Alcantara factum contigerit, de quo in bulla Canonizationis (*in cit. cod. pag.* 385.) *quibus dictis adhuc excepto genibus corpore migravit animo in cælum, & S. Teresia procul diſtans ab oppido de Arenas, in quo Petrus deceſſerat, illum vidit recto & lucido tramite delatum ad ſempiternam felicitatem; ac ſæpe poſtea eidem ovanti apparuit plenus immenſa gloria, & puriſſimæ lucis radiis circumfuſus:* id tamen ſatis nequaquam fuit ad Canonizationem obtinendam, ſed tantum maximopere profuit, & validi adminiculi vim habuit, cum actum eſt de virtutibus ac miraculis ad juris normam in proceſſu comprobatis.

13. Hac itaque quæſtione propoſita, ſolum, & ſimpliciter gratia declarationis caſus excepti per Patrum virorumque ſanctorum ſcripta eo in eventu, quod illius approbatio peteretur dependendo a revelatione, quæ qualitates haberet revelationis cæleſtis, quamque ſibi factam vir ſanctus teſtatus eſſet, aut ſcriptum reliquiſſet, non dubitarem ſtare pro hujus ſufficientia. Si enim ad eamdem declarationem impetrandam alias ſatis eſt teſtimonium viri ſancti de virtutibus, miraculis, & cultu alicujus Dei Servi, potiori jure ſufficere debebit aſſertio viri ſancti de prædicta viſione ac revelatione. Potuiſſet ſane de hoc articulo agi in cauſa S. Aloyſii Gonzagæ. Nam, cum anno 1600. S. Maria Magdalena de Pazzis illius vitam a P. Virgilio Cepario ſcriptam perlegiſſet, tum os digiti ejus vellet adſtantibus decem Sororibus dividere, ad contemplandam ejus ſanctitatem & gloriam hinc cælitus elata, mirabilia deinde enuntiavit de ipſa S. Aloyſii in cælum recepti ſanctitate ac gloria: hanc autem revelationem cum plures venerabiles Moniales, ex audito aliquæ ab ipſa S. Maria Magdalena, aliæ ab hujus Confeſſario, teſtatæ eſſent; ipſamet demum victa auctoritate Archiepiſcopi Florentini, illacrymans, quod occulta Dei dona vulgare cogeretur, jurejurando oblatam ſibi viſionem in pagina Archiepiſcopo exhibita deſcriptam affirmavit, omniaque eadem in pagina recenſita, prout ibidem narrabantur, vera eſſe perhibuit. Sed, quoniam Poſtulatores apertam viam habuerunt probandi caſum exceptum ex indultis Apoſtolicis, porro defuit occaſio hujuſmodi dubium in ſacra Congregatione proponendi. Hinc fit, ut ſiquid unquam hujuſmodi eveniat, ejuſdem ſacræ Congregationis reſponſum ſit expectandum: ſiquidem omnia, quæ a nobis hiſce in ſcriptis exponuntur, non aliam præferre auctoritatem jamdiu monuimus quam privati Auctoris, exceptis decretis quæ a nobis Pontificatum maximum gerentibus de hujuſmodi argumento interpoſita, in hiſce libris inſerta ſunt.

CAPUT VIGESIMUM.

De caſu excepto ex indulto Pontificio.

1. CASUS exceptus ex Pontificio indulto innititur Apoſtolicis conceſſionibus: & profecto, etſi in ſacrorum rituum Congregatione aliquando declaratum fuit, cauſam eſſe inter exceptas ab Urbani VIII. decretis tantum ex cultu immemorabili, in ea licet non deeſſent etiam Apoſtolica indulta; alias tamen definitum quoque eſt, aliam cauſam inter ipſas exceptas verſari ſimul ex Apoſtolicis indultis, atque ex ſcriptis Patrum virorumque ſanctorum; quin immo & interdum id ipſum factum eſt ex ſolis Apoſtolicis indultis. Exemplum cauſarum, in quibus, poſitis licet Apoſtolicis indultis, caſus tamen excepti declaratio habita tantum eſt ex cultu immemorabili, fortaſſis quia Poſtulatores majorem in eo vim conſtituerunt, deſumi poteſt ex ipſa caſus excepti declaratione in cauſis B. Hoſannæ, ac B. Zitæ, necnon in cauſa S. Peregrini Latioſi. In hac quippe Epiſcopus Forolivienſis ſententiam pronuntiavit, quæ ſubinde ab Apoſtolica Sede confirmata fuit, qua nempe cenſuit, conſtare de cultu immemorabili, quamvis in eadem cauſa non deeſſent litteræ Apoſtolicæ ſummi Pontificis Pauli V. expeditæ anno 1609. per quas antea examinatæ in ſacrorum rituum Congregatione approbatæ peculiari forma fuerunt lectiones propriæ ſecundi Nocturni pro Officio ejuſdem Peregrini tunc Beati, nunc Sancti, necnon pro Officio B. Joachim Senenſis recitandis a Fratribus, & Monialibus Ordinis Servorum B. Mariæ Virginis diebus illorum feſtis. Exemplum autem declarationis caſus excepti ex indultis quidem Apoſtolicis, ſed conjunctim cum ſcriptis Patrum virorumque ſanctorum haberi poteſt ex cauſa ſupra memorata tunc Beatæ, nunc Sanctæ Agnetis de Monte Politiano. Exemplum denique approbationis caſus excepti ex ſolis indultis Apoſtolicis deſumere eſt, præterquam ex cauſa antea pariter memorata tunc Beatæ, nunc Sanctæ Margaritæ de Cortona, necnon ex iis infra memorandis B. Margaritæ de Sabaudia, Beatorumque Petri de Piſis, & Jacobi de Mevania, ex Veneta etiam, ut ceteræ prætereantur, tunc Beati, nunc Sancti Laurentii Juſtiniani, atque ex Sulmonen. ſeu Aprotina tunc Beati, nunc Sancti Joannis de Capiſtrano. Siquidem, cum in illa ſacra Congregatio die 10. Februarii 1648. accepta relatione indultorum ab Apoſtolica Sede, ſic habuiſſet: *Dicimus decernimus declaramus, conſtare, dicto B. Laurentio Juſtiniano cultum exhibitum fuiſſe & ad præſens exhiberi ex indultis Apoſtolicis, & propterea hujuſmodi caſum comprehendi inter exceptos a decretis ſanctiſſimæ Inquiſitionis ſuper non cultu editis ab eodem Urbano VIII. & eiſdem litteris ſufficienter ſatisfactum fuiſſe & eſſe*; in hac item, facta conſimili indultorum expoſitione, eadem verba fuerunt adhibita per decretum expeditum die 19. Septembris 1650.

2. Ad ipſa itaque a Romanis Pontificibus indulta quod attinet, ſi ſola ſpectentur tanquam fundamentum caſus excepti, ut nunc a nobis ſpectantur, tria pro hujus argumenti intelligentia ſunt præmittenda. Primum eſt, non ſufficere ad eam rem ſcripturam privatam, in qua ſummus Pontifex aliquem Beati titulo nominet, ſicuti monet Pignatellus *conſult.* 35. *tom.* 4. neque Breve Apoſtolicum, ſive indultum ſufficere, in quo ſummus Pontifex aliquem Dei Servorum tantum *enuntiative* appellet Beatum, multo autem minus, ſi enuntiatio ipſa extet in Brevi, diplomate ad alium finem exarato; quemadmodum probat textus *in cap. Si Papa*, ibique Gloſſa *in figuratione caſus, & in v. Aſſerat, de privil. in* 6. utque ad rem ipſam proſequuntur Scacchus *de not. & ſign. ſanctit. ſect.* 1. *cap.* 8. *pag.* 86. & Caſtellinus *de certitud. glor. SS. cap.* 2. *punct.* 57. Enimvero, cum in cauſa S. Stanislai Novitii Societatis Jeſu probandus eſſet caſus exceptus ex indultis a Romanis Pontificibus, & poſtulatores bina attuliſſent indulta, hoc eſt unum a Clemente VIII. per quod anno 1202. Urbis excuſo-

cusori facultatem tribuens typis edendi illius vitam, dummodo approbata esset a Magistro sacri palatii, Stanislaum in eodem sæpius appellavit Beatum; alterum a Pauto V. per quod concessit, ut ejusdem Stanislai Imago, quæ in sacrario asservabatur una cum votivis oblatis, ad publicam venerationem Romæ cum iisdem votivis exponeretur in ecclesia S. Andreæ Parrum Societatis Jesu in Monte Quirinali; sacrorum rituum Congregatio, dum munere fungebar Fidei Promotoris, animadvertens, non inesse in indulto Clementino, nisi simplicem enuntiationem, die 9. Maji 1711. rescripsit, *initium venerationis esse desumendum ab anno* 1605. quo nempe prodiit Paulinum.

3. Hujusmodi etiam censenda sunt nonnulla alia facta Romanorum Pontificum, quæ potius privatum cultum, quam publicum, vel quam voluntatem publicum cultum introducendi aut permittendi præseferunt. De Sancto enim Felice a Cantalicio Laico Ordinis Capuccinorum legitur in relatione Rotæ Auditorum *tit. de fama sanctitatis & visitatione sepulcri*, quo tribus diebus post ejus obitum fuit ejusdem corpus jussu Cardinalis Sanctæ Severinæ tunc temporis Religiosi illius Ordinis Protectoris conditum in capsa plumbea, sepultumque in cœmeterio Fratrum; item, quod post aliquot menses a cœmeterio ad ecclesiam translatum fuit, atque repositum prope sacellum Sanctissimi Crucifixi; demum, quod Sixtus Papa V. motus fama miraculorum ad eamdem ecclesiam accessit, &, genibus flexis, oravit ad ejus sepulcrum: *Sixtus etiam Pontifex Maximus, populi acclamatione & miraculorum frequentia excitatus, una cum aliquibus Cardinalibus a sua curia ad ecclesiam S. Bonaventuræ se contulit, & prius ante Sanctissimum Sacramentum oravit, & postea ingressus est in Capellam Sanctissimi Crucifixi, & genuflexus ad sepulcrum Fratris Felicis oravit per spatium, quo ter recitari posset psalmus* Miserere, *prout etiam Cardinales, & alii fecerunt.* Et propterea Rotæ Auditores in eadem relatione visi sunt suadere voluisse, ex eo Pontificis facto publici cultus permissionem provenisse. Relatis quippe aliis publicæ venerationis actibus passim factis a populo sic locuti sunt: *Et, licet publicus hic cultus in Ecclesia exhiberi non possit absque Sedis Apostolicæ auctoritate, etiamsi per defunctum miracula fierent, in hoc casu, etiamsi aliud non adesset, sufficeret sel. record. Sixti V. visitatio, de cujus mandato dicitur corpus Servi Dei fuisse translatum, qui, ut supra relatum est, genuflexit ante sepulcrum, & ejus intercessioni se commendavit.* Veruntamen vera publicæ venerationis primordia (in quorum sequelam Urbanus Papa VIII. die 26. Aprilis 1625. declaravit, causam ejusdem tunc Beati Felicis versari in casu excepto a suis decretis: *Sanctissimus jussit, ut hæc causa non comprehenderetur sub decreto emanato a sacra Congregatione sanctissimæ Inquisitionis*) non ex facto Sixti V. utpote quod tantum privatum cultum poterat importare, sed ex titulo Beati a Gregorio XV. Felici ipsi indulto petenda esse videntur; uti testatur Zacharias Boverius *tom. 2. annal. ad ann.* 1588. *pag.* 335. *Denique tam ingens de illius sanctitate non modo apud omnes tam vulgares, quam illustres viros, verum etiam apud ipsos Romanos Pontifices semper opinio percrebuit, ut primus Sixtus V. gravissimus Pontifex, cum primum ad ipsius Canonizationem processum institui jussisset; Cardinalium aliquando corona stipatus e Quirinali palatio ad Capuccinorum ecclesiam descendens, post Sanctissimæ Eucharistiæ adorationem, ad sepulcrum sancti viri genuflexus diutius oraverit. Ex quo tunc quæstio suborta, num eo facto Pontifex sanctum virum Beatum declaraverit. Id Pontificem procul dubio optasse, inde potissimum perspicuum fuit, quod maxime processus expeditionem sollicitaret. At immatura morte correptus, re infecta, ex humanis excessit. Post hunc Gregorius XV. cum aliquando in nostra S. Bonaventuræ ecclesia sacra Missarum mysteria celebrasset, ad Beati viri sepulcrum accedens, ibi, quemadmodum & prior Sixtus V. genuflexus aliquantisper oravit, hæc post orationem verba addens „ Nos plurimum huic viro debemus, eo quod ipsius intercessione singularem a Deo gratiam tulimus". Quamobrem, cum a sui Pontificatus exordio argenteam Imaginem ipsius sepulcro inferendam jussisset, ipsam radiis circa caput emicantibus depingi, ac Beati titulo, quo ab omnibus passim appellabatur, insigniri permisit.*

4. Alterum præmittendum est, nihil referre, utrum publica veneratio indulta a Romanis Pontificibus fuerit in scriptis seu per litteras Apostolicas, an tantum vivæ vocis oraculo; dummodo tamen vivæ ipsum vocis oraculum sit legitime comprobatum. Siquidem Callistus III. per suum vivæ vocis oraculum expositum Guillelmo Cardinali Rhotomagensi Episcopo & Protectori Ordinis Carmelitarum concessit Fratribus Carmelitis celebrationem festi cum Missa & Officio in honorem B. Alberti de Monte Drepano; quod postea vivæ vocis oraculum confirmationis robur obtinuit ex Apostolica bulla Pontificis Sixti IV. sicuti late ostendit Castellinus *de, certitud. glor. SS. cap.* 1. *punct.* 18. Pariter plura extant a summo Pontifice Leone X. hoc modo indulta. In serie quippe Actorum causæ S. Joannis de Capistrano edita a sacrorum rituum Congregatione occasione Canonizationis ipsius traditur, dictum Pontificem post expositionem sibi factam nonnullorum articulorum mirabilis Joannis vitæ, vivæ vocis oraculo per Cardinalem Bibienam anno 1515. publicato concessisse, ut in diœcesi territorioque Capistranensi celebrari posset illius festum a Fratribus Ordinum Minorum Observantium, necnon a Clero Sæculari ejusdem loci: sicut, cum apud Septam Saracenorum Urbem Daniel, Samuel, Angelus, Domnus, Leo, Nicolaus, & Hugolinus ex Franciscana familia anno Domini 1221. Martyrio coronati fuerunt, quorum mentio fit in Martyrologio Romano *ad diem* 13. *Octobris*, eorum porro dies natalis colitur vivæ vocis oraculo prædicti Pontificis, qui id protulit anno 1516. veluti referunt Galesinius *in Martyrol. ad dictam diem*, Cardinalis Baronius *in not. ad Rom. Martyrol. ad eamdem diem*, & Castellinus *de cert. glor. SS. pag.* 420. *num.* 5. Consimilia etiam supperunt indulta a Clemente Papa VII. Sic enim concessit Conventui Fratrum S. Dominici civitatis Forolivienfis, ut agere possent festum B. Jacobi Salomonii, Officiumque ac Missam in anniversaria ipsius mortis die recitare & celebrare, uti testatus est Christophorus Cardinalis Numajus; quod postea fuisse a Julio III. confirmatum, atque adeo amplificatam concessione Officii proprii, necnon solemnis supplicationis, seu (ut dicitur) *processionis* per simile aliud vivæ vocis oraculum, comprobavit Cardinalis Moronus; quorum Cardinalium attestationes habentur apud Castellinum *in cit. oper. pag.* 140. 141. *& seqq.* itemque de eodem Clemente Papa VII. probatum fuit in causa Sanctæ Catharinæ de Bononia per subscriptas attestationes Cardinalium Laurentii Campegii, & Christophori Numaji, quod facultatem vivæ vocis oraculo dedit Monialibus, & Abbatissæ Monasterii Corporis Christi Civitatis Bononiæ recitandi in honorem ejusdem Virginis Catharinæ quoddam Officium approbatum a Magistro Sacri Palatii, necnon diebus singulis de eadem Virgine commemorationem faciendi. Sed & per eamdem viam, hoc est per vivæ vocis oraculum, subsequentes Pontifices interdum processerunt. Nam, cum ex concessione Leonis X. jam fieret Officium in honorem tunc Beatæ, nunc Sanctæ Elisabeth Reginæ Portugalliæ, quæ per errorem ab aliquibus *Blanca* fuerat appellata; Summus Pontifex Paulus IV. vivæ vocis oraculo mandavit Cardinali Pœnitentiario, non modo ut errorem, qui irrepserat, corrigi curaret, verum etiam ut Leoninum Indultum, quod erat coercitum intra Diœcesim Conimbricensem, ad universum Portugalliæ Regnum extenderet, quemadmodum legere licet in Brevi ipsius Cardinalis Pœnitentiarii: *Nos igitur hujusmodi supplicationibus inclinati, auctoritate Domini Papæ, cujus Pœnitentiariæ curam gerimus & de ejus speciali mandato super hoc vivæ vocis oraculo Nobis facto &c. concedimus, & indulgemus &c.* Sanctus etiam Pius Papa V. vivæ vocis oraculo, de quo & infra, concessit, ut in Monasterio Monialium Beatæ Columbæ Civitatis Perusinæ fieret ejusdem Columbæ Commemoratio in Divinis Officiis; quod comprobatum est attestatione Patris Magistri Timothei Bottonei Ordinis Prædicatorum Vicarii Sancti Officii dictæ Civitatis, qui illud impetraverat. Per vivæ item vocis oraculum relatum a Cardinali Sirleto in suis Litteris Gregorius XIII. anno 1583. annuit, ut celebraretur Missa ac Officium proprium juxta Missale & Breviarium Carmelitanum in honorem tunc Beati, nunc Sancti Andreæ Corsini; sicut habetur in relatione Rotæ Auditorum super causa Canonizationis ejusdem Andreæ *par.* 4. §. 1. §. 2. *Habemus.* Vivæ similiter vocis oraculo Paulus V. indulsit, ut coram B. Seraphino de Asculo Laico Capuccino lampas arderet, utque in ecclesiis Patrum Societatis Jesu publicæ veneration una cum votivis oblatis exponerentur Imagines SS. Stanislai, & Aloysii Societatis Jesu; quæ concessio in eorum causis probata fuit tanquam notissima per testes quacumque exceptione majores. Tandem, ut alia pleraque taceamus, Gregorius XV. vivæ vocis oraculo comprobato attestatione Cardinalis Scipionis Burghesii ampliavit jam indul-

indultum per litteras Apoſtolicas ab Eugenio IV. de quo apud Bollandianos *ad diem* 20. *Martii tom.* 3. *pag.* 245. poteſtatemque fecit univerſo Ordini Fratrum Prædicatorum agendi feſtum & recitandi Officium in honorem B. Ambroſii Sanſedonii; uti pluribus refert Caſtellinus *in cit. tract. de certitud. glor. SS. pag.* 143. Cum autem ſacrorum rituum Congregatio pronuntiaverit de caſu excepto ex indultis a Romanis Pontificibus in nonnullis ex prædictis Beatorum cauſis, id eſt S. Joannis de Capiſtrano, S. Catharinæ de Bononia, Sanctorumque Stanislai, & Aloyſii Gonzagæ: quin immo, cum in cauſis SS. Stanislai, & Aloyſii vera publicæ venerationis initia deſumpta fuerint a recitatis oraculis vivæ vocis Pauli V. nil clarius afferri poſſe videtur ad demonſtrandum, non eſſe abſolute & ſimpliciter neceſſe, quod indulta a ſummis Pontificibus pro caſu excepto firmanda ſint per litteras Apoſtolicas, ſed etiam ſufficere, ſi fuerint vivæ vocis oraculo edita.

5. Nec enim obſtare poteſt revocatio indultorum viva voce deinceps a Romanis Pontificibus facta. Nam utique Gregorius XV. *in Conſtit.* 27. *Bullar. vet. tom.* 4. revocavit omnia viva voce indulta, quæ tunc temporis ad effectum perducta non eſſent, modo non lata per ſupplicationem Regum, vel non firmata manu alicujus S. R. E. Cardinalis. Etiam Urbanus VIII. Gregorianam ampliavit Conſtitutionem, revocando & abolendo omnia vivæ vocis oracula, edita quoque intuitu Imperatoris, Regum, & quorumcumque Principum, & firmata quoque Cardinalis alicujus manu, iis tantummodo exceptis, quæ comprobarentur dictis Officialium ſive Miniſtrorum in rebus ad eorum officium pertinentibus; ſicuti colligi poteſt *ex ejus Conſtit.* 157. *&* 195. *cit. Bullar. tom.* 5. Verum, cum omnes hæ Conſtitutiones loquantur de conceſſionibus, quæ vivæ vocis oraculo factæ fuerant Inſtitutis & Ordinibus Regularibus, per eas porro ſublatæ dici nequeunt illæ, de quibus nunc agimus; utpote quæ directe reſpiciunt cultum Servorum Dei, ideoque tantum oblique Inſtituta ſive Ordines Regulares, quibus ut plurimum datur facultas recitandi ex. gr. Officium, aut Miſſam in honorem eorumdem Dei Servorum celebrandi. Adhuc ergo ad rem noſtram ſubſiſtunt vivæ vocis oracula, & ſolum difficultas manet in eis probandis: atque utinam in cauſa B. Nicolai Albergati Epiſcopi Bononienſis præſto eſſet legitima probatio cujuſdam vivæ vocis oraculi Urbani Papæ VIII. qui eo modo ſtatuiſſe dicitur, ne ab illius Imagine ſplendores & radii abraderentur, nihil obſtantibus ſuis decretis, prout in ejuſdem B. Nicolai vita *num.* 3. apud Bollandianos *ad diem* 9. *Maji tom.* 2. *pag.* 467. & utinam de ejus cultu aliqua haberentur apud S. Antoninum *part.* 2. *tit.* 15. *cap.* 22. §. 2. *&* *part.* 3. *tit.* 22. *cap.* 7. §. 3. ubi egregia ejus facinora refert, quemadmodum ſupra viſum eſt. Sic enim forte probari de eodem poſſet caſus exceptus ex indulto Pontificio, atque ex Patrum virorumque ſanctorum ſcriptis, nec cogerentur Poſtulatores ad eum probandum ex cultu immemorabili. Quamquam hunc evincere (ut opinor) non tam ægre poterunt, ſi ea, qua decet, diligentia antiqua percurrant monumenta indicata a Symeone Santaghata in ſua atteſtatione ſuperius relata ex memoratis Bollandianis in principio vitæ Beati ejuſdem Nicolai.

6. Præmittendum eſt tandem, neceſſe non eſſe ad firmandum caſum exceptum ratione indultorum, quod ea ab Apoſtolica Sede emanaverint, cauſa ſecundum juris ſolemnitatem cognita. Ejuſmodi namque indulta, etſi modo edita ſunt, necnon eduntur tantum in ſequelam probationum extrajudicialium, modo autem in ſequelam proceſſus ordinarii, ſuper virtutibus & miraculis, alias vero in ſequelam proceſſus ordinarii, & Apoſtolici, necnon poſt pronuntiatum judicium ſuper virtutibus, aut Martyrio, & ſignis vel miraculis; quocumque tamen ex prædictis modis prodierint, ſemper ad caſum exceptum ſufficient, quippe cum ea mente Urbanus VIII. omnino fuerit, ut minime amoveretur cultus ab his, qui eum a ſuis Anteceſſoribus obtinuerant, quippe conſequenter erant in legitima cultus publici poſſeſſione. Diſcrimen autem, quod inter diverſa intereſt indulta, operatur in cauſæ progreſſum. Namque, ſi facta fuerit conceſſio dependendo ab extrajudicialibus documentis, aut a ſolo proceſſu Ordinarii; approbato caſu excepto ex indultis, conficiendus tum erit proceſſus Apoſtolicus, & aſſumenda erit probatio virtutum ac miraculorum: ſi vero dependendo ab utroque proceſſu, id eſt ordinario, atque Apoſtolico, conceſſio ipſa facta fuerit, latumque judicium ſuper virtutibus, poſt approbationem caſus excepti, non iterum examinandæ virtutes, ſed tranſeundum erit ad examen miraculorum indultam venerationem ſecutorum, ſi demum conceſſio facta dependendo ab utroque proceſſu, latumque fuerit judicium & ſuper virtutibus & ſuper miraculis; neque iterum examinandæ erunt virtutes, neque iterum miracula, ſed nova tantum miracula erunt expectanda, ſi ea, quæ examinata fuerunt, ante indultam venerationem patrata fuerint.

7. Hiſce præmiſſis, nunc videndum, quid importare debeant venerationis indulta, ut ſuper ea firmari poſſit caſus exceptus. Porro id unico verbo abſolvi poſſet, afferendo, ea importare permiſſionem publici cultus atque venerationis, poteſtatemque, ut Dei Servus appelletur Beatus, ejuſque corpus ac Reliquiæ ad publicam venerationem exponantur. Verum, ut funditus Sedis Apoſtolicæ diſciplina innoteſcat, operæ pretium fore exiſtimamus, ſi ex nonnullis indultis a ſummis Pontificibus quædam deſumantur, unde argumento propoſito lumen & claritas accedat.

8. Itaque, quod ſummi Pontifices indulſerint, ut Imago Servi Dei in eccleſiis exponatur inter Imagines aliorum Sanctorum, aut cum ſignis cultum publicum redolentibus, id primum aptum eſſe videtur ad fundandum caſum exceptum. Ex nonnullis autem Brevibus ſummi Pontificis Leonis X. hujuſmodi indultorum exempla deprehenduntur. Conceſſit enim ipſe (quemadmodum infra videbimus) ut Imago tunc Servi Dei, vel Beati, nunc Sancti Franciſci de Paula collocaretur in eccleſiis Domorum Ordinis ab eo inſtituti, inſtar conſimilis conceſſionis factæ Ordini Minorum ſervandi in ſuis eccleſiis Imaginem Servi Dei, vel Beati Bernardini de Feltro: tum etiam Ordini S. Auguſtini poteſtatem tradidit colendi in ſuis eccleſiis & ſacellis B. Veronicam de Binaſco, atque in illis hujus Imaginem collocandi; prout fert ejus diploma typis impreſſum apud Bollandum *ad diem* 13. *Januarii tom.* 1. *pag.* 889. ut & in alio Brevi benignam fecit conceſſionem toti diœceſi Conimbricenſi ponendi Imaginem S. Eliſabeth Reginæ Portugalliæ in eccleſiis, eamque inter alias Sanctorum Imagines retinendi. Sed etiam ex Clementis VII. geſtis exempla ſuppetunt, qui & Imaginem tunc Servæ Dei, nunc Sanctæ Agnetis de Monte Politiano in eccleſiis illius oppidi, nunc civitatis haberi indulſit; & Imaginem, pariter tunc Beati, nunc Sancti Laurentii Juſtiniani in eccleſiis, ac domibus privatorum Venetæ ditionis admiſit, dummodo picta eſſet ſine diademate, & non tanquam Canonizati, ſed ut Beati, veluti ex illius Brevi formis excuſo apud Danielem Roſam *in collect. teſtimoniorum de hujus ſanctitate pag.* 7. Præterquamquod ad hanc ipſam claſſem ſupra memorata indulta a Paulo V. referri poſſunt, quando (veluti diximus) conceſſit, ut Imagines tunc Servorum Dei, ſive Beatorum, nunc Sanctorum Stanislai, & Aloyſii publicæ exponerentur venerationi una cum votivis oblatis in eccleſiis pariter antea indicatis.

9. Quod ſummi Pontifices pro inducendo, vel augendo publico alicujus Dei Servi cultu, hujus corpus transferri mandent e loco humili in honorificentiorem, indultum hoc quoque ad ſtabiliendum caſum exceptum accommodatum eſſe videtur. Sixtus enim Papa IV. anno 1477. poſtquam narravit, corpus laudandæ memoriæ Jacobi de Marchia non eſſe decenter collocatum in eccleſia S. Mariæ civitatis Neapolis, ſic ſtatuit in ſuo Brevi typis impreſſo *in vita ejuſdem S. Jacobi Romæ edita anno* 1726. occaſione ipſius Canonizationis: *Quare, ne tanta virtus & probitas quanta in eo emicuit, neglecta videretur, volumus & mandamus vobis, ut corpus ipſum exhumetis & in eadem eccleſia honorifice collocari curetis, prout Vicario Generali, & Fratribus dicti Ordinis melius fieri poſſe videbitur.* Leo Papa X. facultatem dedit Licentiato Franciſco de Vargas curandi, ut ædificaretur ſacellum proprium in honorem Iſidori Agricolæ tunc neque beatificati neque canonizati, necnon magnificum ſepulcrum pro ejus corpore, quod etiam tum in eccleſia S. Andreæ civitatis Matritenſis in loco minus ornato conditum erat; ſicuti ex Bleda referunt Bollandiani *ad diem* 15. *Maji tom.* 3. *in vita ejuſdem S. Iſidori pag.* 527. Innocentius VIII. (ut etiam infra videbimus) motus fama miraculorum Servi Dei Simonis de Lipnica conceſſit, ut ejus corpus e Choro eccleſiæ, ubi jacebat, ad alium ejuſdem eccleſiæ locum decentiorem & convenientiorem transferretur noctu atque ſecreto: & cum in hujus indulti vim conſtructum ſubinde fuerit ſepulcrum ſupra terram in eccleſiæ pariete ad latus altaris S. Franciſci, bon. mem. Proſper Bottinius Fidei Promotor in ſuis animadverſionibus ſuper caſu excepto, de quo agebatur in cauſa dicti Servi Dei, con-

UAB Biblioteca de Ciències Socials

concessionem illam magno in pretio habendam est fassus. Neque vero (ut puto) aliter ratiocinandum esset, si causa introduceretur B. Gabrielis Ferretti, & tractaretur de casu excepto; quandoquidem idem Pontifex Innocentius concessionem pariter fecit (ut antea monuimus) transferendi corpus ipsius, quod in sequelam ejusdem facultatis reconditum fuit in sepulcro supra terram elato in ecclesia FF. Minorum Observantium S. Francisci.

10. Insuper, anno 1617. mortuo in Urbe cum magna sanctitatis fama Dei Servo Bartholomæo de Saluthio, cum ejus corpus mandato Pauli V. fuisset positum in capsa lignea, humatumque in Sepultura consueta Fratrum sui Ordinis Minorum Observantium Reformatorum S. Francisci, annuente tandem Gregorio XV. translatum fuit ad novum Sepulcrum quatuor unciis ex humo elatum, necnon locatum in Ecclesia eorum Fratrum S. Francisci ad Ripam Tiberis. Occasione autem data construendi quoddam Sacellum in eadem Ecclesia, cum inventum esset Sepulcrum istud supra terram elatum, bon. mem. Dominicus Zaulus Vicesgerens Cardinalis Vicarii jussit, auferri capsam, & reponi in cubiculo separato, quoadusque Congregationis sacrorum rituum sensus accederet. Res itaque ad sacram ipsam Congregationem delata est, mihique tunc Fidei Promotori commissa cura negotium perpendendi. Ego vero inveni, quod in Epitaphio exteriori pariete cooperto, posito autem super capsam Servi Dei, post enarratas hujus virtutes, postque enuntiatum tempus ejusdem mortis, insculpta erant hæc verba, *Jussu Gregorii XV. Pont. Max.* item, quod in vita manuscripta Servi Dei composita a Patre Sanctoro ex eadem Minorum Reformatorum familia *cap.* 17. translatio facta affirmabatur una cum corporis elatione auctoritate memorati Pontificis; demum, quod id ipsum confirmabatur ab Auctore fide digno ex Dominicana familia Servo Dei contemporaneo, id est Castellino *de certit. glor. SS. cap.* 2. *punct.* 39. Sacra igitur Congregatio, his auditis & bene ponderatis die 21. Martii 1711. præcepit, ut ipsum corpus eodem modo reconderetur, quo condi Gregorius jusserat; quemadmodum paucos post dies, me præsente, reconditum est. In causa pariter S. Pii V. quatenus jam antea formalis Beatificatio obtenta non esset, prævia discussione virtutum atque miraculorum, & quidem cum Officii ac Missæ concessione, sed opus fuisset discutere casum exceptum ex aliis indultis Apostolicis, ea utique suffecissent, quæ contigerunt anno 1698. Scilicet, cum anno 1588. Sixtus Papa V. Pii corpus collocari jussisset in loco subterraneo prope sacellum Præsepis in basilica Liberiana, precibus recolendæ memoriæ P. Antonini Cloche Generalis Magistri Ordinis Prædicatorum san. mem. Innocentius XII. anno supradicto facultatem dedit illud extrahendi ac reponendi in arca marmorea supra terram elevata, in qua etiamnum manet. Extractum nempe fuit, præsente clar. mem. Cardinali Carpineo Urbis Vicario cum Notario aliisque testibus; tum vero repositum in sacrario sacelli Præsepis, & vespere die 16. Septembris anni memorati in arca reconditum, præsentibus Patre Magistro Generali prædicto, Domino Cardinali Petra tunc Præsule, & Præposito sacræ ædis Sixtinæ, Patribus Pœnitentiariis basilicæ Liberianæ, primo Magistro Cæremoniarum Papæ, Ædituo sacræ ædis Sixtinæ, Ministro Cardinalis Vicarii, & ejus Notario. Die autem 28. solemni Pontificia forma Sacra facta sunt in honorem ipsius tunc Beati, nunc Sancti Pii V. quibus licet summus Pontifex morbo impeditus non interfuerit, adfuit tamen sacrum Cardinalium Collegium una cum aliis locum habentibus in Pontificiis ejusmodi solemnibus; ubi & plena peccatorum Indulgentia per dies octo concessa fuit Fidelibus ea confessis, Pabuloque cælesti refectis, qui sepulcrum illud visitassent, &, ipsis Missæ solemnibus peractis, Religiosus vir ex familia Prædicatorum panegyricam habuit orationem de ejusdem Pii Pontificis meritis.

11. Sed signanter diximus, ex facultate corpus transferendi desumi fundamentum pro casu excepto, quatenus concessio facta fuerit causa introducendi, vel augendi publicum cultum; scilicet quia, si alia de causa provenisset, ad rem præsentem nequaquam sufficeret. Moniales, puta, monasterii B. Mariæ Montis Ordinis S. Ambrosii ad Nemus sub Regula S. Augustini degentes in Mediolanensi diœcesi supplicarunt utique Alexandro VI. summo Pontifici pro facultate transferendi in suam ecclesiam corpus B. Catharinæ Palantinæ ejusdem monasterii Fundatricis, utpote quod sepultum fuerat in alia ecclesia, cum monasterium ipsum tunc propria non haberet; & utique annuit petitis Pontifex per suas litteras Apostolicas in forma Brevis: *Nos vestris in hac parte supplicationibus inclinati vobis, ut corpus ipsius Catharinæ de dicta ecclesia, in qua sepultum est, de consensu, quorum interest, exhumari facere, & ad ecclesiam intra clausuram ipsius monasterii existentem transferre, ac in eo sepeliri facere libere & licite valeatis, tenore præsentium concedimus pariter & indulgemus.* Verum, hisce Brevis verbis perpensis, Bollandiani *ad diem 6. Aprilis tom. 1. pag.* 644. recte subdiderunt: *Hactenus privatæ duntaxat Sanctimonialium erga defunctam matrem pietati factum poterat videri satis: nihil enim in dicto Brevi est, quod ad publicam venerationem Catharinæ, velut Beatæ, concessam extendi possit*: ideoque recte firmarunt, venerationis concessionem erga Beatam hanc ipsam Catharinam aliunde petendam esse.

12. Quod summi Pontifices permittant publicam tabellarum pro gratiis acceptis suspensionem, luminumque incensionem ad alicujus Servi Dei sepulcrum, de hujus etiam indulti sufficientia pro casu excepto minime dubitandum esse videtur. Adest enim vero exemplum causarum supra indicatarum SS. Stanislai, & Aloysii e Societate Jesu. Adest quoque exemplum causæ infra memorandæ Beati, seu Servi Dei Seraphini de Asculo Laici Capuccini, in qua videlicet approbatus fuit casus exceptus ex indulto etiam a Paulo Papa V. ut ante illius sepulcrum lampas arderet. Consimile aliud indultum ab eodem Pontifice prodiisse testatur sæpe citatus Castellinus *de certitud. glor. SS. cap.* 2. *punct.* 42. *pag.* 110. §. 2. *Satis notum est, tabellas, votaque etiam argentea inveniri Romæ appensa in celeberrima S. Mariæ Majoris basilica in Capella sanctissimi Præsepii Domini Salvatoris nostri Jesu Christi, quam magnifice construxit fel. rec. Sixtus V. Ordinis Minorum S. Francisci, circa statuam sive Imaginem san. mem. Pii V. Ordinis Prædicatorum, de quo adhuc non extat Beatificatio. Sane cuncta hæc facta fuere, accedente consensu atque beneplacito fel. record. Pauli V. & virtute processus in Urbe compilati anno 1616. auctoritate Illustriss. & Reverendiss. Domini Cardinalis Millini Sanctissimi Domini nostri Vicarii circa virtutes, merita, miracula, famam, & sanctitatem celebrem ejusdem Pii V.* Demum circa hæc eadem tempora celebre fuit exemplum in causa S. Caroli Borromæi. Nam, cum statim post hujus obitum, magno facto populorum concursu ad ejusdem sepulcrum, ejusmodi atque alia publicum cultum redolentia ibidem fierent sine expressa Sedis Apostolicæ auctoritate, mandatum fuit Custodibus ecclesiæ Metropolitanæ Mediolanensis, ne sinerent lumina accendi, & tabellas eidem apponi sepulcro; teste Marco Aurelio Grattarola *in Actis dictæ causæ cap.* 8. *Però fu comandato alli Custodi del duomo, che usassero tutte le diligenze debite per moderare questo concorso di popolo, e che non lasciassero accender lumi, nè appender voto alcuno al detto sepolcro.* Verum id quidem incassum. Quapropter, delata harum rerum notitia ad Cardinalem Baronium, oraculum Pontificium Clementis VIII. fuit ab eo requisitum, *dopo aver data parte del tutto al Sommo Pontefice*: deinde ab eodem scripta est sequens epistola ad Vicarium Generalem Mediolanensem, typisque impressa *loc. cit. Essendosi qui udita la fama di molti miracoli, li quali si sono fatti e si vanno facendo dalla santa memoria del Cardinal Borromeo nella sua sepoltura, & inteso parimente, come finora la sua modestia ha più presto impedito il corso del popolo, che affettata la frequenza d'esso, con levar le tabelle offerte e i lumi accesi, laudo la sua modestia fino a un certo termine; il quale però non vorrei, che si convertisse in prudenza di carne*, quæ est inimica Deo. *E' scritto*: Spiritum nolite extinguere. *E già simili casi occorsi in Roma in più luoghi, e particolarmente nella sepoltura del B. Filippo, e in quella del B. Ignazio sono stati portati alla Congregazione de' riti, dove esaminati, è stato provato, questo potersi fare; e quando bisogni, se ne manderanno Scritti allora allegati e mostrati: e li dico, che nostro Signore, avendo udito e letto alcuni d'essi miracoli, ne è rimasto molto edificato, ed ha a caro, che d'essi se ne tenga memoria perenne. Sicchè V. S. R. lasci stare le tavolette ed altri voti nel luogo, dove sono portati dal popolo; lasci star accesi i lumi, i quali sono offerti dal popolo.* Et scitote, quia ruirificavit Dominus Sanctum suum. *Se alcuno vorrà sapere*, in qua potestate hoc facis; *li mostri la presente scritta di mia mano.* Ex verbis autem modo allatis bene infertur concessio seu permissio memorati Pontificis Clementis VIII. uti prosequitur Grattarola *cap.* 9. *Non si potrebbe esprimere mai con parole l'infinita allegrezza, che apportò al popolo Milanese questa lettera del Cardinale Baronio, quando s'intese, esser levato ogn'impedimento al*

pro-

progresso della divozione verso il Santo Arcivescovo, e ch' era poi lecito ad ognuno d' offerirvi voti, accendervi lumi, e farvi che donativi si voleva, che il sommo Pontefice Romano aggradiva tali pie azioni. Concordant Rotæ Auditores in relatione causæ *argumento* 24. quo in loco, postquam docuerunt, cultum publicum non posse exhiberi sine Sedis Apostolicæ potestate Dei Servo non beatificato neque canonizato, addiderunt, cultum Sancto Cardinali Carolo potissimum vero ad ejus sepulcrum, a Mediolanensibus exhibitum fuisse, intercedente Pontificia auctoritate. Hincque etiam profluxisse videtur, ut sepulcrum ipsum fuerit intra quosdam ferreos cancellos inclusum, hortatore eodem Cardinali Baronio; quemadmodum colligitur ex alia ejus epistola item edita apud Grattarolam *pag.* 16. Quare Andreas Maurocenus *in histor. Venet. ad an.* 1601. *pag.* 630. ait *Beatum illum appellans* (loquitur de Clemente VIII. summo Pontifice) *Cæsari Baronio Cardinali præcepit, Mediolanum rescriberet, ne posthac teri humanis vestigiis Beati viri sepulcrum Mediolanenses sinerent.*

13. Denique, quod summi Pontifices concesserint, ut nomen alicujus Dei Servi, vel Beati describatur in Martyrologio Romano; aut indulgentiam largiti sint visitantibus ecclesiam, in qua corpus ejus sepultum est, die ejusdem festo; aut ipsum ejus festum publice & solemniter celebrari permittant; aut ipsius Reliquias, instructo supplicantium agmine, circumferri; aut ejusdem commemorationem fieri sive extra Divina Officia, sive in Divinis ipsis officiis; aut tandem in ejus honorem Officium recitari, Missamque celebrari; hæc pariter singillatim sumpta, ad casum exceptum ex indultis Apostolicis sufficiunt. De nominis quippe scriptione in Martyrologio Romano præsto est exemplum causarum SS. Catharinæ de Bononia, & Agnetis de Monte Politiano; utpote in quibus approbatus fuit casus exceptus etiam dependendo a scriptione nominum earumdem jam facta in eodem Martyrologio. Quin immo Bollandiani *ad diem 9. Aprilis tom. 2. pag.* 826. putant, scriptionem hanc importare novam Canonizationem, etiamsi nullus antiquior cultus præcessisset, cum ajunt: *Quod autem ipsum* (nempe Sanctum Acacium Episcopum Amidæ in Mesopotamia) *hic inter Sanctos collocemus, fit solius Romani Martyrologii reverentia, cujus approbatio pro hoc, aliisque ejusmodi nonnullis Sanctis censeri potest ac debet nova & sufficiens Canonizatio, etiamsi nullus antiquior cultus præcessisset.* Verum, quidquid sit de hac assertione (quæ suo loco & tempore expendetur) id saltem certum est, cultum publicum Ecclesiasticum ex ipsa nominis in Romano Martyrologio scriptione derivari. De Indulgentiarum postea largitione exempla suppetunt collecta a Castellino *de certit. glor. SS. cap.* 2. *punct.* 58. quibus & addi possunt exempla causarum S. Laurentii Justiniani, SS. Joannis de Matha, & Felicis de Valois, S. Margaritæ de Cortona, B. Jacobi de Mevania, Beatique Salvatoris ab Horta. Facta enim in eis pariter fuit casus excepti approbatio dependendo etiam ab Indulgentiarum concessionibus iis factis, qui visitassent die eorumdem Sanctorum, aut Beatorum festo, aliave die, & quidem eorum nomine in Brevi aut bulla expresso, ecclesias, ubi eorumdem corpora sunt sepulta. Opinatur utique Matta *in tract. de Canonizat. SS. part.* 1. *cap.* 2. *num.* 20. nullam habendam esse rationem Brevium Indulgentiarum pro casu hoc excepto statuendo. Sed fallitur: nam primo obstant exempla modo indicata, necnon, præter alia multa quæ facili negotio congeri possent, obstat Alexandri IV. factum, cum in honorem BB. Sadoch, & quadraginta octo Sociorum Ordinis Prædicatorum, qui omnes una die & loco pro Fide Christi mortem receperunt a Scythis & Tartaris, benigne concessit, ut in die eorum obitus visitantes ecclesiam S. Mariæ civitatis Cracoviensis, ubi eorumdem corpora requiescunt, lucrifacerent eamdem Indulgentiam, quam promereri & lucrari solent visitantes ecclesiam S. Mariæ Majoris, aut S. Mariæ ad Martyres in Urbe, teste Castellino *de certitud. glor. SS. pag.* 152. Quis enim unquam affirmare poterit, ex ista concessione publicum cultum minime derivari? Deinde Indulgentia, quæ conceditur visitantibus ecclesiam die festo alicujus Beati, vel Sancti, intelligenda est de religiosa visitatione, quæ fit ad colendum Deum non modo in se ipso, verum etiam in Beato, vel Sancto, cujus nomen expressum est in Brevi, sive in bulla Indulgentiæ; sicuti probat textus *in Extrav. Antiquorum, de pœnitentiis & remissionibus*, ubi Bonifacius VIII. Indulgentias concedens visitantibus basilicam Principis Apostolorum sic inquit: *ut autem Beatissimi Petrus & Paulus Apostoli eo amplius honorentur, quo ipsorum Basilicæ de Urbe devotius fuerint a Fidelibus frequentatæ* &c. utque ad rem prosequitur Pignatellus *consult.* 252. *tom.* 1. Postremo Petrus Franciscus de Rubeis doctissimus olim Fidei Promotor *in suis animadversionibus factis in propositione causæ SS. Joannis de Matha, & Felicis de Valois super casu excepto*, visis Brevibus Indulgentiarum concessarum ab Innocentio X. & Alexandro VII. Christifidelibus peccata confessis & Pabulo cælesti refectis, qui ecclesias Ordinis SS. Trinitatis Redemptionis Captivorum visitassent die, quo celebrantur festa eorumdem Sanctorum Joannis, & Felicis, visoque Brevi altaris privilegiarii eorum nomini dicati, ita fatus est: *Ceterum hæc duo plurimum urgere videntur, nempe Indulgentiæ concessæ refectis sacramento Pœnitentiæ & Eucharistia visitantibus dictas ecclesias die, quo in illis celebratur festum dictorum Servorum Dei, & altaris privilegiati cum celebratione Missæ pro defunctis in sacellis eorum nomini dicatis, quatenus a dictis summis Pontificibus consulto emanaverint.* Hisce præpositis, assertio Mattæ, si ut labans notari non debet, poterit ad summum commode explicari de iis tantum Indulgentiarum Brevibus, quæ expediuntur ab Officiali juxta facultates, quas habet, inscio summo Pontifice (qua de re alias sermonem habebimus, quando scilicet regulas exponemus statutas pro Indulgentiarum concessione ab Officiali facienda) sive de illis, in quibus, licet Indulgentia concedatur visitantibus ecclesiam die, qua Beatus obiit, nulla tamen fit ejusdem Beati mentio, utpote cum ne ecclesia quidem sit nomini ejus dicata. In causa, puta, sæpe memorata tunc Beati, nunc Santi Stanislai Novitii Societatis Jesu cum actum fuit de casu excepto ex indultis a decretis Urbani VIII. inter cetera indulta Breve afferebatur Clementis VIII. quo Indulgentiam quidem concesserat visitantibus quamdam ecclesiam alii Sancto dicatam in regno Poloniæ die, quo mortuus erat Stanislaus, attamen nulla hujus facta mentione. Itaque, cum statum causæ tanquam Fidei Promotor referrem fan. mem. Clementi XI. Pontifex ille, qui in minoribus constitutus plurium annorum spatio laudabiliter functus fuerat officio a Secretis Brevium, atque adeo doctrina & rerum experientia maximopere pollebat, respondit, casum exceptum a prædicto Brevi nequaquam esse desumendum, sed a permissione alibi recensita; hoc est a Paulo V. facta exponendi ejusdem Stanislai Imaginem in altari una cum votivis eidem oblatis.

14. De facultate festum publice & solemniter celebrandi, aut Reliquias exponendi, easque, instructo supplicantium agmine, circumferendi itidem non desunt exempla. Leo siquidem Papa X. in suis litteris Apostolicis scriptis Episcopo Syracusano, quas videre licet apud Bollandianos *ad diem 19. Februarii tom. 3. pag.* 160. de B. Conrado Placentino, seu de ejus cultu sic statuit: *Fraternitati tuæ per præsentes committimus & mandamus, ut de præmissis nobis expositis te diligenter informes: & , si, servatis servandis, præmissa vera fore repereris:... ut eumdem Conradum, prout alios Beatos nondum canonizatos, venerari, illiusque festum die per te deputanda celebrare... libere & licite possint & valeant, licentiam & facultatem perpetuo concedas*; & in aliis litteris Apostolicis pro cultu tunc Beati, nunc Sancti Philippi Benitii: *Ac etiam, quod a primis Vesperis usque ad secundas Vesperas inclusive diei ipsius Philippi obitus, qui erit dies* 23. *mensis Augusti, sub duplici festo Confessoris cum candelis, campanis, Antiphonis, Versiculis, Orationibus, ceterisque cæremoniis in festo duplici fieri solitis adhibitis celebrare* (festum) *possitis & valeatis, auctoritate Apostolica tenore præsentium de specialis dono gratiæ concedimus & indulgemus.* Gregorius X. proficiscens ad Concilium Lugdunense, cum perveniisset ad Podium Bonitii in Etruria, motus fama miraculorum cujusdam Servi Dei nomine Lucensis, sive Luchesii, aut Lucii, qui primus ingressus est Tertium Ordinem Pœnitentium S. Francisci, fecit, ut caput ipsius supplici ordine circumferretur; in cujus facti memoriam quotannis solemnitas celebratur, sicuti legitur apud Wadingum *t.* 4. *ad an.* 1273. *num.* 14. necnon apud prædictos Bollandianos *ad diem* 28. *Aprilis tom.* 3. *pag.* 595. ut & apud Bollandum *ad diem* 30. *Jan. tom.* 2. *pag.* 1070. fertur, Eugenium IV. indulsisse, tunc Beati, nunc Sancti Andreæ Corsini corpus publice ostendi cum luminibus & thurificationibus; quemadmodum etiam habetur in relatione supra citata Rotæ Auditorum *loco allegato*.

15. Ad commemorationem vero extra Divina Officia quod spectat, conferunt sequentia; nimirum & quod

sæpe

æpe memoratus Leo X. Apoſtolicum Breve expediverit, quo Fratribus Franciſcanis S. Mariæ Novæ civitatis Neapolitanæ indulſit, ut quotidie poſt *Completorium* ſupplici ordine accedere poſſent ad ſepulcrum B. Jacobi de Marchia, & canere hymnum in ejus honorem cum Indulgentia adſtantibus unius anni & quadraginta dierum; & quod Sixtus Papa IV. in honorem Servi Dei Matthæi de Mantua Ordinis Prædicatorum conceſſerit, non modo ut ejus corpus, unde primum ſepultum fuerat, tranſportaretur ad locum digniorem in ipſa eccleſia; verum etiam ut in feſto dedicationis eccleſiæ S. Petri Martyris de Viglevano cantari poſſet hymnus cum Oratione: quod ab eo tempore uſque in præſens factum eſt, veluti ex authenticis documentis probat Caſtellinus *de certitud. glor. SS. pag.* 153. Ita & ad commemorationem ipſam in Divinis Officiis exempla faciunt infra memoranda ſummi Pontificis Leonis X. in cauſis BB. Hoſannæ de Andreaſiis, & Zitæ Lucenſis, & exempla S. Pii V. in cauſis BB. Columbæ Reatinæ, & Margaritæ de Sabaudia, præter appoſite adnotata a Pignatello *conſult. 46. tom.* 4. Demum de conceſſione Officii ac Miſſæ vel de communi, vel cum lectionibus propriis, in qua porro ſtat ſupremum pondus Eccleſiaſtici cultus, & indubitatum caſus excepti fundamentum, alibi fuſe tractabimus.

16. De indulto Miſſam celebrandi de Sanctiſſima Trinitate, aut de Æterna Sapientia, vel de omnibus Sanctis in die anniverſaria Servorum Dei, vel Beatorum, diſputari poteſt, utrum ad publicum cultum ſit referendum, ideoque utrum ſuper illud firmari poſſit caſus ab Urbani VIII. decretis exceptus, necne. Affirmativa propoſitio etſi placet Recentioribus, eamque amplectuntur Del Bene *de Inquiſit. tom.* 2. *par.* 2. *dubit.* 234. *ſect.* 2. *petit.* 9. *num.* 1. *& petit.* 10. Paſqualig. *in addit. ad Lauret. de Franch. de controv. inter Epiſ. & Regul. num.* 1228. *&* 1232. Pignatell. *conſult.* 198. *tom.* 1. in ipſam tamen nonnullæ animadverſiones fieri poſſunt. Interrogarus etenim Paulus Mucantius Secretarius Congregationis ſacrorum rituum a Clericis Regularibus Theatinis, an die anniverſaria Servi Dei, ſcilicet tunc temporis neque beatificati neque canonizati, Andreæ Avellini ſolemnem Miſſam de Sanctiſſima Trinitate celebrare poſſent, ita reſpondit epiſtola typis impreſſa inter Acta Beatificationis ejuſdem Andreæ *pag.* 47. *Credo, che già ſappiano, che il culto e venerazione pubblica verſo quelli Servi o Serve di Dio, che ſono morti con opinione di ſantità, non ſi può nè deve dare a neſſuno ſenza licenza o autorità della Sede Apoſtolica. Però non ſi poſſono, nè devono celebrar Meſſe, nè recitar Offizio, nè dir pubbliche Orazioni per qualſivoglia perſona ſenza detta licenza o autorità; ancorchè ſia morta con opinione di ſantità, e che abbia fatti e faccia miracoli, e che il popolo le abbia gran divozione e venerazione. Ma la privata divozione e venerazione non ſi può togliere nè levare a neſſuno: e però io credo, che nel giorno anniverſario della morte di queſto Servo di Dio ſi poſſa celebrare una Meſſa ſolenne della Santiſſima Trinità quaſi pro gratiarum actione, per dare qualche conſolazione al popolo, che vi concorre.* Affertur etiam in eadem epiſtola exemplum S. Franciſcæ Romanæ, ante cujus Canonizationem Cardinales, præcipue vero Romæ nati, ad eccleſiam, in qua ſepulta eſt, conveniebant, & Miſſæ ſolemni aſſiſtebant, quæ ab Epiſcopo celebrabatur de Quadraginta Martyribus, quorum videlicet feſtum eadem anniverſaria Franciſcæ obitus die colebatur, cum *Credo*, & unica *Collecta* de ipſis Sanctis, ſine commemoratione *feriæ Quadrageſimalis*: ſicut etiam conſimilia tunc peracta eſſe Secretarius idem teſtatus eſt in honorem S. Philippi Nerii eo pariter tempore neque beatificati nec canonizati. Pater quoque Ceparius *in direct. mſ. Canoniz. SS. lib.* 2. *cap.* 8. *ad dub.* 16. hæc habet: *Memini me legiſſe anno* 1583. *in Collegio Romano in prima illa vita manuſcripta B. Franciſci Xaverii, quæ allata fuit ex Luſitania, cantatam fuiſſe Miſſam*, Gaudeamus omnes in Domino diem feſtum celebrantes *&c. cum ejus corpus ex portu Sinarum translatum Goam pervenit. Item Romæ ſingulis annis cum ſolemnibus Miſſa & Veſperis vel currentis temporis, vel de Trinitate colebantur dies anniverſarius B. Ignatii Loyolæ, & Philippi Nerii, antequam haberentur de illis diplomata Pontificia. Similiter Romæ in die anniverſario B. Aloyſii cantabatur Miſſa de Trinitate cum primis & ſecundis Veſperis. Sic etiam de B. Stanislao Koſtka cantatur Miſſa de feſto currenti cum primis & ſecundis Veſperis cum maximo apparatu.* Nec omittendum eſt hoc loco exemplum S. Pii V. utpote cum notiſſimum ſit, quod ſimiliter ante ejus Beatificationem & Canonizationem die ejuſdem anniverſaria canebatur coram ſacro Cardinalium Collegio in baſilica Liberiana Miſſa de Sanctiſſima Trinitate. Sed & his eorum exempla cohærent, quæ facta ſunt, & forte etiam fiunt extra Urbem. In civitate quippe Forolivienſi die obitus Servi Dei Maſculini Ordinis Prædicatorum celebratur Miſſa ſolemnis de Sanctiſſima Trinitate, teſte Caſtellino *de certitud. glor. SS. loc. cit.* Item Scallabi ſeu Santirenæ in Luſitania die anniverſaria B. Ægidii ex eodem Prædicatorum Ordine, antequam impetratum eſſet Officium proprium, celebrabatur Miſſa de omnibus Sanctis, ſicuti fertur apud Bollandianos *ad diem* 24. *Maji tom.* 3. *pag.* 402. Inſuper apud Molanum in natali Sanctorum Belgii *ad diem* 14. *Aprilis* legitur, Miſſam de Sanctiſſima Trinitate cantari in feſto B. Liidwigis; *ad diem* autem 6. *Martii* in eccleſia Monialium S. Franciſci, & *ad diem* 11. *Decembris* in eccleſia Monialium Ciſtercienſium die feſto BB. Coletæ, Idæ Miſſam de omnibus Sanctis; quorum exemplorum cauſa Molpheſius *conſil.* 45. *concl.* 7. tradit, permiſſum eſſe die feſto Servorum Dei non beatificatorum neque canonizatorum canere Miſſam, etiam ſolemnem, de Sanctiſſima Trinitate. Demum docet S. Thomas in 4. *diſt.* 12. *quæſt.* 2. *art.* 7. *quæſt.* 2. Miſſam celebrari adhuc poſſe pro parvulis baptizatis, non quidem ad redemptionem culpæ, nec ad augmentum gloriæ, ſed ad ſolatium virorum, ad commendandum redemptionis noſtræ myſterium, ad gratiarum actionem pro ipſis parvulis, & ad oſtendendum, quod pertinent ad corpus Chriſti Myſticum. Et ſane, ne plebs imperita, quæ ſola rerum ſpecie ducitur, ſi videret, in infantium obitu Sacra & preces perinde fieri, atque pro aliis defunctis, putaret, eos ad exſolvendas Purgatorii ignis pœnas Eccleſiæ ſuffragiis indigere; in pleriſque ritualibus libris eccleſiarum Gallicanarum præſcriptum eſt, ut, ſi Miſſa celebrari velit pro parvulis baptizatis, celebretur de Sanctiſſima Trinitate, aut de Angelis, vel de die currenti, quemadmodum late habetur apud Thiers *in tract. de ſuperſtit. quoad Sacramenta cap.* 9.

17. Verum enimvero, his, & ſi qua ſint, hujuſmodi aliis nihil obſtantibus, adhuc exiſtimarem, Apoſtolicam conceſſionem celebrandi Miſſam de Sanctiſſima Trinitate, aut de Æterna Sapientia, vel de die currenti ad publicum cultum eſſe referendam, & ideo ſuper eam caſum exceptum ex indultis fundari poſſe. Nam primo, cum ex circumſtantiis optime deprehendatur, illiuſmodi Miſſam minime offerri pro anima ejus Servi Dei, in cujus anniverſaria die celebratur, ſed ſubſtitui in locum Miſſæ de Requie, eo quia pie creditur, eamdem animam ſuffragiis noſtris non indigere; iſta fiducia per Miſſæ ſacrificium expreſſa cultum publicum importat, licet minorem eo, qui per Miſſam ſignificatur celebratam ipſius Servi Dei nomen in *Collectis* exprimendo. Deinde, dum anno 1440. Eugenio Papa IV. Florentiæ commorante, Florentini maximopere vexarentur a Philippo Mediolanenſi Duce, atque a Nicolao Piccinino miſitæ principe, cum cuidam juveni nuntiatum cælitus eſſet a B. Andrea Corſino, ut adverſus aggreſſores caſtra moverentur die feſto S. Petri, non ſine ſpe victoriæ, cumque ipſa die pugnatum eſſet, hoſte debellato; auctoritate prædicti ſummi Pontificis ſolemnis ſupplicatio facta eſt ad ejuſdem Beati tumulum, necnon de ipſius Pontificis voluntate cantata eſt ſolemnis Miſſa de Sanctiſſima Trinitate, teſte Petro Andrea de Caſtaneis *in vita Beati inter Mſſ. biblioth. Vaticanæ*, & ut refert Bollandus *ad diem* 30. *Januarii tom.* 2. *pag.* 1070. Poſtremo, cum, conſtructo proceſſu ſuper caſu excepto a Cardinali Macchiavello Epiſcopo Ferrariæ in cauſa B. Luciæ de Narnia, conſuetudo quædam irrepſiſſet canendi die ejus feſto Miſſam de Sanctiſſima Trinitate; claræ autem memoriæ Cardinalis Del Verme ante dictæ civitatis item Epiſcopus nonnullas excitaſſet ſuper eodem cultu difficultates, quin immo abſtinuiſſet a conceſſione, quæ quotannis petebatur atque adeo fiebat, Miſſam ipſam de Sanctiſſima Trinitate celebrandi: ſubinde vero ad ſubmovendas difficultates Poſtulatores pro caſus ab Urbani VIII. decretis excepti approbatione inſtitiſſent & eam obtinuiſſent anno 1710. (ut infra etiam videbimus) necnon laudatas Cardinalis Del Verme cultum conſuetum reſtituiſſet; anno ſequenti editum eſt a ſacrorum rituum Congregatione hoc decretum: *Expoſito ſacrorum rituum Congregationi, quod in executionem decreti ſeu ſententiæ, lati ſeu latæ a clar. mem. Eminentiſs. & Reverendiſs. Domino Cardinali Macchiavello Epiſcopo Ferrarienſi anno* 1647. *ſuper cultu ab immemorabili B. Luciæ de Narnia præſtito, & ab eadem*

ſacro-

sacrorum rituum Congregatione approbato & confirmato sub die 15. *Febru.* 1710. *Eminentiſs. & Reverend. Dominus Cardinalis Del Verme civitatis Ferrarienſis Epiſcopus eidem Beatæ cultum præſtari conſuetum reſtituerat; & attento, quod impræſentiarum Eminentiſs. & Reverendiſs. D. Cardinalis Joſeph Sacripantes, etiam nomine Reverendiſs. Epiſcopi, utriuſque Cleri Secularis, & Regularis, ac totius populi ejuſdem civitatis Narniæ, pro extenſione facultatum celebrandi feſtum præfatæ Beatæ die* 15. *Novembris ſuæ felicis obdormitionis in Domino cum expoſitione Reliquiæ obtentæ a Prioriſſa & Monialibus monaſterii S. Catharinæ civitatis Ferrarienſis, nempe unius cruris ſupradictæ Beatæ, & celebratione Miſſæ de Sanctiſſima Trinitate præfatæ ſacrorum rituum Congregationi demiſſe ſupplicavit: Eadem ſacra Congregatio ad relationem Eminentiſs. & Reverendiſs. Domini Cardinalis S. Clementis, audito prius tam in voce, quam in ſcriptis Domino Proſpero de Lambertinis ſacræ Conſiſtorialis aulæ Advocato & Reverendiſs. Domini Archiepiſcopi Myrenſis Fidei Promotoris coadjutore, reſpondit pro gratia juxta petita, ſi Sanctiſſimo Domino noſtro videbitur: Die* 22. *Auguſti* 1711. *Et, facta deinde de prædictis per me Secretarium Sanctiſſimo Domino noſtro relatione, ſanctitas ſua benigne annuit: Die* 25. *Septembris ejuſdem anni* 1711. Scilicet, cum ſtra imploretur precibus quod jure conceditur, ſignum evidentiſſimum inde eſt, quod ſi petita fuit & conceſſa facultas celebrandi Miſſam de Sanctiſſima Trinitate, hæc ſane effecta ſunt ex ſuppoſitione, quod ipſa celebratio fieri non poſſet ſine Sedis Apoſtolicæ permiſſione, ideoque quod eadem cultum publicum importaret: ſiquidem ex alibi dictis privatus cultus jure prorſus ſuo exhiberi poteſt Dei Servis, licet non beatificatis neque canonizatis, &, quod conſequitur, potiori jure beatificatis Beatificatione *æquipollenti*. Ad exempla vero ſupra objecta quod attinet, ex his certe propoſitum non conficitur: ſi enim Miſſæ publice in Urbe celebrabantur coram ſacro Cardinalium Collegio, ſummoque Pontifice id ſciente & minime improbante, de tacito indulto dubitandum eſſe nequaquam videtur. Præterquamquod in cauſa S. Pii V. re delata ad ſacrorum rituum Congregationem, hæc die 1. Februarii 1625. reſpondit, celebrationem Miſſæ de Sanctiſſima Trinitate tolerandam eſſe.

18. Ad hæc alia plura de indultis a ſummis Pontificibus adjici poſſent; præſertim autem, quia exempla ab indultis ipſis petita non *taxative*, ut ajunt Juriſperiti, ſed demonſtrative in ſuperioribus allata ſunt. Verum hæc ipſa tantum indicaſſe ſufficiat, ut liceat ad alia properare.

CAPUT VIGESIMUMPRIMUM.

De caſu excepto ex permiſſione ſacræ Congregationis; & de aliis, quæ communia ſunt tum caſui excepto ex Pontificiis indultis, tum caſui excepto ex dicta permiſſione.

1. CASUS eſt exceptus ex permiſſione ſacræ Congregationis, non quando ſummus Pontifex cultum publicum indulget alicui Servo Dei, prævio ejuſdem ſacrorum rituum Congregationis conſilio; tunc quippe actus potius eſt ſummo ipſi Pontifici, quam ſacræ Congregationi adſcribendus: ſed quando ſacra eadem Congregatio vi juriſdictionis ſibi datæ per bullam Sixtinam ex ſe permittit, ut alicui Servo Dei aliqua cultus publici ſpecies exhibeatur. Quod ante Urbani VIII. decreta aliquando fiebat; verum poſt decreta ipſa vix fieri poteſt, cum juxta recentiorem conſuetudinem ſacræ Congregationis reſponſa de hac materia ſummo Pontifici referantur, ut confirmentur: & hæc porro Apoſtolica confirmatio actum confirmatum transfundit ad confirmantem, atque adeo efficit, ut idem actus ad hunc potius, quam ad illum, qui eum fecit, ſit referendus.

2. Pertinere videntur ad caſum exceptum ex Permiſſione Sacræ Congregationis, quæ contigerunt in cauſa Servi Dei Alexandri Sauli, licet hæc poſtea proceſſerit per viam non cultus; atque in cauſa S. Ignatii. Ad illam ſiquidem quod ſpectat, Venerabilis Dei Servus Cardinalis Bellarminus hortatus fuit, ne Cultus in honorem Alexandri prædicti introductus interrumperetur, atque adeo ut continuaretur, monuit; teſte Joanne Baptiſta Sfondrato Epiſcopo Ticinenſi juxta ea, quæ habentur in proceſſu ſuper virtutibus ipſius Alexandri. Ad hanc vero, ſcribit Pater Bartolus *in vita S. Ignatii, lib.* 4. *n.* 40. quod, ut audivit Cardinalis Baronius ſermonem a Cardinali Bellarmino recitatum de virtutibus, & miraculis ejuſdem Ignatii tunc neque Beatificati, neque Canonizati, propriis manibus ejus effigiem una cum votivis oblatis ſuper ipſius ſepulcrum appendere voluit, ſeque & ſecum alios ejuſdem interceſſioni commendavit: *Comandò che ſe ne portaſſe un Quadro, e ſalito ſulle ſcale egli medeſimo colle ſue mani ve l' appeſe, e con eſſo dall' una parte, e dall' altra alcuni voti già prima offertili da' divoti. Ciò fatto, proſtroſſegli innanzi, e vi fece di nuovo orazione, e con lui il Bellarmino e tutt' i Padri, che ne piangevano per allegrezza.* Nimirum, cum uterque eſſet inter Cardinales præpoſitos ſacris ritibus, veriſimile admodum eſt, recenſita feciſſe ſpe ductos, ut eadem rata haberentur a ſacra ipſa Congregatione: & idcirco *in part.* 5. *hiſt. Soc. Jeſu tom.* 2. *lib.* 15. *pag.* 336. hæc de Baroniano facto leguntur: *Quæſivit Cardinalis Baronius a Patribus qui frequentes occluſis templi foribus audiebant, cur nulla eſſet propoſita publice ad venerationem Imago Ignatii? Objicientibus religionem Patribus, & metum, ne Sedis Apoſtolicæ judicia prævenirent: Vos vero (ſubjecit Baronius) iſto ſolutos metu volo: ſimulque B. Patris Effigiem poſtulat, veneratur, ſupra tumulum ejus appendit, procidentibus in genua cunctis, qui aderant, & arcano quodam inſtinctu ad venerandum concitatis, præeunt ipſo Baronio, & humum tumulo ſubjectam deoſculante. Nec iis contentus, eodem die ſub veſperam populum e ſuperiori loco alloquens in æde ſacra Oratorii ſermonem intulit de Ignatio, & ad ejus venerationem omnes cohortatus eſt. Demum in ſacra rituum Congregatione, quæ triduo poſt, nempe tertio nonas Sextil. ann.* 1599. *habebatur, palam, quid egiſſet, prædicavit, ſuumque factum veteribus exemplis & recentibus confirmavit.* Quatenus autem exempla adducta apta alicui non viderentur ad caſum exceptum ex permiſſione ſacræ Congregationis, illud præſto eſt cauſæ B. Salvatoris ab Horta, de qua infra; utpote in qua approbatus fuit caſus exceptus ab Urbani VIII. decretis, dependendo etiam a duobus decretis ejuſdem ſacrorum rituum Congregationis, ut infra videbimus.

3. Convenit porro caſus exceptus ex indulto a ſummo Pontifice cum caſu excepto ex permiſſione ſacræ Congregationis in pluribus. Cultus enim in utroque permiſſus debet eſſe publicus. In utroque neceſſe non eſt, ut conſtruatur peculiaris proceſſus; ſed pro habenda eorum declaratione ſatis erit, ut cultus permiſſio in forma authentica exhibeatur. Ad utrumque vero neceſſarius erit proceſſus cum examine teſtium, ſi indultum a ſummo Pontifice tantum eſſet verbale, ſive ſacræ Congregationis decretum non fuiſſet ex incuria in regeſtis adnotatum, vel ejus exemplum authenticum, jam Poſtulatoribus traditum, fuiſſet deperditum. Quamobrem in ſæpe memoratis cauſis B. Seraphini de Aſculo, Sanctorumque Stanislai, & Aloyſii e Societate Jeſu indultum a ſummo Pontifice, utpote quod verbale fuerat, comprobatum eſt teſtibus, monumentis, aliiſque conſimilibus argumentis, quæ omnino perſpicue verbale ipſum indultum evicerunt: itemque in cauſa B. Salvatoris ab Horta, quoniam alterum tantum ex duobus ſacræ Congregationis decretis inventum erat, primum firmatum eſt teſtibus ſecundum juris ſolemnitatem examinatis, hiſtoriis, monumentis, ſcripturiſque ejuſdem *præexiſtentiam* comprobantibus; quæ etiam ex altero illo decreto probata eſt; in altero ſiquidem primum ponebatur, & illud quidem in regeſtis adnotatum erat. Id denique inter utrumque caſum convenit, quod utrique haud ſufficit indulti, vel, pro ſuo cujuſque reſpectu, reſcripti exhibitio, ſed præterea neceſſe eſt inde conſecutum uſum oſtendere, & uſque ad id tempus productum, quo proponitur in ſacra Congregatione dubium pro ipſius caſus excepti approbatione: ut puta, ſi conceſſa fuerit facultas ſolemne feſtum anniverſaria recurrente die alicujus obitus celebrandi, ſive alicujus Imaginem publica in eccleſia exponendi, opus erit, ut præter exhibitionem indulti demonſtretur, a tempore conceſſio-

UAB Biblioteca de Ciències Socials

cessionis ad tempus, quo in sacra Congregatione petitio promoveatur, festum idem celebratum, sive Imaginem in ecclesia collocatam & retentam fuisse; tum quia observantia plurimum prodest, etiamsi agatur de Apostolicis indultis, tum quia, quemadmodum antea dictum est, incongruum prorsus esset, ut cultus, qui adfuit, non autem amplius adest, a sacra Congregatione approbaretur; tum etiam quia verba sententiæ a Judice ordinario, vel delegato ferendæ, deinde a sacra Congregatione confirmandæ, hujusmodi esse consueverunt: *Cultum exhibitum fuisse & exhiberi ex indultis Pontificum, aut ex permissione sacræ Congregationis*: quæ profecto tempus etiam complecteruntur, quo memorata fertur sententia. Omittendum vero non est, quod, facta exhibitione in forma authentica indulti, usus postea probari poterit per *extrajudiciales* probationes, & sine solemnitate rigidi processus; ut & eodem modo in utroque ex dictis casibus probari potest continuatio cultus a die latæ sententiæ ad tempus usque quo petitur istius approbatio a sacra Congregatione, si notabile tempus inter ipsam sententiam, ejusque approbationis petitionem intercesserit; sicuti, cum de non cultu agebamus, monuimus: nam, si prætenderetur necessitas formalis processus ad comprobandum usum indulti, inane tunc esset privilegium supra recensitum, atque a sacra Congregatione conceptum a constructione processus *dispensans*, solamque ipsius indulti in forma authentica exhibitionem admittens, quotiescumque agitur de casu excepto ex Apostolicis iisdem indultis.

4. Ad hæc pro recta causarum per hanc viam procedentium directione scitu dignum est, quod modo ampliora, modo strictiora indulta a summis Pontificibus facta sunt; quod & de sacræ Congregationis rescriptis dici potest. Interdum siquidem summi Pontifices tantum indulserunt, ut ex. gr. Imago Servi Dei in publica ecclesia exponeretur; nonnunquam expositionis ipsius indulto simul & semel facultatem addiderunt Officium recitandi Missamque celebrandi; alias vero, data prius facultate Imaginem exponendi, minime eodem contextu, sed post aliquod temporis intervallum, potestatem fecerunt Officium recitandi ac Missam celebrandi. Itaque quodlibet ex his indultis satis quidem est ad approbationem casus excepti; at Postulatores tamen, qui plura obtinuerunt deinceps indulta, bene consuluut causæ, si eam approbationem petentes, omnia quæ habent, exhibeant: sic enim facilius, quod petunt, consequentur, hoc est ipsam casus excepti ex Apostolicis indultis approbationem. Interea vero tempus, quo indulta eadem prodierunt, sedulo animadvertant, oportet: nam, quia in causæ progressu disputanda sunt miracula, quæ ab indulta veneratione supervenerunt, si miracula patrata sint tempore intermedio, id est inter primum indultum, & subsequentia indulta, quæ non venerationem, sed venerationis augmentum largita fuerint, dummodo approbentur, ea ita proderunt ad Canonizationem obtinendam, ut necesse minime futurum sit, nova expectari miracula, quorum ope Canonizatio ipsa sit impetranda.

5. Practicis porro exemplis poterit hæc assumptio illustrari. Stanislaus Kostka mortuus est anno 1568. anno autem 1605. (ut alibi dictum fuit) summus Pontifex Paulus V. concessit, ut ejus Imago, quæ in sacrario asservabatur una cum votivis oblatis, ad publicam venerationem cum iisdem votivis exponeretur in ecclesia Sancti Andreæ Patrum Societatis Jesu. Anno deinceps 1619. signata fuit causæ *Commissio*; tum anno 1659. pronuntiatum fuit de casu ab Urbani VIII. decretis excepto. Anno 1670. san. mem. Clemens Papa X. prævio consilio Congregationis sacrorum rituum, ipsi tunc Beato Missam & Officium in determinatis nonnullis locis indulsit, itemque anno 1674. idem Pontifex eum principaliorem regni Poloniæ, & magni Ducatus Lithuaniæ Patronum declaravit. Hisce politis, ut tuto pede ad Canonizationem progressus fieret, instituta fuit disputatio de virtutibus heroicis; tum autem, post favorabilem istius dubii resolutionem, transitus factus est ad examen miraculorum: & in Congregatione antepræparatoria super his habita anno 1711. in ædibus clar. me. Cardinalis de Abdua causæ Relatoris magna inter Consultores controversia exorta est de miraculis, quæ essent examinanda. Concordabant nempe omnes examinanda fore ea quæ ab indulta veneratione supervenerunt; sed momentum in eo erat, ut videretur, quando indulta dicenda esset ipsa veneratio. Articulus ergo iste, utpote pertinens ad ordinativa judicii, remissus fuit ad sacram Congregationem ordinariam, demandataque mihi tanquam Fidei Promotori provincia, ut eum pro veritate expenderem: Scripturam idcirco exaravi, quæ unicuique sacrorum rituum Cardinali tradita fuit, ubi, venerationem vere indultam fuisse, ostendi, cum auctoritate Pauli V. facta fuit Imaginis expositio in publica ecclesia; posteriora autem a Clemente X. Indulta venerationem minime concessisse, sed tantum jampridem conceptam auxisse, & ideo examinanda esse etiam miracula patrata post annum 1605. atque ante annos 1670. & 1674. Quapropter sacrorum rituum Congregatio sensit, initium venerationis esse desumendum ab anno 1605. & sacræ Congregationis sensus die 28. Julii anno 1711. fuit a san. mem. Clemente XI. approbatus. Et sane in eadem causa examinata atque approbata fuere miracula, quæ a veneratione anno 1605. concepta supervenerant; ab iisque dependendo, ad Canonizationem progressus est factus.

6. Aloysius Gonzaga obiit anno 1591. ex indulto autem a summo Pontifice Paulo V. die 21. Maji 1605. exposita fuit ejus Imago cum votivis in publica ecclesia, moxque festi solemnitas per dies octo subsecuta fuit. Postea, ut cetera, quæ in causa contigerunt, prætereamus, quippe ad propositum minus facientia, examinatis virtutibus atque miraculis respecta ad Canonizationem habito, die 31. Maji 1618. approbante summo Pontifice facta est concessio Officii ac Missæ; deinde etiam Beati nomen in Martyrologio Romano cum insigni elogio descriptum est. Supervenerunt deinceps Urbani VIII. decreta; cumque pro Canonizatione obtinenda ostendenda esset obedientia eisdem decretis præstita, facta fuit exhibitio indultorum in forma authentica de Officii ac Missæ concessione: quamobrem sacrorum rituum Congregatio, approbante summo Pontifice, die 23. Septembris 1724. respondit, constare de casu ab ipsis Urbani VIII. decretis excepto. Post hæc, ut innotesceret, utrum miracula jam approbata indultam venerationem secuta essent, necne, instituta est disputatio de tempore, unde desumendum esset initium cultus a Sede Apostolica jam indulti: & sacra Congregatio, approbante Sanctissimo, die 9. Decembris ejusdem anni 1724. iterum considerans, cultum inter & cultus incrementum plurimum interesse, respondit, cultus exordium deducendum esse a die 21. Maji 1605. quo summus Pontifex Paulus V. benigne concessit, ut Beati Imago ad publicam venerationem in ecclesia exponeretur. Quo demum statuto, examinata atque approbata fuere etiam miracula post modo dictum annum patrata, necnon ab iis dependendo ad Canonizationem ventum est: ideoque non opus fuit expectare miracula, quæ fierent post annum 1618. quo facta fuerat Officii ac Missæ concessio.

7. Jacobus de Marchia decessit anno 1476. Percrebrescente autem fama sanctitatis ejus atque miraculorum, summus Pontifex Leo X. anno 1515. (ut alias monuimus) per suas litteras in forma Brevis Fratribus Franciscanis Conventus S. Mariæ Novæ civitatis Neapolitanæ concessit, ut quotidie post *Completorium*, supplici instructo agmine, ad ejus sepulcrum accedere possent & canere hymnum in ejusdem honorem. Post sæculi decursum, prævia discussione virtutum & miraculorum, Urbanus Papa VIII. indulsit recitationem Officii Missæque celebrationem. Subinde, editis ab eodem Urbano generalibus decretis, casus exceptus indultorum ratione ostensus fuit; tum, *remissorialibus* petitis *litteris*, conditi fuere novi processus super novis miraculis, in quorum sequelam ad Canonizationem denique ventum est. Sæpe vero miratus sum, quare, postquam approbatus fuit casus exceptus, causæ hujus Postulatores progressum ad Canonizationem minime contenderint ex miraculis etiam ante Officii Missæque concessionem approbatis, utpote indultam anno 1515. a Leone X. venerationem secutis, atque adeo quare *litteræ remissoriales* expediri curaverint, ut constare tantum posset de iis, quæ supervenerant post venerationem anno 1624. ab Urbano VIII. concessam. Sed cessavit admiratio, statim ac, pervolutis causæ Actis, vidi, Postulatores Leoninam concessionem ignorasse, cum supplicarunt pro dictarum Litterarum expeditione; quippe quod nullla ejus mentio fiebat in Brevi Urbani VIII. & Breve Leonis tantum longe post repertum fuit, hoc est anno 1702. dum Sancti Jacobi scripta perquirerentur. Constructis idcirco processibus super miraculis post Urbani indultum patratis, iisdemque in Sacra Congregatione propositis & approbatis, ad Canonizationem ventum est; protestantibus tamen Postulatoribus, ad quorum notitiam tandem pervenit

Breve Leonis X. quod ad eam obtinendam satis essent miracula ante Breve Urbani VIII. approbata, utpote indultam a Leone X. venerationem secuta.

8. Itaque ex practicis his exemplis unusquisque facili negotio colligere poterit, quam multum referat, ut debita fiat Venerationis distinctio ab ejusdem augmento, &, quod consequitur, ut verum indultæ venerationis tempus statuatur, quo videatur, quænam sint miracula, quæ indultam venerationem secuta sunt. Unusquisque etiam ex dictis facile cognoscet, in causis procedentibus per viam casus excepti aut ex Indultis a Summis Pontificibus, aut ex permissione Sacræ Congregationis cultus initium esse desumendum ab ipso sive Indulto Pontificio, sive Sacræ Congregationis Rescripto, quo prima facultas Dei Servum aliqua cultus publici specie colendi conceditur; & ita quidem, ut miracula, quæ post ejusdem Indulti, aut rescripti tempus patrata fuerint, jure dicenda sint indultam venerationem secuta; &, quatenus approbentur, ad impetrandam Canonizationem merito conducere valeant.

9. Difficultas quoad hanc rem inest in causis procedentibus per viam casus excepti ex tempore immemorabili, de quibus singillatim Capite sequenti. Præmisso enim, ut infra videbimus, quod immemorabile tempus debet centum annos excedere, quodque centenarius hic annorum numerus elapsus sit oportet ante constitutionem Urbanam, & sane ita, ut nulla post eam gesta in ipsius numeri centenarii calculo computentur; disputandum in præsens proponitur, utrum miracula completum centenarium annorum numerum subsecuta supervenisse dici debeant post indultam venerationem Canonizationis obtinendæ gratia, an ad id ea tantum miracula apta sint, quæ supervenerunt, postquam ab Apostolica Sede confirmata est sententia Judicis ordinarii, vel delegati super casu a Decretis excepto ratione cultus immemorabilis. Profecto, dum Fidei Promotoris munere fungebar, quæstionem hanc ipse movi in causa Beati Gregorii Papæ X. cum in ea proponeretur dubium super miraculis, quæ ab indulta veneratione supervenerant. Verum quæstio ipsa tunc resoluta non fuit, tum quia nullum prodiit Decretum super approbatione miraculorum, tum quia Postulatores, ut vim difficultatis evitarent, dixerunt, venerationem non tam propter centenarium annorum numerum, quam propter Indultum ab Innocentio V. fuisse Beato Gregorio concessam, hinc inferentes, miracula omnia post Indultum patrata dici debere indultam venerationem secuta. Quæstionem tamen tunc minime resolutam iterum perpendendam & examinandam proposui in causa Sancti Joannis Nepomuceni. In ea quippe, confecto auctoritate ordinaria processu super Martyrio, & miraculis, signataque *commissione introductionis*, actum fuit de casu excepto ab Urbani Decretis ratione cultus immemorabilis, seu centenarii annorum numeri jam completi prope annum 1634. quo edita fuit Urbana constitutio. Die itaque 31. Martii 1721. approbatus fuit casus exceptus ratione cultus immemorabilis a Sacrorum Rituum Congregatione, cujus porro deliberatio fuit a sanctæ memoriæ Innocentio XIII. comprobata. A casu excepto transitus deinceps factus est ad dubium super Martyrio, & causa Martyrii; eodemque pariter favorabiliter resoluto, cum de miraculis agendum esset, considerans quod unicum tantum patratum fuerat post annum 1721. opposui, de eo duntaxat agendum esse Canonizationis gratia; aliorum enim, ut ajebam, nulla ratio haberi poterat in eo casu, & ad finem, quo causa tendebat; quippe cum patrata fuissent ante dictum annum, ideoque non post, sed ante indultam venerationem.

10. Fundamentum hujus assumptionis a me constitutum fuit in eo, quod licet miracula essent patrata post annum 1634. non poterant tamen dici indultam venerationem secuta, cum veneratio indulta asseri nequeat per simplex centenarii annorum numeri complementum, sed tantum per Sacræ Congregationis Responsum a Summo Pontifice approbatum; & ita quidem, ut centenarius ille numerus habendus utique sit pro fundamento sententiæ super casu excepto; at vero ex eo dici minime valeat indulta veneratio, quæ ab Apostolica tantum Sede indulgeri potest. Verum repostuerunt Postulatores, indultam omnino dicendam esse venerationem, statim ac completus fuit annorum numerus centenarius; & ideo miracula post complementum ejusdem centenarii numeri patrata, dicenda esse indultam venerationem secuta. Pariter, quod attinet ad sententiam super casu excepto, dixerunt, eam nihil novi importare, sed tantum declarare cultum fuisse adhibitum per annos centum ante Constitutionem Urbanam, atque adeo de ejus legitima continuatione non esse dubitandum. Quamobrem sensere Doctores, quod Papa, vel Judex aliquid declarans nihil novi facere dicatur, sed potius id detegere, quod in re quasi abditum inerat; exemplo ejus, qui excutit granum de spicis, qui novam certe speciem haud facit, sed eam tantum, quæ in ipsis inerat, manifestat; uti post textum *in l. Adeo* §. *Cum enim grana ff. de acquir. rer. dom.* tradunt Ancaranus *consil.* 65. *num.* 3. Geminianus *cons.* 46. *num.* 1. *v.* 3. *Contrarium tenet*, *& num.* 2. necnon Bellamera *cons.* 33. *num.* 46. qui ibidem plene firmat, declarationem a Papa, seu Judice factam retroferri ad tempus legis antiquæ & declaratæ per alium textum *in cap. Constitutionem*, ut & ibi Glossa *in v. Prorogamus*, *de Reg. & transf. ad Relig. in* 6. utque late prosequitur Cyriacus *controv.* 210. *num.* 7. *& seqq.* Demum, quod ad Apostolicam auctoritatem spectat, subdiderunt de ejus etiam interventu nullum fore dubium; utpote quæ desumitur ex decretis & Constitutione Urbani VIII. per quæ scilicet declaravit, se nullum velle præjudicium afferre his, quibus per immemorabile tempus seu per centenarium completum annorum numerum cultus publicus antea exhibitus esset. Itaque in hac ipsa S. Joannis causa discussa fuerunt atque approbata miracula patrata ante annum 1721. & post annum 1634. necnon ab eisdem dependendo ad solemnem Canonizationem progressus est habitus. Sed, utrum id factum fuerit, eo quia de jure judicatum est, sic fieri debuisse, an potius per Pontificiam *dispensationem*, quæ legis rigorem eo in casu temperaverit, ignoro: nam & miraculorum discussio atque approbatio facta fuit post meum ab Urbe discessum in Congregatione coram summo Pontifice Benedicto XIII. cui minime interesse potui; &, cum, tanquam unus ex Cardinalibus, qui sacris ritibus præpositi sunt, quemdam ex præcipuis sacræ Congregationis Officialibus per litteras ipse interpellaverim, ulla ne accessisset in eodem casu *dispensatio*, mihi tantum responsum fuit, summum Pontificem *dispensasse*, Cardinalem autem causæ Relatorem in facti expositione *dispensationis* ore tenus concessæ mentionem fecisse.

11. Neque dissimilis est alia quæstio, quæ excitata fuit in causa Segobien. Canonizationis tunc Beati, nunc Sancti Joannis a Cruce. Causa enim processerat non per viam casus excepti, sed per viam non cultus, & propterea per formalem, non per *æquipollentem* Beatificationem. Veruntamen, cum, approbatis virtutibus, agendum esset de miraculis, utique sacrorum rituum Congregatio die 25. Septembris 1674. approbavit patrata ante indultam venerationem; indeque censuit, Servum Dei Joannem Beatum fore appellandum, & diem mortis ejus recolendum Officio ac Missa in universo Carmelitarum Ordine: tum summus Pontifex Clemens X. die 6. Octobris, implorata ope Divina, decretum expediri jussit: sed, dum de iis miraculis proponendum erat dubium, quæ supervenerunt ab indulta veneratione, ipse tanquam Fidei Promotor opposui, habendam non esse pro Canonizatione rationem cujusdam miraculi, quod intercessione Beati patratum fuerat die 24. ejusdem mensis Octobris, quippe quod non posset dici indultam venerationem secutum. Ne autem id sine probabilitate asserere velle viderer, animadverti, Breve Beatificationis expeditum fuisse tantum die 25. Januarii anni 1675. die autem 21. mensis Aprilis ejusdem anni, (prout mos est) alta & intelligibili voce in basilica Vaticana perlectum fuisse, ceteraque peractas cæremonias: unde deduxi, re vera venerationem non potuisse dici indultam die 6. Octobris 1674. sed tantum vel 25. Januarii 1676. vel 21. mensis Aprilis ejusdem anni; in quo rerum themate miraculum diei 24. Octobris anni 1674. asseri poterat effectum non post, sed ante venerationem indultam. Actum idcirco fuit de hoc articulo in Congregatione ordinaria sacrorum rituum, ubi plura pro dicta oppositione submovenda docte fuerunt a Postulatoribus allata. Dixerunt namque, gratiam residere in Principis voluntate, gratiæ autem testimonium in scriptura, tum commodum in executione: quare gratiam perfectam dicendam esse ex solo Principis verbo determinato & absoluto, etiam antequam ullæ probatrices aut solemnes litteræ fuerint expeditæ, juxta textum *in l.* 1. *vers. Quodcumque ff. de Constitut. Princip.* & ut late prosequuntur Molina *de primog. lib.* 2. *cap.* 5. *num.* 55. *vers. Non obstare in fine*, ac Lotterius *de re Benefic. lib.* 3. *quæst.* 2. *num.* 13. & huic quidem principio innixi subdiderunt, venerationis indultum tunc factum, non quando fuit expeditum Breve, multo autem minus, quando lectum id fuit in basilica Vaticana,

aut

aut quando Beatificationis formalis ſolemnia in ea de more peracta ſunt; ſed quando ſummus Pontifex Congregationis ſententiam de Beati titulo, & Officii conceſſione approbavit, juſſitque decretum expediri. Aliam quoque circumſtantiam expenderunt: id eſt, cum ſummus Pontifex conceſſionem die 6. Octobris 1674. univerſo Carmelitarum Ordini Officii ac Miſſæ recitationis die 21. Novembris ejuſdem anni ampliaſſet ad loca, ubi Beatus natus erat, ubi ejus corpus requieſcit, & ubi mortuus fuerat, & in hac ampliatione facta, antequam Beatificationis ſolemnia in baſilica Vaticana peragerentur, uſus fuiſſet his verbis: *Nunc vero idem Sanctiſſimus, prædictam conceſſionem factam toti Carmelitarum Diſcalceatorum Religioni, necnon univerſo Carmelitarum Ordini extendendo, indulſit &c.* conſiderandum propoſuerunt, quod, ſi idem Papa, qui juſſerat expediri decretum, id ante Beatificationis ſolemnia non ſolum ad alia loca propagavit, verum etiam deſignavit nomine conceſſionis jam factæ, *prædictam conceſſionem factam*, nullus amplius ſupereſſe poſſet dubitandi locus de vero venerationis indulto vi decreti expediti die 6. Octobris 1674. Quapropter, cum ſacrorum rituum Congregatio die 2. Martii 1720. reſcripſerit, miraculum patratum die 24. Octobris 1674. Canonizationis obtinendæ cauſa examinari poſſe, fuit id demum examini ſubjectum atque approbatum; & ab eo etiam dependendo, ad ipſius S. Joannis a Cruce Canonizationem progreſſus eſt factus.

CAPUT VIGESIMUMSECUNDUM.

De caſu excepto ab Urbani VIII. decretis ex tempore immemorabili, & nominatim de tempore requiſito ad conſtituendum immemorabile.

1. AD caſus excepti materiam revertimur, poſtquam in capite præcedenti nonnulla expoſuimus, quæ fortaſſe ab eadem nonnihil aliena videri alicui potuerunt. Sed neceſſe eſſe exiſtimavimus, ea in caput idem inſerere, quippe quæ aliquam ſaltem habent cum his, quæ ibidem expoſita ſunt, congruentiam, quemadmodum conſideranti patebit. Caſus autem ab Urbani decretis excepti ex tempore immemorabili, de quo in præſens agimus, exempla de ſacra Congregatione minime afferemus, in quibus ſcilicet caſum ipſum approbavit; cum ex infra dicendis unicuique cognoſcere liceat, caſum hunc fuiſſe & eſſe frequentiſſimum, atque adeo inter caſus ab Urbani VIII. decretis exceptos, eumdemque caſum ex tempore immemorabili fuiſſe a cauſarum Beatificationis & Canonizationis Poſtulatoribus pluries propoſitum, ejuſque approbationem numero excedere quaſcumque alias alius cujuſvis caſus excepti non modo ſingillatim, ſed etiam conjunctim acceptas. Itaque, ut debito ordine in hujuſce caſus expoſitione procedamus, præmiſſo, quod, pendente judicio ſuper tempore immemorabili, locus non eſt amotioni cultus aut venerationis (ſiquidem, dum lis eſt adhuc ſub Judice, nemo debet ſua poſſeſſione privari, ut ad rem animadvertit Matta *de Canoniz. SS. part.* 4. *c.* 23. *n.* 20.) de tempore primum tractandum erit requiſito ad conſtituendum immemorabile, poſtea de modo immemorabile ipſum probandi, tandem de ceteris adjunctis ab Urbano ſtatutis pro eodem caſu ſtabiliendo.

2. Initio igitur ducto a tempore requiſito, verba decretorum alias relata & nunc iterum referenda hæc ſunt: *Declarans, quod per ſupradicta præjudicare in aliquo non vult neque intendit iis, qui per immemorabilem temporis curſum &c. vel longiſſimi temporis ſcientia, ac tolerantia Sedis Apoſtolicæ, vel Ordinarii voluntur.* Verum, cum in Brevi decreta confirmante Urbanus VIII. declaraverit, nomine longiſſimi & immemorabilis temporis intelligendum eſſe centum annos excedens, *Inſuper longiſſimum tempus, illiuſque immemorabilem curſum, de quo in prædicto decreto, intelligi declaravimus eſſe tempus centum annorum metam excedens*, duo porro hinc conſequuntur. Primum eſt, quod huic hypotheſi minime quadrare poteſt Doctorum aſſertio, qui aliis in materiis cenſuerunt, defectu annorum quatuor centenarium numerum nequequam inficì, ut ſenſit Rota *deciſ.* 599. *num.* 1. *part.* 5. *tom.* 2. *recent. & in Fanen. Canonicatuum* 5. *Maji* 1700. *coram clar. mem. Cardinali Caprara:* quare in hujuſmodi facti eventu (ſicut infra videbimus) ſacra Congregatio ſanctiſſimæ Inquiſitionis juſſit amoveri cultum Servi Dei (nunc Beati) Hieronymi Æmiliani Fundatoris Congregationis Somaſchæ, eo quia tres anni deerant complemento numeri centenarii ab Urbani VIII. decretis requiſiti. Alterum vero, quod poſt Urbani declarationem per Breve emiſſam reprobata cenſenda eſt doctrina Bonacinæ, qui *in* 1. *Decal. præcept. diſp.* 3. *quæſt.* 3. *punct.* 1. inquit, nomine longiſſimi temporis in citatis decretis ſpatium intelligi triginta vel quadraginta annorum; quemadmodum, perpenſo ipſo Brevi decreta confirmante, fuſe differunt Baldell. *Theolog. moral. tom.* 2. *lib.* 3. *diſput.* 13. *ſub num.* 4. Lezana *conſult.* 1. *num.* 36. Scacch. *de not. & ſign. ſanctit. ſect.* 10. *cap.* 1. *pag.* 761. Bordon. *controv.* 1. *de Canoniz. SS. num.* 46. *verſ. Quarta eſt*, Pignatell. *conſult.* 292. *num.* 1. *tom.* 1. Papacod. *inter allegat. jur. Lambertini de Canoniz. Lib. II.* *conſult. collect.* a Donat. Anton. de Marin. *alleg.* 150. *num.* 7. Quamobrem a primo ad ultimum ſemper manet, quod in caſu excepto per immemorabilem vel longiſſimum temporis curſum, tempus iſtud centum annorum metam excedat oportet, & quidem ſine ulla unquam interruptione; cum enim centenarius hic numerus ſe habeat inſtar præſcriptionis, quemadmodum præſcriptio interrupta nihil valet, ſic centenarius numerus inutilis fit, ſi conſtet de ejus interruptione. Hinc ergo, cum occaſione diſcuſſionis cultus immemorabilis Ven. Dei Servi Jacobi de Bitecto oppoſuiſſet Fidei Promotor, cultum ipſum fuiſſe interruptum per ſacræ Congregationis epiſtolam, quæ juſſit Jacobi corpus ab altari removeri, ſuper quo fuerat collocatum, Poſtulatores clariſſimis probationibus oſtendere coacti ſunt, cultum ſemper continuatum fuiſſe, nec unquam per epiſtolam, ſublatum, ſed aliquam tantummodo ejus moderationem inductam; quam aſſumptionem niſi in medio poſuiſſent, ſacra certe Congregatio pro cultu immemorabili non reſpondiſſet. Hinc item in cauſa Luſitana, in qua ſimiliter agebatur de cultu immemorabili BB. Tereſiæ, & Sanciæ Monialium Ordinis Ciſtercienſis, cum Fidei Promotor cultus ipſius intermiſſionem oſtendere conatus eſſet propter celebrationem Miſſæ de Requie, quæ quotannis in die illarum anniverſaria pro earumdem animarum expiatione peragebatur, demonſtratum a Poſtulatoribus fuit, quod dictæ Miſſæ celebratio initium centenarii annorum numeri antecedebat, ita ut centenarius ipſe numerus per eam minime eſſet interruptus; quæ circumſtantia niſi hic quoque comprobata fuiſſet, ſacra Congregatio non judicaſſet (ut fecit) conſtare de caſu excepto ex cultu immemorabili.

3. Itaque manifeſtum eſt, tempus centum annorum metam excedens ad rem præſentem omnino neceſſarium eſſe. Sed de ſtatuendo termino numeri hujus centenarii, ſine quo probari nequit caſus ab Urbani VIII. decretis exceptus, triplex haberi poteſt quæſtio: hoc eſt primum, an terminus ipſe ſit ſtatuendus in anno 1625. quo edita fuerunt ſanctiſſimæ Inquiſitionis decreta de non cultu erga Dei Servos neque beatificatos neque canonizatos; deinde, an centenarii annorum numeri terminus figendus ſit in anno 1634. quo emiſſum fuit Breve pro dictorum decretorum confirmatione; poſtremo, an idem centenarii numeri terminus referri etiam poſſit ad tempus elapſum poſt annum 1634. in eoque ſtatui.

4. Quod autem ad primum, & ſecundum attinet, quidquid olim fuerit diſputatum, communis eſt hodie ſententia, terminum centenarii numeri nequaquam eſſe conſtituendum in an. 1625. quo edita fuerunt ſanctiſſimæ Inquiſitionis decreta, ſed poſſe produci ad annum 1634. quo emiſſa eſt Apoſtolica Urbani Conſtitutio eorumdem decretorum confirmatrix atque amplificatrix: tum quia poſtremo hoc anno declaratum fuit ab eodem Pontifice, immemorabile tempus, de quo in decretis generalibus, intelligendum eſſe centum annos excedens; tum quia ſequens factum in monumentis extat ſententiam ipſam apprime firmans. Videlicet, cum in cauſa cultus immemorabilis B. Ludovicæ Albertoniæ, quæ obierat die ultima Januarii 1533. dubitatum fuiſſet, an centenarius numerus eſſet completus, oppoſuit Petrus Franciſcus de Rubeis tunc Fidei Promotor centenarium completum non eſſe eo ſub obtentu, quod ejus terminus conſtituendus eſſet in anno 1625. quo prodierunt de-

creta sanctissimæ Inquisitionis: *Unde sequitur, hanc exceptionem inverificabilem prorsus esse in hac causa, cum agatur de Defuncta die ultima Januarii 1533. & ab ejus obitu usque ad datam decretorum Urbani VIII. in Congregatione sanctissimæ Inquisitionis incesserint solum anni nonaginta duo non completi, sicque deficiant anni octo & amplius ad excessum centesimi requisiti.* Postulatores responderunt, centenarium numerum dicendum esse completum, terminus quippe ejus non erat reponendus in anno 1625. sed in 1634. *Omnis difficultas removetur, dum ab obitu prædictæ Beatæ secuto anno 1633. intercessit integrum sæculum & annus cum dimidio, adeo ut excessus centenariæ requisitæ ab eodem Urbano VIII. omni ex parte verificetur.* Sacra autem Congregatio approbavit casum exceptum in vim temporis immemorabilis, seu centenarii annorum numeri, & sacræ Congregationis rescriptum fuit a summo Pontifice Clemente X. comprobatum, uti videre est in ejusdem Pontificis *Constit. 27. Bullar. ver. tom. 6.* Sed & ad tertium quod spectat, quo quæritur, an pro complendo centenario numero attendi possint ea, quæ gesta sunt etiam post annum 1634. quidquid pariter superioribus temporibus de eo disputaretur, in præsens cessat quæcumque controversia. Anno enim 1652. sacra Congregatio aperte declaravit, *non esse pro complemento centenariæ attendenda gesta post annum* 1637. & quidem merito; cum in Urbana Constitutione eodem hoc anno edita, necnon typis impressa in decretis generalibus habeantur hæc jam alias recensita verba: *Declarantes, quod per suprascripta præjudicare in aliquo noluimus neque intendimus iis, qui aut per communem Ecclesiæ consensum, vel immemorabilem temporis cursum, aut per Patrum virorumque sanctorum scripta, vel longissimi temporis scientia ac tolerantia præfatæ Sedis Apostolicæ, vel Ordinarii coluntur.* Ex quibus verbis dictio illa *coluntur*, quemadmodum refertur ad tempus ipsum editæ Constitutionis, ita consequenter respicere dicenda est tantummodo annum 1634. quo eadem prodiit Constitutio. En autem integra prædicta sacræ Congregationis declaratio: *Cum in decretis sanctissimæ Inquisitionis super non cultu editis fel. record. Urbanus VIII. prohibuerit, Servis Dei cum aliqua sanctitatis aut Martyrii fama defunctis quidquam cultum aut quamcumque venerationem præferens & indicans in oratoriis, aut locis publicis seu privatis, in quibuscumque ecclesiis apponi, antequam ab Apostolica Sede canonizentur aut Beati declarentur, & apposita amoveri mandaverit, exceptis iis, qui aut per communem Ecclesiæ consensum, vel immemorabilem temporis cursum, aut per Patrum virorumque sanctorum scripta, vel longissimi temporis scientia aut tolerantia Sedis Apostolicæ, vel Ordinarii coluntur: & longissimum tempus illiusque immemorabilem cursum, de quo in prædictis decretis, intelligendum esse declaraverit tempus centum annorum metam excedens; & multoties dubitari contingat, an pro complenda hujusmodi centenaria sint attendenda gesta post eadem decreta: hoc articulo in Congregatione sacrorum rituum examinato Eminentiss. Patres censuerunt, non esse attendenda. Die* 23. *Martii* 1652.

5. Adstipulatur præterea judicium Congregationis sanctissimæ Inquisitionis: nam, cum Servus Dei, nunc Beatus Hieronymus Æmilianus Congregationis Somaschæ Fundator obiisset anno 1537. & statim post obitum cultus publicus fuisset ipsi exhibitus, necnon continenter productus usque ad annum 1654. eodem autem hoc anno Pater Inquisitor civitatis Vicentiæ quæstionem movisset, posset ne ejusdem cultus continuatio permitti, eo quia centenarius annorum numerus poterat dubio procul dici completus, si habenda esset ratio gestorum post annum 1634. secus vero, si in computo centenarii ipsius numeri attendenda essent ea solum, quæ ab obitu Servi Dei contigerunt usque ad eumdem annum 1634. quo prodiit Urbani VIII. Constitutio; san. mem. Innocentius X. in Congregatione sanctissimæ Inquisitionis coram se habita die 12. Februarii dicti anni 1654. ita rescribendum esse mandavit epistolæ memorati Inquisitoris: *Sanctissimus jussit, rescribi Inquisitori, qui mandet Superiori dictorum Patrum, ut desistat distribuere Imagines prædictas dicti quondam Patris Hieronymi cum splendoribus & titulo Beati, & hic in Urbe Procuratori Generali dicti Ordinis per Patrem Commissarium significari, ut idem faciat, ac etiam tolli faciat a tabula altaris Imaginem dicti quondam Patris Hieronymi, quia totum est contrarium decretis hujus sacræ Congregationis.* Sed & Fidei Promotores post hæc semper pugnarunt, ne pro complemento centenarii toties dicti numeri attenderentur gesta post annum 1634. Petrus namque Franciscus de Rubeis *in suis animadversionibus factis in causa B. Ludovicæ Albertoniæ super casu excepto* ita locutus est: *Neque ad complementum dicti excessus annorum centum attendenda sunt gesta post dicta decreta Urbani VIII. sed ea tantum, quæ præcesserunt illorum datam; sicut, articulo plene discusso, decretum fuit in hac Congregatione sacrorum rituum die Sabbati* 23. *Martii* 1632. *cujus decreti duplicatum ab ea quoque expeditum fuit die* 28. *Martii* 1654. *cum subscriptione & sigillo Cardinalis Carcli Medicei tunc sacri Cardinalium Collegii Decani & Episcopi Ostiensis, ac Reverendiss. Domini Rocci ejusdem Congregationis Secretarii.* Prosper quoque Bottinius Fidei Promotor *in suis animadversionibus factis in causa Servi Dei Hieronymi Æmiliani, quando hujus cultus redintegratio petebatur*, hæc habet: *Cum etenim hæc sit species præscriptionis, certum est, quod, nisi probetur completa ante dicta decreta, non suffragantur ad eam complendam actus subsequentes. Ista que intellectus, quod non admittantur actus postmodum gesti, sequendo dictam declarationem anni* 1652. *inconcusse retinetur; & signanter id asseruit bon. mem. de Rubeis meus prædecessor in citata causa B. Ludovicæ Albertoniæ, & meo tempore sacra Congregatio absque ulla hæsitatione in similibus causis semper transivit cum hac opinione.* Demum ipse etiam Antecessorum meorum vestigiis inhærens, idem acriter defendi in animadversionibus super casu excepto in causis B. Luciæ de Narnia, B. Alvari de Corduba, & S. Joannis Nepomuceni.

6. Veruntamen quid dicendum erit, si ante annum 1625. lata fuerit a Judice ordinario, vel delegato sententia super casu excepto ex tempore immemorabili, in computo autem centenarii annorum numeri habita fuerit ratio gestorum etiam post annum 1634.? Poterit ne hujusmodi sententia a sacra Congregatione confirmari? Profecto, quod ejusmodi sententia non sit confirmanda, suaderi potest, tum quia Congregatio sanctissimæ Inquisitionis jussit (ut vidimus) amoveri cultum tunc Servi Dei, nunc Beati Hieronymi Æmiliani, quod utique non feciisset, si aliqua ratio haberi potuisset gestorum post annum 1634. pro centenario annorum numero complendo; tum quia, licet anno tantummodo 1652. sacra Congregatio declaraverit, nullam esse habendam rationem gestorum post annum 1634. pro centenario sæpe memorato numero perficiendo, hæc ipsa nihilominus sacræ Congregationis Constitutio non est lex nova, sed declaratrix præcedentium Urbani VIII. decretorum; & legem declaratricem non solum respicere futura, verum etiam præterita, utpote quæ retrotrahitur ad tempus conditæ legis, probat textus *in Clementina* 2. *de Judiciis*, & late animadverterunt *in cap. Quoniam*, Felin. *num.* 4. Abbas *num.* 11. Butr. *num.* 8. Fagnan. *num.* 54. *& 55. tit. de Constit.*

7. Contra vero, quod ea Judicis ordinarii, vel delegati sententia confirmari queat, duplici pariter argumento probari potest. Primum est, quod, cum ante annum 1652. disputaretur in sacra Congregatione, utrum pro complemento centenarii annorum numeri attendenda essent gesta post annum 1634. necne, uti colligitur ex ipsis verbis citatæ declarationis eodem anno 1652. editæ, *Et multoties dubitari contingat, an pro complenda hujusmodi centenaria sint attendenda gesta post eadem decreta*; durissimum propterea videretur, si sacra Congregatio abstineret ab approbatione seu confirmatione sententiæ, quæ innixa fuit opinioni probabili & acceptæ, quo tempore sententia eadem lata est: sicuti per textum *in l. Relegatorum ff. de interdict. & relegat. Ad tempus relegatis neque tota bona, neque partem adimi debere, rescriptis quibusdam manifestatur*; *reprehensæque sunt sententiæ eorum, ut non infirmarentur sententiæ, quæ ita sunt prolatæ.* Cui concordat Baldus *in l. final. num.* 10. *ff. de justit. & jur. Et nota, quod, si Judex judicavit secundum unam opinionem, & postea supervenit lex declaratoria, quod illa opinio est falsa, tamen sententia non vitiatur.* Alterum argumentum est quod, cum duas fecerit Urbanus VIII. Constitutiones, eam videlicet, de qua nunc agimus, spectantem ad publicum cultum minime exhibendum Dei Servis neque beatificatis neque canonizatis; alteram vero de præjudicialibus Ecclesiæ, quæ est Constitutio 270. inter illas ejusdem Urbani *in Bullar. ver. tom.* 5., & in utraque servatus fuerit centenarius annorum numerus; quemadmodum, loquendo de Constitutione super præjudicialibus Ecclesiæ, centenarius is numerus completus esse debet, non tempore editæ Constitutionis, sed tempore litis introductæ, veluti adnotarunt Cardinalis de Luca *de emphyt. discurs. 60. num.* 8. *de alienat. discurs. 1. num. 96. & discurs. seq. per tot.* Rocca *disput. jur. cap. 59. num. 9. & seq. & præsertim num.* 13. Pacion. *de locat.*

cap.

UAB Biblioteca de Ciències Socials

cap. 14. §. 11. *num.* 3. & 4. Gallef. *in comment. ad Conſtitutionem Urbanam num.* 308. Rota *deciſ.* 318. *ſub num.* 5. *part.* 17. Recent. *deciſ.* 33. *num.* 11. *part.* 18. Recent. *& in Nepeſina devolutionis* 22. *Aprilis* 1695. §. *Et enim, coram clar. mem. Cardin. Taruſio*; ita probabiliter centenarius annorum numerus ſervatus in Conſtitutione ſuper cultu Servorum Dei completus eſſe non deberet quo tempore Conſtitutio ipſa edita fuit, ſed tantum ſufficeret, ut is completus eſſet tempore, quo lata eſt ſententia ſuper cultu immemorabili: qua probabilitate accedente, fortius viget aſſumptio, quod ſententia lata ante annum 1652. in qua pro complemento centenarii annorum numeri habita fuerit ratio geſtorum etiam poſt annum 1634. nequaquam ſit a ſacra Congregatione infirmanda. Præterquamquod in hoc rerum themate nequicquam officit vel judicium ſacræ Congregationis Inquiſitionis in cauſa Servi Dei nunc Beati Hieronymi Æmiliani, vel aliud objectum, quod lex declaratrix non modo reſpicit futura, verum etiam præterita. Quod enim attinet ad exemplum cauſæ dicti B. Hieronymi, quoniam in hac minime lata fuerat ſententia ante annum 1652. a Judice ordinario, vel delegato ſuper cultu immemorabili, exemplum idem utique probat, non eſſe pro complemento centenarii annorum numeri attendenda geſta poſt annum 1634. ſed neutiquam probat, non eſſe pro complemento centenarii annorum numeri attendenda geſta poſt annum 1634. ſed neutiquam probat, ſententiam latam ante ipſum annum 1652. ſuper caſu excepto, eſſe a ſacra rituum Congregatione infirmandam, ſi Judex in computo centenarii ejuſdem numeri rationem etiam eorum habuerit, quæ effecta ſunt poſt dictum annum 1634. Ad eam vero aſſumptionem quod ſpectat, id eſt legem declaratricem non ſolum futura, ſed præterita quoque reſpicere; prætermittendo, quo maximopere dubitari poteſt, utrum lex, de qua in præſenti, nova potius ſit, an declaratrix; lex etiam ſimpliciter declaratrix reſpicit tantummodo futura, non autem & præterita, ſi, prout hic, verba novæ legis declaratricis ejuſmodi ſint, ut ex iis inferatur, ea mente Legislatorem fuiſſe, ut futura tantum comprehenderet, cujuſmodi illa ſunt, quæ habentur in decreto anni 1652. *Eminentiſſimi Patres conſuerunt &c.* tum etiam ſi jus præteritum erat dubium, ideoque multipliciter intelligibile; ſique demum, velut hoc in caſu, ſententia lata fuit juxta præcedentem opinionem, quemadmodum haſce omnes limitationes complectentes docent Felin. *in cap. final. num.* 5. *& ſeqq. ibique* Abbas *num.* 12. *& 13. de Conſtitut.* & Jaſon. *in l. Non dubium, num.* 11. *& num.* 14. *ff. de legib.*

8. Itaque poſtremam hanc opinionem in facti eventu, & articulo ſolemniter diſputato ſecuta eſt ſacra rituum Congregatio in cauſa Ferrarien. B. Luciæ Narnienſis. Cum enim ea mortua fuiſſet anno 1544. clar. autem mem. Cardinalis Machiavellus Epiſcopus Ferrarienſis anno 1647. ſententiam tuliſſet ſuper caſu ab Urbani VIII. decretis excepto, referente poſtea clar. item mem. Cardinali Ferrario, propoſitoque dubio, an eadem ſententia eſſet confirmanda, die 15. Februarii 1710. pro confirmatione reſponſum fuit.

CAPUT VIGESIMUMTERTIUM.

De modo probandi centenarium annorum cultus numerum, deque ceteris requiſitis ad conſtituendum caſum exceptum ex tempore immemorabili.

1. IN judicio de caſu excepto ex immemorabili vel longiſſimo temporis curſu probandus eſt centenarius ſæpe dictus numerus ante Conſtitutionem Urbanam: & quidem de jure probandus eſſet formalibus depoſitionibus teſtium annos natorum centum & quatuordecim, necnon jam examinatorum quo tempore edita fuit ipſa Urbani Conſtitutio, juxta Gloſſam *in cap. Cum vobis, v. Centum annorum, de præſcription.* Facto enim ibi quæſito, quomodo centenarius idem numerus probari valeat, ita reſpondetur: *Sed videtur certe impoſſibile, probari præſcriptionem centum annorum. Idem eſt, ac ſi diceret Papa: Nolo, quod currat præſcriptio contra Romanam Eccleſiam. Sed qualiter probabit, ſeſe poſſediſſe ſpatio centum annorum? Per inſtrumenta non poſſet hoc probari, quia per inſtrumenta non probatur poſſeſſio: Per teſtes non poſſet probari, niſi teſtes ad minus haberent centum & quatuordecim annos. Unde videtur, quod ſufficiat probare per tempus, cujus non extat memoria, quia tanto tempore res aliæ præſcribuntur, quæ alias non præſcriberentur; vel quod teſtes dicant, ſe ſemper audiviſſe a ſuis Majoribus, & nemo ſit, qui viderit vel audierit aliud..... Sed non recedendum eſt a verbis iſtis; & ſic neceſſe eſt probare centenariam præſcriptionem, & ſufficit, quod ita placuit Legislatori.* Verum, quia id, ut erat quodammodo impoſſibile tempore ipſo editæ Conſtitutionis Urbanæ, nunc certe multo impoſſibilius efficitur; & quotidie tamen expediuntur a ſacra rituum Congregatione litteræ *remiſſoriales*, atque *compulſoriales* pro conſtruendis proceſſibus ſuper caſu excepto ex tempore immemorabili, ſeu centenario annorum numero; propterea, deficientibus teſtibus, locus eſt probationi per authentica documenta, uti firmant *in alleg. cap. Cum vobis*, Abbas *n.* 5. Ancharan. *num.* 1. Joan. Andr. *num.* 6. Anton. a Butrio *num.* 7. Bellamer. *num.* 5. *tit. de præſcription.* Nomine vero authenticorum documentorum in præſenti materia veniunt primo hiſtoriæ conſcriptæ a viris fide dignis, qui eas compoſuerint centum annis ante Conſtitutionem Urbanam, vel qui ſæculo eodem decurrente ſua ediderint monumenta; idque non ſolum, ſi de cultu Servi Dei teſtimonium dicant, verum etiam, ſi ejus virtutes & miracula tantummodo enarrent ipſum appellantes Beati, vel Sancti titulo; etſi denominatio iſta perſonam duntaxat reſpiciat, non mores, uti bene ponderat vir recol. mem. R. P. D. Fatinellus *reſponſ.* 115. *num.* 8. *tom.* 1. *Quoniam vero inter informandum, objectum mihi fuit, nihil deduci ex his Scriptoribus, quod revelet ad probationem cultus; reſpondeo, immo, ex quo tam multi Scriptores diverſarum nationum in eorum coditibus diverſis locis & temporibus editis, & probatis tum ab Ordinariis, tum ab Inquiſitoribus appellant hunc Dei Servum Beatum, Sanctum, vel Martyrem, maximam inde inſurgere probationem cultus & venerationis exhibitæ eidem Servo Dei; cum hujuſmodi nuncupationes non tribuantur, niſi viris, quos pro Sanctis colimus.* Et re ipſa, ceteris prætermiſſis exemplis, dum ſungebar munere Fidei Promotoris, cum hoc ſenſu proceſſit ſacra Congregatio in cauſa S. Joannis Nepomuceni. Secundo, pro authenticis documentis habentur elationes ſepulcri auctoritate Epiſcopali, modo de eis conſtet per publica inſtrumenta; legata Miſſarum in honorem Dei Servi, ſi perſpicua ſint ex publicis teſtamentis; antiqua *Breviaria*, ubi Officium ipſius aut proprium, aut de communi in ejuſdem venerationem contineatur; Epiſcoporum viſitationes ex archivo Epiſcopali depromptæ, ex quibus appareat, aliquid ſtatutum aut toleratum in honorem ejuſdem Dei Servi fuiſſe. Denique ad finem, de quo agimus, valent ipſa elevata ſepulcra, ſtatuæ, atque Imagines cum radiis & ſplendoribus, necnon votivæ tabellæ, dummodo, accedente judicio Peritorum, pateat, conſecta ea fuiſſe centum annis ante Conſtitutionem Urbanam.

2. Porro, cum diſputabile ſit, utrum teſtes probantes cultum per tempus immemorabile ſatis eſſe poſſint in re præſenti ad probandum centenarium toties dictum annorum numerum, necne; ut quæſtio hæc facilius examinetur, inveſtigandum eſt primo, quomodo probetur immemorabile tempus; tum autem id videndum, an immemorabile jam probatum centenario illi numero ſuffragetur. Quantum ad primum attinet, nec in corpore juris Civilis, nec in jure Pontificio lex ulla peculiaris ſcripta eſt de probatione immemorabilis facienda, præter id quod ex Gloſſa deſumitur *in cap. Epiſcopum, v. Memoria, de præſcriptionib. in* 6. ubi hæc habentur: *Sed quomodo probabitur tanti temporis præſcriptio? Dico ſecundum Oſtienſem qui hoc not. de ver. ſi. quod per novale, quod dicent teſtes præſcribentis, ſi talem habent conſcientiam, quod ſemper viderunt & audierunt, ita eſſe, nec unquam viderunt vel audierunt contrarium; & quod communis eſt & fuit ſemper opinio, quod ſic fuerit; & quod non extat contrarii, vel initii memoria:* ad cujus Gloſſæ normam neceſſe haud eſſet, ut de immemorabili tempore teſtimonium dicentes deponerent, ſe rem etiam audiviſſe a ſuis Majoribus, eoſdemque Majores ab aliis antiquioribus accepiſſe; ſicuti adnotarunt Covarruv. *in cap. Poſſeſſor. de regul. jur. in* 6. *part.* 2. §. 3. *num.* 7. *&* 8. *verſ.*

UAB Biblioteca de Ciències Socials

verſ. In praxi tamen, tom. 1. Mareſcott. *variar. reſolut. lib.* 2. *cap.* 100. *num.* 10. Cardinal. de Luca *de Benefic. diſcurſ.* 32. *num.* 6. Verum, quia in antiquioribus codicibus alia *ad dictum caput* 1. *de præſcriptionib. in* 6. adeſt ad margines Gloſſa ſequentibus concepta verbis, quæ attribuitur Franciſco Balbo inſigni Juriſconſulto: *Die, quod teſtes debent eſſe ætatis quinquaginta quatuor annorum ad minus, ut poſſint primo deponere de proprio viſu & auditu quadraginta noviſſimorum annorum, deinde de auditu talium & talium antiquorum, qui obierint ante triginta, quadraginta, vel quinquaginta annos in ætate quinquaginta, ſexaginta, vel octuaginta annorum, qui dicebant, ita ſe vidiſſe & audiviſſe tempore ſuo, & adhuc a Majoribus ſuis audiviſſe, nec contrarium vidiſſe aut audiviſſe. Et ita recte practicatur in utroque foro, ubi ſæpe a viginti quinque annis cauſis tam ſæcularibus, quam Eccleſiaſticis adjudicandis interfui.* Hinc eſt poſtea, quod alii Doctores cenſuerint, probandi immemorabilis cauſa, teſtibus deponendum eſſe, ſe rem audiviſſe a ſuis Majoribus, necnon Majores id ipſum ab aliis antiquioribus intelleXiſſe; veluti ferunt Spec. *tit. de prob.* §. 1. *verſ. Ultimo quæritur, & verſ. Valet etiam*, Aym. *in tract. de antiquit. tempor.* 4. *par. n.* 18. Gabriel. *de præſcript. lib.* 5. *concl.* 1. *n.* 26. Baldus *de præſcript. 2. part. tertiæ partis principalis quæſt. 6. n.* 24. Rocca *diſput. jur. cap.* 167. *n.* 21. *& n.* 24. Poſtrema autem hæc opinio probabilior eſt, præſertim vero, quando, prout in noſtro caſu, agitur de re gravi, & de qua veriſimile eſt, tum patres, tum avos locutos fuiſſe: & ideo, ut concludamus, teſtes de immemorabili deponentes debent primo conſtituti eſſe in ætate annorum quinquaginta quatuor; quia, cum opus ſit, ut quadraginta annorum uniformem obſervantiam teſtentur, de hac deponere neutiquam poſſunt, niſi, poſtquam perfectum rationis uſum nacti, dolique capaces fuerint, &, quod conſequitur, niſi annum egerint decimum quartum, ſicut ex adden. ad Buratt. *deciſ.* 673. *n.* 12. *deciſ.* 76. *n.* 1. *par.* 1. *deciſ.* 56. *n.* 3. *& ſeqq. part.* 7. Recent. *deciſ.* 532. *n.* 17. *coram Merlino*. Præterea non abfuiſſe debent longo tempore a civitate, vel loco, ubi probatur viguiſſe cultum immemorabilem: ſi enim diu inde abfuiſſent, uniformem quadraginta annorum obſervantiam teſtari non poſſent, uti pariter ex adden. ad Buratt. *deciſ.* 673. *n.* 6. *& ſeqq.* Rota *deciſ.* 432. *n.* 2. *par.* 3. Recent. *& deciſ.* 173. *n.* 26. *&* 27. *part.* 12. Recent. Item referre ea debent, quæ in ſuperioribus indicata ſunt, negationem coarctando, id eſt conteſtantes, quod aliter fieri non potuiſſet, quin ipſi id ſciviſſent: ita enim Rota *deciſ.* 96. *n.* 16. *par.* 17. Recent. *deciſ.* 139. *n.* 8. *deciſ.* 430. *n.* 5. *& ſeqq. part.* 18. Recent. & coram Bichio *deciſ.* 528. *n.* 11. Debet tandem unuſquiſque ex teſtibus deponere de ſingulis adjunctis neceſſariis ad conſtituendum immemorabile: quia, quanquam Molina *de primog. l.* 2. *c.* 6. *n.* 34. *& ſeqq.* ſenſerit, quod in probatione immemorabilis dictum unius teſtis ſuppleatur alterius teſtimonio, acceptior tamen veriorque ſententia eſt, ſingulos teſtes de omnibus requiſitis teſtimonium dicere debere, ideoque ſatis non eſſe, ut unus deponat de uno, alter autem de altero, quemadmodum concluditur in adden. ad Buratt. *dec.* 673. *n.* 10. atque a Rota *dec.* 405. *n.* 6. *& ſeqq. part.* 4. *t.* 1. Recent. *deciſ.* 139. *n.* 4. *deciſ.* 673. *n.* 10. *part.* 18. & coram Bichio *deciſ.* 528. *n.* 10. Sed notandum, quod præciſa ac ſtatuta verba non ſunt in immemorabilis probatione; quamobrem, ſi verbis æqualem ſignificationem habentibus ipſi teſtes loquantur, id ipſum ad immemorabile ſufficiens reputatur, uti proſequitur Rota coram Pamphilio *deciſ.* 304. *num.* 3.

3. Nunc vero tranſitum facientibus ad examinandum, an immemorabile jam probatum centenario annorum numero ſuffragetur, longe diverſa in hac quæſtione ſe offerunt Fidei Promotorum, atque Scriptorum placita. Petrus quippe Franciſcus de Rubeis Fidei Promotor, quamvis ſemper in ſuis animadverſionibus admiſerit, probationem centenarii annorum numeri fieri dupliciter poſſe, hoc eſt directe, & præſumpte, juxta doctrinam Baldi in *Authent. Quas actiones, n.* 18. *Cod. de Sacroſanctis Eccleſiis*, & Felini *cap. Cum vobis, de præſcript.* & concurrente temporis antiquitate, in ea fuerit ſententia, ut præſumpta probatio ſufficeret, & conſequenter ſatis eſſent teſtes deponentes cum requiſitis ad immemorabile; exiſtimavit nihilominus, in caſu excepto per Urbanam Conſtitutionem propter materiæ gravitatem, & periculum deceptionis præſumptam probationem minime admittendam eſſe, & quod conſequitur, teſtes deponentes cum requiſitis ad immemorabile in re, de qua nunc agimus, centenarium annorum numerum haudquaquam probare: ut enim probatio concludens ſit, ad eam non ſufficit poſſibilitas, ſed convenire debet neceſſitas, ſecundum doctrinam Baldi *in l. Ad probationem, num.* 22. *C. de probat.*

4. Proſper autem Bottinius Archiepiſcopus Myrenſis, qui officium pariter Fidei Promotoris ſpatio plurium annorum laudabiliter exercuit, in ſuis animadverſionibus ſemper utique aſſeruit, teſtes deponentes cum requiſitis ad immemorabile probare centenarium annorum numerum juxta Conſtitutionem Urbanam; ſed, quia, prout ea ferunt, quæ in ſuperioribus dicta ſunt, teſtes de immemorabili deponentes annos nati eſſe debent quinquaginta quatuor, ſimul inquit, quod teſtes hac in ætate conſtitutos eſſe oportebat tempore editæ Conſtitutionis, & ideo anno 1634. nam, quoniam impoſſibile haud erat, ejuſmodi teſtes dicto tempore reperiri, Poſtulatores ſibi imputare debent, ſi probationem, quam tunc facere poterant, omiſerunt, ſecundum doctrinam Abbatis *in cap. Veniens, n.* 8. *de teſtibus*, ubi: *Nam imputandum eſt parti, quare a principio ſibi non providit.*

5. Auctores contra docent, centenarium annorum numerum debere profecto dici probatum ad finem, de quo agimus, etiamſi teſtes deponant tantum cum requiſitis ad immemorabile, & præſenti tempore examinentur. Quare ſuperflua & improbabilis fit conditio, quod agere debuerint ætatis annum quinquageſimum quartum tempore editæ Conſtitutionis Urbanæ. Ita Matta *de Canonizat. SS. part.* 4. *cap.* 23. *per tot.* & Pignatell. *conſult.* 242. *per tot. t.* 1. Duo namque ſunt, quæ hanc ſententiam ſuadere poſſunt. Primum eſt, quod, cum Urbani decreta pro centenario numero probando nihil aliud expoſcant, quam legitimas probationes, ut antea viſum eſt; nomine legitimarum probationum comprehendi debent teſtes de immemorabili deponentes quaſi ex teſtibus hic & nunc examinatis, & de immemorabili ipſo deponentibus probatus jam cenſendus ſit centenarius ille ante Conſtitutionem Urbanam annorum numerus, juxta id exemplum, quod eruere licet *ex cap. Cum Apoſtolicæ, de his, quæ fiunt a Prælatis*. Cum enim ibi ſtatuatur, nullam eſſe Decimarum conceſſionem laico factam, niſi facta fuerit ante Concilium Lateranenſe, ajunt ad id Doctores, quod, ſi Decimarum quæſtio inſurgat quadringentis annis a die celebrati Concilii, ita ut tam annoſi teſtes ſupereſſe nequeant, qui illam probent factam ante Concilium; ajunt, inquam, Doctores, quod ſufficiunt teſtes deponentes cum requiſitis ad immemorabile, utpote quod ſua virtute & efficacitate in infinitum etiam extenditur, & ideo longe ante dictum Concilium. Sic enim Abbas *in dicto cap. Cum Apoſtolicæ, num.* 12. *de his, quæ fiunt a Prælatis*, Felin. *in cap. Cauſam quæ n.* 4. *de præſcript.* Alexand. *conſil.* 6. *n.* 6. *lib.* 1. Covarr. *in reg. poſſeſſor.* 2. *part.* §. 3. *n.* 9. *& variar. reſolut. lib.* 1. *cap.* 17. *n* 5. §. *Sed, ſi dubitetur*, Molin. *de primog. lib.* 2. *c.* 6. *n.* 47. §. *Quod etiam comprobatur*, Rota *deciſ.* 391. *ſub n.* 5. *part.* 16. *Recent.* Alterum eſt, quod, cum quotidie expediantur *litteræ remiſſoriales* a ſacra Congregatione pro examinandis teſtibus ſuper cultu immemorabili alicujus Servi Dei, fruſtratorius omnino atque eludens eſſet hic actus, ſi teſtes examinandi deberent eſſe in ætate jam conſtituti annorum quinquaginta quatuor tempore editæ Conſtitutionis Urbanæ.

6. De hac denique controverſia ſæpius actum fuit in ſacrorum rituum Congregatione, ſignanter vero occaſione cultus immemorabilis S. Catharinæ Fliſcæ de Adurnis, B. Petri Armengaudii, ac B. Joannæ filiæ Alphonſi V. Portugalliæ Regis; ſed nullum unquam prodiit quoad eamdem definitivum decretum; approbatus quippe fuit demum in dictis cauſis cultus immemorabilis *independenter* a teſtibus, ac propterea nulla data neceſſitate articulum ipſum decidendi. Quin immo, cum in cauſa Toletana B. Mariæ de Capite, referente ſan. mem. Clem. Papa XI. tunc in Cardinalitia dignitate conſtituto, ſacra Congregatio die 13. Julii 1697. Procuratoribus & Advocatis, necnon Fidei Promotori mandaret, ut ſtrictim ſcriberent de ea quæſtione, an ad probandum centenarium ante Conſtitutionem Urbanam annorum numerum neceſſe foret, præter ceteras immemorabilis conditiones, ut teſtes tempore editionis ejuſdem Conſtitutionis ætatis annum agerent quinquageſimum quartum; ſcripto proinde facto a Fidei Promotore pro neceſſitate ejus ætatis in teſtibus, eo autem ſtrenue ab Advocatis atque Procuratoribus impugnato, abſtinuit porro eadem Congregatio ab articulo definiendo, atque adeo pro caſus excepti ex tempore immemorabili approbatione in antiquioribus quibuſdam monumentis fundamentum repoſuit; quodque notabilius eſt, injunxit Secretario, ut in regeſtis adnotaret, non quidem tantummodo ex dictis teſtium captam fuiſſe deliberationem, ſed ex ceteris etiam probationibus in eamdem cauſam adductis, quemadmo-

modum desumere est ex decreto edito die 3. Augusti 1697.

7. In hoc postea opinionum certamine si nostra qualiscumque ea sit, sententia requireretur, crederemus utique, monumentum probationis centenarii sæpe indicati annorum numeri constituendum penitus esse in historicis monumentis, publicis instrumentis, Imaginibus, tabellis votivis, ceterisque supra expositis suadentibus, cultum cœpisse centum annis ante Constitutionem Urbanam, necnon ad eam usque continuatum fuisse: quia, cum (uti diximus) duplex sit modus centenarium numerum probandi, directus scilicet, & præsumptus, postremus hic in re tam gravi admittendus nequaquam videtur, potissimum vero, quoniam res antiquæ melius probantur per instrumenta, quam per testes, juxta Glossam *cap. Tertio loco, v. Testium, de probationib. Considerabit Judex naturam negotii & qualitatem; nam quædam sunt, quæ melius probantur per testes quam per instrumenta, quædam e contrario melius per instrumenta, quam per testes .... Item considerabit Judex utrum factum sit antiquum, vel propinquum; in antiquis enim magis credendum est instrumentis, quia memoria hominum labilis est; si sit novum, potius testibus creditur.* Verum, etsi momentum, inquam, probationis centenarii ejusdem numeri in historicis monumentis, ceterisque antea dictis reponerem, exclusos tamen adhuc nollem testes secundum juris solemnitatem examinatos & deponentes cum requisitis ad immemorabile, utpote qui adminiculi loco esse poterunt, etiamsi hic & nunc duntaxat examinentur, & quorum dicta conferent tum ad corroboranda cetera monumenta, tum ad cultus continuationem ostendendam a tempore Constitutionis Urbanæ ad id usque, quo petitur ejusdem cultus approbatio. Enimvero, per hanc semiram incedendo, duæ illæ evitantur absurditates; quarum prima, quod in re tanti ponderis admittatur probatio præsumpta ac subsidiaria, omittatur autem directa ac necessario concludens; altera, quod frustratorium videatur, a sacra Congregatione quotidie expediri *litteras remissoriales* pro testibus examinandis super cultu immemorabili, cum cesset inutilitas hujus actus, quoties testes adminiculi saltem loco esse possunt. Porro enim oportet, ut hac necessario mente sit sacra eadem Congregatio, licet nullum adhuc absolutum ediderit decretum: nam, si cultus immemorabiles approbavit non solum propter dicta testium deponentium cum requisitis ad immemorabile, verum etiam propter antiquiora monumenta historiarum, publicorum instrumentorum, & similium; apertissimum profecto signum est quod solos testes satis esse non putaverit, sed eos ad summum habuerit vice adminiculi.

8. Sed ad approbationem casus excepti ex tempore immemorabili non modo necesse est, ut cultus adhibitus fuerit per tempus annorum centum metam excedens, ut centenarius iste annorum numerus fuerit ante annum 1634. quo edita est Urbana Constitutio; utque cultus idem probatus fuerit ex monumentis centum pariter annos prætergressis ante Constitutionem Urbanam simul cum testibus secundum juris solemnitatem examinatis, atque adeo deponentibus cum requisitis ad immemorabile; verum opus est etiam, ut hæc alia adjuncta concurrant.

9. Primum, quod cultus dicto tempore adhibitus fuerit cultus non privatus, sed publicus. Putat Scacchus *de not. & sign. sanctit. sect.* 10. *cap.* 1. *pag.* 761. pro casu excepto constituendo oportere, ut cultus sit publicus, & cum celebratione festi ac Missæ, Officiique recitatione: & ipse quoque cum Scaccho sentio, cultum publicum ex hisce actibus importari; at non ita tamen, ut, si hi deficiant, alii autem adsint publici cultus actus, approbatio casus excepti ex tempore immemorabili, vel ex alio quocumque capite nequeat obtineri. Oppositum quippe colligitur ex sacræ Congregationis consuetudine alibi recensenda, juxta quam plures approbati fuerunt casus excepti, etiamsi nequaquam constiterit de celebratione Missæ & festi, deque Officii recitatione per annos centum ante Constitutionem Urbanam; quin immo, celebrata licet nunquam fuerit Missa, aut Officium recitatum. Quamobrem, si constet de corporis elatione facta auctoritate Episcopali, si de tabellarum oblatione, si de invocatione in litaniis, de incensione lampadum ad imagines vel sepulcra, de anniversaria solemnitate in die obitus, omnes hi actus sunt publici cultus, in quorum sequelam sperari potest approbatio casus excepti etiam ex tempore immemorabili; sicuti late docet Pignatellus *consult.* 242. *tom.* 1. Nec omittendæ sunt statuæ atque Imagines radiis & splendoribus redimitæ, multo autem magis, si ad publicam venerationem expositæ fuerint, commemoratio in Divinis Officiis, collocatio Reliquiarum inter Reliquias aliorum Sanctorum, thurificationes ad sepulcrum, lationes Reliquiarum supplicum ordine instructo, altarium erectiones, Sodalitates sub Servi Dei, sive Beati invocatione, ipsius electio in Patronum civitatis aut oppidi, præcepta facta in alicujus Synodi Constitutionibus de cultu eidem præstando: horum namque & aliorum hujusmodi, si quæ sint, semper habita fuit ratio, cum actum est de casu excepto in sacrorum rituum Congregatione.

10. Secundum, quod non modo cultus publicus adhibitus esse debet centum annis ante Constitutionem Urbanam, verum etiam continuatus tum usque ad sententiam Ordinarii, vel Delegati, tum usque ad ejusdem sententiæ confirmationem a sacra Congregatione obtinendam, si notabile tempus, ut aliquando evenit, inter ipsam sententiam ejusque confirmationem intercesserit. Docte de more suo hæc suasit non ita pridem memoratus Petrus Franciscus de Rubeis meritissimus olim Fidei Promotor in suis animadversionibus factis in causa B. Petri Paschasii super hujus cultu immemorabili: *Animadvertendumque est, ad concludendum ejusmodi cultum supra centum annos non sufficere probationem immemorabilis cum solis requisitis Glossæ in cap. primo de præscript. in sexto, sed amplius requiri plenam probationem actuum positivorum manifeste evincentium, Servis Dei ante dictum annum publice, hoc est nomine Ecclesiæ præstitum fuisse cultum cum veneratione, quæ solis Sanctis exhibetur, eamdemque ab inde citra continuasse usque ad præsens, juxta communem sensum Canonistarum.* Duplex namque eorum ratio potest afferri; prima est, quod sine probatione continuationis contingere posset, nonnunquam approbari cultum, qui utique jam fuerit, sed non adsit amplius ipso approbationis tempore, quod esset absurdum ut alibi ponderavimus; altera vero, quod cum approbatio cultus immemorabilis complectatur tum præscriptionem, tum possessionem, licet per solum centenarium annorum numerum præscriptio completa sit, possessionem tamen, unde ortum habet conservatio, veram esse non liquet, nisi comprobata cultus continuatione usque ad tempus, quo petitur ejusdem cultus approbatio. Id enim tantum discrimen intercedit inter probationem centenarii jam noti numeri, probationem continuationis cultus usque ad sententiam, probationemque assiduitatis ejusdem usque ad sententiæ confirmationem; quod in primis duobus casibus necesse est, ut probatio sit judicialis & per processum, in extremo autem secundum consuetudinem sacræ Congregationis sufficit etiam *extrajudicialis* & sine forma processus.

11. Tertium, quod ad hactenus indicata accesserit scientia ac tolerantia Sed. Apost. vel Ordinarii, ut præseferunt verba decretorum, *scientia ac tolerantia Sedis Apostol. vel Ordinarii*; & sicut etiam perpendunt Scacchus *de not. & sign. sanctit. sect.* 10. *c.* 1. *p.* 761. ac Pignatell. *consult.* 245. *n.* 1. *t.* 1. Cumque decreta utantur verbo seu particula *vel*, quæ non est copulativa, sed disjunctiva, sufficit scientia ac tolerantia alterutrius, hoc est vel Sedis Apostol. vel Ordinarii, quemadmodum late adnotavit Episcopus Pappacoda *t.* 3. *inter alleg. collect. a Donato Antonio de Marinis alleg.* 150. *n.* 8. Scientia autem ac tolerantia Ordinarii dicenda erit probata, si Episcopi propriis oculis viderint, lampades accendi, & appendi dona ad sepulcrum vel ad Imaginem Servi Dei, eaque minime prohibuerint; si illis ad juris formam nuntiatum fuerit, modo dicta exerceri, nequaquam vero ad eorum prohibitionem devenerit, si scientibus vel consentientibus illis, ab aliis legata relicta fuerint pro cereis & lampadibus accendendis; si demum ipsi oraverint ad sepulcrum vel ad Imaginem, veluti late, hæc & similia recensendo, docent Castellin. *de certit. glor. SS. c.* 2. *punct.* 52. ac Pignatell. *cons.* 52. *n.* 2. *t.* 1. Enimvero, ut cetera exempla omittantur, si in causa Servi Dei (nunc Beati) Hieron. Æmiliani Fundatoris Congregat. Somaschæ tempus sufficiens adfuisset ad constituendum casum exceptum ex immemorabili, quod ex supradictis non adfuit, de scientia ac tolerantia Ordinarii nulla haberi potuisset dubitatio; quippe cum S. Carolus Borromæus, qui tunc erat Ordinarius loci Somaschæ, ubi scilic. ejus corpus requiescit, sepulcrum ejusdem religiose visitaverit, eidemque thura obtulerit, uti deposuerunt testes in processu Mediolanensi, & ut legere est in relatione Rotæ Auditorum *tit. de obitu, concursu ad sepultur. & fama sanctit.* Eodem modo si summi Pontific. exhibitionem publici cultus sciverint, eam autem minime prohibuerint, Sedis Apostolicæ tolerantia erit sufficientissime probata. Quatenus vero alicujus ex enumeratis actibus probatio deficeret, posset adhuc aliunde demonstrari scientia ac tolerantia saltem Ordinarii; probando

bando videlicet, ut rem promulgatam ac notam, cultum per centenarium annorum numerum continuatum, quippe cum Ordinarii præsumantur scire, quæ fiunt in ipsorum diœcesibus, uti præter Castellin. & Pignatell. *loc. citat.* prosequitur Episcopus Pappacoda *allegat.* 150. *n.* 8. *tom.* 3. *inter collectas a Donato Antonio de Marinis.*

12. Pro complemento denique hujus materiæ nihil aliud superest, quam ut aliquid dicamus de Peritis, qui in hoc judicio casus excepti ex tempore immemorabili sæpius advocantur, ut recognoscant vel characteres, vel statuas, vel Imagines ad dignoscendum tempus, quo scripti, aut sculptæ, aut pro suo cujuscumque rei respectu pictæ fuerunt. Nam processum conficiens debet per se ipsum prædicta videre; sed, quoniam aspectus ejus, qui peritus non est, non sufficit, duo saltem Periti ex celebrioribus sunt advocandi. Quæ tamen ad Peritos pertinent, qui vocantur pro characteribus antiquorum codicum recognoscendis, ea nunc prætermittemus: huc enim traducenda erunt ea omnia, quæ infra exponentur, cum de operum revisione, & de scripturarum antiquarum compulsatione tractabimus. Itaque reliquum est duntaxat, ut de peritis pictoribus, aut sculptoribus narremus, qui statuas, Imagines, ac sepulcra Servorum Dei debent recognoscere, ut appareat tempus picturæ, aut sepulturæ, quo videlicet anno effectæ sint. Horum autem onus est, præter juramentum ab eis præstandum de munere fideliter adimplendo, inquirere, an statuæ vel Imagines sint illius Servi Dei, de cujus cultu immemorabili agitur; quod ita facile fane non est, nisi antiquæ inscriptiones nomen ejus præferentes sub statua vel sub Imagine reperiantur, vel nisi in statuis aut Imaginibus peculiare quid adsit patefaciens, statuam vel Imaginem esse ejusdem Servi Dei, de quo tractatur, non autem alius. Quod si, ut sæpenumero evenit, in statua aut Imagine nullum appareat cultus & venerationis indicium, præter diadema & laureolam, vel radios; in hac facti specie Peritis investigandum erit, an diadema, laureolæ, splendores, & radii eo tempore sculpti aut fuerint depicti, quo ponitur, statuam vel Imaginem constructam fuisse. Tandem Periti debent singillatim deponere, tum autem suorum dictorum rationem reddere, ut non solum Judici, qui sententiam profert, verum etiam S. Congreg. quæ sententiam eamdem debet confirmare, id pateat, quod eos induxit ad asserendum quæ asseruerunt. Provenit id ex S. Congreg. disciplina: etsi de Peritis a Judice electis nonnulli velint, eos nequaquam teneri ad dictam rationem reddendam, eo quia juxta artis suæ peritiam deponunt, ut habet Farinacc. *de test. q.* 70. *n.* 102. *& seqq.* utque ad rem nostram prosequitur Matta *de Canoniz. SS. p.* 4. *c.* 28. *n.* 13. *& seqq.* quod & Postulatores causarum Beatificationis & Canonizationis probare sæpius conati sunt occasione dubii super casu excepto, seu super cultu immemorabili, signanter vero in causis B. Chunegundis Reginæ Poloniæ, B. Antonii a Stronconio, B. Helenæ Enselmiæ, & B. Joannis Cantii. Sed, inquam, tum in hoc casu tum in aliis, S. Congregat. consuetudinem attendere oportet.

CAPUT VIGESIMUMQUARTUM.

De casuum ab Urbani VIII. decretis exceptorum declaratione a Romanis Pontificibus, prævio sacrarum Congregationum, præsertim vero sacrorum rituum, consilio hucusque facta.

1. LICET in primo hujus Operis libro, dum agebatur de Beatificatione *æquipollenti*, eos Dei Servos, seu Beatos enumeraverimus, in quorum causis prodiit declaratio casus excepti, quorumque causæ etiamnum in eodem statu permanent, nec ad ulteriora, hoc est ad solemnem Canonizationem progressæ sunt, ita ut superfluum quodammodo videri posset de illis iterum sermonem hic instituere: operæ tamen pretium fore censuimus, unamquamque ex ipsis causis in præsens etiam repetere, non indicando tantum nomina eorum Dei Servorum, sive Beatorum, ut in primo eodem Operis libro factum est, sed & fundamenta exponendo, quibus declaratio casus excepti ab Urbani decretis innixa est; utpote cum id maximopere prodesse queat ad exornandam practicis exemplis *theoreticen* in superioribus capitibus explicatam.

§. I.

De B. COLUMBA REATINA Virgine Tertii Ordinis S. Dominici de Pœnitentia.

DECRETUM.

Feria V. die 25. *Februarii* 1625.

2. *IN Congregatione generali sanctæ Romanæ & universalis Inquisitionis habita in palatio Apostolico apud S. Petrum coram SS. D. N. D. Urbano Divina providentia Papa VIII. ac Illustr. & Reverend. Dominis S. R. E. Cardinalibus in tota republica Christiana contra hæreticam pravitatem generalibus Inquisitoribus a sancta Sede Apostolica deputatis.*

Lecto retroscripto memoriali, ac relatis scripturis super hujusmodi negotio exhibitis, necnon vita typis mandata anno 1521. *SS. D. N. D. Urbanus Papa prædictus, auditis votis Illustrissimor. DD. censuit, prædictam Beatam non esse comprehensam in decreto nuper emanato circa cultum & venerationem eorum, qui in opinione sanctitatis nondum Beatificationis vel Sanctificationis titulo decorati obierunt; cum supra centum annos cultus & veneratio illius ortum habuerit.*

3. Mortua est hæc B. Virgo anno 1501. uti adnotavit sæpe a nobis cum laude memoratus Justus Fontaninus *in comment. de S. Columba Virgine Aquilejensi in præfat.* Editum autem est supra scriptum decretum approbationis ejus cultus immemorabilis non a Congregatione sacrorum rituum, sed sanctissimæ Inquisitionis; quippe quod factum eo ipso anno 1625. quo de hujus Congregationis consilio prodierunt Urbani VIII. decreta prohibentia exhibitionem publici cultus illis, qui minime beatificati essent, aut ab Apostolica Sede canonizati, ideoque ante annum 1634. quo idem Pontifex Brevi postea expedito non solum confirmavit in forma peculiari decreta modo memorata, sed etiam addidit, quod agi non posset de Beatificatione aut Canonizatione cujuscumque Servi Dei, nisi, confecto prius processu vel super non cultu, vel super casu excepto, Ordinarius sententiam tulisset, quæ a sacrorum rituum Congregatione confirmari subinde meruisset: ex qua etiam ratione nulla præcessit Ordinarii sententia super hujus Beatæ cultu immemorabili. Ejusdem vita conscripta fuit a Sebastiano Perusino ex Ordine Prædicatorum ejus *Confessario* & sacræ Theologiæ Magistro, quæ typis impressa est apud Bollandianos *ad diem* 20. *Maji tom.* 5. Cardinalis autem Torres Episcopus Perusinus processum construi curavit super Beatæ ejusdem sanctitate ac miraculis; cujus corpus sepultum fuit in ecclesia monasterii Monialium ab ipsa fundati sub invocatione S. Catharinæ Senensis in civitate Perusina, quod postea ab illius nomine dictum fuit monasterium B. Columbæ. Sed & nonnullæ ejus Reliquiæ conservantur penes Moniales S. Agnetis civitatis Reatinæ, & die illius festo ad publicam venerationem exponuntur.

4. Instante porro P. Magistro Timotheo Bottonio Ordinis Prædicatorum Vicario sancti Officii civitatis Perusinæ, S. Pius V. indulsit, ut in monasterio B. Columbæ dictæ civitatis die ejus festo fieri posset in Divinis Officiis ejusdem commemoratio: cumque authentica attestatio memorati P. Magistri Timothei asservetur in archivo præfatarum Monialium B. Columbæ, ea compulsata fuit in processum auctoritate ordinaria confectum anno 1629. super sanctitate vitæ, virtutibus, & miraculis ipsius Columbæ. Præterquamquod ejusdem concessionis meminerunt etiam dicti Bollandiani *ad cit. diem pag.* 319. Gravina *de infallib. Papæ in Canoniz. SS. tom.* 4. *de Cathol. præscription. pag.* 369. Castellin. *de certit. glor. SS. pag.* 487. *& de dilat. Canonizat. SS. animad. general. part.* 1. *n.* 2. *pag.* 78. & Marches. *diar. Dominic. ad diem* 20. *Maji in fine.*

§. II.

UAB Biblioteca de Ciències Socials

§. II.

De Beato MATTHÆO CARRERO Ordinis Prædicatorum.

DECRETUM.

5. *Feria III. die 2. Decembris 1625. fuit Congregatio ſancti Officii in palatio Illuſtr. & Reverendiſſ. D. Card. Bandini in regione Campi Martii coram Illuſtr. & Reverendiſſ. Dominis S. R. E. Cardinalibus generalibus Inquiſitoribus, in qua, Prioris Conventus S. Dominici Viglevani lecto memoriali, decretum fuit, ſcribendum eſſe Epiſcopo dictæ civitatis, ne impediat cultum & venerationem exhiberi ſolitam B. Matthæo ultra centum annos, cum non ſit de comprehenſis in paragrapho* Declarans.

6. Decretum prædictum extat in regeſtis decretorum ſacræ Congregationis ſancti Officii, in quibus extat etiam epiſtola ab eadem ſacra Congregatione conſcripta Epiſcopo Viglevani: *Ha eſpoſto il Priore di S. Domenico di codeſta città alla ſacra Congregazione, che nella loro Chieſa vien dato culto e venerazione ad un Beato Matteo, venerato per tale per lo ſpazio di cento e più anni, e che era da V. S. reſta impedito in vigore del decreto di queſta ſacra Congregazione i meſi paſſati pubblicato intorno alla venerazione delle perſone morte con fama di ſantità, o Martirio. E perchè nel ſuddetto decreto la mente di noſtro Signore, e della ſacra Congregazione non è ſtata di comprendere quelli, il culto de' quali, cominciato e tollerato ſopra cento anni anzi eſpreſſamente vengono eccettuati nel paragrafo* Declarans, *&c. in quelle parole,* longiſſimi temporis *&c. però eſſendo in tal caſo il ſuddetto B. Matteo, queſti mi hanno ordinato di ſcrivere a V. S. che non impediſca la continuazione del culto e venerazione di lui nel modo tenuto ſin qui. Che è quanto mi occorre &c.*

7. Mortuus eſt prædictus Beatus in civitate Viglevani die 5. Octobris anno 1471. & de eo ſermonem habent, hoc eſt de ſanctitate vitæ ipſius & de miraculis a Deo ejus interceſſione patratis, Ambroſius Taegius, Leander Albertus, Hieronymus Burſellus, Seraphinus Razzius, Joannes Michael Piò, aliique relati a Caſtellino *de certit. glor. SS. cap. 2. pag. 152. n. 11.* & de ejus cultu actum fuit in Congregatione ſanctiſſimæ Inquiſitionis ob rationes perpenſas *in ſuperiori §. 1. n. 3.* dum agebatur de cultu B. Columbæ Reatinæ ejuſdem Ordinis S. Dominici.

8. Adeo percrebuit fama ſanctitatis hujuſce Beati, ut ſummus Pontifex Sixtus IV. vivæ vocis oraculo conceſſerit, ut ejus corpus a primo, in quo ſepultum erat, tumulo ad aliud dignius ſepulcrum & honorificentius in eadem eccleſia transferretur, & ut in feſto Dedicationis eccleſiæ S. Petri Martyris ejus memoria ſolemniter decantaretur & fieret; uti colligitur ex authentico documento exiſtente in archivo Conventus S. Petri Martyris civitatis Viglevanenſis: *In Dei Filio ſibi chariſſimis Ven. Patri Priori ſeu Præſidenti, ac Patribus, & Fratribus univerſis Conventus Viglevanenſis provinciæ Lombardiæ Ordinis Prædicatorum Fr. Salvus Caſſetta de Panormo ſacræ Theologiæ Profeſſor, ac ejuſdem Ordinis humilis Magiſter & Servus; ſalutem & pacem in Domino Jeſu omnium Salvatore. Quum eos honore & celebratione dignos exiſtimemus, qui vitam præclaris moribus ac virtutibus ornatam duxerint, ea ratione litteras has omnibus recte ſentientibus legendas proponere ſtatuimus, ut præclaris meritis & laudibus digni viri, nequaquam tenebris obducti, aut merita commendatione fraudati videantur. Quod ſi Romanos, Græcos, Barbaros, qui etſi virtutibus clari, Chriſtum tamen ignorantes, Scriptorum ingeniis adeo celebratos, & eloquio illuſtratos tantopere admiramur & colimus, quid vero Chriſto initiatos ſanctiſſimos viros religione, pietate, ſanctimonia conſpicuos vel ſilentio involvimus, vel ſuarum laudum ſplendore carere patimur? Quam ob rem cum ab intente hac ſacra noſtra Prædicatorum Religione clariſſimi virtutibus & doctrina viri ſemper floruerint, qui Beato Dominico Duce ac Fundatore in agrum militantis Eccleſiæ uberrimos fructus attulerint, acceſſit, in temporibus noſtris vir ſanctitate, vitæ innocentia, ſacris moribus, & animi integritate præſtantiſſimus Fr. Matthæus Mantuanus, quem Deus immortalis ut vitæ puritate præcipuum, ita & morte pretioſa ſanctiſſimum oſtendit; cujus integritas, ſanctimonia, religio mortalibus & immortalibus non modo humanum, ſed angelicum potius præſtiterunt, cujuſque ea ſunt merita, ut pluribus & ſignis & miraculis uſquequaque claruerit. Hinc igitur, ne Fidelibus jaceret ignotus, ceteris ad bene vivendi & imitationis exemplum proponendum duximus, & nuper cum ad pedes Sanctiſſimi in Chriſto Patris & Domini noſtri Domini Sixti Divina providentia Papæ IV. eſſemus, ab ejus clementia vivæ vocis oraculo impetravimus, ut ejus ſacrum corpus a primo, in quo ſepultum erat, tumulo ad aliud dignius & honorificentius in eadem eccleſia transferretur, atque ut in feſto Dedicationis eccleſiæ S. Petri Martyris de Viglevano ejuſdem Ordinis ejus memoria ſolemniter decantetur & fiat. Quare Fideles omnes hortamur in Domino, ut Sanctorum omnium meritis & exemplis provocati atque incenſi, bene ac recte vivendi ſemitam ſequantur, & hujus religioſiſſimi & ſanctiſſimi viri precibus immortalem gloriam ſe ſperent conſecuturos. In quorum omnium fidem & teſtimonium ſigillum officii noſtri duximus præſentibus apponendum. Bene valete, & Deum pro nobis orate. Datum Romæ die octava menſis Frebuarii anno Dominicæ Nativitatis milleſimo quadringenteſimo octuageſimo ſecundo.*

§. III.

De B. BERNARDO PTOLEMÆO Fundatore Congregationis Montis Oliveti.

DECRETUM.

Die 24. Novembris 1644.

9. *Congregatio Olivetana ſupplicavit declarari, utrum conſtet, quod in cauſa Servi Dei Bernardi de Ptolemæis ejus Fundatoris ſit in aliquo contraventum decretis ſacræ univerſalis Inquiſitionis, attento, quod conſtet de immemorabili ejus cultu ad hoc, ut poſſit ad ulteriora procedi: & ſacra Congregatio, proponente Eminentiſſ. & Reverendiſſ. Domino Cardinali Franciotto, cenſuit, conſtare, cauſam prædictam eſſe in caſu excepto in decretis ſacræ Romanæ & univerſalis Inquiſitionis.*

SENARUM.

In ſacra rituum Congregatione habita die 16. Septembris 1645. fuit propoſitum dubium, An cauſa Ven. Servi Dei Bernardi Ptolemæi ſit in caſu excepto per decreta Urbani VIII. ita, ut poſſit procedi ad ulteriora. Eadem Congregatio affirmative reſpondit, ſi Sanctiſſimo videbitur; quam dictæ Congregationis ſententiam die 4. Decembris Sanctitas ſua (Innocentius videlicet Papa X.) *approbavit.*

10. Nulla fit in his decretis mentio proceſſus, vel ſententiæ ab Ordinario, vel a Delegato latæ. Attamen ex Actis hujus cauſæ colligitur, tum proceſſum fuiſſe confectum auctoritate ordinaria ab Archiepiſcopo Senarum, tum ab eodem latam fuiſſe ſententiam ſuper cultu immemorabili.

11. Meminit autem virtutum heroicarum & miraculorum Beati hujus Bernardi Sigiſmundus Titius ex antiquioribus Hiſtoricis civitatis Senenſis, cujus opus manuſcriptum extat in archivo ejuſdem civitatis; & *part. 2.* poſt plura de eodem Beato relata ita concludit: *Magna vitæ claritate & ſanctitate Familiam rexit, decemque monaſteria ordinavit, ſuæque Religioni adjunxit, decore vitæ atque miraculis rutilans, anno 1348. ut ibi dicemus, migravit ad cælum.* Integra vero ejus vita conſcripta fuit a Joanne Baptiſta de Populonia ex Dominicana familia contemporaneo eidem Auctore, qui ſcilicet ſcriptis mandavit ea non modo quæ viderat, ſed & quæ audiverat a quodam Fratre Guillelmo teſte oculato. Id tamen Joannis Baptiſtæ de Populonia ſcriptum ad præſens non invenitur, ſed tantum ab eo deſumpta alia Beati vita typis edita 1584. a Gregorio Lombardello ex Ordine pariter Prædicatorum. Denique Jo. Gobellinus *in comment. Pii II. lib. 10. pag. 262.* meminit monaſterii Montis Oliveti, & B. Bernardi ejus Fundatoris his verbis: *Agrum hunc, & circumjacentem fuiſſe tradunt nobilium quorumdam virorum apud Senenſes prognatorum, qui Deo pleni & Religionis novellæ fuerint inventores, & cœnobii Fundatores, cui poſſeſſiones ſuas donaverint. Nomen viris Bernardo Ptolemæo, Ambroſio Piccolomineo, & Patritio ex gente Patritia fuit, quorum oſſa religioſe colunt.*

§. IV.

De Beato Nicolao DE FLUE Eremita.

DECRETUM.

Constantien.

12. RElato per Eminentiſs. Dominum Cardinalem Franciottum proceſſu particulari in cauſa Servi Dei Nicolai de Flue Eremitæ Helvetii ſuper caſu excepto in decretis de non cultu cum pronuntiatione Epiſcopi Conſtantien. ab Apoſtolica Sede ad hoc ſpecialiter delegati, ſacra rituum Congregatio cenſuit, conſtare de caſu excepto per longiſſimi temporis curſum ſuper hominum memoriam ex actibus etiam excedentibus metam annorum centum, ideoque paritum eſſe decretis prædictis, ſi tamen Sanctiſſimo Domino noſtro ita viſum fuerit, die ſupradicta 21. Novembris 1648.

Et Sanctitas ſua (id eſt, Innocentius Papa X.) *annuit.*

13. Obiit hic Dei Servus anno 1487. ejuſque corpus tumulatum fuit in æde Saxellenſi S. Theoduli. Conſcripta autem fuit illius vita a Petro Hugone Societatis Jeſu Sacerdote; necnon plura de eodem habentur apud Bollandianos *ad diem* 22. *Martii tom.* 3. Plures pariter pro ejus Canonizatione proceſſus confecti ſunt tum auctoritate ordinaria, tum Apoſtolica; ſententiamque ſuper ejuſdem cultu immemorabili tulit Epiſcopus Conſtantienſis, uti Apoſtolicus Delegatus, quæ ſubinde a ſacra Congregatione, atque adeo a ſummo Pontifice fuit approbata, ſicuti fert antea exſcriptum decretum. Cum vero de hoc Dei Servo narretur, quod viginti & duobus annis vixerit ſine materiali omnino cibo potuque; (quæ res, ut appareat, reponenda ne ſit inter miracula, alibi examinabimus) interea inopportunum non erit ad hæc attexere epiſtolam Caroli Bovilli, in qua plenam fidem facit de eadem longiſſima inedia.

CAROLUS BOVILLUS.

NICOLAO FLORIO REMENSI ELECTO.

T4.141

SCribis, ſcitiſſime vir, opinari te, nihil ſimile a quingentis annis contigiſſe huic, quod meæ litteræ tibi denarrarunt de geminis Chriſti athletis, Divinique verbi propagatoribus. Quia igitur cœpi, adhuc loquar: quæ ex parte vidi, partim audivi, de alio quodam Eremita ſancto & admirando noſtris temporibus viro tibi aperiam. Is jam in pace quievit annis viginti. Nomen illi erat Nicolao de Saxo, natione Germano atque Helvetio: Helvetii enim ſunt ſuperiores Germani (quos nunc Suitenſes vulgo appellant) ſiti inter Alpes. Illac anno ſalutis 1530. tranſivi; audienſque virtutes jam vita functi Eremitæ, captus deſiderio novitatis rei, continuo ad ejus eremum diverti. Suſcepit me hoſpitio unus filiorum ejus natu maximus. Patris veſtem mihi ipſe oſtendit. Sequenti die pervenimus ad cellulam patris, in qua vivens pater perſeverans duobus & viginti annis (quoad ſatis exceſſit humanis) ſine materiali omni cibo & potu, docuit nos infirmos mortales, quam verus ſit ſacer ac Divinilo-quus ſermo, Non in ſolo pane vivit homo, ſed in omni verbo, quod egreditur de ore Dei. *Obſederunt frequenter & per annos plurimos vias & itinera, quæ ad ejus ſolitudinem ducebant, Helvetiorum Principes tam Eccleſiaſtici quam ſeculares probaturi, num quiſpiam occultis cum cibis alaiſſet; invenerunt*que (quod & verum erat) *hominem divinitus ſupra hominem factum naturam aliquo pacto ſuperaſſe humanam, parem Angelis in hoc mundo evaſiſſe, & carne adhuc veſtitum carnis tamen neceſſitudinibus minime obnoxium & addictum. Claruit* (ut ferunt, & ut in ejus Actis legi) *& in vita & poſt corporis exceſſum miraculis.*

§. V.

De Beato BERNARDINO DE FELTRO Ordinis Minorum.

DECRETUM.

Papien. ſeu Feltren. Servi Dei Fratris Bernardini de Feltro Ordinis Minorum.
Die Sabbati 28. Martii 1654.

14. RElato per Eminentiſs. Dominum Cardinalem Aldobrandinum particulari proceſſu in cauſa Servi Dei Fratris Bernardini de Feltro Ordinis Minorum auctoritate Apoſtolica confecto per Epiſcopum Papien. ſuper caſu excepto a decreto ſanctiſſimæ Inquiſitionis editis ſuper non cultu, & ſel. record. Urbanum VIII. approbatis & confirmatis, ob cultum immemorabilem Servo Dei exhibitum, eadem Congregatio ſacrorum rituum, præſente ac audito R. P. D. Fidei Promotore, cenſuit, non fuiſſe contraventum præfatis decretis in caſu & ad effectum, de quo agitur; ideoque poſſe in cauſa ad ulteriora procedi, ſi Sanctiſſimo Domino noſtro placueris.

Et, facta relatione per Eminentiſs. Dominum Cardinalem Sacchettum, *Sanctitas ſua* (Innocentius ſcilicet Papa X.) *benigne annuit die* 13. *Aprilis* 1654.

15. Beatus hic Bernardinus deceſſit anno 1494. ejuſque cultus ſtatim ab ejuſdem obitu initium habuit. Summus enim Pontifex Leo X. in ſuis Apoſtolicis litteris de anno 1513. quibus Miſſam & Officium conceſſit tunc Beato, nunc Sancto Franciſco de Paula, teſtatus eſt, Imaginem Beati ejuſdem Bernardini in eccleſiis Fratrum Minorum jam tum retentam fuiſſe: *Nos igitur, qui Fideles quoslibet ad Sanctorum Dei venerationem & jugem erga eos devotionem, ut ei, a quo omne datum optimum & omne donum perfectum procedit, placere ſtudeant, prout poſſumus, libenter excitamus, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati eiſdem Fratribus, ut de cetero, perpetuis futuris temporibus, in eorum Domibus Officium in memoriam ejuſdem Franciſci de uno Confeſſore ſub nomine B. Franciſci de Paula hujuſmodi, annis ſingulis, ut ſupra, celebrare, & in eorum Miſſis, ac Matutinis, & Veſperis ejuſdem Franciſci commemorationem ſub nomine B. Franciſci de Paula hujuſmodi recitare, ejuſque Imaginem depingi facere, & in eccleſiis Domorum ſuarum, prout etiam Fratres Ordinis Minorum de familia in eorum eccleſiis Imaginem Fratris Bernardini de Monte Feltro, qui etiam proximis annis deceſſit, tenent depictam, tenere libere & licite valeant, Ordinariorum locorum, & cujuſvis alterius licentia ſuper hoc minime requiſita, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium licentiam & facultatem concedimus: Non obſtantibus &c.*

16. Buſtus autem eidem Dei Servo contemporaneus ita honorifice de eo locutus eſt in defenſorio Montis Pietatis *tract. 2. part. 3. Ex quibus patet, quod adverſarii Montis non latrant tantummodo contra ipſum Beatum Fratrem Bernardinum Feltrinum, qui obiit in loco Sancti Jacobi apud Papiam hoc anno, ſcilicet* 1494. 28. *Septembris in nocte ſequente, dum gallus inciperet decantare, ut oſtenderet, quod ipſe bene decantaverat laudem Divinam, & ibat ad cantandum æternaliter in gloria cæleſti, & ibi multis coruſcat miraculis; ſicut etiam ante obitum fecerat ibidem multa miracula in teſtimonium ſuæ vitæ ſanctæ & operum, ex quibus approbantur Montes ab eo taliter inſtituti cum ſolutione prædicta: & paucis diebus ante mortem dixit mihi, quod non eſt bonum pro pauperibus aliter Montem inſtituere.*

17. Denique Beati ejuſdem Bernardini vita conſcripta fuit a Bernardino Gurlino anno 1523. a Simonio Moraccino anno 1531. & noviſſime a Bernardino & Innocentio Minoribus Obſervantibus, qui omnia fere collegerunt, quæ antea ab aliis Hiſtoricis de eodem exarata ſunt. Sed & confecti fuerunt auctoritate Apoſtolica proceſſus ſuper ejus virtutibus ac miraculis.

§. VI.

De Beato FERDINANDO III. Rege Caſtellæ & Legionis, cognomento *Sancti*.

DECRETUM.

Hiſpalen. Beatificationis & Canonizationis Servi Dei Ferdinandi III. Regis Caſtellæ & Legionis.

18. EXhibito in ſacra rituum Congregatione, ac, ſervatis ſervandis, aperto proceſſu particulari Apoſtolica auctoritate peracto in cauſa Servi Dei Ferdinandi III. Regis Caſtellæ & Legionis ſuper caſu excepto a decretis per ſel. record. Urbanum VIII. ſuper non cultu editis, cum ſubſequenti pronuntiatione bon. mem. Cardinalis Pimentelli Archiepiſcopi Hiſpalen. Judicis remiſſorialis ab eadem ſacra Congregatione deputati ſuper illorum paritione, eoque ad relationem Eminentiſs. Domini Cardinalis Giuſtti præſentato, ac, audito R. P. D. Fidei Promotore, mature diſcuſſo, Eminentiſs. Patres dictæ ſacræ Congregationis præpoſiti cenſuerunt, conſtare de caſu ex-

excepto, & cultu eidem Servo Dei adhibito per immemorabilem temporis curſum excedentem metam centum annorum ante decreta cum ſcientia & tolerantia Ordinariorum; ideoque poſſe ad ulteriora procedi, ſi Sanctiſſimo Domino videbitur. Die 24. Maji 1655.

Et, facta per Eminentiſs. Dominum Cardinalem Sacchettum relatione, Sanctitas ſua (id eſt, Alexander Papa VII.) *annuit, die 31. ejuſdem menſis & anni.*

19. Mortuus eſt Ferdinandus III. Rex Caſtellæ & Legionis die 30. Maji anno 1252. Lucas autem Tudenſis coævus ejus vitam conſcripſit, quam referunt Bollandiani *ad diem 30. Maji tom. 7.* ubi etiam ex probatiſſimis Auctoribus, necnon ex documentis a Romana Curia miſſis omnia referuntur pertinentia tum ad vitam & miracula, tum ad cauſam formalis Canonizationis ejuſdem. In proceſſum vero confectum ſuper ejus cultu immemorabili compulſata fuerunt antiqua quædam Officia propria Sanctorum dioeceſis Toletanæ approbata a Gregorio XIII. & Sanctorum Eccleſiæ Hiſpalenſis approbata a Sixto V. in quibus plura mirabilia de Sancto eodem Rege Ferdinando leguntur.

§. VII.

De Beata MARGARITA DE SABAUDIA Tertii Ordinis S. Dominici.

DECRETUM.

Alben. Canonizationis Beatæ Margaritæ de Sabaudia Tertii Ordinis S. Dominici.

20. *Sacra rituum Congregatio, referente Eminentiſs. Domino Cardinali de Ilcio, cenſuit, conſtare, cultum prædictæ B. Margaritæ a Sabaudia fuiſſe exhibitum & exhiberi ex indulto Apoſtolico; & propterea conſtare de caſu excepto a decretis ſanctiſſimæ Inquiſitionis, eiſdemque ſufficienter ſatisfactum fuiſſe, & poſſe procedi ad ulteriora in cauſa Canonizationis, ſi Sanctiſſimo viſum fuerit. Hac die 31. Auguſti 1669.*

Et, facta de prædictis Sanctiſſimo relatione per me Secretarium, Sanctitas ſua (id eſt Clemens Papa IX.) *annuit, die 9. Octobris 1669.*

21. Hyacinthus Bareſcinus, Razius, Herculanus, Marcheſius vitam ejus conſcripſerunt. Apoſtolicum autem indultum, cui ſententia ſuper caſu excepto innititur, Breve eſt S. Pii V. expeditum anno 1565. cujus exordium eſt, *Unigeniti Dei Filii*, quo Abbatiſſæ & Monialibus monaſterii S. Mariæ Magdalenæ civitatis Albæ Ordinis S. Dominici, quod Margarita adhuc vivens conſtruxerat, conceſſit, ut die ejuſdem feſto commemorationem ejus facere poſſent; uti fuſe habetur apud Caſtellinum *de certitud. glor. Sanctorum pag.* 487.

§. VIII.

De Beato PETRO PASCHASIO Ordinis B. Mariæ de Mercede Redemptionis Captivorum.

LITTERÆ APOSTOLICÆ in forma Brevis Clementis Papæ X.

CLEMENS PAPA X.

Ad futuram rei memoriam.

22. *Eccleſiæ Catholicæ regimini, meritis licet impariibus, per ineffabilem Divinæ bonitatis abundantiam præſidentes, illa, quæ a Catholicis Antiſtitibus in partem ſolicitudinis noſtræ vocatis ſuper cultu & veneratione Beatorum Martyrum, qui, bono certamine peracto, victores coronam Juſtitiæ ab Agonotheta Chriſto Jeſu Domino noſtro in cælis acceperunt, recte atque ordine facta eſſe noſcuntur, Apoſtolici muniminis noſtri patrocinio libenter conſtabilimus. Exponi ſiquidem Nobis nuper fecit dilectus Filius Procurator Generalis Ordinis FF. B. Mariæ de Mercede Redemptionis Captivorum, quod alias a venerabili Fratre Ferdinando de Andrade & Caſtro olim Archiepiſcopo, nunc Epiſcopo Gyenen. ſuper cultu immemorabili B. Petro Paſchaſio de Valentia Martyri ex Ordine prædicto Epiſcopo Gyenen. exhibito, & caſu excepto a decretis ſel. record. Urbani Papæ VIII. prædeceſſoris noſtri in Congregatione ſanctiſſimæ Inquiſitionis adverſus hæreticam pravitatem auctoritate Apoſtolica inſtituta ſuper non cultu editis emanavit ſententia definitiva tenoris, qui ſequitur, videlicet „ Chriſti nomine invocato, pro tribunali ſedentes, & ſolum Deum præ oculis habentes, per hanc noſtram definitivam ſententiam, quam de Juriſperitorum conſilio ferimus in his ſcriptis in cauſa & cauſis Servi Dei B. Petri Paſchaſii de Valentia Martyris ex Ordine B. Mariæ de Mercede Redemptionis Captivorum Epiſcopi Gyenenſis inter admodum R. P. Magiſtrum Fr. Melchiorem de Torres pro Bætica provincia Electorem atque Procuratorem in hac cauſa a Reverendiſs. Patre Magiſtro Fr. Ildefonſo de Sotomayor totius Ordinis B. Mariæ de Mercede Redemptionis Captivorum Magiſtro Generali legitime conſtitutum, & Petrum Verbel Presbyterum & Promotorem in hac cauſa de & ſuper cultu immemorabili, & extra centum annos ipſi Beato exhibito, ac caſu excepto a decretis ſel. record. Urbani VIII. in ſanctiſſima Inquiſitione ſuper non cultu editis; viſis litteris deputationum ſub die 20. menſis Junii anno Domini milleſimo ſexcenteſimo quinquageſimo tertio a Nobis factis, & relaxatis in perſonis Doctoris Domini Didaci Domedel & Queſada Magiſtri Scholarum & Portionarii ſanctæ noſtræ Cathedralis Gyenenſis eccleſiæ Judicis delegati, & D. Ferdinandi de Nava in ſacra Theologia Doctoris & ejuſdem ſanctæ eccleſiæ Pœnitentiarii, & Domini Nicolai de Adarve in jure Canonico Licentiati & ejuſdem Gyenenſis Canonici Doctoralis Adjunctorum, ac Petri Verbel Promotoris, & aliis noſtris, & eorumdem Deputatorum decretis; viſis depoſitionibus teſtium coram ipſis Delegatis legitime inductorum, juratorum, & examinatorum; viſis ſcripturis ac juribus productis & compulſatis; viſa Conſtitutione Procuratoris; viſo toto proceſſu; & viſis videndis, atque examinatis examinandis: Chriſti nomine repetito, dicimus declaramus pronuntiamus & definitive ſententiamus, conſtare, Servo Dei B. Petro Paſchaſio de Valentia Martyri ex Ordine B. Mariæ de Mercede Redemptionis Captivorum Epiſcopo Gyenenſi cultum exhibitum eſſe a centum annis & ſupra, & ad præſens exhiberi; & hoc, ſcientibus ac tolerantibus Ordinariis Gyenenſibus, & Grauatenſibus; & eamdem cauſam iſtam verſari in caſu excepto a decretis ſel. record. Urbani VIII. ſuper non cultu editis; & propterea in hac dictis decretis nullo modo eſſe vel fuiſſe contraventum: & ita dicimus decernimus declaramus pronuntiamus & definitive ſententiamus, non ſolum præmiſſo, ſed omni meliori modo. Ita pronuntiavi ego Ferdinandus Archiepiſcopus Epiſcopus Gyenenſis " Lata & lecta fuit præſens ſententia per Illuſtriſs. & Reverendiſs. Dominum D. Ferdinandum de Andrade & Caſtro Archiepiſcopum Epiſcopum Gyenenſem pro tribunali ſedendo in ſuo loco ſolitæ audientiæ, & per me infraſcriptum Notarium cauſæ promulgata, citato præſente ac intelligente Petro Verbel Presbytero Fiſcali Promotore, die 31. menſis Martii anno Domini milleſimo ſexcenteſimo quinquageſimo quinto, præſentibus etiam ibidem multis, & nominatim Domino Gabriele de Flores, & Antonio de Eſpinova Presbytero, teſtibus vocatis & rogatis. Actum fuit prædicta die trigeſima prima menſis Martii hora tertia poſt meridiem: Et ego Notarius hujus cauſæ publicus & Apoſtolicus fidem facio. Ludovicus a Delgado Notarius publicus & Apoſtolicus. Cum autem, ſicut eadem expoſitio ſubjungebat, prædictus Procurator Generalis ſententiam prædictam, quo firmius ſubſiſtat, Apoſtolicæ approbationis noſtræ præſidio communiri, & alias opportune in præmiſſis a Nobis provideri, plurimum deſideret: Nos ipſius Procuratoris Generalis votis hac in re, quantum cum Domino poſſumus, favorabiliter annuere volentes, eumque a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis a jure vel ab homine quavis occaſione vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtat, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes & abſolutum fore cenſentes, ſupplicationibus ejus nomine Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, de venerabilium Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium ſacr. rit. præpoſitorum conſilio, qui, propoſito dubio, an ſententia præinſerta eſſet confirmanda, vel infirmanda in vim proceſſus ab Ordinario Gyenen. peracti, cauſam mature diſcuſſerunt, & prius in ſcriptis & in voce dilectum Filium Promotorem Fidei audiverunt, ac quaſdam anonymas ſcripturas contra dictam cauſam eorum Congregationi porrectas viderunt & conſideravunt, præinſertam Ordinarii ſententiam auctoritate Apoſtolica tenore præſentium approbamus. Ideoque, conſtare de cultu immemorabili eidem Beato Petro Paſchaſio Epiſcopo Gyenenſi Ordinis Beatæ Mariæ de Mercede Redemptionis Captivorum exhibito, & caſu excepto a Decretis dicti Urbani Prædeceſſoris, & ſanctiſſimæ Inquiſitionis procedi poſſe, auctoritate, & tenore præſentis declaramus, & decernimus; ſalva tamen*

semper in præmissis auctoritate Congregationis eorumdem Cardinalium: Decernentes, eisdem præsentes litteras firmas validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & spectabit in futurum, plenissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiri debere: ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari: Non obstantibus Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque. Volumus ut ipsarum præsentium Litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo Personæ in Ecclesiastica Dignitate constitutæ munitis eadem prorsus fides in Judicio, & extra illud habeatur, quæ haberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Anulo Piscatoris die 14. Augusti 1670. Pontificatus Nostri Anno I.

23. Captus nempe fuit hic Dei Servus, sive Beatus a Mauris, dum in regimine Gyenensis Ecclesiæ ovium sibi creditarum saluti sedulo invigilabat: cumque Granatæ in vinculis detineretur, & inter Infideles non cessaret Catholicam Religionem propugnare, Martyrio coronatus est jussu Regis Mahumetani; capite quippe est obtruncatus, dum sacris operabatur.

24. Scripsit opusculum adversus Mahumetanorum sectam, quod, etsi nondum editum fuit, nihilominus sacrorum rituum Congregationi exhibitum, & revisioni de more subjectum, sed nihil in eo inventum, quod adversaretur sanæ doctrinæ, aut bonis moribus, uti desumitur ex decreto edito die 3. Septembris, confirmato autem a summo Pontifice die 7. ejusdem mensis anno 1672. De operibus ab hoc Beato compositis fuse agit Nicolaus Antonius *tom. 2. Bibliothec. vet. Hisp. lib. 8. cap. 6. num. 267. & seqq.* Cæsus porro est Beatus ipse inter annos 1300. & 1302. vitamque ejusdem late descripsit Joannes de Villegas Pardus. Verum nec eadem edita fuit, sed manuscripta extabat Gyenii penes Christophorum Guttierez, & Velasco ejusdem civitatis incolam tempore confectionis processus super cultu Petri immemorabili, utpote in quem una cum pluribus aliis historiis similiter ms. fuit compulsata. Meminerunt demum ejus Martyrii Argonus de Molina *in nobilitate Bæticæ*, Bartholomæus Kimenes Paton. *in antiquit. Gyenen.* Marcus Salmeron Episcopus Truxillen. *in memoriis historicis*, Quintanas Duegnas *in Sanctis Toler. tom. 2.* Franciscus Vilches *de Episcopis Gyenensibus*, &, teste supra citato Nicolao Antonio, melius ceteris Martinus de Ximena *in annalibus Gyenensibus*, præter alios plures.

§. IX.

De Beata LUDOVICA ALBERTONIA Tertii Ordinis S. Francisci.

LITTERÆ APOSTOLICÆ in forma Brevis Clementis Papæ X.

CLEMENS PAPA X.

Ad perpetuam rei memoriam.

25. *AGrum Ecclesiæ, quem excolendum ab æterno Agricola accepimus, nunc integritatis flore vernantem, nunc viduitatis gravitate pollentem, nunc etiam conjugii fructibus redundantem pro mentis affectu considerantes, gloriosa sanctarum Viduarum, quæ non humanum, sed Divini Spiritus depromptum infusione Apostolicum consilium secutæ cogitarunt, quæ sunt Domini, ut essent sanctæ corpore & spiritu, ac in Deum sperarunt instantes obsecrationibus & orationibus die ac nocte, merita condignis honoribus celebranda esse censemus; & proinde tendentia in id ipsum Christifidelium, præsertim hujus almæ Urbis nostræ, ex qua bonorum operum exempla in omnes Christiani orbi partes assidue promanant, vota libenter exaudimus, sicuti, matura deliberatione prævia, spirituali Fidelium consolationi atque ædificationi conducibile fore in Domino arbitramur. Cum itaque, sicut dilecti Filii Senatus Populusque Romanus Nobis nuper exponi fecerunt, ipsi Beatam Ludovicam Viduam concivem suam Tertii Ordinis S. Francisci ex vetustissima Albertoniorum gente claris natalibus ortam, non minus pietate quam munificentia pretiosum Calicem & cereos quotannis die 31. Januarii, qua obdormivit in Domino, ecclesiæ S. Francisci in regione Transtiberina dictæ Urbis sitæ Fratrum Minorum Ordinis ejusdem S. Francisci de Observantia Reformatorum nuncupatorum, in qua venerabile ejusdem Beatæ Ludovicæ corpus requiescit, offerendo, per longissimi temporis decursum coluerint, & in ipso Pontificatus nostri primordio Nobis humiliter supplicaverint, ut causa Canonizationis memoratæ B. Ludovicæ, ad effectum probandi ejus cultum immemorabile, Congregationi venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium sacris ritibus præpositorum committere de benignitate Apostolica dignaremur: Nos vero eorumdem exponentium desiderio paterna clementia annuentes, Commissionem causæ hujusmodi manu signaverimus, & in illius vim peculiaris processus in Curia, servatis servandis, fabricatus fuerit, eoque per dilectum Filium nostrum in Urbe prædicta Vicarium in spiritualibus Generalem recognito, emanaverit ab eodem Vicario sententia super casu excepto, ac deinde prædicta Cardinalium Congregatio, re acritev & mature discussa, sententiam hujusmodi confirmaverit, ac de cultu immemorabili dictæ B. Ludovicæ, & casu excepto a decretis fel. record. Urbani Papæ VIII. prædecessoris nostri constare declaraverit: hinc est, quod Nos piis enixisque Senatus & Populi prædictorum precibus favorabilem assensum, quantum cum Domino possumus, præbere cupientes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium duntaxat consequendarum serie absolventes, & absolutas fore censentes, declarationem a memorata Cardinalium Congregatione factam, ut præfertur, quod scilicet de cultu immemorabili dictæ B. Ludovicæ, & casu excepto a decretis prædicti Urbani prædecessoris constet, Apostolica auctoritate tenore præsentium confirmamus & approbamus, illique inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus. Præterea, ut de eadem B. Ludovica quotannis die 31. Januarii in prædicta ecclesia S. Francisci de Urbe Officium recitari, & Missa, etiam a Sacerdotibus eo die ad ecclesiam hujusmodi confluentibus, celebrari de communi nec Virginum nec Martyrum juxta Rubricas Breviarii & Missalis Romani libere & licite possint & valeant, auctoritate & tenore prædictis perpetuo concedimus & indulgemus: Non obstantibus Constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, ut earumdem præsentium litterarum transumptis seu exemplis etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in ecclesiastica dignitate constitutæ munitis eadem prorsus fides in judicio & extra illud, habeatur, quæ haberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ vel ostensæ. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub anulo Piscatoris die 28. Januarii 1671. Pontificatus nostri anno I.*

26. Mortua est hæc Beata die ultima Januarii 1533. ideoque inter inquirendum in ejus cultum immemorabilem magna fuit orta controversia circa tempus ad cultus integrationem necessarium. Cum enim debeat esse tempus annorum centum, ab anno 1533. ad annum 1625. quo edita fuerunt Urbani decreta, elapsi dici poterant tantummodo anni nonaginta duo. Sed, cum Breve eadem decreta confirmans prodierit anno duntaxat 1634. existimatum fuit, habendam esse rationem dati Brevis, minime vero decretorum, juxta ea, quæ in superioribus dicta sunt.

27. In Actis porro Sanctorum Bollandianis *ad diem 31. Januarii tom. 2. inter prætermissos pag. 1078.* de eadem Beata hæc leguntur: *Ludovica de Albertonibus in quodam, quod penes nos est, manuscripto dicitur hoc die obiisse Romæ anno 1533. & sepulta ad Divi Francisci trans Tiberim, ibique miraculis claruisse, & magna populi veneratione culta. Non arbitramur, publicum hunc cultum sanctæ Sedis auctoritate fuisse probatum. Scripsimus de ea sæpius Romam: negant vulgo notam.* Verum hæc ipsa scripta sunt a Bollando ante editionem supra scripti Brevis.

28. Mentio utique fit in eodem Brevi Apostolico Calicis & cereorum quotannis die postrema Januarii oblatorum a Senatu Populoque Romano in honorem B. Ludovicæ: sed ea pariter die statutum fuit, quominus solita audientia præstaretur a Conservatoribus Urbis in palatio Capitolii; & verba consiliorum Populi Romani hac de re authentica forma relata sunt in processu, quem Breve ipsum memorat.

29. Meminerunt autem virtutum & miraculorum ejusdem Beatæ Franciscus Gonzaga *de origine Seraphicæ Reli-*

Religionis part. 2. Convent. 1. provinciæ Romanæ pag. 178. Arturus *in Martyrologio Franciscano ad diem* 31. *Januarii*, Didacus Equile *in hierarch. Francisc. tom. 1. pag.* 308. Ciaconius *vit. Pontif. tom. 3. in addit. ad vitam Clementis VII. col.* 449.

§. X.

De Beato JACOBO de MEVANIA Ordinis Prædicatorum.

DECRETUM.

Spoletina Canonizationis Beati Jacobi de Mevania Ordinis Prædicatorum.

30. *CUm per postulatorem causæ supplicatum fuerit, a sacrorum rituum Congregatione decerni declarari & promulgari, constare, prædicto Jacobo cultum exhibitum fuisse & exhiberi ex indultis Apostolicis, ac ideo causam hujusmodi comprehendi inter casus exceptos a decretis jussu fel. record. Urbani VIII. in Congreg. sanctissimæ Inquisitionis editis super non cultu, eisdemque fuisse sufficienter satisfactum; eadem sacra Congregatio, referente Eminentiss. Domino Cardinali Sforzia Ponente, censuit, constare de casu excepto, & ideo procedi posse ad ulteriora, si Sanctissimo placuerit. Hac die* 14. *Maji* 1672.

Et facta de prædictis Sanctissimo relatione per me Secretarium, Sanctitas sua (Clemens videlicet Papa X.) *benigne annuit, die* 18. *ejusdem mensis Maji* 1672.

31. Obiit Beatus iste anno 1301., ejusque vita conscripta fuit circiter annum 1377. a Fr. Ventura Camasseo Ordinis Prædicatorum integræ fidei viro; quæ adhuc edita non est, sed manuscripta asservatur tum in Urbe, tum apud Mevaniam in bibliothecis seu archivis Conventuum Ordinis S. Dominici. Bartholomæus postea Mortarius ejusdem Religiosi Ordinis Theologus aliam vitam exaravit, quæ typis impressa est apud Fr. Leandrum Albertum *de viris illustribus Ord. Præd.*; pariterque tractu temporis alii fuerunt, qui de eodem argumento scripserunt; sed inter omnes accuratissime eam vitam anno 1678. Tuderti edidit Baptista Piergilius. Item Beati hujusce mentionem facit S. Antoninus *in summa histor. tit.* 23. *part.* 3. *cap.* 10. §. 5. ubi: *In Conventu Mevaniæ prope Fulgineum requiescit corpus Fr. Jacobi inde oriundi: & cujus corpus integrum vidi desiccatum ad modum statuæ ligneæ. Hic valde devotus & religiosus, fuit miraculis gloriosus.* Quid vero in ejus causa factum sit, deprehenditur apud citatum Piergilium *part.* 4. *cap.* 12. in qua nempe primus processus confectus fuit auctoritate ordinaria Episcopi Spoletini anno 1608. & ejus processus relatio facta sacrorum rituum Congregationi a venerabili Dei Servo Roberto Cardinali Bellarmino est, quæ sequitur.

32. *In processu in primis habetur historia de ejus gestis scripta anno Domini* 1377. *circiter septuaginta annis post mortem ejusdem Beati a quodam Fr. Bonaventura viro sancto, postea renovata & correcta anno Domini* 1514. *a Fr. Alberto Alemanno. In historia habetur:*

Primo, de ejus vita sanctissima. Secundo, de ejus austeritate. Tertio, de ejus miraculis editis in vita, & in morte, & post mortem, quæ si essent legitime probata, sufficerent ad ejus Canonizationem. Quarto, habetur, quod ejus festa die & solemnitas habetur Mevaniæ quotannis, & quod ad eum turba plurima conveniret. Hæc historia extracta est de verbo ad verbum ab antiquo libro a quatuor Fratribus Prædicatoribus Conventus S. Mariæ super Minervam.

Secundo, habetur commissio Capituli Generalis 1596. *sub Reverendiss. Patre Fr. Vincentio Justiniano, ut Procurator Ordinis procuret, recitari posse Officium de B. Jacobo de Mevania in tota provincia Romana.*

Tertio, habetur alia vita Fr. Bartholomæi Mortarii a Leandro Alberto Bononiensi relata, in qua historia leguntur duo mortui resuscitati: sed de primo dubium esse potest, cum in historia Bonaventuræ cap. 27. *non dicatur fuisse mortuus, sed liberatus a morte in momento.*

Quarto, habetur testimonium S. Antonini.

Quinto, habetur Antiphona, & ejus Oratio, quam credibile est aliquando fuisse recitatam.

Sexto, extat processus factus anno 1608. *a Vicario Foraneo Mevaniæ ex commissione Domini Vicarii Generalis Illustriss. Domini Episcopi Spoletani, in quo continentur circiter duodecim miracula; sed duo videntur præcipua.*

Septimo, extat testimonium Bonifacii Papæ IX. authenticum, quod ecclesia, ubi est corpus B. Jacobi, & dicebatur S. Gregorii, postea dicta fuit ecclesia SS. Dominici, & Jacobi Ordinis Prædicatorum.

33. Indultum denique istud a Bonifacio IX. cujus mentio fit in modo exposita Cardinalis Bellarmini relatione, ut & indultum a Paulo V. quorum scilicet habetur ratio in supra exscripto sacræ Congregationis decreto, sunt sequentia.

Bonifacius Servus Servorum Dei, Universis Christifidelibus præsentes litteras inspecturis; salutem & Apostolicam benedictionem. Licet is, de cujus munere venit, ut sibi digne & laudabiliter serviatur, de abundantia pietatis suæ & merita supplicum excedat & vota, & benefacientibus sibi multo majora retribuat, quam valeant promereri; nihilominus desiderantes Domino sibi populum acceptabilem reddere & bonorum operum sectatorem ad complacendum sibi, quasi quibusdam allectivis muneribus, Indulgentiis videlicet & remissionibus invitamus, ut exinde reddantur gratiæ aptiores. Cupientes igitur, ut ecclesia monasterii Sanctorum Dominici, & Jacobi de Mevania Ordinis Prædicatorum Spoletinæ diœcesis congruis honoribus frequentetur & conservetur, ut Christifideles eo libentius devotionis gratia se conferant ad eamdem, & ad ejus conservationem manus porrigant adjutrices, quo ex hoc ibidem dono cælestis gratiæ uberius conspexerint se refertos; de omnipotentis Dei misericordia, & BB. Petri & Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, omnibus vere pœnitentibus & confessis, qui in festivitate SS. Apostolorum Philippi & Jacobi Kal. Maji a primis Vesperis usque ad secundas Vesperas ipsius festivitatis, necnon & duobus diebus sequentibus supradictam ecclesiam devote visitaverint annuatim, & ad ejus conservationem manus porrexerint adjutrices, illammet Indulgentiam & remissionem peccatorum auctoritate Apostolica tenore præsentium concedimus, quam ecclesiam S. Marci de Venetiis Castelan. diœcesis a primis Vesperis usque ad secundas Vesperas in festo Ascensionis D. N. Jesu Christi visitantes annuatim quomodolibet consequuntur. Et nihilominus, ut Fideles ipsi ad dictam ecclesiam dicti monasterii in prædicta Apostolorum Philippi & Jacobi festivitate, & duobus diebus sequentibus præd. hujusmodi conscientiæ pacem & salutem, Deo propitio, & Indulgentiam libere consequi possint: Dilectis Filiis Priori & Fratribus dictæ ecclesiæ, qui nunc sunt, & successoribus suis hujusmodi monasterii Fratribus, qui pro tempore fuerint, ut tres Presbyteros Fratres dicti monasterii annuatim in confessores eligere possint, qui Confessiones omnium & singulorum Christifidelium in festivitate SS. Philippi & Jacobi Apostolorum, necnon duobus diebus sequentibus præd. ad eamdem ecclesiam ipsius monasterii confluentium causa consequendæ Indulgentiæ hujusmodi, ut præfertur, eadem auctoritate audire, & eorum Confessionibus diligenter auditis, pro commissis eis debitam absolutionem impendere valeant, & injungere pro modo culpæ pœnitentiam salutarem (nisi forte talia fuerint, propter quæ Sedes Apostolica esset merito consulenda) auctoritate Apostolica tenore præsentium de speciali gratia indulgemus. Nulli ergo hominum liceat hanc paginam concessionis nostræ infringere, aut ausu temerario contraire. Si quis contraierit, vel attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, & Apostolorum Petri & Pauli se noverit incursurum. Datum Romæ apud S. Petrum VI. *Idus Januarii Pontificatus nostri anno* XI.

Hoc porro indultum typis etiam impressum est in Bullario Ord. Præd. Antonini Bremond *tom.* 2. estque centesimum trigesimum secundum inter bullas Bonifacii IX.

34. *Paulus Episcopus Servus Servorum Dei. Universis Christifidelibus præsentes litteras inspecturis, salutem & Apostolicam benedictionem. De salute gregis Dominici cura nostræ, meritis licet imparibus, Divina dispositione commissi solicitis studiis cogitantes, Fideles singulos, quorum merita pro demeritis penitus sunt imparia, ad pia & meritoria opera exercenda spiritualibus muneribus, Indulgentiis videlicet & peccatorum remissionibus, libenter invitamus; ut per eorumdem operum exercitium, suorum abolita macula delictorum, ad æterna beatitudinis gaudia facilius pervenire mereantur. Cum itaque, sicut accepimus, in ecclesia Domus Ordinis Fratrum Prædicatorum loci de Mevania Spoletinæ diœcesis una pia & devota utriusque sexus Christifidelium Confraternitas sub invocatione Sanctorum Dominici, & Jacobi de Mevania Spoletinæ nuncupatorum ad Dei omnipotentis laudem, & animarum salutem, proximique subventionem canonice, non tamen pro hominibus unius specialis artis, instituta existat, cujus dilecti Filii Confratres quamplurima charitatis, pietatis, & misericordiæ opera exercere consueverunt: Nos igitur cupien-*

pientes, ut ipsi, ac pro tempore existentes dictæ Confraternitatis Confratres in hujusmodi & aliorum piorum operum exercitio conforteantur, ac magis ad ea in posterum exercenda, ipsique Christifideles ad dictam Confraternitatem ingrediendam peramplius invitentur, dictaque ecclesia in debita veneratione habeatur, de ejusdem omnipotentis Dei misericordia, ac Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, omnibus & singulis utriusque sexus Christifidelibus vere pœnitentibus & confessis, qui dictam Confraternitatem de cetero ingredientur, die primi illorum ingressus, si Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum sumpserint, ac tam ipsis, quam ad præsens existentibus dictæ Confraternitatis Confratribus etiam vere pœnitentibus & confessis, vel saltem contritis in eorum mortis articulo nomen Jesu corde, si ore nequiverint, invocantibus, necnon eisdem Confratribus similiter vere pœnitentibus & confessis, ac sacra Communione refectis, qui ecclesiam prædictam die prima mensis Maji a primis Vesperis usque ad occasum solis diei hujusmodi singulis annis devote visitaverint, & ibi pro sanctæ Matris Ecclesiæ exaltatione, Hæresum exstirpatione, Hæreticorum conversione, ac inter Christianos Principes fovenda pace concordia & unione, ac Romani Pontificis salute pias ad Deum preces effuderint, quo die prædicto id fecerint, plenariam omnium & singulorum peccatorum suorum Indulgentiam & remissionem Apostolica auctoritate, tenore præsentium concedimus & elargimur. Præterea eisdem Confratribus pariter vere pœnitentibus & confessis, ac eadem Communione refectis, qui eamdem ecclesiam in S. Vincentii Episcopi, & S. Gregorii Martyris, ac S. Dominici, & S. Jacobi hujusmodi festivitatibus, singulis annis visitaverint & oraverint, ut supra, qua festivitatum hujusmodi id fecerint, septem annos & totidem quadragenas. Postremo eisdem Confratribus, quoties Divinis Officiis in eadem ecclesia more Confratrum celebrandis, aut Congregationibus publicis vel secretis pro quolibet opere pio exercendo interfuerint; aut ipsum Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum, dum ad aliquem infirmum defertur, associaverint, & qui hoc facere impediti, campanæ ad id signo dato, genibus flexis semel Orationem Dominicam, & Salutationem Angelicam pro eodem infirmo recitaverint; aut Processionibus ordinariis tam dictæ Confraternitatis, quam aliis quibuscumque de licentia Ordinarii celebrandis, aut sepeliendis mortuis officiose interfuerint; ac infirmos consolati fuerint in eorum adversitatibus; vel pauperes peregrinos hospitio susceperint, & eleemosynis & officiis juverint; aut pacem cum inimicis composuerint; vel quinquies Orationem Dominicam, & totidem Salutationem Angelicam præfatam pro animabus Confratrum dictæ Confraternitatis in Christi charitate defunctorum dixerint; aut deviatum aliquem ad viam salutis reduxerint; & ignorantes Dei præcepta, & quæ ad salutem sunt, docuerint; toties pro quolibet præmissorum piorum operum sexaginta dies de injunctis eis, aut aliorum quomodolibet debitis pœnitentiis auctoritate & tenore prædictis misericorditer in Domino relaxamus: Præsentibus perpetuis futuris temporibus duraturis. Volumus autem, quod, si dicta Confraternitas alicui Confraternitati aggregata sit, vel in posterum aggregetur; seu quavis alia ratione pro illius Indulgentiis consequendis, aut de illis participandis uniatur, aut alias quomodolibet instituatur; priores, seu quævis aliæ litteræ Apostolicæ præter has nullatenus ei suffragentur, sed ex tunc prorsus nullæ sint eo ipso; quodque Confratribus prædictis ratione præmissorum, aut alias aliqua alia Indulgentia perpetuo, vel ad tempus nondum elapsum duraturæ per Nos concessa fuerint, eadem præsentes nullius sint roboris vel momenti. Datum Romæ apud S. Petrum anno Incarnationis Dominicæ 1610. idibus Aprilis, Pontificatus nostri anno V.

§. XI.

De Beata SALOMEA Regina ALICIÆ Moniali Professa Ordinis S. Claræ.

DECRETUM.

Cracovien. Canonizationis B. Salomeæ Reginæ Aliciæ, seu Galatiæ.

35. PRopositio in sacra rituum Congregatione dubio super confirmatione sententiæ a Reverendiss. Domino Suffraganeo Cracovienſi Judice delegato latæ super cultu ab immemorabili tempore eidem Beatæ exhibito, & casu excepto a decretis fel. record. Urbani VIII. super non cultu editis, eoque mature discusso ad relationem Eminentiss. Domini Cardinalis Vidoni, audito pariter in scriptis R. P. D. Fidei promotore; eadem sacra Congregatio censuit, ex deductis in processu auctoritate Apostolica confecto ab eodem Domino Suffraganeo Cracovienſi constare de prædicto cultu ab immemorabili tempore & supra hominum memoriam eidem Beatæ exhibito, & casu excepto a præfatis decretis ejusdem Urbani VIII. & ideo posse ad ulteriora procedi, si Sanctissimo visum fuerit. Hac die 6. mensis Maji 1673.

Et, facta de prædictis Sanctissimo relatione per me Secretarium, Sanctitas sua (id est Clemens Papa X.) benigne annuit. Die 17. Maji 1673.

36. Mortua est hæc Beata anno 1268. ejusque mentio fit in Martyrologio Franciscano Parisiensibus formis impresso *fol.* 527. §. 8. ubi etiam referuntur Historici tum regni Poloniæ, tum Ordinis Franciscani ejusdem vitam ac miracula enarrantes. His vero addendi sunt Joannes Dugloſſius Historicus ex Universitate Cracovienſi, Joannes Herburtus de Fulsztyn, Adamus Optatovius, qui Polono idiomate Beatæ ipsius vitam edidit, & Stanislaus quidam Franciscanus, qui ejusdem pariter vitam Latino sermone exaravit, sed quæ minime edita est, nisi occasione discussionis cultus ejus immemorabilis in sacra rituum Congregatione, quippe quæ typis impressa *in summario informationis causæ*. A Synodo item provinciali Gnesnenſi supplices preces exhibitæ sunt summo Pontifici Urbano VIII. pro solemni Canonizatione Beatæ ejusdem Salomeæ.

§. XII.

De Beato OLLEGARIO Episcopo primum Barcinonenſi, postea Archiepiscopo Tarraconenſi.

DECRETUM.

Barcinonen. Canonizationis B. Ollegarii seu Ildegarii olim Canonici Præpositi, & Episcopi Barcinonen. & deinde Archiepiscopi Tarraconen.

37. EXhibitis olim processibus auctoritate ordinaria confectis, Congregatio sacrorum rituum die 8. Junii 1630. concessit litteras remissoriales pro confectione processuum super assertis de sanctitate vitæ, virtutibus, & miraculis prædicti B. Ollegarii sive Ildegarii olim Canonici Præpositi, & Episcopi Barcinonen. & deinde Archiepiscopi Tarraconen. defuncti anno 1136. Quibus absolutis, & ad Urbem delatis, & eidem sacræ Congregationi præsentatis, ab ulteriori processu destitum fuit ob supervenientiam decretorum fel. record. Urbani VIII. in Congregatione sanctissimæ Inquisitionis super non cultu editorum; donec anno 1648. reassumptæ fuit prædicta causa in statu & terminis, in quibus reperiebatur per Commissionem manu fel. record. Innocentii X. signatam; in cujus executionem ab eadem sacra Congregatione concessæ & expeditæ fuerunt litteræ remissoriales, & compulsoriales die 21. Aprilis ejusdem anni 1648. pro confectione processus particularis super paritione prædictorum decretorum, seu casu excepto ab iisdem directæ DD. Vincentio Candiotto in principatu Catalauniæ Collectori Protonotario Apostolico honorario, ac Didaco Rebolledo, & Michaeli Sala Dignitatibus & Canonicis ecclesiæ Tarraconen. quæ quidem litteræ cum debitæ executioni demandatæ non fuerint, eadem sacra Congregatio die 22. Novembris 1653. in locum prædictorum subrogavit Episcopum Vicen. uti viciniorem & præsentatum a Rege Catholico ad eamdem Ecclesiam Barcinonenſem; cui decretum idem fel. record. Innocentius X. annuit die 15. Decembris ejusdem anni. Cumque processus prædictus a prædicto Episcopo Vicen. absolutus ad Urbem transmissus, & sacræ Congregationi præsentatus, & servatis servandis, apertus fuisset; dum in illius discussione ad ulteriora procedi prætenderent causæ Postulatores; ob deficientiam sententiæ definitivæ a prædicto Episcopo ferendæ, eadem sacra Congregatio die 22. Septembris 1674. denuo subrogavit in locum prædicti Episcopi Vicen. defuncti modernum Episcopum Barcinonen. cum facultate prædictum processum absolvendi juxta formam & tenorem prædictarum litterarum remissorialium, & compulsorialium, omniaque acta, quæ denuo ab eodem conficerentur, suo sigillo obsignata ad eamdem transmittendi, ad effectum illa uniendi prædicto processui alias, ut supra, transmisso & aper-

& aperto. In cujus decreti executionem prædictus modernus Episcopus Barcinonen. visis prius Actis, & consideratis considerandis, suam in scriptis protulit sententiam, qua declaravit, constare de cultu ab immemorabili tempore exhibito prædicto B. Ollegario, & casu excepto a decretis fel. record. Urbani VIII. illisque propterea nullatenus contravenitum. Cumque modo deveniendum sit ad discussionem contentorum in prædicto processu, ideo ad eiusdas preces Eminentiss. & Reverendiss. Cardinalis Nitardi apud Sanctissimum Dominum nostrum Oratoris Catholici Sanctitati suæ nomine majestatis suæ porrectas, eidemque sacræ Congregationi remissas una cum instantiis Archiepiscopi Tarraconen. Episcopi & civitatis Barcinonen. Deputatorum Principatus Cataloniæ, & omnium fere Archiepiscoporum, Episcoporum plurimorumque Capitulorum Hispaniæ, & ad instantiam Doctoris Petri Movell. Sacristæ Majoris & Canonici Cathedralis ecclesiæ Barcinonen. Syndici dicti Capituli ac Procuratoris causæ Canonizationis dicti Beati specialiter deputati per Eminentiss. & Reverendiss. Dominum Cardinalem Portocarrero pro Eminentiss. Domino Cardinali Raspono Ponente & ab Urbe absente, proposito & discusso dubio, An sententia Reverendiss. Episcopi Barcinonen. super cultu immemorabili, & casu excepto lata sit confirmanda, vel infirmanda in casu, & ad effectum, de quo agitur in causa dicti Beati; eadem sacra Congregatio, citato & audito R. P. D. Promotore Fidei tam in voce quam in scriptis, censuit, sententiam prædictam esse confirmandam, si Sanctissimo Domino nostro placuerit. Die 18. Maji 1675.

Et, facta de prædictis Sanctissimo relatione per me Secretarium, Sanctitas sua (Clemens videlicet Papa X.) *benigne annuit, die 25. Maji 1675.*

38. Occubuit Beatus hic Ollegarius sive Ildegarius anno 1136. & S. Bernardus *epist. 126. tom. 1.* agens de canonica electione Innocentii II. adversus Schisma Petri Leonis, eam confirmat, eo quod probata fuerit a viris sanctitate illustribus, inter quos Beatum ipsum Ollegarium recenset. Sanctus etiam Vincentius Ferrerius *part. 3. de Sanctis, sermone de S. Joanne Evangelista ante Portam Latinam* Beatum Ollegarium Sanctum appellat, enarratque miraculum de recuperatione clavis cubiculi, in quod Beatus ipse se receperat pœnitentiam acturus; cum enim eam in mare projeciffet, ne ab eodem cubiculo exire posset, invenit postea in ventre piscis fortuito sibi donati. Compulsata insuper fuerunt in processum Apostolicum super cultu ejus immemorabili antiqua plura Barcinonensis Ecclesiæ monumenta, ex quibus non solum satis aperte patent tum antiquissima erga eum veneratio, tum ejusdem virtutes ac miracula, verum etiam excepta est vita Beati ipsius Ollegarii extans apud Bollandianos *ad diem 6. Martii tom. 1.* Testes autem in memorato processu examinati, inter cetera, de publica voce & fama narrant, S. Raymundum de Pennafort egisse apud summum Pontificem de Canonizatione B. Ollegarii. Denique Antonius Joannes Garzia de Caralaps Canonicus Barcinonensis tractatum edidit anno 1618. de Canonizatione Sanctorum, in quo pariter plura habentur de virtutibus, miraculis, & cultu ejusdem Beati.

§. XIII.

De Beato JOANNE CANTIO Presbytero Sæculari & Professore Academiæ Cracovienſis.

DECRETUM.

Cracovien. Canonizationis B. Joannis Cantii Presbyteri Sæcularis, sacræ Theologiæ Doctoris, & in alma Universitate Academiæ Cracovienſis Professoris.

39. *IN causa Canonizationis prædicti Beati per Eminentiss. Dominum Cardinalem Vidonum Ponentem proposito & discusso dubio in sacrorum rituum Congregatione, An sententia Reverendiss. Episcopi Laodicensis Judicis subdelegati lata super cultu immemorabili eidem Beato exhibito, & casu excepto a decretis fel. record. Urbani VIII. in Congregatione sanctissimæ Inquisitionis super cultu editis sit confirmanda in casu & ad effectum, de quo agitur; Eminentiss. & Reverendiss. D. Cardinales eidem sacræ Congregationi præpositi, audito pariter Reverendiss. Domino Fidei Promotore in voce & in scriptis, censuerunt, constare &c. & prædictam sententiam esse confirmandam, si Sanctissimo Domino nostro placuerit. Hac die 21. Martii 1676.*

Et, facta de prædictis Sanctissimo relatione per me Secretarium, Sanctitas sua (Clemens videlicet Papa X. quanquam in primo hujus Operis libro ex amanuensium incuria dictus est casus hic approbatus Innocentii XI. tempore) *benigne annuit, die 28. ejusdem mensis Martii 1676.*

40. In Synodo provinciali Archiepiscopi Gnesnensis celebrata Petricoviæ anno 1628. & confirmata a summo Pontifice Urbano VIII. die 22. Augusti 1629. hæc porro de Beato Cantio leguntur: *Magna animorum jucunditate, & cum debita Domino Deo gratiarum actione Synodus præsens accepit & intellexit insignia illustria miracula, quæ in dies Divina misericordia & providentia ad declarandam Servorum suorum Beatorum Cantii Professoris quondam Universitatis Cracovienſis, Stanislai Kostka Societatis Jesu, Cbunegundis Reginæ Poloniæ, Salomeæ, & Josaphat Episcopi ante aliquot annos a Schismaticis pro Religione Catholica interempti Patronorum regni hujus vitæ sanctitatem operatur. Quocirca, cum in tantis regni hujus periculis præsens Synodus, secundum Dei misericordiam, magnam in Sanctorum Patronorum patrocinio & tutela spem collocet, humillime supplicat Sanctissimo Domino nostro, ut, quos Deus ipse tantopere honorare dignatur, eosdem sancta Sedes in Sanctorum numerum referre velit.*

41. Obiit Beatus hic Cantius anno Domini 1473. De ejus autem gestis & miraculis a Deo ejusdem intercessione patratis fuse agunt Historici regni Poloniæ, qui collecti fuerunt atque adeo compulsati in processum confectum super ipsius cultu immemorabili. Sed & plura de eodem legi possunt apud Bzovium *ad an. 1473. num. 21.* necnon in vitis Sanctorum Polono idiomate conscriptis a Petro Skarga Societatis Jesu: præterquamquod vitam Beati ejusdem ex professo exaravit Latino sermone Adamus Opatovius, eamque edidit Cracoviæ anno 1628.

§. XIV.

De Beato AMEDEO Duce Sabaudiæ III.

DECRETUM.

Sabaudiæ Canonizationis B. Amedei Ducis Sabaudiæ III. ex Ludovico Duce Sabaudiæ II. & Anna filia Jani Regis Cypri nati anno 1435. cujus obitus secutus est die 30. Martii 1472. ætatis suæ annorum 37.

42. *FACTA alias relatione fel. record. Paulo Papa V. de & super fama sanctitatis vitæ, virtutum, & miraculorum tum in vita, tum post obitum præfati B. Amedei, & in dies magis percrebrescente, ac instantibus Serenissimo Duce, & bon. mem. Cardinali a Sabaudia, necnon universo Clero, civitatibus, & Universitatibus Sabaudiæ pro introductione hujusmodi causæ in sacra rituum Congregatione, idem summus Pontifex die 11. Julii 1613. dictam causam discutiendam & inquirendam primum in genere, deinde in specie commisit tribus antiquioribus Rotæ Auditoribus, nempe Damasceno, Coccino, & Manzanedo: a quibus die 15. Januarii 1614. juxta formam præfatæ Commissionis concessæ & expeditæ fuerunt litteræ remissoriales, & compulsoriales in genere; & in vim illarum confecti fuerunt processus, nempe Taurinen. & Vercellen. & ad Urbem delati: &, prævia illorum discussione, declaratum fuit, satisfactum fuisse Inquisitioni generali: ac deinde die 18. Januarii 1616. ab eisdem Rotæ Auditoribus concessæ fuerunt litteræ remissoriales in specie directæ Archiepiscopo Taurinen. & Episcopo Vercellen. cum clausula, ut simul & conjunctim procederent; sed ob varia & legitima impedimenta debitæ executioni demandatæ non fuerunt. Publicatis postmodum decretis fel. record. Urbani VIII. in Congregatione sanctissimæ Inquisitionis super non cultu editis, nil amplius in causa actum fuit: donec anno 1656. instantibus Serenissimo Duce, & Ducissa, ac Principe Mauritio, & infante Maria a Sabaudia, reassumpta fuit causa in statu & terminis, in quibus reperiebatur, per Commissionem manu fel. record. Alexandri VII. signatam, cum facultate in primis & ante omnia conficiendi processum particularem super casu excepto seu paritione præfatorum decretorum Urbani VIII. super non cultu editorum. In hujusmodi rescripti executione ab eadem sacra Congregatione concessæ fuerunt litteræ remissoriales, & compulsoriales die 10. Junii 1656. cum termino unius anni directæ pro civitate & universa diœcesi & provincia Taurinen. illius Archiepiscopo, pro civitate Vercellen. Vicario Apostolico, pro civitate Hyporegien. & diœcesi Vercellen. illius Episcopo, pro civitate & diœ-*

& diœcesi Salutiarum illius Episcopo, pro civitate & diœcesi Tarantasien. illius Archiepiscopo, necnon pro civitate Gebennen. illius Episcopo: quæ quidem litteræ expeditæ fuerunt die 29. ejusdem mensis Junii, & anni. In vim autem prædictarum litterarum peracti fuerunt duo processus, nempe Taurinen. & Vercellen. cum subsecutiva sententia Judicum subdelegatorum, qua pronuntiarunt de cultu ab immemorabili tempore B. Amedeo præstito, & casu excepto a prædictis decretis Urbani VIII. scientibus & tolerantibus Ordinariis pro tempore: qui tandem processus fuerunt eidem sacræ Congregationi præsentati, & de illius mandato, servatis servandis, aperti. Cum autem ad formam decretorum ejusdem sacræ Congregationis sit in eadem agnoscendum, an prædictæ sententiæ fuerint vite & recte latæ; ideoque, reiteratis precibus clar. mem. Serenissimi Ducis Caroli Emmanuelis II. nuper defuncti, necnon Serenissimæ Ducissæ Mariæ Joannis Baptistæ viduæ, matris & tutricis Serenissimi Ducis Victorii Amedei II. ac suorum Statuum Regentis, per Illustrissimum Dominum Comitem Horatium Provana ipsius Residentem Sanctissimo porrectis; quibus quidem precibus inhærente, & apud sacram Congregationem quotidiana & supplici instantia ac diligentia Reverendi Domini Abbatis Antonii Cinzanotti in hujusmodi causa Procuratoris & Agentis specialiter constituti, & deputati a Serenissimo Duce Carolo Emmanuele II. promotis & ad ultimum finem reductis, ipsoque Domino Abbate informante & postulante; proposito in sacra rituum Congregatione per Eminentiss. Dominum Cardinalem de Maximis in eadem causa Ponentem, ac discusso dubio, An sententiæ Reverendiss. Archiepiscopi Taurinen. & Episcopi Vercellen. latæ super cultu immemorabili exhibito dicto Beato, & casu excepto a decretis fel. record. Urbani VIII. sint confirmandæ in casu & ad effectum, de quo agitur; eadem sacra Congregatio, audito etiam Reverendiss. Fidei Promotore in voce & in scriptis, censuit, præfatas sententias esse confirmandas, si Sanctissimo Domino nostro placuerit. Die 16. Januarii 1677.

Et, facta de prædictis Sanctissimo relatione per Eminentiss. Dominum Cardinalem Cybo, Sanctitas sua (id est Innocentius Papa XI.) *benigne annuit, die 3. Martii 1677.*

43. Colligitur scilicet ex allato decreto, duos confectos fuisse processus auctoritate Apostolica super cultu immemorabili hujus Beati, duasque in sacrorum rituum Congregatione examinatas fuisse sententias a Judicibus delegatis latas: expedit enim aliquando, ut plures fiant processus super cultu immemorabili; præcipue vero, quando probationes fieri possunt in diœcesibus, in quarum singulis a tempore immemorabili cultus ita percrebuit, ut operæ pretium sit peculiarem in unaquaque condere processum.

44. Porro, quod attinet ad B. Amedeum, ejus vitam conscriptam Gallico idiomate opera Samuelis Guichenon legere est in Latinum conversam apud Bollandianos *ad diem* 30. *Martii tom.* 3. apud quos etiam alia extat ex Italico pariter in Latinum reddita jam composita a Petro Francisco Maleto Canonico Regulari Congregationis Lateranensis. In processus autem super ejusdem cultu immemorabili confectos compulsatæ fuerunt historiæ Dominici Machanei de regia Domo Sabaudiæ, & Joannis Francisci Ranzii, aliæque plurimæ manuscriptæ de virtutibus & miraculis Beati ipsius Amedei sermonem facientes; quarum etiam particulæ fuerunt typis impressæ in summario causæ.

45. Mortuus est itaque B. Amedeus anno 1472. & quidem inter cetera de eodem notatu digna est S. Francisci Salesii erga eum pius mentis affectus, qui, qualis, ac quantus fuerit, abunde deprehendi potest ex sequentibus.

EPISTOLA

S. Francisci Salesii scripta summo Pontifici Paulo V. pro impetranda Canonizatione B. Amedei III. Ducis Sabaudiæ.

46. *Beatissime Pater. Semper quidem operæ pretium fuit, homines, qui peculiari ac illustriori vitæ sanctimonia Deum coluerunt, in Sanctorum numerum publica Ecclesiæ auctoritate, solemnique ritu deferre: sic enim Deus in Sanctis uberius laudatur, Sanctorum gloriam libentius enarrant populi, & laudem eorum splendidius annuntiat Ecclesia, cumque majori fiducia Sanctorum merita recolimus, majore quoque fructu eorum intercessionibus adjuvamur; ac denique exempla vehementius nos provocant, de quorum sanctitate mentes nostræ nullatenus dubitant. An vero, Beatissime Pater, hoc, quod semper & ubique dignum & justum est, hisce nostris temporibus non solum salutare tantum, sed fere necessarium videri debet, cum scilicet abundavit iniquitas, refrigescit charitas multorum, immo propemodum omnium: unde, quoniam deficit Sanctus a terra, ex iis, qui redempti sunt de terra, revocandi sunt in memoriam, & in medium Ecclesiæ reducendi illi, qui hactenus majore sanctitatis splendore claruerunt; ut sint (quemadmodum non nemo dixit) in speculum & exemplum, ac quoddam veluti condimentum vitæ hominum super terram, sicque apud nos etiam post mortem vivant, multosque ex iis, qui viventes mortui sunt, ad veram provocent & revocent vitam. Cum igitur scirem, Beatissime Pater, permultos ex istis omnium ordinum viros a Beatitudine vestra expetisse, ut B. Amedeum Sabaudiæ Ducem III. Sanctorum catalogo adscribere dignaretur, nolui jane neque debui omittere, quin humillimis precibus id ipsum ab Apostolicæ Beatitudinis vestræ providentia postularem. Quod dum facio, idem omnes mecum agere videntur. Postulat id non precibus, sed de jure Dei omnipotentis majestas, quæ in hoc Beato Principe clarius miraculis apparebit. Postulat Jerusalem illa cælestis mater nostra, quæ suum civem a nobis debitis honoribus celebrari, lætabitur. Postulat hæc nostra Jerusalem inferior, cui Beatitudo vestra præest, quæ tanti filii nomen scriptum in cælis gaudebit sanctificari in terris. Postulat verum præclare a Sanctitate vestra gestarum series, ut, quia nuper ex Principibus Ecclesiasticis Divum Carolum Sanctis annumeravit, hunc quoque ex sæcularibus adjungat; ut utriusque sortis homines habeant, quod imitentur. Postulat Serenissima Sabaudiæ Ducum familia, quæ non solum Fidei constantia, sed præclaris etiam fortitudinis operibus magnum olim ac deinceps Ecclesiæ attulit solatium. Postulat hæc universa Sabaudiorum Provincia, maxime vero hæc diœcesis Gebennen. quæ tanti Principis nobilitata natalibus magnam in ejus precibus spem merito collocabit. Postulant denique ipsius B. Amedei merita & miracula, quæ pondere & numero maxima sunt & illustrissima. Age ergo, Beatissime Pater, & hanc quoque lucernam igne Divino accensam ne diutius sub modio relinquas; sed pone eam super candelabrum, ut luceat omnibus, qui in domo sunt. Nomen ejus sanctifica, qui nomen Dei tanta caritate sanctificavit, ac miraculorum multitudine collustravit. Annuntia toti Ecclesiæ, quæ est in terris, quia Dominus mirificavit Sanctum suum in cælis; ut exaudiat nos, cum clamaverimus ad eum. Hæc sunt vota ejus, qui B. V. diu ac feliciter Christianis omnibus præesse ac prodesse, omnibus animi viribus exoptat.*

Annesii Gebennensium 7. die Martii 1612.

47. Sed & aliæ adsunt ejusdem S. Francisci epistolæ ad Cardinales Congregationis sacrorum rituum, ad Sabaudiæ Ducem, ad Principem Pedemontii, ad Cardinalem Sabaudiæ, ubi tum suum, tum populorum pium desiderium exponit pro dicti Beati Canonizatione, sicut *in libris epistolarum ejus typis impressis habetur.* Quod vero notabilius est, ex authentico monumento compulsato in processum Taurinensem factum in causa ipsius Beati colligitur, eumdem S. Franciscum Salesium ecclesiam consecrasse Tononii, eamque Deo dicasse in honorem S. Francisci & memorati B. Amedei: *Anno Dominicæ Incarnationis 1617. die 9. mensis Julii Reverendiss. Dominus Franciscus de Sales Episcopus Gebennensis consecravit ecclesiam Fratrum Capuccinorum Tononii, dicavitque B. Francisco, & B. Amedeo; eodemque die duo altaria consecravit, & dicavit B. Mariæ Conceptionis, ac B. Carolo, in quibus Reliquias condidit BB. Martyrum Legionis Thebæorum, ac decem millium Martyrum, & spongiam aspersam sanguine S. Caroli: præsentibus R. P. Francisco Camberiensi Commissario Generali provinciæ Missionis, & R. P. Dominico Guardiano Conventus Tononii.*

UAB Biblioteca de Ciències Socials

§. XV.

De Servo Dei SIMONE de LIPNICA Sacerdote Ordinis Minorum S. Francisci de Observantia.

DECRETUM.

Cracovien. Beatificationis & Canonizationis Venerabilis Servi Dei Simonis de Lipnica Sacerdotis Ordinis Minorum S. Francisci de Observantia.

48. CUM *sacrorum rituum Congregatio habita die 22. Maji 1683. proponente Eminentiss. & Reverendiss. Domino Cardinali Pamphilio Ponente causæ præfati Servi Dei Simonis de Lipnica, censuerit, ex processibus auctoritate ordinaria confectis, & in eadem sacra Congregatione discussis super sanctitate vitæ, virtutibus, & miraculis, & fama dicti Servi Dei talia resultare, ex quibus sit locus introductioni causæ, & signaturæ Commissionis, si Sanctissimo Domino nostro visum fuerit; prout Sanctitas sua sub die 22. Junii ejusdem anni 1683. annuens signavit hujusmodi Commissionem introductionis causæ Beatificationis & Canonizationis prædicti Servi Dei Simonis directam eidem sacræ Congregationi cum facultate in primis & ante omnia discutiendi processum auctoritate ordinaria confectum cum sententia subsecuta super cultu immemorabili, & casu excepto &c. si sit legitime confectus; sin minus, ad novam legitimam illius confectionem deveniendi; nunc vero, proposito per eumdem Eminentiss. Dominum Cardinalem Pamphilium noviter deputatum in Ponentem dubio concordato prius cum Reverendiss. Domino Fidei Promotore, An sententia Judicis subdelegati super cultu immemorabili, & casu excepto &c. lata sit confirmanda in casu & ad effectum, de quo agitur, in causa prædicti Servi Dei; eadem sacra Congregatio, discusso præfato dubio, & audito Reverendiss. Fidei Promotore in voce & in scriptis, censuit, sententiam esse confirmandam, & constare de cultu immemorabili, & casu excepto &c. prædicti Servi Dei, si Sanctissimo Domino nostro placuerit. Die 10. Februarii 1685.*

Et, facta de prædictis Sanctissimo relatione, Sanctitas sua (Innocentius scilicet XI.) *benigne annuit, die 24. Februarii 1685.*

49. Obiit hic Dei Servus anno 1482. statim autem initium datum est ipsius cultui. Innocentius enim Papa VIII. in suis litteris expeditis in forma Brevis anno 1487. concessit, ut ejus corpus de Choro ecclesiæ, in quo sepultum jacebat, ad alium ecclesiæ locum transferretur, eo quia tantus erat ad primum illum tumulum populi concursus, ut Canonicarum Horarum recitatio perturbaretur. En verba Brevis Innocentii VIII.

Innocentius Papa VIII. Dilectis Filiis Vicario & Fratribus Ordinis Minorum de Observantia regni Poloniæ pro tempore existentibus, salutem & Apostolicam benedictionem. Sacræ vestræ Religionis, sub qua devotum & sedulum exhibetis Domino famulatum, promeretur honestas, ut votis vestris, illis præsertim, per quæ Divinus cultus augeri, & Fidei Christianæ religio propagari valeat, favorabiliter annuamus. Vestris igitur supplicationibus inclinati, ut corpus Fratris vestri Patris Simonis Lipnici miraculis coruscantis, in Choro ecclesiæ Conventus vestri sepultum, propter quod, concurrente multitudine Christifidelium utriusque sexus ad dictam ecclesiam pro implorandis Divinis auxiliis intercessione prædicti Patris sepulti de diversis partibus confluentium, in Horis Canonicis recitandis non modicum, sicut accepimus, recipitis detrimentum, & devotiones vestræ minuuntur, de Choro ecclesiæ hujusmodi, in quo sepultum jacet, ad alium locum ecclesiæ ejusdem decentius & convenientius noctis tempore, vel alias clandestine absque pœnarum vel censurarum Ecclesiasticarum incursu transferre, & in loco decenti ac honesto, sicut præfertur, reponere possitis, tenore præsentium licentiam elargimur: Non obstantibus quibuscumque aliis ordinationibus in contrarium facientibus. Datum Romæ apud S. Petrum sub anulo Piscatoris 12. Julii anno Domini 1487. Pontificatus nostri anno III.

50. Porro, præter quasdam antiquas historias manuscriptas in processum super cultu immemorabili hujus Dei Servi compulsatas, meminerunt ejusdem virtutum atque miraculorum Franciscus Gonzaga *de origine Seraphicæ Religionis*, Bernardinus Vaporius Cantor ecclesiæ Cathedralis Cracovienſis *in chronicis typis impressis anno* 1548. Mathias Miechovita Canonicus Cracovienſis *in chronicis*, Martinus Cromerus Episcopus Warmienſis *in suis historiis*, Mathias Oxostorus *in chronicis Polono idiomate exaratis de regno Poloniæ, & Statu Lituaniæ*, & Martinus Bielski *in suis chronicis Polono pariter sermone compositis, & formis impressis anno* 1597. qui Lutherana licet hæresi infectus, ita nihilominus de Servo Dei Simone locutus est: *Anno Domini millesimo quadringentesimo octuagesimo primo grassabatur atrox pestis Poloniæ ubique, quæ etiam durabat anno sequenti. Originem ab Hungaris sumpserat. Secundo anno pestis obiit Simon de Lipnica Ordinis Bernardinici, vir optimæ vitæ. Inde pro Sancto habetur & fiunt miracula ad ejus sepulcrum.*

§. XVI.

De Beato PETRO ARMENGOL Religioso Professo Ordinis B. Mariæ de Mercede Redemptionis Captivorum.

Confirmatio decreti sacræ Congregationis per litteras in forma Brevis fan. mem. Innocentii XI. cultum B. Petri immemorabilem approbantes.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

51. NUper *in causa Tarraconensi Canonizationis B. Petri Armengol Sacerdotis ac Religiosi Professi Ordinis Fratrum B. Mariæ de Mercede Redemptionis Captivorum ad supplicationem dilecti Filii Ferdinandi de Caruajal & Ribera Vicarii & Procuratoris Generalis ejusdem Ordinis a Congregatione venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium sacris ritibus præpositorum emanavit decretum tenoris, qui sequitur, videlicet:*

Cum alias sub annum 1675. supplicante R. P. M. F. Mathia de Cardona Vicario & Procuratore Generali præfati Ordinis, causa antedicti P. Petri Armengol ad relationem Eminentiss. & Reverendiss. Domini Cardinalis de Portocarrero Ponentis ter fuerit proposita super confirmatione sententiæ latæ a Reverendiss. Archiepiscopo Tarraconensi Judice a sacrorum rituum Congregatione delegato circa cultum ab immemorabili tempore eidem Beato exhibitum, & casum exceptum a decretis fel. record. Urbani VIII. in Congregatione Sanctissimæ Inquisitionis editis: ob graves difficultates a Reverendiss. Domino Promotore Fidei excitatas, & defectu sufficientis & legitimæ probationis dilata fuit resolutio, ea etiam mente in postrema ex dictis tribus propositionibus, ut in posterum amplius postulationes non audirentur.

Verum ad eximas preces R. P. M. Fr. Ferdinandi de Caruajal & Ribera Vicarii & Procuratoris Generalis ejusdem Ordinis exhibentis antiquissima documenta comprobantia cultum per centum & plures annos ante præfata decreta in præteritis propositionibus deducta die 2. Novembris anni 1648. concessa fuit nova audientia; & die 27. Jan. 1685. referente Eminentiss. & Reverendiss. D. Cardinali Azzolino in Ponentem loco dicti Eminentiss. de Portocarrero Archiepiscopi Toletani subrogato, concessæ fuerunt litteræ compulsoriales pro civitate & diœcesi Tarraconensi directæ illius Reverendiss. Archiepiscopo, & litteræ particulares pro aliis locis eorumdem Reverendiss. Episcopis, hisque legitime impeditis illorum Vicariis Generalibus; quarum vigore constructis quinque processibus, nimirum Tarraconensi, Valentino, Gerundensi, Guadicensi, & Barcinonensi, sacræque Congregationi præsentatis & rite apertis, ad supplicationem R. P. M. Fr. Ferdinandi de Caruajal & Ribera propositum per dictum Eminentiss. & Reverendiss. Cardinalem Azzolinum fuit dubium, An constet de cultu immemorabili, & casu excepto a decretis fel. record. Urbani VIII. ad effectum, de quo agitur. Eoque attente discusso, atque audito scriptis & ore tenus Reverendiss. Promotore Fidei, sacra Congregatio unanimi voto censuit & declaravit, constare de cultu immemorabili, & casu excepto, si Sanctissimo nostro placuerit. Die 23. Martii 1686.

Et, facta de prædictis Sanctissimo relatione, Sanctitas sua benigne annuit, die 28. Martii 1686.

Cum autem, sicut præfatus Ferdinandus Procurator Generalis Nobis subinde exponi fecit, ipse decretum hujusmodi, quo firmius subsistat, Apostolicæ confirmationis nostræ patrocinio communiri plurimum desideret; Nos ipsum Ferdinandum Procuratorem Generalem specialibus

favoribus & gratiis prosequi volentes, & a quibuscumque excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris & pœnis a jure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium consequendum, harum serie absolventes & absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, decretum præinsertum auctoritate Apostolica tenore præsentium approbamus, & confirmamus, illique inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus; salva tamen in præmissis auctoritate memoratæ Congregationis Cardinalium.

Decernentes, easdem præsentes litteras semper firmas validas & efficaces existere, & fore, suosque plenarios & integros effectus sortiri & obtinere, ac illis, ad quos spectat & pro tempore spectabit, plenissime suffragari; sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos etiam causarum palatii Apostolici Auditores judicari & definiri debere; ac irritum & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari: Non obstantibus Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Volumus autem, ut earumdem præsentium litterarum transumptis seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis eadem prorsus fides ubique habeatur, quæ ipsis præsentibus haberetur, si forent exhibitæ vel ostensæ &c.

52. Difficultates autem, quarum mentio fit in decreto sacræ Congregationis, præcipue circa id versabantur, quod testes de immemorabili deponentes minime sufficiebant ad cultus præstationem probandam spatio centum annorum ante decreta, juxta ea, quæ in superioribus dicta sunt: cumque eapropter causa diu silusset, repertis interea antiquissimis documentis a centum & pluribus annis ante decreta, confecti postea fuere nonnulli processus *compulsoriales* auctoritate Apostolica; & dependendo a monumentis hisce repertis, declaratum denique fuit, constare de cultu immemorabili B. Petri Armengol.

53. Obiit autem ipso anno 1304. die 27. Aprilis, & colitur non uti Confessor, sed tunquam Martyr. Cum enim pro redimendis captivis se in pignus dedisset, quoniam statuta die pacta merces non adfuit, Mahumeticæ superstitionis contemptor habitus, & in ligno suspensus est: quanquam sane ope Beatissimæ Virginis e suspendio ipso, ubi nonnullis diebus permanserat, liberatus; quod collum præ supplicio obtortum, faciemque squallore marcidam, quoad vixit, haberet: gravi tandem morbo correptus, & sacra *Synaxi* munitus e vita discessit.

54. Meminerunt porro hujus Beati Petrus de Ziiar, qui scripsit anno 1444. relatus autem fuit *in historia generali Ordinis B. Mariæ de Mercede Redemptionis Captivorum* Ildefonsi Remon, Raphael Volaterranus *lib. 21. anthropologiæ*, Franciscus Zumel *post Constitutiones Ordinis B. Mariæ de Mercede typis impressas Salamanticæ anno* 1588. Vincentius Demenech Ordinis Prædicatorum *in historia generali Sanctorum Catalauniæ*, Philippus Guimera *in historia B. Mariæ de Mercede*, Stephanus de Corbera *in vita Servæ Dei Mariæ de Cervellon*, aliique collecti inter eruditissima responsa jam edita a bon. mem. R. P. D. Fatinello, qui scripsit in hac causa tanquam Advocatus pro cultu immemorabili.

§. XVII.

De Beato ANTONIO a STRONCONIO Laico Professo Ordinis Minorum Observantium S. Francisci.

DECRETUM.

Assisien. Canonizationis B. Antonii a Stronconio Laici Professi Ordinis Minorum Observantium S. Francisci.

55. *IN causa Canonizationis prædicti Beati Antonii in oppido Stronconii Narnien. diœcesis anno* 1381. *ex piis genitoribus Ludovico, & Isabella antiquæ & nobilis familiæ de Vitis (ut traditur) nati, qui Ordinem prædictum S. Francisci anno duodecimo ætatis professus fuit, tandem signis & opinione sanctitatis obiit die 7. Februarii* 1461. *ætatis suæ* 80. *apud Conventum S. Damiani prope Assisium, ubi ejus corpus asservatur: percrebrescente in dies illius fama sanctitatis, fabricati fuerunt auctoritate ordinaria processus super sanctitate vitæ, virtutibus, & miraculis, cultuque immemorabili; quibus ad sacrorum rituum Congregationem delatis, & pro parte P. Fr. Cherubini de Spoleto Sacerdotis Professi Strictioris Observantiæ prædicti Ordinis & provinciæ S. Francisci Definitoris hujusmodi causæ Procuratoris legitime constituti ex concessione ipsius sacræ Congregationis habitæ die 20. Martii* 1683. *& 17. Junii* 1684. *annuente Sanctissimo, servatis servandis, apertis; & successive dicto anno* 1685. *die 5. Aprilis, & 22. Maji deputato Eminentiss. & Reverendiss. Domino Cardinali Capisucco in Ponentem, ad effectum referendi contenta in dictis processibus in sacra Congregatione ordinaria pro admittenda & signanda Commissione introductionis causæ, non obstante decreto decennii &c. Sub die itaque 28. Junii* 1685. *ad sæpius renovatus postulationes Magni Ducis Etruriæ, Ducis & Reipublicæ Januensium, Præsulum, & Cleri civitatum Assisi, Interammæ, Narniæ, & Spoleti, aliorumque Magnatum &c. proposito ac discusso dubio, An sit admittenda & signanda hujusmodi Commissio, eadem sacra Congregatio, referente eodem Eminentiss. Capisucco, & audito Reverendiss. Fidei Promotore, censuit, Commissionem posse admitti & signari, si Sanctissimo Domino nostro placuerit; prout Sanctitas sua Innocentius Papa XI. die 7. Septembris ejusdem anni benigne annuit & signavit. Cum autem ex prædictis processibus appareat, Reverendiss. Justinianum Episcopum Assisien. dum vixit, pronuntiasse per sententiam definitivam, constare de cultu supra centum annos exhibito dicto Beato ante decreta Urbani VIII. servientibus & tolerantibus Ordinariis prædecessoribus, causamque proinde versari in casu excepto a decretis prædictis in Congregatione Sanctissimæ Inquisitionis super non cultu editis, neque istis esse contraventum; & cum contingat modo dubitari, an talis sententia veniat confirmanda: ideo per eumdem Eminentiss. Dominum Cardinalem Capisuccum propositum fuit dubium, An sententia bon. mem. Reverendiss. Justiniani olim Episcopi Assisien. super cultu immemorabili, & casu excepto a prædictis decretis fel. record. Urbani VIII. lata sit confirmanda, vel infirmanda in casu & ad effectum, de quo agitur in causa Canonizationis prædicti Beati. Et eadem sacrorum rituum Congregatio, discusso supradicto dubio, & audito pariter Reverendiss. Fidei Promotore in voce & in scriptis, censuit, prædictam sententiam esse confirmandam, si eidem Sanctissimo Domino visum fuerit. Hac die 14. Junii* 1687.

Et, facta de prædictis Sanctissimo relatione, Sanctitas sua (id est, antea memoratus Innocentius Papa XI.) *benigne annuit, die 28. ejusdem mensis Junii, & anni* 1687.

56. Decessit itaque B. Antonius a Stronconio anno 1461. Ad ejus autem tumulum prodigium patratum fertur anno 1469. uti desumere est ex instrumento Polydori Serantonii publici Imperiali auctoritate Notarii & Judicis ordinarii, cujus hæc sunt verba:

Anno Dominicæ Incarnationis millesimo quadringentesimo sexagesimo nono, indictione secunda, Paulo Pontifice II. viii. idus Februarii,

Constituit immortalis rerum omnium opifex Deus, cui servire regnare est, & qui pro bonis meliora nobis, & pro terrenis æterna retribuit, ut felicissimæ Beatorum animæ, qui Deum ipsum totis viribus complectuntur & colunt, dignissimis in terra meritis & honore veneventur; ut quos cælestium dona bonorum non invitent, eos ad bene beateque vivendum terrenæ saltem mortalium laudes hortentur, & ornamenta compellant. Ita, quæ de gloriosissimo Divi Francisci milite Antonio, ejusque virtutibus ipse perceperim rogatus, eo libentius litteris commendavi, ut & immortalis Dei pretiosa in suis Sanctis miracula facilius cognoscantur, & juniores toto, quæ Deo grata sunt, pectore magis magisque sectentur & cupiant. Evenit namque, ut quidam Antonius oppido Stronconio natus, postquam falsas mundi hujus illecebras fugiens diu sub Franciscæ Religione sanctissime militasset, tandem fato functus moveretur: cujus corpus in hac sanctissima Damiani ecclesia sita extra muros civitatis Assisii subterraneo sepulcro perhumatum esset, ut ejus beatitudo viri apud omnes clarius emicaret, ecce factum est, jubente Deo, quod quidam Liberator Jacobi de Hispelo civis Assisinas septem annos natus, dum eodem Damiani templo die Dominico Vesperis interesset, fulgentissimum quasi ardentis faculæ lumen ex interquadratis lapidibus, quibus Antonii sepulcrum occlusum erat, exire perspexit. Ibi tum puella erat, quæ tertium vix impleverat annum. Hæc puerili simplicitate, ut assolet, propius ad lumen accedens loco pedem superimponit, unde luminis splendor emicabat: quo superimposito, ignis tunc cessabat, & amoto, rursus effulgebat.

gebat. Quam luminis, pedisque vicissitudinem ut crebro Liberator inspexit, miraculo tandem exercitus domum tremebundus adivit, & Peregrinæ matri, quæ viderat, apertius enarravit. Quæ omnia idem Liberator anno quasi eptimo post venerabilibus viris Fr. Jacobo de Marchia, Fr. Hieronymo de Tuderti S. Damiani Guardiano, Fr. Francisco de Vercellis, Fr. Danieli de Tuderti, Fr. Antonio de Forojulio, Fr. Gabrieli de Montone, Fr. Bartholomæo de Assisio, Fr. Ludovico de Fulginio omnibus sub Divi Francisci Religione Confratribus coram existentibus, ut scripta sunt, audiente me, dixit & affirmavit. Asseruerunt item Fr. Hieronymus de Tuderti Guardianus prædictus, & Fr. Bartholomæus bonæ mentis homines, quod quasi anno post Fr. Antonii obitum, dum Confratres de ejus ossibus effodiendis, ut eminentiori quodam tumulo dignius conderentur, Fr. Jacobum de Marchia summæ venerationis virum sæpe consulerent, eorum ille diu obstitit voluntatibus: tandem eorum (Divino forte inspiratus lumine) precibus annuente, ejus sepulcrum reserantes integerrimum Beati hominis corpus extraxerunt, in cujus obversa dextera pulcherrimam vividæ carnis rosam inspexerunt; quam ut Fr. Jacobus vidit, ad Fratres conversus inquit: Signum Dei est: &, flexis genibus, suavissima commixta lacrymis oscula pedibus infixit, &, ut hoc, quod vides, sepulcro conderetur, operam impendit, in quo Deo gratus sine fine in pace requiescit. A. M.

Et ego Polydorus Ludovici Serantonii de Assisio publicus Imperiali auctoritate Notarius & Judex ordinarius prædictis omnibus & singulis interfui & præsens fui, eaque rogatus scribere scripsi & publicavi, & aliis occupatus per alium mihi fidum scribere feci, & signum meum apposui consuetum.

57. Porro præter vitam B. Antonii, quæ jam Italico sermone descripta fuit a Ludovico Jacobillo Fulginate, in Latinum vero translata extat apud Bollandianos *ad diem 7. Februarii tom. 2.* Rodulfus quoque Episcopus Senogallienſis *in suis historiis*, Franciſcus Gonzaga *de origine Seraphicæ Religionis*, Marcus Ulyſſiponenſis *part. 3. chronic. Fratr. Minor.* Bzovius *ad an. 1471. num. 36.* Wadingus *in annalib. Minor. tom. 13.* Benedictuſque Mazara in opere, cui titulus, *Leggendario Francescano*, latiſſime de vita & miraculis Beati ejuſdem egerunt.

58. Veruntamen præcipuum ejus rei momentum conſtituendum eſſe videtur in hiſtoria Patris Oddi, quæ *Franciſchina* communiter nuncupatur, necnon in chronicis Mariani a Florentia; quippe cum Oddus floruerit circiter annum 1472. Marianus autem circiter 1513. & plura in utriuſque citato opere enarrentur de Beato eodem Antonio a Stronconio. Enimvero, quod attinet ad hiſtoriam vulgo *Franciſchinam*, hæc habentur apud Wadingum *ad an. 1474. num. 14. tom. 14. Ad hunc annum abſolvit ſuam hiſtoriam ſub titulo, SPECULI ORDINIS, quam* Franciſchinum *communiter nuncupant, Jacobus Oddo Peruſinus; qui plano & ſincero ſtylo ſub duodecim capitibus ſeu titulis vitas & acta præcipuorum Ordinis virorum virtute, doctrina, dignitate uſque ad ſua tempora illuſtrium rudi ſermone Italico perſtrinxit. Pauca reperiuntur hujus libri exemplaria: unum habetur ad S. Mariæ de Angelis Aſſiſi, quod legunt Fratres inter reficiendum; aliud ego accepi ex Conventu Montis Peruſini.* Præterquamquod nuper memoratus Ludovicus Jacobillus *in ſua Bibliotheca Umbriæ* ſic de hiſtoria ipſa Franciſchina loquitur: *Jacobus Oddus ſive de Oddis Peruſinus Ordinis Minorum ſcripſit Speculum Ordinis Minorum, vulgo* LA FRANCESCHINA, *materna lingua aſſervatum in Conventu S. Mariæ Angelorum extra Aſſiſium, & Conventu S. Franciſci Montis Peruſiæ. Floruit anno 1472.* Ad Marianum autem Florentinum quod ſpectat, cujus hiſtoriæ autographum aſſervatur in archivo Patrum S. Iſidori de Urbe, Wadingus pariter *in ſyllabo Scriptorum Ord. Min.* inquit, hiſtoriam eamdem eſſe fide dignam: *Hiſtoriam a Religionis exordiis ad ſua uſque tempora rudi quidem ſtylo, ſed fida narratione deduxit &c. Autographum penes me eſt, magnoque fuit adjumento annalibus ſcribendis.*

§. XVIII.

De Beata CHUNEGUNDE Regina Poloniæ.

DECRETUM.

Cracovien. Canonizationis Beatæ Chunegundis Reginæ Poloniæ Ordinis S. Claræ.

59. *Propoſito in Congregatione ſacrorum rituum ab Eminentiſs. & Reverendiſs. Domino Cardinali Ca-*

ſanate dubio, An ſententia lata per Reverendiſs. Epiſcopum Laodicenſem Suffraganeum Reverendiſs. Epiſcopi Cracovien. ſuper cultu ab immemorabili exhibito dictæ B. Chunegundi, & caſu excepto a decretis juſſu ſan. mem. Urbani VIII. ſuper non cultu editis &c. eadem ſacra Congregatio, inſtante Patre Magiſtro Balthaſſare Milatio de Navo Regente Collegii S. Bonaventuræ in Conventu SS. Apoſtolorum de Urbe, uti Procuratore Monialium S. Claræ, ac totius provinciæ Poloniæ ſuæ Religionis Minorum Conventualium Poſtulatore hujuſmodi cauſæ, cenſuit, prædictam ſententiam eſſe confirmandam &c. Die 10. Junii 1690.

Et, facto de prædictis verbo cum Sanctiſſimo per me Secretarium, Sanctitas ſua (Alexander videlicet VIII.) *benigne annuit, die 11. ejuſdem menſis & anni.*

60. Mortua eſt hæc Beata anno 1292. Religioſus autem quidam Franciſcanus circa annum 1401. ejus vitam conſcripſit, cujus autographum conſervatur in archivo Patrum Conventualium Saldecenſium. Joannes quoque Hugoſſius, qui & Longinus appellatur, Canonicus Cracovienſis & Archiepiſcopus electus Leopolienſis conſimilem Beatæ vitam exaravit anno 1474. eamque dono dedit monaſterio Sanctimonialium Ordinis S. Claræ Saldecenſi, ubi adhuc autographum extat. Atque utraque hæc vita compulſata fuit in proceſſum ſuper cultu illius immemorabili, necnon relata in cauſæ ejuſdem ſummario.

61. Communis porro eſt de eadem Beata Hiſtoricorum aſſertio, quod nupta fuerit Boleslao Cracovienſi Duci, quodque illibatam virginitatem in matrimonio ad quadraginta annos producto ſervaverit. Ita enim Miecovius *lib. 3. chron. regni Poloniæ cap. 37.* Pomer *de orig. & rebus geſtis Poloniæ lib. 7. pag. 141.* Nidanus *hiſtor. Polon. tom. 2. lib. 3. cap. 38.* Nerbutus *hiſtor. Polon. lib. 7. cap. 2. pag. 114.* Sarnicius *in annalibus Poloniæ lib. 6. fol. 276.* Alexander Guagninus *in chronic. Sarmat. Europ. pag. 59.* Sed & plura de Beata ipſa Chunegunde legere eſt apud Raynaldum *ad an. 1239. num. 68. & 69. ad an. 1266. num. 40. atque ad an. 1290. n. 39. & 1292. n. 22.* Wadingum *ad an. 1333.* Spondanum *ad an. 1239. num. 19.* Bzovium *ad eumdem annum num. 13.* necnon apud Bollandianos *ad diem 24. Julii tom. 5.* Quamobrem Synodus provincialis celebrata Cracoviæ anno 1634. ſupplices preces adhibuit ſanctæ Sedi pro Canonizatione Beatæ ejuſdem Chunegundis: *Supplicat Synodus ſanctæ Sedi Apoſtolicæ, ut negotium Canonizationis BB. Stanislai Koſtkæ Societatis Jeſu, Chunegundis, & Ladislai Ordinis S. Franciſci, necnon Joſaphat Epiſcopi, Vincentii Kadcubek, Joannis Cantii Profeſſoris Academiæ Cracovienſis ſua Sanctitas commendatum habeat, ac, priuſquam ſolemnitas ea perficiatur, Miſſæ ſacrificium cum Horis Canonicis, præſertim de B. Cantio, & Koſtka, in eccleſiis regni celebrari concedat.*

§. XIX.

De Beata MARIA de SOCOS Moniali Profeſſa Ordinem Beatæ Mariæ de Mercede Redemptionis Captivorum.

DECRETUM.

Barcinonen. Canonizationis Beatæ Mariæ de Socos Monialis Profeſſæ Ordinis B. Mariæ de Mercede Redemptionis Captivorum.

62. *Propoſito in Congregatione ordinaria ſacrorum rituum per Eminentiſs. & Reverendiſs. Dominum Cardinalem Caſanate Ponentem dubio, An conſtet de cultu immemorabili præſtito dictæ B. Mariæ de Socos, & an ſententia ſuper eo lata a Vicario Generali Barcinonen. Judice a præfata ſacra Congregatione delegato ſit confirmanda in caſu & ad effectum, de quo agitur; eadem ſacra Congregatio, audito Reverendiſs. Archiepiſcopo Myrenſi Fidei Promotore tam in voce quam in ſcriptis, inſtante R. P. Magiſtro Fr. Martino Salvatore Gilaberte Vicario & Procuratore Generali prædicti Ordinis B. Mariæ de Mercede hujuſmodi cauſæ Poſtulatore, cenſuit, conſtare de cultu immemorabili, & ſententiam prædicti Vicarii Generalis Barcinonenſis eſſe confirmandam, ſi Sanctiſſimo Domino noſtro placuerit. Die 9. Februarii 1692.*

Et, facta de prædictis Sanctiſſimo Domino noſtro Innocentio Papæ XII. per me Secretarium relatione, Sanctitas ſua annuit, die 13. ejuſdem menſis Februarii 1692.

63. Evenit hujus Beatæ obitus anno ſalutis 1290. ejuſque meminerunt Franciſcus Zumel *poſt Conſtitutiones*

Ordinis B. Mariæ de Mercede pag. 81. Philippus Guimera *in historiis Ordinis B. Mariæ de Mercede pag.* 57. Alphonsus Remon *tom.* 1. *histor. general. Ordinis B. Mariæ de Mercede pag.* 200. Bernardus de Vargas *in chronicis ejusdem Ordinis pag.* 112. *De Socos* autem non familiæ nomen (Beata enim hæc erat ex gente *de Cervellon*, sive, ut Itali pronuntiant, *Serbelloni*,) sed, si latine loquamur, idem significat, ac *de subsidio*, seu *mercede*. Gesta porro ejus fuse recensentur in lectionibus propriis, quæ in ejusdem Officio recitantur, de quibus alibi: quin etiam, præter Auctores supra indicatos, ipsius vita conscripta fuit a quodam Canonico Regulari S. Augustini anno 1323. & non multo post etiam a Fr. Joanne de Laes Ordinis B. Mariæ de Mercede Redemptionis Captivorum; quæ post serium examen approbari meruit in duobus Generalibus *Capitulis* Fratrum ejusdem Ordinis. Quæ monumenta in processum compulsata fuere confectum super Mariæ cultu immemorabili, eorumque authentica extant Romæ in archivo Conventus S. Hadriani. Denique postremus omnium hujus Beatæ vitam scripsit, & edidit anno 1629. Stephanus de Corbera.

§. XX.

De Beata JOANNA filia Alphonsi V. Regis Lusitaniæ, Religiosa Ordinis S. Dominici, cognomento *Sancta Princeps*.

LITTERÆ APOSTOLICÆ

in forma Brevis Innocentii Papæ XII.

INNOCENTIUS PAPA XII.

Ad futuram rei memoriam.

64. *Sacrosancti Apostolatus cura, quam inscrutabilis Divinæ sapientiæ atque bonitatis altitudo humilitati nostræ, meritis licet & viribus longe impari, imponere dignata est, Nos urget, ut piis Orthodoxorum Regum magno in Ecclesiam Dei meritorum fulgore conspicuorum votis ad augendam in terris sacrarum Virginum eum cælesti Sponso in beata æternitate regnantium, illarum præsertim, quæ in diebus peregrinationis suæ, tametsi in rerum humanarum sublimitate positæ essent, non sperarunt in lubrico divitiarum, sed Divini Spiritus depromptum infusione Apostolicum consilium secutæ cogitarunt, quæ sunt Domini, ut essent sanctæ corpore & spiritu, venerationem laudabiliter tendentibus favorabilem assensum libentissime præbeamus. Cum itaque alias, videlicet die* 10. *Julii* 1688. *Congregatio venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium sacris ritibus præpositorum processus super sanctitate vitæ & virtutibus B. Joannæ clar. mem. Alphonsi V. dum vixit, Portugalliæ & Algarbiorum Regis illustris natæ, ac Religiosæ Ordinis S. Dominici, cognomento* Sanctæ Principissæ, *die* 12. *Maji* 1390. *defunctæ auctoritate ordinaria confectos examinaverit; ac, Commissione introductionis causæ Beatificationis seu Canonizationis ejusdem B. Joannæ admissa, eaque subinde a fel. record. Innocentio Papa XI. prædecessore nostro signata, in illius executione, vigore litterarum remissorialium, & compulsorialium, alii processus in Conimbricen. Elboren. & Ulyssiponen. respective civitatibus super cultu immemorabili ipsi B. Joannæ præstito, & casu excepto a decretis recol. mem. Urbani Papæ VIII. prædecessoris pariter nostri in Congregatione sanctæ Inquisitionis editis Apostolica auctoritate fabricati fuerint; ac venerabilis Frater modernus Episcopus Colymbrien. prædictæ Congregationis Cardinalium Judex delegatus super eisdem cultu immemorabili dictæ Beatæ Joannæ cum scientia & tolerantia Ordinariorum exhibito, necnon casu, ut præfertur, excepto sententiam protulerit; demum vero ad enixas preces charissimi in Christo Filii nostri Petri Portugalliæ itidem & Algarbiorum Regis illustris, accedentibus etiam supplicationibus venerabilium Fratrum Episcoporum, necnon dilectorum Filiorum Religiosorum, Senatuum, Collegiorum, Academiarum, & Universitatum regni Lusitanici, & ad iteratas instantias dilecti pariter Filii Paulini Bernardini Fratris Professi Ordinis Prædicatorum, in sacra Theologia Magistri, causa Beatificationis seu Canonizationis hujusmodi Postulatoris in eadem Congregatione Cardinalium proposito dubio, An sententia supradicta esset confirmanda in casu & ad effectum, de quo agebatur; relatisque contentis in dictis processibus, eisque serio & diligenter discussis atque examinatis, dicta Congregatio Cardinalium, audito pariter in scriptis & in voce dilecto Filio Promotore Fidei, de cultu immemorabili constare, prædictamque sententiam confirmandam esse, censuerit: Hinc est, quod Nos piis & devotis dicti Petri Regis supplicationibus Nobis super hoc humiliter porrectis favorabiliter annuere cupientes, decretum a memorata Cardinalium Congregatione editum, ut præfertur, quod scilicet de cultu immemorabili dictæ B. Joannæ, & casu excepto a decretis præfati Urbani prædecessoris constet, Apostolica auctoritate tenore præsentium confirmamus & approbamus, illique inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus; salva tamen semper in præmissis Auctoritate præfatæ Congregationis Cardinalium: Decernentes, easdem præsentes litteras firmas validas & efficaces existere, & fore, suosque plenarios & integros effectus sortiri & obtinere, ac illis, ad quos spectat & spectabit in futurum, plenissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum palatii Apostolici Auditores, judicari & definiri debere; ac irritum & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari: Non obstantibus Constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, ut ipsarum præsentium litterarum transumptis seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis eadem prorsus fides in judicio & extra illud habeatur, quæ haberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ vel ostensæ. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die* 4. *Aprilis* 1693. *Pontificatus nostri anno II.*

65. Obiit igitur Beata hæc Joanna anno 1490. nec enim Historici tantum Ordinis Prædicatorum, sed alii etiam ejus virtutes ac miracula enarrarunt. Ejusdem scilicet vita conscripta fuit a Nicolao Dias anno 1594. atque a Marchesio. Item *in chronicis Patrum Ordinis Prædicatorum* Antonii Senensis Lusitani, *in catalogo SS. Ordinis Prædicatorum typis impresso anno* 1604. *in historia generali Ordinis Prædicatorum* Joannis Lopez, *in historia S. Dominici* Ludovici Chazecas, & *in annalibus Ecclesiasticis* Bzovii *ad an.* 1490. plura de ipsa referuntur. Sed & Joannes Bonifacius Bagatta Clericus Regularis Theatinus in suo libro inscripto, *admiranda orbis Christiani*, & Franciscus Mendoza Societatis Jesu *in libro sermonum*, & Bollandiani *in prætermissis ad diem* 12. *Maji tom.* 3. de admirabilius operibus hujus Beatæ sermonem habuerunt.

66. Attamen celebrior Beatæ ejusdem vita illa est, quam exaravit Soror Margarita Piveria Sanctæ ipsius Principis in cœnobio Anarien si famula, utpote quæ inserta fuit processibus confectis super Joannæ cultu immemorabili, sicut & antiquioribus auctoritate ordinaria factis super ejus virtutibus ac miraculis, & de cujus vitæ auctoritate juridicam sententiam tulit Joannes Episcopus Conimbricensis die 28. Octobris anno 1627. ut ex processibus allegatis colligere licet.

§. XXI.

De Servo Dei PETRO de PISIS *Beato* nuncupato, Congregationis Pauperum Eremitarum S. Hieronymi Institutore.

DECRETUM.

Pisana Beatificationis seu Canonizationis Servi Dei Petri de Pisis Beati *nuncupati Congregationis Pauperum Eremitarum S. Hieronymi Institutoris.*

67. *Relato ab Eminentiss. & Reverendiss. Domino Cardinali Casanate Ponente hujusmodi causæ dicti Servi Dei Petri de Pisis* Beati *nuncupati, ac discusso in sacrorum rituum Congregatione dubio, An constet de casu excepto per indulta Apostolica in casu & ad effectum, de quo agitur; eadem sacra Congregatio, audito tam in scriptis quam in voce Reverendiss. Archiepiscopo Myrensi Fidei Promotore, censuit, constare de casu excepto, non autem ad effectum concessionis Officii & Missæ, si Sanctissimo Domino nostro visum fuerit. Die* 5. *Decembris* 1693.

Facto igitur deinde per me Secretarium verbo cum Sanctissimo, Sanctitas sua (id est Innocentius XII.) *benigne annuit, die* 9. *ejusdem mensis Decembris & anni* 1693.

68. Ideo

68. Ideo vero huic decreto appoſita fuerunt verba, *non autem ad effectum conceſſionis Officii & Miſſæ*, quia Poſtulatores una cum petitione declarationis caſus excepti ſupplicabant ſacræ Congregationi pro conceſſione Officii & Miſſæ; quando, prout mos eſt, approbatio caſus excepti præcedere debebat Officii ac Miſſæ petitionem.

69. Occubuit B. Petrus anno 1435. Admirandæ autem & heroicæ ejus virtutes a pluribus Scriptoribus celebratæ fuerunt, cujuſmodi Paul. Morigia *lib. 1. de origine Religion. cap. 41.* Scipio Ammiratus *in lib. familiar. regni Neapol. part. 2.* Franciſcus Sanſovinus *lib. 1. familiar. Italiæ*, Thomas Garzon. *in lib. cui titulus: Piazza univerſale, pag. 52.* Cæſar Capac. *hiſtor. lib. 2. fol. 371.* Alphonſus de Caſarubias *in compend. privileg.* Silveſter Marolus *in mare oceano Religion. lib. 5.* Roderic. *quæſt. Regular. tom. 1. art. 9. quæſt. 3.* Tamburin. *de jure Abbat. tom. 1. diſput. 17. quæſt. 1.* Barboſ. *jur. Eccleſ. tom. 1. cap. 41. num. 148.*

70. Ad hæc antiquior extat liber manuſcriptus non multo poſt obitum Beati, ubi per compendium una cum Congregationis Eremitarum S. Hieronymi fundatione Beati ejuſdem virtutes, dona ſupra naturam, & felix ipſa mors recenſentur. Autographum ejus aſſervatur in archivo Conventus S. Onuphrii de Urbe; necnon eadem de Beato hiſtoria inſerta fuit a Bollandianis *ad diem 17. Junii tom. 3.*

71. Scripta autem creditur hiſtoria hæc ipſa circiter annum 1500. uti recognoverunt Joannes Ciampinus Magiſter Brevium Gratiarum & Abbreviator, necnon Laurentius de Zacchagnis Vaticanæ bibliothecæ præfectus, qui tum erant antiquorum characterum peritiſſimi.

72. Indulta porro Apoſtolica, quibus decretum antea exſcriptum inhæſit, erant Brevia Pauli III. Gregorii XIII. S. Pii V. & Clementis VIII. quæ conjunctim cum quibuſdam antiquis Imaginibus viſa ſunt ſatis ad conſtituendum caſum exceptum ex Apoſtolicis indultis. Denique notandum, quod Beatus hic Petrus ſepultus utique fuit in civitate Venetiarum; veruntamen ignotus eſt adhuc peculiaris ſepulturæ locus.

§. XXII.

De Beata HOSANNA de ANDREASIIS Tertii Ordinis S. Dominici.

DECRETUM.

Mantuana Beatificationis & Canonizationis B. Hoſannæ de Andreaſiis Tertii Ordinis S. Dominici.

73. *Propoſito ab Eminentiſſ. & Reverendiſſ. Domino Cardinali Colloredo Ponente hujuſmodi cauſæ Beatificationis ſeu Canonizationis dictæ B. Hoſannæ dubio, An conſtet de cultu ab immemorabili tempore dictæ Beatæ Apoſtolicæ Sedis auctoritate præſtito, ſeu de caſu excepto a decretis generalibus ſel. record. Urbani VIII. & an ſententia ſuper eo lata per Eminentiſſ. Dominum Cardinalem Urbis Vicarium ſit confirmanda in caſu &c. eadem ſacra Congregatio, audito prius tam in ſcriptis quam in voce Reverendiſſ. Archiepiſcopo Myrenſi Fidei Promotore, cenſuit, conſtare de caſu excepto, & ſententiam prædictam eſſe confirmandam, ſi S. D. N. viſum fuerit. Die 20. Novembris 1694.*

Facta igitur deinde Sanctiſſimo Domino noſtro de prædictis per me Secretarium relatione, Sanctitas ſua (hoc eſt Innocentius XII.) *benigne annuit die 27. ejuſdem menſis Novembris & anni 1694.*

74. Obiit hæc Beata anno 1505. Pater autem Franciſcus a Ferraria ejus vitam conſcripſit, ut & Marcheſius, qui eam inſeruit diario Dominicano *ad diem 18. Junii*; *ad quam quoque diem* plura de Beata ipſa habentur apud Bollandianos.

75. Plura item præceſſerunt indulta, in quorum ſequelam declaratum fuit a ſacrorum rituum Congregatione, conſtare de caſu excepto; primum vero eſt Leonis X. in hæc verba.

LEO PAPA X.

76. *Dilecti Filii, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Ex relatione dilectæ in Chriſto Filiæ nobilis mulieris Iſabellæ Eſtenſis de Gonzaga Mantuæ Marchioniſſæ; ac etiam alias ad aures noſtras pervenit, quod quondam Hoſanna Virgo de Andreaſiis civis Mantuana, dum in humanis ageret, a pueritia uſque ad annos quinquaginta ſex ætatis ſuæ innocentiſſimam religioſiſſimam & devotam in omni probitate & ſanctitate vitam ita duxit, ut non ſolum civibus incolis Mantuanis, verum & quamplurimis forenſibus tam Eccleſiaſticis quam ſæcularibus illuc ſe conferentibus, quibus dabatur illius vel colloquio vel præſentia frui, admirabilis videretur: quatenus enim ſacram ſumebat Euchariſtiam, illico in extaſim rapta, per tres vel quatuor horas, aliquando etiam per diem integrum omni exteriori ſenſu deſtituta & immobilis effecta, quaſi ab hac luce migraſſe putabatur: ſummæ præterea humilitatis, mirabilis patientiæ in adverſis, frequentiſſimis orationibus & contemplationibus intenta erat. Poſtquam autem Altiſſimo placuit illam, humanæ peregrinationis perfuncto munere, ad cæleſtem patriam, ut creditur, vocare, ejus cadaver in quodam Depoſito in eccleſia Fratrum Prædicatorum dictæ civitatis, quorum habitum, qui de Pœnitentia B. Dominici nuncupatur dicta Hoſanna multos annos detulerat, fuit tumulatum: ex quo Depoſito poſt tres annos ab illius tranſitu integrum abſque ulla putredine vel fœtore extractum, ut in marmoreo ſepulchro, opera & impenſa dictæ Iſabellæ Marchioniſſæ, ob reverentiam & devotionem quam ad præfatam Hoſannam gerebat, conſtructo collocaretur, tantæ venerationis & devotionis ſemper fuit ac etiam impræſentiarum eſt, ut non ſolum cives & incolæ Mantuanos, verum etiam diverſos Chriſtifideles, bona fama ſanctitatis hujuſmodi ductos, ad dictum ſepulcrum confluenter quamplurimis gratiis & miraculis ex Dei benignitate affecerit, afficiatque in dies. Cum itaque Iſabella Marchioniſſa non dubitans, animam dictæ Hoſannæ Virginis ob ejus vitam caſtiſſime & integerrime actam in cæleſti choro æterna gloria perfrui, miro teneatur deſiderio, ut ipſa Hoſanna per Nos canonizetur, & in catalogum SS. Virginum referatur; quare Nobis ſuper hoc humiliter ſupplicari curavit. Nos igitur tum prædicto ejuſdem Marchioniſſæ deſiderio ſatisfacere, tum etiam, ſi res ita eſſe comperiatur, ut eidem Hoſannæ pro meritis ſuis etiam a mortalibus in hac ſæculo debitus honor & cultus impendatur, efficere cupientes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, diſcretioni veſtræ per præſentes committimus & mandamus, ut de religioſa & integerrima vita, ac de piis & ſanctis operibus dictæ Hoſannæ, ac de miraculis ex ejus meritis & interceſſionibus factis vos diligenter informetis, & Nobis referatis; ut ſcilicet poſtmodum Nos de præmiſſis certam notitiam per hujuſmodi relationem habentes, eamdem Hoſannam cum Dei & ſanctæ Apoſtolicæ Sedis benedictione canonizemus & in catalogum SS. Virginum referamus. Et interim, ut de ipſa Hoſanna in die ejus natali, quo ſcilicet ab hac mortali vita ad cæleſtem patriam (etiam in Miſſis aliorum dierum) migravit, in primis, & ſecundis veſperis, ac in matutinis, & aliis Divinis Officiis ejuſdem diei in civitate & diſtrictu Mantuano, ſicuti in natali aliarum SS. Virginum ſolet fieri & celebrari, commemoratio libere & licite fieri poſſit, concedimus, & a quibuſcumque Sacerdotibus Religioſis, & aliis Chriſtifidelibus fieri mandamus; in contrarium facientibus non obſtantibus quibuſcumque. Datum Romæ apud S. Petrum ſub anulo Piſcatoris die 8. Januarii 1515. Pontificatus noſtri anno II.*

77. Alterum conſtitit in Officio proprio & Miſſa, quorum conceſſio facta fuit a Gregorio XIII. eccleſiæ S. Barbaræ civitatis Mantuanæ; quæ nimirum compulſata fuere in proceſſum Apoſtolicum ſuper caſu excepto confectum.

78. Tertium denique deſumitur ex epiſtola ſacræ rituum Congregationis ſcripta Epiſcopo Mantuano ſuper Beatæ ipſius Hoſannæ corporis expoſitione; cujus exemplar hic habes.

EPISTOLA
ſacræ Congregationis rituum.

Illuſtris & Reverendiſſime Domine uti Frater.

Sanctiſſimus Dominus noſter ſupplicem libellum nomine Sereniſſimi ducis Mantuæ ſibi porrectum, quo a Sanctitate ſua humillime poſtulabatur, ut B. Hoſannæ corpus populo quandoque oſtendi liceret, ad Congregationem ſacrorum rituum tranſmiſit; ut, negotio examinato, quidquid in eo opportunum videretur, deliberaret. Quamobrem Illuſtriſs. Domini mei, mature conſideratis, quæ de ipſa Beata Hoſanna porrectis ſcriptis continentur, atque omnibus rebus diligenter perſpectis, decreverunt, ut ego ad Dominationem veſtram totius Congregationis nomine ſcriberem, reprehenſibile non fore, ſi ejuſdem beatum

tum corpus certis aliquibus anni diebus populo, ut petitur, ostendi posse, sua ordinaria auctoritate concesserit; cum ex concessione Apostolica, sicut expositum fuit, de ipsa Officium recitetur, Missamque celebretur, die quoque obitus sui festum agatur, & ejus corpus in sacello sub ipsius invocatione dicato super altare jam collocatum reperiatur. Quod sane negotium prædicti Illustriss. Domini mei prudentiæ Dominationis vestræ concredendum censuerunt. Deus optimus maximus eam diu servet incolumem. Die 11. *Octobris* 1594.

Illustris & Reverendissimæ Dominationis vestræ
Alphonsus Cardinalis Antonius Gesualdus.

§. XXIII.

De Serva Dei HUMILIANA de CERCHIIS sive de CIRCULIS, *Beata* nuncupata.

DECRETUM.

Florentina Beatificationis seu Canonizationis Ancillæ Dei Humilianæ de Circulis Beatæ *nuncupatæ.*

79. *Proposito in sacrorum rituum Congregatione ab Eminentiss. & Reverendiss. Domino Cardinali Colloredo pro Eminentiss. & Reverendiss. Domino Cardinali Mediceo hujusmodi causæ Beatificationis seu Canonizationis dictæ Ancillæ Dei Humilianæ* Beatæ *nuncupatæ Ponente dubio, An sententia Reverendiss. Archiepiscopi Florentini super cultu immemorabili eidem Ancillæ Dei Humilianæ præstito, & casu excepto a decretis fel. record. Urbani Papæ VIII. sit confirmanda, vel infirmanda in casu & ad effectum, de quo agitur, eadem S. Congregatio, audito tam in scriptis quam in voce Reverendiss. Archiepiscopo Myrensi Fidei Promotore, censuit, prædictam sententiam esse confirmandam, si Sanctissimo Domino nostro visum fuerit. Die* 17. *Julii* 1694.

Facta igitur deinde Sanctissimo Domino nostro per me Secretarium de prædictis relatione, Sanctitas sua (Innocentius videlicet XII.) *benigne annuit, die* 24. *ejusdem mensis Julii & anni* 1694.

80. Contigit obitus hujus Beatæ anno 1246. & quamvis in modo exscripto sacræ Congregationis decreto minime exprimatur, utrum declaratio casus excepti prodierit ab immemorabili cultu, an ex indultis Apostolicis; cum nihilominus decretum ipsum relativum sit ad sententiam Archiepiscopi Florentini, & in hac dictum fuerit, cultum fuisse ab immemorabili tempore Beatæ præstitum, sequitur, sacræ etiam Congregationis decretum immemorabili utique cultui, nequaquam vero Apostolicis indultis, innixum fuisse.

81. Rodulphus porro Tossinianensis *in historia Seraphicæ Religionis*, Arturus *in Martyrologio Franciscano*, Wadingus *ad an.* 1246. *tom.* 3. Marianus Florentinus *in fasciculo chronicorum Seraphici Ordinis Minorum*, cujus autographum juxta alibi dicta extat in archivo Conventus S. Isidori de Urbe, heroicas Beatæ ejusdem virtutes atque miracula pluribus enarrarunt.

82. Statim autem post ejus obitum ejusdemmet vita conscripta fuit a Vito de Cortona Ordinis Minorum S. Francisci, de quo pleraque referuntur a nuper memorato Wadingo *ad an.* 1211. *num.* 10. *tom.* 1. *In libro* vero *de Scriptoribus Ordinis Minorum* hæc verba habentur: *Vitus Cortonensis .... scripsit vitam B. Humilianæ Tertii Ordinis S. Francisci, quam in compendium politiori stylo redegit Raphael Volaterranus;* & alibi: *Hyppolitus Florentinus collegit miracula quædam B. Humilianæ de Circulis; quæ ad finem vitæ ejusdem ab Antonio Cortonensi Minorita conscriptæ apponuntur.* Sed edita demum fuit a Bollandianis *ad diem* 19. *Maji tom.* 4. & sane Raphael etiam Volaterranus eamdem Beatæ vitam a Vito Cortonensi exaratam interpolavit, ut in modo citatis Actis videri potest.

§. XXIV.

De Beata HELENA ENSELMINA Ordinis S. Francisci.

DECRETUM.

Patavina Beatificationis seu Canonizationis Ancillæ Dei Helenæ Enselminæ Beatæ *nuncupatæ Ordinis S. Francisci.*

83. *Ad supplices instantias Reverendiss. Patris Magistri Felicis Rotondi Ordinis Minorum Conventualium Ministri Generalis, Patrisque Magistri Balthassaris Milazzo Collegii S. Bonaventuræ Regentis & causæ Beatificationis seu Canonizationis prædictæ Ancillæ Dei Helenæ Enselminæ* Beatæ *nuncupatæ Postulatoris, proposito in sacrorum rituum Congregatione ab Eminentiss. & Reverendiss. Domino Cardinali Colloredo dubio: An sententia Eminentiss. & Reverendiss. Domini Cardinalis Barbadici Episcopi Patavini, sive ejus Delegatorum super cultu immemorabili, & casu excepto a decretis fel. record. Urbani Papæ VIII. lata sit confirmanda, vel infirmanda in casu & ad effectum, de quo agitur; sacra eadem Congregatio, audito tam in scriptis quam in voce Reverendiss. Archiepiscopo Myrensi Fidei Promotore, prædictam sententiam esse confirmandam censuit, si Sanctissimo Domino nostro visum fuerit. Die* 8. *Octobris* 1695.

Facta igitur deinde Sanctissimo Domino nostro per me Secretarium de prædictis relatione, Sanctitas sua (id est Innocentius XII.) *benigne annuit, die* 29. *Octobris* 1695.

84. Sententia scilicet Episcopi Patavini, quod innixa fuerit cultui immemorabili, consequitur, dicendum esse, eodem pariter fundamento processisse ejus confirmationem ex sacrorum rituum Congregatione, juxta ea, quæ non multo antea dicta sunt.

85. Obiit autem B. Helena circa annum 1231.; & de ejus virtutibus plene disseruerunt Bernardinus Scardeonus *de antiquit. urbis Patavii*, Marcus Ulyssiponensis *in chronicis*, Rodulphus Tossinianensis *in historia Seraphicæ Religionis*, Bartholomæus de Pisis *in conform. vitæ B. Francisci ad vitam Jesu Christi*, Marianus Florentinus *in fasciculo Ordinis Minorum*. Inter recentiores, porro ejusdem vita conscripta fuit a Valerio Veneto ex Ordine Capuccinorum. Attamen Sicco Polentonus anno 1437. elegantiori stylo eam exaravit, dicavitque Lazaro filio, tum dono dedit sacrario ecclesiæ B. Helenæ civitatis Patavinæ, ubi usque adhuc in armario clavibus clauso servatur. Hæc eadem vero compulsata fuit in processum super Helenæ cultu immemorabili, necnon inserta in summarium informationis causæ super ipso immemorabili cultu.

§. XXV.

De Beata ZITA.

DECRETUM.

Lucensis Beatificationis & Canonizationis Servæ Dei Zitæ Virginis Beatæ *nuncupatæ.*

86. *Proposito in sacrorum rituum Congregatione ab Eminentiss. & Reverendiss. Domino Cardinali Pamphilio hujusmodi causæ Ponente dubio, An sententia Eminentiss. Ordinarii Lucensis, seu Judicum ab eodem delegatorum lata super cultu ab immemorabili tempore eidem Servæ Dei Zitæ nuncupatæ exhibito, & casu excepto a decretis fel. record. Urbani Papæ VIII. sit confirmanda, vel infirmanda in casu & ad effectum, de quo agitur; eadem sacra Congregatio, audito prius tam in scriptis quam in voce Reverendiss. Archiepiscopo Miren. Fidei Promotore, sententiam Eminentiss. Ordinarii Lucensis prædicti, seu Judicum ab eo delegatorum in casu &c. & ad effectum, de quo agitur, esse confirmandam, censuit, si Sanctissimo Domino nostro visum fuerit. Die* 1. *Septembris* 1696.

Facta igitur deinde per me Secretarium de prædictis Sanctissimo Domino nostro relatione, Sanctitas sua (Innocentius videlicet XII.) *benigne annuit, die* 3. *ejusdem mensis Septembris & anni* 1696.

87. Itaque sententia Ordinarii Lucensis super casu excepto prodiit ex cultu immemorabili; & ideo ex eodem fonte prodiisse dicenda est ipsius sententiæ confirmatio in sacrorum rituum Congregatione. Nimirum B. Zita juxta veriorem opinionem mortua est anno 1272. Vita autem ejus conscripta fuit ab Auctore ipsi coævo, quam postea ex codice manuscripto Camaldulensi collato cum autographo Lucensi ediderunt Bollandiani *ad diem* 27. *Aprilis tom.* 3. Porro maximopere hujus Beatæ cultus dilatatus est in varias Catholici orbis partes: non solum enim receptus est in civitatem Lucensem, ejusque territorium, in civitatem Florentinam, in oppidum Bargæ territorii Magni Ducis Etruriæ, in civitatem Ravennæ, & in ædem sacram haud procul a mœnibus civitatis Januensis; sed etiam in civitatem Panormi, in Lusitaniam, in civitatem Cæsaraugustanam, in Angliam, in insulam Melitensem, & demum in Urbem, ut ex processu super illius cultu immemorabili colli-

colligere licet. Item magnus est Auctorum numerus, qui Beatæ ejusdem Zitæ meminerunt; sed signanter Bzovius *ad an.* 1278. *num.* 26. Gabriel Pennotus *in historia tripartita Canonic. Regular.* Rocchus Pyrrhus *in notit. eccles. Sicul.* & Gonzaga *in notit. Seraphicæ Religionis*. Præterquamquod Italico etiam sermone vita ejus exarata fuit & edita a Joanne Friderico de Vico, atque a Pompejo Lomori.

88. Denique Leo Papa X. indulsit Canonicis Regularibus Conventus S. Frigdiani civitatis Lucensis, ut die 27. Aprilis festum B. Zitæ ritu duplici celebrare perpetuo possent atque deberent, ut hic apponitur.

LEO PAPA X.

Ad perpetuam rei memoriam.

Cum, sicut dilectus Filius Antonius Fatinellus civis Lucensis Nobis nuper exponi fecit, in monasterio S. Frigdiani civitatis Lucensis Ordinis S. Augustini Canonicorum Regularium Congregationis S. Joannis Lateranensis sit quædam Capella S. Zitæ, in qua corpus ejus, & quamplurimæ aliæ Reliquiæ custodiuntur, quarum occasione monasterium & civitas præfata assiduis Dei miraculis splenduerunt, & adhuc Divina favente clementia, continua eorum operatione refulgent; nonnullique Christifideles temporalia spiritualibus felici commercio commutare desiderantes in eorum voluntatibus, in dicta Capella quasdam Capellanias de certis bonis sibi a Deo collatis fieri & constitui, jusserunt, ac quosdam patronos in testamentis reliquerunt, inter quos ipse Antonius nominatus existit: Cumque, sicut eadem expositio subjungebat, tota plebs ingenti ferveat devotione circa venerationem natalis prædictæ Sanctæ cupiens, sub festo duplici cum opportuna commemoratione celebrari, ut dies ipsius festivitatis sit vigesima septima mensis Aprilis; qua etiam die festum S. Antolini simul concurrit: Nos igitur, qui ad ea, per quæ Christifideles ad Divina attentiores reddantur, libenter intendimus, attentis dictæ Sanctæ miraculis & meritis, de quibus Nobis plena extitit facta fides, ejusdem Antonii in hac parte supplicationibus inclinati, auctoritate Apostolica, tenore præsentium dilectis Filiis Priori & Fratribus dicti monasterii nunc & pro tempore existentibus, singulis annis præfata die vigesima septima Aprilis in dicta Capella, seu eorum monasterio natale B. Zitæ a primis Vesperis usque ad secundas sub festo duplici cum opportuna ejusdem in Divinis commemoratione, etiamsi festum B. Antolini, vel alterius cujuscumque Sancti, non tamen aliud festum duplex, eadem die concurrat; quod si evenire tunc contigerit, festivitas ipsa B. Zitæ, intra Octavam modo & forma præmissis celebrari posse & deberi, perpetuo statuimus & ordinamus: Non obstantibus Constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, necnon monasterii & Ordinis hujusmodi, etiam juramento, & confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & litteris Apostolicis illis concessis, ceterisque in contrarium facientibus quibuscumque. Datum Romæ &c.

§. XXVI.

De Serva Dei MARIA de CAPITE, vulgo nuncupata *della Cabeza* uxore S. Isidori Agricolæ.

Confirmatio decreti sacræ Congregationis rituum super approbatione sententiarum Judicum ab eadem Congregatione delegatorum editi, quibus declaratum fuerat, constare de cultu immemorabili exhibito Servæ Dei Mariæ de Capite, vulgo della Cabeza *nuncupatæ, uxori S. Isidori Agricolæ, & casu excepto a decretis fel. record. Urbani Papæ VIII.*

INNOCENTIUS PAPA XII.

Ad futuram rei memoriam.

89. *Apostolicæ servitutis officium, quod inscrutabilis Divinæ sapientiæ atque clementiæ altitudo humilitati atque infirmitati nostræ credere dignata est, salubriter exequi, adspirante superni favoris auxilio, jugiter satagentes, Beatarum Christi Ancillarum in cœlis cum eo regnantium, in quibus nimirum, utpote vasculis imbecillioribus, opus dexteræ Excelsi mirabilius ac illustrius apparuit, cultum & venerationem in terris libenter promovemus; sicut pia sublimium personarum non minus virtutis, quam regii culminis splendore conspicuarum vota postulant, & Nos ad omnipotentis Dei gloriam, Ecclesiæque sanctæ decus atque ædificationem expedire in Domino arbitramur. Cum itaque nuper, nempe die 3. currentis mensis Augusti, in causa Toletana Beatificationis & Canonizationis Servæ Dei Mariæ de Capite, vulgo* della Cabeza *nuncupatæ, uxoris, dum vixit, S. Isidori Agricolæ, ad enixas preces carissimi in Christo Filii nostri Caroli Hispaniarum Regis Catholici, ac carissimæ in Christo Filiæ nostræ Mariannæ earundem Hispaniarum Reginæ ejus uxoris, accedentibus etiam in id supplicationibus venerabilium Fratrum Archiepiscoporum & Episcoporum, necnon dilectorum Filiorum, Senatuum seu Magistratuum plurimarum civitatum regnorum Hispaniarum, præsertim vero Senatus seu Magistratus oppidi Matviti Toletanæ diœcesis, & ad iteratas ac supplices instantias dilecti Filii Alphonsi de Torralba ejusdem Caroli Regis in Romana Curia Agentis seu negotiorum Gestoris ac causæ Beatificationis seu Canonizationis hujusmodi Postulatoris, veproposito in Congregatione venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium sacris vitibus præpositorum per dilectum Filium nostrum Joannem Franciscum ejusdem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalem Albanum nuncupatum dubio, quod prius, nempe die 13. Julii proxime præteriti, per ipsum Joannem Franciscum Cardinalem, dilata tamen ejus resolutione, propositum fuerat. An scilicet sententiæ Judicum ab eadem Cardinalium Congregatione delegatorum prolatæ super cultu ab immemorabili tempore ipsi servæ Dei Mariæ exhibito, & casu excepto a decretis fel. record. Urbani Papæ VIII. prædecessoris nostri essent confirmandæ in casu & ad effectum, de quo agebatur, relatisque contentis in processibus desuper fabricatis, eisque serio & diligenter discussis & examinatis, dicta Congregatio Cardinalium, audito etiam prius in scriptis & in voce venerabili Fratre Prospero Archiepiscopo Myrensi Promotore Fidei, de ejusmodi cultu immemorabili constare, prædictasque sententias confirmandas esse, censuerit: Hinc est, quod Nos piis ac devotis eorumdem Caroli Regis & Mariannæ Reginæ precibus Nobis super hoc humiliter porrectis favorabilem assensum, quantum cum Domino possumus, præbere cupientes, decretum a memorata Cardinalium Congregatione editum, ut præfertur, quod scilicet de cultu immemorabili dictæ Servæ Dei Mariæ de Capite, & casu excepto a decretis præfati Urbani prædecessoris constet, Apostolica auctoritate tenore præsentium confirmamus & approbamus, illique inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus; salva tamen semper in præmissis auctoritate præfatæ Congregationis Cardinalium: Decernentes, easdem præsentes litteras firmas validas & efficaces existere, & fore, suosque plenarios & integros effectus sortiri & obtinere, ac illis, ad quos spectat & spectabit in futurum, plenissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiri debere; ac irritum & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari: Non obstantibus Constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, ut ipsarum litterarum transumptis seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis eadem prorsus fides in judicio & extra illud habeatur, quæ haberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ vel ostensæ. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub anulo Piscatoris, die 11. Augusti 1697. Pontificatus nostri anno VII.*

90. Beata hæc mulier, quæ mortua fertur circa annum 1175. sepulta fuit in quadam ædicula S. Mariæ dicta Cis Fluvium Xaramarum Tordelagunæ in Castella; ubi nempe ejusdem corpus fuit inventum anno 1596. etsi longe ante hoc tempus caput ejus a reliquis ossibus separatum ad publicam exponebatur venerationem in altari ædiculæ memoratæ: qua de causa factum est, ut ipsa ædicula, quæ prius simpliciter vocabatur Sanctæ Mariæ, appellari cœperit Sanctæ Mariæ *della Cabeza*, hoc est a Capite. Idcirco Bollandiani *ad diem* 15. *Maji tom.* 3. jure quodam uxorem hanc S. Isidori sanctitate percelebrem minime Mariam de Capite appellatam, dum viveret, existimant, sed potius Torribiam: quod & firmant, tum quia testis examinata in processu pro ejusdem Canonizatione confecto eam indicat Torribiæ nomine; tum quia, si cognomen esset *della Cabeza*, haud consonaret ævi illius simplicitati; plebejis enim hominibus cognomina tunc minime imponebantur, sed vix soli nobiles hæc habebant.

91. Ve-

91. Verum, quidquid sit de ista nominis ejus quæstione, sane causa Canonizationis uxoris S. Isidori in sacrorum rituum Congregationem jam ante Urbani Papæ VIII. decreta introducta fuerat, &, juxta morem tunc temporis vigentem, jam a Rotæ Auditoribus responsum fuerat, constare de fama ejusdem sanctitatis in genere. Postea vero, cum Urbani decreta supervenerint, confectus fuit processus super cultu ejus immemorabili, atque adeo sententia Judicum delegatorum a sacra Congregatione fuit approbata. Non tamen primitus, cum causa proposita est, sententia ipsa approbationem obtinuit, tum enim dubitari contigit, an testes recenter examinati, deponentes licet cum requisitis ad immemorabile, probare possent immemorabile ipsum, sive centenarium ante Urbani VIII. decreta annorum cultus numerum: sed subinde tantum, postquam scilicet animadversum fuit, eumdem centum annorum cultum satis probatum esse ex documentis directe spectantibus ad centum annorum tempus ante memorata decreta, & profecto sine ulla necessitate exhibendi testes prædictos potioris probationis gratia, sed tantummodo subsidiariæ.

92. Vita autem hujus Beatæ conscripta fuit a Jacobo Bleda ex Ordine Prædicatorum *in additionibus ad Joannem Diaconum*, præterquamquod plura de eadem referuntur ab Alphonso Villegas in libro inscripto, *flos sanctorum*, a Lopez de Vega Carpio *in libro de festivitate Canonizationis S. Isidori*, a Hieronymo de Quintana *in historia Matritensi*, & a Duegna e Societate Jesu in libro, cui titulus, *de Sanctis civitatis Toletanæ*. Item de ea, ejusque cultu approbato mentio habetur in bulla Canonizationis S. Isidori Agricolæ ejusdem viri his verbis *in nov. cod. canoniz. pag.* 521. *Eadem B. Isidori conjux Maria a Capite nuncupata, virtutum & morum sanctitate venerabilis, viroque suo plane persimilis apud Hispanos habita est. Hinc ejus antiquissimus cultus a piæ mem. decessore nostro Innocentio XII. A. C. D.* 1697. *probari meruit in examen adductus per venerabiles Fratres S. R. E. Cardinales, referente Joanne Francisco Diacono Cardinali S. Hadriani Albano nuncupato, mox ejusdem Innocentii in Cathedra B. Petri successore, sel. record. Clemente XI. antecessore nostro.* Isidorus enim fuit utique inter Sanctos relatus a Gregorio XV. at bulla tamen Canonizationis ejusdem edita tantum est a summo Pontifice Benedicto XIII.

§. XXVII.

De Beato AUGUSTINO DALMATA Ordinis Prædicatorum, Episcopo Zagabriensi, deinde Lucerino.

DECRETUM.

Lucerina Beatificationis & Canonizationis Servi Dei Augustini Dalmatæ Ordinis Prædicatorum, Episcopi Zagabriensis, & demum Lucerini.

93. *Proposito in sacrorum rituum Congregatione ab Eminentiss. & Reverendiss. Domino Cardinali Petruccio dubio, An sententia Reverendiss. Episcopi Lucerini tanquam Delegati a sacra Congregatione in vim litterarum remissorialium super cultu immemorabili Servo Dei Augustino prædicto exhibito, & casu excepto a decretis sel. record. Urbani Papæ VIII. sit confirmanda in casu & ad effectum, de quo agitur; sacra eadem rituum Congregatio, tam in voce quam in scriptis Reverendiss. Archiepiscopo Myrensi Fidei Promotore audito, censuit, respondendum, constare de cultu immemorabili dicto Servo Dei Augustino exhibito, si Sanctissimo Domino nostro visum fuerit. Die 19. Junii 1700.*

Et, facta de prædictis per me Secretarium Sanctissimo Domino nostro relatione, Sanctitas sua (hoc est Innocentius XII.) *benigne annuit, die 17. mensis Julii ejusdem anni 1700.*

94. Beatus hic Augustinus vitam cum morte commutavit circa annum 1323. Sigismundus autem Ferrarius *de rebus Hungar. provinciæ Ordinis Prædicatorum*, & Joannes Tomko Bosnensis Episcopus *in vita ejusdem Beati* referunt, fuisse eum in Sanctorum album relatum a Joanne XXII. precibus Caroli Ducis Calabriæ; quod & amplius confirmant, eo quia ab eo tempore recitari cœptum est Officium proprium in ejus honorem a Clero Lucerino, Officium, inquam, quod compulsatum fuit in processum super ejus cultu immemorabili confectum.

95. Verum eorumdem Auctorum assertio nulli innititur fundamento; siquidem Carolus Calabriæ Dux preces tantummodo supplices Joanni XXII. adhibuit, ut inquisitionem committeret in vitam & miracula ipsius Beati, quo opportuno postea tempore ac loco ad solemnem ejus Canonizationem progressus fieri posset, quemadmodum deprehendere est ex sequenti prædicti Caroli Ducis epistola.

EPISTOLA

Caroli Ducis Calabriæ.

Sanctissimo in Christo Patri & clementissimo Domino Domino Joanni Divina providentia sacrosanctæ Romanæ & universalis Ecclesiæ summo Pontifici Carolus Dux Calabriæ; recommendationem humilem, & devota pedum oscula beatorum. Ne multiloquio, alme Pater & Domine, occupatissimas aures Sanctitatis vestræ fatigem, desistendum vidi præsenti pagina pandere plurimam in partibus istis laudem, quam Beatus Pater Frater Augustinus quondam Episcopus civitatis nostræ S. Mariæ dudum vocatæ Lucerinæ ex miraculorum affluentia, quæ post ejus obitum Divina clementia, veluti copiosa in misericordia, & in retributione munifica, jam meritis ejus ostendit & quotidie dignatur ostendere, vindicavit. Credo equidem, illorum aliqua jam esse ad notitiam vestram ex relatu devulgantis famæ producta: & expecto ac etiam cupio, quod singulariter singula, quæ profecto magna esse noscuntur, ad ipsam notionem vestram etiam, & in publicum per opportunæ indicationis seriem deducantur. Sicut enim fide digna relatione me nuper instruxit, non ignotum Beatitudini vestræ fuit, dum adhuc ipse in hoc esset sæculo constitutus, quam mirabili finceritate vitæ micabat, pollebat claritate scientiæ, ac mirificis operibus coruscabat. Ego quoque, mi Domine Reverende teste Deo, & in conscientia bona loquor, quod, eo mecum, cum primum petiit partes istas, per vices aliquas colloquente, concepi & vidi, tam in ejus verbo & facie, quam in gestu, quam valde amabilis conversatio ejus esset, quodque omnia, quæ in eo erant, non nisi notabilia, & eruditio ad virtutes, & ad salutem ædificatio viderentur; quodque, dum post ejus migrationem ad Dominum ex devotione magna, qua ad illum afficior, ejus limina visitassem, magna mihi fides facta est de nonnullis miraculis per ejus excellentia merita divinitus ibi perpetratis. Cum itaque ad instruendum de iis certius Beatitudinis vestræ scientiam, ac devote petendum, de ipsius Beati Patris vita & miraculis pariter inquiri secundum morem Ecclesiæ in talibus consuetum, latores præsentium Sanctitatis vestræ pedes cum reverentia debita & fiducia magna petant; devotus postulo, supplex quæso, ut alma & perspicax providentia vestra benigna, si placet, petitionem ipsam consideratione discutiens, & ad eam exaudiendam mentis aciem dignanter inflectens, inquisitionem ipsam jubere fieri, ut moris est & juris, gratiose dignetur. Quæ ubi parata fuerit, vestroque aspectui præsentata, si effectus ejus suadeat, & vestra benignitas id decernat, præfatum Patrem in illius reverentiam & honorem, qui eum, veluti laudabilis retributor, sanctificare dignatus est, in Sanctorum, si placet, matricula cum sonoræ Canonizationis præconio, ne ipsius merita grandia operaque magnifica debito præmio careant, adscribatis. Per quod sancta Mater Ecclesia de tanto novæ aggregationis consortio vestri felicis tempore Præfidatus jubilet, & exultet civitas, in qua ipse feliciter obiit, & felicius in Domino requievit. Scriptum Neapoli anno Domini 1325. *die* 20. *Octobris nonæ indictionis.*

96. Porro de laudabilibus hujus Beati gestis loquuntur Leander Albertus *de vir. illustr. Ordin. Prædicator. lib.* 3. *pag.* 120. Bzovius *ad an.* 1332. *num.* 16. Fr. Seraphin. Razzius *in tractatu Italico idiomate inscripto*, istoria degli Uomini illustri, *sub tit.* de' Vescovi dell' Ordine de' Predicatori *num.* 20. Michael Modius *in histor. Spoletens.* Hieronym. Boss. *lib. de general. Relig. Dominic.* Summont. *in histor. Neapolit. fol.* 70. P. Cod. *part.* 1. *lib.* 1. *col.* 241. Bazar. Episcop. Lucerin. *in vita ejusdem Sancti*, Marches. *in suo diario tom.* 4. *die* 30. *Augusti a fol.* 292. *in indiculo Beator. Martyr. & Confess. sacri Ordinis Prædicator.* P. M. Vincentius Fontana *in sacr. theatr. Dominican. Romæ edito* 1666. Sed fusiori adhuc calamo ejusdem Servi Dei gesta conscripsere antea citati Fr. Sigismundus Ferrarius Viglevanensis *de Rebus Hungar. provinciæ Ordinis Prædicatorum part.* 2. *lib.* 1. *cap.* 12. & Joannes Tomko Marmonitius Bosnensis Episcopus *in vita Beati ipsiusmet Augustini.*

§. XXVIII.

De Servo Dei JACOBO ILLYRICO, vulgo *de Bitetto* nuncupato, Laico Ordinis Minorum Obſervantiæ S. Franciſci.

DECRETUM.

Bitecten. Beatificationis & Canonizationis Servi Dei Jacobi Illyrici vulgo de Bitetto *nuncupati, Laici Ordinis Minoris Obſervantiæ S. Franciſci.*

97. *RElato ſub die 22. Septembris anni 1699. ab Eminentiſs. & Reverendiſs. Domino Cardinali Colloredo in cauſa Servi Dei Jacobi Illyrici prædicti dubio, An ſententia Reverendiſs. Epiſcopi Bitecten. tanquam Delegati a ſacrorum rituum Congregatione in vim litterarum remiſſorialium ſuper cultu immemorabili eidem Servo Dei exhibito, & caſu excepto a decretis ſel. record. Urbani Papæ VIII. ſit confirmanda in caſu & ad effectum, de quo agitur; ſacrorum rituum Congregatio cenſuit, reſpondendum,* Dilata. *Verum, repropoſito modo ab eodem Eminentiſs. & Reverendiſs. Domino Cardinali Colloredo dubio prædicto, ſacra eadem rituum Congregatio, audito tam in voce quam in ſcriptis Reverendiſs. Archiepiſcopo Myrenſi Fidei Promotore, cenſuit, ſententiam ſupradicti Epiſcopi Bitecten. eſſe confirmandam, ſi Sanctiſſimo Domino noſtro videbitur. Die 31. Julii 1700. Et, facta deinde per me Secretarium de prædictis Sanctiſſimo Domino noſtro Clementi Papæ XI. relatione* (itaque errarunt denuo Amanuenſes in primo hujus Operis libro caſum hunc approbatum dicentes tempore Innocentii XII. ſub eo enim prodiit quidem ſacræ Congregationis decretum, at ejuſdem tamen approbatio tantum facta eſt ſub Clemente XI.) *Sanctitas ſua benigne annuit, die 29. Decembris ejuſdem anni 1700.*

98. Mortuus eſt Servus hic Dei Jacobus circiter annum 1485. De ejus autem virtutibus & miraculis ſermonem habuerunt Marianus a Florentia *in faſciculo chronicorum Seraphici Ordinis Minorum cap. 21. fol. 128.* Gonzaga *de origin. Seraphic. Relig. part. 2. cap. 9. de Conventu S. Franciſci Bitecti*, Marcus Ulyſſiponenſis *in chronicis Salamanticæ typis impreſſis*, Barez. *in chronicis Ordinis cap. 45.* Didacus de Lequille *tom. 1. hierarchiæ Franciſcanæ*, & apud Bollandianos *ad diem 27. Apr. t. 3.* refertur proceſſus auctoritate ordinaria confectus ſuper ipſis ejuſdem virtutibus ac miraculis.

99. De cultu porro hujus Beati nonnullæ aliquando controverſiæ irrepſerunt. Primum enim, Arenio Epiſcopo Bitectenſem Eccleſiam gubernante, ſacra Congregatio anno 1586. eo obtentu, quod, data a nemine facultate, collocatum fuiſſet Jacobi corpus ſuper altare, quodque ſimplex tantum fama vigeret de ejus ſanctitate, mandavit, ut reponeretur in loco conſueto, & in eodem decenter aſſervaretur.

100. Curavit autem Epiſcopus, ut mandatum ſacræ Congregationis ad effectum perduceretur: ſed cum Fratres Minores aſſererent, mandatum ipſum fuiſſe ſubreptitio modo obtentum, eaque ſub inani poſitione, quod recens expoſitum eſſet corpus ſuper altare, quando in eodem altari jam ſteterat ſpatio annorum octoginta quatuor, res ita demum compoſita fuit, ut ſacrum ipſum corpus in ſacrario deponeretur; in quo poſtea permanſit, uſquequo idem Epiſcopus miraculorum, quæ contigerunt, experientia motus permiſit, ut cultus antiquus Beato redderetur, juxta ea, quæ narrantur in citatis Actis *ad diem 27. Aprilis*, quæque amplius deſumuntur ex proceſſu ſuper fama ejus ſanctitatis.

101. Supervenerunt poſtea Urbani decreta. At Beatus tamen in antiquiſſima cultus poſſeſſione perſtitit uſque ad annum 1690. quo videlicet tempore, inſtante Procuratore Fiſcali Bitectenſi, ſacra Congregatio iterum juſſit, reponi corpus in loco ſecreto; & ſine cultu ſervari, uti colligitur ex epiſtola ſacræ ipſius Congregationis 2. Septembris ejuſdem anni.

102. Huic etiam decreto obedientia promptiſſime delata eſt, ideoque corpus ex altari amotum eſt, atque in ſecreto reconditum: verum, quoniam die 19. Decembris 1693. ſignata fuit Commiſſio introductionis cauſæ, die autem 29. Decembris 1700. a Sanctiſſimo, ut vidimus, approbata fuit declaratio caſus excepti antea facta a ſacrorum rituum Congregatione, eadem Congregatio conceſſit, ut corpus denuo reſtitueretur in locum ipſum, unde amotum fuerat, quemadmodum fert ſequens aliud decretum.

Lambertini de Canoniz. Lib. II.

Bitecten. Beatificationis ſeu Canonizationis Servi Dei Jacobi Illyrici, vulgo de Bitetto, Beati *nuncupati.*

AMoto de anno 1690. juxta ſacrorum rituum Congregationis præſcriptum ab altari ſacelli Baronis ſeu Domini civitatis Bitecten. in eccleſia Fratrum S. Franciſci ſtrictioris Obſervantiæ conſtructo, ſuper quo reperiebatur, aſſerto corpore Servi Dei Jacobi Illyrici, vulgo de Bitetto, Beati *nuncupati, eoque in ſacrario una cum digito ejuſdem Servi Dei clauſo & abſque cultu repoſito, Fr. Cherubinus de Spoleto ſtrictioris Obſervantiæ S. Franciſci & hujuſmodi cauſæ Poſtulator, ad probandum cultum immemorabilem eidem Servo Dei præſtitum, & caſum a decretis juſſu ſan. mem. Urbani Papæ VIII. editis exceptum, humiliter inſtitit pro ſignatura Commiſſionis introductionis cauſæ prædictæ. Qua ſub die 14. Decembris 1693. obtenta, expeditis litteris remiſſorialibus ſub die 14. Januarii 1694. pro conſtructione proceſſus ſuper præmiſſis, eoque conſtructo, cum Epiſcopus Bitecten. Delegatus per definitivam ſententiam, de cultu ab immemorabili tempore dicto Servo Dei præſtito, conſtare, pronuntiaverit; diſcuſſoque in ſacrorum rituum Congregatione dubio, An ſententia prædicta eſſet confirmanda in caſu &c. ſacra eadem rituum Congregatio, referente Eminentiſs. & Reverendiſs. Domino Cardinali Colloredo, ſub die ultima Julii 1700. ſententiam ſupradicti Epiſcopi Bitecten. Delegati eſſe confirmandam, cenſuerit, ſi Sanctiſſimo Domino noſtro viſum fuerit, & Sanctiſſimus Dominus noſter Clemens Papa XI. die 29. Decembris ejuſdem anni 1700. benigne annuerit, idem Fr. Cherubinus a Spoleto humiliter ſacrorum rituum Congregationi ſupplicavit, quatenus, ceſſantibus de præſenti motivis, ob quæ dicti aſſerti corporis ſervi Dei Jacobi Illyrici demandata fuerat amotio, facultatem in poſterum reſtituendi idem corpus eidem loco ſeu altari, a quo amotum fuerat, benigne concedere dignaretur. Et ſacra eadem rituum Congregatio ad relationem ejuſdem Eminentiſs. & Reverendiſs. Domini Cardinalis Colloredi, audito Reverendiſs. Archiepiſcopo Myrenſi Fidei Promotore, omnibus bene perpenſis & mature conſideratis, prædictam reſtitutionem corporis Servi Dei prædicti &c. poſſe concedi, cenſuit, ſi Sanctiſſimo Domino noſtro viſum fuerit. Die 30. Aprilis 1701.*

Et, facta deinde per me Secretarium Sanctiſſimo Domino noſtro de prædictis relatione, ſanctitas ſua benigne annuit, die 7. Maji ejuſdem anni 1701.

103. Demum, cum, ulterior controverſia exorta eſſet de qualitate cultus Beato ipſi Jacobo exhibendi, ſæpe memorata ſacra Congregatio die 9. Maji 1705. cenſuit, permittendum utique feſtum in honorem ejuſdem Beati, minime vero ſupplicationem, ſeu *proceſſionem*; ſiquidem, juxta decreta Alexandri VII. de Beatorum cultu, horum Reliquiæ proceſſionaliter nequeunt circumferri.

§. XXIX.

De Servis Dei fratribus JOANNE Sacerdote, & PETRO Laico Ordinis Minorum S. Franciſci.

DECRETUM.

Valentina, ſeu Terulen. Beatificationis ſeu declarationis Martyrii Servorum Dei Fratris Joannis Sacerdotis, & Petri Laici Ordinis Minorum S. Franciſci.

104. *PRopoſito in ſacrorum rituum Congregatione ordinaria pro Eminentiſs. & Reverendiſs. Domino Cardinali Nigrono cauſæ Beatificationis ſeu declarationis Martyrii Servorum Dei Joannis Sacerdotis & Petri Laici Prædictorum Relatore ab Eminentiſs. & Reverend. Dom. Card. Gabriellio dubio, An conſtet de cultu immemorabili, & an ſententia ſuper eo lata a Vicario Generali Terulen. Judice delegato ſit confirmanda, vel infirmanda in caſu &c. ſacra eadem rituum Congregatio, Reverendiſſ. Archiepiſcopo Mirenſi Fidei Promotore tam in voce quam in ſcriptis audito, cenſuit, conſtare de cultu immemorabili, & dictam ſententiam eſſe confirmandam in caſu &c. ſi Sanctiſſimo Domino noſtro viſum fuerit. Die 23. Februarii 1704.*

Et, facta per me Secretarium de prædictis Sanctiſs. Dom. noſtro relatione, ſanctitas ſua (Clemens videlicet XI.) *diſtulit reſolutionem: & deinde, prout retulit R. P. D. Paracianus Sanctitatis ſuæ Auditor, benigne annuit, die 11. menſis Septembris ejuſdem anni 1704.*

105. Præter quædam chronica manuscripta, quæ compulsata fuere in processum Apostolicum confectum super cultu immemorabili horum Dei Servorum, meminerunt eorumdem Martyrii etiam Petrus Antonius *in 2. part. chronic. general. Hispaniar.* Wadingus *ad ann.* 1220. *num.* 71. *tom.* 1. *& ad an.* 1231. *num.* 77. *tom.* 2. Franciscus Gonzaga *de origin. Seraphicæ Religionis*, Auctor *firmamenti trium Ordinum S. Francisci*, Rodulphus Tossinianensis *in historia Seraphicæ Religionis*, Bartholomæus de Pisis *in libro conformitatum*, Marcus de Ulyssipone *in 1. parte chronicorum Ordinis Fratrum Minorum*, Arturus *in Martyrologio Franciscano*.

106. Sed, cum locus, occasio, & tempus Martyrii præterea referantur a S. Antonino *in chron. tit.* 24. *part.* 3. *cap.* 7. §. 14. operæ pretium censuimus, ejus verba hic exscribere: *Duos quoque Fratres Beatissimus Pater Franciscus ad regnum Aragoniæ destinavit, Fratrem scilicet Joannem Sacerdotem, & Fratrem Petrum Conversum. Hi cum Turolium devenissent, Conventum ibi capientes prædicationibus & orationibus suæ odorem sanctitatis diffuderunt. Tempore illo, scilicet anno Dom.* 1230. *vel circa, Valentia civitas erat Saracenis populata, & Infidelium Maurorum ditioni subjecta, in qua regnabat quidam Azotus nomine, Christianorum maximus persecutor. Prædicti igitur Fratres zelo Fidei succensi & Martyrii desiderio inflammati, ad prædicandum verbum Dei Valentiam sunt ingressi; & ibi de falsitate legis Mahumetis Saracenis ferventer prædicavere. Quod audiens Rex Azotus comprehendi eos jussit, & carceri mancipari; &, cum promissionibus plurimis invitasset eos ad legem suam observandam, & Christi Fidem abnegandam, illi autem hoc detestaventur, in publica platea illos decollari mandavit: qui sepulturæ traditi cœperunt miraculis coruscare. Rex autem Aragoniæ Christianissimus, Jacobus nomine, cum dicto Rege Valentiæ eo tempore bellum gerebat; &, ex quo Rex Valentiæ Azotus illos Martyrio consummavit, in dies cœpit inferior existere, & ab eo superari in bellis. Cum ergo videret se Azotus quotidie a Christianis expugnari, a gratia Divina & Dei virtute sola arbitratus hoc fieri, cum Rege Aragonum tractare cœpit de sua conversione ad Fidem, offerens, se ei civitatem traditurum & regnum, dummodo sibi vitam & victum concedere dignaretur decentem. Quibus omnibus Rex Aragonum annuens, & gaudens de sui conversione confœderatus est cum eo. Anno igitur Domini* 1238. *in vigilia S. Michaelis ingreditur Rex Aragoniæ civitatem Valentiæ ejus dominium capiens; & omnes Saraceni, qui baptizari noluerunt, fugerunt, vel occisi sunt. Rex prior Azotus, juxta promissum, Baptisma suscepit, qui libere Regi tradidit totum regnum suum, scilicet Valentiæ. Converso autem ad Fidem Azoto, Rex Aragoniæ concessit ei palatium regium intra civitatem, & quemdam Comitatum, & successoribus suis: &, cultu Mahumetico de illa civitate Valentiæ evacuato, introductus est ritus & Fides Christianorum. Vocavit autem Azotus Fratres Minores dicens eis: Ego sum, qui occidi Fratres socios vestros de Turolio ex infidelitate mea, de quo dolco ex toto corde meo; & pro aliquali satisfactione vellem, quod palatium meum regale pro vestro monasterio construendo haberetis: & illud debetis libenter accipere, quia ibi multus sanguis Martyrum effusus est per me, & alios priores Dominos Infideles, ut sit quasi totum sanguine Martyrum consecratum: & B. Vincentius Martyr, quem tota Christianitas tanta veneratione festivat, pro Fide Martyrio ibi coronatus est. Quamobrem sitis soliciti, dictum palatium a Rege Aragonum postulare; & credo, quod vestrum desiderium, & meum adimplebit. Quod cum fecissent, & Rex Aragonum Jacobus, Azotum, cui illud concesserat, hoc exoptare, cognovisset, gaudiose concessit: sicque ibi est Conventus Ordinis Minorum.*

§. XXX.

De Beatis TERESIA, & SANCIA Monialibus Ordinis Cistercienſis, quæ vulgo *Sanctæ Reginæ* nuncupantur.

BREVE CLEMENTIS PAPÆ XI.

CLEMENS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

107. *Solicitudo Pastoralis officii, quo Catholicæ Ecclesiæ per universum orbem diffusæ regimini Divina dispositione præsidemus, Nos urget atque compellit, ut Beatarum Christi Ancillarum in cœlis cum eo regnantium cultum & veneretionem in terris promovere studeamus; sicut pia Regum & Principum Orthodoxorum studia postulant, & Nos ad omnipotentis Dei gloriam, ad Ecclesiæ decus & præsidium, ac ad spiritualem Christifidelium ædificationem & consolationem expedire in Domino arbitramur. Cum itaque alias, videlicet die* 4. *Octobris* 1647. *a fel. record. Clemente Papa* IX. *prædecessore nostro Commissiones pro introductione causæ seu causarum Beatificationis & Canonizationis Beatarum Reginarum Teresiæ, & Sanciæ Monialium Ordinis Cistercienſis, clar. mem. Sancii I. dum vixit, Portugalliæ Regis Illustris natarum signatæ, ac in illarum executionem die* 10. *Decembris ejusdem anni, dicto Clemente prædecessore annuente, litteræ remissoriales, attento, quod Sedes Episcopalis Conimbricen. tunc vacabat, tunc existenti Episcopo Targen. in civitate Ulyssiponen. commoranti dirigendæ pro constructione processus particularis super cultu immemorabili prædictis Teresiæ, & Sanciæ præstito, & casu excepto a decretis jussu recol. mem. Urbani Papæ* VIII. *pariter prædecessoris nostri editis decretæ fuerunt cum facultate, quod in una remissoria ambæ Commissiones includerentur; litteræ vero hujusmodi, prout assertum fuerat, nunquam expeditæ fuerint: ideoque, ad effectum conficiendi præfatum processum, ad pias emixasque preces carissimi in Christo Filii nostri Petri Portugalliæ & Algarbiorum Regis Illustris, ac tunc in humanis agentis clar. mem. Mariæ, dum vixit, Reginæ ejus uxoris, nec non dilecti Filii Nobilis Viri Cosmi Etruriæ sibi subjectæ Magni Ducis, ac cedentibus etiam in id ipsum supplicationibus nonnullorum Prælatorum, Religiosorum, Tribunalium, Senatuum, Magistratuum, & Academiarum, regni Portugalliæ, ac ad iteratas humillimas instantias dilecti Filii Bernardi de Castelbranco Monachi expresse Professi ac Procuratoris Generalis Congregationis S. Mariæ de Alcobatia Ordinis præfati, in sacra Theologia Magistri, causæ seu causarum Beatificationis & Canonizationis hujusmodi Postulatoris, Nobis referentibus, qui tunc in minoribus constituti Cardinalatus honore fungebamur, ac in locumhon. mem. Sigismundi Chisii, dum vixit, S. R. E. Cardinalis Sigismundi nuncupati, causæ seu causarum hujusmodi Relatoris subrogati fueramus, exhibitis prius per dictum Bernardum Postulatorem binis processibus in Conimbricen. seu Ulyssiponen. civitatibus, postquam Sedes Apostolica in causa seu causis præfatis manus apposuerat, nulliter constructis, die* 17. *Septembris* 1695. *a Congregatione tunc existentium itidem S. R. E. Cardinalium sacris ritibus præpositorum novæ remissoriales, seu compulsoriales litteræ tunc pariter existentibus Archiepiscopo Ulissiponen. & Episcopo Conimbricen. eorumque Vicariis in spiritualibus Generalibus dirigendæ, annuente etiam die* 25. *ejusdem mensis Septembris piæ mem. Innocentio Papa* XII. *itidem prædecessore nostro, concessæ fuerint, illarumque vigore processus prædictus constructus, ac in Actis memoratæ Congregationis Cardinalium exhibitus, servatisque servandis apertus fuerit: demum vero (eodem Bernardo Postulatore instante) proposito dubio in prædicta Congregatione Cardinalium per dilectum Filium nostrum Carolum dictæ sanctæ Romanæ Ecclesiæ Diaconum Cardinalem Bichium nuncupatum, qui in Relatorem causæ seu causarum prædictarum in locum nostrum a Nobis subrogatus fuerat, An constaret de cultu immemorabili Beatis Teresiæ, & Sanciæ suprædictis præstito, & casu a dictis decretis Urbani prædecessoris excepto, & an sententia desuper lata a memorato Episcopo Conimbricen. Judice delegato esset confirmanda in casu & ad effectum, de quo agebatur; dicta Congregatio Cardinalium, audito tam in scriptis quam in voce venerabili Fratre Prospero Archiepiscopo Myrensi promotore Fidei, de ejusmodi cultu immemorabili, & casu excepto constare censuerit: Hinc est, quod Nos piis ac devotis ejusdem Petri Regis, ac totius Congregationis de Alcobatia hujusmodi, necnon dilectarum in Christo Filiarum Abbatissæ, & Monialium monasterii Lovanienſis supplicationibus Nobis super hoc humiliter porrectis favorabiliter annuere cupientes, ac præfatarum Abbatissæ & Monialium singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium duntaxat consequendum harum serie absolventes, decretum a præfata Cardinalium Congregatione editum, ut præfertur, quod scilicet de cultu immemorabili eisdem Beatis Teresiæ, & Sanciæ præstito, & casu excepto a decretis ejusdem Urbani prædecessoris constat, Apostolica auctoritate tenore præsentium confirmamus & approbamus, illique in-*

vio-

inviolabilis Apoſtolicæ firmitatis robur adjicimus; ſalva tamen ſemper in præmiſſis auctoritate prædictæ Congregationis Cardinalium: Decernentes, eaſdem præſentes litteras firmas validas & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios & integros effectus ſortiri & obtinere, ac illis ad quos ſpectat & ſpectabit in futurum, pleniſſime ſuffragari, & ab eis reſpective inviolabiliter obſervari; ſicque in præmiſſis per quoſcumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam cauſarum palatii Apoſtolici Auditores, judicari & definiri debere; ac irritum & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam quavis auctoritate ſcienter vel ignoranter contigerit attentari: Non obſtantibus Conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ceteriſque contrariis quibuſcumque. Volumus autem, ut ipſarum litterarum tranſumptis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis eadem prorſus fides in judicio & extra illud habeatur, quæ haberetur ipſis præſentibus, ſi forent exhibitæ vel oſtenſæ. Datum Romæ apud S. Petrum ſub anulo Piſcatoris die 23. Decembris 1705. Pontificatus noſtri anno VI.

108. Tereſia altera ex Sanctis Reginis ſupra memoratis matrimonium contraxit cum Alphonſo IX. Rege Legionenſi, quod porro, trina ex eo ſuſcepta prole, nullum declaratum fuit a ſummo Pontifice Cæleſtino III. Erat enim Tereſia tertio conſanguinitatis gradu Alphonſo conjuncta: & tanta quidem erat illius ævi ſimplicitas, tantaque rerum incuria animos occupabat Principum Hiſpaniæ, ut quotidie contraherent inceſtas nuptias, & quotidie pariter ab inceſtis nuptiis ſepararentur; ſicuti, pluribus allatis exemplis, oſtendit Manriquez *ad an.* 1221. *cap.* 1. *num.* 7.

109. Hac itaque de re actum etiam fuit in ſacrorum rituum Congregatione; ſed merito exiſtimatum eſt, nullum ex his inceſtis nuptiis validum ſumi poſſe argumentum adverſus Tereſiæ ſanctitatem, quippe quia nupſit, dum ætatis agebat annum decimum tertium, atque adeo invita, & ut ſuo pareret genitori, qui pro ſtabilienda pace filiam reluctantem ad nuptias ipſas quodammodo adigebat; uti referunt Brittus, Chryſoſtomus Henriquez, Auctor Operis, cui titulus, *Lilia Ciſtercii*, & Georgius Cardoſus. Præterquamquod non fuit illa contumax; verum, audita Pontificis ſententia, ſe a maritali contubernio continuo ſejunxit quin & operam dedit, ut Alphonſus etiam Cæleſtini judicio ſe ſubmitteret. Quocirca Franciſcus Macedo *in vita ipſius Tereſiæ cap.* 2. apud Bollandianos *ad diem* 17. *Junii pag.* 475. hæc habet: *Forte nihil: certe minus peccavit Tereſia ob ſexum & ætatem, legis inſcia, & obnoxia parentibus; quibus cum fidem habere, tum morem gerere oportuit. Non erat Virginis vixdum adultæ examinare, an liceret an deceret conjugium; ſed indictum acceptare. Unde enim leges vetantes ſciret? Aut, ut ſciret, an impedimentum ſublatum eſſet, ambigeret? Videtur innocenter feciſſe. Velletne Virgo regia tantæ indolis tantæque probitatis, ſcorti more, vetitis inferri thalamis, tradi ſtupratori, non viro?* & rurſus *cap.* 2. *num.* 13. *Vix dum prolata ſententia, aula Tereſia exiit; nec toro ſolum deinceps, ſed etiam domo, quo procul eſſet a peccato & ſuſpicione, abſtinuit. Omnibus ad Deum curis converſis, de cœlibatu cogitavit.* Concors autem eſt Brittus; necnon ad rem recte ſubditur *in ſchemate genealogico Regum Caſtellæ, Legionis, & Luſitaniæ* apud Bollandianos *ad diem* 30. *Maji tom.* 7. *pag.* 294. *Præterea ſaltem Principiſſæ ipſæ excuſabiles erant, & bona fide matrimonium contraxerant, cui nemo Epiſcoporum regni ſe ſe oppoſuerat.* Et paulo poſt: *Adde, quod pleræque ſimiles fuerint juniores, quam ut ſcrupulo ſibi ducere poſſent conjunctionem parentibus probatam.* Denique, quod rei caput eſt, cum poſt ſeparationem a thalamo per quinquaginta circiter annos Tereſia in monaſterio Lorvanienſi ſito in aſperrimo ac ſolitario loco, Religioſo habitu induta, aſſiduaque oratione, jejuniis, flagris, aliiſque id genus in ſemetipſam aſperitatibus macerata, & tanquam una ex humilioribus Monialibus uſque ad obitum verſata vitam duxerit ſanctiſſimam, necnon poſt obitum miraculis claruerit, uti prope triginta Auctores tum antiquiores, tum recentiores in proceſſus compulſati teſtantur; nemo eſt qui cognoſcere nequeat, vel nullam fuiſſe ratione matrimonii maculam in ipſa Tereſia, vel, ſi quidem infuit, eam per longam pœnitentiam feliciter abſterſam fuiſſe.

110. Ad hæc Bollandiani *ad cit. diem* 17. *Junii* proceſſum retulerunt confectum pro Canonizatione Tereſiæ, & Sanciæ: tum autem *tom.* 6. *par.* 1. *append. ad eamdem diem* enuntiarunt approbationem cultus earum immemorabilis, de qua primum factus eſt ſermo. Sed, cum dubitatum etiam fuerit, quia Reginæ iſtæ paſſim *Sanctæ* nominantur, an appellatio iſta retinenda foret, item ſacra rituum Congregatio die 30. Maji 1705. animadvertens, ſic eas ab immemorabili tempore vocatas fuiſſe, juſſit, appellationem ipſam retineri; attamen ita, ut ex ea nullum cultus augmentum deſumi poſſet. Similis pariter controverſia mota fuit in cauſa quoque tunc Beati, nunc Sancti Peregrini Latioſi: approbato namque cultu ejus immemorabili die 26. Auguſti 1702. pariterque confirmato ſacræ Congregationis judicio a ſummo Pontifice die 11. Septembris ejuſdem anni, cum Secretarius ſacræ Congregationis Peregrinum dixiſſet *Servum Dei Beatum nuncupatum*, huic loquendi modo obnitentibus Poſtulatoribus eo obtentu, quod ab immemorabili tempore Peregrinus ipſe fuerat ſimpliciter *Beatus* denominatus, reſponſum porro fuit pro retentione nominationis antiquæ; quemadmodum liquet ex ſequenti decreto: *Cum ſacrorum rituum Congregatio ſub die* 20. *Auguſti* 1702. *cenſuerit ſuper dubio ab Eminentiſs. & Reverendiſs. Domino Cardinali Franciſco Barberino propoſito, An ſcilicet ſententia Epiſcopi Forolivien. ſuper cultu immemorabili Servo Dei Peregrino Latioſi prædicto* Beato *nuncupato, & caſu excepto a decretis ſel. record. Urbani VIII. ſit confirmanda, cenſuerit, inquam, conſtare de caſu excepto, ſi Sanctiſſimo Domino noſtro viſum fuerit, & Sanctitas ſua benigne ſub die* 11. *Septembris ejuſdem anni* 1702. *annuerit: cumque hujuſmodi decretum per ſacrorum rituum Congregationis Secretarium cum denominatione dumtaxat Servi Dei Beati nuncupati, ut ſupra, conſcripſerit, Poſtulatoribus ejuſmodi cauſæ pro relaxatione præfati decreti cum titulo vel denominatione explicita Beati Peregrini Latioſi abſque ulla moderatione, nempe ſine expreſſione Servi Dei Beati nuncupati, eidem ſacrorum rituum Congregationi humiliter ſupplicantibus, ſacra eadem rituum Congregatio pro relaxatione decreti cum ſolo titulo Beati petita reſcribendum cenſuit. Die* 9. *Decembris* 1702. Nec id diſſimile eſt, quod ſubſequenter contigit in cauſa tunc Beatæ, nunc Sanctæ Agnetis de Monte Politiano: cum enim idem ſacræ Congregationis Secretarius eam in quodam decreto titulo *Servæ Dei* nuncupaſſet, ſacra pariter Congregatio die 9. Maji 1705. approbante ſan. mem. Clemente XI. *Beatæ* nomine appellari juſſit, quo ab immemorabili tempore vocata fuerat; & quidem, ut cetera prætereantur, quamvis titulo *Sanctæ* denominata fuiſſet in Martyrologio Romano typis impreſſo anno 1586. nomine tamen *Beatæ* inſignita fuit in eodem Martyrologio edito anno 1674.

§. XXXI.

De Beata LUCIA de NARNIA Ordinis Sancti Dominici Fundatrice monaſterii S. Catharinæ de Senis Ferrariæ.

LITTERÆ APOSTOLICÆ

in forma Brevis Clementis Papæ XI.

CLEMENS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

111. EX injuncto Nobis divinitus Paſtoralis ſolicitudinis munere Beatarum Chriſti Ancillarum in cœlis cum eo regnantium, in quibus, utpote vaſculis imbecillioribus, opus dexteræ Excelſi mirabilius ac illuſtrius apparuit, quæque non humanum, ſed Divini Spiritus infuſione depromptum Apoſtolicum conſilium ſecutæ cogitarunt, quæ ſunt Domini, ut eſſent ſanctæ corpore & ſpiritu, venerationem & cultum libenter in terris promovemus; ſicut pia perſonarum non minus virtutum meritis, quam ſublimi Cardinalatus dignitate fulgentium vota poſtulant, & Nos ad omnipotentis Dei gloriam, ad Eccleſiæ decus, ſpiritualemque Fidelium populorum, præſertim noſtrorum, & Apoſtolicæ Sedi, etiam quoad temporalia, ſubditorum ædificationem ac devotionem fovendam atque augendam conducibile fore in Domino arbitramur. Cum itaque alias, videlicet die 19. *Januarii* 1654. *ad humillimas ac repetitas preces & inſtantias tunc exiſtentium Magiſtratuum civitatum noſtrarum Ferrarienſis, Viterbienſis, & Narnienſis*, necnon tunc etiam exiſtentis Magiſtri Generalis Ordinis Fratrum Prædicatorum, nomine ejuſdem Ordinis facta relatione in Congregatione tunc pariter exiſtentium S. R. E. Cardinalium ſacris ritibus præpoſitorum coram ſel. record. Innocentio Papa X. prædeceſſore noſtro, habita a bon. mem. Baccio, dum vixit, ejuſdem S. R. E.

Cardinali Aldebrandino nuncupato, de contentis in duobus proceſſibus auctoritate ordinaria confectis per ſimilis memoriæ Franciſcum Mariam etiam, dum vixit S. R. E. Cardinalem Macchiavellum nuncupatum, tunc Eccleſiæ Ferrarienſis ex conceſſione & diſpenſatione Apoſtolica Præſulem; primo nimirum anno 1647. ſuper cultu, ſcientibus & tolerantibus Ordinariis, ab immemorabili tempore exhibito B. Luciæ de Narnia Moniali Ordinis S. Dominici, quæ feliciter obdormiverat in Domino die 15. Novembris 1544. & caſu excepto a decretis recol. mem. Urbani Papæ VIII. prædeceſſoris pariter noſtri in Congregatione ſanctiſſimæ Inquiſitionis editis, cujus vigore idem Franciſcus Maria Cardinalis & Præſul per ſententiam latam die 19. Decembris ejuſdem anni 1647. pronuntiaverat, conſtitiſſe & conſtare de immemorabili cultu dictæ Servæ Dei, & propterea non fuiſſe nec eſſe contraventum decretis Apoſtolicis ſupradictis, ſecundo autem anno 1648. ſuper ſanctitate vitæ, virtutibus, & miraculis, cum exhibitione etiam nonnullorum antiquorum documentorum ſuper ſtigmatibus, quæ inibi dicuntur impreſſa in corpore prædictæ B. Luciæ; decretum fuerit, ſignari poſſe Commiſſionem introductionis hujus cauſæ eidem Congregationi Cardinalium directam, ut cognoſceret, an rite & recte pronuntiatum fuiſſet per ſupradictum Franciſcum Mariam Cardinalem & Præſulem ſuper caſu excepto ex immemorabili: In hujuſmodi vero Commiſſionis executionem ſubinde a piæ mem. Alexandro Papa VII. etiam prædeceſſore noſtro ſignatæ, nuper, nempe die 15. Februarii proxime præteriti, ad humillimas itidem preces dilecti Filii noſtri Joſephi Tituli S. Mariæ Tranſpontinæ ejuſdem ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Presbyteri Cardinalis Sacripanti nuncupati, etiam nomine dilectorum Filiorum Communitatis, & hominum dictæ civitatis noſtræ Narnien. patriæ ſuæ porrectas, necnon dilecti Filii Antonini Cloche Magiſtri Generalis memorati Ordinis Fratrum Prædicatorum, ac dilectarum in Chriſto Filiarum Monialium monaſterii S. Catharinæ de Senis præfatæ civitatis noſtræ Ferrarien. prout etiam dilecti Filii Thomæ Ripoll Fratris expreſſe Profeſſi ejuſdem Ordinis, in ſacra Theologia Magiſtri, cauſæ hujuſmodi Poſtulatoris in Congregatione venerabilium Fratrum noſtrorum ipſius Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium eiſdem ſacris ritibus præpoſitorum a dilecto etiam Filio noſtro Thoma Tituli Sancti Clementis dictæ Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Presbytero Cardinali Ferrario nuncupato, in locum memorati Baccii Cardinalis deputato ſeu ſubrogato, propoſitum fuerit dubium, An ſententia prædicti Franciſci Mariæ Cardinalis & Præſulis ſuper cultu immemorabili erga præfatam B. Luciam præſtito eſſet confirmanda in caſu & ad effectum, de quo agebatur, auditiſque deſuper tam in voce quam in ſcriptis prius quidem quondam Joannæ Baptiſtæ Bottinio, dum vixit, Fiſci & Cameræ noſtræ Apoſtolicæ Advocato, atque ad ſupplendas vices venerabilis Fratris Proſperi Archiepiſcopi Myrenſis Promotoris Fidei ſpecialiter deputato, ſubinde vero dilecto Filio Proſpero de Lambertinis Aulæ noſtræ Conſiſtorialis Advocato, necnon ejuſdem Proſperi Archiepiſcopi & Promotoris Coadjutore, ultimo dicta Congregatio Cardinalium cenſuerit, ſententiam præfati Franciſci Mariæ Cardinalis & Præſulis, ut præfertur, latam ſuper cultu immemorabili non eſſe infirmandam in caſu & ad effectum, de quo agebatur, ſi ita Nobis viſum fuiſſet: Hinc eſt, quod Nos piis atque enixis ejuſdem Joſephi Cardinalis ſupplicationibus Nobis ſuper hoc humiliter porrectis favorabiliter annuere cupientes, decretum ab ultimo dicta Cardinalium Congregatione editum, ut præfertur, quod ſcilicet ſententia ſupradicti Franciſci Mariæ Cardinalis & Præſulis ſuper cultu immemorabili dictæ B. Luciæ non ſit infirmanda, Apoſtolica auctoritate tenore præſentium confirmamus & approbamus, illique inviolabilis Apoſtolicæ firmitatis robur adjicimus; ſalva tamen ſemper in præmiſſis auctoritate ultimo dictæ Congregationis Cardinalium: Decernentes, eaſdem præſentes litteras firmas validas & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios & integros effectus ſortiri & obtinere, ac illis, ad quos ſpectat & ſpectabit in futurum, pleniſſime ſuffragari, & ab eis reſpective inviolabiliter obſervari; ſicque in præmiſſis per quoſcumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam cauſarum palatii Apoſtolici Auditores, judicari & definiri debere; ac irritum & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam quavis auctoritate ſcienter vel ignoranter contigerit attentari: Non obſtantibus Conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ceteriſque contrariis quibuſcumque. Volumus autem, ut ipſarum litterarum tranſumptis ſeu exemplis manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis eadem prorſus fides in judicio & extra illud habeatur, quæ haberetur ipſis præſentibus, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Datum Romæ apud S. Petrum ſub anulo Piſcatoris die 26. Martii 1710. Pontificatus noſtri anno X.

112. Igitur Beata hæc Lucia Narnienſis vita deceſſit anno 1544. & idcirco non modica fuit in ſacra Congregatione diſputatio, ejus ne cultus eſſet vere immemorabilis, & conſequenter approbandus; centum enim anni elapſi dici nequaquam poterant ab anno mortis ejus ad 1634. quo publicata fuit Urbani VIII. Conſtitutio. Prævaluit nihilominus opinio cultui favorabilis; quandoquidem ſententia Ordinarii Ferrarienſis, hoc eſt, Cardinalis Macchiavelli Epiſcopi Ferrariæ, qua pronuntiaverat, conſtare de caſu excepto a decretis Urbani VIII. & de cujus ſententiæ validitate ac juſtitia agebatur, prolata fuerat anno 1647. ideoque ante annum 1652. quo ſacra Congregatio ſanxit, ne pro complemento centenarii annorum numeri ab Urbani decretis, ſive ab ejus Conſtitutione præſcripti geſta poſt eamdem Conſtitutionem attenderentur: quæ ſcilicet circumſtantia tanti fuit roboris ac momenti, ut exiſtimatum fuerit, nullo poſſe pacto infirmari Ordinarii prædicti ſententiam, utpote latam juxta opinionem tunc vigentem, prout ea ferunt, quæ in ſuperioribus dicta ſunt.

112. Porro, cum mentio fiat in Brevi Apoſtolico ſtigmatum B. Luciæ, de eorum veritate non videtur eſſe dubitandum, quemadmodum nec de eorumdem qualitate ſupra naturam, tum propter experimenta prædicto pariter tempore facta, tum propter teſtationes Magiſtratuum Eccleſiaſticorum æque, ac ſæcularium etiam tum datas, quæ inſunt in proceſſibus auctoritate ordinaria confectis ſuper Luciæ virtutibus ac miraculis, editæque fuerunt in vita ejuſdem Beatæ typis impreſſa & eleganter compoſita poſt approbationem cultus ejus immemorabilis a Dominico Pontio Dominicanæ familiæ Theologo, uti videre eſt in eadem vita *cap. 16. 25. & pluribus ſequentibus.*

114. Sed & Vincentius Bellus Dominicanus, Jacobuſque Marcianenſis ex eodem Inſtituto Beatæ hujus vitam ediderunt: tum autem plura refert de ejuſdem ſtigmatibus Theophilus Raynaudus *oper. tom. 13. de ſtigmatiſmo ſacro, & profano:* præterquamquod de eodem argumento aliqua etiam videri poſſunt penes Gregorium Lombardellum Dominicanum *de ſtigmatibus S. Catharinæ*, quod opus extat in bibliotecha Vaticana *cod. 5461.* Inſuper Trithemius Beatæ ipſi contemporaneus de eadem ſermonem facit *in chron. Spanheim. ad an. 1500.* & poſtea, qui cetera deſiderat, legere poteſt Thomam Boſſium *de ſignis Eccleſiæ*; & Raynaldum ad *an. 1500. n. 58.* Poſt primam hujus Operis editionem nova inſurrexit quæſtio de ſtigmatibus B. Luciæ Narnienſis, eademque fuit plene diſcuſſa & reſoluta tempore noſtri Pontificatus in ſacrorum rituum Congregatione, in qua ſtigmatum defenſores reſumpſerunt quæ a Nobis in ſuperioribus deducta ſunt. Porro quæſtionis ſtatus, & ejus reſolutio facile dignoſci poſſunt ex ſequenti decreto.

MAJORICEN.

CUm de menſe Novembris anni 1738. Patres Ordinis Prædicatorum Conventus S. Dominici civitatis Palmæ regni Majoricæ prælo dediſſent quaſdam Concluſiones publice defendendas, ac B. Luciæ de Narnia Moniali ejuſdem Ordinis dicatas cum impreſſione in frontiſpicio ejus Imaginis ſtigmatizatæ, ideſt cum quinque ſtigmatibus cruentis, patentibus & viſibilibus, in manibus, pedibus, & latere, quæve in dedicatoria narrabantur fuiſſe a dicta Beata coram Imagine Chriſti Domini crucifixi orante, & acerbiſſimam illius Paſſionem meditante divinitus habita; inſurrexerunt Patres Ordinis Minorum de Obſervantia S. Franciſci ejuſdem civitatis & regni, qui prætendentes, vetitum eſſe ſignanter a nonnullis aſſertis bullis Sixti Papæ IV. depingi & imprimi facere Imagines aliorum Sanctorum & Sanctorum Beatorum & Beatarum, excepta figura S. Franciſci de Aſſiſio, cum ſtigmatibus, abſque licentia & approbatione Sedis Apoſtolicæ, inſteterunt coram Reverendiſs. Epiſcopo Majoricen. pro ſuſpenſione dictarum Concluſionum, & Imaginis B. Luciæ. Ejuſmodi inſtantiæ annuens præfatus Epiſcopus, die 15. Novembris dicti anni 1738. edidit decretum ſuſpenſivum earumdem Concluſionum, & Imaginum, ſub pœna excommunicationis comminatæ in enunciatis aſſertis bullis Sixti IV. quouſque aliter decideretur per Judices competentes. Interpoſita appellatione ad ſanctam Sedem per Patres Dominicanos a præfato decreto, cauſaque delata ad ſacrorum rituum Congregationem,

propo-

propositum in ea fuit per Eminentiss. & Reverendiss. Dominum D. Cardinalem Bellugam in Ponentem electum de consensu Partium, infrascriptum dubium coram eodem prius in contradictorio judicio concordatum, scilicet, An licitum fuerit depingere & imprimere Imagines B. Luciæ de Narnia Monialis Ordinis S. Dominici cum stigmatibus cruentis, patentibus & visibilibus, in manibus, pedibus, & latere, easque publice in ecclesiis, aliisque locis expositas retinere in casu & ad effectum, de quo agitur; eoque plene discusso & examinato, sua jura deducentibus in scriptis & in voce tum PP. Dominicanis, tum PP. Minoribus Observantibus S. Francisci, sacra eadem Congregatio unanimi Eminentissimorum Patrum voto rescribendum esse censuit, Affirmative. Hac die 23. Januarii 1740.

Fr. J. A. Card. Guadagni Pro Præf.

Loco ✠ sigilli.

T. Patriarcha Hierosolymitanus Secr.

§. XXXII.

De Beato SALVATORE ab HORTA Laico Ordinis Minorum Observantiæ S. Francisci.

DECRETUM.

Calaritana Canonizationis B. Salvatoris ab Horta.

115. *Proposito ab Eminentiss. & Reverendiss. Domino Cardinali Fabrono in sacrorum rituum Congregatione ordinaria dubio, An sententia Eminentiss. & Reverendiss. Domini Cardinalis Vicarii de Urbe super casu excepto a decretis fel. record. Urbani Papæ VIII. lata sit confirmanda in casu & ad effectum, de quo agitur; sacrorum rituum Congregatio ad instantiam Patris Dominici a Clessio Ordinis Minorum Strictioris Observantiæ de Recessu, audito tam in voce quam in scriptis Domino Prospero Lambertino sacri Consistorii Advocato & Reverendiss. Archiepiscopo Myren. Fidei Promotoris Coadjutore, censuit, respondendum, Affirmative. Die 13. Septembris 1710.*

Et facta deinde per Eminentiss. & Reverendiss. Dominum Cardinalem Fabronum de prædictis Sanctissimo Domino nostro relatione in Audientia habita die 29. Januarii 1711. Sanctitas sua (id est Clemens Papa XI.) *præsens decretum benigne approbavit, & ad R. D. Secretarium pro executione remisit, dicta die 29. Januarii supradicti anni 1711.*

116. Mortuus est B. Salvator anno 1567. Pater autem Dimas Serpi Prior Provincialis Sardiniæ Minorum Observantium S. Francisci vitam & miracula ipsius latissime conscripsit: quam quidem vitam ediderunt etiam Bollandiani *ad diem 18. Martii tom. 2.* Item Franciscus Gonzaga *in originis Seraphicæ Religionis part. 1.* loquitur de sanctitate vitæ B. Salvatoris Laici Catalani: & alia pariter de eodem legi possunt *in Menologio Franciscano* Fortunati, *in legendarum Franciscanarum collectaneis* Benedicti Mazzaræ, *in orbe Seraphico* Dominici de Gubernatis, *in commentariis asceticis in Regulas Societatis Jesu* Patris Julii Nigroni regul. 14. §. 17.

117. Verum neque sententiæ, neque ejusdem confirmationi pro fundamento fuit cultus immemorabilis, utpote cum ab obitu Beati ad tempus decretorum Urbani VIII. sive ad illud bullæ decreta eadem confirmantis elapsi minime essent centum anni: quamobrem & ipsa sententia & ejus confirmatio ad casum exceptum standum innixæ tantum fuerunt *permissioni sacræ Congregationis*. Postulanti enim Regi Catholico Beati hujus Canonizationem responsum fuit: *Differatur Canonizatio, quia alii priores & antiquiores sunt in Congregatione præsentati, pro quorum Canonizatione facti fuere processus, informationes, diligentiæ, testificationes, & alia plura. Verum, quod interim Beatus Salvator ab Horta cum hoc titulo & miraculis imprimatur, publiceque portetur ad majorem Fidelium consolationem. Die 5. mensis Februarii 1606.*

118. Commemoratur nempe hoc decretum apud Serpium, Bollandianos, Fortunatum, Mazzaram, & Nigronum. Causæ autem Postulatores, dum, approbato casu excepto, jactabantur pro concessione Officii ac Missæ, totis viribus præterea ostendere conati sunt, fuisse in eo approbatas virtutes B. Salvatoris. Sed ipse tunc fungens munere Fidei Promotoris evici, fuisse quidem sacræ Congregationi exhibitam informationem ex processibus ordinariis comprobatam, in qua plura de illius virtutibus & miraculis afferebantur, attamen eorum examen nequaquam susceptum fuisse, nisi limitata causa dandæ facultatis Salvatoris Imaginem typis imprimendi cum nuncupatione Beati; ideoque nova formali virtutum discussione opus esse, quoties ad Canonizationem esset procedendum. Quæ porro mea argumenta a sacra Congregatione fuerunt admissa die 21. Aprilis 1714.

119. Ad hæc, ut cetera persequamur, quæ ad cultum pertinent hujus Beati, aliud anno sequenti 1607. prodiit ab eadem sacra Congregatione decretum de Beati ejusdem corpore a capsa, in qua repositum fuerat, non amovendo, videlicet:

In ecclesia Sanctæ Mariæ Jesu Calaritanæ civitatis corpus Sancti Salvatoris de Horta Ordinis Minorum magna cum populi devotione & veneratione quiescere & asservari, sacræ rituum Congregationi pro parte Archiepiscopi, & Promotoris Curiæ dictæ civitatis narratum est; quod, licet inclusum sit in capsa, & clavibus reseratum diligenter custodiatur, tamen ad instantiam nonnullorum nobilium dictæ civitatis virorum inde asportatur, & in privatorum domibus super corpora infirmorum ponitur: unde fit, quod corpus ipsum deturpetur, & manuum pedumque ejus ossa a diversis Fidelibus indiscreta devotione furtive ablata sint. Quare Archiepiscopus, & Promotor prædictus Sanctissimo Domino nostro supplicaverunt, ut sub censuris & aliis pœnis per litteras suas in forma Brevis expediendas provideat, ne in futurum corpus prædictum a capsa, in qua conservatur, quavis de causa vel occasione amoveatur.

Et, cum negotium hoc a Sanctitate sua sacræ rituum Congregationi remissum fuerit, eadem sacra rituum Congregatio censuit, gratiam petitam esse justam & posse concedi: & ita declaravit die 1. Septembris 1607.

120. Expeditæ deinde fuerunt litteræ *remissoriales* pro conficiendis processibus Apostolicis: quibus confectis & ad sacram Congregationem delatis, hæc eos juxta morem tunc temporis receptum ad Rotæ Auditores remisit: & hi porro mense Augusti anni 1633. eorum validitatem approbarunt; mense Novembris ejusdem anni, constare de virtutibus, responderunt; & mense Martii anni 1635. primum ex propositis miraculis ratum fecerunt. Quod colligitur ex rescriptis manu propria Coccini unius ex deputatis Rotæ auditoribus notatis, & in bibliotheca Collegii Romani de Urbe existentibus; quandoquidem relatio nunquam exarata fuit. Anno autem post, id est, 1636. editum est Indulgentiarum Breve, quod sequitur.

URBANUS PAPA VIII.

Universis Christifidelibus præsentes litteras inspecturis, Salutem & Apostolicam benedictionem.

Ad augendam Fidelium religionem, & animarum salutem cœlestibus Ecclesiæ thesauris pia caritate intenti, omnibus utriusque sexus Christifidelibus vere pœnitentibus & confessis ac sacra Communione refectis, qui ecclesiam Fratrum Ordinis Minorum S. Francisci Recollectorum nuncupatorum, & in ea sitam Capellam Salvatoris de Horta oppidi de Bisbal Gerunden. diœcesis die decima octava Martii a primis Vesperis usque ad occasum solis hujus devote visitaverint, & ibi pro Christianorum Principum concordia, Hæresum exstirpatione, ac Sanctæ Romanæ Ecclesiæ exaltatione pias ad Deum preces effuderint, plenariam omnium peccatorum suorum Indulgentiam & remissionem misericorditer in Domino concedimus: Præsentibus ad septennium tantum valituris. Volumus tamen, quod, si aliquibus Christifidelibus, qui dictam ecclesiam visitaverint, aliquam aliam Indulgentiam perpetuo vel ad tempus nondum elapsam duraturam concessimus, quodque, si pro præsentatione, admissione, vel publicatione præsentium aliquid, vel minimum detur, aut & sponte oblatum recipiatur, præsentes nullæ sint eo ipso. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub anulo Piscatoris die 16. Maji 1636. Pontificatus nostri anno XIII.

121. Anno deinceps 1654. ut generalibus Urbani VIII. decretis debita deferretur obedientia, signata est *Commissio*; tum vero anno 1693. deputatus est Cardinalis Urbis Vicarius pro constructione processus super eademmet decretis ipsis obedientia, a quo lata consequenter sententia confirmationis robur demum obtinuit in sacra Congregatione, sicuti primum vidimus. Sed & intermedio eo tempore emissum est a san. mem. Innocentio XI. sequens Indulgentiarum Breve.

IN-

UAB Biblioteca de Ciències Socials

INNOCENTIUS PAPA XI.

Universis Christifidelibus præsentes litteras inspecturis, Salutem & Apostolicam benedictionem.

AD augendam Fidelium religionem, & animarum salutem cælestibus Ecclesiæ thesauris pia caritate intenti, omnibus utriusque sexus Christifidelibus vere pœnitentibus & confessis, qui ecclesiam seu Capellam S. Salvatoris de Hortâ nuncupati sitam prope ecclesiam Domus Fratrum Ordinis Minorum S. Francisci de Observantia nuncupatorum oppidi Perpiniani Elnen. diœcesis, non tamen Regularium, cui ecclesiæ ejusque Capellis & altaribus, sive omnibus sive singulis, eamque vel eas aut ea, seu illarum vel illorum singulas vel singula etiam visitando nulla alia Indulgentiæ reperitur concessa, die festo S. Narcissi Episcopi & Martyris a primis Vesperis usque ad occasum solis festi hujusmodi singulis annis devote visitaverint, & ibi pro Christianorum Principum concordia, Hæresum extirpatione, ac sanctæ Matris Ecclesiæ exaltatione pias ad Deum preces effuderint; plenariam omnium peccatorum suorum Indulgentiam & remissionem misericorditer in Domino concedimus: Præsentibus ad septennium tantum valituris. Volumus autem, ut, si alias Christifidelibus, dictam ecclesiam seu Capellam vel altare in ea situm in quocumque alio anni die visitaverint, aliqua alia Indulgentia perpetuo vel ad tempus nondum elapsum duratura concessa fuerit, vel, si pro impetratione, præsentatione, admissione, seu publicatione præsentium aliquid, vel minimum, detur, aut etiam sponte oblatum recipiatur, præsentes nullæ sint. Datum Romæ apud S. Petrum sub anulo Piscatoris die 24. Januarii 1682. Pontificatus nostri anno VI.

§. XXXIII.

De Beato CESLAO ODROVANTIO Ordinis Prædicatorum.

DECRETUM.

Uratislavien. Beatificationis & Canonizationis Servi Dei Ceslai Odrovantii Ordinis Prædicatorum Beati *nuncupati.*

122. PRoposito per Eminentiss. & Reverendiss. Dominum Cardinalem Barberinum causæ Beatificationis & Canonizationis Venerabilis Servi Dei Ceslai Odrovantii prædicti Beati *nuncupati* Ponentem in sacrorum rituum Congregatione ordinaria dubio, An sententia Reverendiss. Suffraganei Uratislavien. Judicis delegati lata super cultu immemorabili, & casu excepto a decretis fel. record. Urbani Papæ VIII. sit confirmanda, vel infirmanda in casu &c. sacra eadem rituum Congregatio, ad instantiam R. P. Magistri Ripoll Ordinis Prædicatorum & hujusmodi causæ Postulatoris, audito prius tam in voce quam in scriptis Domino Prospero de Lambertinis sacræ Consistorialis Aulæ Advocato ac Fidei Promotore, censuit respondendum, sententiam Suffraganei esse confirmandam, si Sanctissimo Domino nostro placuerit. Die 20. Augusti 1712.

Factaque deinde per R. P. D. Carolum Collicolam Protonotarium Apostolicum & Prosecretarium de præmissis Sanctissimo Domino nostro relatione, Sanctitas sua (Clemens videlicet XI.) *benigne annuit, die 27. ejusdem mensis & anni.*

123. Beatus hic Ceslaus Odrovantius fuit frater germanus S. Hyacinthi, & mortuus est anno 1242. Antiquissimum extat fragmentum illius vitæ conscriptum circa annum 1470. & 1480. quod nimirum compulsatum fuit in processus in ejus causa factos. De ejusdem autem virtutibus ac miraculis plura legi possunt *in historia regni Poloniæ* Joannis Dlugossi seu Longini, *in chronicis Poloniæ* Mathiæ de Miecovia, *in vita S. Hyacinthi* edita a Patre Severino, atque *in annalibus* Bzovii *tom.* 13. ut Marchesius interea, ac reliqui recentiores, qui vitas Beatorum & Sanctorum Ordinis S. Dominici conscripserunt, prætereantur. Accuratior tamen ceteris est quædam epitome probantium sanctitatis vitæ, miraculorum, & cultus immemorabilis B. Ceslai condita ab eodem Abrahamo Bzovio, quæ typis impressa fuit in summario informationis exhibitæ sacræ Congregationi super immemorabili ipso Beati ejusdem cultu, nihil enim in ea omissum dici potest, quod ad antiquiora monumenta pertineat.

§. XXXIV.

De Beato LIBERATO de LAURO, Sancto nuncupato, Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci de Observantia.

Prohibitio innovationis circa cultum Servi Dei Liberati de Lauro, Sancti nuncupati, & confirmatio decreti sacræ Congregationis per litteras in forma Brevis fel. record. Clementis Papæ XI.

CLEMENS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

124. ALias, & nuper a Congregatione venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium sacris ritibus præpositorum emanarunt in causa Servi Dei Liberati de Lauro Sancti nuncupati, Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci de Observantia nuncupatorum ad supplicationem dilecti Filii Lucii a Turricella Fratris expresse Professi provinciæ Marchiæ dicti Ordinis ac Lectoris jubilati, & ejusmodi causæ Postulatoris duo decreta tenoris sequentis: videlicet Camerinen. Servi Dei Liberati de Lauro Ordinis Minorum S. Francisci Sancti nuncupati. Demandata per sacram rituum Congregationem sub die 22. Junii 1697. amotione Imaginum prædicti Servi Dei ab altaribus, ecclesiis, & claustris Conventuum prædicti Ordinis, in quibus depictus erat in lectulo decumbens, cui Beatissima Virgo Virginibus, & Angelicis associata choris liquorem propriis manibus administrabat; recursum interposuerunt ad eamdem sacram Congregationem Patres ejusdem Ordinis allegantes, cultum eidem Servo Dei intra & extra præmemoratum Ordinem sic & alias atque multiformiter exhibitum extitisse nedum per centum annos ante decreta fel. record. Urbani VIII. sed per quatuor & ultra sæcula; ac proinde humiliter instetere pro manutentione prædicti Servi Dei in eodem cultu absque ulla innovatione, quæ læderet possessionem, in qua pacifice erat a præmemorato immemorabili ac legitimo tempore: unde sacra eadem Congregatio, præfixo & pluries prorogato eidem Ordini tempore ad probandam eamdem immemorabilem possessionem sub pœna removationis cujuscumque cultus eidem Servo Dei quomolibet præstiti, in se ejusdem causæ cognitionem benignissime suscepit. Quamobrem, allato ad ipsam per Religiosos ejusdem Ordinis & provinciæ Marchiæ, in qua adest Conventus cum ecclesia sub titulo S. Liberati, ubi, ut a Reverendiss. Episcopo Camerinen. asseritur, ipsius, ac Beatorum Humilis, & Pacifici ossa requiescunt, authentico processu una cum sententia super præmisso cultu auctoritate ejusdem Episcopi Camerinen. Ordinarii loci dicti Conventus rite prolata, necnon instituto super præmissis omnibus judicio, & prætendentibus subinde Postulatoribus, non esse necessariam in casibus similibus propulsionis contrarietatum Commissionem manu Sanctissimi signatam, eadem sacra rituum Congregatio perpendens, plura afferri in comprobatione præmemorati cultus, quæ in præsenti casu indigebant speciali dilucidatione (producebantur siquidem nonnulla eidem Servo Dei, uti anonymo vel incognito, ab Historiatoribus attributa, & alia pariter, quæ ipsum cum alio quodam Liberato Maceratense Congregationis Cælestinorum, seu Clarenorum ejusdemmet Ordinis confundere poterant) ad relationem Eminentiss. & Reverendiss. Domini Cardinalis Vallemani pro Eminentiss. & Reverendiss. Domino Cardinali Carpineo Ponente, audito tam in scriptis quam in voce Domino Prospero de Lambertinis sacræ consistorialis Aulæ Advocato & Reverendiss. Archiepiscopi Myren. Fidei Promotoris Coadjutore, rescribendum censuit, causam indigere signatura Commissionis in casu, de quo agitur. Die 7. Septembris 1709. Ita reperitur in regestis decretorum Congregationis sacrorum rituum. In quorum fidem &c. Die 3. Augusti 1713. Loco † sigilli. Gratis. N. M. Tedeschi Episcopus Liparitanus sacrorum rituum Congregationis Prosecretarius. Camerinen. Servi Dei Liberati de Lauro Ord. Min. S. Franc. Sancti *nuncupati. Orta controversia in sacra rituum Congregatione, An cultus ab immemorabili tempore juxta Postulatorum sensum S. Liberato prædicto præstitus esset, necne, permittendus, seu potius removendus; eadem sacra rituum Congregatio sub die 7. Septembris 1709. censuit, antequam ad discussionem dubii super casu excepto a decretis fel. record. Urbani Papæ VIII. deveniretur, necessariam esse dubii propositionem super signatura Commissionis; ideoque disputato dubio, An esset signanda Com-*

Commissio, sacra eadem Congregatio ad relationem Eminentiss. & Reverendiss. D. Cardinalis Ptolemæi pro Eminentiss. & Reverendiss. D. Cardinali Carpineo Ponente, & ad instantiam Fratris Lucii de Turricella Ordinis Minorum de Observantia S. Francisci dictæ causæ, Postulatoris, audito prius tam in voce quam in scriptis Reverendo Patre Domino Prospero de Lambertinis Fidei Promotore, respondit, Pro nunc non esse locum signaturæ Commissionis, & nihil esse innovandum super cultu eidem Servo Dei præstito, firmo tamen remanente decreto in hac causa edito die 22. Julii 1697. super amotione Imaginum dicti Servi Dei, cui in lectulo decumbenti Beatissima Virgo Angelicis choris associata cibum administrabat, si Sanctissimo Domino nostro placuerit. Die 28. Januarii 1713. Factaque deinde per infrascriptum Prosecretarium de prædictis Sanctissimo Domino nostro relatione, Sanctitas sua benigne annuit, die 17. Februarii ejusdem anni 1713. G. Card. Carpineus. Loco † sigilli. C. Collicola sacræ rituum Congregationis Prosecretarius. Cum autem, sicut prædictus Lucius Nobis subinde exponi fecit, ipsa decreta hujusmodi, quo firmius subsistant, Apostolicæ confirmationis nostræ patrocinio communiri plurimum desideret, Nos ipsum Lucium specialibus favoribus & gratiis prosequi volentes, & a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium duntaxat consequen. harum serie absolventes & absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, decreta præinserta auctoritate Apostolica tenore præsentium approbamus & confirmamus, illisque inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus; salva tamen semper in præmissis auctoritate memoratæ Congregationis Cardinalium. Decernentes, easdem præsentes litteras semper firmas validas & efficaces existere, & fore, suosque plenarios & integros effectus sortiri & obtinere, ac illis, ad quos spectat & pro tempore spectabit, plenissime suffragari; sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum palatii Apostolici Auditores, judicari & definiri debere; ac irritum & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari: Non obstantibus Constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, ut earumdem præsentium litterarum transumptis seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis eadem prorsus fides adhibeatur, quæ præsentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitæ vel ostensæ. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub anulo Piscatoris die 2. Septembris 1713. Pontificatus nostri anno XIII.

125. Licet ex modo expositio summi Pontificis Brevi satis aperte colligi possit hujus causæ series, operæ tamen pretium fore putamus, eam ob oculos clarius ponere, quæ nimirum ita se habet.

126. Delatum fuit sacræ Congregationi, quod in plerisque porticibus Patrum Ordinis Minorum Observantium, & in nonnullis eorum ecclesiis retinebantur expositæ super altaria ad publicam venerationem Imagines Religiosi viri ejusdem Ordinis, S. Liberati vulgo nuncupati, cui in lectulo decumbenti Beatissima Virgo Angelicis comitata choris cibum subministrabat: ideoque, re mature perpensa sacra eadem Congregatio jussit, ab altari removeri prædictas Imagines, necnon addidit, probandum esse cultum immemorabilem dicto Dei Servo præstitum, veluti constat ex decreto edito die 22. Junii, & die 5. Octobris 1697.

127. Itaque subsequenter confectus fuit processus auctoritate ordinaria super Liberati cultu immemorabili; tum autem anno 1706. die 19. mensis Aprilis lata fuit ab ordinario sententia, in qua declaratum est, de ipso immemorabili cultu constare. Verum, remissa causa ad sacram Congregationem, cum oppositum fuisset a me tanquam tunc Fidei Promotore, quod erat necessaria *Signatura Commissionis*; etsi a Postulatoribus strenue reponeretur, hanc nequaquam haberi necessitatem, eo quia eorum sensus erat tantummodo impedire cultus amotionem, minime autem Canonizationem petere, in quo tantum casu ipsa *Commissionis signatura* requirebatur, sacra eadem Congregatio die 7. Septembris 1709. respondit, necessariam porro esse *Commissionem* eo etiam in casu, de quo agebatur, id est, non quia requiratur *Commissio*, quando simpliciter petitur, quod cultus haud amoveatur, sed quia in præsenti causa ponderatum fuit, nonnullas adesse difficultates, quæ longe melius discuti poterant occasione *signaturæ Commissionis*, quam occasione examinis cultu immemorabilis; uti recognoscere est ex principio mearum animadversionum super signatura Commissionis, in quibus ita legitur: *Fecerunt Postulatores instantiam pro reintegratione cultus; & ego juxta munus mihi demandatum opposui; quod erat necessaria signatura Commissionis: & huic sacræ Congregationi placuit respondere die 7. Septembris 1709. necessariam esse Commissionem in casu, de quo agitur; non quia Eminentiss. Patres necessarium reputaverint, quod signaretur Commissio, quando Postulatores, prout in casu, protestabantur, se nihil aliud velle, quam cultus reintegrationem, nec ullam se habere intentionem causam prosequendi super formali Beatificatione & Sanctificatione; sed quia præviderunt, laxiores habenas relaxari favore Promotoris Fidei in materia opponendi, quando tractatur de signatura Commissionis, ad differentiam casus in quo simpliciter esset tractandum de solo cultu ab immemorabili præstito: in primo siquidem casu Promotor extra processum potest omnia & quæcumque compilare, quæ suæ intentioni favere posse reputaverit; quod non sic se habet, quando ipse remanet obligatus ad purum & simplex examen cultus immemorabilis, cujus præcisa vis stat in tempore, & est nimium alligata processui a Postulatoribus exhibito.*

128. Enimvero præter processum difficultatem afferre videbatur, quod P. Arturus *in Martyrologio Franciscano ad diem 26. Augusti* scribit, Sanctum nempe hunc Liberatum, qui colitur in Conventu Fratrum Ordinis Minorum prope oppidum Sarnani diœcesis Camerinensis, & a quo vicini regio nomen accepit S. Liberati, zelo strictioris observantiæ summum Pontificem Cœlestinum V. adiisse una cum Petro de Macerata, ab eoque Pontificium impetrasse diploma, quo sibi, & sociis facultas dabatur operam navandi in reformatione Fratrum Minorum. Posito namque, quod hic Liberatus fuerit ille, qui a Cœlestino V. modo dictum Ordinem reformandi facultatem obtinuit, inferebatur, eumdem Sancti, vel Beati titulo neutiquam insigniri posse, utpote, Auctorem nefandæ hæresis *Fraticellorum*, & *Bizzocorum*, eumque, qui antea appellatus Petrus de Macerata, nomen hoc deseruit, & illud Liberati assumpsit, uti post Jordanum, cujus opus exrat in bibliotheca Vaticana, retulit Raynaldus *ad an.* 1294. *num.* 26. & *ad an.* 1331. *num.* 7.

129. Sed mirum est, quot fuerint rationes a Postulatoribus allatæ, quantaque earum momenta pro hujus objecti propulsatione. Dixerunt siquidem primo, nec Liberatum Maceratensem, nec ullum alium ex Ordine Seraphico, sed, probabilius loquendo, Hermannum quemdam cognomine Pangilupum fuisse Auctorem nefandæ sectæ *Fraticellorum*; quamadmodum late ostendit Antonius Hiqueus *in nitela Franciscanæ Religionis cap.* 1. *pag.* 77. & *cap.* 2. *pag.* 85. 86. & 87. Secundo, Liberatum Maceratensem nec hæreticum, nec apostatam fuisse, sed potius virum optimi nominis; sicuti testantur Auctores Franciscani, Marian. scilicet Florent. *lib.* 4. *pag.* 362. Rodulphus Tossinianensis *in historia Seraphicæ Religionis lib.* 2. *pag.* 180. Marcus Ulyssiponensis *in chronicis Fratr. Minor. part.* 2. *lib.* 5. *cap.* 27. Wadingus *tom.* 5. *ad an.* 1294. *num.* 9. & *tom.* 6. *ad an.* 1307. *num.* 3. Gubernat. *in orbe Seraphico tom.* 1. *lib.* 5. *c.* 5. quibus procul dubio major fides habenda est, quam Jordano, quem porro fine ullo examine vel delectu Raynaldus secutus est *ad an.* 1294. *num.* 26. Tertio, præsentem quæstionem respicere, non Liberatum de Macerata, sed Liberatum de Lauro; qui quidem duo Liberati nequaquam sunt invicem confundendi: Liberatus enim de Lauro in loco Suffiani vitam egit solitariam, tum corpus ejus a Conventu Brunfortiano translatum est ad locum, ubi nunc colitur, qui ab ejusdem nomine appellatus est Sancti Liberati; Liberatus vero Maceratensis obiit in Conventu Sancti Angeli de Vena prope Viterbium. Præterquamquod gesta unius minime conveniunt cum gestis alterius: veluti colligere est ex Mariano Florentino *in fasciculo chronicorum Ordinis Minorum lib.* 2. *cap.* 7. §. 7. & 8. *pag.* 186. & *seq.* necnon ex Wadingo *ad an.* 1307. *tom.* 6. & *ad an.* 1234. *tom.* 2. quibus respondet adnotatio ad marginem in autographo manuscripto *libri conformitatum* Bartholomæi Pisani, quod asservatur in Conventu Patrum Cappuccinorum oppidi de Lauro. Affirmarunt quarto, Arturum asserentem Conventui Brunfortiano nomen indictum a Liberato Maceratensi, profecto deceptum fuisse, utpote Auctorem Gallum, &, quod illis consequens videbatur, parum edo-

edoctum territoria Italiæ, & regesta, ac monumenta Ordinis, quæ tum in Piceno, tum Romæ extant. Quinto, celebriores Scriptores a Crescentio usque ad Pisanum retulisse, Sanctum quemdam Anonymum in dicto Conventu coli, quem Marianus, aliique ajunt esse S. Liberatum de Lauro. Denique Sanctum hunc Liberatum de Lauro cultum nactum fuisse immemorabilem in civitatibus & locis provinciæ Piceni, semperque similiter reputatum, ut Anonymum illum Sanctum, de quo sermonem fecerunt citati Auctores; quemadmodum ex documentis & testibus in processu existentibus colligi posse videbatur. Quæ scilicet omnia in sacra Congregatione exposita ac discussa sufficientia visa sunt ad decernendum, ne quid innovaretur super cultu etiam tum præstito Servo Dei Liberato de Lauro *Sancto* nuncupato.

§. XXXV.

De Beato GREGORIO Papa X.

LITTERÆ APOSTOLICÆ in forma Brevis Clementis Papæ XI.

CLEMENS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

130. *INjuncti Nobis cælitus Pastoralis officii solicitudo Nos urget, ut glorioſorum cæleſtis Jeruſalem civium, quorum ſapientiam narrant populi & laudem nunciat Eccleſia, illorumque potiſſimum, quos unigenitus Dei Filius gregis ſui Paſtores conſtituit ſecundum cor ſuum, quique in generationibus gentis ſuæ gloriam adepti placuerunt Domino in diebus ſuis, ac Fidei gubernaculum viriliter tenentes anchoram ſpei tranquilla jam in ſtatione compoſuerunt, plenamque cæleſtibus divitiis & æternis mercibus navem optato in litore collocarunt, venerationem & cultum promovere ſtudeamus in terris; ſicut pia Catholicorum Antiſtitum in partem ſolicitudinis noſtræ vocatorum, aliorumque Chriſtifidelium, ac præſertim pietate non minus, Chriſtianiſque virtutibus, quam generis ſplendore fulgentium vota poſtulant, & Nos ad omnipotentis Dei gloriam, Catholicæ Eccleſiæ decus & præſidium, ſpiritualemque Fidelium populorum ædificationem ac devotionem fovendam conducibile fore in Domino arbitramur. Cum itaque alias in Congregatione tunc exiſtentium S. R. E. Cardinalium ſacris ritibus præpoſitorum proceſſus Auctoritate Apoſtolica conſtructi ſuper virtutibus & miraculis in ſpecie ſel. record. B. Gregorii Papæ X. prædeceſſoris noſtri exhibiti fuerint, illorumque validitate de more examinata, ac die 9. Januarii 1630. ad relationem bon. mem. Coſmi, dum vixit, ejuſdem ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalis de Torres nuncupati reſpective approbata, ſucceſſive, nempe die 4. Maji ejuſdem anni, ab eadem Congregatione Cardinalium favorabile reſcriptum emanaverit, conſtare de virtutibus heroicis; deinde vero ad humillimas preces venerabilis Fratris Benedicti Epiſcopi Aretini, etiam nomine dilectorum Filiorum Communitatis & hominum civitatis Aretinæ, necnon Antonii Mariæ Bonucci Presbyteri Regularis expreſſe Profeſſi Societatis Jeſu ejuſmodi cauſæ Poſtulatoris, per dilectum Filium noſtrum Ferdinandum ſupradictæ ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Presbyterum Cardinalem de Abdua nuncupatum, in locum ſimilis memoriæ etiam, dum vixit, Franciſci prædictæ ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalis Montalti nuncupati, qui anno 1642. in locum ejuſdem Coſmi Cardinalis ſubrogatus fuerat, deputatum propoſito dubio in eadem Congregatione Cardinalium die 11. Februarii proxime præteriti ſuper ſignatura Commiſſionis reaſſumptionis cauſæ ad formam noviſſimorum decretorum recol. mem. Innoc. Papæ XI. itidem prædeceſſoris noſtri, reſponſum fuerit, eſſe locum ſignaturæ Commiſſionis reaſſumptionis cauſæ, prout per Nos ſignata fuit, cum facultate videndi & examinandi, an ex ſupradictis proceſſibus Apoſtolicis, ſicut præmittitur, confectis conſtaret, de caſu excepto a decretis piæ mem. Urbani Papæ VIII. ſimiliter prædeceſſoris noſtri, & de eorum paritione, ſive de cultu publico & immemorabili dicto B. Gregorio Papæ X. exhibito; demumque, in hujuſmodi Commiſſionis ſequelam propoſita cauſa per eumdem Ferdinandum Cardinalem ſuper prædicto dubio, illoque in prædicta ordinaria Congregatione Cardinalium diſcuſſo, ipſa ſacra Congregatio, audito prius tam ſcripto quam voce dilecto Filio Magiſtro Proſpero de Lambertinis in utraque Signatura noſtra Referendario Fidei Promotore, reſpondendum eſſe cenſuerit, conſtare de cultu immemorabili, ſeu de caſu excepto a prædictis Urbani prædeceſſoris decretis: Hinc eſt, quod Nos non modo piis devotiſque Benedicti Epiſcopi, ac Communitatis & hominum, necnon Antonii Mariæ prædictorum, ſed etiam enixis noviſſime additis dilecti Filii Nobilis Viri Coſmi Etruriæ ſibi ſubjectæ Magni Ducis ſupplicationibus Nobis ſuper hoc humiliter porrectis favorabilem aſſenſum, quantum cum Domino poſſumus, præbere cupientes, & eorum ſingulares perſonas a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis a jure vel ab homine quavis occaſione vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatæ exiſtunt, ad effectum præſentium duntaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutas fore cenſentes, decretum a prædicta Cardinalium Congregatione editum, ut præfertur, quod ſcilicet de cultu immemorabili eidem B. Gregorio Papæ X. exhibito, ſeu de caſu excepto a decretis prædicti Urbani prædeceſſoris conſtet, Apoſtolica auctoritate tenore præſentium confirmamus & approbamus, illique inviolabilis Apoſtolicæ firmitatis robur adjicimus; ſalva tamen ſemper in præmiſſis auctoritate memoratæ Congregationis Cardinalium: Decernentes, eaſdem præſentes litteras firmas validas & efficaces exiſtere, ſuoſque plenarios & integros effectus ſortiri & obtinere, ac illis, ad quos ſpectat & ſpectabit in futurum, plenisſime ſuffragari, & ab eis reſpective inviolabiliter obſervari; ſicque in præmiſſis per quoſcumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam cauſarum palatii Apoſtolici Auditores, judicari & definiri debere; ac irritum & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam quavis auctoritate ſcienter vel ignoranter contigerit attentari: Non obſtantibus Conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ceteriſque contrariis quibuſcumque. Volumus autem, ut ipſarum litterarum tranſumptis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in Eccleſiaſtica dignitate conſtitutæ munitis eadem prorſus fides in judicio & extra illud habeatur, quæ haberetur ipſis præſentibus, ſi forent exhibitæ vel oſtenſæ. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem ſub annulo Piſcatoris die 11. Septembris 1713. Pontificatus noſtri anno XIII.*

131. Obiit B. Gregorius X. circa annum Domini 1276. eoque defuncto aſſumptus fuit ad Pontificatum Petrus de Tarentaſia Frater Ordinis Prædicatorum, qui ſibi Innocentii V. nomen impoſuit; ſed qui vix quinto poſt menſe ex hac vita migravit. Statim autem ut B. Gregorius occubuit, nonnulla ejus interceſſione a Domino patrata ſunt miracula; & ita quidem, ut ſedente adhuc Innocentio V. ex eis aliqua deſcripta fuerint in quodam codice, ſive tabella exiſtente in Vaticana bibliotheca, ſignata *num.* 3457. in qua hæc habentur: *In nomine Domini, amen. Anno Domini* 1276. *indictione quarta, Domino Innocentio V. Papa reſidente, infraſcripta ſunt miracula, quæ Dominus Jeſus Chriſtus fecit meritis B. Gregorii Papæ X. in perſonis infraſcriptis, quæ ſe cum reverentia obtulerunt B. Gregorio ſupradicto.* Ipſa vero in eadem tabula exarata miracula exponuntur apud Raynaldum *ad an.* 1267. *n.* 3. itemque apud Bzovium *ad eumdem annum num.* 2. Ideo plerique Hiſtorici referunt, eumdem Innocentium V. Beatificationis honorem indulſiſſe B. Gregorio Papæ X. Volaterranus enim *comment. Urban. lib.* 22. *col.* 650. de hoc ait: *Moritur Aretii in itinere, ibique ſepultus, atque ut vir Sanctus adoratus.* Bartholomæus Piſanus *lib.* 1. *conformitatum S. Franciſci fruct.* 8. aſſerit, ipſum Gregorium canonizatum fuiſſe in diœceſi Aretina: quod & confirmat Robertus Licienſis Epiſcopus Aquinas *in ſermone de S. Bonaventura, chronic. Fratr. Minor. part.* 2. *lib.* 2. *cap.* 7. Hippolytus autem Donemundus *hiſtor. Mantuan. lib.* 4. apertius narrat, Gregorium X. fuiſſe beatificatum ab Innocentio V. Silveſter Petraſancta *in vita Latine deſcripta Gregorii Papæ X. pag.* 40. ita habet: *Affirmant Scriptores graviſſimi, Divinos honores ei decreviſſe Innocentium V. qui proxime ei ſucceſſit*; & Oldoinus *in addit. ad Ciacon. in vita Gregorii X. tom.* 2. *col.* 190. *Affirmant nonnulli, Divinos honores Gregorio decreviſſe Innocentium V. qui proxime illi ſucceſſit &c. Interpretor equidem oraculo ſuo privato tantummodo Innocentium V. annuiſſe, ut Gregorio X. eſſet veneratio.*

132. Hæc itaque circa annum 1276. contigerunt: ad poſteriora vero tempora deſcendendo, civitas Placentina circa annum 1326. ſummo Pontifici Joanni XXII. in civitate Avenionenſi commoranti ſupplicavit, ut cauſam Canonizationis Gregorii Papæ X. aliquibus committeret Epiſcopis, prout commiſſa fuit Archiepiſcopo Piſano, Epiſcopo Mutinenſi, & Bindo de Senis Præpoſito Eccleſiæ Colonienſis. *Commiſſio* iſta autographa extat in bibliotheca Vaticana, eadem typis impreſſa eſt apud Raynaldum *ad an.* 1326. *n.* 32. hiſce verbis incipiens:

piens: *Dudum ex parte dilectorum Filiorum Jacobini de Ponte Canali pro Romana Ecclesia Rectoris ac Prioris Antianorum, & ipsorum Antianorum, necnon Consilii & Communis civitatis Placentiæ coram Nobis, & Fratribus nostris propositum extitit, quod fel. record. Gregorius Papa X. prædecessor noster, dum viveret, nitore sanctitatis emicuit, conversatione resplenduit, ac multis magnisque tam ante quam post suum obitum miraculis coruscavit: quare pro parte ipsorum fuit Nobis humiliter supplicatum, ut, de ejusdem Gregorii vita & miraculis inquisitione præmissa, si reperiremus, præmissa veritate fulciri, eum adscriberemus Sanctorum catalogo, ipsumque faceremus per universas Ecclesias honore congruo solemniter venerari &c.*

133. Item memorans sanctitatem vitæ Gregorii X. Joannes Andreas celeberrimus Jurisconsultus, qui mortuus est circa annum 1343. meminit etiam *Commissionis* signatæ, & inscriptæ, ut diximus, Archiepiscopo Pisano, atque Episcopo Mutinensi, cum *in commentar. ad cap. Ubi periculum, num. 1. de elect. in 6.* hæc habet: *Mortuo Clemente IV. vacavit Ecclesia annis tribus, mensibus duobus, & decem diebus; & tunc electus fuit Gregorius Auctor hujus Decretalis. Merito igitur causam habuit providendi; attribuitur sibi, qui fecit valde commendabilem promotionem quinque Cardinalium: quod intentus eleemosynis lucra contempsit: sepultus est Aretii: & de ipsius Canonizatione tractatur, & jamdin Pisano, & Mutinensi commissa fuit inquisitio.*

134. Probabile admodum est, quod Pisanus, & Mutinensis processum confecerint, & ad Urbem miserint; etsi is minime reperitur, nec est unquam repertus sive in civitate Aretina, sive in Vaticana bibliotheca, sive in archivo sacræ Congregationis. Scilicet tantummodo an. 1345. Commune & Consilium civitatis Aretinæ decreverunt, ut annis singulis expenderentur in festum ejusdem Gregorii ex reditu Communitatis centum libræ pro cereis ecclesiæ Cathedrali offerendis; ut Potestas teneretur præconio per civitatem edicere, ne ipso die festo Gregorii X. officinæ ac tabernæ paterent, quod esset dies ipse feriatus: demum ut mitterentur duo Fratres de Minoribus, & duo de Prædicatoribus ad Urbem pro stimulis addendis ipsius Gregorii Canonizationi: sicuti de his hominibus constat ex statutis dicto anno *lib. 2. sub rubrica* 39. necnon ex aliis statutis postmodum reformatis, hoc est statuto tertio *sub tit. de ordinariis oblationibus*, & statuto sexto *sub tit. de feriis*. Sed id ipsum signum evidentissimum est processus a Commissariis conditos fuisse, licet, juxta nuper monita, nunquam reperiri potuerint; ut adnotatur pariter in relatione hujus causæ ad summum Pontificem Gregorium XV. composita a Petro Maria Campo Canonico Placentino, & Placentiæ typis impressa anno 1667. *tit. de Actis causæ & processibus*: *Cum autem certissimum sit, de anno 1326. ad instantiam Placentinorum civium per Joannem Papam XXII. commissam fuisse causam inquisitionis vitæ & miraculorum Gregorii Papæ X. Archiepiscopo Pisano, & Episcopo Mutinensi, haud dubium esse potest, quin & Delegati nedum inceperint processum & Acta, sed etiam perfecerint; licet ea ad præsens forte non reperiantur in Vaticano, nec Aretii.*

135. Quia vero idem est, quod processus nequaquam confectus fuerit, quodque fuerit quidem confectus, sed non reperiatur; propterea circa annum 1623. opus fuit novum construere processum auctoritate ordinaria, itemque alios auctoritate Apostolica. His autem vix ad Urbem missis, atque adeo nondum apertis, venit in mentem Postulatoribus, supplicare pro Officio ac Missa; quorum supplex libellus typis impressus est apud Castellinum *de certitud. glor. SS. pag.* 457. Veruntamen sacra Congregatio eorum precibus annuere noluit, sed sapientissime mandavit, ut procederetur via ordinaria: *Archiepiscopus Colonienſis supplicavit Sanctissimo pro Officio & Missa Gregorii X. pro quo obtinendo multa adducit exempla. Et, re ad sacrorum rituum Congregationem remissa, sacra Congregatio respondit, Nihil. Die 7. Novembris* 1626. quemadmodum & die 12. Decembris ejusdem anni, occasione litterarum Ducum Parmensium a Sanctissimo ad sacram eamdem Congregationem remissarum, in quibus iterata continebatur supplicatio pro Officio ac Missa Gregorii X. cum allegatione multorum ejusmodi exemplorum, necnon rationum a Placentinis suggestarum, sacra ipsa Congregatio responsum dedit, jam fuisse decretum, ut procederetur via ordinaria.

136. Post hæc igitur Postulatores viam ordinariam ingressi sunt: & sane, præmissis præmittendis in sacra Congregatione, uti mos erat illius temporis, commissa fuit causa tribus senioribus Rotæ Auditoribus; idque anno 1627. *Præsentata Commissione committendi Rotæ Auditoribus causam, & examen processuum Gregorii X. & facta instantia pro illius executione, sacra rituum Congregatio commisit tribus Rotæ Auditoribus, videlicet Reverendiss. Dominis Coccino Decano, Manzanedo, & Pirovano.* Spatio biennii fuit causa examinata in Rotæ Auditorio, & profecto maxima cum diligentia, quoad, mortuo, sive ad Episcopatum translato Manzanedo, in ejusque locum suffecto Merlino, comparuerunt tandem anno 1629. ipsi Rotæ Auditores in sacra rituum Congregatione, suamque in scriptis exhibuerunt relationem: *Comparuerunt in sacra Congregatione Domini Auditores Rotæ, nempe Coccinus Decanus, Pirovanus, & Merlinus, & præsentarunt relationem processuum Servi Dei Gregorii X. Placentini, & Ancillæ Dei Catharinæ de Riccis Aretinæ, prout idem asseruerunt seciſſe jam Sanctissimo Domino nostro:* quæ relatio formis excusa fuit in eleganti historia B. Gregorii X. composita a bon. mem. Patre Antonio Maria Bonuccio Societatis Jesu Presbytero, & Romæ edita anno 1712.

137. Exhibita a Rotæ Auditoribus hujus causæ relatione, cum in ea *formaliter* admitteretur validitas processuum, & una cum miraculis admitterentur virtutes, necnon approbarentur in gradu heroico, ita ut ejusdem relationis Rotalis conclusio sit ista: *Hæc habuimus, Beatissime Pater, quæ de B. Gregorii X. processibus, vita, virtutibus, ac miraculis docenda proposuimus; ex quibus sæpe expensis, canoniceque confectis, referri posse Beatum virum in Sanctorum numerum, rite censuimus:* ipsius relationis examen delatum fuit ad sacram rituum Congregationem, quæ porro approbavit validitatem processuum, necnon virtutes in gradu heroico, quemadmodum desumitur ex sequentibus decretis editis anno 1630. Primum id est: *Cum in causa Beatificationis Gregorii X. fuisset subscriptum dubium, An constet de validitate processuum, & ad hoc citato in tempore & intimato Promotore Fidei ad opponendum, ad relationem Illustriss. Torres sacra Congregatio respondit, Constare de validitate processuum.* Alterum autem conceptum est hisce verbis: *Eodem Illustriss. Torres referente causam Canonizationis Servi Dei Gregorii X. super virtutibus, prævio tamen rescripto Sanctissimi Illustrissimo Domino Cardinali de Torres directo per hæc præcisa verba „ Al Signor Cardinale de Torres, che, stante si tratta della Canonizzazione d' un Pontefice antico, e che si doveva proporre questa causa, non manchi di proporla con quella del Padre Regalato, non ostante il decreto in contrario: ma che ciò non passi altrimenti in esempio " citato prius & intimato de more Promotore Fidei, qui, se nihil habere in contrarium, professus est; sacra rituum Congregatio respondit, Constare de virtutibus.*

138. Terminato judicio super virtutibus, transitus factus est ad discussionem miraculorum: sed, quoniam inter miracula, quæ examini subjiciebantur, aliqua aderant ex descriptis in tabella supra memorata, Fidei Promotor ita opposuit sese *identitati* tabellæ, probationi miraculorum, eorumdemque *relevantiæ*; ut, licet validissime a Postulatoribus responsum fuerit, nullo tamen pacto in sacrorum rituum Congregatione perfectum fit alterum istud de miraculis judicium, & idcirco ab anno 1645. ad nostra tempora causa hæc ipsa ulteriorem progressum neutiquam fecerit. Interea vero, quia, dum Fidei Promotoris munere fungebar, iterum de eadem causa agi cœpit, me animadvertente, quod a decretis summi Pontificis Urbani Papæ VIII. prohibentibus cultum erga eos, qui nec beatificati sunt, nec a sancta Sede canonizati, illi exciplebantur, quibus per centum annos ante editionem decretorum cultus publicus exhibebatur, sed simul præscribebatur, ne in istorum causis procederetur ad ulteriora, nisi prius constaret vel de non cultu, vel de cultu immemorabili, etiamsi processus conditi essent ante promulgationem eorumdem decretorum, & consequenter, quod opus erat *Commissione* resumptionis causæ in statu & terminis, necnon approbatione cultus immemorabilis: hac etiam in causa *Commissionem* resumptionis in statu & terminis expediri, cultusque immemorabilis approbationem obtineri oportuit. Porro, etsi juxta leges decretorum generalium præcedere debuisset processus peculiaris super obedientia decretis ipsis præstita una cum sententia Judicis ordinarii, vel delegati; nihilominus, cum in processibus jam confectis super virtutibus & miraculis plura essent apta nata ad evincendum cultum immemorabilem, nec de processuum validitate

quæstio ulla subesse posset, utpote quæ jam fuerat solemniter approbata tum in judicio Rotali, tum in alio subsequenter peracto in sacra rituum Congregatione; ex his, & specialibus aliis circumstantiis in *Commissione* signata a summo Pontifice concessum fuit, ut ex processibus Apostolicis jam confectis super virtutibus & miraculis videretur, an constaret de casu excepto ab Urbani decretis, atque adeo eorum duntaxat processuum ope, & sine ulla præcedenti Judicis delegati sententia, sacra Congregatio ad cultus immemorabilis approbationem devenit.

139. Hujus Beati Pontificis vita conscripta fuit a quodam Auctore anonymo circa annum 1290. tum edita a Petro Maria Campo *ad calcem 2. partis histor. civit. Placent.* sed novissime, ut paulo ante monuimus, alia ejusdem Pontificis vita typis impressa fuit ab Antonio Maria Bonuccio e Societate Jesu causæ Postulatore, ad cujus calcem relatio auditorum Rotæ refertur; & in hac infiniti propemodum Scriptores tum exteri, tum Itali reperiuntur testimonium perhibentes de tanti Pontificis sanctitate.

140. Omitti autem sequentia testimonia non possunt; id est primum S. Ludovici Regis Franciæ, quod habetur *in cit. vita* (*2. part. histor. civit. Placent. pag.* 344.) *Illo quoque tempore Ludovicus Rex Francorum, Princeps Christianissimus, virtutum vas, Fidei speculum, & elegans totius bonæ operationis exemplar ipsum Archidiaconum adeo diligebat ac venerabatur eumdem, ut mirarentur quampluves, quod tam excellentissimus Rex uni Clerico in magna non posito dignitate tantum honorem impenderet, tantamque reverentiam exhiberet. Ipse tamen Rex sciebat, quid faciebat: nam tot audierat, & certitudinaliter visu perceperat de eodem, quod, ipsum esse templum Dei & habitaculum Spiritus sancti, pro firmo tenebat; sicque per ipsum & in ipso reverebatur illum, qui, quod uni fit ex minimis, sibi asserit esse factum.*

141. Deinde unicuique, qui Ecclesiasticam historiam vix e limine salutaverit, compertus est modus ille mirabilis, quo Beatus ipse Gregorius X. in Palæstina degens, nec Cardinalitia dignitate præfulgens, ad summum Pontificatum evectus est. Compromissum nempe, & ejus electio per compromissum ex Vaticanis regestis deprompta formis excusa sunt *in alleg. part. 2. histor. civitat. Placent. pag.* 408. *pag.* autem 409. exhibetur epistola sacri Collegii ad ipsum electum, & in Palæstina, ut diximus, degentem, in qua scilicet epistola illustre hoc continetur: *Vos per compromissi viam elegimus in Romanum summum Pontificem &c. ducti credulitate firmissima, quod, cum in Vobis ab annis teneris laudabilis conversationis & vitæ resulserint ornamenta, & odor famæ vestræ gratissimus hinc inde per loca plurima sit diffusus, ille benedictus in sæcula, qui Vos dignanter in suum assumpsit Vicarium, & in Christiani populi Patrem ac Dominum gratiosum, de vestris sanctis dabit provenire meritis, quod in statum prosperum & jucundum resurgat Ecclesia generalis.*

142. Demum S. Antoninus, qui mortuus est anno 1459. ita de B. Gregorio X. loquitur *in 3. part. suarum historiarum tit. 20. cap. 2. §. 4. Fuit autem vir optimus, & procul dubio sanctissimus, ingentis animi quidem contra Christiani nominis inimicos, & qui sacræ recuperationem Terræ semper meditaretur, ad eamque unam rem Christianos omnes, positis inter se contentionibus, intendere debere censebat. Ea de causa fiebat, ut studia partium, quæ plerique Romani Pontifices antea foverant, ipse quidem propellere longe, detestarique videretur. Sepultus est Aretii summa cum veneratione, multaque circa illius corpus miracula postmodum subsecuta fidem ejus sanctitatis indubiam præbuere.* Nec omittendum videtur elogium, quo ejus nomen edicitur ex Martyrologio Ecclesiæ Aretinæ, quodque editum est apud Bzovium *ad an. 1276. n. 3. Apud Aretium Tusciæ civitatem depositio corporis Beatissimi Gregorii Papæ X. de nobili genere Vicecomitum de Placentia; qui, cum esset Archidiaconus Leodiensis, existens in civitate Achonensi cum Christianis contra Saracenos, a Cardinalibus in civitate Viterbiensi miraculose fuit electus in Papam, & cum summo honore Romæ coronatus. Fecit autem Lugduni solemne Concilium, ubi inter alia cum Imperatore, & multis Regibus, & Baronibus pro recuperanda Terra sancta passagium ordinavit, & personaliter illuc iter arripiens, & præcedens. Anno Domini 1276. in civitate Aretii migravit ad Dominum, sepultusque est in ecclesia Cathedrali.*

§. XXXVI.

De Beato ALEXIO FALCONERIO uno ex Fundatoribus Ordinis Servorum Matris Dei.

DECRETUM.

Florentina Canonizationis Beati Alexii de Falconeriis ex septem Fundatoribus Ordinis Servorum Beatæ Mariæ Virginis.

143. *Signata a san. mem. Clemente Papa IX. commissione causæ Canonizationis B. Alexii de Falconeriis in statu & terminis, in quibus eadem reperiebatur, & illius executionem vigore litterarum remissorialium, & compulsorialium de anno* 1700. *annuente etiam Sanctissimo, expeditarum, constructo auctoritate Apostolica processu particulari in civitate Florentina super cultu ab immemorabili tempore dicto Beato præstito, & super casu excepto a decretis san. mem. Urbani Papæ VIII. in Congregatione sanctissimæ Inquisitionis editis, ac prolata sententia a Reverendiss. Archiepiscopo Florentino Judice a sacra Congregatione delegato, eaque promulgata super eodem cultu ab immemorabili tempore ipsi Beato præstito; nunc ad humillimas enixasque preces Postulatorum hujusmodi causæ (attenta absentia Eminentiss. & Reverendiss. Domini Cardinalis Fabroni Ponentis) proposito per Emineatiss. & Reverendiss. Dominum Cardinalem Ptolemæum dubio in prædicta sacra Congregatione, An sententia Reverendiss. Archiepiscopi Florentini Judicis delegati lata super casu excepto a decretis fel. record. Urbani Papæ VIII. sive super cultu publico ab immemorabili tempore eidem Beato præstito sit confirmanda in casu &c. & ad effectum, de quo agitur; sacra eadem rituum Congregatio, audito prius tam in scriptis quam in voce R. P. D. Prospero de Lambertinis Fidei Promotore, referendum censuit, Affirmative, si Sanctissimo Domino nostro visum fuerit. Die* 20. *Novembris* 1717.

Factaque deinde per me Secretarium de prædictis Sanctissimo Domino nostro relatione, Sanctitas sua (Clemens videlicet XI.) *benigne annuit, die* 1. *Decembris ejusdem anni* 1717.

144. Beatus Alexius ex nobili Falconeriorum familia mortuus est anno 1310. dum ætatis agebat annum 110. Fuit unus ex septem Fundatoribus Servorum Matris Dei; de ejusque virtutibus, & laudabili conversatione, abstinentiis, atque macerationibus plura habentur in opere Petri de Tuderti Prioris Generalis Ordinis Servorum, qui cum fuerit contemporaneus Beato ipsi Alexio, *in cap. 5. ejusdem operis* hæc habet: *Fuerunt ergo septem Viri, & tantæ, ut prædictum est, perfectionis extiterunt, ut per eos suum Domina Ordinem dignum duxerit inchoare. Horum autem nullum, cum nostrum Ordinem introvi, reperi corporaliter supervivere, præter unum, qui Frater Alexius, de quo supra mentionem fecimus, vocabatur. Hunc autem Fratrem Alexium placuit Dominæ nostræ particulariter usque ad nostra tempora a corporea morte liberum conservare, quatenus, ipso referente, originem nostri Ordinis haberemus, & in fratribus sibi usque ad diem Judicii in nostro Ordine succedere debentibus dictæ originis memoriam haberemus.* Insuper codex exhibitus est in processu confecto super Alexii cultu immemorabili, qui, testibus peritis Scriptoribus, habitus est ut exaratus anno 1325. sicut & Petrus Nicolaus Pistorienfis Ordinis Servorum quasdam adnotationes litteris mandavit, quarum particulæ in processum prædictum insertæ, Peritis pariter existimantibus, conscriptæ fuerunt anno 1384. ubi porro legitur, Beatum Alexium præ animi moderatione noluisse ad Sacerdotium ascendere, & illibatum virginitatis florem usque ad mortem conservasse: præter ea, quæ plene de ipso relata sunt in vitis aliquorum Beatorum Ordinis Servorum conscriptis anno 1400. a Nicolao Burghesio Equite, & in opere, cui titulus, *De origine Ordinis Servorum*, compositio eodem anno 1400. a Thaddæo Adamario. Alia demum opera manuscripta, Cosmi videlicet Favillæ *de origine & Ordine Servorum*, & Raphaelis Maphæi Servitæ *de viris illustribus Ordinis Servorum* (quorum primum anno 1508. alterum anno 1550. Peritis consentientibus, exaratum est) egregias B. Alexii virtutes latissime persequuntur. Quibus porro omnibus cum additi fuerint Auctores recentiores, qui typis libros ediderunt, necnon testes secundum juris solemnitatem examinati, & alia plura monumenta comprobantia, fuisse cultum

illi

illi adhibitum a tempore immemorabili, merito ab Archiepiſcopo Florentino Judice delegato ſententia lata eſt ſuper caſu excepto, quæ deinde in ſacra Congregatione, annuente ſummo Pontifice, confirmationis robur obtinuit, juxta ſenſum decreti ſupra recenſiti.

145. Beatus Alexius patruus fuit S. Julianæ de Falconeriis, cujus cultus immemorabilis fuit ab Apoſtolica Sede approbatus anno 1678. in cujuſque cauſa tranſitus ſubinde factus eſt, dum munere fungebar Fidei Promotoris, ad diſcuſſionem dubii ſuper virtutibus & miraculis.

§. XXXVII.

De Beato SERAPHINO de ASCULO, ſive de MONTE GRANARIO Laico Profeſſo Ordinem Minorum Capuccinorum S. Franciſci.

DECRETUM.

Aſculana Canonizationis Beati Seraphini de Aſculo, ſive de Monte Granario Laici Profeſſi Ordinis Minorum Capuccinorum S. Franciſci.

146. *Conſtructo auctoritate Apoſtolica in cauſa Canonizat. B. Seraphini prædicti proceſſu ſuper cultu publico eidem Beato præſtito, ſive ſuper caſu excepto a decretis ſan. mem. Urbani Papæ VIII. ejuſque examine ad inſtantiam Poſtulatorum hujuſmodi cauſæ per Eminentiſs. & Reverendiſs. Dominum Cardinalem Barberinum Ponentem in ſacrorum rituum Congregatione propoſito diſcuſſoque dubio, An ſententia Judicis a ſacra Congregatione lata ſuper caſu excepto a decretis ſan. mem. Urbani Papæ VIII. ſit confirmanda in caſu & ad effectum, de quo agitur; ſacra eadem rituum Congregatio, audito prius tam in ſcriptis quam in voce R. P. D. Proſpero de Lambertinis Fidei Promotore, reſcribendum cenſuit, procedi poſſe ad ulteriora, ſi Sanctiſſimo Domino noſtro viſum fuerit. Die 11. Martii anni 1719.*

Factaque deinde per me Secretarium de prædictis Sanctiſſimo Domino noſtro relatione, Sanctitas ſua (hoc eſt Clemens XI.) *benigne annuit, die 19. Aprilis ejuſdem anni* 1719.

147. Obiit Beatus hic Seraphinus juxta Boverium anno 1604. qui de eo ſic loquitur *tom. 2. annal. Ord. Capuc. ad dictum an. pag.* 718. *Jam vero ex Piceni provincia vir illuſtriſſimus & immortali memoria dignus Seraphinus a Monte Granario Laicus tot triumphis clarus inter Religionis ſidera emicat, ut tamquam novum Chriſti prodigium omnium in ſe haud immerito oculos convertat: tot enim cæleſtium virtutum luce, tanto ſanctimoniæ ſplendore, tam denique ingenti ſignorum ac miraculorum copia & majeſtate fulget, ut ſi cæleſtem virum prædicavero, haud ſatis dixerim, ſin Angelicum, neque æquam ipſius laudem attigerim, niſi ex indito illi nomine, cui & ipſa præclara geſta reſpondent, Seraphicum tandem appellavero: quo fit, ut in his explicandis, tametſi, rerum materia exuberante, paulo longior hiſtoria uti compellar, ab inſtituta tamen brevitate haudquaquam ſim receſſurus.* Poſt quod exordium rerum a Beato geſtarum narrationem proſequitur. Virtutum ipſius teſtimonium habetur pariter apud Sebaſtianum Andreantonellum *in hiſtoria Aſculana lib.* 4. & apud Ardinghellum *in appendice congemin. voc. Turtur, de florentiſſ. vin. S. Franciſci oſten.* 4. *pag.* 31. Sed latius ejus vitam & miracula ex antiquis monumentis retulit Pater Petrus Benedictus Joannius Ordinis Capuccinorum: præterquamquod in Martyrologio Franciſcano Arturi *ad diem* 16. *Octobris* ita ejuſdem memoria recolitur: *Aſculi in Piceno Beati Seraphini de monte Granario, Confeſſoris, virtutibus & ſignis conſpicui.*

148. Ab anno 1604. ad 1634. quo editum eſt Breve ſanctiſſimæ Inquiſitionis decreta confirmans, tempus centum annorum metam excedens elapſum non eſt: quocirca ſacræ rituum Congregationis judicium minime innixum fuit cultui immemorabili, ſed indultis a ſummis Pontificibus, & a ſacra Congregatione Inquiſitionis. Probarunt etenim Poſtulatores, quod delata ad Urbem notitia miraculorum, quæ Beati interceſſione Deus operari dignabatur, ſummus Pontifex Paulus V. anno 1610. media Congregatione ſanctiſſimæ Inquiſitionis, indulſit, ut ante ejus ſepulcrum lampas accenſa maneret. Idem refert Boverius *in cit. annal. pag.* 743. *Anno* 1610. *ſacra ſanctæ Inquiſitionis Congregatione annuente, lampas ante illius ſepulcrum ardens ſtatuitur, quo tempore tot ſigna multiplicari cæperunt, ut non ſolum ex Piceno, ſed & ex remotioribus Aprutii, & Inſubrii, & Galliæ Subalpinæ partibus vota ad illius ſepulcrum mitterentur, quæ miracula ſancti hujus viri merito patrata teſtabantur.* Indultum a Paulo V. exceptum fuiſſe ab alio Urbani VIII. item probarunt. Nam, etſi circa annum 1624. decreta prodiiſſent, ne publicus cultus præſtaretur Servis Dei non beatificatis, nec ab Apoſtolica Sede canonizatis, Sigiſmundo tamen Donato Epiſcopo Aſculano, qui ad viſitanda Apoſtolorum limina anno 1625. Romam acceſſerat, ſummo Pontifici exponente, non poſſe ſine ſcandalo cultum a ſepulcro B. Seraphini amoveri, utpote ad quod utriuſque ſexus Chriſtifidelium ex omni natione fiebat concurſus, Pontifex ipſe ex ſpeciali gratia conceſſit, ut nihil quoad eumdem Beatum innovaretur, utque prædicti publici cultus eidem facta exhibitio eſſet toleranda. Denique, cum anno 1634. memoratus Urbanus per ſuas litteras Apoſtolicas in forma Brevis decreta antea edita confirmaſſet & ampliaſſet, quia nonnulli exiſtimarunt, tolerantiam ſuper recenſitam ceſſaſſe, votiva idcirco & donaria ad ſepulcrum appenſa cœpta ſunt amoveri: quibus ex novo ſacræ rituum Congregationis reſcripto in antiquo loco repoſitis, cultus exinde pacifice ſemper perſeveravit. Addendum, in cauſa Canonizationis hujus Beati nonnullos proceſſus Apoſtolicos fuiſſe confectos.

§. XXXVIII.

De Beata HUMILITATE Faventina.

DECRETUM.

Florentina, ſeu Faventina Canonizationis Beatæ Humilitatis Abbatiſſæ, & Fundatricis Monialium Congregationis Vallis Umbroſæ.

149. *Admiſſa ad relationem Eminentiſs. & Reverendiſs. Domini Cardinalis Fabroni Ponentis ſeu Relatoris cauſæ Beatificationis & Canonizationis Venerabilis Servæ Dei Humilitatis prædictæ Beatæ nuncupati, a ſacrorum rituum Congregatione ordinaria ex diſpenſatione Apoſtolica abſque interventu Conſultorum habita die 5. Decembris* 1716. *Commiſſione reaſſumptionis hujuſmodi cauſæ, illaque ſubinde die 27. Aprilis* 1718. *a Sanctiſſimo Domino noſtro Clemente Papa XI. ſignata etiam cum facultate videndi & examinandi antiquos proceſſus remiſſoriales Florentinum, & Faventinum in vim Commiſſionis de anno* 1628. *auctoritate Apoſtolica conſtructos, an ex prædictis proceſſibus, ut ſupra, confectis conſtet de caſu excepto a decretis ſel. record. Urbani Papæ VIII. ſive de cultu publico & immemorabili eidem exhibito; in cujus ſequelam ad humillimas modo preces Patris Magiſtri Domni Dominici Felicis Baleſtra Abbatis & Procuratoris Generalis Congregationis Vallis Umbroſæ Ordinis S. Benedicti & hujuſmodi cauſæ Poſtulatoris, idem Eminentiſs. & Reverendiſs. Dominus Cardinalis Fabronus in ſacrorum rituum Congregatione ordinaria infraſcriptum dubium propoſuit, An conſtet de cultu ab immemorabili tempore præfatæ Beatæ exhibito, & caſu excepto a decretis ſel. record. Urbani Papæ VIII. in caſu &c. ſacra eadem rituum Congregatio, tam in ſcriptis quam in voce R. P. D. Proſpero de Lambertinis Fidei Promotore audito, & perpenſis omnibus, quæ ex ſupra recenſitis proceſſibus reſultabant, ceteriſque documentis in hac cauſa deductis mature diſcuſſis, reſcribendum cenſuit, Affirmative, ſi Sanctiſſimo Domino noſtro viſum fuerit. Die 9. Decembris* 1719.

Factaque deinde per me Secretarium de prædictis Sanctiſſimo Domino noſtro relatione, Sanctitas ſua benigne annuit, die 27. Januarii 1720.

150. Mortua eſt hæc Beata anno 1310. Tempore autem antiquo confecti fuere ſuper ejus virtutibus & miraculis proceſſus ab Archiepiſcopo Florentino; quibus ad ſacrorum rituum Congregationem miſſis, ſignata fuit ab Urbano VIII. anno 1628. *Commiſſio* introductionis. Expeditis idcirco litteris *remiſſorialibus*, conſtructi ſubinde fuerunt, ut etiam decretum allatum monet, auctoritate Apoſtolica duo proceſſus, alter Faventiæ, Florentiæ alter; quibus pariter ad ſacram eamdem Congregationem anno 1630. miſſis, cauſa tum ſiluit uſque ad annum 1716. Itaque hoc anno cum Poſtulatores agnoverint, neceſſariam eſſe *Commiſſionem* reſumptionis docendi cauſa, paritum fuiſſe decretis intermedio tempore latis ab Urbano VIII. pro eadem ſupplicarunt die 5.

Decembris ejusdem anni: qua porro impetrata, actum fuit de Humilitatis cultu immemorabili, non vero per novum processum peculiarem atque distinctum, sed ex gratia speciali, instar alterius concessæ in causa B. Gregorii Papæ X. per processus jam confectos super virtutibus & miraculis auctoritate Apostolica, utpote cum in eis continerentur etiam probationes ad cultum immemorabilem pertinentes.

151. Quidquid spectat ad vitam hujus Beatæ ex probatis historiis cum manuscriptis, tum editis, collectum habetur apud Bollandianos *ad diem* 22. *Maji tom.* 5. Quamobrem solum adnotare fas sit, Beatæ ipsi cultum antiquissimum adhiberi in civitate Faventina, quæ est ejusdem patria, quippe quod die 22. Maji, quo vitam cum morte feliciter commutavit, in ecclesia Monialium Ordinis Vallis Umbrosæ *sacrum corporis* brachium populi venerationi & osculo exhibetur, Magistratus ad ecclesiam accedunt solemni pompa, & pridie hujus festi populo universo id annuntiatur sonitu publici æris Campani, sicuti fieri consuevit in celebratione festi Sancti Protectoris. Item in civitatis Florentinæ suburbio in ecclesia S. Salvii Monialium Ordinis Vallis Umbrosæ altare adest eidem Beatæ dicatum & supra id locata arca lignea præclare elaborata ac deaurata cum hac inscriptione in anteriori parte aureis litteris exarata, *CORPUS SANCTÆ HUMILITATIS*, quod intra eamdem arcam adhuc incorruptum asservatur, & Regulari sui Ordinis habitu ex auro & holoserico contexto cum Abbatialibus Insignibus, argenteaque in capite corona pretiosis margaritis ornata indutum inspicitur: & in eadem pariter civitate solemni pompa & apparatu festum celebratur, necnon, recurrente celebritate, sacrum corpus, aperta arca, ad publicam venerationem exponitur. Innumeræ enimvero species publici cultus a tempore immemorabili Beatæ eidem præstiti ex prædictis processibus desumptæ fuerunt. Nam, præter celebrationem Missæ de communi Virginum, testes deposuerunt, ejus nomen publice inter alias Sanctas Virgines in litaniis invocatum fuisse a Clero Sæculari æque ac Regulari in civitate Faventina; in processum autem Florentinum *fol.* 133. compulsatus fuit quidam antiquissimus liber Psalmorum recitandorum, cui insertæ litaniæ nomen etiam edicunt Sanctæ Humilitatis.

§. XXXIX.

De Beato DALMATIO Ordinis Sancti Dominici.

DECRETUM.

Gerunden. Canonizationis Beati Dalmatii Ordinis Sancti Dominici,

152. *ADmissa a sacrorum rituum Congregatione habita die* 15. *mensis Julii* 1719. *annuente etiam san. mem. Clemente Papa XI. ac successive per eumdem Sanctissimum signata Commissione introductionis causæ Beatificationis & Canonizationis Dalmatii Monerii prædicti* Beati *nuncupati, & modo, juxta tenorem præfatæ Commissionis, ad instantiam Patris Magistri Thomæ Ripoll Sacerdotis Professi Ordinis S. Dominici, Provincialis Terræ sanctæ, hujusmodique causæ Postulatoris ab Eminentiss. & Reverendiss. Domino Cardinali Scotto Ponente in sacra rituum Congregatione proposito ac discusso infrascripto dubio, An sententia lata per Judices delegatos a Reverendiss. Episcopo Gerunden. super cultu immemorabili, & casu excepto a decretis fel. record. Urbani VIII. sit confirmanda in casu &c. sacra cad. rituum Congregatio, R. P. D. Prospero de Lambertinis Fidei Promotore tam in scriptis, quam in voce prius audito, rescribendum censuit, Affirmative, si Sanctissimo Domino nostro visum fuerit. Die* 9. *Augusti* 1721.

Factaque deinde per me Secretarium de prædictis Sanctissimo Domino nostro Innocentio Papæ XIII. relatione, Sanctitas sua benigne annuit die 13. *ejusdem mensis & anni* 1721.

153. Decessit hic Beatus anno 1341. Constructo deinde auctoritate ordinaria processu circiter annum 1714. super ejus cultu immemorabili, sententia lata est a Judicibus ab Episcopo Gerundensi delegatis, quæ tandem approbata fuit, annuente san. mem. Innocentio XIII. a sacrorum rituum Congregatione. De ejus autem virtutibus & miraculis, necnon de continuato cultu publico ipsi exhibito plura videri possunt apud Patrem Franciscum Diegum Ordinis S. Dominici *in historia provinciæ Aragonensis edita Barcinone anno* 1699. *in historia generali Sanctorum, & hominum sanctitate illustrium Principatus Cataloniæ Barcinone typis impressa anno* 1602. *itemque cum additionibus Gerundæ anno* 1630. a Patre Antonio Vincentio Domenech Theologo prædicti Ordinis *in* 3. *&* 4. *parte historiarum generalium Ordinis Prædicatorum editis Vallisoleti anno* 1614. *& anno* 1615. a Joanne Lopez Episcopo Mongopolensi ex eadem Prædicatorum familia, ab Abrahamo Bzovio Religioso pariter Ordinis S. Dominici *ad an.* 1341. *num.* 18. *& in Martyrologio Hispanico* compositio a Joanne Tamayo Salazar.

154. Illustrius tamen monumentum ad rem præsentem desumendum est ex libro manuscripto, qui asservatur in bibliotheca Patrum Prædicatorum Gerundæ, quique compulsatus fuit in citatum processum. Fuit opus hoc conscriptum a Nicolao Eymerico Religioso Ordinis S. Dominici coætaneo & alumno Beati, viro sane gravi, quique Nicolao Rosello pariter ex Dominicana familia sacræ Theologiæ Magistro & in toto Dominio Regis Aragonum Inquisitori generali ad Cardinalitiam dignitatem evecto ab Innocentio VI. in dicto Inquisitoris munere ac officio suffectus est. Porro Franciscus Penia *in vita ejusdem Nicolai Eymerici*, quam edidit & præfixit ejusdemmet operi, cui titulus, *Directorium Inquisitorum*, utpote quod notationibus illustravit, hæc de eo habet: *Compilavit quoque vitam & miracula Beati Fratris Dalmatii Moner, cujus ipse fuerat alumnus*. Ipse autem Nicolaus, ut cetera prætereantur, in modo dicta vita memorans sepulturam datam corpori Beati Dalmatii sic loquitur: *Prædicavit autem in ejusdem viri Dei sepultura Frater Bernardus Cescala paulo post Provincialis provinciæ supradictæ, vir litteratus, fidelis, & verax; & recitatis de præscriptis miraculis quamplurimis, finaliter tale perhibuit testimonium veritati: Ego admonitus per Confessorem istius sancti viri, qui nunc in morte, & in vita alias ejus frequenter confessionem audierat generalem, vice ejus tale isti perhibeo veritatis testimonium viro Dei, quod ipse nec mentis, nec carnis sensit aliquatenus corruptelam, nec cujuscumque mortalis unquam criminis habuit consensum, nec animam maculatam.*

§. XL.

De Beato ANDREA de COMITIBUS Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci.

LITTERÆ APOSTOLICÆ in forma Brevis Innocentii Papa XIII.

INNOCENTIUS PAPA XIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

155. *APostolicæ servitutis officium, quod inscrutabilis Divinæ sapientiæ atque bonitatis altitudo humilitati atque infirmitati nostræ credere dignata est, ad spiritualem Fidelium ædificationem salubriter exequi, adspirante superni favoris auxilio, jugiter satagentes, Servorum Dei, qui, despecta sæculi vanitate, jugum Domini in sancta humilitate assumpserunt, & virtutum omnium præsidio muniti, decurso feliciter mortalis vitæ stadio, immarcescibilem gloriæ coronam in cælis accipere meruerunt, cultum & venerationem in terris libenter promovemus; sicut Dei gloriæ, populorumque pietati convenire conspicimus. Cum itaque alias ad relationem venerabilis Fratris nostri Fabritii Episcopi Albanen. S. R. E. Cardinalis Paulutii nuncupati Commissio introductionis causæ Beatificationis & Canonizationis venerabilis Servi Dei Andreæ de Comitibus* Beati *nuncupati, Sacerdotis Professi Ordinis Minorum S. Francisci, in Congregatione venerabilium Fratrum nostrorum ejusdem sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium sacris ritibus præpositorum habita die* 25. *Septembris proxime præteriti admissa, & a Nobis postmodum signata fuisset; subinde vero, instante dilecto Filio Joanne Baptista Lamberti de Aste Fratre expresse Professo Ordinis Minorum ejusdem S. Francisci Conventualium nuncupatorum, in sacra Theologia Magistro, hujusmodi causæ Postulatore, processus in Curia Episcopali Anagnin. super cultu ab immemorabili tempore ipsi Beato præstito, sive super casu excepto a decretis fel. record. Urbani Papæ VIII. prædecessoris nostri in Congregatione sanctissimæ Inquisitionis editis, auctoritate ordinaria constructus, in quo venerabilis Frater Joannes Baptista Episcopus Anagnin. sententiam super præfato cultu protulerat, in eadem Congregatione Cardinalium die* 11. *Decembris novissime examinatus; simulque a dicto Fabritio Episcopo & Cardinali propositum fuerit dubium, An* scu-

sententia prædicti Joannis Baptistæ Episcopi Anagnini lata super casu excepto a decretis ipsius Urbani prædecessoris, sive super cultu publico ab immemorabili tempore dicto Beato præstito esset confirmanda in casu & ad effectum, de quo agebatur; auditoque desuper tam in voce quam in scriptis dilecto Filio Magistro Prospero Lambertini in utraque Signatura nostra Referendario ac Fidei Promotore, necnon omnibus in enarrato processu contentis super casu excepto diligenter examinatis & mature discussis, memorata Congregatio Cardinalium rescribendum censuit, Affirmative: Hinc est, quod Nos piis atque enixis ejusdem Joannis Baptistæ votis hac in re, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere, eumque specialibus favoribus & gratiis prosequi volentes, & a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium duntaxat consequen. harum serie absolventes & absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, decretum a memorata Cardinalium Congregatione editum, ut præfertur, quod scilicet de casu excepto a decretis præfati Urbani prædecessoris, sive de cultu publico ab immemorabili tempore dicto Beato Andreæ præstito constet, auctoritate Apostolica tenore præsentium confirmamus & approbamus, illique Apostolicæ firmitatis robur adjicimus; salva tamen semper in præmissis auctoritate Congregationis eorumdem Cardinalium: Decernentes, easdem præsentes litteras firmas validas & efficaces existere & fore suosque plenarios & integros effectus sortiri & obtinere, ac illis, ad quos spectat & spectabit in futurum, plenissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum palatii Apostolici Auditores, judicari & definiri debere; ac irritum & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari: Non obstantibus Constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, ut ipsarum litterarum transumptis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis eadem prorsus fides in judicio & extra illud adhibeatur, quæ præsentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitæ vel ostensæ. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub anulo Piscatoris die 15. Februarii 1724. Pontificatus nostri anno III.

156. Occubuit hic Beatus anno 1302. Constructis autem processibus super fama sanctitatis, & cultu ejus immemorabili, *Commissio* introductionis causæ a san. mem. Innocentio XIII. signata fuit, prævio rescripto sacræ Congregationis sub die 25. Septembris 1723. Disputatum postea fuit die 11. Decembris ejusdem anni dubium de viribus sententiæ ab Episcopo Anagnino latæ super prædicto cultu immemorabili, eodemque dubio favorabiliter resoluto, editum est Breve sacræ Congregationis decretum confirmans, modo recensitum.

157. Beatum ipsum conscripsisse librum *de partu Virginis*, testantur Eisengrenius Canonicus Spirensis *in catalogo Doctorum pag.* 124. Wadingus *de Scriptor. Ord. Minorum pag.* 17. & Maraccius *in Purpura Mariana pag.* 28. & 29. Dum agebatur de causa introducenda, ego fungens munere Fidei Promotoris opposui, eum esse ante omnia revidendum; Sed, exquisitis licet diligentiis adhibitis per celebriora archiva & bibliothecas totius Italiæ, reperiri non potuit.

158. Ferunt præterea nonnulli, fuisse huic Beato oblatam dignitatem Cardinalitiam ab Alexandro IV. ejus patruo, eamdemque ab eo fuisse recusatam; sicuti Baptista Campofulgosus Dux Reipublicæ Januensis *in libro dictorum & factorum memorabilium pag.* 126. *edit. Parisien. anni* 1584. & Hieronymus Platus *de bono statu Religionis lib.* 1. *cap.* 38. Alii autem malunt, eamdem dignitatem fuisse ipsi oblatam a Bonifacio Papa VIII. & pariter ab eodem detrectatam; uti Ludovicus Donius *in floribus historiarum sacri Cardinalium Collegii tom.* 1. *pag.* 361. *num.* 7. cum quo concordat Cardinalis de Lauræa *tom.* 2. *in* 3. *sent. disput.* 32. *art.* 16. §. 1. *num.* 606. ubi, ut afferat heroicæ animi moderationis exemplum, inquit: *B. Andreas de Anagnia mei Ordinis Alexandri IV. nepos ex Fulgosio lib.* 4. *cap.* 1. *humillime de se sentiens Cardinalatum a Bonifacio VIII. sibi oblatum recusavit, ut in humili Religione S. Francisci despectus vitam ageret.* Etsi *in elencho Cardinalium ab anno* 1294. *ad* 1430. *Romæ edito anno* 1641. a Felice Contelorio, qui eum exaravit, visis libris sacri Collegii Avenione Romam translatis, in quibus electiones Pontificum, & creationes Cardinalium a Bonifacio VIII. ad Eugenium IV. referuntur, nulla fit Andreæ mentio; qua de re Felix ipse *pag.* 9. ait: *In regiſtro Pontificum, & in libris sacri Collegii, in quibus sunt descriptæ creationes Cardinalium, Andreas non legitur.* Verum, si præter recentiores supra relatos etiam antiquiores de eadem Cardinalitiæ dignitatis recusatione testimonium perhibent, hoc est Bartholomæus de Pisis in opere conformitatum, quod scripsit anno 1385. *lib.* 1. *fruct.* 11. *pag.* 152. *Frater Andreas, qui Cardinalatui renuntiavit, & nunc tuba miraculorum ad contemptum mundi omnes convocat & inducit*; & S. Antoninus *in chron.* 3. *part. tit.* 24. *cap.* 9. §. 4. *In Conventu Anagniæ obiit Fr. Andreas nepos Domini Alexandri IV. Papæ qui pronuntiatus Cardinalis renuit, & miraculis claruit:* si extat in sacrario ecclesiæ S. Crucis civitatis Florentinæ in quodam pariete sacelli Dominorum de Rinuccinis Imago depicta ante annum 1330. a Thaddæo Gaddio discipulo Giotti cum radiis & diademate circa caput, cum pileo Cardinalatio ad pedes posito, & cum hac inscriptione, *S. ANCTUS FRATER ANDREAS DE ANAGNIA*, ut ipse vidi, dum Florentiæ morarer, utque Periti recognoverunt; si denique concordant extra recentiores jam allegatos alii graviſſimi recentiores, Spondanus *in continuat. annal. ad an.* 1295. *num.* 8. Bzovius *ad an.* 1255. *num.* 2. Ciacconius *in vita Bonifacii Papæ VIII. tom.* 2. *col.* 324. Wadingus *ad an.* 1295. *n.* 10. *tom* 5. dicendum porro videtur, vel fuisse quidem Beato oblatam dignitatem, sed ab eo tali constantia recusatam, ut ad creationem ventum non fuerit, vel in elencho supra indicato non esse recensita, nisi eorum nomina, qui sibi collatam dignitatem ipsam acceptarunt.

159. Sed, utcumque id sit, innumera sane sunt monumenta Andreæ sanctitatem præseferentia cum apud Scriptores Ordinis Minorum, tum apud alios. Fuit ejus vita conscripta ab Antonio Maria Bonuccio Societatis Jesu, atque edita anno 1724. quo pariter anno publici juris factum est compendium vitæ, virtutum, & miraculorum ipsius, ad cujus calcem catalogus extat Scriptorum ab anno 1384. ad eumdem annum 1724. plura enarrantium de ejus virtutibus, atque miraculis tum in vita tum post mortem ejusdem interceſſione a Deo patratis. Innuere autem satis erit, constantem esse Auctorum assertionem, Bonifacium VIII. dixisse, quod, si Andreæ ipse supervixisset, eum in Sanctorum album retulisset. Ita enim Pisanus *lib.* 1. *conformit. fruct.* 9. *pag.* 83. *Propter magna miracula, quæ ipse in vita faciebat, Dominus Papa Bonifacius dixit, quod, si non moreretur, eum adscriberet Sanctorum catalogo.* Tossinianus *lib.* 1. *histor. Seraph. Religion. pag.* 72. Arturus *in Martyrolog. Franciſc. ad diem* 1. *Februarii*, Wadingus *loc. cit.* Nimirum, quamvis Bonifacius Beato Andreæ supervixerit, non potuit tamen propositum adimplere, præter miserandam illorum temporum calamitatem, etiam propter temporis brevitatem; siquidem Andreas deceſſit die 1. Februarii 1302. Bonifacius die 11. Octobris anno 1303.

160. Sepultus est hic Beatus in ecclesia Patrum Minorum Conventualium extra Castrum Pillei diœcesis Anagninæ; & sane magnus semper factus est populorum concursus etiam ad speluncam seu cryptam, ubi, dum vixit, spatio multorum annorum pœnitentiam egit. In processu vero super cultu ejus immemorabili, præter plures alias cultus species, probatum fuit, Salvatum Episcopum Anagninum anno 1455. altare consecrasse in ejus honorem, necnon Commune Pillei in statuto condito anno 1479. ab operibus servilibus abstinentiam præcepisse certis quibusdam solemnitatibus per annum occurrentibus, inter quas signanter festa S. Laurentii, & B. Andreæ de Pilleo Protectorum Castri, pœnamque imposuisse viginti solidorum iis, qui Andreæ nomen maledicere ausi essent: *Et, si maledixerit aliis SS. Apostolis vel alicui ipsorum, vel SS. Joanni Baptistæ, aut Evangelistæ, S. Laurentio, aut B. Andreæ de Pilleo, solvat dictis Dominis pœnam viginti solidorum.*

§. XLI.

De SEX ex SEPTEM FUNDATORIBUS Religiosi Ordinis Servorum Beatæ Mariæ Virginis.

DECRETUM.

Florentina Canonizationis sex ex septem Fundatoribus Religionis Servorum Beatæ Mariæ Virginis Beatis *nuncupat.*

161. *Discusso in sacra rituum Congregatione ad instantiam Postulatorum hujusmodi causæ dubio*

UAB Biblioteca de Ciències Socials
UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE BARCELONA BIBLIOTECA FACULTAD DE DERECHO

conſtet de cultu ab immemorabili tempore eiſdem Beatis exhibito, & caſu excepto a decretis ſan. mem. Urbani Papæ VIII. ita, ut ſententia Reverendiſs. Ordinarii Florentini ſit confirmanda in caſu &c. ſacra eadem rituum Congregatio ad relationem Eminentiſs. & Reverendiſs. D. Cardinalis Zondadarii, & Reverendiſs. D. Proſpero de Lambertinis Archiepiſcopo Theodoſiæ Fidei Promotore in ſcriptis & in voce prius audito, reſcribendum cenſuit, conſtare de cultu immemorabili ſex ex ſeptem Fundatoribus Ordinis Servorum Beatæ Mariæ Virginis, ſi Sanctiſſimo Domino noſtro viſum fuerit. Die 7. Julii 1725.

Factaque Deinde per me Secretarium de prædictis Sanctiſſimo Domino noſtro relatione, Sanctitas ſua (Benedictus videlicet XIII.) *benigne annuit, die* 30. *ejuſdem menſis & anni* 1725.

162. Nomina horum Beatorum ſeptem Fundatorum ſunt ſequentia.

BONFILIUS MONALDINUS,
JOANNES MANETTUS,
BENEDICTUS ANTELLENSIS,
BARTHOLOMÆUS DE AMIDEIS,
RICOVERUS LIPPIUS,
GERARDINUS SOSTENEUS,
ALEXIUS FALCONERIUS.

163. Septimus porro, nempe Alexius Falconerius, in ſuperioribus memoratus eſt; quia, cum cauſa Beatificationis & Canonizationis ejuſdem cura, ſtudio atque impenſa ſuæ nobiliſſimæ Domus initium habuerit & progreſſum (quod etiam factum eſt in cauſa S. Julianæ ex eadem familia) ubi cauſa aliorum ſex Fundatorum promota fuit & promovetur a Religioſo Ordine Servorum Mariæ, hinc unius cauſæ alia ſegregatio provenit, licet tum quoad ſanctitatem, tum quoad cultum iiſdem omnino fundamentis utraque inſiſteret. Quotquot enim Scriptores ſunt vel antiqui, vel recentiores, & quotquot teſtes examinati, qui de fama virtutum ac miraculorum, & de antiquo cultu Beati Alexii ſcripſerunt aut depoſuerunt, iidem ſcripſerunt pariter atque depoſuerunt de fama virtutum ac miraculorum, & de cultu immemorabili aliorum ſex Fundatorum.

164. Mons quidam inſignis altitudinis adeſt in Thuſciæ provincia, qui e parte meridionali ſpectat civitatem Florentiæ, e boreali contra reſpicit agrum Mucellanum a continuata montium Apennini ſerie circumvallatum. Mons hic dicitur *Senarius*, quem aliqui ex antiquioribus Scriptoribus Aſinarium, alii vero Sanarium ab aeris ſanitate appellarunt. In ejuſdem faſtigio ædificata eſt eccleſia cum ſacra eremo, in quam fere quinque retro ſæculis, approbante Ardingo tunc Epiſcopo Florentino, ſeſe receperunt ſeptem viri nobiles, qui, abjectis divitiis & ſæculi pompis, aſperum vivendi genus amplexi ſunt, & Ordinem Servorum Beatiſſimæ Virginis Mariæ fundarunt. In hoc ſacro loco omnes pie mortui ſunt, excepto Alexio, qui pretioſa occubuit morte in Conventu S. Mariæ de Caphagio, hodie ſanctiſſimæ Annuntiationis de Florentia, etſi ejus cadaver fuit ſubinde ad ipſum montem aſportatum, & una cum cadaveribus aliorum ſex Sociorum ſub ara majori reconditum. Nunc autem in ſacello poſt Chorum ſito, quod Reliquiarum ſacellum communiter vocatur, adeſt altare ornatum, in cujus Icone depicta apparet Beatiſſima Virgo, quæ Angelis comitata porrigit habitum nigrum ſeptem Fundatoribus ante eam orantibus, & ſub eodem altari, ſi pallium removeatur, licet confectum ex materia ſolida & opere vario, comparent ſeptem capita ſeparatim locata cum corona florum ſuper unumquodque eorum, & cum quadam inſcriptione litteris aureis ſculpta, quæ ita ſe habet: *SEPTEM BEATORUM ORDINIS SERVORUM BEATÆ MARIÆ VIRGINIS FUNDATORUM CAPITA*: uti colligitur ex acceſſu Epiſcopi Florentini eo loci facto anno 1719. poſtea relato in proceſſu confecto ſuper cultu immemorabili horum ſex ex ſeptem Fundatoribus, in quo proceſſu innumeræ probationes publici antiquiſſimi cultus continentur.

165. Tam pie & ſancte, & tanta ſenſuum mortificatione ſeptem ipſi Fundatores in eremo vixerunt, ut Gaufridus Cardinalis Legatus eos ſerio admonuerit de nimia in ſe ipſos crudelitate, quod in tanta vitæ aſperitate viderentur ſibi velle mortem conſciſcere: quare ejus auctoritate permoti priſtinum rigorem remittere coacti ſunt; quemadmodum legere licet apud Archangelum Gianium *in annalibus ſacri Ordinis Servorum additis* a Patre Aloyſio Garbio *lib.* 1. *cap.* 12.

166. In elencho prædictorum Fundatorum nonnulli loco Bartholomæi de Amideis ponunt quemdam Luteringum, & loco Joannis Manetti quemdam Victorem: ſed non videtur recedendum eſſe a communi opinione, quæ ſtat pro nominibus a nobis antea expreſſis.

§. XLII.

De Beato SERAPIONE Martyre Religioſo Profeſſo Ordinis B. Mariæ Virginis de Mercede Redemptionis Captivorum.

LITTERÆ APOSTOLICÆ

in forma Brevis Benedicti Papæ XIII.

BENEDICTUS PAPA XIII.

Ad futuram rei memoriam.

167. *NUper emanavit a Congregatione venerabilium Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium ſacris ritibus præpoſitorum decretum tenoris, qui ſequitur, videlicet: Gerunden. ſeu Barcinonen. Canonizationis B. Serapionis Martyris Religioſi Profeſſi Ordinis B. Mariæ Virginis de Mercede Redemptionis Captivorum. Cum ad inſtantiam P. Magiſtri Fr. Alexandri Illomæi Procuratoris Generalis Ordinis B. Mariæ Virginis de Mercede Redemptionis Captivorum ab Eminentiſs. & Reverendiſs. Domino Cardinali Othobono in ſacra rituum Congregatione propoſita fuerit cauſa prædicti Beati, ac in ea diſcuſſum fuerit dubium, An ſententia Reverendiſs. Epiſcopi Barcinonen. lata ſuper caſu excepto a decretis felicis recordationis Urbani Papæ VIII. ſuper cultu publico ab immemorabili tempore dicto Beato præſtito ſit confirmanda in caſu & ad effectum, de quo agitur; ſacra eadem rituum Congregatio, tam in ſcriptis quam in voce Reverendiſs. Archiepiſcopo de Lambertinis Epiſcopo Anconæ Fidei Promotore prius audito, reſcribendum cenſuit, conſtare de cultu, & ſententia Ordinarii eſſe confirmandam, ſi Sanctiſſimo Domino noſtro viſum fuerit. Die* 20. *Martii* 1728. *Factaque deinde per me Secretarium de prædictis Sanctiſſimo Domino noſtro relatione, Sanctitas ſua benigne annuit die* 14. *Aprilis ejuſdem anni. Cum autem, ſicut dilectus Filius Alexander Illomæi Procurator Generalis dicti Ordinis & cauſæ ejuſdem B. Serapionis Poſtulator Nobis nuper exponi fecit, ipſe decretum hujuſmodi, quo firmius ſubſiſtat, Apoſtolicæ confirmationis noſtræ patrocinio communiri ſummopere deſideret: Nos ipſius Alexandri Procuratoris Generalis & Poſtulatoris votis, quantum cum Domino poſſumus, favorabiliter annuere volentes, eumque a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis a jure vel ab homine quavis occaſione vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtit, ad effectum præſentium duntaxat conſequen. harum ſerie abſolventes & abſolutum fore cenſentes, ſupplicationibus ejus nomine Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, decretum præinſertum auctoritate Apoſtolica tenore præſentium approbamus & confirmamus, illique inviolabilis Apoſtolicæ firmitatis robur adjicimus; ſalva tamen ſemper in præmiſſis auctoritate Congregationis prædictorum Cardinalium: Decernentes, eaſdem præſentes litteras ſemper firmas validas & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios & integros effectus ſortiri & obtinere, ac illis, ad quos ſpectat & pro tempore ſpectabit, in omnibus & per omnia pleniſſime ſuffragari; ſicque in præmiſſis per quoſcumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam cauſarum palatii Apoſtolici Auditores, judicari & definiri debere; ac irritum & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam quavis auctoritate ſcienter vel ignoranter contigerit attentari: Non obſtantibus Conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ceteriſque contrariis quibuſcumque. Datum Romæ apud S. Petrum ſub annulo Piſcatoris die* 14. *Julii* 1728. *Pontificatus noſtri anno V.*

168. Confecti nempe fuerunt auctoritate ordinaria duo proceſſus, id eſt alter in civitate Barcinonenſi, alter in Gerundenſi; tum vero Epiſcopus Barcinonenſis ſententiam tulit de cultu immemorabili hujus Beati, quæ confirmationis robur obtinuit ex ſacrorum rituum Congregatione, juxta ſenſum decreti in exſcripto Brevi enuntiati.

169. Martyr hic Serapio natione Anglus, relicta militia ſæculari, admiſſus fuit in Ordinem B. Mariæ Virginis Redemptionis Captivorum a S. Petro Nolaſco in civitate Barcinonenſi. Redemptor autem proclamatus duas anno 1240. redemptiones perfecit; primam Murtiæ,

tiæ, ſocio Fr. Petro Caſtiliolo, in qua nonaginta & octo captivos liberavit; ſecundam Algariæ, ſocio Fr. Berengario, quocum octoginta & ſeptem captivis redemptis, dum is in Hiſpanias ſubinde rediret, Serapio ob pecuniæ defectum in pignus manſit: cumque libere Chriſti Fidem annuntiaret, & nonnullos baptizaret, captus, plagiſque confoſſus, tum cruci affixus, & in ea membratim diſſectus Martyrii palmam meruit obtinere. Latius hoc Martyrium deſcribitur *in chronicis ſacri & militaris Ordinis B. Mariæ de Mercede* compoſitis a Fr. Bernardo de Vargas ejuſdem Ordinis alumno, *& Panormitanis typis impreſſis anno* 1619. ſed antiquior eſt hiſtoria id ipſum continens exarata anno 1400. quæ ad juris formam extracta ex archivo Conventus Gerundenſis B. Mariæ de Mercede compulſata fuit in proceſſum Gerundenſem confectum ſuper Serapionis cultu immemorabili, cum qua concordat alia hiſtoria in eodem proceſſu relata ſcripta anno 1456. a Patre Magiſtro de Sumos *Commendatore* Domus Gerundenſis. Nulla porro exſtitit ſpecies publici cultus a tempore immemorabili adhibiti, quæ non fuerit in memoratos proceſſus deducta, in iiſdemque comprobata. Altaria quippe fuerunt huic Beato dicata, ejus Imagines appoſitæ in pluribus eccleſiis, inſtitutæ Fidelium Sodalitates ſub ejus invocatione, Miſſæ in ejuſdem honorem celebratæ, factæ de eo commemorationes in Divinis Officiis, Indulgentiæ conceſſæ viſitantibus eccleſiam S. Mariæ de Mari civitatis Barcinonenſis die feſto ejuſdem, denique ipſius nomen invocatum in litaniis pro commendatione animæ cujuſcumque alumni dicti Religioſi Ordinis, ut habetur in iiſdem proceſſibus.

§. XLIII.

De Beato JOANNE de DUKLA Ordinis Minorum Obſervantium S. Franciſci.

DECRETUM.

Leopolien. Canonizationis B. Joannis de Dukla Ord. Minor. Obſervantium S. Franciſci.

170. *Propoſito in ſacrorum rituum Congregatione ordinaria ad inſtantiam Poſtulatorum cauſæ B. Joannis de Dukla prædicti ab Eminentiſs. & Reverendiſs. Domino Cardinali Pico Ponente infraſcripto dubio, An conſtet de cultu ab immemorabili tempore dicto Beato exhibito, & caſu excepto a decretis ſan. mem. Urbani Papæ VIII. in caſu & ad effectum &c. ſacra eadem rituum Congregatio, Reverendiſs. Domino Archiepiſcopo Philippen. Fidei Promotore in ſcriptis & in voce prius audito, reſcribendum cenſuit, Conſtare, ſi Sanctiſſimo Domino noſtro viſum fuerit. Die* 17. *Januarii* 1733. *Factaque deinde per me Secretarium de prædictis Sanctiſſimo Domino noſtro relatione, Sanctitas ſua* (id eſt Clemens XII.) *benigne annuit die* 21. *ejuſdem menſis & anni* 1733.

171. Mortuus eſt Beatus hic Joannes anno 1484. de cujus virtutibus atque miraculis plura enarrantur *in chronicis manuſcriptis provinciæ Poloniæ Minorum Obſervantiæ* compoſitis a Fr. Joanne Kommorovo ex eodem Ordine, tum inſertis in proceſſum auctoritate ordinaria anno 1626. quæ pariter referuntur a Wadingo *ad an.* 1484. *tom.* 14. atque a Bartholomæo Conſule Leopolienſi in libro per eum edito, cui titulus, *Domus virtutis, & honoris per Patres Fratres Ordinis Minorum S. Franciſci de Obſervantia.*

172. Actum fuit alias de cultu immemorabili hujus Beati: confecto enim proceſſu anno 1646. ejuſdemque validitate ac *relevantia* in ſacra Congregatione diſcuſſis, die 10. Martii anno 1657. reſponſum fuit: *Prævia ſanatione quorumcumque defectuum quoad validitatem & quoad relevantiam, coadjuvandas eſſe probationes.* Verum propter bellorum incommoda, & factam amiſſionem litterarum *remiſſorialium*, quæ jam expeditæ fuerant, non modicum tempus elapſum eſt, abſque eo quod quid amplius eadem in cauſa promoveretur. Conceſſis autem anno 1727. duplicatis litteris, conſtructus fuit novus proceſſus in civitate & diœceſi Leopolienſi, in quo plene probatus eſt Joannis cultus immemorabilis ex teſtibus & documentis.

173. In hac eadem cauſa exhibitum fuit Breve Innocentii VIII. ſed non in forma authentica. Attamen, cum plures adeſſent circumſtantiæ indicantes, id re vera expeditum fuiſſe, ſacra Congregatio ejus habuit rationem, tanquam validi admniculi pro ſuadendo prædicto cultu immemorabili. Et quidem verba Brevis ſunt iſta.

INNOCENTIUS PAPA VIII.

Dilectis Filiis Vicario & Fratribus Ordinis Minorum de Obſervantia provinciæ Poloniæ pro tempore exiſtentibus, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Sacræ veſtræ Religionis, ſub qua devotum & ſedulum exhibetis Domino famulatum promeretur honeſtas, ut votis veſtris, illis præſertim, per quæ Divinus cultus augeri, & Fidei Chriſtianæ religio propagari valeat, favorabiliter annuamus. Veſtris igitur ſupplicationibus inclinati, ut corpus Fratris veſtri Patris Joannis Duklani miraculis coruſcantis in Choro eccleſiæ Conventus veſtri ſepultum, propter quod, concurrente multitudine Chriſtifidelium utriuſque ſexus ad dictam eccleſiam pro implorandis Divinis auxiliis interceſſione prædicti Patris ſepulti de diverſis partibus confluentium, in Horis Canonicis recitandis non modicum, ſicut accepimus, recipitis detrimentum, & devotiones veſtræ minuuntur; de Choro eccleſiæ hujuſmodi, in quo ſepultum jacet, ad alium locum eccleſiæ ejuſdem decentius & convenientius noctis tempore, vel alias clandeſtine abſque pœnarum ſeu cenſurarum Eccleſiaſticarum incurſu transferre, & in loco decenti & honeſto, ſicut præfertur, reponere poſſitis, tenore præſentium licentiam elargimur. Non obſtantibus quibuſcumque aliis ordinationibus Apoſtolicis in contrarium facien. Datum Romæ apud S. Petrum ſub annulo Piſcatoris die 12. *Julii anno Domini* 1487. *Pontificatus noſtri anno III.*

Hieronymus Baldarinus manu propria.

§. XLIV.

De Beato BENEDICTO Papa XI. Ordinis Prædicatorum.

DECRETUM.

Peruſina Canonizationis B. Benedicti Papæ XI. Ordinis Prædicatorum.

174. *CUM a ſacrorum rituum Congregatione ſub die* 13. *Februarii anni* 1734. *admiſſa fuerit (annuente etiam Sanctiſſimo Domino noſtro Clemente Papa XII. feliciter regnante ſub die* 6. *Martii dicti anni), ſucceſſive ab eodem ſignata Commiſſio introductionis cauſæ Canonizationis prædicti B. Benedicti Papæ XI. cumque modo ad tenorem præfatæ Commiſſionis, inſtante Reverendiſs. P. Thoma Ripoli Magiſtro Generali Ordinis Prædicatorum, nomine etiam totius ſuæ Religionis, propoſitum fuerit ab Eminentiſs. & Reverendiſs. Domino Card. Gotti Ponente in ſacrorum rituum Congregatione ordinaria, atque diſcuſſum dubium, An ſententia Eminentiſs. Epiſcopi Peruſini lata ſuper caſu excepto a decretis ſel. record. Urbani Papæ VIII. ſive ſuper cultu immemorabili tempore prædicto B. Benedicto Papæ XI. exhibito ſit confirmanda in caſu & ad effectum de quo agitur; ſacra eadem Congregatio, prævio maturo examine proceſſus informativi ſuper præfato caſu in civitate Peruſiæ a clar. mem. Eminentiſs. & Reverendiſs. Domino Card. Anſidæo dictæ civitatis Epiſcopo conſtructi, ac etiam tam in ſcriptis quam in voce audito prius R. P. D. Ludovico de Valentibus Fidei Promotore, ſacra eadem Congregatio reſcribendum cenſuit, Affirmative, ſi Sanctiſſimo Domino noſtro viſum fuerit. Die* 21. *Aprilis* 1736.

Factaque deinde per me Secretarium de prædictis Sanctiſſimo Domino noſtro relatione, Sanctitas ſua benigne annuit. Die 24. *ejuſdem menſis & anni.*

175. Benedictus Papa XI. anno 1240. in civitate Tarviſina natus eſt. Nicolaus in Baptiſmo appellatus eſt. Ejus familia fuit Bocaſia, ſive Bocaſina. In ætate admodum juvenili conſtitutus erudivit pueros in Grammatica, uti refert Fr. Franciſcus Pipinus Ordinis Prædicatorum ejus contemporaneus *lib.* 4. *chron. cap.* 48. (*inter Scriptores rer. Ital. tom.* 9.) & Papirius Maſſonus *de Epiſcopis Urbis lib.* 5. *pag.* 266. teſtatur, ab eo educatos fuiſſe liberos familiæ Quirinæ patritiæ Venetæ, ex qua adhuc præter alios, Deo dante, ſupereſt Cardinalis Angelus Maria Quirinus Brixiæ Epiſcopus & S. R. E. Bibliothecarius, vir generis nobilitate, pietate, Theologiæ & ſacrarum Litterarum peritia inſignis. En verba Papirii; *Educatus Venetiis, datuſque Quirinis patriciis ad inſtituendos eorum liberos*: & concordat Joannes Villanus *hiſtor. Flor. lib.* 8. *cap.* 66. *tom.* 13. *Script. rer. Ital. Nudriſſi in Venegia, quando era giovane Cherico,*

a in-

a insegnare a' fanciulli de' Signori da Cha Querino. Perfectioris disciplinæ studio ingressus est Ordinem Prædicatorum, in quo Professionem emisit, in eo Lectoris sacrarum Litterarum laudabiliter munere functus, anno 1296. Magister Generalis totius Ordinis electus est. Eo in munere plura laudabilia fecit & sanxit; quorum fama commotus Bonifacius Papa VIII. ipsum licet invitum & reluctantem sacro Cardinalium Collegio adscripsit. Quocirca Taegius *part. 6. monument. pag.* 450. inquit: *Præfatæ ordinationi assensum præbens lacrymabiliter acceptavit*. Ostiensis & Veliternus constitutus Episcopus ab eodem Bonifacio missus est Apostolicus Legatus in Hungariam, quemadmodum desumitur ex Apostolico Brevi apud Raynaldum *ad an.* 1301. *num.* 4. *Licet apud Sedem Apostolicam ex eminentia tui consilii valde necessarius habearis, Nesque inviti quodammodo tanti viri præsentia careamus*: compositisque feliciter rebus, cum Romam rediisset, mortuo paulo post Bonifacio Papa VIII. communibus eligentium votis, non sine Divini Numinis arcano consilio, ejus successor electus, Pontificium onus humeris suis impositum acceptavit, licet trepidans, ne Ecclesiam in seditionum fluctus conjiceret, veluti refert Raynaldus *ad an.* 1303. *n.* 45. Quæ in summo Pontificatu pia & sancta fecit pro Catholica Fide dilatanda, componendis Principum Christianorum discordiis, parando exercitu pro sanctæ Terræ recuperatione, passim legi possunt apud Historicos. Post octo menses, & dies decem & septem Pontificatus, Perusiæ mortuus est die 27. Julii anno 1304. non sine vehementi veneni suspicione. Humilitatis virtus præ ceteris in eo emicuit, de qua loquens Georgius Lazarus hæc habet: *Rara humilitas, quæ tanta fuit, ut nec etiam Fratrem Falcum nepotem suum cum scientiæ tum morum venustate felicem, ut in Cardinales referret, ulla unquam ratione adduci potuerit; quinimmo in eo, quo se devoverat, monasterio reliquerit*. Ejus sanctitatis testimonia prostant apud Albertinum Mussatum, Papirium Massonum, Platinam, Victorellum, Wadingum, Franciscum Pagium, aliosque fuse & diligenter collectos in hujus Pontificis vita recenter typis edita a Patre Petro Thoma Campana Ordinis Prædicatorum, Vicario generali sanctissimæ Inquisitionis Mediolanensi. Post obitum miraculis claruit ab eodem Auctore relatis, & statim ab ejus obitu cultus publicus ei exhibitus fuit tum in civitate Tarvisina, in qua natus est, tum in civitate Perusina, in qua diem obiit extremum. Quibus juridice comprobatis processu auctoritate ordinaria confecto a clar. mem. Cardinali Ansidæo Episcopo Perusino, prolataque ab eo sententia super casu excepto a decretis Urbani VIII. fuit ipsa a sacra Congregatione approbata juxta supra relatum decretum.

§. XLV.

De Beata MICHELINA Tertiaria Ordinis Minor. Conventualium S. Francisci.

LITTERÆ APOSTOLICÆ

Sanctissimi Domini nostri

CLEMENTIS PAPÆ XII.

Quibus confirmatur decretum sacræ Congregationis rituum super cultu immemorabili prædictæ Beatæ, seu casu excepto a decretis Urbani VIII.

176. MUlieres sortes, *quæ præsertim opibus sæculi, potentia propinquorum, nobilitate originis, juventute, ac pulcritudine decoratæ, amissis maritis & filiis, & cunctis despectis per gratiam Spiritus Sancti accinctæ robore, in spiritu ambulantes, ad pedes advolutæ Christi, quasi ipsum tenentes, elegerunt abjectas esse in domo Dei, & per arduas Christianæ perfectionis semitas in odorem unguentorum cælesti Sponsi alacres cucurrerunt, eo majoribus in Catholica ecclesia præconiis sunt condignæ, quo fortius sexus infirmitatem transgredientes, luculentioribus præluxerunt exemplis, ut ceteræ mulieres earumdem vestigia sectantes, immarcescibilem gloriæ coronam in cælis cum ipsis accipere mererentur. Quamobrem Apostolicæ servitutis officium, quod inscrutabilis Divinæ sapientiæ atque bonitatis altitudo humilitati tenuitatique nostræ credere dignata est, ad spiritualem Fidelium ædificationem salubriter exequi, adspirante superni favoris auxilio, jugiter satagentes, mulierum hujusmodi, quas non solum eximiarum Christianæ pietatis virtutum præsidio, sed etiam signorum splendore insignes, æternæ felicitatis participes fecit misericordiarum Pater, cultum & venerationem in terris libenter promovemus, cum maxime accedentibus virorum & regia majestate, & Ecclesiastica dignitate, & Religionis virtute fulgentium votis, ad Divini honoris decus, & militantis Ecclesiæ incrementum maximopere conducere conspicimus. Cum itaque alias ad relationem dilecti Filii nostri Vincentii Ludovici S. R. E. Presbyteri Cardinalis Gotti nuncupati Commissio introductionis causæ Canonizationis B. Michelinæ Viduæ e nobili Metellorum gente civitatis nostræ Pisaurensis, Tertii Ordinis Sancti Francisci, in Congregatione venerabilium Fratrum nostrorum ejusdem S. R. E. Cardinalium sacris ritibus præpositorum habita die* 11. *Augusti anni* 1736. *proxime elapsi admissa, & a Nobis postmodum signata fuisset; subinde vero instantibus dilecto Filio nostro Fabio ejusdem S. R. E. Diacono Cardinali de Abbatibus Oliverio nuncupato, Secretario Brevium nostrorum secretorum, & dilecto Filio Vincentio de Comitibus Ordinis Minorum Sancti Francisci Conventualium etiam nuncupatorum Ministro Generali, hujusmodi causæ Postulatoribus, processus in Curia Episcopali Pisaurensi super cultu ab immemorabili tempore ipsi Beatæ præstito, sive super casu excepto a decretis fel. record. Urbani Papæ VIII. prædecessoris nostri, auctoritate ordinaria formatus, in quo venerabilis Frater Philippus Episcopus Pisaurensis, sententiam super prædicto cultu protulerat, in eadem Congregatione Cardinalium examinatus; simulque a dicto Vincentio Ludovico Cardinale propositum fuisset dubium, An sententia prædicti Philippi Episcopi lata super casu excepto a decretis ipsius Urbani prædecessoris, sive super cultu publico ab immemorabili tempore dictæ Beatæ præstito, esset confirmanda in casu & ad effectum de quo agebatur, & eadem Cardinalium Congregatio resolutionem distulisset, atque interea mandasset fieri diligentias in civitate prædicta Pisaurensi pro perquisitione ac transmissione cujusdam modi vivendi, Regulæ & capitulorum dictæ Beatæ adscriptorum; atque hisce diligentiis expletis, novissime delatus fuisset ad hanc almam Urbem nostram parvus processus a præfato Episcopo Pisaurensi confectus, & idem Vincentius Ludovicus Cardinalis Gotti Ponens die* 6. *currentis Aprilis relationem fecisset omnium contentorum in dicto parvo processu, unde constitit, nihil fuisse repertum, & eadem Congregatio Cardinalium censuisset, posse procedi ad ulteriora; subindeque reproposito præfato dubio super confirmatione sententiæ, matureque discusso processu informativo hac de re constructo, & tam in voce quam in scriptis dilecto Filio Magistro Ludovico de Valentibus, in utraque Signatura nostra Referendario, nostro & Apostolicæ Sedis Notario Protonotario nuncupato supra numerum Participantium ac Fidei Promotore desuper audito; memorata Congregatio Cardinalium responsum edidit, Affirmative. Hinc est, quod Nos piis charissimi in Christo Filii nostri Jacobi Magnæ Britanniæ Regis Illustris votis, & enixis demissisque tam prædicti Fabii, quam aliorum etiam ipsius S. R. E. Cardinalium, & venerabilium Fratrum Archiepiscopi & Episcoporum Status nostri Urbinatensis, necnon præfati Vincentii Ministri Generalis precibus hac in re, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere, eosque specialibus favoribus & gratiis prosequi volentes; supplicationibus eorumdem nominibus Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, decretum a memorata Cardinalium Congregatione editum, ut præfertur, quod scilicet de casu excepto a decretis prædicti Urbani prædecessoris, sive de cultu publico ab immemorabili tempore dictæ Beatæ Michelinæ præstito constet, auctoritate Apostolica tenore præsentium confirmamus & approbamus, illique Apostolicæ firmitatis robur adjicimus; salva tamen semper in præmissis auctoritate memoratæ Congregationis Cardinalium: Decernentes, easdem præsentes litteras firmas validas & efficaces existere, & fore suosque plenarios & integros effectus sortiri & obtinere, ac illis, ad quos spectat & spectabit in futurum, plenissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum palatii Apostolici Auditores, judicari & definiri debere, ac irritum & inane, si secus super his a quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari; non obstantibus Constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, ut ipsarum præsentium litterarum transumptis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides in judicio & extra illud habeatur, quæ haberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ vel ostensæ.*

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die 24. *Aprilis* 1737. *Pontificatus nostri anno* VII.

177. Bea-

177. Beata hæc mulier Pisauri orta est initio sæculi XIV. & pretiosa morte in Domino occubuit eodem sæculo, anno videlicet 1356. Duodecimo expleto ætatis anno, viro nobili matrimonio juncta est, quem nonnulli putarunt fuisse ex prosapia de Malatestis. Anno ætatis vigesimo, secuto conjugis obitu, suscepit curam unici filii, quem ex eo habuit, & domus; sed Divino amore succensa, facta postmodum suorum bonorum in pauperes distributione, suscepto habitu Pœnitentiæ, sive Tertiariæ Ordinis S. Francisci, iter ad Palæstinam arripuit, & cum in Monte Calvario maneret, Dominicæ Passionis memoriam recolens, Divina extasi correpta, postquam sensuum usum recuperavit, de Divini Redemptoris doloribus verba fecit, cunctis, qui aderant, in lacrymas effusis. Expleta sanctorum Locorum visitatione, Pisaurum rediit, resumptisque operibus charitatis erga Deum & erga proximum, feliciter ex hac vita migravit, & ejus obitum Deus miraculis illustravit. Extat Legenda vitæ ipsius exarata circa finem sæculi XIV. vel initium sæculi XV. Extat quoque ipsius vita, cui titulus, *Semita spirituale della vita della Beata Michelina*, composita post medietatem sæculi XV. Quæ documenta fuerunt compulsata in processum auctoritate ordinaria confectum ab Episcopo Pisaurensi super fama virtutum & miraculorum, necnon super cultu immemorabili ejusdem. Bartholomæus Pisanus prope finem sæculi XIV. *lib. 1. conformit. fruct. 8. pag.* 107. hæc de ea habet: *Sancta Michelina de Pisauro, quæ magnis claruit & assidue coruscat miraculis, de Tertio Ordine B. Francisci Soror fuit.* Non dissimili elogio de ea sermonem habent Bernardinus de Bustis *part. 2. rosar. Quadragesi. conc.* 25. Franciscus Gonzaga *part. 1. de origine Seraphicæ Religionis*, Arturus *in Martyrologio Franciscano ad diem 19. Junii*, Franciscus Ferrari *in catal. SS. Ital. ad eamdem diem*, Bzovius *ad an.* 1356. *num.* 32. Wadingus *ad eumdem annum num.* 23. *& seqq. tom. 7.* fusiorique calamo ejus gesta retulerunt Bollandiani *ad diem 19. Junii tom.* 3. Damianus Cornegius, cujus opus ex idiomate Hispano conversum est in Italicum a bon. mem. P. Antonio Maria Bonuccio Societatis Jesu, qui & ejus vitam composuit & edidit anno 1708. Cura potissimum Eminentiss. Domini Card. Fabii de Oliveriis Pisaurensis, viri utique egregii, & a Secretis Brevium sub Clemente XI. Innocentio XIII. Benedicto XIII. & Clemente XII. confecti sunt auctoritate ordinaria processus ab Episcopo Pisaurensi; comprobatoque per legitima documenta immemorabili publico cultu erga B. Michelinam, prolataque super eo sententia a memorato Episcopo, ipsaque in sacrorum rituum Congregatione discussa & approbata, editæ sunt a summo Pontifice Apostolicæ litteræ præinsertæ, & in basilica SS. Apostolorum de Urbe, sumptibus ejusdem Eminentiss. de Oliveriis, magnificentissimum Triduum in honorem dictæ Beatæ, Urbe plaudente, celebratum est.

§. XLVI.

De B. RITA sive MARGARITA de CASSIA.

178. Libro 4. *part. 2. cap. 5. num. 2. & num. 4.* mentio a nobis facta est B. Ritæ seu Margaritæ Cassiæ seu Cassii, quod est Umbriæ oppidum Spoletinæ diœcesis. Ut ibi dictum est, a summo Pontifice Urbano VIII. die 2. Octobris 1627. prævio consilio Congregationis Sacrorum rituum, facta est concessio Officii & Missæ in ejus honorem in tota diœcesi Spoletina, & in ecclesiis Ordinis Eremitarum S. Augustini, de communi nec Virginis nec Martyris; idemque Pontifex per alias litteras Apostolicas expeditas die 4. Februarii 1628. prævio consilio ejusdem sacræ Congregationis, indulsit, ut a Presbyteris etiam Sæcularibus in ecclesiis dictorum Fratrum Missa prædictæ Beatæ celebrari posset. Ejus vita describitur in lectionibus propriis ab eadem sacra Congregatione approbatis, referente clar. mem. Cardinali Bona, pro omnibus Religiosis utriusque sexus Eremitarum S. Augustini, uti colligitur ex decreto edito die 19. Aprilis 1673. Et, quia inconsulta Sede Apostolica ex alibi dictis Beatorum cultus extendi non potest, san. mem. Benedictus Papa XIII. prævio memoratæ sacræ Congregationis consilio, benigne indulsit, ut in civitate Fluminis Januarii, seu Sancti Sebastiani in Brasilia consecrari posset ecclesia sub titulo B. Ritæ, & in eadem civitate quotannis die 22. Maji, quo Beatæ festum celebratur in eadem civitate recitari posset Officium & Missa de communi, uti desumitur ex decreto edito die 17. Septembris 1724. Descriptum est nomen B. Ritæ in Martyrologio Romano. Auctoresque qui ejusdem meminerunt, diligenter collecti fuerunt in quodam catalogo inserto in opus, cui titulus, *Dissertatio historica Auctore F. Dominico Antonio Gandolfo Januensi*: quocirca mirum esse non debet, si in Congregatione habita die 3. Augusti 1737. referente Eminentiss. Domino Cardinali Corradino, non solum signata fuit commissio resumptionis causæ B. Ritæ, sed etiam responsum fuit, constare de casu excepto. Ex alibi enim dictis, quando agitur de casu excepto ex indultis Apostolicis, opus non est conficere processum particularem super eodem sive auctoritate Apostolica, sive ordinaria, sed satis est ipsorum indultorum exhibitio in forma authentica.

§. XLVII.

De Beata CLARA de Montefalco Moniali Ordinis Eremitarum S. Augustini.

179. Alibi relatum est, promotam fuisse instantiam Canonizationis B. Claræ de Montefalco apud Pontificem Joannem XXII. qui causam examinandam commisit Neapoleoni Urfino Cardinali Diacono Sancti Hadriani. Alibi etiam relatum fuit, ab eodem Pontifice mandatum fuisse Episcopis Perusino, & Urbevetano, & Magistro Reginaldo Canonico Petragoricensi, Rectori Ducatus Spoletini, ut tam in genere quam in specie inquirerent super virtutibus & miraculis ipsius; confectisque processibus, causæ examen demandatum fuisse, uti tunc moris erat, tribus Cardinalibus; nec causam ulteriorem progressum habuisse ob gravissima momenta negotiorum, in quæ tunc Sedes Apostolica distracta, quamvis causæ relatio facta fuerit a dictis Cardinalibus in Consistorio. Alibi demum narratum fuit, summum Pontificem Urbanum VIII. indulsisse, prævio consilio Congregationis sacrorum rituum, Regularibus utriusque sexus Ordinis Eremitarum S. Augustini celebrationem Officii & Missæ in ejus honorem cum Oratione propria. Hoc ipsum indultum fuit postmodum extensum ad totam diœcesim Spoletinam, & die 19. Aprilis 1673. approbatæ fuerunt lectiones propriæ secundi Nocturni Officii prædicti opera clar. mem. Cardinalis Bona. Actum fuit de resumptione causæ hujus Beatæ tempore Sanctissimi Domini nostri Clementis Papæ XII. a quo etiam benigne signata fuit Commissio resumptionis; & simul proposito dubio, *An constaret de casu excepto a decretis Urbani VIII. Affirmative* responsum est, exhibitis in forma authentica memoratis indultis, nec ullo confecto processu particulari, juxta ea, quæ a nobis deducta sunt *hoc eodem lib. 2. cap. 17. num. 5. & 6.*

180. Descriptum est nomen hujus Beatæ in Martyrologio Romano *ad diem 18. Augusti* sequentibus verbis: *In Montefalco Umbriæ Beatæ Claræ Virginis Monialis Ordinis Eremitarum Sancti Augustini, in cujus visceribus Dominicæ Passionis mysteria renovata, maxima cum devotione venerantur.* Thomas Bosius Eugubinus *de signis Ecclesiæ lib. 5. cap. 49.* testatur, se oculis propriis vidisse corpus B. Claræ, & cor ipsius, in quo est insculptus Christus cruci affixus ex eadem carne, flagra, quibus est cæsus, columna, cui alligatus, omnia denique simulacra, quibus ejus perpessiones referuntur. Addit idem Bosius, se ternos globulos carneos ex ejus corpore eductos vidisse, qui & singuli, & bini, & terni pondus haberent æquale. Nonnulli ferunt hos globulos in corde fuisse repertos, nonnulli in cysti biliaria, quod etiam verosimilius est. Si quis Auctores id referentes, & rationes insigni huic miraculo faventes noscere velit, legat Fortunium Licetum *de secundo quæsitis per epistolas cap. 43. per totum.*

§. XLVIII.

De Venerabili Servo Dei JOANNE ANGELO PORRO Sacerdote Professo Ordinem Servorum B. Mariæ Virginis, *Beato* nuncupato.

DECRETUM.

Mediolanen. Beatificationis & Canonizationis Venerabilis Servi Dei Angeli Porro Sacerdotis Professi Ordinis Servorum B. M. V. Beati *nuncupati.*

181. CUM *a sacra rituum Congregatione sub die 11. Augusti anni proximi præteriti admissa fuerit, annuente etiam Sanctissimo Domino nostro Clemente*

Papa XII. feliciter regnante die 17. dicti menſis, & ſucceſſive ab eodem ſignata Commiſſio introductionis cauſæ Ven. Servi Dei Joannis Angeli Porro prædicti, cumque modo ad tenorem præfatæ Commiſſionis, inſtante Poſtulatore hujuſmodi cauſæ, propoſitum ab Eminentiſs. & Reverendiſs. D. Cardinali Georgio Spinula Ponente in ſacra rituum Congregatione ordinaria, atque diſcuſſum fuerit dubium, An ſententia Reverendiſs. DD. Judicum ab Eminentiſs. Archiepiſcopo Mediolanen. delegatorum lata ſuper caſu excepto a decretis fel. record. Urbani Papæ VIII. ſive ſuper cultu publico ab immemorabili tempore prædicto Servo Dei præſtito, ſit confirmanda in caſu & ad effectum &c. ſacra eadem Congregatio prævio maturo examine proceſſus informativi ſuper præfato caſu excepto in civitate Mediolani a dd. DD. Judicibus, ut ſupra, delegatis conſtructi, ac etiam tam in ſcriptis quam in voce Reverendo Patre Domino Ludovico de Valentibus Fidei Promotore prius audito, reſcribendum cenſuit, affirmative, ſi Sanctiſſimo Domino noſtro viſum fuerit. Die 13. Julii 1737.

Factaque deinde per me Secretarium de prædictis eidem Sanctiſſimo Domino noſtro relatione, Sanctitas ſua benigne annuit. Die 15. ejuſdem menſis Julii 1737.

182. Mortuus eſt hic Dei Servus die 24. Octobris 1506. non anno 1496. uti nonnulli opinantur; veluti bene adnotavit Garbius *in not. ad annal. Ord. Servorum B. M. V. tom. 2. pag.* 29. prout etiam ante ipſum animadverterat Pater Philippus Ferrarius ejuſdem Ordinis *in catal. SS. Ital. ad diem* 24. *Octobris*. Ejus virtutum & miraculorum meminerunt Fr. Michael Auguſtinus Ordinis Servorum in ejus Ordinis chronica *Florentiæ edita anno* 1567. Fr. Archangelus Giani ejuſdem Ordinis *in annalibus part. 2. pag.* 77. Fr. Hippolytus Porro *in vita hujus Servi Dei Papiæ edita anno* 1623. *& in eadem vita edita anno* 1639. *in civitate Mediolanenſi* Fr. Paulus Maria Pagliari Ordinis Servorum. Actum fuit de cauſa Canonizationis ipſius introducenda; & commiſſio introductionis ſignata fuit, uti colligitur ex reſcripto ſacræ Congregationis die 11. Auguſti 1736. Actum poſtmodum fuit de cultu immemorabili; eoque per juridicas probationes comprobato, & prolata ab Ordinario Mediolanenſi ſententia ſuper eodem, fuit eadem a ſacra Congregatione approbata, ut ex ejus decreto colligitur. Inter miracula in ejus morte ſecuta, fertur, quod ejus corpus nunquam in tumulum ceterorum Fratrum potuerit inferri, itaut ipſum in privato tumulo ſupra terram condere iidem Fratres coacti fuerint, ut apud eumdem Ferrarium *loc. cit. & in catal. SS. qui in Martyrologio Romano non ſunt, ad prædictam diem* 24. *Octobris*. *Anno* 1605. idem corpus integrum & incorruptum e veteri arca, in qua primo conditum fuerat, ad aliam longe decentiorem inſigni pompa translatum, collocatum fuit ſuper altare B. Mariæ Virginis Annuntiationi dicatum in eccleſia Fratrum ſui Ordinis civitatis Mediolanenſis, in qua permanſit uſque ad annum 1681. quo facta fuit translatio ad ſacellum longe honorificentius, quemadmodum legitur in annalibus Giani *lib. 6. centur. 4. cap. 9.* Occaſione proceſſus ſuper cultu immemorabili, facta eſt recognitio corporis prædicti Servi Dei, *Beati* nuncupati, licet id ex alibi dictis non eſſet neceſſarium, cum in proceſſu ſuper cultu immemorabili ſufficiat recognitio ſepulcri ab extra. Provide tamen id factum eſt, cum Poſtulatores contendant, illud integrum permanere, & incorruptum incorruptione quadam mirabili, prout etiam Periti retulerunt: quod an ſubſiſtat, judicium erit loco & tempore ſacræ Congregationis. Sed in eo quod attinet ad cultum immemorabilem, de quo tantum actum eſt, ſcientibus & non contradicentibus Ordinariis Mediolanenſibus, memoratu digna eſt epiſtola Vicarii Generalis ad ſacram Congregationem, in qua teſtatur, cultum publicum in dies auctum eſſe, ejus feſtum ſolemni templi apparatu quotannis celebratum eſſe, & celebrari panegyricis laudibus, & reliquis Eccleſiæ honoribus, qui Beatis impendi ſolent, nec ullum unquam aut Apoſtolicum Viſitatorem ad diœceſim Mediolanenſem luſtrandam delegatum, aut ipſum S. Carolum Borromæum, qui omnia corpora & Reliquias, quas in omnibus fere eccleſiis comperit, diligentiſſime examinavit, nec alium ejus Succeſſorem cultui obſtitiſſe, ſed eum potius pleniſſime approbaſſe.

§. XLIX.

De Beato ANDREA CACCIOLA Sacerdote Profeſſo Ordinis Minorum S. Franciſci.

DECRETUM.

Spoletana Canonizationis Beati Andreæ Cacciolæ de Hiſpello Sacerdotis Profeſſi Ordinis Minorum S. Franciſci.

183. *Repoſito ad inſtantiam Poſtulatoris cauſæ B. Andreæ Cacciolæ prædicti ab Eminentiſs. & Reverendiſs. D. Cardinali Pico Ponente, ac reſoluto in ſacra rituum Congregatione infraſcripto dubio, An ſententia Reverendiſs. Epiſcopi Spoletani Judicis delegati ſuper cultu immemorabili, & caſu excepto a decretis fel. record. Urbani VIII. ſit confirmanda in caſu &c. ſacra eadem Congregatio, R. P. D. Ludovico de Valentibus Fidei Promotore in ſcriptis & in voce prius audito, reſcribendum cenſuit, Affirmative, ſi Sanctiſſimo Domino noſtro viſum fuerit. Die 19. Julii 1738.*

Factaque deinde per me Secretarium de prædictis Sanctiſſimo Domino noſtro relatione, Sanctitas ſua benigne annuit. Die 25. ejuſdem menſis & anni 1738.

184. Beatus Andreas Caccioli, vel, ut alii vocant, de Lacchis, Hiſpellas, unus fuit ex primis diſcipulis S. Franciſci, ex cujus manibus Religioſo habitu accepto, verbi Dei prædicationi operam dedit, pluresque regiones in eodem munere obeundo peragravit, donec in patriam reverſus, meritis ac virtutibus clarus obdormivit in Domino anno 1254. ſepultuſque eſt in eccleſia S. Andreæ Apoſtoli, quæ præcedenti anno Fratribus Minoribus conceſſa fuerat, veluti notat Lucas Wadingus *ad an.* 1253. *num.* 50. *tom.* 3. De eo Rodulphus Toſſinianenſis *in hiſtor. Seraphic. lib. 1. pag.* 73. teſtatur his verbis: *Beatus Andreas Hiſpellas, miraculorum copia inſignis & cunctis admirabilis, ſitus eſt Hiſpelli &c.* Conſonat Bartholomæus Piſanus *lib. 1. conformit. fruct. 8. pag.* 75. ubi: *In loco Spelli jacet ſanctus Frater Andreas, qui fuit Sacerdos, qui multitudine miraculorum & vita ſanctiſſima hominibus extitit mirabilis & glorioſus, & mortuos ſuſcitavit*: & *fruct. 11. pag.* 149. rurſus memorat *locum de Spello, in quo inter alios fuit Frater Andreas Sacerdos, & Prædicator maximus, fulgens in vita & poſt mortem miraculis*. De eo item Arturus *in notis ad Martyrologium Franciſcanum ad diem 3. Junii*, ubi teſtatur inter alia, quod *Hiſpelli apud Fratres Minores Conventuales in veneratione habetur corpus hujuſmodi Beati Andreæ Caccioli, ſive, ut aliis placet, de Lacchis Hiſpellii, cujus feſtum hac die 3. Junii celebrant &c.* & proſequitur Wadingus *loc. cit.* Franciſcus Haroldus *in epit. eorumdem annal. ad dictum an. num.* 12. & alibi, Ludovicus Jacobillus *in vitis Sanctorum Umbriæ*, ubi *tom. 1. ad diem 3. Junii* hujus Beati vitam exhibet, & Bollandiani *ad diem 3. Junii tom. 1.*

185. Inter ſpecies autem antiquiſſimæ venerationis huic Beato præſtitæ cum titulo *Beati*, & *Sancti*, Imaginibus, & ſplendoribus in publicis tabulis & monumentis, valde etiam inſignis ea fuit, quod uſque ab anno 1360. celebrata invenitur ejus dies anniverſaria publica feſtivitate, cum ceſſatione ab operibus ſervilibus, & cum publica cereorum oblatione in ejus honorem per Magiſtratum Hiſpellatem in pervigilio ejus feſti, non aliter ac in feſto Sanctorum Patronorum, veluti deſumitur ex libro mſs. ſtatutorum Communitatis Hiſpelli ejuſdem anni 1360. (a ſan. mem. Paulo III. poſtmodum confirmato) *ſub lib. 4. cap. 42. de faculis fiendis fol. 109. a tergo, & lib. 5. cap. 18. de diebus Dominicis, & feſtivis fol.* 137. cujus libri particulæ cum aliis publicorum librorum & monumentorum ejuſdem Communitatis compulſatæ extiterunt in proceſſibus hujus cauſæ.

186. De hujuſmodi nempe cultu immemorabili cum jam extaret proceſſus ordinaria auctoritate confectus ab Epiſcopo Spoletano uſque ab anno 1626. & in ejus ſequelam ſub ſan. mem. Urbano VIII. ſignata eſſet Commiſſio introductionis cauſæ anno 1627. & mox etiam alter proceſſus Apoſtolica auctoritate conſtructus fuiſſet anno 1630. nihilominus ob dubietates exortas ſuper intelligentia generalium decretorum ejuſdem fel. record. Urbani Papæ VIII. cauſa ſiluit, donec ſub die 30. Julii 1729. reaſſumpta extitit ſub ſan. mem. Benedicto XIII. a quo ſignata Commiſſione reaſſumptionis die 6. Auguſti ejuſdem anni 1729. conſtructus denuo fuit Apoſtolica auctoritate proceſſus ab Epiſcopo Spole-

Spoletano; ab eoque tanquam Delegato lata ſententia, *Conſtare de cultu immemorabili, & caſu excepto*, eadem mox a ſacrorum rituum Congregatione approbata fuit die 19. Julii 1738. & a ſummo Pontifice Clemente XII. confirmata die 25. ejuſdem menſis & anni, juxta decreti tenorem ſupra relati.

§. L.

De Beata COLETA Virgine Reformatrice Ordinis Sanctæ Claræ.

DECRETUM.

Ambianen. ſeu Gandaven. Canonizationis B. Coletæ Virginis Reformatricis Ordinis Sanctæ Claræ.

187. *ADmiſſa a ſac. rituum Congregatione ſub die 5. Septembris mox elapſi anni 1739. Commiſſione in ſtatu & terminis cauſæ Canonizationis B. Coletæ prædictæ, eaque ſucceſſive a Sanctiſſimo Domino noſtro ſignata; deindeque ad inſtantiam P. Fr. Marci Antonii Gravois Procuratoris Generalis Ordinis Minorum Diſcalceatorum & Recollectorum S. Franciſci Poſtulatoris, ex diſpenſatione Apoſtolica, per Eminentiſs. & Reverendiſs. D. Cardinalem Ruſpoli ejuſdem cauſæ Relatorem in ſac. rituum Congregatione ordinaria, abſque interventu Conſultorum, propoſito ac diſcuſſo ſequenti dubio, An conſtet de cultu ab immemorabili tempore prædictæ Beatæ exhibito, ſeu caſu excepto a decretis ſel. record. Urbani VIII. ex indultis Apoſtolicis; ſacra eadem Congregatio, R. P. D. Ludovico de Valentibus Fidei Promotore in ſcriptis & in voce prius audito, reſcribendum cenſuit, Conſtare, ſi Sanctiſſimo Domino noſtro viſum fuerit. Die 23. Januarii 1740.*

Cum vero ob mortem ſecutam ſan. mem. Clementis Papæ XII. non potuerit per me Secretarium fieri relatio, facta autem fuerit Sanctiſſimo Domino noſtro Benedicto XIV. in ſummum Pontificem noviter electo, Sanctitas ſua benigne annuit. Die 26. Auguſti ejuſdem anni 1740.

188. Mortua eſt B. Coleta in monaſterio ab ipſa ædificato Gandavi in Flandria anno 1447. ejuſdem vitam ac res geſtas deſcripſit P. Stephanus a Juliano Ordinis Minorum, Theologus Pariſienſis, Scriptor coævus, ex eoque Laurentius Surius, Marcus Ulyſſiponenſis, Petrus de Annalibus, Oliverius de Langhe, aliique indicati a Wadingo *in annalibus Minorum ad annum* 1406. *num.* 4. *& ſeqq.* & rurſus *ad annum* 1447. *n.* 41. *& ſeqq.* De ea item agunt Joannes Molanus *in natalibus SS. Belgii*, Aubertus Miræus *in feſtis SS. Belgii*, Antonius Sanderus *in hagialog. Eland. & in hiſtor. Gandaven.*

189. Cum autem ſtatim ab obitu publica veneratione hæc Beata coleretur, & in dies magis Fidelium devotio erga illam augeretur, Nicolaus Epiſcopus Sereptanus Suffraganeus Epiſcopi Tornacenſis, cui tunc ſuberat Gandavum, an. 1536. ſacras Beatæ Exuvias ſolemni pompa elevavit, & in ejuſdem monaſterii eccleſia publicæ venerationi expoſuit, veluti narrant prædicti ejus vitæ Scriptores; quibus acſedit Wadingus *ad an.* 1447. *n.* 59. *tom.* 11. qui narrat, quod alias etiam *de illius Canonizatione actum eſt ſub Alexandro VI. & Julio II. ſed propter bellorum tumultus, & temporum calamitates nihil potuit tunc concludi. Gericus Minorita celebris Theologus & Eccleſiaſtes, dum Belgica quædam ſui Ordinis negotia Romæ obiret, a Pio V. expetiit, ut omnibus Coletanis liceret ejus feſtum celebrare. Cui Pius optimus Pontifex reſpondit: Habeam aliqua eorum quæ dicis, documenta; & libenter tuo, Virginumque ſacrarum deſiderio hac in parte ſatisfaciam. Itaque documenta multa collecta ſunt, & a Cornelio Janſenio Epiſcopo Gandavenſi, ſuo ſigillo & Secretarii manu conſignata, & Romam tranſmiſſa; at nonniſi poſt mortem Pii pervenerunt.*

190. Plura nihilominus Apoſtolica indulta ex eo tempore conceſſa fuerunt, in quorum ſequelam declaratum fuit a ſacrorum rituum Congregatione, *Conſtare de caſu excepto*. Primum vero illud eſt a Clemente VIII. anno 1604. editum in hæc verba.

Dilectis in Chriſto Filiabus Abbatiſſæ & Monialibus monaſterii S. Claræ Ordinis ejuſdem S. Claræ Gandaven.

CLEMENS PAPA VIII.

Dilectæ in Chriſto Filiæ, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

PIis ac devotis ſupplicationibus veſtro nomine humiliter porrectis inclinati, veſtræque ſpirituali conſolationi ac devotioni, quam erga B. Coletam olim veſtri Ordinis Monialem, cujus corpus in eccleſia veſtri monaſterii requieſcit, ac multis miraculis, quæ omnipotens Deus ad ejuſdem B. Coletæ interceſſionem, ut pie creditur, operari dignatur, ſicut ad Nos fide dignorum virorum relatione perlatum eſt, clarere dignoſcitur, gerere comprobamini, benigne proſpicere volentes, ex voto venerabilium Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium ſuper ſacris ritibus & cæremoniis deputatorum, vobis, ut Officium in honorem ejuſdem B. Coletæ de communi unius Virginis anniverſario die ejus obitus ſingulis annis recitare, & eodem die Miſſam in veſtra eccleſia in illius honorem pariter de communi unius Virginis celebrari facere libere & licite valeatis, auctoritate Apoſtolica tenore præſentium licentiam concedimus & indulgemus; voſque Officium hujuſmodi dicto die recitando, obligationi recitandi Divini Officii ſatisfacturas eſſe declaramus. Non obſtantibus Conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ceteriſque contrariis quibuſcumque. Datum Romæ apud S. Petrum ſub annulo Piſcatoris, die 27. Novembris 1604. Pontificatus noſtri anno XIII.

191. Alterum eſt illud Gregorii XV. datum ſub die 20. Septembris 1622. Pontificatus anno II. quo Monialibus ejuſdem Ordinis S. Claræ monaſterii Ambianenſis ab eadem B. Coleta fundatis pariter *de venerabilium Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium ſacris ritibus præpoſitorum conſilio* indulget, *ut de eadem B. Coleta ejuſdem monaſterii Fundatrice Officium de communi unius Virginis die anniverſario illius obitus recitare libere & licite valeant &c.* Et in ſimilibus terminis, *ut de eadem B. Coleta Miſſam in illius honorem celebrari facere, necnon Officium de communi unius Virginis die anniverſario illius obitus recitare libere & licite valeant*, indulſit Urbanus VIII. Monialibus ejuſdem Ordinis S. Claræ monaſterii *de Paſſione* nuncupati in ſuburbio Sancti Honorati Pariſienſis per ſuum Breve datum die 2. Octobris 1625. Pontificatus anno III.

192. Apoſtolica ejuſmodi indulta ſecutæ ſunt aliæ ſacrorum rituum Congregationis conceſſiones ſeu extenſiones factæ ejuſdem Officii & Miſſæ de communi in honorem B. Coletæ prædictæ ad plura loca & perſonas, ſub annis 1609. 1610. 1622. 1629. 1630. 1633. 1672. quo item anno compoſitæ fuerunt in ejuſdem Beatæ honorem lectiones propriæ ſecundi Nocturni cum Oratione item propria, per Cardinalem Bona in ſacrorum rituum Congregatione relatæ & approbatæ ſub die 3. Septembris dicti anni 1672. prout ex decretis ſingularum ejuſmodi conceſſionum relatis *in ſummario Poſitionis anni* 1740. ex quibus omnibus conſtare reſponſum fuit de cultu immemorabili, & caſu excepto ex indultis Apoſtolicis.

193. Porro cum in præmiſſo decreto cultum approbante mentio fiat Commiſſionis cauſæ in ſtatu & terminis, abſque ulla expreſſione introductionis vel reaſſumptionis, factum id eſt exemplo cauſæ Montis Politiani tunc Beatæ, nunc Sanctæ Agnetis, in qua poſt agitatam ſimilem quæſtionem ſuper forma Commiſſionis, tandem ſine ullo formali proceſſu, ſed tantummodo per exhibitionem extrajudicialium monumentorum, venerationis, ejuſque famæ continuationem comprobantium, ſignata eſt cauſæ Commiſſio in ſtatu & terminis, abſtinendo a qualificatione introductionis vel reaſſumptionis, juxta ea quæ alibi in hoc Opere fuſius explicantur *lib.* 2. *cap.* 38. *num.* 13. Parique ratione, per eorumdem indultorum exhibitionem, & extrajudiciales atteſtationes de eorum executione & continuato uſu, abſque ullo formali proceſſu deventum eſt ad cultus approbationem, ſeu declarationem caſus excepti, juxta ea quæ in hoc ipſo Opere ſuperius dicta ſunt *lib.* 2. *cap.* 17. *num.* 6. *& cap.* 21. *num.* 31. & alibi.

§. LI.

De Beata STEPHANA de QUINZANIS Monialis Ordinis Prædicatorum.

DECRETUM.

Cremonen. Canonizationis Beatæ Stephanæ de Quinzanis Fundatricis venerabilis monaſterii Sancti Pauli oppidi Soncini, Ordinis Prædicatorum.

194. *Poſt ſignatam manu ſan. mem. Clementis Papæ XII. Commiſſione introductionis cauſæ Canonizationis B. Stephanæ de Quinzanis ſupradictæ prævio conſilio Congregationis ſacrorum rituum habitæ die 6. menſis Septembris anno* 1738. *propoſitum fuit ab Eminentiſs. & Reverendiſs. D. Cardinali Belluga in eadem ſacra Congregatione dubium, An ſententia Judicum delegatorum a Reverendiſs. Epiſcopo Cremonen. lata ſuper cultu immemorabili dictæ Beatæ exhibito, & caſu excepto a decretis ſel. record. Urbani Papæ VIII. ſit confirmanda in caſu &c. Cum autem R. P. D. Fidei Promotor oppoſuiſſet, non fuiſſe per ipſum recognitum quoddam manuſcriptum enunciatum in ſcripturis Poſtulatorum prodiit die 10. Septembris proxime præteriti reſponſum, Dilata, & exhibeatur Domino Promotori præfatum manuſcriptum, ut illud recognoſceret. Factaque ejuſdem manuſcripti exhibitione, eoque recognito per dictum Dominum Promotorem Fidei, poſtea per eumdem Eminentiſs. Ponentem repropoſitum fuit ſupradictum dubium: ſacra eadem Congregatio, audito præfato Domino Fidei Promotore tum in ſcriptis tum in voce reſcribendum cenſuit, Affirmative, ſi Sanctiſſimo Domino noſtro viſum fuerit. Die* 10. *Decembris* 1740.

Factaque deinde per me Secretarium de prædictis eidem Sanctiſſimo Domino noſtro relatione, Sanctitas ſua benigne annuit. Die 14. *ejuſdem menſis & anni* 1740.

195. Beata Stephana de Quinzanis e vivis deceſſit anno 1530. ejuſque vitam & res geſtas primus ſub nomine *Legendæ* compendio excepit quidam Fr. Petrus ejuſdem Ordinis Prædicatorum (quem aliqui eumdem fuiſſe tradunt ac Petrum a Vicentia ejuſdem Beatæ Confeſſarium a teſtibus memoratum in proceſſu) & ipſe certe oculatus teſtis & contemporaneus, qui eamdem vitam ſubinde auxit, & poſt Beatæ obitum ſuperſtes continuavit ad plures annos, veluti colligitur tum ex alio manuſcripto anni 1540. aſſervato in archivo monaſterii S. Pauli oppidi Soncini, in quo pluries de Legenda mentio fit, tamquam ex parte compilata & non abſoluta (& hoc eſt manuſcriptum, de quo in decreto ſupra relato) tum etiam ex ipſa Fr. Petri Legenda *cap. 99.* ubi legitur: *Un altro miracolo degno di memoria, accaduto in Soncino nel* 1540. *eſſendo io* (inquit) *in Soncino, e di ciò poſſo renderne certo e chiaro teſtimonio &c.* Hanc porro Legendam poſtmodum anno 1590. exemplavit Fr. Sixtus Illuminatus a Janua ejuſdem Ordinis, & compulſata extitit in proceſſus hujus cauſæ.

196. De eadem Legenda, ut apparet, ſermo eſt ad calcem Martyrologii Ordinis Prædicatorum Romæ editi anno 1604. *pag.* 100. *Beata Stephana de Quinzanis Mantuæ admirabili ſanctitate & miraculorum ſignis clariſſimis effulſit. Extat ejus vita ſumma fide deſcripta.* Quanquam aliud non deſuit, *Breve compendio della vita della Beata Stefana, cavata dalli ſcritti del P. Fr. Gio. Batiſta da Salò, e dal P. Domenico di Calviſano l'anno* 1550. Quod quidem compendium occaſione ſignaturæ Commiſſionis examini ſubjectum fuit ac reviſum. Prout alii pariter Scriptores aut itidem contemporanei, aut ſuppares non defuerunt, qui ejuſdem Beatæ virtutes ac res geſtas ſcripto conſignarunt, & ſignanter Pater Seraphinus Razzius *in vitis SS. & BB. Ordinis Prædicatorum editis Florentiæ anno* 1577. *part.* 2. *pag.* 136. *& ſeqq.* & Pater Dominicus Codagli *in hiſtoria Urceana edita Brixiæ anno* 1592. *pag.* 159. *& ſeqq.* Quos in ſequenti mox ſæculo exceperunt Pater Joannes Michael Piò *in vitis virorum illuſtrium Ordinis S. Dominici editis Bononiæ* 1607. *pag.* 460. *& ſeqq.* Paulus Gironi *in vita ejuſdem Beatæ ſeorſim edita Fabriani anno* 1618. Pater Peregrinus Merula in opere, cui titulus, *Raccolta de' Cremoneſi in ſantità inſigni*, edito Brixiæ 1624. *pag.* 64. *& ſeqq.* Pater Franciſcus Seghizzi *in vita ejuſdem Beatæ edita Brixiæ* 1632. præter Franciſcum Areſium *in Cremona edita Parmæ anno* 1702. alioſque recentiores bene multos.

197. Ex his autem aliiſque argumentis publicæ venerationis & cultus erga Beatam prædictam poſt felicem ejus obitum exhibitis, ſignanter in oppido Soncini, permotus Cremonenſis Epiſcopus, ad inſtantiam tam Monialium monaſterii S. Pauli, quam Communitatis ejuſdem oppidi Soncini, Urceorum Novorum, vulgo *Orzi Nuovi*, Quinzani, & Melottæ, anno 1729. facultatem dedit ſuper dicto cultu proceſſum conficiendi, prout porro a Judicibus ab ipſo delegatis confectus eſt, eoque completo, declaratum ab eiſdem fuit, conſtare de cultu publico a tempore immemorabili & centenario ante decreta Urbani VIII. Beatæ Stephanæ præſtito. Quorum porro ſententiam poſt admiſſam anno 1738. cauſæ introductionem, eamque mature diſcuſſam, ſacra rituum Congregatio anno 1740. confirmandam denique cenſuit, juxta decreti tenorem ſupra relatum.

§. LII.

De Beato ALVARO de Corduba Sacerdote Profeſſo Ordinis Prædicatorum, Fundatore cœnobii Sancti Dominici de Scala Dei civitatis Cordubæ.

DECRETUM.

Corduben. Canonizationis Beati Alvari de Corduba Sacerdotis Profeſſi Ordinis Prædicatorum & Fundatoris cœnobii ſub titulo S. Dominici de Scala Dei civitatis Cordubæ.

198. *Cum poſt ſignatam anno* 1676. *manu ſan. mem. Clementis X. Commiſſione reaſſumptionis cauſæ Canonizationis B. Alvari prædicti diſputatum fuerit anno* 1716. *&* 1718. *in ſacra Congregatione rituum dubium An ſententia Reverendiſs. Epiſcopi Cordubenſis Judici delegati lata ſuper cultu immemorabili, ſeu caſu excepto a decretis ſan. mem. Urbani VIII. ſit confirmanda &c. negativum prodiit reſponſum, reſervato tamen jure Poſtulatoribus coadjuvandi probationes ſuper dicto caſu excepto. Cumque vigore ejuſmodi reſcripti novus confectus fuerit auctoritate Apoſtolica proceſſus, & in Actis ſupradictæ ſacræ Congregationis exhibitus, propoſitum inde fuit per Eminentiſs. & Reverendiſs. D. Cardinalem Belluga in locum Eminentiſs. & Reverendiſs. D. Cardinalis Corradini Ponentis, ac mature diſcuſſum dubium, an conſtet de caſu excepto a decretis Urbani VIII. ſeu de cultu immemorabili, in caſu & ad effectum, quo de agitur. Et ſacra eadem Congregatio, audito prius in voce & in ſcriptis R. P. D. Ludovico de Valentibus Fidei Promotore, reſpondit, Affirmative, ſi Sanctiſſimo Domino noſtro viſum fuerit. Hac die* 16. *Septembris* 1741.

Factaque deinde per me Secretarium de prædictis eidem Sanctiſſimo Domino noſtro relatione, Sanctitas ſua benigne annuit, die 22. *ejuſdem menſis & anni* 1741.

199. B. Alvarus ex prænobili familia, quam vulgo de Corduba dicunt, ſub finem ſæculi XIV. Cordubæ natus eſt, ubi bonis moribus ac liberalibus diſciplinis inſtructus, in ſuæ ætatis flore inter Religioſos Ordinis Prædicatorum eſt cooptatus. Expleto ſtudiorum curriculo, ſtatim verbi Dei prædicationi incubuit. In hoc vero obeundo munere, mirum, quot, quantoſque labores & animi anguſtias exantlavit, totas peragrando Hiſpaniarum provincias & non exiguam Italiæ partem, & ſane non ſine maximo animarum lucro.

200. Cumque fama ſanctitatis ipſius jam increbuiſſet, renunciatus fuit Confeſſarius Hiſpaniarum Reginæ, ejuſque ſubinde filii, qui matri in regno ſucceſſit. Hoc tamen munus, auſterioris vitæ flagrans deſiderio, ſponte abdicavit. Quamobrem conſtructo cœnobio ſub titulo S. Dominici in quodam monte prope mœnia civitatis Cordubæ, ibi Deo ferventius famulatus eſt, ſe in omnibus virtutibus exercendo. Quinimmo intempeſta nocte in quamdam ſpeluncam, aliamque eremum, cœnobio proximas, ſecedere conſuevit, ubi noctes pene cunctas inſomnes duxit altiſſima contemplatione abreptus, & caſtigando ſeveriſſimis flagris ſuum corpus in ſervitutem redegit. In hoc auſteriſſimo vitæ genere cum ad plures annos conſtanter perſeveraſſet, conſummato tandem mortalis vitæ curſu, in oſculo Domini feliciter animam efflavit anno a Chriſti nativitate 1430. celeberrima ſanctitatis relicta fama, quæ quidem accedentibus prodigiis tum per ſpontaneum æris Campani ſonitum eodem momento editum, quo ex hac vita deceſſit, tum etiam per cæleſtes fulgores, quibus

tota

UAB Biblioteca de Ciències Socials

tota domus & loca, quæ circum erant, emicabant, latius diffusa, tantam post ejus obitum excitavit apud incolas civitatis Cordubæ admirationem, & subinde piæ devotionis affectum, ut statim illum tanquam Sanctum cum Deo in cælis regnantem publice venerari & colere cœperint. Hæc aliaque id genus scriptis commendarunt Fr. Joannes Marietta *in vita Beati impressa Matriti anni* 1601. P. Aloysius Sotilla de Messa Ordinis Prædicatorum *in vita Beati impressa Hispali anno* 1628. Reverendiss. P. Fr. Joannes Lopez Episcopus Monopolitanus *in* 3. *parte historiæ generalis S. Dominici impressa Vallisoleti anno* 1613. & demum Georgius Cardoso *in hagiologio Lusitano impresso Ulyssipone anno* 1652. *tom.* 2. *die* 19. *Februarii in commentario lit. B. pag.* 475.

201. Quamplurimæ vero allatæ sunt antiquissimæ venerationis species huic Dei Servo præstitæ, elevatio videlicet corporis facta anno 1490. erectio Capellæ, & celebratio Missarum in ipsius honorem, retentio lampadis ante ejus Reliquias, statuæ & Imagines depictæ cum diademate radiis & splendoribus ac retentæ in altaribus & ecclesiis, appensio tabellarum & anathematum circa sepulcrum & in Capella, celebratio festi, & erectio Sodalitatis in ejus honorem, Fidelium concursus ad sepulcrum, & ad speluncam, aliamque eremum, in quas vivens se recipiebat, conservatio Reliquiarum inter illas aliorum Sanctorum, impositio nominis ipsius infantibus in Baptismo, & demum titulus Sancti & Beati, quo Servus Dei Alvarus decoratus fuit, ut fuse demonstratur ex libro computorum cœnobii S. Dominici de Scala Cæli, ex libro Confraternitatis erectæ anno 1592. & ex aliis juribus compulsatis in processus Apostolicos hujus causæ.

202. Inter has vero venerationis species præcipuæ fuerunt, quas erga ipsum præstitere Pater Fr. Aloysius de Granata, Reverendiss. Fr. Martinus de Mendoza, & Reverendiss. Fr. Joannes Toledo, aliique Episcopi Cordubenses. De Patre Granata hæc habentur ex particula libri cœnobii S. Dominici de Scala Cæli compulsata in processum Apostolicum anni 1739. *E nella medesima facciata del detto foglio* 128. *vi è un' altra clausula, che è la settima, e che dice come siegue: Item vi sono di più in detta chiesa due lampadi, cioè quella della cappella maggiore di ottone colle sue pallottole assai magnifica, e l' altra di stagno nella cappella di S. Alvaro, che pose il Padre Maestro Fr. Luigi di Granata l' anno* 1534. *E nella prima facciata del foglio* 126. *ove sono inventariate le Immagini della chiesa, la terza clausula canta come siegue: Item tre statue grandi: una del nostro Padre S. Domenico; l' altra di S. Francesco; e l' altra di S. Alvaro in atto di penitenza; le quali stanno ne' lovo nicchj dell' altar maggiore. Nel margine dice: S. Domenico, S. Francesco, S. Alvaro. E questo lo pose il P. Maestro Fr. Luigi di Granata nell' anno* 1534. De dictis vero Episcopis hæc habent Georgius Cardosus *in hagiologio tom.* 1. *die* 19. *Februarii in commentario litt. B. pag.* 475. *Nella quale (cappella di S. Alvaro) pochi anni sono vi stava una picciola campanella, chiamata di S. Alvaro, la quale ogni volta che aveva da morire alcun Frate del Convento, o personaggio grave Benefattore dell' Ordine, sonava da per se stessa, come succedette nella morte del Vescovo D. Fr. Martino de Mendoza particolar devoto del Santo, che frequentemente veniva in questo Convento a celebrare nella sua cappella, e toccando lui le sante Reliquie le metteva sopra le teste di molti, li quali capitavano a venerarle. L' istesso faceva D. Fr. Juan de Toledo, ed altri Prelati, che li succedettero nella Chiesa di Corduba: argomento manifesto della stima grande che facevano della santità del Servo di Dio, essendo così gravi, dotti, e circospetti Prelati.*

203. Quanquam vero usque ab anno 1627. prævia relatione processuum auctoritate ordinaria confectorum super hujus Beati fama sanctitatis, virtutum, & miraculorum, signata esset Commissio introductionis causæ sub san. mem. Urbano VIII. & subinde expeditis litteris remissorialibus, & compulsorialibus, confectus fuisset processus auctoritate Apostolica, & a sacrorum rituum Congregatione anno 1632. commissus fuisset juxta illius temporis consuetudinem tribus antiquioribus Rotæ Auditoribus, ut viderent de illius validitate, heroicis virtutibus, & miraculis; ob extrinseca tamen impedimenta, & ob editionem decretorum ejusdem Urbani VIII. causa siluit: donec excitata iterum instantia die 5. Februarii anni 1676. signata fuit manu san. mem. Clementis X. Commissio reassumptionis causæ in statu & terminis. Hujus Commissionis vigore concessis per eamdem sacram Congregationem ab anno prædicto 1676. litteris remissorialibus, & compulsorialibus ad construendum in civitate & diœcesi Cordubensi processum particularem super cultu ab immemorabili tempore dicto Beato præstito, & casu excepto a dictis Urbani VIII. in Congregatione sanctissimæ Inquisitionis super non cultu editis, illarumque vigore compilato processu, dictæque sacræ Congregationi & in illius Actis exhibito, & servatis servandis aperto, propositoque deinde sub die 22. Augusti 1716. in dicta sacra Congregatione dubio, *An sententia Episcopi Cordubensis Judicis delegati, lata super cultu immemorabili, & casu excepto a decretis san. mem. Urbani Papæ VIII. esset confirmanda*, fuit rescriptum, *Sententiam prædictam non esse confirmandam, præservando tamen Postulatoribus jus coadjuvandi probationes super casu excepto.* Idemque rescriptum fuit confirmatum in alia quoque propositione sub die 10. Decembris 1718.

204. Difficultas, ob quam in hac causa non constare de casu excepto a sacra Congregatione tunc rescriptum fuit, præcipue circa id versata est, quod testes etiam cum requisitis Glossæ *in cap.* 1. *de præscrip. in* 6. de immemorabili deponentes, minime satis erant ad probandum cultum fuisse præstitum spatio centum annorum ante decreta. Compertum enim exploratumque est, quod probatio directa cultus centenarii inniti debet monumentis authenticis, quæ edita sint centum annis ante decreta Urbani VIII. historiis nempe, publicis instrumentis, atque aliis id genus: testes vero tantummodo adminiculum præstare possunt cultui centenario, ut etiam a nobis dictum est in hoc nostro Opere *lib.* 2. *cap.* 22.

205. Verum expeditis vi supradictorum sacræ Congregationis rescriptorum requirentium coadjuvationem probationum, litteris remissorialibus, & compulsorialibus, constructoque novo processu Apostolico, cum causæ Postulatores nova veteribus documenta adjunxerint, quibus antedictas venerationis species centum annos ante decreta Urbani VIII. B. Alvaro præstitas fuisse probarunt sub die 16. Septembris anni 1741. propositio in eadem sacra Congregatione dubio, *An constet de casu excepto*, rescriptum tandem est, *Constare*, juxta decreti formam supra relatam.

§. LIII.

De Venerabili Servo Dei PETRO GONZALEZ Sacerdote Professo Ordinis Prædicatorum, *San-Telmo*, & *Beato* nuncupato.

DECRETUM.

Tuden. Canonizationis Beati Petri Gonzalez Sacerdotis Professi Ordinis Prædicatorum San-Telmi *nuncupati.*

206. *Admissa a sacrorum rituum Congregatione ordinaria habita die* 23. *Januarii* 1740. *Commissione introductionis causæ Canonizationis B. Petri Gonzalez prædicti, a Sanctissimo Domino nostro Benedicto XIV. postmodum signata; ad instantiam modo Reverendiss. Patris Thomæ Ripoll Magistri Generalis Ordinis Prædicatorum, hujusmodi causæ Postulatoris, examinato sub infrascripta die processu in Curia Episcopali Tuden. auctoritate ordinaria constructo super cultu ab immemorabili tempore dicto Beato præstito, sive super casu excepto a decretis san. mem. Urbani Papæ VIII. in Congregatione sanctissimæ Inquisitionis editis, in quo idem Episcopus sententiam protulit super dicto cultu, ac insimul per Eminentiss. & Reverendiss. D. Cardinalem Gotti Ponentem infrascripto dubio proposito, An sententia Reverend. Episcopi Tuden. super cultu publico ab immemorabili tempore prædicto Beato exhibito, sive casu excepto a decretis san. mem. Urbani Papæ VIII. sit confirmanda in casu & ad effectum &c. sacra eadem Congregatio, R. P. D. Ludovico de Valentibus Fidei Promotore in scriptis & in voce prius audito, rescribendum censuit: Sententiam Episcopi Tuden. latam super cultu publico præstito dicto Beato a tempore immemorabili, sive casu excepto a decretis san. mem. Urbani VIII. esse confirmandam in casu & ad effectum, de quo agitur, si Sanctissimo Domino nostro visum fuerit. Die* 9. *Decemb.* 1741. *Factaque deinde per me Secretarium de prædictis SS. D. N. relatione, Sanctitas sua benigne annuit. Die* 13. *ejusdem mensis & anni* 1741.

207. In terra Fromistæ Palentinæ diœcesis in Hispaniis

niis ſub finem XII. ſæculi natus eſt hic Venerabilis Dei Famulus, qui, poſt exactam in litteris & Eccleſiaſtica militia adoleſcentiam, repentino levi infortunio ad arctiorem vitam vocatus, abdicato, quem obtinuerat ab Honorio III. Palentinæ Cathedralis Decanatu, naſcentem Prædicatorum Ordinem ingreſſus eſt in Conventu Palentino ab ipſo Sancto Ordinis Patriarcha Dominico in vivis adhuc agente paulo ante fundato. Egregiis in Religione virtutibus eluxit, ſacris præſertim concionibus obeundis, & excipiendis Fidelium confeſſionibus, quo in munere ipſi etiam Beato Ferdinando III. Regi Caſtellæ & Legionis, de quo ſupra actum eſt, præſto fuit, donec Apoſtolico ſui laboris curſu feliciter conſummato, meritis plenus in Tudenſi urbe (vulgo Tuy) migravit ad Dominum circa annum 1246. veluti habetur in antiqua ejus vitæ Legenda manuſcripta, compulſata in proceſſus hujus cauſæ, cui conſonant plures ejuſdem vitæ Scriptores, Petrus Ribadeneira in opere, cui titulus, *Flos Sanctorum, ad diem* 14. *Aprilis*, Ludovicus de Souſa *in hiſtoria Ordinis S. Dominici Luſitan. cap.* 28. *pag.* 239. *ad* 252. Prudentius de San-Toval Epiſcopus Tuden. & Chroniſta regius *in antiquit. Tudenſ. pag.* 150. *ad* 193. Ferdinandus de Caſtillo *in hiſtor. generali Ord. Præd. part.* 1. *lib.* 2. *cap.* 23. *ad* 26. Bzovius *ad an.* 1246. *num.* 3. *ad diem* 15. *Aprilis tom.* 2. & P. Ferdinandus de Pineda Ordinis Prædicatorum *in hiſtoria vitæ, virtutum, & miraculorum hujus Beati ſeorſim edita anno* 1716.

208. De eo item ſub titulo Beati ac Sancti jampridem meminerunt S. Antoninus *in chron. part.* 3. *tit.* 23. *cap.* 10. §. 5. Leander Albertus *de viris illuſtribus Ordinis Prædicatorum lib.* 5. *pag.* 192. Philippus Ferrarius *in catal. general. SS. ad diem* 14. *Aprilis*, Jo. Tamayus de Salazar *in Martyrol. Hiſp. ad eamdem diem*, aliique plures relati in cauſæ proceſſibus. In quos præterea, ultra alia monumenta, compulſatæ fuerunt plures antiquæ Synodales Conſtitutiones annorum 1484. 1529. 1531. & aliæ publicum & antiquiſſimum hujus Venerabilis Dei Famuli cultum comprobantes cum appellatione *Beati* & *Sancti*, elevatione ejus corporis ad Capellam de ejus nomine nuncupatam *del Corpo Santo*, accenſione lampadum, precum recitatione, ac ejus demum invocatione tanquam Patroni civitatis & diœceſis: ejuſque nomen deſcriptum habetur in Martyrologio Romano ad uſum Eccleſiæ Tudenſis prædictæ cum hoc elogio: *In Octava Reſurrectionis pro Beato Petro Confeſſore. In Hiſpania civitate Tudenſi in finibus Galliciæ natale Beati Petri Confeſſoris ex illuſtri Prædicatorum familia, qui virtutibus ac miraculis clarus ſub Ferdinando III. Hiſpaniarum Rege anno* 1246. *glorioſus migravit ad Dominum. Ejus corpus in eccleſia Cathedrali ejuſdem civitatis in celebri Capella honorifice conditum eſt. Ejus memoria poſt Octavam Dominicæ Reſurrectionis, hoc eſt in craſtinum, undique Fidelibus populis convenientibus, ſumma cum veneratione recolitur.*

209. Celebris eſt etiam & antiqua erga hunc Venerabilem Dei Famulum nautarum fiducia, ita ut vulgo pro eorum Patrono habeatur, veluti ex antiquo codice refert ſupra allegatus Tamayus de Salazar *loc. cit.* ubi: *In fine* (inquit) *mei codicis, ex quo vitam deſumpſi, hæc de hoc formalia leguntur verba: Cum Sanctus ille* (*Petrus Telmo*) *univerſalis pro omnibus interceſſor, ut nos Dei miſericordia ab omnibus tueatur malis, ſit, maxime navigantibus in naufragio occurrit B. Petrus; ideoque multoties invocatus ab illis, protinus in malo navis, aut in corbe lucerna apparet cærulea ad inſtar ignis ſulphurei, qua viſa, ſe a periculo liberatos magnis acclamationibus, & gratulationibus confitentur.* Unde factum eſt, ut idem Tamayus addit, quod hoc ipſum, quod *in navium puppi jubar apparet, apud ipſos San-Telmo vocitatur &c.* Et conſonant alii vitæ Scriptores ſupracitati cum Bollandianis *ad diem* 15. *Aprilis tom.* 2. *in comment. præv. num.* 2. ubi hæc habent: *Duravit uſque ad hoc præſens ſæculum illa Divinorum beneficiorum ad invocationem Beati Petri patratorum claritas & frequentia, quæ delatum eidem jam olim Sancti titulum hodieque conſervat. Sed navigantibus præſertim utile ejus patrocinium ſentitur: unde ex quodam manuſcripto Victorinæ bibliothecæ Pariſiis in vita mox danda hæc verba allegantur: Sanctus Petrus Gonſalvus Patronus maris Hiſpaniæ, clarus miraculis.*

210. Extabant porro alias proceſſus informativi auctoritate ordinaria conſtructi ſuper vita & miraculis hujus Venerabilis Servi Dei, alter ſcilicet in civitate Tudenſi anno 1582. alter in civitate Ulixbonen. Orientali ante annum 1592. compilati, veluti refert Ludovicus de Souſa *in ejus vita*. Verum, cum non obſtantibus exquiſitis diligentiis, reperiri hactenus non potuerint, alii duo proceſſus confecti ſunt in Curia Tuden. primus ſuper fama ſanctitatis & miraculorum anno 1728. & ſucceſſive anno 1731. alter ſuper cultu ab immemorabili tempore eidem Venerabili Dei Famulo præſtito. In quorum ſequelam poſito in ſacra rituum Congregatione, ac diſcuſſo dubio, *An ſit ſignanda Commiſſio introductionis cauſæ*, die 23. Januarii 1740. reſponſum fuit, *Affirmative:* ac ſucceſſive ſignata extitit Commiſſio die 26. Auguſti ejuſdem anni.

211. Poſt hæc tranſitus factus eſt ad examen caſus excepti a decretis Urbani VIII. & præter plures cultus ſpecies ab immemorabili tempore Beato Petro præſtitas & authenticis documentis demonſtratas, allata ſunt etiam plura Indulgentiarum Brevia a ſummis Pontificibus conceſſa. Et primo Clemens VIII. elargitus fuit tum Indulgentiam plenariam omnibus qui ſe adſcriberent Confraternitati ſub invocatione *del Corpo S. Pietro Gonzalez Telmo* erectæ in eccleſia Collegiata oppidi de Bajona; tum aliam Indulgentiam ſeptem annorum & totidem quadragenarum viſitantibus dictam eccleſiam die feſto ejuſdem Beati. Clemens deinde XI. conceſſit Indulgentiam plenariam ad ſeptennium viſitantibus oratorium publicum in honorem Beati erectum in urbe Tuden. in uno anni feſto die ab Ordinario deſignando. Et ſimilem demum Indulgentiam elargitus eſt Benedictus XIII. Propoſitoque die 9. Decembris anni 1741. in ſacra rituum Congregatione dubio, *An ſententiæ Reverendiſs. Epiſcopi Tuden. lata ſuper cultu publico ab immemorabili tempore B. Petro exhibito, ſive caſu excepto a decretis ſan. mem. Urbani VIII. confirmanda eſſet*, ac ſedulo animadverſis atque diſcuſſis tum ſupradicto proceſſu confecto ſuper cultu immemorabili, tum ſingulis cultus ſpeciebus, attentiſque Brevibus Indulgentiarum, eadem ſacra Congregatio dictam ſententiam confirmandam eſſe cenſuit, & Congregationis judicium Nos ipſi approbavimus, ut ex præinferto decreto colligitur.

§. LIV.

De Beata JOANNA VALESIA Regina Franciæ & Fundatrice Ordinis ſanctiſſimæ Annuntiationis Beatæ Mariæ Virginis ſub Regula S. Franciſci.

DECRETUM.

Bituricen. Canonizationis Beatæ Joannæ Valeſiæ olim Reginæ Franciæ & Fundatricis Ordinis ſanctiſſimæ Annunciationis B. Mariæ Virginis ſub Regula S. Franciſci.

212. *PRopoſita ex diſpenſatione Apoſtolica per Eminentiſs. & Reverendiſs. D. Cardinalem de Tencin Ponentem ad inſtantiam P. Marci Antonii Gravois Definitoris Generalis Ordinis Fratrum Minorum S. Franciſci, Poſtulatoris ſpecialiter deputati in Congregatione ordinaria abſque interventu Conſultorum cauſa Canonizationis B. Joannæ Valeſiæ prædictæ, atque in ea diſcuſſo dubio, An ſententia Reverendiſs. Archiepiſcopi Bituricen. Judicis a ſacra rituum Congregatione delegati lata ſuper publico cultu ab immemorabili tempore prædictæ Beatæ exhibito, ſive ſuper caſu excepto a decretis ſel. record. Urbani Papæ VIII. ſit confirmanda in caſu & effectum, de quo agitur; ſacra eadem Congregatio, R. P. D. Ludovico de Valentibus Fidei Promotore in ſcriptis & in voce prius audito, reſcribendum cenſuit, Affirmative, ſi Sanctiſſimo Domino noſtro viſum fuerit. Die* 14. *Aprilis* 1742.

Factaque deinde per me Secretarium de prædictis eidem Sanctiſſimo Domino noſtro relatione, Sanctitas ſua benigne annuit. Die 21. *ejuſdem menſis & anni.*

213. Beata Joanna ex Ludovico XI. Galliarum Rege, & Carolina a Sabaudia parentibus in lucem edita anno 1465. bonis ſanctiſque moribus ab incunabulis educata, poſtquam annum decimum tertium ſuæ ætatis attigit, quamvis, ſe virginem permanere optaret, reverita tamen regii genitoris juſſa, nuptias celebravit cum Duce Aurelianenſi. Ab hoc tamen, ubi primum regale ſolium ſub nomine Ludovici XII. aſcendit, abdicata, ut cæleſtis Sponſi thalamo ſe aptiorem redderet, aſpero cilicio crebriſque jejuniis ſuam carnem edomuit, ferreaque catena uſque ad ſanguinis effuſionem dilaceravit. Ducatus Bituricenſis reditus, quo a conjuge dimittente

pro

pro ſuis alimentis acceperat, in pios uſus erogavit, & præſertim in egenorum & infirmorum levamen, quos & in publicis xenodochiis & in privatis domibus crebro inviſit. Novum Ordinem Sanctimonialium fundavit in honorem Annuntiationis Beatiſſimæ Virginis, obtenta prius a Sede Apoſtolica Regulæ approbatione. Poſt vitam vero ſumma humilitate in ſtatu regio, ſumma conſtantia & animi fortitudine in tribulationibus, ſummo denique heroicarum virtutum exercitio ſemper tranſactam, feliciter obiit anno 1504. celeberrima penes incolas urbis Bituricenſis de ſe relicta ſanctitatis opinione, quæ ſignis etiam & prodigiis firmata divinitus aſſeritur. Hæc, aliaque plura videre eſt quinque libris manuſcriptis, quorum primus & alter ſunt chronicæ a primis Ordinis incunabulis, tertius eſt menologium Ordinis Annuntiationis B. Mariæ Virginis, quartus eſt hiſtoria vitæ, obitus, & miraculorum B. Joannæ Valeſiæ, una cum vita Patris Gabrielis ejus Confeſſarii, & quintus eſt etiam hiſtoria vitæ & miraculorum ejuſdem Beatæ Latina & Gallica lingua ſub dublici columna conſcripta. De Actis hujus Beatæ meminerunt etiam Arnoldus Ferroni Burdigalenſis *in hiſtoria de rebus geſtis Gallorum tertiæ editionis anni* 1555. *fol.* 47. Guillelmus de Salligny *in hiſtoria Caroli VIII. Regis Franciæ fol.* 343. Scipio Dupley *in hiſtoria Galliæ tom.* 3. *fol.* 219. Cornelius a Lapide *in commentariis in quatuor Prophetas majores*, aliique Hiſtorici compulſati in proceſſus hujus cauſæ. Particularem hiſtoriam vitæ & miraculorum ejuſdem Servæ Dei edidit Sebaſtianus Cramoiſy Pariſiis anno 1625. cui titulus, *Ritratto ſagro della ſanta vita, morte, virtù e miracoli di Madama Giovanna di Francia &c.* libellum quemdam excuſum Pariſiis anno 1615. adornavit etiam Frater Gregorius Miricaut ſub titulo, *Miracoli maravigliosiſſimi &c.*

214. Plurimæ cultus ſpecies exhibitæ ab immemorabili tempore prædictæ Servæ Dei in præſenti cauſa allatæ ſunt. Ejuſmodi ſunt publicæ preces, & præſertim novendiales ſumma populi frequentia factæ ad Servæ Dei ſepulchrum, videntibus & non contradicentibus Archiepiſcopis Bituricenſibus, cereorum accenſio, & appenſio tabellarum ad ejuſdem ſepulcrum, Imagines cum laureolis, ſplendoribus, & inſcriptionibus titulum Sanctæ præferentibus, & Reliquiarum cuſtodia inter aliorum Sanctorum lipſana; ut præter quinque teſtium depoſitiones examinatorum in proceſſu Apoſtolico anni 1632. & ſic duobus annis ante Conſtitutionem Urbani VIII. editam anno 1634. & cum omnibus requiſitis ad immemorabile publicum cultum ab immemorabili tempore præſtitum atteſtantium, ex authenticis quoque documentis in medium prolatis evidenter denonſtratum fuit. Præcipua vero cultus ſpecies fuit recitatio Litaniarum, Antiphonarum, Orationum propriarum una cum verſiculo *Ora pro nobis Sancta Joanna*, quæ quidem evidentius demonſtrantur fuiſſe recitata centum annis ante decreta Urbani VIII. Liber enim, in quo deſcripta reperiuntur, conſcriptus fuit anno 1524. ut patet ex ejuſdem anni adnotatione facta in ejus fine.

215. Dignum quoque obſervatione pro hac cauſa viſum fuit, quod anno 1562. graſſante Calviniana hæreſi, cujus principale odium eſt in cultum ſacrarum Reliquiarum, occupataque a tumultuario Calviniſtarum agmine civitate Bituricenſi, ſtatim iſti acceſſerunt ad tumulum, ubi aſſervabatur corpus Beatæ; & ſuccenſis fraciſque ac profanatis omnibus cultus ſignis & ipſa marmorea inſcriptione ſepulcro ſuperimpoſita, ſacrum corpus a tumulo extractum una cum primarii civitatis Bituricenſis Patroni, Sancti videlicet Guillelmi corpore flammis tradiderunt, cineresque vento diſperſerunt. Non inde tamen imminutus fuit cultus, & concurſus populi ad Servæ Dei tumulum, uti teſtatur Aubertus Miræus in libro conſcripto pro ſupplemento chronici Euſebiani, compulſato in proceſſum Apoſtolicum anni 1632. in quo hæc habentur: *Hodie ad tumulum Beatæ Joannæ, tametſi ab impiis Hæreticis violatum, frequenter piorum hominum fiunt concurſus, accenduntur ceræ, vota offeruntur, & miracula patrantur &c.*

216. Prævia diſcuſſione proceſſuum ann. 1617. auctoritate ordinaria confectorum ſuper fama ſanctitatis, virtutum, & miraculorum Servæ Dei, ſignata fuit Commiſſio introductionis cauſæ Canonizationis ejuſdem, manu fel. record. Urbani VIII. Quamvis vero hujus Commiſſionis vigore, expeditis die 13. menſis Januarii anni 1632. a ſacra rituum Congregatione litteris remiſſorialibus, confectus fuiſſet proceſſus Apoſtolicus, atque anno 1633. ipſi Congregationi fuiſſet exhibitus, ob promulgationem tamen decretorum ejuſdem Urbani ſuper non cultu, vel ſuper caſu excepto, cauſa ſiluit. Signata tandem per ſan. mem. Alexandrum VII. die 20. Junii 1664. Commiſſione reaſſumptionis cauſæ, conditio de more appoſita fuit, ut in primis doceretur de paritione dictis decretis, ſive de caſu ab illis excepto. Quamobrem a ſacra rituum Congregatione expeditæ fuerunt litteræ remiſſoriales ad conſtruendum proceſſum particularem ſuper cultu publico ab immemorabili tempore B. Joannæ præſtito. Verum iſtæ ob varia & legitima Archiepiſcoporum Bituricenſium pro tempore impedimenta debitæ executioni minime demandatæ fuere; quinimmo ob longi temporis curſum perierunt. Proindeque rurſus Poſtulatoribus ſacræ Congregationi ſupplicantibus pro conceſſione duplicati dictarum litterarum remiſſorialium, & compulſorialium, die 21. Junii 1638. fuit ab eadem relaxatum petitum duplicatum litterarum: quarum vigore conſtructus fuit ab Archiepiſcopo Bituricenſi Judice delegato præfatus proceſſus particularis, lataque ab ipſo fuit ſententia declaratoria publici cultus B. Joannæ ab immemorabili tempore præſtiti. Tranſmiſſo tandem & exhibito ſacræ Congregationi memorato proceſſu, in eaque propoſito dubio, *An ſententia Reverendiſſ. Archiepiſcopi Bituricenſis lata ſuper cultu publico &c. ſit confirmanda in caſu & ad effectum &c.* eadem ſacra Congregatio reſcribendum cenſuit, *Affirmative*, ut patet ex decreto ſuperius exſcripto.

217. Reſcriptum porro Congregationis a Nobis ore tenus approbatum, fuit etiam confirmatum per noſtras litteras Apoſtolicas in forma Brevis, quæ hic ſubnectuntur.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Ad futuram rei memoriam.

EXponi Nobis nuper fecit dilectus Filius Marcus Antonius Gravois Frater expreſſe Profeſſus ac Definitor Generalis Ordinis Minorum S. Franciſci de Obſervantia nuncupatorum, necnon Poſtulator cauſæ Canonizationis Beatæ Joannæ Valeſiæ, quod dum fel. record. Urbanus Papa VIII. prædeceſſor noſter, poſtquam proceſſus auctoritate ordinaria anno 1617. peracti ſuper fama ſanctitatis, virtutum, & miraculorum ejuſdem B. Joannæ Valeſiæ, dum vixit, Francorum Reginæ, ac Ordinis Annuntiatarum B. Mariæ Virginis Fundatricis, in Congregatione venerabilium Fratrum tunc exiſtentium S. R. E. Cardinalium ſacris ritibus præpoſitorum diſcuſſi fuerant, per ſuam Commiſſionem manu propria ſignatam hujuſmodi cauſam eidem Congregationi Cardinalium cognoſcendam & diſcutiendam demandavit, cujus Commiſſionis vigore ab eadem Congregatione, ſeu a bon. mem. Carolo, dum pariter vixit, S. R. E. prædictæ Cardinali Pio nuncupato tunc dictæ Congregationis Præfecto die 13. Jan. 1632. litteræ remiſſoriales pro inquiſitione in genere, tunc itidem exiſtentibus Archiepiſcopo Bituricenſi, & Epiſcopis Aurelianenſi, & Nivern. directæ, conceſſæ & expeditæ fuerunt. Coram autem Archiepiſcopo & Epiſcopis prædictis proceſſu hujuſmodi confecto, atque an. 1633. memoratæ Congregationi Cardinalium præſentato, nihil amplius tunc temporis in eadem cauſa actum fuit, ob decreta memorati Urbani prædeceſſoris an. 1625. edita, & 1634. de novo poſita ſuper non exhibendo cultu iis, qui cum ſanctitatis vel Martyrii fama ab hac vita migraſſent, ſeu ſuper caſu ab iiſdem excepto. Præterea ſucceſſu temporis cum fama ſanctitatis una cum miraculis, quæ omnipotens Deus ob merita & ad interceſſionem dictæ B. Joannæ Valeſiæ, operari dignabatur, quamplurimum increbuiſſet atque in dies increbreſceret, clar. mem. Ludovicus, dum pariter vixit, Rex Chriſtianiſſimus, & Anna ab Auſtria Regina mater iteratis precibus ac litteris datis a fel. record. Alexandro Papa VII. itidem prædeceſſore noſtro poſtularunt, ut ad ejuſdem Servæ Dei Joannæ Valeſiæ Beatificationem & Canonizationem procedi poſſe benigne indulgere dignaretur. Idem Alexander prædeceſſor die 20. Junii 1664. Commiſſionem reaſſumptionis cauſæ prædictæ ſubſignavit, ac anno 1680. dicta Congregatio Cardinalium remiſſoriales, & compulſoriales litteras conceſſit, ac ad tunc quoque exiſtentem Archiepiſcopum Bituricenſem direxit pro confectione proceſſus particularis ſuper cultu a tempore immemorabili eidem Joannæ Valeſiæ exhibito, & caſu excepto a memoratis Urbani prædeceſſoris decretis; ob legitima pro tempore exiſtentium Archiepiſcoporum Bituricenſium hujuſmodi impedimenta, memoratis litteris executioni minime demandatis, quinimmo ob temporis curſum deperditis, proinde anno 1738. illarum duplicatum

ad re-

ad venerabilem Fratrem modernum Archiepiſcopum Bituricenſem fuit directum; cujus vigore idem Archiepiſcopus Judex delegatus ſuper eiſdem publico cultu ab immemorabili tempore prædictæ B. Joannæ Valeſiæ exhibito, necnon caſu, ut præfertur, excepto ſententiam protulit. Propoſito itaque in eadem Congregatione Cardinalium dubio, An ſententia ſupradicta eſſet confirmanda in caſu & ad effectum, de quo agebatur, ipſa Congregatio Cardinalium edidit decretum tenoris ſequentis, videlicet: Bituricen. Canonization. B. Joannæ Valeſiæ olim Reginæ Franciæ & Fundatricis Ordinis ſanctiſſimæ Annuntiationis B. Mariæ Virginis ſub Regula S. Franciſci. Propoſita ex diſpenſatione Apoſtolica per Eminentiſs. & Rev. D. Cardinalem de Tencin Ponentem ad inſtantiam P. Marci Antonii Gravois Definitoris Generalis Ordinis Fratrum Minorum S. Franciſci Poſtulatoris ſpecialiter deputati in Congregatione ordinaria abſque Interventu Conſultorum cauſa Canonizationis B. Joannæ Valeſiæ prædictæ, atque in ea diſcuſſo dubio, An ſententia Reverendiſs. Archiepiſcopi Bituricenſis Judicis a ſacra rituum Congregatione delegati lata ſuper publico cultu ab immemorabili tempore prædictæ Beatæ exhibito, ſive ſuper caſu excepto a decretis ſel. record. Urbani Papæ VIII. ſit confirmanda in caſu & ad effectum, de quo agitur; ſacra eadem Congregatio, R. P. D. Ludovico de Valentibus Fidei Promotore in ſcriptis & in voce prius audito, reſcribendum cenſuit, Affirmative, ſi Sanctiſſimo Domino noſtro viſum fuerit. Hac die 14. Aprilis 1743. Factaque deinde per me Secretarium de prædictis Sanctiſſimo Domino noſtro relatione, Sanctitas ſua benigne annuit. Die 21. ejuſdem menſis & anni. Fr. Jo. Cardinalis Guadagni Pro-Præfectus. T. Patriarcha Hieroſolymitanus Secretarius. Loco ✠ ſigilli. Quoniam autem dictus Marcus Antonius Poſtulator, quo decretum hujuſmodi firmius ſubſiſtat & ſervetur exactius, Apoſtolicæ confirmationis noſtræ patrocinio communiri ſummopere deſiderat, Nobis propterea humiliter ſupplicari fecit, ut ſibi in præmiſſis opportune providere, & ut infra indulgere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur ipſum Marcum Antonium Poſtulatorem ſpecialibus &c. volentes, & in quibuſvis &c. cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, præinſertum decretum ſuper publico cultu ab immemorabili tempore prædictæ B. Joannæ Valeſiæ exhibito editum, auctoritate Apoſtolica tenore præſentium approbamus & confirmamus, illique inviolabilis Apoſtolicæ firmitatis robur adjicimus; ſalva tamen ſemper in præmiſſis auctoritate Congregationis eorumdem Cardinalium. Decernentes eaſdem præſentes litteras firmas validas & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios & integros effectus ſortiri & obtinere, ac illis, ad quos ſpectat & ſpectabit in futurum, pleniſſime ſuffragari, ac ab eis reſpective inviolabiliter obſervari; ſicque in præmiſſis per quoſcumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam &c. Auditores, judicari & definiri debere, ac irritum &c. attentari. Non obſtantibus Conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ceteriſque contrariis quibuſcumque. Volumus autem, ut ipſarum præſentium litterarum tranſumptis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in Eccleſiaſtica dignitate conſtitutæ munitis eadem &c. oſtenſæ. Datum in Arce Gandulphi Albanen. diœceſis &c. 18. Junii 1742. Pontificatus noſtri anno II.

§. LV.

De Beato GERIO PATRONO Montis Sancti.

DECRETUM.

Firmana Canonizationis Beati Gerii a Monte Sancto Sancti nuncupati.

218. *CUM ab Eminentiſs. & Reverendiſs. D. Cardinali Firraocauſæ Canonizationis B. Gerii prædicti Ponente, ex diſpenſatione Apoſtolica propoſitum ac diſcuſſum fuerit in Congregatione ordinaria abſque interventu Conſultorum infraſcriptum dubium, An conſtet de cultu ab immemorabili tempore eidem Beato exhibito, & caſu excepto a decretis ſan. mem. Urbani Papæ VIII. itaut ſententia Pro-Vicarii Generalis ſpecialiter delegati a Reverendiſs. Archiepiſcopo Firmano ſit confirmanda in caſu & ad effectum, de quo agitur; ſacra eadem Congregatio, in ſcriptis & in voce R. P. D. Ludovico de Valentibus Fidei Promotore prius audito, reſcribendum cenſuit, Affirmative, ſi Sanctiſſimo Domino noſtro viſum fuerit. Die 28. Julii 1742.*

Factaque deinde per me Secretarium de prædictis eidem Sanctiſſimo Domino noſtro, ideſt Nobis ad ſummum Pontificatum evectis, relatione, Sanctitas ſua benigne annuit. Die prima Auguſti ejuſdem anni 1742.

Beatus Gerius ex nobili familia Comitum Lunelli in provincia Occitania progenitus mortem obiit ſæculo XIII. in confiniis territorii Montis in Piceno prope flumen vulgo *Potentia* dictum, antequam Anconam perveniret, ad quam una cum germano fratre Effrendo Roma profectus, iter inſtituerat, ut adjuncto ſibi ſocio S. Liberio Anconitano loca Nativitate, & Paſſione Domini ſanctificata inviſeret. Fama ſanctitatis hujus Beati, quam illuſtriorem reddidit tum improviſus & nullo ciente campanarum ſonitus in obitu editus, tum cæleſtis fragrantia ex ipſius corpore emanans, excitati finitimi populi, de ſacro corpore elevando & aſportando in ſua quiſque loca contendebant. Verum illud ita immobile perſtitit, ut nulla vi, nullave arte dimoveri unquam potuerit, donec voce cujuſdam pueri fortuito inclamantis audita inter ipſos conventum ſit, ut ſuper quadriga indomitis tracta juvencis imponeretur, & quo forte duceretur, illic honorificæ ſepulturæ traderetur. Super ea itaque quadriga corpus B. Gerii impoſitum, delatum fuit a juvencis nullo ducente currentibus ad locum, qui tunc temporis *Columbario* nuncupabatur, non procul ab oppido Montis Sancti, non ſine ingenti lætitia & exultatione univerſi populi ejuſdem Montis.

Hæc, aliaque id genus deſcripta habentur in vita ipſius Beati exarata anno 1326. & authentice conſervata in archivo Archiepiſcopatus Firmani, cujus exemplar extat etiam in bibliotheca Vallicelliana Urbis. De eodem ſermonem habent Bollandiani *ad diem* 25. *Maji tom.* 6. Ferrarius *in catal. SS. Ital. ad dictam diem*. Nos quoque hujus S. Gerii mentionem fecimus *hoc eodem lib.* 2. *cap.* 18. *n.* 2. ubi hæc habentur: Et eam quidem *opinionem roborant auctoritate Actorum S. Gerii Patroni Montis Sancti, & filii Comitis Lunelli in provincia Occitania, qui ſæculo XIII. Romam profectus, & inde Ancona iter inſtituens, ut, ſocio ſibi adjuncto S. Liberio ad tranſmarina loca pergeret, mortuus eſt, antequam eo perveniret.*

Inter celebriores publici cultus ſpecies, quo Fideles B. Gerium ab annis fere quadringentis proſecuti ſunt, recenſentur erectio & dedicatio eccleſiæ ſtatim poſt obitum in honorem ipſius in ſupramemorato loco *Columbario*: celebratio ſolemnis feſti cum ceſſatione ab operibus ſervilibus, Imagines ejuſdem Beati pictæ ſæculo XIII. cum laureolis, ſplendoribus, aliiſque ſignis publici cultus, appenſio anathematum ac votivarum tabellarum in enuntiata eccleſia, titulus Sancti prædicto Beato uſque ab ejus obitu tributus, & demum electio ejuſdem in Patronum populi Montis Sancti. Hæc, aliaque publicum cultum præferentia comprobata fuere ex ſupra memorato codice vitæ B. Gerii judicialiter recognito de mandato Cardinalis tunc temporis pro ſancta Sede Legati in provincia Marchiæ Anconitanæ, & ex libris conſiliorum & decretorum oppidi Montis Sancti, in quibus variæ ordinationes & Conſtitutiones habentur factæ a Communitate ejuſdem oppidi de cultu, veneratione, & ſolemni feſto peragendo in honorem B. Gerii, editæ annis 1377. 1480. 1481. 1484. 1492. 1496. 1523. & etiam annis ſubſequentibus. Celebriorem vero Conſtitutionem eadem Communitas edidit tempore Eugenii Papæ IV. qui Cathedram Petri regebat anno 1431. in qua Conſtitutione inter alia ſolemniora anni feſta, in quibus ab operibus ſervilibus abſtinendum eſt, recenſetur feſtum B. Gerii, conſtitutis etiam atque præſcriptis quibuſdam annuis oblationibus in die feſto ejuſdem Beati. Quibus accedit etiam quod ſan. mem. Pius II. anno 1460. Indulgentiam decem annorum & totidem quadragenarum in perpetuum elargitus fuit, tum iis, qui *eccleſiam S. Gerii in die feſtivitatis ejuſdem Sancti a primis Veſperis uſque ad ſecundas Veſperas annis ſingulis devote viſitaverint, tum iis (juxta morem tunc temporis receptum, qui a poſterioribus Romanorum Pontificum Conſtitutionibus deletus eſt) qui ad ejuſdem eccleſiæ erectionem, manutentionem & conſervationem, necnon librorum, vaſorum, paramentorum, & ornamentorum emptionem manus promptas porrexerint adjutrices*, ut patet ex litteris Apoſtolicis Pii II. datis in loco qui dicitur *Rocca Papæ* Tuſculanæ diœceſis dicto anno 1460. Ob has tam inſignes publici cultus ſpecies B. Gerio uſque a ſæculo XIII. præſtiti, & feliciter uſque ad præſentia tempora continuati, poſtquam ſignata fuit die 13. Januarii currentis anni 1742. a Nobis Commiſſio introductionis cauſæ, propoſitum deinde ac diſcuſſum fuit in ſacra rituum Congregatione dubium, *An conſtet de cultu immemo-*

morabili &c. & affirmativa prodiit resolutio, cui Nos robur confirmationis addidimus, ut patet ex decreto superius excripto.

§. LVI.

De Beato BENEDICTO a S. Philadelphio Laico Professo Ordinis Minorum Observantium Reformatorum S Francisci.

DECRETUM.

Panormitana Canonizationis B. Benedicti a S. Philadelphio Laici Professi Ordinis Minorum Observantium Reformatorum S. Francisci.

219. *CUm a sacrorum rituum Congregatione sub die 26. Augusti 1713. admissa fuerit, annuente etiam san. mem. Clemente Papa XI. die 6. Septembris ejusdem anni, & successive signata Commissio reassumptionis causæ Canonizationis prædicti Beati Benedicti a S. Philadelphio; eamque ad tenorem præfatæ Commissionis ad instantiam P. F. Leopoldi a Roma Postulatoris Generalis causarum Servorum Dei, & Beatorum enuntiati sui Ordinis ab E. & R. D. Card. Corradino in sac. eadem Congregatione ordinaria habita die 1. Decembris 1742. propositum, & discussum fuerit dubium*, An constet de cultu publico eidem Beato Benedicto præstito, sive de casu excepto a decretis san. mem. Urbani Papæ VIII. in casu de quo agitur, *prodiit responsum:* Dilata, & coadjuventur probationes. *Repropositio autem iterum præfato dubio in Congregatione habita sub infrascripta die per E. & R. D. Card. Accorambonum subrogatum in locum prædicti clar. mem. Card. Corradini interim defuncti, & coadjuvatis probationibus ac melius elucidatis, sacra eadem Congregatio, prævio maturo examine processuum Apostolicorum super præfato cultu publico, sive casu excepto constructorum hic in Urbe, & in civitate Panormi, ac etiam tam in scriptis quam in voce R. P. D. Ludovico de Valentibus Fidei Promotore iterum audito, referendum censuit:* Affirmative, *si Sanctiss. Domino nostro visum fuerit. Die* 11. *Maji* 1743.

Factaque deinde per me Secretarium de prædictis eidem Sanctiss. Domino nostro relatione, Sanctitas sua benigne annuit. Die 13. *ejusdem mensis & anni* 1743.

F. I. A. Card. Guadagni Pro-Præf. T. Patriarcha Hierosolymit. Secret.

220. Beatus Benedictus ex parentibus Mauris quidem genere, religione tamen Catholicis progenitus, natale solum sortitus fuit in pago S. Philadelphii vulgo *S. Fradello* diœcesis Panormitanæ. Ipsis orbatus, Religioni Minorum Observantium Reformatorum S. Francisci nomen dedit. In ista quidem ob eximias virtutes, quibus præditus erat, tum ob cælestia, quibus locupletabatur, charismata, tantam apud omnes sanctitatis famam adeptus est, ut, licet Laicus & plane rudis esset, libenter tamen Præpositus renunciatus fuerit in Conventu Panormitano S. Mariæ de Jesu, in quo summa sanctimoniæ opinione relicta, felicem Sanctorum mortem obiit anno 1589. Hæc, aliaque memorant non solum complures testes examinati cum requisitis *Glossæ in cap.* 1. *de præscript. in* 6. in processibus compilatis, verum etiam Octavius Cajetanus Syracusanus in libro, cui titulus, *Idea operis de vitis Sanctorum*, edito Panormi anno 1618. *pag.* 329. *cap.* 2. Dominicus Gravina Ordinis Prædicatorum in quodam libro impresso Neapoli anno 1625. sub titulo, *Vox turturis, part.* 2. *cap.* 24. *pag.* 231. Balthassar a Messana in Martyrologio Franciscano edito anno 1668. *ad diem* 25. *Januarii pag.* 10. Ferrarius *in catal. general. SS. pag.* 138. & Bolland. *tom.* 2. *mens. Jan. ad diem* 25. *& tom.* 1. *mens. April. ad diem* 4.

Fundamentum sententiæ sacræ Congregationis casum exceptum a decretis Urbani VIII. declarantis, constitutum non fuit in cultu immemorabili, quippe qui ab obitu Servi Dei ad tempus illorum decretorum centum annorum metam non excesserat; sed innixum dumtaxat fuit permissioni sac. Congregationis desumptæ ex epistola ejusdem sac. Congregationis facultatem facientis, ut corpus B. Benedicti transferretur e sacrario in ecclesiam.

Difficultas autem, ob quam proposita hac causa in Congregatione sac. rituum habita die 1. Decembris elapsi anni 1742. responsum fuit, *Dilata & coadjuventur probationes*, non circa id versabatur, quod eadem sacra Congregatio permittere ac indulgere non posset alicui Servo Dei publicum cultum inconsulto summo Pontifice, cum, ut habetur in hoc ipso *lib.* 2. *cap.* 21. *num.* 1. & 2. id quidem ante decreta Urbani VIII. licitum & liberum esset sac. Congregationi vi jurisdictionis sibi datæ per bullam Sixtinam, secus vero post ipsa decreta; sed in eo potissimum reposita fuit, quod cum, juxta tradita *cap.* 20. *num.* 11. tunc solum ex facultate alicujus Servi Dei corpus transferendi desumi possit fundamentum pro casu excepto, cum concessio facta fuerit causa introducendi vel augendi publicum cultum; in præsenti casu non satis evidenter demonstratum videbatur, translationem corporis B. Benedicti concessam fuisse causa introducendi, vel augendi publicum cultum erga ipsum.

221. Verumenimvero ad hanc eluendam difficultatem nova veteribus documenta Postulatores adjungendo demonstrarunt, memoratam translationis concessionem introducendi, ac augendi causa publicum cultum tributam fuisse. Præterquam quod enim concessa fuit a sac. Congregatione facultas transferendi corpus B. Benedicti e sacrario ad ecclesiam, & in quadam Capella supra humum collocandi, prout revera fuit reconditum in arca affabre exculpta & in anteriori parte ferream habente cratem, per quam inspicitur, & collocatum in Capella Beatissimæ Virginis prope altare majus loco elatiori supra terram, præterquam quod etiam in eadem epistola sac. Congregationis tribuitur Servo Dei titulus *Sancti*; illud insuper adnotandum est, non alia de causa petitam fuisse translationem corporis, quam ad augendum publicum cultum, & devotionem civitatis, ut patet ex litteris Philippi III. Regis Hispaniarum datis, pro obtinenda a sac. Congregatione translatione corporis ad Archiepiscopum Panormitanum, qui ea omnia retulit sac. Congregationi: In illis litteris hæc habet Rex:

„ Y porque siendo esta translacion enderzada à ma-
„ ior veneracion del B. Benedicto de Santo Fradello,
„ devocion, y consuelo de essa ciudad segun se entien-
„ de y muy proprio de Vos el procurado &c. Por quan-
„ to aviendo entendido per estado me aveis escritto la
„ devocion, que generalmente se tiene al B. Benedicto
„ de Santo Fradello, y al concurso de gente, que de
„ ordinario acude à visitar sù cuerpo, por los milagros,
„ que nostro Senor hà obrado por sù interceſſion, como
„ constan particularmente por el proceſſo dellos que à
„ qui se hà presentado, por lo qual, y hallarse sepul-
„ tato en la sacristia del Convento de Santa Maria de
„ Jesu del mismo Orden cerca de Palermo, es justo po-
„ ner sù beato cuerpo en una caxa de plata con la de-
„ cencia, que es razon, y mandar lo a la iglesia, o al-
„ gun lugar conveniente, donde mejor puedan à todas
„ horas continuar sù devocion, que tenido por bien con-
„ formando me con nuestro parezer de aver una limo-
„ sina de mil, y quinientos escudos por una vez para
„ ayuda a lo uno, y lo otro librados en la forma infra-
„ scritta &c.

Cum ergo petitio Regis Hispaniarum facta sit ad augendum publicum cultum, seu ad majorem excitandam venerationem & devotionem erga B. Benedictum, ut loquitur Rex; cumque hæc omnia per Archiepiscopum Panormitanum sacræ Congregationi relata fuerint; profecto eadem sac. Congregatio annuendo petitioni de transferendo corpore, satis clare ostendit id se permisisse ad augendum cultum; aliter enim expresse prohibuisset cultum & venerationem, nec titulo *Sancti* Servorum Dei condecoraſſet.

222. Id etiam confirmatur ex ampliatione & extensione cultus dicti Beati non solum per totum Siciliæ regnum, sed etiam ultra montes ad civitates Ulyssiponensem, & Cadicensem, atque ad provincias Americæ. Sane post translationem corporis ex permissione sac. Congregationis peractam, plures publici cultus species exhibitæ fuerunt Servo Dei usque ad hæc tempora. Præter enim Imagines depictas cum radiis, ac publicæ venerationi expositas in ecclesiis & altaribus; præter inscriptiones sculptas in sepulcro cum titulo *Beati*; & præter appensas votivas tabellas & anathemata; electus fuit in Patronum civitatis Panormitanæ, in ipsius honorem exstructa fuerunt templa, & altaria erecta, in quibus Missæ sacrificia, præter festum singulis annis agendum, passim celebrantur, ut habetur ex fide testium, aliisque juribus *compulsatis* in processu Apostolico Panormitano.

223. Ad roborandas demum magis magisque probationes de legitimo cultu adduxerunt Postulatores epistolam Urbani VIII. sub titulo & forma Brevis, qua cum

poſt conſtructos jam anno 1626. proceſſus Apoſtolicos ſuper virtutibus & miraculis in ſpecie ejuſdem Beati, civitas Panormitana humillime ipſi ſupplicaſſet pro ſolemni ejuſdem Canonizatione; ita ſummus Pontifex reſpondit: *Urbanus &c. Panormitana civitas, quæ corpus Religioſi viri Benedicti a Sancto Fradello ſingularibus pietatis officiis colit &c. Interim Patrem miſericordiarum exorare ſtudebimus, ut urbs iſta celeberrima ſanctos viros tam facile progignat, quam pie veneratur.*

In hac epiſtola, ut patet, laudavit Urbanus Panormitanam civitatem, quod corpus Religioſi viri Benedicti ſingularibus pietatis officiis coleret; (adnotatione dignum eſt quod dixit Pontifex, non nomen, aut famam, ſed corpus Servi Dei jam defuncti) & ſe Patrem miſericordiarum exorare profitetur, ut ea civitas ſanctos viros tam facile progignat, quam pie veneratur. Jam vero, inquiebant Poſtulatores, cum ſummus Pontifex duobus ante annis generalia decreta evulgaſſet, quibus interdicebat cultum Servis Dei cum fama ſanctitatis defunctis, ſi optime non noviſſet, cultum Beati Benedicti verſari inter caſus in dictis decretis exceptos, ex permiſſione nimirum ſac. Congregationis, non utique laudaſſet civitatem, quod ſingularibus pietatis officiis corpus ejuſdem Beati coleret, ſed juſſiſſet amoveri ipſum cultum, & corpus ſepeliri ſub humo, prout accidit pluribus corporibus Servorum Dei.

His, aliiſque id genus mature perpenſis in ſacra rituum Congregatione habita die 11. Maji 1743. ſuper eodem dubio, *An conſtet de caſu excepto, affirmative* reſponſum fuit, juxta ſuper relatam decreti formam, cui nos robur confirmationis addidimus die 15. ejuſdem menſis & anni.

§. LVII.

De Beato FRANCISCO PATRITIO Ordinis Servorum B. Mariæ.

DECRETUM.

Senen. Canonizationis B. Franciſci Patritii Sacerdotis Profeſſi Ordinis Servorum Beatæ Mariæ Virginis.

224. *Cum admiſſa fuerit ad relationem Eminentiſs. & Reverendiſs. D. Cardinalis Guadagni a ſac. rituum Congregatione ordinaria habita die 1. Octobris* 1740. *Commiſſio reaſſumptionis cauſæ B. Franciſci Patritii prædicti & a Sanctiſs. Domino noſtro poſtmodum ſignata; cumque modo ad tenorem præfatæ Commiſſionis inſtantibus PP. Generali, & Procuratore Generali, ac Familia de Patritiis, necnon Poſtulatore hujuſmodi cauſæ propoſitum fuerit a præfato Eminentiſs. Ponente, atque in eadem ſacra Congregatione ordinaria diſcuſſum infraſcriptum dubium, An ſententia lata per Reverendum Dominum Vicarium Generalem Senen. Judicem a ſac. rituum Congregatione delegatum ſuper cultu ab immemorabili tempore prædicto Beato exhibito, ſeu caſu excepto a decretis ſan. mem. Urbani VIII. ſit confirmanda in caſu & ad effectum, de quo agitur; ſacra eadem Congregatio in ſcriptis & in voce R. P. D. Ludovico de Valentibus Fidei Promotore prius audito, reſcribendum cenſuit, Sententiam Vicarii Generalis eſſe confirmandam, ſi Sanctiſſimo Domino noſtro viſum fuerit. Die* 31. *Auguſti* 1743.

Factaque deinde per me Secretarium de prædictis eidem Sanctiſſimo Domino noſtro relatione, Sanctitas ſua benigne annuit. Die 11. *Septembris ejuſdem anni* 1743.

225. Natus eſt B. Franciſcus Patritius anno reparatæ ſalutis 1273. ex Arrigo & Raynalda pari nobilitate & pietate parentibus Senis. B. Ambroſium Sanſedonium concionantem audiens, adhuc puer ſæculo renuntiare cogitavit; matris tamen precibus compulſus id facere diſtulit. Interea duodecimum annum agens, tranſeunte illac S. Philippo Benitio, per ejus manus Tertii Ordinis habitum ſuſcepit: atque anno ætatis vigeſimo, poſthabito ampliſſimo patrimonio, eidem Ordini Servorum B. Mariæ ſe penitus mancipavit; obiit an. 1326. ut ſcribit Archangelus Gianius *centur. 1. ann. Ord. Serv. lib.* 7. Fuit eximia in Beatiſſimam Virginem pietate, quæ morienti apparuit, ut pluries dum etiam in ſæculo Franciſcus moraretur fecerat, Divinum Filium in ſinu geſtans, eſtque ab iiſdem ad cælum invitatus. Abſtinentia aliiſque auſteritatibus corpus ſuum affixit; quod a puero domare cœpit, cum ſolo pane & aqua contentus bis in ſingulis hebdomadis jejunaret, humilitate ſuit inſignis, idemque in ſpinas frequenter ſe projecit ut vanæ gloriæ tentationes vinceret: ſuis concionibus magnum in populis fructum peperit; inveterata odia extinxit, diſſidenteſque animos ad veram concordiam adduxit. Miracula plurima patravit; pluraque ejus ortum anteceſſerunt prodigia, atque obitum ſubſecuta ſunt; quorum illud ſingulare ferunt, ut ex ore cadaveris lilium prodiret, in cujus foliis deſcripta erant aureis litteris hæc verba: *Ave Maria*. Plura de eo præter prædictum Annaliſtam Paulus Aravantus in dialogis quæ in Laurentiana bibliotheca Florentiæ ſervantur, & in ejuſdem vita Pio II. dicata, Eques Nicolaus Burgheſius, Abraham Alafia *in annalibus Eccleſiaſticis*, P. Belliſarius Baldinus, P. F. Gregorius Alaca *in alphabeto hiſtorico*, P. Abbas Silvanus Razzi *in vitis SS. Etruriæ*, Philippus Albritius Mantuanus, Fr. Thomas Veronenſis, Matthiolus, Bernardinus Florimus, Reverendiſs. Philippus Generalis Prior Ordinis Servorum, P. F. Chriſtophorus Galganus, qui vitam ejuſdem Beati omnes ſcripſerunt.

226. Commiſſio introductionis cauſæ ſignata fuit per ſan. mem. Urbanum VIII. an. 1627. & ſucceſſive expeditæ litteræ remiſſoriales, & compulſoriales pro conſtruendo proceſſu Apoſtolico ſuper virtute, & miraculis in ſpecie. Die 1. Octobris an. 1740. actum fuit in ſacra rituum Congregatione de reaſſumptione ipſius cauſæ; cumque unanimi Cardinalium calculo reſcriptum fuiſſet *Affirmative*, dubio tunc propoſito, in ſequelam hujuſmodi reſolutionis Nos, qui cum Cardinalis munere fungeremur ſan. mem. Clementi XII. primum die 6. Aprilis an. 1739. deinde ad tramites decretorum Urbani VIII. die 1. Auguſti ejuſdem anni, Commiſſionem reaſſumptionis propria manu ſignavimus. Expeditis poſtmodum litteris remiſſorialibus, & compulſorialibus ad conſtruendum proceſſum Apoſtolicum ſuper cultu ab immemorabili tempore prædicto Beato exhibito, iiſque ad Urbem Senenſem tranſmiſſis, compilatus fuit dictus proceſſus, lataque per Judicem delegatum ſententia, qua declaratum fuit conſtare de dicto cultu; hæc ſupra allato decreto confirmata eſt. Cultus autem exhibita argumenta ſunt 1. in translatione ſacri corporis de loco humili ad honorificentiorem, ejuſque collocatione & repoſitione ſuper altare ſolemni ritu & pompa facta ante annum 1241. 2. ex titulo *Sancti* atque *Beati* qui omni tempore tum in voce tum in ſcriptis ab omnibus publice & palam illi delatus fuit: 3. ex feſto quod quotannis celebratum eſt in eccleſia PP. Servorum Senis Dominica infra Octavam Aſcenſionis D. N. J. C. quod olim ipſo die Aſcenſionis celebrabatur, cum magno ſemper populi concurſu; quo die corpus prædicti Beati publicæ venerationi expoſitum detinebatur in altari ligneo amovibili in medio eccleſiæ conſtructo: 4. ex votivis tabellis, votis argenteis, aliiſque donariis, quæ Fideles deferre & appendere conſueverunt circa tumulum & altare dicti Beati: 5. ex facello & altari in honorem ipſius dicati: 6. ex Imaginibus ejuſdem pictis & prælo impreſſis cum titulo Beati & ſignis publicæ venerationis, & expoſitis in eccleſiis aliiſque locis ſacris & publicis; quarum multæ labente ſæculo XIII. factæ: 7. ex retentione lampadis ardentis ante urnam Beati, pro cujus manutentione olei copia quotannis mittitur ab Illuſtriſſima familia Patritia vigore legati facti a clar. mem. Joanne Baptiſta Patritio; ut etiam lumium accenſione circa illam & coram ipſius Reliquiis, præſertim die, quo feſtum in ejus honorem celebratur, vel quoties ſacrum corpus devotis Fidelibus ad inviſendum oſtenditur: 8. ex ſolemni ſupplicatione inſtituta an. 1619. cum delatione ſacri corporis per urbem Senenſem prævia licentia Ordinarii, qui prius ad conſilium Theologos adhibuit, remque mature diſcuſſit; item ex alia ſupplicatione eodem modo facta die 12. Auguſti an. 1635. occaſione translationis Reliquiæ ejuſdem Beati ad facellum ſitum in via S. Salvatoris: 9. ex eleemoſynis pecuniariis aliiſque donis a Fidelibus oblatis tumulo & altari ejuſdem ab immemorabili: 10. ex Sodalitate inſtituta ab ipſo Beato dum in vivis ageret, & quæ olim denominabatur Societas B. Mariæ Virginis & S. Franciſci Servorum; quæque poſtea Beatum in ſuum Patronum elegit: hæc omnia idoneorum teſtium auctoritate probata ſunt.

§. LVIII.

§. LVIII.

De Beato NICOLAO ALBERGATO S. R. E. Cardinali & Episcopo Bononiæ.

LITTERÆ APOSTOLICÆ in forma Brevis BENEDICTI PAPÆ XIV.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Ad perpetuam rei memoriam.

227. *Quoniam ita comparatum est, ut ea, quæ alias accuratissime expensa, & concordibus cum virorum pietate ac sapientia insignium suffragiis a Nobis ipsis sancita ac decreta fuerunt, novis deinceps supremæ Apostolicæ nostræ auctoritatis documentis approbata & confirmata, universi Christifideles majori cum fide, constantia, ac veneratione accipere, & debitæ executioni mandare consueverint: Eapropter decretum, quod nuper super casu excepto a decretis fel. record. Urbani PP. VIII. prædecessoris nostri in causa B. Nicolai Albergati edidimus, novo Apostolicæ confirmationis nostræ præsidio communire satagimus. Hujusmodi autem decretum est tenoris, qui sequitur.*

DECRETUM.

Summi Pontificis BENEDICTI XIV. in quo approbatur & confirmatur resolutio Congregationis sacrorum rituum ordinariæ habitæ coram ipso Kalendis Augusti currentis anni MDCCXLIV. super casu excepto a decretis Urbani VIII. in causa B. NICOLAI ALBERGATI S. R. E. Cardinalis, & Episcopi Bononiæ una cum aliis concessionibus ab eodem factis in honorem dicti Beati.

BENEDICTUS PAPA XIV.

SIngulare Divinæ providentiæ consilium esse videtur, quod Nobis reservaverit initium & progressum, quousque fieri potuit, causæ B. Nicolai Cardinalis Albergati, qui anno MCCCCXLIII. decessit: Quo cum Nos & patriam communem, & eumdem Cardinalis titulum Sanctæ Crucis in Hierusalem sortiti sumus; eademque Bononiæ Ecclesia, cujus ipse Episcopus inauguratus est anno MCCCCXVII. & ad mortem usque gubernavit, Nobis pariter gubernanda tradita est, & ad hanc usque diem gubernamus.

Cum in minoribus Promotorem Fidei ageremus, Canonizationis ejus causam inducere tentatum est. Quod autem tunc perfici minime potuit; id tandem in Congregatione rituum habita die xx. Julii MDCCXLIII. dilecto Filio nostro Cardinali Pompejo Aldovrandi tunc Prodatario, nunc Æmiliæ Legato referente fuit deliberatum; atque ejusdem causæ introducendæ, prout moris est, Commissio manu nostra per quam libenter signata prodiit.

Decretis itaque Urbani VIII. prædecessoris nostri inhærendo, subjici debebat examini observantia eorumdem decretorum; & cum Nobis compertum esset, in Archiepiscopali Curia Bononiensi an. MDCLI. auctoritate ordinaria conditum fuisse processum, in quo varia documenta ac testimonia de observantia prædictorum decretorum afferebantur; atque inde etiam deducebatur, scientia assensuque Episcoporum Bononiensium publicum cultum fuisse exhibitum B. Nicolao Albergati toto tempore, quod Urbani VIII. decreta exigunt: præterea Jacobum Boncompagni Cardinalem Archiepiscopum Bononiensem an. MDCCXXV. sententiam de more pronuntiasse, qua cultum illum ad formam ipsorum decretorum exhibitum fuisse comprobabat; Nos, ut sanctitatis fama ejusdem Beati viri illustrior fieret, & publici ejus cultus fundamenta magis stabilirentur, vitæ illius Acta a Jacobo Zeno Episcopo Feltrensi & Bellunensi ejus familiari conscripta, typis iterum publicari præcepimus, & cum codice bibliothecæ nostræ Vaticanæ conferri. Codex autem ejusmodi bene ornatus, & Cardinalis Petri Barbi, qui deinde Pontifex factus Pauli II. nomen assumpsit, stemmata præferens, cui adhuc Cardinali opus illud inscriptum fuerat, multo pretio & æstimatione dignus esse videtur, & ad errores aliquot, qui in vetustiores ejus vitæ editiones irrepserant, corrigendos apprime aptus.

Id vero accurate perfecit Constantinus Ruggeri, Clericus, nosterque familiaris, qui præmemoratæ vitæ notas addidit. Communicatis deinde illi Martini V. & Eugenii IV. Apostolicis Brevibus, quæ in archivo nostro peculiari servabantur, in quibus ampliſſima de sanctitate vitæ B. Nicolai Albergati testimonia continentur; tum etiam ei traditis iis, quæ a Nobis alio tempore hac de re collecta fuerant; factaque eidem cum ad nostram domesticam bibliothecam, tum ad alias hujus Urbis celebriores adeundi potestate, Nos ipsi singulis hebdomadis opus perlegere & examinare curavimus; præscripto ordine, quem in eo dirigendo ordinandoque haberi voluimus, atque hinc post multos labores ad Jacobi Zeni historiam adjecta sunt prædictorum, aliorumque Romanorum Pontificum testimonia; nec non & Caroli VII. Galliæ, & Henrici VI. Britanniæ Regum, ac plurimorum illustrium Italiæ Auctorum, inter quos recenseri maxime debent S. Antoninus, & Æneas Silvius; tum etiam ex Gallia, Flandria, aliisque regionibus Scriptorum; quæ omnia in unum volumen ab eodem Constantino Ruggeri collecta, jussuque nostro typis in lucem edita hoc ipso anno prodierunt.

His omnibus comparatis, cum in Congregatione rituum ordinaria proponendum esset dubium de observantia decretorum Urbani VIII. Cardinali Aldovrando absenti nemo alius Cardinalis fuit a Nobis surrogatus, qui causam illam referret: Sed kalendis Augusti habita coram Nobis eadem rituum Congregatione, Nos ipsi Cardinalis Relatoris vices supplentes, exposuimus primo, Beatum Nicolaum Albergati Bononiæ illustri genere natum in Carthusianorum claustra juvenem concessisse; ibique sanctitatis ac prudentiæ fama in variis Carthusianis Domibus Prioris munere functum, Romæ deinde fuisse Ordinis sui Procuratorem Generalem, postea Bononiensis Ecclesiæ, invitum quamvis & coactum, regimen suscepisse, in quo Ecclesiastica vivendi disciplina, largisque eleemosynis luculentiora dedit sanctitatis suæ argumenta, quibus accessit invictum robur, quo turbulentis illis Ecclesiæ temporibus, jurisdictionis & auctoritatis Pontificiæ adversariis fortissime restitit: a Pontifice Martino V. Cardinalium ordini adscriptum, præceptoque adactum, ut eam dignitatem acciperet, sic in eo gradu se gessisse, ut quemadmodum Religiosus Religiosæ vitæ, Episcopus Religiosi Episcopi, ita Cardinalis tactus Cardinali Religiosi exemplar ac norma extitit; cum in omni vitæ genere disciplinam Regularem, austeritates, & Carthusiani Instituti jejunia constantissime retinuisset: a Sede Apostolica rebus gerendis præpositum, post multos labores pacem inter Mediolanensem Ducem, Venetos, & Florentinos conciliasse; & post plura in Galliam itinera, nunc Martini V. nunc Eugenii IV. Pontificum jussu, in magno Atrebatensi conventu inter Carolum Galliæ Regem, & Philippum Burgundiæ Ducem, præclaram illam pacem, Catholicæ religioni adeo proficuam firmasse; cum interea singularis Dei providentia ad ejus preces insigne miraculum edidisset, ut Scriptores nonnulli memoriæ prodiderunt. Exposuimus quoque sapientem illius gravitatem cum communi sanctitatis opinione conjunctam in aliis Legati Apostolici muneribus, quæ ille tum in Basileæ, tum in Ferrariæ Conciliis, tum etiam in conventu Principum Germanorum Norimbergensi præclare sustinuit; præter gravissimum illud summi Pœnitentiarii, quod apud Pontificem Eugenium IV. gessit: postremo meritis plenum Senis ex hac mortali vita decessisse, communi omnium opinione ac fama, heroicis virtutibus ornatum; ejusque corpus Florentiam, prout ipse mandaverat, ad Carthusianos fuisse delatum, ubi ad hanc usque diem requiescit. Cum illud Senis Florentiam comitatus fuisset Thomas Sarzanensis, qui deinde Cardinalis, ac paulo post Pontifex factus, Nicolaus V. vocari voluit in memoriam Nicolai Cardinalis Albergati, viri de se optime meriti: qui post obitum (ut Historici, inter quos ipsemet Thomas narrant) ei apparuit, ac tristem mœrentemque hac ipsa magistri sui & domini morte recreavit; & inter cetera sempiterna felicitate se potiri affirmans, summum illi Pontificatum prædixit, quem pariter Æneas Silvius Pii Secundi nomine affecutus est: qui ambo fuerant cum eodem Nicolao Albergati obsequio & familiaritate conjuncti. Atque uno verbo diligenter exposuimus quidquid magis egregium solidumque de B. Nicolao memoriæ proditum erat in Pontificiis diplomatibus, gravissimisque Auctoribus, qui in prædicto volumine fideliter accurateque citantur. Transeuntes inde ad id, quod erat præcipuum, ad qualitatem scilicet & vetustatem publici cultus, retulimus summa fide quidquid causæ Postulatores in suis scriptis attulerant,

tum etiam illa, quæ Fidei Promotor in ſuis animadverſionibus ex officio oppoſuerat. Nec fuit a Nobis omiſſum id, quod ad ejuſmodi oppoſitiones reſponderi valide poterat; illuſtratis & in bono lumine collocatis principiis aliquot, quæ in noſtris de Canonizatione Sanctorum Operibus continentur, quibus oppoſitiones illæ nitebantur. Mentem autem noſtram minime aperuimus; ſed ſententiis aliorum exquiſitis, ingenti animi noſtri gaudio audivimus, Cardinales omnes congregatos, communi ſuffragio & una voce declarantes, Urbani VIII. decretis obtemperatum prorſus fuiſſe, quorum vi B. Nicolai cauſa eſſet multis nominibus excepta; adeoque veterem ac publicum ejus cultum legitimum & canonicum eſſe cenſendum, nulloque modo iis, quæ in citatis decretis præſcribuntur, adverſum. Atque id magis, quod publicus idem cultus tunc cœpit, cum Senis corpus ejuſdem Beati viri in eccleſia S. Auguſtini fuit expoſitum, ubi præter totius populi concurſum, qui ejus pedes manuſque deoſculari certabat, Eugenius IV. Pontifex Max. inuſitato iis temporibus exemplo ejus funeri cum tota Curia adeſſe voluit: teſtatus id ſe facere ob ingentem, quam de ejus ſanctitate opinionem habebat, per orbem jam longe lateque pervulgatam; immo, & duarum librarum lapidem, qui in diſſecto ejus corpore repertus eſt, devotionis cauſa apud ſe habere voluit. Addebant præterea Cardinalem Gabrielem Palæoti primum Bononiæ Archiepiſcopum Nicolai nomen in Beatorum ac Sanctorum Eccleſiæ ſuæ album retuliſſe, & Urbanum VIII. ut nonnulli memorant, affirmaſſe, delendos non eſſe ab ejus Imagine radios & ſplendores, quos ipſe publico decreto Imaginibus eorum, qui non eſſent ab Apoſtolica Sede Canonizationis aut Beatificationis honore donati, apponi prohibuerat, appoſitoſque deleri jufſerat: Poſtremo B. Nicolai ſtatuam juſſu noſtro in fronte baſilicæ Liberianæ inter alias aliorum Sanctorum fuiſſe poſitam, cujus baſilicæ ipſe fuerat Archipresbyter.

Audivimus hæc omnia ſingulari animi noſtri lætitia, & in omnibus unanimes prædictorum Cardinalium ſententiæ voce aſſenſi ſumus, quam etiam nunc ſcripto probamus & confirmamus. Quoniam vero in ejuſmodi caſibus Fidelium pietas (ut obſervavimus) præſcriptos limites tranſilire facile ſolet; cui rei, ſi Deo placuerit, alio tempore Nos opportune providere cogitamus ea, quæ ſequuntur.

Primo, evulgato hoc decreto, nolumus ingentem publicæ lætitiæ ſignificationem dari, eo modo, quo in Canonizatione alicujus Beati fieri ſolet, quod quidem alias contigiſſe non ignoramus; ſed ſolum in eccleſia Metropolitana Bononiæ, in baſilica Liberiana Romæ, & in ſingulis Carthuſiani Ordinis eccleſiis poſt Miſſam, quam *Conventualem* dicunt, cantari poſſe concedimus *Te Deum* in gratiarum actionem ſine muſicorum inſtrumentorum ſtrepitu, nulloque campanarum ſonitu præcedente.

Secundo, præter titulum Beati, quem de jure poſſidet a privatis primo illi attributum, nunc vero a ſancta Sede comprobatum, concedimus ejus Imagines pingi, ornarique poſſe laureolis, radiis & ſplendoribus; non autem diademate, juxta decretum ſacræ Congregationis rituum die IX. Februarii MDCLVIII. ab Alexandro VII. confirmatum. Volumus autem ſempet Carthuſiani Ordinis habitu veſtiri, quo ipſe tam Epiſcopus, quam Cardinalis perpetuo uſus eſt, non ſolum Religionis cauſa, ſed etiam, ut Eccleſiaſticam diſciplinam eo tempore maxime vigentem obſervaret. Capiti vero illius neque biretum rubrum apponi volumus; cum certum ſit, ejuſmodi ornamenta Cardinalibus Regularibus fuiſſe conceſſa a prædeceſſore noſtro Gregorio XIV. anno MDXCI. bene vero in præſens decernimus Cardinalis pileum, quo multo prius ſingulis Cardinalibus uti dedit Innocentius IV. eoque caput ornari, ſive is ad pedes deponi poterit.

Tertio, nolumus ejus Imagines in eccleſiarum, ſive ſacellorum privatorum altaribus collocari, exceptis tamen eccleſia Metropolitana Bononienſi, Baſilica Liberiana Urbis, & ſingulis eccleſiis ac ſacellis Ordinis Carthuſiani, tum etiam eccleſiis illis ſive Bononiæ, ſive alibi, quibus, vel ſuper aras vel extra, ejus Imagines in præſens exiſtunt.

Poſtquam innotuit ac declaratum eſt, Nos in eo caſu verſari, quem Urbani VIII. decreta excipiunt, & poſt ea, quæ nuper expoſuimus, & quæ quodammodo ex declaratione caſus excepti a decretis Urbani VIII. ſequuntur; Apoſtolicæ Sedis in more fuit, præterito aliquo tempore, urgentibus gravibus circumſtantiis Officium, & Miſſam de communi in honorem Beati concedere: alio deinde interjecto tempore, urgentibus gravioribus circumſtantiis, lectiones proprias, etiam antequam fuerint diſcuſſæ & approbatæ virtutes, juxta exempla a Nobis cumulata in noſtro Opere de Canonizatione Sanctorum lib. IV. part. II. cap. IV. num. VI. denique poſt aliquod temporis ſpatium, Beati nomen in Martyrologium Romanum (quanquam id perraro) referre; & quoties magni ponderis cauſæ adeſſent, decretis & Conſtitutionibus Apoſtolicis, ſi quæ obſtant, derogare conſuevit; juxta ea quæ a Nobis relata ſunt in eodem Opere noſtro de Canonizatione Sanctorum lib. IV. part. II. cap. XVII. num. XIV. Nos itaque ingentibus B. Nicolai Albergati Cardinalis erga hanc S. Sedem & Catholicam religionem meritis inſpectis, tum etiam communi præconio, quo Scriptores ex omni lingua, tribu, & populo heroicis ejus virtutibus plaudunt, derogantes plenitudine auctoritatis noſtræ quibuſcumque adverſantibus, & temporis inutiliter tranſacti jacturam compenſare volentes, Officium Divinum de Confeſſore Pontifice cum lectionibus propriis, per Nos componendis, & Oratione *Exaudi quæſumus* de eodem communi, ritu majoris duplicis recitari concedimus die X. Maji, in quo ad beatam vitam migravit; id vero tantum Clero tam Regulari quam Sæculari, necnon & Monialibus civitatis & diœceſis Bononienſis; tum etiam Romæ Clero baſilicæ Liberianæ, pariterque Monachis & Monialibus Ordinis Carthuſiani univerſi: itaut quicumque ex prædictis præmemorato die Officium illud recitaverit, Horas Canonicas, ad quas tenetur, perſolviſſe cenſeatur. Eadem ratione concedimus, die X. Maji in omnibus præcitatis locis celebrari poſſe in honorem ejuſdem Beati Miſſam de communi Confeſſoris Pontificis; quam quidem conceſſionem ad alios quoque Sacerdotes tam Sæculares quam Regulares, qui eo die in baſilica Liberiana, aut in Carthuſiani Ordinis eccleſiis rem Sacram confecerint, extendi volumus. Concedimus quoque eadem die X. Maji in antedictis eccleſiis celebrari poſſe quotannis Beati Cardinalis feſtum, & ejus Reliquias ad publicam venerationem exponi, non autem in proceſſionem deferri, juxta ea quæ Alexander VIII. die XXVII. Septembris MDCLIX. & XVII. Aprilis MDCLX. decrevit. Poſtremo concedimus, B. Nicolai nomen Martyrologio Romano inſcribi, addito elogio, quod a Nobis inſtituetur.

Hæc omnia ſingularibus Beati Cardinalis meritis profecto debentur. At vero præclari quoque Carthuſiani Ordinis, quem Nos peculiari ſtudio proſequimur, merita apud Nos pondus habent, ut hæc Apoſtolica liberalitate concedamus: eoque magis, quod ipſe Ordo non tam ſolicitus fuit multos Sanctos ſuos patefacere, quam multos Sanctos facere, ut recte fuit adnotatum. Accedit quoque ſpes, in quam maxime adducimur, Deum Opt. Max. ad interceſſionem hujus Beati viri, qui, quandiu vixit, Cardinalis pacis nuncupatus eſt, daturum eſſe Nobis id, quod tam enixe toto corde humiliterque rogamus & rogaturi ſumus, exoptatam ſcilicet inter Chriſtianos Principes pacem ſtabilemque concordiam. Neque vero diſſimulare volumus, Nos in hac tota rerum ſerie ſpirituale quoddam percepiſſe gaudium, ſimillimumque ejus, quod Pius II. prædeceſſor noſter in Canonizatione S. Catharinæ Senenſis civis ſuæ ſeſe percepiſſe fatetur, quodque in ejus Canonizationis bulla his verbis expreſſit: *Et ſi Nos quidem Beatæ Catharinæ ſublimes dotes, nobile ingenium, divinam mentem, ſacratiſſimam voluntatem in omni natione quam latiſſime vidiſſemus, lætiores tamen in urbe Senenſi, quæ nos genuit. Siquidem meritorum ejus longe magis & magis peculiariter eſſe participes confidimus, quam ſi Virgo hæc aut in Africa aut in Scythia aut in India nata fuiſſet. Neque enim fieri poteſt, quin Sanctorum propinquitas aliquid habeat prærogativæ.*

Quod ſi deinde Deo placuerit, ut ab hoc cultu ad nonnullos loços reſtricto, quem in præſens Sedes Apoſtolica permittit, ad cultum publicum præceptivum & generalem, hoc eſt a Beatificatione hac æquipollenti ad ſolemnem Canonizationem tranſeundum ſit; Poſtulatoribus cauſæ palam facimus, heroicarum ejuſdem Beati virtutum materiam ad conſuetam juris formam eſſe proponendam: cum expoſitio earum, quam Nos ipſi in Congregatione rituum fecimus, ſufficerit quidem, ut debito rerum apparatu ad agendum de publico permiſſivo, & reſtricto ad quoſdam locos cultu procederetur; & ut etiam inoffenſo pede fieri poſſet a Nobis conceſſio lectionum propriarum, non autem ut diſcuſſioni & approbationi virtutum a ſacris Canonibus requiſitæ, ut ad ſolemnem Canonizationem tranſitus fiat, ſufficiens eſſe

potue-

potuerit, juxta a Nobis deducta in noſtro Opere de Canonizatione Sanctorum lib. 1. cap. xxxii. num. xvi. & ſeqq. Proponenda ſunt quoque miracula ſecundum ea, quæ Nos die xxiii. Aprilis anni MDCCXLI. & die xiv. Julii hujus MDCCLIV. generatim decrevimus. Notum præterea unicuique facimus, nemini licere tranſgredi in exhibendo cultu limites per præſens decretum præſcriptos: Mandamuſque Patriarchæ Hieroſolymitano ſacrorum rituum Congregationis Secretario, ut hoc ipſum decretum una cum ceteris ad calcem additis inter regeſta ſacræ Congregationis referat & conſervet. Datum hac die xxv. Septembris MDCCXLIV.

Thomas Patriarcha Hieroſolymitanus
S. C. R. Secretarius.

LECTIONES DE QUIBUS IN DECRETO,

IN FESTO

B. NICOLAI ALBERGATI EPISCOPI ET CONFESSORIS.

Lectiones pro ſecundo Nocturno ejus Officii.

LECTIO IV.

NIcolaus Albergatus nobili genere Bononiæ ortus eſt. Adoleſcens, dum juri Civili in patria operam daret, Monaſticæ ac ſeverioris vitæ præſtantia captus, Carthuſianorum Inſtitutum amplectitur; in quo brevi adeo profecit, ut Sacerdotio vix initiatus, patrio cœnobio præfectus ſit, aliaque ſubinde monaſteria fere decennio ſumma cum laude adminiſtraverit. Ejus prudentiæ & ſanctitatis opinione Clerus populuſque Bononienſis permotus, ultro ſibi in Epiſcopum plenis ſuffragiis delegit; quem ille honoris gradum diu conſtanterque refugiens, Superiorum ſuorum juſſu invitus demum ſuſcepit. Nihil tamen de prioris vitæ cultu atque obſervatione remiſit; ſed verbo & exemplo forma gregis effectus, Eccleſiaſticam diſciplinam & Chriſtianos mores ita in Eccleſia ſibi commiſſa reſtituit, ut alius omnino populus, alius Clerus videretur & eſſet.

LECTIO V.

CIvium ſuorum ad Martinum V. Orator iterum ac tertio profectus, tantam ab eo Pontifice, qui eximias illius virtutis perſpexerat, iniit gratiam, ut conciliandæ pacis cauſa inter Anglorum, Francorumque Reges Legatum in Gallias miſerit, ab ea Legatione reducem S. R. E. Cardinalem ſub titulo S. Crucis in Hieruſalem creavit; legavitque mox in Inſubriam, ut Mediolanenſes, Florentinos, & Venetos diſcordia laborantes componeret. Poſt pacem Italiæ ab eo feliciter reſtitutam, ſecunda in Gallias Legatione auctus eſt; ac vita functo Martino V. Eugenii IV. juſſu in Belgium profectus, Philippum Burgundiæ Ducem Carolo VII. Francorum Regi in Atrebatenſibus comitiis conciliavit. Ad Germaniæ quoque Principes in Norimbergenſi conventu Pontificium Legatum egit; deinde Baſileenſi, tum Ferrarienſi interfuit Concilio, ubi Apoſtolicæ Sedis dignitatem majeſtatemque adverſus Schiſmaticos egregie tutatus eſt.

LECTIO VI.

IN obeundis tam variis graviſſimiſque Legationibus incredibilem ſibi apud Reges & Principes venerationem adeptus, in virtutum ſuarum admirationem rapuit univerſos. Erat enim vel in ſummis honoribus ſimpliciſſima humilitas, animus non ſolum firmus & excelſus, ſed candidus etiam prudens ac moderatus, effuſa in omnes charitas, manſuetudo, atque humanitas cum ardenti religionis zelo conjuncta. Carthuſiani, quod profeſſus fuerat, Inſtituti tenax, ejus aſperitates ad mortem uſque retinuit. Familiam ingenuam aluit ſanctiſſimeque inſtitutam, ex qua duo Romani Pontifices Nicolaus V. & Pius II. prodiere. Tandem cum Eugenium IV. honoris ergo comitaretur, Senis in Etruria renum calculo oppreſſus, ſancto fine quievit. Ejus corpus Florentiam delatum, apud Carthuſianos honorifice conditum eſt. Sanctitatis & miraculorum fama poſt mortem clarum BENEDICTUS XIV. Beatorum ritu coli permiſit.

ELOGIUM

Apponendum in Martyrologio, de quo in decreto.

VI. Idus Maji, Bononiæ B. NICOLAI ALBERGATI Monachi Carthuſiani, ejuſdem civitatis Epiſcopi, & ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalis, ſanctitate & Apoſtolicis Legationibus clari, cujus corpus Florentiæ apud Carthuſianos conditum eſt.

PRæinſertum itaque decretum noſtrum, ac præinſertas lectiones, & elogium ac in eo decreto omnia & ſingula contenta ac præſcripta, quo firmius ſubſiſtant ac ſerventur exactius, atque etiam, quatenus opus ſit, auctoritate noſtra Apoſtolica tenore præſentium confirmamus & approbamus, illiſque & omnibus ac ſingulis contentis & præſcriptis Apoſtolicæ firmitatis robur adjicimus; atque ita ut præmittitur, omnino ſervari mandamus. Decernentes eaſdem præſentes litteras firmas validas efficaces exiſtere & fore, ſuoſque plenarios & integros effectus ſortiri & obtinere, ac illis, ad quos ſpectat & ſpectabit in futurum pleniſſime ſuffragari, & ab eis reſpective, inviolabiliter obſervari; ſicque in præmiſſis per quoſcumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam cauſarum palatii Apoſtolici Auditores judicari & definiri debere, ac irritum & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam quavis auctoritate ſcienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus Conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ceteriſque contrariis quibuſcumque. Volumus autem, ut ipſarum præſentium litterarum tranſumptis ſeu exemplis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in Eccleſiaſtica dignitate conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides in judicio & extra adhibeatur, quæ adhiberetur eiſdem præſentibus, ſi forent exhibitæ vel oſtenſæ. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem ſub anulo Piſcatoris die VI. *Octobris MDCCXLIV. Pontificatus noſtri anno V.*

Dominicus Cardinalis Paſſionеus.

§. LIX.

De Beato PACIFICO A CEREDANO Ordinis Minorum S. Franciſci de Obſervantia.

DECRETUM.

Novarien. Canonizationis B. Pacifici a Ceredano Ordinis Minorum S. Franciſci de Obſervantia.

228. *CUM admiſſa fuerit ad relationem Eminentiſs. & Reverendiſs. D. Cardinalis Alexandri Albani a ſac. rituum Congregatione ordinaria habita die* 31. *Auguſti* 1743. *Commiſſio introductionis cauſæ B. Pacifici a Ceredano prædicti, & a Sanctiſs. Domino noſtro deinde ſignata; cumque modo ad tenorem præfatæ Commiſſionis inſtante P. Fr. Joſepho Maria de Artio Ordinis Minorum Obſervantium S. Franciſci, & hujuſmodi cauſæ Poſtulatore propoſitum fuerit ab eodem Eminentiſs. Ponente, atque in dicta ſacra Congregatione diſcuſſum infraſcriptum dubium, An ſententia lata per DD. Judices a clar. mem. Cardinali Borromæo Epiſcopo Novarienſi deputatos ſuper caſu excepto a decretis ſcl. record. Urbani VIII. ſive ſuper cultu publico ab immemorabili tempore dicto Beato exhibito ſit confirmanda in caſu & ad effectum, de quo agitur; ſacra eadem Congregatio in ſcriptis & in voce R. P. D. Ludovico de Valentibus Fidei Promotore audito, reſcribendum cenſuit, Affirmative, ſi ſanctiſs. Domino noſtro viſum fuerit. Die* 3. *Julii* 1745.

Factaque deinde per me Secretarium de prædictis eidem Sanctiſſimo Domino noſtro relatione, Sanctitas ſua benigne annuit. Die 7. *ejuſdem menſis & anni* 1745.

229. Ceredani Novarienſis diœceſis pago circa an. 1424. ortum ſortitus eſt B. Pacificus; cumque excitatis bellorum & epidemiæ in tota Inſubria ſævientium cladibus, utroque fuiſſet parente atque omnibus fere conſanguineis atque affinibus orbatus, a Religioſo viro Ord. S. Benedicti Abbate in monaſterio prope mœnia civitatis Novarienſis bonis moribus ac litteris imbutus; quo mortuo S. Franciſci Ordinem ingreſſus eſt an. 1445. in quo cum floreret doctrinæ ac ſanctitatis fama, a Sixto IV. provinciæ Sardiniæ Commiſſarius Apoſtolicus inſtitutus & deinde ad publicandas bullas Cruciatæ contra Turcas Italiæ oras tunc infeſtantes in eam pro-

provinciam missus. Prædicationi verbi Dei sedulo incubuit, magnumque in populorum vitiis refrænandis, virtutibusque in animis hominum inferendis fructum collegit. Senio confectus, cum jussus esset a Superioribus suis provinciam Sardiniæ rursus adire, in oppido Ceredani concionem habens ad cives suos vivum se non amplius rediturum dixit; rogavitque, ut mortui corpus in patriam revehendum curarent. Paulo postquam in Sardiniam appulerat, obiit die 4. Junii 1482. sive 1470. corpus Ceredanum furtim in sarcinulis mercatorum relatum. Dum Mortario transiret cadaver, brachium elevavit, quod brachium obtinuerunt Clarissæ Mortarienses; semperque illud in summa veneratione habuerunt. Caput a reliquo corpore avulsum asservatum est in ecclesia Parochiali Ceredani maximo civium cultu, & concursu exterorum; quod etiam verum est de reliquo corpore: cujus rei indicium contentiones sæpe ortæ inter Fratres, & oppidanos circa ejus ostensionem; ut narrat Wadingus in annalibus *ad ann.* 1476. *num.* 58. *tom.* 14. qui de eodem B. Pacifico agit etiam *ad an.* 1482. *num.* 47. *eodem tom.* uti alii apud ipsum; Benedictus Mazzura *ad diem 6. Junii &c.*

230. Ex his liquet etiam de cultu dicti Beati, quod testes atque Auctores exhibiti uberius narrant. Nam cum de provincia Sardiniæ sacrum ejus corpus in patriam ferretur, non solum a Clero solemni pompa exceptum est, sed etiam in oratorio Parochiali ecclesiæ adnexo, quod ipse Beatus vivens ædificare cœperat, subtus altare in urna plumbea, crate ferrea deaurata ante posita tumulatum, ut eadem urna a confluentibus videri & sacræ Reliquiæ commode coli possent. Huic successit solemnior translatio, ipsiusque cadaveris repositio super dictum altare facta an. 1641. pretiosiori urna ex eleemosynis Fidelium ejus sacras Exuvias venerantium constructa. Facta fuit etiam hæc translatio prævia licentia Ordinarii a Sacerdotibus sacris indumentis indutis, solemni instituta supplicatione, Magnatibus præsertim Ecclesiasticis, sacro ponderi humeros subjicientibus, Clero comitante cum accensorum luminum copia, thuribulis &c. Idem vero oratorium seu Capella, defuncto Beato viro, denominari cœpit & modo etiam denominatur *Sacellum B. Pacifici*: & continuus semper ad illud fuit devotorum Fidelium concursus pro venerandis sacris Exuviis: ita ut necesse fuerit in ampliorem formam redigere. In eo celebratio quotidie facta Missarum ob ejusdem venerationem, concurrentibus præsertim piis Fidelium eleemosynis. Accedit retentio lampadis accensæ, & cereorum luminum oblatio atque accensio, votivæ tabellæ, vota argentea, aliaque similia donaria facta ob recepta per intercessionem Beati, beneficia: atque hæc a centum ferme & amplius annis ante promulgationem decretorum Urbani. Atque hæc testes idonei affirmarunt, ut ex processu liquet: qui præterea addiderunt de honorifica affervatione & cultu præstito Reliquiis Beati, quæ separatim ab ejus corpore asservantur; de Imaginibus ejusdem cum signis sanctitatis depictis & publicæ venerationi expositis in ecclesiis, aliisque locis tum privatis tum publicis; de constanti & perenni denominatione viri Dei cum titulo Beati, quo ipse omni ævo & tempore tum oretenus & in voce, tum etiam in scriptis ab omnibus publice & palam decoratus fuit; ut patet etiam ex publicis instrumentis ab an. 1483. quo anno in publico instrumento legitur *Beati P. Pacifici*; item ex libris impressis, *ut chronicis Minorum* editis Venetiis an. 1608. ex libro Caroli a Basilica Petri Novariæ Episcopo, cui præfixus titulus *Novaria* impresso in civitate Novariensi ann. 1612. ex libro impresso Mediolani ann. 1627. auctore Francisco Mazzono &c. Merito ergo, cum jampridem constructus fuisset processus auctoritate ordinaria in Curia Episcopali Novariensi tam super vitæ sanctitate virtutibus & miraculis, quam super cultu ab immemorabili tempore eidem Beato præstito; cumque ad relationem Cardinalis Alexandri Albani subrogati in locum Cardinalis Spinula alias in Ponentem a san. mem. Clemente XII. deputati judicatum fuisset deveniri posse ad causæ introductionem; declaratum fuit *Constare de casu excepto*.

231. Et hæc sunt quæ pertinent ad casus exceptos a decretis Urbani VIII. qui usque adhuc a sancta Apostolica Sede fuerunt approbati: sed cum frequentes fint pro similibus declarationibus instantiæ, si aliæ ante universi hujus Operis novam editionem fient declarationes, earum fiet relatio in Appendicibus nostris.

CAPUT VIGESIMUMQUINTUM.

De revisione operum conscriptorum a Dei Servis, de quorum Beatificatione & Canonizatione tractatur.

1. POSTQUAM in superioribus actum est de processu per *Ordinarium* faciendo, & de judicio super non cultu, vel super casu ab Urbani VIII. decretis excepto, rectus rerum ordo exposcit, ut agatur de revisione operum, si quæ forte conscripta sint a Dei Servis, quorum Beatificatio & Canonizatio tractatur; siquidem revisio ipsa de more *signaturam Commissionis* præcedere debet, quemadmodum infra patebit.

2. Perspicua est quoad operum revisionem lex decretorum Urbani VIII. *Præterea illud etiam diligentissime indagandum est, an ille, vel illa, pro cujus Canonizatione instatur, scripserit aliquos libros, tractatus, opuscula, meditationes, vel quid simile; nam, si scripsisse constiterit, non prius est ad aliquem actum inquisitionis deveniendum, quam tales libri diligenter in sacra Congregatione examinentur, utrum contineat errores contra Fidem vel bonos mores, vel doctrinam aliquam novam vel peregrinam atque a communi sensu Ecclesiæ & consuetudine alienam.*

3. Sed & si antiquiora exempla percurramus, cum S. Hildegardes, visionibus divinitus concessis & prophetiis clara, libros visionum seu *revelationum* conscripserit, summus Pontifex Eugenius III. coacto in civitate Trevirensi Concilio eos examinari mandavit, teste Trithemio *oper. historic. part.* 2. *in chron. Hirsaugiens. ad an.* 1159. *Synodum quoque tam Episcoporum, quam Cardinalium, & Abbatum ibidem celebravit; ubi Henricus Archiepiscopus Moguntinus, & S. Abbas Claravallis Bernardus ipsi summo Pontifici mirabilia, quæ Deus operabatur in famula sua Hildegarde Montis Sancti Ruperti Confessoris Abbatissa, retulerunt. Quibus auditis, Papa attonitus, & rem diligentius investigare volens, Virdunensem Episcopum Hadelbertum cum aliis viris fide dignis misit ad S. Hildegardem, ut cum humilitate & mansuetudine, sine strepitu, vel curiositate, quid rerum esset, ab ipsa scisciteretur. Qui, cum ad monasterium, in quo degebat sancta Virgo, devenissent, & juxta commissionem Apostolicam veritatem ab ipsa humiliter inquirerent, illa simpliciter, quæ de se erant, aperuit, & Legatos cum scriptis & libris revelatis sibi divinitus dimisit.* Tum sequitur Trithemius, Pontificem sanctæ Virginis libros coram Cardinalibus, Episcopis, & omni Clero publice recitari præcepisse, quin etiam per se ipsum magnam eorum partem legisse, per quæ omnium audientium mentes in stuporem, & Dei laudem conversæ sunt; deinde ait: *Ad hæc S. Pontifex benigno favore consentiens devotam Christi Virginem Litteris salutatoriis visitavit, in quibus ei licentiam auctoritate Apostolica proferendi, & scribendi, quæcumque per Spiritum Sanctum cognovisset, gloriose concessit, eamque, ut sine timore revelata sibi conscriberet, animavit.* Pontificis autem litteræ ad eam datæ referuntur *tom.* 6. *part.* 2. *collect. Harduin. col.* 1319. & ipsa pariter in quadam ex suis Epistolis sic inquit: *Scripta mea Eugenio Papæ, cum Treveri esset, allata sunt; qui ea gratanter coram pluribus legi fecit, ac per se ipsum legit, multumque de gratia Dei confidens, benedictionemque cum litteris mittens præcepit, ut ea, quæ in visione viderem, vel audirem, scriptis attentius commendarem.*

4. Sancta Birgitta Vidua Romæ mortua est anno 1373. & inter Sanctas relata a Bonifacio XI. anno 1391. Sed Joannes XXIII. eam iterum canonizavit, ob dubiam apud multos Bonifacii auctoritatem occasione Schismatis tunc maxime vigentis. Item, ne dubitatio omnino aliqua supereffet quoad Canonizantis auctoritatem, eadem Canonizatio postulata fuit a Martino V. cujus extat ea de re Constitutio ante *revelationes* ipsius S. Birgittæ edita Florentiæ anno 1419. post Concilium Constantiense; sicuti pluribus etiam alibi demonstratum est. Notissimæ autem sunt ejusdem S. Birgittæ *revelationes* pluribus libris distinctæ, & notissimum simul est examen earum commissum anno 1435. Joanni Cardinali de Turrecremata, qui eas approbavit, & notis illustravit. Quamquam ante primam Canonizationem factam a Bonifacio

facio IX. adhuc certum est, Urbanum VI. nonnullos delegasse, a quibus examini subjicerentur; teste ipso Cardinali de Turrecremata, qui de eodem Pontifice loquens *in epistola ad universos Christifideles* ita habet: *Qui summus Pontifex sine dilatione eas assignavit, & commisit examinandas circumspectissimis, & peritissimis viris, & Dominis Cardinalibus, & Magistris in sacra Theologia hic subsequenter insertis, videlicet Cardinali Montis Majoris, Cardinali de Agrifolio, & Cardinali de Luna:* quem porro Epistolæ locum recitat & pluribus exornat Baluzius *in vitis Paparum Avenionensium tom. 1. col. 1176.*

5. Alia plura ex antiquis Canonizationibus hauriri possent: sed, ut ad tempora non adeo a nobis remota descendat oratio, utque apertius pateat, legem Revisionis non fuisse primo statutam a Decretis Urbani VIII. nemo est, qui ignoret, Sanctum Raymundum de Pennafort, præter collectionem Decretalium jussu Gregorii IX. summi Pontificis factam, rogatu suorum Fratrum Summam composuisse de casibus conscientiæ, quam in Hispaniis incepit, Romæ vero perfecit post absolutam memoratam Decretalium Collectionem. Itaque ejusdem Summæ habita fuit ratio, cum de Raymundi Canonizatione ageretur, uti desumitur ex Relatione Rotæ Auditorum *part. 2. art. 2. vers. Ptolemæus.* Fuit enim quidem primum typis edita tempore Clementis VIII. qui ipsum Raymundum inter Sanctos retulit, una cum glossis Joannis de Friburgo, iterumque communi litteratorum virorum plausu formis impressa est in Civitate Avenionensi anno 1715. verum nec de ea mentio habita esset inter Acta Canonizationis, neque Clementis VIII. tempore publici juris facta fuisset, nisi ante ipsam Beati Canonizationem Revisioni subjecta fuisset, & nullus in ea error contra Fidem, vel bonos mores deprehensus esset. Quapropter Penia *in Actis lib. 3. in observat. ad cap. 14.* hæc habet: *Sed neque aliter* (hoc est nisi Raymundus fuisset ab errore in Fide immunis) *licuisset ipsius petere Canonizationem, aut eum Sanctorum catalogo adscribere; nam, quos constat contrarium, aut diversum aliquid docuisse, aut sensisse, quantalibet sanctitate pollere dicantur, non consuevit Ecclesia canonizare, nec tamquam Sanctos venerari, nisi egregia aliqua sanctitatis testificatione, aut Martyrii susceptione vitæ finem peregerint.*

6. Clarius id ipsum demonstratur ex his, quæ contigerunt in causa Sancti Caroli Borromæi, sicut extat apud Marcum Aurelium Grattarolam in Libro de ejus Canonizatione *part. 1. cap. 35. Non essendo solita la Santa Romana Chiesa di canonizzare Beato alcuno, che abbia insegnato, predicato, o scritto, senza esaminare la sua dottrina, per conoscere, se è Cattolica, sana, e purgata da ogni errore, il Papa deputò due bravissimi, e dottissimi Uomini a fare questa diligenza sopra la dottrina di S. Carlo: e, perchè vollero vedere, e leggere attentamente tutto quel gran volume intitolato, ACTA ECCLESIÆ MEDIOLANENSIS, che contiene una gran parte dell' opere d'esso Santo uscite in luce, perciò scorse molto tempo, prima che se ne potesse aver la relazione.*

7. Concordant pariter ea, quæ habentur in Relatione ejusdem S. Caroli exarata a tribus Rotæ Auditoribus Francisco Penia, Alexandro Justo, & Horatio Lancellotto *2. part. argumen. 13. Consulto Sedes Apostolica, cum de Canonizatione, præsertim Confessorum, agitur, qui vel Sodalitates, vel alias Congregationes instituerunt, vel Institutiones, & Regulas scripserunt, vel libros, seu Tractatus, aut opera quæcumque alia composuerunt, ea mature discutere, & considerare solet, an sanam ubique doctrinam, & Catholicæ Ecclesiæ Romanæ conformem contineant: quoniam, si secus res se habeat, aut conceptus, & opiniones diversas profiteantur ab illis, quas communiter Ecclesia Romana, ipsiusque Ecclesiæ Doctores teneant, & docent, a Canonizatione omnino abstinendum est; quia certum est, pravas doctrinas displicere Deo, & earum Auctores amicos Dei censeri non posse. Magno judicio, & prudentia hæc cautela adhiberi solet, quia de multis compertum est, in vita, & post mortem aliquo tempore tamquam Sanctos fuisse habitos, & cultos, qui tamen magnis sceleribus ab hac vita discesserant maculati: ut de Hermano Italo scribit Bernardus Lutzemburgus in catal. Hæretic. lib. 1. & Gabriel Prateolus lib. 8. de vitis & sectis Hæreticorum cap. 11. quem Ferrariæ jam viginti annis sepultum, tanquam Sanctum colebant populi; sed, cum Bonifacius VIII. deprehendisset, Auctorem extitisse Hæresis Fraticellorum, exhumari & comburi jussit. Idem judicavit faciendum Clemens Papa V. de Petro quodam Joannis, qui inspecta vita exteriori, Sanctus apparebat; tamen in quibusdam postillis, quas super Matthæum & Epistolas Canonicas & Apocalypsim scripsit, gravissimos errores docuit; unde jure Clemens eum similiter post mortem exhumari, & ossa comburi vel in Rhodanum projici, præcepit, ut notatur in directorio Inquisitorum part. 2. quæst. 9.*

8. Ad hæc Augustinus Triumphus *de potest. Eccles. quæst. 15. art. 1.* quæstionem proponit, *Utrum Papa debeat canonizare aliquem propter fructum scientiæ?* Negativam autem dat responsionem his verbis: *Respondeo, dicendum, quod, qui debet in Sanctum canonizari, & pro Sancto universaliter venerari, debet esse bonus universaliter & simpliciter, non autem singulariter & secundum partem; quia universaliter ab illo, qui est caput Ecclesiæ, assumitur venerandus a toto populo Christiano. Constat autem, quod non dicitur homo bonus universaliter ex eo, quod est in parte bonus, sed ex eo, quod secundum se totus est bonus: quod quidem contingit per bonitatem voluntatis, loquendo de bonitate naturali, & per charitatem existentem in voluntate, loquendo de bonitate supernaturali; quia voluntas imperat actibus omnium potentiarum humanarum. Verum est, quod quilibet actus est bonum suæ potentiæ, quia scientia est bonum intellectus, & videre est bonum potentiæ visivæ, & audire bonum potentiæ auditivæ: unde ille, qui habet bonitatem secundum aliquam potentiam, non suppositæ bonitate voluntatis, dicitur bonus secundum quid, ut bene videns, aut bene audiens, vel bene intelligens. Sed universaliter & simpliciter homo non dicitur bonus, nisi qui habet bonam voluntatem Divina charitate informatam.* Porro Angelus Rocca *tom. 1. oper. de Canonizatione Sanctorum cap. 30.* eamdem tractans quæstionem subdit: *Canonizatio alicujus charitatem ejus postulat & sanctitatem, sine qua, ut suo jam loco explicatum est, scientiæ donum datur & prophetiæ juxta B. Pauli sententiam dicentis:* Et si habuero prophetiam, & noverim mysteria omnia & omnem scientiam: & si habuero omnem fidem ita ut montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil sum. *Quamvis enim vita æterna, quæ Sanctis datur, scientiæ donum habenti videatur promitti, juxta illud Ecclesiastici dictum:* Qui elucidant me, vitam æternam habebunt: *scientia tamen, aut doctrina non ex se tantum, sed igne charitatis accensa præmium illud æternæ vitæ promeretur, & consequitur.* Et similiter respectu scientiæ infusæ, utpote gratiæ gratis datæ, argumentatur Scacchus *de not. & sign. sanctit. sect. 8. c. 5.* ubi ait, ex eadem sola haudquaquam inferri sanctitatem. *Ratio est manifesta ex communi Divi Thomæ & Theologorum omnium doctrina. . . . nemineam scilicet fieri Deo gratum, aut justificari seu sanctificari per gratias gratis datas, quia præditæ gratiæ gratis, ut sæpe dictum est, ad utilitatem aliorum conceduntur; atque propterea, cum donum hoc scientiæ infusæ stare possit cum peccato mortali, nullum efficax sanctitatis argumentum ex solo dono scientiæ aut sapientiæ infusæ desumi poterit.*

9. Re vera igne charitatis accensa fuit doctrina Sancti Pauli, Sanctorum Ecclesiæ Doctorum ceterorumque Sanctorum, id est Fulgentii Episcopi Ruspensis, Apollinaris Episcopi Hieropolitani, Agathonis Papæ, Publii Episcopi Athenienſis, Cyrilli Episcopi Alexandrini, Ephræm Diaconi Edessæ, Isidori Peluſiotæ Monachi, Paschasii Episcopi Viennensis, Tharasii Episcopi Constantinopolitani, Luciani Presbyteri Antiocheni, Honorati Episcopi Arelatensis, Aviti Episcopi Viennensis, Valentini Presbyteri, Joannis Chrysostomi Episcopi Constantinopolitani, & aliorum, qui in Martyrologio Romano tanquam celebres doctrina laudantur. Ne vero ab his, qui a Romanis Pontificibus in Sanctorum album relati sunt, postquam ad eos delatæ fuerunt Canonizationum causæ, recedamus, talis fuit S. Bernardi doctrina, de qua in bulla Canonizationis sic legitur; *datæ sibi cælitus sapientiæ studio*: talis S. Ludovici Episcopi Tolosani, de cujus scientia in bulla Canonizationis dicitur: *putaretur scientia infusa sibi magis divinitus, quam humanitus acquisita*: talis S. Thomæ Aquinatis; in bulla quippe Canonizationis habetur, quod *implevit eum Dominus spiritu sapientiæ & intellectus*; & in sexta lectione Officii ejus proprii: *Multa sunt admirabilia, quæ fecit & docuit & scripsit*; præterquamquod de eodem fertur Joannes XXII. dixisse in publico Consistorio occasione Canonizationis: *Non est de ejus miraculis vehementer curandum, quippe qui tot miracula fecit, quot quæstiones determinavit*; uti post Joannem Gersonem retulerunt Wilhelmus *lib. 2. de doctrina S. Thomæ*, Rocca *de Canonizat. SS. cap. 30. pag. 67.* & Paulus Friger *in vita ejusdem Sancti lib. 1. cap. 7. n. 11.*

talis

talis doctrina S. Catharinæ Senensis, de qua ita habet Canonizationis bulla: *Doctrina ejus infusa, non acquisita fuit*: talis S. Bonaventuræ, de qua pariter bulla Canonizationis ait: *Plurima librorum optimorum tum in sacris Litteris, tum in majoribus scientiis monumenta reliquit, quæ essent omni tempore posteris profutura*, de qua etiam plura habentur in relatione Pavini *part.* 1. *art.* 2. *per totum*: talis doctrina S. Teresiæ, cum de hac Sancta dicatur in bulla Canonizationis, quod *Dominus adimplevit eam spiritu intelligentiæ, ut non solum bonorum operum in Ecclesia Dei exempla relinqueret, sed & illam cælestis sapientiæ imbribus irrigaret*: talis S. Thomæ de Villanova, de quo item Canonizationis bulla: *Datus est ei sensus; invocavit, & venit ei spiritus sapientiæ*: talis demum fuit doctrina S. Rosæ de Lima, de qua habetur in bulla Canonizationis, quod *eam dono sapientiæ abundare, & scientia cælitus infusa gubernari judicarunt*. Nec enim scientiæ simpliciter inspectæ, quamvis infusæ, in prædictorum Canonizatione ratio habita est, sed scientiæ tanquam adminiculi ad ceteras virtutes heroicas dignoscendas, & ad insignem, qua præditi fuerunt, charitatem erga Deum; sicuti ponderant Matta *de Canoniz. SS. par.* 4. *cap.* 26. *num.* 11. ac Pignatellus *consul.* 193. *num.* 7. *tom.* 10. quos bene exornat Lezana *in summa Theologiæ sacræ tom.* 3. *tract.* 4. *disput.* 4. *quæst.* 3. ubi: *Similiter & ad dubium, an ex hujusmodi dono scientiæ infusæ, seu gratiæ gratis datæ sermo scientiæ appellatæ nota aliqua seu signum sanctitatis colligatur ad Canonizationem Servorum Dei, consequenter etiam ad dicta quæstione præcedenti dicendum, quod, si agatur de personis alias magnæ opinionis sanctitatis, utique, si adminiculata ea fuerit simili dono scientiæ, magnum inde argumentum desumetur ad ipsam sanctitatem comprobandam, & credendum, tale donum esse scientiæ a Deo infusæ, & veram gratiam gratis datam, ac proinde tales personas dignas esse, quæ ab Ecclesia Canonizationis honore decorentur*.

10. Ut igitur omnia in unum redigamus, primo dicendum erit, scientiam omnibus Sanctis convenire, loquendo de scientia, quæ in eo consistit, quod sciamus dirigere bona creata ad bonum Divinum, juxta doctrinam Divi Thomæ 2. 2. *quæst.* 9. *art.* 1. *ad secundum, & art.* 4. *in corpore, & ad primum*. Secundo, scientiam, hoc est rerum cognitionem, quæ Deum potissimum & ejus attributa respicit, puta sacram Theologiam, si igne charitatis accensa sit, illustriorem reddere Servi Dei, seu Beati Canonizationem, multo autem magis, si fuerit infusa. Tertio, sanctitatem sine scientia modo memorata haberi posse, & hominem præditum virtutibus heroicis, aut pro Christo mortuum, & signis ac miraculis illustrem, licet indoctum & imperitum, posse inter Sanctos ab Ecclesia referri, utpote dicitur scienter nescius, & sapienter indoctus, multosque prævenit scientia pollentes. Quare S. Hieronymus *in epist.* 52. *ad Nepotianum num.* 9. *tom.* 1. de eo inquit: *Nec rusticus tamen & simplex Frater ideo se Sanctum putet, si nihil noverit; nec peritus, & eloquens linguæ æstimet sanctitatem: multoque melius est e duobus imperfectis rusticitatem habere sanctam, quam eloquentiam peccatricem*. Postremo, ex his profluere necessitatem examinandi opera, libros, meditationes, & omnia quæcumque ab eis scripta sunt, de quorum Beatificatione & Canonizatione agendum est; ut videlicet si libri ab eis conscripti ab omni errore sint immunes, liceat ad ulteriora in eorum causis procedere; quin immo, si non solum ab errori immunes sint, sed etiam Ecclesiæ proficiant, & eo magis, si scientia divinitus acquisita conditi fuerint, ceteris ad sanctitatem concurrentibus requisitis, possit eorum haberi ratio in discussione virtutum. Quocirca Cardinalis Julius Sacchettus in relatione, quam fecit Consistorio de actis in causa S. Francisci Salesii, ita de ejus operibus locutus est: *Vivit etiam in aureis & Seraphicis opusculis ab eo editis, quæ uberrimos in toto Christiano orbe fructus parturiunt. Philothea sive introductio ad veram pietatem, epistolæ spirituales, tractatus de amore Dei, & reliquæ lucubrationes seu mysticæ, seu polemicæ in omnium pene nationum idioma translatæ omnium teruntur manibus cum ingenti legentium emolumento. Nemo potest has paginas evolvere, quin totus ardeat Dei & perfectionis amore: quisque enim in illis reperit apta suo statui monita & documenta, sive sæculo deditus ille sit, sive Claustro, sive cælebs, sive conjugatus: seu Princeps, seu privatus; omnibus enim omnia factus omnibus profuit, omnium saluti consuluit*: si vero, quod absit, erroribus libri ipsi obnoxii sint, causæ Beatificationis & Canonizationis silentium imponatur; cum non expediat ad cultum publicum exponere eum, qui scriptis aliquid edidit contra Fidem vel bonos mores, aut introducere tentavit doctrinam novam vel peregrinam, atque a communi Ecclesiæ sensu & consuetudine alienam, prout infra demonstrabimus.

11. Quæ dicta sint ad materiæ ornatum, necnon ut constet de necessitate & causa, propter quam opera Servorum Dei, de quorum Beatificatione & Canonizatione tractatur, sunt revidenda & examinanda. Porro, ut omnia rite exponantur quæ ad hanc rem facere possunt, sermo in sequentibus capitibus instituendus erit de operibus revidendis, de tempore revisionis, de iis, per quos fieri debet revisio, & de ratione eamdem faciendi; item de advertendis in horum operum revisione, denique de modo servando, quando constat, opera fuisse conscripta, quæ tamen non reperiuntur, vel quando contenditur, opera non fuisse a Dei Servis conscripta, quæ tamen eorum nomen præseferunt, iisve tanquam Auctoribus a nonnullis attributa sunt.

CAPUT VIGESIMUMSEXTUM.

Quænam sint opera Servorum Dei revidenda & approbanda.

1. OPERUM revidendorum nomine comprehenduntur omnia, quæ a Dei Servis conscripta sunt, &, quod consequitur, minime ea quæ ab aliis de Dei Servis exarata fuere. Ab his enim poterit quidem Fidei Promotor suo tempore & loco oppositiones deducere; sed eadem nullo modo pertinent ad præsens judicium revisionis operum, utpote ad quod juxta verba decretorum referuntur ea tantummodo opera, quæ ab ipsis Dei Servis composita fuerunt, *diligentissime indagandum est, an ille, vel illa, pro cujus Canonizatione instatur, scripserit aliquos libros &c.* vel quæ ab aliis quidem sunt scripto mandata, sed qui tamen fide digni sint, ac testentur, se scripsisse ea, quæ ab ipsis Dei Servis propriis auribus acceperunt. Quod non pertineant ad præsens judicium revisionis operum, quæ ab aliis de Dei Servis conscripta sunt, tum adnotatum id vidi in suffragiis duorum antiquorum & doctrina spectabilium sacræ rituum Congregationis Consultorum, Patris videlicet Joannis Bona evecti deinde ad dignitatem Cardinalitiam; & Patris Esparzæ e Societate Jesu, qui fuerunt electi ad revidenda opera, quæ dicebantur esse cujusdam Servæ Dei, tum comprobatur exemplo. Cum enim in causa Sancti Flori in Gallia Servæ Dei Agnetis a Jesu proponendum esset dubium super *signatura Commissionis*, clar. autem mem. Cardinal. Ferrarius ejus Relator ponderasset, quod aderat vita Servæ Dei a quodam Auctore conscripta, ideoque proposuisset, in Sac. Congreg. die 28. Jan. 1713. dubium, *An illa esset ad instar operum a Servis Dei conscriptorum revidenda*, negativum responsum datum fuit; postea, examinato fine ulla vitæ revisione dubio super introductione causæ, dictum fuit die 8. April. 1713. esse locum *signaturæ Commissionis*, & *Commissionem* subinde Papa propria manu de more signavit. Quod vero revidenda sint opera, quæ viri fide digni scripserunt simul testantes, se audivisse a Dei Servis ea omnia, quæ scriptis consignabant, id etiam patet per exempla: nam, cum in causa Neritonensi Servi Dei Joseph a Cupertino nonnulla adessent manuscripta composita ab Abbate Archangelo Rosmo, in quibus plura continebantur, quæ vir ille fide dignissimus dixerat se scripsisse & ab ipso Servo Dei audivisse, existimatum sane fuit, ad normam decretorum necessariam esse eorum revisionem: itemque in causa Servæ Dei Mariannæ a Jesu, dum fungebar munere Fidei Promotoris, responsum fuit die 7. Julii 1725. revidendam esse ejus vitam a Confessario conscriptam, qui testatus fuerat, se eamdem exarasse, ipsa Dei Serva dictante. In hoc quippe rerum statu opus haberi debet perinde ac si ab eodem Dei Servo vel Serva conscriptum sit. Quamobrem in causa Sancti Aloysii Gonzagæ *revelatio*, quæ de ejus sanctitate & gloria habita est anno 1600. a Sancta Maria Magdalena de Pazzis, sufficienter probata dicta est, quia verba Sanctæ in extasim raptæ fuerunt a

Mo-

Monialibus præsentibus conscripta, postea Sancta ipsa jussu Archiepiscopi Florentini testata fuit, omnia pagina excepta esse vera, & prout in eadem exposita erant & narrata. Porro probant hæc omnia, revidenda esse, quæ homines fide digni testantur se scripsisse, & ab ipsis Dei Servis propriis auribus excepisse. Nec sine causa posita fuerunt illa verba, *homines fide digni*: claræ quippe memoriæ Cardinalis Bona in suo suffragio edito in causa Servæ Dei Joannæ de Cruce super operum revisione, quæ ab ipsa conscripta non fuerant, sed a Confessario & a Monialibus, inquit: *Quare si certo constaret, ab ipsa Joanna tam bos sermones, quam ea quæ supra ex ejus vita notavi, quolibet modo processisse, perpetuum silentium causæ ipsius imponendum foret: sed quia fieri potuit, ut, ipsa insciа, omnia a Confessario sive a Monialibus fingerentur, ut de pietate quæstum facerent, crederem, suspendendum esse judicium: & quia desunt hominum testimonia ad comprobandam facti veritatem, posset procedi in causæ discussione, nulla pro nunc ratione habita horum scriptorum.* Pius & humilis Confessarius B. Angelæ de Fulgineo omnia scriptis mandabat, quæ sibi a Beata pœnitente communicabantur. Omnem ille profecto operam navabat, ut verum verborum sensum perciperet, sed in secundo prologo ad ejus vitam hæc habet: *Ego in veritate ita parum capere poteram quandoque de illis quæ dicebat ad scribendum, quod cogitavi, quod eram sicut cribrum & faccia, quæ pretiosam substantiam effundit, & retinet magis grossam. Potest tamen aliqualiter patere, quod ego non poteram capere de istis verbis Divinis, nisi magis grossa, quia aliquando dum scribeham recte, sicut a suo ore capere poteram, relegenti mihi quæ scripseram, dixit quandoque admirando, quod non cognoscebat illa: & hoc absque dubio erat propter defectum meum, non quod ego adderem aliquid de meo, sed quod in veritate non poteram capere quæ dicebat, propter insufficientiam meam.* Si omnes, qui scribunt audita a Dei Servis, ea essent probitate repleti, qua repletus erat Confessarius B. Angelæ de Fulgineo, Revisores operum tuto undequaque & facili judicio suum possent de illis consilium Sacræ Congregationis præbere. Sed cum dari possit casus, vel ut quæ scripta sunt tanquam audita a Dei Servis, fuerint a scribentibus ficta, uti adnotavit Cardinalis Bona verbis supra relatis, vel quod scribentes scripserint quæ dicta non sunt, vel quorum verum sensum non attigerunt, absque eo quod hanc legentibus veritatem patefaciant, accurate idcirco Revisorum diligentia prædicta omnia respicere debet, antequam suum proferat de operibus judicium. Ad hæc autem quid dicendum erit, si testes in processu examinati deponant, aliquem Dei Servum hanc, aut illam asseruisse propositionem? Debebit ne hujus examen suscipi, quo videatur, an contineat aliquid contra Fidem, aut bonos mores? Respondendum porro, examen hoc esse assumendum, sed non a Revisoribus; cum examen ab ipsis instituendum coercitum sit intra opera conscripta a Dei Servis, vel ab aliis, qui scripta propria auribus a Dei Servis eadem proferentibus exceperunt. Itaque propositionum examina, de quibus nunc agimus, fient a Consultoribus, & Cardinalibus, cum virtutes disputabuntur; quemadmodum factum fuit in causis SS. Francisci Regis, Camilli de Lellis, ac Servi Dei Bernardini Realini.

2. Hinc vero descendendo ad opera, quæ ab ipsis Dei Servis conscripta sunt, regula generalis est, ut omnia prorsus debeant revideri, etiamsi edita Superiorum auctoritate, nulloque interposito discrimine inter opera ingentia, & paucas aliquas pagellas, aut inter opera conscripta, ut ederentur, sive ad aliorum institutionem, & opera conscripta, ne unquam ederentur, sive ad privatam tantummodo institutionem privatumque commodum. Cum enim littera decretorum jam relata sit generalis, *scripserit aliquos libros, tractatus, opuscula, meditationes, vel quid simile*: consequens est, generaliter etiam & sine ulla exceptione esse intelligendam, juxta textum *in cap. Solitæ, de majorit. & obedient. Nihil excipiens, qui dixit quodcumque: & in cap. Quia circa, de privileg. Cum nihil exceperit, & potuerit excepisse .... nec debeat una eademque substantia diverso jure censeri.* Quocirca, ut cetera prætermittantur, in causa Valentina S. Paschalis de Baylon fuerunt revisa nonnulla ejusdem opera, licet nunquam edita: in causa Montis Regalis Servi Dei Angeli a Clavasio revisa fuit & examinata Summa Angelica ab eodem edita & sæpius typis impressa Superiorum auctoritate: in causa Valentina S. Francisci Borgiæ, in qua fuerat exhibita pagina Inquisitorum Hispaniæ attestantium, nihil in ejus operibus ad suum tribunal delatis reprehensione dignum contineri; responsum tamen fuit die 20. Novembris 1660. & injunctum, ut opera ipsa sacræ Congregationi exhiberentur una cum judicio dictorum Inquisitorum authentico: in causa Romana Servi Dei Roberti Cardinalis Bellarmini fuerunt revisæ celebres ejus Controversiæ, licet tempore, quo Auctor vivebat, jam fuissent examinatæ, in sacra Indicis Congregatione: in causa Januen. S. Catharinæ Flisc Adurnæ fuerunt in sacra Congregatione examinata & approbata ejusdem opera, etsi antea approbata pariter, ut ferebatur, a nonnullis Theologis Parisiensibus: in causa Romana seu Theatina S. Camilli de Lellis revisæ fuerunt nonnullæ pagellæ, quas ipse conscripserat memoriæ gratia, ut scilicet recordaretur eorum, quæ quolibet die peragere debebat: in causa Venerabilis Petri Urraca *ex tom. 7. processuum fol.* 264. nonnulli pii erga Deum affectus desumpti sunt, qui ejus manu fuerant conscripti, iidemque in sacra Congregatione fuerunt examinati, & post revisionem approbati: in causis Mantuana Servi Dei Episcopi Gonzagæ, Neapolitana Servi Dei Pauli Cardinalis Buralis, Toletana Servi Dei Francisci Cardinalis Ximenes, Limana S. Thuribii, Patavina Servi Dei Gregorii Cardinalis Barbadici fuerunt examinatæ Constitutiones Synodales ab eis editæ: in causa Papiensi tunc Servi Dei, nunc Beati Alexandri Saulii, & in citata Patavina Cardinalis Barbadici revisa fuerunt testamenta ab eis condita: in causis Neapolitana S. Cajetani, Ulyssiponensi Servi Dei Antonii a Conceptione, Parisiensi S. Vincentii de Paulis fuerunt revisæ ipsorum epistolæ familiares: in causa demum Majoricensi Servi Dei Alphonsi Rodriquez examinata fuit ratio propriæ conscientiæ, quam conscripserat, ut morem gereret Superiorum mandatis, & statum conscientiæ suæ Moderatori ejusdem spirituali aperiret, utque Societatis Jesu, cui nomen dederat, Constitutionibus pareret. Nec ullo privilegio fruuntur causæ Martyrum in re præsenti: re enim ipsa in causa B. Martyris Petri Paschasii facta est revisio operum ab eo conscriptorum, uti desumitur ex decreto edito die 3. Septembris 1672.

3. De operibus autem conscriptis a summis Pontificibus, quorum Beatificatio aut Canonizatio pertractatur, rationabiliter dubitari potest, an subjecta sint legi revisionis. Antequam vero proposito dubio respondeamus, prænotandum est, quod a tempore, quod judicialis ordo introduci cœpit in examen causarum Beatificationis, & Canonizationis, quatuor sunt summorum Pontificum causæ, quarum ad rem, de qua agimus, haberi potest ratio. Prima nempe illa S. Pii V. quæ jam est absoluta, cum a summo Pontifice Clemente XI. fuerit Pius in Sanctorum album relatus. Secunda, illa B. Gregorii X. quæ fuit introducta ante decreta generalia Urbani VIII. feliciter autem resumpta, dum munere fungebar Promotoris Fidei. Tertia, Innocentii XI. in qua confecti plures processus auctoritate ordinaria, necnon signata fuit *Commissio* introductionis; hodie autem, jam absoluto judicio tum super non cultu, tum fama sanctitatis in genere, conficiuntur processus super virtutibus & miraculis in specie. Quarta, Benedicti Papæ XI. quæ progressa per viam casus excepti, jam est absoluta.

4. Hisce præmissis, ita distinguendum esse videtur: aut agitur de operibus a Dei Servis ante Pontificatum conscriptis, & tunc eadem indistincte sunt revidenda; ut puta, si tractaretur de Beatificatione Hadriani VI. revideri deberent disputationes ipsius Theologicæ ante Pontificatum editæ: aut agitur de operibus compositis, postquam Servi Dei ad summum Pontificatum evecti sunt, & tunc subdistinguenda esse videntur opera, quæ habent vim legis, vel quæ negotia & regimen universalis Ecclesiæ respiciunt, ab operibus, quæ vim legis non habent, nec pro negotiis & regimine universalis Ecclesiæ edita sunt. In operibus siquidem primi generis nullum sibi vindicat locum revisio, cum a Papa provenerint vel tanquam ex Cathedra docente, vel uti supremo Ecclesiæ Duce & Pastore: contra autem in operibus secundi generis, quippe quæ composita quidem fuerunt a Papa, sed tanquam homine privato, vel tanquam particulari Doctore; & ideo, si res esset de Beatificatione & Canonizatione Innocentii IV. revidenda essent procul dubio ejusdem commentaria in libros Decretalium, quamvis ea ediderit tempore Pontificatus, scilicet quia conscripta fuerunt ab eodem tanquam particulari Doctore, ut habet Jo. Doujat *in prænot. Canon. lib. 5. cap. 5.*

5. Confirmantur hæc omnia exemplis causarum, quas non ita pridem indicavimus. In causa namque S. Pii V. fuerunt quidem revisæ & approbatæ nonnullæ ejus epi-

epistolæ; sed revisioni minime subjectæ fuerunt Constitutiones in Bullario Romano existentes; veluti desumitur ex decreto sacræ Congregationis edito die 18. Julii 1654. In causa B. Gregorii X. neque epistolæ ejus sive pro coactione II. Concilii generalis Lugdunensis, sive ad Episcopos Græcos pro Schismate abjurando, sive ad Regem Tartarorum pro expeditione ad Palæstinam, neque aliæ ejusdem Constitutiones relatæ in sexto libro Decretalium revisæ fuerunt; sed revisio & approbatio tantummodo factæ sunt cujusdam hujus Pontificis orationis habitæ Florentiæ pro concordia inter Guelphos & Gibellinos, & aliarum quarumdam ejus epistolarum sane conscriptarum Pontificatus tempore, attamen universalis Ecclesiæ regimen nequaquam respicientium; quemadmodum colligi potest ex meis animadversionibus factis occasione resumptionis hujus causæ. In causa Servi Dei Innocentii XI. cum ego tunc quoque munere fungens Promotoris Fidei opposuerim, quod minime necesse erat ea revidere, quæ fuerant ab ipso statuta vel tanquam Fidei morumque infallibili Doctore, vel tanquam supremo Ecclesiæ Principe, sed utique orationem quamdam, quam idem composuisse ferebatur peculiari quodam devotionis erga Deum affectu, hæc porro duntaxat oratio fuit revisioni subjecta atque approbata; uti deducitur ex decreto edito die 16. Junii 1714. Denique in causa B. Benedicti Papæ XI. revisioni subjectum fuit opus ab ipso ante Pontificatum, ut vox erat, conscriptum super capite quinto Matthæi; veluti eruere licet ex decreto edito die 28. Aprilis 1731.

6. Quæres, an pro operum revisione facienda in sacra Congregatione necesse sit ipsa opera autographa, seu *originalia* exhibere. Respondendum autem esse videtur cum distinctione. Aut enim opera, quæ revideri debent, nunquam fuerunt typis edita; & tunc necesse videtur autographa exhibere: siquidem, cum in hoc revisionis operum judicio constare debeat, Dei Servum opera conscripsisse, ut infra demonstrabitur, utque desumitur ex littera decretorum supra relata, *si scripsisse constiterit*: impossibile quodammodo est comprobare opera, quæ nunquam fuerunt typis edita, fuisse ab illo composita, si autographa ipsa non exhibeantur: quo sensu processit decretum sacræ Congregationis in causa Valentina S. Paschalis de Baylon 19. Februarii 1656. necnon aliud decretum editum die 19. Septembris 1729. in causa Toletana Servæ Dei Joannæ de Cruce, ubi mandatum fuit, ut perquirerentur autographa signanter nonnullorum sermonum conscriptorum a Sorore Maria Evangelista illius socia, dum eos Serva Dei in extasim rapta proferebat: idemque judicium ferendum est de operibus editis sine nomine Servi Dei, quæque eidem tanquam Auctori adscribuntur; quandoquidem sine autographorum exhibitione nihilo magis constare poterit, fuisse ab ipso exarata. Aut opera, quæ revidenda sunt, typis impressa fuere nomine Dei Servi; & tunc vel fuerunt edita, ipso vivente, vel post ejus obitum: si ipso vivente, superflua erit autographorum exhibitio: possibilis quippe discrepantia inter autographum & opus editum minime est attendenda, cum immutatio proveniisse præsumatur vel ab ipsomet Auctore, vel ab aliis de ejus consensu & voluntate: si vero opera fuerunt edita post ejus obitum, autographa perquirenda sunt, & quatenus reperiantur, exhibenda; nemo siquidem non videt, potuisse Auctorem labi in aliquem errorem contra Fidem vel bonos mores, tum etiam ipsum errorem, Auctore inscio, utpote mortuo, corrigi potuisse, industria saltem illorum, qui editionem curarunt.

7. Adstipulatur quoque experientia rerum magistra: cum enim anno 1683. in causa cujusdam Servæ Dei Revisores operum deputati accurate deprehendissent, quod in opere manuscripto autoprapho habebantur hæc verba; *Io mi sento un contentamento senza pascimento, un' amor senza paura, perduta la Fede in tutto, la speranza morta*: quod vero in opere edito ita legebatur; *Io mi trovo per la Dio grazia un contento senza nutrimento, un' amore senza timore, cioè di mai mancarne, la Fede mi pare in tutto persa, la speranza morta*: clar. mem. Cardinalis Azzolinus causæ Relator operæ pretium existimavit particularem in suis ædibus die 14. Junii prædicti anni cogere Congregationem, cui una cum Revisoribus interfuerunt Secretarius, & Fidei Promotor, ut stricte examinaretur propositio prædicta, an prout existens in opere autographo censuram aliquam mereretur.

8. Addendum, quod, si exhibita pro revisione autographa Postulatores, instent, ut, facta revisione, sibi restituantur, restitutio quidem petentibus fieri debet, sed dummodo dimittant in Actis sacræ Congregationis exemplar cum autographo ipso collatum; juxta decretum ejusdem sacræ Congregationis in causa Romana seu Polona S. Stanislai Kostkæ: *Visis & mature perpensis per R. P. D. Fidei Promotorem aliquibus paginis, ut fertur, manuscriptis a Dei Servo Stanislao Kostka e Societate Jesu, dum Romæ in Novitiatu ad Religionis rudimenta & probationem incumberet, quæ Cracoviæ asservabantur, indeque ad Urbem transmissæ sunt, cum in illis nihil contra Fidem aut bonos mores, aut doctrinam novam & a communi Ecclesiæ sensu alienam compertum sit contineri; sacra rituum Congregatio, si ita Sanctissimo videretur, censuit, scripturas prædictas originales posse restitui, dimissa tamen copia collationata in archivo sacræ Congregationis, & in causa posse procedi ad ulteriora. Die 2. Julii 1661. Et, facta de prædictis Sanctissimo relatione, Sanctitas sua annuit: die 7. ejusdem mensis eodem anno 1661.*

9. Si vero contingat, quod difficilis sit intelligentia characteris operis autographi juxta decreta generalia revidendi, difficultas erit exponenda, & vera ostendenda in sacrorum rituum Congregatione; quæ, ut ejus exemplum fumatur, sequentibus concurrentibus circumstantiis & conditionibus, permittere poterit; uti colligitur ex decreto edito in causa Antuerpiensi Servæ Dei Annæ a S. Bartholomæo 15. Decembris 1691. Prima est, ut ab Episcopo loci, in quo fieri debet *exemplatio*, vir eligatur integræ fidei, quique habeat characteris peritiam, ut exscribat: secunda, ut exemplo sumpto, fiat ejus collatio cum autographo per Notarios ab Episcopo pariter eligendos: tertia, ut hi præstent juramentum de adimplendo munere ea qua decet fidelitate; quarta, ut omnia fiant præsente Promotore Fiscali: quinta, ut exemplum sumptum firmetur subscriptione Episcopi, Promotoris, & Notariorum: sexta, ut Episcopi sigillo muniatur: septima, ut ad sacram Congregationem mittatur per fidum portitorem. *Cum sacra rituum Congregatio, instante Postulatore hujusmodi causæ prædictæ Servæ Dei Annæ a S. Bartholomæo, sub die 15. Septembris proxime præteriti censuerit, transmittendos esse ad ipsam sacram rituum Congregationem ad effectum revidendi duos libros Hispano idiomate exaratos, propria manu ipsius Servæ Dei scriptos, & jam exhibitos in processu facto usque de anno 1640. ut asseritur, in civitate Antuerpiensi, qui asservantur in capsa communi monasterii Monialium Carmelitarum Excalceatarum dictæ civitatis, quorum unus incipit &c. idemque Postulator iterum supplicaverit, attenta difficili intelligentia characterum dictæ Servæ Dei, ut dignarentur Eminentiss. Patres cum litteris particularibus Reverendiss. Episcopo Antuerpiensi directis, ut facta diligenti copia a persona fideli necessariam intelligentiam dicti characteris habente, per ipsum Episcopum eligenda, & postea cum iisdem originalibus dictorum librorum collationata coram ipso per Notarios ad id deputatos cum juramento de fideliter exercendo officium suum, & cum præsentia & assistentia sui Promotoris Fiscalis, illam seu illas manu sua dictorumque Promotoris & Notariorum firmatam, ac proprio sigillo munitam, per fidum portitorem eidem sacræ Congregationi transmittat: Eminentiss. Patres, attentis narratis, prædicta concedi posse, censuerunt tribuendo pro eodem effectu supradicto Episcopo omnes & singulas facultates desuper necessarias & opportunas, si Sanctissimo Domino nostro placuerit. Die 15. Decembris 1691. Et, facta de prædictis Sanctissimo D. N. relatione, Sanctitas sua annuit: die 29. ejusdem mensis Decembris & anni 1691.* Quod si exemplum in Urbe sumendum sit, tunc Cardinalis causæ Relator designat eum, qui exscribere debet; collatio fit coram Protonotario sacræ Congregationis, qui exemplum seu transumptum proprio characlere subscribit; Notarius ejusdem sacræ Congregationis pro collatione adhibetur; & Fidei Promotor, aut Subpromotor adesse debet omnibus his, quæ peraguntur, necnon qui ex ipsis interfuerit, subscriptionem facit; designatio autem portitoris est superflua, cum sufficiat, ut Notarius sacræ Congregationis exemplum id tradat aut Secretario, aut Cardinali causæ Relatori.

CA-

UAB Biblioteca de Ciències Socials

CAPUT VIGESIMUMSEPTIMUM.

Quando, per quos, & quomodo fieri debeat operum revisio.

1. JUXTA decreta generalia non est ad aliquem inquisitionis actum procedendum in causis Beatificationis & Canonizationis, nisi libri conscripti a Dei Servo fuerint prius in sacra Congregatione diligenter examinati, ut ex verbis sæpe citatis decretorum desumitur. *Nam, si scripsisse constiterit, non prius est ad aliquem actum inquisitionis deveniendum, quam tales libri diligenter in sacra Congregatione examinentur.* Quocirca, si, signata Commissione introductionis causæ, petatur expeditio litterarum remissorialium, & constet, Dei Servum opera conscripsisse, opera ipsa prius sunt revidenda; nisi summus Pontifex *dispensaverit*, ne, dum opera revidentur, pereant probationes; expeditio quippe litterarum remissorialium est procul dubio actus inquisitionis: atque hoc sensu processit sequens sacræ memoratæ Congregationis decretum: *Institit Procurator causæ Beatificationis & Canonizationis Servi Dei Francisci Gonzagæ Mantuani, ne probationes perirent, sibi concedi remissoriales litteras ad sumendas probationes testium valetudinariorum, & senum de certa scientia & visu super vita virtutibus & miraculis Servi Dei præfati; licet adhuc examinata non fuerint opera ab eodem, dum viveret, edita, neque declaratum, in eis contra Fidem aut bonos mores quidquam non contineri: & Sanctissimus ad relationem Eminentiss. Domini Cardinalis Costaguti ejusdem causæ Relatoris in sacra rituum Congregatione habita coram Sanctitate Sua, non obstantibus Inquisitionis decretis, petitas remissoriales litteras ad regulam textus in cap. Quoniam frequenter, ut, lite non contestata, ne probationes pereant decerni & relaxari posse concessit. Die 12. Junii 1657.*

2. Hæc porro plana sunt: sed id, quod difficultatem involvit, est, an opera sint revidenda ante signaturam Commissionis, si tunc ipsorum operum habeatur notitia. Qua de re, ut sine confusione exponantur ea quæ exponenda sunt, in tria singillatim est inquirendum, hoc est in litteram decretorum, in usum antiquiorem sacræ Congregationis, & in ejusdem usum recentiorem.

3. Quoad litteram itaque decretorum mihi semper visum est, ex ea potius probari, quod signatura Commissionis præcedere debeat operum revisionem: cum enim in decretis nihil aliud contineatur, quam quod non procedatur *ad aliquem actum inquisitionis, nisi prius opera fuerint revisa*; cumque signatura Commissionis non sit actus inquisitionis, sed via ad inquisitionem; unusquisque facili negotio cognoscere poterit, quod, attenta littera decretorum, operum revisio Commissionis signaturam subsequi debet. Addendum, quod, cum jurisdictio sacræ Congregationis magna ex parte dependeat a Commissione per summum Pontificem signata, in hoc proinde rerum statu nemo est qui non videat, quod signatura Commissionis debet præcedere operum revisionem, ne ipsa operum revisio demandetur atque ad effectum perducatur sine præcedenti existentia jurisdictionis penes sacram Congregationem.

4. Quoad usum antiquiorem sacræ Congregationis, is mihi videtur favere assumptioni: in causa siquidem S. Francisci Salesii orto dubio, an prius docendum esset de non cultu, quam opera ab eo conscripta reviderentur, sacra Congregatio sensit, quod prius doceretur de non cultu, postea opera reviderentur. *Excitata obiter disceptatione occasione prosecutionis causæ Beatificationis & Canonizationis Servi Dei Francisci de Sales Episcopi Gebennensis, an scilicet examen operum ab eodem in lucem editorum confectioni & discussioni processus super paritione decretorum sanctissimæ Inquisitionis circa non cultum præcedere debeat, an vero exordiendum sit a præfato processu; Eminentiss. Patres sacræ rituum Congregationis unanimiter censuerunt, incipiendum esse a prædicto processu; cum examen operum sit actus Canonizationis, cui declaratio super paritione decretis sanctissimæ Inquisitionis præcedere debet. Die 7. Martii 1648.* Ne vero dicatur, quod in prædicta causa obedientia decretis signaturam Commissionis præcesserit, ut plerumque tunc in more positum erat, ideoque, quod ab allato exemplo inferri nequit, operum examen subsecutum fuisse signaturam Commissionis; præsto est exemplum causæ S. Laurentii Justiniani, in qua signatura Commissionis præcessit operum revisionem, sicuti ex sequentibus decretis dignoscitur. *Signata per Sanctissimum Dominum nostrum Commissione pro reassumenda causa B. Laurentii Justiniani ex Canonicis S. Georgii in Alga, sacrorum rituum Congregatio juxta formam dictæ Commissionis deputavit in Relatorem, R. P. D. Promotore Fidei præsente, Eminentiss. Dominum Cardinalem Franciottum cum facultatibus in Commissione contentis, die 16. Martii 1647. &c. Revisis & mature discussis in sacrorum rituum Congregatione ad Eminentiss. Domini Cardinalis Franciotti relationem B. Laurentii Justiniani codicibus, quorum peculiaris inscriptio est*, Penus instructissima rei totius Theologicæ asceticæ, ac concionatoriæ, *Eminentiss. Patres eidem sacrorum rituum Congregationi præpositi, nihil in eis contra Fidem vel bonos mores, vel doctrinam aliquam novam & peregrinam atque a communi sensu Ecclesiæ & consuetudine alienam contineri, censuerunt: quam sententiam Sanctissimo Domino nostro per Eminentiss. Dominum Cardinalem Præfectum relatam Sanctitas Sua approbavit, die 28. Novembris 1647.*

5. Sequitur usus recentior sacræ Congregationis, quo attento, operum revisio præcedere debet signaturam Commissionis, si tunc habeatur notitia operum a Dei Servo conscriptorum; uti defumitur ex decretis editis in causis Oxomen. Servi Dei Joannis de Palafox 1. Martii 1698. Limana Servi Dei Francisci de Castillo 3. Octobris 1699. eademque Limana 12. Julii 1704. & dum munere fungebar Fidei Promotoris, in causa Montis Regalis Beati Angeli a Clavasio 24. Novembris 1708. in causa Servi Dei Petri de Bettancur 27. Februarii 1712. in causa Agrigentina Servæ Dei Mariæ Crucifixæ 28. Januarii 1713. atque in Tridentina Servæ Dei Mariæ Joannæ a Cruce 11. Julii 1722. Quin immo, quoties Postulatores viderunt, me in meis animadversionibus super signatura Commissionis opposuisse, quod Dei Servus opera conscripsisset, eademque non fuissent revisa, destiterunt a propositione causæ super signatura Commissionis, & supplicarunt pro deputatione Revisoris operum; quemadmodum factum fuit, ut cetera prætereantur, in causa Panormitana Servi Dei Hieronymi a Panormo, & in causa Indiarum Servi Dei Vincentii Bernedo.

6. Et quidem recentior hic usus sua non destituitur ratione: posito namque, quod errore in operibus reperto silentium causæ sit imponendum, expedit, ut operum revisio præcedat signaturam Commissionis, ne videlicet manus a Postulatoribus admoveatur ad opus cito interiturum cum jactura temporis & pecuniæ. Nec enim id, quod supra dictum est, nempe sacram Congregationem in his circumstantiis demandare operum revisionem sine jurisdictione, facit ad rem: operum siquidem revisio & approbatio juxta præsentem consuetudinem recensetur inter requisita pro obtinenda signatura Commissionis, & ideo sicuti cetera ad hunc finem requisita ante ipsam Commissionis signaturam, sicque ante jurisdictionem a Commissione provenientem examinantur, ita nihil prohibet, quin progressus fiat ad operum examen, antequam per Commissionem fuerit excitata, aut etiam data sacræ Congregationi jurisdictio.

7. Quia vero contingere potest, ut dum vel opera, quæ constat fuisse conscripta, sed non habentur, perquiruntur, vel eorum, quæ habentur, examen instituitur, probabile immineat periculum mortis testium, qui sine prævia signatura Commissionis, & expeditione litterarum remissorialium examinari non possunt; in quo rerum statu nemo non videt, quam magnum futurum esset præjudicium, si operum revisio signaturam Commissionis deberet præcedere; hac de causa aliquando sacrorum rituum Congregatio consilium præstitit summo Pontifici pro signatura Commissionis ante operum examen, & aliquando ipsi summi Pontifices Commissionem signarunt ante operum revisionem, ut causæ alioquin perituræ remedium adhiberent, cum clausula tamen, ne, confectis processibus, ad ulteriora procederetur, nisi facto operum examine. Id colligitur ex decreto edito die 13. Julii 1697. in causa Lusitana Beatificationis Servæ Dei Maffaldæ. Petebatur enim in ea signatura Commissionis, cum oppositum fuit, Servæ Dei testamentum esse revidendum, quod constabat ab eadem fuisse confectum, quodque

venit appellatione operum revidendorum. Supplicarunt idcirco Poſtulatores, ut, hoc minime obſtante, conſilium Sanctiſſimo præſtaretur pro ſignatura Commiſſionis ſub obtentu, quod, ſi ea retardari debuiſſet uſque ad exhibitionem teſtamenti, quod erat perquirendum, necnon ex longinquis regionibus afferendum, periculum imminebat amittendi probationes ſuper meritis cauſæ. Et ſane ſacra Congregatio cenſuit, ſignandam eſſe Commiſſionem, ejuſque effectu non retardato, exhibendum eſſe teſtamentum ante cujuſcumque alius dubii diſcuſſionem. Concordat recentiſſimum exemplum cauſæ Servi Dei Joannis de Palafox, in qua (ut nuper viſum eſt) ſacra Congregatio anno 1698. utique cenſuit, nonnulla opera eſſe revidenda ante ſignaturam Commiſſionis; ſed, cum cauſa multorum impedimentorum non potuerit ad eorumdem operum examen deveniri, interim vero certum eſſe periculum deperditionis probationum, ſan. mem. Benedictus XIII. Commiſſionem manu ſua ſignavit, quæ præſentata fuit in Actis ſac. Congregationis die 17. Decembris 1726. *ad evitandum* (ut in ea legitur) *imminens periculum deperditionis probationum*; data facultate conficiendi Apoſtolica auctoritate proceſſum in genere, hocque completo, proceſſum etiam in ſpecie, examinando tamen ſenes teſtes, valetudinarios, aut cito abfuturos; & addita clauſula, ut non aſſumeretur examen dubii ſuper fama in genere, niſi prius abſolutum fuiſſet examen operum Servi Dei, atque oſtenſa obedientia Urbani VIII. decretis præſtita. *Secuta autem confectione unius, vel alterius ex dictis proceſſibus, ſive ambobus, aut primo tantum ex eis confectis, vel confecto, non proponatur in ſacra Congregatione dubium ſuper fama ſanctitatis & miraculorum in genere, niſi prius examinentur dictæ epiſtolæ, aliaque opera dicti Servi Dei, ac diſcutiatur proceſſus auctoritate ordinaria factus in civitate Oxomæ ſuper obſervantia decretorum ſan. mem. Urbani VIII. quoad non cultum editorum, citato & audito R. P. Archiepiſcopo Theodoſiæ Fidei Promotore, ſimulque declaretur, dictis decretis ſufficienter fuiſſe paritum*; ſicuti legitur in citata Commiſſione. Et huic praxi Nos ipſi ad ſummum Pontificatum evecti adhærendum eſſe cenſuimus in cauſa Limana Ven. Servi Dei Franciſci de Caſtillo Societatis Jeſu, uti ex ſequenti decreto colligitur. *Propoſita ex diſpenſatione Apoſtolica in tribus Congregationibus ordinariis ſacrorum rituum abſque interventu Conſultorum habitis die 3. Octobris 1699. 26. Auguſti 1702. & 12. Julii 1704. cauſa Beatificationis & Canonizationis prædicti Ven. Servi Dei Franciſci de Caſtillo ſuper dubio, An ſit ſignanda Commiſſio introductionis cauſæ in caſu & ad effectum &c. editoque in primis duabus reſcripto, Dilata; & opuſcula, de quibus agitur, omnino exhiberi mandavit; & ad mentem; & mens fuit, quod recognoſcatur per alios Conſultores Theologos per Eminentiſs. Ponentem deputandos pars vitæ impreſſæ, & omiſſæ in ea jam diſtributa: tandem inſtantibus cauſæ Poſtulatoribus ſub die 6. Septembris 1713. a ſacra rituum Congregatione expeditæ fuerunt particulares litteræ una cum inſtructione R. P. D. Fidei Promotoris, Reverendiſs. Archiepiſcopo Limano directæ pro perquirendis ſequentibus opuſculis & manuſcriptis Servi Dei, eo tunc non exhibitis, neque examini ſuppoſitis; nempe I. Quodam opuſculo continente modum agendi gratias poſt ſanctam Miſſam, Limæ impreſſo: II. Duobus formulariis continentibus modum particularem recitandi Roſarium Beatiſſimæ Virginis juxta quindecim myſteria, & ſecundum Divina attributa, pluries impreſſis: III. quodam tractatu continente quædam exercitia ſeu modum particularem habendi orationem & contemplationem compoſita a Patre Antonio Ruitz de Montoja Societatis Jeſu, cui titulus* Pietra focaja del Divin amore, e ratto attivo dell' anima &c. *Verum poſt lapſum plurium annorum a die expeditionis & tranſmiſſionis ejuſmodi litterarum, deducto tandem ad notitiam eorumdem cauſæ Poſtulatorum in Urbe, præfatas litteras ob locorum diſtantiam fuiſſe deperditas, neque Limam unquam perveniſſe; idcirco ne ulteriori mora probationes neceſſariæ in proceſſibus Apoſtolicis recipiendæ ſuper heroicis virtutibus dicti Servi Dei, penitus perirent, Sanctiſſimo Domino noſtro Benedicto XIV. humiliter ſupplicarunt, quatenus benigne indulgere dignaretur, quod juxta formam poſtremi reſcripti ſacræ Congregationis examini primo loco ſupponatur altera pars vitæ Servi Dei in proceſſus compulſatæ, atque omiſſæ in ea jam diſtributa; deindeque, non obſtante, quod hactenus perquiſita atque exhibita non ſint alia ſuperius enuntiata opuſcula & manuſcripta Servi Dei, procedatur ad examen & reſolutionem dubii ſuper ſignatura Commiſſionis introductionis cauſæ, eaque ſignata relaxentur conſuetæ litteræ remiſſoriales pro conſtruendo proceſſu Apoſtolico ſuper virtutibus & miraculis in ſpecie, ne pereant probationes, cum ſolita facultate in eo examinandi tantum teſtes ſenes, valetudinarios, aut de proximo abfuturos. Et Sanctitas ſua, attentis motivis in ſupplici libello expoſitis, eorum petitioni benigne annuit, ea tamen ſub conditione, quod eodem tempore, quo expediuntur litteræ remiſſoriales pro conſtruendo dicto proceſſu in ſpecie, ne pereant probationes, relaxentur etiam aliæ litteræ particulares cum R. P. D. Promotoris Fidei inſtructione pro perquirendis ſupradictis opuſculis & manuſcriptis hactenus non exhibitis; quodque completo dicto proceſſu, ne pereant probationes, atque ad Urbem delato, idem clauſus & obſignatus aſſervetur in Actis Notarii ſacræ Congregationis, neque aperiatur, donec expletum prius fuerit examen ſuper dictis opuſculis & manuſcriptis. Et ita ſervari mandavit, quibuſcumque decretis in contrarium diſponentibus minime obſtantibus. Die 20. Februarii 1741.*

8. Quod ſi citra ullam diſpenſationem ſignata eſſet Commiſſio introductionis cauſæ, nulla facta operum reviſione, eo quia forte tunc ignoraretur, Dei Servum opera conſcripſiſſe, atque adeo in cauſa ad ulteriora progreſſus factus eſſet, cauſæ curſus interrumpitur atque ſuſpenditur, ſtatim ac conſtat de operibus conſcriptis, de eorum autem reviſione non conſtat; & ita quidem, ut opera ipſa ſint revidenda atque approbanda, antequam aliud in cauſa fieri poſſit, & inutilia quodammodo remaneant antea geſta, niſi judicium ſupra operum reviſione feliciter abſolvatur. Hinc in cauſa Romana Servæ Dei Claræ Mariæ a Paſſione neceſſe fuit opera revidere, licet cauſa ipſa ad dubium famæ in genere jam perveniſſet; uti colligere eſt ex decreto edito die 19. Februarii 1692. Hinc in cauſa Mexicana Servi Dei Gregorii Lopez demandata fuit operum reviſio, quamvis, abſoluta inquiſitione in genere, jam factus eſſet caſus inquiſitionis in ſpecie; quemadmodum deducitur ex decreto 13. Septembris 1692. Hinc, dum munere fungebar Fidei Promotoris, ſacra Congregatio juſſit, revideri opera Servi Dei Joſephi a Cupertino, & Servæ Dei nunc Beatæ Hyacinthæ de Mareſcottis, licet in utraque cauſa dubium de virtutibus Theologicis & Cardinalibus diſputaretur. Hinc approbatis etiam virtutibus, opera, quæ non fuerant reviſa, reviſioni ſubjecta fuere cum in cauſa Servæ Dei Joannæ a Cruce, tum, me Promotore Fidei, in cauſa B. Gregorii X. Hinc denique poſt Beatificationem opus fuit deſcendere ad examen operum, quæ ante Beatificationem non fuerant examinata; ſicuti clariſſime deprehenditur ex bulla Canonizationis S. Thomæ de Villanova (*in nov. cod. Canoniz. pag.* 364.) §. 27. *& ſeqq. Demandatum etiam fuit dicto Cardinali Cornelio Relatori cum dilecto Filio Hilarione Roncato, & quondam Terentio Alciato Conſultoribus examen operum ejuſdem Servi Dei Thomæ; & facta relatione, decretum in illis nihil contra Fidem & bonos mores, nec aliquam doctrinam a Catholico ſenſu alienam contineri; poſtea decretæ litteræ remiſſoriales ad probandum ea, quæ ſupervenerunt poſt indultam venerationem.* Conſimile quoque eſt exemplum cauſæ Neapolitanæ S. Jacobi de Marchia, cum occaſione ejus reſumptionis poſt Beatificationem fuerit Poſtulatoribus demandatum, ut operum examen & approbationem fieri curaret; quemadmodum habetur ex decretis 8. Martii, & 26. Aprilis 1692. Enimvero regula eſt, ut in cauſis introductis ante Urbani VIII. decreta, in quibus opera non fuerunt reviſa, & quæ poſt decreta eadem reſumuntur, minime fiat expeditio ſignaturæ Commiſſionis reſumptionis, niſi opera a Dei Servis conſcripta antea revideantur & approbentur. Ita quippe, dum fungebar munere Fidei Promotoris, factum fuit in cauſa Groſſetana Servi Dei Joannis a Sancto Guillelmo, & in cauſa Neapolitana Servi Dei Leonardi de Fuſco; veluti deſumere licet ex decreto edito die 6. Julii 1715.

9. Poſt tempus, quo fieri debet operum reviſio, ii videndi veniunt, per quos eadem eſt peragenda. Itaque, quando Servus Dei, de cujus Beatificatione & Canonizatione agendum eſt, opera conſcripſit, Poſtulatores exhibere debent ſupplicem libellum ſacræ Congregationi ordinariæ, ut illorum fiat reviſio. Porro, ſive hic ſupplex libellus exhibeatur, ſive non, dummodo tamen aut Promotori Fidei, aut ſac. Congregationi innoteſcat, Servum Dei opera conſcripſiſſe; committitur eorumdem examen Cardinali cauſæ Relatori cum facultate utendi opera & conſilio aliorum pro reviſione ipſa perficienda. Scilicet aliquando reviſio commiſſa eſt Cardinali Relatori cum facultate adhibendi unum vel plures Conſultores ejuſdem ſacræ Congregationis, uti colligitur ex decretis editis in cauſa Ja-

UAB Biblioteca de Ciències Socials

ſa Januen. Servæ Dei Baptiſtæ Vernacciæ 21. Julii 1645., in Romana ſeu Viennen. Servi Dei Dominici a Jeſu Maria 21. Martii 1676., in cauſa Toletana Servi Dei Franciſci Ximenes 22. Junii 1680. & in Spoletina Servi Dei nunc Sancti Joſephi a Leoniſſa 19. Decembris 1690. Alias relatio commiſſa fuit Fidei Promotori, ut factum eſt in cauſa Valentina S. Franciſci Borgia 21. Januarii 1665. & in cauſa Limana S. Thuribii 7. Januarii 1671. Præterquamquod, dum munere fungebar Fidei Promotoris, ipſe in ſacra Congregatione nonnulla opuſcula retuli Servi Dei Cardinalis Bellarmini, quæ ab antecedentibus Reviſoribus examinata non fuerant. Aliquando denique committitur Cardinali Relatori examen operum cum facultate utendi conſilio Conſultorum ſanctiſſimæ Inquiſitionis, veluti ex decretis emanatis in cauſa Toletana Servi Dei Alphonſi de Oroſco 17. Decembris 1695. & 18. Februarii 1696. necnon in cauſa Valentina Servi Dei Joannis de Ribera 30. Martii 1697. Sed &, quia tum Conſultores Congregationis rituum, tum ceteri Conſultores Congregationis ſanctiſſimæ Inquiſitionis in plures alias curas conſueverunt eſſe diſtracti, inolevit mos, ut Cardinali cauſæ Relatori committatur examen operum cum facultate viros peritos ſibi bene viſos adhibendi ſine ulla limitatione vel ad Conſultores ſacræ Congregationis rituum, vel ad eos ſanctiſſimæ Inquiſitionis. Quod ſi Cardinalis Relator abeſſet ab Urbe, nec ullus alius in ejus locum fuiſſet a ſummo Pontifice ſubrogatus, tunc ad ſacram Congregationem ſpectat Reviſores operum deſtinare, ut in more poſitum fuit in cauſa Papien. ſeu Feltren. B. Bernardini de Feltro 21. Januarii 1696. Si abſentia duraret, & jam perfectæ eſſent operum relationes a Reviſoribus exaratæ, ſacra eadem Congregatio alium Cardinalem nominare poteſt, qui ipſas relationes videat, earumque ſenſum ſacræ Congregationi exponat, quomodo factum eſt in citata cauſa B. Bernardini de Feltro 1. Septembris 1696. Si poſt deſignationem Reviſorum, vel propter obitum antiqui, vel alia ex cauſa novus Cardinalis Relator in prioris locum ſubrogetur, poſſunt Poſtulatores ſacræ Congregationi ſupplicare pro confirmatione Reviſorum, ne videlicet majus temporis detrimentum patiantur, cum alii deſignandi eſſent Reviſores: ſacra enim Congregatio annuere conſuevit petitis, quemadmodum in cauſa Tyraſonen. Servæ Dei Mariæ de Jeſu 16. Decembris 1679.

10. A Cardinali igitur Relatore, aut a ſacra Congregatione, quando ad ipſam propter impedimentum Cardinalis Relatoris devolvitur jus deſtinandi Reviſores, unus, duo, vel tres, aut etiam plures deſignantur, prout exigit qualitas operum revidendorum: & ſecreto quidem deſignantur, ut ipſi liberius ſuam exponere poſſint ſententiam. Quocirca, cum in cauſa Montis Regalis, ſive Cuneen. Canonizationis B. Angeli a Clavaſio facta fuiſſet a clar. mem. Cardinali Caprara deſignatio Reviſoris operum ab illo conſcriptorum non ſecreta, ſed cum Poſtulatoribus communicata; ſacra Congregatio die 17. Auguſti 1709. mandavit, ut ab eodem Cardinali Relatore nova fieret alius Relatoris, & porro ſecreta deſignatio. Tenentur autem Reviſores ſuam ſcriptis relationem mandare, quæ, poſtquam completa eſt, ſigillo munita mittitur ad Cardinalem cauſæ Relatorem, vel ad alium Cardinalem in ejus locum a ſacra Congregatione ſubrogatum; ut ipſe, omnibus bene ponderatis, tum Reviſorum ſententiam, tum ſuam aperire valeat in ſacra rituum Congregatione ordinaria: poſtea, ſi plurium ex Congregatione ſuffragia pro ipſa operum reviſione convenerint, fit relatio per Secretarium ſummo Pontifici: demum, ſi ſummus Pontifex Congregationis ſententiam confirmet, proceditur in cauſa ad ulteriora; ſin minus, perpetuum imponitur cauſæ ſilentium. Si vero vel propter magnam inter Reviſores opinionum diſcrepantiam, vel propter materiæ in operibus contentæ gravitatem neceſſe exiſtimetur, ut relationes Reviſorum ab unoquoque Cardinali ſacræ Congregationi perlegantur, onus eſt Cardinalis Relatoris eas pridie Congregationis per ſingulorum manus mittere, quo unuſquiſque ſuffragaturus magis inſtructus ad Congregationem accedat; qui ordo ſervatus fuit in reviſione operum S. Jacobi de Marchia: vel, ſi in relationibus Reviſorum difficultates excitentur, quibus congrue reſponderi valeat, poterit ſacra Congregatio eas cum Poſtulatoribus communicare, ut ipſi parare poſſint reſponſiones, quibus viſis, & cum difficultatibus comparatis, ſacra eadem Congregatio tutius ſuum interponat judicium. Communicatio autem difficultatum aliquo ex his modis efficitur: ſcilicet, vel tradendo relationes Reviſorum Poſtulatoribus, ſubductis tamen Reviſorum nominibus; quod obſervatum fuit in cauſa Papien. ſeu Feltren. B. Bernardini de Feltro, ut ex decreto edito die 24. Novembris 1697. &, dum munere fungebar Fidei Promotoris, in cauſa Majoricenſi Servi Dei Alphonſi Rodriquez, atque in cauſa Panormitana Servi Dei Hieronymi a Panormo die 6. Julii 1715. vel omnia communicando cum Fidei Promotore, qui ſive exaratis animadverſionibus particulares ſuper operum reviſione difficultates illas exponet, quæ a Reviſoribus excitatæ fuerunt, ut, quo tempore munus id exercebam, actum eſt in cauſa Servi Dei Leonardi de Litteris, ſive abſtinens a *formalitate* oppoſitionis, aut animadverſionum, ſuppreſſis nominibus Reviſorum, compendium exarabit difficultatum, quæ ab ipſis Reviſoribus motæ fuerunt, ut hæ Poſtulatoribus innoteſcant, quippe quia reſpondere tenentur, & interim labor imminuatur Cardinalibus ſacrorum rituum, qui alias deberent plures reviſiones a variis Reviſoribus ut plurimum longiori ſtylo compoſitas legere, ſicuti, dum eodem munere fungebar, ipſe feci in cauſa Angelopolitana Servæ Dei Mariæ de Jeſu, jubente clar. mem. Cardinali de Adda Relatore, & in cauſa Servi Dei Joannis a Sancto Guillelmo, mandante D. Cardinali Imperiali ejuſdem cauſæ pariter Relatore.

11. Ceterum ea omnia, quæ hactenus dicta ſunt de Reviſoribus a Cardinali Relatore deſignandis, tantummodo ſibi vindicabunt locum, loquendo de operibus, aut libris alicujus molis & momenti: nam, ſi opera conſiſtant in aliquibus pagellis, aut paucis ex. gr. epiſtolis, vel Cardinalis ipſe Relator eas per *extenſum* legit in ſacra Congregatione, iiſque perlectis, ſuum interponit ſacra Congregatio judicium, quod Secretarius refert Sanctiſſimo; & ita factum fuit in reviſione cujuſdam *Corollæ* B. Mariæ Viginis compoſitæ a Servo Dei Franciſco Olympio, uti deſumitur ex decreto in ejus cauſa edito die 6. Maji 1702. vel occaſione petitionis pro ſignatura Commiſſionis exhibentur unicuique Cardinali Congregationis exemplaria operum revidendorum, ut eodem contextu, quo agitur de Commiſſione admittenda, etiam opera approbentur; & ſic factum fuit in cauſa B. Gregorii X. & in alia cauſa Servi Dei Innocentii XI. fungente me munere Fidei Promotoris. Nec enim prædictorum Pontificum opera revidenda tanta erant molis, talemque continebant materiam, ut neceſſe fuerit, a Cardinalibus Relatoribus fieri Reviſorum deſignationem.

12. Denique, cum debeant Reviſores (quemadmodum & paulo antea monuimus) operum relationem ſcriptis mandare, ut id ſtatuta ratione peragant, oportet, ut in ea exprimant operis titulum, ſubſtantiam, & diviſionem, Auctoris conſilium indicent, necnon propoſitiones, ſi quæ ſint, cenſura dignas; difficultates, ſi quas habent, excitent, nec omittant earum ſolutiones ac reſponſiones ſubjicere, ſi aptas judicaverint; & tandem ſuum proferant *votum conſultivum*, relationem proprio charactere, proprioque nomine ſubſcribendo, & omnia reverenter ſubmittendo judicio ſacræ Congregationis, ſummique Pontificis.

Ex decreto quoque ſacræ Congregationis mox referendo debent illud Reviſores in relatione operis exprimere, ſi typis impreſſum ſit, Excuſoris nomen, & locum impreſſionis; necnon, ſive impreſſum ſit, ſive manuſcriptum, indicare debent numerum capitulorum ac paginarum. Cum enim aliquando Servi Dei plura conſcripſerint opera, & aliquorum quidem habeatur notitia, non autem aliorum; prudenter introductus mos fuit, ut prædicta omnia exprimantur, quo ſciatur, quænam ſint opera, quæ reviſa fuerunt, & an illa, quæ poſtmodum adinveniuntur, fuerint, necne, reviſioni ſubjecta. Item, cum plures ſint unius operis editiones, quarum una aliquando ab alia differt, recte ſtatutum fuit, ut non omittatur aut nomen excuſoris, aut locus impreſſionis, & hoc ipſo ſemper in comperto ſit, quænam ſit editio, quæ fuit reviſa. En verba decreti: *Sacra rituum Congregatio mandavit, ut in poſterum in decretis approbationis operum a Dei Servis, dum viverent, editorum exprimantur tituli ſingulorum, & nequaquam verba generalia adhiberi; ita ut, ſi quæ alia opera ad notitiam, vel ad manus ſacræ Congregationis delata fuerint, decretum jam editum declaratione non egeat, vel idem in aliqua parte nullatenus abrogandum ſit. Die 1. Octobris 1661. Facto autem verbo cum Sanctiſſimo, Sanctitas ſua annuit, ac præterea, ſi quæ fuerint impreſſa hujuſmodi opera, addi mandavit & impreſſoris nomen, locum ac tempus impreſſionis; alias, quot capitula continent, &*

quot

quos foliis conſtent. Die 10. ejuſdem menſis Octobris eodem anno 1661.

14. Ante hujus decreti editionem fiebat quidem operum reviſio; ſed, cum eadem verbis generalibus exprimeretur, dubitatum fuit, utrum ipſa ſuffragari poſſet cauſis, quæ adhuc abſolutæ non ſunt, an potius ad novam reviſionem procedendum eſſet. Videbatur enim ex una parte, quod relatio exarata ante decretum, utpote facta juxta conſuetudinem illius temporis, prodeſſe deberet; ex alia autem parte videbatur, quod ad novam reviſionem eſſet procedendum, cum ex præcedenti colligi plane nequiret, omnia ne, an tantum aliqua opera Servi Dei fuiſſent reviſa. Semper tamen in ſacram Congregationem recepta fuit opinio novam operum reviſionem exigens; quanquam, quod attinet ad factum, non unus fuerit ejus modus, ſed varius, juxta varias caſuum differentias. In cauſa ſiquidem Aprutina S. Joannis a Capiſtrano, in qua ante ſupradictum decretum facta fuerat operum reviſio, adhibitis verbis generalibus, mandatum profecto fuit, ut omnia iterum opera a novo Reviſore legerentur; attamen ſuffragaretur reviſio jam facta, ſi nullum in ipſis operibus obſtaculum ab eo reperiretur; ut ex decreto edito in eadem cauſa die 1. Octobris 1661. *Cum nuper innotuiſſet, alia ſcripta B. Joannis de Capiſtrano reperta eſſe, præter illa, quæ Congregationi ſacrorum rituum exhibita fuerunt, prævio examine ab eadem Congregatione approbata, Sanctiſſimus Dominus noſter (ex quo decretum approbationis editum ſub verbis generalibus conceptum fuerat, ut hactenus habebatur in praxi) mandavit, ut a Patre Lauræa ſacræ Congregationis Conſultore prædicta opera attente examinarentur; ut ſi quid in eis ſcrupuli offenderet, Sanctitati ſuæ aperiretur, ſin minus ex decreto edito putarentur etiam hujuſmodi opera noviſſime reperta & exhibita comprehenſa. Mandatum propterea implevit Pater Lauræa, qui, ſe neque haud ſacræ doctrinæ ſyllabam in eis offendiſſe, ſubſcripſit. Facto autem de prædictis verbo cum Sanctiſſimo, Sanctitas ſua juſſit, ut hæc in regeſtis ſacræ Congregationis adnotarentur, ſed novum decretum approbationis nequaquam publicaretur. Die 1. Octobris 1661.* In cauſa vero Papien. Servi Dei, nunc Beati Alexandri Saulii, in qua ſimiliter facta fuerat operum reviſio ſine indicatis explicationibus, ſeu *ſpecificationibus* uſque ab anno 1657. & ideo ante ſæpe memoratum decretum, deputatus fuit alius Reviſor; tum, ponderata ejus relatione omnia opera comprehendente, dictum fuit, quod progreſſus fieret ad ulteriora, quemadmodum habetur ex decreto in cauſa ipſa edito die 12. Septembris 1705. In cauſa demum Servi Dei Roberti Cardinalis Bellarmini, in qua operum reviſio facta item fuerat ſine eorumdem diſtinctione jam dicta, ſed in qua tamen non modica legebatur commendatio doctrinæ, qua Hæreticos impugnaverat, nequaquam neceſſe exiſtimatum fuit novam facere Controverſiarum illius reviſionem, quippe quia vel ex verbis relationis deſumi poterat, eaſdem fuiſſe reviſas, vel vix percipi poterat, quod Relator dixiſſet, ſe revidiſſe opera Cardinalis Bellarmini, quodque reviſionem ipſam ſacra Congregatio approbaſſet, niſi fuiſſent examinatæ Controverſiæ, quæ præcipuam conſtituunt eorumdem operum partem; verum nova reviſio facta fuit eorum tantummodo operum, de quibus, vel propter exiguitatem, vel eo quia non adeo cognita ſunt, probabiliter dubitari poterat, an præcedenti reviſione fuiſſent comprehenſa.

CAPUT VIGESIMUMOCTAVUM.

De advertendis in horum operum reviſione.

1. UT recto ordine in hoc capite procedamus, antequam de iis dicamus, quæ advertenda ſunt in operum a Dei Servis conſcriptorum reviſione, inquirendum eſt, quis ſit finis judicii reviſionis eorumdem operum.

2. Finis itaque ſeu ſcopus hujus judicii eſt, ut videatur, an doctrina Servi Dei, quam ſcriptis expoſuit, ſit immunis a quacumque Theologica cenſura; ita ut, ſi aliquid a Reviſoribus præter doctrinam adnotetur, ſevere loquendo id dicendum ſit ad eorum meſſem non pertinere.

3. Colligitur hoc ex ſæpe citata littera decretorum, quæ eſt ad doctrinam limitata: *Nam, ſi ſcripſiſſe conſtiterit, non prius eſt ad aliquem actum inquiſitionis deveniendum, quam tales libri diligenter in ſacra Congregatione examinentur, utrum contineant errores contra Fidem.* Colligitur quoque ex uſu ſacræ Congregationis: quippe, me exercente munus Fidei Prumotoris, dum agebatur de cauſa Valliſoletana Servi Dei Ludovici a Ponte Societatis Jeſu, deputati fuerunt nonnulli Theologi, qui ejus opera reviderent: cumque ipſi dixiſſent, nihil in his reperiri, quod ad doctrinam pertineret, ſed tantum a quodam opere deſumi poſſe nonnulla, quæ virtuti humilitatis, & dono diſcretionis ſpirituum obſtare poterant, ſacra nihilominus Congregatio die 15. Septembris 1714. mandavit progreſſum ad ulteriora in cauſa prædicta; injunxit autem, ut in animadverſionibus a Fidei Promotore ſuo loco & tempore faciendis ſuper dubio virtutum ipſe uteretur etiam oppoſitionibus, quæ fuerant a Reviſoribus excitatæ extra argumentum doctrinæ. Conſimile reſcriptum ab eadem ſacra Congregatione prodiit in cauſa Majoricenſi Servi Dei Alphonſi Rodriquez, in qua, non obſtantibus difficultatibus, quæ fuerant a Reviſoribus operum propoſitæ, reſponſum pariter eſt, quod progreſſus fieret ad ulteriora, & quod oppoſitiones Reviſorum, utpote potius mores quam doctrinam reſpicientes, recenſerentur in animadverſionibus ſubſequenter faciendis ſuper dubio virtutum Theologicarum & Cardinalium: quod porro a me factum eſt, cum dictas animadverſiones exaravi. Alia etiam congeri poſſent exempla, cauſarum videlicet Licien. Servi Dei Bernardini Realini, Angelopolitanæ Servæ Dei Mariæ de Jeſu, ut habetur ex decreto edito die 5. Februarii 1718. & Romanæ Servi Dei Cardinalis Thomaſii, ſicuti ex decreto edito die 22. Januarii 1724.

4. Huic tamen reſcribendi modo locus eſſe non potest, niſi quando vel Reviſores operum, licet, ut dicitur, extra chorum, aliqua in ſuis reviſionibus adnotaverint, quæ virtutibus Servorum Dei opponi poſſent; vel ipſa ſacra Congregatio, non obſtante approbatione doctrinæ, & aſſertione, quod nihil in ea fuerit a Reviſoribus perpenſum, adhuc exiſtimaret, aliquid ex eadem doctrina adverſus mores Servi Dei inferri poſſe. Exemplum habere licet in cauſa Ven. Servi Dei Roberti Cardinalis Bellarmini, qui nonnulla de vita ſua, & his, quæ geſſerat, adnotavit. Nihil ſcilicet repertum eſt in hiſce ſcriptis, quod ſanam doctrinam offenderet, ſed, cum jactantiæ nota virtuti humilitatis adverſativa, & quorumdam ſecretorum revelatio fidelitati oppoſita fuerint, ex eis tum ab Archiepiſcopo Myrenſi, tum a me, dum eram Fidei Promotor, deſumpta, quibus tamen egregii Poſtulatores totis viribus ſatisfecerunt, ſi in hac facti ſpecie ſacra Congregatio mandaſſet progreſſum ad ulteriora, reſervato jure Fidei Promotori eruendi e ſcriptis ipſis animadverſiones proponendas occaſionem diſputationis dubii ſuper virtutibus, prudenter utique feciſſet: in memoriam quippe revocaſſet Fidei Promotori, ut in examine virtutum non ſolum proceſſus auctoritate ordinaria, & Apoſtolica confectos, ſed etiam vitam a Servo Dei conſcriptam perlegeret. Id vero efficere ipſa non potuit, eo quia, delata ad manus Archiepiſcopi Myrenſis, & deinceps ad meas vita eadem manuſcripta, antequam ejus notitia deveniret ad ſacram Congregationem, ſupra indicatas animadverſiones ab ea noſmet deſumpſimus, ut nihil aliud a ſacra Congregatione fieri potuerit, quam examen prædictæ vitæ committere, quo videretur, an aliquid in ea eſſet, quod cenſuram Theologicam mereretur. Seclusis autem hiſce circumſtantiis, judicium de operum reviſione eſt abſolvendum, nec ullo modo propter ſanæ doctrinæ dubietatem differri valet atque remitti ad tempus, quo de virtutibus agendum eſt; cum id obſtet litteræ decretorum, ubi: *Si ſcripſiſſe conſtiterit, non prius eſt ad aliquem actum inquiſitionis deveniendum, quam tales illi libri diligenter in ſacra Congregatione examinentur, utrum contineant errores &c.* Sed de hoc iterum infra, cum de viſionibus, revelationibus, & prophetiis tractabitur.

5. Poſito igitur, quod judicium reviſionis operum ſit ſolius doctrinæ judicium, decreta generalia Urbani VIII. præſcribunt ea, quæ a Reviſoribus ſunt advertenda; videlicet, an in operibus error contineatur contra Fidem vel contra bonos mores, aut doctrina aliqua nova & peregrina atque a communi ſenſu Eccleſiæ & conſuetudi-

tudine aliena; uti totidem verbis in eiſdem decretis legitur. Quæ porro Urbani decreta quamvis non recenſeant ſingulas cenſuras Theologicas propoſitionum (nam juxta Theologos ex propoſitionibus cenſura Theologica notandis nonnullæ ſunt hæreticæ, nonnullæ erroneæ, nonnullæ errori proximæ, nonnullæ ſapientes hæreſim, nonnullæ ſapientes errorem, vel de errore ſuſpectæ, aliæ temerariæ, aliæ ſcandalum præbentes, aliæ pias aures offendentes, aliæ male ſonantes, aliæ ſimplicium ſeductrices, nonnullæ ſchiſmaticæ, aliæ injurioſæ, nonnullæ impiæ ſeu blaſphemæ; uti colligitur ex Concilio Conſtantienſi *ſeſſ.* 8. (*collect. Harduin. tom.* 8. *col.* 302.) necnon ex bullis S. Pii V. & Gregorii XIII. in quibus propoſitiones Michaelis Baji condemnantur, & ſicuti proſequuntur late Annatus *in appar. ad Theol. lib.* 1. *art.* 5. & firmiſſime de more ſuo Cardinalis Gottus *Theol. tom.* 1. *quæſt.* 1. *dub.* 5. §. 1. *& ſeq.*) onus tamen eſt Reviſorum unamquamque propoſitionem, quæ cum ſana doctrina non cohæreat, ſingillatim perpendere, & in ſuo ſuffragio, quod Cardinali Relatori cauſæ exhibere tenentur, ſua cenſura Theologica *qualificare*.

6. Animus non eſt hic omnia perſequi, quæ a Theologis paſſim docentur de propoſitionum cenſuris, ſeu *qualificationibus*; ſed aliqua tantum exponentur de cenſura, ſeu *qualificatione* doctrinæ novæ, de qua ſæpius actum vidi in reviſionibus operum a Dei Servis conſcriptorum. De hac ergo cenſura ſermonem inſtituendo, nec nova nec damnabilis, ſed laude digna habenda eſt doctrina, quæ, licet aliquid nove dicat, nova tamen non docet; teſte S. Vincentio Lirinenſi *in commonitor. cap.* 27. ubi ſic loquitur: *Intelligatur, te exponente, illuſtrius, quod ante obſcurius credebatur. Per te poſteritas intellectum gratuletur, quod ante vetuſtas non intellectum venerabatur; eadem tamen quæ didiciſti, doce, ut cum dicas nove, non dicas nova.* Et S. Antoninus *part.* 3. *hiſtor. tit.* 23. *cap.* 7. §. 5. ita habet de S. Thoma Aquinate: *Erat autem in legendo novos articulos adinveniens, novumque modum determinandi inveniens, & novas producens in determinationibus rationes.*

7. Rurſus licet, teſte Cardinali Baronio *ad an.* 519. *num.* 81. nova vox, quantumvis pia, niſi ex Patribus conſueta, nequaquam ſit proponenda; non poterit tamen doctrina uti nova *qualificari*, cum aliqua vox nova uſurpatur, non ut res nova ſignificetur, ſed ut facilius myſteria noſtræ Fidei exponantur, & Hæreſes contrariæ reſellantur, teſtimonio S. Auguſtini *lib. de Gratia Chriſti*: *Cum aliquid propter novas opiniones emergentes efficaciter exprimendum, & accurate ab aliis diſtinguendum eſt, rem veterem novo articulo inſignire, nihil vetat.* S. Hilarius *lib. contra Conſtantium num.* 16. agens de voce, *Conſubſtantialis*, ait: *Novitates vocum, ſed profanas, devitare jubet Apoſtolus; tu cur pias excludis?* Et S. Athanaſius Arium ſic alloquitur: *Nominis ne offenderis novitate, ut etiam rei ipſius veritatem, quæ hoc eſt ſortita vocabulum, refugis? Res enim antiqua novum nomen accepit, non vocabulo nova rei veritas acceſſit.* Pro hac aſſumptione plura alia præſto eſſent, & ſignanter exempla deducta ex vocibus, *Purgatorium*, *Trinitas Perſonarum*, *Incarnatio*, *Tranſubſtantiatio*; quæ, etſi in ſacris Litteris non habentur, laudabiliter tamen inventæ ſunt, & hodie paſſim uſurpantur, ut clare veritates in Scriptura revelatæ exponantur. Addi poſſent aliæ voces, quæ a Theologis adhibentur, puta, *Phyſica prædeterminatio*, *Scientia media*, *Præmotio moralis*, *Auxilia ab extrinſeco efficacia*, de quibus Pater Cajetanus Benitez de Lugo Congregationis ſacrorum rituum egregius Conſultor in ſuo opere, cui titulus *Concurſus Dei prævius & efficax neceſſario cohærens cum libero arbitrio humano a neceſſitate libero, diſput.* 4. §. *unic. per tot.* Quapropter doctrina nova aut erit illa, quæ vana & inutilia, Scripturiſve Divinis & ſanctis Patribus adverſantia profert, teſte Fulgentio Petrello *tom.* 1. *quæſt.* 1. *art.* 2. *num.* 14. *Novitas duplex eſſe poteſt, alia commendabilis, alia deteſtabilis. Deteſtabilis ea eſt, quæ vana, inutilia, falſa, moribus, Fidei contraria, pugnantia cum Scripturis Divinis, ſanctiſque Patribus pronuntiat. Commendabilis vero eſt, quæ ſeria, utilia, vera, conſtantia, veris conſona, moribus appoſita, Fidei convenientia, ſacris Paginis, & Patribus refert*; aut illa erit, quæ ſtudio novitatis, vel ut novam tradat doctrinam Eccleſiæ regulis adverſantem, novas adhibet voces, ut id late exornat Lamindus Pritanius *de ingen. moderat. lib.* 3. *cap.* 17. *pag.* 558. *Invecta ſunt quidem in Theologiam de Deo Uno ac Trino loquendi vocabula nonnulla, quæſtioneſque non pauca, quorum nuſquam expreſſe meminit Divina Scriptura. Sed quod iis vocibus novis ſignificatur, iiſque de controverſiis Eccleſia decrevit, veterem, & Apoſtolicam nihilo ſecius doctrinam continet; quippe ex aliis evidentibus Scripturæ placitis rite deductum, aut per traditionem certiſſimam a Chriſto Eccleſiæ ſuæ revelatum. Fecerunt autem ſubinde pullulantes Hæreſes grande illud myſterium variis erroribus vexantes, ut ipſi quoque Patres coacti vocabulis novis uti, ſcientiam Divinarum rerum uberius explicarent, & ab Hæreticorum erroribus, atque cavillationibus multiplicata quæſtionum ſegete fortius tuerentur.*

8. Ad hæc multa habentur apud eos, qui tractatus ediderunt, de regulis adhibendis in legendis operibus Patrum, aut Sanctorum. Dicunt enim primo, eorum dicta eſſe, quantum fieri poteſt, in benigniorem partem accipienda; juxta illud Facundi Hermianenſis *lib.* 9. *defenſ.* 3. *Capitulor. cap.* 5. (*Biblioth. PP. tom.* 12.) *Melius facimus, ſi virorum doctiſſimorum in pace Eccleſiæ mortem obeuntium ſcripta melius interpretemur.* Dicunt ſecundo, ſi id fieri non liceat, errorem modeſte eſſe notandum, & cum honoris præfatione: nam, ut ſubdit ipſe Facundus *lib.* 6. errores Patrum ſunt ad inſtar defectus luminarium, quæ nonnunquam ſuſtinent detrimenta ſplendoris, ſed non deſinunt eſſe quod ſunt. Docent tertio, obſervandam eſſe Scriptoris ætatem, id eſt utrum juvenis eſſet, dum ſcriberet, an in virili, vel in ſenili ætate: quare Cardinalis Bellarminus ſapienter adnotat; *quam aliter ſapiat Auguſtinus ſenex, quam Auguſtinus juvenis.* Ajunt quarto, indagandum eſſe tempus, quo ſcripta prodierunt: cum enim aliquando ſcripta prodierint ante Eccleſiæ definitionem, id Scriptorem excuſat, ſi aliqua ſcripſerit, quæ cum poſtea edita Eccleſiæ definitione minus cohærent, ut infra fuſe videbimus. Ajunt quinto, temporis, quo ſcripta edita ſunt, habendam eſſe rationem; nam, ſi ſcripta edita fuerint, antequam Hæreſis naſceretur, quæ poſt obitum Scriptoris nata eſt, itemque poſt ejus obitum ab Eccleſia condemnata, aliqua minus cauta Scriptoris locutio non erit ſeveræ cenſuræ ſubjicienda, teſte S. Hieronymo *lib.* 2. *apologiæ adverſus Ruffin. num.* 17. *tom.* 2. *oper. Et quomodo, inquies, in libris eorum vitioſa nonnulla ſunt? Si me cauſſas vitiorum neſcire, reſpondero, non ſtatim illos hæreticos judicabo. Fieri enim poteſt, ut vel ſimpliciter erraverint, vel alio ſenſu ſcripſerint; vel a Librariis imperitis eorum paulatim ſcripta corrupta ſint. Vel certe, antequam in Alexandria quaſi dæmonium meridianum Arius naſceretur, innocenter quædam, & minus caute locuti ſunt, & quæ non poſſint perverſorum hominum calumniam declinare.* Docent ſexto, ponderandum eſſe, utrum in modum concionantis, an in modum viri ſimpliciter loquentis Auctor ſcripſerit: ut enim bene obſervat Vincentius Lirinenſis, verba a Patribus, vel a Sanctis concionando prolata, non ſunt ſemper revera intelligenda, ſed interdum tanquam ex zelo quodam, & cum ſuperlatione, ſeu *hyperbolice* dicta. Dicunt ſeptimo, translatam ſeu *metaphoricam* locutionem a ſimplici, nuda, & naturali eſſe diſtinguendam; hæc quippe diſtinctio niſi fiat, multa impropria in Patrum, & Sanctorum ſcriptis, non tamen ex eorum, ſed ex lectorum culpa poterunt inveniri, ſicuti ample oſtendit Natalis Alexander *in diſſert.* 16. *ad ſæc. II. pag.* 546. ubi ſex regulas ſtatuit pro dignoſcendis locutionibus translatis, ſive *metaphoricis* in Veterum ſcriptis. Monent poſtremo, quod, ſi quid obſcurum, vel Fidei non ſatis congruum in eorum libris inveniatur, explicetur per ea, quæ clarius in alio loco dixerunt: ad quod facit exemplum S. Chryſoſtomi *homil.* 15. *in Joan. oper. tom.* 8. ubi dicit, quod nec Prophetæ, nec Angeli, neque Archangeli Deum viderunt, cum enim alibi dicat, juſtos ipſum Regem, hoc eſt Deum intuituros eſſe, non per ſpeculum, neque per ænigma, ſed facie ad faciem, non per Fidem, ſed per ſpeciem; Chryſoſtomus per Chryſoſtomum commode explicatur, quod ſcilicet, quando dixit, Angelos & Archangelos Deum non vidiſſe, id dixerit, non quoad *intuitivam*, ſed quoad *comprehenſivam* Dei viſionem.

9. Alia fere conſimilia extant apud illos, qui tractatus evulgarunt de cautelis ab iis adhibendis, quibus a Superioribus onus imponitur revidendi & examinandi opera ab aliquo Scriptore Catholico compoſita. Nimirum etiam juxta hos Scriptoris mentem non ex aliqua particula, ſed ex tota ſcripturæ textura Reviſores pronuntiabunt. Photio ſiquidem Auctore, S. Eulogius Alexandrinus in libro contra Severum, & Timotheum legem conſtituit, *ſcripta dijudicare non oportere ex parte, neque fragmenta quædam ſumendo ex his detorta, de Scriptoris mente judicium ferendum.* Item benignitatem debent, quantum fieri poteſt, ſeveritati adjungere, & meminiſ-

miniſſe celeberrimi dicti Petri Abelardi, qui *in apologetico, ſeu Fidei confeſſione* ait: *Notum proverbium eſt, nil tam bene dictum, quod non poſſit depravari:* & profecto ſicuti *prudentis eſt*, inquit ſuperius citatus Lamindus Pritanius *de ing. mod. lib. 2. pag. 271. caute omnia perpendere, ut, quantum poteſt, errorem, aut errorum atque vitiorum cauſam in libris damnet*: ſic *a prudentia diſcedit, qui tam caute agere vult, ut in ſcrupulos poſtea & cavillationes & aſperitatem nimiam ſe proripi, non animadvertat*. Debent quoque de alienis ſententiis judicium non ex ſua, vel ſuorum ferre, ſed agnoſcere libenter probabilitatem doctrinæ, a qua alioquin abhorrent. Quocirca Alphonſus de Caſtro *lib. 1. contra Hæreſes cap. 7.* ait: *Sunt enim plerique qui ſic afficiuntur aliquorum hominum ſcriptis, ut, ſi forte quempiam viderint, qui vel digito tranſverſo ab eorum ſententia diſcedat ... Hæreſim ſtatim inclament*. Et poſt pauca: *Quare fateor, me non poſſe cohibere iracundiam, quoties video aliquos ita addictos hominum aliquorum ſcriptis, ut impium autument, ſi vel in modica re quis ab eorum ſententia diſcedat. Volunt enim, hominum ſcripta, velut Divorum oracula recipi, illumque honorem illis exhiberi, qui ſolis ſacris Litteris debetur: non enim juravimus in verba hominum, ſed in verba Dei*. Ideo ad rem noſtram quadrant aſſerta Joannis Franciſci de Pavinis *in relatione cauſæ S. Bonaventuræ part. 1. art. 2.* ubi, poſtquam laudibus extulit Sancti doctrinam, concludit, non eſſe curandum, ſi aliqui Theologi illi adverſentur, cum judicium ferendum ſit non juxta eorum placitum, ſed juxta regulas Eccleſiæ: *Etſi forte nonnulli Theologi aſſerantur tenere contrarium ejus, quod ipſe aliquando determinat, dico, non eſſe faciendam vim aliquam*. Denique plura de eodem argumento collecta videri poſſunt apud Theophilum Raynaudum *de bonis, & malis libris tom. 11. partit. 3. erotem. 3.* & apud Pritanium *de ingen. moderat. lib. 2. cap. 5. & 6.* qui legi poſſunt, ut regulæ videantur ſervandæ pro firmando recto judicio de operibus, & libris, qui Superiorum auctoritate ſunt revidendi. Enimvero, demptis iis, quæ ſupra fuerunt adnotata, cum de operibus Patrum & Sanctorum ageretur, quæ reverentiam ipſis debitam reſpiciunt; (hæc quippe nequeunt in hypotheſim noſtram transferri, cum neque ſint, neque futuri ſint Eccleſiæ Patres illi, de quibus loquimur; quin immo adhuc incertum ſit, an referri debeant in album Sanctorum) cauti Reviſores in facti eventu, ut rectum ferant judicium de operibus Servorum Dei traditis ipſorum reviſioni, cetera alia hucuſque expoſita & quæ latius explicantur apud citatos Auctores, obſervare debebunt.

10. Finis huic capiti imponatur, allato in comprobationem prædictorum teſtimonio Magiſtri Ferre *tract. 2. de Fide quæſt. 16. num. 50.* ubi ait: *Adverto, quod hujuſmodi cenſuræ, quæ propoſitionibus probabilibus modo explicato dantur, multoties ſint Charitati & paci Fidelium contrariæ, qui inique ferunt, ſuam doctrinam ejuſmodi feriri cenſuris, notiſque perfidiæ infamari; eaque judiciorum diſſenſio in animorum voluntatumque diſſenſionem vertitur, & pluribus calumniis atque tumultibus inter doctos Fideles cum inſipientium ſcandalo via paratur. Sicut enim alia infamiæ & ſcandali genera a Pontificibus ut ſupremis morum Chriſtianorum Rectoribus, prohibentur; ſic poteſt & hoc pernicioſum invidioſumque cenſurandi ſeu calumniandi genus a Pontificibus, vel Inquiſitoribus prohiberi, ſeu coerceri*. Quamobrem merito Sixtus Papa IV. animadvertit in nonnullos Theologos, qui cenſura afficiebant opinionem in his verſiculis contentam: *Neque abhorres peccatores, ſine quibus nunquam fores, tanto digna Filio*, teſte Diago *hiſtor. provin. Aragoniæ lib. 1. cap. 33.* atque Antonino Bremond *tom. 3. Bullar. Ord. Præd.* ubi *pag. 621.* recitat ex Diago vivæ vocis oraculum Sixti Papæ IV. qui ſuperius allegatos verſus vindicat ab errore his verbis: *Cum duplex ſit opinio Catholicorum Doctorum circa cauſas præcipuas Incarnationis Verbi Divini intuentium; altera, quod, ſi Adam non peccaſſet, Dei Filius humanam carnem non aſſumpſiſſet; altera, quod, etiamſi non fuiſſet humana natura in primo Parente lapſa, adhuc Dei Filius carnem aſſumpſiſſet; & opinio utraque pietate, Fidei auctoritatibus & rationibus ſubſiſtat, cumque priori opinioni verſus illi innitantur, dicimus quidquid contra dictos verſus attentatum fuit, temerarium, præſumptuoſum, & pœna dignum præſumptum fuiſſe*.

CAPUT VIGESIMUMNONUM.

Utrum doctrina, quæ, cum ſcripta fuit, non erat cenſura digna, eſt autem cum examinatur, progreſſum impediat ad ulteriora in cauſa Canonizationis.

1. CONTINGERE poteſt, & quidem ſæpe contigit, ut in examine operum Servi Dei, vel Beati, de cujus agitur Beatificatione & Canonizatione, aliqua inveniatur ſententia cenſura Theologica digna, quæ talis non habebatur, cum a Dei Servo conſcripta eſt: de ea quippe tempore ſcriptionis ſine ulla nota tum pro parte affirmativa, tum pro negativa diſputabatur; ubi, propter deinde latam ab Eccleſia definitionem, de ea amplius diſputari non poteſt, quo tempore opera examinantur, maxime cum lata ab Eccleſia definitio contraria ſit doctrinæ a Servo Dei in ſuis operibus traditæ. Dubitatur itaque in præſenti, an id obſtare debeat progreſſui cauſæ ad ulteriora: cui tamen rei negativam crederem dandam eſſe reſponſionem; quandoquidem hæc opinio magis conſentanea eſt exemplis ab hiſtoria Eccleſiaſtica petitis.

2. Magis conſentanea eſt (inquam) negativa opinio exemplis ab Eccleſiaſtica hiſtoria petitis, quia, loquendo de ſancto Epiſcopo & Martyre Cypriano, qui *in epiſtola 71. ad Quintum*, & ſuſius *in epiſtola 73. ad Jubajanum de Hæreticis baptizandis* ſequens opinionem Agrippini Carthaginenſis Epiſcopi docuit, Baptiſmum ab Hæreticis collatum non ſolum illicitum, ſed etiam invalidum ſeu irritum eſſe, ita ut Baptizati ab Hæreticis, Hæreſi abjurata, eſſent rebaptizandi; ait S. Auguſtinus, excuſabilem eum fuiſſe, eo quod tunc temporis quæſtio necdum fuerat a Synodo generali definita; ſicuti colligitur *ex lib. 1. de Baptiſm. contra Donatiſtas cap. 18. tom. 9. oper. In qua* (id eſt Eccleſia) *tamen ſi aliud alii, & aliud alii adhuc de iſta quæſtione, ſalva pace, ſentirent, donec univerſali Concilio unum aliquid eliquatum ſincerumque placuiſſet, humanæ infirmitatis errorem cooperiret charitas unitatis*; item *ex lib. 4. cap. 6. Quia plenarium de hac re Concilium nondum habebat Eccleſia*; & *ex lib. 2. cap. 4. Nec nos ipſi tale aliquid auderemus aſſerere, niſi univerſa Eccleſiæ concordiſſima auctoritate firmati, cui & ipſe* (Cyprianus) *ſine dubio cederet; ſi jam illo tempore quæſtionis hujus veritas eliquata & declarata per plenarium Concilium ſolidaretur*. Quam pariter rem perſequitur Suarez in defenſione Fidei Catholicæ *lib. 1. cap. 19. num. 13. Quamobrem longe diſſimilis eſt Cypriani cauſa; nam, ut omittam, Auguſtinum interdum inſinuare, cum ante mortem ſententiam retractaſſe, illa tunc non pertinebat ad dogmata neceſſaria Fidei, neque ab Eccleſia communiter recipiebatur, & ſummi Pontifices (quamvis nondum definiendo) illi contradicebant*. Sola autem manet inter Eruditos controverſia, quodnam ſit Concilium illud, quod S. Auguſtinus verbis ſupra recenſitis deſignavit, ſed nominatim non expreſſit; aſſerentibus Sirmondo, de Marca, Albaſpineo, & Launojo, fuiſſe Arelatenſe Primum habitum anno 314. docentibus vero Bellarmino, Binio, & Patre Nicolao Dominicano, fuiſſe Nicænum Primum generale habitum anno 325.

3. Inſuper poſt traditam a S. Auguſtino de Prædeſtinatione, & Gratia doctrinam adverſus errorem Pelagii adhuc plures in Gallia ſuperfuerunt Epiſcopi, qui Semipelagianorum favebant errori, docendo, quod Fidei initium in nobis eſſet ex nobis; uti deprehenditur ex Epiſtola Bonifacii Papæ II. ad S. Cæſarium Arelatenſem. *Indicas enim, quod aliqui Epiſcopi Galliarum, cum cetera jam bona ex Dei acquieverint Gratia provenire, Fidem tamen, qua in Chriſto credimus, naturæ eſſe velint, non Gratiæ*. Quod late proſequuntur Petavius *tom. 3. dogmat. Theolog. in tract. de Pelag. & Semipelag. cap. 7. num. 1.* Theophilus Raynaudus *de bonis & malis libris n. 581. pag. 380. oper. tom. 11.* Molina *in concord. de Gr. & liber. arb. quæſt. 23. art. 4. diſp. 1. pag. 856.* & Vaſquez *in 1. part. diſput. 91. cap. 8. num. 43. & antea diſp. 83. cap. 4. num. 24.* Eoſdem tamen Epiſcopos, alioſque viros eamdem ſententiam ſequentes eruditione & ſanctitate præſtitiſſe teſtatur S. Remigius Archiepiſcopus *lib. de tribus epiſt. apud Gilbert. Maugin. cap. 35.* ubi, cum dixiſſet, S. Auguſtinum libros de Prædeſtinatione, & Gratia, & de dono Perſeverantiæ elucu-

elucubraſſe, ſubjungit: *Compellente ſcilicet tanta ſuper hac re querimonia, & perturbatione magnorum & ſanctorum apud Gallias virorum, qui ejus diſputationibus in tantum permoti fuerunt, & quodam tædio affecti, ut Prædeſtinationis ſenſum, qui ab eo conſtanter & inſtanter prædicabatur, vel quaſi falſum, vel quaſi valde periculoſum, potius tacendum eſſe judicarent.* Quod & pluribus probat Jacobus Sirmondus *tom. 1. Concil. Galliæ pag. 605.*

4. Non alia vero ratione tum illi, tum Hilarius Arelatenſium Epiſcopus, atque Caſſianus, Vincentius, Fauſtus, aliique ſanctitate præſtantes, qui Semipelagianorum errori adhæſiſſe dicuntur, a Scriptoribus Eccleſiaſticis defenduntur, quam quia ſcripſerunt ante tempora Synodi Arauſicanæ II. in qua hæc de initio ſalutis controverſia fuit definita. Thomaſinus enim *diſſert. 13. in Concil. num. 30. tom. 1.* cum nominaret Hilarium Arelatenſem, Vincentium, Fauſtum, Caſſianum, ait: *Ita fiet, ut non invideamus, non obtrectemus ſpectatæ eorum complurium ſanctitati, cui & Auguſtinus, & Proſper ipſi applaudebant. Nec magnopere ſatagemus, an ante obitum acquieverint ſaniori doctrinæ, cum ad Arauſicanæ ſaltem uſque Synodi tempora inter Catholicos numerari non deſerint.* Theophilus Raynaudus *cap. 3. apologiæ pro Valeriano Cemelienſi* ſcribit: *Erunt ergo, qui exiſtiment, eam maculam eſſe in Valeriano Adverſariorum opinione minorem, quod Valerianus eo ævo vixerit, quo Semipelagianiſmus nondum erat exploratus error, eaque in religione, cujus plerique omnes Præſules, & viri ſanctitate ac eruditione præſtantes ad eumdem ſcopulum naufragantes, de initio Fidei ex humanæ voluntatis aliquo per ſe ipſam niſu, deque Gratia Dei humanæ invocationi ſubjuncta, & omnibus, quantum ex Deo eſt, Divinæ Gratiæ rore æque reſperſis, a Divo Auguſtino impune diſſentiebant; donec poſt annos circiter ſexaginta, eoque amplius Concilii Arauſicani II. definitione, proſcripto errore, veritas Catholica conſtabilita eſt.* Franciſcus Suarez *proleg. 5. de Gratia cap. 5. num. 6.* inquit: *Nondum enim erat illa ſententia* (Semipelagianorum) *hæreſis, vel erroris damnata ab Eccleſia, ut Proſper in fine libri contra Collatorem aperte docet, Caſſianumque inter Catholicos numerat.* Cardinalis de Aguirre *tom. 3. Theolog. diſput. 113. ſect. 2. num. 38.* hac de re ſermonem faciens ſubdit: *Quæ plerique non animadvertentes, magnam SS. Patribus Hilario Arelatenſi, & ut alii etiam volunt, Joanni Chryſoſtomo, aliiſque e Græcia Doctoribus injuriam irrogari, conqueruntur, ſi Semipelagianorum ſententias aſſeruiſſe dicantur; id enim fecere, vel nondum mota, vel pendente lite.* Concordat Cardinalis de Noris *lib. 1. hiſtor. Pelag. cap. 11. col. 397. tom. 1. oper.* ubi hæc habet: *Tunc ab Auguſtino in controverſia de Prædeſtinatione ad Fidem recedebant, quando fas erat ea de re in utramque partem diſputare; anno enim demum ſeptimo ab Auguſtini obitu ſancti Doctoris ſententia in Arauſicana Synodo inter Fidei Canones relata eſt.* Quod argumentum latiſſime etiam perſecutus eſt *tom. 3. diſſert. 3.* adverſus ſcrupulos cujuſdam anonymi Auctoris ipſum accuſantis, eo quia, Vincentium Lirinenſem, & alia ſplendidiſſima Galliæ lumina, ſanctos videlicet quinti ſæculi Antiſtites, Semipelagianis adhæſiſſe, dixiſſet: Inquit enim *col. 965. At qui tuetur opinionem nulla adhuc lege ab Eccleſia proſcriptam, is ſane nec formaliter, nec materialiter eſt hæreticus. Hanc plane ſanctitatem Noriſius Semipelagianis attribuit.* Et *col. 984. Error Cypriani tunc erat error innocuus. Ejuſmodi fuit Semipelagianorum: non enim fuit injurius Chriſto, quia illum nondum Chriſtus Dominus per Eccleſiam damnaverat. Illi quidem humana tentatione correpti aliter, quam res ſe habebat, ſapiebant, cum id nondum Deus revelaſſet. Nihil hic faciunt ignorantia vincibilis, aut invincibilis; ſed utrum ante annum 530. fuerit Decretum Sedis Apoſtolicæ Semipelagianorum opinionem condemnans. Cum autem nulla talis lex extiterit, nulla quoque erat rima, per quam peccatum irrumpens tot inſignium Patrum ſanctimoniam corrumperet; ac proinde nullus veniæ locus eiſdem erat neceſſarius.* Item generaliter ad rem proſequitur Lamindus Pritanius *de ingen. moderat. lib. 2. cap. 4. pag. 253. Præterea, ſi quis eorum,* id eſt Sanctorum, *in parum ſana ſententia conſtantem ſe prodidit, utique ea fuit ſententia, quæ ſine crimine, atque intacta Fide Catholica, animo indui, defendique adhuc poterat; quippe nondum ſatis explorata, & Eccleſiæ calculo nondum improbata ſive damnata.* Denique ante eum bene ſcripſerat Melchior Canus *de loc. Theol. lib. 7. cap. 3. concluſ. 2. Res nonnullæ non erant tunc adeo in Eccleſia definitæ, ut nunc eſſe videmus.* Et paulo poſt: *Sanctus vero is fuit, qui credidit, ab Hæreticis baptizatos eſſe rebaptizandos. Sanctus fuit, qui in Chriſti corpore & ſenſum pœnæ & dolorem fuiſſe, negavit. Sanctus fuit, qui in Chiliaſtarum dogma deſcendit. Sanctus fuit, qui viro ob adulterii culpam uxorem repudianti alterum matrimonium conceſſit. Sanctus fuit, qui animis piorum uſque ad Judicii diem veram felicitatem ademit. Sanctus fuit, qui, animam hominis ex traduce eſſe, putavit. Sanctus fuit, qui, animam Adæ ante corpus fuiſſe editam, opinatus eſt. Sancti fuere, qui, Angelos multis ante mundum corporeum æternitatibus creatos eſſe, exiſtimarunt &c. Hos ego tamen reverentiæ cauſa propriis nominibus non appello: malo enim antiquitati, ſanctitatique parcere, quam otioſo lectori facere ſatis.*

5. Porro, quamvis ſciam, Hilarium Arelatenſem Epiſcopum, Vincentium Lirinenſem, Caſſianum, atque Fauſtum non ab omnibus inter Semipelagianos recenſeri, nihilominus, ut argumenti prædicti vis percipiatur, ſequentia adnotari velim. Primum, certam quidem eſſe ſanctitatem Hilarii Arelatenſis, cum ejus nomen deſcriptum ſit in Martyrologio Romano *ad diem 2. Maji*, & de ejuſdem cultu, præſertim in Eccleſia Arelatenſi, teſtis ſit Guyet *de feſt. propriis SS. lib. 3. cap. 27. quæſt. 1.* verum, quod attinet ad ejus doctrinam, non æquam eidem eſſe Auctorum omnium opinionem. Scilicet ab erroris nota vindicatur *in prodromo veritatis* Brunonis Neuſer typis impreſſo apud Bollandianos *ad diem 5. Maji tom. 11.* & huic ſententiæ adhæſerunt etiam Cardinalis Baronius, atque ex Auguſtiniana familia Marquez, Herrera, Cruſenius, Torellus. Similiter opuſcula S. Hilarii Arelatenſis una cum nonnullis notis Romæ edita ſunt anno 1731. a Joanne Salinas Canonico Regulari Lateranenſi, ubi multa de illo elogia cumulantur, & ultimo loco refertur illud Rabani Mauri, & Notkeri: *In Arelate depoſitio S. Hilarii Epiſcopi, qui Pelagianam Hæreſim in Collatoribus deprehendit, & corrigere ſtuduit.* Præterquamquod idem Salinas poſt vitam S. Honorii, eruditam exaravit admonitionem, in qua prædictum Hilarium vindicat a nota *Semipelagianiſmi*; oſtenditque, ab eo minime fuiſſe compoſitum poema *de Providentia*, quod apud Bellarminum *de Scriptoribus Eccleſiaſticis*, ubi agit de S. Proſpero, ſapit doctrinam Maſſilienſium. Sed alii cenſent, alterum Hilarium S. Auguſtini diſcipulum, qui ad eum ſcripſit de erroribus Maſſilienſium, quique laicus erat, diſtinguendum eſſe ab Hilario Epiſcopo Arelatenſi, de quo nunc agimus, quippe Maſſilienſium doctrinæ patrocinabatur, quemadmodum adnotarunt Cardinales Bellarminus *de Script. Eccleſ.* & Noris *in hiſtor. Pelag.* tum autem Tillemontius *hiſtor. Eccleſ. tom. 15. in vita prædicti S. Hilarii art. 11.* Annatus *in appar. ad Theol. lib. 4. art. 18.* Sammarthanus *Gall. Chriſt. tom. 1. de Eccleſia Arelatenſi col. 531.* Graveſon *tom. 2. hiſtor. Eccleſ. pag. 65.* Tournely *de Gratia Chriſti tom. 1. pag. 182.* præter alios Auctores, qui Hilarium Arelatenſem erroris Pelagiani inſimulant, ſumma diligentia collectos a citato Cardinali Noris *in adventoria ad Franciſcum Macedum* (*tom. 1. oper. col. 1329.*) *in ſcrupulis Anonymi circa vitteres Semipelagianorum Sectatores evulſis &c. radicatis ad §. 3. Et in reſponſione ad appendicem Auctoris ſcrupulorum §. 2.* (*to. 3. oper.*) Denique ex his, quæ Sanctus hic ſcripſit in vita S. Honorati, nonnulli deſumunt, quod utique S. Auguſtini ſententiæ adhæſiſſet, ſi materia tunc controverſa fuiſſet, uti poſtmodum fuit, ſatis clarificata, prout videre licet in illius vita apud Baillet *ad diem 5. Maji n. 6.* ex quibuſdam autem ejuſdem Hilarii propoſitionibus, ſeu ſententiis omnino conſentaneis doctrinæ Auguſtinianæ aliqui ſubdunt, eum ante mortem ab errore reſipuiſſe, quemadmodum indicat Sammarthanus *loc. cit.*

6. Secundum, etſi Caſſiani nomen non eſt in Martyrologio Romano deſcriptum, ejus tamen mentionem haberi in catalogo Sanctorum Petri Natalis, & in Martyrologio Ferrarii, cultumque obtinere Caſſianum ipſum apud Græcos quolibet quadriennio, die videlicet biſſextili, quæ eſt dies vigeſima nona Februarii, quemadmodum adnotavit Baillet in ejus vita *ad diem 23. Julii*: item ejus feſtum hac ipſa die celebrari in civitate Maſſilienſi, & quotidie lampadem accenſam ad ejus ſepulcrum pendulam eſſe, teſte Pagi *ad an. 433. num. 18.* præterea ejus caput mandato Urbani Papæ V. una cum brachio dextero in inſigni repoſitorio clauſum ad publicam venerationem exponi ſuper altare in abbatia S. Victoris civitatis Maſſilienſis, dum reliquæ partes corporis ſepultæ ſunt in ſacello ſubterraneo eccleſiæ in ſarcophago marmoreo ad inſtar corporis aliorum Sanctorum, teſtimonium perhibente Tillemontio *hiſt. Eccleſ. tom. 14. in ejus vita art. 14.* denique, quod notatu dignius eſt, S. Gregorium Magnum *tom. 2. oper. lib. 7. epiſt. 12. ad Reſpectam*

Abbatiſſam Maſſilienſem eum appellare Sanctum: laudat enim monaſterium, *quod in honorem S. Caſſiani eſt conſecratum*. Nihilominus ejus doctrinam, utpote a S. Proſpero impugnatam, putant plerique *a Semipelagianiſmi* nota vindicari non poſſe; & hi ſunt Cardinalis Noris *tom. 1. oper. hiſtor. Pelag. lib. 2. cap.* 10. Pagi *loc. cit.* Tillemontius *loc. pariter cit. art.* 12. Natalis Alexander *diſſert. 4. ſæc. V.* Graveſon *hiſtor. Eccleſ. tom. 2. pag.* 64. Tournely *de Gratia Chriſti tom. 1. pag.* 184. Suſtinent etenim, decimam tertiam ex viginti quatuor Caſſiani collationibus refertam eſſe Semipelagianorum erroribus, & ob id a S. Proſpero egregie confutatam: & profecto, licet pro Caſſiano, ejuſque doctrina, tanquam immuni a quocumque errore, ſtet Joannes Baptiſta Gueſnajus Aquenſis in ſuo opere, cui titulus, *Sanctus Joannes Caſſianus illuſtratus*; id tamen opus ſtrenue impugnatur a citato Cardinali Noris *tom. 1. in append. ad hiſtor. Pelag. cap. 2.*

7. Tertium, quod Vincentius Lirinenſis inter Sanctos deſcribitur in Martyrologio Romano *ad diem* 24. *Maji*, ſtatimque poſt obitum cultum obtinuit, teſte Pagi *ad an.* 434. *num.* 20. pariter, quod de ejuſdem cultus continuatione in celebri monaſterio Lirinenſi non eſt dubitandum, teſtimonio Cardinalis Noris *in hiſtor. Pelag. ſæpe cit. lib. 2. cap.* 11. ad quod addit Tillemontius *hiſtor. Eccleſ. tom.* 15. *in ipſius Vincentii vita*, ejus feſtum coli ſub ritu duplici ab anno 1600. & ſubinde adjectam fuiſſe publicam Reliquiarum ejus expoſitionem; pariterque, quod celebre ejuſdem opus *Commonitorium* appellatum, & ab eo ſcriptum nomine *Peregrini* miris laudibus extollunt Baronius, Bellarminus, & etiam Noris S. R. E. Cardinales, ut & Gennadius, Sauſſajus *in Martyrologio*, atque Joannes Coſterius, atque adeo quod, excepto Cardinali Noris, ſi fides ceteris modo dictis habenda ſit, Vincentius nulla *Semipelagianiſmi* nota affectus eſt, tum quia epiſtolam Cæleſtini Papæ, in qua doctrina S. Auguſtini mirifice extollitur, cum laude commemorat, & *in cap.* 34. *Commonitorii* neceſſitatem Gratiæ propugnat ad ſingulos actus; tum quia Sanctus hic Vincentius non eſt confundendus cum alio Vincentio, qui eodem tempore vixit, & qui S. Proſpero ſe oppoſuit. Verum quoad Lirinenſis doctrinam ſecus res ſe habet, ſi alii mox referendi, eorumdemque fundamenta perpendantur; cum omnino velint, eum Semipelagianis faviſſe. S. Cæleſtini epiſtolam utique laudaſſe, ſed eam non bene intelleXiſſe, & ipſum re vera fuiſſe Auctorem earum oppoſitionum, quas ſtrenue S. Proſper confutavit. Hi nempe ſunt Cardinalis Noris *loc. cit.* Pagi *ad an.* 434. *num.* 16. Natalis Alexander *ad ſæc. V. cap. 3. art. 7. §. 7.* Baillet *in ejus vita ad diem* 24. *Maji*, Graveſon *hiſtor. Eccleſ. tom. 2. pag.* 64. Tournely *loc. cit.*

8. Quartum, quod Fauſtus ex Monacho Rejenſis Epiſcopus ejuſmodi cultum habet in Rejenſi Eccleſia, ubi ſcilicet in ejus honorem Officium recitatur, quemadmodum ex libro Chorali anni 1545. deſumitur; ut, quamvis Petrus de Millia illius civitatis Epiſcopus prohibuerit, ne coleretur Officio, Petri tamen Succeſſores ei Officii cultum redintegrarint, teſte Pagi *ad annum* 490. *num.* 17. Molanus quoque eum ex Sanctorum albo delevit: ſed Cardinalis Baronius, qui primum Molanum ſecutus eſt, ſuum ſubinde judicium revocavit *ad an.* 490. *num.* 42. ſub obtentu, quod Martyrologium Gallicanum illum inter Sanctos recenſuit uſque ad Molani expunctionem, quodque Eccleſia Rejenſis, ubi ſedit Antiſtes, ſemper eum coluit uti Sanctum, erecta baſilica ejus titulo inſignita. Similiter Tillemontius *hiſtor. Eccleſ. tom. 16. in ejus vita art.* 19. eum a catalogo Sanctorum juxta Molani, & primam Cardinalis Baronii ſententiam expungere conatur; veruntamen cultus erga eum adhuc permanet, & tanquam Sanctus colitur in nonnullis Galliarum eccleſiis, necnon a Bollando ejus vita recenſetur inter vitas Sanctorum *ad diem 26. Januarii tom. 2.* Cardinalis autem Baronius primum ſuum judicium de ſanctitate Fauſti quidem revocavit, at nusquam tamen, ſicuti *loco citato* proteſtatus eſt, ſententiam de ejus ſcriptis mutavit. Dixerat enim *ad an.* 490. *num.* 32. *& ſeqq. tom. 6.* non modo Orthodoxos fere omnes in Oriente Fauſti libros impugnaſſe, ſed & in Occidente libros ipſos ſcriptis exagitatos fuiſſe a Cæſario, & Avito doctiſſimis & ſanctiſſimis in Gallia Epiſcopis, adeo ut inutile futurum eſſet opus quodcumque, quod pro defenſione ſcriptorum ejus ſuſciperetur. Et profecto, quamvis, hiſce minime obſtantibus, edita fuerit a Sirmondo pro Fauſto apologia, ejus nihilominus opera tanquam doctrina Semipelagianorum infecta communius reprobantur; quemadmodum videri poteſt apud Natalem Alexandrum *in diſſert. 4. ſæc. V. & eodem ſæc. V. cap. 3. art. 7. §. 5.* Tillemontium *in Fauſti vita art. 7.* Cardinalem Bellarminum *de Script. Eccleſ.* Graveſon *hiſtor. Eccleſ. tom. 2. pag.* 65. Tournely *cit. oper. pag.* 185. & inſtar omnium apud Cardinalem Noris *in cit. hiſtor. Pelag. lib. 2. pag.* 15. *& 16. & in Appendice cap. 3.* ubi latiſſime reſpondet apologiæ Sirmondi.

9. Ex quibus præmiſſis inferri poſſe videtur primo, de Hilario Arelatenſium Epiſcopo, Joanne Caſſiano, & Vincentio Lirinenſi nullam quoad ſanctitatem eſſe controverſiam, eamque ad ſolum Fauſtum Rejenſem, licet minus probabiliter, redigi poſſe: deinde, etiamſi multi viri graves ſtent pro doctrina Hilarii, alii item pro doctrina Caſſiani, & Vincentii, ſed pauci pro doctrina Fauſti, non deeſſe tamen viros pariter in rebus Eccleſiaſticis bene verſatos, qui de Hilarii doctrina ſuſpicionem habuerint, firmumque judicium de doctrina Caſſiani, Vincentii, & Fauſti tulerint, quod eſſet Semipelagianorum errori conſentiens: poſtremo, hos ipſos nihilominus cenſuiſſe, nullam exinde notam inuri prædictorum ſanctitati eo, quia, ſi aliter docuerunt, ac a Sede Apoſtolica definitum eſt, id tunc fecerunt, cum nullum adhuc ab Eccleſia fuerat latum judicium. Propterea ad rem, de qua agimus, concludendum eſt, conſentaneam eſſe exemplis ab hiſtoria Eccleſiaſtica petitis opinionem ſupra expoſitam, quod ſcilicet officere non debeat Canonizationis cauſæ, ſi Dei Servus aliqua ſcripſerit, quæ tunc erant a cenſura immunia, quanquam examinis tempore cenſuræ ſubjecta ſint propter intermediam Eccleſiæ definitionem.

CAPUT TRIGESIMUM.

In quo antecedentis capitis ſententia confirmatur exemplis cauſarum Canonizationis.

1. RELATA in capite antecedenti ſufficere profecto poſſe videntur ad ſuadendam aſſumptionem, de qua in eodem capite actum eſt: attamen, quatenus neceſſe quis exiſtimaret, ut aliqua adderentur deſumpta ab exemplis cauſarum Canonizationis, eadem etiam in præſenti afferuntur.

2. Anno 1357. inter Richardum Armachanum Archiepiſcopum, & Religioſos Mendicantes contentio orta eſt. Dixerat enim Archiepiſcopus Fideles in Paſcha Religioſis viris peccata confeſſos teneri eadem confiteri proprio Parocho, non propter defectum poteſtatis in illis excipiendarum confeſſionum, & concedendæ abſolutionis, ne incurrere videretur in damnatos errores Joannis de Poliaco, ſed propter Eccleſiæ præceptum expreſſum *in cap. Omnis utriuſque ſexus de pœn. & remiſ.* A Fratribus autem Mendicantibus Richardus ad Curiam Pontificiam vocatus eſt: cumque ſcripſiſſet tractatum, qui eſt typis impreſſus apud Goldaſtum *tom. 2. monarchiæ Romani Imperii*, fuit ille egregie confutatus a Rogerio Chonoe Profeſſore Ordinis Fratrum Minorum in opere, cui titulus, *Defenſio Religionis Mendicantium*. Sed, cum de ea, aliiſque propoſitionibus adverſus Ordines Religioſos prolatis Armachanus egerit coram Innocentio VI. & Cardinalibus in Conſiſtorio die 8. Novembris anno ſupradicto 1357. quamvis nonnulli Auctores collecti a Theophilo Raynaudo *tom. 11. de mal. ac bon. lib. partit. 1. eratem. 8. num.* 121. *& ſeq.* eumdem Richardum inter Hæreticos recenſere auſi ſint, & Theophilus ipſe non modo eos ſequatur, verum etiam diploma Bonifacii IX. mox referendum tanquam apocryphum irrideat; res nihilominus ſic ſe habet. Summus Pontifex Innocentius VI. litis judicium tunc ſuſpendit; quæ pluries deinde adverſus opinionem Richardi deciſa eſt. Etenim tunc tantum *interlocutorium* latum fuit decretum, ne, pendente lite, quidquam innovaretur, & ne Religioſis Archiepiſcopi, & Epiſcopi Angliæ impedimento eſſent in concionibus habendis, confeſſionibus excipiendis, & eleemoſynis quærendis, ſine præjudicio tamen jurium ambarum partium; ut habetur ex ejuſdem Pontificis

Con-

Constitutione typis impressa apud Natalem Alexandrum *dissert. 4. num. 51. ad* XIII. & XIV. atque ut late exponit Pagius *in vita Innocentii VI. num. 21.* (*breviar. Rom. Pontif. tom. 2.*) Quin immo, quia oppositiones Richardi deprehensæ fuerunt a bono zelo provenientes, necnon de ejus sanctitate & miraculis fama vigebat, Bonifacius IX. *remissoriam* expedivit, ut in ea inquireretur, teste Raynaldo *ad an. 1357. num. 6.* quam porro *remissoriam* se daturum ex archivis Vaticanis promittit Wadingus *ad an. 1357. num. 8. tom. 8.*

3. Sed, ut ad recentiora exempla manum admoveamus, operæ pretium est aliqua referre de celebri controversia magnis animorum motibus sæculo XV. agitata inter Fratres Prædicatores, & Fratres Minores, an sanguis Domini nostri Jesu Christi a corpore jam exangui in Passione separatus remanserit Divinitati unitus, & sic adorandus adoratione *Latriæ*; de qua etiam theologice agitur apud Theophilum Raynaudum *operum tom. 1. de un. hypost. lib. 2. sect. 3. num. 192. & plurib. seqq.*

4. Fratres Prædicatores stabant pro affirmativa opinione ex recepto apud Patres axiomate, quod Verbum nunquam dimisit id, quod semel assumpsit: cumque Divinum Verbum in assumptione humanæ naturæ carnem & sanguinem sibi *hypostatice* univerit, inferebant, quod non dimisit in Passione & in morte sanguinem, quamvis a corpore separatum, qui proinde etiam effusus Divinitati perseveravit unitus.

5. Negabant contra Fratres Minores existimantes, Divinum Verbum, assumendo humanam naturam, sibi primo, & *immediate* univisse partes eamdem naturam constituentes, animam videlicet & corpus, cetera vero spectantia ad corporis nutrimentum, cujusmodi putabant esse sanguinem, quemadmodum & alios corporis humores, non *immediate* a Verbo assumpta in unionem *hypostaticam*, sed potius coassumpta cum corpore asserebant; ex quo concludebant, quod a corpore separata, uti fuit sanguis in Passione effusus, nequaquam Divinitati unita remanserunt.

6. Itaque S. Jacobus de Marchia anno 1462. die 18. Aprilis, quæ incidit in diem Dominicam Paschæ, concionem habens in civitate Brixiensi ad populum dixit, in morte Domini nostri Jesu Christi quatuor factas fuisse separationes, scilicet animæ a corpore, sanguinis a corpore, Divinitatis ab Humanitate, & Divinitatis a sanguine effuso; & subinde, sanguinem pretiosum in triduo Passionis effusum, & in terra jacentem ab unione *hypostatica* excidisse, ac propterea cultu *Latriæ* indignum fuisse; sicuti refert Dermicius Thaddæus Minorita *in nitela Franciscana*. Fuit autem id adnotatum a quodam Fr. Joanne Baptista ex Ordine Prædicatorum, qui sequenti die concionari debebat: cumque in concione modo dicta die habita ex suggestu assertionem S. Jacobi declarasset falsam erroneam & hæreticam, Jacobus a Brixia ex eodem Prædicatorum Ordine in Longobardia Inquisitor familiaribus litteris Sanctum admonuit, ut assertionem ipsam aperiret, explicaret, & etiam revocaret, eo potissimum fundamento, quod fuerat sub Clemente VI. damnata, teste Eymerico *in directorio Inquisitorum part. 2. quæst. 10.* ubi narrat, Pontificem certiorem factum a Nicolao Rosello in Aragoniæ & Catalauniæ partibus Inquisitore Ordinis Prædicatorum, quosdam in civitate Barcinonensi dixisse, quod Divinitas non remanserat in sanguine Christi sparso in Parasceve, Inquisitori ipsi mandasse, ut eumdem articulum tamquam *hæreticalem* & erroneum condemnaret, & hanc condemnationem publice factam fuisse in ecclesia Cathedrali Barcinonensi. Sed quia, non obstantibus prædictis litteris, S. Jacobus feria tertia proxima iterum concionem habens, suam de sanguine Christi assertionem Catholicam pronuntiavit, eamque munivit testimoniis Francisci Majeronis, S. Bonaventuræ, Richardi de Mediavilla, Alexandri Halensis, & aliorum Doctorum sui Ordinis, quemadmodum habet Marcant. *in oper. de* 12. *fundamentis Ord. S. Francisci tit.* 12. §. 4. *quæst. 1. principalis*; adeo exacerbatus fuit animus Inquisitoris Brixiensis, ut ad Jacobum *citationem* miserit peremptoriam relatam apud Wadingum, ut sub anathematis pœna vel assertionem revocaret ut erroneam & hæreticam, antequam de civitate Brixiensi recederet, vel die craftina hora statuta ad se accederet de Fide responsurus.

7. Incredibile est, quale & quantum murmur in populo invaluerit ob hasce contentiones e suggestu propositas. Quocirca, ut eas sedaret, Bartholomæus Maupertus Brixiensis Episcopus omnem operam suam navavit, atque adeo in Episcopali palatio die 21. Aprilis ejusdem anni 1462. celebratum fuit instrumentum, in quo Inquisitor confessus est, se hesterna ipsa die statim revocasse & abrogasse præceptum supra memoratum. Hujus instrumenti exemplar extat apud Wadingum, qui & duas affert attestationes, alteram videlicet Magistratus Brixiensis, alteram Generalis ejusdem civitatis exaratas sequenti mense Maji, in quarum prima dicitur, S. Jacobum nullam opinionem erroneam prædicasse, sed doctrinam sanctam & Catholicam, & a sanctissimis Ecclesiæ Doctoribus comprobatam; in secunda vero, fuisse præceptum ab Inquisitore revocatum, nullum exemplar authenticum decreti Clementis VI. fuisse exhibitum, & ad finem controversiæ imponendum fuisse ab Episcopo mandatum, ut in futura proxima concione tum S. Jacobus, tum Fr. Joannes Baptista ad populum prædicarent, neutram ex prædictis opinionibus esse hæreticam, & unicuique licere, utri vellet, adhærere, usquequo aliter ab Apostolica Sede determinatum esset.

8. Sperari poterat, ab hoc Episcopi Brixiensis facto animorum motus potuisse & debuisse componi: verum res alio modo se habuit, uti desumere est ex Brevibus summi Pontificis Pii II. relatis apud Patrem Marcant. *loc. cit.* In litteris enim ab eodem Pontifice datis ad S. Jacobum die 25. Septembris 1462. Pontifex ipse protestatur, sibi non constare, eum fuisse hæreticum, aut male de Catholica Fide sensisse; sed a se habitum esse & haberi bonum, devotum, & religiosum Dei famulum. Item in alio Brevi expedito die ultima Maji ejusdem anni, quod scripsit Vicario Generali Ordinis Minorum de Observantia in partibus Longobardiæ sub censuris prohibuit, ne sive in publico sive in privato verbum fieret de prædictis quæstionibus, usquequo Sedes Apostolica, quid in eis sentiendum esset, decrevisset. Præterea, cum a nonnullis supposititum sibi fuisset, S. Jacobi & aliorum Minoritarum opinionem a sanguine ad corpus transivisse, ita ut non solum docerent, sanguinem Christi effusum in Passionis triduo Divinitate separatum, sed etiam corpus Christi a Divinitate in sepulcro sejunctum fuisse; ad se jussit delegari viros doctos & zelum habentes, qui de veritate, ut necesse erat, docere possent. Cujus notitia accepta, in alio Brevi edito die 4. Decembris 1462. Fratres de Observantia expurgavit ab oppositis ipsis calumnia de separatione Verbi a corpore Christi; Brevia quædam antecedentia, quæ sub ea suppositione prodierant, revocavit; & miris laudibus extulit S. Jacobum, ejusque conciones, ac labores pro Fide Christi susceptos, data facultate privatim & publice tum Sancti, tum aliorum Fratrum Minorum innocentiam vindicandi. Insuper, ne ex facto Inquisitoris Brixiensis, vel ex commissione data instantibus Fratribus Prædicatoribus pro diligentiis peragendis inveniendi causa authenticam probationem decreti Clementis VI. aliqua nota censeri posset memoratum B. Jacobum affectum fuisse, die 22. Martii 1463. novas ad Beatum ipsum Jacobum litteras dedit, quibus inquit, consultius utique fuisse, si ea de re nunquam prædicasset; attamen sine alicujus infamiæ nota, & hæresis periculo vel suspicione potuisse e suggestu sententiam illam proponere, quæ nunquam antea, nec usque ad diem, quo litteræ scribebantur, fuerat a Sede Apostolica definita; eumque idcirco sine fundamento fuisse accusatum.

9. Profecto ad vindicandam S. Jacobi innocentiam ab impacto sibi erroris vel Hæresis crimine, nihil aliud requiri posse videbatur; sed, quia animorum motus inter utriusque Ordinis Theologos necdum erant compositi, dictisque & scriptis hinc & illinc adhuc pugnabatur, Pius Pontifex eodem anno 1463. etiam annuit, ut celebris institueretur disputatio in palatio Apostolico, & in consessu Cardinalium inter sex Theologos ex Domnicanis, & totidem ex Franciscanis. Disputationes, acta, & argumenta utrinque proposita legi possunt apud Gobellinum *in commentariis Pii II. lib. 11.* Interea vero adnotasse fas sit, constitutos fuisse Judices rerum etiam tum gestarum Alanum Tituli S. Praxedis Cardinalem dictum Avenionensem, & Bessarionem Cardinalem Tusculanum appellatum Nicænum, qui erant utriusque Ordinis, Prædicatorum, & Minorum, Protectores. Vocatus porro & interrogatus est uterque Jacobus, Picenus videlicet & Brixiensis; & quidem interrogatus circa initium controversiæ, ejusque progressum. Auditis autem utriusque litigatoris rationibus, statuta die Cardinalis Alanus gravi sermone ad pacem & concordiam diffidentes hortatus est, judicio lato, quod Brixiensis, & in quibusdam defecisset, & in aliis excessisset, ita ut veniam a Piceno petere teneretur. Itaque,

que, dum Brixienſis genibus flexis id facere meditabatur, Picenus eum amplexus eſt, rogavitque ut ſurgeret, necnon promiſit, ſe eum deinceps pro Patre venerabili eſſe habiturum, depoſito quocumque doloris affectu, qui ex præteritis diſſidiis ortum habuerat, teſte Wadingo *ad an. 1463. num. 1. tom. 13.* Verum, quod attinet ad merita controverſiæ de ſanguine Chriſti, de ea tunc temporis egregie ſcripſerunt duo Theologi, Dominicus de Dominicis, qui ab Apoſtolica Sede definiendum propoſuit, probabiliorem eſſe ſententiam de conjunctione ſanguinis cum Divinitate in triduo Paſſionis, & Cardinalis S. Petri in Vinculis ex Minorum familia, qui poſtea ad Pontificatum evectus Sixti IV. nomen aſſumpſit, qui fortiter propugnavit opinionem S. Jacobi, impugnavitque exiſtentiam ſæpe memorati decreti Clementis VI. De ea quoque diſputatum eſt coram Pontifice, Cardinalibus, Epiſcopis, Præſulibus, & aliis viris doctis, ubi plerique ſententiam Prædicatorum approbarunt, pauci cum Minoribus ſenſere; & Pius ipſe cum pleriſque ſtetit, protracta tamen in aliud tempus quæſtionis reſolutione; ut habet Gobellinus *loc. cit.* utque Raynaldus, atque Spondanus ad an. 1463. plene retulerunt.

10. Anno 1464. Pius Pontifex ab Urbe diſceſſit, Senaſque profectus eſt iturus ad balnea Petriolana, ut ægritudinem, quam contraxerat, lenire poſſet. Cumque in diœceſi Senenſi litteras recepiſſet a S. Jacobo, in quibus ſe mœſtitia confectum profitebatur, tum quia in nonnullis locis fama increbuerat de controverſia ſanguinis Chriſti contra ſuam ſententiam & conciones deciſa ac reſoluta, tum quia Mediolano uſque Veronam traducebatur tanquam Hæreticus, tum etiam quia deputati fuerant Commiſſarii, ut authenticum decretum Clementis VI. inquirerent: Apoſtolicæ reſponſiones in forma Brevis ad eum datæ ſunt, ubi Papa ait, ſe materiam nec determinaſſe, nec determinare potuiſſe propter varias, quibus diſtentus fuerat, occupationes, ſe mandare Epiſcopo Veronenſi, ut in ſcripta redigatur, quidquid fuerat a Fratribus Prædicatoribus e ſuggeſtu publicatum, ut, ſi in concionibus quidquam dixiſſent quod dicendum non erat, pœnas luerent tranſgreſſionis; ſeque tandem non potuiſſe Fratribus Dominicanis denegare, quod ipſi ſuppliciter exoraverant, ut videlicet per Commiſſarios fieret inquiſitio ſupra citati decreti Clementis VI. ſed eum ob id non debuiſſe conturbari, cum nihil authentici fuerit inventum. A diœceſi Senenſi civitatem Anconitanam Pontifex petiit, ut Venetorum Ducem belli ſacri adverſus Turcas ſibi ſocium, alioſque fœderatos alloqui, & claſſem, quæ in portubus ſuperi, inferique maris ad tantum bellum fuerat ædificata, videre poſſet. Diutina autem lentaque febri affectus, in eadem civitate vitam cum morte commutavit die 16. Auguſti ejuſdem anni 1464. edita die prima juxta nonnullos, juxta alios die 8. Auguſti Conſtitutione, quæ eſt XIII. inter ſuas *Bullar. nov. tom. 3. part. 3.* in qua ſub pœna anathematis latæ ſententiæ ſtatuit, ne ulli Fratrum Prædicatorum, vel Minorum in poſterum liceret de ſæpe dicta controverſia prædicare, vel publice aut privatim verbum facere, vel aliis ſuadere, hæreſim eſſe, vel peccatum tenere aut credere, ſacratiſſimum ſanguinem Domini noſtri Jeſu Chriſti triduo Paſſionis ipſius ab ejuſdem Divinitate quomodocumque fuiſſe, vel non fuiſſe diviſum aut ſeparatum, donec ſuper dictæ diſputationis deciſione quid tenendum eſſet, a Sede Apoſtolica fuiſſet definitum. Hanc Pontificiam Conſtitutionem S. Jacobus reverenter amplexus eſt: ex ejus etenim epiſtola reperta inter Reliquias ipſius, & ſcripta Leonardo de Utino Ordinis Prædicatorum Magiſtro, qui tractatum ediderat de ſanguine Chriſti, quem ſeparatum a Divinitate in triduo Paſſionis aſſeruerat, non ſolum magnas ipſi agit gratias, & inquit, in eadem etiam opinione fuiſſe Joannem de Caſtro S. Petri Ordinis Prædicatorum Theologum, & plures alios ex Ordinibus Eremitarum, Carmelitarum, & Servorum, necnon pleroſque Sacerdotes Sæculares eidem ſententiæ ſubſcripſiſſe, ſed etiam demum concludit: *In omnibus fiat ſecundum concluſionem bullæ, quæ dicit, fore excommunicatum, non qui contradiceret aliquam iſtarum opinionum, ſed qui diceret, quod eſſet hæreſis, vel peccatum.*

11. A tempore Pii II. uſque ad præſens nulla prodiit expreſſa controverſiæ deliberatio: ſed, cum in ſacroſancto Concilio Tridentino *ſeſſ. 13. cap. 3.* definitum ſit, in Euchariſtia eſſe corpus ſub ſpecie panis, ſanguinem ſub ſpecie vini, animam autem ſub utraque ſpecie, vi naturalis connexionis; &, ut dicitur, *concomitantiæ*, qua partes Chriſti Domini, qui jam ex mortuis reſurrexit, nec amplius moritur, inter ſe copulantur; Theologi, qui poſt Tridentinum ſcripſerunt, adnotarunt, mirum eſſe non debere, ſi Auctores graves tempore Pii II. ſententiam defenderunt de ſanguine in triduo Paſſionis a Divinitate ſeparato, vel judicarunt, eam nulla cenſura dignam eſſe, ſiquidem nondum habebatur ex Conciliis, uti poſtmodum habitum eſt ex Tridentino, ſanguinem fuiſſe veram partem Chriſti; eamdem vero ſententiam poſt Tridentinum ſine aliqua nota ſuſtineri amplius non poſſe. Fuerunt nempe hæc docte expoſita a Cardinali de Lugo *de Incarnat. diſp. 14. ſect. 7. n. 105.* ubi: *Ceterum licet ex his fundamentis non poſſit nota inuri illi ſententiæ* (loquitur de ſententia Minorum) *adhuc crediderim, hodie abſque aliqua nota defendi non poſſe propter verba Tridentini &c. in quibus verbis, ut vidimus, ſanguis dicitur eſſe pars Chriſti Domini. Ex quo per bonam conſequentiam infertur, vel ſanguinem debuiſſe ſubſiſtere in Chriſto eadem Verbi ſubſiſtentia, vel ſi habuiſſet aliquam ſubſiſtentiam propriam creatam in Chriſto, non fuiſſe ſolam ſubſiſtentiam Verbi, ſed aliam etiam creatam, ſaltem partialem: nam Chriſtus adæquate acceptus includit omnes ſuas partes, quarum una eſt ſanguis, ut conſtat ex Tridentino. Ergo ſi ſanguis habet ſubſiſtentiam creatam propriam, Chriſtus non ſolum includit ſubſiſtentiam increati Verbi, ſed etiam aliam ſubſiſtentiam creatam partialem; quod dici non poteſt. Hinc autem eadem fere certitudine ſequitur, ſanguinem effuſum in triduo manſiſſe hypoſtatice unitum Verbo. Sicut enim corpus manſit unitum Verbo, eo quod erat pars ejus Humanitatis; ſanguis, qui non minus erat pars, ut vidimus, nec minus reaſſumendus iterum in reſurrectione, debebat propter eamdem rationem manere unitus: quia non poteſt afferri ratio deſcriminis ſufficiens inter carnem & ſanguinem, cum utraque ſit vera pars naturæ humanæ.* Et ſane, recitatis Cardinalis de Lugo verbis, ſubdit doctus Pater de Graveſon *hiſtor. Eccleſ. tom. 6. pag. 95. Sic doctiſſimus ille Cardinalis ſententiam Dominicanorum ſtrenue tutatur, & contrariam abſque aliqua erroris nota poſt Concilium Tridentinum defendi haud poſſe, ſolida ratione evincit.*

12. Conſtat igitur ex hucuſque relatis, ſententiam de ſeparatione Divinitatis a ſanguine Chriſti in triduo Paſſionis ſine ulla nota utique potuiſſe ante Tridentinum ſuſtineri, verum ſine erroris nota non poſſe poſt Tridentinum doceri. Quamobrem, exorta tempore Pauli V. ſummi Pontificis controverſia occaſione reſumptionis cauſæ Canonizationis S. Jacobi de Marchia, an ipſi reſumptioni obſtare poſſet doctrina, quam prædicaverat de ſanguine Chriſti; ex relatione Joannis Pauli Mucantii Secretarii Congregationis ſacrorum rituum hæc rerum ſeries habetur. Primo, Cardinalem Pinellum dictæ Congregationis Præfectum mandato Papæ propoſuiſſe, an prædicta ſententia impedire poſſet cauſæ progreſſum. Secundo, hoc negotium commiſſum fuiſſe Cardinali Bellarmino, cui etiam fuerunt a Cardinali Pinello tradita quatuor Brevia autographa Pii II. quæ is a Pontifice acceperat. Tertio, fuiſſe ſacræ Congregationi exhibitum a cauſæ Procuratore authenticum *tranſumptum* lacerationis litterarum citatoriarum, quas Inquiſitor Brixienſis contra S. Jacobum expediverat. Quarto, Cardinalem Bellarminum Congregationi retuliſſe, ſe ſcripturas vidiſſe, unde conſtabat, Jacobum nequaquam ſuſpectum fuiſſe de hæreſi ob opinionem de ſanguine Chriſti, quam habuit & prædicavit, ſicque nihil obſtabat, quominus ad ulteriora in cauſa procederetur. Quinto Congregationem Bellarmini ſententiæ quidem adhæſiſſe, cum Jacobi opinio fuerit tanquam hæretica proſcripta in ſolo *directorio Inquiſitorum*, Auctore Eymerico Fratre Ordinis Prædicatorum; ſed faciendam ſummo Pontifici relationem a Cardinalibus Pinello, & Bellarmino. Ultimo, Cardinales hoſce feciſſe Pontifici relationem, & ab eo mandatum fuiſſe, ut juxta morem tunc temporis vigentem Breve expediretur pro cauſæ reſumptione.

13. Expedito Brevi Commiſſionis reſumptionis, actum fuit in ſacrorum rituum Congregatione ſecundum inſtitutum de validitate proceſſuum, de fama ſanctitatis, de virtutibus, & de miraculis: porro anno 1624. ſummus Pontifex Urbanus VIII. ad formalem Jacobi Picæni Beatificationem devenit, facta conceſſione Officii ac Miſſæ aliquibus locis. Sed, cum a Beatificatione tranſitus fieri deberet ad Canonizationem, quapropter neceſſaria erat expeditio novæ Commiſſionis reſumptionis, oppoſitum fuit a bon. mem. Petro Franciſco de Rubeis tunc Fidei Promotore, non eſſe devenien-

dum

dum ad resumptionem propter ea, quæ de Jacobo legebantur in commentariis Jo. Gobellini, id est docuisse, sanguinem Christi a Divinitate fuisse in ejus Passionis triduo separatum: indecens enim videbatur, aditum parari ad ultimum Ecclesiæ judicium, dum adhuc sub Judice lis esset, an Canonizandus *hæreticalem* propositionem ad populum e suggestu prædicasset. Nulla itaque fuit super petitione, quæ proponebatur, capta deliberatio, quamvis eadem petitio bis fuerit proposita, anno videlicet 1648. & anno 1654. atque adeo siluit causa ab eo tempore usque ad tempus Pontificatus san. mem. Innocentii XII. Hoc autem tempore, resumptis a bon. mem. Prospero Bottinio Fidei Promotore omnibus & singulis oppositionibus, quæ fuerant a Petro Francisco de Rubeis ejus antecessore propositæ, factaque per Postulatores, quæ annis 1648. & 1654. omissa fuerat, diligenti collectione omnium Brevium a Pio II. editorum, & ceterarum authenticarum probationum quoad eas res, quæ contigerant tempore Pauli V. quæque desumptæ fuerunt ex regesto Mucantii tunc Secretarii Congregationis sacrorum rituum, antequam ab eadem sacra Congregatione decretum ederetur de causa resumenda, deputati denuo sunt insignes Theologi pro novo examine doctrinæ S. Jacobi, quæ in codice quodam continebatur, cujus titulus erat: *Hic est quidam tractatus contra quemdam processum falso fabricatum & iniquissime publicatum contra quemdam Fratrem Minorem: In triduo Passionis sanguinem Christi per totum separatum fuisse a Divinitate Verbi*; & de cujus operis Auctore ne dubium esset, postquam in eo legitur, Physicos ab auctore ipso consultos dixisse, sanguinem non pertinere ad veritatem humanæ naturæ, subditur: *Quorum consilia sigillata & determinata sunt penes me Jacobum de Marchia Ordinis Minorum*.

14. Theologi deputati sua suffragia eruditissimis scriptis exposuerunt communi calculo asserentes, Jacobi Piceni opinionem tum a suggestu prædicatam, tum in libro expositam hodie sine aliqua nota sustineri non posse, sed eam sua probabilitate non caruisse, cum fuit e suggestu promulgata & in codicem inserta; tunc quippe multi graves viri sententiam ipsam sequebantur. Denique, missis Theologorum suffragiis per manus Cardinalium sacris ritibus præpositorum, quoniam responsum fuit pro causæ resumptione, ipsaque resumpta, probatisque miraculis, quæ post indultam Beatificationem supervenerant, ad Canonizationem tandem sub san. mem. Benedicto Papa XIII. deventum est; unusquisque vel ab hoc ipso præclaro exemplo inferre poterit, doctrinam, quæ sine aliqua nota defendi poterat quo tempore scripta est, etsi tempore examinis non sine nota defendi possit, obstare non posse nec debere, quin in causa Beatificationis & Canonizationis Servi Dei, qui eam docuit, ad ulteriora procedatur.

CAPUT TRIGESIMUMPRIMUM.

In quo alia ad antecedentium comprobationem exponuntur desumpta ex relationibus Revisorum exhibitis Congregationi sacrorum rituum.

1. MATERIA hæc crescret in immensum, si animus esset referendi considerationes omnes de eadem factas a doctissimis Revisoribus, qui suas relationes exhibuerunt Congregationi sacrorum rituum vel eo solum tempore, quo functus sum officio Fidei Promotoris. Quare, ad evitandam nimiam prolixitatem illas tantum exponam, quæ notatu digniores apparuerunt, quæque pro regula esse poterunt vel in iisdem vel in consimilibus rerum circumstantiis.

2. In revisione operis cujusdam Servi dei Revisores deputati observarunt, quod *in Summa Theologica* ab eo doctum fuerat, posse summum Pontificem dispensare in illis regionibus, in quibus non est vinum, ut sine eo Missa celebretur, tum propter maximum damnum, cui regiones illæ essent expositæ, si populi Missa carerent; tum quia in Hostia non est corpus sine sanguine. Assertio hæc impugnatur a Silvestro *in Summa in verb. Eucharistia* 1. *num.* 6. Non potest enim summus Pontifex immutare, quod a Christo institutum est, atque adeo in jure Divino dispensare. Item, quamvis fertur, Innocentium VIII. Norvegis permisisse, ut Sacramentum conficerent sub unica specie panis propter vini in illis partibus penuriam, & propterea quia, cum eo advectum fuerit, mox acescit, teste Volaterrano *lib. 7. suæ Geographiæ*, quod & adnotavit recens Burius *in brevi notitia Romanorum Pontificum in vita Innocentii VIII.* id tamen tanquam fabulosum ab aliis rejicitur, cum in Norvegia vinum facile conservetur & fit usu receptum; ut animadvertunt Cardinalis de Lugo *de sacramento Eucharistiæ disput. 19. sect. 8. per tot.* Natalis Alexander *in Theolog. dogmat. & moral. lib. 2. de sacram. Eucha. art. 3. in consectar. præxim spectant. reg. 3.* & Miglioruccius *instit. Canonic. lib. 2. tit. 6. in explicat. n. 44.* De hac etiam quæstione fuse agit Diana *in edit. coord. tract. 1. resolut. 47. per tot.* ubi recenset Doctores asserentes, esse quidem de jure Divino, quod Sacrificium offeratur, non esse autem de jure Divino, quod offeratur sub utraque specie, sed de jure naturali dictante, ut, si Sacrificium Deo offeratur, integrum & perfectum offeratur; ideoque summum Pontificem ex gravissima causa permittentem, ut in aliqua provincia Sacrificium sub una specie offeratur, nihil aliud facere, quam declarare, quod præceptum naturale integre sacrificandi ad eum casum non se extendat. Sed causa prædictæ propositionis minime dictum fuit, quod in causa Servi Dei ad ulteriora progressus non fieret, quia animadversum fuit, eum tunc scripsisse, cum tanquam legitimum habebatur memoratum Breve Innocentii. Editum enim fuit quidem hujus nomine; verum fraude & dolo Dominici Viterbiensis, & Francisci Maldente, qui sui criminis subinde pœnas luerunt, cum laqueo primum strangulati, postea cremati fuerint, teste Raynaldo *ad an. 1490. num. 22.*

3. In revisione operis Servi Dei, de cujus Beatificatione agebatur, docte animadversum fuit a Cardinali causæ Relatore, qui in sacra Theologia multum versatus idem opus per se ipsum examinaverat, quod fratrem suum hortando ad uxorem ducendam dixerat, vanum esse inquirere, an bonum sit uxorem ducere, cum ex sanctæ Catholicæ Ecclesiæ decreto, quod est consentaneum præcepto Divino, statutum sit, virum tempore debito, nisi sit obstrictus voto Religionis, aut alio legitimo impedimento præpeditus, uxorem ducere, & feminam eodem modo debere matrimonio copulari cum viro, ut crescat & multiplicetur genus humanum, usquequo numerus electorum ad integrum complementum perveniat a Divina providentia præstitutum. Scilicet ab eo inferri posse visum est, Dei Servum posuisse, quod præceptum Adamo datum, & in eo ceteris hominibus, in principio mundi crescendi & multiplicandi non cessaverit, sed adhuc duret, exceptis tantummodo casibus voti castitatis, aut alius legitimi impedimenti. Verum, cum serio fuerit ponderatum, communiorem esse opinionem Theologorum pro permansione dicti præcepti, & veram difficultatem consistere in ejus congruentia cum consilio Evangelico servandi castitatem, de quo Matth. 19. atque adeo in modo, quo quilibet homo libertate potiri possit amplectendi prædictum consilium, nulla facta violatione præcepti, propositio Servi Dei nullum attulit impedimentum progressui causæ ipsius.

4. Dictum est autem, communiorem opinionem Doctorum stare pro permansione præcepti, tum quia pauci contrariam amplectuntur, quos refert Sanchez *de matrimonio lib. 2. disput. 2. n. 2.* tum quia Schola Thomistica primæ adhæret sententiæ, docente sancto Doctore *in 4. dist. 26. quæstion. 1. ad primum*, præceptum prædictum non esse revocatum. Ad quod facit quoque Textus *in can. Deinde dist. 26.* ubi damnatur error eorum, qui dicebant, matrimonium antecedens solvi per subsequentem Baptismum: *Dicite mihi (cum pace vestra loquor) crimina tantum dimittuntur in Baptismo, an illa, quæ secundum Domini præcepta ac Dei instituta complentur? Uxorem ducere crimen est, an non est crimen? Si crimen est, ergo (præfata venia dixerim) erit Auctor in culpa, qui, ut crimina committerentur, in paradiso præcepit:* Et paulo post: *Cum non possit inter peccata putari, quod lex præcepit, & Deus injunxit*: Et in fine Canonis: *Nuptiarum ergo copula, quia Dei mandato perficitur, non potest dici peccatum.* Cumque matrimonii præceptum

ceptum sit juris naturalis, & Christus Dominus in lege Evangelica non revocaverit naturalia præcepta ante legem Mosaicam instituta, sed tantum ejusdem legis Mosaicæ præcepta cæremonialia; Theologi hisce fundamentis innixi docuerunt, prædictum præceptum adhuc durare & *minime esse revocatum*.

5. Dictum est deinde, difficultatem consistere in congruentia præcepti cum consilio servandi castitatem, atque in libertate uniuscujusque consilium istud amplectendi sine violatione præcepti; quod a Cardinali Relatore ostensum fuit tribus modis posse explicari; vel ut docet S. Thomas 2. 2. *quæst.* 152. *art.* 2. *ad primum*, id est quod dictum præceptum obligat in commune hominum universitatem, præterquam tempore vel post mundi initium, vel proxime post Diluvium, quo nempe tempore præceptum non hominum universitatem, sed unumquemque hominem peculiariter obligabat: vel ut Ledesma, & nonnulli alii Thomistæ, qui volunt, præceptum homines quidem peculiariter sumptos obligare, attamen, cum sit affirmativum, obligare *semper*, sed non *pro semper*, uti Scholæ loquuntur, ut puta, instar officii seu obligationis, qua tenetur quilibet civis suam patriam defendere, quod tamen officium seu obligatio non urget, nisi tempore necessitatis: vel denique ut alii, qui tradunt, præceptum *indeterminate* homines in particulari sumptos obligare, ideoque aliquos ex hominibus teneri uxorem ducere.

6. Tres porro memorati modi, qui in unum convenire videntur, duobus illustrantur exemplis. *Aliqua navis*, dicunt Logici, *indeterminate est necessaria ad navigandum*. Id utique verum est: sed, eo non obstante, vera est etiam hæc alia propositio: *Nulla navis determinate est necessaria ad navigandum*. Hæc siquidem aut illa navi deficiente, satis est, alias superesse pro navigatione. Item, loquendo de præcepto præbendi eleemosynam ex charitate, non ex officio seu obligatione descendente a superfluitate bonorum, pariterque respectu habito ad pauperes publice mendicantes, & extra casum gravis aut extremæ necessitatis, vera est & certa hæc propositio, *quod aliqui homines indeterminate, & qui aliunde commode vivunt, sunt obligati ad subministrandam his pauperibus eleemosynam*: nam si nullus subministraret, prædicti pauperes ad gravem & extremam necessitatem redigerentur. Hoc tamen minime obstante, vera quoque est hæc alia propositio, *quod nullus homo determinate est obligatus facere eleemosynam talibus pauperibus ordinariis*. Cur enim hic potius, quam ille obligatus dici deberet? & cur potius uni, quam alteri ex pauperibus eam deberet subministrare? Idcirco sequitur, quod, urgente adhuc præcepto uxorem ducendi, sed non obligante eodem modo, quo alias obligabat: vera quidem erit assertio, *quod necesse sit, aliquos homines indeterminate ex obligatione præcepti naturalis matrimonium contrahere*, sed etiam verum erit, *nullum hominem determinate ex vi præcepti naturalis esse obligatum ad matrimonium*, ideoque unumquemque in particulari sumptum donari libertate servandi castitatem juxta consilium Evangelicum.

7. Majores vero in sacra Congregatione habitæ sunt disputationes, cum examen institutum est operum Servi Dei, qui in scriptis suis protestabatur se die ac nocte investigasse, quomodo potuisset magis Deo placere, eique servire, semoto quolibet lucro, quod vulgo nominant *interesse*, & propter solum amorem ipsius Dei, etiamsi oportuisset pati æterna Inferni tormenta; seque tanto Dei amore imbutum, ut, si modum sciviſſet & valuisset, Deo serviviſſet sine ullo præmio, etiam æternæ gloriæ, & solum propter ipsum Deum, & propter amorem, quo eum diligebat. Nota quippe est propositio inter damnatas a san. mem. Innocentio XII. excerptas ex libro Archiepiscopi Cameracensis, quæ ita se habet: *Datur habitualis status amoris Dei, qui est charitas pura & sine ulla mixtura proprii interesse. Neque timor pœnarum, neque desiderium remunerationum habent amplius in eo partem. Non amatur amplius Deus propter meritum, neque propter felicitatem in eo amando inveniendam*.

8. Itaque nonnulli ex Revisoribus has similesque propositiones dimittendas esse, censuerunt, utpote sæpius adhibitas a viris probis ante decisionem de puro amore factam tempore Innocentii XII. Ipse autem, antequam assumptus essem ad munus Fidei Promotoris exercendum, invitatus a Postulatoribus, ut, quid sentirem, scriptis exponerem, consideravi, ab Archiepiscopo Cameracensi admissum fuisse quemdam *habitualem* statum amoris a quolibet lucro vel *interesse* remotum & separatum, quem appellavit statum amoris puri; *interesse* nomine comprehendendo etiam æternum præmium & Divinam *fruitionem*, & qui prævidit, ab eo amoris statu spem Theologicam excludi, in instructionem suam Pastoralem Cameraci editam affectum quemdam naturalem commodi, mercedis, & beatitudinis totis conatibus ab eodem Archiepiscopo invectum animadvertit, quem tantum affectum inquit amputari in eo statu amoris puri & perfectissimi; contendentibus porro ceteris ejusdem defensoribus, ne ex ipso *habituali* statu spes tolleretur, immo vero in ipso amore puro *virtualiter* contineretur, & per eum suppleretur.

9. Adversus hanc doctrinam deinceps retuli firmissime insurrexisse Jacobum Bossuet Episcopum Meldensem, qui sane latissime ostendit puritatem & perfectionem amoris a quolibet commodo temporali separari; sed perniciosam esse probavit separationem respectus cælestis beatitudinis a prædicto amore puro sequentibus ductus argumentis. Primum, quia, cum juxta S. Bonaventuram *in 3. sent. dist.* 27. *art.* 2. *quæst.* 2. duplicem sciamus esse mercedem, id est creatam, & increatam, seu temporalem, & æternam, duplex quoque secundum eumdem Doctorem datur mercenarius, scilicet bonus, & malus, malus, qui respicit principaliter ad mercedem creatam; bonus, qui principaliter respicit ad mercedem æternam. Alterum, quia Moyses, David, Paulus, & Martyres, qui procul dubio inter perfectos sunt adnumerandi, expectarunt cum fiducia Dei possessionem sub ratione beatitudinis, retributionis, & mercedis: *Psalmista* enim dicit *psal.* 118. *v.* 112. *Inclinavit cor meum ad faciendas justificationes tuas in æternum, propter retributionem*; Apostolus ad Timotheum 2. *cap.* 4. postquam a se gesta enarravit, concludit: *In reliquo reposita est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die justus Judex*; & Martyres extremis addicti suppliciis nihil magis ob mentis oculos habuerunt, quam illud prædicti Apostoli ad Romanos *cap.* 8. 18. *Non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis*. Postremum, quia, aliter ratiocinando, omnino sequitur exclusio spei Theologicæ; uti passim habetur in celeberrimis libris ejusdem Episcopi Meldensis, in instructione videlicet super statu orationis, & in aliis, quorum tituli sunt, *Mystici in tuto, Schola in tuto, Quietismus redivivus*.

10. Cum igitur controversia inter Archiepiscopum Cameracensem, & Episcopum Meldensem jam ad sanctam Sedem delata, & a summo Pontifice Innocentio XII. resoluta non actum amoris, sed amoris statum *habitualem* respiceret, sicuti ex verbis quoque propositionis damnatæ aperte desumitur: *Datur habitualis status amoris Dei &c.* nullum vero in opere, quod examinabatur, verbum haberetur de statu *habituali*, sed tantum de actu amoris; placuit sacræ Congregationi respondio, quod doctrina Servi Dei nihil haberet commune cum doctrina reprobata Archiepiscopi Cameracensis. Multo autem magis id ei placuit, quia, perspecto toto operis contextu, visus est Dei Servus sæpissime de spe Theologica, & de eximia cupiditate fruendi Deo locutus fuisse; & ita quidem, ut tuto dici potuerit, ab eo non fuisse in actibus amoris, super quibus quæstio instituebatur, separatum *objectum* æternæ beatitudinis, sed tantum ab eo se abstraxisse. Qua in re nihil inest absurditatis; quippe, cum juxta Theologos præcipuum & primarium charitatis *objectum* sit Deus in se perfectus bonus & beatus, *objectum* autem minus præcipuum, secundarium, & priori subjectum, sive *subordinatum* sit Deus uti beneficus ac beatificus; Deus porro in se optimus & beatissimus potest quidem secundum ipsos cogitari cogitatione *abstractiva* ac *transitoria*, absque eo quod actu & expresse cogitetur de Deo benevolo ac benefico, sed Deus benevolus, ac beneficus cogitari non potest, nisi prius intellecto Deo in se beato atque optimo, ordine sane naturæ, & per se cognitionis, ut ajunt, non tamen semper temporis. Intra quos terminos procedit etiam doctrina S. Teresiæ *mansione septima*, quam late explicavit Episcopus Meldensis in memorato opere, cui titulus, *Mystici in tuto, part.* 2. *cap.* 7.

11. Affinis prædictæ controversiæ alia est, quæ fuit in sacrorum rituum Congregatione pertractata, occasione examinis opusculi cujusdam Servi Dei, qui se paratum dixerat pati pœnas Inferni, ne ulla, quamvis infima, mundi creatura condemnaretur; & se desiderare omnium salutem, licet id esse deberet cum discrimine & amissione propriæ salutis æternæ. Hæc quippe prima facie adversari quidem visa sunt ordini charitatis, & aliquantum cohærere cum doctrina reprobata Archiepiscopi Cameracensis, de qua supra sermo habitus est: verum

ipse

ipſe ante meam aſſumptionem ad officium Fidei Promotoris, ſuadentibus cauſæ Poſtulatoribus, ſcripturam exaravi, quæ ad felicem progreſſum porro profuit. Scilicet ultro admiſi principium illud, quod quilibet tenetur magis diligere ſeipſum, quam proximum, juxta doctrinam Divi Auguſtini *de diſciplina Chriſtiana cap. 6. oper. tom. 6. col.* 585. *Dilige proximum tuum tanquam te ipſum, ſed prius eſt, ut diligas te ipſum*; & *homil.* 35. *inter* 50. *Primum dilige Deum, deinde te ipſum; poſt hæc dilige proximum tuum ſicut te ipſum*; & juxta late deducta per S. Thomam 2. 2. *quæſt.* 26. *art.* 4. Sed dixi, quod, etiamſi venerabilis Dei Servus non potuiſſet propriam velle damnationem, aut propriæ ſalutis amiſſionem ſubire, potuit nihilominus recte & laudabiliter verbis exprimere, quod erat paratus propriam ſalutem amittere, ut ceteri ſalvi fierent; idque ad denotandam maximam, quam habebat erga proximum dilectionem, & ferventiſſimum, quo ferebatur, deſiderium ſalutis aliorum. Notiſſima enim ſunt hac in re verba Moyſis *Exod. cap.* 32. *verſ.* 31. ubi Dominum obteſtatur, ut populo peccatum Idololatriæ remittat: *Reverſuſque ad Dominum ait: Obſecro, peccavit populus iſte peccatum maximum, feceruntque ſibi Deos aureos; aut dimitte eis hanc noxam; aut, ſi non facis, dele me de libro tuo, quem ſcripſiſti*. Celeberrima ſunt etiam Apoſtoli verba *in epiſtola ad Romanos cap.* 9. *Veritatem dico in Chriſto, non mentior, teſtimonium mihi perhibente conſcientia mea in Spiritu Sancto; quoniam triſtitia mihi magna eſt & continuus dolor cordi meo. Optabam enim ego ipſe anathema eſſe a Chriſto pro fratribus meis, qui ſunt cognati mei ſecundum carnem*. In his ſiquidem verbis exprimitur utique & explicatur cupiditas tum Moyſis, tum Apoſtoli amittendi propriam ob Judæorum ſalutem; non tamen, quia alias hi ſanctiſſimi viri æternæ deſiderarent amiſſionem ſalutis, ſed quia ad ſignificandum deſiderium, quo tenebantur, ſalutis alienæ, recitata verba opportuniſſima ipſis viſa ſunt, ſicuti ad rem ponderat Theodoretus *in comment. ad epiſt. D. Pauli ad Rom. oper. tom.* 3. *part.* 1. *pag.* 73. *Et non dixit*, volebam, *ſed* optabam *eſſe alienus a Chriſto, ut cognati mei ſecundum carnem conciliati ipſi fructum ſalutis conſequerentur. Aptiſſime autem appoſuit & illud*, Ego ipſe, *ea, quæ de charitate in Chriſtum dixerat, in memoriam revocans; quaſi diceret: Ego, quem nec vita, nec mors, nec præſentia, nec futura, nec ulla alia creatura ſeparare poterit a charitate Dei, quæ eſt in Chriſto Jeſu, pro Judæorum ſalute lubentiſſime ab ipſo ſepararer. Clarum eſt autem, quod non eos Servatori præferens hæc dicit, ſed ſuum in eos amorem & deſiderium declarans, omnes videre cupiens ſeſe ſubmittentes, & ſalutarem prædicationem lubenter ſuſcipientes*. Deinde, utrumque loquendi modum, hoc eſt, & Moyſis, & Apoſtoli, ſimul complectendo, proſequitur S. Iſidorus Peluſiota *epiſt.* 58. *lib.* 2. *Quod ſi abjectum quoddam adhuc ſentis, atque humi provolutus nihil magni ac generoſi animo concipere vis, pio viro Moſe Miſſo facto, qui, ut de Divino libro expungeretur, rogavit, ſi ii, qui ſub ipſius imperio erant, internecione deleruntur; (majus enim eſt, quod Apoſtolus fecit, nam ille ſimul perire cupiebat, hic autem perire, ut alii ſalutem conſequerentur) ab egregia & ſtrenua femina (ut quiſpiam rei magnæ conjecturam perexiguam faciat) iſtud demonſtrare conabor*: & poſtquam retulit exemplum Rebeccæ *Geneſ.* 27. quæ pro filio maledictionem tolerare erat parata, ſubdit: *Cum igitur mulier, quæ ne mulieris quidem fortitudinem, animique magnitudinem habebat, diris devoveri non recuſarit, ut alius benedictionem obtineret, quid? an tantus ac talis Apoſtolus non idem perpeti optaſſet, ut Judæi ad Fidem accederent, nec Deus contumelioſis verbis configi videretur? &c. Quocirca, non tanquam promiſſio excidiſſet, hiſ verbis uſus eſt, verum ut effrænatum ſuum erga Chriſtum amorem demonſtraret*.

12. Ejuſmodi ergo locutio, etſi *hyperbolica* videtur, veluti ad rem animadvertit Gagnæus *in epiſtol. ad Rom. cap.* 9. (*Biblia magna Edit. Pariſien. tom.* 3. *pag.* 656.) *Quod ſi de abalienatione a Chriſti gloria Paulus intelligit, hyperbolica eſt locutio ad ſuum in Judæos affectum deſignandum. Neque enim qui paulo ante dixit, Scio, quod nulla creatura poterit me ſeparare a charitate Dei, quæ eſt in Chriſto, ſtatim re vera ab eo divelli optaret. Sed hyperbolicus ſermo eſt, qualis iſte Moyſis Exod.* 32. *&c.* Etſi etiam videtur habere pro ſcopo ſeu *objecto* aliquod impoſſibile, quo ſtante, voluntas amittendæ propriæ ſalutis abſolute & ſimpliciter efficax dici non poteſt, quemadmodum, re per ſua principia examinata, concludit Cornelius a Lapide *comm. in epiſt. ad Rom. c.* 9. *n.* 20. *Optatio ergo hæc Pauli pia ſancta & efficax fuit ex parte & voluntate ipſius: ex parte tamen objecti, non fuit omnino abſoluta & efficax. Optabat enim rem impoſſibilem, & repugnantem ordinationi Divinæ. Deus enim ordinavit, ut mea ſalus & beatitudo ſit medium ad Dei gloriam, & ſalutem ac beatitudinem proximorum promovendam & augendam: non autem ordinavit, ut privatio beatitudinis meæ ſit medium & procuratio ſalutis alienæ. Idque optime ſciebat Paulus: unde, ſimpliciter loquendo, actus hic, ſive votum & optatio hæc in eo non potuit eſſe plane abſoluta & efficax*: laudabiliter nihilominus a pleriſque viris ſanctitate præditis fuit adhibita, ſicuti teſtantur ipſe Cornelius a Lapide *loc. cit.* Molina *part.* 1. *quæſt.* 24. *in fine*, & Suarez *in* 3. *part. D. Thomæ tom.* 4. *quæſt.* 85. *art.* 1. *de Pœnit. diſput.* 3. *ſect.* 9. *in fine*, necnon ab omnibus ferventiſſimo amore Deum proſequentibus, & in ſacra myſtica Theologia verſatis eſt commendata, & in ſuis ad Dominum precationibus uſurpata, quemadmodum, recitatis S. Franciſci Saleſii, S. Tereſiæ, B. Angelæ Fulginatis, ac B. Catharinæ Januenſis apertiſſimis teſtimoniis, probat Jacobus Boſſuet Epiſcopus Meldenſis in ſuo tractatu Gallico idiomate ſcripto, paulo ante memorato, cui titulus, *Inſtructio ſuper ſtatu orationis, lib.* 9. *pag. mihi* 154. *& pluribus ſeqq.*

13. Nec enim inde conſequitur, vel Dei Servum prædicto modo loquentem ſalutem aliorum propriæ præpoſuiſſe ſaluti contra ordinem charitatis, vel hanc de charitate doctrinam poſt damnatas Archiepiſcopi Cameracenſis propoſitiones recipi nequaquam poſſe. Enimvero, quod ad primum attinet, poteſt quis verbis exprimere, ſe exoptare ſalutem aliorum etiam cum diſcrimine ſalutis propriæ, uno autem eodemque tempore efficacem habere propriæ ſalutis cupiditatem cum ejus prælatione aliorum ſaluti. Percipi nimirum non poterat, Dei Servum ignoraſſe vel Apoſtoli dictum *in epiſtola ad Hebræos 6. verſ.* 10. *Non enim injuſtus Deus, ut obliviſcatur operis veſtri*, vel Deum in præſenti rerum ſtatu ſecundum varias Theologorum opiniones teneri iis retribuere, qui in bono opere perſeverant, æternum præmium aut ex juſtitia aut ex fidelitate. Quare S. Auguſtinus *tom.* 3. *oper. part.* 1. *quæſt.* 148. *in Exod.* ſuper illud Moyſis, *Dele me*, inquit: *Securus quidem hoc dixit, ut a conſequentibus ratiocinatio concludatur, ideſt ut, quia Deus Moyſen non deleret de libro ſuo, populo peccatum illud remitteret*; & rurſus *tom.* 5. *de verbis Domini num.* 24. *Cum Deus minaretur ſacrilego populo, pia Moyſi viſcera tremuerunt: oppoſuit ſe pro illis iracundiæ Dei. Domine, inquit, ſi dimittis eis peccatum, dimitte: ſin autem, dele me de libro tuo quem ſcripſiſti. Quam paternis maternisque viſceribus, quam ſecurus hoc dixerit, attendens juſtitiam & miſericordiam Dei, ut, quia juſtus eſt, non perderet juſtum; quia miſericors eſt, ignoſceret peccatoribus*. Et hanc S. Auguſtini explicationem, licet ab eis non allegatam, alii ſequuntur & communi calculo amplectuntur; Toſtatus videlicet *in Exod. cap.* 32. *quæſt.* 44. *Eſt ergo iſtorum verborum intentus monſtrare magnum deſiderium Moyſi de ſalute Hebræorum, quaſi dicat: Domine, ita intenſe afficior ad ſalutem hujus populi, quod videretur mihi ita eſſe durum, populum hunc mori, ſicuti ſi de libro tuo delever. Sed ipſe ſecundum veritatem magis eligebat, quod totus Iſraeliticus populus deleretur, ſecundum corpus temporaliter moriendo, & etiam quod omnes æternaliter damnarentur, quam quod ipſe ſolus æternaliter infernali carceri traderetur*: Et doctiſſimus Doctor Eſtius *in lib.* 1. *ſent. diſt.* 40. §. *Et ad primum: Ex quo tamen non abſolute petiverit Moyſes expungi, ſed tantum disjunctive, dicendo, aut dimitte eis, aut dele me; ut, remoto poſteriori, quia hoc ſciebat Deum ſine ſua gravi culpa non facturum, efficacius impetraret veniam populo, qui graviter peccaverat &c.* Quibus, generaliter complectendo hos & ſimiles loquendi modos a charitate erga proximum derivatos, ſubdit Cornelius a Lapide *comment. in epiſt. ad Rom. cap.* 9. *num.* 19. *Præſertim quia ipſa* (charitas ſcilicet) *novit & ſcit, Deum utpote liberaliſſimum, tam liberali animo, qui ſua commoda ſuamque beatitudinem Divinæ gloriæ, & Fratrum ſaluti poſthabet & poſtponit, liberaliter quoque charitatis, gratiarum, & aliorum donorum cumulos & incrementa repenſurum, nec paſſurum, ut liberalitate ſuæ creaturæ vincatur*. Porro multo minus aſſeri poſſe videbatur, has & ſimiles loquendi formulas aliquam habere congruentiam cum doctrina reprobata Archiepiſcopi Cameracenſis. Nam, præter ſuperius adducta de *habituali* ſtatu & de actu, licet in ea celeberrima controverſia inter Archiepiſcopum Cameracenſem,

fem, & Episcopum Meldensem plura de his Sanctorum locutionibus dicta sint, tota tamen quoad hanc partem disputatio in id collineavit, quod Meldensis Episcopus probandum assumpsit, ab his sermonis phrasibus non potuisse Cameracensem Archiepiscopum aliquid desumere pro suo dogmate adstruendo. Immo vero semper & constantissime positum fuit ab ipso etiam Episcopo Meldensi, quod similia desideria amittendæ propriæ salutis propter salutem aliorum sint desideria pia & religiosa & maxime meritoria, ita ut plurimum quoque conducant ad explicandum ferventissimum, quo quis tenetur, erga proximum amorem; veluti recognosci potest ex ejusdem opere supra allegato, cui titulus, *Instructio super statu orationis*, *pag.* 331. *& seq. & pag.* 429. *& seqq.* & luculentius ex alio ejus libro inscripto, *Mystici in tuto*, *pag.* 94. *& seqq.* ubi inquit, sibi per calumniam fuisse ab Adversariis oppositum, quod hos sanctorum virorum dicendi modos reprobaret; & rursus ex alio ejusdem libro, qui nuncupatur, *Schola in tuto*, *quæst.* 12. *a pag.* 233. *usq. ad* 239. ubi ad defensionem earum locutionum plura adducit, pariter concludendo eas esse maximopere commendandas.

14. Confecta denique res est, attenta modificatione a Dei Servo adhibita. Non enim ipse absolute & simpliciter retulit, se Domino preces adhibuisse, ut alios salvos faceret, etiamsi id fieri debuisset cum propriæ salutis amissione; sed dictum hoc temperavit, explicando, quod amissionem propriæ salutis intelligebat, non quoad culpam, nec quoad privationem amicitiæ Dei, sed quoad pœnam, ita etiam, ut ipsa pœna futura non esset æterna, sed temporalis, quamobrem, ea finita, una cum ceteris ascenderet ad æternam gloriam æternamque in cælo beatitudinem. Quæ modificatio a venerabili Dei Servo inducta cum patefaciat, ipsum pro salute aliorum exoptasse quidem pati pœnas Inferni, sed dummodo non in perpetuum duraturas, & dummodo totum id sequeretur, secluso peccato, & permanentibus Dei gratia Divinaque amicitia; extra controversiam est, similia desideria non solum omni culpa vacare, sed etiam esse maxime meritoria, quemadmodum ponderat S. Jo. Chrysostomus *homil.* 16. *in epistol. ad Rom. cap.* 9. *t.* 9. *oper. pag.* 605. ubi commentariis illustrans illud Apostoli, *Optabam esse anathema*, ait; *Propterea discrucior, inquit, & si possem separari a Christi choro, & abalienari, non ab ejus amore, absit, quia illud propter amorem faciebat: sed ab illa fruitione & gloria, id admitterem, ut Dominus meus non blasphemaretur .... quod si id quod dicitur nondum assequeris, cogita multos patres paria pro filiis admisisse, ab illis separari non recusantes, ut illos claros cernere possent, eorum claritatem suaviorem sibi esse existimantes quam eorumdem contubernium. Sed quia procul ab hoc amore sumus, quæ dicta sunt ne intelligere quidem possumus:* Et *lib.* 1. *de compunctione ad Demetrium* (*tom.* 1. *oper. pag.* 135.) *Qui amor* (Christi) *adeo mentem ejus vicerat, ut quod illi carius erat, nempe esse cum Christo, pro quo & gehennam, & regnum cælorum despiciebat; hoc ipsum, inquam, libenter desereret: ac propter Christum, inenarrabilem illum lapsum quasi rem optabilissimam vellet amplecti, & magna cum alacritate suscipere.* Quam Sancti Joannis expositionem alii etiam approbant & communiter amplectuntur; inter quos Theophylactus *comment. in cap.* 9. *epist. ad Rom. pag.* 362. *Mœrens itaque Paulus, anxieque motus & morsus pro Dei gloria optavit, anathema, id est abalienatus esse a Christo, ut illi servarentur, dissolvereturque eorum adversus Deum maledicentia. Videt igitur, quod ex amore, quo in Deum inflammatus est, optat, si modo fieri possit, separari a cœtu eorum, qui cum Christo æternum vivent? Non a charitate ipsius, sed gloria ipsius, & gloriæ fructu: perinde ac patres sæpenumero a filiis segregantur, ut glorificentur filii, minime tamen a filiorum dilectione abalienati; immo ipsi inglorii esse cupientes, ut filii celebres & clari evadant. Itaque ipse, inquit, ego, qui innumera transegi diligens Deum, supra quam natura ferat, opto, pro gloria Dei excidere a gloria Christi. Hoc autem non est excidere, sed potius assequi.* Sanct. Thomas *in epist. ad Rom. cap.* 9. *lect.* 1. *Optabam scilicet, si fieri posset, anathema esse, id est separatus a gloria vel simpliciter, vel ad tempus propter honorem Christi, qui est ex conversione Judæorum:* & Estius *in* 3. *lib. sent. dist.* 29. §. 3. *Ad Chrysostomi autem, & Theophylacti commentarium respondetur, eos sen gehennam, seu separationem a Christo non intelligere in privatione amicitiæ Dei, sed tantum in carentia gloriæ Electorum; ita enim ipsi manifeste exponunt.* Eos autem postremo sequuntur S. Franciscus Salesius *de amore Dei par.* 2. *lib.* 4. *cap.* 26. dum eamdem doctrinam ad usum prædicto modo revocandam monet; Pater Jacobus Alvarez peritissimus Mysticus *tom.* 3. *oper. lib.* 4. *part.* 3. *cap.* 12. *exercit.* 14. *num.* 8. ubi perfectis animabus sequens exhibet documentum: *Resignabis te ad universa illa, quæ tibi in tempore, & in æternitate accidere possunt; adeo ut si vellet Dominus in perpetuum in Inferno te collocare ad sustinendas illas acerbissimas pœnas, dummodo ab ejus gratia non excidas, paratus sis pro Domini gloria id etiam perferre: & pro certo habe quod hic affectus perfectissimam cum Deo unionem, & altissimam perfectionem continet;* & Gaspar Juvenin. *in institutionibus Theologicis ad usum Seminariorum editis* post condemnationem Archiepiscopi Cameracensis *tom.* 7. *dissert.* 5. *de virtut. moral. pag.* 565. ubi propositionem per sua Theologica principia rite & funditus examinatam eodem modo concludit.

15. Post dimissum a me Fidei Promotoris officium, excitatam scio controversiam de doctrina cujusdam Beatæ, seu potius de quodam ipsius facto originem ducente a doctrina, de cujus veritate, & immunitate ab errore disputari poterat. In ejus quippe vita legebatur, eam non curasse acquirere Indulgentias *plenarias*, cum vellet propriis operibus satisfacere Divinæ justitiæ de peccatis a se commissis. Dictum itaque fuit, eidem facto obstare doctrinam Cajetani *in opusc. tom.* 1. *tract.* 16. *de Indulgentiis quæst.* 2. *ad tertium*, ubi ait, eum melius facere, qui est consecuturus Indulgentiam, si per se ipsum satisfaciat, & per alium, quam si per alium tantum; perfectosque æmulari charismata meliora sectando etiam Indulgentias, ut expediti sint ad vitam æternam: obstare etiam doctrinam Soti *in* 4. *sent. dist.* 21. *quæst.* 1. *art.* 1. §. 1038. ubi proposito dubio, utrum sanum esset consilium nullam accipere Indulgentiam, sub obtentu perferendi pœnas pro criminibus, quibus Deum quis offendit, respondet, quod, si pœna Purgatorii solam pœnam sensus importaret, indicium esset ingentis & excellentis pœnitentiæ, velle quemquam cruces illas, quas meruit, pro Deo perpeti; sed, cum ulterius accedat pœna damni, majoris dilectionis signum est, velle hominem ab illo carcere citissime disolvi, & esse cum Christo. Verum, cum a Postulatoribus sedulo responsum fuerit, primo, Beatam non omisisse lucrari *plenarias* Indulgentias ex contemptu, cum ejus veneratio erga ipsas Indulgentias clarissimis demonstraretur documentis; secundo, plurimorum Theologorum esse doctrinam, non peccare eos, qui de lucrifaciendis Indulgentiis non laborant, eo quia velint ipsimet de se satisfacere in hoc mundo, aut pati in alio, sicuti videri potest apud Gobat *tom.* 3. *tract.* 4. *de Indulgent. cap.* 5. *quæst.* 15. *num.* 47. tertio, id, quod rutius est, non esse confundendum cum eo, quod est perfectius, cum rutius quidem videatur operibus & Indulgentiis propriam culpam luere, sed non perfectius, posito, quod quis abstineat ab Indulgentiis, eo quia Deum amat, & ita ejus offensam detestatur, ut meritas pœnas sustinendo, velit ipsi satisfacere; ultimo, exempla perfectorum non deesse, qui ad tempus exoptarunt etiam pro alienis culpis pœnas Inferni pati, ita tamen, ut ab amicitia & gratia Dei non excidereut; sacrorum rituum Congregatio existimavit, id non officere sanctitati, seu approbationi virtutum heroicarum prædictæ Beatæ.

CA-

UAB Biblioteca de Ciències Socials

CAPUT TRIGESIMUMSECUNDUM.

De adnotatis, & adnotandis per Reviſores ſuper viſionibus, revelationibus & prophetiis.

1. VISIONES, revelationes, & prophetiæ editæ, aut ſcriptæ a Dei Servis, aut ab aliis de eorum mandato, vel quas viri probi ſcripſerunt afferentes, ſe eas ab ipſis Dei Servis audiviſſe, ſubjectæ ſunt legi reviſionis, ut ſupra dictum & viſum eſt, antequam in eorumdem Dei Servorum cauſa ad ulteriora procedatur.

2. De viſionibus itaque, revelationibus, & prophetiis ſæpe in relationibus Reviſorum ſacræ Congregationi exhibitis actum vidi. Porro aliquando ab aliquibus Reviſoribus dubitatum obſervavi de revelationibus, in quibus aliquis Dei Servus ſibi nuntiatam dixit ſuorum peccatorum remiſſionem: quamvis apud Joannem Moſchum VII. ſæculi Scriptorem *cap.* 49. libri, qui dicitur *Pratum ſpirituale* (*extat in vitis Patrum Roſweydi*) quique apud Patres Septimæ Synodi in magna veneratione habitus eſt, teſte Cardinali Bellarmino *de Scriptor. Eccleſ.* legatur S. Petrum apparuiſſe S. Leoni I. ſuorum peccatorum veniam ejus interceſſione a Deo humillime poſtulanti, eique dixiſſe: *Oravi pro te, & dimiſſa ſunt tibi omnia peccata tua, præterquam impoſitionis manuum: hoc enim ſolum abs te requiretur, ſive bene, ſive fortaſſis aliter id egeris.*

3. Aliquando quoque a Reviſoribus dubitatum vidi de revelationibus, in quibus aliquis Dei Servus ſuam ſibi prædeſtinationem ad gloriam dixerat fuiſſe manifeſtatam: quamvis Tridentinum Concilium *ſeſſ. 6. de juſtificat. cap. 9. cap. 12. & cap. 13.* ubi adverſus Novatorum errores ſtatutum eſt, neminem poſſe abſoluta certitudine Perſeverantiæ donum ſibi polliceri, aut de arcano Divinæ prædeſtinationis myſterio ita præſumere, ut pro certo habeat, ſe omnino eſſe in prædeſtinatorum numero, procedat, ſecluſa revelatione Divina, uti colligitur *ex can. 15. & 16. cit. ſeſſ. 6.* uti late proſequitur Silvius *in 1. 2. D. Thomæ quæſt. 192. art. 5.* & quamvis ejuſmodi revelationum non deſint exempla in antiquo & novo Teſtamento, in antiquo, puta cum *Geneſ. 22. verſ. 12.* dictum ſit Abrahamo, *Nunc cognovi, quod times Deum*: in novo autem, cum Latroni Dominus dixerit, *Hodie mecum eris in Paradiſo*, ſicuti legitur *Lucæ* 23. Ab his quippe infertur, fuiſſe prædictis propriam revelatam prædeſtinationem, quemadmodum bene ponderat Cardinalis Bellarminus *de juſtificat. lib. 3. cap. 11. num. 4. tom. 4.* atque Eſtius *in lib. 1. ſentent. diſtinct. 40. §. 24. verſ. Cum igitur*, ad quod & facit doctrina D. Thomæ *par. 1. quæſt. 23. art. 1. ad 4. & 1. 2. quæſt. 112. art. 5.*

4. Alias ab iiſdem Reviſoribus dubitatum animadverti de revelatione, in qua aliqua Dei Serva aſſerebat, ſibi fuiſſe nuntiatum nomen ſui Angeli Cuſtodis, eumque determinato tali nomine appellari; cum Eccleſia non agnoſcat, niſi tria nomina Angelorum, nempe Michael, Gabriel, & Raphael. Quanquam id ſibi vindicat locum tantum quoad publicum cultum, qui exhiberi vellet Angelo ſub alio nomine peculiari, minime vero quoad cultum privatum, qui eſſet exhibendus Angelo Cuſtodi ſub nomine peculiari ab eo, cui idem nomen divinitus revelatum eſt, uti fertur de S. Joanne a Cruce, cui revelatum eſt nomen ſui Angeli Cuſtodis, qui *Lauriel* vocabatur, juxta ea quæ late habentur apud Cardinalem Albitium *de inconſt. in Fide cap. 40. n num. 152. ad num. 161.*

5. A Reviſoribus item interdum animadverſa inſpexi verba, quibus alia Dei Serva ſuas exponens viſiones de Chriſti Domini apparitionibus locuta eſt, amplexus videlicet, oſcula, tactus nominando: licet his ſatis aperte occurrat piæ mem. Cardinalis Federicus Borromæus *in opuſc. de Chriſt. mentis jucunditate lib. 1. cap. 7.* ubi, antequam deſcendat ad Chriſti Domini manſuetudinem erga B. Gertrudem, ſic præfatur: *Quin immo de Beata hac majora narrabo. Cavendum tamen utique erit mundanis hominibus, ne impura ſua labra epulis hiſce delicatis admoveant, ſed procul omnino abſint: ſiquidem, quemadmodum initio libri præfatus ſum, epulæ iſtæ nequaquam ſunt ad eorum palatum accommodatæ. Beata hæc Gertruda vidit aliquando per exſtaſim Dominum habitu dormientis, neque reſpicientis Virginem, quæ effuſis precibus ſupplicabat. Demum amore victa confugit ad eum, & pedes ipſius exoſculata eſt. Tunc ille viciſſim eam amplexus, dixit: Scito, feciſſe me, quod ſagacibus quibuſdam animantibus naturale eſt, ut nimirum, ſimulando ſomnum, rapiant alia quædam animalia, quibus alantur.* Quo pariter conveniunt verba Richardi S. Victoris *in prol. ad Cant. Cantic. Nominantur hoc in libro oſcula, nominantur ubera, nominantur genæ, nominantur femora; in quibus verbis non irridenda eſt ſacra Scriptura, ſed amplior Dei miſericordia conſideranda eſt; quia, dum membra corporis nominat, ſic ad amorem vocat. Notandum eſt, quod mirabiliter nobiſcum eſt, & miſericorditer operatur; qui, ut cor noſtrum ad inſtigationem ſacri amoris accenderet, uſque ad turpis amoris noſtri verba deſcendit. Sed unde ſe, loquendo, humiliat, inde nos intellectu exaltat.* Et infra: *Debemus ergo in verbis iſtis corporeis, in verbis exterioribus, quidquid interius eſt quærere, & loquentes de corpore quaſi extra corpus fieri.*

6. Ab iiſdem etiam Reviſoribus nonnunquam cenſura affectæ ſunt quædam revelationes, in quibus aliqua continentur contraria probatis hiſtoriis, vel aliis revelationibus, aut in quibus aliqua tanquam tuta ſtatuuntur, quæ adhuc tamen ab Eccleſia definita non ſunt. Hujuſmodi ſunt, quæ fuerunt a ſtudioſis viris adnotata in mentis exceſſibus ſeu in raptibus, & revelationibus S. Mariæ Magdalenæ de Pazzis, B. Baptiſtæ Veranæ, B. Gerandeſchæ Piſanæ, ac B. Claræ a Cruce de Chriſto Domino tribus clavis in Cruce confixo; licet ex revelationibus S. Birgittæ *lib. 4. cap. 70. & lib. 8. cap. 15.* habeatur, ſingulas manus, ſinguloſque pedes, ideoque non ambos ſimul, unico clavo confixos fuiſſe, & communior quidem pro quatuor clavis ſtet opinio, de qua poſt Theodoretum, Rufinum, Caſſiodorum, Nicephorum latiſſime agunt Jacobus Boſius *de triumphanti Cruce lib. 1. cap. 15.* Conſalvus Durantus *ad revelationes S. Birgittæ*, Juſtus Lipſius *lib. 2. de cruce cap. 9.* Richardus Montacutius *origin. Eccleſ. par. poſter. tom. 1.* & eruditiſſime de more ſuo Juſtus Fontaninus *in diſſ. de corona ferrea cap. 1. num. 3.*

7. Alias demum ab iiſdem Reviſoribus adnotatum vidi in prophetiis, eas non fuiſſe eventu comprobatas; etſi, ut inquit S. Gregorius *tom. 2. oper. lib. 2. dialog. cap. 21. Prophetiæ ſpiritus mentes Prophetarum non ſemper irradiat; quia, ſicut de Sancto Spiritu ſcriptum eſt*, Ubi vult ſpirat, *ita ſciendum eſt, quia, & quando vult, aſpirat*: qui etiam *tom. 1. hom. 1. in Ezechiel. num. 16.* ſubdit: *Sciendum quoque, quod aliquando Prophetæ ſancti, dum conſuluntur, ex magno uſu prophetandi quædam ex ſuo ſpiritu proferunt, & ſe hæc ex prophetiæ ſpiritu dicere ſuſpicantur.* Id patet exemplo ab eodem S. Gregorio hic allato de Nathan 2. *Reg.* 7. qui nuntiavit Davidi, cum templum Deo vellet conſtruere, illud ædificaturum; & tamen Dominus illum coegit retractare ea, quæ prædixerat.

8. Hæc quoad notata: quod vero attinet ad notanda, ſciendum eſt, de meditationibus, revelationibus, viſionibus, & prophetiis judicium inſtitui in ſacrorum rituum Congregatione triplici de cauſa. Prima eſt, ut juxta decreta Urbani VIII. inquiratur, an in eis aliquid inſit contra Fidem & bonos mores, aut aliqua doctrina nova a communi Eccleſiæ ſenſu & conſuetudine aliena. Secunda, ut videatur, utrum viſiones, revelationes, ac prophetiæ fuerint ſupra naturam, ideoque recenſendæ inter gratias gratis datas, necne. Tertia, ut conſtet, utrum ſint laudandæ vel approbandæ, an patius tolerandæ ſeu prætermittendæ. Inſpectio autem, quæ fit prima de cauſa, viam ſternit inſpectionibus, quæ duabus aliis memoratis de cauſis debent ſubinde promoveri, ut infra patebit. Porro Divina nunquam dici poteſt revelatio, quæ pugnat cum ſacris Litteris, cum Divinis, & Apoſtolicis Traditionibus, cum moribus & definitionibus Eccleſiæ, dicente Apoſtolo *ad Galatas cap. 1. v. 8. Sed licet nos aut Angelus de cœlo evangelizet vobis præterquamquod evangelizavimus vobis, anathema ſit*; & ibidem *v. 9. Si quis vobis evangelizaverit præter id quod accepiſtis, anathema ſit*: prout ad rem ſtrenue adnotarunt Arauxo *in deciſ. moral. tract. 3. quæſt. 23. num. 39.* Cardinalis Bona *de diſcret. ſpirituum cap. 20. num. 4.* Gravina *de viſion. part. 2. lib. 2. cap. 1. per tot.* & Cardinalis de Laurea *in 3. lib. ſent. tom. 4. diſput. 20. art. 23. num. 990.* Quare, ſi quid in ea aperiatur contrarium juri Divino, aut

regulis Ecclesiæ, non est juxta decreta generalia procedendum in causa ad ulteriora. Ut cetera prætereantur exempla, prædicante in ecclesia Cathedrali Mantuana Petro Lucensi Canonico Regulari, exorta est quæstio, utrum B. Virgo Maria in præcordiis, an in utero Christum conceperit. Dicebat enim Petrus, cuidam mulieri sanctitatis eximiæ fuisse divinitus revelatum, quod Christus non in utero loco communi humanæ genituræ, sed juxta cor in pectore conceptus fuerat. Suspectam autem maximopere nonnulli affirmabant prædictam revelationem, cum in Matthæi Evangelio legatur, *Inventa est in utero habens de Spiritu Sancto*; & ipse Matthæus alleget Isaiam dicentem, *Ecce virgo concipiet in utero*; & in Luca dicat Angelus ad Mariam, *Ecce concipies in utero*. Quæstio hæc plene refertur a Joanne Baptista Mantuano Carmelita Auctore illi contemporaneo *tom. 4. in tractatu de conceptione Christi ad Cardinalem Sigismundum Gonzagam Episcopum Mantuanum*, ubi etiam Auctor testatur, tum Mantuæ tum Romæ tanquam suspectam habitam fuisse revelationem, & opinionem in ea contentam damnatam fuisse, utpote contrariam litteræ & sensui sacræ Scripturæ. Extat enimvero in Bullario Ordinis Fratrum Prædicatorum summa diligentia collecta, & variis eruditissimis notis illustrato a Patre Antonino Bremond. *t.* 4. bulla 77. Julii II. in qua confirmatur sententia lata a Dominico Episcopo Portuensi, & Antonino Tituli Sancti Vitalis, S. R. E. Cardinalibus, super gravissimis contentionibus de loco conceptionis D. N. Jesu Christi inter prædictum Canonicum Petrum, & Dominicum de Cariguano Ordinis Prædicatorum, hæreticæ pravitatis in civitate Mantuana Inquisitorem: verba autem sententiæ confirmatæ, quæ ibidem recitat supradictus Auctor *in notis num.* 8. sunt hæc quæ sequuntur: *Quia omnes & singuli memorati sacræ Theologiæ Doctores, Magistri, & Professores* (inter quos erat etiam Thomas Cajetanus, postea S. R. E. Cardinalis Amplissimus, ut ipsemet testatur 3. *part. art.* 5. *quæst.* 31.) *concordaverunt in unam eamdemque sententiam, excepto Magistro Joanne Antonio Ordinis Eremitarum Procuratore, qui illam novam opinionem* (de conceptione Christi non in utero, sed juxta cor) *dicebat esse tantummodo scandalosam, & non erroneam neque hæreticam, etiam in futurum; Nos Dominicus, & Antonius Cardinales Judices & Commissarii præfati, veritatem & solum Deum præ oculis habentes, Christi nomine invocato, ad ejus gloriam, ipsiusque Catholicæ Fidei & Christianæ religionis conservationem & augmentum, animarum salutem & conservationem, declaramus decernimus & definimus ac sententiamus auctoritate Sedis Apostolicæ nobis commissa, de consilio & assensu dictorum Doctorum, magistrorum, professorum sacræ Theologiæ, quod deinceps memorata nova opinio habeatur tanquam erronea scandalosa atque hæretica, & ita damnamus eamdem in futurum.*

9. Prima hæc inspectio vere pertinet ad Revisores, ad quos etiam spectare crederem adnotare, si quid tanquam divinitus revelatum dicatur, quod adhuc sit sub Ecclesiæ judicio; cum & id ad doctrinam referatur, ad cujus examen ipsi Revisores advocantur. Præterquamquod hujus generis animadversiones, utcumque sit, an aptæ & sufficientes dici valeant ad id efficiendum, ut causæ Beatificationis & Canonizationis silentium imponatur, certum est tamen, maximopere ad judicium illud profuturas esse, ut, si ad ulteriora in causa sit procedendum, non possit illiusmodi revelata inter Divina & supra naturam recenseri; quemadmodum recte perpendit Arauxo *in decis. moral. tract.* 3. *quæst.* 23. §. 2. *num.* 38. ubi: *Objectum divinitus revelatum debet esse conforme regulis Fidei, & non eis contrarium, aut præter illas. Unde, si res revelata sit cadens sub opinione, & nondum ab Ecclesia definita, sed in Scholis controversa, talis revelatio non est habenda pro Divina, sed a proprio spiritu loquentis, aut diabolico procedens, aut somniata &c. ut, si quis, affectando spiritum propheticum, annuntiet, sibi revelatum esse a Deo, auxilium efficax prædeterminare physice hominis voluntatem ad bonum, quod tenet opinio Thomistarum in materia de auxiliis Divinæ Gratiæ.* Ad quam pariter classem referri posse videntur nonnulla, quæ aliquando occurrunt in meditationibus de Christi Passione, ubi quædam a meditantibus tormenta confinguntur, de quibus nec in Evangelio, nec apud Patres verbum habetur, & de quibus prudentissime hæc notat Suarez *tom.* 2. *in* 3. *part. disput.* 33. *sect.* 1. *In his Christi Passionibus nihil est leviter fingendum, quod vel ab Evangelistis narratum non sit, vel ex iis, quæ ipsi narrant, adjuncta Patrum expositione, probabiliter colligi non possit. Possunt quidem Fideles pie meditari acerbitatem earum Passionum, quæ narrantur, earumque circumstantias ex iis, quæ humano modo contingunt, & ex affectu & dispositione talium personarum conjectare. Non tamen licet nova Passionum figmenta confingere, quia hoc neque temeritate carere potest, neque evidenti periculo falsitatis.*

10. Quæ vero supradicta sunt de adnotatis a Revisoribus quoad remissionem peccatorum, quoad certitudinem *prædestinationis*, & quoad nomen proprium Angeli Custodis, hæc, severe loquendo, fuerunt quidem adnotata ultra ipsorum officium & munus, sed laudabiliter tamen & non sine fructu adnotata dici debebunt. Quod autem fuerint adnotata ultra ipsorum officium & munus, clarissime cognoscitur: cum enim eorum officium in examine doctrinæ consistat, & solum per revelationem Divinam scire possimus, an peccata nobis sint remissa, & an simus descripti in libro vitæ; unusquisque facile deprehendere poterit, nihil quoad doctrinam esse reprehendendum in Dei Servis, qui certitudinem remissionis peccatorum, propriæ *prædestinationis* ad Divinam revelationem retulerunt, ideoque solam difficultatem habendam de qualitate revelationis, utrum videlicet Divina, an naturalis, vel ficta, seu *illusoria* fuerit. Hujus porro qualitatis judicium, utpote dependens ab aliis circumstantiis, quæ ex libris Servorum Dei deduci non possunt, ad sacram pertinet Congregationem id, ut infra, tunc instituentem, cum agitur de virtutibus & de gratiis gratis datis post animadversiones factas a Fidei Promotore, qui tum ex processibus, tum ex aliis monumentis extra processus proponenda proponit, ut videatur, utrum revelationes fuerint a Deo, an somnia fuerint, aut piæ meditationes, vel illusiones. Quod tamen, hoc minime obstante, memoratæ Revisorum adnotationes laudabiliter & cum fructu factæ fuerint & fieri valeant, proinde patet, quia, licet per eas cursus causæ non sit impediendus, cum nulla in doctrina sit labes; nota nihilominus fit sacræ Congregationi absoluta necessitas in discussione dubii super virtutibus qualitatem dictarum revelationum perpendendi, quo constat, an Dei Servus prædicta gratia gratis data divinitus præditus fuerit: quo profecto sensu sacra Congregatio juxta ea, quæ in superioribus dicta sunt, demandavit & demandat progressum ad ulteriora in causa, reservato jure Fidei Promotori adducendi suo loco & tempore, quæ sunt adducenda adversus meditationes, visiones, atque revelationes. Et sane, quod modo dictum est de adnotatis per Revisores quoad revelationes de remissione propriorum peccatorum, & de certitudine propriæ *prædestinationis*, videtur locum sibi vindicare etiam debere in meditationibus & visionibus, ubi verba habentur amori profano accommodata, aut ubi aliqua sunt probatis historiis & aliis revelationibus contraria, aut ubi aliquid statuitur tamquam tutum, quod adhuc est sub Ecclesiæ judicio. Nam eadem quoque huc convenit ratio, quod, etiamsi ea immunia esse possint a censura doctrinæ, vel ad sensum particularem, aut ad revelationis Divinæ, quæ tamen Divina non fuit, credulitatem referri valeant; expedit nihilominus, ut sacræ Congregationi pariter notificentur, quæ, minime retardato causæ progressu, Fidei Promotorem admoneat de adhibenda suo loco & tempore super ipsis necessaria circumspectione. Neque dissimile videtur ferendum esse judicium de adnotatis a Revisoribus super proposito prædictionum, quæ eventu comprobatæ non fuerunt.

11. Post hæc, si aliquid dicendum sit de altera visionum atque revelationum inspectione, quæ fieri debet videndi causa, utrum fuerint supra naturam, necne, itemque de alia & ultima inspectione super earum approbatione, tolerantia, aut prætermissione, præter ea, quæ in sua sede dicentur, satis erit hic retulisse, de qualitate revelationum non in hoc judicio agendum esse, sed tantum, quando proponitur dubium de virtutibus. Tunc scilicet onus est Fidei Promotoris strictim perpendere qualitates ejus, cui apparitio, visio, aut revelatio facta est, earumque modum & effectus inde productos; ex his quippe dignoscitur, cujus generis fuerint apparitiones, visiones, & revelationes, uti docent Gravina *de discern. assion. lib.* 2. *cap.* 3. *vers. Ex multis, & cap.* 5. *per totum*, Joannes de Escobar *in arte dignosc. spirit. art.* 1. §. 5. *n.* 14. *& seq.* ac Passerin. *ad S. Thomam* 3. *part. quæst.* 76. *art.* 8. *comment.* 27. *cap. unic. n.* 5. Sermonem autem instituendo de earum approbatione, sciendum est, approbationem istam nihil aliud esse, quam permissionem, ut edantur ad Fidelium institutionem & utilitatem post maturum examen: siquidem hisce revelationibus taliter approbatis licet non debeatur nec possit adhiberi assensus Fidei Catholicæ,

debe-

debetur tamen assensus fidei humanæ juxta prudentiæ regulas, juxta quas nempe tales revelationes sunt probabiles & pie credibiles, uti, loquendo de revelationibus B. Hildegardis, quæ ab Eugenio III. S. Birgittæ, quæ a Bonifacio IX. & S. Catharinæ Senensis, quæ a Gregorio XI. approbatæ dicuntur, docet Arauxo *loc. cit.* §. 2. & sequitur Lamindus Pritanius *de ingen. moderat. lib. 1. cap.* 17. Nec enim ex earum aliquando inter se contrarietate ulla absurditas deduci potest, sicuti bene explicat Jo. Gerson. *tom. 1. oper. col.* 24. *in declaratione veritatum, quæ credendæ sunt de necessitate salutis*, ubi: *Sicut dicit Aristoteles, nihil refert, quædam falsa probabiliora esse quibusdam veris, ita nihil refert, quædam falsa pie credi. Non quidem ea ratione, qua falsa sunt, vel si sciuntur esse falsa, credi possunt; procul sit hoc a pietate Fidelium: sed cadit existimatio, vel pia credulitas non super veritate, vel falsitate, sed tantummodo super apparentia vel probabilitate. Et hoc utique non est periculosum, vel falsum; quia constat de apparentia & probabilitate, dum falsitas, vel veritas ignota est. Propterea sapientissime dixit Hieronymus, quod de talibus eligibilius est pie dubitare, quam temere definire. Sicut stat, quodlibet contradictorium esse probabile, & unum stat cum altero non in veritate, sed probabilitate ... sic diversis respectibus utrumque contradictoriorum credi potest cum Fidei pietate, dum tamen sit animus ab assertione pertinaci alienus. Respicit autem iste gradus Legendas & miracula Sanctorum*, (non discussa videlicet, nec per sanctam Sedem approbata) *vitas Patrum, visiones, necnon phantasias Religiosorum & devotarum personarum, recitationes & opiniones sacrorum Doctorum; quæ omnia suscipit Ecclesia, & legi permittit, non quod determinet, talia de necessitate salutis esse credenda, sed quia proficiunt ad commovendos affectus pios Fidelium, & in ædificationibus ipsorum; dum in talibus nihil de certitudine sciatur esse falsum, quamvis etiam nesciatur, illud certitudinaliter esse verum, quod nec oportet, nec ut tale credendum proponitur.*

12. Ex triplici ergo inspectione, in quam quasi partiri diximus examen visionum, revelationum, & prophetiarum, prima, quæ instituitur, ut videatur, an in eis aliquid insit contra Fidem & bonos mores, vel aliqua doctrina in eis habeatur nova & peregrina atque a communi Ecclesiæ sensu aliena, fieri ante omnia & expleri necessario debet in sacrorum rituum Congregatione, cum ab ea dependeat progressus causæ ad ulteriora, vel silentium causæ ipsi imponendum. Secunda vero, quæ id respicit, ut constet, an ille vel illa, cui contigerunt visiones, apparitiones, & revelationes, fuerit gratiis datis a Deo illustratus, expletur tantum in eadem sacra Congregatione, quando agitur de virtutibus, uti supra dictum est. Sed cum in uno, tum in altero ex hisce judiciis nulla exprimitur particulariter visio, nulla revelatio, siquidem sub involucro verborum generalium in primo demandatur tantummodo processus ad ulteriora; in secundo, virtutum approbationi in gradu heroico id solum additur: Dei Servum aut Servam fuisse cælestibus visionibus, apparitionibus, & prædictionibus illustratum. Tertia demum inspectio ad id spectans, ut innotescat, utrum visiones, revelationes, & prophetiæ sint approbandæ, necne, omnino in eadem sacra Congregatione instituitur, instantibus peculiariter Postulatoribus. Porro sæpenumero in eadem sacra Congregatione institutum est ad hunc finem examen hujus, aut illius singillatim revelationis, visionis, aut apparitionis, sed non ita sæpe ad ejus approbationem deventum est. Dum fungebar munere Fidei Promotoris, sæpe proposita fuerunt examinanda miracula sanationum *in instanti* mirabiliter effectarum in personis Religiosis, probis, & honestis, prævia apparitione Servi Dei, cujus intercessione miraculum contigisse dicebatur: sacra autem Congregatio, veris ostensis ostendendis, miraculum utique approbavit, minime vero visionem & revelationem. Aliquando tamen approbata est aliqua visio, aliqua apparitio, aliqua prophetia, puta, Angelorum. Beatissimæ Virginis, & Christi Domini visio, quæ ipsi Servo Dei contigit, ut aliqua prophetia seu aliqua prædictio, quæ de futura quapiam re mirabiliter a Servo Dei facta est. Verum, quod attinet ad integrum volumen visionum, apparitionum, & prophetiarum, rara sunt exempla approbationum: &, quatenus exempla præcesserint aut secutura sint, approbatio ejusmodi certitudinem Fidei nequaquam exposcit, sed tantum efficit, ut illæ tanquam probabiles habeantur; juxta ea quæ in superioribus dicta sunt, & quemadmodum bene adnotavit Cardinalis Bona *de discret. spirit. cap.* 20. *num.* 1. ubi ait: *Illi tamen, quibus privatæ revelationes fiunt, si certo eis constiterit, a Deo esse, illis firmiter adhærere tenentur; quia Deus revelans occulta sapientiæ suæ summa veritas est, quæ nec fallere, nec falli potest. Quæ vero circumferuntur a sanctis viris, & mulieribus scriptæ, non ideo approbatæ censentur, ut illis certitudine Fidei assentiamur, sed ut eas tanquam probabiles recipiamus.*

CAPUT TRIGESIMUMTERTIUM.

An doctrina contra Fidem, vel Ecclesiæ regulas obstet Beatificationi, & Canonizationi, si ante obitum a Dei Servo fuerit retractata; aut fuerit judicio Ecclesiæ subjecta, cum scripta fuit.

1. IN hoc capite agendum non est de doctrina, quæ minime erat hæretica, aut alia gravi censura notata quo tempore scripta fuit, quamvis per postea datam ab Ecclesia definitionem pro hæretica vel condemnata habenda sit tempore, quo super ea examen instituitur; de hac quippe facti specie jam actum fuit in superioribus: verum in præsenti tractandum de doctrina contra Ecclesiæ definitiones aut in proposito Fidei, aut in proposito morum, quæ quidem illiusmodi erat, cum scripta fuit, sed quam Dei Servus, vel antequam moreretur, retractavit, vel Ecclesiæ judicio subjecit, cum ea scripsit.

2. Porro, sermonem faciendo de primo casu, certum mihi esse videtur, doctrinam hanc ante obitum serio, sufficienter & voluntarie retractatam non posse obstare Beatificationi & Canonizationi Servi Dei, si de ejus virtutibus heroicis & de miraculis, aut de Martyrio & causa Martyrii, & signis vel miraculis doceatur. Quocirca in hoc rerum statu, licet doctrina non possit approbari, nec responderi, nihil in ea contineri contra Fidem vel bonos mores, ideoque ad ulteriora esse procedendum, poterit nihilominus responderi, quod, stante retractatione, ad ulteriora procedatur.

3. Facit ad hanc assumptionem doctrina S. Ambrosii *tom. 1. oper. 1. apolog. 1. David cap.* 2. ubi de his, qui peccarunt, & subinde gloriosam pœnitentiam egerunt, sic loquitur: *Sancti autem Domini, qui consummare pium certamen gestiunt, & currere cursum salutis, sicubi forte, ut homines, corruerint naturæ magis fragilitate, quam peccandi libidine, acriores ad currendum resurgunt, pudoris stimulo majora reparantes certamina; ut non solum nullum attulisse æstimetur lapsus impedimentum, sed etiam velocitatis incentiva cumulasse.*

4. Facit etiam dictum S. Augustini *tom. 9. lib. 2. de Baptism. cap.* 4. qui sibi opponentibus Donatistis pro *nullitate* Baptismi ab Hæreticis collati auctoritatem S. Cypriani modo quidem respondit, veritatem tunc nondum fuisse a *plenario* Concilio definitam, cui S. Cyprianus sine ulla dubitatione se subjecisset, uti supra visum est; modo, S. Cyprianum errorem forte deposuisse, veluti prosequitur *loc. cit. Et fortasse factum est, sed nescimus; neque omnia, quæ illo tempore inter Episcopos gesta sunt, memoriæ litterisque mandari potuerunt, aut omnia, quæ mandata sunt, novimus.* Idem S. Doctor *tom. 2. epist. 93. cap.* 10. *num.* 38. loquens de S. Cypriano ait; *Correxisse autem istam sententiam non invenitur. Non incongruenter tamen de tali viro existimandum est, quod correxerit, & fortasse suppressum sit ab eis, qui hoc errore nimium delectati sunt, & tanto velut patrocinio carere noluerunt.* Quamobrem Vincentius Lirinensis *in commonit.* postquam S. Cypriani reliquiscentiam admisit, & Donatistarum in dogmate rebaptizandi pertinaciam consideravit, exclamat *num.* 11. *Et ob rerum mira conversio! Auctores ejusdem opinionis, Catholici, consectatores vero Hæretici judicantur; absolvuntur magistri, condemnantur discipuli; conscriptores librorum filii regni erunt, adsertores vero gehennæ suscipiet. Nam quis ille tam demens est, qui illud Sanctorum omnium, & Episcoporum, & Martyrum lumen Beatissimum*

num Cyprianum cum ceteris Collegis ſuis in æternum dubitet regnaturum eſſe cum Chriſto? Aut quis tam ſacrilegus, qui Donatiſtas, & ceteras peſtes, quæ illius auctoritate Concilii rebaptizare ſe jactitant, in ſempiternum neget arſuros eſſe cum diabolo? Omittimus autem Origenis exemplum, quem ſuorum errorum palinodiam ceciniſſe nonnulli putant, argumento deducto a libro, qui *Origenis lamentum* nuncupatur. Hunc enim etſi ab eo ſcriptum teſtatur Vincentius Bellovacenſis *in ſpeculo doctrinali lib. 18. cap. 43.* ut apocryphum tamen Gelaſius Papa rejecit in decreto infra memorando, quemadmodum adnotarunt Cardinalis Baronius *ad an. 253. num. 119. & ſeqq.* Theophilus Raynaudus *oper. tom. 11. de bon. & mal. lib. partit. 1. erotem. 10. §. 1. num. 178.* & Natalis Alexander *hiſtor. Eccleſ. ſæc. III. cap. 4. art. 2. num. 8.*

5. Facit apprime celeberrimum Sancti Patris Auguſtini exemplum, qui ſuarum retractationum libros compoſuit, in quibus, magna ſeveritate opera jam a ſe edita ad novum examen revocando, ſuos ſenſus modo clarius explicavit; modo, ne lectores aliquibus verbis minus perſpicuis abuterentur, impedivit; modo verba quædam correxit, atque adeo errorem Semipelagianorum, in quem alias inciderat, confeſſus eſt; præclariſſimo ſuo docens exemplo, quid agendum ſit, cum aliqua ſcripta ſunt minus caute, etſi inſcienter, uti Proſper, & Caſſiodorus bene animadverterunt apud Tillemont. *hiſtor. Eccleſ. tom. 13. in vita S. Auguſtini artic. 335.* Ne vero ea prætermittamus, quæ ab eodem Sancto geſta ſunt erga Victorem, cum litteras dediſſet ad Renatum, & Presbyterum Petrum, in quibus paucis verbis confutavit errores Victoris, ipſi quoque Victori ſcripſit & undecim articulos inexcuſabiles, Fideique contrarios, quos in ejus operibus legerat, objecit; ſtrenueque & non ſine fructu ipſum hortatus eſt, ut eos corrigeret: quandoquidem non error, ſed animus obſtinatus hæreticum facit, & glorioſius eſt errata ſua retractare, quam alium errantem ad correctionem inducere, necnon æſtimabilius errorem ſemel ingeſtum reſpuere, quam ei nunquam adhæſiſſe.

6. Facit inſuper Eccleſiæ diſciplina, quæ inter Sanctos colit eos, qui Chriſtum negaverant; quoniam pro Chriſti confeſſione iterum ſe Tyranno ſiſtentes, poſt emiſſam Chriſtianæ Fidei profeſſionem, tormenta & mortem pro eadem Fide feliciter ſuſtinuerunt. Itemque, ut cetera prætereantur, confert id quod legitur in hiſtoriis Eccleſiaſticis de Petro Abaelardo; de cujus erroribus plura habentur apud S. Bernardum *vol. 1. epiſtola 190. ad Innocentium II.* quam epiſtolam ob prolixitatem etiam inter tractatus relatam habes *cit. vol. 1.* apud Guillelmum Abbatem S. Theodorici *in diſputatione adverſus eumdem*, & apud Anonymum *in diſputatione pariter adverſus ipſum Abaelardum tribus libris comprehenſa, quæ extat tom. 4. Biblioth. Ciſterc.* Fuit nempe ille damnatus primum in Concilio Sueſſionenſi, quod juxta Eruditiores habitum eſt anno 1121., deinde in Concilio Senonenſi, demum ab Innocentio II. ſummo Pontifice, qui ei tanquam hæretico ſilentium impoſuit, ejuſque ſectatores ac defenſores anathematis vinculo cenſuit innodandos; ut habetur ex ejuſdem Innocentii reſcripto ad Archiepiſcopos Senonenſem, atque Rhemenſem *inter S. Bernardi epiſtolas epiſt. 194.* Tum autem pro eodem Petro apologeticum ſcriptum fuit injurioſum & contumelioſum in S. Bernardum & Concilium Senonenſe a Berengario Pictavienſi ejus diſcipulo, quod typis impreſſum eſt apud Bulæum *tom. 2. hiſtor. Univerſit. Pariſien. pag. 182.* Sed, cum profugus, & ab omnibus derelictus Abaelardus, hincque a Petro Venerabili Abbate Cluniacenſi Cluniaci ſuſceptus, opera porro Abbatis Ciſtercienſis, qui illuc advenerat, cum S. Bernardo & cum ſummo Pontifice Innocentio II. reconciliatus fuerit, tum inter Monachos Cluniacenſes receptus etiam a ſuis erroribus receſſerit; uti colligitur ex epiſtola memorati Petri Venerabilis apud Baronium *ad ann. 1140. n. 11.* & ſicuti confirmat Otto Friſingenſis *lib. 1. de geſtis Friderici cap. 49. inter Scriptor. rer. Ital. tom. 6.* (his addita Fidei confeſſione ab ipſo Abaelardo facta in hæc verba: *Quod ſi uſpiam per multiloquium exceſſi, ut ſcriptum eſt*, In multiloquio non effugies peccatum, *nunquam importuna defenſio me effecit hæreticum, paratus ſemper ad ſatisfactionem de male dictis meis corrigendis, ſive delendis; in quo certe propoſito uſque in finem perſeverabo*; poſt quæ ſingillatim Catholica dogmata capitulis erroneis a ſe aſſertis, vel ſibi objectis contraria profitetur) propterea multi ſunt, qui contendunt, eum non eſſe inter Hæreticos annumerandum, ut puta, Natalis Alexander *hiſtor. Eccleſ. ſæc. XI. & XII. diſſert. 7. art. 11.* Pagi *ad an. 1140. n. 5.* Graveſon *hiſtor. Eccleſ. tom. 4. pag. 485.* Merito autem id contendunt, cum de eodem Abaelardo ſic loquatur Chronicon Cluniacenſe *in Petro Venerabili (apud Biblioth. Cluniac. col. 1653.) Abaelardus Petrus nomine ab erroribus Fidei per Petrum Venerabilem Abbatem noſtrum, & S. Bernardum Abbatem Claravallenſem revocatus, quæ antea de Fide dogmatizaverat perfide* (ſupple *abjurans*) *Monachus Cluniacenſis factus eſt, & deinde mens ejus, lingua ejus, opus ejus ſemper divina fuerunt:* cumque Venerabilis Petrus Epiſtolam dederit ad Heloiſſam, quæ fuerat uxor Abaelardi, quæque tunc erat, ſuſcepto monaſtico velo ab Epiſcopo, Abbatiſſa monaſterii Paracletenſis, ut eam de pio Abaelardi obitu conſolaretur; juſſeritque, ejus corpus ad illud cœnobium transferri, miſſo epitaphio a ſe in ejus honorem compoſito: quæ epiſtola eſt inter opera ejuſdem Petri, & habetur una cum epitaphio apud Baronium *ad ann. 1140. num. 11. & ſeqq.*

7. Faciunt denique ad eamdem aſſumptionem celeberrima verba Pii II. in ſua bulla 7. (*Bullar. nov. tom. 3. part. 3.*) in qua retractat ea, quæ in minoribus conſtitutus ſcripſerat pro Concilio Baſileenſi contra Eugenium IV. *Mortem quidam prius ſibi conſciverint, quam videri volint, aliquando male ſenſiſſe; & nonnulli, ne vel ad horam videantur erraſſe, ſemper errant; & , dum minimam tolerare honoris jacturam nequeunt, totam abjiciunt, & perpetua notantur infamia, & in peſſimas prolabuntur hæreſes: qui, ne appareant inconſtantes, pertinaces efficiuntur. Superbiſſimi hoc agunt, qui videri Dii, non homines volunt; quales Conſtantiæ combuſti ſunt noſtra ætate in magno conventu Hieronymus, & Joannes Hæreſiarchæ. Nos homines ſumus, &, ut homines, erravimus &c. Pudet erroris, pœnitet male dictorum, ſcriptorumque vehementer pœnitet: plus ſcripto, quam facto nocuimus. Sed quid agamus? Scriptum, & ſemel emiſſum volat irrevocabile verbum &c. Cogimur igitur, dilecti Filii, B. Auguſtinum imitari, qui, cum aliqua in ſuis voluminibus erronea inſerviſſet, retractationes edidit. Humilis & probatiſſimi vir ingenii, qui ſuas ineptias verecunde confiteri ac corrigere, quam imprudenter defendere maluit. Idem & Nos faciemus.* Oſtendunt autem hæc omnia, poſito errore, nullum aliud ſupereſſe, quam retractationis remedium; quamcumque per veram retractationem erroris maculam abſtergi; Sanctos ipſos non ſine magna ſui nominis commendatione retractaſſe, quæ dixerant minus caute, aliiſque ſalubria conſilia de erroribus retractandis præſtitiſſe; ceteros, qui Sancti non fuerunt, qui ante obitum errorem retractarunt, neutiquam inter Hæreticos juſte recenſeri; retractationem denique eſſe laude dignam. In quo proinde rerum ſtatu durum & abſonum eſſet imponere ſilentium cauſæ Beatificationis & Canonizationis Servi Dei, qui erronea ſcripſiſſet, ſi ante obitum errores retractaſſet.

8. Quocirca, redacta controverſia ad ſecundum caſum, ejus videlicet, de cujus quidem retractatione ſincera ſufficienti & voluntaria ante obitum non conſtat, ſed qui, licet aliqua ſcripſerit contra Eccleſiæ definitiones, & ſic erraverit in propoſito Fidei vel in propoſito morum, ſcripta ſua nihilominus ſubjecit judicio Eccleſiæ Romanæ ſeu ſummi Pontificis; exponenda erunt nobis ea, quæ apud juris Pontificii Profeſſores, ea, quæ ex Eccleſiaſticis monumentis, & ea demum, quæ ab exemplis habentur, & *reſpective* deduci poſſunt.

9. Porro, quod attinet ad juris Pontificii Profeſſores, docent ipſi in commentariis ad textum *in cap. Damnamus, de ſum. Trinit. & Fide Cathol.* errantem in Fide non eſſe hæreticum, ſi errorem ſuum ſupponat judicio Sedis Apoſtolicæ, vel Fidem Romanæ Eccleſiæ ſe tenere confiteatur; juxta textum *in can. Hæc eſt Fides, 24. qu. 1.* & *in can. Dixit Apoſtolus, quæſt. 3.* Et ideo dicunt, Joannem de Poliaco, cujus articuli a Joanne XXII. fuerunt damnati, & reprobati, non fuiſſe hæreticum, cum idem Joannes XXII. *in cap. Vas electionis, tit. de Hæreticis, inter extravag. commun.* aſſerat, eum articulos docuiſſe & defendere curaſſe, omnia tamen ſubmittendo judicio Sedis Apoſtolicæ. *Verum, licet præfatus Magiſter dictos articulos & contenta in ipſis defendere niteretur, aſſerebat tamen, ſe paratum credere & tenere in præmiſſis & aliis, quæ tenenda & credenda eſſe Sedes Apoſtolica definiret.* Quod etiam comprobavit eventus; cum poſt ſuorum articulorum condemnationem tum in ſcholis, tum in ſacris concionibus publice errores abjuraverit; ut habetur apud Raynaldum

ad

ad an. 1321. *num.* 37. Addunt, duo ad rationem Hæretici requiri, errorem videlicet in intellectu, quod est Hæresis initium, & pertinaciam in voluntate, quod est Hæresis complementum; hinc que pertinacem dici non posse, qui errorem suum corrigere paratus est, & profitetur se credere quod credit sancta Romana Ecclesia. Demum concludunt, damnato libro, non censeri damnatum illius Auctorem, si librum supposuit correctioni Romani Pontificis; uti probat textus *in cap. Damnamus, de sum. Trin. & Fide Cathol.* ubi: *Maxime cum ipse Joachim omnia scripta sua Nobis adsignari mandaverit Apostolicæ Sedis Judicio approbanda, seu etiam corrigenda.* Quare in Synodo Romæ habita a Gelasio Papa anno 494. juxta Cardinalem Baronium, in qua septuaginta Episcopi sedere, quamvis damnati fuerint libri Cassiani, & Fausti Rejensis, ut habetur *in histor. Pelag. Cardinalis de Noris lib. 2. cap. 17. tom. 1. oper.* & ut probatur *ex can. Sancta Romana, dist. 15.* quem non fictum nec suppositium, sicuti nimia confidentia Guillelmus Caveus asseruerat, sed ad Pontificem Gelasium, ut ad legitimum Auctorem, esse referendum, solidissime comprobavit Justus Fontaninus *de antiquitatibus Hortæ lib. 2. cap. 3.* ad cujus calcem editum est sincerum dicti Gelasii decretum ex insigni codice Vaticano; ipsi tamen Cassianus, & Faustus nunquam damnati fuerunt, juxta ea quæ in superioribus dicta sunt. Damnato autem Auctore, ejus quoque libri censentur damnati; uti probat textus *in cap. Fraternitatis, de Hæreticis*, ubi: *Cum Cælestius, atque Pelagius in Ephesina Synodo sint damnati, quomodo poterunt illa capitula recipi, quorum damnantur Auctores?* Quæ omnia, congestis antiquioribus juris Pontificii Professoribus, fuse docet Fagnan. *in cap. Damnamus, de sum. Trin. & Fide Cathol.*

10. Sequuntur petita ab Ecclesiasticis monumentis, juxta quæ propriæ emendationis voluntas errantem in Fide a cœtu Hæreticorum propterea non excluserit, quia non fuit sincera; exclusura profecto, si sincera fuisset: uti colligitur ex facto Zosimi Papæ, qui Cælestium, Pelagiumque fere in agmen Catholicum restituit, cum ab eis se audivisse putaret, non tam in quo errassent, quam quid doceri desiderarent, teste S. Augustino *lib. 2. ad Bonifacium cap. 3. tom. 10. oper. Cum hoc Cælestius in suo libello posuisset inter illa duntaxat, de quibus se adhuc dubitare, & instrui velle confessus est; in homine acerrimi ingenii, qui profecto, si corrigeretur, plurimis prosuisset, voluntas emendationis, non falsitas dogmatis approbata est. Et propterea libellus ejus Catholicus dictus est; quia & hoc Catholicæ mentis est, si qua forte aliter sapit, quam veritas exigit, non ea certissime definire, sed detecta ac demonstrata vespere. Non enim Hæreticis, sed Catholicis Apostolus loquebatur, ubi ait: Quotquot ergo perfecti hoc sapiamus; &, si quid aliter sapitis, id quoque Deus vobis revelabit. Hoc in illo factum esse putabatur, quando se litteris beatæ memoriæ Papæ Innocentii, quibus de hac re dubitatio tota sublata est, consentire respondit.* Aliquando viros virtutibus præclaros errantes ex sola imperitia & simplicitate cordis, uti loquitur Cassianus *collat. 10. cap. 3.* inter Hæreticos pia mater Ecclesia non recensuit, teste eodem Cassiano *loc. cit. cap. 2. Theophili prædictæ urbis* (Alexandriæ) *Episcopi solemnes epistolæ commearunt, quibus cum denuntiatione paschali contra inepiam quoque Anthropomorphitarum Hæresim longa disputatione disseruit, eamque copioso sermone destruxit. Quod tanta est amaritudine ab universo propemodum genere Monachorum, qui per totam provinciam Ægypti morabantur, pro simplicitatis errore susceptum, ut e contrario memoratum Pontificem, velut Hæresi gravissima depravatum, pars maxima Seniorum ab universo Fraternitatis corpore decerneret detestandum: quod scilicet impugnare Scripturæ sanctæ sententia videretur, negans, omnipotentem Deum humanæ figuræ compositione formatum, cum ad ejus imaginem creatum Adam Scriptura manifestissime testaretur. Denique & ab his, qui erant in eremo Scythi commorantes, quique perfectione ac scientia omnibus, qui erant in Ægypti monasteriis, præeminebant, ita est hæc epistola refutata, ut, præter Abbatem Paphnutium nostræ Congregationis Presbyterum, nullus eam ceterorum Presbyterorum, qui in eadem eremo aliis tribus ecclesiis præsidebant, nec legi quidem aut recitari in suis conventibus prorsus admitteret.* Aliquando debita Ecclesiæ subjectio profuit errantibus, ne Hæretici haberentur, teste Facundo Hermianensi *lib. 12. cap. 1.* (*tom. 10. Bibl. PP. pag. 100.*) ubi post plura concludit: *Scire igitur debemus, quod Hæreticum non faciat ignorantia, quæ doctrinæ veritatis contumax non est, sed potius obstinata defensio falsitatis:* & post multa: *Cur Hæresis crimini deputetur, si quisquam in Ecclesia pietate præditus, obedientiæ devotus, subjectus, & habilis ad discendum aliter de illa senserit, quod reprehensum corrigere sit paratus? Quocirca omnes, qui in discipulatu sunt veritatis, & semetipsos rationi dociles, & subjectos auctoritati præbent Ecclesiæ, si aliter sapiant de his, quorum Fide mundantur, vel propter incapacem suam intelligentiam, vel minus rem animadvertendo, quam opus est, impie procul dubio tanquam Hæreticos execrantur.* Aliquando denique nonnulli strenue contenderunt, se inter Hæreticos non esse recensendos, licet in aliquos errores offendissent, cum se paratos esse correctioni, atque dociles demonstrarent; quemadmodum bene pro se, suaque causa peroravit supra citatus Petrus Abaelardus in prologo suæ introductionis ad Theologiam: *In quo quidem opere,* inquit, *si, culpis meis exigentibus, a Catholica, quod absit, exorbitavero intelligentia vel locutione, ignoscat ille mihi, qui ex intentione opera pensat, parato semper ad satisfactionem de male dictis vel corrigendis vel delendis, cum quis me Fidelium vel virtute rationis, vel auctoritate Scripturæ correxerit.* Tum autem, post quam aliqua Scripturæ sacræ oracula protulit, quæ docent, Sapientem se corripientes amare, S. Augustini exemplum, qui plura in scripturis suis *erronee* posita retractavit, hæc subdit: *Tanti itaque viri instructus exemplo, si qua forte per errorem proferam, nulla in his per contentionem defendam, aut per elationem præsumam; ut, si nondum ignorantiæ vitio caream, Hæresis tamen crimen non incurram. Non enim ignorantia Hæreticum facit, sed magis superbiæ obstinatio: cum quis videlicet ex novitate aliqua nomen sibi comparare desiderans, aliquid inusitatum proferre gloriatur, quod adversus omnes defendere inopportune nititur; ut vel ceteris superior, vel nullis habeatur inferior. Unde Gennadius Massilienfis Episcopus de Orthodoxa Fide Ecclesiasticorum dogmatum: Quolibet quis acquiescat modo, non est Hæreticus, nisi in contentione Hæreticus fiat. Augustinus in epistola ad Optatum: Si de anima falsitatis assertio proferatur, & falsitas mendacem, & falsitatis inopportuna defensio Hæreticum facit, Rursus idem super Genesim: Non ob aliud sunt Hæretici, nisi quod Scripturas Canonicas non recte intelligentes, suas falsas opiniones contra earum veritatem pertinaciter asserunt. Qui & in libro de utilitate credendi, Hæreticum diligenter describens, Hæreticus* (inquit) *est* (*ut mea fert opinio*) *qui alicujus temporalis commodi & maxime gloriæ causa, falsas ac novas opiniones vel gignit, vel sequitur. Item idem in 18. de civitate Dei: Qui in Ecclesia aliqua prava sapiunt, si correcti contumaciter resistunt, & sua pestifera dogmata emendare nolunt, sed & defendere persistunt, Hæretici fiunt. Rursus idem de unico Baptismo lib. 4. Istum Hæreticum nondum dico, nisi, manifestata sibi doctrina Catholica, Fidei resistere maluerit, & illud, quod tenebat, elegerit.* Hæc Abaelardus.

11. Exempla supersunt, inter quæ celebre est illud Joachim Florensis monasterii in Calabria, unde oriundus erat, Abbatis Ordinis Cisterciensis. Fuit ille vir pius, & ab hac vita migravit anno 1200. Cum autem Petri Lombardi sententiarum Magistri doctrinam impugnare voluerit tanquam hæreticam, imponens ipsi, quod in Divinis *quaternitatem* induxisset, tres videlicet Personas, & communem essentiam; cumque præterea negaverit, veram esse *realem* & simplicem unitatem essentiæ trium Personarum, & *similitudinariam*, ut dicitur, & collectivam esse sustinuerit, damnatus est in Concilio Lateranensi sub Innocentio III. uti habetur *in cap. Damnamus, de sum. Trin. & Fide Cathol.* Subjecerat tamen Joachim omnia, quæ scripserat, judicio Sedis Apostolicæ; sicuti colligitur non modo ex allegato capitulo, sed etiam ex ejus epistola typis impressa apud Fagnanum *ad idem cap. Damnamus, num. 25. de sum. Trinit. & Fide Cathol.* Quapropter idem Innocentius III. in eodem Concilio Lateranensi protestatus est, nullum ex hac condemnatione præjudicium derivari debere in monasterium Florense, quod fundaverat: *In nullo tamen propter hoc Florensi monasterio, cujus ipse Joachim extitit Institutor, volumus derogari.* Et Honorius III. ad supplicationem Abbatum & Conventuum de Ordine Floris declaravit, eum esse reputandum verum Catholicum, in suo diplomate extracto ex bibliotheca Vaticana & typis impresso apud Fagnanum *l. c. Licet igitur prædictus libellus, sive tractatus condemnatus fuerit in Concilio memorato; quia tamen idem Joachim omnia scripta sua Romano mandavit Pontifici assignari Apostolicæ Sedis judicio approbanda, seu etiam corrigenda, dictans epistolam, cui propria manu subscripsit, in qua firmiter est confessus, se illam Fidem tenere, quam Romana tenet Ecclesia, quæ, disponente Domino, cunctorum Fidelium mater est & magistra,*

UAB Biblioteca de Ciències Socials

giſtra ; *Fraternitatibus veſtris* (datæ ſunt litteræ Apoſtolicæ ad Archiepiſcopum Coſentinum , & Epiſcopum Biſinianenſem) *per Apoſtolica ſcripta mandamus , quatenus per totam Calabriam faciatis publice nuntiari , quod eum verum Catholicum reputamus , & Regularem Obſervantiam , quam inſtituit , ſalutarem ; eos , qui Ordini memorato ex hoc detrahere , vel inſultare præſumpſerunt modo præmiſſo , ſub Apoſtolica obſervantia caſtigantes* . Porro Franciſcus Bivarius Ciſtercienſis *in apologia pro Lucio Dextro* ſcribit , Joachimum calumniam paſſum ab iis , qui novam reformationem in Ordinem Ciſtercienſem ab eo introductam ægre ferebant ; Gregorius de Laude Sagittarienſis Abbas *in apologia pro eodem Joachimo* , eum ab errore purgare conatur ; aliaque collecta fuerunt ad ejus defenſionem a Bollandianis poſt Abbatis vitam *ad diem* 29. *Maji tom.* 7. *in diſquiſit. hiſtor.* §. 4. ubi admiſſo , quod liber in Concilio Lateranenſi condemnatus re vera eſſet hæreticus , dubitari poſſe contendunt , utrum fuerit re vera Joachimi , an alius Auctoris , qui ejus nomine fuerit abuſus ; & utrum Florenſes Monachi , qui Synodo interfuerunt , ejus cauſam ſtrenue defenderint , an tantum attulerint ejus epiſtolam , in qua omnia ſubjecit judicio Sedis Apoſtolicæ ; vel etiam alia deſumpſerint ex ejus operibus , a quibus certius , & ſignanter ab illo , cui titulus , *Pſalterium* , haberi potuiſſet ſanæ ejus doctrinæ documentum . Verum ſolidius Natalis Alexander hæc omnia refellit . Inquit enim , firmius nos habere Eccleſiæ teſtimonium & judicium errores Abbati Joachimo , diſcuſſo ejus libello , tribuentis atque damnantis ; & temerarium eſſe aſſerere , quod Œcumenica Synodus ſenſum non intellexerit ; ut habetur *in diſſert.* 2. *ad ſæc.* XIII. & XIV. Cumque , his minime refragantibus , idem in vita virtutibus , & in vita & poſt obitum miraculis claruerit , & in loco ubi ſepultus eſt , cultum publicum obtineat , quemadmodum fuſe comprobarunt Bollandiani *ad diem* 29. *Maji tom.* 7. *in comment. prævi. ad ejus vitam* ; tum autem anno 1346. Abbates & Monachi Ordinis Florenſis unum ex ſuis Romam miſerint , qui peteret , Epiſcopos delegari , ut inquirerent in miracula in vita & poſt mortem a Joachimo facta , uti refert Pagius *in brev. Rom. Pontif. tom.* 2. *in vita Innocentii III. pag.* 125. & ſicuti comprobatur ex vita Abbatis ſcripta a Jacobo Græco Sillanæo Monacho Florenſi *cap.* 8. ubi plane refert mandatum ſubſcriptum a Religioſis dicti Ordinis : duo ex hucuſque dictis inferuntur , alterum Hæreticum non eſſe , qui erravit , ſi omnia ſubjecit judicio Eccleſiæ , veluti , loquendo de hoc eodem Abbate Joachimo , docet S. Thomas *opuſ.* 24. alterum , in ejus virtutes & miracula inquiri poſſe , nec ejus cauſæ ſilentium eſſe imponendum , ſi errores in ejus libris inveniantur , quos ante obitum non retractaverit , dummodo profeſſus ſit , ſe cum Romana Eccleſia ſentire , & ſe omnia *infallibili* Romani Pontificis judicio ſupponere .

12. Nec enim quidquam refert , ſi dicatur , ſanam doctrinam periculum pati poſſe , ſi inter Beatos & Sanctos quis adſcribatur , qui aliqua ſcripſerit eidem adverſantia in materia Fidei aut morum ; tum quia in examine doctrinæ poſſent Reviſores notare , quæ nota digna ſunt , poſſent dicere , Auctorem in hoc aut illo peccaſſe , ſed ei ignoſcendum , cum omnia ſubmiſerit Eccleſiæ judicio : & quatenus , dependendo ab hujuſmodi relatione , permitteretur progreſſus ad ulteriora in cauſa , nemo eſt qui non videat , quodcumque ceſſare periculum de ſana doctrina intervertenda ; tum quia ſolus unanimis SS. Patrum conſenſus in explicatione ſacræ Scripturæ , & in re pertinente ad Fidem bonoſque mores eſt ſignum *a poſteriori* (ut loquuntur Scholæ) & *infallibile* teſtimonium Divinæ revelationis , & ille ſolum certum & *irrefragabile* Theologo ſuppeditat argumentum . Unde S. Auguſtinus *tom.* 2. *oper. epiſt.* 82. *num.* 3. *ad Hieronymum* inquit : *Ego enim fateor charitati tuæ , ſolis eis Scripturarum libris , qui jam Canonici appellantur , didici hunc timorem honoremque deferre , ut nullum eorum Auctorem ſcribendo , aliquid erraſſe , firmiſſime credam ... alios autem ita lego , ut quantalibet ſanctitate doctrinaque præpolleant , non ideo verum putem , quia ipſi ita ſenſerunt , ſed quia mihi vel per illos Auctores Canonicos , vel probabili ratione , quod a vero non abhorreat , perſuadere potuerunt* . Quod ipſum repetit *epiſt.* 93. *cap.* 10. *& lib.* 3. *de Peccatorum meritis cap.* 7. *& lib.* 2. *contra Fauſtum cap.* 5. Concordat S. Vincentius Lirinenſis *in commonit. num.* 39. ubi : *Sed eorum duntaxat Patrum ſententiæ conferendæ ſunt , qui in Fide & Communione Catholica ſancte ſapienter conſtanter viventes docentes & permanentes , vel mori in Chriſto fideliter , vel occidi pro Chriſto feliciter meruerunt . Quibus tamen hac lege credendum eſt , ut quidquid vel omnes vel plures uno eodemque ſenſu manifeſte frequenter , perſeverante velut quodam conſentiente ſibi Magiſtrorum concilio , accipiendo tenendo tradendo firmaverint , id pro indubitato certo ratoque habeatur : quidquid vero , quamvis ille Sanctus & doctus , quamvis Epiſcopus , quamvis Confeſſor & Martyr , præter omnes , aut etiam contra omnes ſenſerit , id inter proprias & occultas & privatas opiniunculas a communis & publicæ ac generalis ſententiæ auctoritate ſecretum eſt ; ne cum ſummo æternæ ſalutis periculo , juxta ſacrilegam Hæreticorum & Schiſmaticorum conſuetudinem , univerſalis dogmatis antiquæ veritate dimiſſa , unius hominis novitium ſectemur errorem* . De unanimi quoque Patrum conſenſu loquitur Concilium Tridentinum *ſeſſ.* 4. *in decreto de editione & uſu ſacrorum Librorum* , ubi : *Præterea ad coercenda petulantia ingenia decernit , ut nemo ſuæ prudentiæ innixus in rebus Fidei & morum ad ædificationem doctrinæ Chriſtianæ pertinentium ſacram Scripturam ad ſuos ſenſus contorquens contra eum ſenſum , quem tenuit & tenet ſancta mater Eccleſia , cujus eſt judicare de vero ſenſu & interpretatione Scripturarum ſanctarum , aut etiam contra unanimem conſenſum Patrum ipſam Scripturam ſacram interpretari audeat ; etiamſi hujuſmodi interpretationes nullo unquam tempore in lucem edendæ forent* . Idque de eodem unanimi Patrum conſenſu ad differentiam unius vel alterius , necnon aliquorum , reliquis contradicentibus , firmant Melchior Canus *lib.* 7. *de loc. Theol. cap.* 3. Natalis Alexander *hiſtor. Eccleſ. ſæc. II. diſſert.* 16. Penia *in comment. ad* 2. *partem directorii Inquiſitorum Eymerici quæſt.* 2. *comment.* 27. Annatus *in appar. ad Theol. lib.* 4. *art.* 3. & Cardinalis Gotti *Theol. tom.* 1. *quæſt.* 3. *de loc. Theol. dub.* 7. §. 2.

13. Hæc tamen dicta ſint diſputationis gratia , quia , ſicuti conſideranti patebit , ſunt extra rem , & veritas eſt in oppoſito . Sunt autem extra rem primo , quia non agitur de aliquo homine adſcribendo inter Hæreticos , vel puniendo tanquam Hæretico , quo ſenſu procedunt ea , quæ ſupra dicta ſunt de pertinacia errori conjungenda ; ſed quæſtio noſtra reſpicit progreſſum ad ulteriora in cauſa Beatificationis Servi Dei , qui aliqua ſcripſit , in quibus erravit contra Eccleſiæ definitiones : ſecundo , quia , ſi in aliquo rei eventu pia mater Eccleſia ignoſcendum eſſe cenſuit ignorantiæ & ſimplicitati nonnullorum proborum virorum , quos ab albo Hæreticorum excluſit , ex hoc tamen inferri non poteſt , eodem modo eſſe procedendum in omni alio , licet ſimili , eventu , & multo minus in cauſa voluntaria , & minime neceſſario definienda , qualis eſt illa Beatificationis & Canonizationis . Et ideo , perpenſis allegatis exemplis , bene ſubdit Thomaſinus *tom.* 1. *diſſert.* 13. *in Concil. num.* 35. *Itaque non quorumlibet eſt , ut ſibi , ſed Eccleſiæ judicium atque arbitrium eſt , ut quibus conducit , & quamdiu conducit , hæc infantiæ blandimenta , hæc diſpenſationis lenocinia adhibeantur . Iſta enim jam non ſimplicitas , ſed calliditas , non ruſticitas & hebetudo , ſed ſimulatio & impudentia foret ſimplicitatem prætendere , ruſticitatem allegare ad errandi fallendique licentiam aſſequendam . In exemplis ſuprapoſitis emicabat , totam diſpenſandi prudentiam poteſtatemque , non errantibus , ſed uni Eccleſiæ moderandam regendamque incubuiſſe* . Veritas deinde eſt in oppoſito ; quandoquidem verba decretorum ſæpius relata ſunt hæc : *Non prius eſt ad aliquem actum inquiſitionis deveniendum , quam tales libri diligenter in ſacra Congregatione examinentur , utrum contineant errores contra Fidem vel bonos mores , vel doctrinam aliquam novam & peregrinam atque a communi ſenſu Eccleſiæ & conſuetudine alienam* . Cumque prædicta verba velint , judicium eſſe ferendum de qualitate propoſitionis , ut eſt in ſe , & *abſtractive* ab intentione proferentis ; hinc eſt , quod juxta legem eorumdem decretorum non poterit ad ulteriora procedi , ſtatim ac conſtat , Dei Servum aliquid ſcripſiſſe continens errores contra Fidem vel bonos mores , & contra communem Eccleſiæ ſenſum , etiamſi hæc inſcienter ac bona intentione conſcripſerit : id quippe ſuffragari quidem poterit , ne ipſe ex defectu pertinaciæ ſit inter Hæreticos adſcribendus , ſed propoſitionem , ut eſt in ſe , non poterit eximere a nota ſeu qualitate propoſitionis condemnandæ tanquam hæreticæ ; uti bene adnotarunt inter antiquiores Occam 1. *part. dialog. lib.* 2. *cap.* 11. Cardinalis Turrecremata *lib.* 4. *part.* 2. *cap.* 3. Hadrianus *in* 4. *ſent. quæſt.* 1. Alphonſus de Caſtro *lib.* 1. *de juſta Hæretic. punit. cap.* 1. & inter Recentiores Cardinalis de Lugo *de Fide diſput.* 20. *ſect.* 3. *num.* 74. Del Bene *de inquiſit. tom.* 2. *dubit.* 268. *num.* 3. *& ſeq.*

& seq. Dandin. *de suspectis de hæresi cap. ultim. sect. 2. subsect. 1. num. 16. & 17.* Præterquamquod, aliter ratiocinando, sequeretur absurditas, quia sequeretur, eludens quodammodo esse judicium de libris compositis a Dei Servis, de quorum agitur Beatificatione & Canonizatione; cum a multo tempore nullus Catholicus sit, qui non protestetur, se omnia scripta sua supponere Ecclesiæ judicio emendanda. Neque urget, quod nullum in sanam doctrinam præjudicium derivari posset, si Revisores adnotarent adnotanda, & demandaretur processus ad ulteriora, eo quia Scriptor se submisit Apostolicæ Sedis censuræ: id enim decretis adversatur, quæ prohibent, ne ad aliquem actum inquisitionis deveniatur, si errores in scriptis reperiantur: & multo quidem minus id urget, refragante exemplo causæ Abbatis Joachimi, tum quia de legitimo ejus cultu nunquam est judicium apud sanctam Sedem institutum, tum quia, cum Historici referant Monachos fuisse ad Urbem missos pro obtinenda delegatione Episcoporum, qui in ejus asserta miracula inquirerent, nec ullum adsit vestigium delegationis obtentæ, tantum abest, ut hoc exemplum prosit, ut potius obstare dicendum sit. Quatenus autem opponatur, doctrinam contra Fidem & bonos mores traditam, sed ante obitum sufficienter sincere & voluntarie retractatam non obstare, quemadmodum supra dictum est, non deest congrua responsio; cum doctrina dicto modo retractata perinde se habeat, ac si nunquam tradita fuisset: quod prædicari non potest de doctrina erronea nunquam retractata, quamvis submissa fuerit Ecclesiæ judicio.

CAPUT TRIGESIMUMQUARTUM.

De libris, sive operibus Servorum Dei, quæ reperiri non possunt, & de aliis, quæ iisdem falso aliquando adscribuntur.

1. CONSTAT aliquando vel ex titulis, vel ex Historicis, opera fuisse a Dei Servis conscripta, quæ tamen reperiri non possunt. Porro in hoc rei eventu id sacræ Congregationi est exponendum; quæ, si opera sint extra Urbem, dare consuevit litteras Episcopis locorum, ut vel ipsi exquirant libros, de quibus agitur, vel perquiri faciant a suis Vicariis Generalibus, ceterisque personis in Ecclesiastica dignitate constitutis. Ita autem, ut cetera prætermittantur, factum fuit in causa Papien. Servi Dei nunc B. Alexandri Saulii, uti colligitur ex decreto edito die 15. Maji 1694. & in causa Servi Dei Bernardini Realini datæ fuerunt litteræ *encyclicæ* per varias regiones cum facultate compellendi juris remediis Religiosos Societatis Jesu ad notificandam & exhibendam quamcumque scripturam Servi Dei, quam in forma autographa seu *originali* penes se retinerent; quemadmodum desumitur ex decreto edito die 10. Decembris 1707.

2. Episcopi autem, vel Ordinarii locorum, statim ac litteras receperint sacræ Congregationis, ut sibi commissum munus recte adimpleant, subdelegant Vicarium Generalem, aut aliam personam in dignitate Ecclesiastica constitutam, quatenus per se ipsos perquisitionem facere nolint aut nequeant. Secundo, deligunt Notarium non Curiæ laicæ, sed Ecclesiasticæ, qui perquisitioni assistat. Tertio, monent Promotorem Fiscalem, ut omnibus interfit. Quarto, idem Ordinarius, si per se ipsum procedat, sin minus, persona subdelegata, Notarius, & Promotor accedunt ad illas bibliothecas & ad illa archiva, in quibus probabile est, opera, quæ perquiruntur, existere. Quinto, vocantur archivorum & bibliothecarum Inspectores, *Archivistæ & Bibliothecarii* nuncupati, tum qui tempore perquisitionis illud officium exercent, tum alii (si possibile sit) qui præterito tempore illud exercuerint, iidemque interrogantur de peritia, quam habent, librorum & monumentorum in archivo aut bibliotheca existentium, & num sciant, ibidem esse opera Servi Dei. Sexto, si archivum aut bibliotheca sint in aliquo Conventu, aut monasterio Regularium, aut Monachorum, vocantur etiam & interrogantur Superior & duo seniores Patres Conventus, aut monasterii. Septimo, si deposuerint, se peritiam habere sufficientem archivi aut bibliothecæ, sed se nescire, ibi conquisita opera existere, dictum suum firmant juramento. Octavo, interrogantur, num sciant, opera esse in aliquo alio loco, & num eadem habeant vel habuerint unquam penes se: &, si respondeant, se nescire, nec habere aut habuisse penes se, jurant, se nec habere, nec dolo desiisse habere, & se nescire, penes quem existant. Nono, si nihil a testibus deduci valeat, Judex jubet, perquiri archivum aut bibliothecam; & coram Notario ac Promotore perficietur aut una aut pluribus sessionibus accurata perquisitio. Decimo, ultra bibliothecas & archiva, ubi putabantur opera adesse posse, non omittuntur diligentiæ in tota urbe & diœcesi, exponendo videlicet publica edicta, in quibus quicumque operum detentores sub debitis pœnis, & etiam sub commination e censurarum admonentur de iis tradendis. Undecimo, si his aliisve diligentiis opera adinveniantur, ipsa recognoscuntur, an sint integra, numerus etiam paginarum describitur; &, si opera sint manuscripta, quæritur, utrum haberi debeant, necne, pro autographis seu *originalibus*. Duodecimo, tum opera adinventa, tum instrumentum publicum omnium eorum, quæ in perquisitione facta sunt, mittuntur ad sacram Congregationem. Decimo tertio, si opera, non obstantibus his diligentiis supra relatis, adinveniri non possint, ad sacram Congregationem mittitur instrumentum de ipsis, licet incassum, adhibitis diligentiis, quæ tunc demandare solet, ut in causa procedatur ad ulteriora. Si vero perquisitio fieri debeat in Urbe, Promotor Fidei, & Subpromotor præstabunt ea omnia, quæ extra Urbem præstanda sunt ab Ordinario, & a Promotore Fiscali, & Notarius adhibetur sacræ Congregationis: quin immo, si diligentiæ peragendæ sint extra Urbem, in epistola sacræ Congregationis includi solet *instructio* Fidei Promotoris continens capita supra recensita, ne aliquis committatur error in perquisitione, neve, misso processu super diligentiis peractis, sacra Congregatio demandare teneatur, ut ulteriores fiant diligentiæ.

3. Hucusque visum fuit, quid agi debeat, quando constat, opera fuisse a Dei Servo conscripta, eademque non inveniuntur: nunc autem operæ pretium est transitum facere ad aliam *hypothesim*, in qua opera quidem reperiuntur, sed a Postulatoribus contenditur, eadem non fuisse a Servo Dei conscripta aut composita, licet eidem tanquam Auctori attribuantur, vel ejus nomen præseferant.

4. Præmisso itaque, quod ad rem, de qua nunc agimus, probationes debent esse certæ & concludentes; quandoquidem in decretis generalibus ita legitur (ut sæpe vidimus) *nam si scripsisse constiterit*: de ratione quippe conditionis est, ut de ejus existentia doceatur, non per semiplenas & præsumptivas, sed plenas & concludentes probationes; uti adnotarunt Decius *in rubrica de probationibus num.* 155. & Felin. *num.* 3. & prosequitur Rota *decis.* 1453. *num.* 9. *& seqq. coram Penia*; & de aliqua re constare dici non potest, nisi tali modo probata sit, ut nullus in mente Judicis relictus sit locus suspicandi aut dubitandi de opposito, juxta Bartolum *in l. Admonendi, num.* 23. *ff. de jurejurando*, & in nostris terminis Matthæuccius *in Officiali Curiæ cap.* 47. præsens controversia respicere potest opera vel manuscripta, vel typis edita.

5. Si tractetur de operibus manuscriptis, sive ea adscribantur Servo Dei tanquam Auctori, sive nomen ejus præseferant, vel existunt extra Urbem, & tunc sacra rituum Congregatio imperat per epistolam ad Ordinarium loci scriptam, ut ad Urbem mittantur; vel in Urbe sunt, & demandat Promotori Fidei, ut una cum Notario sacræ Congregationis accedat ad archivum vel bibliothecam, ubi ea extant, eorumdemque traditionem seu *consignationem*, ad juris formam recipiat, tum ad Secretarium deferat. Diligentiæ postea, quæ fiunt, ut veritas eluceſcat, quæque suadentur a Fidei Promotore in sua *instructione* vel extra Urbem mittenda, vel in Urbe adimplenda, juxta varios casus, sunt hæ, quæ sequuntur. Primo, inspicitur, an in codice habeatur subscriptio Notarii reddentis testimonium, vel Dei Servum propria manu scripsisse, vel Amanuensi dictasse. Si enim aderit hæc subscriptio, concluditur opera fuisse ab eodem conscripta vel dictata, ideoque necessario esse revidenda, uti bene adnotavit Pater Augustinus Matthæuccius *loc. cit. cap.* 47. *num.* 34. Secundo, deficiente prædicta Notarii subscriptione, exquiritur; an aliqua scriptura certa Servi Dei reperiatur, tunc enim, adhibitis Peritis, per compara-

UAB Biblioteca de Ciències Socials

parationem facile est recognoscere, an opus sit re vera Servi Dei: de qua recognitione per comparationem habebitur sermo, quando tractabitur de compulsatione scripturarum. Tertio, si res non sit de opere admodum antiquo, & adhuc possibile sit testes vivere, quibus nota sit manus Servi Dei, horum examen recipitur: & de depositionibus testium, quibus nota sit manus, agetur pariter, quando sermo instituetur de compulsatione scripturarum. Quarto, cumulantur adminicula deducta a fama & communi opinione, & ab assertionibus Auctorum, præsertim vero Servo Dei contemporaneorum, ut sciatur, an hi opus controversum existimaverint tanquam certum opus ejusdem Servi Dei: nec enim (uti suo loco explicabitur) recognitio per comparationem, vel per testes manus notitiam habentes concludit propositum, si deficiant adminicula Judici suadentia, opus esse illius, cui adscribitur, vel cujus nomen præsefert. Quinto, vocantur, quatenus haberi possint, & quatenus in re antiqua versemur, viri antiquorum characterum periti, ut videant, an character operis controversi sit character ejus temporis quo Dei Servus vixit. Denique depositiones & relationes Peritorum juramento firmatæ in particularem, qui conficitur, processum inferuntur, ut sacra Congregatio, omnibus ponderatis, & subjecto oculis opere controverso, judicet, an constet, esse Dei Servi, ideoque sit revisioni supponendum, necne. Dum munere fungebar Promotoris Fidei, in sacra Congregatione actum est de resumenda causa B. Humilitatis Abbatissæ & Fundatricis Monialium Ordinis Vallis Umbrosæ: cui ego opposui, opera illius esse revidenda, eademque existere in archivo Monialium S. Salvii civitatis Florentiæ. Responso autem dato a Postulatoribus, quod opera quædam præseferentia nomen Humilitatis essent quidem in dicto archivo, sed non essent autographa seu *originalia* Servæ Dei, sacra Congregatio die 20. Augusti 1712. jussit, ea ad Urbem mitti. Archiepiscopus interea Florentinus, ad quem datæ fuerant litteræ sacræ Congregationis una cum mea *instructione*, tum ut perquireret, an in aliis bibliothecis & archivis civitatis extarent *originalia*, tum ut debito modo mitteret opera, quæ erant in archivo monasterii S. Salvii, simulque inquireret, utrum essent, necne, conscripta characlere Servæ Dei, examinari curavit viros antiquorum characterum peritissimos, qui, prævio juramento, & allatis rationibus ac validissimis conjecturis, testati sunt, characterem unius ex opusculis esse characterem sæculi XV. characterem autem alterius ex opusculis esse characterem sæculi XVI. & idcirco nullum ex ipsis opusculis conscriptum dici potuisse a Serva Dei Humilitate, quæ principium ad summum attigit sæculi XIV. Cumque subsequenter ad Urbem allata fuerint opuscula una cum processu, in quo dictorum virorum examen continebatur, & nonnulli etiam Periti a me in Urbe extra juris solemnitatem interrogati adhæserint opinioni Peritorum civitatis Florentinæ; facta omnium, quæ gesta fuerant, relatione in sacra rituum Congregatione ordinaria, subjectisque opusculis oculis Cardinalium, referente Cardinali Fabrono, dictum fuit die 21. Aprilis 1714. quod procederetur ad ulteriora.

6. Hæc sunt, quæ respiciunt opera Servorum Dei manuscripta, quæ licet præseferant eorum nomen, contenditur tamen a Postulatoribus, quod non fuerint ab ipsis Dei Servis conscripta. Quod si sermo sit de operibus editis & Servorum Dei nomen præseferentibus, quæque pariter dicunt Postulatores non fuisse ab iisdem Dei Servis composita; (nec enim novum est, quod ex malitia vel ignorantia aliqui libri adscribantur alicui tanquam Auctori, & ejus nomine edantur, licet ab eo non fuerint compositi, uti pluribus ostendit Theophilus Raynaudus *oper. t.* 11. *de mal. ac bon. lib. partit.* 1. *erotem.* 10.) onus est eorum, qui sic asserunt, concludentissimis probationibus assumptionem comprobare: urget enim adversus eosdem præsumptio, quod opera sint ejus, cujus nomen præseferunt: & multo magis, si sub eo nomine fuerint typis edita. Pater Mabillonius *de stud. monast. tom.* 2. *cap.* 13. hæc habet: *Hoc tantum adjiciam, tribus videlicet aut quatuor modis comperiri posse, num opus aliquod hujus sit potius, quam alterius Auctoris; nimirum ex manuscriptis, ex uniformitate aut diversitate styli, præsertim vero doctrinæ ac opinionum; ex ceterorum Auctorum testimonio, a quibus dictum opus identidem citatur; tandem ex gestis, quæ in ipso enarrantur. Si enim quatuor istæ conditiones simul occurrant, vix fieri potest, quin ex ipsis dubium omnino resolvatur. Sic ex. gr. si aliqua manuscripta existimatione digna, eaque in primis, quæ magis Auctori coæva videntur, in fronte vel etiam in calce operis nomen ejusdem gerant; si stylus fuerit ubique conformis alteri ceterorum Auctoris operum, sicut & principia ac opiniones; si Scriptores, sive synchroni, sive pene synchroni, ejusdem opus eidem Auctori certo adscribant; si denique nihil gestum in hoc opere legatur, quin cum historia sui ævi concordet: tunc inquam, extra omnem dubitandi rationem absolute dici poterit, opus istud ad Auctorem talem pertinere: secus vero, si aliqua harum conditionum ipsi defuerit, tunc etenim quædam saltem foret suspicandi ratio.* Et postquam nonnulla protulit & docuit super uniformitate, aut diversitate styli, tandem concludit: *Hinc itaque arguitur, non semper styli uniformitatem, aut diversitatem argumento nobis esse ineluctabili ad judicandum de legitimo alicujus operis Auctore, nisi conditiones reliquæ ac conjecturæ intersint jam recensitæ.* Probationes autem & conjecturæ, quæ favere possunt Postulatoribus contendentibus, opus editum non esse Servi Dei, cui adscribitur, in sequentibus ut plurimum consistunt: & primo quidem, si in opere afferatur auctoritas alicujus, qui floruerit post obitum Servi Dei, tunc opus censeri non potest ipsius, licet ejus nomen præseferat. Secundo, si in opus insertæ sint relationes rerum, quæ contigerunt post tempora Dei Servi, hinc etiam conjicitur opus non esse ejus, cui adscribitur, sed esse apocryphum, vel interpolatum. Tertio, si vocabula nova, hoc est posteriori tempore determinata sæpius usurpentur ab eo, qui dicitur Auctor operis, & qui est superioris ætatis, hujus Scriptoris opus suspicionem quamdam afferre dicendum est vel falsæ adscriptionis, vel interpolationis. Quarto, si fabulæ aniles & narratiunculæ quædam abhorrentes ab ingenio & doctrina Servi Dei inveniantur in opere, cujus ipse dicitur Auctor, dubitari rationabiliter poterit de suppositione, vel interpolatione. Quinto, si, post impugnatam aut voce, aut aliis scriptis nullam admittentibus controversiam aliquam Hæresim, porro Hæresis admittatur, aut propugnetur in opere, de quo quæritur, an fuerit, necne, compositum a Dei Servo, opus ipsum erit apocryphum reputandum. Sexto, si contemporanei Auctores aliorum operum meminerint, non meminerint autem ejus operis, de quo inquiritur, an fuerit, necne, editum a Servo Dei, legitima hinc derivabitur suspicio, non esse opus ejus, cujus nomen non habet. Plura afferri possent pro hac assumptione comprobanda, sed satis esse poterit exemplum operum, quæ a Jacobo Solanio B. Sixto III. Papæ & Martyri adscribuntur; quod falso fieri contendunt Lindanus, Baronius, & Possevinus, ut habetur *tom.* 7. *Biblioth. PP. pag.* 804. tum quia plura in eis sunt, quæ sapiunt hæresim Pelagianam, quam pluribus dictus Pontifex impugnaverat, tum quia nullus Antiquorum Sixtum recognoverat uti dictorum operum Auctorem. *Qui potest esse verisimile, ut S. Sixtus Pelagianorum acerrimus hostis, & ejus Hæresis validissimus profligator .... in his opusculis tanta consentanea Hæresi Pelagianorum conscripserit?* Et paulo antea: *Nec Gennadius, nec ullus Antiquorum reperitur, qui vel nutu tantum, vel per levem suspicionem innuat, Sixtum III. harum scriptionum Auctorem esse.* Quibus concordat Cardinalis Bellarminus *de Scriptor. Ecclesiast. pag.* 165. *Extat præterea ... sub nomine Sixti III. Pontificis liber de divitiis, & alter de castitate, & epistola de malis Doctoribus; quæ tria volumina falso adscribuntur Sixto Pontifici, cum sint plena erroribus Pelagianorum. Sixtus enim, cum adhuc Presbyter esset, prius damnavit Pelagium; unde est epistola* 105. *Augustini ad Sixtum: ac deinde magno zelo Pelagianos insecutus est, ut testatur Prosper.* Eadem omnia considerari quoque poterunt in examine operum manuscriptorum, quæ nomen Servi Dei præseferunt, sed quæ Postulatores ajunt non fuisse ab eodem composita, ut antea dictum est. Ideoque concludendo, si ex circumstantiis, si ex conjecturis supra ponderatis, & aliis pluribus, quæ cumulari possent, sacra Congregatio induci potest ad credendum, opus non esse Servi Dei, vel non constare ejusdem esse, tunc proceditur ad ulteriora, nec est locus examini dicti operis. Contra autem, si, non obstantibus his, quæ a Postulatoribus afferuntur, sacra Congregatio reputet, opus esse re vera Servi Dei, cujus nomen habet, id est examini supponendum, ut videatur, an aliquid in eo contineatur, quod sit contra Fidem, aut bonos mores, vel contra doctrinam ab Ecclesia receptam.

7. Finis argumento hic imponitur exemplis causarum in sacrorum rituum Congregatione discussarum. Primum contigit in causa S. Jacobi de Marchia, in

qua,

qua, præter quæstionem supra memoratam de sanguine Christi, alia excitata est controversia adversus ejusdem doctrinam contentam in libro, qui antea non fuerat examinatus, & cujus notitia ad dictam sacram Congregationem devenit post causam non modo introductam, sed dum ad exitum properabat. Doctrina, quæ Revisores, & sacram Congregationem in oppositas adduxerat sententias, continebatur in quodam opusculo manuscripto ad formam dialogi compositio adversus Fraticellos. Hunc Wadingus *in syllabo Scriptorum Ordinis* confectum dixit a S. Jacobo, & ab eo nonnulla desumpsit *in suis annalibus tom.* 10. dum *ad an.* 1426. refert fraudes & dolos Fraticellorum, & præclarissima Sancti gesta adversus eosdem: itemque *in chronologia historico-legali Seraphici Ordinis Fratrum Minorum Neapoli typis impressa tom.* x. *pag.* 120. non solum legitur prædictum Sanctum fuisse deputatum Inquisitorem generalem adversus Fraticellos, verum etiam plura ex dialogo verba desumpta dignoscuntur. Dialogus, quo usus fuit Wadingus, repertus est in bibliotheca Fratrum Minorum Hibernorum S. Isidori de Urbe, in qua etiam ceteri sunt codices tum manuscripti, tum formis impressi, quibus Wadingus usus est in confectione annalium Ordinis. Sanctæ autem memoriæ Clemens Papa XI. dialogum prædictum ad se deferri jussit, & duos elegit viros qualibet exceptione majores, in dignoscendis antiquis characteribus peritissimos, & magni profecto nominis inter Italiæ Litteratos, bonæ videlicet memoriæ Alexandrum Zaccagnium Primum Custodem Vaticanæ bibliothecæ, & Justum Fontaninum Archiepiscopum Ancyranum, ut suum judicium exponerent de prædicto dialogo manuscripto, an re vera dicendus esset a S. Jacobo conscriptus. Dialogus Jacobi nomen præseferebat, addito titulo *Beati*: idque satis ostendebat, eum non fuisse ab eo, cujus nomen præseferebat, conscriptum, quippe qui se ipsum Beati titulo non decorasset. Sed, quia opus esse poterat ab eo conscriptum, & operis titulus post ejus obitum aliunde mutatus, aut additus, hinc egregii illi viri ad alia transeuntes strictius quæstionem assumpserunt. Uterque silentium duorum fere sæculorum ponderavit; nec enim ante Wadingum aliquis repertus est, qui S. Jacobum prædicti dialogi dixerit Auctorem, uterque demum sensit, dialogum non esse autographum sive *originalem*, characterem primæ paginæ differre a charactere aliarum paginarum, & plerasque additiones non una eademque manu, nec manu Auctoris dialogi esse conscriptas. Quia vero Alexander Zaccagnius in codice *fol.* 66. hæc verba invenit, quæ suspicatus est manu S. Jacobi exarata, *Utrum baptizandi sint filii Infidelium, seu hæreticorum, & post Baptismum restituendi parentibus viventibus secundum ritum ipsorum Infidelium, seu Hæreticorum, & maxime in Bosna, ubi sunt Infideles, Hæretici, & Pagani, hunc articulum scripsi Papæ & Concilio congregato in Basilea anno* 1436. *die* 12. *Januarii*; factaque comparatione characteris horum verborum cum charactere quarumdam additionum dialogi, in quibus continebatur doctrina, quæ ansam dederat controversiæ, in eam descendit opinionem, probabile videlicet esse, quod, licet opus non esset autographum, additiones nihilominus prædictæ ad marginem esse possent conscriptæ manu S. Jacobi; necesse fuit Justo Fontanino assertionem hanc ad examen revocare. Cumque ingenue is admisisset, characterem verborum esse unum & eumdem cum charactere dictarum additionum, dixit sibi tamen tutum non videri, quod character verborum esset character S. Jacobi: in quo rerum themate tota corruebat assertio Zaccagnii, cum in judicio comparationis characterum constare debeat de certitudine characteris, in quo fundamentum comparationis constituitur. Quod ut planum faceret, ponderavit primo, verisimile haud esse, S. Jacobum, qui pro sua ætate vir erat Divina scientia doctissimus, solutionem ignorasse quæstionis de filiis Infidelium, seu Hæreticorum baptizandis, & an post Baptismum parentibus essent restituendi; quæ fuerat ab antiquioribus Theologis pertractata, & apud Scholasticos notissima. Ponderavit secundo, Concilium Basileense iterum celebrari cœpisse anno 1436. Sessio quippe vigesima tertia celebrata fuit die 25. mensis Martii ejusdem anni: cumque nec in ea, nec in sequentibus unquam actum fuerit de quæstione baptizandorum, quacumque dixit probabilitate carere, quod character verborum esset character S. Jacobi. Si etenim quæstionem Concilio proposuisset, de ea in Concilio actum fuisset; si vero minime proposuisset, non scripsisset, se proposuisse. Ponderavit tertio, tuto dici non posse, Sanctum fuisse in Bosna die 12. Januarii 1436. ex qua nempe in Bosna mansione Alexander Zaccagnius inductus fuerat, ut crederet, characterem verborum esse characterem prædicti Sancti. Nam & Sigismundus Imperator eum vocavit ad comitia Bohemorum initio Decembris anni 1435. quippe cum Sigismundi epistola apud Wadingum data sit *in Tata*, quæ erat arx in Hungaria circa Vicegradum, teste Bonfinio *de rebus Hungaricis*, & scripta sit *Sabbato proximo post festum B. Andreæ Apostoli*: & spatio decem mensium occupatus fuit in dictis comitiis, qua de causa nullum ad idem tempus de eo fit verbum apud citatum Wadingum; absolutisque comitiis Bohemorum, jussu Eugenii IV. *mense Septembri anno* 1436. in Austriæ, & Hungariæ partes perrexit, ut Hæreticos Ecclesiæ reconciliaret, teste eodem Wadingo *ad dictum annum*: ex qua temporum supputatione saltem incertum esse Fontaninus demonstravit, S. Jacobum fuisse in Bosna *die* 12. *Januarii* 1436. Denique, quia a nonnullis vis aliqua constituebatur in hoc, quod S. Jacobus in dialogo se ipsum nominaret cum pronomine personæ propriæ *me Fratrem Jacobum de Marchia*; hinc deducentibus dialogum ipsi tanquam vero Auctori esse adscribendum: subdidit Fontaninus eumdem Wadingum *in Scriptoribus Ordinis* tribuisse Beato Odorico Utinensi *chronicon* ms. quod penes se habebat, & in quo Odoricus se eodem modo nominabat, etsi *chronicon* ipsum delatum ad manus Stephani Balutii minime fuerit habitum pro opere genuino B. Odorici, ut idem Balutius ostendit *in vitis Paparum Avenion. tom.* 1. *pag.* 1412. Præterquamquod nemo est qui non videat, usurpari posse ab eo, qui fingit opus, & alii id adscribit, nomen ipsius etiam cum propriæ personæ pronomine; quemadmodum dicunt Jurisperiti de actu per metum celebrato, quippe exprimitur verbis plenam libertatem denotantibus, eum videlicet *qualificari* non posse uti liberum, si aliunde constet de coactu, eo quia metum incutiens non solum ad actum, sed etiam ad falsam qualitatem actus, id est, ad *expressionem* libertatis, adigere potest. Itaque adducta tum a Zaccagnio, tum a Fontanino mirum est qua diligentia fuerint perpensa a san. mem. Clemente XI. quot argumentis erudite de more congestis fuerint illustrata, quotque & quantæ fuerint ab eo propositæ animadversiones super dialogo S. Jacobi, quem præ manibus multo tempore retinere voluit. Cumque sub ea potissimum consideratione, quod nunquam dici poterat constare, eum esse opus sæpe memorati S. Jacobi, quando decreta Urbani exposcunt non verisimilitudinem, non probabilitatem, sed certitudinem, *si scripsisse constiterit*, me tanquam Fidei Promotorem advocasset pro edendo decreto, ut, eo non obstante, ad ulteriora in causa procederetur, veruntamen propter absentiam Cardinalis Gabriellii causæ Relatoris, qui recuperandæ sanitatis gratia in terra Caprarolæ morabatur, ubi etiam deinde mortuus est, ab ejusdem decreti editione abstinuisset; factum est tandem, ut, post Cardinalis obitum negligentibus Postulatoribus causæ progressum, negotium delatum fuerit ad san. mem. Benedictum Papam XIII. cujus Pontificatus initiis resumpta a Postulatoribus causa, factaque summo Pontifici fideli relatione omnium, quæ sub Clemente XI. gesta & dicta fuerant, editum est ab ipso decretum, quod Clemens edere voluerat; assumptaque disputatione super miraculis, quæ post Beatificationem supervenerant, ad S. Jacobi Canonizationem feliciter deventum est.

8. Alterum est exemplum causæ B. Joannis Cantii. Nonnulla scripta ei tanquam Auctori adscribebantur, quæ & inserta fuerunt tanquam ab eo composita in processus factos super ejus cultu immemorabili, virtutibus, atque miraculis: itemque Auctores Poloni eadem scripta tanquam scripta Beati passim commemorabant; Simon videlicet Stravolscius, qui scripsit anno 1625. & Adamus Optatovius, qui scripsit anno 1628. Verum, cum in causæ decursu necesse fuerit examini subjicere eadem opera, cumque multæ propositiones in eis inventæ fuerint sanæ doctrinæ nequaquam cohærentes; in mentem venit Postulatoribus perpendere, an opera, quæ ab ipsis & ab aliis fuerant adscripta Beato Joanni Cantio, essent re vera opera ejusdem Beati.

9. Animadversum itaque fuit, Beatum natum fuisse anno 1397. & tantum Historicos ab ejus tempore valde remotos asseruisse, quod opera essent B. Cantii, silentibus antiquis, & signanter Martino Bielleski; qui, cum ejus vitam & Acta illustranda suscepisset, nullum de scriptis verbum fecit. Schedula quoque certi characteris Beati inventa est; factaque per pertissimos & diligen-

tissimos Scriptores comparatione characteris schedulæ cum charactere operis, deprehensum est, unum ab altero maximopere differre. Insuper ex catalogo Professorum Universitatis Cracoviensis, duos Joannes Cantios per unum idemque tempus fuisse, collectum est; ita uti incertum saltem esse deberet, utri ex ipsis opera de quibus agebatur, essent tanquam Auctori adscribenda.

10. Redacta porro ad hunc articulum controversia, subdiderunt Postulatores, probabilius esse, quod opera deberent adscribi alteri Joanni, & non B. Joanni Cantio. Quod ut planum facerent, demonstrarunt, Auctorem operum controversorum ea scripsisse, ut ipse in operibus testabatur, in schola loci Micoviæ, dum esset hujus Rector; eumdemque in nonnullis locis se inscripsisse cum cognomine *Maleus*, *alias Kanti*, & alibi cum cognomine *de Martha:* quando de B. Joanne nemo unquam scripserat, eum Rectorem fuisse prædictæ scholæ loci Micoviæ; neque idem ipse ullum aliud habuit cognomen præter Cantium. Denique Auctor in operibus scripsit, se nonnulla ex eis expleviss anno 1454. quo tempore agebat ætatis annum sexagesimum quartum, alia autem compleviss anno 1461. dum ageret annum septuagesimum primum, ubi, retento themate nativitatis Beati, quæ ex supradictis contigerat anno 1397. unusquisque facile videre poterat, annos vitæ suæ expressos ab Auctore operum non concordare cum vera ætate Beati. Ex his igitur aliisque pluribus conjecturis & circumstantiis, disputato in sacrorum rituum Congregatione die 16. Septembris 1730. dubio, *An constaret, asserta opera, de quibus agebatur, esse B. Joannis Cantii*; responsum fuit, me audiente & suffragante, utpote uno ex Cardinalibus dictæ Congregationi adscriptis, *Non constare, esse opera B. Joannis Cantii, & posse procedi ad ulteriora*; & decretum editum est sequentibus verbis: *Cum ad provehendam Canonizationis causam B. Joannis Cantii ob sanctitatis & miraculorum celebritatem in Poloniæ regno speciali populorum devotione ac frequentia venerati ejus Postulatores impensius incumberent; nonnulla autem opera in processu Apostolico compulsata ejusdem causæ progressui obstarent: licet perperam a quibusdam Auctoribus, non tamen contemporaneis, eidem Beato assignata, ex ipsismet operibus apparere posset, nihilominus, ut in re tanti momenti nedum cautius, sed etiam tuto prorsus procederetur, sacra Congregatio die 20. Martii 1728. mandavit, audiri Promotorem Fidei, ac subinde Eminentiss. & Reverendiss. Dominus Cardinalis Picus Ponens, ne quid vel minimum exactiori diligentiæ ad assequendam veritatem deesset, opera omnia originalia, & folia aliqua, si quæ essent, certo Beati charactere inscripta sibi a Polonia transmitti curavit. Romam igitur perventis operibus decem volumina complectentibus una cum Albo illius temporis Universitatis Cracoviæ, quod genuinum Beati characterem continet, ac insuper catalogo originali Doctorum, inter quos non solum Beatus, qui ejusdem Universitatis Theologiæ Lector & Decanus extitit, sed alter etiam Joannes Cantius recensetur, qui eodem tempore vixit: iisque omnibus tum R. P. D. Fontanini Archiepiscopi Ancyrani antiquorum characterum peritissimi, tum quatuor peritiorum Urbis Scriptorum disquisitioni subjectis, ut cognoscerent ac referrent, an dicta opera vere Beati manu descripta esse constaret; atque attente ac omnimoda cum diligentia recognitis illustratis atque perpensis; comperto etiam, neque locum, ubi Auctor operum, neque annos suæ ætatis, in quibus non semel se scripsisse memorat, cum locis, in quibus Beatus vitam duxit, ac tempore, quo ipse ortus fuit, ullatenus convenire, pluribusque aliis ex ipsismet operibus deductis argumentis: eadem sacra Congregatio, audito Reverendiss. Archiepiscopo Philippensi Promotore Fidei tam in voce quam in scriptis, & præfati Reverendiss. Archiepiscopi Ancyrani, necnon prædictorum Peritorum relationibus, omnibusque aliarum rationum momentis hinc inde allatis mature ac sedulo examinatis atque discussis, censuit atque decrevit, non constare, opera, de quibus agitur, esse Beati; & ideo procedi posse ad ulteriora, si Sanctissimo Domino nostro visum fuerit. Die 16. Septembris 1730. Factaque deinde per me Secretarium de prædictis Sanctissimo Domino nostro relatione, Sanctitas sua benigne annuit, die 20. ejusdem mensis & anni 1730.*

11. In superioribus aliquid dictum est de commentariis Benedicti XI. *in cap. 5. Matthæi*, quæ fuerunt in sacra Congregatione revisa & examinata. Itaque opus illud editum est nomine Benedicti XI. etsi fortasse ab eo compositum non fuit, sed a Benedicto XII. utpote parva pars commentariorum ab hoc editorum de Matthæi Evangelio; uti recognoscere licet ex magnis dictorum commentariorum voluminibus a capite 1. usque ad 6. inclusive, quæ asservantur in bibliotheca Barberina, & de quibus agit Carolus de Visch *in Biblioth. Cisterc. litt. B.* ubi testatur, ea reperiri in bibliotheca Claravallensi, ut & Casimirus Oudin affirmat *in comment. de Script. Eccles. tom. 2. sæc. XIV. pag.* 892. Verum, quia fortasse Postulatores huic exceptioni innixi non sunt, aut quia fortasse sacra Congregatio existimavit, eam non esse tanti roboris & momenti, ut opus *in cap. 5. Matthæi* typis editum nomine Benedicti XI. esset Benedicto XII. adscribendum, fuit opus illud revisioni suppositum, sicuti dictum est, antequam in causa Benedicti XI. ad ulteriora procedi posset.

12. Tam in hoc, quam in ceteris præcedentibus capitibus relata sunt omnia, quæ a Nobis colligi potuerunt, pertinentia ad judicium revisionis operum a Dei Servis conscriptorum, de quorum Beatificatione & Canonizatione tractatur. Hoc unum pro coronide addendum esse videtur, nunquam posse dici a sancta Sede approbatam Servi Dei doctrinam, sed ad summum dici posse non reprobatam, si Revisores retulerunt, nihil in ejus operibus reperiri, quod adversetur decretis Urbani VIII. & judicium Revisorum fuit a sacra Congregatione approbatum, & a summo Pontifice confirmatum; prædictamque idcirco doctrinam debita cum reverentia posse citra ullam temeritatis notam impugnari, si modesta impugnatio bonis rationibus innixa sit, etiam postquam Dei Servus, qui scripsit, inter Beatos aut Sanctos fuerit relatus. Celebris est responsio Nicolai Monachi in epistola ad Petrum Cellensem, quæ est 9. *lib.* 9. inter epistolas Petri Cellensis: *Sanctus ille Bernardus, quem dicis me debita exuere veneratione... quondam Sanctorum catalogo adscriptus, nuper est in Ecclesia canonizatus, & ab humano judicio exemptus: exemptus inquam est, ne de gloria dubitemus; sed non ut minus de ejus dictis disputemus.*

CAPUT TRIGESIMUMQUINTUM.

De signatura Commissionis in genere.

1. TERMINATO judicio super operum revisione, quatenus Dei Servus opera conscripserit, & eorum habeatur notitia, quemadmodum in superioribus visum est, sequitur *signatura Commissionis*. Signatura autem Commissionis nihil aliud est, quam supplicatio a Postulatoribus summo Pontifici exhibita, & ab eodem admissa atque subscripta, per quam impertitur facultatem Congregationi sacrorum rituum procedendi in causa Beatificationis & Canonizationis alicujus Servi Dei.

2. Sixtus Papa V. in sua Constitutione 74. (*Bullar. ver. tom.* 2.) in qua instituit Congregationem sacrorum rituum, & quinque Cardinales eidem præfecit, usus est his verbis: *Diligentem quoque curam adhibeant circa Sanctorum Canonizationem*: quorum verborum vis importare videtur concessionem facultatis procedendi in dictis causis, ita ut superflua quodammodo appareat hæc Commissio pro unaquaque causa expedienda.

3. Concurrit præterea attestatio Cardinalis Gesualdi facta paulo post editam bullam, quæ inserta est *in vitam S. Hyacinthi* compositam a Fratre Severino de Cracovia Postulatore causæ Canonizationis ejusdem Sancti *lib. 4. pag.* 308. *Ego Alphonsus Cardinalis Gesualdus Episcopus Portuensis fidem facio, quod in duabus diversis audientiis Sanctissimus Dominus noster semel atque iterum mihi expresse demandavit, ut Congregatio sacrorum rituum, cui cognitio de Canonizatione Sanctorum per ejus Constitutionem super erectione quindecim Congregationum editam est commissa, absque alio novæ Commissionis decreto & litterarum expeditione, litteras Serenissimi Regis Poloniæ, omniumque Ordinum regni ad Sanctitatem suam super negotio Canonizationis B. Hyacinthi ex Polonia missas aperiat, & ad actus omnes legitimos, necessarios, & pro expeditione negotii incumbentes procedat, affirmans, ipsam Congregationem sufficienti ad id facul-*

facultate ex dicta Conſtitutione eſſe ſuffultam: quod tamen Sanctitas ſua in Conſiſtorio, ubi de his negotiis referri contigerit, magis ſpecifice declaravit. Igitur, ut pro majori Actorum & proceſſus validitate de hac Sanctitatis ſuæ voluntate, & mandato mihi vivæ vocis oraculo facto conſtet, ita per præſentes mea manu ſubſcriptas, meoque ſigillo obſignatas atteſtor. Romæ die 20. Julii 1589. Ita eſt Alphonſus Cardinalis Geſualdus Epiſcopus Portuenſis.

4. Verum, utcumque hæc ſint, hoc unum certum eſt, poſt inſtitutam Congregationem ſacrorum rituum, ſummos Pontifices conſueviſſe eidem *dirigere Commiſſiones* pro unaquaque cauſa Canonizationis, & de hac re hodie dubitari non poſſe, cum in decreta ſan. mem. Urbani VIII. inſerta ſit formula *Commiſſionis* ſacræ Congregationi *dirigendæ*, ut in cauſa procedere poſſit.

5. Ante inſtitutionem Congregationis ſacrorum rituum, ſi fama increbuiſſet de excellentia vitæ, opinione ſanctitatis, & miraculorum coruſcatione alicujus jam vita functi, & ſummus Pontifex ſæpe fuiſſet per Reges, Principes, ſeu populo certior factus, rogatuſque, ut illum in Sanctorum catalogum referret, re communicata cum Cardinalibus in Conſiſtorio, committebat Epiſcopis, ut inquirerent in genere, & poſt expletam inquiſitionem in genere tranſitus fieret ad inquiſitionem in ſpecie: quibus perfectis, proceſſum examinandum demandabat Auditoribus ſacri palatii, habitaque illorum favorabili relatione, iterum de conſilio Fratrum ut plurimum committebat tribus Cardinalibus, Epiſcopo, Presbytero, & Diacono, ut diligenter examinarent inquiſitionem, probationes, & depoſitiones teſtium, & ſolertiſſime conſiderarent omnia conſideranda, ut alias expoſitum fuit. Cumque nec apud Oſtienſem, nec apud Auctorem, qui rituum formulis præerat circa annum 1347. nec apud Ordinem Romanum Cardinalis Cajetani, nec apud codicem typis impreſſum apud Spelmannum, nec apud Archiepiſcopum Corcyrenſem in libro ſacrarum cæremoniarum ulla habeatur mentio *Commiſſionis* a ſummo Pontifice ſignatæ pro cauſa committenda vel Auditoribus Rotæ, vel tribus ſupradictis Cardinalibus, ſed ſolum in annalibus Eccleſiaſticis plura extent monumenta ſæpe in his ſcriptis allegata Apoſtolicarum litterarum Epiſcopis inſcriptarum, ut in cauſis procederent in genere, aut in ſpecie; fateri neceſſe eſt, reliqua ſupradicta, quæ in Curia fieri debebant, vel vivæ vocis oraculo expedita fuiſſe, vel ad ſummum deſcripta in libris ſacri Conſiſtorii.

6. Inſtituta autem a Sixto V. Congregatione ſacrorum rituum, redactiſque cauſis Canonizationis ad normam rigidi judicii, mos inolevit expediendi Breve, idque dirigendi Congregationi ſacrorum rituum. Quocirca Grattarola *in Actis cauſæ S. Caroli Borromæi* tempore Clementis VIII. *part. 1. cap. 26.* refert, habitam fuiſſe Congregationem ſacrorum rituum ſuper cauſa prædicti Sancti, & in ea ſic fuiſſe concluſum: *Eſſere di neceſſità per fare gli Atti della cauſa giuridicamente conforme alla diſpoſizione de' ſacri Canoni, che ſua Santità commetteſſe queſta cauſa alla detta Congregazione con un Breve ſpeciale, il quale fu poi dato ſotto il dì 24. d' Aprile.* At aliquando in uno eodemque Brevi dabatur a ſummo Pontifice Congregationi facultas procedendi cum in genere, tum in ſpecie; aliquando vero in uno Brevi dabatur facultas procedendi tantum in genere, poſtea, expleto judicio ſuper fama ſanctitatis in genere, aliud Breve expediebatur pro facultate in ſpecie procedendi. Exemplum facultatis in uno eodemque Brevi conceſſæ procedendi cum in genere, tum in ſpecie deſumitur ex Brevibus *Commiſſionis* in cauſis SS. Philippi Nerii, Paſchalis de Baylon, Thomæ de Villanova, & Aloyſii Gonzagæ; exemplum autem duorum Brevium expeditorum, alterius ſc. pro inquiſitione in ſpecie poſt expletum judicium in genere, deſumitur ex cauſa S. Thereſiæ. An. quippe 1604. ſummus Pontifex Clemens VIII. per litteras Apoſtolicas in forma Brevis plenam facultatem impertitus eſt ſacrorum rituum Congregationi *committendi aliquibus Epiſcopis, ut inquirerent de fama, & devotione populi, de miraculis, & aliis denuntiandis ejuſdem Thereſiæ de Jeſu in genere tantum, & non in ſpecie.* Confecto autem a Delegatis proceſſu in genere, eodemque in ſacrorum rituum Congregatione plene examinato, expeditum fuit anno 1607. a ſummo Pontifice Paulo V. aliud Breve, in quo cauſa eidem Congregationi commiſſa fuit pro complenda inquiſitione in ſpecie auctoritate Apoſtolica: *Tenore præſentium injungimus, quatenus iiſdem Abulen. & Salamantino, vel aliis Epiſcopis, aut perſonis in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutis, honeſtis diſcretis & incorruptibilibus committatis, ut veritatem ſuper dictæ Thereſiæ fama, devotione populi, vita, puritate Fidei, miraculis & aliis a ſacris Canonibus requiſitis exacta fideliter & prudenter ſecundum articulos & interrogatoria, quæ vos illis duxeritis tranſmittenda, in ſpecie inquirant, ac, quicquid per inquiſitionem ſpecialem hujuſmodi invenerint, ſuis ſigillis incluſum cauta ad vos tranſmittant; ut deinde, omnibus mature examinatis, an talia ſint, propter quæ ſit hujuſmodi Canonizatio non immerito facienda, diſpicere & decernere juxta ſacrorum Canonum decreta, & ritum Eccleſiæ Catholicæ poſſimus.*

7. Tunc temporis quoque debebant Rotæ Auditores examinare proceſſus, atque referre quid in eis contineretur, an eſſent valide confecti, & an virtutes aut Martyrium & ſigna ſeu miracula eſſent legitime comprobata; quare etiam iiſdem Rotæ Auditoribus Commiſſiones dirigebantur, & in ſcriptis expediebantur a Cardinali Præfecto Congregationis, facto prius verbo cum Sanctiſſimo, & habito ejus oraculo; quomodo factum fuit in cauſis Sanctæ Thereſiæ, & Sancti Aloyſii Gonzagæ. Aliquando etiam hæ Commiſſiones directe Rotæ Auditoribus ſignatæ fuerunt ab ipſis ſummis Pontificibus, ſed ſine Brevis expeditione; & tunc fiebat in ſcriptis relatio ſtatus cauſæ & ſupplicationis, quæ a Poſtulatoribus exhibebatur, ut Auditores in ea procederent, tum in fine apponebantur hæc verba: *De mandato Domini noſtri Papæ audiant præfati Auditores, citent, aſſumant, referant, procedant, ut petitur:* & ſummus Pontifex manu propria ſcribebat, *Placet*, atque ſcribebat in Commiſſionibus primam litteram nominis, quod habebat ante Pontificatum, non autem ejus, quod in Pontificatu aſſumpſerat; uti colligitur ex Commiſſionibus directis Auditoribus Rotæ in cauſis SS. Didaci, & Raymundi typis impreſſis apud Peniam *in Actis earumdem.*

8. Editis poſtea tempore Urbani VIII. decretis generalibus pro directione cauſarum Canonizationis, ceſſavit conſuetudo expediendi Commiſſiones per Breve, atque adeo in eadem decreta inſerta fuit forma Commiſſionis complexiva tum inquiſitionis in genere, tum inquiſitionis in ſpecie, ideoque complexiva totius cauſæ, reſervata tamen ſummo Pontifici facultate demandandi expeditionem Commiſſionum pro unoquoque articulo. Quamobrem in allegatis decretis, relata formula Commiſſionis ſubduntur hæc verba: *Addendum, vel minuendum prædictæ Commiſſioni juxta ſtatum cauſæ, & contingentiam facti, vel formandæ Commiſſiones particulares in unoquoque articulo, prout Sanctiſſimo videbitur.* Porro, ſublatis declamationibus de rebus profanis, quæ fieri ſolebant in Conſiſtorio publico ab aulæ Conſiſtorialis Advocatis, in earumque locum ſubrogatis propoſitionibus cauſarum Servorum Dei, pro quibus iidem Advocati in dictis Conſiſtoriis inſtarent, juxta ea quæ alibi narrata ſunt, cum in primo publico Conſiſtorio poſt dicta decreta, quod habitum fuit die 29. Aprilis 1631. pro tradendo galero rubeo Cardinalibus a Balneo, & Pallottæ, comparuiſſent Joſeph Baila, & Julius de Cinciis Conſiſtorialis aulæ Advocati habentes præ manibus Commiſſiones cauſarum Servarum Dei Annæ a S. Auguſtino, & Dominicæ a Paradiſo; & Baila humiliter inſtitiſſet pro facultate ſacræ Congregationi concedenda procedendi in genere & in ſpecie in cauſa Servæ Dei Annæ a S. Auguſtino, alter autem Advocatus Cincius expoſuiſſet jam a ſacra Congregatione reſponſum fuiſſe in cauſa Servæ Dei Dominicæ a Paradiſo, ut auctoritate Apoſtolica conficerentur proceſſus in genere & in ſpecie, itemque humiliter poſtulaſſet pro facultate procedendi ad ulteriora, & interim permittendi, ut ejus vita typis imprimi poſſet: ſummus Pontifex juſſit, utramque Commiſſionem tradi Tegrimio Epiſcopo Aſſiſienſi ſacræ Congregationis rituum Secretario, eamdemque Congregationem audire & referre; uti legitur in regeſtis tum dictæ Congregationis, tum ſacri Conſiſtorii. In ipſis quoque regeſtis habetur, die 1. Aprilis 1632. habitum fuiſſe publicum Conſiſtorium pro tradendo pileo Cardinalitio Cardinali Paſmani, in eoque Franciſcum Cultellum ſacri Conſiſtorii Advocatum cauſam propoſuiſſe Servi Dei nunc B. Hieronymi Æmiliani Fundatoris Religionis Somaſchæ, & inſtitiſſe pro ſignanda Commiſſione, quam præ manibus habebat; ſummum vero Pontificem, ut ſupra, mandaſſe & reſpondiſſe, inſtante Fidei Promotore, ne ad ſignaturam procederetur, cum in ea ſanatio ſeu remedium poſtularetur pro tollendis de medio nonnullis *nullitatibus*, quæ in proceſſus confectos irrepſerant. Inſuper in

vita B. Jacobi de Mevania compoſita a Baptiſta Piergilio *part.* 4. *cap.* 12. narratur, habitum fuiſſe publicum Conſiſtorium die 19. Decembris 1641. & memoratum Advocatum Conſiſtorialem Cultellum longa oratione, quæ in eadem vita eſt typis impreſſa, virtutes ac miracula Beati plene retuliſſe, & demum ſupplicaſſe, ut poſt jam confectos proceſſus auctoritate ordinaria alii conficerentur auctoritate Apoſtolica; inſtante autem Antonio Cerro Advocato Conſiſtoriali, & Fidei Promotore, ut cauſa, ſervatis ſervandis, diſcuteretur in ſacrorum rituum Congregatione, reſponſum fuiſſe a ſummo Pontifice, ut eadem Congregatio audiret atque referret.

9. At, ſive præceſſiſſet, ſive non, cæremonialis ſupradicta poſtulatio ſeu *inſtantia*, quæ fiebat in publico Conſiſtorio poſt edita Urbani VIII. decreta, ſi agebatur de ſignanda Commiſſione introductionis alicujus cauſæ Beatificationis & Canonizationis, res hoc modo peragebatur. Fiebat Congregatio præparatoria, cui intererant tum Cardinales, tum Conſultores una cum Fidei Promotore, & Secretario; in eaque fiebat a Cardinali Relatore expoſitio omnium, quæ continebantur vel in proceſſibus ordinariis, ſi eorum apertio facta fuiſſet, vel in aliis *extrajudicialibus documentis*; & quatenus ex eis viſum eſſet, ſufficientem deſumi famam ſanctitatis vitæ, & virtutum, ſeu Martyrii, aut miraculorum, decernebatur, ut in prima Congregatione generali cogenda coram ſummo Pontifice Commiſſio eidem præſentaretur: tum, expoſito per eumdem Cardinalem Relatorem in prædicta Congregatione generali eidem ſummo Pontifici ſenſu omnium contentorum vel in proceſſibus, vel in aliis *extrajudicialibus* documentis una cum poſtulationibus Principum pro Canonizatione ſupplicantium, ſi fama ſufficienter probata videbatur, Pontifex Commiſſionem manu ſua ſignabat. Conſuetudo hæc comprobatur ex his, quæ leguntur in regeſtis ſacræ Congregationis pro cauſa Servi Dei Alexandri Luzaghi. En verba regeſtorum: *Retulit Eminentiſs. Aldobrandinus in compendium redacta contenta omnia in proceſſu auctoritate ordinaria ſuper fama ſanctitatis, virtutum, & miraculorum. Sacra Congregatio juſſit, in proxima Congregatione coram Sanctiſſimo habenda referri Commiſſionem ſuper introductione cauſæ.* Habita autem Congregatione coram ſummo Pontifice, ſic concluditur: *Retulit Eminentiſs. Dominus Cardinalis Aldobrandinus contenta in proceſſu auctoritate ordinaria fabricato ſuper fama ſanctitatis, virtutum, & miraculorum Servi Dei Alexandri Luzaghi nobilis Brixien. necnon Principum inſtantias pro obtinenda Commiſſione inchoationis cauſæ: &, cum viſum eſſet Sanctiſſimo, ſufficientem famam ex proceſſibus relatis reſultare ad effectum ſignandi Commiſſionem, in fine Congregationis Sanctitas ſua eamdem ſibi humiliter porrectam, & a Cardinali Sacchetto referendariatam propria manu ſignavit, die* 19. *Februarii* 1658.

10. Anno 1678. edita demum fuerunt decreta noviſſima ſan. mem. Innocentii XI. poſt quæ aperta fuit via conſuetudini adhuc vigenti, quæ ita ſe habet. Aperto proceſſu auctoritate ordinaria confecto, factaque a ſummo Pontifice electione unius ex Cardinalibus ſacræ Congregationis in cauſæ Relatorem, componitur a Procuratore plena informatio una cum ſummario, quod a proceſſu deſumitur. Communicatur informatio, ſimulque proceſſus cum Fidei Subpromotore, per quem factis neceſſariis adnotationibus, exarantur a Fidei Promotore animadverſiones contra petitionem ſive *inſtantiam* Procuratoris, qui eiſdem animadverſionibus reſpondere tenetur. Proponitur deinde cauſa in ſacra Congregatione ordinaria, prævia Apoſtolica *diſpenſatione*, de qua infra: tum autem, ſi ſacræ Congregationis ſenſus fuerit pro *ſignatura Commiſſionis*, Commiſſio componitur a Procuratore cauſæ, eademque communicatur cum Fidei Promotore, qui addere & ſubtrahere poteſt, quæ ſibi videbuntur addenda & ſubtrahenda, teſtans in calce, ſe eam vidiſſe. Denique Commiſſio exhibetur Secretario ſacræ Congregationis, qui eam defert ad ſummum Pontificem, cui etiam paucis ſententiam exponit Congregationis ſacrorum rituum, in qua fuit diſcuſſum dubium, utrum eſſet locus ſignaturæ ejuſdem Commiſſionis, necne: & quidem, ſi ſummus Pontifex cenſuerit, Commiſſionem eſſe ſignandam, in medio ejus ſcribit verbum *Placet*, addita prima littera ſui nominis, quod habebat ante Pontificatum. Sed & neceſſe eſt in hac Commiſſionis ſignatura prius citare Fidei Promotorem, juxta decretum Congregationis ſacrorum rituum editum die 27. Maji 1645. in quo, cum quæreretur primo, *An Promotor Fidei ſit citandus ad dicendam cauſam, quare Commiſſio generalis ſignari non debeat*; & tertio, *Per quem ſit ſcribendum reſcriptum a Sanctiſſimo ſignandum per verbum Placet in calce Commiſſionis*; ſequentia prodierunt reſcripta: *Quoad primum, fuerunt in voto, amplectendam eſſe affirmativam ſententiam &c. Ad tertium, reſponderunt, eſſe ſcribendum per Sanctiſſimum reſcriptum per verbum Placet in medio Commiſſionis.*

11. Duo tamen in præſenti pro capitis complemento adnotanda videntur. Alterum eſt, quod, licet olim diſputaretur, an a ſignatura Commiſſionis aliquod publici cultus aut venerationis argumentum deſumi poſſet, hodie nihilominus quælibet ceſſat controverſia; cum ex decreto edito die 19. Februarii anno 1658. colligatur, ſignaturam Commiſſionis nullum cultus initium importare, ſed tantummodo efficere, ut peti & obtineri poſſint ſuo tempore & loco litteræ remiſſoriales & compulſoriales pro conficiendis proceſſibus auctoritate Apoſtolica. En verba decreti: *Sanctiſſimus Dominus noſter in Congregatione ſacrorum rituum habita die* 19. *Februarii* 1658. *noviſſimis decretis editis juſſu fel. record. Urbani VIII. ſuper cauſa Beatificationum & Canonizationum ſequentem declarationem addi mandavit, ne per Commiſſiones introductionis, vel reaſſumptionis, ſeu ulterioris progreſſus cauſarum tum ſignatas, tum ſignandas ullam beatitatis vel ſanctitatis, aut martyrii, aut miraculi, veneration is & cultus argumentum vel minimum deſumi, nec aliud quodcumque jus, quantumvis modicum, aut fere nullius momenti, in iiſdem cauſis quæſitum dici vel prætendi poſſit; ſed ipſæ Commiſſiones, præter finem & effectum obtinendi remiſſoriales & compulſoriales tam in genere, quam in ſpecie, gratia probandi articulata, & alia in eiſdem decretis contenta & expreſſa, ſeu alioquin neceſſaria de jure, ad præſcriptum tamen eorumdem decretorum peragenda duntaxat, in reliquis effectu & viribus quibuſvis careant, ac deſtitutæ penitus cenſeantur, nullamque propterea in ordine ad Beatificationem & Canonizationem probationis vim & gradum conſtituant &c.* Et ſane his cohærenter præſto eſt exemplum ſatis in Urbe notum in cauſa Servi Dei Papæ Innocentii XI. in qua licet ſignata fuiſſet Commiſſio introductionis, ipſa tamen minime refragante, anniverſaria Sacra quotannis pro ſuffragio animæ illius coram ſacro Cardinalium cœtu celebrantur in baſilica Vaticana.

12. Alterum eſt, quod ſignata Commiſſione, dicitur ſancta Sedes manum ad cauſam appoſuiſſe: quæ manus appoſitio impedit, ne ullus inferior, & conſequenter etiam Ordinarius, poſſit amplius eidem ſeſe commiſcere, ſeu *in ea ſe ingerere*, juxta textum *in cap.* 1. & 2. *de confirmatione utili, vel inutili; & in cap. In diſtribuendo, de temporibus Ordinat. & in cap. Ut noſtrum, de appellat.* Concordant decreta generalia Urbani VIII. *pag.* 61. *Poſtquam vero Apoſtolica Sedes appoſuerit manum in aliqua ex prædictis cauſis, non poterit Ordinarius amplius in ea quoquo modo ſe intromittere.* Fuit id ipſum etiam adnotatum ante decreta generalia a P. Cepario *in direct. Canonizat. part.* 1. *cap.* 3. itemque ab Auditoribus Rotæ *in relatione S. Andreæ Corſini part.* 3. §. 1. *ſub num.* 212. *Hoc tamen, quod diximus, habendam eſſe rationem proceſſus facti coram Ordinario, intelligendum eſt, niſi Papa jam appoſuiſſet manus, quia tunc non poteſt amplius inferior ſe intromittere.* Idque ſub pœna *nullitatis*, videlicet propter decretum *irritans*, quod *virtualiter* continetur in appoſitione manus Superioris, quodque nullos reddit actus, qui, eo non obſtante, fiunt ab inferiore; quemadmodum habent Gonzal. *ad regul.* 8. *Cancellar. gloſſ.* 51. *n.* 6. Falcon. *de reſervat. quæſt.* 4. *principali effect.* 1. *n.* 4. Murga *de Benefic. quæſt.* 3. *num.* 316. Rota *in Bononienſi*, coram bon. mem. Lancetta, *& in ejuſdem confirmatoria* 16. *Decembris ejuſdem anni* §. *Minus relevat*, coram bon. mem. Omanna. Dictum eſt, ſignata Commiſſione; quia, ſi fieret a Poſtulatoribus petitio ſive *inſtantia* pro ſignatura Commiſſionis, ex defectu autem requiſitorum ſacrorum rituum Congregatio non annueret, ex hoc dici non poſſet Sedes Apoſtolica manum ad cauſam appoſuiſſe, ideoque inhibitum eſſe, quominus Ordinarii in eo procedant,

juxta

juxta fuse probata per Petrum de Quintanilla *in tractatu Hispano super decretis de non cultu §. 19. num. 108. & plurib. seqq.* &, quod caput est, juxta decretum editum in causa Vivarien. Servorum Dei Jacobi Salesii, & Guillelmi Saltamochii, quod est conceptum sequentibus verbis: *In causa declarationis Martyrii Jacobi Salesii, & Guillelmi Saltamochii e Societate Jesu cum in proxima præterita Congregatione habita coram Sanctissimo institum fuisset, ut Commissio introductionis causæ per Sanctitatem suam signaretur; verum sufficientem sumum Martyrii, & causæ Martyrii eorumdem Servorum Dei adhuc desiderari Sanctissimus censuisset, ex quo tunc legitimis probationibus idem sumus percipi nequiret; Postulator ejusdem causæ plenissimo jure putans, re ad Sedem Apostolicam semel producta, per appositionem manus ejusdem Ordinariis locorum facultatem in ea procedendi omnino sublatam esse, institit, ut sacrorum rituum Congregatio remedium aliquod afferre dignaretur; quæ declaravit, mentem Sanctissimi fuisse, Ordinariis non obstare, quin iidem valeant uti sua ordinaria auctoritate. Die 15. Februarii 1659. Et, facta de hujusmodi declaratione Sanctissimo relatione, Sanctitas sua eam prorsus conformem actæ declarationi in prædicta Congregatione asseruit, die 28. ejusdem mensis eodemque anno 1659.*

CAPUT TRIGESIMUMSEXTUM.

De Signatura Commissionis *in causis, quæ post Urbani VIII. decreta introducuntur, & quæ procedunt per viam non cultus.*

1. COMMISSIO introductionis causæ post decreta Urbani VIII. procedentis per viam non cultus importat facultatem examinandi sententiam a Judice ordinario latam super non cultu: quatenus vero ab Ordinario non fuerit confectus processus super non cultu, nec ab eo idcirco lata fuerit sententia super eodem articulo, facultatem importat constituendi Judicem delegatum, qui Auctoritate Apostolica processum faciat de non cultu, & sententiam ferat, de cujus *subsistentia* quæstio postea in sacra Congregatione instituatur. Importat præterea facultatem procedendi primum ad inquisitionem in genere, deinde ad inquisitionem in specie, hoc est super virtutibus, aut Martyrio in specie, & miraculis ante Beatificationem patratis. Sed, sive agatur de Confessore, sive de Martyre, sive de Virgine, sive de nec Virgine nec Martyre, ad obtinendam signaturam Commissionis necessaria sunt, quæ sequuntur.

2. Primum est, quod petitio seu *instantia* pro signatura Commissionis non proponatur in sacrorum rituum Congregatione, nisi elapso decennio a die exhibitionis processus ordinarii factæ eidem sacræ Congregationi; dummodo Apostolica *dispensatio* non intercesserit super decennio non elapso. Secundum, quod hæc petitio non proponatur in sacrorum rituum Congregatione ordinaria, nisi prævia Apostolica concessione; ex dispositione quippe decretorum Urbani VIII. proponenda esset in Congregatione generali coram summo Pontifice. Tertium, quod petitio non proponatur, nisi revisis operibus conscriptis a Servo vel Serva Dei, si scripsisse constiterit. Quartum, quod absint petitiones & supplicationes spontaneæ & repetitæ Regum, Principum, & aliarum personarum authenticarum. Quintum, quod exhibeantur omnes processus auctoritate ordinaria antea confecti. Sextum, quod patente *nullitatis* vitio non laborent ille, aut illi processus confecti super fama virtutum & miraculorum, quorum ope petitur, ut Commissio signetur. Septimum, quod fama virtutum & miraculorum ex illo, vel illis processibus plene comprobata maneat. Octavum, quod nullum adsit obstaculum, quod introductioni causæ adversetur. Ultimum, quod post decennium supra memoratum novæ adveniant litteræ Episcoporum de continuatione & incremento famæ testimonium dicentium.

3. Porro primum requisitum, elapsi videlicet decennii a die exhibitionis processus auctoritate ordinaria confecti, desumitur ex decretis editis tempore fan. mem. Innocentii XI. *Censuit eadem sacra Congregatio, Commissionem non esse signandam, nisi post elapsum tempus decem annorum a die præsentationis processus auctoritate ordinaria fabricati, nisi tamen in aliqua causa ex peculiaribus circumstantiis sacra Congregatio existimaverit, anticipari posse tempus in discussione processuum auctoritate ordinaria confectorum, & Sanctissimus hoc approbaverit.*

4. Quocirca, si Postulatores putent, suæ causæ expedire, ut proponatur petitio super signatura Commissionis ante elapsum decennium, debent suam supplicationem exponere sacræ Congregationi ordinariæ, quæ, si annuat petitis, respondere consuevit pro gratia, si Sanctissimo placuerit. Et hæc quidem gratia sive *dispensatio* sæpissime conceditur: concessa enim fuit in causa Limana Gundisalvi Diaz 17. Junii 1679. in causa Limana Servi Dei Petri de Uraca 30. Septembris 1679. in Vicentina Servi Dei Gelli Ghellini 13. Junii 1682. in Firmana Servi Dei Antonii de Graffis, & in Indiarum Occidentalium Servi Dei Vincentii Vernerii 22. Augusti 1682. in Romana Servæ Dei Claræ Mariæ a Passione 5. Februarii 1684. in Cortonen. Servæ Dei Veronicæ de Laparellis 2. Decembris 1684. in Avenionen. Servi Dei Cæsaris de Bus 2. Junii 1685. in Neapolitana Servæ Dei Ursulæ Benincasæ 14. Junii 1687. in Oxomen. Servi Dei Joannis de Palafox 26. Aprilis 1692. in Corsicen. Servi Dei Bernardini de Calenzana 18. Junii 1695. in causa Servi Dei Nicolai de Deo 18. Februarii 1696. in causa Sancti Flori in Gallia Servæ Dei Sororis Agnetis a Jesu 8. Martii 1704. &, dum munere fungebar Fidei Promotoris *dispensatio* eadem concessa fuit in causa Parisien. S. Vincentii de Paulis 16. Junii 1708. in causa Indiarum Occidentalium Servi Dei Petri a Sancto Josepho 14. Decembris 1709. in Agrigentina Servæ Dei Sororis Mariæ Crucifixæ 9. Maji 1711. & passim in aliis, in causa videlicet Servæ Dei Hieronymæ ab Assumptione die 22. Januarii 1718. in causa Servæ Dei Joannæ Franciscæ Fremiot de Chantal die 13. Maji 1719. in causa Servæ Dei Margaritæ Diomiræ de Verbo Incarnato die 9. Augusti 1721. & in causa Servi Dei Cardinalis Thomasii, uti legitur in ejus vita conscripta per Dominicum Bernium *cap.* 23. ubi refertur epistola sacræ Congregationis de Propaganda Fide, qui gratias agit summo Pontifici, qui prædictam concesserat *dispensationem*. Circumstantiæ autem, in quibus conceditur *dispensatio* a lapsu decennii, consistunt vel in gravi ætate testium examinatorum in processu ordinario, & quorum obitus jure ac merito, labente decennio, timetur, ita ut difficilis & quodammodo *moraliter* impossibilis futura sit eorum repetitio in processu Apostolico subinde conficiendo; vel in magna distantia temporis inter obitum Servi Dei, & constructionem processus ordinarii, uti desumitur ex decreto edito die 14. Octobris 1709. per summum Pontificem Clementem XI. approbato die 9. Januarii 1710. in causa Indiarum Occidentalium Servi Dei Petri a S. Josepho. *Eadem sacrorum rituum Congregatio, attento lapsu annorum 42. ab obitu Servi Dei &c. petitam dispensationem posse concedi, censuit.* In primo quippe casu, testium videlicet, quorum obitus timetur, sibi vindicat locum officium Judicis infra memorandum succurrendi, ne pereant probationes: in secundo casu, magnæ scilicet distantiæ temporis inter obitum Servi Dei, & confectionem processus, cessat ratio, propter quam inducta est lex decennii expectandi, cum edita fuerit ad avertendum periculum, ne testes, qui statim examinantur post mortem Servorum Dei, utpote abrepti ab illa vehementi sanctitatis fama, quæ tunc vigere consuevit, nimis animose deponant; quod inconveniens non videtur ita facile contingere posse, vel quando post decennium testes, qui deposuerunt in processu ordinario, repetuntur in processu Apostolico, vel quando pariter post decennium novi testes in dicto processu Apostolico examinantur.

5. Secundum requisitum petitionis seu *instantiæ* non proponendæ super signatura Commissionis in sacrorum rituum Congregatione ordinaria, nisi prævia Apostolica *dispensatione*, desumitur ex verbis decretorum Urbani VIII. quæ non dant Congregationi ordinariæ, nisi facultatem procedendi super *paritione* decretis de non cultu, vel de casu excepto, super apertione processuum, destinatione, & substitutione Judicum, & aliis hujusmodi: *Permittit insuper Sanctissimus, ut in qualibet ex Congregationibus ordinariis discutiantur & terminentur omnia & singula concernentia declarationem paritionis*

tionis ſupradictis decretis de conſilio Congregationis ſanctiſſimæ Inquiſitionis a Sanctitate ſua editis, aperitionem omnium & ſingulorum proceſſuum, deputationem & ſubrogationem Judicum, & his ſimilia, dumvodo de reſolutionibus habitis ſuper prædictis fiat per dictum Secretarium relatio Sanctitati ſuæ. In regeſtis ſacræ Congregationis plura extant exempla petitionum ſuper ſignatura Commiſſionis, quæ propoſitæ fuerunt in Congregatione generali coram ſummo Pontifice. Sed, cum juxta hodiernam conſuetudinem omnes prædictæ petitiones ſuper ſignatura Commiſſionis proponantur in Congregatione ordinaria, onus eſt Poſtulatorum eidem exhibere ſupplicem libellum, in quo petant facultatem cauſam in ea proponendi ſine interventu Conſultorum. Porro, ſi ſacra Congregatio, ut mos eſt, reſponderit *pro gratia, ſi Sanctiſſimo placuerit*, fit per Secretarium relatio eidem ſummo Pontifici; &, ſi ipſe annuat, uti ſemper annuere conſuevit, expeditur decretum ſuper facultate, & *reſpective diſpenſatione* prædictis. Hujus autem *diſpenſationis* facilitas originem ſuam habuit a difficultate ſæpius cogendi Congregationem generalem coram ſummo Pontifice, & a neceſſitate in ipſa proponendi principaliora dubia de virtutibus, Martyrio, ac miraculis; ita ut in una Congregatione Generali una tantum cauſa ſuper uno ex dictis dubiis proponi poſſit. Ideoque, niſi fuiſſet aperta via proponendi petitionem ſive inſtantiam ſuper ſignatura Commiſſionis in Congregatione ordinaria, prævia *diſpenſatione*, vix ulla introduceretur cauſa Canonizationis; vel, ſi introduceretur, id fieret cum magna temporis jactura, & non exiguo cauſæ damno propter periculum mortis teſtium in proceſſu Apoſtolico examinandorum.

6. Ad tertium requiſitum antecedentis reviſionis operum conſcriptorum a Servo vel Serva Dei, ſi ſcripſiſſe conſtiterit, nihil eſt quod addi poſſit in præſenti cum de eo in ſuperioribus fuſe actum ſit.

7. Quartum reſpiciens poſtulationes & ſupplicationes ſpontaneas, & repetitas Regum, Principum, & aliarum perſonarum authenticarum deſumitur ex Cæremoniali Romano edito nomine Archiepiſcopi Corcyrenſis *ſect. 6. cap. 1. Poſtquam, increbreſcente fama de excellentia vitæ, opinione ſanctitatis, & miraculorum coruſcatione, ſæpe fuerit ſummus Pontifex per Reges, Principes, ſeu populos certior factus, rogatuſque, ut aliquem vita jam functum adſcribendum in Sanctorum catalogo, & venerandum ut Sanctum decernat*: atque ex decretis generalibus Urbani VIII. *Nec prius Sedes Apoſtolica moveri ſolet, quam Reges, Principes, & aliæ perſonæ authenticæ & honeſtæ inſtanter ſupplicaverint ſummo Pontifici &c.* Ideoque ſacra Congregatio in cauſa Pictavien. Servi Dei Roberti de Ambroſello, in qua petebatur ſignatura Commiſſionis, reſpondit die 6. Octobris 1669. expectandas eſſe litteras regias: &, dum munere fungebar Fidei Promotoris, id ipſum dictum eſt in cauſa Servi Dei Petri de Betancur die 27. Februarii 1712. Nec omittendum, quod nomine perſonarum authenticarum, de quibus decreta loquuntur, comprehenduntur ex laicis regnorum, provinciarum, & civitatum Proreges, Præſides & Gubernatores, necnon Conſilia civitatum; ex Clericis vero, ſive Eccleſiaſticis Cardinales Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, Patriarchæ, Archiepiſcopi, Epiſcopi, Capitula Cathedralium, & Collegiatarum eccleſiarum, Academiæ Eccleſiaſticæ, Dignitates, cœtus Regularium, eorumque Superiores Generales.

8. Supplicationes autem & poſtulationes exhibendæ pro impetranda ſignatura Commiſſionis explicare debent magnam ſanctitatis, aut Martyrii famam, & miraculorum, piumque pro impetranda Canonizatione deſiderium, uti ponderat Rocca *de Canoniz. SS. cap. 34. act. 1. tom. 1. oper.* Debent præterea eſſe ſpontaneæ & repetitæ, quales fuerunt profecto illæ, quæ ſummo Pontifici Alexandro III. exhibitæ ſunt a Gerardo Abbate, & univerſo conventu Claravallenſi pro Canonizatione S. Bernardi, ut habetur in ejus Decretali ad prædictos; & quales etiam fuerunt illæ, quæ Cæleſtino III. exhibitæ fuerunt ab Epiſcopo Eugubino pro Canonizatione S. Ubaldi, uti legitur in bulla Canonizationis (*in novo cod. pag. 28.*) *Tu autem, Frater Epiſcope, apud Sedem Apoſtolicam conſtitutus, opportune & importune in humilitate, qua decuit, inſtitiſti, ut memoriam prædicti Pontificis canonizare, & ipſum adſcribere Sanctorum catalogo auctoritate Apoſtolica deberemus.* Concordant ea, quæ habentur apud Oſtienſem *in cap. Audivimus, num. 2. de Reliq. & venerat. SS.* apud Raynaldum *ad an.* 1347. apud Spelmannum *tom. 3. Concil. Britan. pag. 636. & ſeqq.* & apud *Ordinarium ſanctæ Romanæ Eccleſiæ*, quod tribuitur Jacobo Cajetano Cardinali, quodque typis impreſſum fuit *tom. 2. muſ. Ital.* ubi hæc habentur *pag. 418. Audita per Dominum noſtrum Papam fama alicujus Sancti, & ab aliquibus honeſtis & authenticis perſonis eidem Domino noſtro Papæ negotio denuntiato, ac ſupplicato eidem continuatis vicibus, ac pluries inſtanter pro Canonizatione hujuſmodi Sancti facienda, Dominus noſter Papa conſuevit hoc proponere inter Fratres &c.* Faciunt etiam ad hanc aſſumptionem verba Cæremonialis Romani ſupra relata: faciunt verba decretorum generalium Urbani VIII. in quibus, poſtquam dictum eſt, Sedem Apoſtolicam non moveri, niſi præviis ſupplicationibus Regum, Principum, & aliarum authenticarum perſonarum, ita ſubditur: *Et tunc etiam non ſtatim, ſed expectare, quod diu pulſetur: nam, ſi perdurabunt miracula & ſupplicantium inſtantiæ, præſertim ſpontaneæ, tunc ſummus Pontifex, ſi ei videbitur, per Commiſſionem manu Sanctitatis ſuæ ſignatam, citato Promotore Fidei, committit cauſam Congregationi ſacrorum rituum*: Facit denique ſacræ Congregationis reſponſum, quæ die 16. Junii 1663. Poſtulatoribus petentibus, ſignari Commiſſionem pro introducenda cauſa B. Petri de Armengol, reſcripſit, expectari *inſtantias* Principum repetitas.

9. Principes ipſi aliquando per ſe ipſos ſupplices preces ſummo Pontifici adhibuerunt pro alicujus Servi Dei Canonizatione impetranda: & hoc quidem modo ſe geſſerunt Dux Britanniæ erga Clementem VII. pro Canonizatione B. Ivonis, & Vincentius Dux Mantuæ erga Paulum V. pro Canonizatione S. Aloyſii Gonzagæ. Aliquando id præſtiterunt per Legatos: duos quippe Nuntios Cleri & Capituli Cracovienſis ad Innocentium IV. tunc Lugduni commorantem pro Canonizatione S. Stanislai Epiſcopi & Martyris Cracovienſis legimus in ejus Actis apud Bollandianos; & Legatos multorum Principum Galliæ, & Hiſpaniæ, & Joannis Ducis Britanniæ ad Martinum V. quoque miſſos pro Canonizatione S. Vincentii Ferrerii legimus pariter in ejus Actis apud eoſdem Bollandianos. Item Aloyſius Requeſens Hiſpaniarum Regis Orator apud Sedem Apoſtolicam ſui Regis ſupplicationes reverenter in Conſiſtorio expoſuit pro obtinenda introductione cauſæ Canonizationis S. Didaci, quemadmodum extat in Actis ejuſdem Canonizationis ſcriptis a Petro Galeſinio *part. 3. cap. 1. Ubi mandatum regium recte obſignatum Orator accepit, in Conſiſtorium proximum ad Pontificem venit, a quo ſumma prece id poſtulavit, ut fidei, vitæ, ſanctitatis, virtutum, & miraculorum B. Didaci cauſam, quam ſummatim cognoſcerent, quibus mallet, Antiſtitibus Hiſpanienſibus delegaret.* Demum pro introducenda cauſa Canonizationis S. Caroli Borromæi Clerus Mediolanenſis tres inſignes viros Eccleſiaſticos, civitaſque Mediolanenſis totidem viros nobiles ad ſummum Pontificem Clementem VIII. legarunt, ut exponerent, prout expoſuerunt, Cleri & populi preces, ut initium daretur cauſæ Canonizationis. Legati autem Cleri in cubiculo privato, Legati civitatis in Conſiſtorio ſecreto auditi ſunt, ut habetur in relatione Auditorum Rotæ *in cauſa S. Caroli in principio*, & latius in Actis ejuſdem ſcriptis a Grattarola, ubi introducta cauſa, refertur etiam acceſſus Epiſcoporum Novarien. & Cafalen. a Septimo Concilio provinciali Mediolanenſi delegatorum, qui ejus nomine ſummo Pontifici ſupplicarunt pro abſolvenda cauſa Canonizationis ejuſdem S. Caroli.

10. At hodie fere ſemper ſupplicationes & petitiones fiunt per epiſtolas ad ſummum Pontificem datas, ex quibus principaliores eduntur in ſummario informationis ſeu ſcripturæ pro ſignatura Commiſſionis, dum reliquæ tantummodo indicantur; vel omnes typis imprimi ſolent in libello ſeparato a ſcripturis, quæ fiunt pro Commiſſione impetranda, quemadmodum, dum fungebar munere Fidei Promotoris, factum eſt in cauſis S. Joannis Nepomuceni, tunc Beati, nunc Sancti Vincentii de Paulis, & ſervi Dei Innocentii XI. Quæ ſupplicationes & poſtulationes ante ſignaturam Commiſſionis traduntur Secretario ſacræ Congregationis, ad quem pertinet curare, ut in Actis reponantur, juxta decretum editum die 26. Maji 1645. in quo, cum inter cetera quæreretur, *Quo tempore inſtantiæ ſint producendæ in Actis, & an ante ſignatam Commiſſionem, vel poſtea*, reſponſum fuit, *Inſtantias dandas eſſe in manibus Domini Secretarii, & poſtea in Actis.*

11. Ad quintum requiſitum exhibitionis omnium proceſſuum auctoritate ordinaria confectorum quod ſpe-

UAB Biblioteca de Ciències Socials

ſpectat, præmittere opus eſt, quod olim Commiſſiones introductionis expediebantur, antequam eſſent aperti proceſſus auctoritate ordinaria confecti; ſicuti colligere eſt ex narratis per Grattarolam *in Actis cauſæ ſupra citatis S. Caroli Borromæi part.* 1. *cap.* 26. ubi dicitur, exhibitum fuiſſe ſacræ Congregationi Breve Commiſſionis a Papa expeditum, & ſupplicatum fuiſſe pro apertione proceſſuum auctoritate ordinaria confectorum. Ab hac conſuetudine, quæ vigebat ante decreta Urbani VIII. non diſcordat uſus ab iiſdem decretis derivatus; cum in forma Commiſſionis generalis in eadem inſerta utique videamus, ante Commiſſionem debuiſſe eſſe confectos proceſſus auctoritate ordinaria; (*Propterea, cum jam ſint confecti proceſſus auctoritate ordinaria ſuper ſanctitate vitæ, virtutibus, & miraculis Servi Dei, illique jam ad Urbem tranſmiſſi ad effectum eoſdem proceſſus præſentandi in ſacrorum rituum Congregatione &c.*) ſed ex eadem forma Commiſſionis minime habeamus, quod apertio proceſſuum eam præcedere deberet, quin imo ex ea potius oppoſitum inferatur; ſiquidem in ipſa datur facultas ſacræ Congregationi deveniendi *ad proceſſuum auctoritate ordinaria confectorum, & coram ea legitime præſentandorum aperitionem, diſcuſſionem, ac diligentem examinationem &c.* Præcedens itaque proceſſuum apertio, antequam deveniatur ad ſignaturam Commiſſionis, deſcendit a decretis ſan. mem. Innocentii XI. in quibus præſcribitur, ne ſignetur Commiſſio introductionis harum cauſarum, *niſi cum præcedenti rigoroſa diſcuſſione ejuſdem proceſſus cum ſcriptura, & ſummario.* Verum, quia contingere poteſt, ut plures confecti ſint ab Ordinariis proceſſus ſuper fama virtutum & miraculorum, ſed aliquorum tantum petatur apertio, & eorum tantum per conſequens fiat exhibitio, reliquis vel apud Poſtulatores, vel apud Acta remanentibus, nulla facta eorum apertione vel exhibitione, in more poſitum eſt, ut omnes aperiantur & exhibeantur Fidei Promotori, etiamſi Poſtulatores ipſi proteſtentur, aliquem ex ipſis eſſe nullum, & ſe nolle eodem uti. Cum enim poſſibile ſit, ut in eodem adſit aliquod obſtaculum, hinc fit, ut Poſtulatores evitare non poſſint ejus etiam traditionem prædicto Fidei Promotori, ut videat, quid in eo contineatur. Id deſumitur ex decreto edito in cauſa Cuneen. ſeu Montis Regalis Servi Dei Angeli a Clavaſio, in qua, cum inſtarent Poſtulatores pro ſignatura Commiſſionis, Fidei autem Promotor opponeret, non fuiſſe exhibitos omnes proceſſus in cauſa confectos, ſacra Congregatio, referente clar. mem. Cardinali Caprara die 24. Novembris 1708. reſpondit: *Dilata, & exhibeantur omnes proceſſus & informationes.* Concordatque aliud decretum in cauſa Luſitana, ſeu Conimbricen. Beatarum Tereſiæ, & Sanciæ, in qua, referente ſan. mem. Clemente XI. tunc in Cardinalitia dignitate conſtituto, dictum fuit die 8. Octobris 1695. quod exhiberentur omnes proceſſus quacumque auctoritate confecti, etiamſi Poſtulatores admitterent, nonnullos ex ipſis eſſe nullos, & proteſtarentur, ſe iis nolle uti. Pariter, dum fungebar munere Fidei Promotoris, cum in cauſa Pariſien. S. Vincentii de Paulis ageretur de ſignatura Commiſſionis, & nonnulli adeſſent proceſſus, qui ab ipſis Poſtulatoribus bonam fidem agnoſcentibus dicebantur *nullitate* laborare, ita uti nollent; fuerunt tamen illi & mihi exhibiti, & a me examinati, ut videretur, an aliquod in eis eſſet obſtaculum contra famam virtutum, aut contra ſanctitatem & heroicas Servi Dei virtutes.

12. Sextum requiſitum, quod patente *nullitatis* vitio non laborent ille, aut illi proceſſus auctoritate ordinaria confecti ſuper fama virtutum & miraculorum, quorum ope petitur, ut ſignetur Commiſſio introductionis, deſcendit a diſciplina ſacræ Congregationis. Poſtulatores enim in ſcriptura ſive informatione, in qua petunt, admitti ſignaturam Commiſſionis, nonnulla indicare conſueverunt de validitate proceſſuum ab Ordinario confectorum, & fidei Promotor conſuevit in ſuis animadverſionibus aliquas facere oppoſitiones contra validitatem proceſſuum, quibus Poſtulatores in reſponſionibus ſatisfacere conantur. Quæ porro quamvis non ſufficiant ad ſtatuendam validitatem proceſſuum; de ea enim ſingulariter agendum eſt in decurſu cauſæ, quando videlicet, ſignata Commiſſione, Poſtulatores volunt uti iiſdem *in linea* æqualis probationis cum proceſſibus Apoſtolicis occaſione comprobandi virtutes, Martyrium, aut miracula: hæc tamen aliquanta indago de proceſſuum validitate, dum agitur de ſignatura Commiſſionis, non eſt ullo modo ſuperflua; incongruum quippe omnino eſſet, cauſam Beatificationis & Canonizationis introducere dependendo a proceſſu vel proceſſibus, qui evidenti *nullitatis* vitio laborarent.

13. Quoad ſeptimum requiſitum famæ virtutum & miraculorum plene per proceſſus ordinarios comprobandæ pro obtinenda ſignatura Commiſſionis nonnulla ſunt ponderanda, videlicet, an ſit neceſſaria prædicta fama virtutum & miraculorum, quid ea ſit, & quomodo probetur. Enimvero, quod attinet ad neceſſitatem prædictæ famæ, nulla poteſt eſſe difficultas. Hoc quippe requiſitum deducitur ex ipſa forma Commiſſionis generalis typis impreſſa in decretis Urbani VIII. *Adeo hactenus acta, in dieſque magis augetur fama ſanctitatis Servi Dei una cum miraculis, quæ omnipotens Deus ejus meritis & interceſſione concedere dignatur, ut, concepta in diverſis mundi partibus &c. erga eum devotione, a pleriſque in eorum neceſſitatibus invocetur, & plurimorum etiam gravium virorum exiſtimatione Beatificationis & Canonizationis honore dignus, intercedente infallibili Sanctitatis veſtræ judicio, reputetur.* Quod autem ſpectat ad *quidditatem* famæ, & ad modum eam probandi, nihil aliud hic adnotandum eſſe videtur, quam quod pro obtinenda ſignatura Commiſſionis non eſt neceſſe probari in ſpecie virtutes & miracula; (id enim reſervatur ad aliud judicium, quando ſcilicet, confectis proceſſibus Apoſtolicis, dubium proponitur de virtutibus & miraculis in ſpecie) ſed opus tantummodo eſt, ut virtutum atque miraculorum fama probetur. Quæ licet probanda ſit poſt ſignatam Commiſſionem, quando videlicet res eſt de fama in genere; non incongruum tamen reputatum eſt, ut eadem fama probetur etiam ante ſignatam Commiſſionem, ne temere judicium inſtituatur: hoc ſolum præcipuo intercedente diſcrimine inter has famæ probationes, quod probatio, quæ fit pro obtinenda ſignatura Commiſſionis, fit ope proceſſus auctoritate ordinaria confecti; probatio autem, quæ fieri debet poſt cauſam introductam, fit dependendo a proceſſu Apoſtolico. Et cum quoad ſubſtantiam utrumque hoc judicium ſit fere uniforme, ea, quæ infra dicentur, cum tractabitur de judicio ſuper fama in genere auctoritate Apoſtolica conficiendo, ſibi debebunt locum vindicare etiam quoad præſens judicium, in quo tractatur de fama per proceſſum ordinarium comprobanda pro obtinenda ſignatura Commiſſionis. Debent ergo Poſtulatores in ſua ſcriptura & ſummario famam virtutum & miraculorum plene & *concludenter* probare. Tenetur Fidei Promotor famam impugnare petitis undecumque argumentis, hoc eſt vel a proceſſibus confectis, vel a vita conſcripta Servi Dei, vel a monumentis & Hiſtoricis de eo loquentibus, quatenus adſint, & famæ ipſi obloquantur, aut geſtis a Servo Dei. Itemque onus eſt Poſtulatorum in ſuis reſponſionibus oppoſitiones diluere. Ita profecto uſus oſtendit, atque teſtatus eſt bon. mem. Proſper Bottinius Archiepiſcopus Myrenſis Fidei Promotor in animadverſionibus factis ſuper ſignatura Commiſſionis introductionis cauſæ Servi Dei Vincentii Epiſcopi Cracovienſis, & ita etiam adnotatum fuit in regeſtis memoratæ ſacræ Congregationis: *Firmatum jam fuit pro regula occaſione diſcuſſionis inſtantiæ pro introductione cauſæ Limanæ Servi Dei Gundiſalvi Diaz in ultima hac ſacra Congregatione habita die* 22. *Novembris* 1685. *neceſſariam eſſe quidem relationem vitæ, virtutum, ac miraculorum Servi Dei, ſed minime opus eſſe, ut eadem virtutes in gradu heroico, ſicut etiam miracula diſcutiantur in ſpecie, & exacte probentur; quia hoc reſervandum eſt ad diſcuſſionem dubiorum ſuper virtutibus in ſpecie & ſuper miraculis, poſtquam, ſignata Commiſſione, fabricati fuerint proceſſus auctoritate Apoſtolica: fuitque concluſum, quod tota vis ad effectum, de quo agitur, conſtitui debet in examinando, an plene & concludenter probata fuerit fama ſanctitatis & miraculorum, illiuſque continuatio uſque ad tempus, quo petitur ſignari Commiſſionem, nec non in recognoſcendo, an concurrant inſtantiæ per Reges, aliaſque perſonas authenticas pluries factæ juxta decreta generalia pag.* 28. *ac etiam utrum conſiderari queant aliqui defectus, qui retrahere valeant ab introductione cauſæ.*

14. Ad octavum requiſitum quod attinet, defectus ſcilicet obſtaculi, quod introductioni cauſæ adverſetur, indago hæc pro obtinenda ſignatura Commiſſionis ſuum fundamentum habet in decretis ſan. mem. Innocentii XI. Poſtquam enim in eis mandatum fuit, ut proceſſus auctoritate ordinaria fabricandi conficiantur cum maxima diligentia, & ut præter teſtes a Poſtulatoribus inductos ipſi Ordinarii teneantur inquirere, & alios teſtes examinare bene edoctos ſuper vita & moribus Servi Dei, ſubdi-

subditur: *Quod ſi aliquid repererint in contrarium, quod ipſis videatur relevans, ſuperſedeant in inquiſitione, donec ſacra Congregatio ab eis per litteras certiorata præſcribat, quid agendum ſit.* Ex hoc quippe infertur, quod, ſi ſacra Congregatio expoſcit ab Epiſcopis, ut ſuperſedeant, & ad ipſam confugiant, cum grave aliquid adverſari invenerint, ut id ipſum in eadem ſacra Congregatione examinetur, potiori jure requirere dicenda eſt, ut, cum aliquod obſtaculum excitatur a Fidei Promotore, dum agitur de ſignatura Commiſſionis, id ſerio perpendatur, ut conſtet, an ſit tantæ gravitatis, quæ vere obſtare valeat introductioni cauſæ, ſive ſignaturæ Commiſſionis.

15. Tuta porro hæc ſunt atque pacifica: quocirca eo reducitur quæſtio, ut videatur, quodnam ſit obſtaculum, quod impedire valeat cauſæ introductionem. Fidei Promotores in ſuis animadverſionibus ſuper ſignatura Commiſſionis conſiderantes, aliud eſſe introductionem, aliud diſcuſſionem, aliud cauſæ terminum; item aliquod obſtaculum, quod opponatur in ſignatura Commiſſionis, aut excludi, aut melius dilucidari poſſe in ulteriori cauſæ diſcuſſione, quando ſcilicet proponitur peculiare ſeu *ſpecificum* dubium ſuper virtutibus, aut Martyrio, vel miraculis; demum, ex ſignatura Commiſſionis nihil aliud deſumi, quam cauſæ introductionem, nec ex ea ullum inferri cultus argumentum; dixerunt, obſtaculum aptum ad retardandam ſignaturam Commiſſionis debere eſſe talis momenti, ut uno oculorum conjectu deprehendatur ſuperari non poſſe in formali cauſæ diſcuſſione; & rurſus debere eſſe tale, ut aſſimiletur exceptioni peremptoriæ, quæ in Civilibus cauſis arcet ab introductione judicii, juxta illud Abbatis *in cap. Intelleximus, num. 8. de ordine cognitionum*, ubi ait: *Judex non debet permittere factum, cui obſtat notoria exceptio, ut deducatur in judicium.*

16. In menologio Græcorum juſſu Baſilii Imperatoris edito, & typis Urbinatibus impreſſo anno 1727. ſtudio & opera Eminentiſs. Domini Hannibalis Cardinalis Albani, cujus menologii feneſtrem partem Clemens Papa XI. ejuſdem patruus in ipſo adoleſcentiæ flore ab interitu vindicatam latinitate donaverat, ad diem 21. Maji inter Sanctos refertur Conſtantinus Magnus primus Chriſtianorum Imperator. Si vero de hujus Canonizatione in Occidentali Eccleſia, & apud Sedem Apoſtolicam agendum eſſet, cauſæ introductioni obſtaret exceptio, quod ipſe ſub vitæ finem Euſebianis artibus circumventus, S. Athanaſium invictum Orthodoxæ Fidei defenſorem male tractarit, uti ad rem bene ponderat Chriſtianus Lupus *tom. 3. ad* IV. *Concilium Rom. S. Leonis IX. pag.* 571. Hæc enim exceptio adeo certa eſt in facto, & momenti adeo magni eſt in jure, ut, ſicuti nulla ſpes eſſet eam in decurſu cauſæ excludendi, ita cauſam ipſam in ſui ingreſſu, vel initio ſuffocare deberet. Nec profecto diſſimilis eſſet alia, quæ legitur in epiſtola Pelagii II. apud Baronium *ad an.* 587. *num.* 17. adverſus Patriarcham Conſtantinopolitanum Joannem Jejunatorem inter Sanctos relatum in citato menologio *ad diem* 1. *Septembris*. Sic enim Pontifex ait: *Veſtræ Beatitudini indicet omnipotens Deus quam gravi conſiderationis hujus gemitu torqueor, quod ille quondam mihi notiſſimus, ille omnibus dilectus, qui eleemoſynis, orationibus, atque jejuniis videbatur occupatus; & ex eo, quo fœtebat, cinere, ex ea, quam prætendebat, humilitate jactantiam tantam ſumpſit, ita ut univerſa ſibi tentet aſcribere, & omnia, quæ ſoli uni capiti cohærent, videlicet Chriſto, per electionem pompatici ſermonis* (hoc eſt Œcumenici, quod aſſumpſerat, nominis) *ejuſdem Chriſti ſibi ſtudeat membra ſubjugare.* Et paulo poſt: *Si enim dici hoc licenter permittitur, honor Patriarcharum omnium negatur, & fortaſſe is in errore perit, qui Univerſalis dicitur, & nullus jam Epiſcopus remanſiſſe in ſtatu veritatis invenitur.*

17. Verum ad recentiora & practica exempla deſcendendo, dum fungebar munere Fidei Promotoris, & agebatur de introducenda cauſa Beatificationis & Canonizationis Ven. Servæ Dei Joannæ Franciſcæ Fremiot de Chantal, dixi, non eſſe ſignandam Commiſſionem introductionis, cum in proceſſu ordinario non eſſent examinati ſuper fama ſanctitatis atque virtutibus, niſi teſtes auriti, eo quia proceſſus fuerat confectus longe poſt obitum Servæ Dei; ita ut uno oculorum conjectu unuſquiſque cognoſcere poſſet, nullum teſtem oculatum ſuper virtutibus examinandum in proceſſu Apoſtolico poſſe reperiri: quod ſatis mihi videbatur pro excludenda ſignatura Commiſſionis, utpote quæ nihil effet profutura, cum in cauſa, prout erat illa Servæ Dei, quæ procedit per viam non cultus, non ſufficiant ad virtutes auriti, ſed requirantur teſtes oculati. Hæc tamen oppoſitio non fuit tanti roboris ac momenti, ut excludere potuerit ſignaturam Commiſſionis; cum perpenſum fuerit, poſſibile eſſe, ut in proceſſibus Apoſtolicis ſubinde conficiendis hiſtoriæ, monumenta contemporanea, Confeſſariorum Servæ Dei atteſtationes, & alia his conſimilia invenirentur, quæ conjuncta teſtibus de audito ab iis, qui viderant, ſufficientem conſtituerunt probationem. Pro qua aſſumptione fortaſſe militare poſſunt Apoſtolicæ litteræ Innocentii IV. apud Bollandianos *ad diem 17. Maji tom. 4. pag.* 38. & 39. inſcriptæ Epiſcopis electis pro confectione proceſſus in cauſa B. Brunonis Epiſcopi Herbipolenſis, ubi: *Cum nec merita ſine miraculis, nec miracula ſine meritis plene ſufficiant ad perhibendum inter homines teſtimonium ſanctitati, & propter diuturnitatem temporis non poſſit in Teutonia reperiri aliquis, ut aſſeritur, qui ſuper iis de viſu queat teſtimonium perhibere: Nos &c. mandamus, quod non ſolum per teſtes, ſed famam etiam, & auditum, ac ſcripturas authenticas de vita & converſatione ac meritis ejus per vos, vel alios fide dignos ſollicite inquirentes, quæ inveneritis, Nobis ſub ſigillis veſtris fideliter tranſmittatis.* Item, dum Fidei Promotoris munus exercebam, & agebatur de introducenda cauſa S. Vincentii Fundatoris Congregationis Miſſionis, oppoſui nimiam ejuſdem familiaritatem cum quadam perſona Hæreſis labe, vel ſuſpicione infecta, ut infra videbitur, atque adeo ex hac familiaritate oppoſitiones multas deduxi, nimiæ videlicet illius conniventiæ in re graviſſima, aperti ſcandali, omiſſionis fraternæ correctionis, & delationis ad Judices Eccleſiaſticos. Attamen, cum in reſponſionibus plura fuerint a Poſtulatoribus allata, reſcriptum fuit pro ſignatura Commiſſionis ſub ea certa ſpe, quæ non fefellit, quod in decurſu cauſæ & ex probationibus & ex monumentis in proceſſum Apoſtolicum inſerendis oppoſitio ad evidentiam poſſet excludi.

18. Ceterum conſuetudo ſatis apta & prudens apud ſacram Congregationem obtinuit reſpondendi abſolute & ſimpliciter pro ſignatura Commiſſionis, ſi obſtaculum ſit plene ſublatum per Poſtulatores eamdem Commiſſionis ſignaturam petentes; ſecus, procedendi ad ſignaturam Commiſſionis, reſervato examine obſtaculi ad ſubſequens judicium, in quo non de fama, ſed de virtutibus agi debet. In cauſa S. Joannis de Capiſtrano editum fuit die 24. Martii 1657. ſequens decretum: *Diſcutiendæ ſunt animadverſiones Promotoris reſervatæ in ſignatura Commiſſionis die* 8. *Martii* 1650. In cauſa Servæ Dei Joannæ de Cruce, in cujus vita referebatur, ab Angelo ad cælum ejus interceſſione delatos fuiſſe nonnullos globulos precarios, qui a Chriſto Domino fuerant ibidem benedicti una cum largitione plurium Indulgentiarum, uti legitur in prædicta vita conſcripta ab Antonio Daca, & apud Thiers, *in tract. de ſuperſt. tom. 2. cap.* 12. editum fuit die 10. Junii 1664. ſequens decretum: *Audita relatione Eminentiſs. Gualterii &c. Sanctiſſimus ſignavit Commiſſionem cum decreto, quod in primis & ante omnia per Congregationem ſacrorum rituum videatur, an plene diſcutiatur de globulis precariis, vulgo granis & Roſariis, ut aſſeritur, benedictis in cælo, aſſertiſque eorum Indulgentiis una cum omnibus inde ſecutis, &, quod deſuper inventum fuevit, referatur Sanctitati ſuæ mature providendum; alias Commiſſio habeatur pro non ſignata, nec valeat illius vigore procedi ad ulteriora.* Ipſe autem fungens munere Fidei Promotoris, dum agebatur de cauſa introducenda Servi Dei Joannis de Britto, oppoſui, quod is uſus eſſet veſtibus, lavacris, & cineribus ſuperſtitionis labe infectis, & ſubinde proſcriptis & damnatis a Carolo Thoma de Tournon tunc Patriarcha Antiocheno, poſtea S. R. E. Cardinali in quibuſdam decretis a ſe editis die 23. Junii 1704. cujus judicium confirmationis robur obtinuit ex litteris Apoſtolicis ſan. mem. Clementis XI. expeditis die 17. Septembris 1712. pariterque ex aliis litteris Apoſtolicis ſummi Pontificis Benedicti XIII. expeditis die 12. Decembris 1727. de quibus omnibus plura ſolide & erudite collecta legi poſſunt *in examine, & defenſione memoratorum decretorum* compoſita ab eximio viro Aloyſio Maria Lucino Ordinis Prædicatorum tunc Commiſſario generali ſanctiſſimæ Inquiſitionis: quapropter editum fuit die 11. Maji 1713. ſequens decretum: *Propoſito, an ſit ſignanda Commiſſio cauſæ &c. ſacrorum rituum Congregatio, demum tam in ſcriptis quam in voce R. P. D. Proſpero de Lambertinis Fidei Promotore audito, reſpondendum cenſuit affirmative; ſalvo jure opponendi quoad uſum veſtium, lavacrorum, & cine-*

rum

vum suis loco & tempore. Quæ quidem declaratio, quamvis non fieret in decreto super signatura Commissionis, nihilominus habenda esset pro eidem apposita; cum non solum possit, sed fortasse etiam teneatur Fidei Promotor pro suo munere, dum agitur de virtutibus, obstacula resumere, quæ fuerunt adducta in signatura Commissionis, quæque tunc probabiliter tantum, non vero evidenter fuerunt de medio sublata. *Bon. mem. de Rubeis* (verba sunt Archiepiscopi Myrensis Fidei Promotoris in suis animadversionibus factis super virtutibus in causa Ven. Servi Dei Cardinalis Ximenes) *anno 1669. quando in sacra Congregatione agebatur de signatura Commissionis pro introductione causæ, duodecim capita ex Gomesio proposuit animadvertenda. Et, licet ea non fuerint reputata tanti ponderis, ut obstaculum præbere potuerint introductioni causæ &c. quia ad effectum signandæ Commissionis non sunt adeo rigide trutinandæ singulæ actiones Servi Dei, sed sufficit, ut ex processibus Auctoritate ordinaria fabricatis constet de fama sanctitatis, & miraculorum in genere, illiusque percrebrescentia, & rigorosa discussio reservatur ad tempus, quo disputatur præsens dubium, an constet de virtutibus in specie; ideoque modo videntur prædictæ animadversiones diligenter examinandæ &c. animadversiones autem prædictas fideliter per eadem verba, prout a bon. mem. de Rubeis propositæ fuerunt, registrare opportunum duxi &c.*

19. Ultimum denique requisitum, quod post decennium supra memoratum novæ adveniant litteræ Episcoporum de continuatione & incremento famæ testimonium perhibentium, desumitur ex decretis fan. mem. Innocentii XI. ubi: *Et insuper habitis post decennium a die fabricationis illius* (hoc est processus ordinarii) *novis litteris Episcoporum circa percrebrescentiam famæ sanctitatis & miraculorum, ac devotionis populi enixe pro Beatificatione & Canonizatione instantis*. Similiter, quia fama sanctitatis debet esse continuata non solum per decennium, sed etiam usque ad tempus quo petitur signatura Commissionis; hinc est quod, si eadem longe post decennium petatur, licet de rigore continuatio famæ esset ope novi processus comprobanda, quia tamen facilior est continuationis, quam introductionis famæ probatio, sacra Congregatio in hisce circumstantiis probationem continuationis admittere consuevit per alias litteras Episcoporum & aliarum personarum authenticarum. Ita porro, dum munere fungebar Fidei Promotoris, factum fuit in causa Panormitana Servi Dei Aloysii La Nuza Sacerdotis professi Societatis Jesu; in qua cum confecti fuissent processus auctoritate ordinaria anno 1660. & anno 1667. fieret autem petitio pro signatura Commissionis tantum anno 1713. Postulatores satisfecerunt animadversioni a me propositæ super defectu probationis continuationis famæ, allatis epistolis Archiepiscoporum Panormitani, & Messanensis, Episcoporumque Mazzarien sis, Catanensis, Syracusani, & Agrigentini, necnon proregis Siciliæ, & Magistratus civitatis Leocatensis; a quibus documentis dependendo responsum fuit die 28. Januarii 1713. pro signatura Commissionis. Consimilia quoque contigerunt in causa Cortonen. Servæ Dei Veronicæ de Laparellis: cum enim ageretur de signatura Commissionis, quia sacra Congregatio die 31. Augusti 1715. respondit, quod probationes coadjuvarentur super incremento famæ, iterum postea proposita causa, allatæ fuerunt epistolæ tum Magni Ducis Etruriæ, tum Vicarii Capitularis, tum Priorum repræsentantium populum, & Commune civitatis Cortonensis; quæ omnes epistolæ quoniam testabantur famæ continuationem & incrementum, die 22. Augusti 1716. responsum fuit pro signatura Commissionis.

20. Post nostram ad summum Pontificatum assumptionem actum fuit de introducenda causa Beatificationis Servi Dei Joannis de Avila, *Magistri* nuncupati. Oppositum fuit a Fidei Promotore necessariam esse exhibitionem processus in tribunali Inquisitionis Hispaniarum, ad quod fuerat delatus, super ejus dictis & gestis compilati; ut videlicet perpendi posset, an in eo aliquod extaret obstaculum signaturæ Commissionis, vel aliquid oppositum famæ sanctitatis. Rationabilis Nobis visa est oppositio Fidei Promotoris; unde jussimus, ad Nos processum transmitti. Transmissus est, idemque a Nobis sedulo perlectus; & consideratis considerandis, decretum sequens edidimus, & jussimus, processum clausum remitti ad tribunal Hispanæ Inquisitionis: existimavimus enim, non decere, ut processus vel typis publicaretur, vel etiam manuscriptus per manus adscriptorum Congregationi sacrorum rituum volitaret.

21. En decretum:

Toletana seu Corduben. Beatificationis & Canonizationis Servi Dei Joannis de Avila Magistri *nuncupati*.

CUM super dubio, an signanda sit Commissio introductionis causæ Beatificationis & Canonizationis Servi Dei Joannis de Avila, Magistri *nuncupati*, *R. P. D. Promotor Fidei petierit exhiberi processum Hispali formatum ad tribunal sacræ Inquisitionis, ad quam ipse Servus Dei annum ætatis agens tunc trigesimum tertium delatus fuerat propter quasdam propositiones, quas quarumdam partim insciti a, partim æmulatio, ac partim etiam malignitas ex piis ejus colloquiis & concionibus ita exceperat, ut mala interpretatione in alienum a Catholica & ipsius Fide sensum detorqueret, in quo processu tametsi Servus Dei fuisset denique per definitivam, ut ex adverso asserebatur, Judicum sententiam absolutus, ac liber declaratus a delicto, fieri tamen fortasse poterat, ut per testium depositiones virtutum ejus fulgor obnubilatus remaneret, ac proinde agi de illo ulterius inter Beatos aut Sanctos rite referendo nequaquam expediret; prædicta vero Inquisitionis tribunal, agente, ac tum apud ipsum, tum apud Sanctissimum Dominum nostrum Benedictum Papam XIV. enixe ac diligenter instante Canonico Martino Barzia dictæ Beatificationis & Canonizationis Postulatore, ac Sanctitatis suæ Cubiculario, ut vocant, honorario, cognita memorati Promotoris justa petitione, processum omnem in forma authentica eidem Sanctissimo prompte atque humiliter submiserit videndum & considerandum: Sanctitas sua, visis & consideratis per se omnibus videndis & considerandis, non minus æquis Judicum sententiis, quam ipsius Servi Dei modestis ac sapientibus responsis delectatus, postremo declarandum censuit & declarat, servum Dei Joannem de Avila, tunc Bachalaureum, ac Magistrum postea nuncupatum, die 5. Junii 1533. fuisse definitiva omnium Judicum sententia, nemine discrepante, absolutum ab eo judicio, atque immunem a delicto declaratum: injuncto duntaxat, ut (cum ex Apostolo sapientibus & insipientibus debitor esset) suis deinde in concionibus & colloquiis maxima qua posset cautela & circumspectione uteretur, & quasdam propositiones, ubi prædicaverat, ita explicaret, ut nullum in iis errorem fuisse aut esse, populus etiam rudis intelligeret, ac nulla vel pusillis occasio scandali ex superseminatis per inimicum hominem pravæ interpretationis atque intelligentiæ zizaniis supereesset. Ad hæc, ex processu offensivo nihil contra ipsum, eorumdem Judicum sententia probatum esse, nec probari: Ex processu autem defensivo non modo virtutum ejus fulgorem non esse obnubilatum aut obnubilari, verum etiam clarius relucere, concordi multorum testimonio, qui de ipsarum quoque peculiaribus virtutum actibus testantur: quales sunt mœror ingens ex offensa Dei, ac zelus ardens animarum, ut plures vel una die conciones ferventissimas haberet; ex quibus, & ex privatis etiam colloquiis, admonitionibus, exhortationibus, consiliis, assiduaque Confessionum auditione, Sacramentorum usus frequens, & doctrinæ Christianæ passim inductus, pax inter inimicos conciliata, mali ad bonam, & boni ad meliorem vitam magno numero traducti; alea, concubinatus, blasphemiæ, aliaque hujusmodi publica vitia & scandala sublata: charitas in proximum, præsertim vero pauperem, tanta, ut laneam, quam ipse habebat, vestem egenti Clerico tribuerit, staminea sibi per gelidam hiemem retenta; & publicos etiam quæstus sustentandis pauperibus, puellis honeste maritandis, alendisque ad studia sacrarum Litterarum Clericis egenis instituerit: amor quoque paupertatis Evangelicæ tantus, & ponendi sine sumptu Evangelii, ut pro Missis, aut concionibus stipendia, donaque ultro missa non admitteret, vestes prope lacteras portaret, utque novum acciperet biretum, fuerit illi vetus illud summ, tritum, & honesto Sacerdoti jam non utile, dum Missam celebraret, furtim subtrahendum: humilitas Christiana, ut secessum & latebras amaret, & nec vile mancipium stare coram se, nec nomen suum operibus, quæ faciebat, apponi pateretur: linguæ custodia, ut nullum ex ejus ore verbum prodiret vel otiosum; murmurantibus autem, aut alias obloquentibus obstreperet: patientia in adversis, & mansuetudo, ut vel injuria provocatus obmutesceret: fama denique sanctitatis, vitæque tenor adeo exemplaris, ut aliis exemplo ad virtutem prælucret, ac magnus olim in cælo vocandus.*

caudus jam tum crederetur, quippe qui faceret simul & doceret. Quibus ex officio & pro æquitate, ut par erat, declaratis, processum hujusmodi clausum Sanctitas sua sacrum ad tribunal in Hispaniam remitti, neque aliud quidpiam ex illo amplius a Fidei Promotoribus requiri mandavit. Hac die 3. Aprilis 1742.

CAPUT TRIGESIMUMSEPTIMUM.

De Signatura Commissionis *in causis, quæ post Urbani VIII. decreta introducuntur, & quæ procedunt per viam casus excepti.*

1. COMMISSIO introductionis causæ post decreta Urbani VIII. procedentis per viam casus excepti importat facultatem examinandi sententiam a Judice Ordinario latam super casu excepto a decretis Urbani VIII. quatenus vero ab Ordinario non fuerit confectus processus super casu excepto, nec ab eo idcirco lata fuerit sententia super eodem articulo, facultatem importat constituendi Judicem delegatum, qui auctoritate Apostolica processum faciat super casu excepto, & sententiam ferat, de cujus *subsistentia* quæstio postea in sacra Congregatione instituatur. Importat præterea facultatem procedendi primum ad inquisitionem in genere, quatenus summus Pontifex non indulgeat, ut eadem omittatur, prout indulgere consuevit, quando agitur aut de causa Martyris, aut de causis procedentibus per viam casus excepti (ut infra videbimus) deinde ad inquisitionem in specie, hoc est super virtutibus, aut Martyrio in specie, & miraculis patratis post indultam venerationem, juxta ea, quæ in primo hujus Operis libro dicta sunt, dum ageretur de harum causarum serie.

2. Requisita in antecedenti capite exposita pro obtinenda signatura Commissionis in causis, quæ introducuntur post decreta Urbani VIII. & quæ procedunt per viam non cultus, sibi vindicant locum etiam pro obtinenda Commissione in causis, quæ introducuntur post decreta Urbani VIII. & quæ procedunt per viam casus excepti. Abstinemus autem ab eorumdem repetitione, cum eadem omnino sint, si hoc tantum discrimen demas, quod in causis procedentibus per viam non cultus expectandum est decennium a die *consignationis* processus auctoritate ordinaria confecti ad diem, quo petenda est signatura Commissionis, juxta decreta novissima Innocentii XI. supra relata; in causis vero procedentibus per viam casus excepti necesse non est, ut expectetur decennium. Cum enim Servi Dei, quorum causæ introducuntur per viam extraordinariam casus excepti, a multo jam tempore decesserint, abest suspicio quævis, quod testes, qui in illis examinantur, abrepti vehementi sanctitatis opinione, quæ statim post obitum Servorum Dei vigere incipit & percrebrescere, cum aliqua deponant exaggeratione; ad quam avertendam prudenter introductum fuit, ut processus auctoritate ordinaria confectus per integrum decennii spatium conservetur in Actis sacræ Congregationis, antequam concedi possit signatura Commissionis, & sic facultas comparandi probationes auctoritate Apostolica. Ideoque in causa Matteraten. Canonizationis Servi Dei Fratris Ægidii a Laurentiana Ordinis Minorum Observantium S. Francisci sequens a sacrorum rituum Congregatione prodiit decretum: *Cum Abbas Joseph Ægidius Cæsareus Postulator causæ prædicti Servi Dei Fratris Ægidii* Beati *nuncupati exposuerit sacrorum rituum Congregationi, quod ab anno* 1689. *in Actis exhibuerit duos processus confectos auctoritate ordinaria; unum scilicet super sanctitate vitæ & miraculis, & alterum super cultu immemorabili exhibito erga eumdem Servum Dei, & supplicaverit eidem sacræ Congregationi, ut dignaretur derogare decretis novissimis in ea parte, in qua §. 7. præscribitur, Commissiones non esse signandas, nisi post elapsum tempus decem annorum a die præsentationis processus auctoritate ordinaria fabricati; ipsa sacra Congregatio, re mature perpensa, censuit, prædicta decreta novissima §. 7. non comprehendere hunc casum, qui est de exceptis a san. mem. Urbano VIII. & ideo declaravit, non indigere derogatione. Die* 19. *Januarii* 1692. In causa quoque Lucensi Beatificationis & Canonizationis Beatæ Zitæ consimile sacra Congregatio edidit decretum: *Decreta sub die* 18. *Junii anni currentis* 1695. *aperitione processus auctoritate ordinaria fabricati super fama sanctitatis, & cultu immemorabili prædictæ Ancillæ Dei* Beatæ *nuncupatæ, cum subsecuta approbatione Sanctissimi die* 22. *ejusdem mensis & anni, Postulatores hujusmodi causæ humiliter supplicarunt, licet non sit lapsum decennium a die præsentationis processus prædicti, dispensari, quod in sacra Congregatione proponi & discuti possit dubium introductionis hujusmodi causæ, decretis novissimis Innocentii XI. §. 7. minime obstantibus: & sacra eadem Congregatio, audito Reverendiss. Archiepiscopo Myrensi Fidei Promotore, respondit, Non indigere: die* 9. *Julii* 1695. Denique, dum munere fungebar Fidei Promotoris, petentibus Postulatoribus causæ Gerunden. B. Dalmatii Moneri Ordinis Prædicatorum *dispensationem* a decennio, quod adhuc elapsum non erat a die exhibitionis processus ordinarii, sacra Congregatio, me monente, quod prædicta causa procedebat per viam casus excepti, respondit die 15. Februarii 1716. *Non indigere.*

CAPUT TRIGESIMUMOCTAVUM.

De Commissione, quæ dicitur Reassumptionis.

1. DUPLEX est *Commissio reassumptionis causæ*: alia pertinet ad causas introductas post decreta Urbani VIII. & procedentes per viam non cultus; alia spectat ad causas introductas ante decreta Urbani VIII. sed tunc non absolutas, quæ suum progressum habere debent tempore subsequenti, hoc est post edita præfata decreta.

2. Prima Commissio reassumptionis sibi vindicat locum in causis, uti diximus, introductis post decreta Urbani VIII. & procedentibus per viam non cultus, in quibus formalis Beatificatio præcessit: in transitu enim a formali Beatificatione ad Canonizationem necessaria est alia Commissio, quæ dicitur *reassumptionis*, ut procedi possit ad examen eorum, quæ supervenerunt post indultam Beatificationem. Enimvero ita res se habuit in causis Valentina S. Ludovici Bertrandi, Florentina S. Mariæ Magdalenæ de Pazzis, Limana S. Rosæ, Limana S. Francisci Solani, Limana S. Thuribii, Romana, seu Terdonen. S. Pii V. & dum munere fungebar Fidei Promotoris, in causa Segobien. S. Joannis de Cruce, & in causa S. Joannis Francisci Regis.

3. Pro obtinenda hac Commissione reassumptionis olim construebantur processus super *percrebrescentia* famæ sanctitatis, venerationis, & cultus; uti desumitur ex decreto edito die 8. Martii 1650. in causa S. Felicis a Cantalicio, & ex alio decreto edito in causa S. Cajetani die 29. Novembris 1658. At hodie pro obtinenda hac Commissione reassumptionis Postulatores tantum exhibent supplicem libellum Congregationi ordinariæ sacrorum rituum: in quo per attestationes *extrajudiciales* docens de continuatione & incremento famæ post Beatificationem; ad quod Regum etiam ac Principum petitiones, quatenus adsint, sunt opportunæ, quamvis non sint necessariæ. Cardinalis autem Causæ Relator omnia exponit in sacra Congregatione, quæ respondere consuevit pro signatura Commissionis, si Sanctissimo placuerit; signaturque Commissio illo modo, & ea forma, quæ in aliarum signatura Commissionum adhibetur. Cumque in hac concedatur facultas Judicibus delegatis inquirendi in miracula, quæ supervenerunt post indultam Beatificationem, Fidei Promotor huic Commissioni reassumptionis se opponere non solet, sed suas tantum facit animadversiones quoad validitatem, & quoad *relevantiam* processuum, postquam hi fuerunt confecti.

4. Itaque, quod spectat ad hanc Commissionem reassumptionis, solum remanet adnotandum, eam requiri qui-

quidem in causis introductis post decreta Urbani VIII. quæ procedunt per viam non cultus, sed non in aliis, quæ introducuntur post decreta Urbani, & quæ procedunt per viam casus excepti. In his quippe unica sufficit Commissio introductionis, in qua datur facultas post approbatum casum exceptum deveniendi ad discussionem virtutum, aut Martyrii, vel miraculorum post indultam Beatificationem patratorum, juxta ea, quæ alibi dicta sunt; scilicet, quia in hisce causis ad formalem Beatificationem non proceditur.

5. Transitum hinc faciendo ad aliam Commissionem reassumptionis, quæ respicit causas introductas ante decreta Urbani VIII. sed tunc non absolutas, in sæpe citatis Urbani decretis nullum fit verbum hujus Commissionis: sed tantum præscribitur, ut agi non possit de causis ante prædicta decreta introductis, *nisi habita prius & expresse obtenta licentia a Sanctitate sua, vel ejus Successoribus*. Huic autem facultati a summo Pontifice obtinendæ gratia prosequendi Canonizationum causas inceptas ante decreta Urbani VIII. subrogata fuit *Commissio reassumptionis in statu & terminis*: qui porro mos cum inolevisset longe ante decreta Ven. Dei Servi Innocentii XI. hinc est, quod sacra Congregatio sequens morem jam introductum in decretis editis tempore modo dicti Pontificis sermonem postea fecit de Commissione reassumptionis, ut infra videbimus. Conceditur in hac Commissione facultas causam resumendi *in statu & terminis*, & eam prosequendi usque ad Canonizationem. Item, si causa procedat per viam non cultus, datur facultas, ut processus auctoritate Apostolica super eodem conficiatur, & ut a Judice delegato sententia feratur, quæ examen subire deinde debet in sacra Congregatione. Nec enim potest in his causis Ordinarius sua auctoritate processum conficere, & sententiam ferre, cum præsumatur Sedes Apostolica antea manum ad causam appossuisse, per signaturam videlicet Commissionis ante Urbani VIII. decreta. Et pariter, si causa procedat per viam casus excepti, idem observatur in processu & sententia super casu excepto, quod observandum modo diximus in processu & sententia super non cultu. Quo vero ad reliqua, in eadem Commissione datur facultas examinandi validitatem processuum jam confectorum, novos conficiendi processus super fama in genere, aut super virtutibus, aut Martyrio in specie, aut super miraculis, quæ præcedere debent Beatificationem, aut super miraculis post indultam Beatificationem formalem, vel *æquipollentem* patratis, prout uniuscujusque causæ status exigit, & ad normam eorum, quæ fuse in primo libro adducta sunt, dum ageretur de juridica causarum serie.

6. Explicata substantia Commissionis reassumptionis, videnda sunt requisita ad eam obtinendam; cum non omnia, quæ sunt necessaria ad Commissionem introductionis, requirantur in Commissione reassumptionis. Lex etenim de expectando decennio, de petenda *dispensatione*, ut causa proponatur in sacrorum rituum Congregatione ordinaria sine interventu Consultorum, de exhibendis iteratis supplicationibus Regum & Principum, & de aliquatenus discutienda ante Commissionem validitate processuum, non habet locum in Commissione reassumptionis. Petitiones quippe Principum præcessisse præsumuntur, quando ante decreta Urbani VIII. expedita fuit prima Commissio introductionis; ideoque, si adsint, cum petitur Commissio reassumptionis, vel erunt quid superadditum, & absolute non necessarium, vel tantum proderunt probandi causa continuationem famæ sanctitatis a die confectorum processuum ad diem, quo proponitur ipsa petitio super signatura Commissionis reassumptionis. Ratio autem exclusionis ceterorum requisitorum vel ex se continuo patet, vel in hujus capitis progressu explicata habebitur.

7. Alias inter requisita ad obtinendam Commissionem reassumptionis recensebatur, ut ante eam doceretur de non cultu, & præcipue, si de cultu constabat ex processibus jam confectis: & ita quidem factum fuit in resumptione causæ Servi Dei Alphonsi Rodriquez Societatis Jesu, uti colligitur ex decreto edito die 23. Decembris 1684. & in resumptione causæ S. Fidelis a Sigmaringa, uti pariter desumitur ex decretis editis die 22. Januarii, 24. Martii, & 30. Julii 1689. Sed, cum subinde fuerit animadversum, quod in ipsa Commissione reassumptionis datur facultas Judici delegato conficiendi processum super non cultu, hinc factum est, ut juxta recentiorem consuetudinem exæquata sit Commissio reassumptionis Commissioni introductionis; ita ut utraque prius signetur, postea transitus fiat post confectionem processus super *paritione* decretis Urbani VIII. ad discussionem dubii super non cultu: quomodo, dum fungebar munere Fidei Promotoris, factum fuit in resumptione causæ Grossetanæ Servi Dei Joannis a S. Guillelmo, & Neapolitanæ Servi Dei Joannis Leonardi de Fusco.

8. Verum, hisce sepositis, si constiterit Dei Servum opera conscripsisse, eaque non fuisse revisa & approbata a sacra Congregatione, opus est, ut ante Commissionem reassumptionis petatur, & obtineatur eorumdem operum revisio: is enim, me fungeate munere Fidei Promotoris, usus fuit in modo allegatis causis Servorum Dei Joannis a S. Guillelmo, & Leonardi de Fusco. Si autem Servus Dei opera non conscripserit, cetera requisita ad obtinendam signaturam Commissionis reassumptionis desumuntur ex verbis decretorum sanmem. Innocentii XI. *In causis Servorum Dei ante decreta fel. record. Urbani VIII. introductis non signentur Commissiones reassumptionis, nisi prius per sacram Congregationem examinatis processibus tam auctoritate ordinaria confectis, quam auctoritate Apostolica, quatenus adsint*. Cumque post edita prædicta decreta primæ Commissiones reassumptionis, quæ fuerunt expeditæ, expeditæ fuerint in causis Toletana, & Vallisoletana Servorum Dei Simonis de Roxas, & Michaelis de Sanctis; in Congregatione habita, & cui etiam Consultores interfuerunt, firmatum fuit pro regula, ne signentur Commissiones reassumptionis, nisi exhibeantur omnes processus confecti auctoritate tum ordinaria, tum Apostolica, quatenus adsint, nisi doceatur de fama sanctitatis, ejusque incremento, & nisi desint obstacula, quæ sint talis momenti, ut unico oculorum conjectu deprehendatur superari non posse in formali causæ discussione, quæ fieri debet post obtentam causæ resumptionem; uti testatus fuit bon. mem. Prosper Bottinius tunc Fidei Promotor in animadversionibus factis in causa B. Chunegundis Reginæ Poloniæ, ubi: *Prævia matura discussione, firmatum fuit die 9. Augusti 1681. dum agebatur de similibus Commissionibus in Toletana, & Vallisoletana Servorum Dei Simonis de Roxas, & Michaelis de Sanctis, proponentibus Eminentiss. Dominis Cardinalibus Ludovisio, & Norfolcia, quod in novissimis decretis non fuit præscripta nova forma &c. sed solum requisitum fuit, quod, antequam signentur hujusmodi Commissiones, examinentur processus etiam auctoritate Apostolica confecti ante decretorum generalium publicationes, quatenus adsint, ad effectum recognoscendi, an ex eis constet de fama sanctitatis, ejusque continuatione*.

9. Ut autem horum requisitorum vera intelligentia lectorum oculis subjiciatur, necesse est, ut in hoc capite sequentia subdantur. Dictum fuit, pro obtinenda Commissione reassumptionis examinandos esse processus auctoritate ordinaria, & Apostolica confectos, quatenus adsint; sed hoc examen coercetur intra efficacitatem tantum, seu *relevantiam*, ut videlicet videatur, an ex eis probata maneat fama sanctitatis, virtutum, aut Martyrii, & miraculorum, & an in iisdem aliquod contineatur obstaculum, nec extenditur ad eorumdem validitatem. Vel enim de ista actum fuit ante decreta Urbani VIII. & tunc indecens omnino esset, ut nova quæstio de ea assumeretur occasione resumptionis causæ; vel de ea actum non fuit ante decreta Urbani VIII. & consequenter validitas non fuit discussa aut approbata, & tunc discussio fieri debet post signatam Commissionem reassumptionis in causæ progressu, quatenus Postulatores dictis processibus uti velint.

10. Dictum etiam fuit, exhibendos esse omnes processus tum ordinarios, tum Apostolicos, quatenus adsint, ut constet de fama, & de defectu obstaculi; sed id in perpetuum non est. Et primo quidem, si ante decreta Urbani VIII. fuissent approbatæ virtutes non solum a Rotæ Auditoribus, quibus tunc causæ committebantur, verum etiam a sacra Congregatione, in qua assumebatur examen relationum factarum a prædictis Rotæ Auditoribus, uti sæpe dictum est; tunc pro obtinenda signatura Commissionis reassumptionis non est necesse, ut pro examine exhibeantur processus auctoritate ordinaria, & Apostolica confecti, cum per præcedentem virtutum approbationem rite & recte factam cesset finis memoratæ exhibitionis; sicuti, dum fungebar munere Fidei Promotoris, re bene discussa, firmatum fuit a sacra Congregatione in causa B. Gregorii Papæ X. die 11. Februarii 1713. & in causa S. Aloysii Gonzagæ 22. Augusti 1722. Secundo, præscindendo hanc circumstantiam præcedentis approbationis virtutum, si con-

si contingat, ut processus ordinarius non reperiatur nec in loco, in quo confectus fuit, nec in archivo sacræ Congregationis; tunc, dummodo probentur diligentiæ frustra adhibitæ per attestationes archivi Inspectorum, & doceatur fuisse exhibitum, quando ante decreta Urbani VIII. signata fuit Commissio, locus est signaturæ Commissionis reassumptionis, etiamsi dictus processus nequeat exhiberi. Et in his circumstantiis signata fuit ipsa reassumptionis Commissio in causa Barcinonen. Beatificationis & Canonizationis Servæ Dei, sive Beatæ Mariæ de Socos, & in causa Asculana seu Firmana Servi Dei, seu Beati Seraphini de Monte Granario die 20. Augusti 1712. dum exercebam munus Fidei Promotoris. Rationabile quippe est, ex infortunio perditionis processus irreparabile non derivari in causam præjudicium: præterquamquod possibilitas obstaculi, pro quo avertenda sancita est lex de processu exhibendo, cessat, statim ac docetur de ejus exhibitione ante decreta, & de signatura Commissionis facta dependendo ab eodem, aut eo saltem viso atque examinato. Tertio demum, si aliqui adsint Apostolici processus incepti, sed non completi ante decreta Urbani VIII. hi pro Commissione reassumptionis obtinenda non sunt exhibendi, cum processus incompletus non mereatur nomen processus, nec expediat, ut processus non completus aperiatur; quia observari possent defectus, si qui forte irrepsissent, quibus remedium adhuc parari posset in aliorum testium examine; uti bene adnotavit Archiepiscopus Myrensis Fidei Promotor in suis animadversionibus factis occasione resumptionis causarum B. Mariæ de Socos, & Servæ Dei Mariæ Annæ de Jesu Tertii Ordinis S. Francisci. Nec desunt sacræ Congregationis deliberationes editæ, dum ipse fungebar munere Fidei Promotoris; in causa videlicet Forolivien. Servi Dei Marculini de Forolivio Ordinis Prædicatorum, in qua pro Commissione reassumptionis die 19. Januarii 1715. responsum fuit, quod exhiberetur processus ordinarius, & quod Apostolicus nullo modo aperiretur aut mitteretur, quia completus non erat; & in causa Neapolitana Servi Dei Leonardi de Fusco, in qua die 6. Julii 1715. responsum fuit pro signatura Commissionis reassumptionis, licet non fuisset exhibitus processus inceptus, sed minime completus ante decreta Urbani VIII. Me quippe suadente, bene ponderarunt Domini Cardinales sacris ritibus præpositi, obstaculum, si forte in processu incompleto adesset, latere non posse eamdem sacram Congregationem. Nam vel processus incompletus post resumptionem completur; & in hoc casu exhiberi debet, ut a Fidei Promotore & a sacra Congregatione suo loco & tempore perpendatur, quando videlicet proponitur formale dubium de virtutibus: vel processus incompletus ante decreta, resumpta causa, non completur; & in hac facti specie pertinet ad Fidei Promotorem instare, ut idem mittatur & exhibeatur, cum de virtutibus agendum est, ut videatur, an in eo contineatur obstaculum: quare in citata causa Servi Dei Leonardi de Fusco responsum quidem fuit pro signatura Commissionis, non exhibito processu incompleto, sed cum additamento, ut signata Commissione, vel processus compleretur, vel mitteretur incompletus.

11. Denique dictum fuit, probandam esse famam sanctitatis, aut Martyrii, atque miraculorum, necnon ejus continuationem: quod est intelligendum usque ad tempus, quo petitur Commissio reassumptionis: incongruum enim nimis esset, si causa resumeretur, in qua fama sanctitatis cessaret; idque obstaret formulæ Commissionis reassumptivæ, in qua habentur hæc verba: *Percrebrescente vero fama sanctitatis, una cum miraculis, quæ omnipotens Deus meritis & intercessione concedere dignatur &c.* Sed, quia continuatio famæ ex præcedentibus processibus probari non potest, & nimis rigidum esset novum processum requirere super famæ continuatione, introductus fuit mos, ut per attestationes *extrajudiciales* de ea doceatur. Dum munus obibam Fidei Promotoris, signata fuit Commissio reassumptionis in causa B. Benedicti a Sancto Philadelphio, uti colligitur ex decreto edito die 26. Augusti 1713. &, ut satisfieret oppositioni a me excitatæ quoad defectum probationis continuationis famæ usque ad tempus, quo proponebatur petitio super ipsa Commissionis signatura, Postulatores exhibuerunt epistolam Senatus Panormitani, & epistolam Archiepiscopi Panormitanæ civitatis de continuatione testimonium perhibentes. Consimilia contigerunt in causa Neapolitana Servi Dei Joannis Leonardi de Fusco, in qua signata fuit Commissio reassumptionis die 6. Julii 1715. & probatio continuationis famæ desumpta fuit ex petitionibus Episcoporum aliarumque personarum authenticarum pro Beatificatione & Canonizatione ejusdem Servi Dei, necnon ex epistolis ab illis conscriptis summo Pontifici paulo ante tempus petitionis signaturæ Commissionis; quæ pariter evenerunt in resumptione causæ B. Gregorii Papæ X. Cumque in causa Indiarum seu Goana Beatificationis, seu declarationis Martyrii Servorum Dei Rodulphi Aquavivæ & Sociorum e Societate Jesu, sacra Congregatio die 5. Julii 1713. respondere noluisset pro signatura Commissionis reassumptionis propter defectum probationis continuationis famæ sanctitatis & Martyrii usque ad tempus, quo proponebatur petitio super Commissionis signatura, die tandem 26. Augusti 1713. censuit, ipsam signandam esse, eo quia Postulatores demonstrarunt tum ope attestationum *extrajudicialium*, tum ope Historicorum, qui fere usque ad dictum tempus scripserant, famam Martyrii perdurare & percrebrescere.

12. Porro petitio sive *instantia* pro signatura Commissionis reassumptionis proponitur, uti diximus, in sacrorum rituum Congregatione ordinaria; a qua, perpensis requisitis, si responsum fuerit pro signatura Commissionis reassumptionis, & ejus responsum fuerit a summo Pontifice approbatum, componitur Commissio a Postulatoribus, revidetur a Fidei Promotore, qui addit addenda, aut detrahit detrahenda, & in calce tellatur, se eam vidisse, deinde defertur ipsa Commissio per Secretarium sacræ Congregationis ad summum Pontificem, qui eam manu propria signat, ut pariter dictum est, quando agebatur de Commissione introductionis.

13. De nonnullis Servorum Dei causis aliquando actum est ante decreta Urbani VIII. sine formali processu, & tantum per monumenta atque *extrajudiciales* attestationes. In causa Sanctæ Agnetis de Monte Politiano ante decreta Urbani VIII. actum fuit de concessione Officii & Missæ, nulla tamen expedita Commissione judiciali, nec consequenter ullo confecto processu Apostolico, sed visis duntaxat & bene perpensis historicis monumentis, & Episcoporum relationibus de virtutibus & miraculis plene testimonium perhibentium. In causa Sancti Peregrini Latiosi facta fuit a Paulo Papa V. prævio consilio Congregationis sacrorum rituum concessio Officii cum lectionibus propriis, & Missæ, nullo præcedente Apostolico processu, sed præcedente tamen quodam processu ordinario. Itaque, quando post Urbani decreta actum fuit de expediendis Commissionibus in prædictis causis, quæstio exorta est, utrum Commissio effet dicenda *introductionis*, an *reassumptionis*; quia aliquibus quidem videbatur esse dicenda *Commissio introductionis*, cum nulla alia Commissio antea fuisset expedita, sed aliis videbatur dicenda esse *Commissio reassumptionis*, cum antea actum fuisset in sacra Congregatione de indultis Beatitatis concedendis, eadem concessa fuissent. Nec enim hæc controversia de nomine re vera dici poterat; quia, si per petitionem, & concessionem indultorum causa potuit dici introducta, processus postea ab Ordinario confecti *nullitatis* vitio laboraffent ex præcedenti appositione manus sanctæ Sedis, quemadmodum dubitatum fuit in causa S. Agnetis juxta ea, quæ mox referentur. Interim vero satis erit retulisse, principalem eam *controversiam* de nomine *Commissionis* sic fuisse compositam, ut, abstinendo a *qualificatione* introductionis, vel reassumptionis, Commissio simpliciter appellaretur *Commissio in statu & terminis*, uti colligitur ex sensu ejusdem Commissionis signatæ anno 1707.

14. Signata hac Commissione in statu & terminis in causa S. Agnetis, propositum fuit dubium super casu excepto a decretis Urbani VIII. deinde transitus factus est ad discussionem virtutum, ipsaque expleta, ad discussionem miraculorum. Inter miracula, quæ discutienda proponebantur, unum erat, super quo confectus fuerat ab Ordinario processus anno 1705. & super quo fuerant subinde post signatam Commissionem examinati nonnulli testes auctoritate Apostolica, qui tamen separati a testibus examinatis auctoritate ordinaria non sufficiebant ad plenam seu *adæquatam* probationem. Igitur, ut officio meo fungerer, dixi, miraculum prædictum probatum dici non posse, eo quia processus ab Ordinario confectus anno 1705. *nullitatis* vitio laborabat, tanquam confectus post appositionem manus sanctæ Sedis; & manus appositionem deduxi ex supra recensitis indultis a Clemente VIII. concessis. Responsum autem

fuit

fuit a Poſtulatoribus, manum a ſancta Sede appoſitam non fuiſſe propter conceſſionem indultorum, allatis pro hac aſſumptione iiſdem rationibus, quibus uſus fuerat Archiepiſcopus Myrenſis Fidei Promotor, quando in ſuis animadverſionibus ſuper ſignatura Commiſſionis probare voluit, ſignandam eſſe *Commiſſionem*, non *reaſſumptionis*, ſed *introductionis*. En verba ejuſdem Archiepiſcopi: *Unica igitur difficultas ad præſens in eo reſidet, quod Poſtulatores prætendunt, ſignandam eſſe Commiſſionem per viam reaſſumptionis, non autem introductionis &c. Verum nimis debile eſt fundamentum, cui eorum inſtantia innititur, videlicet dictorum indultorum, & appoſitionis dictæ Beatæ in Martyrologio Romano: ſiquidem hujuſmodi conceſſiones nunquam poſſunt haberi in ratione Commiſſionis, per quam Papa committit ſacræ rituum Congregationi in figura telæ judiciariæ cognitionem totius cauſæ Beatificationis & Canonizationis uſque ad ultimam ſententiam excluſive reſervatam ſupremo judicio & determinationi ſummi Pontificis &c. Id autem præſtare non dicitur Papa per ſimplex & peculiare reſcriptum limitatum ad alicujus indulti conceſſionem, prout ad unguem accidit in hypotheſi, uno videlicet tempore concedendo indultum celebrandi feſtum, altero indultum Officii & Miſſæ, & altero deſcriptionem in Martyrologio &c. Ratio autem hujus diſcriminis inter Commiſſionem introductionis cauſæ, & inter particulares conceſſiones ea facile eſt, quod per ſignaturam Commiſſionis Apoſtolica Sedes tribuit facultatem judicialiter inquirendi de fama & veritate geſtorum perſonæ, quæ petitur canonizari, atque exercendi quamdam ſpeciem contentioſæ juriſdictionis cum poteſtate Judicibus delegatis citandi & inhibendi, ut videre eſt in formula Commiſſionis. Per conceſſionem vero indultorum particularium nullum penitus explicatur exercitium contentioſæ juriſdictionis, ſed per quamdam ſpeciem voluntariæ devenitur ad aliquam largitionem particularis & limitati cultus, nullo judiciali ſervato ordine atque figura. Unde Commiſſionem ſignandam pro inchoanda cauſa Canonizationis hujus Beatæ prorſus ineptum eſt nuncupare reaſſumptionis, dum cauſa uſque nunc non fuit judicialiter introducta, nec ulla penitus habetur Actorum judicialium ſeries in ſuſpenſo relicta, quæ modo reaſſumenda ſit.* Hæc rationum momenta iterum ſacræ Congregationi expoſita, dum de miraculis agebatur, fuerunt approbata; & ideo exiſtimatum fuit, potuiſſe a Poſtulatoribus fundamentum conſtitui in proceſſu auctoritate ordinaria confecto anno 1705. nec eum nullum dici poſſe propter præcedentem appoſitionem manus ſanctæ Sedis: ita ut concludendum eſſe videatur, manus appoſitionem derivari ex ſola ſignatura Commiſſionis, excluſis indultis ſine tela judiciaria, & tantum ope documentorum *extrajudicialium* ab Apoſtolica Sede conceſſis.

CAPUT TRIGESIMUMNONUM.

De ſubſtantia, & uſu, praxi *judicii in genere ſuper fama ſanctitatis, aut Martyrii.*

1. SIGNATA Commiſſione introductionis cauſæ procedentis ſaltem per viam non cultus, expediuntur litteræ remiſſoriales pro conficiendo auctoritate Apoſtolica proceſſu ſuper fama ſanctitatis, aut Martyrii. Rectus ergo rerum ordo expoſceret, ut hic ageretur de earumdem litterarum expeditione: ſed, cum mens ſit omnia in unum colligere, quæ pertinent ad validitatem proceſſuum, ut de eis tractetur in ultima parte hujus libri, hinc eſt, quod, omiſſa interim expeditione litterarum remiſſorialium pro conficiendo proceſſu in genere, tranſitus fit ad judicium famæ ſanctitatis, aut Martyrii.

2. Præter Oſtienſem autem, qui in *cap. Audivimus, de Reliq. & venerat. SS.* ſcripſit in hiſce cauſis non procedi ad inquiſitionem in ſpecie, niſi abſoluta inquiſitione in genere, id ipſum præſcribitur in ſæpe citatis monumentis, quæ Ordines Canonizationum appellantur; in eo videlicet Jacobi Cardinalis Cajetani typis impreſſo apud Mabillonium *to.* 2. *muſ. Italic.* in alio pariter impreſſo apud Raynaldum *ad an.* 1347. *n.* 34. in alio apud Henricum Spelmannum *tom.* 3. *Concil. Britan. pag.* 636. *& ſeqq.* & in Cæremoniali Romano edito ſub Leone X. *ſect.* 6. *cap.* 1. ubi ſic legitur: *Poſtquam, increbreſcente fama de excellentia vitæ, opinione ſanctitatis, & miraculorum coruſcatione, ſummus Pontifex ſæpe fuerit per Reges, Principes, ſeu populos certior factus, rogatuſque, ut aliquem vita jam functum adſcribendum in Sanctorum catalogo, & venerandum ut Sanctum decernat, re cum Fratribus matura tractata, ſi procedendum ad inquiſitionem cenſuerit, committat aliquibus Prælatis in illis partibus, ubi vitam duxit, & mortuus jacet ille, de quo agitur, ut ſe diligenter informent & ſolerter inquirant de fama, opinione, & devotione populorum circa illum talem: quam inquiſitionem in genere, & ſine teſtium juridica examinatione facere debent, & quæ inveniuntur, ſuis litteris ad ſummum Pontificem fideliter referre Pontifex intellecta Commiſſariorum relatione, proponit omnia ſacro Collegio, & cum eo deliberat, an ſatis digna videantur, quæ relata ſunt, ad ulterius inquirendum.*

3. Confirmatur aſſumptio ex decretis generalibus Urbani VIII. *In hac prima Remiſſoria ſuper inquiſitione generali fieri ſolet magnum fundamentum, & merito; quia, ſi non probetur fama ſanctitatis, in loco præfertim, ubi mortuus fuit ille, pro quo inſtatur, concedi non debet Remiſſoria ſuper inquiſitione in ſpecie: & propterea nunquam debet omitti hæc inquiſitio in genere.* Itemque Doctores communiter aſſerunt, præcedere debere hanc inquiſitionem *in genere*, ſive ſuper fama ſanctitatis, ne ſubſequens inquiſitio *in ſpecie* temere fieri dicatur. Antonius a Butrio *in cap. Audivimus num.* 4. Joann. And. *num.* 3. Zabarella *num.* 9. *de Reliq. & venerat. SS.* Malvet. *de Canoniz. SS.* (*inter tr. magn. tom.* 14. *num.* 11. *& ſeqq. pag.* 103.) Caſtellan. *de Canon. SS. quæſt.* 8. *verſ. Si continuetur*, Contelor. *de Canonizat. SS. cap.* 23. *num.* 13. *&* 14. Chaſſan. *in catalog. gloriæ mundi part.* 3. *conſiderat.* 50. *verſ. Secundum eſt*, Maſcard. *de probat. concl.* 162. *num.* 63. Auditores Rotæ *in relatione Beati Gregorii X. tit. de ſanctitate Beati Pontificis in genere §. Sextum ſe præbet argumentum.* Adnotanda autem ſunt verba ſupra relata decretorum, *Et propterea nunquam debet omitti hæc inquiſitio in genere*: ex quibus infertur, quod, licet ante decreta non delint exempla tum in cauſis Confeſſorum, tum in cauſis Virginum conceſſæ *diſpenſationis*, ut abſque confectione proceſſus in genere tranſitus fieret ad inquiſitionem in ſpecie, in cauſis videlicet SS. Caroli Borromæi, Franciſci Saleſii, Venerabilium Dei Servorum Hippolyti Galantini, & Pauli de Sancta Maria, & Venerabilis Dei Servæ Mariannæ de Jeſu; poſt prædicta tamen decreta non ita facile erit exemplum reperire conſimilis conceſſæ *diſpenſationis*, in cauſis ſaltem Confeſſorum, aut Virginum, vel nec Virginum nec Martyrum, quæ procedant per viam non cultus. Eadem quidem petita eſt a Poſtulatoribus in cauſa Pariſien. S. Vincentii de Paulis ſub obtentu, quod de fama pleniſſime conſtabat non modo ex proceſſu confecto ab Ordinario, verum etiam ex epiſtolis omnium fere Galliæ Epiſcoporum, quæ ſummo Pontifici ſcriptæ fuerant, & typis impreſſæ in quodam peculiari volumine. Sed ſan. mem. Clemens XI. conſiderata littera decretorum, mihi tunc Fidei Promotori demandavit, ut Poſtulatoribus ſuaderem, ut a petitione recederent, cui ipſe nunquam benignum præbuiſſet aſſenſum. Quibus auditis, prædicti Poſtulatores petierunt, & obtinuerunt *Remiſſoriam* pro conficiendo auctoritate Apoſtolica proceſſu in genere ſuper fama ſanctitatis, virtutum, & miraculorum.

4. Dictum eſt, non ita facile exemplum reperiri poſſe poſt decreta Urbani VIII. *diſpenſationis* conceſſæ ab inquiſitione in genere in cauſis Confeſſorum, aut Virginum, vel nec Virginum nec Martyrum, quæ procedant per viam non cultus: ſi enim res ſit de cauſis Martyrum, ſive eæ procedant per viam non cultus, ſive per viam caſus excepti, ſæpius etiam poſt decreta indultum eſt, ut fieret tranſitus ad inquiſitionem in ſpecie, omiſſa inquiſitione in genere. Exempla quoad cauſas Martyrium procedentes per viam non cultus deſumuntur ex cauſis Venerabilium Dei Servorum Franciſci de Capillas Ordinis Prædicatorum, ac Joannis de Britto Religioſi Societatis Jeſu, & B. Joannis de Prado: exemplum autem quoad cauſam Martyris procedentem per viam caſus excepti deſumere eſt ex cauſa S. Joannis Nepomuceni. Præterquamquod, ſi ex mox adducendis locus eſt *diſpenſationi* etiam in cauſis Confeſſorum procedentibus per viam caſus excepti, potiori jure locus eſſe debebit in cauſis Martyrum per eamdem viam procedentibus. Nec ulla nimia indulgentia excogitari poteſt quoad *diſpenſationem* ab inquiſitione in genere in cauſis Martyrum, ſive procedant per viam non cultus, ſive per viam caſus

casus excepti; cum juxta Doctores causæ Martyrum facilius & levius expediantur, quam causæ Confessorum, uti ad rem adnotatum fuit in decreto sacræ Congregationis edito in causa Sinarum Beatificationis & Canonizationis, seu declarationis asserti Martyrii supradicti Francisci de Capillas: *Licet in causis Confessorum in decretis fel. record. Urbani VIII. caveatur, quod, priusquam deveniatur ad conquisitionem specialem, omnino docendum sit de fama sanctitatis in genere; quia tamen agitur de asserto Martyrio, in quo Ostiensis in cap. 1. de Relig. & venerat. Sanctor. fatetur præcitatum ordinem non fuisse observatum, cum facilius & levius consueverint expediri Martyrum causæ &c. ideo Sanctissimus Dominus noster Clemens Papa IX. ex speciali gratia concessit & indulsit, posse in hujusmodi causa ad specialem inquisitionem deventri absque alia confectione processus in genere, non obstantibus decretis ejusdem Urbani VIII. aliisque in contrarium quibuscumque. Hac die 8. Octobris* 1669. Idem judicium ferendum est de causis Confessorum, seu Virginum, vel nec Virginum nec Martyrum procedentibus per viam casus excepti. Si enim signata Commissione, processus conficitur super cultu, qui ex alibi dictis continuatus esse debet usque ad tempus, quo in sacra Congregatione dubium proponitur de confirmatione, vel infirmatione sententiæ super eo latæ a Judice ordinario, vel delegato; fama sanctitatis in antecessum probata dici potest ex duplici processu, altero per Ordinarium confecto super fama sanctitatis, virtutum, & miraculorum, altero super cultu exhibito, cum sanctitatis fama comes sit & etiam forte causa cultus. Ex quo proinde factum est, obvia esse exempla concessæ *dispensationis* ab inquisitione in genere etiam post decreta Urbani VIII. in causis Confessorum, aut Virginum procedentibus per viam casus excepti; in causa videlicet Cracovien. B. Joannis Cantii 22. Novembris 1681. in alia causa pariter Cracovien. Servi Dei Vincentii Kadlubech 22. Augusti 1682. & in causa S. Agnetis de Monte Politiano 9. Julii 1707.

5. Sub obtentu, quod res nota ac aperta sit, super fama sanctitatis nonnulli scripserunt superfluum esse processum in genere. Ita Contelorius *de Canonizat. SS. cap. 23. num. 6. Est advertendum primo, processum in genere non esse necessarium, ubi notorium & publicum est, de cujus Canonizatione tractatur, obiisse cum fama sanctitatis, & multis coruscasse miraculis. Processus enim in genere requiritur ad informandum animum Judicis, ad hoc, ut videat, an adsit talis fama sanctitatis & miraculorum, quæ indicet & suadeat, committendam esse probationem in specie. Sed supposita notorietate sanctitatis & miraculorum, non videtur necessaria hujusmodi probatio; cum in notoriis etiam in causa judiciali judicialis tela possit omitti.* Ante Contelorium ita quoque scripsit Auctor tractatus manuscripti de Canonizatione Sanctorum ad Cardinalem Montis Regalis *par. 4. cap.* 2. ubi: *Et, ni fallor, hæc inquisitio generalis omitti potest, quando de fama jam constat vel ex vita scripta & chronicis, si Canonizandus ante multos annos obierit, ut in S. Bonaventura fecit Sixtus IV. vel ex celebri omnium memoria, si recens decessit e vita. Quamobrem in processu Canonizationis B. Hyacinthi hæc generalis Commissio prætermissa fuit; nam ex Polonorum commendatione, chronicis, & vita ejus jamdiu scripta & a Rege ad Pontificem transmissa, de fama sanctitatis & miraculorum abunde constabat.* Sub obtentu quoque famæ comprobatæ in processu ordinario aliquando existimatum fuit, esse posse locum *dispensationi* ab inquisitione in genere; ut in relatione causæ S. Caroli Borromæi *ante par. 1. Secunda conclusio fuit, quod, licet in processibus inchoandis super Canonizationibus Sanctorum præcedere debeat inquisitio in genere super fama sanctitatis, devotione populi, & miraculis illius, qui petitur canonizari, antequam deveniatur ad inquisitionem in specie super actibus, ex quibus probatur sanctitas, & super miraculis in specie; in hac tamen causa, si Sanctissimo placuisset, sicut placuit, omissa inquisitione in genere poterat deveniri ad inquisitionem in specie, quia processus auctoritate ordinaria facti & alia multa deducta poterant supplere probationem, quæ solet inquiri & haberi ex inquisitione generali. Nam inquisitio generalis solum fit ad effectum, ut inquiratur de fama, & devotione populi, & miraculis non quoad veritatem in specie, sed quoad famam tantum; quia super veritate videndum est in inquisitione particulari. Unde, cum in processibus auctoritate ordinaria factis de hac saltem plene constaret, bene potuit omitti inquisitio in genere, & deventri ad inquisitionem specialem, quia ex deductis idem habebatur effectus;* & in relatione causæ S. Ignatii *tit. de validit. & legalit. process. Apostol.* ubi sic legitur: *Nec dubitavimus, potuisse deveniri ad faciendam hanc probationem in specie; quia, cum ex supradictis processibus auctoritate Nuntii fabricatis habuissemus ea omnia, quæ ex inquisitione & probatione in genere desiderantur, judicavimus, illos bene potuisse deservire pro inquisitione & probatione in genere.*

6. Verum, utut hæc sua probabilitate non carerent ante decreta Urbani VIII. ea certe quocumque robore post dicta decreta destituuntur: Pignatellus *consult. 200. tom. 1.* Primo, quia in formula litterarum remissorialium in genere in eisdem decretis typis impressa præsumuntur præcessisse processus ordinarii, *exhibitis processibus auctoritate ordinaria confectis*; & hoc tamen minime obstante Judices eliguntur pro confectione processus in genere: ex quo plene demonstratur, non esse omittendam inquisitionem in genere, eo quod processus auctoritate ordinaria confectus præcesserit. Secundo, quia ex alibi dictis regula est, ut ad Beatificationem & Canonizationem procedatur junctis simul probationibus utriusque processus, ordinarii scilicet, & Apostolici; in qua rerum statu nemo est qui non videat, addendam esse probationem ex processu Apostolico super fama sanctitatis, licet hæc probata sit antea ex processu ordinario. Tertio, quia rigidior est probatio famæ facienda in processu Apostolico probatione famæ, quæ facta est, seu fit in processu ordinario, ut infra videbitur; & ideo mirum non est, si præter adducta super facta in processu ordinario sancta Sedes expoſcat adducenda in processu Apostolico. Ultimo, quia post processum ordinarium potuit fama sanctitatis cessare, aut saltem non augeri: cumque necesse sit, ut videatur, an fama, quæ existebat, adhuc existat, vel utrum vires amiserit, an augmentum acceperit, præsertim vero, cum non modicum tempus elabatur, & elabi necessario debeat inter processum ordinarium, & Apostolicum; satis hoc esse debet, ne sub obtentu famæ probatæ in processu ordinario locus esse valeat omissioni processus in genere conficiendi auctoritate Apostolica.

7. Fama autem sanctitatis in genere nihil aliud est, quam existimatio seu communis opinio de puritate & integritate vitæ, & de virtutibus non utcumque, sed per continuatos actus, data occasione, exercitos supra communem operandi modum aliorum proborum virorum, aut mulierum ab aliquo Servo vel Serva Dei jam defunctis, necnon de miraculis eorum intercessione a Deo patratis; ita ut, concepta in uno vel pluribus locis erga eos devotione, a plerisque in suis necessitatibus invocentur, & plurium graviorum virorum judicio digni existimentur, ut per Sedem Apostolicam referantur in album Beatorum vel Sanctorum. Pariter fama Martyrii in genere nihil aliud est, quam existimatio & communis opinio, quod aliquis vel aliqua pro Fide Christi, vel pro virtute, quæ ad Fidem Christi deducatur, illatam sibi mortem patienter tulerint, & quod signa seu miracula eorum intercessione, vel ad patefaciendam eorum pretiosam mortem secuta sint; ita ut, apud plerosque concepta devotione, in suis necessitatibus invocentur, & gravium virorum existimatione digni judicentur, ut in catalogum Beatorum & Sanctorum a summo Pontifice referantur. Concordant adducta a P. Ceparo *in direct. Canoniz. lib. 2. cap. 2.* ubi sic ait: *Illi dicuntur mori cum fama & celebri apud multos opinione sanctitatis, de quibus communis opinio est & constans fama, ipsos, dum viverent, Sanctos habitos fuisse, & in sanctitate perseverasse usque ad mortem; qui scilicet fuerunt justi ante Deum, incedentes in omnibus mandatis & justificationibus Domini sine querela &c. inventi sunt sine macula, & post aurum non abierunt &c. qui servaverunt Fidei puritatem, excellenti sanctimonia vitæ floruerunt, & miraculis claruerunt &c.* & post plura: *Et denique tales fuerunt, ut eorum vita & res gestæ possint & aliis proponi ut exemplum ad imitandum.*

8. In decretis generalibus Urbani VIII. omnia continentur pertinentia ad substantiam hujus judicii: in forma quippe Commissionis generalis sequentia verba habentur exprimentia totum id, quod modo dictum est: *Adeo hactenus aucta, in diesque magis augetur fama sanctitatis Servi Dei una cum miraculis, quæ omnipotens Deus ejus meritis & intercessione concedere dignatur, ut, concepta in diversis mundi partibus, maxime vero N. N. erga eum devotione, a plerisque in eorum necessitatibus invocetur, & plurimorum etiam gravium virorum existimatione Beatificationis & Canonizationis honore dignus, intercedente infallibili Sanctitatis vestræ judicio, reputetur.* Quia vero, si opinio de sanctitate & miraculis alicujus viguisset

guiſſet in aliqua parte tantum, non autem in majore parte populi, non famæ, ſed rumoris nomen habere deberet, juxta late deducta per Fagnanum *in cap. Veſtra, n. 44. de cohabitatione Clericorum, & mulierum*; hinc eſt, quod in *interrogatoriis* inſertis inter dicta decreta generalia inquirendum proponitur, utrum pars tantum, an major pars, aut totus populus vel plurium locorum habuerit devotionem erga Dei Servum, & in quo dicta devotio conſiſtat, & utrum fuerit communis reputatio, an aliquorum tantum, Deum interceſſione ejus hominis, de quo agitur, dignatum fuiſſe miracula operari.

9. Item, quia non ſufficit, famam viguiſſe apud majorem partem populi, niſi eadem orta ſit ex probabilibus cauſis juxta late deducta per Sperellum *deciſ. 73. num. 89.* hinc pariter eſt, quod in citatis *interrogatoriis* quæſtio proponitur de famæ origine. Demum, quia de eſſentia veræ famæ eſt, ut duret & augeatur, non autem ut per modicum tempus vigeat & cito evaneſcat, uti de re hac proſequitur Pavinus in relatione cauſæ S. Bonaventuræ *part. 1. art. 10. Quæ fama magis attendenda eſt, quia etiam poſt mortem ad hæc uſque tempora ſemper perſeveravit, unde a Spiritu Sancto dici debet proceſſiſſe; nam quæ non ſunt ab eo, non durant*; itemque Simoneta in relatione cauſæ S. Franciſci de Paula: *Plurimis quoque annis, & vivente B. Franciſco, & eo mortuo, magis atque magis invaleſcens ſemper crevit, & in diebus etiam augetur*; hinc quoque eſt, quod in forma Commiſſionis generalis inter citata decreta petitur facultas, ut examinari poſſint teſtes ſuper fama in genere, & an ea vigeat in præſenti, & in *interrogatoriis* diſcutiendum proponitur, utrum fama fuerit continua, an interpolata, utrum fuerit diminuta, an potius aucta.

10. Neque in citatis decretis omittitur peculiaris indago, quæ fieri debet de fama in loco, in quo Dei Servus mortuus eſt, vel in quo ejus corpus requieſcit. En verba decretorum: *Magnopere etiam conſiderari debet, antequam ad aliquos actus deveniatur, ut exploretur in loco, ubi mortuus fuit, vel requieſcit ille, pro quo petitur Canonizatio, an præſens fuerit, & vigeat communis reputatio, & fama ſanctitatis, & unde ortum habuerit, an ſponte homines ad venerationem, an vero arte, & diligentia humana procuretur id exhiberi, quod non procuratum non exhiberetur*. Conferunt etiam adducta in *interrogatoriis*, in quibus ſtatuitur, teſtem interrogandum ſuper acceſſu proprio, & aliorum ad ſepulcrum, & utrum concurſus fuerit diminutus, an auctus: præterquamquod teſtari poſſum, dum fungebar munere Fidei Promotoris, non modicum illatum fuiſſe cauſæ Beatificationis cujuſdam Servi Dei præjudicium, eo quia non adfuerat, vel, ſi quidem adfuerat, jam ceſſaverat concurſus populi ad ejus ſepulcrum. Porro quia ultimum *interrogatorium* eſt omnium circumſtantiarum veræ famæ complexivum, operæ pretium exiſtimamus, id per extenſum referre: *Ultimo generaliter interrogetur circa famam, an ſciat, quid ſit fama, & an illa viguerit in aliqua parte populi, an vero in majori; an orta ſit ex probabilibus cauſis, vel potius fuerit vanus rumor populi. An habuerit originem a perſonis nimis affectis, vel ſuſpectis, & intereſſatis, puta conjunctis, vel affinibus, amicis intrinſecis, Religioſis ejuſdem Ordinis, vel aliis quibuſcumque, qui ratione eccleſiæ, in qua corpus reperitur, vel ob aliquam aliam cauſam aliquod intereſſe, ſaltem affectionis, habere poſſint. An perſonæ, a quibus fama orta eſt, eſſent perſonæ graves, & fide dignæ, an potius leves, & ordinariæ, puta mulieres, ruſtici, & alii idiotæ, vel ignari. An hujuſmodi fama fuerit conſtans, & perpetua, quæ ſemper duraverit, vel brevi, & per modicum tempus, & cito evanuerit. An contra hujuſmodi famam fuerit unquam aliquid dictum, factum, vel auditum in contrarium. Denique an hujuſmodi fama viguerit non ſolum in loco, ubi dictus N. vixit, vel mortuus fuit, ſed etiam in aliis locis, & in quibus, vel potius in aliis locis, non autem in eo, in quo vixit, vel mortuus fuit, vel e contra fuerit tantum in loco in quo vixit, & mortuus fuit, non autem in aliis locis; & unde hoc proceſſerit, quod fama non fuerit in omnibus locis, & maxime in eo, in quo vixit, vel mortuus fuerit.*

11. A ſubſtantia judicii tranſitum faciendo ad ejus uſum ſeu *praxim*, ſolemne eſt, ut (completo proceſſu in genere, ipſoque ad Urbem miſſo una cum epiſtola Epiſcoporum, qui eum confecerunt, in qua ſignificare debent ſacræ Congregationi, an, & quæ fides teſtibus examinatis tribuenda ſit, & an iiſdem Epiſcopis videatur, tale momentum ex proceſſu per eos confecto derivari, ut locus eſſe poſſit inquiſitioni in ſpecie) petatur in Congregatione ordinaria ejus apertio, eademque obtenta atque expleta, proponatur in Congregatione generali coram ſummo Pontifice, niſi acceſſerit *diſpenſatio* de propoſitione facienda in Congregatione ordinaria, dubium complexivum tum validitatis, tum *relevantiæ* proceſſus. Onus autem Fidei Promotoris eſt impugnare proceſſus validitatem, & etiam oſtendere, ex eo rite & recte non eſſe probatam famam ſanctitatis; ut onus eſt Poſtulatorum in prima informatione ſeu ſcriptura omnia recenſere, quæ validitati favent & relevantiæ proceſſus, & in ſecunda ſcriptura reſponſiones parare oppoſitionibus excitatis a Fidei Promotore. Poſtea res in ſacra Congregatione diſcutitur, quæ ſi ſentiat, non modo proceſſum eſſe validum, ſed etiam famam ſanctitatis, aut Martyrii, & ſignorum ſeu miraculorum eſſe rite probatam, tum autem ſactæ ipſius Congregationis deliberatio a ſummo Pontifice confirmetur, judicium hoc generale, ſeu ſuper fama ſanctitatis abſolutum eſt ac terminatum.

12. Quæ dicta ſunt de epiſtola ab Epiſcopis ſcribenda, deſumuntur ex forma Commiſſionis generali typis impreſſa inter decreta generalia Urbani: *Quibus peractis, ea, quæ invenerint, fideliter reſcribant, & proceſſum hujuſmodi ad eamdem ſacram Congregationem ſub ſigillo clauſum per fidelem nuntium tranſmittant cum ipſorum litteris, in quibus ſignificent, an eis videatur, quod prædictis teſtibus, & eorum depoſitionibus ſit danda fides, & quod ſuper veritate eorumdem ſit in ſpecie committenda inquiſitio*. Quæ vero dicta ſunt de petitione, ſeu *inſtantia* proponenda in Congregatione generali coram ſummo Pontifice, habentur ex ſequentibus verbis decretorum generalium: *Et eſt advertendum, quod prius concedatur Commiſſio inquiſitionis ſpecialis, quam ſit abſoluta omnino inquiſitio generalis; ſuper qua ſi Epiſcopi deputati ultra proceſſum, quem tranſmittere debent, reſcripſerint ſacræ rituum Congregationi talia, per quæ videatur, quod inquiſitio committi debeat in ſpecie ſuper veritate eorumdem, tunc proponi debet negotium in Congregatione habenda coram Sanctitate ſua, ad effectum ut Sanctitas ſua, ſi ei videbitur, requiſito conſilio Cardinalium Congregationis, poſſit definire, utrum inquiſitio ſpecialis ſit committenda, vel non*. Attamen, ut omnia exponantur, quæ ad uſum ſeu *praxim* pertinent, addendum eſt, hodie nullam Beatificationis aut Canonizationis cauſam ſuper fama in genere proponi coram ſummo Pontifice in Congregatione generali, ſed omnes ſuper hoc dubio proponuntur in Congregatione ordinaria per *diſpenſationem*, quæ nunquam denegatur, & cujus petitio refertur a Secretario ſacræ Congregationis ordinariæ: quæ ſi conſilium præſtiterit pro gratia, & ſummus Pontifex ad ejuſdem Secretarii relationem ſenſum ſacræ Congregationis approbaverit, quemadmodum hac in re ſemper approbare conſuevit, per Cardinalem cauſæ Relatorem dubium de fama ſanctitatis in genere in ſacra ipſa Congregatione ordinaria proponitur diſcutiendum. Ratio autem facilis *diſpenſationis* conſiſtit in eo, quod adeo graves ſunt ſummorum Pontificum occupationes, ut, experientia teſte, viſum ſit, eos per anni circuitum poſſe tantum intereſſe uni aut alteri Congregationi ſacrorum rituum, in quibus agitur de virtutibus, Martyrio, & miraculis in ſpecie, & an tuto procedi poſſit ad Beatificationem & Canonizationem.

13. Adnotandum eſt etiam, uſum recentiorem in aliquibus diſcrepare ab antiquiori. Nam, ut prætermittamus, quod, juxta antiquiorem, judicium ſuper fama ſanctitatis in genere proponebatur in ſacro Cardinalium Conſiſtorio, uti deſumitur ex Cæremoniali Romano *ſect. 6. cap. 1. Pontifex, intellecta Commiſſariorum relatione, proponit omnia ſacro Collegio, & cum eo deliberat, an ſatis digna videantur, quæ relata ſunt, ad ulterius inquirendum*; quando hoc idem dubium hodie proponitur in Congregatione ſacrorum rituum, duæ aliæ inter conſuetudinem antiquiorem, & recentiorem intercedunt differentiæ. Altera eſt, quod hodie fit proceſſus formalis ſuper inquiſitione in genere, & ſecundum juris ſolemnitatem, ſeu *formiter* teſtes examinantur ſub poſitionibus interrogatoriis Fidei Promotoris, quod olim non fiebat; tunc enim proceſſus in genere conficiebatur cum teſtibus *ad perpetuam*, ut dicitur, examinatis, quemadmodum deſumitur ex Cæremoniali Romano *loc. cit. Et ſine teſtium juridica examinatione facere debent*: quam pariter differentiam inter conſuetudinem antiquiorem, & recentiorem bene adnotavit Roſa *in addit. ad ſuum tractatum de Executoribus litterarum*

rarum Apoſtolicarum num. 35. & 36. Altera eſt, quod hodie proceſſus a Judicibus confectus ad Urbem mittitur (uti diximus) & in ſacra Congregatione examinatur; antiquitus vero aliquando conceſſum eſt, ut poſt actas inquiſitiones de fama ſanctitatis in genere Judices procederent ad inquiſitionem in ſpecie, abſque eo quod tenerentur ad Urbem mittere inquiſitionem actam ſuper fama ſanctitatis. Exemplum eſt alibi indicatum in cauſa Sancti Laurentii Juſtiniani, in qua Leo Papa X. Canonizationis negotium commiſit Nuntio Apoſtolicæ Sedis, & Epiſcopo Cremonenſi commorantibus in civitate Venetiarum. In Brevi enim expedito anno 1524. hæc verba leguntur: *Committimus & mandamus, ut conſtito ſummarie de præmiſſis, de vita, moribus, & fama, humilitate, continentia, charitate, patientia, ceteriſque virtutibus ejuſdem Beati Laurentii Patriarchæ, & miraculis, quæ iſtic, eo intercedente, operatus eſt & quotidie operatur Altiſſimus, vos per generalis inquiſitionis modum diligentiſſime informetis, & ſi per generalem hujuſmodi inquiſitionem, vobis videbitur, & conſtiterit, ſuper quo utriuſque veſtrum conſcientias oneramus, probationes eſſe tales, ut per eas poſſit ad ſpecialem inquiſitionem procedi & deveniri, Nobis aliter non conſultis, cum de doctrina, fide, & religione veſtra plurimam in Domino fiduciam habeamus, & in aliis arduis experti ſimus, ad ſpecialem ſuper præmiſſis inquiſitionem deveniatis, articuliſque, & interrogatoriis datis, Promotoreque Fidei adhibito, citatione legitima præcedente, teſtium productorum juramenta recipiatis, & juxta interrogatoriorum, & articulorum formam examinare diligenter curetis.* Item conſimilis *Remiſſoriæ* exemplum paulo poſt, anno videlicet 1525. habetur apud Raynaldum *ad dictum annum num.* 103. ubi plane refert *Remiſſoriam* Clementis VII. pro conficiendo proceſſu in genere in cauſa Sancti Jacobi de Marchia.

CAPUT QUADRAGESIMUM.

De Famæ probatione.

1. FAMÆ probatio fieri poteſt duplici modo; per examen videlicet teſtium, & per Hiſtoricos, qui ſanctitatem Servi Dei extollant, perque donaria ac votivas tabellas, quæ fuerint ejus ſepulcro oblatæ. Verum, cum forma Commiſſionis generalis typis impreſſa in decretis Urbani VIII. ſolum loquatur de examine teſtium, *Eidem ſacræ Congregationi pariter indulgere, & liberam facultatem concedere, ut aliquibus Epiſcopis provinciæ N. committere valeat, ut per ſe ipſos inquirant de fama, & devotione populi, de miraculis, & aliis denuntiandis dicti Servi Dei N. in genere tantum, & non ſpecie, & quoad famam, ſi vigeat de præſenti: & ad hunc effectum aliquot articulos ad coſdem Epiſcopos tranſmittat, ſuper quibus, & ſuper interrogatoriis per Promotorem Fidei conficiendis debeant per ipſoſmet, & non alios teſtes examinare cum interventu Subpromotoris Fidei per eumdem Promotorem in Curia nominandi*; ſequitur ex hoc, quod Hiſtorici, donaria, votivæ tabellæ, & his ſimilia non poterunt conſtituere perfectam ſive *adæquatam* famæ probationem, ſed erunt tantum pura adminicula, ad tradita per Farinaccium *quæſt.* 47. *num.* 272. *& ſeq.* & per Maſcardum *de probat. concl.* 751.

2. Quocirca, ad teſtes deſcendendo, licet fama de jure probetur dicto duorum teſtium, qui ſint ſpectatæ fidei, ut advertit Farinaccius *cit. quæſt.* 47. *num.* 208. *& ſeq.* & in argumento cauſarum Canonizationis Pignatellus *conſult.* 239. *n.* 2. *tom.* 1. ex inſtituto tamen ſacræ Congregationis ſex aut octo teſtes examinantur. Nec eſt neceſſe in judicio, de quo nunc agimus, ut teſtes ſint omnino concordes, ſive *conteſtes*: poſſunt enim eſſe ſingulares ſingularitate *adminiculativa*, quemadmodum habet Farinaccius *loc. cit. n.* 265. & ſicuti in præſenti materia docent Matta *de Canoniz. SS. part.* 4. *cap.* 16. *num.* 14. atque Auditores Rotæ *in relatione S. Caroli Borromæi part.* 2. *arg.* 25. & ideo fama ſanctitatis erit a teſtibus bene probata, ſi alter ex eis deponat, ſe in certo loco audiviſſe populum loquentem ex. gr. de Fidei virtute, aut de certis actibus Fidei; alter autem deponat, ſe in alio loco audiviſſe populi multitudinem loquentem ex. gr. de virtute charitatis, aut de certis actibus charitatis. Item fama miraculorum erit bene probata, ſi unus teſtis deponat, ſe vidiſſe aut audiviſſe, a Dei Servo cæcum fuiſſe illuminatum; alter vero dicat, ſe vidiſſe aut audiviſſe, claudum fuiſſe a Dei Servo ſanatum; alius denique ſubdat, ſe vidiſſe aut audiviſſe, a Dei Servo mortuum fuiſſe vitæ reſtitutum. Ratio eſt, quia in præſenti judicio non agitur de miraculis in ſpecie, ſed in genere; item non agitur de probando miraculo *in particulari*, ſed de probanda qualitate *miraculoſa* in genere: in quo rerum ſtatu teſtes prædicti, licet ſingulares ſingularitate *adminiculativa*, conjunguntur ad faciendam probationem; uti docent Molpheſ. *conſil.* 46. *n.* 70. *& ſeq.* & Contelorius *de Canoniz. SS. cap.* 18. *n.* 24. Quare Caſtellanus, poſtquam *in tractatu de Canonizatione* quæſtionem propoſuit, an miracula dici poſſint probata per teſtes, quorum alter immedicabilem morbum ſanatum, alter mortui ſuſcitationem teſtatur, optime reſpondet; miracula non poſſe quidem dici probata Canonizationis gratia, ſed ex ejuſmodi teſtibus famam tamen miraculorum comprobari: *Unde fateor, quod in caſu concluſionis teſtes ſingulares reddunt eum, de quo canonizando agitur, miraculoſum, ſeu de miraculis famoſum; non tamen plene probant miracula ad finem Canonizationis.* Cui ſimile eſt illud, quod habetur apud Baldum *in l. prima C. de teſtamentis*, ubi ait, probari, aliquem eſſe manifeſtum uſurarium, ſeu in genere uſurarum infamatum, ſi unus teſtis ferat, eum Sejo mutuum dediſſe ſub uſuris publice certo tempore, alius autem referat, alio tempore mutuum dediſſe Mevio pariter ſub uſuris; ſed ex his non poſſe dici probatam uſuram eam repetendi cauſa, vel imputandi in ſortem quidquid titulo fructuum perſolutum eſſet.

3. Doctrina hæc de teſtibus ſingularibus ſingularitate *adminiculativa* fuit a ſacra Congregatione admiſſa in cauſa Limana Servi Dei Martini Porres, & in cauſa Romana Servi Dei Joſeph a Matre Dei in judicio ſuper fama ſanctitatis in genere, & paſſim in aliis: quod ſane magnum robur addit aſſertioni ſupra expoſitæ; ut intra terminos quæſtionis de teſtibus ſingularibus in cauſa Fidei firmat Antonius de Souſa *poſt aphoriſmos Inquiſitorum quæſt. unica ſect.* 2. *num.* 18. *Conſtat autem, uſum probandi crimen Hæreſis per teſtes loco & tempore ſingulares, conteſtes tamen in ſpecie Hæreſis determinata, plures in numero & in qualitate conſiderabiles, obſervatum eſſe in inquiſitionibus Luſitaniæ ab Inquiſitoribus doctis & piis ab anno milleſimo quingenteſimo trigeſimo ſexto ad hæc uſque tempora, videntibus & conſentientibus Superioribus, immo & ſummis Pontificibus.* Quia vero, ſi in ipſo rei eventu notabile tempus elapſum eſſet a die confectionis proceſſus ad diem, quo proponitur in ſacra Congregatione dubium de fama ſanctitatis in genere, neceſſe eſt, ut famæ continuatio probetur; id tamen, ad evitandas expenſas novi proceſſus, fieri poteſt etiam per epiſtolam Ordinarii, & per teſtes ad perpetuam rei memoriam examinatos. Ita enim res ſe habuit, dum fungebar munere Fidei Promotoris, in cauſa Corduben. Servi Dei Joannis Baptiſtæ a Conceptione. Confectus fuerat in ea proceſſus ſuper fama ſanctitatis in genere anno 1679. cumque ipſe opponerem, quod tempore intermedio potuerat ſuper fama ceſſaſſe, continuatio demonſtrata fuit & comprobata per epiſtolam Vicarii Capitularis Cordubenſis, & per quinque teſtes ad *perpetuam* examinatos; & hanc utique probationem ſacra Congregatio die 18. Auguſti 1714. ſufficientem reputavit in caſu & ad effectum, de quo agebatur.

4. In materia probationis famæ Bartolus, & Baldus non ſunt inter ſe concordes. Celebris eſt doctrina Bartoli *in l. de Minore*, §. *Plurimum*, *n.* 23. *& ſeqq. ff. de quæſtion.* ubi quærens, *ſi teſtis interrogatur, a quibus perſonis audiviſti dici, utrum debeat de hoc interrogari, & ipſe de hoc debeat reſpondere*, inquit: *Innocentius dicit, quod ſic. Nam, cum fama debeat habere originem ab honeſtis perſonis, non poſſet ſciri an habeat originem ab honeſtis perſonis, vel non, niſi illæ perſonæ manifeſtarentur: adeo quod, ſi teſtis neminem nominaret, ſed diceret, ſe non recordari, ejus teſtimonium non valeret; ſed debet teſtis nominare aliquem, & poſtea dicere, ſe audiviſſe a pluribus aliis, de quibus dicit ſe non recordari: nam non debet de his omnibus recordari, cum memoria hominum ſit labilis.* Celebris eſt etiam doctrina Baldi, qui *in l. Prima, num.* 3. *C. ad Macedonianum, & in cap. Præterea, n.* 10. *de teſtibus*, docet, ſufficere ad famam probandam, ut teſtes aſſerant, ſe publice dici audiviſſe, licet non deſignent, a quibus audiverint.

Cum-

Cumque opinionem Baldi secuta sint Urbis tribunalia, & signanter Rota cum Verallo *decis.* 7. *part.* 2. coram Martino Andrea *decis.* 45. *n.* 6. coram Cardinali Cerro *decis.* 672. *n.* 13. *&* 14. *&* *decis.* 191. *n.* 20. *part.* 6. *Recent.* nunc operæ pretium est examinare quænam ex his opinionibus retinenda sit in judicio famæ sanctitatis in genere; quod est idem, ac quærere, utrum testis sit interrogandus, a quibus audiverit, & ipse, respondendo, teneatur exprimere personas, a quibus audivit; an vero satis sit, si testis afferat, se publice dici audivisse.

5. Porro facilis est huic quæstioni responsio: cum enim materia hæc sit gravissima, & ad veritatem indagandam plurimum prodesse possit, si in medio ponantur personæ, a quibus testis audivit ea, de quibus deponit, facile sequitur, opinionem Baldi non esse in *hypothesi* præsenti retinendam, sed adhærendum esse opinioni Bartoli, uti ad rem ponderat Rosa *in addit. ad suum tractatum de Executoribus litterarum Apostolicarum a num.* 157. *usque ad n.* 164. Concordat Rocca *de Canoniz. SS. cap.* 6. *tom.* 1. *oper.* ubi hæc habet: *Affectus item humanus cum ambitione conjunctus fuit in causa, cur ex hac vita pie decedentes tum consanguineos, tum affines, & amicos tanquam Sanctos pro suo quisque arbitrio & affectu veneraretur, patrociniumque ab eis publice imploraret.* Quodque notabilius est, doctrina Bartoli fuit expresse recepta a sacra Congregatione in ultimo interrogatorio super fama sanctitatis in genere in verbis supra relatis & nunc iterum reperendis: *Ultimo generaliter interrogetur circa famam &c. an habuerit originem a personis nimis affectis, vel suspectis & interessatis, puta conjunctis vel affinibus, amicis intrinsecis, Religiosis ejusdem ordinis, vel aliis quibuscumque, qui ratione ecclesiæ, in qua corpus reperitur, vel ob aliquam aliam causam aliquod interesse, saltem affectionis, habere possint. An personæ, a quibus fama orta est, essent personæ graves & fide dignæ, an potius leves & ordinariæ, puta mulieres, rustici, & alii idiotæ, vel ignari.*

6. Ideoque Petrus Franciscus de Rubeis doctus olim Fidei Promotor in causa S. Philippi Benitii, in qua Postulatores contendebant, saltem in factis antiquis sacram Congregationem adhæsisse opinioni Baldi, hæc habet: *Nec admittitur, quod Congregatio in factis antiquis semper adhæserit opinioni Baldi dicentis, sufficere, quod testes deponant, aliquid publice dici audivisse per majorem partem populi, rejecta contraria opinione Bartoli negantis, quod sufficit probare famam simpliciter, quæ traxerit originem ex causis probabilibus inducentibus populum ad ita credendum & dicendum, nam contrarium patet ex forma dicti interrogatorii* 14. *ubi expresse cavetur, explorandum esse, unde fama sanctitatis ortum habuerit; non enim hoc statuisset in novis decretis, si diversa fuisset ejus observantia & intentio. Quod etiam confirmatur ex qualitate causæ plus ceteris veritatem exigente: in arduis enim & gravibus, ubi requiritur probatio veritatis, quod ita sit, agitur de his, in quibus opinio, licet communis non inducit veritatem. Non enim tunc fama, quatenus consistit in sola voce populi confiderata per se, potest inducere plenam probationem dictæ veritatis, cum potuerit induci ex vano rumore; nisi constet, originem trahere ex aliquibus præsumptionibus, quæ illam præcesserint, & suaserint, inniti justo judicio, & habere primordium veritatis prædictæ.*

7. Quibus præmissis, doctrina Bartoli erit in *praxi* retinenda; Baldi autem doctrina, quæ ab aliquibus recipitur in casu, in quo testes non fuissent interrogati, a quibus audivissent; item in casu, in quo procederetur, sola facti veritate inspecta, & demum in causis Civilibus, minime vero in Criminalibus (Pacianus *de probat. lib.* 1. *cap.* 49. *a num.* 28. *ad* 30.) quibus ut plurimum causæ Canonizationum æquiparantur, quantum attinent ad rem, de qua nunc agimus, quatenus recipi non possit in antiquis, juxta assertionem Petri Francisci de Rubeis, recipi saltem poterit in antiquissimis: in his quippe difficile, ne dicam *moraliter* impossibile est famam probare cum *expressione* originis, ideoque, his positis, fama probata dicenda erit, si testes deponant, se ita a majori parte populi dici audivisse; uti docent Pignatellus *consult.* 239. *tom.* 1. & Rosa *in addit. ad suum tractatum de Execut. litter. Apostol. n.* 163. *& seq.* Neque improbabiliter diceretur, doctrinam eamdem Baldi recipi posse, cum agitur de fama sanctitatis, quæ deduci debet ex processu auctoritate ordinaria confecto pro obtinenda signatura Commissionis; secus autem, quoties agitur de probatione famæ, quæ in judicio inquisitionis in genere deducitur ex processu auctoritate Apostolica constructo. Cum enim doctrina Baldi propterea rejiciatur, quia in ultima nuper enarrata interrogatoria Positione doctrina Bartoli est expresse recepta, & interrogatoria Positio respiciat processum Apostolicum, non ordinarium; probabiliter idcirco sustineri potest, doctrinam Baldi non recipi in judicio famæ sanctitatis in genere, quod fit per processum Apostolicum; e contrario autem eamdem non carere sua probabilitate, cum res est de fama comprobanda ex processu ordinario. In quo rerum statu procedere potest illa Doctorum assertio, si testes sint plures, puta septem vel decem, qui de fama deponant famam satis esse comprobatam, etiamsi non exprimant Auctores, a quibus ortum habuerit; Pacianus *de probat. lib.* 1. *cap.* 49. *sub n.* 31. Farinaccius *quæst.* 47. *n.* 267. Mascardus *de probat. concl.* 749. *num.* 21.

8. De famæ origine quæritur, an probabilis legitima atque sufficiens dici possit illa, quæ desumitur ex vita alicujus Servi Dei scripta vel edita. Sed distinguenda esse videtur vita recenter scripta a vita antiquo tempore edita, & rursus vita a privato Scriptore composita & edita nullo prævio examine extraordinario, nec ullis præcedentibus publicis monumentis, ex quibus ea desumpta sit, a vita recenter conscripta a viro probo, processibus confectis innixa, & post arduum & insolitum examen typis edita. Quoad vitam ergo recenter editam dicendum est, eam haud sufficientem esse ad constituendam legitimam originem famæ pro eo, de quo agitur, fine, secus ac antiqua ab aliquo probato Auctore typis edita. Quocirca bon. mem. Prosper Bottinius Fidei Promotor inquit in suis animadversionibus factis in causa Valentina Servi Dei Joannis de Ribera super fama sanctitatis in genere: *Hic autem non est modus juridicus probandi famam, dum tota ratio radicatur & consistit in auctoritate Scriptoris vitæ, quæ non potest esse multi ponderis, quando historia non est antiquissima: & ideo de ordine sacræ Congregationis meo tempore fuit addita in ultimo interrogatorio de fama particula, quod testis dicat, an ea, de quibus asserit fuisse & esse publicam vocem & famam, legerit in historia vitæ Servi Dei.* Ideoque de his historiis, licet sint ab Ordinariis revisæ, adhibito Theologorum consilio, easque Sedes Apostolica edi permiserit, sine qua permissione typis imprimi non possunt; decreta generalia Urbani VIII. statuunt, nullum in ordine ad Beatificationem gradum majoris probationis constituere, quam sine tali approbatione constituissent, non obstante quocumque temporis cursu: *Declarando etiam expresse, quod tales libri seu historiæ, licet ab Ordinariis revisæ & post Sedis Apostolicæ responsum approbatæ, non faciant majorem gradum probationis in ordine ad Canonizationem seu Beatificationem, quam quem alias absque tali approbatione de jure fecissent, non obstante quocumque longissimi temporis cursu.*

9. At aliter profecto dicendum esset, si vita esset conscripta ab aliquo probato, licet recenti, Auctore; si nihil in ea reperiretur, quod conforme non esset adductis & comprobatis in processibus, si viri graves electi non solum opus approbassent, sed etiam id cum processibus diligenter contuliissent; si aliqui Cardinales jussu summi Pontificis vitam examinassent, & eam typis tradi posse censuissent; si demum judicium eorum fuisset a summo Pontifice approbatum: uti contigit in vita S. Aloysii Gonzagæ conscripta a P. Virgilio Cepario e Societate Jesu viro utique gravi & docto. Sex etenim Theologi ante ejus editionem, quorum tres erant aliorum Ordinum Religiosorum, eam contulerunt cum processibus, & dixerunt, eam esse desumptam ex testibus in ipsis processibus examinatis, ideoque esse typico prælo dignam. Horum sex Theologorum judicia exhibita fuerunt Cardinalibus Hieronymo Bernerio Episcopo Asculano ex Ordine Prædicatorum, Roberto Cardinali Bellarmino e Societate Jesu, & Hieronymo Cardinali Pamphilio tunc Urbis Vicario, qui fuerant a summo Pontifice Paulo V. selecti pro operis examine. Judicio Theologorum concors fuit judicium horum trium Cardinalium: tum vero memoratus Pontifex Paulus V. in suis litteris Apostolicis expeditis in forma Brevis die 19. Octobris 1605. facultatem impertitus est edendi in lucem ad Christifidelium *ædificationem* & utilitatem opus prædictum: *Quod* (verba sunt Pontificis) *Nos venerabili Fratri nostro Hieronymo Episcopo Albanensi Cardinali Asculano, necnon dilectis Filiis nostris Roberto Sanctæ Mariæ in Via, Bellarmino, & Hieronymo Sancti Blasii de Anulo Pamphilio Titulorum Presbyteris nuncupatis S. R. E. Cardinalibus diligenter viden-*

videndum & examinandum antequam in lucem ederetur & typis imprimeretur, commiſimus. His ſiquidem poſitis, difficile admodum eſſet famam reprobari, de qua teſtes deponerent, aſſerendo, ſe ita a majori parte populi dici audiviſſe, & ſic dicentes dicendi fundamentum habuiſſe in vita Servi Dei, tot examinibus & ſolemnitatibus prævviis, a viro gravi in lucem edita.

CAPUT QUADRAGESIMUMPRIMUM.

De his, quæ famæ ſanctitatis obſtare poſſunt.

1. SCRIBENTES de Canonizatione dicunt, eſſe ſpecialiter inquirendum, an Canonizandus perſecutiones paſſus ſit; ita quippe Doctores *in cap. Audivimus, de Relig. & venerat. SS. & in cap. unico, eod. tit. in 6.* item, an eas cum charitate ſuſtinuerit, uti advertunt S. Antoninus *in ſumma Theolog. 3. part. tit. 12. cap. 8. §. 1.* Chaſſan. *in catalogo gloriæ mundi 3. part. conſiderat. 49.* Caſtellan. *de Canonizat. SS. quæſt. 5. principali*, Auctor tractatus manuſcripti de Canonizatione Sanctorum ad Cardinalem Montis Regalis *part. 4. cap. 3. verſic. Si ſuſtinuit perſecutionem*, Pavin. *in relatione cauſæ S. Bonaventuræ part. 1. art. 8.* Omnes enim Sancti & Sanctæ Dei calumniis ſemper patuerunt, & illi præcipue, qui ſanctiores & Eccleſiæ fructuoſiores fuerunt. Sanctus Sanctorum, Chriſtus videlicet, ab hominum calumniis non fuit immunis: quippe, dum verba vitæ æternæ hominibus evangelizabat, ab iis ipſis, qui apud Judæos doctrinæ & pietatis opinione ſpectabiles erant, traductus eſt tanquam ſeditioſus, & publicæ pacis perturbator *Lucæ* 23. tanquam Samaritanus & Hæreticus *Joannis* 8. tanquam inſanus & furioſus *Marci* 2. tanquam ſeductor *Matthæi* 27. & ejus exemplo, dum viri probi perſecutiones paſſi ſunt, conſolationis argumenta hinc ſibi ſuppeditarunt: *Quæ animi dolore compunctus* (verba ſunt Hincmari Remenſis *in præfat. ad opuſc. adverſus Hincmarum Laudunenſem oper. tom. 2. pag.* 387. ubi refert oppoſitas ſibi calumnias) *non amaritudinis livore ſtimulatus dico, ſciens, Capiti ac Salvatori noſtro mendaciter multa fuiſſe objecta, ſed & productos adverſus eum falſos teſtes fuiſſe.* Paulus quoque, & Stephanus calumniarum tela paſſi ſunt; cum Paulus Doctor Gentium exagitatus fuerit veluti Hæreticus, & criminoſus *Actor.* 27. & Stephanus tanquam blaſphemus in locum ſanctum, & Legem *Actor. 6.* Notiſſima pariter ſunt crimina falſo impacta majoribus Eccleſiæ Patribus; cum de S. Athanaſio dictum ſit, quod ſtuprator fuiſſet & homicida; de S. Baſilio, quod eſſet ambitioſus & ſuperbus; de S. Joanne Chryſoſtomo, quod arrogantia tumeret; de S. Hieronymo, quod eſſet violentus & Hæreticus; de S. Auguſtino, quod eſſet Auctor novorum de Gratia dogmatum; de S. Bernardo, quod eſſet Pſeudopropheta. Sunt enim hæc opera diaboli, teſte S. Cypriano (*epiſt.* 52. *ad Antonianum de Cornelio & Novatiano:*) *Quod autem quædam de illo inhoneſta & maligna jactantur, nolo mireris; cum ſcias, hoc eſſe opus ſemper diaboli, ut Servos Dei mendacio laceret, & opinionibus falſis glorioſum nomen infamet, ut, qui conſcientiæ ſuæ luce clareſcunt, alienis rumoribus ſordidentur.* Sed Dei conſilium in permittendis piorum calumniis aperitur a S. Gregorio *tom. 2. oper. lib. 11. epiſt. 45. alias* 39. qua ſolatur Theoctiſtam Patritiam calumniis impiorum gravatam: *De ſtultorum vocibus Excellentia veſtra turbari nullatenus debet; maxime quia in omnipotentis Dei miſericordia tunc certe fiducia eſt, quando pro bono opere adverſitatis aliquid in hoc mundo recipitur, ut plena merces in æterna retributione ſervetur. Unde & in ſancto Evangelio Veritas dicit:* Beati eritis, cum adverſum vos omne malum dixerint homines mentientes propter nomen meum. *Qui in conſolatione noſtra ſua in exemplum adducere opprobria dignatus eſt, dicens:* Si patremfamilias Beelzebub vocaverunt, quanto magis domeſticos ejus? *Sunt autem plurimi, qui vitam bonorum forteſſe amplius, quam debent, laudant: & ne qua elatio de laude ſubrepat, permittit omnipotens Deus, malos in obtrectationem & objurgationem prorumpere; ut, ſi qua culpa ab ore laudantium in corde naſcitur, ab ore vituperantium ſuffocetur. Hinc eſt ergo, quod Doctor Gentium ſe in prædicatione currere teſtatur per infamiam, & bonam famam. Qui etiam dicit:* Ut ſeductores & veraces. *Si ergo fuerunt, qui malam famam Paulo imponerent, qui hunc ſeductorem vocarent, quis ergo nunc Chriſtianus debet indignum ducere pro Chriſto injurias audire?*

2. Argumentum hoc de calumniis adverſus Sanctos, dum viverent, impactis latiſſime proſequitur, congeſta undique eruditione, Theophilus Raynaudus *oper. tom. 12. in hoploth. contra ictum calumniæ.* Porro, licet aliquando calumnia adverſus Sanctos, dum eſſent in humanis, vel ante eorum obitum finem habuerit (uti fuit Petri Abaelardi adverſus S. Bernardum, quemadmodum deſumitur ex Berengarii Pictavienſis epiſtola ad Epiſcopum Mimatenſem, quæ eſt 18. inter Petri Abaelardi epiſtolas: *Eram ea tempeſtate adoleſcens, nondumque impuberes malas nubes lanuginis adumbrabat;* & paulo poſt: *Sed cur, inquiunt, expleto primo volumine, ſecundum, ut ſpoponderas, non texis? Quia proceſſu temporis meum ſapere crevit, & in ſententiam Abbatis pedibus, ut dicitur, ivi ... Poſtquam igitur, inquiunt, a ſecundo libro manus torpuit, quare primum non raſiſti? Feciſſem hoc, inquam, niſi caſſa eſſet induſtria; remanerent enim viva exemplaria, quæ jam per totam Franciam, & Italiam concurrerunt*) vel cum eorum morte terminata fuerit, juxta illud, *Virtutem incolumem odimus, ſublatam ex oculis quærimus invidi*; id tamen non ſemper contigiſſe certum eſt, cum, experientia teſte, videamus, non deeſſe, qui calumniam ante obitum oppoſitam Dei Servis, & Sanctis poſt eorum mortem proſequi dictis & ſcriptis non verentur; nec alios pariter deeſſe, qui novam poſt mortem excitent calumniam, de qua tempore vitæ nullum verbum factum eſt. In quo proinde rerum ſtatu nulla æquis rerum æſtimatoribus admirationis occaſio eſſe debebit, ſi, dum conficiuntur proceſſus ſuper virtutibus, Martyrio, & miraculis, & ad rem noſtram ſuper fama ſanctitatis, virtutum, Martyrii, & miraculorum aliqui teſtes inveniantur, qui virtutibus & miraculis ſe opponant, aut famæ ſanctitatis, Martyrii, & miraculorum adverſentur, & ſi aliqui Hiſtorici exhibeantur, qui male de Dei Servis in ſuis hiſtoriis locuti ſint. Et quidem, cum res adhuc eſt integra, nec Sedes Apoſtolica ſuum de Sanctitate tulit judicium, onus eſt Fidei Promotoris teſtibus & Hiſtoricis ſupradictis in ſuis animadverſionibus fortiter inhærere; contra, onus eſt Poſtulatorum oppoſitionibus ſtrenue reſpondere; ad officium autem eorum, qui ſacræ Congregationi rituum interſunt, pertinet mature perpendere, quanti valeant oppoſitiones, quanti reſponſiones, an teſtes adverſantes virtutibus, Martyrio, aut miraculis, an Hiſtorici id ipſum facientes mereantur fidem, an ex eorum dictis & ſcriptis rationabile ſaltem dubium de vera virtute, de vero Martyrio, de veris miraculis derivari poſſit, & ad rem noſtram an ex teſtibus & Hiſtoricis, qui famam ſanctitatis, Martyrii, aut miraculorum ſugillant, talia emergant, quæ famam de ſanctitate, Martyrio, virtutibus, & miraculis ſupprimant, aut ſaltem in ambiguo conſtituant, ita ut reſponderi non poſſit, conſtare de eadem.

3. Multa ex Sanctorum hiſtoriis afferri poſſent exempla. Pro cauſa Martyris exemplum deſumi poteſt ex cauſa S. Thomæ Cantuarienſis: teſte quippe Samuele Daniele *in vita Henrici II.* Rogerus Normannus impudentiſſime aſſerere non dubitavit, eum merito pœnas dediſſe ob rebellionem in Regem, atque adeo neque Martyrem eſſe, neque cœlo illatum; etiam juxta ea, quæ habentur apud Theophilum Raynaudum *tom. 11. pag.* 358. *num.* 472. Pro cauſa Confeſſoris adduci poteſt exemplum cauſæ S. Bernardini Senenſis. Hic, dum viveret, non deſtitit benigne monere Amedeum quemdam, qui in civitate Mediolanenſi Arithmeticam docebat, & errores contra Fidem diſſeminabat. Cumque is in ſolita perfidia remaneret, nuntiavit eum Bernardinus Eccleſiæ, eumque publice in ſua concione nominavit, ut Chriſtifideles lupum ſub ovina pelle latentem effugerent. Amedeus tacita veritate, & expreſſa falſitate Eugenium IV. ſummum Pontificem decepit, litteraſque extorſit: &, quamvis nec in petitione nec in litteris ulla mentio Bernardini Senenſis facta fuiſſet, Judex nihilominus haud ſatis conſultus Amedeum Catholicum dixit, & pronuntiavit, Bernardinum teneri ea retractare, quæ

quæ de ipso dixerat. Tacuit tamen Amedeus, quoad vixit Bernardinus, sed, eo mortuo, ut ejus famam denigraret, sententiam publicavit. Qua re delata ad aures Nicolai V. summi Pontificis, edita est ab eo Constitutio relata apud Wadingum *tom.* 11. *an.* 1447. *num.* 8. ubi, postquam exposuit modum, quo antecessor suus Eugenius fuerat circumventus, sententiam latam irritam fecit, ab omni culpa immunem pronuntiavit Bernardinum, & sub pœna anathematis prohibuit, ne præmissorum occasione quis ejus famæ detrahere auderet; uti etiam late refertur apud Bollandianos *ad diem* 20. *Maji tom.* 5. *in analect. ex duabus vitis mss. prædicti Sancti cap.* 5.

4. Satis hæc esse deberent, absque eo quod opus esset alia referre, ut dignosci valeat, quando fides tribuenda sit testibus & Historicis non bene de fama sanctitatis, Martyrii, aut miraculorum sentientibus, & quando eorum dicta & scripta ceteris pro fama deponentibus sint præferenda, aut exæquanda, cum id pendeat ut plurimum a peculiaribus circumstantiis, quas arduum profecto esset singillatim exponere. Sed, ne quid, quantum mearum virium tenuitas patitur, intactum relinquatur, aliqua subjungenda sunt quoad testes, & alia quoad Historicos. Itaque, si fama veræ sanctitatis ex dictis aliquorum testium fit plene comprobata, alii vero non desint estes, qui nonnulla enarrent famæ adversantia, vel qui estentur, sanctitatis opinionem, aut veri Martyrii neququam viguisse; animadvertenda erit qualitas testium, ponderanda erit causa dictorum, examinandæ erunt circumstantiæ, ut rectum pro fama, vel contra famam sanctitatis judicium ferri possit, juxta adducta per Masardum *de probat. concl.* 750. Concordat doctrina Bartoli *in l. de Minore* §. *Plerumque*, *num.* 26. *ff. de quæstionibus*, ubi: *Quid ergo, si est probata fama ab una parte affirmative, & ab alia parte negative? Respondeo, statu testibus dignioribus; vel si testes essent æquales, statu illi probationi, seu illi famæ, quæ processit ex verisimilioribus præsumptionibus;* & Augustinus Triumphus *de potest. Ecclesiast. quæst.* 15. *art.* 3. propositæ quæstioni, *Utrum Papa propter bonam famam debeat aliquem canonizare*, facta sibi oppositione, quod fama populi quandoque innititur falso fundamento, juxta illud *Exod* 23. sic respondet: *Dicendum, quod in fama alicujus non plum est credendum populo & turbæ, verum etiam requirendum est testimonium Majorum; quia, etsi pauciores sint numero, sunt tamen sanioris consilii & verioris judicii.*

5. Sic, si in processu super fama sanctitatis, fama sanctitati contraria ortum duxerit a testibus, qui Dei Servos odio habuerint propter ipsorum virtutes, tantum abest, ut ab his fama sanctitatis minuatur, ut potius aucta dici debeat. In causa S. Caroli Borromæi, qui lapsam Cleri disciplinam corrigens infimulatus est tanquam imponens immane jugum collo aliorum, uti refert Giussanus *in ejus vita lib.* 4. quique his criminationibus nequaquam offensus alia insuper decernere perrexit consentanea his, quæ prius ipsi vitio data fuerant, uti refert etiam Ripamontius *in ejus vita lib.* 4. si aliqui testes in processu dixissent, vel nullam de ejus sanctitate famam viguisse, vel eam non veram famam, sed falsum rumorem appellandam esse, cum plura decrevisset nimis austera & hominibus intolerabilia; interrogati autem de causa scientiæ subdidissent, id plane dignosci ex illis sanctionibus restaurandæ quidem Clericali disciplinæ accommodatis, sed quæ testibus similia deponentibus contrariam speciem ingerebant ex eorum forte inscitia, malignitate, aut odio adversus sacras leges; nemo cordatus vir suspicari potuisset de famæ sanctitatis diminutione, aut ejus ex illiusmodi dictis obfuscatione.

6. Item si aliqui testes famæ sanctitatis adversentur, eo, quia animalis homo Divina non percipit, idem de his testibus ferendum erit judicium, quod de aliis modo latum est. S. Paula Eustochii mater virtutibus fervens tanquam insana traducta est, & de ea sic loquitur S. Hieronymus *in epist.* 108. *ad Eustochium num.* 18. *t.* 1. *oper. Novi sussurronem quemdam (quod genus hominum vel perniciosissimum est) quasi benevolum, nuntiasse, quod pro nimio fervore virtutum quibusdam videretur insana, & cerebrum illius diceret confovendum: cui illa respondit:* Theatrum facti sumus mundo, & Angelis, & hominibus: *Et:* Nos stulti propter Christum: sed stultum Dei sapientius est hominibus, *Unde & Salvator loquitur ad Patrem:* Tu scis insipientiam meam. Ut autem res illustretur exemplo, si, dum agebatur de Canonizatione Catharinæ Suecicæ filiæ S. Birgittæ aliqui testes, se de fama sanctitatis testimonium perhibere non posse dixissent, eo quia Carolus ejusdem frater ipsi obloquebatur, nec eam reputabat virtutibus heroicis pollentem, testes hi in nullo pretio haberi potuissent; cum Carolus ignorans, pium esse & laudabile, si conjuges in ipso matrimonii initio usum potestatis in corpora mutuo consensu sibi interdicant, ut Deo purius & liberius vacent, sororis Catharinæ mores improbaret, & eos uti superstitiosos damnaret, non alia profecto ratione, quam quia nupta ex imperio Ulfonis patris Eghardo nobilissimo juveni eum induxerat ad respuendas commercii nuptialis delicias, & ad consecrandum Deo una cum ipsa, interposito juramento, illibatum florem pudicitiæ.

7. Demum, si rumor adversus famam & mores Servorum Dei cito evanuerit, fama vero de eorum sanctitate perseveraverit, non antecedenti rumori jam extincto, sed posteriori perseverantiæ & augmento famæ erit deferendum: juxta monitum S. Hieronymi *in epist.* 54. ad Furiam *n.* 13. *Falsus rumor cito opprimitur, & vita posterior judicat de priore. Fieri quidem non potest, ut absque morsu hominum, vitæ hujus curricula quis pertranseat: malorumque solatium est bonos carpere, dum peccantium multitudine putant culpam minui peccatorum. Sed tamen cito ignis stipulæ conquiescit, & exundans flamma, deficientibus nutrimentis, paulatim emoritur.*

8. Dicta de testibus, proportione servata, possunt Scriptoribus & Historicis aptari. Sed, ut specialia quædam de Scriptoribus & Historicis adnotentur, non inopportunum erit, nonnulla hic ex historia Ecclesiastica, & nonnulla in capite sequenti ab exemplis causarum Beatificationis & Canonizationis petita recensere. Nota sunt dissidia inter S. Hilarium Antistitem Arelatensem, & S. Leonem Magnum summum Pontificem, de quibus plura habentur apud Cardinalem Baronium *ad an.* 445. *num.* 13. *& seqq.* & *ad an.* 464. *n.* 8. Lupum *part.* 4. *CC. in not. ad Dictat. S. Gregorii VIII.* Ludovicum Bail *tom.* 2. *ad Concilium Romanum II. sub S. Leone*, Natalem Alexandrum *histor. Eccles. sæc. V. cap.* 5. *art.* 8. Bollandianos *in observat. ad ejus vitam die* 5. *Maji tom.* 2. Tillemontium *tom.* 15. *in vita S. Hilarii*, Baillet *in ejusdem vita ad diem* 5. Pagium *breviar. Rom. Pontif. tom.* 1. *in vita S. Leonis num.* 7. *& seq.* Dionysium Sammarthanum *Gall. Christ. tom.* 1. *in Eccl. Arelat.* §. 14. & Fleury *tom.* 6. *histor. Eccles. lib.* 27. *num.* 4. *& seqq.* Dissidiorum autem origo provenit ab Episcopo Celidonio. S. Hilarius Arelatensis Archiepiscopus Celidonium de sua Sede dejiciendum pronuntiavit, tum quia viduam habuerat in uxorem; tum quia nonnullos, dum secularis erat, capitali sententia condemnaverat. Celidonius ad Sedem Apostolicam appellationem interposuit, & a S. Leone coram Episcoporum Concilio, & præsente S. Hilario, qui Romam ea accesserat occasione, suæ Sedi *plenarie* est restitutus. Porro res gestæ aliter enarrantur in vita S. Hilarii, quam nonnulli putant scriptam fuisse a S. Honorato Episcopo Massilienſi, alii autem ab incerto Auctore; aliter vero enarrantur a S. Leone in suis epistolis.

9. Auctor vitæ S. Hilarii, quam reperies *t.* 1. *oper. S. Leonis pag.* 363. hæc habet *cap.* 16. *&* 17. *Ille* (nempe Celidonius) *Urbem credidit expetendam .... quod ubi comperit vir beatus* (idest Hilarius) .... *inconcussa Fidei radice constanter animatus .... intrepidus urbem Romam festinus intravit. Apostolorum, ac Martyrum occursu peracto, beato Leoni Papæ illico se præsentat, cum reverentia impendens obsequium, & cum humilitate deposcens, ut Ecclesiarum statum more solito ordinaret, adstruens, aliquos apud Gallias publicam merito excepisse sententiam, & in Urbe sacris altaribus interesse. Rogat atque constringit, ut, si suggestionem suam libenter excepit, secrete jubeat emendare, & se ad officia, non ad causam venisse; protestandi ordine, non accusandi, quæ sunt acta, suggerere: porro autem, si aliud velit, se non futurum esse molestum. Et, quia tantorum virorum, præsertim jam ad supernam gratiam vocatorum, nec in narratione audeo judicia ventilare, hoc breviter tetigisse sufficiet, quod solus tantos sustinuit, quod nequaquam minantes expavit, quod inquirentes edocuit, quod altercantes vicit, quod potentibus non cessit, quod in discrimine vitæ positus communioni suæ, quem cum tantis viris damnaverat, conjungi nullatenus acquievit, quod, custodibus appositis, hiemis rigore sæviente, quos ratione non flexerat, credidit relinquendos.* Ex quibus verbis deprehenditur, Hilarium ad Romanum Concilium venisse, statim ac vidit, Celidonium appellantem ad Urbem accessisse; humiliter se in Concilio gessisse; item putasse, quod S. Leo

Leo erraſſet, quando Celidonium, licet in Gallia exauguratum, ad Sacra admiſerat; Pontificemque idcirco rogaſſe, & coegiſſe, ut factum ſuum ſecreto emendaret, victorem demum e Concilio evaſiſſe, &, cuſtodibus elusis, ne tum Celidonio communicaret, ab Urbe receſſiſſe.

10. At aliter res ſe habuit, ut ex epiſtolis Magni Leonis deſumitur; cujus de reſtitutione Celidonii ſententia cum reverentia ab Imperatore Valentiniano recepta eſt, uti colligitur ex ejus Novella inter Novellas Theodoſii poſt codicem Theodoſianum *tit.* 24. *de Epiſcopali Ordinatione*, ubi ait, Pontificis ſententiam fuiſſe valituram etiam ſine ſuæ interpoſitione auctoritatis: *Et erat ipſa quidem ſententia per Gallias etiam ſine Imperiali ſanctione valitura. Quid enim tanti Pontificis auctoritati in Eccleſias non liceret?* Verba autem epiſtolæ 10. S. Leonis (*tom.* 1. *oper.*) ſunt hæc: *Quæ igitur apud Nos in cauſa Celidonii Epiſcopi geſta confecta ſint, & quæ Hilarius dixerit, dum cum eodem ſupradicto Epiſcopo audiretur, inditus chartis rerum ordo demonſtrat. Ubi, poſtquam Hilarius rationabile, quod in ſanctorum Concilio Sacerdotum poſſet reſpondere, non habuit, ad ea ſe occulta cordis ipſius tranſtulerunt, quæ nullus laicorum dicere, nullus Sacerdotum poſſet audire. Doluimus, Fratres, & hunc ejus mentis tumorem medelis patientiæ noſtræ curare tentavimus. Nolebamus etenim ea illi exacerbare vulnera, quæ ſuæ animæ inſolentibus ſubinde ſermonibus infligebat; &, quem ſuſceperamus ut fratrem, delinire magis ipſum, quamvis ipſe ſe ſuis reſponſionibus innodaret, quam contriſtare noſtris interlocutionibus nitebamur. Abſolutus eſt Celidonius Epiſcopus, quoniam, ſe injuſte Sacerdotio fuiſſe dejectum, manifeſta teſtium reſponſione, ipſo etiam præſente, monſtraverat; ita ut, quod Hilarius nobiſcum reſidens poſſet opponere, non haberet &c. Manſiſſet namque in illum prolata ſententia, ſi objectorum veritas extitiſſet. Redditus itaque eſt Eccleſiæ ſuæ, & huic, quam amittere non debuit, dignitati Coepiſcopus noſter Celidonius; ſicut geſtorum ſeries, & poſt decurſam cognitionem ſententia, quæ a Nobis eſt prolata, teſtatur.* Quapropter de pluribus Hilarii exceſſibus dubitandum eſſe non videtur: & primo quidem, quod injuſte fuerit conqueſtus de S. Leone, qui Celidonii appellationem non *in devolutivo*, ut dicitur, ſed *in ſuſpenſivo*, receperit, juxta quartum canonem Sardicenſem, in quo ſtatutum eſt, non prius in Cathedram alium eſſe ſubſtituendum, quam Romanus Epiſcopus, cauſa cognita, ſententiam tuliſſet: ſecundo, quod Pontificale de Celidonio judicium ſpreverit, nec cum iſto, tanquam cum Epiſcopo, communicare voluerit: tertio, quod poſt abſolutum, & reparatum Celidonium clam ab Urbe receſſerit ex impatientia, Pontifice infalutato: demum, quod in ipſa Synodo inſolentes ex iracundia ſermones protulerit.

11. Cardinalis Baronius *in notis ad Martyrol. Rom. ad diem* 5. *Maji*, qua nomen Hilarii inter Sanctos recenſetur, ingenue ait, ſe aliquando de Hilarii ſanctitate dubitaſſe: *Fateor, me de hoc Hilario magna aliquandiu fuiſſe dubitatione perplexum, cum legiſſem adverſus eum ſcriptas acerrimas litteras S. Leonis Papæ ad Epiſcopos Galliarum provinciæ Viennenſis. Sunt autem inter ejus epiſtolas num.* 89. *quibus quidem conſentit Conſtitutio Valentiniani Imperatoris.* At, ſe tandem omnem perplexitatem depoſuiſſe, ſubdit; non quia cenſuerit, laudativam ſeu *encomiaſticam* de S. Hilario Honorati Maſſilienſis narrationem prævalere debere epiſtolis atque judicio S. Leonis, quemadmodum nonnulli nimia & impia quadam temeritate noſtris temporibus præſumere auſi ſunt, Bivarius videlicet *in comment. ad chron. Dextri*, Queſnellius *in diſſert.* 5. *pro S. Hilario*, adverſantibus ceteris inter Gallos eruditione pollentibus Petro de Marca ſcilicet *in epiſtola ad Valeſium*, J. Morino *in ſuis exercitationibus*, & Joanne Fileſaco. Ecquis enim eſt, (ut in ſuo inſigni de Appellationibus libro adverſus Queſnellium Pater Lupus firmiſſime exclamat) qui evacuare poſſit fidem Magni Leonis tam Sancti, ut mentiri nollet, tam antiqui, ut nemo propinquior haberi poſſit teſtis ejus rei, cui tanquam Judex interfuit, quique debere prævalere contendat aſſerta Honorati, licet Sancti, ſed ſcribentis poſt annos viginti vel triginta ea, quæ audiverat a Clero Arelatenſi, aſſertis tanti Pontificis ſcribentis ea, quæ viderat & fecerat, & quæ in Concilio Epiſcoporum examinaverat? ſed quia Hilarius totum ſe convertit ad placandum animum S. Leonis, teſte laudato Auctore ejus vitæ *loc. cit. In civitatem regreſſus, licet corporali infirmitate fractus, tamen perfectione ſanctus, & pietate promptiſſimus totum ſe ad placandum tunc animum ſancti Leonis inclinata humilitate convertit. Miſit primitus ſanctum Ravennium tunc presbyterum, poſtmodum proprium Succeſſorem, deinde ſanctum Nectarium, ſanctumque Conſtantium præcipuos Sacerdotes*; & quia, utcumque ſit, an Epiſcopatui renuntiaverit, &, ad ſilentium monaſterii Lirinenſis redierit, hoc unum certum eſt, ſeriam ab eo pœnitentiam ſuorum exceſſuum factam fuiſſe, ita ut non modo eum ſanctitatis elogiis viri graviſſimi illuſtraverint, quorum teſtimonia fuerunt collecta ab eodem Cardinali Baronio *loc. cit.* ejuſque nomen inter Sanctos fuerit relatum in Martyrologiis Bedæ, Uſuardi, Adonis, & in Martyrologio Romano, verum etiam ipſe S. Leo Papa eum poſt obitum laudaverit *epiſt.* 36. *al.* 106. *cit. tom.* 1. *Quod ergo in Arelatenſium civitate defuncto ſanctæ memoriæ Hilario, virum etiam Nobis probatum Fratrem Ravennium ſecundum deſideria Cleri, Honoratorum, & plebis unanimiter conſecraſtis, bonum Fraternitatis veſtræ opus noſtro judicio roboramus.* Itaque, ſi nihil detractum fuit ſanctitati Magni Leonis ob ea, quæ leguntur in vita S. Hilarii, ſive ſcripta ſit a S. Honorato, ſive ab alio quovis Auctore; ſi Hilari nomen in album Sanctorum relatum eſt, licet adverſus eum plura ſcripta fuerint a S. Leone; ſtatui poſſe videtur ad rem, de qua nunc agimus, obſtare non debere ſanctitati, aut famæ ſanctitatis alicujus, ſi aliqua de eo ſcripta ſint a quovis Auctore vel Hiſtorico, dummodo ſcripſerit ex audito ab aliis, & ea, quæ ſcripſit, falſitatis edarguantur, graviſſimis in medium allatis monumentis, aut dummodo crimina oppoſita, licet vera, ſerint per ſubſequentem pœnitentiam deleta; eo vel magis, ſi Hiſtoricus aut Scriptor, qui crimina oppoſuit, de pœnitentia peracta aliquod teſtimonium perhibeat.

12. Venerabilis Robertus de Arbriſſello an. 1110. in ſilva Fontis-Ebraldi monaſterium fundavit, quod toti Ordini nomen dedit. Paſchalis II. & Calliſtus II. Pontifices Maximi Regulam approbarunt ab eo tradtam feminis, & viris: & Abbatiſſa Fontis-Ebraldi caput eſt tum Sanctimonialium, tum Monachorum. Virtutes atque miracula a Deo patrata interceſſione hujus beati Roberti plene referuntur in ejus vita apud Bollandanos *ad diem* 25. *Feb. tom.* 3. & inſignia de ejus ſanctitate teſtimonia collecta legi poſſunt *in clypeo naſcentis Fontebraldenſis Ordinis contra priſcos & novos ejus calumniatores*, & apud Theophilum Raynaudum *oper. tom.* 9. *pag.* 145. *& ſeqq.* Goffridus natione Gallus, patria Andegavenſis, cœnobii Vindocinenſis Abbas, & Cardinalis Tituli S. Priſcæ ſcripſit quinque libros epiſtolarum, quæ extant *in Biblioth. PP. tom.* 21. Ex his autem una eſt ordine 47. *lib.* 4. ad Robertum de Arbriſſello Ordinis Fontis-Ebraldi Fundatorem, quem his verbis monet: *Feminarum quaſdam, ut dicitur, nimis familiariter tecum habitare permittis, quibus privata verba ſæpius loqueris, & cum ipſis etiam & inter ipſas nocte frequenter cubare non erubeſcis ... Hoc ſi modo agis, vel aliquando egiſti, novum & inauditum, ſed infructuoſum genus Martyrii inveniſti.* Sirmondus teſtatur, ſe hanc epiſtolam legiſſe in antiquiſſimo codice manuſcripto Cenomanenſi eadem manu ſcriptam, qua ceteræ ejuſdem Abbatis epiſtolæ, & ex eo ſe eamdem hauſiſſe. Mabillonius *in muſ. Ital.* aſſerit, ſe eam vidiſſe in codice bibliothecæ Reginæ Sueciæ complectente epiſtolas Goffridi Abbatis ipſius ætate ſcripto, & ſe etiam in bibliotheca S. Crucis civitatis Florentinæ codicem aſpexiſſe exaratum ætate Goffridi Abbatis, in quo inter ejus epiſtolas ea reperitur, quæ ſcripta eſt ad Robertum de Arbriſſello. Putant nonnulli, epiſtolam hanc eſſe apocrypham, & inter hos Bollandiani *in comment. prævio ad vitam B. Roberti*, ceterique plena manu collectis *in clypeo naſcentis Frontebraldenſis Ordinis*. Contra, tanquam genuina habetur hæc Goffridi epiſtola a Natale Alexandro *hiſtor. Eccl. ſæc. XI. diſſert.* 5. *art.* 1. ubi etiam vindicat Patrem Sirmondum, qui a nonnullis traducitur, quaſi imprudenter epiſtolam vulgaſſet apocryphan, & quam, quatenus eſſet genuina, ſupprimere tenebatur. Verum tum admittentes, tum impugnantes epiſtolæ veritatem conſentiunt, eam nullo modo officere poſſe ſanctitati Roberti tot præconiis illuſtratæ a viris egregiis & coætaneis; cum conſtet, ſcriptam fuiſſe a Goffrido decepto falſis rumoribus ſparſis a diaboli adminiſtris, quibus ſolemne eſt, eos alicujus turpitudinis infamia notare, qui feminis ad ſanctiorem vitam informandis operam navant, quemadmodum late proſequuntur Natalis Alexander *loc. cit.* Baillet *in vita Roberti ad diem* 24. *Februar.* Graveſon *hiſtor. Eccleſ. tom.* 4. *pag.* 250. perlectiſque a me nonnullis ſcripturis pro introductione cauſæ Canonizationis hujus Beati Roberti,

vel

vel nullum vel modicum vidi constitui fundamentum a Petro Francisco de Rubeis Fidei Promotore in citata epistola, sed in defectu aliorum requisitorum.

13. Mortuo Turstino Archiepiscopo Eboracensi anno 1140. factum est schisma in Ecclesia Eboracensi; cum nonnulli ex Canonicis elegissent Willelmum ejusdem Ecclesiæ Thesaurarium, alii autem Henricum Murdach Fontanensem Abbatem. Willelmus consecrationis munus recepit ab Episcopo Wintoniensi, sed Pallium a Sede Apostolica obtinere non potuit, quamvis per Legatos petiisset. Contigerunt hæc sub Lucio II. quo vita functo, & Eugenio III. ad summum Pontificatum evecto, causa dictæ electionis pertractata est in Synodo Parisiensi, in qua Albericus Ostiensis Episcopus auctoritate Apostolica decrevit, Willelmum ab Archiepiscopatu Eboracensi deponendum, eo quod Stephanus Rex Angliæ ante canonicam electionem eum nominasset. Confirmata Alberici sententia a summo Pontifice, cum *Capitulum* ad novam electionem devenisset, & pars altera Hilarium Cicestriensem Episcopum, pars autem altera Henricum Murdach Abbatem de Fontibus iterum elegisset; hujus demum electio ad effectum perducta fuit, & apud urbem Treviris consecratus est Archiepiscopus a summo Pontifice Eugenio III. In epistolis S. Bernardi (*vol.* 1. *oper.*) ad Cælestinum II. ad Cardinales, ad Eugenium III. multa leguntur adversus Willelmum: eum quippe appellat servum nequam, idolum Eboracense, sarmentum inutile, arborem infructuosam; & *in epistola* 360. *alias* 380. ad Willelmum Abbatem de Rievalle inquit, se omnem lapidem movisse, ne Pallium consequeretur: *Laboravimus, quantum potuimus, adversus pestem communem* (id est Willelmum electum Eboracensem) *& si quominus impetravimus quod optavimus, manet tamen nobis fructus laboris nostri apud Deum, apud quem nullum bonum irremuneratum est*; & post aliqua subdit: *Nos tamen, quod potuimus, suggessimus Domino Tusculano Episcopo* (nempe Ymaro in Anglia Legato) *cui injunctum est, ut Legatione fungatur in partibus illis; & omnino promisit nobis ... id saltem omnimodis observaturum, ne tradat ei Pallium, quod portat, si non juraverit Decanus ille* (nempe Eboracensis) *nunc vero Episcopus* (nempe Dunelmensis) *in cujus juramento causa pendebat, sed causam referat ad Dominum Papam.* Mortuo Eugenio, mortuo S. Bernardo, & mortuo demum Henrico de Murdach, Anastasius IV. summus Pontifex in Sedem suam Eboracensem restituit Willelmum, & ad eum Pallium misit, comperta ejus innocentia, ut Pagius narrat *tom.* 2. *brevior. Rom. Pontif. in vita prædicti Anastasii IV. Lucii II. & Eugenii III.* Cumque post obitum Willelmi, fama percrebuisset ejus virtutum atque miraculorum, de quibus apud Bollandianos *ad diem* 2. *Junii tom.* 2. *pag.* 337. expeditæ fuerunt litteræ remissoriales, de quibus apud Raynaldum *ad an.* 1223. *num.* 48. & *ad an.* 1224. *num.* 47. & compertis in illo virtutibus heroici gradus, factoque palam, ejus intercessione tres mortuos ad vitam fuisse revocatos, & alia patrata miracula; Honorius III. summus Pontifex in Sanctorum numerum retulit, expedita bulla anno X. sui Pontificatus. Quocirca, si non potuerunt ejus Canonizationi impedimentum afferre memoratæ epistolæ S. Bernardi, quæ neque obstiterunt Scriptoris Canonizationi, cum faverit causæ, quam putavit esse justissimam, deceptus falsa insinuatione eorum, quorum existimatio apud eum non erat fidei dubiæ; quare ipse in suis epistolis scribere non dubitavit, se interdum fuisse deceptum falsa relatione Potentium, ut adnotavit Cardinalis Baronius *ad an.* 1140. *num.* 15. quem secuti sunt Alfordus *in annal. Anglo-Saxonicis*, Pagi senior *ad an.* 1147. *num.* 15. & Pagi junior *in cit. vita Eugenii III. num.* 16. ex his statui posse videtur ad rem, de qua nunc agimus, non obstare nec obstare debere sanctitati alicujus, si ei ab aliquo licet gravi Scriptore vel Historico per falsam suggestionem objecta sint crimina, quoties hæc fuerint a legitimo Judice per sententiam, aut per quid aliud, quod sententiæ æquivaleat, sublata.

14. Petrus Abaelardus in superioribus memoratus *in sermone de S. Joanne Baptista* insultat S. Norberto, quem suis erroribus adversum una cum S. Bernardo fuerat expertus, quasi mortui suscitationem frustra tentasset, tum ad sui excusationem populum objurgasset, qui sua infidelitate obicem miraculo posuisset; uti inter ceteros Abaelardi nævos, qui in ejus libris reperiuntur, adnotarunt Theologi Parisienses in censura præfixa ejus operibus editis ab illustri viro Francisco Amboesio. De S. Vincentio Ferrerio nonnulli scribere ausi sunt, eum docuisse, Judam veram habuisse pœnitentiam; ut habetur apud Spondanum *ad an.* 1402. *num.* 8. quod tamen ab ejus inimicis, & per apertam calumniam scriptum fuit; sicuti pluribus prosequuntur Raynaldus *ad an.* 1398. *num.* 23. & Theophilus Raynaudus *tom.* 12. *in hoplotheca contra ictum calumniæ pag.* 134. Nonnulli quoque perditionis filii de S. Ignatio in suis scriptis male locuti sunt, teste Ludovico Bail *tom.* 2. *in notis ad Concilium Tarraconense provinciale an.* 1600. Cumque hæc nec cultui S. Norberti, nec Canonizationi SS. Vincentii, & Ignatii obstiterint, ex ipsis etiam ad rem præsentem inferri posse videtur, Scriptorem & Historicum calumniose scribentem non obstare nec obstare debere sanctitati aut famæ sanctitatis Servi Dei, quam suis scriptis exagitat, instar testis, qui repellitur, si malo animo, non autem ex zelo se opponat Canonizationi alicujus Servi Dei; ut inquit Pavin. in relatione causæ S. Bonaventuræ *part.* 2. *art.* 10. *Si tamen apparet, quod excipiens non excipit bono zelo, quem habeat ad Ecclesiam & ad Fidem, sed potius ex odio, quod habuit adversus mortuum, vel ex inimicitia, quam habet adversus illos de genere mortui, de cujus Canonizatione agitur, ille non est aliqualiter audiendus, sed potius totaliter repellendus*; & sequitur Castellanus *in tract. de Canonizat. SS.* super quæstione, *An in negotio Canonizationis necesse sit per edictum generale vocare illos, quorum interest*.

CAPUT QUADRAGESIMUMSECUNDUM.

In quo expositæ confirmantur exemplis causarum in Sacrorum rituum Congregatione pertractatarum.

1. FAMIGERATUM est id, quod de S. Jacobo de Marchia narrat Jo. Gobellinus *in comment. Pii II. pag.* 278. occasione contentionis, quam idem Sanctus habuit cum Inquisitore Brixiensi, eo quia (ut alibi dictum est) asseruit pretiosum Christi sanguinem in triduo Passionis, dum jacuit in terra sparsus, indignum fuisse *Latriæ* cultu, quoniam fusus, & a corpore Dominico separatus *hypostaticam* Verbi unionem protinus amisisset: *Dictam sibi diem* (loquitur Auctor de die indicta Jacobo ab Inquisitore, ut de Fide responderet) *impatientissime tulit: tactus est mœns, & fumigavit: pauperiem pati, & famem, & sitim, & corporis cruciatum, & mortem pro Christi nomine nonnulli possunt; jacturam nominis vel minimam ferre recusant, tanquam, sua deficiente fama, Dei quoque gloria pereat. Vir vere bonus etiam famam, ubi opus est, contemnere novit. Concurrente sequenti die ad ecclesiam populo, ambonem ascendit, & multa de se ipso sine modestia locutus, qui omnem ætatem suam docendo populos & in Italia & Hungaria consumpsisset, nec unquam fuisset inventus error in ore suo, vehementer se dolere ait, quod jam in extremo senio tamquam Hæreticus accusaretur ex eo, quod sanguinem Christi in Passione fusum Divinis honoribus asseruisset indignum: non suum id esse inventum: Doctores magni nominis ita in scriptis reliquisse.* Alia sunt, quæ Pius Papa II. refert de S. Joanne de Capistrano occasione victoriæ a Christianis reportatæ adversus Turcas in Hungaria; sic enim loquitur (*ex recensione Freheri tom.* 2. *lib. de Europa cap.* 4. *in fine.*) *Auctores victoriæ tres Joannes habiti: Legatus Cardinalis, cujus auspicio res gesta est, Huniades, & Capistranus, qui prælio interfuere. Verum neque Capistranus Huniadis, neque item Capistrani Huniades mentionem fecere in eis litteris, quas de obtenta victoria sive ad Romanum Pontificem, sive ad amicos scripsere: per suum quisque ministerium Deum dedisse Christianis victoriam, affirmavit. Avarissima honoris humana mens facilius regnum, & opes, quam gloriam partitur: potuit Capistranus patrimonium contemnere, voluptates calcare, libidinem subigere, gloriam vero spernere non potuit.* Atque in historia Bohemica *cap.* 65. *Huniades, & Capistranus huic bello interfuere: uterque rem gestam scripsit, neque alter alterius mentionem fecit: alteruter solidam sibi rei gestæ laudem usurpavit. Ingens dulcedo gloriæ facilius contemnenda dicitur, quam contemnitur. Spreverat Capistranus sæculi pompas, fugerat delicias, calcaverat avaritiam, libidinem subegerat; contemnere gloriam non potuit: qui summo Pontifici bellum, atque*

exitum

exitum belli describens nulla Huniadis, nulla Cardinalis facta mentione totum suum esse dixit, quod gestum erat, quamvis Deum in primis victoriæ confessus fuerit Auctorem. Nemo est tam Sanctus, qui dulcedine gloriæ non capiatur: facilius regna viri excellentes, quam gloriam contemnunt.

2. Fuerunt hæc strenue a Petro Francisco de Rubeis olim Fidei Promotore oppositа, dum agebatur de fama sanctitatis tunc Dei Servorum, nunc Sanctorum Jacobi de Marchia, & Joannis de Capistrano. A Postulatoribus responderi potuisset, Pium Papam II. nequaquam existimasse, dictorum virorum sanctitati subsstantiale aliquod præjudicium fuisse allatum ex prædictis, quas fecerat, animadversionibus: in proœmio quippe libri, cui titulus, *Historia rerum ubique gestarum*, *cap.* 1. celebre miraculum narrat utriusque, qui, extenso super undas pallio, Padum transierunt. *Hic* (loquitur de S. Joanne de Capistrano) *ne minore quidem sanctitate præditum Jacobum Picenum ejusdem collegii Sacerdotem sibi socium adscivit, qui in sacra peregrinatione cum Padum ambo trajicere vellent, & a portitore pertinacissime repellerentur, quia interdicta a Divino dogmate pecunia carerent, quam pro naulo darent, in diffusum super undas pallium cum comitibus consedere, & veluti quadam naufragii tabula in ripam alteram non sine avari portitoris stupore Divina ope tuti translati sunt.* Et infra: *Paucis post diebus obiit Joannes Capistranus inter Divos ex hominum opinione relatus &c. Jacobus Picenus vir sane Sanctus, defuncto Socio, & amplificata Divi Francisci Religione, in Italiam reversus est, ubi cum diu vixisset, Neapoli demum excessit: quod vivus, & mortuus miracula ediderit, universa Italia testatur.* Addi etiam potuisset, Joannem nullam sui nominis jacturam apud Callistum ex prædicta asserta reticentia passum fuisse, ut ex ejus bulla dignoscitur anno 1457. indictiva festi Transfigurationis Domini nostri ob partam celeberrimam adversus Turcas victoriam, in qua sic de eo legitur: *Partam, præsente pariter quondam Joanne de Capistrano Ordinis Fratrum Minorum Professore, viro optimo, & meritorum apud Deum & homines eximio, & nomen Christi Jesu, in quo salus nostra consistit, fiducialiter & assidue cum omni populo circumspecto voce unanimi invocante.* Hac nihilominus relicta responsione, quoad S. Jacobum dixerunt, eum non potuisse dissimulare injuriam sibi factam ab Inquisitore Brixiensi, tum quod accusatio Fidem respiceret, & in negotio Fidei tacendum non sit, uti pluribus probavit Picus Mirandulanus *in apologia suarum quæstionum*, utque, eo non allegato, firmat Raynaudus *de bon. ac mal. lib. partit.* 1. *erotem.* 8. *num.* 132. *oper. tom.* 11. tum quod Religiosæ personæ teneantur famam suam conservare, ne fiant inutiles iis, quibus juvandis ex Instituto addicuntur, juxta doctrinam Divi Thomæ *opusc.* 19. *cap.* 14. & 16. & 2. 2. *quæst.* 72. *art.* 2. & ipsum Inquisitorem a sua inquisitione resiliisse, uti supra fuit expositum. Quod vero attinet ad S. Joannem de Capistrano comprobaverunt, non fuisse ab eo omissam mentionem Huniadis in litteris, quibus partam victoriam Callisto III. summo Pontifici denunciavit, eum appellando terrorem Turcarum, & fortissimum Christianorum propugnatorem. Cumque favorabile a sacra Congregatione de fama sanctitatis tum Jacobi, tum Joannis judicium latum sit, ex his inferri posse videtur ad rem, de qua nunc agitur, non obstare, nec obstare debere sanctitati, aut famæ sanctitatis alicujus Servi Dei, si aliqua de eo ab Auctore, licet gravi, scripta fuerint; dummodo, vel revocatis ad examen scriptis, deprehendatur, ab eo judicium præcipitanter latum fuisse de Servo Dei, non ponderatis circumstantiis, quæ erant ponderandæ, vel ex aliis monumentis deprehendatur, re ipsa non subsistere, quæ ad ipso fuerunt narrata.

3. De Beato Pontifice Gregorio X. Stephanardus de Vicomercato Dominicanæ familiæ Religiosus scribit, eum defecisse, dissimulando scelus Turrianorum, qui, missis sicariis, mortem inferre tentarunt Ottoni Archiepiscopo Mediolanensi; & post eum idem crimen Gregorio imputatur a Galvaneo Flamma Auctore ex eadem Religione. Sed & Georgius Merula, & Paulus Jovius audacius asserunt, Pontificem nefarii Turrianorum consilii participem fuisse. Fuerunt hæc quoque strenue oppositа a Petro Francisco de Rubeis Fidei Promotore, cum ageretur de causa dicti Pontificis; & eadem pariter fuerunt a me indicata in meis animadversionibus, dum fungebar munere Fidei Promotoris, instituto de fama sanctitatis Gregorii judicio, dum causa post Urbani decreta resumeretur. Petrus autem Maria Campus doctus ejus causæ Postulator luculentissimam edidit pro Beato apologiam typis impressam *in parte secunda suarum historiarum Ecclesiæ Placentinæ*, aliumque apologeticum breviorem sermonem pro usu sacræ Congregationis exaravit, quem ipse operæ pretium esse censui veritatis gratia ad calcem mearum animadversionum plene referre. Tum in apologia, tum in sermone strenue confutavit prædictorum Auctorum mendacia, ignavamque Pontificis dissimulationem eliminavit; cum caput factionis Turrianæ anathemati, & civitatem Mediolanensem interdicto suppositum ob interceptos reditus Ecclesiasticos, qui Ottoni Archiepiscopo debebantur, majora profecto facturus, si vel temporum circumstantiæ non obstitissent, vel de Turrianorum delicto, intentato videlicet homicidio, prout necesse erat, constitisset. Quo vero ad nefarii consilii participationem, calumniam abstersit, utpote nullo aliorum graviorum & contemporaneorum Historicorum testimonio innixam, & a suavissimis atque sanctis tanti Pontificis moribus prorsus alienam. Stephanardus quoque Vimmercatus, vel, ut alii dicunt, de Vicomercato fuit nimium addictus Ottoni Vicecomiti Archiepiscopo Mediolanensi, teste Fr. Ambrosio Teagio ex Ordine Prædicatorum antiquo Scriptore *in chronica manuscripta*, cujus meminit Ludovicus Antonius Muratorius vir eruditissimus *tom.* 3. *anecdot. pag.* 59. *Dominus Otto Vicecomes Mediolanensis Archiepiscopus Præbendam centum florenorum constituit pro Lectore majoris ecclesiæ Mediolani; quæ lectio data fuit Fratribus nostris, & usque in præsens perseverat. Instituit autem dictus Dominus Archiepiscopus pro Lectore dictæ ecclesiæ Fratrem Stephanardum de Vicomercato Mediolanensem, & obtinuit, qui legit anno uno &c. fuit quoque dicti Domini Archiepiscopi amicissimus ac familiarissimus*: ipse autem Stephanardus in præfatione ad suum poema typis impressum *cit. tom.* 3. *anecd. pag.* 62. ingenue fatetur, se nonnulla scripsisse, quæ ab aliis audivit, & protestatus est, se idcirco potuisse aliquando contra propriam intentionem a veritate aberrare: *Quoniam vero ex auditu ista percepi, quæ meo sunt expleta tempore, nunc me longe distante, plus forte aliquid, vel minus ad meam devenit notitiam. Ideo sine præjudicio veritatis hæc scripta accipiat, qui legerit, quoniam in hoc opusculo nec veritati detrahere animus est, nec falsitati favere.* Item Galvanus Flamma, sive Gualvaneus de la Flamma ex eodem Ordine Prædicatorum, qui circa annum 1339. historiam conscripsit *de mirabilibus Mediolanensis Ecclesiæ*, utpote Vicecomitum factionem sequutus, Joanni ex eadem gente Archiepiscopo, & Principi Mediolanensi suum illud opus dicavit. Quocirca de utroque judicium cum ferret Tristanus Calcus Scriptor Mediolanensis, vir acris ingenii, & rerum Mediolanensium peritissimus, de Stephanardo quidem sic ait (*in præf. ad lib. hist. tom.* 2. *Thesauri Burmanni par.* 1.); *Accepti honoris gratiam Ottoni Archiepiscopo relaturus, ejus gesta carmine ornare, quam simpliciter prosæ committere, maluit. Et, dum poetice furit, & in plerisque licentius evehitur, neque a præposterationibus temperat; alia vero plus æquo exaggerat, alia silentio prætermittit, rem totam in fabulam vertit*; de Galvano autem ita: *Cælum & astra conscendere ausus, minime erubuit stirpem* (nempe Vicecomitum) *a Jove, Venereque per Anchisem & Æneam deducere.... quæ quam cum priscorum, non dico historiis, sed fabulis congruant, etiam pueri nostri temporis intelligunt.* Merulam porro Paulus Campus probat consilii participationem ex quorumdam hausisse dicteriis, sed eis fidem non præstitisse, ut ex ipsius verbis defumitur: *Et si sunt, qui tradunt, Pontificem nefandi consilii conscium fuisse*; & solum idcirco Paulum Jovium ad tantam audaciam devenisse, ut asserere non dubitaverit, Gregorium consilii Turrianorum fuisse conscium, licet hujusce rei nullum sit vestigium apud Scriptores principaliores historiæ Mediolanensis, Donatum scilicet Bossium, Tristanum Calcum, Bernardinum Corium, & Besozzium; concluditque, eum & in hac re, & in pluribus aliis mendacem fuisse: quod quidem aliorum testimonio confirmat, quibus addi possunt Bodinus *de meth. histor. cap.* 4. *pag.* 79. & 82. Vossius *de arte histor. cap.* 9. *pag.* 15. & Melchior Canus *de loc. Theol. lib.* 11. *cap.* 6. *pag.* 320. ubi hæc habet de Jovio: *Sed hæc duo vitia cum Historicorum fere omnium communia sunt, tum quorumdam quasi propria; in quibus Paulus Jovius est in quamlibet partem nimius, odio & amore, gratia & simultate; &, quoniam pecuniam amabat, in historia quoque scribenda pecuniæ servus fuit.*

fuit. His itaque, aliisque sapienter de more perpensis, sacra Congregatio illibatam censuit famam sanctitatis Gregorii, ad causæ resumptionem processit, nec ab hujus furfuris Scriptoribus dedecus aliquod potuisse derivari existimavit in virum ex tot aliis testibus, Historicis, Scriptoribus, & monumentis sanctitate & miraculis illustrem; maxime cum sola patrati criminis dissimulatio prudentiæ aliquando, non semper ignaviæ sit adscribenda, juxta celebre responsum Hilarii Papæ apud Baronium *ad an. 464. num. 6. Verum ad Ecclesiarum quietem tantæ transgressionis vulnera memores Apostolicæ sapientiæ curari volumus ante fomentis, ut corporis nostri membrum forte sanandum in integritatem pristinam per mitiora medicamenta revocetur, nec credatur negligi, quod interim non monetur abscindi. Prævia medendi semper austeritatis est lenitas, nec omnis ferro statim culpa compescitur, aut inexplorato vel quod facile prodesse possit offertur: nunc enim temporis opportunitas, nunc languentis necessitas, nunc medicinæ ipsius & modus est quærendus, & qualitas; ut omnis per sapientiam facta in vitiis reprimendis solicitudo curantis gaudeat reparatione, quod salvat, nec careat moderatione, quod resecat*. In quo rerum statu concludendum esse videtur, non obstare, nec obstare debere sanctitati, aut famæ sanctitatis alicujus Servi Dei, si ei a Scriptoribus & Historicis crimina opponantur; dummodo alii de iisdem criminibus non loquantur, & qui secus locuti sunt vel scripserunt, eum in criminis suspicionem adduxerint, ut rem gratam facerent his, quorum factioni mercede, aut spe præmii conducti addicti erant. Quapropter Cardinalis Gotti *Theolog. t. 1. qu. 3. de loc. Theol. dub. 11. §. 3.* sic scribit: *Secunda regula pro historiæ judicio erit, ut eos Historicos reliquis anteferamus, quos ingenii severitati quamdam prudentiam adjunxisse & ad eligendum & ad judicandum cognoverimus; quos insuper ad scribendum excitatos fuisse amore veritatis, non complacendi, aut adulandi genio. Et hoc locum habet nedum in rebus, quas nec Scriptores viderunt, nec ab iis, qui viderant, accepere; sed etiam in iis, quas ipsi videre potuerunt, vel dum viverent, contigerunt. Unde colliges primo, minorem fidem per se sibi merito conciliare Historicos illos, qui stipendia a Principibus, vel aliis accipiunt, ut eorum facta enarrent, vel in eorum obsequio commorantur. Dixi per se: nam, esto illa, quæ pertinent ad talem Principem, possint esse illis magis nota; prudenter timere possumus, ne potius adulationis, quam veritatis amore conscripserint*.

4. De Beato Petro Urseolo olim Venetiarum Duce, deinde Monacho Ordinis S. Benedicti narrat S. Petrus Damiani *tom. 2. in vita S. Romualdi cap. 5.* eum favisse occisoribus Petri Candiani Quarti Ducis Venetiarum, atque adeo ad ejusdem dignitatis fastigium per necem sui Antecessoris perveniisse. En verba S. Petri Damiani: *Eodem vero tempore Petrus, cognomine Urseolus, Dalmatici Ducatus gubernabat habenas: qui videlicet ad hujus fastigium dignitatis ascendere idcirco meruerat, quia Decessoris sui, Vitalis scilicet Candiani,* (Vitalis porro, non Petrus, vocatus est Candianus a S. Petro Damiano vel ex confusione non satis ab hoc perspecta cum Petri Successore, qui Vitalis nominabatur, vel errato ejus Amanuensis, extantibus, ut contenditur, adhuc S. Petri Damiani manuscriptis, ubi ille Petrus, non Vitalis appellatur; ut animadvertit Religiosus Camaldulensis Auctor vitæ B. Petri Urseoli infra cit. *in notis ad cap. 4. num. 8.*) *peremptoribus fautor extiterat. Cur autem ille a suis extinctus sit, non abs re esse arbitror, si servatæ compendio brevitatis expenam. In conjugium namque germanam Hugonis magni illius Marchionis acceperat, & æmulatione leviri suadente, multos ex Longobardiæ & Tusciarum partibus milites, profligatis pecuniarum stipendiis, acquirebat. Hoc autem Venetiarum incolæ non ferentes clam iniere consilium, ut repentino impetu Ducis palatium armati violenter irrumperent, eumque cum omni domo sua in ore gladii absque ulla retractatione necarent. Hujus denique conventiculæ conjuratione comperta, Vitalis Dux nocturnis diurnisque vallatus excubiis hostiles insidias ad nihilum redigebat. Illis autem hæc & illa tentantibus, sed ad incepæ factionis effectum attingere non valentibus, tandem visum est, ut domum Petri, quæ Ducis palatio adjacebat contigua, prius incenderent, isloque modo & Ducem caperent, & universa ejus domestica concremarent. Istius vero rei experiendæ consensum a Petro, qui eorum consiliis particeps fuerat, flagitantes, hujus tandem mercedis fœdere pacti sunt, ut pro una ejus domo, quam igne consumerent, totam ditioni illius Venetiam subderent; &, deleto illo, quem exosum habebant, Duce hunc loco ejus protinus subrogarent. Hoc igitur modo Petrus Dalmatici regni adeptus est principatum; qui postmodum ambitionis suæ jam voluptate potitus, respectu Divinæ gratiæ demum corde compunctus est. Quidam autem venerabilis Abbas, Guarinus nomine, ex ulterioris Galliæ finibus orationis gratia per diversas mundi regiones peregrinari solitus erat. Hic quoque ad Ducem veniens ab eo protinus, ut sibi ad evadendum tanti veatus periculum consultum præberet, exactus est. Accersitis igitur Marino, & Romualdo, hoc sibi communi jubetur sententia, ut sæculum simul cum ipso, quem per nefas invaserat, Ducatu relinqueret; &, quia ad alienæ dominationis arcem injuste proruperat, ipse se alienæ potestatis dominio subjugaret. Ille autem homo nimirum in potestate positus, quia conversionem suam manifeste facere ausus non est, tutum putavit, hoc utendum esse consilio. Imminente igitur festivitate Sancti cujusdam Martyris, ex cujus vocabulo basilicam in propria possessione adhuc privatus habuerat, illuc pridie uxorem suam præmisit, ipse quasi mox secuturus, hoc ei præcipiens, ut & ornatum ecclesiæ accuratissimum provideret, & secum venientibus sumptuosas epularum delicias in crastinum præpararet; ipse autem post conjugem remanens, his de suis thesauris, quæ sibi videbantur, ablatis, cum quodam suo familiari, Joanne scilicet Grandenico, qui præfatæ conjurationis conscius fuerat, & cum tribus illis beatis viris, quos præposuimus, navem ascendit, deinde in Galliam ad monasterium Abbatis Guarini magnus conversus ausugit*.

5. Ab Archiepiscopo Philippensi Fidei Promotore strenue in suis animadversionibus allata est modo dicta relatio S. Petri Damiani, ne fieret in honorem prædicti B. Petri Urseoli concessio Officii & Missæ de communi Confessoris non Pontificis, quæ a Republica Veneta impense petebatur.

6. Postulatores autem omnem moverunt lapidem, ut notam a S. Petro Damiano B. Petro Urseolo oppositam delerent. Auctorem itaque vetustissimi *chronici Veneti in Vaticana bibliotheca* asservati, & *num. 5289.* signati, qui testem oculatum se esse manifestat, attulerunt Petri Candiani necem referentem, & B. Petri assumptionem ad Ducatum, nulla facta mentione hujus conspirationis in necem sui Antecessoris, eaque unica causa electionis ejus allegata, quod Urseolus a primis annis Deo placere studuit, & sanctitatis laude floruit: *Octuodecimo quidem sui honoris* (Petri nempe Candiani) *anno una cum filio parvulo, quem de prædicta Hurvalderada habuit, tali ordine interfectus est. Dum illud longo tempore Venetici ob austeritatem sui exosum haberent, facultatemque perdendi sedulo machinarentur, quadam die, facta conspiratione, in illum insurgere adorsi sunt. Palatium tamen, quia bellicosis, licet paucis, militibus illud stipatum noverant, nulla ratione ausi sunt penetrare. Tandem nequam consilium inventientes, propinquas domos, quæ e contra palatium citra rivulum consistebant, igne mixto picino fomento accendere studuerunt; quatenus flammarum flexibilia culmina vicinum palatium attingere & concremare possent &c. Tunc ipsi &c. mucronum ictibus undique illum crudeliter vulnerantes, diva anima, corporeo relicto ergastulo, Superum petiit solia &c. Patrato vero hoc nequissimo scelere, in S. Petri ecclesiam convenerunt; ibique communi voto quemdam virum, Petrum videlicet, Urseolum cognomine, præclarum generositate & moribus, in Ducatus honorem sublimare decreverunt; qui a puerili ætate nil aliud, quam Deo placere, studens, ad tantæ dignitatis provectum scandere contemnebat, timens, ne sæcularis honoris ambitione propositum amitteret sanctitatis. Tandem, importune populo interpellante, non humano favore, sed totius Reipublicæ commodo hujusmodi principatus apicem accipere non recusavit*.

7. Auctorem hujus chronici in ea narratione transcripsit Andreas Dandulus (hic Venetiis patriæ dominationis habenas usque ad annum Domini 1534. moderatus est) in suo chronico relato *in collect. Scriptor. rer. Ital. tom. 12.* uti videri potest *lib. 8. cap. 14. & cap. 15. part. 1.* Eamdem Urseoli in Ducem electionem sine ulla nequissimæ interfectionis participatione confirmat alter Scriptor vitæ Urseoli, quam ex ms. cod. Rivipollensi edidit Jo. Mabillonius *sæc. v. SS. Ord. Bened. part. 1. pag. 879. num. 3.* Concordat alius Scriptor in vita ejusdem Urseoli, quæ reperitur *in codice eremi Camaldulensis*; & Cardinalis Baronius *ad an. 977.* qui *n. 2.* recitans verba Petri Damiani, electionem Urseoli inviti & renitentis, nullaque nota inquinatam describit; quibus accedit etiam Scriptor alterius ms. chronici Veneti usque ad annum 1532. perducti, & in bibliotheca Vaticana *sub num. 4809.* existentis. Hisce scilicet aliisque innixi

nixi fundamentis contenderunt Postulatores, narrationi S. Petri Damiani in re, de qua agebatur, fidem præstari non posse: & eo magis, quod *in prol. vitæ S. Romualdi*, in quam prædictam inseruit de Ursеolo narrationem, testatus sit, se non agere Historicum, sed collectorem rerum gestarum S. Romualdi ad Fidelium ædificationem: *Nobis autem in angusto cellulæ angulo residentibus utilius erat, sicut proposuimus, propria peccata ad mentis oculos assidue revocare*. Et paulo post: *Quapropter hoc timore compulsus, multorumque Fratrum precibus & germana charitate devinctus, quod de prædicto mirabili viro ab egregiis ejus discipulis didici, aggrediar, Deo auctore, describere; vitæque ejus initium, cursum, & finem nimirum imperitus homo, non historiam texens, sed quoddam quasi breve commonitorium faciens quibuscumque tentabo litterarum apicibus exarare*. Itaque Scriptor vitæ in codice eremi Camaldulensis asservatæ post expositam innocuam Ursеoli electionem ad Ducatum sic subdit: *Præmissa itaque omnia sic præcessisse, communis tenet opinio: sed Petrus Damianus Ecclesiæ Doctor egregius in vita Beati Romualdi de hoc sanctissimo Duce incidenter commemorans in aliquibus aliter sensisse videtur*. Plura alia menda in narratione S. Petri Damiani accuratissime adnotata fuerunt *in dissertatione* Justi Fontanini *de S. Petro Ursеolo*. Quocirca, omnibus & singulis bene perpensis, & præterea animadverso, quod, quatenus narrata per S. Damianum vera fuissent, usquequaque sublata dici deberent per voluntariam dignitatis abdicationem factam ab Ursеolo, & vitam subinde summa cum austeritate traductam in monasterio spatio decem & novem annorum (quemadmodum inquit Scriptor Camaldulensis supra citatus, & insertus in collectanea mſ. Constantini Cajetani *tom.* 1. in bibliotheca Romani Archigymnasii: *Hæc itaque, ut prædicitur &c. esto quod vera fuissent, ejus tamen non minuunt devotissimam sanctitatem; cum non sit novum, lapsos erigi, & laqueatos vitiis Divino spiramine fore factos frequentius excellentissime virtuosos*) admissa est die 28. Aprilis 1731. a sacra Congregatione Postulatorum supplicatio, me etiam suffragante, tanquam eidem Congregationi sacrorum rituum Cardinali adscripto. Porro, hisce jam scriptis, edita est Venetiis anno 1733. vita B. Petri Ursеoli scripta a Religioso Camaldulensi viro docto, in cujus *cap.* 4. & *in notis ad ipsum*, & rursus *in cap.* 7. refertur occisio Ducis Petri Candiani, Beati autem Petri Ursеoli a tanto scelere immunitas vindicatur.

8. In prædicta sacra Congregatione, dum hæc primum scriberemus, agebatur de introducenda causa Canonizationis Servi Dei Benedicti Papæ XI. Ordinis Prædicatorum. Ei obloquitur Ferretus Vicentinus in historia, quam e codice manuscripto publici juris fecit Cl. Muratorius *Scriptor. rer. Ital. tom.* 9. *col.* 1011. Sed, cum Dinus Compagnius patritius Florentinus Auctor coævus *in principio lib.* 3. *chron. Florent.* apud eumdem Muratorium *cit. tom.* 9. *col.* 509. egregias enarret Benedicti virtutes, enormia autem Ferreti menda, ejusque satyrica animositas in Romanos Pontifices fuerit strenue descripta *in notis ad ejus cod. prædicto tom.* 9. editis, insuper autem narratis per eum ceteri omnes Historici fuse a Postulatoribus cumulati adversentur; cursus causæ Benedicti retardari non potuit odio & malignitate unici Scriptoris.

9. Ne caput hoc in immensum excrescat, finem ei imponimus exemplo causæ S. Vincentii de Paulis Congregationis Missionis, & Puellarum Charitatis Fundatoris. Fuerat in humanis quidam Joannes Verges, seu de Verger de Haurane Abbas Sigiranni, vulgo *S. Cirano*. Ex nobili natus progenie librum composuerat, cui titulus, *Petrus Aurelius*, quem Clerus Gallicanus propriis expensis edendum curaverat, teste Ludovico Moreri *in dictionar. histor. tom.* 4. *in verb. Verger*; & Cardinalis Richelius ipsius doctrinæ fama motus eum elegerat, ut vindicias exararet Cardinalis Peroni adversus scripta nonnullorum Hæreticorum, licet variis præpeditus impedimentis, & aliis propositis excusationibus opus sibi demandatum perficere non potuerit, vel noluerit, teste Vincentio Baronio *tom.* 1. *apologiæ pag.* 163. Hæc quidem laudabilia, & commendatione digna videri poterant: sed multa contra sunt, quæ ipsum Hæresis labe infectum fuisse, ideoque vituperatione dignum patefaciunt. Fertur etenim, librum quemdam composuisse, cui titulus, *Casus Regis*; in quo docet, posse hominem se interficere sine peccato in triginta & quatuor casibus, teste Petro a Sancto Romualdo *in compend. thesaur. chronolog. tom.* 3. *ad an.* 1645. *pag.* 472. De ejus insuper familiaritate cum Cornelio Jansenio, & de adjutorio per ipsum ei suppeditato in colligendis textibus S. Augustini, qui in ejusdem Jansenii libro, cui titulus, *Augustinus*, relati sunt, testimonium habetur apud Aloysium Episcopum Abelly in suo libro, cujus inscriptio, *Vera defensio sensuum Venerabilis Servi Dei Vincentii de Paulis*, *fol.* 30. & 31. qui etiam in vita ejusdem Sancti, quam conscripsit & edidit anno 1664. *pag.* 409. & *seq.* refert, prædictum Abbatem fuisse Hæresi Calvinianæ addictum, cum dixerit, Calvinum bene sensisse, sed male locutum fuisse; præter hæc sacrosanctum Tridentinum Concilium contempsisse, uti Concilium Papæ & Scholasticorum a veritate aberrans, lectioni sacræ Scripturæ vacasse, sed privatum sensum in ejus interpretatione secutum fuisse; & demum asseruisse, ecclesiam defecisse, ita ut post quingentos aut sexcentos annos vera amplius non adsit Ecclesia. Publicata itaque vita Vincentii de Paulis composita (uti diximus) ab Episcopo Abelly, editus est anno 1668. liber anonymus, sed Auctoris proculdubio hæretici, cum in eo plura contineantur adversus Constitutiones summorum Pontificum Innocentii X. & Alexandri VII. quibus Jansenii errores fuerunt condemnati. Titulus operis est, *Defensio Domini Vincentii de Paulis adversus falsos discursus insertos in ejus vita composita ab Episcopo Abelly*: Auctor autem in hoc opere totus est in asserenda intima familiaritate inter Vincentium, & Abbatem, ut Abbatis videlicet erroribus auctoritatem, si fieri posset, conciliet, addito socio tanti nominis, quanti erat Vincentius. Quamobrem refert, Vincentium eo adjutore usum fuisse in superanda lite sibi mota super possessione Domus S. Lazari; ejus patrocinium imploraſſe, ut suæ Congregationis Constitutionum confirmationem obtineret, nullum amicitiæ signum prætermisisse erga prædictum Abbatem, dum esset carceribus inclusus; &, postquam liberatus fuit, ei suasisse, ut caute se gereret, cum a Judicibus interrogaretur; demum ipsum interrogatum a Commissario, & a Cardinali Richelienſi, licet perspectos haberet mores Abbatis, noluisse quidquam adversus eum deponere, sed plura eidem favorabilia in utroque examine dixisse. Fuerunt hæc omnia a me tanquam Fidei Promotore totis viribus adducta tum, cum agebatur de fama sanctitatis Vincentii, tum etiam, cum judicium formale de heroicis ejus virtutibus institutum est. Sed egregii causæ Postulatores, pluribus testibus *formiter* examinatis & quacumque exceptione majoribus, ostenderunt, Vincentium ab Abbatis amicitia omnino defecisse, postquam, contempta correctione fraterna, eum vidit in suis Hæresibus pertinacem, necnon ejus doctrinæ venenum omnibus patefecisse & denuntiasse: tum autem, præter concordia multorum Gallicanorum Episcoporum testimonia, ex processu confecto anno 1638. per Joannem Martinum de Laubardemont regium Commissarium adversus Abbatem *S. Cirano* tunc in arcem Vincennensem detrusum demonstraverunt, Vincentium nunquam fuisse citatum ad se examini subjiciendum, vel de Abbatis doctrina interrogatum nunquam fuisse; & ipsum Abbatem in quadam sua epistola relata in codice typis edito anno 1655. in civitate Avenionensi, qui existit in bibliotheca Patrum *Pœnitentiariorum* sacrosanctæ basilicæ Vaticanæ, querimonias excitasse de nimio, quo Vincentius ipsum rigore persequebatur, quin immo carceratum in arce Vincennensi, interrogatumque a Presbytero Jacobo Lescot Delegato Archiepiscopi Parisiensis, an fuisset unquam a Vincentio reprehensus, & an cum eodem habuisset familiaritatem & amicitiam, respondisse, se in pluribus fuisse correptum, & amicitiam a tribus aut quatuor annis interruptam. Præterea, ceteris pluribus prætermissis, deprehensum fuit, Auctores vere Catholicos nullum non movisse lapidem, ut hæreticum Anonymum super asserta Vincentium inter & Abbatem amicitia, & super asserta Vincentii conniventia in Abbatis erroribus refellerent; ita videlicet referentibus Episcopo Abelly *in opere citato*, Maresio Regi Christianissimo a Consiliis *in opusculo apologetico adversus memoratum Anonymum*, Daniele Societatis Jesu Presbytero in opere, cui titulus, *Moralis speculativa & practica Jansenistarum*, Daurigni ex eadem Societate in opere cui titulus, *Memoriæ chronologicæ pro historia post annum* 1600. & Auctore anonymo opusculi, cui titulus *Historia Sancirani*, & *Jansenii*. Ex his igitur aliisque simul junctis sacra Congregatio existimavit, nullum famæ Vincentii in genere, & subinde virtutibus heroicis in specie præjudicium illatum fuisse ab his, quæ Auctor hæreticus impudenter sub specie laudis adversus eum ausus fuerat effutire.

10. Alia

10. Alia plura dicenda essent de fide Historicis tribuenda, sed de his habebitur sermo, cum tractabitur de probatione, quam faciunt Historici in causis Beatificationis & Canonizationis super virtutibus, Martyrio, atque miraculis.

11. Hucusque adducta satis superque ostendunt, non omnibus Historicis Dei Servis obloquentibus esse deferendum, sed caute esse procedendum, & alios contemporaneos aliosque graviores esse consulendos, ut de veritate, aut falsitate narrationum tutum formari possit judicium: quod eo magis sibi locum vindicare debet, si Historici Dei Servis obloquentes fuerint Hæresis labe infecti. Ut enim cetera prætereantur, memoria S. Annonis Episcopi celebratur in Martyrologio Romano *ad diem* 4. *Decembris:* cumque eidem Hæretici Magdeburgenses obstrepant, Cardinalis Baronius *in notis ad dictam diem* de eorum declamationibus sequens profert judicium: *In sanctissimum virum Ecclesiæ libertatis vindicem & propugnatorem declamarunt olim Schismatici, obstrepuntque nunc Heretici Magdeburgenses mendaciorum textores, dicti Centuriatores. Tu autem, lector studiose veritatis, consule Auctores Catholicos, qui ejusdem temporibus vixere, quos diximus Marianum Scotum, & Lambertum, Actaque ejus fidelissime scripta.*

CAPUT QUADRAGESIMUMTERTIUM.

De validitate Processuum, & signanter eorum, qui auctoritate ordinaria conficiuntur.

1. ULTIMA pars hujus libri comprehendit validitatem processuum, de qua, quantum virium nostrarum imbecillitas patietur, tractabimus. Triplex autem est, ut ex alibi dictis colligi potest, species processuum, qui conficiuntur in causis Beatificationis & Canonizationis. Prima est illorum, qui semper fieri debent auctoritate ordinaria, hoc est super fama sanctitatis, virtutum, & miraculorum, vel super fama Martyrii atque miraculorum. Secunda species est illorum processuum, qui fieri possunt auctoritate ordinaria, & auctoritate Apostolica, hoc est vel super non cultu, vel super casu excepto a decretis Urbani VIII. Si enim Ordinarius, qui confecit processum vel super fama sanctitatis, vel super fama Martyrii, processum separatum non confecerit vel super non cultu, vel super casu excepto, conficiuntur hi processus auctoritate Apostolica: &, quatenus sua auctoritate ordinaria conficerentur ab Ordinario post introductam causam Beatificationis, seu post signatam a summo Pontifice Commissionem, nulli essent, utpote confecti post appositionem manus sanctæ Sedis, juxta ea quæ alibi dicta sunt. Tertia demum species est illorum processuum, qui semper auctoritate Apostolica conficiuntur vel super fama sanctitatis in genere, vel super virtutibus in specie, vel super Martyrio, vel super miraculis in specie tum ante Beatificationem, tum post Beatificationem, antequam procedatur ad Canonizationem.

2. Processus, qui semper fiunt auctoritate ordinaria, debent quoad validitatem examinari in sacrorum rituum Congregatione, juxta decreta Innocentii XI. *Insuper, si ita Sanctissimo visum fuerit, censuit eadem sacra Congregatio, commissionem non esse signandam, nisi post elapsum tempus decem annorum a die præsentationis processus auctoritate ordinaria fabricati, & cum præcedenti rigorosa discussione ejusdem processus cum scriptura & summario.* Quamvis enim rigida discussio processus, de qua hoc in loco loquuntur decreta, proprie respiciat examen quoad famam sanctitatis, & miraculorum, & quoad obstaculum; mos est nihilominus Sedis Apostolicæ, & sacræ Congregationis, ut, quando petitur signatura Commissionis, aliqua etiam fiat discussio validitatis processus, ne contingat, Commissionem signari dependendo a processu patenter nullo, uti dictum est. Et quidem, cum ex alibi quoque dictis, prævia *dispensatione* Apostolica, proponatur *instantia* pro signatura Commissionis in Congregatione ordinaria sacrorum rituum; ipsa *dispensatio* efficit, ut in eadem pariter Congregatione uno eodemque tempore aliquod fiat examen validitatis processus.

3. Processus, qui fieri possunt tum auctoritate ordinaria, tum auctoritate Apostolica, examen subeunt validitatis in Congregatione ordinaria sacrorum rituum: in quo rerum statu non est necessaria ulla Apostolica *dispensatio*. Quod autem processus hi examen subeant quoad validitatem, patet ex decretis generalibus, ubi dicitur, causam Beatificationis & Canonizationis suum progressum habere non posse, nisi Postulator docuerit de non cultu *per legitimas juridice susceptas probationes*; & ex iisdem decretis, ubi statuitur, processum super casu excepto fieri debere instar processus super non cultu: *Particularis processus cum subsequenti pronuntiatione Ordinarii, seu Apostolicæ Sedis Delegati, sicut præcedere debet ex forma prædictorum decretorum super cultu non adhibito, ita etiam præcedere debet, & ab eisdem respective faciendus est, quando aliquis Postulator allegaret, se versari in uno ex casibus exceptuatis.* Si porro probationes hisce in judiciis debent esse ad juris formam susceptæ, & præterea si disputari debet in Congregatione sacrorum rituum de confirmatione, vel infirmatione sententiæ latæ a Judice ordinario, vel delegato, juxta ea quæ alibi dicta sunt; necessario sequitur, etiam de validitate processus disputationem esse ineundam. Quod vero id fiat in sacrorum rituum Congregatione ordinaria, nulla petita *dispensatione* Apostolica, desumitur ex his, quæ alibi dicta fuerunt. Congregationem videlicet ordinariam sacrorum rituum facultatem habere cognoscendi de obedientia seu *paritione* decretis Urbani VIII. & disputatio validitatis fit in hisce judiciis, quando proponitur dubium, num sententia Judicis ordinarii, vel delegati super non cultu, vel super casu excepto sit confirmanda, an infirmanda.

4. Validitas demum processus super fama sanctitatis in genere, super virtutibus in specie, super Martyrio, & super miraculis expendi debet juxta legem decretorum Urbani VIII. *Verum, ne pereant hujusmodi dilationis occasione probationes, permittit Sanctitas sua, non habita ratione dictorum quinquaginta annorum, ut agi possit de prædictis processibus, sive de aliis auctoritate ordinaria fabricatis, vel fabricandis ad effectum deliberandi, an per Sedem Apostolicam debeant concedi litteræ remissoriales in genere: quibus obtentis, & fabricatis super eis processibus, servatis servandis, illisque sacræ rituum Congregationi præsentatis, permittit pariter Sanctitas sua, ut in sacra Congregatione discutiatur de eorum validitate, ac etiam de relevantia in ordine & ad effectum tantum cognoscendi, an sit procedendum ad processum in specie: & processibus in specie completis, & sacræ Congregationi delatis, videatur tantum de illorum validitate &c.* Discutienda nempe esset horum processuum validitas in Congregatione generali coram summo Pontifice; cum dubium validitatis horum processuum non sit ex illis, quæ Congregatio ordinaria juxta suas facultates examinare potest. Verum hodie, Apostolica intercedente *dispensatione*, de horum processuum validitate agitur in Congregatione ordinaria sine interventu Consultorum, ut alibi dictum est. Hoc tamen interest discrimen inter processum super fama sanctitatis in genere, aliosque processus aut super virtutibus, aut super Martyrio, aut super miraculis, quod de primi processus validitate tractatur, cum proponitur dubium, an constet de fama sanctitatis in genere; aliorum vero processuum validitas discutitur separatim a dubio super virtutibus, Martyrio, & miraculis per informationem & summarium distinctum ac separatum.

5. Hæc plana sunt, nec ullam admittunt controversiam: quoad processum vero auctoritate ordinaria confectum super fama sanctitatis aut Martyrii disputari consuevit, an illius validitas iterum discutienda sit, quando, jam signata Commissione, Postulatores eodem utuntur una cum processibus auctoritate Apostolica subinde confectis super virtutibus in specie, Martyrio, atque miraculis. Sed hac etiam in re cessare oportet quamlibet controversiam: quandoquidem aut Postulatores processu utuntur ordinario *in linea* adminiculi, ita ut totam vim constituant in processu Apostolico, & tunc iterata discussio processus auctoritate ordinaria confecti non est necessaria; aut vero Postulatores utuntur processu auctoritate ordinaria confecto non *in linea* adminiculi, sed *in linea* æqualis probationis cum processu Apostolico, contendentes, ut integra probatio desumatur ex utroque processu insimul conjuncto, & tunc necessaria est iterata discussio validitatis processus ab Ordinario confecti. Ratio autem disparitatis inter unum, & alterum casum est, quod adminiculum desumi potest ex processu etiam nullo: quare potiori jure sequitur,

tur, ut, si Postulatores utantur processu ordinario tanquam adminiculo, iteratam non teneantur facere discussionem validitatis ejusdem. Secus autem se habet res, quando probatio constituenda est in processu ordinario: cum enim probatio desumi nequeat a processu, cujus validitas *formiter* non fit discussa, hinc fit, ut Postulatores utentes eodem *in linea* probationis iteratam facere debeant propositionem super ejus validitate; ita ut ipsis non sufficiat primæ validitatis discussio, quæ leviter facta fuit occasione signaturæ Commissionis, & antequam sacra Congregatio jurisdictionem haberet; jurisdictionem enim ipsa obtinet per signaturam Commissionis.

6. Solummodo admitti posset, ut non fieret hæc iterata discussio, si Fidei Promotor in signatura Commissionis omnia oppositiffet, quæ opponere poterat circa validitatem; tum autem, instantibus Postulatoribus post signatam Commissionem pro formali approbatione validitatis processus auctoritate ordinaria confecti, ultro testaretur sacræ Congregationi, se nihil habere addendum ad argumentum validitatis; & exoraret pro resumptione tum suarum animadversionum, tum responsionum a Postulatoribus factarum, cum petita fuit & obtenta dicta signatura Commissionis, ut iteram sacra Congregatio videret & cognosceret, an difficultatibus tunc propositis contra validitatem dici valeat satisfactum non solum respectu signaturæ Commissionis, sed etiam positivæ & *specificæ* approbationis validitatis. Ita quippe usus obtinuit in causa Viterbien. B. Hyacinthæ de Marescottis 4. Julii 1705. &, dum munere fungebar Fidei Promotoris, in causa Parisien. S. Vincentii a Paulo die 1. Julii 1713.

7. Porro, ut rite & recte conficerentur processus ab Ordinariis super fama sanctitatis, Martyrii, & miraculorum, operæ pretium existimatum fuit instructivam ad eosdem mittere epistolam *circularem*: & prima quidem, quæ fuit composita, sed deinde missa non fuit, est ea, quæ sequitur.

8. *Perillustris & Reverendissime Domine. Cum quotidie magis notum fiat, quanta maturitate cognitionis incipere & prosequi deceat eorum causas, qui diem ultimum obiere non sine aliqua populis relicta opinione sanctitatis, & quam accurate fideliterque in re tanta adhiberi testes & in examen vocari conveniat; Sanctissimus Dominus noster secutus auctoritatem sacrorum Canonum, Romanique Ritualis Constitutiones injunxit sacræ rituum Congregationi, ut Amplitudinem tuam certiorem peculiari hac epistola faciat, ut in posterum, prinsquam processus hujusmodi inchoari jubeat, Sanctissimum Dominum nostrum præmoneat de iis, quæ super postulatis occurrent, expectetque ab eadem sacra Congregatione, quid Sanctitas sua, examinato negotio, fieri censuerit; nisi tamen in aliquo particulari casu necessitas inevitabilis urgeat, ne probationes pereant, super quo conscientiam tuam idem Sanctissimus vult esse oneratam. Præterea processus solita tua auctoritate confectos usque ad eum diem, quo redditæ hæ tibi litteræ fuerint, de vita, virtutibus, & miraculis cujuslibet Servi Dei cum aliqua sanctitatis fama defuncti quamprimum Romam mittendos, tradendosque cures Secretario ejusdem Congregationis, ex qua, quid super his decernere ac jubere placuerit, expectabis. Atque, ut hæ litteræ nulla in posterum oblivione deleantur, sed semper in recordatione vigeant & tua, & Successorum deinceps tuorum, dabit operam Amplitudo tua, ut illæ quanto citius in tabula descriptæ, & tam in curia tua Patriarchali, quam in archivis Capitularibus præfixæ aut appensæ ad perpetuam rei memoriam asserventur. Vale. Datum Romæ die 13. Januarii 1631.*

9. Hujus *circularis* epistolæ series non fuit a sacra Congregatione approbata; ideoque alia *circularis* epistola composita est, quæ fuit ad Ordinarios missa, uti missionem ejus ad Archiepiscopum Avenionensem testatur Pasqualig. *in addit. ad Lauret. de Franchis controvers. inter Episcopos, & Regulares tit. de cultu erga non Canonizatos num.* 1244. fuitque typis impressa in decretis generalibus Urbani VIII. eaque est hujusmodi.

LITTERÆ PRO PATRIARCHIS, ARCHIEPISCOPIS, ET EPISCOPIS.

10. *Admodum Illustris & Reverendissime Domine. Cum quotidie magis notum fiat, quanta sinceritate mentis & maturitate cognitionis incipere & prosequi deceat eorum causas, qui diem ultimum obiere non sine aliqua populis relicta opinione sanctitatis, & quam accurate fideliterque in re tanti momenti adhiberi testes & in examen vocari conveniat; sacra rituum Congregatio, facto prius verbo cum Sanctissimo, ne aliquis subrepat abusus, jussit, Amplitudinem tuam hac peculiari epistola fieri certiorem de iis, quæ in adjuncto decreto continentur; nempe, ut curet, ne in posterum ulla ex parte adversus illud a quopiam in tua diœcesi aliquid committatur, sed ab omnibus omnino inviolabiliter observetur.* (Sermo ibi fit de decreto, quod est editum inter decreta generalia, in quo prohibetur omnibus & singulis personis Ecclesiasticis tum Sæcularibus tum Regularibus, ne vel per se vel per alios inquisitionem agant super sanctitate aut miraculis alicujus defuncti, juxta ea quæ alibi dicta sunt.) *Et quando apud Amplitudinem tuam ab aliquo petitum fuerit, ut velit inquirere in sanctitatem vitæ & miracula alicujus, qui cum prædicta fama obiisse dicatur, quoniam nimia plerumque proclivitas atque celeritas occasionem errori præbet, non prius generaliter super vitæ sanctitate inquiri permittat, quam particulariter de alicujus virtutis eminenti gradu, aut peculiari aliquo miraculo præcedat famæ comprobatio, prout prudentiæ tuæ magis expedire videbitur. Quod per te ipsum exequi, sacra Congregatio summopere exoptat: sed, si ob invaletudinem, sive ob legitimum aliud & grave impedimentum id conficere non valebis, super quo conscientiam tuam onerat eadem Congregatio, poterit Amplitudo tua, delegare Vicarium tuum generalem, vel alium in dignitate Ecclesiastica constitutum; qui Delegatus, sive ille sit Vicarius, sive cujuscumque dignitatis, cum aliis ad minus duobus doctis viris, altero scilicet Magistro in Theologia, altero vero Graduato, vel Licentiato in jure Canonico, rem totam ita peragere debeant, ut omnes sua nomina subnotent post subscriptionem cujuscumque testis, antequam discedant a loco ipsius examinis. Curabit insuper Amplitudo tua, ut testes omnes, quæcumque habent, explanate & per extensum deponant, nec se referant ad attestationes redditas, neque eis recitentur, quæ alias ipsi deposuerunt. Postquam vero fuerint per Amplitudinem tuam, vel per alios a te ex causis supra narratis subrogatos Acta completa, secreto retineantur, præstito etiam juramento a Notariis & testibus, se nemini promulgaturos quidquid ipsi scripserint, & respective deposuerint, vel de quibus interrogati fuerint. De his autem Actis per te, aut jussu tuo confectis certiorem statim reddere debebit Amplitudo tua summum Pontificem, eaque quanto citius poterit, authentice transcripta ac sigillo obsignata ad sacrorum rituum Congregationem transmittere. Originalia vero eodem modo consignata, & in capsa clausa pluribus clavibus, quæ diversis ad arbitrium tuum custodiendæ tradantur, in archivo Patriarchali conserventur. Notum tamen sit Amplitudini tuæ, neque per hanc epistolam, neque per aliquid in ea propositum voluisse Summum Pontificem, neque sacram rituum Congregationem tribuere aut augere jurisdictionem seu facultatem, quæ alias Episcopis competere posset. Atque, ut hæ litteræ nulla in posterum oblivione deleantur, sed semper in recordatione vigeant & tua, & tuorum deinceps Successorum, dabit operam Amplitudo tua, ut illæ quanto citius tam in curia tua Patriarchali, quam in archivo Capitulari ad perpetuam rei memoriam asserventur. Vale. Datum Romæ die 12. Martii 1631.*

11. Hæc est epistola *circularis*, juxta quam ab Ordinariis processus sunt conficiendi: sed, cum aliqua etiam fuerint addita ex decretis Innocentii XI. eorumdem pariter verba hic referre juvat. In §. itaque 1. sic legitur: *Animadvertens eadem sacra Congregatio, quod necessarium sit, ut processus auctoritate ordinaria fabricandi conficiantur cum maxima diligentia, censuit, mandari Ordinariis locorum, ut, ultra testes inductos a Postulatoribus, teneantur ipsi quoque inquirere ac examinare alios testes bene instructos super vita & moribus Servi Dei: & si aliquid repererint in contrarium, quod ipsis videatur relevans, supersedeant in ulteriori inquisitione, donec sacra Congregatio ab eis certiorata per litteras mandet, quid agendum sit.*

12. Et in §. 9. *Cum in decreto approbato a fel. record. Urbano VIII. die* 12. *Martii* 1631. *impresso in libello pag.* 57. *sacra Congregatio cognoscens, quod in hac re, utpote gravissima, rite sancteque procedendum est, prohibuerit omnibus & singulis personis Ecclesiasticis tam Sæcularibus, quam Regularibus, quantumvis speciali nota dignis, ne audeant per se vel per alios capere informationes super sanctitate aut miraculis alicujus, nec ullo modo exquirere, aut obtinere ad hunc effectum extrajudiciales testificationes aut subscriptiones, sub pœ-*

nis

nis arbitrio ipſius ſacræ Congregationis infligendis, illud confirmando juſſit, quod hujuſmodi extrajudiciales atteſtationes non ſolum exquiri aut obtineri non valeant, ſed rurſus, quod hactenus obtentæ, ſive in futurum obtinendæ non faciant aliquem gradum probationis, nec inſeri poſſint in proceſſibus tam ordinaria, quam Apoſtolica auctoritate fabricandis.

13. Quæres, an ea, quæ modo relata ſunt ex epiſtola *circulari*, atque ex decretis, non ſolum reſpiciant & comprehendant proceſſus informantes ſuper fama ſanctitatis, virtutum, & miraculorum, verum etiam extendantur ad proceſſum ſuper non cultu, & ad proceſſum ſuper caſu excepto, quando uterque conficitur auctoritate ordinaria. Reſpondetur autem, proceſſus ſolum informantes eſſe comprehenſos ſub epiſtola *circulari*, & decretis noviſſimis, nec ullo modo ſub iiſdem comprehenſos dici poſſe proceſſus ſuper *paritione* decretis. Patet id ex verbis tum epiſtolæ, tum decretorum, quæ ſemper ſunt coercita intra ſanctitatem vitæ & miracula. Concordat etiam conſuetudo, cum in cauſis Senen. Servæ Dei Catharinæ Vanninæ, Limana Servi Dei Gundiſalvi Diaz, & Pariſien. S. Vincentii a Paulo fuerint admiſſi proceſſus ſuper non cultu, quamvis confecti fuiſſent ſine Adjunctis contra diſpoſitionem epiſtolæ *circularis*. Cumque in caſu, in quo, non confectis ab Ordinario proceſſibus aut ſuper non cultu, aut ſuper caſu excepto, ſacra Congregatio, nulla facta mentione Adjunctorum, delegare conſueverit aliquando Vicarium Generalem, ut auctoritate delegata deveniat ad prædictorum proceſſuum conſtructionem: ſignum evidentiſſimum hoc eſt, non requiri eoſdem Adjunctos pro validitate ſimilium proceſſuum, uti bene ponderarunt Eminentiſs. Paris die 15. Februarii 1727. in cauſa Gerunden. B. Serapionis, ad quod & conferunt deducta per Pignatellum *conſult.* 138. *tom.* 1. Si tamen in proceſſibus ſuper non cultu, vel ſuper caſu excepto, quando fiunt auctoritate ordinaria, & non conſtruuntur ab Epiſcopo, ſed a Vicario, vel ab alio ab eodem Epiſcopo delegato, obſervarentur diſpoſita in epiſtola *circulari*, & in decretis noviſſimis, cautela hæc non eſſet omnino ſpernenda. Quocirca in proceſſibus factis ſuper non cultu auctoritate ordinaria in cauſis Tullen. B. Patri Fourier, Neritonen. Servi Dei Joſeph a Cupertino, Panormitana Servi Dei Bernardi a Corleone, Viterbien. B. Hyacinthæ de Mareſcottis, Sancti Flori in Gallia Servæ Dei Agnetis a Jeſu, Panormitana Servi Dei Aloyſii La Nuza adhibiti fuerunt Adjuncti juxta præſcripta in epiſtola *circulari*; quod effectum etiam fuit in proceſſibus factis ſuper caſu excepto auctoritate ordinaria in cauſis Cracovien. Servi Dei Simonis de Lipnica, Patavina B. Helenæ Enſelminæ, & Lucenſi B. Zitæ.

14. Ex memorata epiſtola *circulari* quiſque facile colligere poterit, quænam a ſacra Congregatione requirantur in confectione proceſſus ordinarii ſuper fama ſanctitatis aut Martyrii. Primum enim eſt, ut ipſe non inquirat in ſanctitatem vitæ alicujus, niſi fama præceſſerit aut alicujus eminentis virtutis, aut alicujus peculiaris miraculi. Secundum eſt, ut, ſi Ordinarius poteſt, ipſe deveniat ad confectionem proceſſus; ſi vero ſit legitime impeditus, deſtinet ad ejus confectionem aut ſuum Vicarium Generalem, aut alium in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutum una cum duobus Adjunctis, altero Magiſtro in ſacra Theologia, altero *Graduato* in jure Pontificio: ſed, ſi alium Epiſcopum deſtinaret, nulla porro neceſſitas adeſſet deſtinationis prædictorum Adjunctorum, ſicuti admiſſum fuit in cauſa Romana Servi Dei Nicolai de Longobardis 7. Julii 1725. Cum enim epiſtola loquatur de Vicario, vel alio in dignitate Eccleſiaſtica conſtituto, non poteſt comprehendere caſum delegationis factæ in perſona alius Epiſcopi, qui de jure non dicitur habere dignitatem, ſed culmen dignitatis, juxta textum *in cap. Licet*, ibique Gloſſam *v. Dignitatum*, *de Præbendis in 6.* atque *in cap. Inquiſitores*, ibique Gloſſam *v. Expreſſe*, *de Hæreticis eod. lib.* Tertium eſt, ut illi, qui conficiunt proceſſum, ſuum nomen ſubnotent poſt ſubſcriptionem cujuſcumque teſtis. Quartum eſt, ut teſtes *per extenſum* & explanate deponant, quæ deponere volunt. Quintum, ut præſtetur a Notario & teſtibus juramentum de ſervando ſecretum. Sextum, ut per epiſtolam ſummus Pontifex certioretur. Septimum, ut exemplar authenticum ad ſacrorum rituum Congregationem mittatur. Octavum, ut autographa ſive *originalia* ſub clavibus conſerventur in ipſius Ordinarii archivo. Porro, ſermonem transferendo ad decreta noviſſima Innocentii XI. nonum eſt, ut præter teſtes inductos a Poſtulatoribus alii ex officio a judice examinentur. Ultimum, ut in proceſſum non inſerantur *extrajudiciales* atteſtationes.

15. Hiſce præmiſſis, nunc quæritur, an ea, quæ ſunt præſcripta pro horum proceſſuum ſuper fama ſanctitatis aut Martyrii confectione, ſint ita pro forma præſcripta, ut ſi quid omittatur, vel varietur, proceſſus *nullitatis* vitio laboret.

16. In hac autem controverſia verior eſt *in puncto* juris opinio, quod proceſſus *nullitatis* vitio non laboret; tum quia in prædicta epiſtola *circulari* nihil aliud contineri videtur, quam ſimplex directio ſeu methodus pro confectione prædictorum proceſſuum; tum quia memorata epiſtola *circularis* caret decreto id, quod ſecus fiat, irritum faciente, in quo rerum themate ſibi vindicat potiori jure locum concluſio de lege ſimpliciter prohibente, quæ non proinde actum inficit & nullum reddit, qui fit adverſus eam, niſi eadem ſit decreto irritante munita, vel alia clauſula, quæ decreto irritanti æquivaleat: Felin. *in cap. Cum dilecta*, 22. *verſic. Quintum ſignum*, *tit. de reſcriptis*, Amat. *reſolut.* 66. *num.* 22. Manſ. *conſult.* 184. *num.* 24. quod docte de more explicat Suarez *de leg. lib.* 5. *cap.* 25. *num.* 2. *Dico ergo, ex ſola rei natura legem pure prohibentem non irritare actum, niſi alio modo talis effectus, ſeu intentio Legislatoris ſufficienter declaretur &c. Ratio vero ejus ita poteſt explicari, quia prohibere actum, & irritare illum ſunt effectus valde diverſi: ergo, ut per legem fiant, debent per ejus verba ſufficienter explicari: ſed per ſolum verbum prohibendi non explicatur effectus irritandi: ergo non fit ex natura rei per legem utentem pure & ſimpliciter verbo prohibendi.* Et cap. 29. num. 1. *Hac ratione diligentiſſime obſervant Pontifices & Concilia in ſuis decretis, ut, quando irritare volunt, clauſulam irritantem adjiciant.* Eamdem doctrinam late proſequuntur Diana *in edit. coord. tom.* 7. *tr.* 1. *reſ.* 159. *num.* 6. Layman *tom.* 4. *cap.* 16. *n.* 7. & Caſtropalao *tom.* 3. *diſp.* 2. *punct.* 8. Idque multo magis procedit, quando lex, prout in caſu præſenti, mandat illi, qui alias habet poteſtatem faciendi, ut aliquid faciat, ſed adhibita certa ac determinata ſolemnitate; tunc enim actus, non adhibita ſolemnitate, non eſt nullus, niſi adſit in lege decretum irritans: ſecus ac in caſu, in quo lex mandet alicui poteſtatem alias non habenti, ut aliquid faciat, ſed certa obſervata ſolemnitate; tunc ſiquidem actus *nullitatis* vitio laborat, ſi fiat ſine ipſa ſolemnitate, uti bene diſtinguit Trentacinq. *variar. reſolut. lib.* 1. *reſol.* 1. *num.* 19.

17. Confirmatur præcedens doctrina de defectu decreti irritantis exemplo deducto a ſacroſancto Concilio Tridentino *ſeſſ.* 24. *cap.* 1. *de reform. matrim.* Ibi quippe Synodus prohibuit, ne matrimonia fierent a filiisfamilias ſine conſenſu parentum, ne matrimonia contraherentur ſine præmiſſis denuntiationibus, & ne eadem fierent ſine præſentia Parochi, & duorum vel trium teſtium. Cumque matrimonium contractum a filiofamilias ſine conſenſu parentis ſit validum, & validum pariter ſit matrimonium contractum ſine denuntiationibus, ſed ex oppoſito matrimonium nullum ſit, ſi fiat ſine præſentia Parochi & teſtium, non niſi quia decretum *irritans* reſpicit tantummodo matrimonia contracta ſine Parocho & teſtibus: *Qui aliter, quam præſente Parocho, vel alio Sacerdote de ipſius Parochi, ſeu Ordinarii licentia, & duobus vel tribus teſtibus, matrimonium contrahere attentabunt, eos ſancta Synodus ad ſic contrahendum omnino inhabiles reddit, & hujuſmodi contractus irritos & nullos eſſe decernit, prout eos præſenti decreto irritos facit & annullat:* ſignum evidentiſſimum hoc eſt, actum factum contra diſpoſitionem legis eſſe validum, ſi lex careat decreto irritante.

18. Idcirco ſacrorum rituum Congregatio, cum occaſione diſputationis de validitate alicujus proceſſus auctoritate ordinaria confecti oppoſitum fuiſſet a Fidei Promotore, non eſſe factum ad normam epiſtolæ *circularis*; eo quia videlicet confectus fuerat a Vicario ſine Adjunctis, vel eo quod teſtes non juraverant, ſe nemini promulgaturos quidquid depoſuerant, numquam voluit devenire ad declarationem *nullitatis* proceſſus; ut in propoſito proceſſus confecti ſine Adjunctis ponderat Matthæuccius *in practica Theologico-Canonica ad cauſas Beatificat. & Canonizat. pertractandas tit.* 1. *cap.* 2. *num.* 12. & 13. atque colligitur ex reſponſis prædictæ ſacræ Congregationis in cauſis Marochitana B. Joannis de Prado, Neritonen. Servi Dei Joſephi a Cupertino, Carthaginien. Servi Dei Petri Claver, Lucenſi Servi Dei Cæſaris Franciotti, Lucenſi Servi Dei Joannis

nis Baptiſtæ Cioni, Limana Servi Dei Nicolai de Aillon, & dum munere fungebar Fidei Promotoris, in Sancti Flori in Gallia Servæ Dei Agnetis a Jeſu 8. Aprilis 1713. in Florentina Servi Dei Benedicti a Podio Bonitio 5. Februarii 1714. in Meliapuren. Servi Dei Joannis de Britto 23. Martii 1715. & in Corduben. Servi Dei Joannis Baptiſtæ a Conceptione 14. Decembris 1720. in *terminis* autem proceſſus auctoritate ordinaria confecti, in quo teſtes juraverant de veritate dicenda, ſed non de ſervando ſecretum, in cauſa Neritonen. Servi Dei Joſeph a Cupertino, in Viennen. in Gallia S. Franciſci Regis, in Meliapuren. Servi Dei Joannis de Britto, dum agebatur de ſignatura Commiſſionis, & occaſione diſcuſſionis validitatis proceſſuum, dum fungebar munere Fidei Promotoris, in cauſa Mexicana Servi Dei Gregorii Lopez 22. Januarii 1718. & in Braſilien. ſeu Bajen. Servi Dei Joſeph de Anchieta 9. Auguſti 1721. necnon in Limana Canonizationis S. Thuribii 10. Martii 1726.

19. Major itaque difficultas in hoc poterit conſtitui, an videlicet nulli ſint proceſſus auctoritate ordinaria confecti ſuper ſanctitate, famaque virtutum & miraculorum, ſi præter teſtes a Procuratore inductos alii teſtes ex Officio non fuerint ab Ordinario examinati. Etenim affirmanter quidem reſpondendum eſſe videretur, cum interventus teſtium ex officio non deſcendat ab epiſtola *circulari*, ſed a decretis ſan. mem. Innocentii XI. in quibus præter cauſam finalem gravibus verbis expoſitam, *Animadvertens eadem ſacra Congregatio, quod neceſſarium ſit, ut proceſſus auctoritate ordinaria fabricandi conficiantur cum maxima diligentia*, poſitivum injungitur præceptum inquirendi & examinandi teſtes ex officio: *Cenſuit, mandari Ordinariis locorum, ut ultra teſtes inductos a Poſtulatoribus teneantur ipſi quoque inquirere ac examinare alios teſtes bene inſtructos ſuper vita & moribus Servi Dei*. Præterquamquod, cum eorumdem decretorum titulus ita ſe habeat, *Decreta noviſſima ſacræ rituum Congregationis ſervanda in cauſis Beatificationum & Canonizationum Sanctorum*, vox illa *ſervanda* æquivalere videtur decreto *irritanti*. Quare, cum decreta ſan. mem. Urbani VIII. eſſent eodem modo inſcripta, *Decreta ſervanda in Canonizatione & Beatificatione Sanctorum*, juſſu ſactæ Congregationis fuerunt hæc alia verba illis ſubrogata, *Decreta, & ordo conficiendi proceſſus in cauſis Beatificationis & Canonizationis Sanctorum*: idque non niſi quia dictio illa *ſervanda* ſcrupulum injicere poterat, quod actus aliter facti *nullitatis* vitio laborarent, ut adnotavit bon. mem. Carolus Paulutius ſacræ Congregationis Secretarius in regeſtis. Veruntamen, utcumque hæc ſint, opinio negativa mihi tutior eſſe videtur; tum quia in re dubia ſtandum eſt pro validitate proceſſus; tum quia urget defectus decreti *irritantis*; tum etiam quia Fidei Promotoribus opponentibus, in proceſſibus confectis ab Ordinariis ſuper ſanctitate vitæ, & fama virtutum ac miraculorum non fuiſſe examinatos teſtes ex officio, ſacra Congregatio nunquam pronuntiavit pro *nullitate* proceſſuum: quin immo, admiſſa quodammodo, ſeu poſita validitate proceſſus ab Ordinario confecti, quam Fidei Promotor impugnabat ſub obtentu defectus teſtium ex officio, cenſuit, eſſe locum ſignaturæ Commiſſionis, ſeu introductioni cauſæ; uti, dum fungebar munere Fidei Promotoris, factum eſt in cauſa Anagnina B. Andreæ de Comitibus 25. Septembris 1723.

20. Quatenus autem diceretur, ex hoc ſequi, validos eſſe futuros etiam proceſſus auctoritate Apoſtolica confectos ſuper vita & virtutibus Servorum Dei, licet in eis non fuiſſent examinati teſtes ex officio, reſponderi poſſet, id non ſubſiſtere, cum præceptum examinandi teſtes ex officio juxta decreta ſan. mem. Innocentii XI. inſeratur in litteras remiſſoriales pro Apoſtolicorum proceſſuum conſtructione expediendas; quod utique ſatis eſt, ut nulli cenſendi ſint proceſſus auctoritate Apoſtolica confecti ſuper virtutibus, ſi in eis deſit examen teſtium ex officio, cum ipſæ litteræ remiſſoriales (ut infra exponetur) munitæ ſint decreto irritante. Uno verbo, nullitas non deſcendit a decretis Innocentianis ſeorſim ſumptis, ſed a decretis Innocentianis in litteras remiſſoriales inſertis, & prædictarum litterarum remiſſorialium partem conſtituentibus. Cumque Innocentiana decreta ſeorſim ſumpta a litteris remiſſorialibus pertineant ad proceſſus auctoritate ordinaria confectos, eademque uti in litteras remiſſoriales inſerta ſpectent ad Apoſtolicos proceſſus; hinc eſt proceſſus ordinarios ſuper virtutibus non poſſe dici nullos, ſi deficiant teſtes ex officio; & e contrario nullos eſſe dicendos Apoſtolicos proceſſus, ſi in eis prædictorum teſtium ex officio examen deficiat. Res etiam, quatenus oportet, fieri poteſt clarior exemplo. In decretis Innocentianis cavetur, ne extrajudiciales atteſtationes inſerantur in proceſſus tum auctoritate ordinaria, tum Apoſtolica conficiendos. Porro ſi inſerantur in proceſſus primi vel ſecundi generis, clara eſt inobedientia Innocentianis decretis, ſed nemo eſt qui dicere poſſit, ea de cauſa proceſſus eſſe nullos; non ordinarios, quia decreta Innocentiana carent decreto irritante; non Apoſtolicos, quia pars hæc decretorum non inſeritur in litteras remiſſoriales, ex qua inſertione tantum nullitas poſſet derivari. Sed de hoc etiam infra denuo tractabitur, videlicet *cap. 48. num. 13.*

21. Colligitur itaque ex dictis primo, plura ſtatuta eſſe in epiſtola *circulari*, & in decretis Innocentianis pro recta conſtructione proceſſuum, qui fiunt ab Ordinariis: Secundo, ſtatuta in epiſtola *circulari*, & in decretis Innocentianis eſſe coercita in proceſſibus, qui fiunt ab Ordinariis ſuper ſanctitate vitæ, & fama virtutum atque miraculorum, nec eſſe per conſequens extendenda ad alios proceſſus, qui fieri poſſunt ab iiſdem Ordinariis ſuper obedientia decretis Urbani VIII. Tertio, validos futuros eſſe proceſſus Ordinariorum etiam ſuper ſanctitate vitæ, & fama virtutum & miraculorum, quamvis non fuerint obſervata ea, quæ ultra jus commune mandata fuerunt in epiſtola *circulari*, aut in decretis Innocentianis in ea etiam parte, in qua loquuntur de proceſſibus, qui fiunt ab Ordinariis: Quarto, pro validitate univerſorum proceſſuum, qui fiunt ab Ordinariis, ſatis eſſe, ſi fuerint obſervata ea, quæ de jure communi ſervanda ſunt in conſtructione aliorum proceſſuum. Attamen, quando res eſt integra, quando videlicet agitur non de proceſſibus factis, ſed faciendis, congruum exiſtimarem & rationabile, ut Ordinarii ſuos proceſſus conficerent, ſervatis omnibus ſolemnitatibus, quæ obſervantur in proceſſibus Apoſtolicis, & de quibus infra tractabimus; tum quia materiæ gravitas id expoſcit; tum quia nulla fere eſt hodie cauſa Beatificationis & Canonizationis, in qua non ſit opus conjungere proceſſus ordinarios cum proceſſibus Apoſtolicis *in linea* æqualis probationis, ita ut ex utriſque ſimul junctis ad finem procedatur. In quo proinde rerum themate unuſquiſque bene deprehendere poterit, maximopere expedire, ut proceſſus ordinarii fiant inſtar proceſſuum Apoſtolicorum; ita ut nulla ſit inter eos differentia præter auctoritatem conficientis, ordinariam ſcilicet, aut delegatam.

22. Alia plura eſſent addenda de validitate proceſſuum auctoritate ordinaria confectorum; ſed de his loquemur in ſequentibus, in quibus tractabitur de validitate proceſſuum Apoſtolicorum.

CAPUT QUADRAGESIMUMQUARTUM.

De validitate proceſſuum, & ſignanter eorum, qui auctoritate Apoſtolica conficiuntur.

1. POSITIONUM, articulorum *interrogatoriorum*, litterarum remiſſorialium, & compulſorialium non ſolum in hoc capite, ſed etiam in ſequentibus opus erit habere mentionem: quapropter non inutile eſt, aliqua de Poſitionibus, articulis, *interrogatoriis*, litteris remiſſorialibus, & compulſorialibus hic præmittere.

2. Poſitio eſt brevis verborum formula mentem Ponentis continens ad veritatem eliciendam concepta, teſte Alciato *in praxi Civili part. 2. tit. de Poſitionibus*: Articulus autem eſt pars intentionis continens illud, quod quis probare intendit, ut habet Gloſſa *in cap. Præſentium v. Articulis, de teſtibus in 6.* Quocirca Poſitio magis late patet, quam articulus, cum in una Poſitione plures articuli poſſint diſtingui, ut habetur *in cit. cap. Præterea ſigillatim ſuper quolibet articulo in qualibet Poſitione contento facias a partibus ſufficienter ad invicem reſpondere.* Uſus vero atque conſuetudo Poſitiones & articulos invenerunt, quemadmodum docet Joannes Baptiſta Aſin. *in praxi judiciaria §. 19. cap. 24. num. 8.* ideoque tum ex iſta ratione, tum ex alia, quod in cauſis ſcilicet Canonizationis *extrajudicialiter* procedebatur, opinio vigebat, non eſſe in conſtructione proceſ-

UAB Biblioteca de Ciències Socials

processuum ad eas spectantium absolute & simpliciter necessarias Positiones & articulos, juxta late adducta per P. Ceparium *in direct. mss. Canoniz. lib. 3. cap. 11. per totum*. At hodie cessat hæc controversia, cum in litteras remissoriales articuli sint inserendi: *Positiones & articulos infrascriptos dat exhibet & producit Procurator*. Et alibi: *Forma vero articulorum hic non ponitur, quia in qualibet causa debent exhiberi a Procuratore Partis*. Idque adeo exacte observatur, ut, dum fungebar munere Fidei Promotoris, supplicantibus Postulatoribus causæ S. Thuribii pro concessione litterarum remissorialium ad comprobanda nonnulla miracula, nulla facta exhibitione articulorum, sub obtentu, quod ab Indiis non fuerant sibi notificata in individuo miracula, quæ patrata dicebantur ejus intercessione, sacrorum rituum Congregatio die 26. Augusti 1713. instantiam rejecerit.

3. *Interrogatoria* inventa sunt pro eruenda a testibus veritate: eorum etenim ope tota facti series a testibus exposita una cum omnibus circumstantiis in aperto ponitur. De litteris autem remissorialibus, & compulsorialibus hæc habentur apud Peniam in vita S. Raymundi de Pennafort *lib. 3. cap. 24. observat. 1. Remissoriam sive litteras remissoriales Romana Curia vocat eas, per quas Judices causarum aliis Judicibus locorum, ubi probationes ad causam instituendam parari possunt, potestatem evocandi recipiendique testes, aliasque probationum species tribuunt: quod, commoditatis, & plerumque necessitatis causa, legitimo jure introductum est; cum valde dispendiosum, & plerumque impossibile foret, testes e remotis provinciis ad judicii locum evocare. Id cum in ceteris causis observari soleat, in causis etiam Canonizationis Sanctorum specialiter permissum est. Compulsoriam sive compulsoriales litteras eadem Curia vocat, per quas Judicibus delegatis fit facultas quoslibet compellendi, ut quascumque scripturas & instrumenta ad causam, de qua agitur, pertinentia exhibeant & producant.*

4. Post hæc, descendendo ad usum seu *praxim*, quando agitur de expediendis litteris remissorialibus, & compulsorialibus, debent primo loco Postulatores exhibere supplicem libellum Congregationi ordinariæ sacrorum rituum, instando pro litterarum expeditione, & Judices exprimendo, quibus commode dirigi possunt: qui supplex libellus communicandus est etiam cum Fidei Promotore, ut ipse videat, an aliquid sit, quod opponere possit.

5. Secundo: si sacra Congregatio pro expeditione respondeat, ejusque deliberatio a summo Pontifice approbetur, decretum expeditur a Secretario, in quo fit mentio cum concessionis, tum Judicum, quibus eadem Congregatio & summus Pontifex jusserint inscribi litteras prædictas: pariterque, juxta decretum sacræ Congregationis 18. Martii 1679. non sunt publicanda decreta pertinentia ad concessionem litterarum remissorialium, nisi cum Fidei Promotore conferantur.

6. Tertio, articuli componuntur a Procuratore causæ, iidemque una cum recensito decreto dantur Fidei Promotori, ut *interrogatoria* faciat, super quibus testes a Judicibus interrogari debent, uti colligitur ex decretis generalibus: *Ut testes primo examinentur juxta interrogatoria per Promotorem Fidei ex officio danda & in litteris inserenda &c. Interrogatoria inserenda in litteris remissorialibus &c. Forma vero articulorum hic non ponitur, quia in qualibet causa debent exhiberi a Procuratore Partis; super quibus Promotor Fidei debet formare interrogatoria cum eisdem articulis in litteris remissorialibus transmittenda.*

7. Quarto, Fidei Promotor scribit epistolam Subpromotori, qui ejus vices implere debet in constructione processus; & in hac epistola eum monet de fidelitate & diligentia in re tanti momenti & de ceteris requisitis, quæ intervenire debent juxta legem decretorum in horum processuum constructione: immo etiam juxta decreta Innocentii XI. §. 3. in epistolam, quam Fidei Promotor scribit Subpromotori, inserere ille debet formulam juramenti alibi referendam, quod præstare tenentur Judices, Subpromotores, Notarii, & testes: *Idemque Judices, prout etiam Subpromotores, & Notarii tam in partibus, quam in Curia, ac testes, & in Curia etiam Protonotarius debeant ante inchoationem processuum præstare juramentum de servando secretum religiose sub pœna excommunicationis ipso facto in casu contraventionis incurrendæ, juxta formulam ejusdem juramenti imprimendam in fine decretorum, & pro omnimoda observantia transmittendam Judicibus delegatis in ipsis litteris remissorialibus; & Subpromotoribus in litteris Promotoris.*

8. Quinto, a Fidei Promotore traditur Notario sacræ Congregationis epistola, quam ipse scripsit Fidei Subpromotori, eidemque Notario duo exemplaria *interrogatoriorum* caute custodienda traduntur; quorum alterum una cum articulis a Procuratore exhibitis remanet penes Acta sacræ Congregationis, alterum manu Promotoris subscriptum mittitur ad eos, quibus litteræ diriguntur pro constructione processus.

9. Sexto, fiunt a Notario litteræ remissoriales, & compulsoriales cum solitis clausulis; eæque subscribuntur a Cardinali Præfecto, a Protonotario sacræ Congregationis, a Secretario, & ab ipso Notario: antiquitus autem subscribebantur ab omnibus Cardinalibus Congregationis sacrorum rituum, uti desumitur ex litteris expeditis in causa S. Raymundi de Pennafort, typis impressis in ejus vita edita a Penia *cit. lib. 3. cap. 24.* Onusque est memorati Notarii sub unico involucro sigillis bene obsignato tum litteras remissoriales, tum epistolam Promotoris ad Subpromotorem una cum *interrogatoriis* includere.

10. Cumque in præsenti sermo sit de usu seu *praxi*, opportunum erit addere, antiquissimum esse ritum mittendi ab Urbe *interrogatoria* in causis Beatificationis & Canonizationis. Mentio fit ejus ab Ostiensi *in cap. Audivimus, de Relig. & venerat. SS.* atque ab Auctore, qui rituum formulis præerat in aula Pontificia circa annum 1347. cujus opus editum fuit a Raynaldo *ad dictum annum num. 34.* Concordant Ordo Romanus Cardinalis Cajetani sub Clemente VI. quem publici juris fecit Jo. Mabillonius *mus. Ital. tom. 2.* & Ordo Canonizationis Sanctorum an. 1594. *in Collect. CC. Britanniæ tom. 3. pag. 636. & seqq.* Omissaque dispositione Cæremonialis Romani sub Leone X. comprobatur assumptio ex Brevi Innocentii V. expedito in causa Canonizationis Servæ Dei Margaritæ filiæ Regis Hungariæ, & edito a Petro Campo *part. 2. histor. Placentiæ pag. 588. Verum licet quos honorat Divina dignatio, humana devotio prompto affectu debeat honorare: quia tamen, providentia præduce, Prædecessorem festinum incertum, & lentum* (sermo est de Gregorio Papa X.) *invenire decebat in dubiis, ut procederet tramite tutiori; bonæ memoriæ Archiepiscopo Strigonienſi, & venerabili Fratri nostro Episcopo Vaccianensi, ac dilecto Filio Abbati de Dacon Ordinis Cistercienſis prædictæ diœcesis sub certa forma dedit litteris in mandatis, ut de veritate morum & virtute signorum, operibus videlicet ipsius & miraculis secundum datam eis a Deo prudentiam, & interrogatoria, quæ ipsis sub bulla sua dictus Prædecessor intercluſa transmisit, diligentius inquirentes, sibi, quæ invenirent, per suas litteras Apostolicarum litterarum seriem continentes fideliter intimarent.*

11. Antiquiora etiam suppetunt argumenta missionis *interrogatoriorum* ab Urbe in causis Canonizationis. Extat enim epistola scripta anno 1232. a summo Pontifice Gregorio IX. *Fratri Conrado de Marburg Ordinis Prædicatorum Judici delegato in causa Canonizationis S. Elisabeth Lantgraviæ Thuringiæ*, in qua eidem præcipit, ut testes examinet juxta normam in sua bulla inclusam: *Discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus super gloriosis miraculis, quibus claræ memoriæ Elisabeth Lantgravia Thuringiæ, auctore Christo, dicitur refulgere, super scripti tenorem, quod vobis sub bulla nostra mittimus intercluſum, habendo præ oculis solum Deum, testes recipere ac diligenter examinare curetis.* Sensus autem scripti, de quo summus Pontifex in citata Epistola sive bulla loquitur, est hic, qui sequitur: *Testes legitimi, qui super vita, conversatione, ac miraculis Venerabilis Elisabeth Lantgraviæ Thuringiæ sunt recipiendi, prius ab eis præstito juramento, diligenter examinentur & interrogentur de omnibus, quæ dixerint, quomodo sciunt, quo tempore, quo mense, quo die, quibus præsentibus, quo loco, ad cujus invocationem, & quibus verbis interpositis, & de nominibus illorum, circa quos miracula facta dicuntur, & si eos antea cognoscebant, & quot diebus ante viderunt eos infirmos, & quanto tempore fuerunt infirmi, & de qua civitate sunt oriundi; & interrogentur de omnibus circumstantiis diligenter, & circa singula capitula fiant, ut expedit, quæstiones præmissæ, & series testimonii, & verba testium fideliter redigentur in scriptis.*

12. Impressa typis sunt hæc monumenta *in Bullar. Ord. Præd.* Antonini Bremond *tom. 1.* necnon consimile ejusdem Pontificis Gregorii monumentum habetur apud Wadingum *ad an. 1236. tom. 2.* ubi refertur bulla delegationis ab eo factæ Episcopis Urbevetano, & Suanen. & Priori S. Joannis de Platea Ordinis S. Augustini,

ſtini, ut inquirerent in miracula B. Ambroſii de Maſſa Ordinis Minorum. Verum, cum *interrogatoria*, quæ ab Urbe mittebantur, non a Fidei Promotore, qui tunc non aderat, componerentur, ſed antiquioribus temporibus a Miniſtris & Officialibus ad id forte per ſummos Pontifices deputatis, recentioribus autem vel a ſacrorum rituum Congregatione, teſte Contelorio *de Canonizat. SS. cap.* 25. *num.* 95. vel a Rotæ Auditoribus, quibus hæ cauſæ committebantur, uti colligitur ex relationibus eorumdem Auditorum in cauſa S. Andreæ Avellini *tit. de validitate proceſſuum*, in cauſa S. Hyacinthi *pag.* 7. in cauſa S. Caroli Borromæi §. *Tertia concluſio*, ubi iidem Auditores teſtantur, ſe præ manibus habuiſſe proceſſum factum ab Ordinario, ſeque tum articulos compoſuiſſe, tum *interrogatoria* formaſſe; cumque non deeſſent aſſerentes, miſſionem hanc *interrogatoriorum* ab Urbe ad Judices delegatos eſſe arbitrariam, & in aliquibus cauſis omiſſam fuiſſe, ut habet Auctor tractatus de Canonizatione Sanctorum ad Cardinalem Montis Regalis *cap.* 3. *quæſt.* 3. neceſſitas, quæ hodie urget, ut *interrogatoria* formentur a Fidei Promotore, originem habet a nova formula litterarum remiſſorialium, in quam *interrogatoria* ipſa ſunt inſerta, & ex decretis ſub Urbano VIII. ubi conſentanee cum eadem formula legitur: *Super quibus* (hoc eſt articulis) *Promotor Fidei debet formare interrogatoria.*

13. Porro inter decreta generalia edita eſt forma Remiſſoriæ, in qua multa enumerantur, quæ ſunt neceſſaria ad validitatem proceſſuum Apoſtolicorum. Fit in ea mentio Procuratoris in cauſa deputati, exhibitionis ab eo factæ legitimi mandati procurationis, Poſitionum, & articulorum ſuper vita, moribus, virtutibus, & miraculis, aut Martyrio Servi Dei vel in genere, vel in ſpecie, juxta naturam judicii, in quo cauſa verſatur tempore expeditionis Remiſſoriæ. Datur in Remiſſoria facultas Judicibus delegatis teſtes examinandi primo juxta *interrogatoria* data in Curia a Fidei Promotore, deinde ſuper Poſitionibus & articulis propoſitis a cauſæ Procuratore; quæ omnia ad eoſdem mittuntur clauſa & obſignata: & datur quoque iiſdem Judicibus facultas recipiendi ſcripturas, inſtrumenta, monumenta, & alia quævis probationum genera producenda a perſonis habentibus legitima mandata procurationis. Juxta infra dicenda, diriguntur ut plurimum litteræ remiſſoriales, & compulſoriales tribus Epiſcopis cum clauſula, ut omnes, vel duo ad minimum procedant in ſingulis actibus, & non alias aliter, nec alio modo. Datur inſuper Judicibus facultas deſtinandi Notarium Apoſtolicum, ſive Eccleſiaſticum, qui Acta conficiat, necnon alium Notarium pro facienda collatione ſeu auſcultatione proceſſus jam conſtructi, & fidelem Portitorem, qui ad ſacram Congregationem proceſſum deferat obſignatum ſigillis Judicum, qui in cauſa proceſſerunt. Præſcribitur in ipſa Remiſſoria, ut teſtes examinentur in eccleſiis, ſacellis, & piis locis, & in loco loci a Judicibus deſtinando, & ſemper exprimendo, niſi forte examinandi eſſent teſtes infirmi, qui ad prædicta loca accedere non poſſent: tunc etenim ſpectare dicitur ad Judices, ut locum ſtatuant pro ipſo examine peragendo. Et, quia præter teſtium examen, alia plura fieri debent in proceſſibus, additur in Remiſſoria, quod cetera Acta proceſſus conficiantur in loco ſolitæ Audientiæ, quodque, præter teſtium atteſtationes, Acta, *citationes*, & actitata quæcumque fideliter in proceſſu tranſcribantur. Imponitur etiam in Remiſſoria onus Judicibus recipiendi a teſtibus cujuſcumque gradus, ſtatus, ſexus, & conditionis, etiam Sacerdotibus, exceptis Epiſcopis, juramentum, tactis ſacroſanctis Evangeliis poſitis coram iiſdem Judicibus, & non alias aliter, nec alio modo, de veritate dicenda ſuper iis, quibus examinabuntur primo juxta *interrogatoria*, deinde ſuper Poſitionibus, & articulis; & etiam recipiendi, tactis ſacroſanctis Evangeliis, cum a Notario Apoſtolico deputato pro confectione proceſſus, tum a Notario adjuncto pro collatione ſeu auſcultatione juramentum de fideliter exercendo officium ſuum: quæ eadem præſtatio juramenti de fideliter exercendo officium extenditur ad Portitorem, & ad Nuntium. Demum decernitur in Remiſſoria, ut teſtes deponant coram Judicibus, qui in cauſa procedunt, & coram Notario Apoſtolico, vel Eccleſiaſtico ab iiſdem Judicibus, uti ſupra, electo pro confectione proceſſus; & ut teſtes, quæcumque habent, *per extenſum* deponant, nec ſe referant ad atteſtationes alias redditas, neque eis recitentur, quæ alias ipſi depoſuerunt. Quia vero contingere poſſet, ut aliquis nollet ſe examini ſubjicere, vel ut aliquis recuſaret exhibere ſcripturas ad cauſam facientes, tribuitur in Remiſſoria Judicibus auctoritas Apoſtolica eoſdem compellendi ſub cenſuris & pœnis canonicis, omnibus juris & facti remediis opportunis, omnique & quacumque appellatione poſtpoſita: quod etiam eſt conſentaneum juri communi *in cap. Præterea*, & *in cap. Sane*, *de offic. & poteſt. Judicis delegati*, & antiquiori diſciplinæ ſeu praxi Sedis Apoſtolicæ, de qua Julius Papa II. *in epiſtola ad Archiepiſcopum Cantuarienſem*, & *alios Epiſcopos*, in qua eis committit, ut inquirant in virtutes & miracula in cauſa Henrici VI. Angliæ Regis: *Teſtes legitime recipiatis &c. univerſaque alia probationum genera ad hujuſmodi negotium ſpectantia videatis & diligenter examinetis, & perſonas, apud quas fuerunt, ad illa vobis exhibenda per cenſuram Eccleſiaſticam, & alia juris remedia, appellatione remota, compellatis.* Verba ſunt citatæ epiſtolæ editæ apud Raynaldum *ad an.* 1504. *num.* 33. Quia præterea contingere poſſet, ut Judices delegati haberent aliquam ſuſpicionem de *veritate* teſtium, in Remiſſoria præſcribitur, ut ſignificare debeant ſacræ Congregationi, non ſolum generaliter quæ fides teſtibus examinatis ſit habenda, ſed etiam peculiariter ſuper his, quæ ab eiſdem teſtibus depoſita fuerunt, & an inter deponendum aliquid viderint, per quod eorum depoſitio ſuſpecta reddatur. Quando autem conceditur Remiſſoria in ſpecie pro finali complemento, committitur & mandatur Judicibus delegatis, ut viſitent ſepulcrum Servi Dei, de cujus Beatificatione & Canonizatione tractatur, id aperiri faciant, idque, & alias quaſcumque memorias adhuc exiſtentes cum omnibus & ſingulis circumſtantiis recognoſcant & deſcribant, ac recognoſci & deſcribi faciant, vocatis tantum iis perſonis, quæ ipſis videbuntur, ad teſtimonium perhibendum ſuper repertis; impoſita ſimul pœna anathematis latæ ſententiæ non niſi a Romano Pontifice pro tempore abſolvendæ iis, quacumque, etiam regali, vel Eccleſiaſtica dignitate inſignibus, qui aliquid in ſepulcro ponere, vel ex eo ſubtrahere auderent: cum ea circumſpectione, ut ad omnia & ſingula Acta facienda ſemper citetur Fidei Subpromotor nominatus a Promotore in Curia, & non alias aliter, nec alio modo.

14. Conſtant hæc omnia ex formula litterarum remiſſorialium typis impreſſa inter decreta generalia ſummi Pontificis Urbani VIII. quod exemplar dici poteſt litterarum remiſſorialium, quæ quotidie a ſacra Congregatione expediuntur, licet in eis aliqua tractu temporis fuerint addita, alia vero propter varios cauſarum eventus aliquando reperiantur immutata, ut alibi demonſtrabitur. Tempore itaque ſan. mem. Innocentii XI. viſa ſunt alia deſiderari pro meliori directione cauſarum Beatificationis & Canonizationis; ideoque hæc alia addita fuerunt. Primo, ut præter teſtes inductos a Poſtulatoribus, ſeu Procuratoribus Judices delegati teneantur inquirere & examinare ex officio alios teſtes bene edoctos ſuper vita & moribus Servi Dei, de cujus Beatificatione & Canonizatione tractatur; quod id enixe a ſacra Congregatione ſuis Judicibus delegatis commendetur; quod id ipſum fiat a Fidei Promotore in litteris, quas ſcribit ſuis Subpromotoribus: &, quia ope hujus novæ diligentiæ aliquid poterit deprehendi, quod obſtet ſanctitati, ut Judices ſuperſedeant ab ulteriori inquiſitione, ſi grave videatur id quod deprehenſum eſt, uſquequo ſacra Congregatio ab eis certiorata per litteras mandet, quid ſit agendum. Id vero ſtatutum eſt quoad proceſſus, qui conficiuntur ab Ordinariis ſuper vita & moribus Servorum Dei, juxta verba decretorum alibi relata; quibus ita ſubditur: *Hujuſmodi diligentias ſervari vult etiam in proceſſibus auctoritate Apoſtolica conficiendis a Judicibus delegatis, quibus per litteras particulares ſacræ Congregationis enixe commendari debeant. Et idem faciat Promotor Fidei in litteris ſcribendis Subpromotoribus.*

15. In decretis Innocentianis ſecundo mandatum eſt, ut in litteris remiſſorialibus præſcribatur, ut *interrogatoria* ſemper ſerventur clauſa & obſignata ſigillis Judicum, nec aperiantur, niſi in actu examinis, & claudantur in fine; utque id ipſum fiat quoad teſtium depoſitiones, quæ, antequam proceſſus ſit abſolutus, claudi debent in fine cujuslibet ſeſſionis, & ſignari ſigillis Judicum, non aperiendæ, niſi in ipſorum præſentia in principio cujuslibet examinis atque ſeſſionis: & hæ quidem diligentiæ explendæ ſunt tum in proceſſibus, qui fiunt extra Urbem, tum in iis, qui fiunt in Curia. Et verba decretorum: *Et pro majori cautela præſcribi debeat in litteris remiſſorialibus, quod non ſolum interrogatoria retineantur ſemper clauſa & ſigillata cum ſigillis*

dis eorumdem Judicum, non aperienda, nisi in actu examinis, & claudenda in fine; sed ulterius depositiones ipsæ, antequam processus sit absolutus, in fine cujuslibet sessionis claudi & signari debeant cum sigillis Judicum, nec possint aperiri nisi in præsentia ipsorum in principio cujuslibet examinis & sessionis; ac hujusmodi diligentiæ fieri debeant etiam in processibus fabricandis in Curia.

16. Præscripta fuit tertio forma juramenti præstandi a Judicibus, antequam inchoentur processus, a Subpromotoribus, a Notario cum in partibus, tum in Curia, & a Protonotario in Curia, & a testibus. Et quoad Judices quidem, Subpromotores, Notarium, & Protonotarium formula juramenti typis impressa ad calcem prædictorum decretorum importat promissionem fideliter adimplendi munus ipsis commissum, atque servandi secretum tum de contentis in *interrogatoriis*, tum de testium depositionibus super iisdem *interrogatoriis*, & super articulis, nec de iis loquendi cum quavis persona, exceptis *Conjudicibus*, Subpromotore, & Notario pro eodem processu deputatis, & in Curia excepto Protonotario; sub pœna perjurii & anathematis latæ sententiæ, a quo non possit contraveniens absolvi, nisi a Romano Pontifice, excluso etiam majori Pœnitentiario, præterquam in mortis articulo. Quoad testes autem formula juramenti, ea quoque typis impressa ad calcem dictorum decretorum, illa omnia repetit, quæ modo dicta sunt quoad secretum servandum tum de contentis in *interrogatoriis*, tum de responsionibus & depositionibus a se factis, exprimitque onus dicendi veritatem tum super *interrogatoriis*, tum super articulis, super quibus examinabuntur. Quoad omnes quoque prædictos mandatum est, ut juramenta emittant, tactis sacrosanctis Evangeliis, & ut formula eorumdem juramentorum mittatur ad Judices delegatos in litteris remissorialibus, & ad Subpromotores in litteris Promotoris.

17. Ultimo, in sæpe memoratis novissimis decretis prohibitioni alias factæ in antiquioribus decretis omnibus & singulis personis Ecclesiasticis tum Sæcularibus tum Regularibus, quantumvis speciali nota dignis, de non exquirendis testificationibus extrajudicialibus super sanctitate aut miraculis cujuscumque Servi Dei, additum fuit, ut ejusmodi attestationes hactenus obtentæ & in futurum obtinendæ non faciant aliquem gradum probationis, nec inseri possint in processus tum ordinaria, tum Apostolica auctoritate fabricandos; ut ex littera eorumdem decretorum.

18. Decreta hæc Innocentiana impressa fuerunt anno 1678. typis Rev. Cameræ Apostolicæ, & etiam post tractatum Mattæ *de Canonizat. SS.* Quamvis autem ex eorum lectione unusquisque dignoscere possit, primum tantum de testibus ex officio, & ultimum de non inferendis in processum attestationibus *extrajudicialibus* extendi etiam ad processus auctoritate ordinaria confectos, alia autem, utpote loquentia de litteris remissorialibus, esse coercita intra processus Apostolicos; ut in terminis decreti, in quo disponitur de claudendis *interrogatoriis* & testium depositionibus, dum fungebar munere Fidei Promotoris, bene ponderavit sacrorum rituum Congregatio in causa Limana Canonizationis S. Thuribii, cum de validitate processus ab Ordinario confecti disputaretur die 10. Martii 1725. quamvis etiam probabile & consentaneum sit menti sacræ Congregationis, juxta ea quæ in superioribus dicta sunt, inobservantiam eorum, etsi loquentium de processu ordinario, non posse ex defectu decreti irritantis *nullitatem* inducere, excepta omissione examinis testium ex officio tum super virtutibus tum super miraculis ad normam novissimi decreti infra referendi: quod tamen attinet ad processus Apostolicos, certum esse debet, eos *nullitatis* vitio laborare, nisi fuerint observata omnia & singula, quæ sunt expressa tum in formula litterarum remissorialium, tum in illis Innocentianis decretis, quæ in ipsas remissoriales litteras inseruntur, & quæ nunc partem constituunt earumdem litterarum remissorialium. In litteris quippe remissorialibus non deest decretum irritans: *Decernentes irritum & inane quidquid contra formam præsentis Remissoriæ scienter vel ignoranter fuerit executum:* estque de natura Remissoriæ, ut, quidquid agitur, ejus forma non servata, *nullitatis* vitio laboret, juxta regulam textus *in cap. Cum dilecta, de rescriptis, & in cap. Prudentiam, ubi Doctores de officio Delegati*; quam porro regulam ad rem, de qua nunc agimus, bene exornant Lezana *consul.* 1. *num.* 95. Contelorius *de Canonizat. SS. cap.* 25. *num.* 17. Rosa *in addit. ad suum tract. de Execut. litter. Apostol. num.* 69. *&* 70. Auditores Rotæ *in relatione S. Philippi Benitii, tit. de processibus*, & *in relatione B. Gregorii X. eod. tit.* ubi validitas dicitur adesse, quando forma data in litteris non fuit omissa, nisi forte ageretur de inobservantia quoad res minimas, item de inobservantia per additionem cautelarum, quæ non essent necessariæ, sed potius superfluæ, vel denique de inobservantia rerum, quæ supplementum per æquivalentem, aut ampliorem adimpletionem habuissent: quibus circumstantiis positis, durum admodum esse *nullitatem* inducere ex inobservantia formæ in litteris remissorialibus statutæ, quemadmodum recte docent Lezana *consul.* 1. *num.* 127. *& seqq.* Pignatellus *consult.* 188. *num.* 14. *& seqq. tom.* 9. Auditores Rotæ *in relatione S. Ignatii tit. de processu remissoriali Mutinensi*, & *tit. de processu remissoriali Burgensi*, & latissime *in relatione B. Josaphat part.* 1. §. *Completo*, & *in relatione S. Isidori Agricolæ art.* 1. *de processu remissoriali* §. *Ulterius.*

CAPUT QUADRAGESIMUMQUINTUM.

De his, quibus inscribuntur Litteræ remissoriales, *&* compulsoriales *pro conficiendis processibus auctoritate Apostolica.*

1. IN superiori capite, dum agebatur de contentis in forma Remissoriæ, omnia fere indicata sunt, quæ ad validitatem processus Apostolicorum sunt necessaria: in hoc autem & sequentibus capitibus singillatim expendentur omnia, quæ prædictorum processuum validitatem respiciunt. Quia vero (ut alibi dictum est) Apostolici processus, qui in causis Beatificationis & Canonizationis conficiuntur auctoritate Apostolica, sunt in multiplici differentia, cum nonnulli sint super non cultu, sive super casu excepto a decretis Urbani, quatenus hi non fuerint ab Ordinariis confecti sua auctoritate ordinaria, alii super fama sanctitatis in genere, alii super virtutibus, Martyrio, aut miraculis in specie; ad evitandam idcirco confusionem desumimus initium a processibus super non cultu, sive super casu excepto, inquirentes, quibus a sacra Congregatione eorum confectio delegetur, quando sacræ Congregationis & Sedis Apostolicæ auctoritate conficiendi sunt, eamdem assumptionem subinde prosecuturi quoad alios processus super fama sanctitatis in genere, aut super virtutibus, vel Martyrio, & miraculis in specie.

2. Processus super obedientia seu *paritione* decretis, qui conficiuntur auctoritate Apostolica, hoc est super non cultu, vel super casu excepto, aut conficiuntur in Urbe, aut extra Urbem. Si conficiuntur in Urbe, cum Cardinalis Vicarius sit in ea tanquam Ordinarius, ut habent textus *in cap. Sua nobis, de officio Vicarii*, Choell. *in notit. Cardinalat. cap.* 55. & Sbrozz. *de Vicario, lib.* 1. *quæst.* 3. *n.* 19. hinc est, quod, sicuti inter Judices, qui a Sede Apostolica delegantur, semper delegatur Ordinarius loci, in quo processus conficitur, ita, si fieri debent processus in Urbe Apostolica auctoritate, semper sacra Congregatio suum facit Delegatum Cardinalem Urbis Vicarium; atque adeo, quia ipse aliis curis ut plurimum distentus est, mos inolevit, ut eidem etiam detur facultas Episcopum suo judicio idoneum substituendi, qui deveniat ad constructionem processus, uti legitur in decretis generalibus Urbani VIII. *Nec prætereundum est, quod in Commissionibus Summi Pontificis Sacræ rituum Congregationi directis apponi debet, quod, quando erunt conficiendi processus & examinandi testes in Curia, eadem sacra Congregatio subdelegare debeat Sanctissimi Domini nostri Papæ Cardinalem Vicarium, qui per se, seu, ipso impedito, per alios tantum Episcopos ab eo deputandos capiat informationes necessarias cum interventu Pronototarii pro tempore sacræ rituum Congregationi destinati.*

3. Id ipsum erat etiam usu receptum ante editionem decretorum Urbani VIII. quemadmodum colligitur ex Actis Canonizationis S. Teresiæ collectis a Joanne Paulo Mucantio sacrarum cæremoniarum Magistro & Secretario Congregationis sacrorum rituum, quæ autographa extant in Conventu S. Annæ de Urbe Carmeli-

melitarum Excalceatorum nationis Hiſpanæ: in ea enim inſertus eſt ſupplex Poſtulatorum libellus, per quem licet exorarent, ut examen nonnullorum teſtium in Urbe peragendum committeretur Cardinali Pinello Protectori Religioſi Ordinis; ſacra nihilominus Congregatio pro dicto munere explendo elegit Cardinalem Pamphilium Urbis Vicarium.

4. Cumque in Urbe proceſſus Apoſtolici conficiantur ſuper obedientia decretis præſtita, non ſolum ſi agatur de Servis Dei in Urbe, vel locis circa Urbem ſepultis, ſed etiam in cauſis Servorum Dei, qui ſepulti ſunt in regionibus remotiſſimis, dummodo in Urbe adſint teſtes bene informati, & parata ſint documenta opportuna ac neceſſaria; in utroque caſu Cardinalis Urbis Vicarius conſtituitur in Judicem delegatum pro conſtructione proceſſus.

5. Exemplum proceſſus ſuper non cultu in Urbe confecti auctoritate Apoſtolica a Cardinali Vicario in cauſis Servorum Dei, qui ſepulti erant in regionibus remotiſſimis, & quidem non unum, ſed multiplex, deſumitur ex decretis editis in cauſa Valentina Servi Dei Nicolai Factor 12. Julii 1664. in cauſa Majoricen. Servæ Dei Catharinæ Thomaſiæ 30. Auguſti 1664. in cauſa Corduben. Servæ Dei Annæ de Cruce die 8. Aprilis & die 4. Julii 1665. in cauſa Indiarum Declarationis Martyrii Dionyſii a Nativitate, & Sociorum 20. Julii 1675. in cauſa Majoricen. Alphonſi Rodriquez 25. Januarii 1687. &, dum fungebar munere Fidei Promotoris, in cauſa Meliapuren. Joannis de Britto 6. Julii 1715. Hique proceſſus ſuper non cultu, qui in cauſis Servorum Dei in remotis regionibus ſepultorum auctoritate delegata a Cardinali Vicario conficiuntur, ideo ex permiſſione ſacræ Congregationis in Urbe conficiuntur, quando eſſent conficiendi in loco ſepulcri, quia, cum ex alibi dicendis hinc non ita facile ſit Remiſſoriam obtinere pro teſtibus examinandis ſuper virtutibus & miraculis, antequam ſit abſolutum judicium ſuper non cultu, illinc vero propter magnam locorum diſtantiam nimis longum tempus intercedere debeat, ſi proceſſus ſuper non cultu ſit in partibus conficiendus, ad Urbem mittendus, & in ſacra Congregatione examinandus (quo tempore decurrente, imminet periculum obitus teſtium, qui de viſu deponere poſſunt ſuper virtutibus, Martyrio, & miraculis) neceſſe eſſe putatur, proceſſum ſuper non cultu in Urbe abſolvere, ut, quanto citius fieri poteſt, ad expeditionem litterarum remiſſorialium pro teſtibus examinandis deveniatur. Idque efficit, ut in cauſis, in quibus non adeſt periculum perditionis teſtium, eo quia Dei Servi non ſunt in adeo remotis regionibus ſepulti, abſtinendum videatur a conſtructione proceſſus ſuper non cultu in Urbe, ſed idem omnino conficiendus ſit in loco ſepulcri. Quod bene perſpectum fuit a ſacrorum rituum Congregatione, quæ in cauſa Romana Ven. Servi Dei Joannis Baptiſtæ Cioni, in qua proceſſus ſuper non cultu factus fuerat a Cardinali Urbis Vicario, licet ille mortuus & ſepultus eſſet in civitate Lucenſi, die 9. Aprilis anno 1729. decrevit, ut ad confectionem novi proceſſus deveniretur; & ad rem bene ſubdidit Archiepiſcopus Philippenſis meus meritiſſimus Succeſſor in Fidei Promotoris munere in ſuis animadverſionibus ſuper non cultu factis in cauſa prædicti Servi Dei: *Nil relevante, quod aliquando proceſſus de non cultu fiant in Urbe, licet agatur de Servis Dei, qui alibi deceſſerint atque ſepulti ſint; id enim procedit, quando res eſt de aliquo Servo Dei in remotiſſimis regionibus mortuo atque ſepulto: tunc enim ex indulgentia hujus ſacræ Congregationis conceditur, ut proceſſus de non cultu fieri poſſit in Urbe, ne ob diſtantiam valde notabilem locorum ſequatur nimia temporis jactura in tranſmittendis litteris remiſſorialibus, conficiendo in partibus proceſſu, eoque Romam reportando, cum maximo & evidenti periculo amittendi interim probationes ob defectum teſtium de viſu examinandorum vel ſuper virtutibus, vel ſuper Martyrio reſpective eorumdem Servorum Dei &c. Secluſa autem circumſtantia diſtantiæ valde notabilis a loco ſepulcri, nullus fortaſſe caſus afferri poterit, quod proceſſus ſuper non cultu alicujus Servi Dei confectus fuerit in Urbe, & non in loco, ubi idem Servus Dei mortem ſortitus fuit ac ſepulturam.*

6. Exemplum proceſſus in Urbe confecti auctoritate delegata a Cardinali Urbis Vicario in cauſis procedentibus per viam caſus excepti, licet ageretur de Dei Servis, ſeu Beatis extra Urbem ſepultis, deſumitur ex cauſa Calaritana B. Salvatoris ab Horta, & ex cauſa Montis Politiani S. Agnetis. In eis enim proceſſus ſuper caſu excepto confectus eſt auctoritate delegata ab Epiſcopo per Cardinalem Vicarium ſubdelegato, & ab eodem Cardinali Vicario lata eſt ſententia ſuper obedientia decretis præſtita, quæ deinde diſcuſſa & approbata fuit in ſacrorum rituum Congregatione. Eademque ſacrorum rituum Congregatio facilius indulget, ut in Urbe conficiatur proceſſus ſuper caſu excepto, quando caſus exceptus deſumitur ex indultis a Romanis Pontificibus, licet Dei Servi mortui ſint in regionibus parum ab Urbe diſtantibus, quam ut proceſſus conficiatur ſuper non cultu in eadem Urbe, cum tractatur de Dei Servis non ſepultis in regionibus remotiſſimis. In primo quippe caſu vis conſtituitur in indultis & in monumentis, quæ facilius in Urbe, quam extra, colligi poſſunt & exhiberi, & cultus continuatio in loco ſepulcri non eſt niſi ſequela & continuatio cultus jam conceſſi. Sed in ſecundo, cauſæ momentum ſtat in defectu cultus prope ſepulcrum, qui melius probatur per teſtes in eodem loco examinatos, & per acceſſum Judicis ad ipſum ſepulcrum, quam per alios teſtes, qui in Urbe examinentur. Sive autem fiat in Urbe proceſſus ſuper non cultu, ſive ſuper caſu excepto, non expediuntur litteræ remiſſoriales, & compulſoriales inſcriptæ Cardinali Vicario, ſed ſufficit decretum ſacræ Congregationis in Actis exhibendum: Judex vero, qui ſubdelegatur ab eodem Cardinali Vicario, ſubdelegatur in utroque caſu juxta praxim uſque ad ſententiam *excluſive*; quod pariter intelligendum eſt, licet id in delegatione non eſſet expreſſum. Reſumpta enim a Cardinali Vicario juriſdictione ante promulgationem ſententiæ ſuper obedientia decretis præſtita, ſententia porro ab ipſo profertur, & deinceps in ſacra Congregatione diſputandum proponitur dubium, an ſententia Cardinalis Vicarii ſuper non cultu, ſive ſuper caſu excepto ſit confirmanda.

7. Hæc ſunt, quæ pertinent ad proceſſum ſuper non cultu, ſeu ſuper caſu excepto in Urbe conficiendum. Sequitur ergo pro capitis complemento, ut ſermo transferatur ad eoſdem proceſſus, qui auctoritate Apoſtolica extra Urbem conficiuntur. Pro horum autem confectione ut plurimum a ſacra Congregatione delegatur Epiſcopus, in cujus diœceſi Dei Servus ſepultus eſt, & expediuntur litteræ remiſſoriales eidem inſcriptæ; per quas etiam, in caſu impedimenti, ſi agatur de Præſule magnæ diœceſis, datur aliquando facultas alium Epiſcopum ſuo judicio idoneum ſubſtituendi. Quæ ſubſtitutio non conſuevit eſſe coercita uſque ad ſententiam *excluſive*, uti contingit in ſubdelegatione, quæ fit a Cardinali Vicario (juxta ea quæ modo dicta ſunt) ſed, cum ſententia feratur a Subdelegato, diſputandum conſequenter in ſacra Congregatione proponitur dubium, an ſententia Epiſcopi ab Epiſcopo delegato ſubdelegati ſit confirmanda. Et exemplum quidem facultatis ſubdelegandi conceſſæ de proceſſu ſuper non cultu auctoritate Apoſtolica extra Urbem conficiendo, ut a ceteris abſtineamus, deſumitur ex cauſa Neapolitana ſeu Litteren. Servi Dei Leonardi de Fuſco. In ea etenim, dum fungebar munere Fidei Promotoris, die 15. Februarii 1716. pro conſtructione proceſſus ſuper non cultu inſcriptæ fuerunt litteræ Archiepiſcopo Neapolitano cum facultate ſubdelegandi Epiſcopum, qui ſibi idoneus videretur.

8. Aliquando contingit in proceſſu de non cultu, ſed frequentius in proceſſu ſuper caſu excepto, ut probationes deſumi debeant non ex una ſolum civitate, ſed ex diverſis. Utque res fiat clarior exemplo, ponamus, in civitate Peruſina confici ab ejus Epiſcopo tanquam Judice remiſſoriali proceſſum ſuper cultu immemorabili alicujus Dei Servi, qui in eadem civitate ſepultus ſit; ſi antiquæ hujus ejuſdem Servi Dei Imagines Bononiæ in aliqua eccleſia reperiantur, ſi ſtatuæ pariter antiquæ adſint in civitate Viterbienſi, quæ omnes ſint aptæ ad oſtendendum cultum immemorabilem, dubitari poteſt, an litteræ remiſſoriales, & compulſoriales ſint inſcribendæ non ſolum Epiſcopo Peruſino, ſed etiam Archiepiſcopo Bononienſi, & Epiſcopo Viterbienſi. Olim litteræ remiſſoriales, & compulſoriales prædictis omnibus Epiſcopis inſcribebantur, & unuſquiſque ſententiam ferebat ſuper caſu excepto, quomodo factum fuit in cauſis Sabaudien. B. Amedei, & Toletana B. Mariæ a Capite. At ad evitandas expenſas introducta fuit conſuetudo, ut inſcribantur litteræ remiſſoriales, & compulſoriales tantum Epiſcopo, in cujus diœceſi major extat copia probationum pro caſu excepto, ideoque Epiſcopo, in cujus civitate vel diœceſi Dei Servus, vel Beatus ſepultus eſt, ceteris autem

tem Episcopis inscribantur quædam litteræ particulares, quibus demandatur, ut Imagines recognoscant, aut alia consimilia peragant; & ita porro observatum fuit in causa Florentina S. Julianæ de Falconeriis 21. Martii 1676. in causa Barcinonen. B. Mariæ de Socos 20. Septembris 1687. atque in causa Bicleten. B. Jacobi Illyrici 23. Januarii 1698. Ipsi vero Episcopi, quibus hæ litteræ particulares inscribuntur, aut per se ipsos aut per suos Vicarios compendiarias agunt inquisitiones, & excipiunt notitias, quæ vel ad sacram Congregationem mittuntur, vel (ut alibi dictum est) mitti etiam possunt ad Episcopum, qui conficit processum, ut in eumdem inferantur, utque, omnibus rite perspectis, ab ipso feratur sententia super casu excepto, juxta decretum editum in Vallifoletana seu Oxomen. S. Petri Regalati 21. Januarii 1679. Præterquamquod, quantum attinet ad hasce litteras particulares, notatu dignum est decretum a sacra Congregatione editum in causa Tarraconen. B. Petri de Armengol Ordinis B. Mariæ de Mercede Redemptionis Captivorum, quod est hujusmodi: *Cum Rev. Pater Magister Fr. Ferdinandus de Carvajal & Ribera Procurator Generalis & Vicarius prædicti Ordinis exposuerit, quod in Congregatione sacrorum rituum habita die 2. Decembris proximi fuit concessa nova audientia circa prosecutionem causæ prædicti Servi Dei super cultu immemorabili, & casu excepto ob exhibitionem antiquissimorum monumentorum, quæ data non fuerunt in alia propositione, supplicavit pro litteris compulsorialibus directis Revendiss. Archiepiscopo Tarraconensi ad effectum extrahendi formiter dicta jura, & præsertim binas resolutiones publici Consilii Villæ de Carical habitas sub annis 1521. & 1524. super votiva Processione populi ad dictum B. Petrum Armengol, necnon particulas Visitationum factarum anni 1570. 1617. 1620. 1634. 1648. 1662. ex quibus resultat cultus per continuam seriem temporis publice præstitus venerabili corpori & Reliquiis ejusdem Beati cum facultatibus necessariis & opportunis, & termino sex mensium. Verum, quia cetera jura consistentia in vetustissimis Imaginibus, simulacris, & aliis monumentis existentibus in pluribus & diversis civitatibus inter se longe distantibus, nimirum Matriti, Valentiæ, Barcinone, Xatinæ, Gerundæ, Burgis, & Bazæ Episcopatus Gaudicensis, non possent haberi in forma solemni, nisi conficiendo septem processus remissoriales & compulsoriales maximis & intolerabilibus expensis, supplicavit absque alia litterarum remissorialium, & compulsorialium expeditione, per peculiarem epistolam sacræ Congregationis injungi Episcopis dictarum civitatum, ut per se ipsos, vel iis legitime impeditis, per suos Vicarios generales accedant ad dictas Imagines & statuas, ibique excipiant summarias Informationes antiquitatis earumdem a Pictoribus, Sculptoribus, & aliis in urbe Peritis, cum facultate etiam extrahendi jura & scripturas, ex quibus comprobari valeat antiquissimus & immemorabilis cultus ad instar concessionis alias sub die 21. Martii 1676. ab eadem sacra Congregatione facta in causa Florentina B. Julianæ de Falconeriis &c. Et eadem sacra Congregatio ad relationem Eminentiss. & Reverendiss. Cardinalis Azzolini Ponentis censuit, posse concedi juxta petita, si Sanctissimo Domino nostro placuerit. Die 27. Januarii 1685. Et, facta de prædictis Sanctissimo Domino nostro relatione, Sanctitas sua benigne annuit, die 2. Februarii 1685.* Episcopi porro, & alii quicumque, quibus particulares hæ litteræ inscribuntur, in negotio sibi commisso tenentur eas omnes adhibere diligentias, quæ in confectione processus adhibentur; & ideo nihil agere debent sine præsentia Promotoris Fiscalis, a quo, uti etiam a Notario & a Peritis debent juramentum exigere de munere fideliter adimplendo, sicut colligitur ex sensu particularis epistolæ, quam sacra Congregatio in causa Lusitana BB. Teresiæ, & Sanciæ, de quarum cultu immemorabili tractabatur, scripsit Archiepiscopo Ulyssiponensi: *Reproposita eadem supplici instantia super concessione dictarum litterarum remissorialium, & compulsorialium, & particularium petita, sacra eadem Congregatio, audito tam in voce quam in scriptis Reverendiss. Domino Archiepiscopo Myrensi Fidei Promotore, sub die 17. mensis Decembris anni labentis 1695. petitioni annuendum censuit; & annuente Sanctissimo, sub infrascripta die vigore præsentium, absque aliis litteris remissorialibus in similibus concedi solitis, derogando ad hunc effectum stylo ipsius sacræ Congregationis, decretisque sel. record. Urbani VIII. & aliis Constitutionibus, ceterisque contrariis quibuscumque, ex speciali gratia nominavit & constituit in Judicem & Executorem Amplitudinem tuam, ut per te ipsum vel per tuum Vicarium Generalem, præstito juramento de diligenter munus demandatum implendo, cum assistentia Promotoris istius Mensæ Archiepiscopalis, & delato eidem simili juramento, visitet inspiciat recognoscat & describat Imagines ac Reliquias prædictas, cum facultate deputandi Notarium Apostolicum, sive Ecclesiasticum, recepto prius ab eodem pariter juramento de fideliter exercendo officium suum, ac examinandi Peritos in faciem loci, necnon compulsandi, quatenus a Procuratore legitimum mandatum habente petatur, quascumque scripturas ad causam facientes &c. Romæ 24. Decembris 1695.*

9. Alii processus auctoritate Apostolica conficiendi sunt, uti vidimus; id est vel super fama, sanctitate vitæ, virtutibus, Martyrio, & miraculis in genere, vel super virtutibus, Martyrio, & miraculis in specie. Itaque, si hi processus sint in Urbe conficiendi, sacrorum rituum Congregatio id committere consuevit Cardinali Urbis Vicario, cujus auctoritate delegata processus conficitur cum præsentia Protonotarii sacræ Congregationis, ut alibi dictum est, utque ponderat Contelorius *de Canoniz. SS. c. 23. n. 1. §. His temporibus*: & usus est, ut etiam pro horum processuum constructione citra expeditionem litterarum remissorialium, sed cum sola extensione, & in Actis exhibitione decreti subdelegetur Cardinalis Vicarius cum facultate tres Episcopos destinandi suo judicio idoneos, addita clausula, ut duo saltem ex ipsis cuilibet actui processus intervenire debeant & assistere; quemadmodum, ceteris omissis, dum fungebar munere Fidei Promotoris, factum est in causa Vener. Servi Dei Josephi Mariæ Cardinalis Thomasii die 10. Martii 1725. in causa Vener. Servi Dei Nicolai a Longobardis 25. Maji 1726. & in causa Ven. Servi Dei Antonii Baldinuccii 3. Augusti ejusdem anni. In Urbe autem processus conficiuntur super virtutibus, Martyrio, & miraculis in specie, etiamsi agatur de causis Servorum Dei, qui in remotis regionibus mortui sint, dummodo in Urbe ipsa adsint aliqui testes, qui de virtutibus, Martyrio, aut miraculis in specie deponere valeant: quamquam id sæpius contingit in constructione processuum in genere. Quocirca confecti fuerunt in Urbe processus in genere non solum in causis Firmana Servi Dei Antonii de Grassis, & Neritonen. Servi Dei Joseph a Cupertino, uti desumitur ex decretis editis die 17. Junii 1664. & die 30. Augusti 1687. sed id ipsum factum fuit in causa Corduben. Servæ Dei Annæ de Cruce, uti colligitur ex decreto die 5. Augusti 1665. in Majoricen. Servæ Dei Catharinæ Thomasiæ 9. Augusti 1670. in causa Viennen. Servi Dei Dominici a Jesu Maria 18. Maji 1677. in causa Indiarum Servi Dei Dionysii a Nativitate 12. Martii 1678. in causa Valentina Servi Dei Joannis de Ribera 14. Junii 1679. & in causa Toletana Servi Dei Francisci a Puero Jesu 10. Julii 1679. Nec enim in constructione horum processuum in genere, licet agatur de Dei Servis extra Urbem sepultis, sibi vindicant locum difficultates supra expositæ, dum agebatur de constructione processuum in Urbe super non cultu quoad Dei Servos pariter extra Urbem sepultos: in primo quippe casu vis stat in testibus, qui, si adsint in Urbe, in Urbe quidem possunt examinari; at in secundo, majus momentum stat in defectu cultus circa sepulcrum, qui sane melius per accessum Judicis ad illud, quam per testes de eo deponentes comprobatur.

10. Quod si tractetur de processibus extra Urbem conficiendis, hodie expediuntur a sacra Congregatione, sive res sit de processibus in genere, sive de processibus in specie, & de his, quæ supervenerunt post indultam venerationem, litteræ remissoriales, quæ tribus Episcopis inscribuntur, juxta decreta generalia Urbani VIII. *Hujusmodi litteræ remissoriales, si fieri potest, dirigi omnino debent Episcopis non minus, quam tribus*; quibus & consonat formula litterarum remissorialium typis impressa in libello eorumdem decretorum. Inter Episcopos autem, quibus litteræ inscribuntur, in more positum est, ut adsit Episcopus, in cujus civitate vel diœcesi processus est conficiendus. Scatent regesta sacræ Congregationis exemplis litterarum inscriptarum tribus Episcopis; atque adeo dum munere fungebar Fidei Promotoris, sæpissime id factum est, & signanter in causa Forolivien. S. Peregrini Latiosi 26. Augusti 1713. in causa Montis Politiani S. Agnetis die 10. Martii 1714. in causa Florentina Servæ Dei Agnetis a Jesu die 18. Martii 1714. & in causa Romana Servi Dei Innocentii XI. 24. Novembris 1714. Si vero superveniat impedimentum alicui ex Episcopis ad constructionem processus electis, aut aliquis ex eis debeat examinari tanquam testis, tunc sacræ Congregationi supplicatur pro alius substitutione: & ita factum fuit in causa Japonen. Declarationis Martyrii Servi Dei Angeli Orsucci & Sociorum,

rum, ut desumitur ex decreto edito 11. Januarii 1681. Nec omitti debet, quod Episcoporum nomine, quibus litteræ remissoriales, & compulsoriales inscribuntur, comprehensi dici debent non solum Episcopi habentes administrationem suarum Ecclesiarum, sed etiam Episcopi pure *titulares*, sicuti sunt Nuntii Apostolici, & alii, qui dicuntur Auxiliatores sive *Suffraganei*; quemadmodum constat ex decreto edito in causa Romana, seu Polona S. Stanislai Novitii Societatis Jesu 21. Octobris 1688. & ex decretis editis in causis Corduben. Servi Dei Joannis Baptistæ a Conceptione, Florentina S. Julianæ de Falconeriis, & Indiarum seu Goana Servi Dei Rodulphi Aquavivæ & Sociorum 23. Septembris 1713. atque ut ad rem firmat Pignatellus *consult.* 22. *tom.* 5. necnon Pater Andreas Hieronymus Andreuccius, qui *in tract. de Episcopo titulari part.* 1. *quæst.* 9. *num.* 295. testatur usum Sedis Apostolicæ delegandi Episcopos *titulares* in causis Canonizationum, etiamsi non sint Coadjutores seu *Suffraganei*.

11. Porro olim hæ litteræ remissoriales inscribebantur vel uni duntaxat, aut duobus Episcopis, & nonnullis Regularibus, vel tantum nonnullis Regularibus, & etiam uni Regulari tantum, vel nonnullis probatis Presbyteris Sæcularibus. Exemplum Remissoriæ inscriptæ Episcopo, aut duobus Episcopis, & nonnullis Regularibus desumitur ex causa Joannis Eremitæ, in qua Honorius III. Remissoriam dedit Episcopis Bragonarien. & Lutherino, & Priori Sancti Fortunati diœcesis Beneventanæ, ut habetur apud Raynaldum *ad an.* 1218. *num.* 34. ex causa Rainerii Episcopi Furconensis, in qua idem Honorius III. Remissoriam inscripsit Episcopo Pennensi, & Priori Sanctæ Mariæ, ut fertur apud eumdem Raynaldum *ad an.* 1225. *num.* 48. ex causa Nicolai filii Canuti Regis Daniæ, in qua Alexander IV. Remissoriam dedit Episcopo Wiburgensi, Abbati de Cara Insula Ordinis Cistercien. diœcesis Arusien. & Priori Fratrum Prædicatorum Arusiensium, sicuti apud ipsum Raynaldum *ad an.* 1255. *num.* 26. & ex causa Philippi Archiepiscopi Bituricensis, in qua Joannes XXII. Remissoriam dedit Episcopis Carnotensi, & Aurelianensi, & Priori Prædicatorum Bituricensium, uti pariter apud Raynaldum *ad an.* 1323. *num.* 67. Exemplum autem Remissoriæ inscriptæ nonnullis Regularibus, & etiam uni Regulari tantum desumere est ex causa Brunonis Episcopi Herbipolensis, in qua Gregorius IX. Remissoriam dedit Abbatibus familiæ Cistercien. & Priori Fratrum Dominicanorum, ut habetur apud citatum Raynaldum *ad an.* 1238. *num.* 63. ex causa Odonis Monachi Carthusien. in qua idem Gregorius IX. Remissoriam dedit Abbati e Turano, & Petro Minoritarum Magistro, sicuti apud ipsum Raynaldum *ad an.* 1240. *num.* 23. ex causa S. Stanislai Episcopi & Martyris, in qua Innocentius IV. Remissoriam inscripsit Fratri Jacobo Weltrensi Ordinis Minorum, ut habetur apud Bollandianos *in ejusdem vita ad diem 7. Maji tom.* 2. ex causa S. Rosæ Viterbien. in qua idem Innocentius Remissoriam inscripsit Priori Prædicatorum, & Archipresbytero S. Sixti Viterbien. ut apud Raynaldum *ad an.* 1252. *num.* 7. ex causa Augustini Archiepiscopi Nidrosien. in qua Clemens IV. Remissoriam dedit Abbati Cistercien. & Abbati Nidrosien. ut itidem apud Raynaldum *ad an.* 1268. *num.* 48. ubi aliæ etiam præcedentes Remissoriæ indicantur aliis Abbatibus Regularibus inscriptæ; & ex causa B. Ambrosii Sansedonii, in qua Honorius IV. Remissoriam dedit quatuor Theologis Ordinis Prædicatorum, ut apud Bollandianos *ad diem* 20. *Martii tom.* 3. *pag.* 180. Exemplum denique Remissoriæ inscriptæ nonnullis probatis Presbyteris Sæcularibus desumere licet ex causa S. Dominici, in qua Gregorius IX. Remissoriam dedit Archidiacono Bononien. & aliis duobus, ut habetur apud Raynaldum *ad an.* 1233. *num.* 39. & ex causa B. Joannis Episcopi Vicentiæ, in qua tres Presbyteri processum confecerunt, veluti apud Bollandianos *in append. ad diem* 26. *Martii tom.* 2. Sed & alia consimilia exempla collecta fuerunt a Contelorio *in tract. de Canon. SS. cap.* 23. *num.* 1.

12. Ad disciplinam autem recentiorem redeundo, firma quidem est regula inscriptionis litterarum remissorialium tribus Episcopis cum clausula, ut duo ad minimum procedant: sed, cum aliquando non ita facile tres, aut etiam duo Episcopi possint convenire, si id a Postulatoribus comprobetur, ipsique humiliter sacræ Congregationi supplicent, ut litteræ aliis, quam tribus Episcopis inscribantur, sacra Congregatio sequenti modo petitis annuere consuevit. Si commode itaque tres, vel etiam potiori ratione duo Episcopi convenire non possint, inscribuntur litteræ remissoriales, & compulsoriales vel uni Episcopo cum quatuor Dignitatibus, seu Canonicis ab eodem eligendis, vel duobus Episcopis, cum duabus Dignitatibus, aut Canonicis eligendis ab ipsis, dummodo Canonici sint Cathedralis ecclesiæ, & non Collegiatæ, & dummodo non una Dignitas nec unus Canonicus, sed duæ Dignitates, aut duo Canonici succedant in locum uniuscujusque Episcopi, qui interesse non potest.

13. Quod autem litteræ remissoriales, & compulsoriales in hac *hypothesi* inscribantur aut uni Episcopo cum quatuor Dignitatibus, seu Canonicis, aut duobus Episcopis cum duabus Dignitatibus, seu Canonicis, id patet primo, quia ita statutum fuit in decreto edito die 5. Augusti 1662. *Præterea, ubi numerus Episcoporum sufficiens ad confectionem processuum haberi nequit, sacra Congregatio uni tantum Episcopo cum tribus vel quatuor Dignitatibus &c. Remissorias interdum dirigere consuevit*: quod ipsum ad rem ponderat Pignatellus *cons.* 203. *tom.* 1. Secundo, quia infinita adsunt exempla litterarum remissorialium inscriptarum aut Episcopo cum quatuor Dignitatibus, seu Canonicis, aut duobus Episcopis & duabus pariter Dignitatibus, seu Canonicis, & signanter in causa Papien. B. Alexandri Saulii 17. Junii 1679. in causa Japonen. Servi Dei Alphonsi Navarettæ 16. Decembris 1679. in causa Corduben. Servi Dei Joannis Baptistæ a Conceptione 16. Februarii 1680. in causa Neapolitana Servi Dei Hieronymi de Vallachia 14. Septembris 1680. in causa Majoricen. Servæ Dei Catharinæ Thomasiæ 22. Augusti 1682. in causa Marochitana B. Joannis de Prado 22. Maji 1683. in causa Indiarum Servi Dei Dionysii a Nativitate 12. Augusti 1684. in causa Viennen. in Gallia S. Joannis Francisci Regis 17. Maji 1702. & dum munere fungebar Promotoris Fidei in causa Segobien. S. Joannis a Cruce 5. Aprilis 1713. & in eadem 12. Augusti 1714. in causa Panormitana Servi Dei Aloysii La Nuza 10. Martii 1714. in causa Vallisoletana Servi Dei Ludovici a Ponte 24. Novembris 1714. in causa Sancti Flori in Gallia Servæ Dei Matris Agnetis a Jesu 23. Martii 1715. in Barcinon. B. Mariæ de Socos 22. Augusti. 1716. & rursus in citata causa Sancti Flori in Gallia Servæ Dei Agnetis a Jesu 14. Decembris 1720. & in causa Januen. Servæ Dei Victoriæ de Furnariis 15. Februarii 1721. Et sane inter eos, quibus litteræ remissoriales inscribuntur, aliquando Vicarius Generalis comprehenditur, qui unius Canonici, vel unius Dignitatis vices implet, uti desumitur ex decretis editis in causis Bononien. S. Catharinæ de Bononia 15. Februarii 1674. & Japonen. Servi Dei Alphonsi Navarettæ 2. Augusti 1680. Vicarius enim Episcopi habet dignitatem quoad præeminentiam ex jurisdictione provenientem, licet non sit perpetuus, juxta Fagnanum *in cap. Ut filii Presbyterorum*, *num.* 57. *de filiis Presbyterorum*.

14. Quod vero appellatione Canonicorum, quibus litteræ remissoriales inscribuntur, comprehendantur Canonici Cathedralis ecclesiæ, sed non Collegiatæ, patet, tum quia dispositio textus *in cap. Statutum*, *de rescriptis in* 6. quæ fuit innovata a sacro Concilio Tridentino *sess.* 25. *de reformatione cap.* 10. in qua statuitur, ut litteræ Apostolicæ inscribantur Dignitatibus, seu Canonicis, sibi vindicat locum in solis Canonicis Cathedralis ecclesiæ; tum quia, si hoc procedit quoad delegationem aliarum litterarum Apostolicarum, multo magis procedere debet quoad inscriptionem litterarum remissorialium, & compulsorialium in causis, de quibus nunc agimus, uti ad rem ponderat Pignatellus *consult.* 203. *num.* 3. *tom.* 1. Ideoque, cum in causa Corduben. Servi Dei Joannis Baptistæ a Conceptione peteretur a Postulatoribus, ut in locum Canonicorum ecclesiæ Cathedralis, qui interesse nolebant confectioni processus, substituerentur Canonici ecclesiæ Collegiatæ, sacra Congregatio die 12. Septembris 1716. nequaquam annuit petitioni, sed dixit, ut admonerentur Canonici Cathedralis ecclesiæ de oneris adimplemento ipsis injuncto, exequendi videlicet litteras remissoriales & compulsoriales sibimetipsis inscriptas. Denique, quod non una Dignitas, nec unus Canonicus, sed duæ Dignitates, aut duo Canonici succedant in locum Episcopi, qui interesse non potest, comprobatur: ita enim statutum fuit in decreto edito in causa Vienn. Servi Dei Dominici a Jesu Maria 12. Augusti 1684. Inscriptæ siquidem fuerunt litteræ Archiepiscopo Valentino, & aliis duobus Episcopis, & quatuor Dignitatibus, seu Canonicis cum additione, ut semper duæ Dignitates, aut duo Canonici vices implerent uniuscujusque Episcopi, qui non interesset, eo quia non unus

Cano-

Canonicus, nec una Dignitas, ſed duo Canonici, vel duæ dignitates ſuccedunt in locum unius Epiſcopi abſentis. Quapropter, ut tutius ad executionem procedatur, litteris remiſſorialibus inſcriptis Epiſcopo, & quatuor Canonicis, ſeu Dignitatibus ab eo eligendis apponi conſuevit clauſula, ut vel ipſe cum duabus Dignitatibus, ſeu Canonicis, vel eo impedito, quatuor Canonici, ſeu quatuor Dignitates procedant; litteris autem remiſſorialibus inſcriptis duobus Epiſcopis & duobus Canonicis, ſeu Dignitatibus apponi conſuevit clauſula, ut vel duo Epiſcopi, vel, uno eorum impedito, alter cum duobus Canonicis, ſeu Dignitatibus ad executionem procedat.

15. Quid vero fieri debet, cum nec tres Epiſcopi, nec duo, nec Dignitates, ſeu Canonici reperiuntur, quibus litteræ inſcribi poſſint? In hoc rerum ſtatu ſacrorum rituum Congregatio, cujus arbitrio & prudentiæ hæc ipſa litterarum inſcriptio commiſſa eſt, juxta varios eventus varios introduxit modos, ut defectus tum Epiſcoporum, tum Dignitatum & Canonicorum ſuppleri poſſet.

16. Aliquando itaque inter eos, quibus ſacra Congregatio inſcripſit litteras remiſſoriales, Vicarium Generalem Epiſcopi adnumeravit, non ita quidem, ut ipſe ſubiret in locum alicujus ex Dignitatibus, ſeu Canonicis (uti ſupra dictum eſt) ſed ita, ut eſſet tanquam ſupplementum unius ex Epiſcopis, qui juxta legem decretorum generalium intereſſe deberet confectioni proceſſus. Talis fuit ejuſdem Congregationis diſciplina in cauſa Romana, ſeu Polona S. Stanislai 19. Januarii 1674. in cauſa Hiſpalen. Servi Dei Ferdinandi de Contreras 24. Januarii 1674. in cauſa Hiſpalen. Servæ Dei Dorotheæ 13. Novembris 1674. in cauſa Veneta, ſeu Mediolanen. Servi De (nunc Beati) Hieronymi Æmiliani 28. Februarii 1678. in cauſa Neritonen. Servi Dei Joſephi a Cupertino 3. Julii 1688. in cauſa Carthaginien. Servi Dei Petri Claver 3. Octobris 1699. in eadem 6. Maji 1702. in cauſa Gebennen. Servæ Dei Joannæ Franciſcæ Fremiot de Chantal 7. Julii 1725. & in cauſa Pragen. S. Joannis Nepomuceni 9. Auguſti 1721. in qua inſcriptæ fuerunt litteræ Archiepiſcopo Pragenſi, Vicario Generali, & quatuor Dignitatibus, ſeu Canonicis cum clauſula, ut vel Archiepiſcopus & Vicarius inſimul procederent, vel alter ex eis cum duabus ad minimum Dignitatibus, ſeu Canonicis; cum nihil inconvenientis excogitari poſſit in eo, quod eadem cauſa æque principaliter committatur Epiſcopo, & Vicario, quodque Vicarius eſſe poſſit collega ipſius Epiſcopi, ut docet Abbas *in cap. Inſinuante, num. 2. de offic. Delegati.*

17. Alias inſcriptæ fuerunt litteræ remiſſoriales alicui Vicario Capitulari, & Dignitatibus, & Canonicis, ita ut Vicarius Capitularis loco eſſet unius ex Epiſcopis, Dignitates autem & Canonici locum occuparent aliorum duorum Epiſcoporum; uti colligitur ex decretis editis in cauſa Braſilien. Servi Dei Joſephi Anchietæ 30. Januarii, & 5. Maji 1706. &, dum fungebar munere Fidei Promotoris, in cauſa Barcinonen. B. Mariæ de Socos 22. Auguſti 1716. in cauſa Corduben. Servi Dei Joannis Baptiſtæ a Conceptione 17. Aprilis 1717. in cauſa Agrigentina Servæ Dei Mariæ Crucifixæ a Conceptione 24. Januarii 1722. & in cauſa Gebennen. Joannæ Franciſcæ Fremiot de Chantal 7. Julii 1725. Cumque Vicarius Capitularis in locum Epiſcopi ſubeat, apponi conſuevit clauſula, ut vel ipſe cum duabus Dignitatibus, ſeu Canonicis, vel, eo impedito, quatuor Canonici, ſeu Dignitates inſimul procedant.

18. Si in diœceſi adſit Epiſcopus Auxiliator ſeu *ſuffraganeus*, & Canonici Metropolitanæ Eccleſiæ ſint impediti, inſcriptæ fuerunt aliquando litteræ remiſſoriales prædicto Epiſcopo, & tribus aliis in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutis cum clauſula, ut ipſe cum duobus ex iis procederet: & ita contigit in cauſa Toletana Servi Dei Simonis de Roxas die 5. Februarii 1718. in qua, impeditis Archiepiſcopo, & Canonicis Toletanis, datæ fuerunt litteræ Epiſcopo *Suffraganeo* Præſidenti *Cruciatæ*, & tribus Protonotariis Judicibus ordinariis in Curia Matritenſi. Inquiſitoribus quoque hæreticæ pravitatis propter magnam difficultatem uniendi Epiſcopos cauſa bellorum aliquando datæ fuerunt litteræ remiſſoriales, & compulſoriales, ita ut Inquiſitor hæreticæ pravitatis eſſet loco unius Epiſcopi: quomodo factum fuit in cauſa Salutiarum Servi Dei Juvenalis Ancinæ 19. Januarii 1704.

19. Denique, cum ageretur de litteris remiſſorialibus ad effectum perducendis in remotiſſimis & barbaris regionibus, eædem inſcriptæ fuerunt Epiſcopo cum facultate deputandi tres Religioſos Sacerdotes alicujus Ordinis Regularis, qui confectioni proceſſus conjunctim intereſſent: cujus rei exemplum peti poteſt ex cauſa Sinarum Servi Dei Franciſci de Capillas, in qua die 7. Septembris 1675. datæ fuerunt litteræ Epiſcopo Manilienſi cum facultate deputandi Religioſos Sacerdotes cujuſcumque Religionis ſeu Ordinis, qui proceſſum conficerent in regno ſeu Imperio Sinarum. Conſimilia contigerunt in cauſa Indiarum ſeu Goana Declarationis Martyrii Servorum Dei Dionyſii a Nativitate, & Redempti a Cruce: in hac enim, cum animadverſum fuiſſet, nec Archiepiſcopum Goanum, nec alios Epiſcopos, aut viros in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutos accedere potuiſſe ad inſulam Scematræ, & ad civitatem Achim, quibus in locis proceſſus conficiendus erat, videlicet propter longum & periculoſum iter inter barbaras nationes, data fuit die 2. Decembris 1684. facultas dicto Archiepiſcopo nominandi *Miſſionarios* in Judices remiſſoriales. Tandem in cauſa Carthaginien. Servi Dei Petri Claver, admonente Epiſcopo, Dignitates & Canonicos, qui in Judices remiſſoriales nominati fuerant, eſſe legitime impeditos, conceſſum fuit, ut ipſe aſſumere poſſet loco Dignitatum & Canonicorum Superiores nonnullos Ordinum Regularium; uti deſumitur ex decreto edito in eadem cauſa die 19. Januarii 1704. Pariterque, dum munere fungebar Fidei Promotoris, cum in cauſa Braſilien. Servi Dei Joſephi Anchietæ conſtitiſſet de morali impoſſibilitate perſonalis acceſſus Judicum remiſſorialium ad illa loca, in quibus confici debebat proceſſus, conceſſum fuit, ut Epiſcopus, cui primæ litteræ remiſſoriales datæ fuerant, ſubrogare poſſet in locum Dignitatum & Canonicorum Vicarios Foraneos, ſeu Superiores Religionum; uti colligitur ex decreto edito die 8. Junii 1709.

CAPUT QUADRAGESIMUMSEXTUM.

De exhibitione, ſeu præſentatione Litterarum remiſſorialium & compulſorialium, & de his, qui ad earum executionem procedere poſſunt.

1. JUXTA in ſuperioribus dicta litteræ remiſſoriales, & compulſoriales regulariter tribus Epiſcopis inſcribuntur cum clauſula, *ut duo ſaltem ex illis ad executionem procedant*. Non eſt ergo neceſſe ut omnes tres Epiſcopi id præſtent, ſed ſatis eſt, ut duo ex ipſis ad executionem incumbant. Veruntamen, quia delegatio coram Notario & teſtibus intimari debet & præſentari Delegatis, qui ſtatim per litterarum autographarum acceptionem legitimam acquirunt juriſdictionem, juxta late adducta per Ceparium *in director. Canonizat. lib. 3. cap.* 2. diſputandum nunc eſt, an, licet duo tantum intereſſe valeant confectioni proceſſus, litterarum nihilominus præſentatio ſit tribus Epiſcopis facienda.

2. Fidei Promotores opinabantur, clauſulam, *ut duo ad minus procedant*, tantum reſpicere confectionem proceſſus, nec ullo modo comprehendere exhibitionem litterarum, quæ non dicitur eſſe de proceſſu, juxta doctrinam Gomez *in repetit. capit. primi incipien. Ipſo jure, verſic. Et ideo, de reſcriptis in 6.* Poſtulatores contra ſenſerunt, clauſulam, *ut duo ad minus procedant*, æque comprehendere confectionem proceſſus, atque exhibitionem litterarum remiſſorialium; cum ipſa exhibitio ſit de præparatoriis proceſſus, uti ait Berò *in rubrica de judiciis num.* 8. Poſtrema autem hæc opinio in ſacrorum rituum Congregatione recepta eſt: ſæpe quippe opponentibus Fidei Promotoribus, *nullitatem* irrepſiſſe, eo quia litterarum exhibitio duobus tantummodo facta fuerat, ſacra Congregatio Poſtulatoribus adhærit contendentibus, ſatis eſſe, ſi ipſa exhibitio facta ſit illis duobus, qui proceſſum intendunt conficere & hujus conſtructioni intereſſe. Et talis quidem fuit ſenſus ejuſdem ſacræ Congregationis in cauſis Gebennen.

S. Franciſci Saleſii, Florentina S. Mariæ Magdalenæ de Pazzis, Neapolitana S. Andreæ Avellini, Terdonen. S. Pii V. Harlemen. BB. Martyrum Gorgomienſium, Limana S. Franciſci Solani, Hiſpalen. B. Ferdinandi III. Regis Caſtellæ, Hiſpalen. Servi Dei Pauli a Sancta Maria, Toletana Servi Dei Alphonſi de Oroſco. Ideoque bon. mem. Proſper Bottinius Fidei Promotor in ſuis animadverſionibus factis ſuper validitate proceſſuum in cauſa Toletana Servi Dei Franciſci a Puero Jeſu inquit: *Prætermiſſa animadverſione aliàs facta, quod litteræ remiſſoriales directæ Eminentiſs. Archiepiſcopo Toletano, & Reverendiſs. Nuntio Apoſtolico, ac Epiſcopis Archiadopolitano, & Trojanen. fuerint præſentatæ ſolummodo tribus, ſpreto Nuntio, ex quo ſacra Congregatio cenſuit, objectum evitari ex clauſula in litteris remiſſorialibus adjecta, ut duo ſaltem ex illis ſimul & conjunctim procedant; quamvis & per bon. mem. de Rubeis meum prædeceſſorem, & per me reſponderi ſoleret, eam non intelligi quoad præſentationem litterarum, ſed quoad ulteriorem proceſſum in illarum executionem, ut ſignanter deducebatur in Romana, ſeu Polona B. Stanislai ſuper dubio validitatis de anno 1669. quoad ſecundum proceſſum Poſnanienſem, & de anno 1670. quoad proceſſum Tullenſem &c.* Hæc etenim prætermiſſio, de qua in dictis animadverſionibus, apertiſſime indicare videtur, non eſſe in ſacram Congregationem receptam ſententiam, quæ pro actus validitate expoſcit, ut litteræ, quæ tribus inſcribuntur, tribus præſententur; non obſtante, quod in illis adſit clauſula, ut duo ad minimum infimul & conjunctim procedant. Quod & clarius expreſſit idem Fidei Promotor in ſuis animadverſionibus factis in cauſa Salutiarum Servi Dei Joannis Juvenalis Anciræ ſuper validitate proceſſuum: *Cum præſentatio litterarum in hoc caſu facta fuerit duobus tantum, & per conſequens totus proceſſus ſit nullus ob inobſervantiam earumdem litterarum. Verum ſuper hoc multum non inſiſto; cum, ſimili oppoſitione facta in Toletana Servi Dei Franciſci a Puero Jeſu anno 1681. proponente Eminentiſs. Domino Cardinali Carpineo, ſacra Congregatio eam attendere noluerit.* Enimvero, ſi juxta conſuetudinem non ſolum in corpore litterarum remiſſorialium, ſed etiam in earum exteriori inſcriptione clauſula ſæpe memorata apponitur, *ut duo ſaltem inſimul procedant*; ſignum evidentiſſimum hoc eſt, ſatis eſſe, ut exhibitio fiat ſolummodo duobus: aliter enim ratiocinando ſequeretur, inutilem eſſe clauſulæ appoſitionem in dicta exteriori inſcriptione, utpote quæ inventa, ut ſciant Epiſcopi, in actu exhibitionis duos ex ipſis acceptare poſſe litteras remiſſoriales, & eas etiam aperire poſſe ſine tertio; quemadmodum ponderarunt Poſtulatores in cauſa Viterbien. B. Hyacinthæ de Mareſcottis, in qua ſacra Congregatio reſpondit pro validitate proceſſus, quamvis litteræ remiſſoriales tribus inſcriptæ cum clauſula, ut duo procedere poſſent, duobus tantummodo fuiſſent præſentatæ: idemque fuit ſenſus ejuſdem ſacræ Congregationis, dum ſungebar munere Fidei Promotoris, in cauſa Curien. ſeu Conſtantien. S. Fidelis a Sigmaringa 23. Januarii 1723. Quod ſi, his minime obſtantibus, Poſtulatores litteras tribus inſcriptas cum clauſula, ut duo ad minimum procedant, non duobus, ſed tribus præſentabunt, ſciant, ſe rem agere utilem, non gratia evitandæ *nullitatis*, quæ opponi poſſet, ſi duobus tantum fieret exhibitio; ſed quia, quando litteræ tribus præſentantur, ut omnes juriſdictionem acquirunt, ita, ſi ex duobus, qui aſſiſtunt conſtructioni proceſſus, alter deficiat, aut quolibet alio modo deſiſtat ab ejuſdem proceſſus conſtructione, tertius jure ſuo ſubit in locum ejus, qui inchoavit, ſed non perfecit, & jure ſuo procedere valet ad executionem litterarum, juxta regulam textus *in cap. Cum plures, de offic. Jud. deleg. in 6.* Non ſic autem ſe habet res, quando litteræ tribus inſcriptæ duobus tantummodo præſentantur: tunc quippe, ſi alter ex illis proceſſum proſequi non valeat, tertius jure ſuo exequi non poteſt; ſed indiget nova delegatione, a qua nanciſcatur juriſdictionem, quam propter omiſſam litterarum ſibi factam exhibitionem non acquiſivit, uti bene ponderavit Roſa *in addit. ad tractat. de Execut. litterar. Apoſtolic. num. 56.*

3. Aliquando litteræ remiſſoriales, & compulſoriales cum hac alia clauſula inſcribuntur tribus: *Quod ſi omnes intereſſe nequiverint, duo nihilominus exequantur*: in quo rerum ſtatu quæritur, an litteræ remiſſoriales, & compulſoriales ſint tribus Epiſcopis præſentandæ. Ut a ceteris abſtineamus exemplis, modo prædicto conceptæ ſunt litteræ remiſſoriales expeditæ ab Innocentio IV. & inſcriptæ Epiſcopis Spoletino, atque Eugubino, & Abbati monaſterii de Ferentillo, ut inquirerent in vitam & miracula Servi Dei Simonis de Collazono Ordinis Fratrum Minorum, quemadmodum habetur apud Wadingum *ad an. 1240. t. 3.* Porro pro validitate actus oportet in hac facti ſpecie, ſecus quam in alia modo relata, ut litteræ tribus Judicibus præſententur, nec duo procedere poterunt, niſi conſtet de tertii impedimento per certum nuntium, vel per *Excuſatorem litterarorie* deſtinatum, ficuti probat textus *in cap. Prudentiam, de offic. Judic. deleg. & in cap. Sciſcitatus, de reſcriptis.* In propoſito quippe Remiſſoriæ inſcriptæ tribus cum clauſula, ut duo ſaltem ex ipſis interveniant proceſſui, juriſdictio cenſetur abſolute & ſimpliciter data duobus: atque hinc fit, ut nec neceſſe ſit, litteras tribus præſentari, aut conſtare de tertii impedimento, ut duo valide procedere poſſint. Verum, cum in propoſito Remiſſoriæ tribus inſcriptæ cum clauſula, ut, ſi omnes intereſſe nequiverint, duo nihilominus exequantur, juriſdictio non cenſeatur data duobus abſolute & ſimpliciter, ſed ſub conditione ſuſpendente, uſquequo doceatur de tertii impedimento; idcirco ſequitur, non ſolum oportere, ut memoratæ litteræ remiſſoriales tribus præſententur, ſed etiam, ut conſtare debeat de tertii impedimento, antequam duo poſſint procedere; quemadmodum, bene diſtinguendo unam ab alia clauſula, docet Gloſſa *in cap. Cum plures, v. Forma de offic. Judic. deleg. in 6.* & veluti ad rem, de qua nunc agimus, & conſentanee cum diſciplina ſacræ Congregationis firmant Contelorius *de Canonizat. SS. cap. 25. num. 23.* & Roſa *in addit. ad tractat. de Executor. litter. Apoſtol. a num. 53. uſq. ad n. 56.*

4. Hinc vero tranſeundo ad eos, qui ad executionem litterarum remiſſorialium, & compulſorialium procedere poſſunt, olim quæri conſueverat, an, mortuo ſummo Pontifice, qui Judices delegaverat pro conſtructione proceſſus in aliqua cauſa Canonizationis, poſſent Judices delegati ad ejuſdem proceſſus conſtructionem devenire. Fuit ea de re actum in cauſa S. Hyacinthi: mortuo enim ſummo Pontifice Leone X. qui litteras remiſſoriales expediverat, & Judices delegaverat pro confectione proceſſus, uti refertur apud Severinum de Cracovia *in Actis dictæ cauſæ ab eo editis anno 1594.* occaſione diſputationis de validitate proceſſus a prædictis Judicibus facti poſt obitum ſummi Pontificis, delatum fuit examen hujus argumenti ad Rotæ Auditores. Eorum autem ſenſus fuit pro validitate, tum quia juxta regulam *Cancellariæ* Hadriani VI. cujus Judices rationem habuerunt in conſtructione proceſſus, ratæ iterum fiebant omnes litteræ gratiæ, vel juſtitiæ ab Anteceſſoribus conceſſæ ante annum obitus ipſorum; tum quia, Delegante adhuc vivente, iidem Judices devenerant ad edictum citatorium, ita ut urgeret juris propoſitio, de qua *in cap. Relatum, & in cap. Gratum, de offic. & poteſtat. Judic. deleg.* id eſt per mortem Delegantis non expirare juriſdictionem Delegati, ſi cœptum fuerit negotium, de cujus initio dubitari non poteſt, quando citatorium factum eſt: uti ad rem bene perpenſum fuit in relatione cauſæ prædicti S. Hyacinthi *tit. An ſolemnitates a jure requiſitæ fuerint in proceſſu conficiendo legitime obſervatæ*, & ut ſequitur Contelorius *de Canoniz. SS. cap. 25. n. 2.* Verum huic quæſtioni hodie locus eſſe non poteſt, cum litteræ remiſſoriales non expediantur nomine ſummi Pontificis, ſed Congregationis ſacrorum rituum.

5. Juxta ea, quæ in ſuperioribus dicta ſunt, inſcribuntur interdum litteræ remiſſoriales, & compulſoriales Epiſcopo & quatuor Canonicis, ſeu Dignitatibus cum clauſula, ut vel Epiſcopus cum duabus ad minimum Dignitatibus, ſeu Canonicis, vel quatuor Canonici, ſeu Dignitates infimul procedant in caſu mortis, infirmitatis, vel malæ valetudinis Epiſcopi. Itaque, ſi Epiſcopus moriatur aut infirmetur, certum eſt, quatuor Canonicos, ſeu Dignitates poſſe ad executionem litterarum procedere: ſed dubium oritur, an id ipſum præſtare valeant, ſi Epiſcopus alio detineatur impedimento, quod non ſit infirmitatis, vel mortis. Fuit autem de hoc dubio diſputatum in civitate Limana inter Theologos, & Pontificii juris Peritos ab Archiepiſcopo Limæ deputatos: cum enim dictus Archiepiſcopus eſſet ſimul Prorex, & propter publica impedimenta, & negotiorum molem intereſſe non valeret confectioni proceſſus remiſſorialis in cauſa Limana Servi Dei Joannis Maſſias ex Ordine S. Dominici; Poſtulatores autem Fidei Subpromotore acriter contradicente, contenderent, factum eſſe caſum clauſulæ, ut quatuor Dignitates, ſeu Canonici infimul

simul procederent, etiamsi inter impedimenta Archiepiscopi nec mors, nec infirmitas, vel mala valetudo recenserentur; assumpta disputatione inter Deputatos, unanimi suffragio definitum fuit, quatuor Canonicos, seu Dignitates procedere posse, eo quia impedimentum Archiepiscopi erat notissimum & a publica causa proveniebat, & impedimenta expressa in litteris remissorialibus censenda erant expressa non *taxative*, sed demonstrative. Cumque, constructo a quatuor Canonicis, seu Dignitatibus processu, propositum fuisset in sacra Congregatione dubium super ejus validitate, & die 14. Julii 1714. causa cognita, visisque suffragiis tum Theologorum, tum juris Pontificii Professorum, qui ab Archiepiscopo Limano fuerant consulti, fuerit pro validitate responsum; res hæc judicata satis ostendit, quid in proposita quæstione sentiendum sit: posse nimirum quatuor Dignitates, seu Canonicos devenire ad constructionem processus, si Episcopus, præter mortem, infirmitatem, vel malam valetudinem, sit aliquo alio impedimento distentus, dummodo impedimentum sit verum, & a causa publica proveniat. Quæ assertio præterea probatur per textum *in l. Non exigimus §. Si quis municipalis ff. Si quis cautionibus*, & per textum *in §. Etiam qui Reipublicæ, Instit. tit. de excusat. Tutor.* & clarius per textum *in cap. Scisitatus, de rescriptis*, in quo statuitur, impotentiam in materia executionis litterarum Apostolicarum veram esse de quocumque legitimo impedimento.

6. Non dissimilis controversia excitata fuit in causa Canonizationis S. Isidori Agricolæ. Cum etenim litteræ remissoriales inscriptæ fuissent Cardinali Bernardo de Rojas & Sandoval, insimulque inscriptæ fuissent Episcopo Canarien. & Doctori Joanni Hozes ecclesiæ Carthaginiensis Cantori cum clausula, ut conjunctim procederent, utque Episcopus & Cantor facultatem haberent procedendi, Cardinali absente, vel impedito, aut interesse nolente; Cardinalis autem una cum prædicto Canonico Cantore aliquos testes examinasset sine interventu Episcopi Canarien. de horum examinis validitate disputatio est instituta; eo quia videlicet facultas procedendi data fuerat Episcopo & Cantori in casu impedimenti Cardinalis, sed non Cardinali & Cantori in casu impedimenti Episcopi. Delata igitur, ut tunc in more positum erat, controversia ad Rotæ Auditores, sicuti habetur in eorum relatione *art. 1. de processu remissoriali, & examine testium*, clarissime dignoscitur, eorumdem sensum fuisse pro examinis validitate. Dixerunt enim, formam posse per *æquipollens* adimpleri, quando respicit certum effectum: rursus, plenius fuisse satisfactum intentioni Delegantium per interventum Cardinalis cum alio Judice, quam si alii duo Judices inferiores processissent. Sed, cum postulatores ad evitandas controversias summo Pontifici supplicassent pro sanatione, Pontifex vero sanationem remisisset ad arbitrium trium eorumdem Rotæ Auditorum, quibus examen causæ fuerat commissum; hi modo relatis rationibus, quæ solæ sufficissent ad *nullitatem* excludendam, usi sunt pro exercitio arbitrii sibi a Pontifice collati, uti videri potest in prædicta relatione *loc. cit.*

7. In *hypothesi* inscriptionis litterarum remissorialium Canonicis, sive Dignitatibus, si Canonici, seu Dignitates electæ pro confectione processus moriantur, antequam is inchoetur, vel antequam sit absolutus, quæritur, an Successores in Canonicatibus, vel Dignitatibus jure suo & citra novam delegationem procedere valeant ad executionem. Porro pro resolutione casus sunt distinguendi. Primus est, quando in litteris remissorialibus legitur clausula, *ut propter locorum distantiam Successores in Dignitatibus & Canonicatibus per cessum vel decessum eorum, qui inchoarunt, exequi legitime possint & valeant absque nova delegatione, & illorum ulteriorem executionem prosequi:* & tunc utique in sequelam hujus clausulæ non indigent Successores nova delegatione, ut processum prosequantur. Neque dicta clausula est insolita; cum semper a sacra Congregatione apponatur litteris remissorialibus, quæ in remotissimis regionibus, ex. gr. in civitate Limana, ad effectum perduci debent, uti colligitur ex decretis editis in causis pariter Limanis Servi Dei Martini de Porres 19. Julii 1670. Servi Dei Gundisalvi Diaz 24. Martii 1685. S. Thuribii 20. Septembris 1687. S. Francisci Solani 25. Septembris 1688. & demum ex causa Romana, seu Polona S. Stanislai, dum agebatur de processu construendo in civitate ipsa Limana, in qua similiter causa die 29. Maji 1688. decretum prodiit prædicta clausula vallatum. Secundus casus est, quando in litteris non legitur clausula modo recensita: & tunc, si litteræ sint Canonicis & Dignitatibus inscriptæ, nec expresso nomine proprio illorum, qui tunc Dignitates & Canonicatus obtinebant, nec ullo alio signo accedente, ex quo dignosci valeat, electam fuisse industriam personarum, tunc, inquam, Successores in Dignitatibus & Canonicatibus poterunt continuare opus inceptum ab Antecessoribus, ideoque exequi litteras suis Antecessoribus inscriptas. Urget enim juris propositio, ut, quando nomen Dignitatis, non autem nomen proprium, est in litteris expressum, Successor cognoscere valeat, etiamsi Antecessor sit delegatus; uti probat textus *in cap. Quoniam, de offic. Judic. deleg.* cum aliis, quos cumulat & sequitur Gratianus *decis. 157. n. 5.* Et sane his cohærenter, cum in causa Hispalen. B. Ferdinandi Regis Castellæ & Legionis peteretur a Postulatoribus, ut processus inchoatus, sed non completus ab Archiepiscopo Hispalensi, cui litteræ inscriptæ fuerant, terminaretur ab ejus Successore in ejus locum per novam delegationem subrogando, sacra Congregatio respondit, novam hanc delegationem non esse necessariam, ut Successor prosequi posset processum, quemadmodum desumitur ex decreto edito in dicta causa die 24. Augusti 1652. non nisi quia præcedentes litteræ inscriptæ fuerant expresso tantum nomine Dignitatis, & absque eo quod dici posset electam industriam personæ. Quod etiam dicendum est in *hypothesi*, in qua Delegatus agere non cœpisset: licet enim textus *in cap. Quoniam, de offic. & potest. Judic. deleg.* opus inceptum præsumat, *illi mandato nostro correcto*; vis tamen decisionis in hoc non stat, sed in eo, quod delegatio non personæ, sed Dignitati facta sit, necnon in eo, quod Dignitas perpetua est & nunquam moritur, per textum *in cap. Gratioso, de rescript. in 6.* etli individua quotidie pereant, juxta Glossam *in cit. cap. Quoniam, v. Substitutum*, utque, ceteris collectis, ad rem prosequitur Pirhing. *ad tit. Decretal. de offic. Judic. deleg. sect. 7. §. 2.* Tertius casus est, quando litteræ inscribuntur Canonicis & Dignitatibus, vel expresso tantum nomine proprio illorum, qui Canonicatus & Dignitates obtinebant, vel expressis insimul tum nomine proprio, tum Dignitatis nomine: tunc vero Successores procedere non possunt ad executionem dictarum litterarum sine nova delegatione, sicuti apud Menoch. *de arbitrar. lib. 1. quæst. 68. n. 16.* Quartus casus est, quando in litteris exprimitur quidem solum nomen Dignitatis, sed ex conjecturis desumitur, electam fuisse industriam personæ: & tunc porro non est Successori permissum litteras exequi Antecessori inscriptas, nisi nova accedat delegatio, ut monet Abbas *in cap. Quoniam, §. Ceterum, num. 7. de offic. Deleg.* Quin immo in hoc rerum themate ille, cui litteræ fuerunt inscriptæ, quique vel processum non inchoavit, vel non complevit, processum prosequi & absolvere poterit, etiamsi Dignitatem, cujus nomen fuit in litteris expressum, dimiserit. Ideoque, cum in causa S. Andreæ Avellini sacra Congregatio propter eximiam in rebus consimilibus pertractandis peritiam subrogasset Episcopum Sancti Angeli in locum Episcopi Isclani pro confectione processus, qui in eadem causa construebatur, uti desumitur ex decreto edito die 4. Decembris 1678. exorta subinde controversia, an Episcopus Sancti Angeli, qui ad Ecclesiam Policastrensem transiverat, continuare posset sine nova delegatione, & interesse confectioni processus, prædicta sacra Congregatio affirmanter respondit, ut habetur ex alio decreto edito die 18. Martii 1679.

8. Ea, quæ hucusque dicta sunt, sua probabilitate non carent, & consona videntur stylo atque instituto sacræ Congregationis. Cum autem in *hypothesi*, in qua litteræ inscribuntur Episcopo, Dignitatibus & Canonicis, Canonicorum & Dignitatum electio Episcopo committatur, harum causarum rectæ directioni maximopere conducit, si, decedentibus Canonicis, seu Dignitatibus, quæ fuerant electæ ab Episcopo pro constructione processus, antequam iste sit inchoatus vel completus, Episcopus ipse alios designet ex numero Canonicorum, vel Dignitatum, quos aptiores in Domino judicaverit, & in sacra Theologia & in jure Pontificio versatos; multoque magis, cum Episcopus hac facultate potiatur, juxta decretum summi Pontificis Alexandri VII. die 8. Augusti 1662. quod est hujusmodi: *Præterea cum ibi numerus Episcoporum sufficiens ad confectionem eorumdem processuum haberi nequit, sacra Congregatio uni tantum Episcopo cum tribus vel quatuor Dignitatibus, eas tamen tunc temporis possidentium nomina nullatenus, immo nec ipsarum Dignitatum notas exprimendo, Remissorias interdum dirigere consueverit, præsertim, si litteræ sint executioni demandandæ in remotioribus mundi partibus*

tibus, ne, ſi illi, qui Dignitates obtinent, diem claudant extremum, antequam illuc perveniant litteræ, eædem executioni non demandentur, atque in grave Partium & cauſarum diſcrimen anni labantur, antequam preces ad Urbem adveniant, aut reſponſiones redeant ſuper deputatione ſeu ſubrogatione aliorum Judicum obtinenda vel obtenta, & proinde dubitari contingat, quænam Dignitates in hujuſmodi caſibus cenſeantur deputatæ; ſacra Congregatio cenſuit eo caſu, per Epiſcopum Judicem deputatum deſignandos eſſe ex numero Dignitatum, quos in ſacra Theologia & in ſacris Canonibus peritiores in Domino judicaverit, alterum nempe in ſacra Theologia Licentiatum, alios in jure Canonico Graduatos.

9. Quando litteræ remiſſoriales tribus Judicibus inſcribuntur cum clauſula, *ut duo ad minus procedant*, ſi alterutri ex his ſuperveniat aliquod impedimentum, preces exhibentur ſacræ Congregationi pro ſubſtitutione alterius Judicis. Cumque ſacra Congregatio annuere conſueverit, dummodo conſtet de impedimento, uti colligitur ex decreto edito in cauſa Luſitana BB. Tereſiæ, & Sanciæ 9. Julii *1696.* hinc oritur controverſia, an per ſubſtitutionem Judicis revocata intelligatur juriſdictio data Judici, cui facta eſt ſubſtitutio, ita ut, ſi hic deinde ſe immiſceat, atque *ingerat*, proceſſus *nullitatis* vitio laboret. In hac itaque controverſia nonnulli quidem abſolute & ſimpliciter putant, ceſſare Judicis juriſdictionem, ſtatim ac fuit ipſi facta alterius Judicis ſubſtitutio, ut habet Pignatellus *conſult.* 188. *num.* 3. *tom.* 1. at juxta conſuetudinem ſacræ Congregationis diſtinguendus eſſe videtur caſus a caſu. Vel enim, exponentibus Poſtulatoribus, alterutrum, vel ambos ex Epiſcopis delegatis in primis litteris remiſſorialibus eſſe impeditos, ſacra Congregatio in aliorum Epiſcoporum ſubſtitutiones utitur clauſula, *Firmis tamen remanentibus ceteris, qui in præcedentibus litteris remiſſorialibus fuerant in Judices deputati;* & tunc nemo eſt qui non videat, per alterius ſubſtitutionem non cenſeri revocatam juriſdictionem, quæ data fuerat primo, ita ut, ſi iſte etiam ſe immiſceat, proceſſus ſemper remaneat validus; & multo magis, cum non adſit in jure prohibitio, ne plures, quam tres Epiſcopi ad proceſſuum conſtructionem in hiſce cauſis tanquam Delegati Sedis Apoſtolicæ deveniant. Neque clauſula modo memorata nova eſt in decretis ſubſtitutionum Judicum; legitur enim in decreto edito in cauſa Florentina S. Julianæ de Falconeriis 21. Martii, & 11. Julii, atque in alio decreto edito in cauſa Neapolitana B. Jacobi de Marchia 30. Maji, & 11. Julii *1699.* Vel in decreto ſubſtitutionis aliorum Epiſcoporum, aliorumve Judicum ſacra Congregatio non utitur clauſula reſervante juriſdictionem eorum, qui in primis litteris remiſſorialibus fuerant delegati ad conſtructionem proceſſus, ita ut in obſcuro ſit, num eadem ſacra Congregatio per novi Judicis ſubſtitutionem revocare voluerit, an noluerit juriſdictionem, quam alii vel aliis dederat in præcedentibus litteris: & tunc ad effectum validitatis proceſſus iterum diſtinguendus eſſe videtur caſus a caſu. Quandoquidem aut inter Judices, qui devenerunt ad confectionem proceſſus, duo adſunt præter illum, cui facta eſt ſubſtitutio; & in hoc rerum themate, quamvis ille, cui facta eſt, ſubſtitutio, ſe immiſceat, proceſſus erit habendus pro valido. Cum etenim in ſequelam clauſulæ, ut duo ad minimum procedant, duo ſatis ſint, & in caſu quidem, de quo nunc agimus, duo proceſſerint, de quorum juriſdictione dubitari non poterat; tertius, cui facta eſt ſubſtitutio, cujuſque juriſdictio aliquam patitur difficultatem, ſi in cauſa procedat, nullum reddere nequit proceſſum, quia per interventum non judicis nequeunt reddi nulla ea, quæ geſta ſunt a veris Judicibus in numero ſufficienti conſtitutis, ut ad rem docet Roſa *in addit. ad tractat. de Executor. litter. Apoſtol. a num.* 58. *uſq. ad num.* 67. ubi refert, ita ſacram Congregationem ſenſiſſe in cauſa S. Felicis de Cantalicio. Aut demum inter Judices, qui devenerunt ad conſtructionem proceſſus, non ſolum reperitur ille, cui facta eſt ſubſtitutio, ſed etiam hic una cum alio, cui nulla facta eſt ſubſtitutio, numerum complet binarium abſolute & ſimpliciter requiſitum in iſtorum proceſſuum confectione; & tunc proceſſus hoc modo confectus *nullitatis* vitio laborare dici debent. Ceſſante quippe clauſula *præſervativa* (de qua ſupra ſermo factus eſt) per unius ſubſtitutionem in locum alterius revocata cenſetur juriſdictio, quæ data fuerat primo; ita ut, ſi hic in cauſa procedat, & procedendo conſtituat numerum binarium in hiſce proceſſibus requiſitum, nullum reddat proceſſum taliter confectum; uti probat textus *in cap. Cum ſuper, & in cap. Si pro debilitate*, ubi Gloſſa *in verb. Te conſulere, de offic. Judic. deleg.* & ſicuti ad rem atque adeo conſantanee cum diſciplina ſacræ Congregationis perpendit Roſa *in addit. ad tract. de Executor. litter. Apoſtol. loc. cit.* & concordat Lezana *conſult.* 1. *a num.* 82. *uſq. a num.* 85.

10. Pro hujus capitis complemento quæritur, an Judices remiſſoriales poſſint pro confectione proceſſuum alios ſubdelegare. Quæſtio nempe inſtituitur quoad Judices remiſſoriales de ſacrorum quippe rituum Congregatione, cui a ſummo Pontifice committuntur cauſæ Beatificationis & Canonizationis, certum eſt, poſſe eam Judices in ſuis remiſſorialibus ſubdelegare pro confectione proceſſuum & examine teſtium, uti probat textus *in Clement. unic. de offic. Judic. deleg.* Redacto idcirco difficultatis capite ad ipſos Judices ſubdelegatos, aut remiſſoriales ab ipſa ſacra Congregatione deputatos, an ipſi videlicet poſſint alios ſubdelegare, a nonnullis aliquando fuit affirmanter reſponſum, ut habent Auctor tractatus de Canonizatione Sanctorum ad Cardinalem Montis Regalis *cap.* 3. §. *Quinto quæro*, & Caſtellanus *de Canonizat. SS. quæſt.* 8. *principali* §. *Quæro juxta prædicta*, utque admiſſum fuit a Rotæ Auditoribus in relatione cauſæ S. Andreæ Corſini *part.* 3. §. 1. *verſic. Tertio quæritur*, in relatione S. Franciſcæ Romanæ *part.* 1. *art.* 3. §. *Primo itaque cenſuimus*, & in relatione S. Hyacinthi §. *Nihilominus*, & §. *Nec dicatur*; ubi tradunt, dici non poſſe electam eſſe induſtriam perſonarum, & conſequenter excluſam a Judice ſubdelegato facultatem ſubdelegandi, ad normam textus *in cap. final. de offic. Judic. deleg.* neque committitur inquiſitio incertæ & indefinitæ perſonæ, ſed certæ ac definitæ, uti proſequitur etiam Contelorius *de Canonizat. SS. cap.* 25. *n.* 13. & 14. Ab aliis vero negativa reſponſio data eſt, tum quia propter negotii gravitatem ſemper cenſeri debet electa induſtria perſonarum, tum quia, ſi Subdelegatus a Delegato poſſet alios ſubdelegare, daretur proceſſus in infinitum; quemadmodum generaliter argumentatur Archidiaconus *in cap. Quamvis, ante num.* 1. ibique Franc. *num. pariter* 1. *de offic. Deleg. in 6.* & in re, de qua nunc agimus, Boetius apud Joann. Andr. *in cap. Venerabili, de teſtibus*, & ſequitur Pavin. *in relatione Sancti Bonaventuræ part.* 2. *art.* 4. & docet Roſa *in addit. ad tractat. de Executor. litter. Apoſtol. n.* 67. & 68. Verum, ſi ſacrorum rituum Congregatio, licet Delegata, non ſolum poteſt alios ſubdelegare pro conſtructione proceſſuum & examine teſtium, ſed etiam dare ſuis Subdelegatis facultatem alios ſubdelegandi, pro eodem proceſſu & examine faciendo, hinc ſequitur, quod vel in litteris remiſſorialibus abſolute & ſimpliciter Judicibus demandatur, ut procedant; & in hac facti ſpecie non poterunt ipſi ſubdelegare: vel in iiſdem litteris remiſſorialibus non ſolum Judicibus demandatur, ut procedant, ſed etiam datur facultas in caſu impedimenti alios ſubdelegandi; & in hac alia facti ſpecie poterunt ipſi ſubdelegare. Nec ulla porro concurrit dubitatio de prædictæ ſacræ Congregationis facultate; ſi etenim, antiquiora percurrendo monumenta, legimus, Innocentium IV. in litteris remiſſorialibus expeditis in cauſa Servi Dei Simonis de Collazono, quibus conſtructionem proceſſus commiſit Epiſcopis Spoletino, Eugubino, & Abbati monaſterii de Ferentillo, facultatem impertitum fuiſſe ſubſtituendi alios Epiſcopos, vel Abbates Ciſtercienſis Ordinis, ſeu Prioris Ordinis Prædicatorum, in *hypotheſi*, in qua ipſi mandata exequi non potuiſſent propter bella tunc vigentia; item Martinum IV. in ſuis remiſſorialibus expeditis in cauſa S. Stanislai Cracovienſis & in ſcriptis Archiepiſcopo Rhotomagenſi, & Epiſcopis Antiſiodorenſi, & Spoletino elargitum eſſe poteſtatem ſubſtituendi alios Judices in caſu, quo aliqui teſtes propter infirmitatem ad eos accedere non potuiſſent, vel ipſis Delegatis non eſſet ad teſtes permiſſus acceſſus ſine gravi incommodo; quæ habentur apud Wadingum *in annal. tom.* 1. *fol.* 587. & *tom.* 2. *fol.* 481. pariterque Eugenium IV. in Remiſſoria expedita pro conficiendis proceſſibus in cauſa S. Bernardini Senenſis facultatem dediſſe Judicibus remiſſorialibus alios ſubſtituendi, juxta monumentum relatum apud Raynaldum *ad an.* 1445. *num.* 27. clara eſt ſacræ Congregationis auctoritas, utpote cum & in re, de qua nunc agitur, & in aliis ejus reſcripta a ſummo Pontifice confirmentur. Accedit uſus, & ratio: uſus quidem, cum in cauſa S. Tereſiæ ſacra Congregatio delegaverit conſtructionem proceſſuum Cardinali Archiepiſcopo Toletano cum facultate illos ſubdelegandi, quos ſibi ad eum finem placuiſſet, uti legitur in relatione Ro-

ne Rotæ Auditorum *part.* 1. *art.* 3. cumque in decretis Urbani VIII. juxta ſupra dicta, & exempla ibi relata ſtatuatur, proceſſus in Urbe conficiendos debere committi Cardinali Urbis Vicario, qui per ſe, vel in caſu impedimenti per alios Epiſcopos a ſe deſtinandos una cum interventu Protonotarii ſacræ Congregationis neceſſarias agat inquiſitiones. Ratio vero accedit, quandoquidem ſacra Congregatio, dando ſuis Subdelegatis facultatem alios ſubdelegandi, non dat, niſi facultatem ſubdelegandi miniſterium ad conſtructionem proceſſus: nec enim ſe tota abdicat juriſdictione, juxta *theoreticen* Abbatis *in cap. Cum Bertoldus, num.* 25. *& ſeqq. de ſent. & re judicata*, quam in hoc eodem propoſito exornarunt & ſecuti ſunt Rotæ Auditores in relatione S. Paſchalis de Baylon *tit. de proceſſu Oriolenſi*, in relatione S. Aloyſii Gonzagæ *tit. de validitate proceſſuum §. De juriſdictione*, in relatione S. Ignatii *tit. de validitate §. Et idem cenſuimus*, & in relatione S. Thomæ a Villanova *tit. de proceſſu Caſtellæ §. Secunda difficultas* poſt Contelor. *de Canoniz. SS.* Quin immo, concurrente aliqua legitima cauſa, ſi Judices delegati, quibus in litteris remiſſorialibus præſcriptum fuerat, ut per ſe ipſos procederent, aliis commiſiſſent examen teſtium, ſacra Congregatio aliquando ſenſit pro validitate proceſſus, ut in cauſa Servi Dei Joſephi de Anchieta 6. Februarii 1726. vel benignam conceſſit defectus ſanationem, ut in cauſa S. Franciſci Xaverii, veluti habetur in relatione Rotæ Auditorum *ad tit. de validit. & legalit. proceſſuum Apoſtol.* ubi etiam narratur magnam eſſe diſtantiam inter urbem Goam, in qua proceſſus conficiebatur, & locum, in quo teſtes degebant; nec per intermedium mare toto fere anni tempore potuiſſe teſtes ad urbem Goam aſportari ſine vitæ periculo. Item, dum fungebar munere Fidei Promotoris, ſacra Congregatio in cauſa Pragen. S. Joannis Nepomuceni 3. Auguſti 1726. pronuntiavit pro validitate proceſſus, in quo Delegati, abſtinendo a delegatione, officioſe requiſiverant ab Ordinario, ut aliquos teſtes examinaret in ſua diœceſi exiſtentes, & extra locum delegationis, ad normam textus *in cap. Ut officium §. Compeſcendis, de Hæreticis in 6.* quem ad rem noſtram examinat Cancerius *var. reſolut. part.* 2. *cap.* 15. *n.* 3.

CAPUT QUADRAGESIMUMSEPTIMUM.

De his, quæ fieri poſſunt, aut nequeunt a Judicibus remiſſorialibus, *& de aliis perſonis, quæ ad conficiendos proceſſus requiruntur.*

1. MAGNA olim erat quæſtio inter Fidei Promotores, & Poſtulatores, an, ſi in litteris remiſſorialibus non fuiſſet data Judicibus facultas procedendi ad compulſationem ſcripturarum, poſſent ipſi non ſolum teſtes examinare, ſed etiam ſcripturas compulſare. At hodie quæcumque ceſſat controverſia, cum Alexander Papa VII. die 8. Auguſti anno 1662. decretum ediderit hujuſmodi: *Ne poſthac in fabricatione proceſſuum compulſorialium in eo nullitates contingant, quod licet in decreto conceſſionis remiſſorialium, & compulſorialium plerumque conſueverit exprimi ſolummodo Remiſſoria, eam tamen in ipſis remiſſorialibus Secretarii pro tempore interdum ad compulſorialium litterarum conceſſionem extenderint, vel, ac ſi facultas conficiendi proceſſus remiſſoriales comprehenderet etiam facultatem compulſandi, Judices ipſi remiſſoriales deputati ad utriuſque proceſſus confectionem devenerint; ſacra Congregatio cenſuit, ut in poſterum Secretarius pro tempore in decretis hujuſmodi conceſſionum debeat utramque facultatem exprimere, idque poſſit, quamvis reſcriptum ſacræ Congregationis Remiſſoriam tantum contineat: hoc pariter quoad decreta jam edita, ſed nondum executioni demandata, intelligendum eſſe; quo vero ad proceſſus jam fabricatos, ſingulis vicibus Sanctiſſimo ſupplicandum fore pro ſanatione defectuum & nullitatis hujuſmodi.* Quocirca, ſi in remiſſorialibus poſt hoc decretum expediendis exprimi debet facultas compulſandi, & pariter, ſi in remiſſorialibus ante hoc decretum expeditis nulla facta ſit mentio *compulſationis, nullitatis* ſanatio a ſummo Pontifice facile conceditur; non eſt amplius locus diſputationi, an in ſequelam Remiſſoriæ, in qua nullum ſit factum verbum *compulſationis*, poſſint Judices remiſſoriales ad compulſationem procedere. In hoc eodem Alexandrino decreto alia ſublata eſt difficultas, quæ aliquando excitabatur, an ſcilicet, ſi in remiſſorialibus facta eſſet mentio tantum civitatis, & non diœceſis, poſſent illæ ad effectum perduci a Judicibus delegatis etiam in diœceſi: *Si tandem in reſcripto, ſeu decreto earumdem remiſſorialium, vel compulſorialium, aut in ipſis iiſdem litteris facultas eas exequendi pro civitate tantum tradita recenſeatur, nulla facta mentione de diœceſi, hujuſmodi tamen facultas etiam in diœceſim extenſa cenſeatur.*

2. De juramento a teſtibus præſtando, & de eorum examine faciendo quæritur, an Notario committi poſſint vel ab Epiſcopo procedente ſua auctoritate ordinaria, quando ſua auctoritate conficit proceſſum, vel a Judicibus remiſſorialibus, quando auctoritate delegata ad proceſſuum conſtructionem procedunt. Ut autem quæſtio clare reſolvatur, diſtinguendum eſſe videtur juramentum ab examine: item fieri debet diſtinctio inter proceſſum ordinarium, & Apoſtolicum, & inter proceſſus Apoſtolicos confectos ante editionem formulæ noſtræ Remiſſoriæ, & poſt ejuſdem Remiſſoriæ formulam. Loquendo itaque de juramento nulla eſt lex, quæ ſtatuat in propoſito proceſſuum confectorum ab Ordinariis, ut illud emittatur in manibus Judicum. Prætermiſſo quippe, quod ſæpe memorata epiſtola *circularis* caret decreto irritante, in ea porro nihil aliud præſcribitur, quam ut a Notariis & teſtibus juramentum præſtetur de ſervando ſecreto: *Præſtito etiam juramento a Notariis & teſtibus, ſe nemini promulgaturos, quidquid ipſi ſcripſerint, & reſpective depoſuerint, vel de quibus interrogati fuerint:* nulla alia facta expreſſione juramenti præſtandi in manibus Judicum. Cumque proinde lex de juramento præſtando in manibus Judicum deſcendat ex formula Remiſſoriæ: *Receptoque prius in manibus veſtris ab ipſis teſtibus cujuſcumque gradus &c. juramento, tactis ſacroſanctis Evangeliis coram vobis ipſis poſitis, & non alias, aliter, nec alio modo*: hinc fit, quod, licet ex infra dicendis tutius eſſet, ut etiam in proceſſibus Ordinariorum juramentum a teſtibus emitteretur coram Judicibus, ſi tamen mandato Ordinarii, vel Judicum ab eo ſubdelegatorum recipiatur a ſolo Notario, & in manibus ejus emittatur, ex hoc capite receptio juramenti pro nulla haberi non debeat; ſecus ac in proceſſu Apoſtolico confecto non ante, ſed poſt editionem novæ formulæ remiſſorialium, cum in hac præſcriptum ſit ſub pœna *nullitatis*, ut juramentum emittatur a teſtibus coram ipſis Judicibus. Et cum hac quidem diſtinctione proceſſit, dum fungebar munere Fidei Promotoris, ſacrorum rituum Congregatio in cauſa Florentina Servi Dei Benedicti a Podio Bonitio 26. Auguſti 1724. Simile judicium ferendum eſt de teſtium examine non facto coram Judicibus, ſed coram Notario de eorum mandato. Vel enim loquimur de proceſſu ordinario, vel de proceſſu Apoſtolico. Si de proceſſu ordinario, ante editionem prædictæ epiſtolæ encyclicæ, paſſim admiſſa fuit validitas examinis teſtium, licet facti a Notario, non a Judicibus, juxta Auditores Rotæ in relatione S. Raymundi *art.* 2. §. *Quia cenſuimus*, & in relatione S. Ignatii *part.* 1. *de validit. proceſſuum §. Et idem cenſuimus*. Item Pater Ceparius, qui ſuum directorium Canonizationum compoſuit ante editionem ejuſdem epiſtolæ encyclicæ, ſcribit utique tutius eſſe, ut examen teſtium fiat a Judicibus, non autem a ſolo Notario, ſed poſſe etiam fieri a ſolo Notario, dummodo id a Judice demandetur; & cauſa adſit faciendæ commiſſionis, vel eo quia Judex aliis negotiis ſit præpeditus, vel teſtes propter infirmitatem, aut eorum indolem & qualitatem ad eum accedere non poſſint, ſicuti plene habetur *lib.* 3. *cit. director. cap.* 5. Et ſane, dum fungebar munere Fidei Promotoris, ſacrorum rituum Congregatio die 3. Februarii 1714. validitatem approbavit examinis facti mandato Judicis coram ſolo Notario in proceſſu Politiano auctoritate ordinaria confecto ante editionem epiſtolæ encyclicæ in cauſa Servi Dei Roberti Cardinalis Bellarmini, & in cauſa Servi Dei Franciſci a Puero Jeſu 19. Januarii 1715. & noviſſime

in cau-

in causa Ven. Servi Dei Joannis Leonardi 17. Julii 1734. postquam tamen ipsi constitit de commissione data a Judicibus Notario excipiendi testium examen. Quibus antiquiora addi possunt exempla apud Bollandianos *mensibus Martio, Aprili, & Majo*; cum apud eos documenta habeantur processuum a solis Notariis confectorum mandato Ordinarii in causis BB. Finæ, & Claræ Gambacurtæ, BB. Notkeri, Andreæ Eremitæ, & Dominici Calceatensis. Et, quamvis post editionem epistolæ encyclicæ bene cognoscatur, Sedem Apostolicam exoptare, ut testium examen in processibus etiam Ordinariorum fiat coram Judicibus; in ipsa siquidem epistola dicitur, sacram Congregationem summopere exoptare, ut inquisitio vitæ in Beatificandos fiat ab ipso Episcopo, &, eo impedito aliquo legitimo & gravi impedimento, super quo ejus conscientia oneratur, a Vicario Generali, aut alio in dignitate Ecclesiastica constituto, qui una cum aliis, ad minimum duobus doctis viris, altero scilicet Magistro in Theologia, altero *Graduato* vel *Licentiato* in jure Pontificio rem totam ita peragere debeant, ut omnes sua nomina subnotent post subscriptionem cujuscumque testis, antequam discedant a loco examinis (quæ omnia prædictum desiderium patefaciunt) cum tamen semper subsistat indicata assumptio de defectu decreti irritantis, in eadem epistola encyclica, sequitur, examen in processibus Ordinariorum nullum *qualificari* non posse, eo quia testes de Judicum mandato fuerunt a solo Notario examinati. Similiter, si sermo transferatur ad processus Apostolicos ante editionem novæ formulæ remissorialium, cum nonnullæ earum expedirentur sine impositione oneris de examine coram ipsis Judicibus peragendo, examen profecto testium factum coram Notario de mandato Judicum, & sine eorum præsentia pro valido erat habendum; tum quia de jure communi potest Judex remittere Notario receptionem juramentorum, & examinis testium etiam in causis criminalibus, & consequenter gravioribus, juxta late deducta per Farinaccium *de testibus quæst. 77. num. 178.* tum quia tunc passim pro regula habebatur, delegatos Judices posse testium examen committere Notario, cum hoc diceretur simplex ministerium a Notario præstandum, juxta *interrogatoria* sub eodem involucro, atque in *rotulo* ipso Remissoriæ transmissa, sicuti ponderant Contelorius *de Canonizat. SS. cap. 25. num. 12. & seqq.* atque Auditores Rotæ in relatione Sancti Andreæ Corsini *part. 3. §. 1. vers. Sexto quæritur*, & in relatione Sanctæ Franciscæ Romanæ *part. 1. art. 4. in fine*: quo eodem sensu processit sacrorum rituum Congregatio 12. Septembris 1716. dum fungebar munere Fidei Promotoris, occasione disputationis de validitate nonnullorum processuum factorum ante editionem novæ formulæ remissorialium in causa Sancti Peregrini Latiosi. Cum vero in formula Commissionis generalis exhibeantur preces summo Pontifici, ut indulgere dignetur sacræ Congregationi facultatem, qua committere valeat Episcopis, *ut per se ipsos inquirant de fama, & de devotione populi, & de miraculis &c. & ad hunc effectum aliquot articulos ad eosdem Episcopos transmittat, super quibus, & super interrogatoriis per Promotorem Fidei conficiendis debeant per se ipsos, & non alios, testes examinare*; & in edita formula remissorialium, ad cujus normam litteræ remissoriales modo expediuntur, habeantur hæc verba: *Committimus & mandamus, ut vos, vel duo ad minus ex vobis conjunctim & simul, ac non alias, aliter, nec alio modo, vice nostra in singulis actibus procedentes, omnes & singulos testes &c. & alia quævis probationum genera, qui, seu quæ coram vobis, seu duobus saltem ex vobis simul & conjunctim, ut supra produci & compulsari contigerit &c. pro tribunali sedentes admittatis*; & paulo post, *Significantes nobis non solum generaliter, quæ fides testibus desuper examinatis sit adhibenda, sed etiam particulariter super his, quæ per eosdem testes deposita fuerunt, & an in deponendo aliquid viderint, per quod reddatur suspecta eorum depositio:* unusquisque facili negotio colligere poterit, non posse Judices remissoriales post editionem novæ formulæ committere testium examen Notario, & examen dicto modo factum coram Notario nullum, ideoque nec recte nec rite peractum esse futurum.

3. De Judicibus remissorialibus controversia est, an possint nova *interrogatoria*, & novos articulos facere, & *respective* admittere. Transmittuntur nempe sub eodem involucro cum Remissoria *interrogatoria* composita a Fidei Promotore in Urbe: sed, si Judices, examinando juxta eadem *interrogatoria*, & habito alicujus testis responso super *iis*, videant & cognoscant expedire, ut aliquod aliud *interrogatorium* addatur, nil prohibet, quin id ab ipsis fieri possit; & ideo ad calcem *interrogatoriorum*, quæ modo transmitturtur, apponi consueverunt hæc verba: *In reliquis suppleat pietas, integritas, & diligentia Dominorum Judicum examinare debentium, quibus, & subpromotori in solidum datur facultas alia superaddendi, prout illis in Domino salubriter expedire videbitur*. Difficultas ergo versatur tantum circa novorum articulorum admissionem: super quo argumento nonnulli dicunt, non posse Judices remissoriales admittere novos articulos præter eos, qui fuerunt exhibiti in Curia, & super quibus fuerunt composita *interrogatoria* sub involucro Remissoriæ una cum articulis missa, nisi forte novi articuli conducerent ad declarationem articulorum in Curia datorum, ut habet Contelorius *de Canoniz. SS. cap. 25. num. 9.* alii vero asserunt, Judices remissoriales abstinere etiam debere ab horum articulorum admissione; quia, cum *specificatio* ac declaratio aliquid amplius contineant, quam in primis contineretur articulis, non videtur consequenter eadem fieri posse, nisi citato Fidei Promotore, & factis ab eo novis *interrogatoriis* super novis articulis, quemadmodum sentit Rosa *in addit. ad tractat. de Executor. litter. Apostol. num. 93.* Pluries actum fuit de hac controversia in examine causarum Canonizationis: & primo quidem in causa S. Caroli Borromæi, teste Grattarola in relatione Actorum ejusdem causæ *part. 1. cap. 37. Alli 15. d'Aprile 1608. fu tenuta la terza Congregazione &c. sopra il secondo dubbio* (sermo est de Congregationibus, quæ fiebant a Rotæ Auditoribus) *e decisero, che i testimonj fossero stati esaminati tutti bene e legittimamente; & avvegnachè i Giudici subdelegati avessero .... aggiunti molti miracoli nuovi nel processo, che non erano articolati nella Remissoria &c. perchè si provò, che dipendevano dagli articoli stessi della Remissoria*: quod & latius comprobatur ex ipsa relatione Rotæ Auditorum *part. 1. tit. de validit. processuum §. Præterea, & seqq.* Excitata siquidem animadversione, an legitimum & rite peractum re vera dici posset examen testium factum super nonnullis articulis addititiis a Judicibus remissorialibus admissis, eo quia Judices delegati sunt meri executores, & novos articulos per consequens admittere non poterant; responsum fuit pro rite peracto & legitimo examine testium super articulis additiiis, cum in uno ex articulis remissorialibus fuissent articulata omnia miracula cum præsentia tum futura, ideoque articuli additii, utpote respicientes nonnulla peculiaria miracula comprehensa sub genere miraculorum præsentium & futurorum, habendi essent pro articulis *explicativis* & *specificativis* articuli generalis a Curia Romana missi; nec Judicibus remissorialibus prohibitum videatur similia *specificare*. Secundo, hæc eadem disputatio facta est in causa Beatificationis & Canonizationis S. Andreæ Avellini; & sane ejus resolutio fuit consentanea resolutioni super expositæ in causa S. Caroli Borromæi, teste Caggiano in Actis causæ ejusdem S. Andreæ *pag. 116. Ed avvegnachè i Giudici subdelati avessero aggiunti molti miracoli nuovi nel processo, che non erano articolati nello stesso rotolo di Remissoria, si conchiuse, che ciò potevano fare, inchiudendosi questo nell' articolo de miraculis in genere; onde perciò dichiararono, che il processo era in ogni parte ben fatto e valido*. Tertio, dum fungebar munere Fidei Promotoris, in causa Florentina S. Julianæ de Falconeriis 25. Febr. 1725. Sed, cum in articulis causæ Procuratores usi fuissent clausula, *Non se adstringens*, in cujus sequelam servata dici debebat facultas addendi nova miracula iis, quæ fuerant articulata; cumque ipse dicto munere fungens *interrogatoriis* super expresse articulatis alia *interrogatoria* addidissem, ut casui præviso consulerem, & debitam fumerem providentiam pro *hypothesi*, in qua testes super miraculis minime *specificatis* deponerent; & præterea omnibus actibus Fidei Subpromotor interfuisset: ex his omnibus simul junctis sacrorum rituum Congregationis sensus fuit pro legitimo & rite peracto testium examine, licet facto super novis articulis, utpote facto præviis *interrogatoriis* a me, uti supra, pro rei ejusmodi eventu additis. Quarto, de hac eadem re, dum item fungerer munere Fidei Promotoris, actum est in causa Neapolitana Servi Dei Franciſci Caraccioli die 16. Februarii 1726. In hac quippe causa, cum a Judicibus remissorialibus fuissent admissi novi articuli super nonnulis miraculis, quæ non fuerant in Curia articulata, & super quibus per consequens a me non fuerant

data

data *interrogatoria*, reſponſum nihilominus eſt pro rite peracto & legitimo teſtium examine, eo obtentu potiſſimum, quod examen ſuper novis etiam articulis factum fuerat interveniente Fidei Subpromotore, & quod prædicto teſtium examini ſuper novis articulis ex Judicum diligentia ſuperinductum fuerat examen teſtium ex officio, hoc eſt teſtium non inductorum a Procuratore, ſed ab ipſis Judicibus vocatorum. Cum eodem denique ſenſu proceſſit ſacrorum rituum Congregatio poſt dimiſſum a me Promotoris officium in cauſa Oxomen. S. Petri Regalati die 15. Martii 1732. & in cauſa tunc Beati Vincentii a Paulo 17. Julii 1734. in qua jam examinatis teſtibus ſuper nonnullis miraculis, cum ad interceſſionem Beati novum miraculum contigiſſet, Procurator cauſæ teſtes ſuper eo induxit, *citationem* expedivit contra Fidei Subpromotores, curavitque, ut teſtes ipſi a Judicibus examinarentur, qui porro alios etiam teſtes ex officio ſuper eodem miraculo audiri voluerunt. Ex his nempe, quæ hucuſque dicta ſunt, mens clara ſacræ Congregationis in hac controverſia (ni fallor) deſumi poteſt. Sed, ut tutius in horum proceſſuum confectione procedatur, ego plurium annorum experientia edoctus, ſemper Poſtulatoribus & cauſarum Procuratoribus conſilium præſtarem, ut, ſi poſt expeditas litteras remiſſoriales, & compulſoriales, & etiam poſt inceptum examen, alicujus novi miraculi minime *ſpecificati* notitia ſuperveniret, articulos componerent, & ad Urbem mitterent; ut ſuper iis fieri poſſint a Fidei Promotore *interrogatoria* ſub novo involucro novæ Remiſſoriæ ad Judices delegatos una cum novis articulis mittenda. Poſtremo conſilium præſtarem Fidei Promotori non omittendi in proceſſibus extra Europam, aut ſaltem in remotis ab Italia regionibus conſtruendis *interrogatoria* ſuper novis miraculis, quæ præter *ſpecificata* a teſtibus referri poſſent; cum multa ſint, quæ univerſo generi miraculorum communia ſunt, necnon multa ſint, quæ primo, multa, quæ ſecundo, & multa pariter, quæ tertio generi miraculorum communia ſunt; quorum ope ſufficientia componi poſſunt *interrogatoria*, data Judicibus ſubinde facultate alia *interrogatoria* addendi. Dixi in proceſſibus extra Europam, aut in remotis ab Italia regionibus conſtruendis, ad ſubmovendum videlicet certum periculum maximi temporis, & pecuniarum impendii, & ad ſubmovendum aliud probabile periculum mortis teſtium interea forte futuræ.

4. Præter teſtes a Poſtulatoribus inductos onus eſt Judicum remiſſorialium teſtes ex officio reperire, ut infra videbimus. Loquendo itaque de his teſtibus ex officio inducendis, aliquando diſputatum eſt, an, ſi interrogentur ſuper *interrogatoriis* minime datis a Fidei Promotore, ſed ab ipſis Judicibus, eorum examen validum dici poſſit; cum litteræ remiſſoriales præſcribentes, ut fiat examen ſuper *interrogatoriis* Fidei Promotoris, loquantur de ceteris teſtibus, ſed non de teſtibus, qui ex officio examinantur. Pro examinis validitate ſenſiſſe videtur ſacrorum rituum Congregatio in Neritonen. Ven. Servi Dei Patris Joſephi a Cupertino die 13. Martii 1700. & in cauſa Ven. Servi Dei Joſephi a Matre Dei ſuper validitate proceſſus Theatini 11. Auguſti 1731. Verum, utcumque hæc ſint, quando res eſt integra, ſemper ſuaderem, ut teſtes etiam ex officio examinarentur juxta *interrogatoria* miſſa a Fidei Promotore, cum ſuper iiſdem rebus, ſuper quibus examinantur teſtes remiſſoriales, examinentur etiam teſtes ex officio.

5. Aliæ perſonæ neceſſariæ ad conſtructionem proceſſuum ſunt Procurator, Fidei Promotor, ſeu Subpromotor, Protonotarius, Notarius, Curſor ſive Nuntius, & Portitor: de quibus omnibus nonnulla in hoc capite afferri debent.

6. Olim communis opinio erat, Procuratorem non eſſe neceſſarium, & quemlibet de populo, tanquam in actione populari, ſine mandato *procuræ* agere poſſe; uti ferunt Contelorius *de Canonizat. SS. cap.* 25. *num.* 50. *& ſequentibus*, atque Auditores Rotæ in relatione S. Franciſci Xaverii *tit. de validit. & legalit. proceſſuum Apoſtol.* §. *Secunda etiam difficultas*, & in relatione B. Joſaphat *part.* 1. §. *Ceterum*. Alii autem exiſtimabant, licet in his cauſis *extrajudicialiter* procederetur, expedire nihilominus, ut aliquis coram Judicibus ſive ordinariis, ſive delegatis perſonaliter compareret ſuffultus mandato *procuræ* Principum, Communium, & Religioſarum familiarum pro Beatificatione & Canonizatione ſupplicantium; ſicuti tradit P. Ceparius *in director. Canoniz. SS. lib.* 3. *cap.* 3. Sed cum hodie cauſæ iſtæ ad normam veri judicii ſint redactæ, & in litteris remiſſorialibus habeantur hæc verba, *Quamobrem pro parte Procuratoris in hujuſmodi cauſa deputati, prout de ejus legitimo mandato docuit*; & infra, *A perſonis legitima mandata procuræ habentibus recipiatis*; & inferius, *Propoſitiones & articulos infraſcriptos dat exhibet & producit Procurator*; nulla idcirco ſupereſt difficultas de neceſſitate Procuratoris, qui legitimum habeat *procuræ* mandatum, ut adnotarunt Lezana *conſult.* 1. *a num.* 85. *uſq. ad* 88. & Roſa *in addit. ad tractat. de Executor. litter. Apoſtol. num.* 301. *& ſeqq.* Porro, quamvis juxta nonnullos Procuratoris qualitas poſſit etiam ex conjecturis probari, uti ponderarunt Auditores Rotæ in relatione S. Franciſcæ Romanæ *art.* 3. cum non ſit verifimile, ut aliquis compareat, qui Procurator non ſit, eo quia agitur de re, ad quam eſt neceſſaria magna impenſa, ſicuti proſequuntur Rotæ Auditores in relatione S. Jacobi de Marchia *tit. de validit. proceſſ. Neapolitani*; tutius nihilominus eſt, ut in Actis exhibeatur authenticum *procuræ* mandatum, quod vel ſit ſpeciale pro cauſa, de qua agitur; vel, ſi eſt generale, ſit tamen factum vel cum libera facultate, vel cum communicatione totius auctoritatis, ſi fiat ex. gr. a Priore aliquo Generali Religioſorum in cauſa Canonizationis alicujus Dei Servi ſui Religioſi Ordinis: in quibus circumſtantiis pro cautela datur, ut omnia deinde geſta per Procuratorem ab ipſo rata habeantur, veluti perpendit Ceparius *in director. lib.* 3. *cap.* 4. & ut late firmant Auditores Rotæ in relatione S. Ignatii *tit. de validit. part.* 1. ad quod & conferunt deducta per Contelorium *cap.* 25. *num.* 56. *& ſeqq.*

7. De Fidei Promotore, & Subpromotore multa relata ſunt in 1. iſtius Operis libro *cap.* 18. ad quæ lectorem remittimus: hicque tantum adnotare fas ſit, in pleriſque cauſis Canonizationum Fiſci Procuratorem, ſeu Fidei Promotorem fuiſſe citatum, in cauſa videlicet S. Didaci, teſte Penia in Actis de ea editis *pag.* 143. in cauſa S. Raymundi, teſte eodem Penia in Actis de ea quoque editis *pag.* 270. cum quibus concordat bulla Canonizationis, in cauſa S. Hyacinthi, teſte Severino de Cracovia in Actis ſuper eadem cauſa editis anno 1594. cum quibus etiam concordat bulla Canonizationis §. 7. & §. 8. in cauſa S. Caroli Borromæi, uti colligitur ex Actis de ea editis a Grattarola *pag.* 173. in cauſa S. Tereſiæ, ut habetur ex Actis compilatis per Paulum Mucantium, quæque manuſcripta aſſervantur in archivo Conventus S. Annæ Carmelitarum Diſcalceatorum nationis Hiſpanæ Romæ degentium, in cauſa Beatificationis S. Andreæ Avellini, ſicuti habetur ex ejus Actis typis impreſſis & collectis a Caggiano *pag.* 172. *& ſeqq.* quæ pariter aſſumptio confirmatur ex pleriſque relationibus Rotæ Auditorum, in cauſis videlicet S. Joannis de Deo *tit. de validitate proceſſuum*, S. Ludovici Bertrandi in fine ſub eadem rubrica *de validit.* S. Iſidori Agricolæ *tit. de proceſſ. remiſſorial.* S. Franciſci Borgiæ *eod. tit.* BB. Martyrum Japonenſium *eod. tit.* S. Catharinæ de Ricciis *tit. de proceſſibus*, S. Paſchalis de Baylon *tit. de proceſſu in ſpecie*, S. Jacobi de Marchia *tit. de validit. proceſſ. Neapolit. compilati anno* 1523. S. Aloyſii Gonzagæ *tit. de validit. proceſſuum*, *& primum de proceſſu Romano*, B. Joſaphat Pollocenſis *part.* 1. *in fine*, & ex ipſis regeſtis Congregationis ſacrorum rituum anno 1609. 1620. & 1621. ubi habetur, deputatum fuiſſe in Fidei Promotorem Joannem Baptiſtam Spadam ſacræ Conſiſtorialis aulæ & Fiſci Advocatum in cauſis Canonizationis SS. Philippi Nerii, Ignatii, Tereſiæ, & Thomæ de Villanova. Sed cum in aliis Canonizationum cauſis nulla facta fuerit Promotoris Fiſcalis *citatio*, tres olim erant Doctorum opiniones; una, *citationem* hanc non eſſe de jure neceſſariam, licet aliquando fuerit adhibita; quemadmodum adnotavit Franciſcus Penia *in vita S. Raymundi lib.* 3. *cap.* 24. *obſervat.* 3. altera, eſſe omnino incongruum, ut in his cauſis Procurator Fiſcalis citetur, quemadmodum proſequuntur Rotæ Auditores in relatione S. Andreæ Corſini typis impreſſa apud Lezanam *conſult.* 1. *n.* 215. & tertia tandem, neceſſariam fuiſſe *citationem* Promotoris Fiſci in cauſis, in quibus id fuerat in Remiſſoria mandatum, ſecus in aliis, in quibus id non fuerat in Remiſſoria mandatum, ut habetur apud Contelorium *de Canoniz. SS. cap.* 24. *num.* 17. *& cap.* 25. *num.* 39. *& ſequentibus*. Abſolutam ergo neceſſitatem citandi in omnibus & ſingulis actibus Fi-

dei Promotorem in Curia, & extra Curiam Subpromotorem ab eo specialiter constitutum, & quidem sub pœna *nullitatis*, in processibus, qui auctoritate Apostolica construuntur (in processibus etenim auctoritate ordinaria confectis ante decreta, & forte etiam post decreta licet opportuna sit *citatio* Promotoris Fiscalis, eam tamen ad actus validitatem non requiri, passim admissum est a sacrorum rituum Congregatione, & novissime in causa Servi Dei Joannis Leonardi 15. Julii 1734.) suam originem habuisse dicendum est ex litteris Apostolicis in forma Brevis expeditis pro Fidei Promotore anno 1631. & typis impressis inter decreta generalia Urbani VIII. munitis decreto irritante: *Sicque per quoscumque Judices ordinarios & delegatos, etiam causarum palatii Apostolici Auditores, & S. R. E. Cardinales & Congregationes prædictas judicari & definiri debere; & irritum & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari*, itemque ex formula litterarum remissorialium: *Citato in omnibus actis Subpromotore Fidei per Promotorem in Curia nominato, & non alias aliter, nec alio modo;* necnon ex aliis verbis decretorum: *Advertendum est, quod in omnibus actis citari debet in Urbe Promotor Fidei juxta formam Brevis a Sanctissimo Domino nostro eidem concessi, & extra Urbem Subpromotor*; sicuti ad rem bene observavit Lezana *consult.* 1. *n.* 89. *& seqq.* Quo pariter sensu processit sacrorum rituum Congregatio, dum fungebar munere Fidei Promotoris in causa Brasilien. seu Bajen. Servi Dei Josephi de Anchieta 9. Augusti 1721. &, postquam idem munus a me dimissum est, in causa Ven. Servi Dei Gundisalvi Diaz de Amarante 19. Januarii 1732. ut & jam, antequam ad officium ipsum assumptus essem, in causa Spoletana S. Joseph a Leonissa, veluti colligitur ex sequenti decreto: *Proposito in sacra rituum Congregatione habita die* 22. *Januarii proximi per Eminentiss. & Reverendiss. Dominum Cardinalem Columna dubio, An constet de validitate processuum remissorialium, & compulsorialium Spoleti, & aliis in locis tam ante, quam post decreta anni* 1634. *confectorum, alterius scilicet de anno* 1629. *& alterius de anno* 1639. *an testes in eis rite & recte examinati fuerint, & jura in eis sint legitime compulsata in casu &c. Quoad secundum, nempe de anno* 1639. *responsum fuit, Affirmative. Quo vero ad alterum, nempe de anno* 1629. *attentis difficultatibus excitatis a Reverendiss. Fidei Promotore, quod scilicet non fuerint repetiti in dicto secundo processu omnes testes in primo examinati, quemadmodum, disputato dubio super ejus validitate, die* 13. *Martii* 1638. *fuerat a sacra Congregatione decretum, resolutum fuit, supplicandum esse Sanctissimo pro sanatione ad majorem & uberiorem cautelam. Quamvis existimatum fuerit, eam de rigore necessariam non esse, ex quo defectus interrogatoriorum juxta formulam in decretis generalibus præscriptam, & omissio citationis Promotoris Fidei nequiverint nullitates processus operari, dum fuit fabricatus juxta interrogatoria in litteris remissorialibus inserta, nec formula præscripta in dictis decretis generalibus fuerit adhuc adinventa; prout etiam necessitas citandi Promotorem Fidei originem habuit ex litteris deputationis ejusdem Promotoris factæ de anno* 1634. *& sic post ejusdem processus fabricationem. Facta itaque Sanctissimo Domino nostro plena relatione de præmissis per Reverendiss. Dominum Fidei Promotorem, Sanctitas sua benigne annuit, & defectus prædictos, quatenus opus sit, sanavit, die* 15. *Junii proxime præteriti anni* 1639. Post quæ tanto cum rigore in præsenti materia de interventu Promotoris Fidei, vel Subpromotoris proceditur, ut ad actus validitatem ejus præsentia non sufficiat, sed *citatio* omnino requiratur, vel saltem monitio, ut videlicet paratus & instructus actui interveniat; sicuti bene concludunt in proposito *citationis* Pignatellus *consult.* 204. *aut* 205. *juxta varias editiones tom.* 1. & Rosa *in addit. ad tractat. de Executor. litter. Apostol. a num.* 271. *usq. ad num.* 294. in proposito autem monitionis idem Pignatellus *consult.* 52. *tom.* 4.

8. Protonotarius sacræ Congregationis processibus intervenit, qui fiunt in Urbe auctoritate Apostolica, juxta ea quæ alibi dicta sunt. Sed, transitum faciendo ad Notarios, cum Notarii constituantur tum a summo Pontifice, tum ab Imperatore, tum a Regibus, & Principibus, qui Superiorem non recognoscunt, juxta tradita per Innocentium *in cap. Cum P. Tabellio, de fide instrumentorum*, & demum etiam ab Episcopo in sua diœcesi juxta *consil.* 75. Oldradi, quod, ceteris allegatis exornat Fagnanus *in cap. Sicut te, ne Clerici vel Monachi*; ideoque, cum duæ species dentur Notariorum, aliquorum videlicet, qui Apostolica, vel Ecclesiastica auctoritate, aliorum autem, qui Imperatoria, aut Regia, & idcirco laica auctoritate sunt in proprio officio constituti; quærebatur olim, utrum in his causis, atque adeo in constructione horum processuum essent necessario adhibendi Notarii auctoritate Apostolica, aut Ecclesiastica creati, an etiam sufficerent Notarii laica auctoritate constituti; contendentibus scilicet inter antiquiores juris Pontificii Professores nonnullis, Notarium Imperatoria, & laica auctoritate creatum nequaquam posse suum officium exercere in causis Ecclesiasticis, ut habent Ostiensis *in cap. Quia propter, num.* 37. *de Elect.* Antonius de Butrio *in cap. Sicut, ne Clerici vel Monachi*, ibique Joannes Andreas *num.* 3. aliis vero docentibus, talem Notarium posse etiam in prædictis causis adhiberi, tum quia Notarius inter testes connumeratur *cap. cum Joannes, de fide instrum.* & laicus bene potest esse testis in causis spiritualibus *per l. Domitius, ff. de testamentis*, tum quia Notarius nudum tantum præstat ministerium, quod non est prohibitum laicis in causis Ecclesiasticis, juxta *cap. Primo, de Procurat. in* 6. uti docuerunt *in cit. cap. Sicut*, Zabarell. *num.* 2. Anchar. *num.* 4. *ne Clerici vel Monachi*, Felin. *in cap. Cum dilectus, num.* 34. *de fide instrum.* & Dec. *in cap. Decernimus, num.* 145. *& 147. de judiciis.* Porro communis olim erat opinio de sufficientia Notarii laica auctoritate constituti in causis Canonizationis; Contelorius *de Canonizat. SS. cap.* 25. *num.* 34. *& seqq.* P. Ceparius *in director. Canonizat. lib.* 3. *cap.* 5. Auditores Rotæ in relatione S. Ignatii *part.* 1. *tit. de processu remissoriali Valentino*, in relatione S. Andreæ Corsini *part.* 3. §. 1. *vers. Quinto quæritur*, in relatione S. Franciscæ Romanæ *part.* 1. *art.* 3. §. *Secundo dicimus*, & in relatione S. Raymundi *part.* 1. *art.* 2. §. *Postremo concludimus*. At hodie cessat controversia ex littera Remissoriæ: *Coram fide digno Notario publico Apostolico, seu Ecclesiastico a vobis similiter deputando;* quemadmodum bene ponderant Pignatellus *consult.* 11. *tom.* 3. & Rosa *in addit. ad tractat. de Executor. litter. Apostol. num.* 73. Quocirca in causa B. Gregorii X. sanatio cujusdam processus concessa est, qui nullus dicebatur, utpote constructus a Notario laica auctoritate creato, licet esset etiam Cancellarius Episcopalis; uti legitur in relatione ejusdem causæ, *tit. de processib. remissorialib. Et, cum eadem sacra Congregatio invenisset in processu fabricato Aretii nonnullos defectus, nempe circa deputationem Notarii, qui ex forma litterarum remissorialium debebat esse Apostolicus, vel Ecclesiasticus, & tamen Notarius Imperialis, vel Ducalis tantummodo nuncupabatur, quamvis etiam Curiæ Episcopalis Cancellarius &c. supplicatum fuit Sanctitati vestræ pro sanatione; &, ea obtenta, sacra Congregatio auctoritate Sanctitatis vestræ sanavit prædictum defectum.* Cumque Notarii munus non sit qualitas, quæ præsumitur, probari debet: & directa quidem probatio constituitur in exhibitione privilegii, per Ceparium *in sæpe cit. director. lib.* 3. *cap.* 5. & Auditores Rotæ in relatione S. Caroli Borromæi *part.* 1. *tit. de validit. process.* §. *Notarios*; ad quod faciunt etiam affertiones Judicum, qui eamdem qualitatem testentur, ut admissum fuit in causis Senen. Canonizationis B. Bernardi Ptolemæi, & Abulen. S. Petri de Alcantara, teste Rosa *in cit. addit. ad tractat. de Executor. litter. Apostol. num.* 79. Subsidiaria vero Notarii muneris probatio, quæ præcipue admitti potest in antiquis, reponitur in pluribus adminiculis; & signanter in assertione ejus, qui se dixit Notarium, in fama inque appositione nominis illius in catalogo Notariorum, uti late ostendunt Ceparius *in director. Canonizat. lib.* 3. *cap.* 5. *per tot.* Contelorius *de Canonizat. SS. cap.* 25. *num.* 28. *& seqq.* Auditores Rotæ in relatione S. Raymundi *art.* 1. §. *Neque supradictis obstat cum sequentibus*, in relatione S. Cajetani *tit. de processibus*, in relatione S. Mariæ Magdalenæ de Pazzis *tit. de validitat. process.* §. *Notariatus*, & in relatione Servæ Dei (nunc Sanctæ) Catharinæ de Ricciis *part.* 1. *tit. de processibus*, §. *De Notariatu*. Cumque præterea necesse sit, ut probetur, Notarium fuisse deputatum in Actuarium processus, probatio hæc reponitur in attestatione alterius Notarii Apostolici, sive Ecclesiastici, qui de eadem destinatione fidem faciat: ita ut, severe loquendo, attestatio, quam Notarius facit de propria destinatione in Actuarium, non sit admittenda; cum Notarius rogare sane possit de his, quæ coram se geruntur, sed non de aliis, quæ a se fiunt, uti tradit Mascardus *de probat.*

bat. concluſ. 1096. *n.* 12. *& ſeqq.* Aliquando tamen tributa eſt fides Notario teſtanti propriam deſtinationem in his cauſis, præſertim vero, ſi temporis antiquitas antecedebat, ut apud Auditores Rotæ in relatione cauſæ S. Hyacinthi §. *In iſtius*, utque de ſenſu tum Auditorum Rotæ, tum ſacræ Congregationis teſtatur Contelorius *de Canoniz. SS. cap.* 25. *num.* 29. Aliquando etiam, antiquitatem præſcindendo, tributa eſt fides Notario atteſtanti, ſe fuiſſe deputatum in Actuarium ſub ea potiſſimum animadverſione, quod Judices remiſſorialeſ ipſo uſi non fuiſſent, nec permiſiſſent, ab eo fieri proceſſum, ſi eum in Actuarium non deſtinaſſent; ſicuti ponderatum fuit in cauſis Conſtantien. ſeu Curien. Ven. Servi Dei (nunc Sancti) Fidelis a Sigmaringa, Licien. Ven. Servi Dei Bernardini Realini, Mexicana Ven. Servi Dei Sebaſtiani de Apparitio, Barcinonen. B. Mariæ de Socos, Toletana Ven. Servi Dei Alphonſi de Oroſco.

9. Deficiente Apoſtolico Notario, & probato defectu per atteſtationem Judicum, admiſſa fuit aliquando validitas proceſſus conſtructi per Notarium Regia tantùm auctoritate creatum: & ita res ſe habuit, dum fungebar munere Fidei Promotoris, in cauſa Indiarum ſeu Goana Beatificationis Servorum Dei Rodulphi Aquavivæ & Sociorum 2. Auguſti 1718. referente clar. mem. Cardinali Ptolemæo. Collegium Protonotariorum ſummi Pontificis & ſanctæ Sedis Apoſtolicæ de numero Participantium facultatem habet creandi Notarios & tabelliones: cumque aliquando in Notarios & Tabelliones nonnullos conſtituerit Religioſos cum facultate officium exercendi in cauſis piis, Eccleſiaſticis, Beneficiariis ſui Religioſi Ordinis tantum, & ab eis dependentibus, dubitatum eſt, an dicto munere fungi poſſent in cauſis Beatificationis & Canonizationis Servorum Dei ſui pariter Religioſi Ordinis. Sed controverſia hæc hodie ſublata eſt ex decreto ſummi Pontificis Clementis XII. cujus decreti verba ſunt hæc: *Ut cauſæ Beatificationis & Canonizationis Servorum Dei, quæ ſunt inter majores, quæ ad Sedem Apoſtolicam deferuntur & unice pertinent, omni qua par eſt, diligentia, & abſque ullo ſuſpicionis nævo peragantur, Sanctiſſimus Dominus noſter Clemens Papa XII. audito voto Eminentiſs. & Reverend. DD. Cardinalium ſacris ritibus præpoſitorum, præſenti decreto ſuo mandat & prohibet, ne in poſterum in confectione quorumcumque proceſſuum ſive ſuper virtutibus & miraculis, ſive ſuper fama ſanctitatis aut cultu immemorabili, aliiſque eorumdem Servorum Dei, in cauſis prædictis fieri ſolent, in Notarios præfatorum proceſſuum Religioſi ejuſdem Ordinis, quem Servi Dei, dum vixerunt, profeſſi ſunt, aſſumantur, etiamſi prædicti Religioſi privilegiis Protonotariorum Apoſtolicorum, aut aliis quibuſcumque favore ſuæ Religionis & Ordinis fuerint inſigniti, ſub pœna nullitatis eorumdem proceſſuum ſtatim, ipſo facto, & abſque ulla declaratione incurrenda, præcipiens R. P. Fidei Promotori, ut in ſuis inſtructionibus, quas ſuper hujuſmodi proceſſibus conficiendis ad Judices delegatos tranſmittere ſolet, præſentis decreti mentionem expreſſam faciat, aut per extenſum, prout ſibi viſum fuerit, illis id inſerere non omittat. Et ita Sanctitas ſua inviolabiliter obſervari mandat. Die* 18. *Auguſti* 1731.

10. Curſor ſive Nuntius a Judicibus remiſſorialibus eligitur, quemadmodum deſumitur ex ipſa formula litterarum remiſſorialium: *Nuntium ſeu Nuntios pro citationibus faciendis, & aliis mandatis, & decretis veſtris exequendis &c. deputare valeatis.* Præcipuum autem Nuntii ſive Curſoris officium eſt teſtes, & Fidei Promotorem citare pro die & hora certa.

11. Portitor demum eligitur etiam a Judicibus remiſſorialibus, cui tradi debet proceſſus ſigillis obſignatus, ut eum ad ſacram deferat Congregationem, quemadmodum habetur in ſæpe citata formula litterarum remiſſorialium, *Omniaque clauſa, veſtriſque ſigillis, aut duorum ſaltem veſtrum munita, prævio prius juramento per fidelem Nuntium ſeu Portitorem præſtito, ad nos tranſmitti curetis.* Antiquiſſima ſuppetunt exempla Officii Portitoris: mos enim erat in primitiva Eccleſia, cum Epiſcopus ad Epiſcopum ſcriberet, ut non cuilibet ignoto homini litteras crederet, ſed tantum alicui Eccleſiæ Miniſtro, cujus fides & probitas eſſet in omnibus explorata. Munere hoc functi ſunt Saturus Lector, & Optatus Hypodiaconus apud S. Cyprianum, ut aperte colligitur *ex hujus epiſt.* 29. apud quem plura etiam legi poſſunt de eodem Portitoris munere; præcipue vero *in epiſt.* 20. *Celerini ad Lucianum, & epiſt.* 22. 24. *&* 82.

12. At, ad noſtrum Portitorem redeundo, quæritur, an id, quod de ipſo ſtatutum fuit in litteris remiſſorialibus, adimpleri poſſit per *æquipollens*, ita ut, etiamſi non ſit facta formalis ejus electio, ſatis nihilominus ſit, ſi proceſſus fuerit alicui legali perſonæ creditus, qui eum clauſum & in nulla parte vitiatum ad ſacram deferat Congregationem. Hac de re negativam reſponſionem dat Roſa *in cit. addition. num.* 323. affirmativam vero opinionem pluribus probant Contelorius *de Canonizat. SS. cap.* 25. *num.* 20. *& ſeqq.* & Pignatellus *conſult.* 234. *tom.* 1. Hæc autem poſtrema opinio probabilior videtur, ſicuti adnotarunt Rotæ Auditores in relatione B. Joſaphat Pollocenſis *part.* 1. §. *Ex completo*: &, ut cetera prætereantur, poſtremam hanc opinionem ſecuta eſt ſacrorum rituum Congregatio in cauſa Toletana Servi Dei Franciſci a Puero Jeſu, & in cauſa Servi Dei Sebaſtiani de Apparitio. Aliquando etiam admiſſus eſt proceſſus, qui traditus fuit clauſus & obſignatus, quamvis non traditus a Portitore per Judices electo, & ita res ſe habuit in cauſa Indiarum ſeu Goana Servorum Dei Rodulphi Aquavivæ & Sociorum 2. Aprilis 1718. dum fungebar munere Fidei Promotoris. Alias demum admiſſum fuit, ut, ſi Portitor electus a Judicibus propter aliquod impedimentum non poſſit iter perficere, valeat alium ſubſtituere; dummodo huic credatur proceſſus obſignatus, & dummodo ſit perſona legalis, & propter hæc eadem juramentum præſtet de munere ſuo plene adimplendo: & ex hac quidem opinione proceſſit ſacrorum rituum Congregatio, dum ego fungerer munere Fidei Promotoris, in cauſa Mexicana Servi Dei Gregorii Lopez 22. Januarii 1718. in cauſa Valliſoletana Servi Dei Ludovici a Ponte 5. Februarii 1718. & in cauſa Sancti Flori in Gallia Servæ Dei Agnetis a Jeſu 9. Decembris 1719. Quin immo, ſi, nulla accedente culpa Poſtulatorum, ex aliquo infortunio contigiſſet, ut proceſſus traditus eſſet apertus, comperta veritate facti, conceſſa eſt hujus defectus ſanatio, aut dictum fuit, non eſſe defectum ipſum a Fidei Promotore opponendum. In cauſis Servorum Dei Antonii Gonzalez & Sociorum proceſſus traditus fuit Secretario ſacræ Congregationis de Propaganda Fide, qui eum aperuit putans, non eſſe Canonizationis proceſſum. In cauſa S. Catharinæ Fliſcæ Adurnæ facta eſt traditio proceſſus aperti ex incuria Secretarii Cardinalis Ginetti Præfecti Congregationis ſacrorum rituum, ad quem fuerat delatus. In cauſis demum Indiarum ſeu Goana Servorum Dei Rodulphi Aquavivæ & Sociorum, & Florentina Servi Dei Hippolyti Galantini traditi ſane fuerunt proceſſus aperti; ſed, cum probatum eſſet, apertionem factam fuiſſe a Deputatis ſuper ſanitate ad expurgandas litteras & ſcripturas, quæ tempore contagii ad Urbem mittebantur, conceſſa eſt ſanatio, & injunctum Promotori, ne hunc defectum opponeret, cum eſſet agendum de validitate proceſſuum; uti colligitur ex reſcriptis editis die 30. Auguſti 1631. die 17. Novembris 1657. die 11. Aprilis 1663. die 21. Julii 1670.

CAPUT QUADRAGESIMUMOCTAVUM.

De Juramento a ſupradictis præſtando, deque Citatione, *Inductione, & Teſtium quoque Juramento.*

1. FORMA juramenti præſtandi a Judicibus remiſſorialibus, antequam inchoetur proceſſus, eſt hæc: *Ego infraſcriptus, tactis ſacroſanctis Evangeliis coram me poſitis, juro & promitto fideliter adimplere munus mihi commiſſum circa fabricationem proceſſus in cauſa Beatificationis & Canonizationis Servi Dei N. juxta formam decretorum ſacræ Congregationis rituum, & præcipue noviſſimorum, quæ confirmata fuerunt a Sanctiſs. Domino noſtro Innocentio XI. Necnon juro & promitto religioſe ſervare ſecretum tam de contentis in interrogatoriis, quam de teſtium depoſitionibus ſuper iiſdem, & ſuper articulis, nec de iis loqui cum aliqua perſona, exceptis aliis Judicibus, & Subpromotore, ac Notario pro eodem proceſſu deputatis, & in Curia excepto etiam Protonotario: ſub pœna perjurii*

jurii & excommunicationis latæ sententiæ, a qua non nisi a Summo Pontifice, excepto etiam majori Pœnitentiario, præterquam in mortis articulo, absolvi possim. Et ita promitto & juro: sic me Deus adjuvet, & hæc sancta Dei Evangelia. Utque antiqua novis addantur quoad juramentum Judicum, præsto est antiquum exemplum, quod ex causa Canonizationis S. Vincentii Ferrerii desumptum est. Petrus Dux Britanniæ, Joannes Castellæ, & Alphonsus Aragonum Reges supplicarunt Nicolao V. ut Vincentium Ferrerium inter Sanctos adscriberet. Commisit Papa negotium Georgio Episcopo Prænestino, Alphonso Tituli SS. Quatuor Coronatorum Presbytero, ac Joanni S. Angeli Diacono S. R. E. Cardinalibus cum facultate alios subdelegandi pro constructione processuum sub hac verborum significatione apud Raynaldum *ad an.* 1451. *num.* 16. *Verum, cum inter ceteras graviores causas, quæ apud Sedem Apostolicam agitentur, hæc gravissima sit, & in eadem omnis diligentia, & conscientiæ severitas adhiberi debeat, ut in hac causa non simulata, sed solida veritas elici possit, volumus, ut hujusmodi personæ a vobis deputandæ, quamvis graves quidem existimentur, in manibus vestris, aut alterius eorum, vel in manibus ejus, quem deputabitis, ad hoc præstent juramentum, ut omnia eis a vobis commissa, solum Deum & veritatem præ oculis habentes, prout sacri Canones dictant, omni studio & diligentia exequantur.*

2. Forma juramenti præstandi a Subpromotoribus, Protonotario, & Notario indicatur in decretis Innocentii XI. *Subpromotores & Notarii tam in partibus, quam in Curia &c. & in Curia etiam Protonotarius debeant ante inchoationem processus præstare juramentum de servando secretum religiose sub pœna excommunicationis ipso facto in casu contraventionis incurrendæ.* In quo proinde rerum themate a Protonotario in Curia, & a Subpromotoribus & Notariis tum in Curia tum extra Curiam præstandum erit antequam inchoentur processus, juramentum, adhibita mutatis mutandis eadem juramenti forma, quæ a Judicibus adhibetur. Nuntius vero & Portitor, cum non interveniant examinibus testium, neque sciant eorum depositiones, non debent jurare de servando secretum, sed de fideliter exequendo munus ipsis commissum. Porro, quamvis olim inter Doctores disputaretur, utrum quoad Notarium, qui destinatur pro collatione facienda, itemque quoad Nuntium & Cursorem opus esset speciali eorum juramento, an potius sufficere deberet juramentum ab eis præstitum in prima officii assumptione; nonnullis scilicet afferentibus, satis esse juramentum datum in prima officii assumptione, ut apud Pignatellum *consul.* 233. *& cons.* 235. *tom.* 1. aliis contra docentibus, speciale juramentum requiri de fideliter munus exequendo, uti Ceparius *in direct. Canoniz. lib.* 3. *cap.* 6. & Rosa *in addit. ad tractat. de Executor. litter. Apostol. num.* 75. *& 76.* hodie tamen cessat quælibet controversia ex nova forma Remissoriæ, in qua de Notario deputato pro collatione habentur hæc verba, *Adhibito alio Notario, qui etiam juramentum præstet*; de Nuntio autem seu Cursore, *Mandamus, ut Nuntium seu Nuntios pro citationibus faciendis, & aliis mandatis, & decretis vestris exequendis, prævio prius juramento ab eis recepto de fideliter exercendo officium suum, deputare valeatis:* item similia statuuntur quoad Portitorem, *Prævio prius juramento per fidelem Nuntium seu Portitorem præstito, ad nos transmittere curetis.* Ex quibus verbis desumitur, non subsistere assumptionem Pignatelli, qui *in supra cit. consult.* 235. dixit, non esse necessarium Portitoris juramentum.

3. De causæ Procuratore quæri posset, an inter Judicum Ministros sit recensendus, cum videatur potius Minister Postulatorum, hoc est eorum, qui instant pro Beatificatione & Canonizatione. Sed hac inutili quæstione prætermissa, præter articulos ab eo exhibendos, super quibus a Fidei Promotore *interrogatoria* componuntur, (ut in præcedenti capite dictum est) pertinet ad eum testes idoneos reperire, & alia quævis documenta, quæ ad suorum articulorum probationem conducere possint. Antequam processus inchoetur, Procurator quoque jurare debet; sed ejus juramentum debet esse juramentum, ut vocant, calumniæ. Juxta jus antiquum Pontificium Procurator illud non emittebat in causis Ecclesiasticis, sicuti per textum *in cap. Litteras, de juramento calumniæ*: verum juxta recentiorem juris Pontificii dispositionem Procurator tenetur illud emittere in causis etiam Ecclesiasticis, uti textus *in cap. Si de calumnia* §. *Quamvis, eod. tit. in 6.* Quocirca debebit etiam Procurator in causis Beatificationis & Canonizationis dictum præstare juramentum, sicuti tradit Contelorius *de Canonizat. SS. cap.* 25. *num.* 54. & forma hujus juramenti, licet haud præscripta in litteris remissorialibus, vel in decretis, esse potest ea, quæ sequitur: *Ego N. N. Procurator specialiter a N. N. constitutus in causa Beatificationis & Canonizationis Venerabilis Servi Dei N. tactis sacrosanctis Dei Evangeliis coram me positis, juro & promitto, me non accessisse, non accedere, neque deinde accessurum ad hanc causam, & confectionem processus ejusdem, nec ad aliquem illius actum timore, odio, amore, seu aliquo alio interesse, aut respectu humano, sed solum zelo honoris & gloriæ Dei, qui laudatur & glorificatur in Sanctis suis: & hanc eadem intentionem habuerunt & habent N. N.* (hic explicentur, qui Procuratorem constituerunt) *pro quibus, & in eorum animas juro. Sic me, & dictos meos Principales Deus adjuvet, & hæc sacrosancta ejus Evang. gelia.* Quid autem dicendum erit, si hoc juramentum calumniæ non fuerit a Procuratore emissum? Erit ne nullus propter ejus defectum processus? Respondendum est distinguendo: aut enim Fidei Subpromotor opposuit illius præstationem, aut non oppositi. Si non oppositi, processus est validus, etiamsi deficiat juramentum calumniæ, uti probat textus *in cit. cap. Si de calumnia* §. *Propter omissum*, ibique Passerinus *num.* 18. *& seqq. de juram. calumn. in 6.* Rota *decis. 4. de juramento calumniæ in antiquis*, Adden. ad Ludovis. *decis.* 257. *num.* 23. Secus vero se habet res, quando fuit oppositum a Fidei Subpromotore de juramenti præstatione, idque præstitum non fuit: in hoc quippe rerum statu processus *nullitatis* vitio laborat, ut in hisce causis adnotarunt Rosa *in addit. ad tract. de Execut. litter. Apostol. num.* 307. *& seqq.* Pignatellus *consult.* 241. *vel* 243. *juxta varias editiones t.* 1. & Auditores Rotæ in relatione S. Hyacinthi *cap.* 2. §. *Calumniæ juramentum.* Et profecto cum hac distinctione semper processit sacrorum rituum Congregatio, & signanter in causis Veneta, seu Mediolanen. Servi Dei (nunc Beati) Hieronymi Æmiliani, referente Cardinali Antonio Barberino; Salamantina S. Joannis a Sancto Facundo, referente Cardinali de Aragonia; Granaten. S. Joannis de Deo, referente Cardinali Fachenetto; Florentina Servi Dei Hippolyti Galantini, referente Cardinali Sforzia; &, dum fungebar munere Fidei Promotoris, Panormitana Servi Dei Aloysii La Nuza, & Brasilien. seu Bajen. Servi Dei Josephi de Anchieta 9. Augusti 1721.

4. Testes inducuntur a causæ Procuratore, qui petere debet a Judice, ut citentur. Subinde Judex dimittit *citationem*, seu mandat, ut citentur. Post hæc Cursor seu Nuntius singillatim unumquemque testem debet citare personaliter, si reperiri possit; sin minus dimissa *citationis* copia affixa ad ostium domus: tum autem, quando Cursor refert in Actis coram testibus, se testem citasse, Notarius tenetur hanc relationem inter Acta referre. Hic est mos, qui in quocumque judicio servatur, & consequenter etiam in confectione processuum in hisce causis Beatificationis & Canonizationis, uti late exponit Pater Ceparius *in direct. Canoniz. par.* 2. *cap.* 8. Ad ejus ergo normam tum inductio, tum *citatio* sunt necessariæ; alias testes dicerentur ultronei, & consequenter inepti ad probandum, ut in his causis, loquendo de inductione, animadverterunt Rotæ Auditores in relatione S. Thomæ de Villanova *tit. de processu Valentino*, post Contelorium *de Canonizat. SS.* animadversa autem *citatione* testium iidem Auditores prosequuntur in relatione S. Joannis de Deo *tit. de processu Granatensi* §. *Deinde vigore*, & in relatione Servi Dei Juliani a Sancto Augustino *cap.* 2. *de processu remissoriali* §. *Ceterum*. Solummodo admitti possent testes non citati, si fuissent a Parte inducti, vel moniti fuissent a Judice, ut se examini subjicerent: hisce siquidem circumstantiis efficitur, ut, sicuti testes dici non possunt ultronei, ita eorum examen rejici non valeat sub obtentu, quod *citatio* defuerit; quemadmodum in hisce causis Beatificationis & Canonizationis docuerunt Matta *de Canonizat. SS. part.* 4. *cap.* 20. *num.* 8. & Rosa *in addit. ad tractat. de Executor. litter. Apostol. a num.* 107. *usq. ad num.* 109. Concordat Farinaccius loquens de jure communi *in tractat. de testib. quæst.* 80. *oppositi.* 34. *per tot. & signanter num.* 11. & 12. atque adeo in sacrorum rituum Congregatione pluries vindicata fuit oppositio excitata a Fidei Promotoribus, quod testes non fuissent citati, allegata a Postulatoribus responsione, quod fuerant a Procuratore inducti, vel quod fuerant moniti a Judice, ut se examini subjicerent. Ita enim observatum fuit in causa Li-

UAB Biblioteca de Ciències Socials

mana Beatificationis & Canonizationis S. Franciſci Solani ſuper validitate proceſſuum, referente Cardinali Chiſio, & in Toletana Servi Dei Alphonſi de Oroſco pariter ſuper validitate proceſſuum, referente Cardinali Franciſco de Judice.

5. Monachi, & Regulares cum non habeant velle, aut nolle, cumque eorum voluntas a Superiorum ſuorum voluntate dependeat, hinc eſt, quod, præter eorum *citationem* & inductionem, eorumdem etiam Superiorum licentia requiritur, ut teſtimonium ferre poſſint. Sed, ſi eadem non fuerit petita, non proinde examen eſt nullum, aut quidquam fidei ipſorum dictis detrahitur; uti late docet Farinaccius *de teſtib. quæſt. 61. num. 130. & ſeq.* & in hiſce cauſis Beatificationis & Canonizationis Pignatellus *conſult. 191. tom. 1.* & Matta *de Canonizat. SS. part. 4. cap. 17. num. 14.* Quod etiam paſſim fuit admiſſum a Rotæ Auditoribus, & ſignanter in relatione S. Didaci §. *Nec refert*, & in relatione S. Franciſcæ Romanæ *part. 1. art. 7.* atque a ſacrorum rituum Congregatione, ſignate vero in Limana S. Thuribii ſuper validitate proceſſus, referente Cardinali Flavio Chiſio; in alia Limana S. Franciſci Solani ſuper validitate proceſſus remiſſorialis, & compulſorialis, eodem referente Cardinali; in Veneta, ſeu Mediolanen. Servi Dei (tunc Beati) Hieronymi Æmiliani ſuper validitate proceſſuum, referente Cardinali Antonio Barberino; in Salamantina S. Joannis a S. Facundo ſuper validitate proceſſuum, referente Cardinali de Aragonia; in Florentina S. Mariæ Magdalenæ de Pazzis ſuper validitate proceſſuum, referente Cardinali Azzolino; in Ulyſſiponen. Servi Dei Antonii a Conceptione ſuper validitate proceſſuum, referente Cardinali Sigiſmundo Chiſio; in Majoricen. Servæ Dei Catharinæ Thomaſiæ ſuper validitate proceſſuum, referente Cardinali Franciſco Barberino; &, dum munere fungebar Fidei Promotoris, in Romana, ſeu Terracinen. Servi Dei Caroli a Setia ſuper validitate proceſſuum, referente clar. mem. Cardinali Gabriellio; & in Braſilien. ſeu Bajen. Servi Dei Joſephi de Anchieta 9. Auguſti 1721. referente clar. mem. Cardinali Imperiali.

6. Teſtis jurare debet. Teſtis enim non juratus neque de jure Civili probat, neque de jure Pontificio. De jure Civili eſt textus *in l. Juris-jurandi*, ubi: *Juris-jurandi religione teſtes, priuſquam perhibeant teſtimonium, jamdudum arctari præcipimus, C. de teſtibus*: de jure autem Pontificio eſt pariter textus *in cap. Nuper, eod. tit. de teſtibus*, ubi: *Reſpondemus, quod nullius teſtimonio, quantumcumque religioſus exiſtat, niſi juratus depoſuerit, in alterius præjudicium debet credi*. Porro in hiſce cauſis Beatificationis & Canonizationis vulgatum eſt, in juramento reſidere ſubſtantiam depoſitionis teſtis; quemadmodum adnotarunt Rotæ Auditores in relatione S. Thomæ de Villanova *tit. de proceſſu Valentino* poſt Contelorium *de Canonizat. SS.* in relatione S. Joannis de Deo *tit. de proceſs. Granaten. §. Deinde vigore*; in relatione Servi Dei Juliani a S. Auguſtino *cap. 2. de proceſſu remiſſoriali §. Ceterum*: in relatione S. Mariæ Magdalenæ de Pazzis *tit. de validit. proceſs. §. Validitas*: & in relatione S. Franciſcæ Romanæ *part. 1. art. 2.* Et ſane forma juramenti præſtandi a teſtibus, qui in cauſis Beatificationis & Canonizationis examinantur, typis impreſſa eſt poſt decreta noviſſima ſan. mem. Innocentii XI. & inferitur in litteras remiſſoriales, eaque eſt hujuſmodi: *Ego infraſcriptus, tactis ſacroſanctis Evangeliis coram me poſitis, juro dicere veritatem tam ſuper interrogatoriis, quam ſuper articulis, ſuper quibus examinabor, necnon ſervare ſecretum, nec alicui penitus revelare tam contenta in iiſdem interrogatoriis, quam reſponſiones ac depoſitiones a me factas ſub pœna perjurii & excommunicationis latæ ſententiæ, a qua non niſi a ſummo Pontifice, excluſo etiam majori Pœnitentiario, præterquam in mortis articulo, abſolvi poſſim. Et ita promitto & juro: ſic me Deus adjuvet, & hæc ſancta Dei Evangelia.*

7. In formula Remiſſoriæ, inque Urbani VIII. decretis nonnulla continentur de modo, quo teſtes jurare debent, & de qualitate addita ſervandi ſecretum: quamobrem operæ pretium eſſe videtur hic quoque nonnulla addere de modo & qualitate prædicta. Quod ergo attinet ad modum juramenti, juramentum tactis ſacroſanctis Evangeliis, utpote majorem ingerens ſpeciem religionis, magis etiam aptum eſt ad teſtes a perjurio retrahendos ex late & erudite congeſtis ab Anaſtaſio Germonio *de Sacror. immun. lib. 1. cap. 20.* Item, quamvis æque perjurus ſit, qui falſum jurat, adhibito ſimplici juramento, ac ille qui falſum jurat, tactis ſacroſanctis Evangeliis; major tamen pœna a legibus aliquando conſtituitur adverſus eos, qui falſum jurant ſecundo, quam primo modo, ut apud *Covarr. ad cap. Quamvis pactum, part. 1. §. 1. num. 1. de pactis in 6.* Sane de jure eſt ut ſoli Epiſcopi jurent, propoſitis, non autem tactis ſacroſanctis Evangeliis, major ad pectus admota, juxta textum *in cap. Cum in cauſa, de juramento calumniæ*, eodemque modo de conſuetudine jurant ſimplices Presbyteri, juxta deducta apud Antonium Del Re *de juramento calumniæ cap. 15. num. 351.* & Præſules quoque Romanæ Curiæ non Sacerdotes, teſte Campanillo *in diverſ. jur. Canonic. rubr. 11. cap. 19. num. 23.* quibus cohærenter in Beatificationum & Canonizationum cauſis Sacerdotes olim jurabant, tacto pectore, laici autem, tactis ſacroſanctis Evangeliis, ut habetur in relatione B. Gregorii X. *tit. de proceſſib. remiſſorial. & compulſorial.* in relatione S. Andreæ Avellini *tit. de validit. proceſſuum §. Coram Judicibus*, in relatione S. Philippi Benitii, & in relatione S. Eliſabeth; & ab aliquibus tantum pro majori cautela ſuaſum erat, ut in eiſdem cauſis Sacerdotes jurarent, tactis ſacroſanctis Evangeliis, ſicuti apud Ceparium *in director. Canonizat. lib. 3. cap. 9.* Hodie tamen, exceptis Cardinalibus, & Epiſcopis, omnes teſtes, etiam Sacerdotes, jurant tactis Evangeliis juxta novam formulam Remiſſoriæ: *Receptoque prius in manibus veſtris ab ipſis teſtibus, cujuſcumque gradus, ſtatus, ſexus, & conditionis, etiam Sacerdotibus, exceptis Epiſcopis, exiſtant, juramento, tactis ſacroſanctis Evangeliis coram vobis ipſis poſitis, & non alias aliter, nec alio modo, de veritate dicenda:* & juxta decreta Urbani VIII. *Juramentum præſtetur, tactis ſacris Scripturis, ab omnibus teſtibus etiam Sacerdotibus, & Prælatis, exceptis Cardinalibus, & Epiſcopis, quorum juramentum ſufficiat, tacto pectore*. Quæ omnia ſtatuta dici debent ſub pœna *nullitatis* non ſolum ex natura Remiſſoriæ, & in ſequelam decreti irritantis in eam inſerti; ſed etiam quia, quando, prout hic, præſtatio juramenti, tactis ſacroſanctis Evangeliis, eſt de forma, ſi tactus Evangeliorum omittatur, actus eſt nullus, uti tradit Abbas *in cap. Fraternitatis, ſub num. 13. de teſtibus & atteſtationib.*

8. Quod autem ſpectat ad qualitatem ipſam juramenti de veritate dicenda & de ſervando ſecretum, nonnullorum erat opinio, inter conditiones juramenti judicialis eam etiam de ſervando ſecretum a jure communi eſſe teſtibus impoſitam, ad text. *in can. Si teſtes, §. Qui falſo, qu.* 3. utque adnotarunt *in cap. Fraternitatis* Abbas *num. 13.* Joannes Andreas *nov. 15.* Felin. *num. 12. de teſtibus*, Speculator *eod. tit. §. Sequitur, num. 2.* Contendebant alii, id non eſſe de jure præſcriptum, cum circumſtantiæ de ſervando ſecretum non meminerint Gloſſa *in cit. cap. Fraternitatis, v. Juramentis*, nec Bellamera *num. 2.* nec Baldus *num. 12.* nec Butrius *num. 21. de teſtib.* Ad rem, de qua nunc agimus, ponderari poſſet epiſtola *circularis* ad Patriarchas, Archiepiſcopos, & Epiſcopos in ſuperioribus relata: cum in ea præſcribatur Notario & teſtibus Juramentum de non indicando cuicumque perſonæ, quidquid ſcripſiſſent, vel quidquid depoſuiſſent, aut de quibus fuiſſent interrogati. Sed, utcumque hoc ſit, cum eadem epiſtola ſit coercita intra proceſſus auctoritate ordinaria conficiendos, & careat decreto irritante, ita ut *nullitatis* vitio laborare nullo modo dici poſſint proceſſus ordinarii, licet teſtes in eis examinati non juraverint de ſervando ſecretum, ſed ſolum juraverint de veritate dicenda, uti plures cenſuit ſacrorum rituum Congregatio; qualitas omnino neceſſaria juramenti non ſolum de veritate dicenda, ſed etiam de ſervando ſecretum, eſt referenda ad ſupradictam novam formam juramenti editam anno 1678. in decretis ſan. mem. Innocentii XI. eodem anno promulgatis. Quare occaſione diſputationis de validitate proceſſuum in cauſa Romana, ſeu Viennen. Servi Dei Patris Dominici a Jeſu Maria Jacobus Saxius, qui plurium annorum ſpatio laudabiliter functus eſt officio Notarii Congregationis ſacrorum rituum, hanc fecit atteſtationem, *Io infraſcritto Notajo, Cancelliere ed Archiviſta della Congregazione de' ſacri riti faccio fede ed atteſto, anche con giuramento, come dall' anno 1664. ſino all' anno 1678. mi ſono rogato, come Soſtituto dell' Officio allora cantante in perſona del quondam Signor Pini, di diverſi proceſſi di Beatificazione e Canonizzazione de' Servi di Dio fabbricati qui in Curia, tanto authoritate ordinaria, come Apoſtolica, e negli ultimi anni di detto tempo li faccio rogare dal quondam Melchiorre Petrucci mio cugino, per*

eſſere

essere io stato occupato nell' esercizio di detto mio Offizio, ed in tutti ho praticato e visto praticare, che i testimonj esaminati in detti processi non hanno prestato altro giuramento, che de veritate dicenda, e non altrimenti de secretum servando, quale s'è solamente cominciato a dare e prestare dal suddetto anno 1678. nel quale furono pubblicati i novissimi decreti della santa memoria d' Innocenzo XI. ed ho osservato, che lo stesso modo s'è praticato dagli altri Notaj, che hanno assistito alla fabbricazione di detti processi si in detto tempo, come prima; ed anche ho visto ed osservato, che in tutti i processi esibiti negli Atti di detta Sacra Congregazione fabbricati prima di detti novissimi decreti si è praticato il medesimo stile di prestare il giuramento de veritate dicenda solamente, e non altrimenti quello de servando secretum. In fede &c. questo dì 27. Febbrajo 1699.

Io Giacomo Sassi attesto per verità quanto sopra mano propria.

9. De *citatione*, & juramento quæritur, an fieri & expleri possint die feriata. Nonnulli dicunt, *citationem* non valere, si facta sit die feriata in honorem Dei & Sanctorum; secus autem, si facta sit die feriata in utilitatem hominum. Alii in *citatione* tres actus distinguunt, *commissionem* scilicet Judicis, Nuntii *citationem* seu denuntiationem *citationis*, & relationem; tum dicunt, *commissionem* non valere die Dominica, & feriata, sed valere executionem & relationem Nuntii. Porro, loquendo de hisce causis Beatificationis & Canonizationis, cum ipsæ tendant in honorem Dei & Sanctorum, prædicti tres actus validi censendi sunt, licet facti die feriata: etsi, ad evitandas difficultates, disputationes & oppositiones, melius est ab hisce omnibus abstinere diebus Dominicis, ceterisque feriatis in honorem Dei & Sanctorum, quemadmodum bene prosequitur Ceparius *direct. Canoniz. lib.* 4. *c.* 8. Loquendo autem de examine testium, non debet id fieri die feriata in honorem Dei & Sanctorum, ut habet textus *in cap. final. de feriis*. Et sane, licet nonnulli velint, examen fieri posse etiam die feriata, si juramentum delatum fuerit antecedenti die juridica, quemadmodum prosequitur P. Ceparius *cit. lib.* 3. *cap.* 9. id tamen non videtur tutum esse, eo maxime, quia, etiamsi testis juraret antecedenti die juridica, ut plurimum iterum jurat, quando accedit ad examen, ut videbitur: ad quod proinde rerum thema aptari nequit propositio eorum, qui ut probent posse fieri examen die feriata in honorem Dei & Sanctorum, si juramentum fuerit antea emissum die juridica, fingunt retrogressum examinis ad diem juramenti; veluti, ceteris cumulatis, recte ponderat Schmalzgrueber *ad lib.* 2. *Decr. tit. de feriis num.* 41. *& seq.* Item examen fieri debet die, & non nocte juxta textum *in cap. Consuluit, de offic. & potest. Judicis deleg.* attamen, si fieret nocte, examen hac de causa nullum dici non posset, teste Glossa *ad cit. textum*; & multo minus, quando examen die inceptum per aliquot noctis horas protractum fuisset, uti perpensum fuit in sacrorum rituum Congregatione, dum fungebar munere Fidei Promotoris, in causa Sancti Flori in Gallia Servæ Dei Agnetis a Jesu 9. Decembris 1719.

10. Censent nonnulli, nullum esse inconveniens in hoc, quod duo, aut plures testes insimul jurent, ut apud Pignatellum *consult.* 216. *vel, juxta aliam editionem, consult.* 218. *tom.* 1. Alii autem dicunt, testes debere separatim, & non turmatim jurare, ut Contelorius *de Canoniz. SS. c.* 25. *num.* 65. Usus quidem est, ut testes insimul jurent, id est unica die, sed successive in loco destinato, præsentibus Judicibus, & Subpromotoribus, per diem ante examen, uti firmant Ridolphinus *in praxi num.* 81. & uti in his causis Beatificationis & Canonizationis adnotavit Rosa *in addit. ad tract. ad Executor. litter. Apostol. num.* 109. *&* 110. exceptis testibus ex officio supra memoratis, qui jurant in ipso actu examinis, sicuti observavi in pluribus processibus factis in Urbe. Aliique pariter testes, qui jurant per diem ante examen, debent iterum, cum singillatim examinantur, jurare, quemadmodum prosequitur Rosa *loc. cit. num.* 111. *& num.* 167. Sed, si non jurassent per diem ante examen, sed solum jurarent tempore, quo examinantur, non propterea hæc pars examinis minus recta, aut minus rite peracta, aut nulla dicenda esset; præcipue vero, si Fidei Subpromotor non opponeret, uti post Rosam *loc. cit.* prosequitur Pignatelli. *consul.* 215. *aut* 217. *juxta varias editiones tom.* 1. Et hæc etiam est opinio sacræ Congregationis, quæ fuit admissa in causa Japonen. Declarationis Martyrii Alphonsi Navarettæ & Sociorum super validitate processuum Matritensis, Manilensis, & Machaensis; & in Limana Beatificationis S. Francisci Solani super validitate processuum, referente Cardinali Flavio Chisio; in Valentina S. Paschalis de Baylon super validitate processus Valentini, referente Cardinali de Maximis; in Ulyssiponen. Servi Dei Antonii a Conceptione super validitate processuum, referente Cardinali Sigismundo Chisio; in Florentina S. Mariæ Magdalenæ de Pazzis super validitate processuum, referente Cardinali Azzolino; in Salamantina S. Joannis a S. Facundo super validitate processuum, referente Cardinali de Aragonia; & dum munere fungebar Fidei Promotoris, in Segobien. S. Joannis a Cruce super dubio validitatis processuum Conimbricensis, & Cordubensis 22. Augusti 1716. referente Cardinali Origo; & in Brasilien. seu Bajen. Servi Dei Josephi de Anchieta 9. Augusti 1721. De jure siquidem communi requiritur, ut vel testis juret statim ante examen, vel juret statim ac examen absolutum fuit; dummodo, si juret post examen, non juret requisitus, sed sponte sua, ne, si requisitus juraret, præsumi posset, eum id facere propter erubescentiam; ut habet Misingerus *cent.* 4. *obser.* 77. Quare licet in formula Remissoriæ legatur, *Receptoque prius in manibus vestris ab ipsis testibus &c. juramento, tactis sacrosanctis Evangeliis coram vobis ipsis positis*; hæc tamen verba non imponunt necessitatem juramenti præstandi per diem ante examen, sed stant ad exclusionem juramenti post examen præstandi ad normam modo memoratæ dispositionis juris communis. Ideoque Prosper Bottinius Fidei Promotor, in suis animadversionibus factis in causa S. Felicis a Cantalicio super validitate processus Romani, referente clar. mem. Cardinali Colloredo, inquit: *Non requiritur de jure communi, quod emittatur juramentum per diem ante, sed ex quodam stylo Curiæ, uti observat Salustius in praxi, ubi ait, etiam in Curia sufficere juramentum in actu examinis, Parte non opponente*. Cum eodem sensu processit sacrorum rituum Congregatio, dum fungebar munere Fidei Promotoris, in causa Licien. Servi Dei Realini 13. Maji 1719. in causa Florentina S. Julianæ de Falconeriis 23. Januarii 1723. & in Segobien. S. Joannis a Cruce 15. Julii 1724. necnon post dimissum a me Promotoris officium, in causa Servi Dei Joannis Leonardi 17. Julii 1734.

11. Quid autem dicendum erit, si testis, qui juravit, non absolvit examen? Tenetur ne iterum jurare, quando examen resumitur? Porro satius est, si juramentum iteretur, ut in progressu examinis testis eo fortius a mendacio retrahatur, juxta plene adnotata per Rosam *in addit. ad tr. de Executor. litter. Apostolic. num.* 269. Verum de stricto juris rigore loquendo, non est hæc juramenti iteratio necessaria, nisi in casu, in quo testis producatur super novis articulis, ad quos præcedens juramentum non extenditur, ut monet Abbas *in cap. Fraternitatis, num.* 1. *de testibus*; vel nisi magna temporis intercapedo inter primam & secundam depositionem intercessisset, ut Baldus *in alleg. cap. Fraternitatis, num.* 1. *de testibus*; vel nisi res esset de duplici petitione, seu duplici judicio, primo videlicet, & appellationis; & in utroque idem testis esset examinandus, ut Farinaccius *de testib. qu.* 74. *n.* 52. & ideo in re nostra de teste, qui deposuisset in processu coram Ordinario, quique in Apostolico repeteretur, uti Pignatellus *consul.* 217. *tom.* 1. Quas limitationes in ipso rei eventu Congregatio sacrorum rituum secuta est; in causa videlicet Mexicana Servi Dei Sebastiani de Apparitio super validitate processuum, referente Cardinali Carpineo; & in Neritonen. Servi Dei Joseph a Cupertino super validitate processuum, referente Cardinali Costaguto, necnon, dum munere fungebar Fidei Promotoris, in Bisinianen. Servi Dei Humilis de Bisiniano super validitate processuum remissorialium 22. Augusti 1716. referente Cardinali Fabrono, & in Forolivien. S. Peregrini Latiosi super validitate processuum Forolivensis, & Tifernatis 17. Septembris 1716. referente Cardinali Barberino.

12. Superest probatio præstiti juramenti. De jure scilicet communi si Notarius *enuntiative* dicit, *Testis juratus*; & *enuntiative* pariter dicit, *Tactis Scripturis*; id non sufficit, ut probata asseri possit præstatio juramenti, vel ut probatum asseri valeat, id fuisse emissum, tactis sacrosanctis Scripturis, uti tradunt Gratian. *discept. 60. num.* 11. Verall. *decis. 295. part.* 3. Rota *decis.* 532. *n.* 2. *& num.* 5. penes Posth. *de manut.* & coram Cavalerio *decis.* 322. *num.* 3. utque in præsenti Canonizationis materia late prosequuntur Rotæ Auditores in relatione S. Jacobi de Marchia *tit. de validit. proces.* Nea-

Neapolitani §. *De mandato*: nisi forte juramentum enuntiatum esset, expresso termino, & die cadentis *citationis* ad videndum jurare, vel ageretur de testibus examinatis coram Judice cum interventu Partis adversæ, vel alia concurrerent adminicula suadentia re ipsa habitam *effectivam* juramenti præstationem, tunc enim per solam enuntiativam Notarii, *Testis juratus*, probatum dici posset juramentum una cum tactu sanctorum Evangeliorum, uti Gratian. *discep.* 60. *num.* 14. *& seqq.* adden. ad Buratt. *decis.* 148. *num.* 12. Seraphin. *decis.* 857. *num.* 25. *&* 26. Rota *decis.* 532. *num.* 15. penes Posth. *de manut.* utque in hac eadem materia Canonizationis firmant Rotæ Auditores in allegata relatione S. Jacobi de Marchia *loc. cit.* Oportet ergo de jure communi, ut Notarius non *enuntiative*, sed *dispositive* dicat, testem juratse; nec sufficit, ut *dispositive* asserat, testem juratse, nisi addat, juratse, tactis sacrosanctis Evangeliis; eo quia tactus hic est necessarius ad juramentum, de quo nunc agimus, juxta Glossam *in cap. Ut circa*, *v. Præstito*, *de Elect. in* 6. & juxta firmata per Verallum *decis.* 123. *&* *decis.* 246. *part.* 2. Aliquando tamen hic rigor remissus est, & insimul admissum, ut, asserente *dispositive* Notario, testem juratse, præsumi possit, præstitum fuisse juramentum, tactis sacrosanctis Scripturis, etiamsi de tactu Notarius mentionem non fecisset, sicuti Rota *decis.* 368. *num.* 5. coram Ludovis. *decis.* 532. *num.* 8. penes Posth. *de manut.* & in præsenti Canonizationis materia Contelor. *de Canoniz. SS. cap.* 25. *num.* 65. atque Auditores Rotæ in relatione S. Raymundi *art.* 2. §. *De juramento testium*. Quæ porro omnia eo potius admissa fuerunt, vel quando Notarius *dispositive* asseruit, testes *in forma* juratse, vel *servata juris forma*, ut in relatione causæ S. Hyacinthi §. *Unde cessat*; vel quando testes jurarunt intra terminum constitutum, & coram Judicibus, ut in relatione S. Caroli Borromæi *tit. de valid. processuum par.* 1. §. *Tertio respectu*, in relatione causæ S. Franciscæ Romanæ *part.* 1. *ar.* 4. §. *Neque obstare*, & in relatione causæ B. Josaphat *tit. de processuum validit.* §. *Cui objectio*. Verum cum hodie sit præscripta forma juramenti præstandi a testibus, eademque inseratur in litteras remissoriales, probatio juramenti præstiti constituenda est in assertione Notarii non modo *dispositive* juramenti præstationem testantis, sed etiam præstationem, tactis sacrosanctis Evangeliis, & juxta formam infertam in remissoriales, & expressis verbis, quibus unusquisque testis juravit consentanee cum prædicta forma; idemque dicendum est de probatione juramenti a Judicibus, a Subpromotore, & a Protonotario in Curia præstandi. Quod autem attinet ad juramentum præstandum a Notario Actuario de fideliter munus suum exercendo, animadvertendum est, de eo constare debere per *rogitum* alius Notarii ad hoc adhibendi; quemadmodum habetur in relatione causæ S. Cajetani *tit. de processibus*, & in relatione causæ S. Mariæ Magdalenæ de Pazzis *tit. de validit. process.*

13. In superiori capite 43. *num.* 20. ubi actum fuit de testibus ex officio examinandis juxta decreta Innocentii XI. in processibus qui fiunt sive auctoritate ordinaria, sive actoritate delegata, diximus, de eadem re Nos iterum esse locuturos. Decreta Innocentii XI. relata in appendicibus ita loquuntur: *Animadvertens eadem sacra Congregatio, quod necessarium sit, ut processus auctoritate ordinaria fabricandi conficiantur cum maxima diligentia, censuit, mandari locorum Ordinariis, ut ultra testes inductos a Postulatoribus, teneantur ipsi quoque inquirere ac examinare alios testes bene instructos super vita & moribus Servi Dei, &, si aliquid repererint in contrarium, quod ipsis videatur relevans, supersedeant in ulteriori inquisitione, donec sacra Congregatio ab eis certiorata per litteras mandet quid agendum sit. Hujusmodi diligentias servari vult etiam in processibus auctoritate Apostolica faciendis a Judicibus delegatis, quibus per litteras particulares sacræ Congregationis cuivis commendari debeat; & idem faciat Promotor Fidei in litteris scribendis Subpromotoribus.* Decreta hæc non habent locum in confectis antea processibus, vel antequam decretorum notitia ad locum perveniisset, in quo processus confecti sunt; uti bene deliberavit sacrorum rituum Congregatio in causa Constantien. Beati nunc Sancti Fidelis a Sigmaringa 23. Januarii 1723. & in causa Limana Canonizationis S. Thuribii 10. Martii 1725.

14. Juxta alibi dicta, plures processus fiunt ab Ordinariis, super fama videlicet virtutum & miraculorum, super fama Martyrii & super obedientia decretis Urbani VIII. Ex littera vero decretorum nihil aliud habetur, nisi quod testes ex officio examinentur super vita & moribus Servi Dei: in quo rerum themate insurgere potest rationabilis difficultas, an lex testium ex officio inducendorum comprehendat processus, qui fiunt ab Ordinariis vel super paritione decreris, vel super fama Martyrii. Si sermo sit de processibus, qui fiunt ab Ordinariis super paritione decretis, concludendum esse videtur, eos bene se gerere, si etiam in confectione horum processuum testes ex officio examinent, cum in re, de qua nunc agitur, omnes possibiles diligentiæ sint adhibendæ; sed nihil admittere contra decreta, si omittant examen testium ex officio, cum nec littera, nec ratio decretorum comprehendant hujus generis processus, qui non fiunt super vita & virtutibus, sed super facto cultus non exhibiti, vel exhibiti per tempus immemorabile, aut ex indulto summorum Pontificum. Si vero sermo sit de processibus, qui fiunt ab eisdem Ordinariis super fama Martyrii, dicendum esse videtur, eos debere examinare testes ex officio; quamvis enim littera decretorum de Martyrio non loquatur, ratio tamen eorumdem decretorum causas Martyrum complectitur, cum ex alibi dictis in causis Martyrum dubium de Martyrio & causa Martyrii æquivaleat dubio de virtutibus in causis Confessorum.

15. Rursus sæpe memorata decreta Innocentii XI. utpote restricta ad vitam & mores, seu virtutes Servorum Dei, & ex identitate rationis comprehensiva etiam Martyrii, nullum verbum faciunt de miraculis, in quibus non ita facile inveniri possunt alii testes, præter eos qui a Postulatoribus inducti sunt: ex quo proinde rationabilis insurgere potest difficultas, an in processibus, qui fiunt auctoritate ordinaria super fama virtutum & miraculorum, & in quibus virtutes, Martyrium, & miracula in particulari aliquando referuntur, testes ab Ordinario ex officio examinandi sint non solum super virtutibus, aut Martyrio, sed etiam super miraculis.

16. Attenta littera decretorum, & attenta etiam difficultate reperiendi alios testes super miraculis præter inductos a Postulatoribus, probabile negativum responsum esse posse videtur. Editum autem est a san. mem. Clemente XII. de hac re decretum, quod speciali videtur examine indigere. En verba decreti:

DECRETUM GENERALE.

UT causæ Beatificationis & Canonizationis Servorum Dei pari diligentia, & consueto Apostolicæ Sedis rigore peragantur, sacrorum rituum Congregatio ad evitandas in posterum Postulatorum earumdem causarum excusationes & effugia, præsenti decreto jubet ac præcipit, ut sicut in processibus, qui fiunt super virtutibus Servorum Dei ex præscripto sanctæ memoriæ Innocentii Papæ XI. testes ex officio sub pœna nullitatis a Judicibus sive ordinariis sive delegatis examinari debent, ita iidem testes ex officio in processibus etiam super miraculis omnino examinentur juxta normam in litteris remissorialibus contentam & expressam; sub eadem pœna nullitatis prædictorum processuum, qui sine examine testium ex officio etiam super miraculis in posterum fient. Et ita decrevit &c. Hac die 21. *Martii* 1733. *Factaque per me Secretarium de hac re Sanctissimo Domino nostro relatione, Sanctitas sua decretum sacræ Congregationis approbavit, & servari mandavit. Die* 28. *ejusdem mensis & anni.*

17. Vix edito decreto, excitatæ sunt Postulatorum querelæ asserentium, in praxi fore difficillimum alios testes præter a se inductos super miraculis invenire. Oportet, querelam hanc non fuisse destitutam fundamento. Cumque super ea datæ a Nobis tunc fuerint litteræ ad unum ex principalioribus Ministris sacræ Congregationis rituum, ipse respondit, rigorosum videri posse decretum, sed juxta mentem sacræ Congregationis viam aperiri æquitari in hoc casu, quod, si perquisitis testibus ex officio super miraculis doceatur, eos non fuisse inventos a Judicibus, & probationes de inquisitione, & non inventione in suos processus inferantur, id sufficiat, ne traducantur tanquam inobedientes Clementino decreto.

18. Hoc ipsum Clementinum decretum supponere videtur, deficientiam testium ex officio in processibus, qui fiunt ab Ordinariis super fama virtutum, efficere, ut processus nullitatis vitio laborent, quod adversatur iis, quæ supra dicta sunt *cap.* 43. *num.* 20. ubi firmatum est, nullitatis vitio non laborare processus qui fiunt ab Ordinariis, si testes ex officio deficiant, & contra ex eorum defectu nullos esse processus qui fiunt auctoritate Apostolica; idemque decretum efficere videtur, ut nullitatis vitio laborent processus qui fiunt ab Ordinariis super miraculis, si non adsint testes ex officio, quod adversatur dictis *superiori paragrapho* 16. ex quibus

proin-

proinde insurgit necessitas sensum perpendendi prædicti decreti.

19. Ante omnia autem operæ pretium esse censemus in memoriam Postulatorum revocare, quæ a Nobis dicta sunt *in superiori cap. 43. num. 21.* expedire videlicet, ut processus conficiendi ab Ordinariis super virtutibus, Martyrio, aut super miraculis, conficiantur adhibitis omnibus solemnitatibus, quæ observantur in processibus Apostolicis: sæpe quippe præ oculis habere debent, vix hodie ullam Beatificationis & Canonizationis causam suum felicem progressum habere posse, nisi una cum processibus Apostolicis conjungantur in linea coæqualis probationis deducta in processibus ordinariis, & hanc conjunctionem in linea coæqualis probationis facilius admitti, si processus ordinarii confecti sint adhibitis omnibus solemnitatibus, quæ in processibus Apostolicis adhibentur. Quibus præmissis, nemo est qui non videat, a Postulatoribus omnem lapidem movendum esse, ut ab Ordinariis in suis processibus testes ex officio examinentur super virtutibus, aut Martyrio, & etiam si reperiri possunt, super miraculis. At difficultas in hoc non consistit; consistit autem in perpendendo, an, si in processibus qui fiunt ab Ordinariis, deficiant testes ex officio super virtutibus, aut Martyrio, & miraculis, iidem censendi sint nulli, attento potissimum decreto Clementino.

20. Decretum Clementinum, ut ex proœmio colligitur, editum est *ad evitandas Postulatorum excusationes & effugia*. Sermo utique ibi fit de frivolis, & non de legitimis excusationibus. Non potest ergo ex hoc decreto inferri, statutum fuisse a summo Pontifice, processus Ordinariorum esse nullos deficientibus testibus ex officio super virtutibus, aut Martyrio, & miraculis: licet enim opponente Fidei Promotore nullitatem ex dicta causa promanantem, a Postulatoribus respondeatur, processus ex dicto capite dici non posse nullitatis vitio laborare, tum quia decreta Innocentii XI. præscribentia examen testium ex officio super virtutibus carent decreto irritante, tum quia nullum faciunt verbum de miraculis: hæc tamen non erat, nec est frivola excusatio, sed responsio juri consona, & juri innixa, & pluries antecedenter admissa a sacra Congregatione rituum, quæ summis Pontificibus approbantibus, etiam post decreta Innocentii XI. validitatem processuum ab Ordinariis confectorum admisit, non obstante defectu testium ex officio.

21. Frivola vero erat, & est excusatio Postulatorum, qui opponente Fidei Promotore nullitatem processuum Apostolicorum ex defectu testium ex officio super virtutibus, aut Martyrio, pugnarunt, aut pugnant pro validitate processuum, sub obtentu, quod examen testium ex officio super virtutibus, aut Martyrio, descendit ab Innocentianis decretis, quæ carent decreto irritante: meminisse etenim debuerunt & debent, loquendo de processibus Apostolicis, disposita in decretis Innocentianis inseri in litteras remissoriales, & litteras remissoriales munitas esse decreto irritante: in quo rerum themate de nullitate dubitandum non est, si processus Apostolici super dubio virtutum, aut Martyrii careant examine testium ex officio.

22. Frivola olim utique non fuit, sed ab aliquo tempore frivola evasit Postulatorum responsio, qui opponente Fidei Promotore nullitatem processuum Apostolicorum super miraculis ob defectum testium ex officio, pugnant pro validitate eo fundamento, quod Innocentiana decreta non loquuntur de miraculis, & quod in litteris remissorialibus nullum fit verbum de examine testium ex officio super miraculis. Licet enim non multis abhinc annis in litteris remissorialibus nullum fieret verbum de testibus ex officio examinandis super miraculis, cum tamen paucis abhinc annis consuetudo inoleverit præscribendi in litteris remissorialibus examen prædictorum testium ex officio super miraculis; unusquisque facili negotio dignoscere poterit, legitimam olim fuisse Postulatorum excusationem pugnantium pro validitate processuum Apostolicorum super miraculis, quamvis in eis deesset examen testium ex officio, quando videlicet illud non præscribebatur in litteris remissorialibus; ipsamque frivolam evasisse, postquam in litteris remissorialibus cautum est, ut testes ex officio super miraculis examinentur; quemadmodum bene adnotavit Archiepiscopus Philippensis olim Fidei Promotor in suo voto in causa Romana Ven. Servi Dei Patris Josephi a Matre Dei relato in sacra Congregatione die 24. Novembris 1731. ubi *pag.* 7. ita scripsit: *Sciendum namque est, quod tunc temporis examen testium ex officio in processibus super miraculis non solebat expresse demandari in litteris remissorialibus hujus sacræ Congregationis, ita ut semper locus esset disputationi, an decreta novissima Innocentii XI. illud revera in iis processibus demandarent, necne, & an sub pœna nullitatis processus, vel potius ad abundantiorem cautelam, & per modum simplicis instructionis illud insinuaretur in epistola Promotoris Fidei. Nunc autem in praxi non multis adhinc annis introducta examen testium ex officio etiam in processibus super miraculis conficiendis expresse demandatur per litteras remissoriales hujus sacræ Congregationis.*

23. Posito, quod Clementinum decretum tollat de medio frivolas Postulatorum excusationes, & quod præservet eorumdem responsiones juri innixas, & quod frivolæ sint illæ, de quibus modo sermo habitus est, & legitimæ sint aliæ, de quibus item paulo ante locuti sumus, sua sponte sequitur, validos esse processus etiam post dictum decretum conditos ab Ordinariis super virtutibus, Martyrio, aut miraculis, licet in eis desint testes ex officio, & nullos contra esse processus Apostolicos super virtutibus, Martyrio, aut miraculis, si fuerit omissum examen testium ex officio aut super virtutibus, aut super Martyrio, aut super miraculis, & sic decretum Clementinum non obstare iis, quæ a Nobis alibi dicta sunt; & verum decreti sensum esse, nullos censendos tantum esse processus Apostolicos, qui fiunt nedum super virtutibus, aut Martyrio, sed etiam qui fiunt super miraculis, si in eis desit examen testium ex officio.

24. Absque eo quod quidquam referat adversus hanc decreti explicationem, quod in eo habentur hæc verba: *Jubet ac præcipit, ut sicut in processibus qui fiunt super virtutibus Servorum Dei ex præscripto fan. mem. Innocentii Papæ XI. testes ex officio sub pœna nullitatis a Judicibus sive ordinariis, sive delegatis examinari debent:* quæ verba innuere videntur nullitatem processuum confectorum ab Ordinariis super virtutibus, si in eis desint testes ex officio. Pœna quippe nullitatis non comprehendit processus ordinarios, & Apostolicos, sed Apostolicos tantum; licet decretum de utrisque loquatur. Si enim congrua congruis referenda sunt, & si ex dictis processus ab Ordinariis confecti super virtutibus, aut Martyrio, vel miraculis, non laborant vitio nullitatis, licet deficiant testes ex officio, ex quo decreta Innocentiana carent decreto irritante, & contra nulli sunt processus Apostolici, si desit examen prædictorum testium, ex quo infinuatum examen testium ex officio in decretis Innocentianis assumit naturam legis post insertionem in litteras remissoriales, & omissio nullitatem affert ob decretum irritans, quo litteræ remissoriales munitæ sunt; pœna nullitatis, de qua loquitur decretum, respicere dicenda est non processus ordinarios, sed Apostolicos.

25. Augeturque vis argumenti; quia dicitur in decreto, nullos esse processus, qui fiunt super miraculis, si in eis desit examen testium ex officio, sicuti nulli sunt processus qui fiunt ab Ordinariis, sive a Delegatis super virtutibus, si in eis desit examen testium ex officio: *Jubet & præcipit, ut sicut in processibus qui fiunt super virtutibus Servorum Dei ex præscripto sanctæ memoriæ Innocentii Papæ XI. testes ex officio sub pœna nullitatis a Judicibus sive ordinariis, sive delegatis examinari debent, ita iidem testes ex officio in processibus etiam super miraculis omnino examinentur, juxta normam in litteris remissorialibus contentam & expressam, sub eadem pœna nullitatis prædictorum processuum, qui sine examine testium ex officio etiam super miraculis in posterum fient.* Porro de natura æquiparationis est, ut fiat inter ea, quæ eamdem vim habent & efficaciam. Quando summus Pontifex in decreto loquitur de miraculis, se habet relative ad litteras remissoriales, & sic loquitur taxative de processibus Apostolicis. Oportet ergo, ut, quando loquitur de pœna nullitatis quoad processus qui fiunt sine examine testium ex officio super virtutibus, loquatur de pœna nullitatis causam habente a litteris remissorialibus, in quas inserta est dispositio præscriptorum ab Innocentio XI. & sic ut pœnam nullitatis quoad defectum testium ex officio super virtutibus coarctet ad processus Apostolicos, licet in decreto narrative aliquid innuat de processibus ordinariis; ne æquiparatio facta videatur inter similia, ideft inter Innocentianas Constitutiones quæ carent decreto irritante, & litteras remissoriales quæ decreto irritante munitæ sunt.

26. Abunde, ni fallor, hucusque probatum est, nullitatis vitio carere processus ordinarios, qui fiunt super fama

fama sanctitatis, virtutum, Martyrii, aut miraculorum, vel super obedientia decretis, etiamsi in eis desit examen testium ex officio. Secus autem se res habet, si sermo sit de processibus Apostolicis super virtutibus, Martyrio, aut miraculis, ex quo prædictorum testium examen in litteris remissorialibus præscriptum est: idemque judicium ferendum est de ceteris Apostolicis processibus vel super obedientia decretis Urbani VIII. si fiant auctoritate Apostolica, vel super fama sanctitatis in genere, qui semper fiunt auctoritate Apostolica, si etiam in litteras remissoriales, quarum ope hi processus conficiuntur, inseratur præceptum de testibus ex officio examinandis, prout Nos semper in eas, dum munere Fidei Promotoris fungebamur, inseri curavimus.

27. Denique in sæpe memoratis Innocentii decretis mandatur, ut testes ex officio inquirantur, & a Judicibus inducantur. Sed consuetudo obtinuit, ut hi testes inquirantur & inducantur a Fidei Subpromotore, qui Fisci partes agit, & melius consuevit cognoscere testes, quam Judices ipsi cognoscant. Qui usus admissus est in sacrorum rituum Congregationem, dum munere fungebar Fidei Promotoris, in causa Montis Politiani S. Agnetis 2. Martii 1720. & in causa Florentina Sanctæ Julianæ de Falconeriis 23. Januarii 1723. ac novissime in causa Servi Dei Francisci Caraccioli super validitate processus facti in civitate Neapolitana de quodam miraculo.

CAPUT QUADRAGESIMUMNONUM.

De Testium examine.

1. MULTA sunt quæsita, quæ ad testium pertinent examen. Primum est, an pro validitate processus, & rite peracto examine testium necesse sit, examinari omnes testes, qui fuerunt a Procuratoribus inducti. Aliqui enim affirmando respondent; quia alias præsumeretur, testes inductos, & non examinatos fuisse contra inducentem deposituros, juxta doctrinam Innocentii *in cap. Præsentium, col. 2. vers. Sed quidam dicunt de testib.* Alii distinguunt testes simpliciter inductos a testibus, quibus insuper fuit juramentum delatum: asserendo, primos non esse omnes necessario examinandos, secus autem secundos; cum ratione juramenti res amplius non sit integra, ut adnotavit Capycius *decis. 39.* & secuta est Rota *decis. 549. part. 3. recent.* Ceteri vero existimant, inducenti testes opus non esse, ut omnes examini subjiciantur, nisi in hypothesi, in qua pars adversa instet, ut omnes examinentur; sicuti apud Ursill. *in addit. ad Afflictum decis. 206. num. 10.* Capyc. *in alleg. decis. 39. in fine,* & Rotam *in cit. decis. 549. n. 3. par. 3. rec.* Postrema hæc opinio est in sacram Congregationem recepta. Quocirca, si Procuratores in causis Beatificationis & Canonizationis plures testes induxerint, sed non omnes inductos examinaverint, nullum ex hac omissione præjudicium derivatur, nisi aut Judex conficiens processum, aut Fidei Subpromotor opponat & instet, ut ad aliorum inductorum examen procedatur; ut habet Rosa *in add. ad tract. de Execut. lit. Apostol. a num. 262. ad num. 264.* Eamdem opinionem in facti eventu secuta est sacra ipsa Congregatio in causa Bonon. S. Catharinæ de Bononia super validitate processus in specie, referente Cardinali Fachenetto; in causa Toletana Servi Dei Cardinalis Ximenes super validitate processus Toletani, referente Cardinali Carpineo; in causa Romana, seu Polona Canonizationis S. Stanislai super validitate processuum Romæ, Posnaniæ, Cracoviæ, & Leopoli confectorum, referente Cardinali Rospilioso; &, dum munere fungebar Fidei Promotoris, in Romana Servi Dei Cardinalis Bellarmini super validitate processus Capuensis 3. Februarii 1714. referente Cardinali Fabrono; atque in causa Segobien. S. Joannis a Cruce super validitate processuum Barensis, & Toletani 14. Decembris 1715. & in eadem super validitate aliorum processuum, Conimbricensis videlicet, & Cordubensis, 22. Augusti 1716. referente Cardinali Origo. Ideoque Prosper Bottinius in suis animadversionibus factis in causa Papien. B. Alexandri Saulii super validitate processuum, referente Cardinali Azzolino, ita inquit, sermonem habendo de oppositione excitata, quod non omnes testes inducti fuissent examinati: *Verum quidem est, quod hujusmodi oppositio tum a bon. mem. de Rubeis, quam a me in aliis causis facta fuit semper a sacra Congregatione rejecta, & signanter in Romana, seu Polona Canonizationis B. Stanislai de anno 1669. in Granaten. Canonizationis B. Joannis de Deo de anno 1674. & in Bononien. Canonizationis B. Catharinæ de Bononia 21. Jan. 1678. in qua late fuit huic difficultati satisfactum; unde non puto, quod super ea sit ulterius immorandum.* Nec enim quidquam refert, quod in litteris remissorialibus ut plurimum Judicibus demandatur, ut omnes & singulos testes diligenter examinent; quia sensus horum verborum non est, ut omnes & singuli testes, qui a Postulatoribus inducuntur, sint necessario examinandi; sed quod omnes & singuli, qui examinantur, diligenter examinentur: uti quoque post dimissum a me Promotoris officium admisit sacrorum rituum Congregatio in causa Parisien. S. Vincentii a Paulo 17. Julii 1734.

2. Secundum est, an testes, qui examinantur, possint turmatim examinari. Respondetur autem, de jure esse, ut in causis Beatificationis & Canonizationis testes singillatim examinentur. Mortuo enim Mauritio Abbate Cistercienſis Ordinis, quia supplicatum fuit summo Pontifici Honorio III. ut illum in Sanctorum numerum referret, commisit Papa inquisitionem in ejus vitam & miracula juxta litteras ex ejus regestis desumptas, quæ etiam videri possunt apud Gonzal. *in cap. Venerabili, num. 3. de testib. & attestat.* Cum vero Judices remissoriales non examinassent testes singillatim, sed turmatim, uti prosequitur Gonzal. *loc. cit. num. 5.* idem summus Pontifex aliis commisit examen, stricte ipsis injungendo, ut testes examinarent diligenter, & singillatim, sicuti desumitur *ex cap. Venerabili, de testib. & attestat. in nostra compilatione*, & melius *ex cap. Venerabili, eod. tit. in 5. Compilatione Decretalium*, quam publici juris fecit Innocentius Cironius. Quare regula inconcussa est, ut in causis Beatificationis & Canonizationis testes non turmatim, sed singillatim examinentur; veluti tradunt Pavin. in relatione causæ S. Bonaventuræ *part. 2. art. 4.* Martinus Laudensis *de Canonizatione S. Bernardini §. Rursus vero*, Mascardus *de probat. conclus. 262. num. 39.* Malvetius *de Canoniz. SS. (inter tract. magn. tom. 14. pag. 101. num. 64.)* Castellanus *de Canoniz. SS. num. 81. & seqq. vel juxta alia mss. num. 119. & seqq.* Contelorius *de Canoniz. SS. cap. 25. num. 66.* Castellinus *de inquisit. miracul. pag. 149. num. 20.* Ceparius *in direct. Canoniz. part. 3. cap. 10.* Rosa *in addit. ad tract. de Executor. litter. Apostol. num. 112.* & Auditores Rotæ in relatione S. Mariæ Magdalenæ de Pazzis *tit. de validitate proces. §. Validitas*, in relatione S. Franciscæ Romanæ *par. 1. ar. 2. §. Tertio quia testes*, in relatione S. Hyacinthi *cap. 2. §. Sequentibus testib.* Antiquioribus quidem temporibus aliquando admissi sunt aliqui testes turmatim examinati, uti contigit in causa S. Yvonis, in qua quingenti testes simul auditi sunt; sed postquam ducenti quadraginta novem fuerant singillatim examinati, sicuti legitur apud Bollandianos in ejus vita *ad diem 19. Maji tom. 4.* item in causa S. Ignatii, in qua totus Clerus & populus Aspeithiæ, & Ascoithiæ ad sonitum æris Campani congregatus in Parochiales ecclesias turmatim cum juramento deposuit de fama sanctitatis, & devotione populi, & fama miraculorum; sed postquam a Delegatis Apostolicis plures graviores testes singillatim fuerant auditi. Nec deest ratio, cur testes sint singillatim examinandi; scilicet tum quia sic liberius proferunt veritatem, tum quia melius convinci possunt falsitatis, tum etiam quia, si omnes simul essent examinandi, unus instrui posset ab alio, uti perpendunt *in cit. cap. Venerabili*, Glos. *v. Examinare singillatim*, Ancharan. *num. 1.* Anton. a Butrio *num. 3. & num. 6.* Joannes Andreas *num. 7.* Zabarella *num. 1.* Abbas *num. 3.* Felin. *num. 3.* Barbos. *num. 3.* Fagnan. *num. 5. de testib. & attestat.* Idcirco examen aliter factum *nullitatis* vitio laborat, sicuti ad rem probat Aretin. *in cit. cap. Venerabili, num. 3. de testib. & attest.* & multo magis, cum id exprimi consueverit in remissorialibus, ut admonet Rosa *loc. cit. num. 113.*

3. Tertium est, an pro validitate processus, & rite peracto examine testium debeant testes examinari super interrogatoriis, & an super omnibus interrogatoriis.

Nonnulli dixerunt, teſtium examen nullum dici non poſſe, etiamſi non fuerit factum ſuper interrogatoriis, ſed in hoc caſu Fidei Promotorem tantummodo urgere poſſe pro teſtium repetitione; ut apud Contelorium *de Canoniz. SS. cap.* 25. *num.* 84. *& ſeqq.* & Pignatellum *conſul.* 242. *num.* 3. *tom.* 1. quæ etiam eſt theoretice Decii *in cap. Licet cauſam, de prob. n.* 56. ubi: *Si tamen, prætermiſſis interrogatoriis, teſtes examinati ſunt, propter hoc dicta eorum non ſunt nulla, ſed poterunt teſtes repeti*: quam & ſequitur Marant. *de ordine judic. par.* 6. *de interrog. product. num.* 4. Verum, cum in Remiſſoria præcipiatur, ut teſtes ſuper interrogatoriis examinentur, & interrogatoria in eamdem Remiſſoriam inſerantur, hodie certum eſt, nullum futurum eſſe teſtium examen, niſi factum fuerit ſuper interrogatoriis; uti bene firmavit Add. ad Buratt. *deciſ.* 100. *num.* 25. & ut ad rem noſtram adnotavit Roſa *in add. ad tract. de Executor. litter. Apoſtol. num.* 82. *& plurib. ſeqq.* & late proſequuntur Rotæ Auditores in relatione S. Thomæ de Villanova *tit. de proceſſu Valentino* poſt Contelorium *de Canoniz. SS.* Quod autem attinet ad aliud propoſitum, an videlicet ſint teſtes examinandi ſuper omnibus interrogatoriis, de regula eſt, ut examen fiat ſuper omnibus; ita ut, ſi ſuper uno interrogatorio non fiat teſtis examen, hujus teſtis examen pro minus rite ac legitime peracto, immo pro nullo invalido habendum ſit, quemadmodum bene adnotarunt Rotæ Auditores in relatione cauſæ S. Caroli Borromæi *part.* 1. *de valid. proceſſuum* §. *Secundo cenſuimus*, & ſequitur Pignatellus ſibi contrarius *conſul.* 206. *t.* 1. nulla facta diſtinctione, utrum omiſſum fuerit examen ſuper interrogatoriis ſpecialibus, an ſuper interrogatoriis generalibus, illis videlicet, quæ *qualificationem* perſonæ ad examen vocatæ reſpiciunt; cum teneantur Judices inquirere in teſtium qualitatem, atque adeo inhabiles ex officio repellere, juxta recte adnotata per Rotæ Auditores in relatione cauſæ S. Jacobi de Marchia *tit. de validit. proceſſ. Neapolitani in fine.*

4. Sed, quia nulla fere datur regula, quæ ſuas non patiatur limitationes, hujus indolis eſt etiam ea, de qua loquimur in præſenti. Si etenim in examine unius teſtis omittantur interrogatoria, quæ aliquid reſpiciunt, quod teſtis examinatus dixit ſe edoctum non eſſe, hæc omiſſio non eſt utique apta ad inficiendum teſtis examen; uti monet Pignat. *conſul.* 218. *t.* 1. *per tot.* Item aliquando in interrogatoriis præcipitur, ut ex. gr. ſi teſtes interrogandi ſuper contentis in quarto interrogatorio negatione reſpondeant, ulterius interrogari non debeant; in qua pariter facti ſpecie nemo eſt qui non videat, data a teſtibus reſponſione prædicta negativa ſuper quarto interrogatorio, legitimum, & rite peractum dicendum eſſe examen, quamvis ſubſequentia interrogatoria fuerint omiſſa; ſicuti cenſuerunt Rotæ Auditores in relatione cauſæ Servi Dei (nunc Beati) Hieronymi Æmiliani *tit. de proceſſ. Somaſchenſi* §. *Neque etiam officit.*

5. Inter interrogatoria ſuper miraculis inſeri conſuevit illud, *An teſtis ſciat, quid ſit miraculum, & quod explicet, quid ſit.* De hoc etiam interrogatorio nonnulli dicunt, id omitti poſſe, quando agitur de miraculis in ſpecie: ſecus autem, quando tractatur de miraculis in genere, ſeu de fama miraculorum. Quando enim agitur de miraculis in ſpecie, factum individuum cum omnibus ſuis circumſtantiis a teſte exponitur, ad Sedem autem Apoſtolicam pertinet ferre judicium, an & quomodo factum individuum excedat vires naturæ; hincque infertur, ſuperfluum eſſe interrogatorium, & ſuperfluam quoque futuram eſſe teſtis reſponſionem ſuper miraculi *quiditate*, quando agitur de miraculis in ſpecie, juxta Pignat. *conſul.* 240. *per tot. tom.* 1.

6. De hac materia omiſſionis aliquorum interrogatoriorum pluries actum fuit in ſacrorum rituum Congregatione, & ſignanter in cauſis Canonizationis SS. Caroli Borromæi, Andreæ Corſini, & Andreæ Avellini, & in pluribus aliis infra memorandis: *Alli* 15. *d' Aprile* 1608. (verba ſunt Grattarolæ in ferie Actorum cauſæ S. Caroli Borromæi *par.* 1. *cap.* 32. *pag.* 129.) *fu tenuta la terza Congregatione ec. ſopra il ſecondo dubbio, e deciſero, che i teſtimonj foſſero ſtati eſaminati tutti bene e legittimamente, avvegnachè i Giudici ſuddelegati aveſſero ommeſſi negli eſamini alcuni interrogatorj della Remiſſoria ec. ſtando che quegl' interrogatorj non erano a propoſito per le materie, che ſi provavano, anzi più toſto ſariano parſi ridiculoſi ed impertinenti: onde con molta prudenza li aveano tralaſciati.* Quapropter invaluit opinio, omiſſionem aliquorum interrogatoriorum non vitiare, nec reddere nullum examen, ſi interrogatoria omiſſa articulos reſpiciant, ſuper quibus teſtis inductus non eſt, vel interrogatoria, quæ fuerunt omiſſa, jam fuiſſent evacuata in reſponſionibus ad præcedentia interrogatoria, ex. gr. ſi teſtis, reſpondendo ad quintum interrogatorium, ea omnia dixiſſet, de quibus erat interrogandus in ſexto, & ſequentibus interrogatoriis, ut apud Auditores Rotæ in relatione S. Caroli Borromæi *par.* 1. *tit. de valid. proceſſ.* §. *Secundo cenſuimus*, in relatione S. Andreæ Corſini *par.* 3. §. 3. *num.* 234. typis impreſſa poſt 1. conſultationem Lezanæ, & in relatione S. Andreæ Avellini *tit. de valid. proceſſ.* §. *Neque obſtat*. Ideoque non ſolum fuit admiſſum a ſacrorum rituum Congregatione in cauſa Salutiarum Servi Dei Juvenalis Ancinæ ſuper validitate proceſſuum, referente Cardinali Colloredo, ſed paſſim etiam receptum fuit, dum munere fungebar Fidei Promotoris, & ſignanter in cauſa Viterbienſi Beatæ Hyacinthæ de Mareſcottis ſuper validitate proceſſus Viterbienſis, referente clar. mem. Cardinali de Abdua 27. Februarii 1712. in Limana Servi Dei Martini de Porres ſuper validitate proceſſuum 18. Auguſti 1714. referente eodem de Abdua; in Charthag. Servi Dei Petri Claver, referente clar. mem. Cardinali Ferrario 23. Martii 1715. in Segobien. S. Joannis de Cruce ſuper validitate proceſſuum Barenſis, & Toletani, referente clar. mem. Cardinali Origo 14. Decembris 1715. in Biſinien. Servi Dei Humilis de Biſiniano ſuper validitate proceſſuum remiſſorialium 22. Auguſti 1716. referente clar. mem. Cardinali Fabrono, in Segobien. S. Joannis de Cruce ſuper validitate proceſſuum Conimbricenſis, & Cordubenſis die & anno modo citatis, referente ſupradicto Cardinali Origo; & in Forolivien. S. Peregrini Latioſi ſuper validitate proceſſuum 12. Septembris 1716. referente clar. mem. Cardinali Barberino.

7. Quartum quæſitum eſt, an pro validitate proceſſuum, & rite peragendo examine teſtium neceſſe ſit, ut teſtes examinentur ſuper articulis. Porro pro reſponſione præmittendum eſt primo, ſi Procurator velit, teſtes ſuper articulis examinari, id utique fieri non poſſe, niſi expleto examine ſuper interrogatoriis; ut cautum eſt in decretis generalibus: *Et pro forma tradi debet, ut teſtes primo examinentur juxta interrogatoria per Promotorem Fidei ex officio danda & in litteris inſerenda, deinde ſuper articulis in iiſdem litteris includendis.* Ideoque in formula litterarum remiſſorialium typis impreſſa inter eadem decreta generalia ſic habetur: *Pro tribunali ſedentes teſtes admittatis, receptoque prius in manibus veſtris ab ipſis teſtibus &c. juramento &c. de veritate dicenda ſuper iis, ſuper quibus examinabuntur, primo juxta dicta interrogatoria, & deinde ſuper poſitionibus & articulis prædictis.* Et ſane, ſi contingeret, examen fieri primo ſuper articulis, deinde ſuper interrogatoriis, examen *nullitatis* vitio laboraret, uti docet Roſa *in add. ad tr. de Exec. lit. Apoſt. n.* 81. utque adnotarunt Rotæ Auditores in relatione S. Pii V. *par.* 1. *tit. de proceſs. valid.* §. *Ac demum*: ita enim, agendo interverteretur ordo præſcriptus in litteris remiſſorialibus, veluti bene proſequitur Conſtantinus *ad ſtatut. Urbis tom.* 1. *annot.* 9. *num.* 86. *& ſeqq.* Præmittendum eſt ſecundo, etiamſi Procurator inſtet & velit, ut teſtes examinentur etiam ſuper articulis, non eſſe neceſſarium, ut omnes teſtes ſuper omnibus articulis examinentur, ſed tantum, ut unuſquiſque examinetur ſuper illis, ſuper quibus inducitur, & quorum materiam edoctus eſt, juxta reſcriptum Congregationis ſacrorum rituum die 16. Junii 1663. in cauſa Romana, ſeu Polona S. Stanislai e Societate Jeſu: *Cum ad probandam ſanctitatem vitæ & miracula B. Stanislai dati fuerint centum quinquaginta duo articuli, & expeditæ fuerint litteræ remiſſoriales, & teſtes examinandi multoties non ſint informati de omnibus contentis in ſingulis articulis, ideo Poſtulator cauſæ ſupplicavit ſacrorum rituum Congregationi, ut dignaretur declarare & concedere, quod teſtes examinandi ſuper articulis examinentur ſolum ſuper illos, circa quos ſunt informati: non autem ſuper aliis, quorum nullam habent informationem: Et Eminentiſſ. Patres decreverunt, hoc ſuo tempore non eſſe opponendum ab illuſtriſſ. Promotore.* Huc enimvero tendit clauſula, quæ a peritis cauſarum Patronis apponi conſuevit in articulorum exhibitione, ſe videlicet non adſtringendi ad onus ſuperfluæ probationis, uti ſæpius fuit animadverſum in ſacrorum rituum Congregatione, dum agebatur de validitate proceſſuum, a Fidei autem Promotore opponebatur, fuiſſe omiſſum examen ſuper aliquibus articulis, & præcipue in cauſa Bononien.

S. Ca-

S. Catharinæ ſuper validitate proceſſus in ſpecie, referente Cardinali Fachenetto; in Limana S. Thuribii ſuper validitate noviſſimi proceſſus Limani, referente Cardinali Chiſio; in Neapolitana Servi Dei Cardinalis Pauli Buralis ſuper validitate proceſſuum, referente Cardinali Sabello; in Tolerana Servi Dei Cardinali Ximenes ſuper validitate proceſſuum, referente Cardinali Carpineo; in Romana, ſeu Polona S. Stanislai ſuper validitate proceſſuum Romæ, & Poſnaniæ confectorum, referente Cardinali Roſpilioſo. Præmittendum eſt tertio, a jure quidem ſtatutum non eſſe, ut teſtes ſuper articulis examinentur; uti bene ponderarunt Rotæ Auditores in relatione cauſæ S. Franciſci Xaverii (*tit. de valid. & legal. proceſſuum auctoritate Apoſtolica confectorum*): *Tertia difficultas erat, quia teſtes in dicto proceſſu Goano non fuerunt examinati ſuper omnibus articulis: ſed hæc facile fuit ſublata ex eo, quod in jure nullibi reperitur cautum, debere teſtes ſuper articulis examinari, ita ut, ſi ſuper eis non examinentur, examen factum ſuper interrogatoriis reddatur nullum:* ſed, cum in nova formula juramenti teſtium, quæ typis impreſſa eſt poſt decreta noviſſima, & quæ inſeritur in litteras remiſſoriales, habeantur hæc verba: *Ego infraſcriptus, tactis ſacroſanctis Evangeliis coram me poſitis, juro dicere veritatem tam ſuper interrogatoriis, quam ſuper articulis, ſuper quibus examinabor*; cumque in forma litterarum remiſſorialium ſermo fiat de examine tum ſuper articulis, tum ſuper interrogatoriis cum clauſula, *Non alias aliter, nec alio modo*; hinc porro naſcitur occaſio inquirendi, an, expleto examine ſuper interrogatoriis, fieri neceſſario debeat examen etiam ſuper articulis, ita ut omiſſio examinis ſuper articulis conſtituat examen teſtium non rite peractum nec legitimum, ſed nullum & invalidum. Qua in re opinio recepta eſt, examen eſſe validum, dummodo ſit factum ſuper interrogatoriis, etiamſi fuerit omiſſum ſuper articulis; cum interrogatoria a Fidei Promotore ad eruendam veritatem, articuli vero a cauſæ Procuratore pro ſua fundanda intentione componantur; & ita ſane, argumento hoc ſolemniter examinato, firmatum eſt in ſacrorum rituum Congregatione, dum munere fungebar Fidei Promotoris, in cauſa Romana, ſeu Polona Canonizationis S. Stanislai e Societate Jeſu die 1. Septembris 1708. referente clar. mem. Cardinali Caprara. Nec enim quidquam officit vel formula juramenti, vel formula litterarum remiſſorialium; cum in formula juramenti, nihil aliud dicatur, quam ut teſtis debeat dicere veritatem tum ſuper interrogatoriis, tum ſuper articulis, ſi tamen ſuper articulis examinabitur: cumque in formula litterarum remiſſorialium ordo examinis præſcribatur prius ſuper interrogatoriis, quam ſuper articulis, quæ res nihil habet commune cum neceſſitate examinis ſuper articulis efficiendi cauſa, ut proceſſus ſit validus; quemadmodum ipſe alias ponderavi, hoc eſt, in meis animadverſionibus factis in cauſa Pariſien. S. Vincentii a Paulo ſuper validitate proceſſuum die 1. Julii 1713. referente clar. mem. Cardinali Tremoville, necnon in aliis animadverſionibus factis in cauſa Carthaginien. Servi Dei Petri Claver die 23. Martii 1715. referente clar. mem. Cardinali Ferrario, & ſicuti poſt dimiſſum a me Promotoris officium admiſſum eſt a ſacrorum rituum Congregatione in modo dicta cauſa Pariſien. S. Vincentii a Paulo 17. Julii 1734.

8. Quintum eſt, an validum & rite peractum dici deberet examen teſtium conceptum depoſitionibus relativis ad alias atteſtationes ab eis factas. De hoc actum fuit in cauſa S. Andreæ Avellini, teſte Caggiano in Actis ejuſdem cauſæ *pag.* 127. *Alli* 25. *Aprile nella Congregazione de' riti, che ſi tenne conforme il ſolito, ſi ventilò il ſecondo punto della cauſa, e fu propoſto il dubbio*, An teſtes ſint legitime examinati: *ed, eſſendo dal Promotore Fiſcale Antonio Cerri in queſto fatte oppoſizioni gagliarde, atteſo che molti dei teſtimonj eſaminati nel proceſſo non erano di nuovo ſtati interrogati ſopra le loro depoſizioni, ma quelle, che nel proceſſo fatto* via ordinaria *avevano depoſte, ſi erano, dopo eſſer lette in preſenza loro, regiſtrate in queſto proceſſo, e fatte di nuovo ratificare e fermare, non ſi potè per quella mattina decider queſto punto;* & rurſus *pag.* 174. *& ſeqq. Fra queſto tempo eſſendo poſte in ordine tutte le noſtre ragioni, quali ſi fondavano non ſolo in molte dottrine ſode ed autorità, ma anche in varj eſempj di altri Santi e Beati che nella ſteſſa guiſa furono formati i loro proceſſi, ed anco nella noſtra cauſa i due proceſſi, che portavano il peſo, quello della città di Palermo non pativa queſta difficoltà, per eſſere tutt' i teſtimonj di eſſo di nuovo eſaminati, non eſſendovi mai preſa veruna informazione, e quello di Napoli, ſe bene vi erano molti teſtimonj eſaminati nella accennata di ſopra, ve n' erano ancora molti di nuovo eſaminati, ſicchè in ogni modo tutti queſti di nuovo eſaminati ſariano ſtati ſufficientiſſimi per la definizione della cauſa; e che nel formar de' proceſſi non s' era punto deviato dall' ordine degli Autori di Rota, che avevano data la commeſſione, mentre che in queſto non avevano fatta eſſi veruna difficoltà, anzi in una ſteſſa Congregazione o ſeſſione deciſero, ad approvarono il proceſſo, e li teſtimonj eſſere tutti in forma probanti e legittimamente eſaminati colle debite circoſtanze, come ſi è detto di ſopra. Con queſte e ſimili ragioni furono informati e fatti capaci del vero i Cardinali della Congregazione, e in particolare il Cardinale Pio, che, conoſcendo li meriti della cauſa, la portò poi con tanto affetto e valore, che fu li 27. di Luglio, facendoſi la Congregazione de' Riti, fu ventilato il punto della noſtra cauſa e deciſo in favore.*

9. Si ad normam juris communis de eo differendum eſſet, an teſtis ſe referre poſſit; ſeu, (ut ajunt) ſe habere *relative* ad aliud examen, vel ad atteſtationem, quam alias reddidit, non ita facile reſponderi poſſet propoſito dubio. Nonnulli quidem cenſuerunt, teſtem ſe poſſe referre ad primum examen; & in hypotheſi, in qua Judex hoc dictum admittere nollet, poſſe teſtem inſtare, ut ſibi primum examen legatur; niſi forte primum examen eſſet nullum, vel in judicio criminali verſaremur, uti late probat Farinacc. *de teſtib. quæſt.* 66. *a n.* 39. *uſq. ad finem*. Cenſent autem alii, eſſe arbitrarium Judicis admittere, vel non admittere hanc relativam teſtis depoſitionem; quod obſervatur in Senatu Pedemontano, teſte Theſauro *deciſ.* 255. *n.* 8. Volunt item alii, id non eſſe Judici arbitrarium, ſed primæ depoſitionis lectionem denegari non poſſe teſti petenti, ut ſibi ſua prima depoſitio legatur, ita ut, ſi ad illam ſe referat, teſtimonium validum ſit; veluti obſervatur in regno Neapolitano, teſte Vivio *opin.* 911. *n.* 4. Sine ulla porro diſtinctione Rota Romana ſemper admiſit hæc examina teſtium relativa ad aliud præcedens examen; uti videri poteſt *in deciſ.* 430. *n.* 4. *part.* 1. diverſ. *deciſ.* 1147. *num.* 9. coram Seraphino, & *deciſ.* 331. *n.* 15. coram Ludoviſ. ubi late Adden. *n.* 21. Tandem ſententia eſt nonnullorum, teſtes nequaquam poſſe ſe referre ad priorem teſtificationem; quemadmodum habet Cacheran. *deciſ.* 128. At in præſenti Beatificationis & Canonizationis materia, quidquid ſcripſerit Contelorius *de Canoniz. SS. cap.* 25. *a num.* 88. *uſq. ad* 92. qui ſenſit, eſſe Judicibus remiſſorialibus arbitrarium admittere, vel non admittere haſce relativas depoſitiones; recepta ſententia eſt, non poſſe teſtes ſe referre ad præcedens examen, ſed plane teneri *per extenſum* novam facere depoſitionem, uti docet Roſa *in addit. ad tract. de Executor. litter. Apoſtol. n.* 92. utque comprobatur ex forma litterarum remiſſorialium typis impreſſa in decretis generalibus: *Animadvertendo, ut iidem teſtes, quæcumque habent explanate & per extenſum deponant, nec ſe referant ad atteſtationes alias additas, neque eis recitentur, quæ alias ipſi depoſuerunt*: itemque ex litteris pro Patriarchis, Archiepiſcopis, & Epiſcopis inter citata decreta generalia: *Curabit inſuper Amplitudo tua, ut teſtes omnes, quæcumque habent, explanate & per extenſum deponant, nec ſe referant ad atteſtationes redditas, neque eis recitentur, quæ alias ipſi depoſuerunt*. Non omittendum tamen, quod, ſi forte teſtes deponerent ſuper articulis, & ſe referrent ad reſponſiones jam datas ſuper interrogatoriis, non proinde dici poſſent non recte depoſuiſſe, eo quod nequeant ſe referre ad atteſtationes alias redditas; cum id ſibi vindicet locum, quando ſe prorſus referrent vel ad alias atteſtationes extrajudiciales jam redditas, vel ad atteſtationes factas in proceſſu ordinario, cum repetuntur in Apoſtolico: ſecus autem, cum, deponendo ſuper articulis, ſe referunt ad depoſita ſuper interrogatoriis; uti, dum fungebar munere Fidei Promotoris, bene animadverſum fuit in cauſa Viterbien. Beatæ Hyacinthæ de Mareſcottis ſuper validitate proceſſus Viterbienſis 27. Februarii 1712. referente Cardinali de Abdua: & ſecus pariter, ſi teſtis deponens ſuper uno interrogatorio ſe referat ad ea, quæ ipſe depoſuit ſuper alio interrogatorio; veluti, utrumque caſum comprehendendo, admiſit, me item Fidei Promotore, ſacra Congregatio in Biſinianen. Servi Dei Humilis de Biſiniano ſuper validitate proceſſuum 22. Auguſti 1716. referente Cardinali Fabrono.

10. Sextum quæſitum eſt, an validum & rite peractum ſit teſtium examen, ubi hi in ſuis depoſitionibus non

non reddant cauſam ſcientiæ. Quidquid autem ſit de validitate, redacta difficultate ad argumentum *ritualitatis*, nonnullorum ſenſus fuit, non teneri teſtem reddere ſui dicti rationem, niſi de ea fuerit a Judice interrogatus; ut habet Gloſſa *in cap. Cum cauſam, de teſtib. & atteſt. v. De cauſis*, ubi: *Cauſam enim ſcientiæ debet quærere Judex; ſi vero Judex non quæſierit, & teſtes ſimpliciter dixerint, ſe ſcire, valebit*; & *in cap. Sicut nobis, v. De cauſis de ſent. & re judicata*, ubi: *Videtur, quod teſtis debeat aſſignare cauſam ſui teſtimonii &c. aliter enim non pervenitur ad veritatem &c. nec ſufficit teſti dicere, ſe ſcire, niſi aſſignet cauſam ſcientiæ ſuæ; cum multa ſint genera ſciendi &c. Hoc videtur quod verum eſt, ſi teſtis interrogatus fuerit; ſi vero interrogatus non fuerit, bene valet dictum ejus, licet fuerit nude prolatum.* Et in præſenti Canonizationis materia Troilus Malvetius *de Canonizat. SS. dub. 3. num. 67.* (*inter tract. magn. tom. 14.*) Alii vero ad effugiendam difficultatem monent Judices remiſſoriales, ut teſtes interrogent de cauſa ſcientiæ juxta textum citatum *in cap. Cum cauſam, de teſtib. & atteſt.* ut ad rem proſequitur Auctor tractatus de Canonizatione Sanctorum ad Cardinalem Montis Regalis *cap. 3. quæſt. 5.* Sed, cum in cauſis Beatificationis & Canonizationis teſtes ut plurimum deponant de his quæ ſenſu corporeo non percipiuntur, vel de miraculis, quæ habent cauſam occultam, hinc fit, teſtem in hiſce cauſis & de prædictis actibus deponentem teneri reddere cauſam ſcientiæ, etiamſi de ea a Judicibus non fuerit interrogatus; & quidem, ſi cauſam non reddiderit, non erit ejus dicto deferendum, juxta doctrinam Innocentii *in alleg. c. Cum cauſam, de teſtib. & atteſt. num. 3.* ubi: *Sed ad has quæſtiones non tenetur reſpondere, quia nullo ſenſu corporis poteſt apprehendere, quod ſit Dominus, vel iracundus, ſed oculis mentis, ſcilicet ratione, hoc apprehendit &c. ſed ipſe non adducitur in Judicem, ſed in teſtem; & ideo teſtimonium ejus non præjudicat, niſi cauſam aſſignet.* Quam theoreticen ad rem, de qua nunc agimus, bene exornant Caſtell. *de Canoniz. SS. §. Addo etiam prædictis, & pluribus ſeqq.* Contelor. *de Canoniz. SS. cap. 25. n. 69. & ſeqq.* Ceparius *in direct. lib. 3. cap. 10. §. Advertendum*, Bordon. *de Canoniz. SS. contr. 13. num. 36. & plurib. ſeqq.* Roſa *in add. ad tract. de Exec. litter. Apoſtol. n. 133. & ſeqq.*

11. Alia multa pertinent ad examen teſtium, de quibus opus eſt in præſenti habere ſermonem. Juxta alibi relata præſcribitur in decretis ſan. mem. Innoc. XI. ut clauſa retineantur interrogatoria, & obſignata ſigillo Judicum; nec aperiantur, niſi in ipſorum præſentia, & in principio cujuslibet examinis & ſeſſionis: quod etiam extenditur ad ipſorum teſtium depoſitiones, juxta ea quæ in ſuperioribus dicta ſunt. Ad normam itaque horum decretorum traditur faſciculus ſeu *plicus* interrogatoriorum ab Urbe miſſus Promotori Fiſcali in Fidei Subpromotorem a Fidei Promotore electo, atque adeo traditio, ſeu (ut loquuntur) *conſignatio* fit per Judices remiſſoriales, quibus ipſe interrogatoriorum faſciculus una cum faſciculo remiſſorialium ſolemniter præſentatur. Fit apertio interrogatoriorum in ea ſeſſione proceſſus, in qua incipit teſtium examen; tum faſciculus interrogatoriorum una cum teſtis depoſitione clauditur & obſignatur in fine ſeſſionis, nec aperitur, niſi in alia ſeſſione, in qua vel ejuſdem teſtis continuatur examen, ſi in antecedenti ſeſſione non fuerit abſolutum, vel datur initium examini alius teſtis; & in ejus etiam fine iterum clauditur & obſignatur ſigillis Judicum: atque hoc ordine proceditur uſque ad finem examinis ultimi teſtis, quo abſoluto, non eſt amplius locus occluſioni interrogatoriorum, & teſtium depoſitionum: atque adeo res ſic eſt peragenda, ut in proceſſu expreſſi & adnotati ſingillatim appareant omnes actus apertionis, & occluſionis; ſicuti etiam cautum eſt in nova formula litteratum remiſſorialium, & compulſorialium.

12. Dictum eſt, aperienda eſſe & reſpective claudenda interrogatoria uſque ad complementum examinis ultimi teſtis. Sed hic oritur dubium, utrum id intelligendum ſit de ultimo teſte a Poſtulatoribus inducto, an de ultimo teſte inter eos, qui poſt teſtes Poſtulatorum examinantur a Judicibus ex officio: quod eſt idem ac quærere, utrum lex de claudendis & reſpective aperiendis in actu examinis interrogatoriis, & depoſitionibus coercita ſit intra teſtes, qui inducuntur a Procuratore, an etiam ſe extendat ad alios, qui dicuntur ex officio. Poſtulatores quippe contenderunt, ſtatuta in citatis decretis non comprehendere teſtes ex officio, ne *nullitate* laboraret ipſorum examen factum ſine occluſione interrogatoriorum & depoſitionum, tum quia decreta peculiariter ſive *ſpecifice* nihil conſtituunt de teſtibus hujus generis, tum quia in hiſce teſtibus, utpote a Judice electis, ceſſat periculum inſtructionis. Sed *contrarium*, me tanquam Fidei Promotore ſcribente, deliberatum fuit a ſacra Congregatione in cauſa Biſinianen. Servi Dei Humilis de Biſiniano 22. Auguſti *1716.* referente Cardinali Fabrono: primo, quia teſtes ex officio jurant non modo de veritate dicenda, ſed etiam de ſervando ſecretum; cumque juramentum comprehendat id, quod ipſi depoſuerunt, ſi clauſa non manerent interrogatoria, nec clauſæ remanerent depoſitiones, poſſet aliquis ex teſtibus ex officio ea patefacere, quæ vel teſtes a Poſtulatoribus inducti, vel teſtes ex officio antea examinati depoſuerunt, quod eſt menti ſacræ Congregationis contrarium: ſecundo, quia juxta legem decretorum interrogatoria, & depoſitiones debent remanere clauſæ quoadusque proceſſus ſit abſolutus; proceſſus autem dici non poteſt abſolutus, niſi poſt expletum examen teſtium ex officio: tertio, quia, licet teſtes ex officio ſint quodammodo quacumque exceptione majores, utpote a Judice electi, periculum nihilominus mutuæ inſtructionis eſt totis viribus avertendum; quod procul dubio non avertitur, ſi clauſa non maneant interrogatoria, & clauſæ pariter non maneant teſtium depoſitiones.

13. Examini teſtium intereſſe tantum debent Judices, Notarius, & Fidei Subpromotor: & ſane tanto cum rigore proceditur in hac materia, ut cum in ſacra Congregatione aliquando dubitatum fuerit, an examen eſſet nullum, cui aliæ perſonæ præter Judices, Notarium, & Promotorem interfuiſſent, pro *nullitate* reſponſum fuiſſet, niſi Poſtulatores oſtendiſſent, prædictas alias perſonas interfuiſſe non examini, ſed occluſioni interrogatoriorum, & depoſitionis, ut videlicet de ea dubitari non poſſet, quemadmodum, quo tempore fungebar munere Fidei Promotoris, res ſe habuit in cauſa Carthaginien. Servi Dei Petri Claver ſuper validitate proceſſuum 23. Martii 1715. referente clar. mem. Cardinali Ferrario.

14. Olim permiſſum erat, ut, ſi teſtis ex. gr. Italica lingua deponeret, vel Gallica, vel Hiſpana, poſſet Notarius in idioma Latinum depoſitionem convertere, ut adnotarunt Rotæ Auditores in relatione S. Franciſcæ Romanæ *part. 1. art. 6. §. Neque obſtare.* Sed ut veritas magis eluceſcat, & ut fine ulla *æquivocatione* teſtium ſenſus percipi poſſit, fuit poſtea id prohibitum, uti deſumitur ex ſequenti decreto: *Audito per Sanctiſs. Dominum noſtrum quod in proceſſu B. Felicis a Cantalicio Capuccini peracto coram Eminentiſs. Domino Cardinali Vicario, ac relato in Congregatione ſacris ritibus propoſita habita die infraſcripta coram Sanctitate ſua depoſitiones teſtium fuerant exceptæ ac ſcriptæ ad dictamen Subpromotoris Fidei Latino ſermone, quodque ita etiam in aliis proceſſibus factis in Curia dicebatur obſervatum fuiſſe, improbando hujuſmodi abuſum, de conſilio Eminentiſs. Patrum ſacris ritibus præpoſitorum decrevit ac juſſit, quod deinceps depoſitiones teſtium examinandorum in cauſis Beatificationum & Canonizationum excipiantur ac ſcribantur eodem ſermone ac idiomate, quibus proferuntur ab ipſis teſtibus, ut ex verbis ab eiſdem prolatis ſincere ac integre haberi ac ponderari poſſit verus & germanus ſenſus uniuſcujuſque ipſorum deponentium, eorumque dicta non amplius a Subpromotore Fidei, ſed ab ipſis Judicibus pro tali examine a ſacra Congreg. deputatis ſeu deputandis fore & eſſe dictanda. Die 6. Februarii* 1652. Concordat aliud decretum hujuſmodi: *Sacra rituum Congregatio in cauſis Beatificationis & Canonizationis Beatorum, & Servorum Dei ad relationem Eminentiſs. Domini Cardinalis Brancatii præfecti decrevit, quod Subpromotor Fidei non ſubſcribat, niſi viderit proceſſus: & inſuper juſſit, per eumdem Subpromotorem Fidei ſervandum eſſe decretum Sanctiſſimi factum die 6. Februarii* 1652. *in quo decrevit & juſſit, quod deinceps depoſitiones teſtium examinandorum in cauſis Beatificationum & Canonizationum recipiantur ac ſcribantur eodemmet ſermone ac idiomate, quibus proferuntur ab ipſis teſtibus, eorumque dicta non amplius a Subpromotore Fidei, ſed ab ipſis Judicibus pro tali examine a ſacra Congregatione deputatis ſeu deputandis fore & eſſe dictanda. Hac die 3. Decembris* 1672. Decreta modo relata ſunt in viridi obſervantia, præterquam quoad illam partem, in qua præcipitur, ut dicta teſtium non amplius a Subpromotore Fidei, ſed ab ipſis Judicibus dictentur; cum Subpromotor majori ut plurimum polleat experientia, comparatione facta cum Judicibus remiſſorialibus, ſaltem quod attinet ad dictandas teſtium depo-

depositiones, cumque totum peragatur, præsentibus ipsismet Judicibus; qui in casu erroris Subpromotorem coercere possunt & corrigere. Addendum tamen, decreta ipsa de recipiendis depositionibus testium idiomate, quo proferuntur, non procedere, quando testes deponunt per Interpretem, & quando Judices & Promotores illorum idioma non intelligunt: tunc etenim dicta juxta Interpretis sermonem excipiuntur & scribuntur, quemadmodum ponderatum fuit in causa Ulyssiponen. Servi Dei Antonii a Conceptione super validitate processus in specie, referente Cardinali Norckfolcht: in qua hypothesi interpres eligitur a Judicibus, eique præstatur juramentum tum de fideliter exercendo munus sibi commissum, tum de servando secretum; ad officium autem Notarii tantummodo spectat Acta conscribere, & testium depositiones. Porro, quamvis nonnulli dixerint, validum esse processum, etiamsi Notarius propria manu non scripserit examen testium, sed alius id fecerit de ejus commissione & mandato, eo quia persona Notarii non eligitur, ut scribat Acta, sed ut per suam approbationem, subscriptionem, & signi appositionem fidem conciliet scripturis, sicuti adnotarunt Ceparius *in director. Canoniz. lib.* 3. *c.* 5. §. *Dubitatum fuit, versic. Præterea Notarius*, Contelorius *de Canoniz. SS. cap.* 25. *num.* 25. atque Auditores Rotæ in relatione S. Franciscæ Romanæ *part.* 1. *art.* 3. §. *Circa quintam difficultatem*; hodie tamen dici non posset satisfactum formæ inductæ a litteris remissorialibus, si Notarius per se ipsum non scripsisset Acta processus, uti docet Rosa *in fæpe cit. addit. ad tract. de Executor. litter. Apostol. n.* 77.

15. Onus præterea Notarii est depositiones testium scribere claras & explanatas. Quocirca legimus, Gregorium IX. summum Pontificem rejecisse depositiones nonnullorum testium, quæ prædictis non pollebant qualitatibus, in causa S. Hildegardis: *Invenimus in illa* (sermo est de inquisitione) *defectus; cum enim habeatur in depositionibus testium ad nostram præsentiam destinatis, quod eadem multos curaverat dæmoniacos, & infirmos, nec personæ, nec loca, nec tempora designantur &c.* verba sunt dicti Pontificis apud Raynaldum *ad an.* 1237. *num.* 59. Consimile est responsum summi Pontificis Honorii III. in causa S. Guillelmi Archiepiscopi Eboracensis: nonnullas quippe testium depositiones ipse etiam rejecit ex causa prædicta: *Sed licet apud vos multa & magna miracula sint forte probata, nequaquam tamen apud Nos super iis plene potuit ex vestra relatione constare; cum in ea nequaquam dicta testium sint expressa, per quæ nobis veritatis posset fieri certitudo, quamvis in relatione contineatur eadem, quod per tales & tales, talia & talia miracula sint probata*: ut habetur apud citatum Raynaldum *ad ann.* 1224. *num.* 47.

16. Aliquando brevitatis gratia admissum fuit, ut, si depositio primi testis scripta fuisset per extensum a Notario, posset ab eodem scribi, secundum testem depositisse, uti primus deposuit; sicuti apud Contelorium *de Canoniz. SS. cap.* 76. *num.* 25. Sed, cum magna vis constituatur in verbis ipsis a teste prolatis, sciri debent ejus verba, nec admitti valet supradicta relatio ad primam testis depositionem, uti bene sensit Ceparius *in director. Canoniz. lib.* 3. *cap.* 5. §. *Dubitatum fuit, versic. Si postquam Notarius*; & multo minus, postquam edita fuit formula litterarum remissorialium, in qua (sicuti visum est) cautum fuit, ut testes quæcumque habent, explanate & per extensum deponant; id quippe non ob aliam causam statutum & introductum dici debet, quam ut sacra Congregatio ipsissima verba cujuscumque testis sub oculis habere valeat; quod utique non obtineretur, si secunda depositio scriberetur a Notario relative tantum ad primam.

17. Quid autem dicendum erit in hypothesi, ubi scribantur in processu testium aliquorum depositiones non claræ & explanatæ? Eritne nullus ex hoc capite processus? Porro, quidquid scripserit Pignatellus *consult.* 190. *tom.* 1. ubi ait non esse rejiciendam testis depositionem, qui, lecto sibi articulo, super quo inducitur, respondet, articulum esse verum; nulla profecto talis depositionis habenda est ratio: etsi forte ex hoc capite nullus dici non posset processus, præsertim vero, si in eo aliæ depositiones testium scriptæ fuerint claræ & explanatæ. Quapropter, cum in causa Papien. seu Feltren. Canonizationis B. Bernardini de Feltro Ordinis Minorum Observantiæ S. Francisci quæstio esset de validitate processus, sacra Congregatio, referente Cardinali Aldobrandino, die 10. Junii 1664. approbavit quidem validitatem processus, sed simul dixit, nullam rationem habendam esse illorum testium, quos adnotatum est respondisse per solum verbum, *Recte*, seu dixisse, *Articulum esse verum*. Item quid erit dicendum in hypothesi, in qua testes prædicto modo deposuissent, hoc est modo confuso, & non explanato? Erit ne locus eorum repetitioni? Repetitio profecto hæc olim erat in usu: summus enim Pontifex Honorius III. visa relatione Judicum, quibus inquisitionem demandaverat in citata causa Canonizationis S. Guillelmi Archiepiscopi Eboracensis, sic eis rescripsit, uti legitur apud Raynaldum *ad an.* 1224. *num.* 47. *Ut igitur quod in hoc negligenter omissum est, per subsequentem diligentiam emendetur, discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus vel dicta testium receptorum sub vestris sigillis per fideles Nuntios ad nostram præsentiam destinetis, vel inquisitionem solemnem iterum facientes Nobis plane ac plenarie, quæ singuli testes deposuerint, rescribatis*: & summus Pontifex Innocentius IV. qui inquisitionem in causa B. Ambrosii de Massa delegaverat Episcopis Urbevetano, & Suanen. & Priori Sancti Joannis, necnon formam interrogatoriorum ad eos miserat, jussit, ut ad novum examen testium devenirent, servata forma interrogatoriorum ad eos missa, quam in præcedenti examine non observaverant; uti desumitur ex monumento typis impresso apud Wadingum *ad an.* 1251. *tom.* 3. Verum juxta hodiernam consuetudinem non repetuntur in causis Canonizationis nisi testes, qui examinati auctoritate ordinaria adhuc vivunt, quando construitur processus Auctoritate Apostolica; sed, si testes auctoritate Apostolica examinati non fuerint rite & recte examinati, non est locus iterato examini sive eorum repetitioni, & potissimum post decretum Alexandri VII. infra referendum de non coadjuvandis probationibus.

18. Testis examinatus debet suum examen subscribere: si vero scribere nesciat, tenetur facere signum Crucis, uti tradunt Ambrosin. *de processu informativo lib.* 1. *cap.* 2. *num.* 43. Scaccia *de judiciis lib.* 1. *cap.* 82. *num.* 17. & quod attinet ad ipsas causas Beatificationis & Canonizationis, Ceparius *in direct. part.* 3. *cap.* 10. *in fine*. Testis autem subscriptioni addenda est subscriptio Judicum, sive sermo sit de Judice ordinario, ut habetur in littera encyclica sæpe memorata, sive sermo sit de Judicibus delegatis, uti animadverterunt Rotæ Auditores in relationibus causarum S. Francisci Borgiæ *part.* 1. *art.* 1. Sancti Paschalis de Baylon *sub tit. de validit. processuum*, in relatione S. Petri de Alcantara *part.* 1. *artic.* 1. & in relatione B. Gregorii X. *tit. de process. remissorial. & compulsorial.* ubi ipsi Rotæ Auditores meminerunt etiam subscriptionis Notarii Actuarii. Itaque hodie consuetudo inconcussa est, ut in fine cujuslibet sessionis debeat testis subscribere, vel, si scribere nesciat, facere signum Crucis; & ut præterea subscribant judices, Subpromotor, & ultimo loco Notarius Actuarius. Si autem in fine sessionis, in qua testis suum non absolvit examen, ipse non subscripsisset, sed, absoluto examine, eidem depositio jam facta legeretur, eademque perlecta, testis tunc tantum subscriberet, & subscriptionem testium ceteræ Judicum, Promotoris, & Notarii subscriptiones sequerentur, non idcirco examen esset nullum; cum per æquivalens adimpletum dici posset id quod erat adimplendum. Et ita quidem observatum fuit in causa Panormitana Servi Dei Bernardi a Corleone super validitate processuum, referente Cardinali Casanate; in Mexicana Servi Dei Sebastiani de Apparitio super validitate processuum, referente Cardinali Carpineo; & in Cracovien. B. Joannis Cantii super validitate processuum, referente Cardinali Colloredo. Cum mentio modo habita sit de legenda testi depositione ab eo facta, antequam suam apponat subscriptionem, nunc quæritur, an id ad validitatem processus, & rite peractum testium examen sit necessarium. Respondemus, utique multum expedire, ut ante subscriptionem legatur testi depositio, quam fecit in examine; quod fiet per Notarium alta & intelligibili voce, data testi facultate declarandi, addendi, vel minuendi, quatenus audiendo depositionis a se factæ recitationem, eam videat indigere declaratione, additamento, vel diminutione: sed tamen si id omittatur, examen ex hac omissione nullum dici non poterit. Ad validitatem quippe sufficit, ut depositio fuerit ab ipso teste prolata coram Judicibus, & a Notario excepta: quo sensu processit sacrorum rituum Congregatio, dum ego Fidei Promotor essem, in causa Montis Politiani S. Agnetis, referente Cardinali Paulutio; in causa Januen. Servæ Dei Victoriæ de Furnariis 2. Martii 1720. referente Cardinali Imperiali; & in Florentina

tina S. Catharinæ de Ricciis anno 1728. referente Cardinali Origo. Porro fasciculus, sive *plicus* interrogatoriorum inseritur post ultimam testis depositionem: si vero interrogatoria relata apparerent, seu *registrata* (ut loquuntur) ante testium depositiones, disputari posset, an validus esset processus. Pro validitate scilicet respondit sacrorum rituum Congregatio in causa Florentina S. Julianæ de Falconeriis super validitate processuum, me Fidei Promotore, die 2. Martii 1709. sed postquam Postulatores demonstrarunt, Notarium inseruisse interrogatoria ante testium depositiones in extensione seu explanatione processus, interrogatoria autem ipsa semper fuisse clausa, juxta decreta san. mem. Innocentii XI.

19. Nonnulla adjungenda sunt de testimoniis nonnullorum in his causis. Summi Pontifices nunquam, quod sciam, testimonium tulerunt in causis Beatificationis & Canonizationis Servorum Dei; sed in bullis Canonizationum dedignati non sunt ea proferre, quæ sciebant de vita & moribus eorumdem. Gregorius Papa IX. in bulla Canonizationis S. Francisci de Assisio (*in nov. cod. Can. pag. 62.*) ita locutus est: *Cum igitur gloriosæ vitæ ipsius insignia ex multa familiaritate, quam Nobiscum habuit in minori officio constitutis, plene cognita Nobis essent &c.* Consimilia sunt illa, quæ ab eodem Pontifice dicta sunt in bulla Canonizationis S. Dominici (*cit. cod. pag. 72.*) *Cum igitur ex multa familiaritate, quam Nobiscum in minori constitutis officio habuit, argumenta sanctitatis ipsius ex insignis vitæ testimonio constitissent.* Itemque Sixtus Papa IV. in bulla Canonizationis S. Bonaventuræ (*eodem cod. pag. 191.*) testatus est famam ejus sanctitatis, necnon miraculorum ejusdem intercessione a Deo patratorum: *Audiveramus quoque ab antiquioribus præfatæ Religionis Fratribus, & gravibus viris, quod & ipsi a majoribus natu acceperant, de sanctimonia vitæ ejus constantem famam esse, sciebamus de multis maximisque miraculis, nec erat præterea apud Nos dubium, quin . . . triumpharet in cælo, & venerationem mereretur in terris.* Reges quidem olim in his causis testimonium reddiderunt, inter quos Alphonsus Rex Aragoniæ in causa S. Vincentii Ferrerii, ut habetur apud Bollandianos *tom. 1. Aprilis pag. 524.* quod & nostris temporibus factum est, in causa videlicet Servi Dei Francisci a Puero Jesu, & in causa Servi Dei Simonis de Roxas: nempe Reges aliquando per semetipsos deposuerunt, aliquando juraverunt & deposuerunt ministerio alius personæ ad id specialiter ab ipsis electæ. Cardinales quoque sanctæ Romanæ Ecclesiæ in his iisdem causis testes fuerunt; in citata scilicet causa S. Vincentii Ferrerii, uti legitur *loco supra memorato*; in causa S. Philippi Nerii, in cujus processu auctoritate ordinaria confecto anno 1595. octo Cardinales deposuerunt, teste Cepario *in director. lib. 2. cap. 6.* in causa S. Pii V. in cujus quoque processu auctoritate Cardinalis Millini Urbis Vicarii confecto sex Cardinales testati sunt, ut perhibet Castellin. *de certitud. glor. SS. pag. 111.* aliorumque Cardinalium attestationes juridico modo exceptas vidi in processibus causarum Servorum Dei Innocentii XI. & Gregorii Cardinalis Barbadici, dum fungebar munere Fidei Promotoris. Docet Pignatellus *consult. 41. tom. 4.* posse Cardinales in his causis testimonium reddentes suam attestationem dictare Notario ad eos misso, seclusis interrogatoriis. Verum id usu receptum non est, quo attento, resecantur tantum nonnulla interrogatoria, cum Cardinales suas in hoc judicio faciunt attestationes. Quatenus enim sine necessariis interrogatoriis deponerent, & extra Judicum præsentiam, eorum attestationes haberentur pro attestationibus extrajudicialibus; uti deductum fuit in causa Servi Dei Cardinalis Bellarmini, in qua consimiles allatæ sunt multorum Cardinalium attestationes. Interrogatoria autem, quæ resecantur, sunt illa generalia, an scilicet fuerint unquam de crimine inquisiti, an peccata confessi sint, an Communionis sacramentum obierint in Pascha, & his similia; uti bene ponderatum fuit in sacrorum rituum Congregatione in causa Servi Dei Alphonsi de Orosco super validitate processuum.

20. Postquam hæc jam scripta fuerant, occasio se obtulit iterum de hac materia agendi in sacrorum rituum Congregatione, in causa videlicet nuper memorata Servi Dei Gregorii Cardinalis Barbadici, disputatione instituta de validitate processuum ordinariorum, & Apostolicorum. Processus enim ordinarius Florentinus, & processus ordinarius Mutinensis continebant attestationes Cosmi III. Magni Ducis Etruriæ, & Ducis Mutinæ adhuc viventis hoc modo datas. Oblatis articulis & interrogatoriis, & ideo examine acceptato, convocatisque Judicibus, Subpromotore Fidei, & Notario, exhibita fuit scriptura, quam Principes se legisse testati sunt, necnon juramento affirmarunt, omnia in ea contenta esse vera; eamque deinde proprio charactere subscripserunt, suoque secretiori sigillo munitam Judici tradiderunt. Porro Archiepiscopus Philippensis in suis animadversionibus retulit & comprobavit, eodem modo fuisse exceptum examen Leopoldi I. Imperatoris in causa Ven. Servi Dei Dominici a Jesu Maria. Et sacra quidem Congregatio die 17. Julii 1734. validitatem prædictorum processuum approbavit. Animadversione autem dignum est, eodem processu Florentino exceptam fuisse eodem modo attestationem Cardinalis Francisci Mariæ Medicei. Sed id non obstat his, quæ modo dicta sunt, cum de examine Cardinalium verba faciebamus: Cardinalis enim Franciscus Maria Mediceus in eodem actu eodemque processu testimonium dabat una cum suo fratre germano Cosmo III. Magno Duce Etruriæ; idque efficiebat, ut uterque uno eodemque modo attestationem facere deberet. Quod, si seorsum a fratre attestatus esset, ejus examen excipi profecto debuisset juxta morem supra indicatum, quo in his causis excipiuntur ceterorum Cardinalium attestationes.

21. Demum (ut alibi etiam dictum fuit) prohibitum est exquirere, aut obtinere extrajudiciales attestationes in causis Beatificationis & Canonizationis Servorum Dei; uti desumitur ex decreto alias relato & iterum referendo, typis impresso inter decreta generalia: *Sacra rituum Congregatio, ut res hæc plane amplissima ac gravissima rite sancteque conficiatur, prohibet omnibus & singulis personis Ecclesiasticis tam Sæcularibus quam Regularibus, etiam S. Joannis Hierosolymitani, Societatis Jesu, vel aliorum quantumvis speciali nota dignorum, ne audeant ipsi per se, aut per alios capere informationes super sanctitate aut miraculis alicujus defuncti, neque ullo modo exquirere aut obtinere ad hunc effectum extrajudiciales testificationes aut subscriptiones, sub pœnis arbitrio sacræ Congregationis infligendis.* Disposita in hoc decreto fuerunt ampliata in decretis san. mem. Innocentii XI. §. 9. *Cum in decreto approbato a fel. record. Urbano VIII. die 12. Martii 1631. impresso in libello pag. 57. sacra Congregatio cognoscens, quod in hac re, utpote gravissima, rite sancteque procedendum esset, prohibuerit omnibus & singulis personis Ecclesiasticis tam Sæcularibus quam Regularibus, quantumvis speciali nota dignis, ne audeant per se, vel per alios capere informationes super sanctitate aut miraculis alicujus, nec ullo modo exquirere aut obtinere ad hunc effectum extrajudiciales testificationes aut subscriptiones, sub pœnis arbitrio ipsius sacræ Congregationis infligendis, illud confirmando jussit, quod hujusmodi extrajudiciales attestationes non solum exquiri aut obtineri non valeant, sed rursus, quod hactenus obtentæ sive in futurum obtinendæ non faciant aliquem gradum probationis, nec inferri possint in processibus tam ordinaria, quam Apostolica auctoritate fabricandis.* Itaque de more sacræ Congregationis est, ut, si in aliquem processum insertæ reperiantur attestationes extrajudiciales, approbetur quidem validitas processus, si legitima fundamenta ad id concurrant, sed clausula addatur, *demptis attestationibus extrajudicialibus*; uti desumitur ex decreto edito in causa Licien. Servi Dei Bernardini Realini die 5. Decembris 1693. in causa Neapolitana S. Jacobi de Marchia die 1. Octobris 1701. in causa Viennen. in Gallia S. Joannis Francisci Regis 8. Junii 1704. &, dum munere fungebar Fidei Promotoris, in causa Panormitana Servi Dei Aloysii La Nuza 28. Januarii 1713.

22. Designatio loci, in quo processus construi debet, & in quo testes sunt examinandi, pertinet ad examen validitatis processus, ut adnotarunt Rotæ Auditores in relatione S. Joannis de Deo *tit. de processu Granatensi §. Cum vero.* In more autem positum est, ut pro loco Audientiarum palatium Episcopale, & pro loco loci aula palatii, aut alius ipsius locus destinentur; item pro loco juramenti & examinis testium aliqua ecclesia, & pro loco loci aliquod ejusdem ecclesiæ sacellum deligantur. Et quidem in litteris remissorialibus, quæ typis impressæ sunt in decretis generalibus, ita legitur: *Hoc expresse servato, quod testes in ecclesiis, oratoriis, piisque locis, & in loco loci in iisdem deputato omnino interrogentur, eorumque dicta excipiantur.* Ideo vero introductum fuit, ut testium juramenta & examina reciperentur in locis sacris, quia existimatum fuit, loci religionem absterrere etiam posse testes tum a per-

a perjurio, tum a veritatis perturbatione. Petebantur antiquitus dispensationes & sanationes non solum, si testium examen confectum fuisset extra ecclesiam, oratorium, vel aliquem pium locum, sed etiam, si in aliquo sacello sive oratorio privato confectum fuisset. Hinc in causa Florentina S. Andreæ Corsini petita fuit & obtenta sanatio *nullitatis*, eo quia testes non fuerant examinati in loco sacro, sed in cubiculo Archiepiscopi, uti defumitur ex decreto edito 1. Martii 1625. Hinc in causa Granaten. S. Joannis de Deo petita fuit & obtenta sanatio nonnullorum actuum gestorum a Cardinali de Aragonia Archiepiscopo Toletano ægrotante in suo cubiculo; uti colligitur ex decreto edito die 1. Octobris 1674. Consimilisque sanatio obtenta fuit in processu Mutinensi confecto in causa Florentina Servi Dei Hippolyti Galantini, cum Mutinæ Dux fuisset examinatus in propria domo; sicuti desumere est ex decreto edito die 21. Aprilis 1668. Hinc petita fuit & obtenta facultas, ut in causa Neapolitana Servi Dei Hieronymi Vallachiæ Principissa Stilliani cum aliis de sua familia examinari posset in sacello sui palatii, dummodo facultas ipsa esset ab Ordinario approbata; veluti constat ex decreto edito die 10. Septembris 1630. Hinc denique concessa fuit Cardinali Portocarrero Archiepiscopo Tolerano potestas, ut in causa Servi Dei Simonis de Roxas examinare posset testes in sacello sui palatii, ubi Matriti habitabat, licet in litteris remissorialibus apposita esset clausula, ut testes examinari deberent in ecclesiis, oratoriis, piisque locis; uti pariter deducitur ex decreto edito die 28. Februarii 1682. At hodie sacellum sive oratorium palatii Episcopalis habetur pro loco sacro, ita ut in illo valide testes recipiantur; quomodo observatum fuit in causa Bononien. S. Catharinæ super validitate processus, referente Cardinali Fachenetto; in Neapolitana S. Andreæ Avellini super validitate processus, referente Cardinali Cybo; in Neapolitana Servi Dei Francisci Olympii super validitate processuum, referente Cardinali Casanate; in Valentina S. Paschalis de Baylon super validitate processuum, referente Cardinali de Maximis; in Mexicana Servi Dei Gregorii Lopez super validitate processuum, referente Cardinali de Noris; & dum fungebar munere Fidei Promotoris, in causa Montis Politiani 2. Martii 1720. atque in Florentina S. Julianæ de Falconeriis 23. Januarii 1723. Quodque notabilius est, quamvis sacellum sive oratorium privatum existens in aliqua domo non habeatur pro loco sacro ad rem præsentem, juxta deducta per Pignatellum *consult.* 203. *tom.* 1. in causa nihilominus Terracinen. Servi Dei Caroli a Setia oratorium existens in domo privata, sed in quo Missa celebrabatur, habitum fuit pro loco sacro, &, referente Cardinali Gabriellio, responsum fuit pro validitate processus die 2. Julii 1712. licet & ipse ratione loci, in quo fuerat expletum examen, validitatem processus impugnassem. Nec absimile est id, quod legitur apud Rosam *in addit. ad tractat. de Executor. litter. Apostol. n.* 295. *& n.* 299. ubi dicitur, sacellum palatii gentilitii Episcopi, & claustrum monasterii destinari posse in casu & ad finem, de quo agimus, pro recipiendis tum juramentis tum examinibus testium. Si porro in aliqua causa Beatificationis & Canonizationis Moniales essent examinandæ, Judex ad illas accedet, sive ad illarum monasterium, juxta textum *in cap. Mulieres, de judiciis, in 6.* ideoque examen expleri poterit vel in loco Confessionis, vel in loco sacræ Communionis, ut in causa S. Agnetis de Monte Politiano; vel etiam in *collocutorio*, uti factum fuit in causa Florentina Servi Dei Hippolyti Galantini, in qua responsum fuit pro validitate processus, non obstante oppositione Petri Francisci de Rubeis tunc Fidei Promotoris, quod Monialium examen fieri debebat non in *collocutorio*, sed vel in loco Confessionis, vel in loco sacræ Communionis. Quatenus autem aliqua Monialis esset infirma, possent preces exhiberi sacræ Congregationi pro facultate *clausuram* ingrediendi; quod nempe petitum & obtentum fuit occasione processus, qui fiebat in causa S. Andreæ Avellini, summo Pontifice approbante; sicuti colligitur ex decreto typis impresso in Actis dictæ causæ collectis a Caggiano *pag.* 104. Aliquæ vero cum adsint Moniales strictissimæ observantiæ, quæ videri non possunt, has dicunt examinari posse, licet non videantur, dummodo ex vocis diversitate personarum diversitas deprehendatur; ut ex Pignatello *consult.* 40. *tom.* 1. Verum id in praxi positum crederem periculosum: quocirca satius esset in ipso rei eventu sacræ Congregationi supplicare, ut ejus consilio & intercessione summus Pontifex Monialibus indulgeret, ut a Judicibus, & aliis, qui processui interveniunt, videri possent in actu examinis. Neque est omittendum, si tractetur vel de parva ecclesia, vel de sacello seu oratorio, superfluum esse destinare locum loci; cum ecclesia, & oratorium simul & semel sit locus, & locus loci, quemadmodum adnotavit Rosa *in addit. ad tract. de Executor. litter. Apostol. num.* 300. item, quamvis in quolibet actu tum locus, tum locus loci fint exprimendi, uti prosequitur Rosa *loc. cit. num.* 294. si tamen id omitteretur, non proinde examen *nullitate* laborare. Ut enim concedamus, dictæ designationis expressionem dici posse de forma, adhuc illius omissio esset parvi momenti, quia tum forma, tum decretum irritans procedunt, non quoad accidentalia, sed quoad substantialia judicii; sicuti late probat Lezana *consult.* 1. *num.* 127. & sicuti, ceteris prætermissis, admissum fuit in causa Forolivien. S. Peregrini 12. Septembris 1716.

CAPUT QUINQUAGESIMUM.

De aliis necessariis ad constructionem Processus.

1. ABSOLUTO testium examine, officium est Judicum deligere Scribam pro transcribendo processu; & hæc exscriptio dicitur etiam *exemplatio*: ille autem, qui deligitur ad transcribendum, debet præstare juramentum de fideliter transcribendo, & de servando secretum, ut animadvertit Rosa *in addit. ad tractat. de Executor. litter. Apostol. num.* 311. Porro possunt Judices quamcumque personam ipsis libuerit, dummodo apta sit & honesta, in exscriptorem processus deligere, etiamsi esset causæ Procurator, vel Religiosus ejusdem Religiosi Ordinis, quem Servus Dei, de cujus agitur Beatificatione, professus est; præter juramentum de fideliter adimplendo suum ministerium, & de servando secretum, urget animadversio, quod vis in casu & ad finem, de quo agitur, non stat in exscriptione, sed in auscultatione & collatione. Ideoque in causa Carthaginien. Servi Dei Petri Claver sacra Congregatio occasione signaturæ Commissionis admisit validitatem processus ordinarii, licet exscriptio facta fuisset a Procuratore causæ, & licet id esset oppositum a Fidei Promotore, non nisi fidelitas seu concordia transcripti cum originali non dependet ab exscriptione, sed ab auscultatione & collatione. Urgente vero necessitate, exscriptio ipsa fieri etiam valet, antequam fuerit processus omnino absolutus, dummodo facultas a sacra Congregatione petatur, si versemur in processu Apostolico, vel ab Ordinario, si agatur de processu, qui fiat auctoritate ordinaria; & dummodo serventur cautelæ, de quibus in sequenti decreto, quod factum fuit in causa Viterbien. B. Hyacinthæ de Marescottis: *Sacra rituum Congregatio censuit, posse concedi facultatem Judicibus delegatis pro conficiendo processu in civitate Viterbiensi super sanctitate vitæ, virtutibus, & miraculis dictæ Servæ Dei, ut possint, pendente fabricatione dicti processus, eligere Scriptorem sibi bene visum, eique consignare partem processus compilatam, & in dies compilandam ad effectum illam exemplandi, facta tamen per dictum Scriptorem in actu electionis obligatione de reconsignando ipsis Dominis Judicibus quodlibet quinternulum originalis cum illius copia statim completa, & ab eisdem restituenda sub sigillo, usquequo fuerit collationanda. Die 26. Aprilis 1692. Et Sanctissimus annuit, die 30. ejusdem mensis & anni.*

2. Exscriptionem sequitur auscultatio seu collatio: de auscultatione autem seu collatione ita habetur in formula litterarum remissorialium, & compulsorialium inter decreta generalia; *Ipsorumque testium attestationes, dicta, depositiones, necnon Acta, citationes, & alitata quæcumque transcribi fideliter faciatis; necnon collationem seu auscultationem supradictorum omnium per vos ipsos Judices, vel saltem duos ex vobis conjunctim, adhibito alio Notario, qui etiam juramentum præstet, ut supra, faciatis.* Ideoque, ut rite & recte fiat collatio seu auscultatio, hæc debent ad effectum produci, de quibus etiam Rotæ Auditores in relatione causæ Martyrum

UAB Biblioteca de Ciències Socials

rum Japonenſium *art. 1. de proceſſib. remiſſorialib.* Ad Judices ergo primo pertinet alium Apoſtolicum, ſive Eccleſiaſticum Notarium deſtinare una cum Notario Actuario pro conferendo tranſumpto ſeu copia proceſſus cum Actis originalibus: nec enim, regulariter loquendo, admittitur, ut alius eſſe poſſit Notarius adjunctus quam ille, qui Notarius eſt auctoritate Apoſtolica, vel Eccleſiaſtica; uti, dum fungebar munere Fidei Promotoris, reſpondit ſacrorum rituum Congregatio in Uratislavien. B. Ceslai 27. Februarii 1712. Secundo, deferri debet huic Notario adjuncto juramentum de fideliter adimplendo munus ſibi commiſſum; uti reſpondit ſacra Congregatio in Veneta, ſeu Mediolanen. Servi Dei (nunc Beati) Hieronymi Æmiliani 26. Septembris 1631. Tertio, collatio & auſcultatio ita fieri debet per Notarium Actuarium, & alium Notarium adjunctum coram Judicibus & Subpromotore, ut non ſufficiat, collationem fuiſſe inceptam coram Judicibus, niſi etiam conſtet fuiſſe ad exitum perductam coram iiſdem; veluti colligitur ex formula litterarum remiſſorialium: *Collationem ſeu auſcultationem ſupradictorum omnium per vos ipſos Judices, vel ſaltem duos ex vobis conjunctim, adhibito alio Notario, qui etiam juramentum præſtet, ut ſupra, faciatis*; & ſicuti, reprobando Pignatellum, qui *conſult. 232. tom. 1.* ſcripſerat, ſatis eſſe, ſi conſtaret de initio collationis coram Judicibus, bene firmavit Contelorius *de Canonizat. SS. cap. 24. num. 35.* quem ſequitur Roſa *in addit. ad tractat. de Executor. litter. Apoſtol. num. 315. & ſeq.* Quarto, ſi contingat inter legendum, aliquos errores adnotari, Judices mandare debent, ut tranſumptum corrigatur; tum cuicumque correctioni ſive emendationi, quæ adnotabitur in margine exſcriptionis, ſubſcribere debent Judices, Subpromotores, & Notarii. Quinto, peracta collatione & auſcultatione, uterque Notarius fidem facere debet eamdem fuiſſe a ſe ipſis factam diligentiſſime; & Judices, præſentibus Subpromotoribus, declarare debent, tranſumptum fuiſſe coram ſe, & Subpromotoribus bene audientibus & intelligentibus auſcultatum & collatum, necnon fideliter ac legitime confectum, & in omnibus & per omnia concordare cum actis originalibus, plenamque fidem mereri in judicio, & extra, perinde ac ſi eſſet idem proceſſus autographus. Denique, cum Judices remiſſoriales ſint plures, hoc eſt ad minimum duo, advertendum eſt, ne unus ſeparatim ab alio decreta interponat ſuper deſignatione ſeu deputatione Notarii adjuncti, & collatione ſive auſcultatione: id enim *nullitatis* vitium transfunderet in auſcultationem & collationem, cum unus ſine alio nihil poſſit operari, atque adeo ad novam auſcultationem & collationem eſſet deveniendum; juxta decretum ſacræ Congregationis in Veneta Servi Dei (nunc Beati) Hieronymi Æmiliani 26. Septembris 1631. *Cum in proceſſu Bergomenſi Judices pro deputatione Notarii, dictique proceſſus collatione, clauſura, & tranſmiſſione ad Urbem ſeparatim decreta interpoſuerint, eadem ſacra Congregatio cenſuit, auſcultationes & collationes eſſe de novo faciendas, ſervata omnino forma remiſſorialium.*

3. Auſcultationem ſeu collationem ſequitur ſubſcriptio Actorum, quæ a Judicibus expleri debet. De hac ſubſcriptione ita legitur in litteris pro Patriarchis, Archiepiſcopis, & Epiſcopis inter decreta generalia: *Eaque* (ſcilicet Acta) *quanto citius poterit, authentice tranſcripta, ac ſigillo obſignata ad ſacram rituum Congregationem tranſmittere.* Et in formula litterarum remiſſorialium, & compulſorialium in genere: *Omniaque clauſa, veſtriſque ſigillis, aut duorum veſtrum munita, prævio prius juramento per fidelem Nuntium ſeu Portitorem præſtito, ad nos tranſmitti curetis.* Sed, inhærendo conſuetudini, poſt Acta, de quibus dictum eſt, Portitor deſtinatur; deinde Judices una cum Subpromotoribus & Actuario ad calcem proceſſus ſubſcribunt, ut adnotarunt Contelorius *de Canoniz. SS. cap. 23. num. 8.* & Roſa *in addit. ad tract. de Executor. litter. Apoſtol. num. 318. & num. 320.* ſi vero proceſſus fiat in Urbe, ſubſcribi debet etiam a Protonotario, alias nullam fidem faceret, juxta decreta generalia Urbani VIII. *Quod examen prædictum debeat eſſe ſubſcriptum ab ipſo Domino Protonotario, alias examen nullam faciat fidem*: tum, præter ſubſcriptiones, obſignatur ab interiori parte tranſumptum ſigillis ipſorum Judicum; & de his omnibus rogari debet Notarius Actuarius, ſub cujus *rogito* addenda eſt *legalitas* Epiſcopi. Et hæc quidem explenda ſunt ad normam ſequentis decreti ſacræ Congregationis: *Fuit decretum a ſacra rituum Congregatione, ut in poſterum in litteris remiſſorialibus, attenta difficultate recognoſcendi ſigilla & manus Judicum, in fine proceſſus inſeratur atteſtatio Notarii ſuper recognitione dictæ manus, & quod ſigilla ſunt talis formæ, deſignando illam præciſe, una cum legalitate Epiſcopi pro comprobanda identitate tam manus, quam eorumdem ſigillorum. Die 11. Januarii* 1681. Id ipſum ſuadetur etiam in formula litterarum remiſſorialium: *Tranſcriptionem & tranſumptum hujuſmodi cum originalibus auſcultari, collationari & concordari faciant; eamdemque tranſcriptionem & tranſumptum ab eiſdem præſentium executoribus Judicibus ſubſcriptum, eorumque ſigillis munitum, & in publicam formam redactum cum atteſtatione Notarii Actuarii facienda & apponenda in fine ſuper recognitione manuum, ſubſcriptionum, & ſigillorum dictorum Judicum, exprimendo etiam formam & qualitatem dictorum ſigillorum, cum ſubſecutiva legalitate Amplitudinis tuæ*, hoc eſt, Epiſcopi, in cujus diœceſi proceſſus conficitur &c. Nempe modus hic ſubſcribendi & obſignandi inventus eſt, ut facilius fieri poſſit in Urbe recognitio, poſtquam ad eam proceſſus fuerit delatus. Si enim prædictus modus fuerit ſervatus, ſatis erit, ad recognitionem in Urbe faciendam proceſſus, recognoſcere ſubſcriptionem & ſigillum *legalitatis* Epiſcopi diœceſani; nec ulla aderit neceſſitas recognoſcendi manus, ſubſcriptiones, & ſigilla aliorum Conjudicum ſubſcribentium, quæ difficilior evadit, ſi fuerint delegati Canonici, & Dignitates eccleſiarum Cathedralium, uti ſæpe contingit. Tandem fit concluſio & obſignatio tranſumpti ab exteriori parte; quæ ſi fiat cum ſigillis omnium Judicum, redit difficultas de recognitione in Urbe facienda: ideoque in citata formula remiſſorialium dicitur, tranſumptum eſſe *ab extra* obſignandum ſigillo tantum Epiſcopi diœceſani: *& ab extra obſignata eodem tuo ſigillo tantum.* Exterior autem inſcriptio tranſumpti debet exprimere illud eſſe tranſumptum proceſſus Apoſtolica auctoritate confecti in cauſa talis Servi Dei, debetque eſſe directa Congregationi ſacrorum rituum: tum de occluſione atque obſignatione ab exteriori parte, necnon de ipſius tranſumpti traditione Portitori, ut ſupra deputato fit publicum inſtrumentum ſeparatum, quod Portitori ipſi traditur, ut una cum tranſumpto id Romam deferat, & in Actis ſacræ Congregationis exhibeat.

4. Scribenda eſt etiam a Judicibus epiſtola ſacræ Congregationi de fide teſtibus examinatis tribuenda, aut non tribuenda. Mos, ut Judices delegati ſcribant Delegantibus epiſtolam, in qua ipſos faciant certiores de omnibus rite peractis, & de fide teſtibus examinatis habenda, antiquior eſt epiſtola encyclica, & formula litterarum remiſſorialium, quemadmodum colligitur ex Actis cauſæ S. Raymundi congeſtis & editis a Penia *pag. 275.* Ibi etenim refertur epiſtola Judicum delegatorum ad Cardinales Congregationis ſacrorum rituum, ubi inter cetera hæc habentur: *Necnon & quod omnes teſtes, qui in hujuſmodi negotio depoſuerunt, & teſtimonium perhibuerunt veritatis, ſunt nempe ex viris multi eorum omni exceptione majores, & ceteri utriuſque ſexus homines bonæ vitæ, & famæ, & converſationis honeſtæ ac exemplares, demum tales, quod eorum dictis & atteſtationibus in judicio & extra plenaria ab omnibus venit fides adhibenda abſque omni contradictione, in quantum humana fragilitas noſſe ſinit.* Id etiam colligitur ex Actis cauſæ S. Andreæ Avellini congeſtis & editis a Caggiano *pag. 110.* ubi refertur epiſtola Judicum delegatorum ad Rotæ Auditores, qui litteris ad illos expediverant pro conſtructione proceſſus: *Quale poi e quanta fede s'abbia d'avere a i teſtimonj eſaminati, coſa ricercata principalmente dalle Signorie voſtre Reverendiſſime, li diciamo, che è tanto grande la loro religione e la bontà della vita, che non vi ſi ha d'avere dubbio veruno.* Supervenerunt poſtea epiſtola circularis, & formula litterarum remiſſorialium. In littera ſcilicet circulari ita legitur: *De his autem Actis per te, aut juſſu tuo confectis certiorem ſtatim reddere debebit Amplitudo tua ſummum Pontificem.* In formula vero litterarum remiſſorialium, & compulſorialium: *Significantes nobis non ſolum generaliter, quæ fides teſtibus deſuper examinatis ſit adhibenda, ſed etiam particulariter ſuper his, quæ per eoſdem teſtes depoſita fuerunt, & an in deponendo aliquid viderint, per quod reddatur ſuſpecta eorum depoſitio.* Ex quorum proinde verborum ſenſu plane deſumitur, nihil aliud præcipi in epiſtola circulari, quam ut Ordinarius ſanctam Sedem admoneat de proceſſu a ſe confecto, neceſſitatem autem ſanctam ipſam Sedem certiorem reddendi de fide teſtibus examinatis tribuenda derivari a formula litterarum remiſſorialium, & per conſequens eſſe coercitam intra ſolos Apoſtolicos pro-

UAB Biblioteca de Ciències Socials

proceſſus, uti, dum fungebar munere Fidei Promotoris, bene perpenſum fuit a ſacra Congregatione in Corduben. Servi Dei Joannis Baptiſtæ a Conceptione 13. Decembris 1720. & in Romana Servi Dei Nicolai a Longobardis 7. Julii 1725.

5. Si itaque fuerit confectus proceſſus Apoſtolica auctoritate ab iiſdem Judicibus, quibus inſcriptæ fuerunt litteræ remiſſoriales, ſcribenda erit ab ipſis, hoc eſt ab eis, qui proceſſui aſtiterunt, epiſtola prædicta ſacræ Congregationi. Sed, ſi proceſſus non fuerit ab eis confectus, ſed ab aliis Subdelegatis, eo quia videlicet commiſſa eſt confectio proceſſus una cum facultate ſubdelegandi, uti paſſim contingit in Urbe, in qua (juxta alibi dicta) confectio proceſſuum committitur Cardinali Vicario; tunc epiſtola a Subdelegatis ſcribenda eſt ad Delegatum, qui aliam epiſtolam ſcribere debet ſacræ Congregationi rationem habens prædictæ, eamdemque ſimul mittens. Id quippe in more poſitum vidimus, ut cetera prætereantur exempla, anno 1726. & anno 1727. dum fungebamur munere Fidei Promotoris, in tribus proceſſibus Apoſtolicis ſuper fama ſanctitatis in genere, qui fuerunt conſtructi a Judicibus ſubdelegatis a Cardinali Vicario in cauſis Servorum Dei Joſephi Mariæ Cardinalis Thomaſii, Nicolai a Longobardis, & Antonii Baldinuccii. Quod tamen fieri non debet in caſu, ubi ageretur de proceſſu confecto per Subdelegatum a Cardinali Vicario ſuper non cultu, vel ſuper caſu excepto: ſi etenim ſententia ex ſupra dictis ferenda eſt ab eodem Cardinali Vicario, quia ipſemet debet totum proceſſum conſiderare, in hoc rerum ſtatu ſuperflua eſt epiſtola Subdelegati ad eumdem; & ſuperflua eſt etiam epiſtola ejuſdem ad ſacram Congregationem, eo quia, ſententiam ferendo favorabilem, aut contrariam intentioni Poſtulatorum, ſatis indicat, utrum ſit, necne, fides teſtibus tribuenda, & an eorum dicta ſint magni momenti, ſeu (ut ajunt) *relevantia*. Quatenus autem quis quæreret, cur Judicum, qui proceſſus confecerunt auctoritate Apoſtolica, epiſtola ſupradicta requiratur, reſponſio utique huic danda non deeſt; cum ſcilicet in examine teſtium nonnulla aliquando præſentibus innoteſcant, quæ vix ab abſentibus deprehendi poſſunt, juxta textum *in l. Teſtium §. Ideoque ff. de teſtibus. Tu magis ſcire potes* (inquit Hadrianus Vivio Varo Legato provinciæ Ciliciæ, qui in graviſſima cauſa examini teſtium interfuerat) *quanta fides habenda ſit teſtibus; quin & cujus dignitatis, & cujus exiſtimationis, &, qui ſimpliciter viſi ſint dicere, utrum unum eumdemque & præmeditatum ſermonem attulerint; an ad ea, quæ interrogaveris, ex tempore veriſimilia reſponderint.*

6. Doctores quæſtionem promovent de termino, infra quem abſolvendus eſt proceſſus, qui conficitur in cauſis Beatificationis & Canonizationis, uti videri poteſt apud Pignatellum *conſ. 249. num. 1. tom. 10.* Olim Fidei Promotores contendebant, in executione harum litterarum attendendum eſſe tempus ſtatutum *in l. 1. & in l. ult. C. de dilationibus, & in can. Induciæ §. Spatium 3. qu. 3.* Poſtulatores autem excipiebant, prædicta jura procedere propter præjudicium *Collitigantis*, & ideo non aptari cauſis Beatificationis & Canonizationis, multoque minus, quia, ſicuti dictarum legum diſpoſitio non procedebat in cauſis, quæ erant introductæ in ſacrum Principis Conſiſtorium, juxta textum *in l. cum antelationibus §. Si tamen C. de temporib. appellat.* ita nec procedere proterat in cauſis memoratis Beatificationis & Canonizationis, quæ coram ſummo Pontifice diſcutiuntur. Editum itaque eſt pro ſubmovenda hac controverſia a ſummo Pontifice Alexandro VII. die 2. Octob. 1655. ſequens decretum, quod etiam fuit innovatum in cauſa Januen. S. Catharinæ Adurnæ 2. Junii 1685. *Cum in litteris remiſſorialibus hactenus expeditis per ſacram rituum Congregationem ad conficiendos proceſſus in cauſis Beatificationum & Canonizationum non conſueverit præfigi certus terminus, & in diſcutiendo validitatis articulo ſæpius dubitatum fuerit, num terminus legalis præſcriptus de jure in l. prima & in l. final. de dilationibus, & in can. Induciæ 4. §. Spatium 3. quæſt. 3. attendendus ſit in hujuſmodi cauſis, Sanctiſſ. Dominus noſter Alexander Divina diſpoſitione Papa VII. ad tollendas hujuſmodi hæſitationes, conſulendumque abuſibus qui in cauſis tam arduis quomodolibet irrepere poſſent ex dilatione & procraſtinatione executionis dictarum litterarum remiſſorialium, in Congregatione habita die 2. Octobris 1655. ve etiam cum Eminentiſſ. Cardinalibus ejuſdem Congregationis communicata & mature perpenſa, ſtatuit & decrevit, in litteris remiſſorialibus in poſterum expediendis certum terminum a die conceſſionis earumdem litterarum omnino computandum aſſignari ac exprimi debere; quo elapſo, & non obtenta illius prorogatione ſeu conceſſione novi termini, proceſſus tam inchoati, quam inchoandi ex defectu juriſdictionis nullius roboris ac momenti exiſtant, nec ullum probationis gradum conſtituant, ſed potius irriti & inanes ſint. Utque deinceps nullus dubitationi locus relinquatur, dictumque decretum inviolabiliter obſervetur, illud noviſſimis decretis juſſu ſel. record. Urbani VIII. editis adjici mandavit.*

7. Colligitur ex hoc decreto, etiamſi in litteris remiſſorialibus præſtitutus ſit terminus, intra quem confici debet proceſſus, peti tamen poſſe, antequam ille ſit elapſus, ejus prorogationem, quæ non ſemel, ſed bis & ſæpius a ſacra Congreg. ordinaria conceditur. Colligitur etiam, in præſcriptione termini exprimi debere in litteris remiſſorialibus, ut ille incipiat computari a die conceſſionis litterarum remiſſorialium: quæ quidem ſpecificatio ut plurimum fieri conſuevit in ipſis litteris; ſed, quia aliquando omittitur, examinare nunc opus eſt, utrum in eo rerum ſtatu terminus præſtitutus computari debeat a die in litteris adſcripta, quam *diem Datæ* vocant, an a die exhibitionis earumdem litterarum. De jure in reſcriptis gratiæ tempus decurrere incipit a die Datæ, juxta textum *in cap. Si eo tempore, de reſcriptis in 6.* ubi: *Cum tempore Datæ ipſarum adhuc non eſſes idoneus.* Qua de cauſa in ſacra Congregatione Indulgentiarum deliberatum fuit, ut in Indulgentiarum materia tempus decurrere incipiat a die Datæ, non a die promulgationis: *Diſcuſſo dubio in ſacra Congregatione Indulgentiis & ſacris Reliquiis præpoſita, an, attentis verbis, quæ in Brevibus Indulgentiarum apponi ſolent, præſertim ad ſeptennium tantum valituris, ſeptennii initium a die publicationis Brevis deſumendum ſit; eadem ſacra Congregatio die 18. Maji 1711. declaravit, non a die publicationis, ſed a die Datæ Brevis ſeptennii tempus incipere.* E contrario autem in reſcriptis juſtitiæ, & contentioſis tempus decurrere incipit a die exhibitionis, non vero a die adſcripta, juxta textum *in cap. Super eo 12. de appellation.: Si autem infra certum tempus lis decidenda committitur, ex tunc terminus incipit currere, cum Judices contigerit litteras recepiſſe.* Igitur conſequens eſt, ut in noſtra hypotheſi, in qua ex alibi dictis cauſæ Beatificationis & Canonizationis judiciales & quodammodo contentioſæ factæ ſunt, terminus præſtitutus in remiſſorialibus, nulla facta ſpecificatione, incipere debeat a die exhibitionis. Fuit hic articulus ſolemniter examinatus Limæ in conſeſſu doctorum virorum occaſione proceſſus, qui auctoritate Apoſtolica conficiebatur in cauſa Servi Dei Joannis Maſſias Ordinis Sancti Dominici; & ſane omnes in ea fuerunt ſententia, ut terminus præſtitutus in remiſſorialibus computandus eſſet non a die adſcripta, ſed a die exhibitionis. Cumque ſacra Congregatio die 14. Junii 1714. validitatem dicti proceſſus approbaverit, nec non in examine dictæ cauſæ fuerint adducta ſuffragia eorum, qui ſic Limæ conſuluerant; nulla videtur ſupereſſe poſſe dubitatio, quin terminus in remiſſorialibus expreſſus decurrere incipiat a die exhibitionis, non autem a die adſcripta, quando juxta decretum Alexandrinum in dictis litteris non ſimul exprimitur, illum eſſe a die adſcripta computandum.

8. Authenticum exemplum ſeu tranſumptum proceſſus ſive ordinarii, ſive Apoſtolici ad ſacrorum rituum Congregationem mittitur; ſed originalia debent conſervari in archivo Archiepiſcopali, vel Epiſcopali illius loci, in quo proceſſus confectus eſt, ut habetur in Epiſtola circulari ſupra memorata: *Originalia vero eodem modo conſignata, & in capſa clauſa pluribus clavibus, quæ diverſis ad arbitrium tuum cuſtodiendæ tradantur, in archivo Patriarchali conſerventur.* Quamvis enim epiſtola circularis tantum reſpiciat proceſſum ordinaria auctoritate confectum ſuper fama virtutum, aut Martyrii, & miraculorum; ex inſtituto nihilominus ſubinde receptum eſt, ut ſimilis conſervatio fiat in quibuſcumque aliis proceſſibus, qui fiunt ſive auctoritate ordinaria, ſive Apoſtolica. Fuit vero id prudenter introductum non ſolum, ut autographa conſerventur in loco proportionato, ſed etiam ut, aliqua exorta diſputatione quoad aliquam particulam exempli, quam vel Poſtulatores, vel Fidei Promotor contendant non concordare cum autographo, confugi poſſit ad ipſum autographum. Deperditur etiam aliquando exemplum, antequam in Acta ſacræ Congregationis tradatur, & aliquando etiam contigit, ut exemplum jam traditum in Acta ſacræ Congregationis amiſſum ſit, vel quia antiquioribus temporibus, (ut alias viſum fuit) exempla jam tra-

dita sacræ Congregationis Postulatoribus commodabantur, vel quia nunc commodantur Cardinali Relatori, & Fidei Promotori; quod efficit, ut impossibilis non sit casus fortuitæ amissionis. Specimen necessitatis revidendi processum autographum propter controversiam exortam circa concordiam inter particulam exempli, & particulam autographi desumi potest ex decretis editis in causa Servi Dei (nunc Beati) Hieronymi Æmiliani 19. Septembris 1665. in causa Servi Dei Laurentii de Rovello 7. Augusti 1690. in causa Avenionen. Servi Dei Cæsaris de Bus 1. Septembris 1696. in causa Cracovien. B. Joannis Cantii 5. Julii 1698. Specimen vero deperditi processus, ita ut opus fuerit conficere novum exemplum, desumi potest ex decretis in causa Limana Servi Dei Martini de Porres, & in alia causa Limana Servi Dei Joannis Massias 22. Aug. 1693. in causa Vallisoletana Servi Dei Ludovici a Ponte 3. Decembris 1700. & in Ferrarien. B. Luciæ de Narnia 23. Junii 1703. Quando agitur de simplici concordia alicujus particulæ exempli cum particula autographi, sacrorum rituum Congr. scribit Episcopo, in cujus archivo extat autographum, illique demandat, ut, præsente Promotore Fiscali, accitoque Notario Ecclesiastico, videat, utrum particula concordet, an discordet cum autographo, publicumque mittat instrumentum quoad ipsam concordiam, vel discordiam. Sed, si processus deperditus sit, ita ut novum fieri debeat authenticum exemplum, tunc in hoc conficiendo novo authentico exemplo servandæ sunt omnes solemnitates, quæ ad normam decretorum servatæ fuerunt, cum factum fuit primum jam deperditum. Ideoque, exorantibus Postulatoribus citatæ causæ B. Luciæ de Narnia pro litteris particularibus, ut novum exemplum processus mitteretur, sacra Congregatio die 23. Junii 1703. annuit quidem petitis; sed, quia agebatur de processu confecto super casu excepto, mandavit, ut in confectione novi exempli sequentes adimplerentur conditiones, quemadmodum colligitur ex epistola sacræ Congregat. ad Ordinarium Ferrariensem scripta prædicta die 23. Junii 1703. Prima scilicet ex conditionibus est, ut fiat in archivo perquisitio processus autographi, præsente Promotore Fiscali. Secunda, ut Episcopus mandet, ut fiat exemplum sive exscriptio per Notarium Apostolicum, sive Ecclesiasticum, quem debet destinare. Tertia, ut Notarius deputatus juret de fideliter exercendo officium sibi commissum. Quarta, ut ab eodem Ordinario, completo exemplo, deligatur Notarius adjunctus pro collatione facienda, qui similiter præstet juramentum de fideliter exercendo munus sibi commissum. Quinta, ut fiat collatio coram Ordinario, & Promotore Fiscali inter prædictos duos Notarios. Sexta, ut Ordinarius interponat decretum super legitima & fideli collatione sive auscultatione. Septima, ut idem Ordinarius subscribat exemplum, & proprio illud muniat sigillo. Octava, ut Portitor ab Ordinario eligatur, qui pariter juramentum præstet de fideliter exercendo munus sibi commissum. Ultima est, ut exemplum ab exteriori parte obsignetur ipsius Episcopi sigillo. Item in allegatis causis Limanis Servorum Dei Martini de Porres, & Joannis Massias, in quibus agebatur de processibus confectis super virtutibus & miraculis in specie auctoritate Apostolica, sacra Congregatio litteras utique concessit pro confectione novi exempli, illasque inscripsit Archiepiscopo Limano, ejusque Suffraganeo, necnon Decano, Archidiacono, Cantori, Magistro Scholæ, & quatuor Canonicis senioribus ecclesiæ Metropolitanæ, qui fuerant Judices in confectione processus; attamen mandando, ut devenirent ad novum conficiendum exemplum cum præsentia & interventu dicti Reverendiss. Archiepiscopi, ejusque Suffraganei insimul cum duabus saltem dictis Dignitatibus, seu Canonicis, & servata in nova exscriptione processus forma præscripta in primis litteris remissorialibus, in quibus fuit illis commissa processus confectio. Quin immo, sicuti, agendo de confectione processus Apostolici, si tres Episcopi non reperiantur, qui ejus confectioni assistere possint, inscribuntur litteræ Episcopo, & tribus vel quatuor Dignitatibus cum clausula, ut Episcopus cum duabus vel quatuor Dignitatibus, seu, impedito Episcopo, quatuor Dignitates insimul procedant; ita, si res sit de nova exscriptione processus, & tres Episcopi non inveniantur, qui possint illi interesse, litteræ inscribuntur Episcopo, vel quatuor Dignitatibus, seu Canonicis cum clausula, ut Episcopus cum duabus Dignitatibus, seu Canonicis, vel quatuor Dignitates, seu Canonici novæ exempli confectioni assistant, uti colligitur ex citato decreto in causa Vallisoletana Servi Dei Ludovici a Ponte 3. Decembris 1700.

CAPUT QUINQUAGESIMUMPRIMUM.

De nonnullis aliis requisitis in confectione nonnullorum processuum, & de omnium processuum apertione in Urbe facienda auctoritate sacræ Congregationis.

1. IN formula litterarum remissorialium, & compulsorialium pro conficiendis Auctoritate Apostolica in specie processibus habentur hæc verba quoad visitationem sepulcri Servi Dei, de cujus agitur Canonizatione: *Insuper vobis Judicibus prædictis, ut supra, committimus & mandamus, ut pro finali complemento præmissorum sepulcrum seu tumbam, in quo seu in qua dicitur reconditum corpus dicti Servi Dei, & alias ejus memorias adhuc existentes visitetis atque aperiatis, illudque & illas cum omnibus & singulis suis circumstantiis & qualitatibus recognoscatis & describatis, recognoscique & describi faciatis; nec quivis alius, cujuscumque fuerit status, dignitatis, & conditionis, etiam Ducalis, Archiducalis, & Regia, Ecclesiasticæ, vel laicalis dignitatis, aliquid in dicto sepulcro seu tumba ponere, vel ex eo seu ea subtrahere auferve vel subjicere, etiam ex devotione, audeat vel præsumat, sub pœna excommunicationis latæ sententiæ eo ipso auctoritate ejusdem sacræ Congregationis, de qua supra, incurrenda, a qua non nisi a Romano Pontifice possit absolvi; sed omnia, prout in visitatione & recognitione hujusmodi fuerunt inventa, eodem in statu, loco & modo relinquantur, & in suo pristino statu reponantur. Actus autem visitationis & recognitionis hujusmodi respectu sepulcri secrete fiat, adhibitis tantum iis personis cum dicto Subpromotore Fidei, quæ vobis videbuntur, pro testimonio ferendo de repertis; ut concursus populi, & omnis occasio vel offensionis vel periculi evitetur.* Hæc autem, quæ modo deducta sunt ex formula litterarum remissorialium, & compulsorialium in specie, aliquam additionem exposcunt; cum non solum sepulcrum visitetur, quando fit processus in specie super virtutibus & miraculis, sed etiam, quando fit vel super non cultu, vel super cultu immemorabili: hac tantummodo intercedente differentia inter primum & reliquos duos casus, quod in primo visitatio fit ab interiori & ab exteriori parte, in reliquis autem duobus fit visitatio tantummodo ab exteriori, ut videlicet recognoscatur, an adsit cultus, vel an cultus sit antiquus & excedens metam centum annorum, juxta variam judiciorum super non cultu, vel super cultu immemorabili necessitatem. Quia vero aliquando factum est, ut in casu processus super cultu immemorabili visitatum etiam fuerit sepulcrum ab interiori parte, uti contigit in causis B. Helenæ Enselminæ, B. Joannæ filiæ Alphonsi V. Regis Lusitaniæ, B. Mariæ de Capite, S. Peregrini Latiosi, BB. demum Jacobi Illyrici, Antonii a Stronconio, Ollegarii, Joannis de Perusio, & Petri de Saxoferrato; hinc fit, ut, firma manente regula visitationis ab interiori & exteriori parte, cum fit processus in specie, visitationis autem ab exteriori, cum fit processus vel super non cultu, vel super casu excepto, non sine fundamento excogitari possit limitatio in hoc consistens, ut visitetur etiam sepulcrum ab interiori parte in casu processus super cultu immemorabili, aut casu excepto, si censeatur, corpus Servi Dei in illo tumulatum esse incorruptum, aut ex sepulcro odor emanet, qui pro supernaturali habeatur.

2. Si porro fiat processus in specie super miraculis sejunctus a processu super virtutibus, sicuti passim contigit in processu de his, quæ supervenerunt post Beatificationem formalem, vel æquipollentem, non est locus visitationi sepulcri, nisi in hypothesi, in qua articuletur continuatio integritatis beati corporis, vel continuatio odoris, aut etiam novus odor ex eo emanans; quemadmodum accidit in causis S. Mariæ Magdalenæ de Pazzis, & SS. Jacobi de Marchia, ac Joannis Nepomuceni.

3. Ut autem rite & recte visitatio sepulcri ad effectum perdu-

perducatur, debent Judices, accitis teſtibus, una cum Subpromotore, & Notario Apoſtolica, vel Eccleſiaſtica auctoritate creato, ſepulcrum per ſe ipſos viſitare, & Notarius publicum conficere debet inſtrumentum de viſitatione ſepulcri a Judicibus facta: plurimumque expediet, ſi teſtes *inſtrumentarii* in conſpectu loci in continenti examinentur aut ſuper abſentia, aut ſuper præſentia cultus, juxta indolem cauſæ, in qua proceſſus conficitur, quemadmodum practice exponunt Matta *de Canonizat. SS. part.* 5. *cap.* 5. & Monacellus *in formular. leg. tom.* 2. *tit.* 15. *formul.* 18.

4. Expleri quoque debent ea omnia, ſi ſepulcrum viſitetur, ut probetur corpus eſſe incorruptum, vel ex eo odorem emanare: ſed in hac facti ſpecie vocandi etiam erunt duo, vel tres Medici, aut Chirurgi pro recognoſcendis integritate & odore. Aperto autem ſepulcro, deſcribi debent per Notarium locus & capſa, in qua corpus, indumenta, & alia aſſervantur; tum Judices mandare debent Medicis & Chirurgis, delato ipſis juramento de veritate dicenda, & de judicio recte ferendo ſuper prædictis juxta eorum artem & peritiam, ut diligenter corpus inſpiciant & recognoſcant, an ſit incorruptum, an odor emanet, & an is ſit ſupra naturam. Utque hæc fiant, corpus e capſa extrahitur, ipſis vero adimpletis, in capſa reponitur, & capſa pariter reponitur in loco, in quo erat. Denique die ſequenti, vel alia a Judicibus remiſſorialibus deſignanda debent comparere iidem Medici ſive Chirurgi coram iiſdem Judicibus, Promotore, ſeu Subpromotore, & Notario Actuario, & exhibere in ſcriptis ſuam relationem ſeu judicium ſuper integritate & odore corporis, allatis juxta artem rationibus, ob quas judicant, integritatem, aut odorem excedere, vel non excedere vires naturæ.

5. Putavit Pignatellus *conſult.* 37. *n.* 10. *tom.* 1. viſitationem ſepulcri committi etiam poſſe Notario laica auctoritate conſtituto, & *conſult.* 38. *tom.* 4. validam eſſe teſtium depoſitionem in viſitatione ſepulcri, quæ fit in judicio non cultus, etiamſi fuerit emiſſa, minime citato Pidei Promotore: & Matta *loco ſupra alleg.* ſcripſit, teſtes ex officio eſſe examinandos in viſitatione ſepulcri, ſive eadem fiat in proceſſu ſuper non cultu, ſive in proceſſu ſuper caſu excepto, quando fiunt auctoritate Apoſtolica. Sed hæ aſſertiones pro ſuo quæque reſpectu indigere videntur confutatione, atque explicatione. Id enim, quod dictum eſt de Notario laica auctoritate creato, non ſubſiſtit, cum ex alibi dictis in hiſce cauſis Notarius debeat eſſe auctoritate Eccleſiaſtica conſtitutus. Alterum de teſtium depoſitionibus excipiendis in materia non cultus, minime citato Fidei Promotore, admitti utique nequit in proceſſu ſuper non cultu, qui fiat auctoritate Apoſtolica; cum ex alibi quoque dictis, juxta formulam remiſſorialium, & Breve Fidei Promotoris, in omnibus & ſingulis actibus citari debeat. Poſtremum de viſitatione ſepulcri cum examine teſtium ex officio ſibi locum vindicare poterit, ſi id præſcriptum ſit in Remiſſoria, vel ſi ſepulcrum viſitetur, ut conſtet de corporis integritate, aut odore ab eo manante: tendit etenim hæc inſpectio ad miraculum, & quidem juxta decretum citatum Clementis XII. teſtes ex officio examinari debent, ſive agatur de virtutibus, ſive de miraculis.

6. Si non reperiatur ſepulcrum Servi Dei, de cujus agitur Canonizatione, hoc probato, ſummus Pontifex, aut ſacrorum rituum Congregatio cum illius approbatione indulget, ut ad ulteriora procedatur, omiſſa viſitatione ſepulcri. Exemplum eſſe poteſt ex cauſa B. Bernardi Ptolemæi Fundatoris Congregationis Olivetanæ. Cum etenim Jo. Gobellinus *in comment. Pii II.* referat, eum fuiſſe ſepultum in eccleſia Montis Oliveti diœceſis Senenſis, ideoque Archiepiſcopus Senarum, qui confecerat proceſſum auctoritate ſua ordinaria ſuper cultu immemorabili, ad eccleſiam acceſſerit, Imagines & aſſertum ſepulcrum viſitaverit, & in ſententia mentionem fecerit dictæ viſitationis, necnon cum his cohærenter petitæ deinde fuerint & obtentæ litteræ remiſſoriales pro conficiendis in ſpecie proceſſibus auctoritate Apoſtolica ſuper virtutibus & miraculis; ſummus quidem Pontifex Alexander VII. decretum ſacræ Congregationis ſuper facultate faciendi probationes in ſpecie confirmavit; ſed, cum Senenſis eſſet, & ex probatiſſimis Hiſtoricis rerum Senenſium cognoviſſet, B. Bernardum tempore peſtis fuiſſe, & ejus corpus fuiſſe una cum aliis cadaveribus tumulatum, die 27. Auguſti 1657. indulſit, ut omitti poſſet in articulis, & in ipſo executionis litterarum actu viſitatio, recognitio & deſcriptio ſepulcri & corporis; eo quia Beatus obierat, graſſante contagione, & ejus corpus fuerat tumulatum cum cadaveribus aliorum, qui peſte obierant.

7. Ipſi quoque Romani Pontifices benigne ſanarunt *nullitates*, quæ aliquando irrepſerant in viſitatione ſepulcri. In cauſa Romana Canonizationis B. Ludovicæ Albertoniæ non fuit in viſitatione ſepulcri ſervata forma præſcripta in litteris remiſſorialibus: ſed ſan. mem. Clemens Papa X. per ſuas ſequentes litteras in forma Brevis omnia conſolidavit.

CLEMENS PAPA X.

Ad futuram rei memoriam.

CUM dudum ſel. record. Urbanus Papa VIII. prædeceſſor noſter certam præſcripſerit formulam in viſitatione ſepulcri alicujus Servi Dei, de cujus Canonizatione ſeu Beatificatione ageretur, ſervandam, ut ſcilicet Judices ad id delegati ſepulcrum ſeu tumbam, in quo ſeu in qua diceretur reconditum corpus dicti Servi Dei, & alias ejus memorias adhuc exiſtentes viſitarent, atque aperirent, illudque & illas cum omnibus & ſingulis ſuis circumſtantiis & qualitatibus recognoſcerent & deſcriberent, recognoſcique & deſcribi facerent; nec quivis alius, cujuſcumque foret ſtatus, dignitatis, & conditionis, etiam Ducalis, Archiducalis, & Regiæ, Eccleſiaſticæ, vel laicalis dignitatis, aliquid in dicto ſepulcro ſeu tumba ponere, vel ex eo ſeu ea ſubtrahere auferre vel ſubjicere, etiam ex devotione, auderet vel præſumeret, ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ eo ipſo incurrenda, a qua non niſi a Romano Pontifice poſſet abſolvi; ſed omnia, prout in viſitatione & recognitione hujuſmodi fuiſſent inventa, eodem in ſtatu, modo, & loco relinquerentur & in ſuo priſtino ſtatu reponerentur; Actus autem viſitationis & recognitionis hujuſmodi reſpectu ſepulcri ſecrete fieret, adhibitis tantum iis perſonis cum Promotore, vel Subpromotore Fidei, quæ ipſis Judicibus delegatis viderentur, pro teſtimonio ferendo de repertis, ut concurſus populi, & omnis occaſio vel offenſionis vel periculi evitaretur: Et nos quidem ad preces dilectorum Filiorum Fratrum Conventus S. Franciſci in regione Tranſtiberim de Urbe Ordinis Minorum ejuſdem S. Franciſci de Obſervantia Reformatorum nuncupat. benigne annuerimus & conceſſerimus, ut corpus B. Ludovicæ Albertoniæ Viduæ Romanæ Tertii Ordinis S. Franciſci ſitum in medio Capellæ S. Annæ in eccleſia dicti Conventus ædificatæ a Marchionibus Paluttis de Albertoniis poſſet transferri & collocari ſubtus altare ejuſdem Capellæ, & deponi in depoſito lapideo ſtatuæ æneæ præfatæ Beatæ foris ornato, cum aſſiſtentia tamen trium Epiſcoporum a dilecto Filio noſtro in Urbe præfata Vicario in ſpiritualibus Generali ſubdelegatorum in vim facultatis ſibi conceſſæ a Congregatione venerabilium Fratrum noſtrorum ejuſdem ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium ſacris ritibus præpoſita pro confectione proceſſus de iis, quæ ſupervenerunt poſt indultam eidem Beatæ venerationem, nempe Ven. Fratrum Stephani Ugolini Patriarchæ Conſtantinopolitani, Neſtoris Ritæ Archiepiſcopi Sebaſteni, & Georgii Bolognetti Epiſcopi olim Reatini; & ita ſervari mandaverimus, quibuſcumque in contrarium non obſtantibus, prout in decreto deſuper die 23. Januarii 1672. emanato continetur: Nuper vero, dum Judices a dilecto Filio noſtro Gaſpare S. R. E. Presbytero Cardinali Carpineo nuncupato noſtro in dicta Urbe Vicario in ſpiritualibus Generali ſubdelegati proceſſum ſuper iis, quæ ſupervenerunt poſt indultam præfatæ Ludovicæ venerationem hujuſmodi, proſequebantur, idem Gaſpar Cardinalis & Vicarius viſitationem ſepulcri dictæ B. Ludovicæ in Capella ſupradicta, non citato ad id nec interveniente dilecto Filio Promotore, vel Subpromotore Fidei, ac abſque interventu alicujus Notarii Sedis Apoſtolicæ Protonotarii Apoſtolici nuncupat. fecerit, ac capſam, in qua corpus & Reliquiæ dictæ B. Ludovicæ aſſervari dicebantur, aperiri curaverit, & inſpexerit, & ibidem reperta in ſcripta redigi fecerit, hiſque peractis, eamdem capſam clauſam & ſigillis ſuis obſignatam in ſacrario dictæ eccleſiæ S. Franciſci ſub cuſtodia dilecti Filii Ægidii a Sancto Marcello dictæ eccleſiæ Sacriſtæ reliquerit; & paulo poſt eadem capſa de licentia dicti Gaſparis Cardinalis & Vicarii ore tenus habita coram dilecto etiam Filio noſtro Palutio ejuſdem ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Presbytero Cardinali de Alteriis nuncupato in præſentia Notarii & teſtium, amotis duobus ſigillis ejuſdem Gaſparis Cardinalis & Vicerii, iterum aperta fuerit, viſiſque per eumdem Palu-

tium Cardinalem ſacris oſſibus in ea exiſtentibus & nullo modo amotis, capſa præfata denuo clauſa, & ſigillo dicti Palutii Cardinalis obſignata, ac in eodem ſacrario ſub cuſtodia dicti Sacriſtæ relicta fuerit; & alias, prout uberius continetur in ſcriptura deſuper confecta: Cumque, ſicut accepimus, viſitatio hujuſmodi non ſolum ſine interventu dicti Promotoris, vel Subpromotoris, ſed etiam cum interventu & concurſu diverſarum perſonarum omnis conditionis facta fuerit; quin immo nonnullæ perſonæ aliquas particulas dictæ capſæ, necnon fragmenta panni, quo oſſa præfata intra eamdem capſam involuta erant, abſtulerint, excommunicationem præfatam propterea forſan incurrendo; nec omnia, prout in viſitatione & recognitione per præfatum Gaſparem Cardinalem, & Vicarium, ut præfertur, factis inventa fuerant, eodem in ſtatu, modo, & loco relicta fuerint, ſed eadem capſa cum oſſibus in ea exiſtentibus in ſacrario dictæ eccleſiæ S. Franciſci, ſicut præmittitur, repoſita exiterit: Verum ſubinde, nempe die 17. Januarii proxime præteriti, capſa præfata, quæ in dicto ſacrario eatenus aſſervata fuerat, coram memorato Gaſpare Cardinali & Vicario, ac Stephano Patriarcha, Neſtore Archiepiſcopo, & Georgio Epiſcopo præfatis, præſentibus quoque & interventibus dilectis Filiis Magiſtris Joanne Franciſco Nigrono dictæ Sedis Notario Protonotario nuncupato de numero Participantium, & Proſpero Bottinio Fidei Promotore, denuo aperta, indeque caput & oſſa dictæ B. Ludovicæ, demptis tamen inde tribus dentibus ex mandibula inferiori, qui dilecto Filio nobili viro Angelo Alterio Principi Terræ Viani de mandato noſtro mandati fuerunt, in aliam capſulam æneam tranſportata, in eaque repoſita fuerint; & poſtquam capſula ænea hujuſmodi clavibus clauſa & ſigillis obſignata alteri capſæ marmoreæ incluſa fuerat, eadem capſa marmorea dictam capſulam æneam cum Reliquiis in ea, ut præfertur, repoſitis continens ad Capellam S. Annæ in dicta eccleſia exiſtentem translata, ibique ſub altari juxta decretum ſupradictum collocata fuerit; & alias, prout plenius continetur in ſcriptura deſuper confecta: Hinc eſt, quod Nos, nec propter præmiſſa de validitate viſitationis & recognitionis hujuſmodi ullo modo dubitari, neve ullum propterea cauſæ Canonizationis dictæ B. Ludovicæ præjudicium inferri poſſit, & alias opportune in præmiſſis, quantum cum Domino poſſumus, providere, ac perſonarum præfatarum ſtatui conſulere cupientes, ac tam formulæ a dicto Urbano prædeceſſore, ut præfertur, præſcriptæ, & quorumvis illius decretorum, quam decreti noſtri præfati tenores, & alia quæcumque, etiam ſpecificam & individuam mentionem & expreſſionem requirentia, præſentibus pro plene & ſufficienter expreſſis inſertis & accuratiſſime ſpecificatis habentes, motu proprio ac ex certa ſcientia & matura deliberatione noſtris, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, actum viſitationis & recognitionis Reliquiarum ſeu corporis & oſſium præfatæ B. Ludovicæ Albertoniæ a memorato Gaſpare Cardinali & Vicario factum, & earundem Reliquiarum tranſlationem, & ſub altari præfato collocationem factas, ut præfertur, ceteraque præmiſſa, ac confectas deſuper reſpective ſcripturas præinſertas cum omnibus & ſingulis in eis contentis tenore præſentium validamus ac confirmamus & approbamus, ac valere, & in cauſa Canonizationis ejuſdem B. Ludovicæ attendi, fidemque facere debere, nec ullo modo impugnari poſſe decernimus & declaramus in omnibus & per omnia, perinde ac ſi præfatus Promotor, vel Subpromotor Fidei ad actum viſitationis & recognitionis hujuſmodi citatus fuiſſet, illique una cum aliquo Notario dictæ Sedis Protonotario nuncupato interfuiſſet, nec ullæ perſonæ præter illas, quæ per formulam ſupradictam præſcriptæ ſunt, ibidem interveniſſent, deque quidquam ex particulis capſæ primo dictæ, aut fragmentis panni interioris hujuſmodi a quoquam ſubtractum ſeu ſublatum fuiſſet, & capſa ipſa cum omnibus & ſingulis in ea inventis eodem in ſtatu, modo, & loco relicta, & in ſuo priſtino ſtatu repoſita fuiſſet, nec eadem capſa coram præfato Cardinali Palutio ſubinde, ut præfertur, aperta extitiſſet, ſed, in actu viſitationis & recognitionis hujuſmodi formula per memoratum Urbanum prædeceſſorem præſcripta hujuſmodi accurate & ad amuſſim, nihil penitus omiſſo, aut præter, vel contra eam facto, obſervata & adimpleta fuiſſet; ac proinde omnes & ſingulos juris & facti & ſolemnitatum quarumcumque in ſimilibus, etiam de neceſſitate, obſervandarum, aliosve quoslibet, etiam quantumvis formales & ſubſtantiales defectus, qui propter eadem præmiſſa deſuper quomodolibet intervenerunt, ſeu interveniſſe dici conſeri intelligi vel prætendi poſſent, pleniſſime & ampliſſime ſupplemus & ſanamus, ac penitus & omnino tollimus & abolemus; ac demum omnes & ſingulas perſonas, quæ particulas capſæ, aut fragmenta panni interioris hujuſmodi, ſicut præmittitur, quovis modo abſtulerunt ſive abſtraxerunt, ab excommunicatione, quam ea de cauſa quomodolibet incurrerunt, ſeu incurriſſe dici conſeri vel prætendi poſſent, auctoritate & tenore præfatis in utroque foro abſolvimus & totaliter liberamus: Decernentes eaſdem præſentes litteras & in eis contenta quæcumque, etiam ex eo, quod dilectus Filius Promotor Fidei, ejuſque Subpromotor, & alii quicumque cujuſvis ſtatus, gradus, ordinis, præeminentiæ & dignitatis, aut alias ſpecifica & individua mentione & expreſſione digni in præmiſſis jus vel intereſſe habentes, ſeu habere quomodolibet prætendentes illis non conſenſerint, nec ad ea vocati citati & auditi, neque cauſæ, propter quas præſentes emanarint, adductæ juſtificatæ & ſpecificatæ fuerint, aut ex alia qualibet, etiam quantumvis juridica, pia & privilegiata, cauſa, colore, prætextu & capite, etiam in corpore juris clauſo, nullo unquam tempore de ſubreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio, ſeu intentionis noſtræ, aut intereſſe habentium conſenſus, aliove quolibet, etiam quantumvis magno & ſubſtantiali ac incogitato & inexcogitabili, individuamque mentionem requirente, defectu notari impugnari invalidari infringi retractari, ad terminos juris reduci, ſeu in controverſiam vocari, aut adverſus illas aperitionis oris, reſtitutionis in integrum, aliudve quodcumque juris, facti, vel gratiæ remedium intentari vel impetrari, ſeu impetrato, aut etiam motu, ſcientia, & poteſtatis plenitudine paribus conceſſo vel emanato quempiam in judicio vel extra illud uti, ſeu ſe juvare ullatenus poſſe; ſed ipſas præſentes litteras ſemper firmas validas & efficaces exiſtere & fore, ſuoſque plenarios & integros effectus ſortiri & obtinere, ac ab illis, ad quos ſpectat & pro tempore ſpectabit, inviolabiliter & inconcuſſe obſervari, & perſonis præfatis pleniſſime ſuffragari; ſicque, & non aliter in remiſſis per quoſcumque Judices ordinarios & delegatos, etiam &c. Auditores, ac ſanctæ Romanæ Eccleſiæ præfatæ Cardinales, etiam de latere Legatos, ipſorumque Cardinalium Congregationes, & alios quoslibet quacumque præeminentia & poteſtate fungentes & functuros, ſublata eis &c. judicari & definiri debere; ac irritum &c. attentari: Non obſtantibus præmiſſis, ac quibuſcumque decretis, Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, necnon quibuſvis &c. ſtatutis & conſuetudinibus, privilegiis &c. Apoſtolicis ſub quibuſcumque verborum tenoribus & formis, ac quibuſvis, etiam derogatoriarum &c. decretis in genere, vel in ſpecie, etiam conſiſtorialiter, & alias quomodolibet in contrarium præmiſſorum conceſſis approbatis confirmatis & innovatis, quibus omnibus & ſingulis, etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis &c. ſervanda foret, tenores hujuſmodi &c. derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcumque. Volumus autem, ut perſonæ præfatæ pœnitentiam, quam eis Sacerdos idoneus propter præmiſſa impoſuerit, omnino adimpleant; alioquin præſentes litteræ quo ad abſolutionem in foro conſcientiæ eis minime ſuffragentur. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem &c. die 15. Martii 1675. anno V.

8. Nonnulli ex alibi dictis conſtruuntur in hiſce cauſis proceſſus, in quibus Judicis ſententia debet intervenire, proceſſus videlicet, qui fiunt auctoritate ordinaria, vel delegata ſuper non cultu, vel ſuper caſu excepto. In hac hypotheſi, expleta viſitatione ſepulcri, antequam ſententia feratur, præcedere debent neceſſariæ *citationes* contra Subpromotorem; tum ſententia debet eſſe ſubſcripta a Judice ordinario, vel delegato, & legi debet & publicari per Notarium Actuarium præſentibus teſtibus ad id accitis. Quamvis enim de jure ſit, ut ſententia ab ipſo Judice, non autem ab alio de ſcripti recitatione proferatur; ſatis tamen erit, ut in judicio, de quo loquimur, ſcheda ſeu *cedula* ſententiæ tradatur Notario, a quo recitetur, extra illius præſentiam, tum quia hoc eſt conſonum uſui plurium tribunalium, & Romanæ Curiæ, quemadmodum adnotarunt Cardinalis Tuſcus *lit. S. concluſ.* 133. *n.* 7. & Vant. *in rubr. de nullit. ſentent. ex defectu proceſſ. n.* 85. *prope finem*, tum quia ſic quoque ſtatutum eſt a jure communi *in cap. final. de ſentent. & re judic.* ut bene animadverſum fuit a ſacrorum rituum Congregatione in cauſa Polona Beatificationis Servi Dei Andreæ Bobola ſuper non cultu die 9. Aprilis 1729.

9. Completis proceſſibus, iidem ad Urbem deferuntur, & ope Secretarii ſacræ Congregationis conſignantur ejuſdem Notario: deinde (ut alibi dictum eſt) petitur a Poſtulatoribus, ut procedatur ad eorum apertionem; quod ſacrorum rituum Congregatio ordinaria indulgere conſuevit, citato Fidei Promotore, & facto teſtium

examine pro recognitione sigillorum & characterum Judicum. Verum, quia aliquando in Urbe testes coram Notario pro dicta recognitione examinandi non inveniuntur, defectus hic est sacræ Congregationi indicandus, & comprobandus per attestationem Notarii referentis, diligentias fuisse peractas pro testibus inveniendis, sed eos reperiri non potuisse, eidemque Congregationi supplicandum est pro opportuno remedio.

10. Porro facilis esset characterum & sigillorum recognitio sive ab exteriori, sive ab interiori parte, si juxta supra exposita in parte exteriori processus apponeretur sigillum Episcopi diœcesani, hoc est ejus, in cujus diœcesi processus confectus est, sique intrinsecus post sigilla & subscriptiones omnium Judicum adesset attestatio Notarii de manuum recognitione una cum descriptione sigillorum, & attestationem Notarii subsequeretur *legalitas* Episcopi diœcesani. Verum, quia pro majori, licet inutili, cautela aliquando non solum Episcopus diœcesanus in parte exteriori processus suum sigillum apponit, sed insuper addit propriam subscriptionem, aliique Conjudices in eadem parte exteriori subscribunt, & subscriptionem suo muniunt sigillo, in parte autem interiori omnes quidem subscribunt & sigillum apponunt, prout facere tenentur, sed Notarius vel omittit recognitionem characterum, vel non facit descriptionem sigillorum, nec Episcopus diœcesanus suam *legalitatem* apponit; hinc oritur necessitas recognitionis omnium characterum seu subscriptionum, & sigillorum cum ab exteriori tum ab interiori parte. Cumque in Urbe testes ut plurimum non inveniantur, qui omnes & singulas descriptiones, omniaque & singula sigilla valeant recognoscere; hinc item ut plurimum derivatur necessitas supplicandi sacræ Congregationi pro opportuno remedio.

11. Distinguendus est autem casus a casu. Primus scilicet casus est, cum deficiunt utique testes habentes notitiam manus vel sigilli Judicum, sed in Urbe reperiri possunt aut certum stemma Judicum, aut certus eorum character: tunc enim sacra Congregatio concedit, ut procedatur ad apertionem processus, facta tamen comparatione inter characterem certum, & characterem subscriptionis partis exterioris processus ope testium peritorum coram Fidei Promotore, & Notario, ut in Bruxellen. Servæ Dei Annæ a Jesu 3. Augusti 1680. Sæpiusque id factum est, dum fungebar munere Fidei Promotoris: in causa videlicet Carthaginien. Servi Dei Petri Claver die 9. Martii 1714. in qua responsum fuit, ut fieret recognitio per comparationem certi characteris Episcopi, qui processum, de cujus apertione agebatur, confecerat, cum characlere ejusdem Episcopi existente in alio processu alias exhibito, & ad juris formam recognito; & etiam in causa Manilien. Philippinarum in Indiis Orientalibus Servæ Dei Hieronymæ ab Assumptione 11. Julii 1716. in qua facta fuit recognitio characteris Episcopi existentis in parte exteriori processus comparatione cum characlere ejusdem existente in Actis Confistorialibus, id est cum formula juramenti præstiti occasione adeptionis Episcopatus ab ipso propria manu exarata. Tempore quoque, quo bon. mem. Prosper Bottinius erat Fidei Promotor, facta fuit recognitio stemmatis in sigillo Episcopali impressi per comparationem cum stemmate sepulcrali, quod erat in Urbis ecclesia, ubi Episcopus, qui confecerat processum, fuerat sepultus, uti colligitur ex decreto edito in causa Lucensi Servi Dei Cæsaris Franciotti die 6. Maji 1702. itemque, dum Fidei Promotoris munus exercebam, omissa recognitione sigillorum ab exteriori parte propter defectum testium, qui notitiam eorum haberent, mandatum fuit in causa Corduben. Servi Dei Joannis Baptistæ a Conceptione die 9. Julii 1718. ut eorumdem sigillorum ab exteriori parte fieret recognitio per examen Portitoris, qui præsens fuerat illorum appositioni. Secundus casus est, cum deficiunt testes habentes notitiam sigillorum, & certum stemma non reperitur, cum quo fieri valeat comparatio: tunc namque conceditur, ut, omissa recognitione exteriorum sigillorum, fiat recognitio characterum & manuum sive subscriptionum; sicuti observatum fuit in causa Limana Servi Dei Joannis Massias, & in alia causa Limana Servi Dei Martini de Porres 19. Jan. 1704. Quod pari passu procederet, si difficultas recognoscendi versaretur circa characlerem, non circa sigilla: in hoc quippe rerum statu conceditur dispensatio a recognitione characterum, non autem a recognitione sigillorum. Tertius casus est, cum recognosci quidem possunt per testes, vel per comparationem aliqua, sed non omnia sigilla Judicum, qui processum confecerunt: tunc vero conceditur, ut fiat apertio, omissa recognitione illorum, in quibus difficultas recognoscendi sibi vindicat locum, sed non aliorum, quæ recognosci possunt: quomodo factum fuit in causa Corduben. Servi Dei Joannis Baptistæ a Conceptione 11. Januar. 1681. in causa Toletana Servi Dei Francisci a Puero Jesu 1. Mar. 1681. in causa Viennen. Servi Dei Dominici a Jesu Maria 17. Jun. an. pariter 1681. &, dum fungebar munere Fidei Promotoris, in causa S. Flori in Gallia Servæ Dei Agnetis a Jesu 14. Maji 1718. atque in causa Montis Politiani S. Agnetis 11. Martii 1719. Ultimus casus est, cum recognoscendi difficultas non unius, vel alterius, sed omnium Judicum sigilla respicit & characteres: & tunc aliquando sacra Congregatio concedit, ut deveniatur ad apertionem sine recognitione ab exteriori parte, uti factum fuit in causa Mexicana Servi Dei Gregorii Lopez, in causa Toletana Servæ Dei Mariannæ de Jesu 4. Septembris 1694. & in causa Carthaginien. Indiarum Occidentalium Servi Dei Petri Claver 15. Febr. 1710. aliquando eadem sacra Congregatio, si Episcopus, ceterique Judices, qui confecerunt processum, adhuc sint in humanis, & non multum distent ab Urbe, scribit Episcopo, in cujus diœcesi processus confectus est, ut mittat formam sigillorum bene impressam, necnon subscriptionem bene formatam, testando identitatem sigillorum & subscriptionum, ut fieri valeat comparatio, & per comparationem recognosci possint tum sigilla tum subscriptiones existentes in parte exteriori processus, prout factum fuit in causa Neapolitana Servi Dei Hieronymi a Vallachia, quemadmodum desumitur ex sequenti decreto: *Sacra rituum Congregatio mandavit Episcopo Lauden. ut recipiat formam sigillorum bene impressam cum subscriptione trium Dignitatum, quibus in sigillando processum in vim remissorialium eisdem directarum confectum super nova asserto miraculo a prædicto Servo Dei patrato usi sunt, illamque transmittat testans de identitate sigillorum & subscriptionum, ut per comparationem cum illis ab extra in processu valeant recognosci. Die* 22. *Aug.* 1682. Alias tamen Sacra Congregatio, & quidem frequentius, concedit absolute & simpliciter, ut procedatur ad apertionem, nulla facta extrinsecus recognitione: & ita porro factum fuit in causa Limana Servi Dei Martini Porres 2. Sept. 1662. in Veneta, seu Mediol. Servi Dei (nunc Beati) Hieronymi Æmiliani 5. Maji 1667. in Hispalen. Servi Dei Joannis Peccador 26. Martii 1672. in Granat. S. Joannis de Deo 17. Maji 1673. in Sancti Severini Servæ Dei Laurentiæ 9. Febr. 1675. in Carthag. Indiarum Occidentalium Servi Dei Petri Claver 30. Martii 1675. in Bruxell. Servæ Dei Annæ a Jesu 16. Decembr. 1679. in Limana Servi Dei Francisci de Castillo 29. Maji 1688. &, dum fungebar munere Fidei Promotoris, in Limana Servi Dei Gundisalvi Diaz 11. Maji 1715. in Manilien. Philippinarum in Indiis Orientalibus Servæ Dei Hieronymæ ab Assumptione 9. Maji 1716. in Limana Servi Dei Francisci de Camacho 10. Sept. 1718. & in Meliapuren. Servi Dei Joannis de Britto 3. Julii 1723.

12. Ea, quæ hucusque dicta sunt, proportione servata, sibi vindicant locum etiam in hypothesi, in qua apertis processibus urgeat difficultas recognitionis characterum, vel sigillorum Judicum ab interiori parte: id quippe est exponendum a Postulatoribus sacræ Congregationi, & supplicandum pro dispensatione; eaque iisdem utitur in respondendo cautelis, quas ipsam diximus adhibere in dispensatione recognitionis sigillorum, vel characterum a parte exteriori; uti colligitur ex decretis editis in causis Brundusina Servi Dei Laurentii Brundusini 2. Decembris 1673. Malacen. Servi Dei Ludovici a Cruce 20. Julii 1675. Mexicana Servi Dei Sebastiani de Apparitio 24. Januarii 1688. Limana Servi Dei Joannis Massias, & alia Limana Servi Dei Martini de Porres 23. Februarii 1704. Enimvero cum his cohærenter, si in inspectione ab interiori parte non poterit fieri recognitio sigillorum, sacra Congregatio respondere consuevit, ut fiat saltem recognitio characterum aut per testes, aut per comparationem ad certum characterem, quemadmodum, dum fungebar munere Fidei Promotoris, responsum fuit in Manilien. Servæ Dei Hieronymæ ab Assumptione 9. Julii 1716. & in Limana Servi Dei Francisci de Camacho 11. Martii 1719. in casu autem, in quo non possit fieri recognitio characteris omnium Judicum, benigne concessit, ut fieret tantum aliquorum, ut in Corduben. Servi Dei Joannis Baptistæ a Conceptione 10. Septemb. 1718. Addendum tamen, quod, si aliquando concedatur dispensatio a recognitione sigillorum omnium & characterum ab exteriori parte, nunquam simul conceditur absolutio a recognitione sigillorum

UAB Biblioteca de Ciències Socials

rum & characterum omnium etiam ab interiori; nullo quippe modo constaret de identitate processus missi. Ex quibus omnibus unusquisque facili negotio deprehendere poterit, aptiorem rationem ad effugiendas difficultates esse illam in superioribus indicatam apponendi in parte exteriori processus sigillum solum Episcopi, in cujus diœcesi processus confectus est, in parte autem interiori apponendi sigilla & subscriptiones omnium Judicum una cum attestatione Notarii de manuum recognitione, atque adeo cum descriptione sigillorum, quam porro Notarii attestationem subsequatur *legalitas* Episcopi: in hac siquidem facti specie satis est ad inspectionem exteriorem recognitio sigilli Episcopalis, ad inspectionem autem interiorem recognitio characteris Episcopi coram Notario, sicuti observatum fuit in causa Mexicana Servi Dei Gregorii Lopez 18. Martii 1702. & 24. Novemb. 1703. & in causa Carthag. Indiarum Occidentalium Servi Dei Petri Claver 15. Februar. 1710. quatenus vero testes deficerent pro recognitione sigilli vel characteris, esse poterit locus alicui ex modificationibus supra memoratis.

CAPUT QUINQUAGESIMUMSECUNDUM.

De processu compulsoriali, *& ejus validitate.*

1. HACTENUS de processu remissoriali, & ejus validitate actum est; nunc autem oportet aliqua subjungere de processu compulsoriali. Processus itaque compulsorialis duplici modo fieri potest, id est, aut separatim a processu ordinario, vel remissoriali, aut conjunctim cum alterutro ex dictis processibus, cum processu scilicet ordinario, aut remissoriali. *In causis* Beatificationis & Canonizationis processus compulsorialis ut plurimum fit secundo modo; licet *non desint exempla ejusdem* processus primo modo constructi, & signanter, cum Postulatores intendunt probare casum exceptum a decretis Urbani VIII. vel in vim indultorum a summis Pontificibus, vel in vim rescripti *sacræ Congregationis*: & ita quidem, ut cetera prætereantur, factum fuit in causa S. Agnetis a Monte Politiano, in qua casus exceptus ex indultis Pontificiis probatus est per processum compulsorialem. In hypothesi autem, in qua processus compulsorialis fiat separatim a processu ordinario, vel remissoriali, caute procedendum est, & cum distinctione casus, in quo Sedes Apostolica manum ad causam apposuerit, a casu, in quo Sedes Apostolica manum ad eamdem causam non apposuerit. Si enim Sedes Apostolica manum non apposuit, processus compulsorialis fieri potest ab Ordinario, servatis omnibus illis, quæ in superioribus fuerunt adnotata, cum actum fuit de processu ab Ordinario conficiendo. Si vero Sedes Apostolica manum ad causam apposuit, conficiendus erit processus auctoritate Apostolica, & quidem servatis omnibus illis, quæ supra expositæ fuerunt, dum tractabatur de processu remissoriali: & ideo constare debet de jurisdictione *compulsandi*, de exhibitione Judicibus facta litterarum sacræ Congregationis per legitimos Procuratores, de mandato procurationis, de acceptione litterarum facta a Delegatis, de Notarii Apostolica, vel Ecclesiastica auctoritate creati, & Cursoris destinatione, de Judicum, Subpromotoris, Notarii, & Cursoris juramentis, de loci, diei, horarum designatione pro actibus faciendis, de citatione illorum, penes quos scripturæ *compulsandæ* reperiuntur, de harum exhibitione, de Judicum decretis, & de citatione Subpromotoris ad omnes & singulos actus; sicuti adnotarunt Rotæ Auditores in relatione S. Isidori Agricolæ, S. Joannis de Deo, S. Petri de Alcantara, S. Francisci Borgiæ, Servi Dei Juliani a S. Augustino. In hypothesi vero, in qua processus compulsorialis fiat, ut plerumque fieri solet, conjunctim cum processu ordinario, vel remissoriali, post examen ultimi testis initium datur ejus constructioni, atque adeo, si processus fiat auctoritate ordinaria, ideoque ante appositionem manus sanctæ Sedis, Judices illi, qui conficiunt primum processum, continenter deveniunt ad confectionem secundi. Quod & sibi vindicat locum, si processus fiat auctoritate Apostolica, & idcirco post appositionem manus sanctæ Sedis; quia etiam in hoc rerum themate Judices illi, qui confecerunt processum remissorialem, & qui ex vi litterarum remissorialium habent facultatem *compulsandi*, ut alibi fuit indicatum, deveniunt ad processum compulsorialem.

2. In causis Beatificationis & Canonizationis jura, quæ *compulsantur*, ut plurimum consistunt in historiis sive editis, sive manuscriptis, in operibus conscriptis ab iisdem Dei Servis, de quorum agitur Beatificatione & Canonizatione, in monumentis eorumdem cultum comprobantibus; præterquamquod in processum Apostolicum remissorialem semper *compulsatur* processus auctoritate ordinaria confectus. Aut enim testes, qui in hoc processu fuerunt examinati, adhuc vivunt, cum fit processus remissorialis; & tunc auctoritate Apostolica repetuntur: aut omnes testes mortui sunt, aut eorum aliqui, quod semper usu venit; & tunc mortuorum attestationes *compulsantur* in processum remissorialem. Verum, cum ut plurimum non *compulsentur* acta omnia processus ordinarii, sed tantummodo testium attestationes, hinc fit, ut ab approbatione validitatis *compulsationis* non valeat illatio ad approbationem validitatis processus; ita ut, si Postulatores velint uti processu ordinario non tanquam adminiculo, sed tanquam probatione conjungenda cum processu Apostolico, post reportatam approbationem validitatis *compulsationis*, proponere debeant in sacra Congregatione dubium separatum, *An constet de validitate processus ordinarii*; juxta ea quæ alibi enuntiata fuerunt. Quocirca, cum in causa Bisinianen. Servi Dei Humilis a Bisiniano Laici Professi Strictioris Observantiæ S. Francisci, dum fungebar munere Fidei Promotoris, propositum fuisset in sacra Congregatione dubium, *An constaret de validitate processuum auctoritate Apostolica factorum, testes in illis essent rite & recte examinati; & jura* (quæ consistebant in processu Bisiniani auctoritate ordinaria confecto) *forent legitime compulsata*; sacra Congregatio, referente Cardinali Fabrono, respondit die 22. Augusti 1716. constare de validitate processuum auctoritate Apostolica factorum; testes in illis rite & recte fuisse examinatos; processum Bisiniani auctoritate ordinaria confectum, esse legitime *compulsatum*; sed de ejus validitate particulariter videndum esse.

3. Substantialia requisita ad validitatem processus compulsorialis consistunt in sequentibus: primo vicelicet in citatione seu monitorio contra detinentes jura *compulsanda*: secundo, in exhibitione jurium, quam detinentes facere debent, exprimendo archivum, bibliothecam, & locum, ex quibus illa extraxerunt, ac describendo qualitatem characterum, numerum paginarum, & omnem aliam opportunam circumstantiam: tertio, in inductione testium peritorum, si jura manuscripta recognosci debeant; quæ Peritorum inductio fit exhibendo Judicibus *notulam* trium aut quatuor Peritorum, ut ipsi possint eligere eos, quos aptiores judicaverint: quarto in productione librorum, si libri sint *compulsandi*; quæ productio fit a causæ Procuratore in parte, & partibus necessariis, si agatur de libris typis impressis, exprimendo nomen & cognomen Auctorum, locum & tempus eorum impressionis, & designando particulas, quæ ex illis sunt extrahendæ cum individuatione paginarum & capitulorum, quæ debent *compulsari*: quinto, in diligenti inspectione jurium *compulsandorum*, quæ adimplenda est a Judicibus una cum Promotore, seu Subpromotoribus, declarando deinde, illa non esse suspecta, nec aliquo vitio visibili laborare, ita ut *compulsari* mereantur; invisibilia quippe vitia non impediunt, quominus fiat *exemplatio*, sicuti adnotarunt Abbas, Felinus, Joannes Andreas, & Butrius *in cap. final. de fid. instrum.* a quo hæc Judicum inspectio descendit, ubi: *Coram ordinario Judice, vel delegato ab eo specialiter præsententur; qui, si ea diligenter inspecta in nulla sui parte vitiata repererit, per publicam personam illa præcipiat exemplari:* & generalis est regula, ut ad officium Judicis spectet, prædicta per se ipsum inspicere jura, ut *compulsatio* esset nulla, si eadem inspectio a Judice alteri committeretur, ut apud Rotam coram Buratto *decis.* 290. *num.* 2. coram Coccino *decis.* 1977. *num.* 28. *decis.* 76. *num.* 7. *& num.* 10. *par.* 6. *recent.* & in nostra Canonizationis materia apud Pignatellum *consult.* 210. *tom.* 1. utque bene adnotarunt Rotæ Auditores in relatione causæ S. Jacobi de Marchia *tit. de processib. compulsorial.* Necessitas vero, ut hæc eadem inspectio fiat a Promotore, vel Subpromotoribus, non solum ortum ducit a necessitate

UAB Biblioteca de Ciències Socials

ſitate in haſce cauſas inducta, ut omnia fiant, citatis Promotore, vel Subpromotoribus, ſed etiam fundamentum habet in jure communi, juxta quod *compulſatio* & recognitio jurium *compulſandorum* fieri debent, citata Parte; quemadmodum habet Rota *deciſ.* 640. *num.* 18. *part.* 19. *tom.* 2. *recent.* coram Buratto *deciſ.* 290. *num.* 5. coram Durano *deciſ.* 6. *num.* 6. coram Manzanedo *deciſ.* 601. *num.* 1. coram Seraphino *deciſ.* 583. *n.* 1. coram Merlino *deciſ.* 201. *n.* 16. coram Ludoviſio *deciſ.* 71. *num.* 3. & coram Otthobono *deciſ.* 245. *per tot.* Sexto, requiſita prædicta conſiſtunt in citatione, & juramento Peritorum de veritate dicenda juxta propriam peritiam, ita ut unuſquiſque ex ipſis ſingillatim ſit interrogandus circa peritiam, quam habet in ſcripturis recognoſcendis: nam, ſi conjunctim Periti eſſent interrogati & non disjunctim, *compulſatio* nullitatis vitio laboraret, ſicuti ex adden. ad Buratt. *deciſ.* 555. *num.* 19. & ex Rota coram Durano *deciſ.* 6. *num.* 10. & 11. *deciſ.* 333. *n.* 4. *par.* 9. *tom.* 2. *recent. deciſ.* 640. *num.* 19. *par.* 19. *tom.* 2. *recen.* Septimo, inter ſubſtantialia *compulſationis* recenſetur Peritorum judicium, quod fieri debet ab ipſis poſt viſas & diligenter inſpectas ſcripturas, poſtque conſideratam ipſarum qualitatem, ſubjungendo ſe juxta artis peritiam credere, ſcripturam eſſe hujus aut illius Auctoris, & conſcriptam fuiſſe hoc aut illo tempore, reddita ratione, cur ita dicant & ita ſentiant. Idque etiam procedit, ſi in ſcriptura adeſſet dies adſcripta, ſeu *Data*, ut loquitur, cum hæc ſola non probet antiquitatem, nec probet tempus, niſi cetera adminicula concurrant provenientia ex ipſa facie ſcripturæ; juxta late tradita per adden. ad Buratt. *deciſ.* 290. *num.* 13. Octavo, cum contingere poſſit, ut ſcripturæ, quæ debent *compulſari*, recognoſci poſſint vel per comparationem, vel per teſtes habentes notitiam manus ejus qui ſcripſit, in hoc rerum ſtatu pro efficienda valida *compulſatione* obſervanda erunt illa quæ infra in hoc eodem capite exponentur. Ultimo, in quacumque *compulſatione* poſt recognitionem factam a quocumque Perito debet iſte ſubſcribere una cum Judicibus, Promotore, ſeu Subpromotoribus, & Notario Actuario; omnibuſque prædictis adimpletis, fieri debet collatio & auſcultatio exempli ſeu tranſumpti cum ſcripturis originalibus, facta deſtinatione alterius Notarii, iiſdemque modo & forma, quibus alibi dictum eſt fieri debere auſcultationem ſeu collationem: eaque completa, de mandato Judicum reſtitui debent ſcripturæ autographæ illis, qui eas crediderant.

4. Quæres, an pro validitate *compulſationis* teſtium examinatorum auctoritate ordinaria, quorum dicta *compulſantur* in proceſſum Apoſtolicum, neceſſe ſit, ut examinentur teſtes de probitate, & bona fama eorumdem, qui jam demortui præſumuntur. Reſpondetur autem, id quidem multoties in more poſitum fuiſſe, & etiamnum aliquando in more haberi, uti deſumitur ex relatione S. Joannis de Deo *tit. de proceſſu Granatenſi* §. *Ad cujus proceſſus*, & *tit. de proceſſu Toletano* §. *Deveniendo*, ex relatione S. Franciſci Borgiæ *art.* 2. *de proceſſib. compulſorial. verſic. Et de qualificatione*, ex relatione Servi Dei Nicolai Factoris *tit. de valid. proceſs.* §. *Quod teſtes*, & ex relatione S. Pii V. *par.* 1. *de proceſſuum valid.* §. *Et eo facilius*, & ſicuti bene proſequitur Pignatellus *conſul.* 212. *num.* 3. *tom.* 1. Sed, ſi hæc cautela omittatur, non proinde *compulſatio* erit nulla; tum quia ea non eſt a jure communi præſcripta; tum quia, ſi Poſtulatores uti volunt depoſitionibus dictorum teſtium tanquam probationibus conjungendis cum proceſſu Apoſtolico, debent (ut diximus) formiter proponere dubium ſuper validitate proceſſus, in cujus porro dubii diſcuſſione poteſt ſacra Congregatio optime dignoſcere, an teſtes rite & valide depoſuerint; & tandem quia, prætermiſſo, quod in dubio virtutum & miraculorum Fidei Promotor examinat, an, & quæ fides ſit teſtibus tribuenda, juxta diſciplinam hodiernam, Ordinarii qui conficiunt proceſſum, pro majori cautela certiorem reddunt ſacram Congregationem de qualitate, & teſtium auctoritate ſeu fide; eorumdemque Ordinariorum epiſtola ſupplet quodcumque teſtium examen, quod fieret ſuper probitate teſtium examinatorum & jam demortuorum.

5. Dictum eſt, contingere poſſe, ut in *compulſatione* ſcripturarum fieri debeat recognitio per comparationem, ex. gr. ſi Poſtulatores *compulſare* velint ſcripta Servi Dei, vel alicujus Hiſtorici de eo loquentis, de quibus non conſtet, vel a Servo Dei, vel ab Hiſtorico re vera fuiſſe conſcripta: in hoc quippe rerum themate non inutilis erit modus faciendi recognitionem, quæ dicitur per comparationem, antequam ſcripta *compulſentur*. Hæc autem per comparationem recognitio, de qua *in l. Comparationes C. de fid. inſtrum.* ad ſui validitatem ſequentes exigit conditiones. Prima eſt, ut omnia alia deficiat probatio; cum recognitio per comparationem ſit probatio tantummodo ſubſidiaria. Secunda eſt, ut cauſæ Procurator juret, ſe non habere alium modum probandi, & ſe non animo calumniandi ad hanc deveniſſe comparationem, per textum *in* §. *Si vero Auct. de inſtrumentor. cautione & fide*. Tertia eſt, ut ſcriptura, ad quam fit comparatio, ſit omnino certa; deficiente etenim tali certitudine, fruſtra petitur comparatio ſcripturæ incertæ recognoſcendæ. Quarta, ut Periti a Judicibus, vel a Judice eligantur ſaltem duo. Quinta, ut Periti jurent, ſe nec ſpe lucri, nec utilitate quapiam, nec prece, nec odio ductos eſſe ad ſuum judicium ferendum inter ſcripturam, quæ comparatur, & ſcripturam, cui fit comparatio, juxta cit. text. *in l. Comparationes C. de fid. inſtrument.* ubi: *Omnes autem comparationes non aliter fieri concedimus, niſi, juramento antea præſtito, ab his, qui comparationem faciunt, fuerit affirmatum, quod neque lucri cauſa, neque inimicitiis, neque gratia tenti hujuſmodi faciunt comparationem*: quin immo notabile eſt & ſpeciale, in hoc comparationis judicio bis de calumnia jurari, a Procuratore videlicet, & a Peritis; quæ res eſt in jure ſingularis, quemadmodum adnotavit Gloſſa *in ſæpe cit. l. Comparationes v. Ab his, C. de fid. inſtrum.* Sexta conditio eſt, ut Periti faciant relationem in ſcriptis, allegando rationem, cur ita ſentiant; prout late, hæc omnia requiſita enumerando, docet adden. ad Buratt. *deciſ.* 611. *n.* 16. & proſequitur Rota *deciſ.* 1791. *n.* 20. & *ſeq.* coram Coccino. Præterquamquod, omittendum non eſt, ex recognitione facta per comparationem haberi non plenam, ſed ſemiplenam probationem, indigentem aliis adminiculis & conjecturis, ut tutum formari poſſit judicium de certitudine ſcripturæ; veluti monent Rolandus *conſil.* 26. *num.* 12. *lib.* 1. Farinaccius *in fragmentis par.* 1. *v. Comparatio, a num.* 539. *ad num.* 541. & Gobius *conſult.* 36. *num.* 15. & *plurib. ſeqq.*

6. Dictum eſt etiam in ſuperioribus, in *compulſatione* ſcripturarum aliquando contingere poſſe, ut fieri debeat comparatio per teſtes habentes notitiam manus, puta, ſi agatur de ſcriptura alicujus Servi Dei, vel alicujus Hiſtorici, qui paucis ante annis vita functi fuiſſent. In hac vero facti ſpecie nonnulli caſus ſunt diſtinguendi. Primus eſt, quando agitur de recognitione ſcripturæ, in cujus confectione teſtes fuerunt præſentes: tunc enim, ſi hi non modo recognoſcant ſcripturam & manum Scriptoris, ſed ſimul deponant, interfuiſſe confectioni ejuſdem ſcripturæ, nulla de certitudine ſcripturæ poterit eſſe dubitatio, dummodo teſtes ſint jurati, & alia habeant requiſita juris, ita ut ipſorum dictis fides tribui valeat. Secundus caſus eſt, quando teſtes non fuerunt præſentes confectioni ſcripturæ, de cujus agitur recognitione; & tunc, ſi eam recognoſcant, dicendo, ſe habere notitiam manus illius, qui ſcripſit & ſcripturam confecit, quam recognoſcunt, dummodo dictum ſuum juramento firment, dictique ſui allegent rationem, & perſonæ ſint, quæ fidem mereantur, dicendum erit, ſufficientem eos conſtituere probationem certitudinis ſcripturæ, ſi tamen duæ adſint circumſtantiæ: quarum altera eſt, ut quæſtio ſit de ſcriptura, quæ fieri & exarari conſueverit ſine teſtibus, quemadmodum ut plurimum ſunt ſcripturæ tum Servorum Dei, tum Hiſtoricorum, quæ *compulſantur* in proceſſus cauſarum Beatificationis & Canonizationis: altera vero, ut teſtium dicta adminiculis fulciantur; deficientibus enim adminiculis, certitudo ſcripturæ etiam recognitæ per teſtes habentes notitiam manus admitti non poterit, ut adnotant Rubeus *de teſtamen. cap.* 28. *num.* 385. Cardinalis de Luca *eod. tit. diſcur.* 6. *num.* 6. & *ſequentib.* Conſtantinus *ad ſtatut. Urbis tom.* 1. *adnotat.* 13. *art.* 1. *num.* 105. 109. & 113. apud quem materia de recognitione per teſtes habentes notitiam manus, vel per comparationem accurate de more ſuo eſt pertractata, & Rota *deciſ.* 7. *per tot.* coram Dunozet. junior. & *deciſ.* 652. *num.* 9. *part.* 19. *tom.* 2. *recent.*

7. Pro complemento præſentis materiæ *compulſationis* ſcripturarum, reſtricte tamen quoad cauſas Beatificationis & Canonizationis, operæ pretium eſt aliqua de archivis referre, ex quibus ut plurimum ſcripturæ *compulſandæ* extrahuntur. Porro regula generalis eſt, ad effectum, ut ſcriptura *compulſanda* admitti valeat ad conſtituendum gradum probationis, defumi debere vel a publico archivo, vel ab archivo privato, per peculiares tamen cuſtodes

cuſto-

custodito, & dummodo non desint adminicula, quæ fidem scripturæ concilient; quemadmodum adnotarunt Rotæ Auditores *in relatione* causæ S. Raymundi *part. 1. art.* 5. & sequitur Contelorius *de Canoniz. SS. c.* 24. *num.* 26. Hoc themate retento, admissa sunt ad probationem constituendam nonnulla jurium & scripturarum volumina reperta in archivo Cracovienſis Conventus Ordinis Prædicatorum in causa S. Hyacinthi, uti legitur in bulla Canonizationis §. 7. Hoc quoque themate retento, fides est habita relationi Rotæ Auditorum in causa Servi Dei Nicolai Factoris repertæ in archivo Conventus S. Franciſci de Obſervantia civitatis Valentiæ, & alteri consimili relationi in causa S. Jacobi de Marchia repertæ in archivo Generali Conventus de Ara Cœli in Urbe. In causa Canonizat. S. Ignatii ex archivo Collegii Romani Soc. Jesu quædam documenta extracta sunt, uti legitur in bulla Canonizationis §. 7. quod & factum est in causa Beatific. S. Joannis Franciſci Regis, dum fungebar munere Fidei Promotoris; eodemque tempore extracta sunt ex archivo seu bibliotheca Conventus SS. Annuntiationis Servorum Matris Dei civitatis Florentinæ nonnulla jura, quæ fuerunt *compulsata* & admissa in causa S. Julianæ de Falconeriis super virtutibus. Celebris est in Urbe bibliotheca Domini Coccini olim Rotæ Auditoris, quæ fuit relicta testamento Patribus Societatis Jesu Collegii Romani. Plura in ea sunt, quæ Fori materias respiciunt, & multa pariter, quæ pertinent ad causas Canonizationum; cum juxta morem olim receptum examen dictarum causarum tribus Rotæ Auditoribus committeretur, & hoc quidem munus Coccino ipsi sæpius fuerit demandatum, & multæ extent causarum relationes ejus nomine inscriptæ. Custodes adsunt dictæ bibliothecæ, & jura Canonizationum sunt separata a juribus forensibus. Ab hac autem bibliotheca multa documenta fuerunt extracta in causa S. Petri de Alcantara, uti colligitur ex rescriptis editis die 13. Julii, & die 9. Augusti anno 1647. & in causis S. Laurentii Juſtiniani, & Servi Dei Bernardini Realini, quemadmodum desumitur ex aliis quoque rescriptis sacræ Congregationis die 1. Maji 1668. In causa S. Aloysii Gonzagæ desumpta est ex eadem bibliotheca celebris relatio Rotæ Auditorum super virtutibus & miraculis; excitataque, dum munere fungebar Fidei Promotoris, controversia magnis animorum motibus agitata, an eadem esset admittenda, cum subscripta non esset proprio charactere trium Rotæ Auditorum, quibus causa fuerat commissa, tandem dictum est communi tum Cardinalium tum Consultorum suffragio, eam admittendam esse. Ponderatum etenim primo fuit, constare de relatione Rotali in genere, & in qua fuerant approbatæ virtutes atque miracula, uti desumebatur ex rescripto sacræ Congregationis edito anno 1618. Ponderatum fuit secundo, relationem fuisse repertam in prædicta bibliotheca Coccini. Tertio, characterem relationis esse characterem antiquum, & hominis, qui fuerat dicti Coccini familiaris; & plura errata correcta, & multa verba inter lineas & ad margines esse ex charactere ejusdem Coccini, ad quem, tanquam ceteris Auditoribus antiquiorem, spectabat onus componendi relationem: quorum characterum recognitio facta fuerat coram Notario sacræ Congregationis non solum per testes habentes notitiam manus, sed etiam per comparationem ad certum & indubitabilem characterem nonnullarum aliarum scripturarum. Ponderatum fuit quarto, relationem ad amussim concordare cum summario testium per Notarium authentico facto, & Rotæ Auditoribus distributo, ut studio causæ vacarent, necnon cum resolutionibus, quas in Congregationibus Auditores Rotæ Commissarii fecerant, & quæ repertæ fuerunt scriptæ charactere Coccini in eadem bibliotheca, & charactere Joannis Baptistæ Pamphilii, qui fuerat alter Rotæ Auditor electus ad causæ discussionem, in alia bibliotheca, quæ erat ipsius, & quæ nunc apud ejusdem hæredes asservatur in æde prope ecclesiam S. Agnetis in foro Agonali. Ponderatum fuit quinto, alia exemplaria ejusdem relationis inventa esse in bibliotheca Cardinalis Horatii Lancellotti, qui Congregationibus sacrorum rituum interfuerat, cum actum fuit de virtutibus & miraculis S. Aloysii, necnon in bibliotheca Fidei Promotoris. Ponderatum fuit sexto, Patrem Lucam Castellinum ex Ordine Prædicatorum Scriptorem contemporaneum editioni relationis ejus pluries meminisse *in tract. de cert. glor. SS. cap.* 2. *punct.* 10. §. 4. *punct.* 18. §. 2. *cap.* 8. *punct.* 21. §. 4. *& punct.* 32. §. 13. & *in alio tract. de dilat. Canoniz. pag.* 93. ejusdemque relationis pariter meminisse Contelor. *de Canoniz. SS. cap.* 15. *num.* 10. *cap.* 19. *num.* 2. & sensum & verba Rotalis relationis a dictis Auctoribus allegatæ adæquate ac omnino concordare cum sensu & verbis relationis repertæ in bibliotheca Coccini. Ad extremum ponderatum est, Rotæ Auditores in aliis subsequentibus causarum relationibus mentionem fecisse relationis causæ S. Aloysii, in relatione videlicet causæ S. Mariæ Magdalenæ de Pazzis, in relatione causæ Servi Dei (nunc Beati) Hieronymi Æmiliani, & in relatione causæ S. Andreæ Avellini; sensus autem pariter & verba relationis causæ S. Aloysii in aliis subsequentibus causarum relationibus memoratæ ad unguem respondere relationi desumptæ ex bibliotheca Coccini. Ex quibus omnibus simul junctis visum est, relationem prædictam esse admittendam, cum eamdem adminicula dici non possent, sed perfectæ & concludentes probationes; potiori autem ratione, cum (juxta dicta in superioribus) jura probent & *compulsari* valeant ad constituendam probationem, licet desumpta ex archivo privato, dummodo non desint adminicula.

CAPUT QUINQUAGESIMUMTERTIUM.

De nonnullis petitionibus, quæ aliquando sacrorum rituum Congregationi exponuntur pro felici exitu causarum Beatificationis, & Canonizationis.

1. TUM in primo, tum in secundo hujus nostri Operis libro plura exposuimus de serie causarum Beatificationis & Canonizationis: sed ex industria rejecimus ad finem hujus libri nonnullas petitiones, quæ pro suarum causarum beneficio aliquando a Postulatoribus promoventur; difficile quippe fuisset earum sensum intelligere, nisi præcessisset expositio juridici cursus causarum prædictarum.

2. Cum itaque in superioribus dictum sit, ante omnia juxta legem decretorum Urbani VIII. præcedere debere processum una cum sententia Judicis ordinarii vel super non cultu, vel super casu excepto, contingit aliquando, ut aliquis testis bene conscius virtutum aut miraculorum Dei Servi sit in tali ætate aut ægritudine constitutus, ut de ejus obitu rationabiliter timeatur, antequam examinari possit, si ejus examen differatur ad tempus, quo absolutum erit judicium super non cultu, sive super casu excepto; in quo proinde rerum statu petitur a Postulatoribus, ut, non obstante lege decretorum Urbani, procedatur ad ejus examen, licet adhuc inchoatus non fuerit processus super non cultu, aut super casu excepto, sed tantum signata sit Commissio introductionis, aut resumptionis causæ, vel licet judicium illud inceptum quidem sit, sed adhuc non absolutum.

3. Dispensatio hæc derogat decretis generalibus, & Constitutioni Urbani VIII. decreta eadem confirmanti; idque efficit, ut non nisi cum magna difficultate sacrorum rituum Congregatio ordinaria summo Pontifici consilium det, ut eam concedat. Concessa tamen fuit in causa Sinarum Beatificationis & Canonizationis Servi Dei Franciſci de Capillas Ordinis Prædicatorum: cum in ea post signatam Commissionem inscriptæ fuerint Episcopis litteræ remissoriales pro conficiendo processu super Martyrio, hac addita clausula, *Etiamsi processus particularis super non cultu confectus, neque ad eamdem sacrorum rituum Congregationem transmissus, & in eadem discussus fuerit*; uti colligitur ex decreto edito die 7. Septembr. 1675. quod Sanctissimus approbavit die 2. Octobris ejusdem anni. Consimiles dispensationes antea in aliis causis concessæ fuerant; in causa scilicet Romana Ven. Servi Dei Joseph a Matre Dei die 21. Apr. 1668. & in causa Januen. S. Catharinæ, in qua post signatam Commissionem, & ante constructionem processus super casu excepto concessæ fuerunt litteræ remissoriales, ne probationes perirent comprobandorum miraculorum gratia, uti desumitur ex decreto edito die 29. Novembris 1670. Item in causa Lucensi Servi Dei Joannis Leonardi consimilis gratia petita est, atque benigne concessa. En verba decreti: *Cum sacræ ri-*

cræ rituum Congregationi Poſtulator cauſæ Beatificationis & Canonizationis Servi Dei Joannis Leonardi humillime expoſuerit, in civitate Lucana juris utriuſque Doctorem Aloyſium Manſium plene de geſtis dicti Servi Dei inſtructum reperiri, necnon ob ejuſdem annorum fere nonaginta gravem ætatem ac malam valetudinem, ne hujus teſtis omni exceptione majoris probatio pereat, ad habendum ejuſdem examen pro conceſſione litterarum remiſſorialium dirigendarum cum omnibus facultatibus neceſſariis ac opportunis Vicario Capitulari, vel alteri, ſive, aliis Sacerdotibus dictæ civitatis Lucanæ in Eccleſiaſtica dignitate conſtituto, ſeu conſtitutis, ad effectum deinde hujuſmodi examen ſuis loco & tempore in proceſſu in ſpecie conſtructo inferendi, ſupplicaverit; ſacra eadem rituum Congregatio, ad relationem Eminentiſs. & Reverendiſs. Domini Cardinalis Gabrielli, attentis circumſtantiis prædictis, ex gratia ſpeciali in exemplum nunquam alleganda litteras remiſſoriales petitas poſſe concedi, cenſuit, dirigendas tamen Epiſcopo Sancti Miniati, ac primis tribus Dignitatibus eccleſiæ Cathedralis Lucanæ, & cum clauſula, quod idem Epiſcopus cum duabus ſaltem ex dictis primis tribus Dignitatibus examini ſupra recenſiti Aloyſii Manſii ſemper aſſiſtat, & termino ſex menſium ad illud recipiendum, quibuſcumque in contrarium diſponentibus minime obſtantibus, ſi Sanctiſſimo Domino noſtro viſum fuerit. Die 25. Januarii 1702. Et, facta deinde per me Secretarium de prædictis Sanctiſſimo Domino noſtro relatione, Sanctitas ſua benigne annuit, die 4. menſis Februarii ejuſdem anni 1702.

4. Frequentior eſt caſus neceſſitatis examinis teſtium in ſpecie, qui ſunt ſenes, valetudinarii, vel cito abfuturi, antequam fit abſolutum judicium ſuper fama ſanctitatis in genere. Debet enim juxta legem decretorum abſolvi judicium in genere, antequam fiat tranſitus ad examen virtutum aut miraculorum in ſpecie: ſed, cum facile accidere poſſit, ut teſtes ſenes, aut valetudinarii, aut cito abfuturi, ſive quia præmoriantur, ſive propter eorum imminentem abſentiam, examinari non valeant, ſi differatur examen ad tempus, quo erit abſolutum judicium in genere; cauti Poſtulatores ſacrorum rituum Congregationi ordinariæ ſupplicare conſueverunt, ut uno & eodem tempore, quo conceduntur litteræ remiſſoriales pro examinandis teſtibus in genere, concedantur etiam pro examinandis teſtibus in ſpecie, reſtricte tamen quoad teſtes ſenes, valetudinarios, aut cito abfuturos.

5. Paſſim a ſacra Congregatione gratia hæc indulgetur, & paſſim ſummus Pontifex conſimilia approbat Congregationis reſponſa, uti colligitur ex decretis editis in ſequentibus cauſis; in cauſa ſcilicet Romana Servi Dei Joſeph a Matre Dei 17. Jun. 1673. in cauſa Mexicana Servi Dei Greg. Lopez 11. Januar. 1676. in Neapolitana Servi Dei Franciſci Olympii, in Tullen. Servi Dei nunc Beati Petri Forrerii, in Romana, ſeu Viennen. Servi Dei Dominici a Jeſu Maria 6. Maji 1679. in Cordub. Servi Dei Joannis Baptiſtæ a Concep. 27. Jan. 1680. In Hiſpal. Servæ Dei Franciſcæ Dorotheæ 6. Aprilis 1680. in Tolet. Servi Dei Franciſci a Puero Jeſu die 20. Septembr. 1681. in Biſinian. Servi Dei Humilis a Biſiniano 12. Mart. 1689. &, ceteris prætermiſſis, dum munere fungebar Fidei Promotoris, in cauſa Pariſien. Servi Dei nunc S. Vincentii de Paulis 14. Decemb. 1709. in Panormitana Servi Dei Aloyſii La Nuza 10. Mart. 1714. in cauſa S. Flori in Gallia Servæ Dei Agnetis a Jeſu 18. Aug. 1714 in Florent. Servi Dei Benedicti a Podio Bonitio die 22. Sept. 1714. in Cortonen. Servæ Dei Veronicæ de Lapparellis die 27. Julii 1720. & in cauſa Romana Servi Dei Innocentii Papæ XI. Facit ad hanc aſſumptionem, quod, ſicuti regula juris communis prohibens, ne teſtes examinentur ante litem conteſtatam, limitatur in hypotheſi, in qua agitur de teſtibus ſenibus, valetudinariis, aut cito abfuturis, uti decernitur *in cap. Quoniam frequenter, ut lit. non conteſt.* remittendo Judicis arbitrio judicium fenectutis, infirmitatis, aut imminentis teſtium abſentiæ, ut in propoſito citati textus in eodem adnotarunt Innocent. *num.* 3. Oſtien. *num.* 7. Marian. Soccin. *num.* 9. §. *Primo fallit*, Barboſ. *n.* 7. Pirhing. *ad tit. Decr. ut lit. non conteſt.* §. 20. *num.* 14. ita ordo judicialis cauſarum Beatificationis & Canonizationis requirens, ut teſtes in ſpecie non examinentur, niſi abſoluto judicio ſuper fama ſanctitatis in genere, diſpenſationis ope intervertitur, cum tractatur de teſtibus ſenibus, valetudinariis, aut cito abfuturis, veluti ponderat Pignatellus, *conſult.* 10. *per tot. tom.* 3. multoque magis, quia memoratum Judicis officium ſuccurrendi, ne pereant probationes, quodque Legislatorem induxit ad ſtatuendum, ut teſtes ſenes, valetudinarii, aut cito abfuturi examinari poſſent ante litem conteſtatam, quemadmodum perpendunt Oſtien. *in dicto cap. Quoniam frequenter, num.* 5. *ut lit. non conteſt.* & Grananet *ad eumd. tit. Decr. num.* 8. non eſt extraneum, ſed quodammodo conſentaneum decretis generalibus Urbani VIII. ubi ſic legitur: *Verum, ne pereant hujuſmodi dilationis occaſione probationes &c.*

6. Nec enim quidquam officit, quod cauſæ Beatificationis & Canonizationis æquiparentur cauſis criminalibus, in quibus ante litem conteſtatam non permittitur examen teſtium, licet ſenum, valetudinariorum, aut qui cito ſunt abfuturi, ſicuti probat textus *in cit. cap. Quoniam frequenter, ut lit. non conteſt.* & ut late in eodem adnotarunt Innocent. *ſub num.* 2. Anton. a Butrio *num.* 12. Henric. Boic. §. *Sunt & alii, num.* 4. Altaſerr. *in* §. *Regular.* Farinacc. *de teſtib. quæſt.* 76. *num.* 14. Nec item officit, ſi quis dicat, non poſſe pro his diſpenſationibus deſumi argumentum ex *cit. cap. Quoniam frequenter, ut lit. non conteſt.* eo quia teſtes ſenes, valetudinarii, aut cito abfuturi examinati ante diſcuſſionem famæ in genere nequaquam repetuntur, ſi, hac abſoluta, vivant & ſint in loco; quando e contrario teſtes, qui propter ſenectutem, aut malam valetudinem, aut imminentem abſentiam fuerunt examinati ante litem conteſtatam, poſt litem conteſtatam repetuntur, ſi vivant, & a loco non receſſerint, ſive ad ipſum reverſi ſint; uti docent Barboſa *in alleg. cap. Quoniam frequenter, num.* 5. *ut lit. non conteſt.* Farinacc. *de teſtib. quæſt.* 75. *num.* 109. Lancellot. *de attent. 2. par. cap.* 12. *lim.* 38. *num.* 3. & 4. Maſcard. *de probat. concl.* 1367. *num.* 10. Primo, quia æquiparatio inter cauſas Beatificationis & Canonizationis, & cauſas criminales non procedit in omnibus; deinde quia non eſt ita pacificum in jure, ut teſtes ſenes, valetudinarii, aut cito abfuturi, qui fuerunt examinati ante litem conteſtatam, poſt litem conteſtatam repetantur, ſi vivant & ſint in loco: textus enim *in cap. Quoniam frequenter, ut lit. non conteſt.* hanc repetitionem nequaquam præſcribit, & Antonius a Butrio *in cod. cap. num.* 16. nihil audet in hoc articulo firmare, quin immo Abbas *n.* 8. docet teſtes non eſſe repetendos. Dictum eſt autem, æquiparationem inter cauſas Canonizationis, & cauſas criminales in omnibus non procedere: in cauſis quippe criminalibus teſtes, qui in proceſſu informativo examinati fuerant, ſi præmortui ſint, ita ut repeti non potuerint, nullum probationis gradum conſtituunt, ſed tantum aliquam inducunt præſumptionem, juxta plene firmata per Raynald. *obſerv. criminal. tom.* 4. *in ſupplet. ad cap.* 34. *n.* 131. *& plurib. ſeqq.* quando teſtes examinati in cauſa Canonizationis in proceſſu informativo Ordinarii rite & recte confecto, ſi mortui ſint tempore proceſſus Apoſtolici, veram probationem conſtituunt, ſi conjungantur cum teſtibus in proceſſu Apoſtolico ſubinde examinatis, veluti ſupra viſum fuit.

7. In ſuperioribus etiam viſum fuit, non poſſe Ordinarios devenire ad conſtructionem proceſſuum ſive ſuper non cultu, ſive ſuper caſu excepto, ſive ſuper virtutibus, ſive ſuper miraculis, poſtquam Sedes Apoſtolica manum ad cauſam appoſuit; manus autem appoſitionem conſiſtere in ſignatura Commiſſionis, quæ fit a ſummo Pontifice, ita ut proceſſus confecti ab Ordinariis poſt manus Pontificiæ appoſitionem nullitatis vitio laborent. Quod hodie firmiter obſervatur, licet olim res diverſo modo ſe haberet, cum in cauſa S. Raymundi ſciamus, poſt conſtructos proceſſus Auctoritate Apoſtolica ſuper miraculis Ordinarium Barcinonenſem alium proceſſum auctoritate ſua confeciſſe, qui quidem in cauſa fuit admiſſus, nulla reportata gratia ſanationis, juxta ea quæ habentur apud Peniam in Actis dictæ cauſæ *lib. 3. cap.* 15. *& cap.* 19.

8. Si itaque contingat, proceſſum ſuper non cultu fieri ab Ordinario poſt appoſitionem manus ſanctæ Sedis, ſupplicandum erit pro ſanatione, quam ſacrorum rituum Congregatio aliquando conceſſit cum ſolita clauſula, *ſi Sanctiſſimo videbitur*, & cui ſummus Pontifex benigne annuere conſuevit, ut in cauſa Hiſpalen. Servæ Dei Franciſcæ Dorotheæ 13. Septemb. 1642. & ante in alia Hiſpalen. Servi Dei Ferdinandi de Contreras 2. Martii 1641. id ipſum forte ſibi poterit locum vindicare in ſanatione proceſſus ſuper caſu excepto; cum juxta decreta generalia Urbani VIII. proceſſus ſuper non cultu, & proceſſus ſuper caſu excepto invicem æquiparentur. Sed major eſſe poterit difficultas quoad proceſſus ſuper virtutibus & miraculis confectos ab Ordinariis poſt appoſitionem

tionem manus ſanctæ Sedis: etenim, de jure loquendo, non poterit in hiſce proceſſibus conſtitui gradus probationis, ſed tantum adminiculi, juxta bene ponderata per Rotæ Auditores in relatione S. Andreæ Corſini *typis impreſſa poſt primam Conſultationem Lezanæ part. 6. n.* 277. Præterquamquod ad id facit exemplum cauſæ S. Stanislai Novitii Societatis Jeſu, dum fungebar munere Fidei Promotoris. Res erat de miraculo Limæ patrato, & Poſtulatores exorabant pro ſanatione proceſſus ab Archiepiſcopo Limano confecti poſt appoſitionem manus ſanctæ Sedis. Actum fuit de hac ſanatione die 9. Maji 1711. ſed reſponſum fuit, de hoc argumento particulariter videndum eſſe: iterum autem propoſita petitione die 22. Auguſti ejuſdem anni, reſponſum eſt & injunctum, ut ejus ratio haberetur in diſcuſſione cauſæ, hoc eſt, ut propoſito in Congregationibus dubio ſuper miraculis, unuſquiſque in cauſa ſuffragaturus diceret, utrum ſibi videretur locus eſſe, vel non eſſe petitæ ſanationi. Propoſitum deinceps fuit dubium ſuper miraculis, ubi miraculum Limæ patratum approbatum eſt, nulla tamen conceſſa ſanatione proceſſus: cum enim ſuper eodem miraculo confectus etiam fuiſſet proceſſus auctoritate Apoſtolica, & in hoc porro multæ & validæ probationes exiſterent, exiſtimatum fuit, ſufficientem progigni probationem ex proceſſu Apoſtolico juncto cum proceſſu ordinario non in linea *probationis*, *ſed* in linea adminiculi. Defectus nempe neceſſitatis utendi proceſſu confecto poſt appoſitionem manus ſanctæ Sedis in linea probationis, & ſufficientia uſus ejuſdem in linea adminiculi exemerunt Poſtulatores cauſæ S. Stanislai a promovenda nova formali petitione ſuper ſanatione proceſſus. Per eamdem viam Poſtulatores alius cauſæ Limanæ S. Thuribii procedere meditabantur: cum enim confectus fuiſſet ab Archiepiſcopo Limano proceſſus ſuper uno ex miraculis patratis poſt indultam venerationem, & ideo poſt appoſitionem manus ſanctæ Sedis, illi autem pro ſanatione inſtitiſſent, ſacrorum rituum Congregatio anno 1693. reſpondit, eodem illos uti poſſe in linea adminiculi. Sed, cum in cauſæ progreſſu animadvertiſſent, non adeſſe in proceſſu Apoſtolico ſubſequenter confecto ſuper eodem miraculo ſufficientes probationes; quia, licet in eo fuiſſent repetiti nonnulli teſtes examinati in proceſſu ordinario, alii tamen repeti non potuerant, cum tempore confectionis proceſſus Apoſtolici mortui eſſent; habito novo perfugio ad ſacram Congregationem, expoſitoque, quod nullus adfuerat contemptus Apoſtolicæ auctoritatis, nulla fuerat negligentia Poſtulatorum (ideo enim Archiepiſcopus Limanus manum admovit ad examen teſtium, quia timuit obitum eorumdem tum propter locorum diſtantiam, tum propter neceſſariam longi temporis intercapedinem, antequam litteræ remiſſoriales ab Urbe Limam devenirent; quod eo magis Poſtulatores demonſtrarunt ex proteſtatione ab Archiepiſcopo emiſſa de ſuo proceſſu ad ſanctam Sedem mittendo; & ex eo denique, quod ſtatim ac fieri potuit, ſupplicatum eſt ſanctæ Sedi pro conceſſione remiſſorialium ad teſtes examinandos ſuper eodem miraculo, ſuper quo Archiepiſcopus auctoritate ſua ordinaria proceſſum conſtruxerat) ſacrorum rituum Congregatio, dum fungebar munere Fidei Promotoris, die 24. Octobris 1724. reſpondit *Pro ſanatione cum Sanctiſſimo*; & ſan. mem. Benedictus XIII. defectum ſanavit, ſimilemque ſanationem conceſſit etiam Poſtulatoribus cauſæ S. Julianæ de Falconeriis. Series ſanationis proceſſus in cauſa S. Thuribii refertur in ejus vita ſcripta ab Anaſtaſio Nicoſilli, Romæ typis impreſſa, cujus exemplaria diſtributa fuere occaſione Canonizationis ejuſdem Sancti, *pag.* 299. Non videtur tamen omittendum, quod, impetrata a Poſtulatoribus ſanatione proceſſus, cum proceſſu ſanato uti vellent in linea probationis, ipſe oppoſui, non poſſe id fieri, niſi diſcuſſa in ſacra Congregatione ejus validitate; ſanatio quippe non reſpiciebat, niſi unum defectum, confectionis ſcilicet ejus poſt appoſitionem manus ſanctæ Sedis, cum proceſſus ex aliis capitibus poſſet eſſe nullus. Cum igitur ſacrorum rituum Congregatio vim oppoſitionis cognoviſſet, voluit, ut, non obſtante ſanatione, dubium formale ſuper validitate proceſſus proponeretur: quo ſubinde propoſito, necnon favorabiliter reſoluto, feliciter demum uſi ſunt Poſtulatores proceſſu in linea probationis.

9. Confecto proceſſu Apoſtolico ſuper fama in genere, & ſuper virtutibus, aut Martyrio, & miraculis in ſpecie, cauſaque in ſacra Congregatione propoſita, ſi ex eodem proceſſu confecto cognoſcatur, probationes conge-

geſtas non ſufficere ad adſtruendam famam ſanctitatis in genere, aut ad Martyrium, aut ad virtutes in ſpecie, vel miracula articulata in ipſo proceſſu non poſſe dici, prout oportet, perſpicua facta, quæritur, an Poſtulatoribus indulgeri poſſit, ut novum Apoſtolicum proceſſum conficiant, in quo novos afferant teſtes de fama, aut de virtutibus, aut de Martyrio, aut de miraculis jam articulatis.

10. Poſtquam facta eſt teſtium promulgatio, & percepta fuerunt teſtificata, regula juris eſt, ut alii teſtes examinari non poſſint ſuper iiſdem articulis, aut ſuper articulis directe contrariis; &, ſi examinentur, nihil probent. Ita habet textus *in cap. Fraternitatis, de teſt. & atteſt. Duximus tibi reſpondendum, quod in appellationis cauſa, ſi nova contigerit emergere capitula, ſuper quibus aliqua Partium voluerit novos teſtes inducere, vel per jam receptos aliquid comprobare, eos credimus poſſe recipi ſuper novis duntaxat capitulis, receptis prius ab ipſis ſecundum formam recipiendorum teſtium juramentis*. Cum quo concordat textus *in Clementina 2. de teſtib.* ubi: *Teſtibus rite receptis, & eorum atteſtationibus publicatis, ſicut non licet ſuper eiſdem, vel directo contrariis articulis alios, vel eoſdem teſtes in principali cauſa producere, ſic non debet in appellationis cauſa licere; cum non minus in appellationibus, quam in principali cauſa, ſubornatio ſit timenda*. Facta quippe teſtium promulgatione poſt elapſum terminum probationis, Partes agnoſcunt, quid a teſtibus dictum ſit; nihilque facilius eſſet, quam quod, admiſſis aliis teſtibus, iidem inducerentur, ut adderent, vel detraherent totum id quod, compertis atteſtationibus, alterutra Pars videret deeſſe, vel ſupereſſe; ſicuti adnotarunt Doctores in juribus citatis, & ſicuti colligitur ex verbis citatæ Clementinæ. Ideoque, cum ex mandato Joannis XXII. confectus fuiſſet ab Archiepiſcopo Neapolitano, & Epiſcopo Viterbienſi proceſſus ſuper nonnullis miraculis S. Thomæ de Aquino, novas quidem ipſe litteras remiſſoriales inſcripſit Epiſcopis Anagnino, & Terracinenſi, ut in miracula ejuſdem S. Thomæ inquirerent, ſed hæc addendo: *Non tamen de illis, ſuper quibus per præfatos Archiepiſcopum, & Epiſcopum ad receptionem & examinationem prædictorum teſtium noſcitur eſſe proceſſum, prout per proceſſum ſuper hoc per eos habitum, cujus copiam vobis fieri volumus, poteritis inſtrui*; veluti habetur apud Raynaldum *ad an.* 1321. *n.* 46. &, quatenus nova antiquis adjicienda ſint, illa profecto non deficiunt, cum in regeſtis ſacræ Congregationis die 10. Decembris 1629. extet hoc decretum: *Pater Cappellus Procurator Generalis Congregationis Somaſchæ ſupplicavit pro licentia repetendi nonnullos teſtes ſuper miraculis ab omnipotenti Deo patratis interceſſione Servi Dei Hieronymi Æmiliani, dictæ Congregationis Somaſchæ Fundatoris, & ſacra Congregatio reſpondit, non adeſſe cauſam, quare petita concedi debeant, ſtante, quod jam ſunt publicati proceſſus auctoritate Apoſtolica formati, & diſcutiuntur in Rota*.

11. Porro, licet ex citatis juribus deſumatur, non eſſe probationes adjuvandas vel per novos teſtes, vel per repetitionem teſtium jam examinatorum poſt eorum promulgationem, atque proceſſus abſolutionem, id tamen non efficit, quin ex rationabili cauſa poſſit Judex ex officio etiam poſt percepta teſtificata, & poſt teſtium promulgationem demandare, ut novi teſtes ſuper iiſdem articulis examinentur, atque adeo ut novus conficiatur proceſſus; uti, cumulatis concordantibus, late probat Farinaccius *de teſtib. quæſt. 76. num.* 184. & in hac Canonizationis materia proſequitur Pignatellus *conſult.* 249. *tom.* 1. ubi exponit, quando locus eſſe poſſit novo teſtium examini ſuper iiſdem articulis, ſuper quibus alii teſtes fuerunt examinati. Quocirca in præſenti Canonizationis materia antiqua non deſunt exempla, quibus ſacra Congregatio conceſſit, ut probationes adjuvarentur etiam per novos teſtes. In cauſa quippe Valliſoletana S. Petri Regalati ſuper miraculis editum fuit die 26. Septembris 1631. decretum, in quo ſic legitur: *Quoad ſecundum miraculum &c. eadem ſacrorum rituum Congregatio cenſuit, coadjuvandas eſſe probationes, quoad quartum miraculum &c. cenſuit ſimiliter, probationes eſſe coadjuvandas, & ſignanter Medicos eſſe examinandos, qui interfuerunt curationi, & alios etiam, qui fuerunt præſentes*. Itemque anno 1656. in cauſa S. Cajetani reſponſum fuit ab eadem ſacra Congregatione, adjuvandas eſſe probationes. Sed paulo poſt, anno videlicet 1658. ſummus Pontifex Alexander VII. ſuo peculiari decreto prohibuit, ne in poſterum facultas a ſacra Congregatione daretur Poſtulatoribus probatio-

nes

nes adjuvandi. En verba decreti: *Cum hactenus in cauſis Beatificationum & Canonizationum, ſemel articulata novis probationibus coadjuvari poſſe, ſacrorum rituum Congregatio indulgere quandocumque conſueverit, verum in re tam gravi indulgentiæ quælibet effugiendæ videantur &c. ſanctiſſimus Dominus noſter vetuit, poſt hæc quibuſvis ſub prætextu, vel urgenti ac rationabili cauſa remiſſoriales quaſcumque, vel compulſoriales litteras ad coadjuvandas probationes decerni & relaxari, vel ſumendi in Urbe ſimiles probationes Eminentiſſimo Domino Cardinali pro tempore Vicario facultatem attribui, ita ut, ſi primo articulata concludenter tunc non probari contigerit, jam nulla ſit ſpes, & omnis ſit præcluſus aditus eamet novis probationibus coadjuvandi. Hujuſmodi autem decretum inter noviſſima referri, & inconcuſſe ſervari mandavit. Die 29. Novembris* 1658.

12. Alexandrini hujus decreti littera eſt generalis, & idcirco comprehendit omnes & quoſcumque proceſſus Apoſtolicos ſive ſuper obedientia decretis, ſive ſuper fama in genere, ſive ſuper virtutibus, & Martyrio, & miraculis in ſpecie, ſive demum ſuper miraculis, quæ ſupervenerunt poſt indultam venerationem. Porro ratio decreti deſumitur ex gravitate cauſæ, quæ omnem indulgentiam avertit: ſed huic rationi aliæ duæ addi poſſunt, quarum prima eſt, quod, ſi omnes diligentiæ in quocumque judicio, ad evitandum quidquid ſinceræ veritati adverſari valet, ſunt adhibendæ, eædem potiori jure adhibendæ ſunt in hoc judicio, cum major cautela ſit neceſſaria, ubi majus urget periculum: ſecunda, quod, ſi poſt primum proceſſum auctoritate ordinaria confectum, in quo plura de virtutibus & plura de miraculis continentur, atque adeo expedit ut contineantur, ne pereant probationes, novus conficitur Apoſtolicus proceſſus ſuper iiſdem virtutibus, & miraculis, in quo non ſolum repetuntur teſtes examinati in primo proceſſu, ſi vivant tempore ſecundi, ſed novi etiam teſtes adduntur, qui vel de audito vel de viſo teſtificantes adæquatam & integram conſtituere poſſunt probationem tum ſuper virtutibus, tum ſuper miraculis ante indultam venerationem patratis; nemo eſt qui non videat, ſi articulata in proceſſu Apoſtolico novis probationibus adjuventur, nimiam & periculoſam indulgentiæ viam aperiri. Quamvis autem poſtrema hæc ratio non procedat quoad miracula, quæ ſupervenerunt poſt indultam venerationem, pro quorum comprobatione unus tantum conficitur Apoſtolicus proceſſus, nec quoad ea quæ articulantur in proceſſu Apoſtolico, ſed non fuerunt articulata in Ordinario; id tamen obſtat aſſumptioni. Animadverſione quippe dignum eſt, ſi agitur de miraculis, quæ ſupervenerunt, agi conſequenter de nonnullis particularibus factis, quorum reſpectu, ſi Poſtulatores velint, poſſunt in proceſſu Apoſtolico, quotquot habent, probationes afferre, ſine ulla neceſſitate inſtandi pro eis adjuvandis adverſus præſcripta in decreto Alexandrino; ſi vero agitur de articulatis in proceſſu Apoſtolico, quæ non fuerunt articulata in Ordinario, hæc ut plurimum eſſe additamenta ad ea, quæ ſunt in proceſſu ordinario probata, de quibus cumulanda facile cumulari poſſunt in Apoſtolico proceſſu ſine neceſſitate novarum probationum: quare in utroque caſu ſibi debent Poſtulatores imputare, ſi ſcientes, vel ſcire debentes diſpoſitionem decreti Alexandrini, non curarunt in proceſſu omnia & ſingula referre, quæ ad adæquatam & integram probationem erant neceſſaria.

13. Verum, ut funditus materia hæc exponatur, operæ pretium eſt caſus recenſere, quibus Alexandrinum decretum aptari poſſe non videtur. Et primus quidem eſt, ſi ante illud conceſſa fuiſſet a Sacra Congregatione facultas adjuvandi probationes, litteræ autem Remiſſoriales ex aliqua legitima ratione non fuiſſent expeditæ; tunc quippe locus eſſe deberet adjuvandis probationibus, cum lex reſpiciat futura, non præterita: quo ſenſu procedit decretum ſacræ Congregationis in cauſa Leopolien. Servi Dei Joannis de Dukla 14. Junii 1659.

14. Secundus caſus eſt, quando articulata in proceſſu Apoſtolico adjuvanda eſſent non per novum teſtium examen, ſed per exhibitionem, & *compulſationem* Scripturarum, quæ quidem antea exiſtebant, ſed quæ non fuerant exhibitæ, & *compulſatæ*: ceſſat enim in hoc caſu quodcumque periculum, ne teſtes ſubornentur. Et hi porro ſunt termini, intra quos procedunt conceſſiones, quæ a ſacra Congregatione factæ fuerunt pro adjuvanda cauſa Tarraconen. Beati Petri Armengol; & intra hos quoque terminos procedunt Reſcripta ejuſdem Sacræ Congregationis edita, dum fungebar munere Fidei Promotoris, in cauſa Corduben. Canonizationis B. Alvari de Corduba Ordinis S. Dominici mortui circa annum 1430. Cum enim quæſtio eſſet de ejus cultu immemorabili, & an eſſet confirmanda ſententia Epiſcopi Cordubenſis lata ſuper eo, ex defectu ſufficientis probationis, reſponſum fuit die 22. Auguſti 1716. & die 10. Decembr. 1718. ſententiam non eſſe confirmandam, at ſervato tamen jure Poſtulatoribus adjuvandi probationes ſuper prætenſo caſu excepto.

15. Tertius caſus eſt, ſi ex. gr. exarata Informatione ſuper virtutibus, martyrio, aut miraculis, aut alio quocumque dubio, exaratoque ſummario, aliqua oriatur in ſacra Congregatione difficultas ſuper probatione alicujus virtutis, aut alicujus miraculi; vel alia quæcumque ſuper dubio quod proponitur, excitetur oppoſitio, quæ ſubmoveri poſſit per teſtium aſſertiones in proceſſu exiſtentes, ſed in ſummario non relatas: in hoc ſiquidem rerum ſtatu nihil prohibet, quin iſtæ probationes, quandocumque Poſtulatoribus libuerit, Sacræ Congregationi exhibeantur, cum res ſit non de novis probationibus, ſed de probationibus jam receptis, licet in primo ſummario non relatis, ideoque aptari huc poſſit Axioma juridicum, *Non deducta deducam*.

16. Quartus caſus eſt, quando novæ petuntur Litteræ Remiſſoriales probandi cauſa miraculum non articulatum in primo proceſſu Apoſtolico, vel quia tunc patratum non erat, vel quia tunc erat ignotum. Facta eſt conceſſio harum Litterarum, dum fungebar munere Fidei Promotoris, in cauſa Sancti Joannis de Cruce. Cum etenim ageretur de miraculis poſt indultam Beatificationem a Deo interceſſione Beati patratis, & dubium immineret ſuper eis in Sacra Congregatione proponendum, diligentiſſimus autem Poſtulator animadvertiſſet, non fuiſſe in proceſſu confecto habitam rationem miraculi poſt Beatificationem patrati in regione, quæ maxime diſtabat a loco, in quo proceſſus confectus eſt, ſupplicavit pro conceſſione remiſſorialium ad comprobandum miraculum, de quo nullum factum fuerat verbum in alio proceſſu ſuper miraculis confecto; & harum quidem litterarum conceſſio facta eſt ſine ulla derogatione decreti Alexandrini. Nec mirum, cum, non obſtante prohibitione de novis teſtibus recipiendis poſt teſtium promulgationem, & poſt *dicta* (ut Juriſtæ loquuntur) teſtificata, poſſint novi teſtes examinari ſuper articulis, qui non ſunt ſub primis nec expreſſe nec tacite ex neceſſitate facti vel probationis comprehenſi; juxta doctrinam Bartoli *in Authen. Ut qui ſemel, num.* 24. *C. de probat.* Abbatis ex mente Innocentii, & Joannis Andreæ *in c. Frater. n.* 8. ibique Imolæ *n.* 9. *v. Novum autem*, & late Socinus *n.* 21. *in ſept. princ. art. tit. de teſtib.*

17. Quintus caſus eſt, quando agitur de probanda continuatione alicujus facti, cujus exiſtentia jam in proceſſu probata eſt. In hoc quippe caſu excipi poſſunt probationes ſuper continuatione facti, dummodo reſpiciant tempus elapſum poſt conſtructionem proceſſus, cum probatio continuationis non ſit coadjuvatio; ſed nova probatio novi facti. Exemplum adeſt in proceſſu ſuper obedientia decretis. Si enim in proceſſu confecto probatus ſit non cultus, vel probata ſit exhibitio publici cultus per centum annos ante decreta Urbani VIII. uſque ad tempus confecti proceſſus, cauſa vero ſuper prædictis articulis proponatur poſt multum tempus a die confectionis proceſſus, continuatio non cultus, vel cultus probanda eſt poſtea uſque ad tempus, quo cauſa proponitur ſuper obedientia decretis; & hæc quidem continuatio per novas probationes demonſtranda ex ratione ſupra expoſita recte admittitur, abſque eo quod ullum Alexandrino decreto præjudicium irrogetur.

18. Exemplum quoque adeſſe poteſt in miraculis in proceſſu comprobatis, ex. gr. ſanationibus repente & inſtantanee obortis; ſuper quibus probationes, paulo poſtquam eædem contigerunt, exceptæ ſunt. Sive enim ſacra Congregatio, ut certior fiat de qualitate miraculoſa, expoſcat (ut ſolet) probationem continuationis ſanitatis a tempore conditi proceſſus ad tempus uſque, quo cauſa ſuper approbatione miraculi proponitur, ſive ipſi Poſtulatores ad majorem miraculi comprobationem inſtent pro conceſſione remiſſorialium probandi cauſa prædictam continuationem; omnia hæc, utpote novum factum reſpicientia, quod nec in primo proceſſu articulatum eſt, nec articulari poterat, bene adimplentur ſine ulla derogatione Alexandrino decreto. Ita factum fuit, dum fungebar munere Fidei Promotoris, in cauſa tunc Beatæ nunc ſanctæ Julianæ de Falconeriis,

& in causa Beatæ Hyacinthæ de Marescottis. Nam, cum in Congregatione præparatoria habita super assertis miraculis, quæ Hyacinthæ intercessione dicebantur a Deo patrata, quæstio exorta fuisset, num citra offensionem decreti de non adjuvandis probationibus, judiciali more inquiri posset, an quædam Soror Virginia Monialis in monasterio S. Bernardini civitatis Viterbiensis, quæ asserebatur instantanee intercessione memoratæ Servæ Dei liberata ab epilepsia una cum continuatione perfectæ sanitatis per tempus decem & octo mensium, post quos defluxos a die sanationis constructus fuerat processus, examinari iterum posset una cum reliquis Monialibus & aliis testibus, ut dignosci posset, an ipsa adhuc degens in humanis tacta unquam fuisset ab epilepsiæ morbo a tempore absoluti processus ad tempus usque, quo miraculum examini subjiciebatur; proposito hoc dubio in sacra Congregatione ordinaria die 17. Aprilis 1717. meque tanquam Fidei Promotore suadente, quod inspectio hæc conduceret ad dignoscendam miraculi subsistentiam atque relevantiam, & quod hoc novum judiciale examen, utpote respiciens tempus defluxum post confectum processum, nec obstaret juri communi, quod novorum testium receptionem post *dicta* testificata quidem excludit, sed ratione habita articulorum jam propositorum, nec obstaret decreto Alexandrino jam memorato de non adjuvandis probationibus, cum id expresse loquatur de semel & primo articulatis; censuit sacra Congregatio die prædicta, esse posse locum quæsito examini citra ullam læsionem decretorum de probationibus non adjuvandis. En verba decreti: *Cum in sacra rituum Congregatione præparatoria habita 16. Martii currentis anni pro causa Beatificationis & Canonizationis Servæ Dei Sororis Hyacinthæ de Marescottis super miraculis ad intercessionem ipsius Servæ Dei ab Altissimo patratis nonnulli ex Consultoribus optaverint ulteriores probationes super continuatione sanitatis Sororis Virginiæ Pedante miraculose, ut asseritur, liberatæ a morbo epilepsiæ per intercessionem dictæ Servæ Dei: cumque R. P. D. Promotor Fidei exaraverit scripturam seu discursum, an expediret, necne, præfatas probationes suscipere: sacra eadem Congregatio rescribendum duxit, litteras remissoriales pro habendis supradictis probationibus concedendas esse, illasque dirigi Episcopo Montis Falisci, ut una cum duabus Dignitatibus, sive Canonicis ab ipso eligendis simul & conjunctim semper procedat & assistat, cum omnibus & singulis facultatibus necessariis & opportunis ac termino sex mensium, si Sanctissimo Domino nostro visum fuerit. Die 17. Aprilis 1717. Factaque deinde per me Secretarium de prædictis Sanctissimo D. nostro relatione, Sanctitas sua benigne annuit, die 24. ejusdem mensis & anni.* Quo pariter modo res se habuit in causa Beatificationis tunc Beatæ nunc Sanctæ Catharinæ de Ricciis: proposita quippe in sacrorum rituum Congregatione, tanquam excedente vires naturæ, repentina sanatione Sororis Catharinæ Alexandræ de Bonsiis ab *aneurysmate*, cum excitata fuisset a nonnullis Consultoribus difficultas super defectu probationis continuatam mirificam sanationem respicientis, novus super ea processus confectus est.

19. Ultimus denique casus est, quando agitur de re existente, sed variabili. Si etenim in ejusmodi eventu sacra Congregatio alias probationes præsentem statum respicientes exposcat, id recte fit citra notam adjuvandi probationes. Ideoque, cum in causa tunc Beatæ, nunc Sanctæ Margaritæ de Cortona quæstio esset de mirifica corporis incorruptione, & juridicæ non deessent super ea probationes antiquioribus temporibus successive exceptæ, Cardinalis Corradinus causæ Relator una cum Archiepiscopo Apameno sacræ Congregationis Secretario civitatem petiit Cortonensem, corpus Beatæ visitavit & inspexit, suamque una cum dicto Secretario relationem exhibuit, quæ verum statum beati corporis aperuit, & quid a sacra Congregatione statuendum esset de mirifica incorruptione suasit, aliique Periti, & testes super præsenti corporis statu fuerunt examinati. Neque hac in re ulla decreti Alexandrini derogatio accidisse dici potest: cum præsumi non possit, decretum ipsum excludere voluisse superlativam probationem per accessum Cardinalis Relatoris, & Secretarii sacræ Congregationis, testium nempe quacumque exceptione majorum, & pariter excludere voluisse novam probationem super re variationibus & mutationibus obnoxia.

20. Quæres, an unquam re vera decreto Alexandrino derogatum sit. Respondeo, derogatum fuisse in causa Curien. seu Constantien. Declarationis Martyrii tunc Servi Dei, nunc Sancti Fidelis a Sigmaringa Ordinis Capuccinorum, uti desumitur ex decreto edito die 17. Septembris 1698. cujus verba operæ pretium est hic inferere, tum ut cognoscatur, quanta cum maturitate sacra Congregatio in prædicta benigna concessione processerit, tum ut Postulatores caveant in posterum a consimili gratia petenda: *Expositio sacrorum rituum Congregationi a Postulatoribus causæ Servi Dei Fratris Fidelis a Sigmaringa, ipsis recenter innotuisse, quod Jacobus Zergerli Scriniarius civis Brigantinus Constantiensis diœcesis adhuc in humanis existens asserto Martyrio Servi Dei prædicti de anno 1622. secuto adfuerit personaliter, & propterea humiliter eidem sacræ rituum Congregationi supplicantibus, non obstante decreto san. mem. Alex. VII. de non coadjuvandis probationibus, pro concessione litterarum remissorialium ad effectum examinandi præfatum testem auctoritate Apostolica dirigendarum Rever. Episcopo Constantiensi, ejus suffraganeo, & uni ex Dignitatibus Cathedralis Constantien. ab eodem Episcopo eligendæ, & in defectu Dignitatis Canonico seniori ejusdem Cathedralis cum termino sex mensium, & cum clausula, ut duo saltem ex ipsis procedant ad receptionem examinis præfati testis, & pro hujusmodi effectu ad confectionem necessarii processus, cum sub die sexta currentis mensis responsum fuerit, Ad primam: Reproposita modo ab Eminentiss. & Reverendissimo Domino Cardinali Petruccio pro Eminentiss. & Reverendiss. Domino Cardinali Casanate causæ prædictæ Relatore hujusmodi instantia audito tam in voce quam in scriptis Reverendiss. Archiepiscopo Myrensi Fidei Promotore, sacra eadem rituum Congregatio, jurato prius, testem Jacobum Scriniarium Brigantinum noviter fuisse repertum, cum omnibus & singulis facultatibus necessariis & opportunis litteras remissoriales, ut supra, petitas, cum clausula tamen, quod examen prædicti testis ponatur ad partes, posse concedi censuit, si Sanctissimo Domino nostro visum fuerit. Die 27. Septembris 1698. Facta igitur deinde per me Secretarium de prædictis Sanctiss. Domino nostro relatione, Sanctitas sua in casu prædicto, & pro hac vice tantum, & dummodo non transeat in exemplum, & quod in posterum nunquam allegari posse, voluit, decreto san. mem. Alexandri VII. de non coadjuvandis probationibus derogavit, & benigne annuit, die 6. Octobris ejusdem anni 1698.*

CAPUT ULTIMUM.

In quo aliæ petitiones Postulatorum proponuntur & examinantur.

1. IN causis procedentibus per viam non cultus jam in superioribus visum fuit non esse locum earum propositioni super signatura Commissionis, nisi post elapsum decennium a die traditionis sive consignationis processus auctoritate ordinaria confecti, excepto casu, in quo summus Pontifex dispensaret. Cum vero ibi pariter jam fuerint allata exempla similium dispensationum, necnon expositæ fuerint circumstantiæ, in quibus eædem dispensationes concessæ sunt, idcirco ad alibi relata erit respiciendum, & interea ab inutili dictorum repetitione abstinemus. Ex dictis quoque in superioribus approbatam validitatem processus sequitur discussio virtutum tum Theologicarum, tum Cardinalium, vel Martyrii. Sed huic dubio locus esse non potest, nisi post lapsum quinquaginta annorum ab obitu Servi Dei, de cujus Beatificatione & Canonizatione tractatur, juxta decreta Urbani VIII. quibus in hac parte nunquam intelligitur derogatum, nisi specialiter id in rescripto summi Pontificis expressum sit. En verba decretorum: *Sanctitas sua expresse prohibuit sacræ rituum Congregationi, ne deinceps procedat in causis Servorum Dei ad effectum Canonizationis seu Beatificationis aut Declarationis Martyrii, nisi lapsis quinquaginta annis ab obitu illius, quin immo etiam lapsis quinquaginta annis de similibus processibus tam factis quam faciendis agi vetuit, nisi habita prius & expresse obtenta licentia a Sanctitate sua, vel ejus Successoribus. Sub decreto hujusmodi vult comprehendi etiam causas, in quibus modo reperiuntur expeditæ litteræ remissoriales & compulsoriales, ac omnes aliæ nunc pendentes, quæ adhuc expectant per-*

perfectionem ſuam & complementum a facto futuro finalis determinationis. Quod ut firmius obſervetur, inſuper jubet, ut, ſi memoriale ſuper hoc directum Congregationi porrigatur cum reſcripto Sanctitatis ſuæ, ut aliqua ex hujuſmodi cauſis ad præfatos effectus examinetur, nullum ſortiatur effectum, niſi in eodem reſcripto ſpecialis prædictæ probibitionis derogatio reperiatur.

2. Irrepſit autem ambiguitas ſive æquivocatio in hujus decreti intelligentia, propter quam pleræque Beatificationum & Canonizationum cauſæ aut infelicem, aut non niſi magna cum difficultate felicem exitum habuerunt. Cum enim plerique & ſane cordati viri rerumque experientia pollentes exiſtimaverint, prohibitum eſſe in dicto decreto conficere proceſſum aut auctoritate ordinaria, aut auctoritate Apoſtolica, niſi poſt lapſum quinquaginta annorum a die obitus Servi Dei, hinc factum eſt, ut, labente dicto temporis curſu, oculati & meliores teſtes mortui ſint, & conſequenter proceſſus ſubinde conſtructi repleti fuerint aſſertionibus teſtium de audito, & etiam de audito auditi; quæ quidem res non exiguum attulit detrimentum nonnullis cauſis Beatificationis & Canonizationis.

3. Quocirca, ut de medio quælibet ambiguitas tollatur, non erit inopportunum hic adnotare, in recenſito decreto Urbani VIII. non prohiberi intra ſpatium quinquaginta annorum conſtructionem proceſſus tum auctoritate ordinaria, tum auctoritate Apoſtolica, multoque minus prohiberi diſcuſſionem validitatis proceſſus in ſpecie auctoritate Apoſtolica; ſed id, quod prohibetur intra ſpatium quinquaginta annorum, reducitur ad propoſitionem dubii de virtutibus Theologicis & Cardinalibus, quod diſputari non poteſt, niſi poſt annos quinquaginta a die obitus Servi Dei, uti clariſſime deducitur ex alias citatis decretis: *Verum, ne pereant hujuſmodi dilationis occaſione probationes, permittit Sanctitas ſua, non habita ratione dictorum quinquaginta annorum, ut agi poſſit de prædictis proceſſibus, ſive de aliis auctoritate ordinaria fabricatis vel fabricandis ad effectum deliberandi, an per Sedem Apoſtolicam debeant concedi litteræ remiſſoriales in genere; quibus obtentis, & fabricatis ſuper eis proceſſibus, ſervatis ſervandis, illiſque ſacræ rituum Congregationi præſentatis, permittit pariter Sanctitas ſua, ut in ſacra Congregatione diſcutiatur de eorum validitate, ac etiam de relevantia in ordine & ad effectum tantum cognoſcendi, an ſit procedendum ad proceſſus in ſpecie; & proceſſibus in ſpecie completis & ſacræ Congregationi delatis, videatur tantum de illorum validitate: quibus definitis, iidem proceſſus per Secretarium claudantur & obſignentur ſigillo ſacræ Congregationis, non aperiendi donec veniat plenitudo temporis dictorum quinquaginta annorum; quo completo, nullo modo de eis agi poſſit, niſi expreſſe mandetur a ſummo Pontifice.* Concordant ea, quæ leguntur in compendio vitæ, virtutum, & miraculorum S. Andreæ Avellini ex Secretis Congregationis ſacrorum rituum edito occaſionis Canonizationis ejuſdem: *Igitur Andreas anno 1608. eo mortis genere, quam paulo ante commemoravimus, defunctus eſt; anno vero 1625. inter Beatos ſolemni ritu adſcriptus. Etenim nondum latæ leges erant, quibus cavetur, ne hujuſmodi Beatificationis Servorum Dei quorumcumque, ac Canonizationis cauſæ niſi poſt elapſum ab illorum obitu annum quinquageſimum tractarentur, hoc ſolum interea permiſſo, ut ſcilicet & virtutum & miraculorum probationes procurare ac conficere liceret, ne per tam longa ætatum intervalla certiora atque illuſtriora monumenta ſanctitatis prorſus interciderent.*

4. Petunt itaque Poſtulatores aliquando, ut cauſa proponi poſſit ſuper dubio virtutum aut Martyrii, licet elapſum non ſit tempus annorum quinquaginta a die obitus Servi Dei, de cujus agitur Canonizatione. Undecim anni deerant complemento dicti temporis quinquagenarii in cauſa S. Aloyſii Gonzagæ; quare, inſtantibus Poſtulatoribus ejuſdem cauſæ pro facultate procedendi ad ulteriora, ſacrorum rituum Congregatio minime annuit petitis, uti colligitur ex ſequenti ejus decr. 2. Mart. 1630. *Enixe ſupplicatum fuit Sanctiſs. nomine ſacræ Cæſareæ Majeſtatis, his præſertim turbulentiſſimis temporibus ad implorandam Sanctorum apud Deum interceſſionem deveniri ad actualem & ſolemnem Canonizationem B. Aloyſii Gonzagæ olim e Societate Jeſu; &, ſupplicatione ad ſacrorum rituum Congregationem per Sanctiſſimum remiſſa, eadem ſacra Congregatio reſpondit, Obſtare decretum* (videlicet de nondum lapſis annis quinquaginta a die obitus Beati); & ſummus Pontifex Urbanus VIII. cujus auctoritate paulo ante editum fuerat prædictum decretum, in ſuis litteris Apoſtolicis expeditis in forma Brevis die 13. Aprilis 1630. ſcriptiſque Ferdinando in Romanorum Imperatorem electo, & Eleonoræ in Imperatricem electæ pro Canonizatione prædicti Beati ſupplicantibus pariter reſpondit, ſe non poſſe annuere petitis ob memorati decreti repugnantiam. Verba Brevis ad Ferdinandum ſunt hæc: *At enim in hujuſmodi negotiis vocem cæli audire debet Pontificia auctoritas, antequam oraculum veritatis pandat in terris. Porro autem ex Cardinali Pallotto Nuntio noſtro intelliges, quibus decretis nuper dignitati Eccleſiæ, atque ipſorum etiam Sanctorum gloriæ conſuluerimus.* Verba autem Brevis ad Eleonoram ſunt iſta: *At enim, quæ decreta Nos in præſentia remorentur, quominus tantæ religioni tuæ ſolatium parere poſſimus, cognoſces ex Apoſtolico Nuntio Cardin. Pallotto. Credere autem pro tua pietate & prudentia debes, ipſummet B. Aloyſium iis tantummodo honoribus delectari, quos dignitati Eccleſiæ, & temporis conditioni opportunos eſſe, Pontificia auctoritas judicabit.*

5. Alias tamen conceſſa eſt hæc diſpenſatio: & primo quidem in cauſa Pollocen. Martyris Joſaphat, qui pretioſa occubuit morte anno 1623. in Brevi quippe Beatificationis, quod eſt in Bullario *tom. 5. in ordine* 304. inter bullas Urbani VIII. ita legitur: *Poſt obtentam prius a Nobis ſub die 27. Januarii 1629. derogationem decreti noſtri de non procedendo in cauſis Servorum Dei ad effectum Canonizationis, ſeu Beatificationis, aut Declarationis Martyrii, niſi lapſis quinquaginta annis ab obitu illorum.* Secundo, conceſſa fuit eadem diſpenſatio in cauſa Gebennen. S. Franciſci de Sales, ut habetur ex decreto edito die 20. Jan. 1659. Tertio, in cauſa Limana S. Roſæ, ſicuti conſtat ex decreto edito die 26. Septembr. anno 1664. Quarto, in cauſa Japonen. Martyrii Servorum Dei Angeli Orſucci, Caroli Spinulæ & Sociorum, ut liquet ex decreto edito die 6. Junii anno 1679. Quinto denique, dum munere fungebar Fidei Promotoris, in cauſa Neritonen. Servi Dei Joſephi a Cupertino, uti quoque colligitur ex decreto edito die 9. Maji anno 1711.

6. Petitur hæc diſpenſatio a ſummo Pontifice, qui ſupplicationis examen remittere conſuevit ad ſacrorum rituum Congregationem ordinariam: caque porro, ſi petitis annuendum cenſuerit, reſcribere ſolet pro gratia, ſi Sanctiſſimo placuerit: & id quidem reſponſum ſi a ſummo Pontifice confirmetur, diſpenſatio conceſſa intelligitur. Cauſæ vero hujus diſpenſationis indulgendæ ut plurimum ad hæc capita reducuntur. Primum eſt, ſi de Martyre agatur, cujus inſignia ſint erga Catholicam religionem merita, & accedant enixæ ſupplicationes alicujus Regis, & Antiſtitum, ac Procerum alicujus nationis; ex qua ſcilicet ratione conceſſa fuit diſpenſatio in citata cauſa Pollocen. B. Joſaphat. Hæc autem ſunt verba decreti ſummi Pontificis Urbani VIII. *In cauſa Servi Dei Joſaphat Archiepiſcopi Pollocenſis, & Martyris pro Chriſti Fide ab Hæreticis paſſi Sanctiſſimus Dominus noſter mandavit, aperiri proceſſus auctoritate Apoſtolica fabricatos, & ad ulteriora in qualibet Congregatione procedi, non obſtante decreto, quod non poſſit agi de Canonizatione cujuſquam, nec etiam Martyris, niſi ſint lapſi anni quinquaginta a die obitus, vel Martyrii paſſi; attento, quod, ultra inſtantiam & enixam ſupplicationem Regis, Antiſtitum, Procerumque omnium regni Poloniæ, fuit hic Servus Dei Archiepiſcopus in Græcia, univit Eccleſiam Græcam cum Latina, & pro Chriſti Fide paſſus eſt. Quæ omnia Sanctitas ſua mandavit adnotari, ut dignoſcantur cauſæ, quibus mota fuit ad id faciendum, & ne trahatur in exemplum. Die 7. Januarii* 1629. Secundum caput eſt conſimile primo: conſiſtit enim tum in ſupplicationibus Regum & Principum, tum in præclaris meritis erga Catholicam religionem, quæ a Dei Servo, licet Confeſſore, de cujus agitur Beatificatione & Canonizatione, præſtita ſunt. Quocirca in diſpenſatione annorum quatuordecim, quæ conceſſa fuit ab Alexandro VII. in cauſa Gebennen. S. Franciſci de Sales, hæc verba leguntur: *Ad laxandum vero in hac parte & pro hac vice duntaxat decretorum noviſſimorum rigorem ſuæ Sanctitatis animum induxere tum efficaces jamdiu motiones & cauſæ ſuo forſan tempore declarandæ, tum vero pluries repetitæ omnium fere Catholicorum Regum & Principum, & præſertim Galliarum Regis Chriſtianiſſimi, ac univerſi Cleri ejuſdem Galliarum regni ſtudioſiſſimæ preces, necnon Servi Dei Franciſci de Sales in Apoſtolicam Sedem peculiare obſequium &c. atque præclara in Catholicam religionem ejuſdem merita, quod fere ſeptuaginta duo hominum millia ex hæretica pravitate ad viam veritatis revocaverit, & nedum familias, oppida, & civitates integra, ſed provincias ipſas Gebennenſi finitimas ab Hæreſi expiatas ſucceſſivis temporibus Catholicæ Eccleſiæ uberem pietatis cenſum reddituras pervigili*

fua Paſtoralique cura priſtinæ fœcunditati feliciter reſtituerit. Ac ita Sanctitas ſua decrevit voluit ac derogavit; mandavitque, ut præſens decretum ad perpetuam rei memoriam in Acta ſacræ rituum Congregationis referrem, ac de more ſubſcriptum & ſubſignatum in authentica forma in Actis exhibendum traderem. Die 20. Junii 1656. Tertium caput pro hac obtinenda diſpenſatione reſidet in peculiari ſpirituali, quod ſperatur, bono, ſi cauſa Beatificationis & Canonizationis, quæ proponitur, citius ad finem perducatur: qua forſan de cauſa diſpenſatio a lapſu quinquaginta annorum data eſt in cauſa S. Roſæ Limanæ, quæ prima fuit ex orbe novo, quæ in Sanctorum album adſcribi meruerit, cujuſque idcirco Canonizatio non exiguum devotionis fructum orbi novo allatura credebatur, & merito ſperabatur, prout etiam comprobavit eventus. Quartum & ultimum caput deſumitur ex modico temporis defectu pro complemento annorum quinquaginta poſt obitum Servi Dei: quamobrem, propter eximia Servi Dei merita, preceſque Poſtulatorum enixas, derogatum fuit in hac parte decretis Urbani VIII. in allegata cauſa Neritonen. Servi Dei Joſeph a Cupertino, cui ad quinquaginta annorum complementum duo anni, & ſex menſes deficiebant. Quemadmodum enim modicus temporis defectus *centenariam* non inficit, ita etiam modicus temporis defectus, licet obſtet complemento annorum quinquaginta, videtur nihilominus ſine magna tolli poſſe difficultate ope diſpenſationis.

7. Si antiquarum Canonizationum exempla percurramus, nonnullas ex eis, nondum elapſis quinquaginta annis ab obitu Servorum Dei, expletas videbimus. Primo quippe ab obitu anno relati ſunt inter Sanctos Petrus Martyr, Homobonus, Antonius, Edmundus Cantuarienſis; ſecundo ab obitu anno Franciſcus, Clara, & Hugo Gratianopolitanus; tertio ab obitu anno Thomas Cantuarienſis; quarto ab obitu anno Eliſabetha Regina Hungariæ; ſexto ab obitu anno Bernardinus Senenſis, & Gullielmus Briocenſis; undecimo ab obitu anno Petrus Cæleſtinus; duodecimo ab obitu anno Dominicus, & Franciſcus Paulanus; decimo ſexto ab obitu anno Birgitta Vidua, ac Petrus Epiſcopus Tarentaſienſis; vigeſimo ab obitu anno Ludovicus Toloſanus, & Uldaricus Auguſtanus; vigeſimo primo ab obitu anno Bernardus Abbas; & vigeſimo ſeptimo ab obitu anno Philippus Nerius, & Ludovicus Rex. Inter præteritas Canonizationes nonnullæ etiam numerantur in longiora tempora protractæ. Canonizatio enim S. Bonaventuræ facta eſt poſt ducenteſimum octavum annum ab ejus obitu; S. Joannis a S. Facundo poſt ducenteſimum vigeſimum primum; S. Joannis a Capiſtrano poſt ducenteſimum trigeſimum quartum; S. Laurentii Juſtiniani poſt ducenteſimum trigeſimum ſextum; S. Catharinæ Bononienſis poſt ducenteſimum quinquageſimum; S. Andreæ Corſini poſt ducenteſimum quinquageſimum ſeptimum; S. Eliſabethæ Luſitanæ poſt ducenteſimum octogeſimum nonum; S. Raymundi poſt trecenteſimum vigeſimum ſextum; S. Hyacinthi poſt trecenteſimum quadrageſimum ſecundum; S. Leopoldi poſt trecenteſimum quadrageſimum nonum; S. Iſidori poſt trecenteſimum ſeptuageſimum ſecundum; S. Philippi Benitii poſt trecenteſimum octogeſimum ſextum; S. Oſmundi Saresberienſis poſt quadringenteſimum ſeptimum; demum S. Bennonis Miſnenſis poſt quadringenteſimum octavum. Scribentes autem de Canonizatione Sanctorum inter cetera Canonizationis requiſita notabilem temporis lapſum enumerarunt. *Quarta conditio* (verba ſunt Fr. Severini de Cracovia *lib.* 3. de Actis Canonizationis S. Hyacinthi *cap.* 2. *pag.* 154.) *ut is, qui catalogo Sanctorum adſcribitur, notabilis moræ tempus ad continuandum teſtimonium ſanctitatis, & ſignorum verorum ad corpus ejus factorum expleat &c. ne fallaciæ diabolicæ locus præbeatur.* Huc quoque reſpicit tractatus Caſtellini *De dilatione in longa annorum tempora magni arduique negotii Canonizationis Sanctorum.* Sub Urbano demum VIII. ſtatuta eſt lex ſupra recenſita de lapſu quinquaginta annorum ab obitu Servi Dei, antequam proponi poſſit dubium de virtutibus, aut de Martyrio: de qua quidem Conſtitutione hæc habentur in vita Ven. Servi Dei Dominici a Jeſu Maria ſcripta a Patre Philippo a Sanctiſſima Trinitate *lib.* 7. *cap.* 11. *La cagione di tal Coſtituzione è, che neſſuno vive così puramente e ſantamente, che alcuna volta non cada in qualche imperfezione, ſecondo quel detto,* Septies in die cadit juſtus. *Queſti difetti, benchè minimi, molte volte reſtano a memoria, e poſſono diminuire la divozione, e forſe alcune volte del tutto torla, ſe foſſero propoſti per Santi, e per eſſere venerati quelli, ne' quali comparvero alcuni difetti; eſſendo che volgarmente i Fedeli ſtimano, che i Santi foſſero del tutto irreprenſibili.* Quod etiam confirmatur a Patre Nicolao Lancicio *tom.* 2. *opuſc. ſpirit.* 19. *de vitandis judiciis temerariis cap.* 5. *num.* 74.

8. Olim a Poſtulatoribus petebatur, ut in una & eadem Congregatione diſputatio inſtitui poſſet de virtutibus tum Theologicis tum Cardinalibus. Præmittendum eſt enim, juxta diſciplinam antiquiorem in una Congregatione diſputari conſueviſſe dubium de virtutibus Theologicis, in altera dubium de virtutibus Cardinalibus: ideoque in cauſa S. Franciſci Saleſii fuerunt approbatæ virtutes Theologicæ die 2. Julii 1660. die autem 4. Decembris ejuſdem anni facta fuit approbatio virtutum Cardinalium. Diſpenſatio hæc porro, ut in una & eadem Congregatione proponeretur dubium de virtutibus Theologicis & Cardinalibus, petita fuit & conceſſa in cauſis Florentina Servi Dei Hippolyti Galantini 4. Februarii 1671. Limana S. Franciſci Solani 24. Auguſti 1672. Romana Servi Dei Cardinalis Bellarmini 8. Maji 1675. Toletana Servi Dei Cardinalis Ximenes 22. Junii 1680. Portugallien. Servi Dei Antonii a Conceptione 31. Auguſti 1680. Papien. B. Bernardini de Feltro 14. Junii 1687. alia Papien. Servi Dei, nunc Beati Alexandri Saulii 30. Auguſti 1687. & Neapolitana Servi Dei Pauli Buralis Cardinalis de Aretio 22. Novembris 1687. Cum autem nulla in decretis generalibus ſit prohibitio, quin in una & eadem Congregatione diſputentur virtutes tum Theologicæ tum Cardinales, atque adeo iſtius diſpenſationis petitio a pura & ſimplici conſuetudine ortum duxiſſet, poſterior conſuetudo antiquiori derogavit; ita ut hodie conſimilis diſpenſatio nequaquam petatur, ſed Poſtulatores in una & eadem Congregatione jure ſuo proponant dubium complexivum virtutum tum Theologicarum tum Cardinalium. Verum, cum proponitur dubium de virtutibus, animadverſiones aliquando excitantur petitæ vel ex defectu probationum, vel ex eo, quod aliquis actus occurrat ambiguus, ita ut dubitari poſſit, utrum a bono an a malo fine provenerit. Actiones quoque extraordinariæ Servorum Dei trutinæ ſubjiciuntur, de quibus ignoratur, an ex peculiari quodam afflatu Divino factæ ſint. In his ergo caſibus nonnulli nec affirmatione nec negatione reſpondebant propoſito dubio de virtutibus, dicendo videlicet, conſtare, vel non conſtare; ſed, ſuſpenſa reſolutione ejuſdem dubii, ſuadebant, ut procederetur ad diſcuſſionem miraculorum. Quæritur autem in præſenti, an id fieri poſſit. Dicendum eſt, id adverſari ordini judiciali harum cauſarum, & ſimilia ſuffragia recipi non poſſe; ſed antequam tranſitus fiat ad dubium de miraculis, abſolutum & terminatum eſſe debere dubium de virtutibus tum Theologicis tum Cardinalibus.

9. Quod autem id adverſetur ordini judiciali cauſarum Beatificationis & Canonizationis, patet, quia in Ordine Romano, qui tribuitur Jacobo Cardinali Cajetano, quique extat *tom.* 2. *muſ. Ital.* ita habetur *cap.* 115. *Primo enim leguntur depoſitiones teſtium ſuper vita productorum. Lectis & diligenter auditis per Dominum Papam & Cardinales, antequam ad aliud procedatur, Dominus Papa de conſilio Cardinalium determinat, utrum vitæ excellentia illius, de quo agitur, ſit plene probata, vel non: &, ipſa determinatione facta, procedit modo prædicto ad lecturam miraculorum, & depoſitionum teſtium ſuper ipſis miraculis productorum.* Concordat Cæremoniale Romanum *lib.* 1. *c.* 1. *ſect.* 6. *Et, cum placuerit Sanctiſſimo Domino noſtro, referant, in ſecreto Conſiſtorio, & primo de excellentia vitæ, & Fidei puritate; quæ ſi judicabuntur Collegio bene probata, & digna Sanctificatione, tunc procedent ad narrationem & probationem miraculorum; & de conſenſu Cardinalium finiet ſummus Pontifex vitam & miracula &c. deinde deliberabunt, an, quæ probata ſunt, videantur talia, propter quæ merito ſit decernenda Canonizatio.* Ideoque, ſi, antequam tranſitus fiat ad diſcuſſionem miraculorum, abſolutum eſſe debet dubium de virtutibus, quiſque facili negotio colligere poterit, adverſari ordini judiciali cauſarum Beatificationis, & Canonizationis, ſi ſuſpendatur deliberatio ſuper virtutibus, ut tranſitus fiat ad diſcuſſionem miraculorum. Quod vero conſimilia ſuffragia recipi non poſſint, pariter comprobatur. Etenim (prætermiſſo, quod, licet nonnulli ſic aliquando ſuffragati ſint, nunquam tamen ſacra Congregatio hunc ſuffragandi modum approbavit) cum propoſitum eſſet, dum munere fungebar Fidei Promotoris, dubium in cauſa Servæ Dei nunc Beatæ Hyacinthæ de Mareſcottis, an

ſuſpen-

UAB Biblioteca de Ciències Socials

ſuſpenſa deliberatione ſuper virtutibus, tranſitus fieri poſſet ad examen miraculorum, tum ratione officii contra petitionem, Poſtulatoribus autem pro petitione ſtrenue pugnantibus, Congregatio generalis coram ſan. mem. Clemente Papa XI. coacta negando reſpondit; ejuſque reſponſum fuit a Sanctitate ſua approbatum; uti deſumitur ex ſequenti decreto edito die 6. Decembris anni 1712. *In cauſa Viterbien. Beatificationis & Canonizationis Servæ Dei Sororis Hyacinthæ de Mareſcottis ſuper dubio, An in caſu, de quo agitur, hoc eſt, nondum reſoluto dubio ſuper virtutibus, congruat ad ulteriora procedere in diſcuſſione miraculorum; ſacra eadem rituum Congregatio cenſuit, & Sanctiſſimus approbavit, non congruere, quod procedatur ad ulteriora in diſcuſſione miraculorum, ſuſpenſa reſolutione ſuper dubio virtutum, ſed permittendam eſſe novam cauſæ propoſitionem coram Sanctiſſimo ſuper eodem dubio virtutum.* Et ſane cum his cohærenter propoſita fuit iterum dicta cauſa coram Sanctiſſimo ſuper eodem dubio virtutum, eodemque affirmanter reſoluto, Poſtulatores examini ſuppoſuerunt miracula, quæ dicebantur interceſſione memoratæ Dei Servæ patrata. Poſt hæc, prævio ſuffragio particularis Congregationis, cui ipſe tanquam Cardinalis adſcriptus Congregationi ſacrorum rituum una cum aliis Cardinalibus ejuſdem Congregationis interfui, ſan. mem. Clemens Papa XII. die 18. Septembris 1730. mandavit, ut in cauſa Beatificationis & Canonizationis Servæ Dei Joannæ Franciſcæ Fremiot de Chantal, in qua Poſtulatores exorabant, ut una cum dubio virtutum proponeretur dubium de miraculis, mandavit (inquam) ut procederetur modo, quo proceſſum fuit in cauſa B. Hyacinthæ de Mareſcottis. De hac eadem re actum fuit *lib. 1. cap. 27.* nec inopportunum cenſeri debet, ſi nunc aliqua repetantur, quæ tunc fuerunt expoſita. Poſt decreta edita tum in cauſa B. Hyacinthæ de Mareſcottis, tum in cauſa Ven. Servæ Dei Franciſcæ Fremiot de Chantal, in quibus non fuit admiſſa petitio Poſtulatorum, quod ſuſpenſa videlicet reſolutione dubii ſuper virtutibus, procederetur ad diſcuſſionem miraculorum, ut illis diſcuſſis deinde ferri poſſet judicium tum ſuper virtutibus tum ſuper miraculis, Poſtulatores cauſæ Ven. Servi Dei Franciſci Caraccioli ſupplices preces exhibuerunt ſan. mem. Clementi XII. pro facultate exhibendi miracula occaſione diſcuſſionis dubii de virtutibus, non ut ea examinarentur ad effectum approbationis, ſed ut ſuffragaturi in dubio virtutum, perlectis miraculis poſſent ſuum de virtutibus efformare judicium, exemplo deducto a cauſa B. Hyacinthæ de Mareſcottis, in qua licet non fuerit conceſſum, ut una cum dubio virtutum proponeretur dubium de miraculis, in fine tamen informationis dubii ſuper virtutibus, hiſtorice quodammodo & ſine animadverſionibus Fidei Promotoris, facta eſt relatio aſſertorum miraculorum Beatæ interceſſione a Deo factorum: remiſſoque a Sanctitate ſua examine inſtantiæ Congregationi particulari inſtantia favorabile obtinuit reſcriptum: En verba decreti:

Neapolitana Beatificationis & Canonizationis Venerabilis Servi Dei Franciſci Caraccioli Fundatoris Clericorum Regularium.

Sacra Congregatio particularis, attento tenore reſcriptorum in hac cauſa editorum, de quibus in ſupplici libello, aliiſque ſerio ponderatis peculiaribus circumſtantiis, cenſuit, in eadem procedi poſſe, ut in cauſa B. Hyacinthæ de Mareſcottis, nempe quod in diſputatione dubii ſuper virtutibus liceat Poſtulatoribus proferre etiam aſſerta miracula, non quidem ut examinentur ad illorum approbationem, ſed, ut iiſdem perlectis, ſuffragaturi, quatenus velint, in hac cauſa ſuum efformare poſſint de virtutibus judicium, ſi Sanctiſſimo Domino noſtro placuerit, Die 18. Septembris 1736.

Factaque deinde per me Secretarium de prædictis Sanctiſſimo Domino noſtro relatione, Sanctitas ſua benigne annuit. Die & anno ſupradictis.

In propoſitione dubii ſuper virtutibus prædicti Servi Dei reſponſum fuit *Affirmative*, cum tunc primo admiſſum fuerit, ut in cauſis antiquis procedentibus etiam per non cultum probationes ſubſidiariæ ſufficerent, dummodo tamen in dubio miraculorum, non duo (ut antea) ſed quatuor accederent miracula teſtibus de viſu comprobata ante obtinendam Beatificationem formalem, uti colligitur ex noſtro decreto edito die 23. Aprilis 1741. alibi referendo, ita ut nulla fuerit occaſio utendi reſcripto edito a Congregatione particulari, Sed cum anno ſequenti, dum diſceptaretur in Congregatione præparatoria de virtutibus Servi Dei Cardinalis de Aretio, Nobis a Secretario Congregationis relatum fuerit, ſuffragia Conſultorum eo collimaſſe, ut a Nobis facultas daretur proponendi dubium de virtutibus una cum dubio de miraculis, Nos adhærendo veræ & antiquæ praxi ſacræ Congregationis, ſequens edidimus decretum alibi relatum, & nunc iterum non inopportune referendum.

Decretum generale occaſione cauſæ Neapolitanæ Beatificationis & Canonizationis Servi Dei Pauli Buralis Cardinalis de Aretio nuncupati ex Clericis Regularibus Theatinis.

Relato per me infraſcriptum Secretarium conſilio plerorumque Conſultorum in Congregatione præparatoria ſuper virtutibus Venerabilis Dei Servi Pauli Buralis Cardinalis de Aretio nuncupati, die tertia currentis Aprilis, expetentium, ut, ad judicium de virtutibus ejuſdem Servi Dei certius ferendum, ex indulto Pontificio liceret miracula quoque una cum virtutibus proponi ſimul & expendi, Sanctiſſimus Dominus noſter Benedictus Papa XIV. ad mentem Congregationis generalis in ſimili cauſa coram ſel. record. Clemente Papa XI. habitæ jam die 6. Decembris 1712. ſibi tunc Promotori Fidei optime perſpectam, reſpondit: In cauſis non Martyrum cum ex veteri Sedis Apoſtolicæ inſtituto, ac more Majorum in bullis ſummorum Pontificum Nobis expreſſo & commendato, Canonizandorum ſanctitas, ſeu virtutes in gradu heroico debeant utroque, hominis videlicet per ſe, ac Dei per miracula loquentis, teſtimonio probari, rite atque ordinate procedendo, non prius eſſe de Divino teſtimonio quærendum, quam humano ſatis (quantum eſt ex hac parte) conſtiterit probari: ad differentiam doctrinæ, ſeu myſteriorum Fidei, quæ ſicut humano nequeunt ingenio comprehendi, ita Divino potius, quam humano petunt teſtimonio confirmari, juxta illud Marc. ult. Prædicaverunt ubique Domino cooperante & ſermonem confirmante ſequentibus ſignis. *Itaque non eſſe in hac aut alia cauſa ſimili ullatenus miſcenda ſeu complicanda virtutum & miraculorum dubia, ſed ſeparatim ac ſucceſſive proponenda, immo nec tranſponenda eſſe aut differenda, ut, ſuſpenſa reſolutione ſuper virtutibus, ad miracula expendenda procedatur. Atque ita Sanctitas ſua in cauſis non Martyrum ſervari mandavit: hac die 10. Aprilis 1742.*

10. His itaque poſitis, non obſtat, quod ſæpius in dubio virtutum occurrant difficultates petitæ vel ex defectu probationum, vel ex actuum qualitate. Si enim probationes ſufficientes deficiant, non eſt ſuſpendenda deliberatio ſuper virtutibus, ut tranſitus fiat ad miracula, ſed abſolute reſpondendum eſt, non conſtare de virtutibus. Si vero occurrant actus ambigui aut extraordinarii, cum totius vitæ contextus bene perpenſus patefaciat, utrum actus, qui apparet ambiguus, a bono, an a malo fine provenerit; cumque regulæ non deſint (de quibus alibi habebitur ſermo) demonſtrantes, utrum actus extraordinarii ex afflatu Divino & inſtinctu ſupra naturam, necne, profecti cenſendi ſint; hinc ſequitur, nullam adeſſe neceſſitatem intervertendi ordinem judicialem cauſarum Beatificationis & Canonizationis, & conſequenter reſpondendi, ut, ſuſpenſa deliberatione ſuper virtutibus, miracula examinentur. Porro quamvis miracula, præſertim poſt obitum patrata, ſint ſanctitatis, & conſequenter virtutum apertiſſimum ſignum, atque adeo Cardinalis de Lauræa *in 3. ſentent. tom. 4. diſput. 20. de miraculis art. 25. §. 4. num. 1119.* doceat, ſi non conſtet de virtutibus alicujus Dei Servi, vel quia nullus ſcripſit ejus geſta, vel quia teſtes non adſunt, deveniri poſſe ad ipſius Canonizationem, dummodo ejuſdem interceſſione Deus miracula operetur, perinde quaſi hinc potiori jure inferre liceat, permiſſam eſſe debere ſuſpenſionem deliberationis ſuper virtutibus, ut tranſitus fiat ad examen miraculorum: hæc nihilominus & ſimilia non faciunt ad rem, tum quia miracula poſt obitum patrata ſunt utique ſigna ſanctitatis, & conſequenter virtutum, ſed ſine probatione virtutum in ſpecie juxta hodiernam diſciplinam non proceditur ad Beatificationem aut ad Canonizationem; tum quia Auctorum dicta, qui voluerunt procedi poſſe ad Canonizationem, ſi a Dei Servo fiant miracula, licet de ejuſdem virtutibus non conſtet, ſunt vera ſpeculative, non practice; quapropter nullum ad rem, de qua agimus, conſtitui poteſt in illis fundamentum. Conſimile eſt id, quod a nonnullis aſſeritur, poſſe

ſcili-

scilicet ad Canonizationem procedi, quando constat de virtutibus, quamvis non constet de miraculis, uti refert Pater a Panormo sacræ rituum Congregationis olim meritissimus Consultor *in scrutinio doctrinarum cap. 3. art. 14. num. 18.* Quare, quemadmodum hodie non proceditur ad Beatificationem aut ad Canonizationem, nisi ultra virtutes constet etiam de miraculis; ita concludendum est, quod neque proceditur ad Beatificationem aut ad Canonizationem, nisi præter miracula constet etiam de virtutibus: adeo ut a primo ad ultimum dictæ propositiones non sint ullo modo in praxi recipiendæ.

11. Ut alibi dictum est, dubia de virtutibus & de Martyrio examinantur in Congregationibus antepræparatoria, præparatoria, & generali, quibus interfunt etiam Consultores sacræ Congregationis. In prædictis Congregationibus, videlicet antepræparatoria, aut præparatoria, aliquando excitatur aliquod dubium; quo non resoluto, impeditur progressus ad ulteriora, & Consultores hærent, nec ferre possunt suffragium affirmativum vel negativum, Cumque Postulatores, ut ab hoc evadant labyrintho, instent, ut dubium discutiatur in Congregatione ordinaria sacrorum rituum, cui soli assistunt Cardinales; ut, eo videlicet resoluto, causa deinde in Congregationibus præparatoria & generali possit suum habere progressum: videndum est, an hisce petitionibus sit annuendum. Porro si materia dubii sit altioris (ut ita dicamus) indaginis, & pendeat a cognitione nonnullorum factorum, quæ Consultoribus ignota sunt, & quæ ipsis Cardinalibus possunt esse perspecta; Nos ipsi ad summum Pontificatum evecti, non dubitavimus hisce instantiis annuere, indulgendo videlicet, ut dubium discutiatur in Congregatione ordinaria, cui & Nos ipsi interfuimus, etsi de more sit, ut summus Pontifex non interlit Congregationibus ordinariis sacrorum rituum, quibus soli interfunt Cardinales, quorum sensum deinde Secretarius summo Pontifici exponit, ut eum approbare dignetur. Ita a Nobis factum est in causa Meliaporen. ut ex sequenti decreto colligitur.

Meliaporen. Beatificationis & Canonizationis Venerabilis Servi Dei Joannis de Britto Societatis Jesu Sacerdotis.

Oppositio in disputatione super Martyrio & causa Martyrii Venerabilis Servi Dei Joannis de Britto per R. P. D. Fidei Promotorem, quod ille usus esset in Missione Madurensi ritibus illarum regionum auctoritate Sedis Apostolicæ prohibitis, & oppositione ad Congregationem sanctæ Romanæ universalis Inquisitionis, in qua de prædictis ritibus sæpius actum fuerat, a fel. record. Clemente Papa XII. remissa, mox autem justis & gravibus de causis a Sanctissimo Domino nostro Benedicto Papa XIV. ad Congregationem ordinariam sacrorum rituum, sed coram Sanctitate sua habendam, revocata; in eaque sub die 22. Aprilis proxime præteriti proposito per Eminentiss. & Reverendiss. Dominum Sancti Clementis Cardinalem Albanum dubio cum dicto Promotore Fidei jam concordato: An obstent objecti ritus quominus procedi possit ad ulteriora in causa & ad effectum, de quo agitur: aliquibus Eminentissimorum Patrum eos ritus obstare opinantibus, &, quatenus non obstare dicerentur, timentibus, ne ex progressu causæ ad ulteriora, ejusque favorabili resolutione, & subsequenti Servi Dei adscriptione primum inter Beatos, & deinde inter Sanctos, via aperiretur inobservantiæ decretorum a summis Pontificibus editorum, prædictosque ritus proscribentium; aliis vero censentibus, prædictos ritus obstare non debere, utpote adhibitos, non utcumque a Dei Servo, sed prout a Sede Apostolica ad eam diem fuerant permissi, & quatenus modo vetito fuissent adhibiti, quod tamen non probatur, quemcumque reatum conferi procul dubio debere deletum per subsequens Martyrium, usumque prohibitum retractatum per retractationem, non atramento, sed sanguine scriptam: idem Sanctissimus, perlectis prædicti Promotoris oppositionibus, ac singulorum Cardinalium sententiis auditis & expensis, etsi de hac omni controversia, super qua, dum ipse Fidei Promotoris munere fungeretur, in Congregatione rituum opponere occasione videlicet judicii auctoritate Apostolica instituendi, signandæque, uti dicitur, Commissionis introductionis hujusce ipsius causæ, & dum quoque in minoribus degens, Consultor in peculiari super his ritibus Congregatione per san. mem. Clementem XI. & Innocentium XIII. deputata cognoscere, quin & referre pro veritate debuit, jam plane accessisset edoctus, sumpto nihilominus ad plenius adhuc cognoscendum & recognoscendum ac desuper deliberandum spatio, tandem re mature perpensa, & Deo etiam enixe ac sæpius commendata, accitis coram se R. P. D. Promotore, & me infrascripto Congregationis sacrorum rituum Secretario, hac die 2. Julii 1741. Sacro celebrato, respondit & decrevit, objectos a Fidei Promotore ritus non obstare, quominus in causa præsenti Venerabilis Servi Dei Joannis de Britto ad ulteriora procedatur, ad discussionem videlicet dubii super Martyrio & causa Martyrii, necnon alterius dubii de signis & miraculis, quæ ejus intercessione a Deo patrata dicuntur: data Postulatoribus facultate, ut in aliis causis Martyrum sæpe factum est, proponendi in subsequentibus Congregationibus sacrorum rituum dubium de signis & miraculis una cum dubio Martyrii & causæ Martyrii: vetuitque sub pœnis arbitrio Sanctitatis suæ, & ejus Successorum infligendis, ne quis vel nunc, vel tractu temporis audeat ex præsenti decreto inferre aut arguere, eamdem Sanctitatem suam a Constitutionibus summorum Pontificum suorum prædecessorum, Clementis videlicet XI. Benedicti XIII. & Clementis XII. ritus prohibentibus voluisse recedere aut recessisse. Illis etenim inhærens, & præcipue litteris Apostolicis san. mem. Clementis XII. expeditis die 24. Augusti 1734. injungit & mandat Episcopis, & Apostolicis Missionariis in regnis Indiarum Orientalium Madurensi, Maissurensi, & Carnatensi, ut sanctissime custodiant, & ab omnibus servanda studiosissime curent quæcumque in prædictis Apostolicis litteris confirmata, decreta, aut præscripta fuerunt.

T. Patriarcha Hierosolymitanus Secret.

12. Ita quoque a Nobis factum est in causa Gebennen. ut ex alio sequenti decreto colligitur:

Gebennen. Beatificationis & Canonizationis Venerabilis Servæ Dei Joannæ Franciscæ Fremiot de Chantal Fundatricis, primæ Monialis, & Superiorissæ Ordinis Monialium a Visitatione S. Mariæ nuncupatarum.

Excitata occasione dubii proponendi super heroicitate virtutum Theologalium & Cardinalium Venerabilis Servæ Dei Joannæ Franciscæ Fremiot de Chantal oppositione amicitiæ contractæ cum Maria Angelica Arnauld Portus Regii Abbatissa, & communicationis habitæ per litteras cum Joanne Vergerio de Hauranne Abbate Sancirano, necnon suspicionis Quietismi ex scriptis ejusdem Venerabilis Servæ Dei desumptæ, & harum oppositionum examine a san. mem. Papa Clemente XII. remisso ad Congregationem sacræ Inquisitionis, justisque de causis a Sanctissimo Domino nostro revocato ad Congregationem ordinariam sacrorum rituum coram Sanctitate sua habendam, propositoque in eadem Congregatione ordinaria sacrorum rituum habita die 2. Septembris, cui idem Sanctissimus interfuit, ad relationem Eminentiss. Petri de Guerin Tituli SS. Nerei & Achillei Presbyteri Cardinalis de Tencin causæ Relatoris sequenti dubio cum R. P. Fidei Promotore jam concordato: An prætensa communicatio per Venerabilem Dei Servam habita, dum viveret, cum Abbate de Sancirano, & Maria Angelica Abbatissa Portus Regii, atque objectus Quietismus obstent, quominus procedi possit ad ulteriora in causa & ad effectum, de quo agitur: Licet Sanctitas sua satis instructa ad Congregationem accesserit tum ex iis, quæ olim fungens munere Fidei Promotoris scriptis exposuerat in causa S. Vincentii de Paulis, in qua eadem familiaritas & amicitia cum antedicto Abbate de Sancirano fuerunt oppositæ, tum ex ceteris quæ legerat in animadversionibus memorati R. P. Fidei Promotoris, & in responsionibus Postulatorum, auditisque Reverendiss. Cardinalium suffragiis, multa disseruerit de causa & meritis ipsius, necnon de oppositis exceptionibus; distulit tamen propositi dubii resolutionem, ut interim Divinam opem imploraret. Post quæ accitis coram se R. P. Ludovico de Valentibus Fidei Promotore, & me infrascripto sacræ rituum Congregationis Secretario hac die 10. Septembris, in qua festum celebratur Nominis Beatissimæ Virginis Mariæ, erga quam Venerabilis Dei Serva, ferventissima devotione semper affecta fuit, post celebratum sacrosanctum Missæ sacrificium, inhærens Reverendiss. Cardinalium suffragantium sensui, sequens protulit decretum: Objectas videlicet oppositiones, de quibus in supradicto dubio, non obstare, quominus in causa Venerabilis Dei Servæ Joannæ Franciscæ Fremiot de Chantal ad ulteriora pro-

ra procedatur, ad discussionem videlicet dubii de virtutibus Theologalibus, & Cardinalibus ipsius, in cujus discussione onus erit prædicti Fidei Promotoris, posthabitis omnino supradictis difficultatibus jam superatis, cetera prosequi, si quæ sint, quæ disputandarum virtutum fulgorem possint obscurare. Hac die, ut supra, 10. Septembris 1741.

13. Juxta alibi dicta & alibi etiam referenda, a Nobis editum est die 23. Aprilis 1741. decretum generale, ut in causis antiquis Confessorum, vel Martyrum, procedentibus per viam non cultus, si virtutes & Martyrium probata sint per probationes subsidiarias, hoc est testes de auditu, Historicos contemporaneos, & cetera adminicula, non duo (ut antea) miracula sufficiant pro obtinenda Beatificatione formali, sed quatuor sint necessaria, probata per testes de visu, & duo alia quæ post indultam venerationem supervenerint, requirentur pro obtinenda Canonizatione formali. Post editum dictum decretum, excitatum est dubium in causa Servi Dei (nunc Sancti) Petri Regalati; in qua usque ab anno 1630. ante approbationem virtutum quatuor miracula fuerunt approbata, an videlicet in ea causa, pro Canonizatione obtinenda, duo alia sufficere deberent miracula post indultam venerationem patrata, an præter hæc, alia quatuor essent necessaria, juxta decretum supra allegatum, editum die 23. Aprilis 1741. Habitoque ad Nos recursu, respondimus, causam hanc non esse sub eo decreto comprehensam, cum in ea jam præcesserit approbatio quatuor miraculorum, & sic duo sufficere post indultam venerationem patrata pro obtinenda formali Canonizatione.

14. En decretum:

Oxomen. seu Vallisoletana Canonizationis Beati Petri Regalati Ordinis Minorum de Observantia.

Sanctissimus Dominus noster Benedictus Papa XIV. his, quæ in suprascripto memoriali deducuntur, mature perpensis & attentis, Fratris Joannis de Velasco ejusdem Ordinis ad postulandam dicti Beati Canonizationem deputatis, ejusque causam, ob supradicta quatuor miracula ad comprobationem virtutum jam inde ab anno 1630. approbata, memorato Sanctitatis suæ decreto generali nullatenus esse comprehensam contendentis, atque in hoc ejusdem Sanctitatis suæ sapientiam non minus quam æquitatem implorantis, enixis humillimisque precibus benigne inclinatus, ut oblatam hinc occasionem idem decretum suum generale confirmandi censuit capiendam, ita & declarandi, prout confirmat & declarat, causam Beati Petri Regalati Ordinis Minorum de Observantia decreto illo suo generali nequaquam comprehendi, nec esse comprehendendam, utpote in qua tametsi virtutes in gradu heroico, propter Beati viri tribus fere ab hinc sæculis defuncti antiquitatem, ex testibus de auditu tantum probatæ sint, neque aliter potuerint probari, simul tamen probatis etiam quatuor miraculis, antecedenter satis paritum fuerit decreto generali a Sanctitate sua nuper edito, itaque ad solemnem ejusdem Beati Petri Canonizationem, non quatuor, sed duo tantum miracula probanda ex testibus de visu superesse atque approbanda. Atque ita Sanctitas sua declaravit & decrevit, hac die 2. Augusti 1741.

15. Post Congregationem antepræparatoriam, & præparatoriam sive super dubio virtutum, sive super dubio Martyrii, sive super dubio miraculorum (sicuti visum est) cogitur Congregatio generalis coram summo Pontifice, in qua eadem dubia discutienda proponuntur. Ut item visum est, juxta præsentem consuetudinem nullum in modo dicta Congregatione profertur a summo Pontifice responsum, sed id ad aliud tempus differtur. Cumque aliquando a Postulatoribus supplices preces exhibeantur, ut dubium de virtutibus, aut Martyrio, vel miraculis semel propositum in Congregatione generali coram summo Pontifice novo examini supponatur, quæritur in præsenti, an huic petitioni sit annuendum. De hac autem petitione loquendo, distinguendus est casus a casu: aut enim summus Pontifex, auditis tum Cardinalium, tum Consultorum suffragiis, suam tulit sententiam, aut nullum edidit responsum. Si Papa suam tulit sententiam, nec peti, nec concedi potest, ut causa jam resoluta iterum discutiatur: sed, si nullum summus Pontifex edidit responsum, ipso annuente iterum causa proponi potest. Et ita quidem, dum munere fungebar Fidei Promotoris, factum est in causis Tullen. B. Petri Forerii super dubio virtutum, Viterbien. B. Hyacinthæ de Marescottis super eodem pariter dubio virtutum, Marochitana B. Joannis de Prado super dubio Martyrii & causa Martyrii, necnon in causis SS. Jacobi de Marchia, & Francisci Solani. Hoc tamen intercedit discrimen inter causas, quæ ante plures annos fuerunt in Congregatione generali coram summo Pontifice propositæ, & illas, quæ paucis ante annis in eadem Congregatione discussæ sunt, ut in his, cum vel nulli vel pauci ex Cardinalibus & Consultoribus, qui in prima Congregatione suffragium tulerunt, deficiant, dubium semel propositum in eadem Congregatione generali coram summo Pontifice denuo proponatur, prout contigit in causis, quæ modo memoratæ fuerunt; in causis vero, quæ ante plures annos propositæ fuerunt, cum tempore intermedio defecerint aut omnes aut plures ex Cardinalibus & Consultoribus, qui prima vice suffragati sunt, dubium jam propositum iterum proponatur primo in Congregatione præparatoria, deinde in alia Congregatione generali coram summo Pontifice. Quo pacto res se habuit in causa Limana S. Thuribii super miraculis, cum fuerit proposita in Congregatione generali coram summo Pontifice, & iterum deinde proposita in Congregatione præparatoria; tempore quippe intermedio omnes fere Cardinales & Consultores Congregationis sacrorum rituum ab humanis excesserant, aliique iis fuerant subrogati. Omitti autem non debet, hucusque adducta tantum procedere quoad dubia virtutum & miraculorum, quæ proponuntur in Congregatione generali coram summo Pontifice: quoad reliqua enim dubia, quæ proponuntur in Congregationibus ordinariis, ad eamdem pertinet Congregationem ordinariam concedere, ut semel resoluta iterum examini supponantur.

16. Aliqua sanationis quarumdam nullitatum, quæ in processibus contigerant, exempla in superioribus relata sunt: nunc autem aliqua etiam addenda esse videntur, non quia, re integra, curandum non sit, ut quæcumque nullitates caveantur, sed quia, si aliqua irrepserit ex his, quarum sanationis suppetit exemplum, possint Postulatores sacræ Congregationi supplicare pro benigna ejusmodi sanatione. Quando concedantur litteræ remissoriales, & compulsoriales pro conficiendis processibus, statuitur (ut alibi dictum est) in eis terminus, intra quem processus sint absolvendi; ita ut, si construantur vel absolvantur aut extra terminum statutum, aut extra terminum prorogatum, processus ipsi nullitatis vitio laborent. Petitur itaque sanatio hujus nullitatis a sacrorum rituum Congregatione ordinaria, quæ ut plurimum respondet pro sanatione, si Sanctissimo placuerit. Neque enim desunt exempla hujusmodi sanationum, in causa siquidem Canonizationis B. Salomeæ Reginæ Galaciæ, san. mem. Alexander VII. sanavit nullitatem processus & sententiæ super casu excepto, licet ea omnia peracta fuissent extra terminum, uti colligitur ex sequenti decreto: *Cum Frater Angelus de Somneno Procurator Generalis Ordinis Minorum Conventualium S. Francisci & Procurator specialiter constitutus in causa Servæ Dei Salomeæ Reginæ Galaciæ supplicavit Sanctiss. Domino nostro Alexandro Papæ VII. pro sanatione nullitatis processus fabricati in causa ejusdem Servæ Dei super cultu immemorabili illi exhibito, & casu excepto a decreto san. mem. Urbani VIII. & in Sacra Congregatione jam exhibiti, &, servatis servandis, aperti, scilicet omnium actorum & gestorum quorumcumque, etiam sententiæ post elapsum terminum in litteris remissorialibus, & compulsorialibus præfixum, & contra formam decretorum sacræ Congregationis servatorum, factorum, & latæ respective; & idem Sanctissimus supplicem libellum sacræ rituum Congregationi remiserit, & postmodum mihi Secretario denuo commiserit, ut referretur: quocirca, facta per me plena relatione, etiam de oppositis a R. P. D. Fidei Promotore, Sanctitas sua speciali favore & gratia causam, & Postulatorem prosequens dictam nullitatem processus, actorum, & sententiæ etiam ex defectu jurisdictionis gratiosa & Apostolica auctoritate sanavit, mandavitque, ut, constito de bono jure & relevantia, in reliquis eadem sacra Congregatio procedat ad ulteriora in causa, dicta nullitate rejecta & non obstante. Hac die 1. Decembris 1666.* Consimili gratia sanationis concessa pariter fuit in causa Florentina Canonizationis S. Mariæ Magdalenæ de Pazzis, uti testatus fuit bon. mem. Petrus Franciscus de Rubeis olim Fidei Promotor in suis animadversionibus factis in eadem causa super validitate processuum. Cumque in capsa Romana, seu Dertonen. Canonizationis S. Pii V. oppositum fuisset a Fidei Promotore contra validitatem processuum confectorum super iis, quæ super

ſupervenerunt poſt indultam Beatificationem, eo quod illorum occluſio facta fuerat extra terminum in litteris remiſſorialibus præſcriptum, ſan. mem. Clemens Papa XI. prævio conſilio ſacræ Congregationis, hanc oppoſitam nullitatem ſanavit, uti deſumitur ex decreto edito die 28. menſis Martii anno 1705. Eodem anno, quo hæc ſcribebamus, occurrit hic caſus in ſacrorum rituum Congregatione ordinaria. In ea ſcilicet agebatur de validitate proceſſuum auctoritate Apoſtolica conſtructorum in cauſa Canonizationis Septem Beatorum Fundatorum Ordinis Servorum B. Mariæ Virginis. Excitata autem fuit difficultas contra validitatem proceſſus Apoſtolici Bononiæ conſtructi, quod abſolutus fuiſſet extra terminum ſtatutum: certum quippe re ipſa erat, proceſſus exſcriptionem, collationem, & auſcultationem extra terminum factas fuiſſe. Quocirca ſacra Congregatio die 17. Januarii 1733. dixit, conſtare de validitate proceſſuum, excepto proceſſu Bononienſi, & die 21. Martii ejuſdem anni ſupplicandum cenſuit Sanctiſſimo pro ſanatione.

17. Item juxta decretum a Sanctiſſimo deceſſore noſtro Clemente Papa XII. editum die 18. Auguſti 1731. & ſupra relatum, prohibitum eſt, Religioſos, licet habentes privilegia *Notariatus*, officium idem exercere in cauſis Canonizationis Servorum Dei ſui Religioſi Ordinis, addita nullitate, ſi exerceant. Sed, ſi forte aliqui proceſſus ante editionem Decreti a prædictis Religioſis conſtructi reperirentur, non eſt prohibitum Poſtulatoribus ſupplicare pro benigna ſanatione, pro qua ſuppetit ſequens exemplum.

Limana, ſeu Civitatis Regum Beatificationis & Canonizationis Servi Dei Petri Urraca Ordinis B. Mariæ de Mercede Redemptionis Captivorum.

CUm in cauſa Beatificationis & Canonizationis Servi Dei Petri Urraca prædicti per Eminent. & Rev. D. Cardinalem Belluga Ponentem propoſita ſuper infraſcripto dubio, An conſtet de validitate proceſſuum auctoritate Apoſtolica in ſpecie, & ordinaria reſpective conſtructorum, teſtes ſint rite & recte examinati, & jura legitime compulſata in caſu &c. ſacrorum rituum Congregatio die 20. Januarii proxime præteriti reſcripſerit, Negative. Cumque modo ad inſtantiam Patris Magiſtri F. Joſephi Mezquia Ordinis B. M. de Mercede Redemptionis Captivorum Procuratoris Generalis & hujuſmodi cauſæ Poſtulatoris ab ipſo Eminentiſs. D. Cardinali Belluga in ſacrorum rituum Congregatione ordinaria ſupradictum dubium iterum propoſitum atque diſcuſſum fuerit; ſacra eadem Congregatio, in ſcriptis & in voce Rev. D. Cavalchini Archiepiſcopo Philippen. Fidei Promotore prius audito, reſcribendum cenſuit: Prævio receſſu a deciſis, conſtare de validitate proceſſuum tam ordinarii, quam Apoſtolici ante admiſſionem in Notarium Patris Silva. In reliquis conſulendum Sanctiſſimum pro ſanatione ad cautelam, & ſupplicandum eidem Sanctiſſimo ad mentem. Et mens eſt, ut fiat decretum generale, ne in poſterum aſſumantur in Notarios Religioſi ejuſdem Ordinis ſub pœna nullitatis proceſſuum. Die 11. Auguſti 1731.

Factaque deinde per me Secretarium de Prædictis Sanctiſs. D. noſtro relatione, Sanctitas ſua annuit, & ſequens decretum extendi ac ſervari mandavit, die 18. ejuſdem menſis & anni 1731.

18. Creſceret in immenſum volumen iſtud, ſi omnia & ſingula ſpectantia ad proceſſuum validitatem eſſent exponenda. Potiora autem ea ſunt, & uſu frequentiora, quæ in ſuperioribus adducta ſunt: & ideo finem huic libro imponimus, iterum admonendo Poſtulatores, ut in confectione proceſſuum, qui auctoritate ordinaria conſtruuntur, curent, ut omnia ſerventur quæ ſervanda præſcribuntur in proceſſibus Apoſtolicis; non quia id abſolute neceſſarium ſit ad evitandas nullitates in proceſſibus ordinariis, quorum validitati ſatis eſt, ſi ſerventur præſcripta a jure communi; ſed quia in omnibus fere cauſis moraliter eſt impoſſibile, ut ad ulteriora procedi poſſit, niſi fiat conjunctio in linea coæqualis probationis proceſſus ordinarii cum Apoſtolico: quæ quidem conjunctio utique ſibi vindicat locum, ſi proceſſus ordinarius confectus ſit, ſervatis omnibus, quæ ſervanda præſcribuntur in confectione proceſſuum Apoſtolicorum.

19. Pro coronide ſciendum, cum in ſacrorum rituum Congregatione diſputatio inſtituitur de validitate proceſſuum, confici ſolere a Poſtulatoribus tabellam quamdam, in qua teſtium nomina, cognomina, ætas, inductio, citatio, juramentum, & examen, necnon tempus, quo hæc peracta ſunt, indicantur; cujus quidem tabellæ exemplar dabitur in Appendicibus.

FINIS.

UAB
Biblioteca de Ciències Socials

APPENDICES NOVEM MONUMENTA COMPLECTENTES *AD HUNC* SECUNDUM LIBRUM PERTINENTIA.

UAB
Biblioteca de Ciències Socials

APPENDICES
NOVEM
MONUMENTA
COMPLECTENTES
HUNC
SECUNDUM LIBRUM
PERTINENTIA

UAB Biblioteca de Ciències Socials

APPENDIX PRIMA

DECRETA SANCTISSIMÆ INQUISITIONIS

Edita ſub diebus 13. Martii, & 2. Octobris 1625.

De quibus paſſim in hoc Opere, maxime vero in Lib. 2. ſuperiori.

CUM Sanctiſs. in Chriſto Pater, & D. N. D. Urbanus Divina Providentia Papa VIII. *die* 13. *Martii* 1625. Decretum ediderit infraſcripti tenoris videlicet:

Sanctiſs. D. N. ſollicite animadvertens abuſus, qui irrepſerunt, & quotidie irrepere non ceſſant in colendis quibuſdam cum Sanctitatis, aut Martyrii fama, vel opinione defunctis, qui etſi neque Canonizationis, neque Beatificationis honore inſigniti ſint ab Apoſtolica Sede, eorum tamen Imagines in Oratoriis, atque Eccleſiis, aliiſque locis publicis, ac etiam privatis cum laureolis, aut radiis, ſeu ſplendoribus proponuntur, miracula, & revelationes, aliaque beneficia a Deo per eorum interceſſiones accepta in libris rerum ab ipſis geſtarum enarrantur, & ad illorum ſepulchra Tabellæ, Imagines, & res aliæ ad beneficia accepta teſtificanda, & lampades, & alia lumina apponuntur: Volenſque proinde hujuſmodi abuſibus pro debito officii Paſtoralis occurrere, re etiam cum Illuſtriſſ. & Reverendiſſ. D. D. Cardinalibus contra hæreticam pravitatem in univerſa Republica Chriſtiana Generalibus Inquiſitoribus communicata, & mature conſiderata, ac diſcuſſa, declaravit, ſtatuit, & decrevit, ne quorumvis hominum cum Sanctitatis, ſeu Martyrii fama (quantacumque illa ſit) defunctorum Imagines, aliaque prædicta, & quodcunque aliud venerationem, & cultum præferens, & indicans in Oratoriis, aut locis publicis, ſeu privatis, vel Eccleſiis tam Sæcularibus, quam Regularibus cujuſcunque Religionis, Ordinis, Inſtituti, Congregationis, aut Societatis apponantur, antequam ab Apoſtolica Sede canonizentur, aut Beati declarentur, & (ſi quæ appoſitæ ſunt) amoveantur, prout eas ſtatim amoveri mandavit.

Ac pariter imprimi de cetero inhibuit libros eorumdem hominum, qui Sanctitatis, ſive Martyrii fama, vel opinione (ut præfertur) celebres e vita migraverint, geſta, miracula, vel revelationes, ſeu quæcumque beneficia, tamquam eorum interceſſionibus a Deo accepta continentes ſine recognitione, atque approbatione Ordinarii; qui in iis recognoſcendis Theologos, alioſque pios, ac doctos viros in conſilium adhibeat, &, ne deinde fraus, aut error, aut aliquid novum, ac inordinatum in re tam gravi committatur, negotium inſtructum ad Sedem Apoſtolicam tranſmittat, ejuſque reſponſum expectet. Revelationes vero, & miracula, aliaque beneficia ſupradicta, quæ in libris horum hominum vitam, & geſta continentibus hactenus ſine recognitione, atque approbatione hujuſmodi impreſſa ſunt, nullo modo approbata cenſeri vult, mandatque Sua Sanctitas.

Ad horum hominum ſepulchra vetuit etiam, ac inhibuit, tabellas, atque Imagines ex cera, aut argento, ſeu ex alia quacumque materia tam pictas, quam fictas, atque exculptas appendi, ſeu affigi, & lampades, ſive alia quæcumque lumina accendi ſine recognitione ab Ordinario omnino, prout ſupra, facienda, Sedique Apoſtolicæ referenda, ac probanda.

Declarans, quod per ſupraſcripta præjudicare in aliquo non vult, neque intendit iis, qui aut per communem Eccleſiæ conſenſum, vel immemorabilem temporis curſum, aut per Patrum, Virorumque Sanctorum ſcripta, vel longiſſimi temporis ſcientia, ac tolerantia Sedis Apoſtolicæ, vel Ordinarii coluntur.

Ut autem præmiſſa diligentius obſerventur, univerſis, & ſingulis tam Ordinariis, quam hæreticæ pravitatis Inquiſitoribus diſtricte præcipit, ut in ſua quiſque Diœceſi, vel Provincia ſedulo pervigilet, ne ſine approbationibus prædictis Imagines cum memoratis ſignis exponantur, aut miracula, revelationes, ac beneficia prædicta publicentur, aliave contra ſuperius diſpoſita fiant: Tranſgreſſores vero, ſi Regulares fuerint, privationes ſuorum officiorum, ac vocis activæ, & paſſivæ, necnon & ſuſpenſionis a divinis, ſi vero Clerici ſæculares, privationis pariter ſuorum officiorum, ſuſpenſionis a divinis, & ab adminiſtratione Sacramentorum, executioneque ſuorum Ordinum reſpective, aliiſque arbitrio prædictorum Ordinariorum, ſeu Inquiſitorum pro modo culpæ infligendis pœnis plectendo. Qui autem libros impreſſerint, aut Imagines pinxerint, ſculpſerint, ſeu quoquo modo effinxerint, vel formaverint, ceterique Artifices circa præmiſſa qualitercumque delinquentes prædicta omnia amittant, & inſuper pecuniariis, aliiſque, etiam corporalibus, pœnis, juxta criminis gravitatem, eorumdem Ordinariorum, ſeu Inquiſitorum arbitri afficiantur. Contrariis quibuſcumque non obſtantibus.

Et, ne præmiſſorum ignorantia poſſit ab aliquo prætendi, voluit, ut Decretum hujuſmodi, ſeu illius exemplum ad valvas Baſilicæ Principis Apoſtolorum Urbis, ac in Acie Campi Floræ affixum omnes proinde arctet, atque afficiat, ac ſi unicuique perſonaliter intimatum fuiſſet; quodque præſentium tranſumptis, etiam impreſſis, manu Notarii publici ſubſcriptis, ac ſigillo alicujus perſonæ in Eccleſiaſtica dignitate conſtitutæ munitis eadem prorſus fides habeatur, quæ præſentibus haberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ.

Poſtmodum vero id Sanctiſs. D. N. a quibuſdam revocari in dubium accepit, an Tabellas, & Imagines, quas in poſterum offerri contigerit, recipere, & antea oblatas conſervare liceret, Sanctitas Sua, quæ tantummodo voluit, occurrendo abuſibus, qui irrepere videbantur, certiorem parare viam ad eorum in terris gloriam, quorum Sanctimoniam divinæ clementiæ placuerit admirandis operibus illuſtrare, re prius cum Illuſtriſs. & Reverendiſs. DD. Cardinalibus contra hæreticam pravitatem Generalibus Inquiſitoribus communicata, præſenti Decreto declaravit, quod, ſicut nunquam prohibuit, nec ſuæ intentionis fuit prohibere oblationem, receptionemque Tabellarum, & Imaginum hujuſmodi, ita, ut nulli deinceps hæſitationi locus relinquatur, ſtatuit in præſentiarum, & decernit, ut, quoties ad aliquam Eccleſiam, aut Oratorium, locumve alium publicum Sæcularem, ſeu Regularem Tabellas, & Imagines, aliudve ſimile quiſpiam detulerit, ac interceſſioni hominum inter Sanctos, vel Beatos non adſcriptorum, quamvis cum Martyrii, vel Sanctitatis fama demortuorum, optata ſe impetraviſſe dixerit, liceat Eccleſiaſticis perſonis Eccleſiarum, locorumve prædictorum curæ præpoſitis Tabellas, & Imagines ſive pictas, ſive ex quavis materia fictas, atque alia quæcumque collatæ gratiæ fidem facientia ſimul cum deferentis, aliorumque, qui conſcii fuerint, atteſtationibus recipere, atque, approbantibus Ordinariis, ad quos referre ſtatim omnia teneantur, in ſecreto aliquo, ſeorſum ab Eccleſia, loco cuſtodire, ibidemque jam amota collocare, & aſſervare, ut, ſi quando Dominus talium Virorum merita Beatificationis, ſeu Canonizationis honore in terris decorare voluerit, extent hujuſmodi Sanctitatis qualeſcumque probationes Apoſtolicæ Sedis judicio tunc examinandæ: Contrariis quibuſcumque non obſtantibus.

Jo. Antonius Thomaſius S. Rom.
& univerſ. Inquiſit. Not.

Anno 1625. *Indictione octava, Pontificatus S. D. N. Urbani Divina Providentia Papæ VIII. die vero* 30. *menſis Octobris ſupradictæ litteræ, ſive Decretum affixum, & publicatum fuit ad valvas Principis Apoſtolorum Urbis, ac in acie Campi Floræ, ut moris eſt, per me Brandimartem Latinum prælibati S. D. N. Papæ Curſorem.*

Alia

Alia Decreta expedita per Breve 5. Julii 1634.

URBANUS PAPA VIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

CÆleſtis Hieruſalem Cives, quorum glorioſis natalitiis ſancta lætatur mater Eccleſia, ſicut hujus Sanctæ Sedis Apoſtolicæ miniſterio a piis utriuſque ſexus Chriſtifidelibus venerantur in terris, ita Romanum decet Pontificem militantis Eccleſiæ regimini divina providentia præpoſitum pro ſuo præcipuo honoris Domus Dei zelo invigilare, ne quid in perſonarum cum Sanctitatis, aut Martyrii fama, vel opinione defunctarum memoriam, ſive cultum, inconſulta Sancta Sede prædicta, innovetur. Alias ſiquidem Nos ſolicite animadvertentes abuſus, qui irrepſerant, & irrepere non ceſſabant in colendis quibuſdam cum Sanctitatis, aut Martyrii fama, vel opinione defunctis, qui etſi neque Canonizationis, neque Beatificationis honore inſigniti eſſent ab eadem Sede, eorum tamen Imagines in Oratoriis, atque in Eccleſiis, aliiſque locis publicis, atque etiam privatis cum laureolis, aut radiis, ſeu ſplendoribus proponebantur, miracula, & revelationes, aliaque beneficia a Deo per eorum interceſſiones accepta in libris rerum ab ipſis geſtarum enarrabantur, & ad illorum ſepulchra Tabellæ, Imagines, & res aliæ ad beneficia accepta teſtificanda, & lampades, & alia lumina apponebantur; volenteſque proinde hujuſmodi abuſibus pro debito Officii paſtoralis occurrere, re etiam cum Venerabilibus fratribus noſtris S. R. E. Cardinalibus contra hæreticam pravitatem in univerſa Republica Chriſtiana generalibus Inquiſitoribus ab eadem Sede ſpecialiter deputatis communicata, & mature conſiderata, ac diſcuſſa, de eorumdem Cardinalium conſilio ſub *die* 13. *Martii* 1625. declaravimus, ſtatuimus, & decrevimus, ne quorumvis hominum cum Sanctitatis, ſeu Martyrii fama (quantacumque illa eſſet) defunctorum Imagines, aliaque præfata, & quodcumque aliud veneracionem, & cultum præferens, & indicans in Oratoriis, aut locis publicis, ſeu privatis vel Eccleſiis tam Sæcularibus, quam Regularibus cujuſcumque Religionis, Ordinis, Inſtituti, Congregationis, aut Societatis apponerentur, antequam ab Apoſtolica Sede Canonizarentur, aut Beati declararentur, & (ſi quæ appoſitæ eſſent) amoverentur, prout eas ſtatim amoveri mandavimus. Ac pariter imprimi de cetero inhibuimus libros eorumdem hominum, qui Sanctitatis, ſive Martyrii fama, vel opinione, ut præfertur, celebres e vita migraviſſent, geſta, miracula, vel revelationes, ſeu quæcumque beneficia, tanquam eorum interceſſionibus a Deo accepta, continentes ſine recognitione, atque approbatione Ordinarii, qui in iis recognoſcendis Theologos, alioſque pios, ac doctos viros in conſilium adhiberet, &, ne deinde fraus, aut error, aut aliquid novi, & inordinati in re tam gravi committeretur, negotium inſtructum ad Sedem Apoſtolicam tranſmitteret, ejuſque reſponſum expectaret: Revelationes vero, & miracula, aliave beneficia ſupradicta, quæ in libris horum hominum vitam, geſtaque continen. eatenus ſine recognitione, atque approbatione hujuſmodi impreſſa erant, nullo modo approbata cenſeri, voluimus, mandavimuſque. Ad horum hominum ſepulchra vetuimus etiam, ac inhibuimus Tabellas, atque Imagines ex cera, aut argento, ſeu ex alia quacumque materia tam pictas, quam fictas, atque exſculptas appendi, ſeu affigi, & lampades, ſive alia quæcumque lumina accendi ſine recognitione ab Ordinario omnino, prout ſupra, facienda, Sedique Apoſtolicæ referenda, ac probanda. Declarantes, quod per ſupraſcripta præjudicare in aliquo noluimus, neque intendimus iis, qui aut per communem Eccleſiæ conſenſum, vel immemorabilem temporis curſum, aut per Patrum, Virorumque Sanctorum ſcripta, vel longiſſimi temporis ſcientia, ac tolerantia præfatæ Sedis Apoſtolicæ, vel Ordinarii celebrantur. Cumque poſtea *die* 2. *Octobris ejuſdem anni* 1625. a quibuſdam revocari in dubium accepiſſemus, an Tabellas, & Imagines, quas in poſterum offerri contingeret, recipere, & antea oblatas conſervare liceret; Nos, qui tantummodo voluimus, occurrendo abuſibus, qui irrepere videbantur, certiorem parare viam ad eorum in terris gloriam, quorum ſanctimoniam divinæ clementiæ placuerit admirandis operibus illuſtrare, re prius cum eiſdem Cardinalibus communicata, de ſimili eorum conſilio declaravimus, quod, ſicut numquam prohibuimus, nec intentionis Noſtræ fuit prohibere oblationem, receptionemque Tabellarum, & Imaginum hujuſmodi, ita ut deinceps nulli dubitationi locus relinqueretur, ſtatuimus, & decrevimus, ut, quoties ad aliquam Eccleſiam, aut Oratorium, locumve alium publicum Sæcularem, ſeu Regularem Tabellas, & Imagines, aliudve ſimile quiſpiam deferret, ac interceſſione hominum inter Sanctos, vel Beatos non adſcriptorum, quamvis cum Martyrii, aut Sanctitatis fama demortuorum, optata ſe impetraviſſe diceret, liceret Eccleſiaſticis perſonis Eccleſiarum, locorumve prædictorum curæ præpoſitis Tabellas, & Imagines ſive pictas, ſive ex quavis materia fictas, atque alia quæcumque collatæ gratiæ fidem facien. ſimul cum deferentis, aliorumque, qui conſcii fuiſſent, atteſtationibus recipere, atque, approban. Ordinariis, ad quos referre ſtatim omnia tenerentur, in ſecreto aliquo ſeorſum ab Eccleſia loco cuſtodire, ibidemque jam amota collocare, & aſſervare, ut, ſi quando Dominus talium virorum merita Beatificationis, ſeu Canonizationis honore in terris decorare voluiſſent, extarent hujuſmodi Sanctitatis qualeſcumque probationes Apoſtolicæ Sedis judicio tunc examinandæ. Demum vero, ut ejuſmodi Decreta obſervarentur indubie, ac omnimodam ſortirentur executionem, cum eiſdem Cardinalibus re pariter communicata, deque eorumdem conſilio præmiſſis addidimus, ſtatuimus, decrevimus, atque declaravimus, ne ex tunc deinceps quiſpiam Ordinariorum, aut ab Apoſtolica Sede ad hoc ſpecialiter delegatorum ſuper alicujus utriuſque Sexus cum Sanctitatis, aut Martyrii fama, vel opinione defuncti miraculis, revelationibus, aliiſque ejuſmodi Sanctitatem redolen. ex integro informationes quoquo modo reciperet, aut proceſſum inſtrueret, vel hucuſque receptas informationes, inſtructumve proceſſum ulterius proſequerentur, niſi Poſtulator prius per legitimas juridice ſuſceptas probationes circa perſonam ejus, de cujus miraculis, revelationibus, aliiſve rebus geſtis Sanctitatem præferentibus ageretur, præſcriptam in præfato Noſtro Decreto formam omnino ſervatam extitiſſe docuerit, & niſi poſtea ſucceſſive idem Ordinarius, aut ab Apoſtolica Sede ad hoc ſpecialiter delegatus, diligenti prahabita diſquiſitione circa eamdem perſonam, ſupra citato Decreto nullatenus contraventum eſſe, rite pronuntiaverit, utque id inviolabiliter obſervetur, ſtatuimus inſuper, ac decrevimus, ne tranſmiſſi ad Urbem undecumque hujuſmodi proceſſus a Congregatione Sacrorum Rituum Secretario, minuſve a ſanctæ Fidei Promotore quomodolibet aperiantur, niſi prius in ipſa Sacrorum Rituum Congregatione, alio ſejunctim oblato authentico proceſſu, ex eo Ordinarium, aut ab Apoſtolica Sede ſpecialiter delegatum rite, ac recte, ut præmittitur, cognoviſſe, ac pronuntiaſſe, præhabito Decreto nequaquam contraitum eſſe, plene conſtiterit, ac deinde a nobis judicialiter aperiendi eos proceſſus facultas indulta fuiſſet. Inſuper longiſſimum tempus, illiuſve immemorabilem curſum, de quo in prædicto Decreto, intelligi declaravimus eſſe tempus centum annorum metam excedens: deque his, atque infraſcriptis omnibus, quæ in his Decretis diſpoſita, & ordinata ſunt, aliqua ſuboriente difficultate, Ordinariis locorum, & delegatis Apoſtolicis quibuslibet omnem omnino interpretandi facultatem ademimus, utque Sedem Apoſtolicam deſuper conſulerent, ab eaque reſponſum expectarent, mandavimus eiſdem, & alias, prout in Decretis deſuper editis plenius continetur. Quare inviolabili Decretorum prædictorum obſervationi, quantum cum Domino poſſumus, conſulere volentes, motu proprio, & ex certa ſcientia, ac mera deliberatione Noſtris, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine Decreta prædicta cum omnibus, & ſingulis in eis contentis tenore præſentium perpetuo approbamus, & confirmamus, illiuſque inviolabilis Apoſtolicæ firmitatis robur adjicimus, omniaque, ſingula Decreta hujuſmodi ab omnibus, ad quos ſpectat, & in futurum quomodolibet ſpectabit, obſervari omnino præcipimus, ſub pœna nullitatis quarumcumque informationum, proceſſuum, ac interpretationis aliter, quam prævia ſupraſcripta prægognitione, inſtructorum, eorumque admiſſionis, publicationis, ac interpretationis; ita ut earumdem informationum receptiones, proceſſuumve inſtructiones, necnon eorum admiſſiones, ac publicationes, & interpretationes habeantur pro non receptis, non inſtructis, non admiſſis, non publicatis, non interpretatis, eorumque amplius ratio aliqua nullatenus alicubi unquam haberi debeat. Decernentes, præſentes litteras, & in eis contenta quæcumque,

que, etiam ex eo, quod quicumque in præmiſſis, ſeu eorum aliquo intereſſe habentes, ſeu quomodolibet habere prætendentes ad præmiſſa vocati, & auditi, minuſque cauſæ, propter quas eædem preſentes emanarint, adductæ, verificatæ ſeu alias ſufficienter, aut etiam nullatenus juſtificatæ fuerint, nullo unquam tempore de ſubreptionis, obreptionis, nullitatis & invaliditatis vitio, ſeu intentionis Noſtræ, aut alio quovis defectu, etiam quantumvis magno, inexcogitato, & ſubſtantiali, ſive etiam ex eo, quod in præmiſſis, ſeu eorum aliquo ſolemnitates, & quævis alia ſervan. & adimplenda, ſervata, & adimpleta non fuerint, aut ex quovis alio capite a jure, vel facto, aut ſtatuto, vel conſuetudine aliqua reſultante, ſeu etiam enormis, enormiſſimæ, & totalis læſionis, aut quocumque alio colore, etiam in corpore juris clauſo, ſeu occaſione, vel cauſa, etiam quantumvis juſta, rationabili, & privilegiata, etiam tali, quæ ad effectum validitatis præmiſſorum neceſſario exprimenda foret, aut quod de voluntate Noſtra hujuſmodi, & aliis ſuperius expreſſis, ſeu relatis nihil ullibi appareret, ſeu aliter probari poſſet, notari, impugnari, invalidari, retractari, in jus, vel controverſiam revocari, aut ad terminos juris reduci, vel adverſus illas reſtitutionis in integrum, aperitionis oris, reductionis ad viam, & terminos juris, aut aliud quodcumque juris, facti, gratiæ, vel juſtitiæ remedium impetrari, ſeu quomodolibet concedi, aut impetrato, vel conceſſo quempiam uti, ſeu ſe juvare in judicio, vel extra poſſe, neque ipſas præſentes ſub quibuſvis ſimilium, vel diſſimilium gratiarum revocationibus, ſuſpenſionibus, limitationibus, aut aliis contrariis diſpoſitionibus pro tempore quomodolibet faciendis comprehendi, ſed ſemper ab illis exceptas, perpetuoque validas, firmas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac per omnes, & ſingulos, ad quos ſpectat, & quomodolibet ſpectabit in futurum, inviolabiliter obſervari; ſicque, & non aliter in præmiſſis omnibus, & ſingulis per quoſcumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, & S. Rom. Eccl. Cardinales, etiam de Latere Legatos, & Nuntios, & alios quavis auctoritate, & poteſtate fungentes in quavis cauſa, & inſtantia, ſublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, ubique judicari, & definiri debere; irritum quoque, & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Quocirca Venerabilibus fratribus Patriarchis, Primatibus, Archiepiſcopis, Epiſcopis, & aliis locorum Ordinariis, necnon dilectis filiis Noſtris, & Apoſtolicæ Sedis Nuntiis, ac hæreticæ pravitatis Inquiſitoribus ubilibet exiſtentibus per Apoſtolica ſcripta mandamus, ut ſtatim, atque præſentes Litteræ Noſtræ ad eorum, & cujuslibet eorum notitiam pervenerint, in ſua quiſque reſpective Diœceſi, vel Provincia ſedulo pervigilet, ne ſine approbationibus prædictis imagines cum memoratis ſignis exponantur, aut miracula, revelationes, ac beneficia prædicta publicentur, aliave contra ſuperius diſpoſita fiant; tranſgreſſores vero, ſi Regulares fuerint, privationis ſuorum officiorum, ac vocis activæ, & paſſivæ, necnon ſuſpenſionis a Divinis, ſi vero Clerici Sæculares, privationis pariter ſuorum officiorum, ſuſpenſionis a Divinis, & ab adminiſtratione Sacramentorum, executioneque ſuorum ordinum reſpective, aliiſque arbitrio prædictorum Ordinariorum, ſeu inquiſitorum pro modo culpæ infligendis pœnis plectendo. Qui autem libros impreſſerint, aut imagines pinxerint, ſculpſerint, ſeu quoquo modo effinxerint, vel formaverint, cæterique artifices circa præmiſſa qualitercumque delinquentes prædicta omnia amittant, & inſuper pecuniariis, aliiſque etiam corporalibus pœnis juxta criminis gravitatem eorumdem Ordinariorum, ſeu Inquiſitorum arbitrio afficiantur. Contradictores quoslibet, & rebelles, ac præmiſſis non parentes per ſententias, cenſuras, & pœnas Eccleſiaſticas, aliaque opportuna juris, & facti remedia, omni, & quacumque appellatione, recurſu, & reclamatione remotis, compeſcendo, invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſæcularis. Non obſtantibus, quatenus opus ſit, rec. mem. Bonifacii Papæ VIII. etiam Prædeceſſoris Noſtri de una, & in Concilio generali edita duabus dietis, cæteriſque in contrarium facien. quibuſcumque. Ut autem præſentes, & in eis contenta quæcumque ad omnium notitiam deducantur, & ne aliquis de eis ignorantiam prætendere poſſit, volumus pariter, & mandamus, quod eædem præſentes per aliquem, ſeu aliquos ex Curſoribus Noſtris ad Eccleſiæ Lateranen. & Baſilicæ Principis Apoſtolorum de Urbe, necnon Cancellariæ Apoſtolicæ valvas, ac in acie Campi Floræ affigantur, & publicentur, &, cum inde amovebuntur, earumdem exempla in eiſdem locis affixa dimittantur; quæ ſic publicatæ, & affixæ poſt duos menſes a die publicationis computandos omnes, & ſingulos, quos concernunt, perinde afficiant, & arctent, ac ſi unicuique illorum perſonaliter intimatæ, & notificatæ fuiſſent; quodque illarum tranſumptis impreſſis ſigillo alicujus perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, & manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis eadem prorſus fides adhibeatur, quæ præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Anulo Piſcatoris, *die* 5. *Julii* 1634. Pontificatus Noſtri anno undecimo.

M. A. Maraldus.

Anno 1634. *Indictione ſecunda. Pontificatus S. D. N. Urbani Divina Providentia Papæ VIII. die vero* 5. *Septembris ſupradictæ litteræ, ſive Decretum affixum, & publicatum fuit ad valvas Baſilicarum S. Joannis in Laterano, & Principis Apoſtolorum Urbis, ac in acie Campi Floræ, ut moris eſt, per me Alexandrum Latinum prælibati S. D. N. Papæ Curſ.*

Pro D. Mag. Curſ. Dominicus Mag. Curſ.

VErum, *quia aliqui adhuc ſuper illis hæſitare non ceſſabant, idem SS. D. N. infraſcriptas Declarationes, ac inſuper alia Decreta inferius adnotata per nonnullos Eminentiſſimos, & Reverendiſſimos DD. S. R. E. Cardinales, & RR. PP. DD. Romanæ Curiæ Præſatos diligenter examinata fieri mandavit.*

Imagines eorum, qui cum Sanctitatis, ſeu Martyrii fama obierunt, non apponantur in Altari publico, vel privato, & multo minus cum Diademate, laureolis, aut radiis, ſeu ſplendoribus, vel alio quocumque modo venerationem, & cultum præferente, & indicante. Hæ enim prohibentur apponi non ſolum in Altaribus prædictis, ſed etiam in Oratoriis, vel Eccleſiis, aut locis publicis, ſeu privatis quibuſcumque, antequam a Sede Apoſtolica canonizentur, vel Beati declarentur.

Reſponſum, quod a Sede Apoſtolica in vim prædictorum Decretorum expectare debent Ordinarii locorum, ut imprimi poſſint libri continentes geſta, miracula, ſeu revelationes eorum, qui cum prædicta fama Sanctitatis, ſeu Martyrii deceſſerunt, non detur, niſi cum infraſcriptis proteſtationibus in dictis libris, & hiſtoriis inſerendis. Declarando etiam expreſſe, quod tales libri, ſeu hiſtoriæ, licet ab Ordinariis reviſæ, & poſt Sedis Apoſtolicæ reſponſum approbatæ, non faciant majorem gradum probationis in ordine ad Canonizationem, ſeu Beatificationem, quam quæ alias abſque tali approbatione de jure feciſſent, non obſtante quocumque longiſſimi temporis curſu.

Proteſtatio Auctoris in principio libri imprimenda.

CUm Sanctiſſimus D. N. Urbanus Papa VIII. *die* 13. *Martii anno* 1625. in S. Congregatione S. R. & Univerſalis Inquiſitionis Decretum ediderit, idemque confirmaverit *die* 5. *Julii anno* 1634. quo inhibuit, imprimi libros hominum, qui Sanctitate, ſeu Martyrii fama celebres e vita migraverunt, geſta, miracula, vel revelationes, ſeu quæcumque beneficia, tamquam eorum interceſſionibus a Deo accepta, continentes, ſine recognitione, atque approbatione Ordinarii, & quæ hactenus ſine ea impreſſa ſunt, nullo modo vult cenſeri approbata: Idem autem Sanctiſſimus *die* 5. *Junii* 1631. ita explicaverit, ut nimirum non admittantur Elogia Sancti, vel Beati abſolute, & quæ cadunt ſuper perſonam, bene tamen ea, quæ cadunt ſupra mores, & opinionem, cum proteſtatione in principio, quod iis nulla adſit auctoritas ab Eccleſia Romana, ſed fides tantum ſit penes Auctorem: Huic Decreto ejuſque confirmationi, & declarationi obſervantia, & reverentia, qua par eſt, inſiſtendo profiteor, me haud alio ſenſu, quicquid in hoc libro refero, accipere, aut accipi ab ullo velle, quam quo ea ſolent, quæ humana duntaxat auctoritate, non autem divina Catholicæ Romanæ Eccleſiæ, aut Sanctæ Sedis Apoſtolicæ nituntur, iis tantummodo exceptis, quos eadem Sancta Sedes Sanctorum, Beatorum, aut Martyrum Catalogo adſcripſit.

Se-

Sequens vero in fine Libri.

LEctor, adverte in Elogiis virorum Illuſtrium, quos hoc libro complexus ſum, nonnulla me obiter attingere, quæ ſanctitatem ipſis videantur adſcribere: perſtringo nonnunquam aliqua ab iis geſta, quæ cum vires humanas ſuperent, miracula videri poſſunt; præſagia futurorum, arcanorum manifeſtationes, revelationes, illuſtrationes, &, ſi quæ ſunt alia hujuſmodi beneficia; item in miſeros mortales eorum interceſſione divinitus collata: demum nonnullis Sanctimoniæ, vel martyrii videor appellationem tribuere. Verum hæc omnia ita meis lectoribus propono, ut nolim ab illis accipi tamquam ab Apoſtolica Sede examinata, atque approbata, ſed tamquam quæ a ſola ſuorum Auctorum fide pondus obtineant, atque adeo non aliter, quam humanam hiſtoriam. Proinde Apoſtolicum S. Congregationis S. R. & Univerſalis Inquiſitionis Decretum *anno* 1625. editum, & *anno* 1634. confirmatum integre, atque inviolate, juxta declarationem ejuſdem Decreti a Sanctiſs. D. N. D. Urbano Papa VIII. *anno* 1631. factam ſervari a me, omnes intelligant, nec velle me vel cultum, aut venerationem aliquam per has meas narrationes ulli arrogare, vel famam, & opinionem Sanctitatis, aut Martyrii inducere, ſeu augere, nec quicquam ejus exiſtimationi adjungere, nullumque gradum facere ad futuram aliquando ullius Beatificationem, vel Canonizationem, aut miraculi comprobationem; ſed omnia in eo ſtatu a me relinqui, quem, ſecluſa hac mea lucubratione, obtinerent, non obſtante quocumque longiſſimi temporis curſu. Hoc tam ſancte profiteor, quam decet eum, qui Sanctæ Sedis Apoſtolicæ obedientiſſimus haberi filius cupit, & ab ea in omni ſua inſcriptione & actione dirigi.

Ego N. N.

Particularis proceſſus cum ſubſequenti pronuntiatione Ordinarii, ſeu Apoſtolicæ Sedis Delegati, ſicut præcedere debet ex forma prædictorum Decretorum ſuper cultu non adhibito, ita etiam præcedere debet, & ab iiſdem reſpective faciendus eſt, quando aliquis Poſtulator allegaret, ſe verſari in uno ex caſibus exceptis; nempe, quod cultus fuerit adhibitus ex Indulto Summorum Pontificum, vel permiſſione Sacræ Congregationis, vel per communem Eccleſiæ conſenſum, vel per immemorabilem temporis curſum, aut per Patrum, Virorumque Sanctorum ſcripta, vel longiſſimi temporis ſcientia, atque tolerantia Sedis Apoſtolicæ, vel Ordinarii, ut ſemper appareat in primis fuiſſe ſatisfactum ſupradictis Decretis.

Votivæ Tabellæ, Imagines, & res aliæ ad beneficia accepta teſtificanda, quæ in ſecreto retineri mandantur, etiam in Sacrario cuſtodiri permittuntur, ſecreto tamen, & eo modo, quo cultum & venerationem non præſeferant.

Sub prohibitione facta Secretario Congregationis Sacrorum Rituum, necnon Sanctæ Fidei Promotori, ne aperiant proceſſus undecumque ad Curiam tranſmiſſos, niſi ſervata forma tradita in prædictis Decretis, comprehendi declaratur etiam Protonotarium Apoſtolicum ad hujuſmodi munus pro tempore deſtinatum, & alium quemcumque.

IN cauſis Canonizationum, & Beatificationum propter earum gravitatem ſolet Sedes Apoſtolica procedere cum magna maturitate; & hoc ut melius adimpleatur, pro illis referendis & diſcutiendis mandavit Sanctiſſimus D. N. tres Congregationes de menſibus Januarii, Maji, & Septembris coram Sanctitate Sua fieri debere, prohibens, agi de dictis cauſis extra præfatas tres Congregationes, in quibus, ultra Cardinales Congregationi S. Rituum Præpoſitos, & Protonotarium Apoſtolicum, Sacriſtam Sanctiſſimi, Promotorem Fidei, & Secretarium eidem Congregationi aſſiſtentes, intereſſe debeant etiam illi Rotæ Auditores, quibus contigerit aliquam ex cauſis proponendis fuiſſe commiſſam. Et hi omnes, præter Congregationis Secretarium, & Fidei Promotorem, non admittantur in Congregatione, priuſquam cauſæ fuerint per Cardinales propoſitæ; & poſtea, eorum votis patefactis, a Congregatione recedant, ut Cardinales poſſint liberius examinare merita cauſæ.

Conſultores S. Rituum Congregationis debeant in qualibet ex dictis Congregationibus adeſſe præ foribus Aulæ Pontificiæ, ubi Congregatio celebrabitur, ut, ſi Sanctitati Suæ placuerit illos audire ſuper aliquo articulo, ſeu difficultate, poſſint præſto eſſe.

Ad hoc ut in dictis Congregationibus coram Sanctitate Sua habendis ordinate, dilucide, ac breviter procedatur, in unaquaque ex eis referantur per Cardinales tres, vel ad ſummum quatuor tantum cauſæ, & ſaltem per quindecim dies antecedentes dictis Congregationibus coadunari debeat altera particularis S. Rituum Congregatio, vel plures (ſi opus fuerit) in Palatio antiquioris Cardinalis S. Congregationis Præpoſiti tunc temporis in Urbe præſentis, in qua Cardinales Ponentes cauſarum, concordato prius facto cum promotore Fidei, illoque præſentato Sanctitati Suæ, ac tranſmiſſo Cardinalibus S. Congregationis, Protonotario, Rotæ Auditoribus intereſſe debentibus, Sacriſtæ, & Conſultoribus referant cauſas pro faciliori reſolutione poſtea facienda coram Sanctitate Sua.

Quando propter alias urgentes occupationes non poterit Sanctitas ſua vacare alicui ex dictis Congregationibus, ut ſupra deſtinatis, mandavit, ut cauſæ hujuſmodi proponantur coram ſe in menſe immediate ſequenti, & in die ab eo deputando, declarans, ſuam voluntatem omnino eſſe, ut quolibet anno tres convocentur Congregationes pro dictis cauſis diſcutiendis.

Si in aliqua ex dictis tribus Congregationibus poſt diſcuſſionem, quæ erit diligentiſſime facienda ſuper unoquoque proceſſu circa illius validitatem, virtutes, ac miracula alicujus Servi Dei, non ſupererit tempus Cardinalibus referendi ſtatum & merita alicujus cauſæ, poterit de ea agi, & ad expeditionem procedi per Cardinales in prima eorum Congregatione ordinaria immediate ſequenti poſt quamlibet ex dictis tribus Congregationibus, facta deinde relatione per Secretarium Sanctitati Suæ.

Idemque ſervari permittitur circa cognitionem & examen miraculorum, quæ coram Sanctitate Sua erit referenda, ſi in aliqua ex dictis Congregationibus diſcuti, vel expediri non potuerit.

Permittit inſuper Sanctiſſimus, ut in qualibet ex Congregationibus ordinariis diſcutiantur & terminentur omnia & ſingula concernentia declarationem paritionis ſupradictis Decretis de conſilio Congregationis Sanctiſſimæ Inquiſitionis a Sanctitate Sua editis, apertionem omnium, & ſingulorum proceſſuum, deputationem, & ſubrogationem Judicum, & his ſimilia, dummodo de reſolutionibus habitis ſuper prædictis fiat per dictum Secretarium relatio Sanctitati Suæ.

Juramentum præſtari ſolitum in Congregatione Sanctiſſimæ Inquiſitionis ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ Sanctiſſimo reſervatæ, mandavit Sanctitas Sua, ut omnino præſtetur tam per Cardinales Congregationis S. Rituum, & per duos familiares ab unoquoque eorum deputandos, quam per Rotæ Auditores, & unum pro quolibet eorum arbitrio eligendo pro videndis, & tranſcribendis ſcripturis neceſſariis, & opportunis, ac etiam, per Protonotarium, Sacriſtam, Promotorem Fidei, & Conſultores de non revelandis his, quæ in prædictis Congregationibus tractabuntur, & qua excommunicatione Sanctiſſimus declaravit, & voluit nulli competere facultatem abſolvendi, neque etiam Majori Pœnitentiario, ſed Sanctitati Suæ, & Succeſſoribus duntaxat, ſub quo Juramento, & pœna voluit etiam comprehendi omnes ſupra nominatos, qui, receptis litteris commendatitiis, ſupplicibus libellis, aut aliis ſimilibus officiis pro tenus ſuper dictis cauſis, ea non revelaverint Secretario Congregationis ad effectum deducendi ad notitiam Sanctitatis Suæ.

Forma Juramenti.

NOs infraſcripti S. R. E. Cardinales Congregationis Sacrorum Rituum, tactis per Nos Sacroſanctis Evangeliis coram nobis poſitis, juramus, & promittimus fideliter exercere officium noſtrum in his, quæ proponuntur in Congregationibus Sacrorum Rituum habendis coram Sanctiſſimo, & non revelare, nec loqui, niſi cum aliis dictæ Congregationis Cardinalibus, tribus antiquioribus Rotæ Auditoribus, Conſultoribus, & Officialibus prædictæ Congregationis, ac duobus familiaribus ab unoquoque Noſtrum deputandis, quæ fient, aut tractabuntur non ſolum in cauſis ſpectantibus ad dictam Congregationem, ſed etiam in aliis ad illam non ſpectan. in dicta Congregatione coram Sanctitate Sua occaſione diſcurſus de rebus Magnatum, Religionum, vel aliis gravioribus occurrentibus, ſub pœna perjurii, & excommunicationis latæ ſententiæ, a qua non niſi a Summo Pontifice duntaxat (excluſo etiam Majori Pœnitentario) præterquam in articulo mortis abſolvi poſſumus; & ſub eadem pœna perjurii, & excommunicationis, de qua ſupra, juramus ſimiliter, & promittimus, quod, ſi per literas, aut ſuppli-

UAB Biblioteca de Ciències Socials

ſupplices libellos, ſive etiam ore tenus, vel per interpoſitas perſonas commendationes a quocumque, etiam cujuſvis dignitatis, & præeminentiæ, Nobis factæ fuerint de cauſis pertractandis in dictis Congregationibus, præfatas litteras ſcienter non aperiemus, ſed clauſas, & ſigillatas mandabimus conſignari in manibus Secretarii dictæ Congregationis: ſi vero non informati de contentis in prædictis litteris, contigerit per Nos aperiri, & legi, ſi eædem continebunt ſimiles commendationes tantummodo, pariter eas tranſmittemus ad eumdem Secretarium; verum, ſi de aliis negotiis in prædictis litteris pertractabitur, mandabimus, tranſcribi illam tantum partem continentem commendationem, diem datæ, & locum, necnon etiam ſubſcriptionem illius, qui negotium commendavit, quam pervenire curabimus ad manus prædicti Secretarii, atque eiſdem litteris non reſcribemus, niſi de mandato dictæ Congregationis, & ſaltem in ipſo actu votandi propalabimus, a quo, vel a quibus cauſa fuerit Nobis commendata. Et ita Nos præfati Cardinales promittimus, & juramus; ſic Nos Deus adjuvet, & hæc Sancta Dei Evangelia.

Idem Juramentum præſtabitur ab Officialibus, Rotæ Auditoribus, Conſultoribus, & familiaribus, mutatis mutandis.

Sanctitas Sua expreſſe prohibuit Sac. Rituum Congregationi, ne deinceps procedat in cauſis Servorum Dei ad effectum Canonizationis, ſeu Beatificationis, aut declarationis Martyrii, niſi lapſis quinquaginta annis ab obitu illius, quin immo etiam lapſis quinquaginta annis de ſimilibus proceſſibus tam factis, quam faciendis agi vetuit, niſi habita prius, & expreſſe obtenta licentia a Sanctitate Sua, vel ejus Succeſſoribus.

Sub Decreto hujuſmodi vult comprehendi etiam cauſas, in quibus modo reperiuntur expeditæ Litteræ Remiſſoriales, & Compulſoriales, ac omnes aliæ nunc pendentes, quæ adhuc expectant perfectionem ſuam, & complementum a facto futuro finalis determinationis. Quod ut firmius obſervetur, inſuper jubet, ut, ſi memoriale ſuper hoc directum Congregationi porrigatur cum reſcripto Sanctitatis Suæ, ut aliqua ex hujuſmodi cauſis ad præfatos effectus examinetur, nullum ſortiatur effectum, niſi in eodem reſcripto ſpecialis prædictæ prohibitionis derogatio reperiatur.

Verum, ne pereant hujuſmodi dilationis occaſione probationes, permittit Sanctitas Sua, non habita ratione dictorum quinquaginta annorum, ut agi poſſit de prædictis proceſſibus, ſive de aliis auctoritate Ordinaria fabricatis, vel fabricandis ad effectum deliberandi, an per Sedem Apoſtolicam debeant concedi Litteræ Remiſſoriales in genere; quibus obtentis, & fabricatis ſuper eis proceſſibus, ſervatis ſervandis, illiſque Sacræ Rituum Congregationi præſentatis, permittit pariter Sanctitas Sua, ut in Sacra Congregatione diſcutiatur de eorum validitate, ac etiam de relevantia in ordine, & ad effectum tantum cognoſcendi, an ſit procedendum ad proceſſus in ſpecie: & proceſſibus in ſpecie completis, & Sacræ Congregationi delatis, videatur tantum de illorum validitate; quibus definitis, tidem proceſſus per Secretarium claudantur, & obſignentur Sigillo Sacræ Congregationis, non aperiendi, donec veniat plenitudo temporis dictorum quinquaginta annorum; quo completo, nullo modo de eis agi poſſit, niſi expreſſe mandetur a Summo Pontifice.

In proceſſibus faciendis ſervari ſolent omnia diſpoſita in Cæremoniali, ſeu Rituali Romano ſub Leone X. impreſſo, ac tradita per Hoſtien. & alios DD. in cap. 1. de reliq. & venerat. Sanctor. Nec prius Sedes Apoſtolica moveri ſolet, quam Reges, Principes & aliæ perſonæ authenticæ & honeſtæ inſtanter ſupplicaverint Summo Pontifici; & tunc etiam non ſtatim, ſed expectare, ut diu pulſetur: nam, ſi perdurabunt miracula, & ſupplicantium inſtantiæ, præſertim ſpontaneæ, tunc Summus Pontifex (ſi ei videbitur) per Commiſſionem manu Sanctitatis Suæ ſignatam, citato Promotore Fidei, committit cauſam Congregationi SS. Rituum, in qua in primis & ante omnia cognoſci debet de adimplemento dictorum Decretorum de conſilio Congregationis Sanctiſſimæ Inquiſitionis a Sanctiſſimo D. Noſtro emanatorum.

Forma Commiſſionis Generalis.

Beatiſſime Pater, Adeo hactenus aucta, in dieſque magis augetur fama Sanctitatis Servi Dei N. N. una cum miraculis, quæ Omnipotens Deus de ejus meritis, & interceſſione concedere dignatur, ut, concepta in diverſis Mundi partibus, maxime vero N. N. erga eum devotione, a pleriſque in eorum neceſſitatibus invocetur, & plurimorum, etiam gravium Virorum, exiſtimatione Beatificationis, & Canonizationis honore dignus, intercedente infallibili S. V. judicio, reputetur. Ex quibus motus, piaque intentione, ac particulari erga d. Servum Dei N. devotione ductus Sereniſſ. Rex N. (*aut alius Magnus Princeps N. vel plures Principes N. N. qui pro tali Beatificatione, vel Canonizatione inſtent*) per ſuas litteras inſtanter petiit S. V. ut ad ejuſdem N. Beatificationem, & Canonizationem procedere dignaretur. Propterea, cum jam fint confecti proceſſus auctoritate Ordinaria ſuper Sanctitate vitæ, virtutibus, & miraculis d. Servi Dei N. illique jam ad Urbem tranſmiſſi ad effectum eoſdem proceſſus præſentandi in S. Rituum Congregatione, pro parte devoti S. V. Oratoris N. de N. procuratoris ſpecialiter in hac cauſa a præfato Sereniſſimo Rege N. ac etiam ab N. & N. (*Quæ debent eſſe perſonæ authenticæ, & honeſtæ, nempe Univerſitates, Capitula, Religiones, & ſimiles*) qui pariter eidem S. V. pro Beatificatione, & canonizatione d. Servi Dei N. inſtantiam faciunt, conſtituti humiliter eidem S. V. ſupplicatur, quatenus dignetur cauſam, & cauſas Beatificationis, & Canonizationis, necnon cognitionem virtutum, morumque, & miraculorum, ac publicæ famæ Sanctitatis d. Servi Dei N. Populorumque erga ipſum devotionis cum ſuis, & illarum inciden. dependen. emergen. annexis & connexis eidem S. Rituum Congregationi committere, & mandare cum facultate in primis, & ante omnia aliquem ex Eminentiſſ. DD. Cardinalibus ejuſdem S. Congregationis in cauſæ Relatorem deputandi, & proceſſum ad partes factum ſuper obſervantia Decretorum a S. V. in Congregatione Sanctiſſ. Inquiſitionis ſuper non cultu editorum (*quatenus factus ſit*) recipien. aperien. &, citato, & audito Fidei Promotore, diſcutien. ex eodemque declarandis dictis Decretis ſufficienter paritum fuiſſe (*Quatenus vero dictus proceſſus ſuper obſervantia dictorum Decretorum ad partes factus non ſit*) illius confectionem, ſi in Curia aderunt probationes, committen. Eminentiſſ. D. Cardinali S. V. Vicario, ſi vero extra Curiam, alicui Epiſcopo, ut ad ejuſdem proceſſus ad partes confectionem juxta tenorem eorum Decretorum deveniat, ad effectum illum poſtea in eadem Congregatione præſentandi, & audito R. P. D. Fidei Promotore, diſcutien. & ex eo, ut ſupra, declarandi, factaque per eamdem S. Congregationem declaratione, ſupradictis Decretis ſufficienter paritum eſſe, eaque poſt relationem S. V. per R. P. D. Secretarium Congregationis facien. ab eadem S. V. approbata, ad proceſſuum Auctoritate Ordinaria confectorum, & coram ea legitime præſentandorum aperitionem, diſcuſſionem, ac diligentem examinationem ad relationem Eminentiſſ. Cardinalis in ea deputati, audito pariter, & citato D. Promotore Fidei, devenienti; &, ſi ex illis eidem S. Congregationi viſum fuerit, & S. V. placuerit, poſſe ad generalem Inquiſitionem ſuper eadem Sanctitate vitæ, virtutibus, & miraculis Apoſtolica auctoritate deveniri, eidem Sacræ Congregationi pariter indulgere, & liberam facultatem concedere, ut aliquibus Epiſcopis Provinciæ N. committere valeat, ut per ſe ipſos inquirant de fama, & devotione populi, de miraculis, & aliis denuntiandi d. Servi Dei N. in genere tantum, & non in ſpecie; & quoad famam, ſi vigeat de præſenti, & ad hunc effectum aliquot Articulos ad eoſdem Epiſcopos tranſmittat, ſuper quibus, & ſuper Interrogatoriis per Promotorem Fidei conficien. debeant per ipſoſmet, & non alios, teſtes examinare cum interventu Subpromotoris Fidei per eumdem Promotorem in Curia nominandi, & cum poteſtate citandi, & inhibendi, etiam ſub cenſuris &c. & etiam per Edictum &c. Contradictores &c. Invocato &c. & aliis facultatibus opportunis: quibus peractis, ea, quæ invenerit, fideliter reſcribant, & proceſſum hujuſmodi ad eamdem S. Congregationem ſub ſigillo clauſum per fidelem Nuntium tranſmittant cum ipſorum litteris, in quibus ſignificent, an eis videatur, quod prædictis teſtibus, & eorum depoſitionibus ſit danda fides, & quod ſuper veritate eorumdem ſit in ſpecie committenda inquiſitio. Quo proceſſu recepto, & per S. Congregationem diſcuſſo, eadem S. Congregatio S. V. referat, quid de ejus relevantia ſentiat ad effectum, ut S. V. ſtatuere poſſit, an ſit deveniendum ad inquiſitionem ſpecialem. Quod ſi S. V. ei locum eſſe judicaverit,

eidem Congregationi mandare, & injungere, quatenus eiſdem Epiſcopis N. N. N. vel aliis Epiſcopis committere valeat, ut veritatem ſuper d. Servi Dei N. fama, devotione populi, vitæ Sanctitate, puritate fidei, miraculis, & aliis a Sacris Canonibus requiſitis, exacte, fideliter, & prudenter ſecundum Articulos, & Interrogatoria in Curia per Promotorem Fidei danda, & illis tranſmittenda in ſpecie inquirant, & jura, & monumenta exhibenda coram ipſis recipiant cum interventu Subpromotoris per eumdem Fidei Promotorem in Curia nominandi, &, quicquid per inquiſitionem ſpecialem hujuſmodi invenerint, ſuis ſigillis incluſum caute ad eamdem S. Congregationem tranſmittant, ut deinde, omnibus mature examinatis, decernat, an proceſſus hujuſmodi ad Rotæ Auditores ſint tranſmitten. ut forment rubricas, ſuamque faciant relationem de his, quæ in dictis proceſſibus continentur: abſque tamen prolatione voti conſultivi alibi, quam in S. Congregatione coram S. V. haben. & eamdem poſtea S. V. referantur, an talia ſint, propter quæ ad Canonizationem dicti Servi Dei N. juxta Sacrorum Canonum Decreta, & S. R. E. Ritum deveniri poſſit, cum facultate litteras Remiſſoriales, & Compulſoriales ſuper præmiſſis, citato d. Fidei Promotore, ad quaſcumque mundi partes decernen. & relaxan. etiam in Curia, jura, & monumenta recipien. &, ſi opus fuerit, teſtes per Eminentiſſ. D. Card. Vicarium, ſeu Epiſcopos, & in loco ab eo deputan. juxta Decreta S. V. examinari facien. prævia citatione, & cum interventu d. Promotoris, vel ejus ſubpromotoris ſuper eiſdem Articulis, & Interrogatoriis, ſub cenſuris, pœnis, & aliis facultatibus ante dictis, aliaque omnia, & ſingula in præmiſſis, & circa ea quomodolibet neceſſaria, & opportuna facien. geren. & exequen. Non obſtan. Conſtitution. etiam in univerſalibus, & Synodalibus Conciliis editis, & aliis Ordinationibus Apoſtolicis, Regulis Cancellariæ, ceteriſque contrariis quibuſcumque; ſtatum &c. tenores, &c. pro plene, & ſufficienter expreſſis haben. &c.

Addendum, vel minuendum prædictæ Commiſſioni juxta ſtatum cauſæ, & contingentiam facti, vel formandæ Commiſſiones particulares in unoquoque Articulo (prout Sanctiſſimo videbitur).

Advertendum eſt, quod in omnibus actis citari debet in Urbe Promotor Fidei juxta formam Brevis a Sanctiſſimo D. N. eidem conceſſi, & extra Urbem Subpromotor ab eodem Promotore deputandus.

Breve Promotoris Fidei.

URBANUS PAPA VIII.

Dilecte fili, ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem. Cupientes, cauſas Beatificationum, & Canonizationum Sanctorum ea, qua par eſt, circumſpectione tractari, ac de tua ſingulari pietate, doctrina, & Catholicæ Religionis zelo plurimum in Domino confiſi Te, qui Noſtræ Conſiſtorialis Aulæ, & Fiſci, & Cameræ Apoſtolicæ Advocatus exiſtis, & quem a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtis, ad effectum præſentium duntaxat conſequendi, harum ſerie abſolvimus, & abſolutum fore cenſemus, in Promotorem Fidei cum facultate quibuſcumque Congregationibus, quæ ſuper Canonizationibus, & Beatificationibus hujuſmodi tam coram Ven. Fratribus Noſtris S. R. E. Cardinalibus, quam etiam Nobis fient, interveniendi, & in eis votum conſultivum ferendi, ac objectiones ſuper materiis pro tempore occurrentibus faciendi, & ſuper eis tam in facto quam in jure ſcribendi, & quando opus fuerit, tam Nos, quam dd. Cardinales ore tenus informandi; & cum hoc, ut Tu deinceps in omnibus proceſſibus ſuper dictis Canonizationibus, & Beatificationibus conficiendis, & in ſingulis actis faciendis, tamquam pars formalis, & inſtar Commiſſarii Cameræ, & Fiſci Procuratoris, citari debeas; quodve Tu Interrogatoria cum proteſtationibus, quæ tibi videbuntur neceſſariæ, dare, & examinibus teſtium, & compulſationibus jurium, & ſcripturarum quarumcumque, confectionibus plantarum, viſitationibus ſepulchrorum, & aliis quibuſcumque tam in Romana Curia, quam in qualibet alia parte Orbis Terrarum coram quibuſcumque Judicibus, etiam Delegatis per Te, ſeu per alium Subpromotorem, cum facultatibus, quæ tibi opportunæ videbuntur, a Te deputandum, intervenire valeas; quodque Subpromotorem unum eligere poſſis, & deputare ad tuum beneplacitum in Romana Curia, qui proceſſus hucuſque factos, vel alios in futurum faciendos tam auctoritate Ordinaria, quam Apoſtolica videre, ac in facto ſcribere, & comparere poſſit in actis coram Notario, & Secretario d. Congregationis, & etiam coram dd. Cardinalibus ad concordan. factum ſuper dubiis in Congregationibus proponendis, & alia faciendi nomine, & arbitrio tuo, quæ tibi videbuntur opportuna, & neceſſaria, & cum quo etiam conferre poſſis difficultates, & alia omnia, quæ in dd. Congregationibus tractabuntur, recepto tamen prius a Te, & ab eo ſolito juramento de ſervando ſecretum, & cum hoc inſuper, ut Tibi copia authentica proceſſuum factorum, ac omnium ſcripturarum producendarum, ac informationum faciendarum ſuper dubiis tempore opportuno diſputandis, ad effectum ea videndi, & conſiderandi, eiſque objectiones, & reſponſiones opportunas faciendi, detur, alioquin Tu propoſitiones impedire valeas; ac demum cum omnibus, & ſingulis aliis facultatibus Promotoribus hujuſmodi de Jure, uſu, aut conſuetudine competentibus, Apoſtolica auctoritate tenore præſentium deputamus. Mandantes propterea in virtute ſanctæ Obedientiæ omnibus, & ſingulis, ad quos ſpectat, & pro tempore ſpectabit, ut Te in Promororem prædictum juxta tenorem præſentium recognoſcant; ac decernentes, præſentes Litteras validas, firmas, & efficaces exiſtere, & fore, ac ab omnibus, ad quos ſpectat, & pro tempore ſpectabit, inviolabiliter obſervari, ſicque per quoſcumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, & S. Rom. Eccl. Cardinales, & Congregationes prædictas judicari, & definiri debere, & irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari: Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis quibuſvis, etiam juramento, Confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, Statutis, & Conſuetudinibus, Privilegiis quoque, Indultis, & Litteris Apoſtolicis in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis, ceteriſque contrariis quibuſcumque. Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub Anulo Piſcatoris die 11. Januarii 1631. Pontificatus Noſtri Anno Octavo.

M. A. Maraldus.

A tergo. Dilecto filio Antonio Cerro Aulæ Noſtræ Conſiſtorialis, & Fiſci, & Cameræ Apoſtolicæ Advocato.

Poſtquam vero fuerit declaratum, eſſe ſatisfactum dictis Decretis, ſi Sacra Congregatio coram Sanctitate Sua habenda cenſuerit, eſſe locum probationibus recipiendis, committit aliquibus Epiſcopis Patriæ, Viciniæ, ſeu Provinciæ illius, qui petitur Canonizari, ut inquirant de fama, de devotione populi, de miraculis, & aliis denuntiandis in genere tantum, & non in ſpecie.

Hujuſmodi Litteræ Remiſſoriales (ſi fieri poteſt) dirigi omnino debent Epiſcopis, & non minus, quam tribus, ita ut duo ſaltem ex illis intervenire debeant in proceſſu conficiendo; & pro forma tradi debet, ut teſtes primo examinentur juxta Interrogatoria per Promotorem Fidei ex officio danda, & in litteris inſerenda, deinde ſuper Articulis in eiſdem Litteris includendis.

Formula Litterarum Remiſſorialium, & Compulſorialium in genere.

N. S. Rom. Eccl. Cardinalis N. ac S. Rituum Congregationis Præfectus Vobis Illuſtr. & Admodum R. R. D. D. Epiſc. N. N. N. Judicibus per Nos ad infraſcripta ſpecialiter deputatis ſalutem in Domino, & in commiſſis obedientiam, ac Noſtris hujuſmodi, immo verius Sedis Apoſtolicæ, firmiter obedire mandatis. Noveritis, quod alias S. D. N. per ſpecialem Commiſſionem huic Sacr. Congregationi directam cauſam Beatificationis, & Canonizationis Servi Dei N. de N. commiſit tenoris infraſcripti, videlicet (*hic ponatur tenor Commiſſionis*) & coram eadem Sacr. Congregatione exhibitis proceſſibus auctoritate Ordinaria, ſeu ad perpetuam (ut dicitur) rei memoriam pluribus in locis confectis ſuper Sanctitate vitæ, virtutibus, & miraculis Servi Dei N. de N. una cum ſupplicibus libellis Sanctiſs. D. N. Urbano Papæ VIII. nomine N. N. N. porrectis, & ad eamdem S. Congregat. ab eodem Sanctiſs. tranſmiſſis, viſis, & diligenter diſcuſſis, & examinatis hujuſmodi proceſſibus ad relationem Eminentiſs.

& Re-

& Reverendiſs. D. Cardinalis N. coram Sanctitate Sua in Congregatione ad id ſpecialiter deſtinata, communi omnium voto, & conſenſu prædictorum Eminentiſſimorum, & Reverendiſſimorum DD. Cardinalium cenſuit eadem Congregatio, & decrevit, poſſe, ſi eidem Sanctiſs. D. N. videatur, ad generalem Inquiſitionem quoad famam tantum per probationes deveniri, cui Decreto S. D. N. Urbanus Papa VIII. annuit: Ideoque in executionem ejuſdem Decreti, ac vigore facultatis in præinſerta Commiſſione eidem Congregationi conceſſæ requiſiti pro parte dd. Oratorum, quatenus pro examinan. teſtibus tam in Curia, quam extra degentibus, aliiſque in præinſerta Commiſſione narratis proban. & verifican. opportune providere dignaremur ad Dei gloriam, & S. Rom. E. exaltationem; volentes igitur, ea, quæ a Sanctiſs. D. N. committuntur, & quæ in ipſa S. Congregatione ſtatuta ſunt, debitæ executioni, ut par eſt, demandare, expoſito Nobis in dicta Sacr. Congregatione, nonnullos teſtes in Civitate, & Diœc. N. necnon in locis adjacentibus adeſſe, & reperiri de vita, Sanctitate, & miraculis ejuſdem Servi Dei N. notitiam habentes; confiderantes etiam, æquum, & juſtum eſſe, Dei gloriam, quæ in ſuis Servis reſplendet, manifeſtam fieri, præſentes litteras ad Vos dirigendas ſub hac forma cenſuimus. Quamobrem pro parte N. de N. Procuratoris in hujuſmodi cauſa deputati, prout de ejus legitimo mandato docuit, exhibitis nonnullis Poſitionibus, & Articulis continentibus Vitam, Mores, Virtutes, & Miracula prædicti Servi Dei N. illiſque per Nos admiſſis, Remiſſoriales, & Compulſoriales præſentes in genere dunraxat, & non in ſpecie, & quoad famam tantum ſuper præmiſſis conceſſimus, Voſque in Judices exequutores illarum tam pro examinandis teſtibus, quam pro extrahendis ſcripturis neceſſariis, ad præfatum effectum ſolummodo, nominavimus, & conſtituimus. Idcirco Vobis omnibus ſupradictis, de quorum fide, integritate, ac Religionis zelo, & perpetua, ac debita erga hanc S. Sedem Apoſtolicam obedientia plurimum in Domino confidimus, auctoritate Ordinaria hujus Sacr. Congregationis, & reſpective Apoſtolica, qua fungimur in hac parte, per præſentes committimus, & mandamus, ut Vos, vel duo ad minus ex Vobis conjunctim, & ſimul, ac non alias, aliter, nec alio modo vice Noſtra in ſingulis actibus procedentes omnes, & ſingulos teſtes, litteras, ſcripturas, inſtrumenta, monumenta, & alia quævis probationum genera, qui, ſeu quæ coram Vobis, ſeu duobus ſaltem ex Vobis ſimul, & conjunctim, ut ſupra, produci, & compulſari contigerit a perſonis legitima mandata procuræ habentibus, recipiatis, & juxta Interrogatoria a Promotore Fidei hic in Curia data, ac ſuper Poſitionibus, & Articulis in præſentibus Noſtris contentis, quæ, & quos ſub Sigillo Noſtro incluſos, & incluſa tranſmittimus in calce præſentium regiſtran. in locis ſupra nominatis in Eccleſiis, aut Oratoriis, piiſque locis, exprimendo ſemper locum loci, reſpectu vero infirmorum quibuſcumque aliis locis per vos eligendis, ſeu deputandis, pro Tribunali ſedentes admittatis, receptoque prius in manibus veſtris ab ipſis teſtibus, cujuſcumque gradus, ſtatus, ſexus, & conditionis, etiam Sacerdotibus (exceptis Epiſcopis) exiſtant, Juramento, tactis Sacroſanctis Evangeliis coram Vobis ipſis poſitis, & non alias, aliter, nec alio modo, de veritate dicenda ſuper iis, ſuper quibus examinabuntur, primo juxta dicta Interrogatoria, & deinde ſuper Poſitionibus, & Articulis prædictis per extenſum coram Vobis, ſive duobus ſaltem conjunctim, ac coram fide digno Notario publico Apoſtolico, ſeu Eccleſiaſtico a Vobis ſimiliter deputando, qui coram Vobis, ſeu duobus Veſtrum, & in manibus veſtris ſolitum præſtet juramentum, tactis Sacroſanctis Evangeliis, de fideliter exercendo officium ſuum, diligenter juxta formam ſuperius expreſſam examinetis; hoc expreſſe ſervato, quod teſtes in Eccleſiis, Oratoriis, piiſque locis, & in loco loci in iiſdem deputato omnino interrogentur, eorumque dicta excipiantur; animadvertendo, ut iidem teſtes, quæcumque habent, explanate, & per extenſum deponant, nec ſe referant ad atteſtationes alias redditas, neque eis recitentur, quæ alias ipſi depoſuerunt, cetera vero proceſſus acta in loco ſolitæ audientiæ conficiantur: ipſorumque teſtium atteſtationes, dicta, depoſitiones, nec non acta, citationes, & actitata quæcumque tranſcribi fideliter faciatis, necnon collationem, ſeu auſcultationem ſupradictorum omnium per Vos ipſos Judices, vel ſaltem duos ex Vobis conjunctim, adhibito alio Notario, qui etiam juramentum præſtet, ut ſupra, faciatis, omniaque clauſa, veſtriſque ſigillis, aut duorum Veſtrum munita, prævio prius juramento per fidelem Nuntium, ſeu Portitorem præſtito, ad Nos tranſmitti curetis, ſignificantes Nobis, non ſolum generaliter, quæ fides teſtibus deſuper examinatis ſit adhibenda, ſed etiam particulariter ſuper his, quæ per eoſdem teſtes depoſita fuerunt, & an in deponendo aliquid viderint, per quod reddatur ſuſpecta eorum depoſitio, & an Vobis videatur, quod ex prædictis poſſit deveniri ad ſpecialem Inquiſitionem. Decernentes irritum, & inane, quicquid contra formam præſentis Remiſſoriæ ſcienter, vel ignoranter fuerit executum. Ut autem prædicta omnia, & ſingula liberius exequi valeatis, eadem auctoritate, qua ſupra, vobis committimus, & mandamus, ut Nuntium, ſeu Nuntios pro citationibus faciendis, & aliis mandatis, & decretis veſtris exequen. prævio prius juramento ab eis recepto de fideliter exercendo officium ſuum, deputare valeatis auctoritate Noſtra, eumdemque, & teſtes præfatos, ut ſe examini ſubjiciant, ſub cenſuris, & pœnis Canonicis omni, & quacumque appellatione poſtpoſita, omnibus juris, & facti remediis opportunis cogere, & compellere valeatis, & eodem modo recuſantes exhibere ſcripturas ad cauſam facientes compellere valeatis, citato in omnibus actis D. N. Subpromotore Fidei per Promotorem in Curia nominato, & non alias, aliter, nec alio modo. Pro quibus omnibus exequendis, ut ſupra, veſtram diligentiam, & curam, &, qualem de Vobis ſperamus, fidem adhibere, atque in præmiſſis ita Vos gerere ſtudeatis, ut & gratiam ab hac S. Congregatione inire, & retributionem laboris veſtri ab Altiſſimo pro Servis ſuis conſequi poſſitis. In quorum omnium, & ſingulorum præmiſſorum teſtimonium præſentes manu Noſtra, necnon infraſcripti Protonotarii Apoſtolici de numero Participantium ad Acta Congregationis pro tempore deputati, & ejuſdem Sac. Congregationis Rituum Secretarii, Noſtroque ſolito ſigillo munitas fieri, expediri, & relaxari mandavimus per acta infraſcripti Notarii ejuſdem Sacræ Congregationis. Dat. Romæ in Palatio Noſtræ ſolitæ Reſidentiæ Anno &c. Indictione &c. Die &c. Pontificatus &c. præſentibus &c.

POſitiones, & Articulos infraſcriptos dat, exhibet, & producit Procurator, & eo nomine N. Regis N. & N. ad docendum de fama, & devotione Populi, & de miraculis, & aliis denuntian. & ſuper his in genere, & non in ſpecie, & quoad famam tantum Servi Dei N. & ad omnem alium bonum finem, & effectum, petens, illos ad proban. admitti litteraſque deſuper opportunas pro examinan. teſtibus ad Civitates, ſeu loca N. & N. &, ubi opus fuerit, concedi, non ſe adſtringens ec. ad onus ſuperfluæ probationis, de quo expreſſe proteſtatur, non ſolum præmiſſo, ſed & omni alio meliori modo ec. ſalvo jure ec.

In primis igitur repetit, omnes, & ſingulos Proceſſus, Inſtrumenta, Jura &c. inquantum tamen, & non aliter &c. de quo &c. ex quibus credit, fatis abunde conſtare non ſolum de fama, devotione Populi, & miraculis, & aliis denuntiandis in genere, & quoad famam tantum, ſed etiam in ſpecie prædicti Servi Dei N. & his ſalvis poſſit, &, quatenus opus ſit, probare vult, & intendit.

Hic inſerendi ſunt Articuli concernentes locum, ubi natus ſit Servus Dei, tempus, & parentes, vitam, & mortem illius.

Item, quod dictus Servus Dei ſemper vixit cum fama Sanctitatis, quæ continuavit etiam poſt mortem, & numquam diminuta fuit, ſed potius aucta, non ſolum in locis, ubi vixit, & mortuus fuit, ſed etiam in aliis vicinis, & remotis; & quod iſtud fuit, & eſt publicum, & notorium, & fuit, & eſt publica vox, & fama.

Item, quod ejus corpus ſepultum fuit in loco N. & Eccleſia N. & ſemper, ac continuo fuit ad illud venerandum magnus concurſus populi, & aliorum exterorum ad illud confluentium propter famam, & opinionem Sanctitatis illius; & quod hoc fuit, & eſt publicum, & notorium, ac fuit, & eſt publica vox, & fama.

Item, quod in locis, ubi vixit, mortuus fuit, ac etiam in aliis ſemper dictus Servus Dei habitus fuit in magna veneratione, & erga illum fuit maxima devotio non ſolum illorum, qui in dictis locis habitabant, ſed etiam aliorum exterorum; & quod hoc fuit, & eſt publicum, & notorium, & fuit, & eſt publica vox, & fama.

Item, quod fecit multa, & magna miracula non ſo-

lum in vita, ſed etiam poſt mortem, ſanando infirmos ex omni genere infirmitatis, prædicendo futura, & alia operando, quæ naturaliter fieri minime poterant; & quod iſtud fuit, & eſt publicum, & notorium, ac fuit, & eſt publica vox, & fama.

Item, quod de prædictis omnibus non ſolum in dictis locis, ubi vixit, & mortuus fuit, ſed etiam in aliis propinquis, & remotis, ac ubique locorum fuit ſemper, & nunc etiam eſt publica vox, & fama, & communis reputatio, quæ ſemper inconcuſſa, & conſtans fuit ut numquam aliquid fuerit dictum, vel auditum, aut factum in contrarium.

ANtonius Cerrus S. Conſiſtorialis Aulæ, & Fiſci, & Cameræ Apoſtolicæ Advocatus in omnibus cauſis Beatificationum, & Canonizationum Sanctorum a S. D. N. per ejus Breve dat. in Urbe ſub die 2. Januarii 1631. ſpecialiter deputatus petit, & inſtat, teſtes inducendos, & examinandos in cauſa Beatificationis, & Canonizationis Servi Dei N. tam in Urbe, quam extra, & ubique locorum pro parte, & ad inſtantiam Adm. R. D. N. N. hujus cauſæ Procuratoris, vel ejus ſubſtitutorum ſuper fama, & devotione populi, & ſuper miraculis, & aliis denuntiandis, & ſuper his in genere, & non in ſpecie, & quoad famam tantum Servi Dei N. ac denique ſuper Articulis in hac cauſa datis, antequam ſuper hujuſmodi Articulis examinentur, præmiſſo Juramento; tactis &c. & cum aſſiſtentia, & interventu Subpromotoris Fidei per eum nominati ſuper infraſcriptis Interrogatoriis fideliter, & ſeparatim interrogari.

1. In primis ſerio moneatur quilibet teſtis, quantumvis nobilis, & quacumque dignitate præditus, de vi, & importantia Juramenti, & gravitate perjurii, præſertim in cauſis graviſſimis, prout ſunt iſtæ Canonizationum Sanctorum.

2. Deinde interrogetur quilibet teſtis, ut ſupra, de nomine, cognomine, patria, ætate, parentibus, exercitio, ſeu profeſſione, divitiis, vel paupertate, & aliis circumſtantiis ad ejus perſonam, & conditionem ſpectan.

3. Item, an ſit confeſſus peccata ſua, & Sacræ Euchariſtiæ Sacramentum ſumpſerit; in qua Eccleſia, a quo Sacerdote, quibus præſentibus, de quo menſe, & anno ultima vice id fecerit.

4. Ulterius, an fuerit unquam inquiſitus, accuſatus, vel proceſſatus de aliquo crimine, & quo coram quo Judice, de quo anno; & an ſemel, vel pluries; & an ſecuta ſit abſolutio, vel condemnatio, ſeu abolitio.

5. Similiter, an ob aliquam cauſam fuerit unquam excommunicatus, & quoties, & ex qua cauſa; & an fuerit abſolutus, vel adhuc in eadem excommunicatione permaneat.

6. Rurſus, an fuerit ab aliquo inſtructus, quomodo deponere debeat, & a quo, & quo loco, quibus verbis, & de quo tempore.

7. Amplius, an ſciat, in qua Provincia, & Diœceſi ſit Civitas N. Si dixerit ſcire, illam exprimat, & dicat, an unquam acceſſerit ad talem Civitatem, ſeu locum, & ob quam cauſam.

8. Inſuper, an cognoſcat, vel audiverit nominare N. Si reſponderit illum cognoviſſe, dicat, quomodo, & qua occaſione, in quo loco, de quo tempore, & an fuerit ipſum unquam alloquutus, & quoties, ac de quibus rebus, vel negotiis, & quibus præſentibus: ſi vero dixerit, illum audiviſſe nominare, dicat, a quo, ſeu quibus, qua occaſione, & ad quem finem, & effectum, & quoties id contigerit.

9. Præterea interrogetur, an ſciat, in quo loco, & loco loci d. N. vitam ſuam egerit, & quæ fama, & reputatio fuerit de ejus vita, & Sanctitate in dicto loco, & an eadem fama, & reputatio fuerit etiam in aliis locis, & quibus, & an fuerit continua, vel interpolata, & per quantum tempus duraverit, & an fuerit communis reputatio omnium de illo loco, vel aliquorum tantum; & an ipſe teſtis idem reputaverit, & tam ipſe, quam alii unquam ſecus ſenſerint, aut aliter alios ſentire audiverint.

10. Interrogetur quoque, an ſciat, in quo loco, & loco loci, & quo tempore, & ex qua infirmitate dictus N. obierit; & an ſciat, ubi ſit ſepultum corpus ejus, & an unquam ipſe acceſſerit ad ejus ſepulchrum, & audiverit alios ad illud accedere, & an ſemel, aut aliquoties tantum, vel frequenter, & ſæpius; & an fama foret, quod talis acceſſus fieret, quia reputaretur pro Sancto, & intercedere poſſet pro ipſo, & aliis; & dicat, a quibus, & quoties audiverit, & an audiverit, an diminutus fuerit concurſus, vel potius auctus, & quotidie augeatur ab eo tempore quo incepit.

11. Interrogari debebit, an audiverit, quod Populus habeat devotionem erga d. N. Si dixerit, quod ſic, dicat, qui populus fuerit, & an pars tantum, vel major pars, aut totus populus, unius tantum loci, vel plurium; & qui, & in quibus audiverit conſiſtere eorum devotionem, a quo tempore dicatur incepiſſe, & an ab illo tempore audiverit, quod diminuta, vel potius aucta fuerit, & quotidie augeatur.

12. Interrogetur, an dici audiverit, quod d. N. fuerit exactus obſervator mandatorum Dei, & Eccleſiæ, ſalutis animarum, & Dei gloriæ zelator, amator Virtutum, & laudabilis vitæ, & ſi dixerit audiviſſe, interrogetur, a quibus, quoties, & quibus in locis audiverit.

13. Interrogetur, an ipſe ſciat, quid ſit miraculum, & explicet, quid ſit; & an audiverit, quod dictus N. quandoque fecerit Miracula in Vita, vel in Morte, & a quibus, in quo loco, & loco loci audiverit; & an fuerit communis reputatio, & fama, quod dictus N. miracula fecerit, vel aliquorum tantum, & an alii reportarent contrarium, quod miracula non fecerit, & quod illa, quæ pro miraculis reputabantur, proceſſerint ex medicamentis adhibitis, vel alia cauſa naturali.

14. Ultimo generaliter interrogetur circa famam, an ſciat, quid ſit fama, & an illa viguerit in aliqua parte populi, an vero in majori, an orta ſit ex probabilibus cauſis, vel potius fuerit vanus rumor populi. An habuerit originem a perſonis nimis affectis, vel ſuſpectis, & intereſſatis, puta conjunctis, vel affinibus, amicis intrinſecis, Religioſis ejuſdem Ordinis, vel aliis quibuſcumque, qui ratione Eccleſiæ, in qua corpus reperitur, vel ob aliquam aliam cauſam aliquod intereſſe, ſaltem affectionis, habere poſſint. An perſonæ, a quibus fama orta eſt, eſſent perſonæ graves, & fide dignæ, an potius leves, & ordinariæ, puta mulieres, ruſtici, & alii idiotæ, vel ignari. An hujuſmodi fama fuerit conſtans, & perpetua, quæ ſemper duraverit, vel brevi, & per modicum tempus, & cito evanuerit. An contra hujuſmodi famam fuerit unquam aliquid dictum, factum, vel auditum in contrarium. Denique, an hujuſmodi fama viguerit, non ſolum in loco ubi dictus N. vixit, vel mortuus fuit, ſed etiam in aliis locis, & in quibus, vel potius in aliis locis, non autem in eo, in quo vixit, vel mortuus fuit; vel e contra fuerit tantum in loco, in quo vixit, & mortuus fuit, non autem in aliis locis; & unde hoc proceſſerit, quod fama non fuerit in omnibus locis, & maxime in eo in quo vixit, vel mortuus fuerit.

In hac prima Remiſſoria ſuper inquiſitione generali fieri ſolet magnum fundamentum, & merito; quia, ſi non probetur fama Sanctitatis, in loco præſertim, ubi mortuus fuit ille, pro quo inſtatur, concedi non debet Remiſſoria ſuper inquiſitione in ſpecie; & propterea numquam debet omitti hæc inquiſitio in genere. Et eſt advertendum, quod non prius conceditur Commiſſio inquiſitionis ſpecialis, quam ſit abſoluta omnino inquiſitio generalis; ſuper qua ſi Epiſcopi deputati, ultra proceſſum, quem tranſmittere debent, reſcripſerint Sacræ Rituum Congregationi talia, per quæ videatur quod inquiſitio committi debeat in ſpecie ſuper veritate eorumdem, tunc proponi debet negotium in Congregatione haben. coram Sanctitate Sua ad effectum, ut Sanctitas Sua (ſi ei videbitur) requiſito conſilio Cardinalium Congregationis, poſſit definire, utrum inquiſitio ſpecialis ſit committenda, vel non: quod ſi committenda videbitur, iterum erit committendum eiſdem Epiſcopis, vel aliis prout magis expediens judicabitur, ut veritatem inquirant primo de fama, ſecundo de vita, tertio de miraculis exacte, diligenter, fideliter, & prudenter, ſecundum Articulos tranſmittendos, & interrogatoria inſerenda in Litteris Remiſſorialibus mittendis clauſis, & obſignatis Epiſcopis deputandis, qui proceſſum conficere debent, citato Subpromotore Fidei nominando a Promotore Generali.

Formula Litterarum Remiſſorialium, & Compulſorialium in ſpecie

Eſt eadem, quæ ſupra poſita in genere, ſolum mutato verbo (genere) in ſpecie, & ulterius in fine ante verſ. Pro quibus omnibus exequendis *ſuperadditur facultas viſitan. Sepulchrum per infraſcripta verba.*

INſuper Vobis Judicibus prædictis, ut ſupra, committimus, & mandamus, ut pro finali complemento præmiſ-

præmissorum Sepulchrum, seu tumbam, in quo, seu in qua dicitur reconditum corpus dicti Servi Dei, & alias ejus memorias adhuc existentes visitetis, atque aperiatis, illudque, & illas cum omnibus, & singulis suis circumstantiis, & qualitatibus recognoscatis, & describatis, recognoscique, & describi faciatis; nec quivis alius, cujuscumque fuerit status, dignitatis, & conditionis, etiam Ducalis, Archiducalis, & Regiæ, Ecclesiasticæ, vel Laicalis Dignitatis, aliquid in dicto Sepulchro, seu tumba ponere, vel ex eo, seu ea subtrahere, auferre, vel subjicere, etiam ex devotione, audeat, vel præsumat sub pœna excommunicationis latæ sententiæ eo ipso auctoritate ejusdem S. Congregationis, de qua supra, incurrenda, a qua non nisi a Romano Pontifice possit absolvi, sed omnia, prout in visitatione, & recognitione hujusmodi fuerunt inventa, eodem in statu, modo, & loco relinquantur, & in suo pristino statu reponantur. Actus autem visitationis, & recognitionis hujusmodi respectu Sepulchri secrete fiat, adhibitis tantum iis personis cum dicto Subpromotore Fidei, quæ Vobis videbuntur pro testimonio ferendo de repertis, ut concursus populi, & omnis occasio vel offensionis, vel periculi evitetur.

Forma vero Articulorum hic non ponitur, quia in qualibet causa debent exhiberi a Procuratore partis, super quibus Promotor Fidei debet formare Interrogatoria cum eisdem Articulis in Litteris Remissorialibus transmittenda, ut supra dictum est.

Est etiam observandum in executione utriusque Remissoriæ, generalis scilicet, & specialis, quod juramentum præstetur, tactis Sacris Scripturis, ab omnibus testibus, etiam Sacerdotibus, & Prælatis, exceptis Cardinalibus, & Episcopis, quorum juramentum sufficiat, tacto pectore; & examen fiat in aliqua Ecclesia, vel loco pio Deo dicato, nisi infirmitas testis, vel alia urgens necessitas aliud suadeat.

Nec prætereundum est, quod in Commissionibus Summi Pontificis S. Rituum Congregationi directis apponi debet clausula, quod, quando erunt conficiendi processus, & examinandi testes in Curia, eadem S. Congregatio subdelegare debeat S. D. N. Papæ Cardinalem Vicarium, qui per se, seu, ipso impedito, per alios tantum Episcopos ab eo deputandos capiat informationes necessarias cum interventu Protonotarii pro tempore Sac. Rituum Congregationis destinati.

Postquam vero per Episcopos Commissarios fuerit remissum ad Sac. Rituum Congregationem, & Secretario ejusdem consignatum sub sigillis clausum quicquid ipsi invenerint in inquisitione speciali, si processus fuerint Servi Dei, qui infra quinquaginta annos obierit, videndum erit tantum de illorum validitate, prout supra disponitur; si vero dicti processus fuerint alicujus Servi Dei, qui supra quinquaginta annos decesserit, cognito prius in Congregatione, ut supra, habenda coram Sanctissimo, an sint in statu, quo possint ad Rotam transmitti, tunc ad eamdem Rotam transmittantur ad effectum cognoscendi de validitate, de virtutibus, & de miraculis, atque de eisdem Rotæ Auditores facere debent relationem Summo Pontifici, nisi S. Congregatio super præmissis pronuntiaverit.

Rotæ Auditores, quibus causæ fuerint commissæ, formare debent rubricas de iis, quæ in processibus continentur, non tamen in relationibus proferre eorum vota consultiva, quæ servari debent aperienda in Congregationibus ut supra faciendis.

IN processibus faciendis illud maxime, & præcipue observandum est, ut videatur exitus vitæ illius, qui petitur canonizari; quoniam cum (ut dici solet) exitus acta probet, si finis vitæ illustris, & Sanctimonia plenus, & publica præsertim testificatione sit notatus, argumentum erit, quod actiones anteactæ poterunt esse sanctæ; & ideo in formandis Articulis videndum est, qualis fuerit vitæ exitus, & qualibus circumstantiis Sanctitatis fit munitus, nam in hoc Articulo magnum causæ pondus consistit.

Magnopere etiam considerari debet, antequam ad aliquos actus deveniatur, ut exploretur in loco, ubi mortuus fuit, vel requieverit ille, pro quo petitur Canonizatio, si ad præsens fuerit, & vigeat communis reputatio, & fama Sanctitatis, & unde ortum habuerit; an sponte homines ad venerationem, an vero arte & diligentia humana procuretur id exhiberi, quod non procuratum non exhiberetur.

Prætera illud etiam diligentissime indagandum est, an ille, vel illa, pro cujus Canonizatione instatur, scripserit aliquos libros, tractatus, opuscula, meditationes, vel quid simile; nam, si scripsisse constiterit, non prius est ad aliquem actum inquisitionis deveniendum, quam tales libri diligenter in S. Congregatione examinentur, utrum contineant erroves contra fidem, vel bonos mores, vel doctrinam aliquam novam, & peregrinam, atque a communi sensu Ecclesiæ, & consuetudine alienam.

Pro habenda certiori veritate virtutum, sanctitatis vitæ, & miraculorum Servorum Dei, pro quorum Canonizatione instatur, mandavit Sanctissimus, non debere in futurum procedi ad Canonizationem alicujus, qui aliqua venerationc, vel titulo Beati sit decoratus, nisi prius in eadem Sacra Congregatione coram Sanctitate Sua fuerit iterum per Cardinalem in ordine Ponentem facta plena, & distincta relatio non modo eorum, quæ in processibus, & aliis scripturis continentur, & quæ illi per Summos Pontifices intuitu ipsius venerationis elargita fuerunt, verum etiam eorum, quæ supervenerunt post concessam eidem venerationem, de quibus constare possit ad hoc, ut ex prædictis omnibus valeat Summus Pontifex deliberare, an sit procedendum ad Canonizationem.

Idem observandum circa processus fabricatos ante publicationem præsentium Decretorum: quia, antequam ad ulteriora deveniatur, docendum erit de paritione prædictorum Decretorum Sanctissimæ Inquisitionis, & videndum, an processus fuerint per æquipollens sufficienter instructi, & ideo formandum erit Dubium: An sit procedendum ad ulteriora.

Processus omnes in eadem S. Congregatione præsentati, sigillati, & clausi per Secretarium consignari debent Notario ejusdem Congregationis, deferendi ad Protonotarium deputatum ad acta Canonizationum, per quem, præcedente Decreto S. Congregationis, & citato prius Promotore Fidei, servatisque servandis, aperiri debent.

Ut obviaretur multis aliis abusibus, fuit conscripta Epistola particularis pro Nuntiis Apostolicis ubique degentibus, & alia Circularis cum inscriptione infrascripti Decreti mittenda Patriarchis, Archiepiscopis, & Episcopis ultra, & citra montes.

Litteræ pro Nuntiis.

ADmodum Illustris, & Reverendissime Domine. Cum Sacra Rituum Congregatio, matura habita consideratione, judicaverit, si Pontificii per Europam Nuntii se se ingerant in excipiendis inquisitionibus de integritate vitæ, virtutibus, atque miraculis Viri cujuspiam cum aliqua Sanctitatis fama defunctis, facile futurum, ut progressione temporis, præsumpta palam opinione, videantur hujusmodi acta tamquam habere pondus Apostolicæ auctoritatis; ideo Sacra eadem Congregatio (re prius ad Sanctissimum relata) censuit, Dominationi tuæ in memoriam revocandum, ne ullius omnino hominum rogatu impulsive ducatur in posterum, ut apud tuum Tribunal, & ab aliis tua auctoritate suffultis de hujus generis rebus agi, atque inquiri permittat, nisi eadem Congregatio per Litteras Remissoriales, & Compulsoriales, aut quavis alia ratione, per Te ipsum fieri debere specialiter significet. Et, ne aliquis in tam gravi negotio subrepat abusus, jussit eadem Congregatio, Amplitudinem tuam hac Epistola fieri certiorem de iis, quæ continentur in adjuncto Decreto, ut curet ab omnibus omnino observari. Sacræ igitur Congregationis sensum libenter sequetur Dom. tua, quam interim Deus incolumem, prosperamque conservet. Datum Romæ die 12. Martii 1631.

Amplitudinis tuæ Uti Frater.

DECRETUM.

CUM in tota Ecclesiæ gubernatione nihil majus, nihil sit augustius Beatificatione, & Canonizatione Sanctorum, utpote homines jam demortuos, etiam cum fama Sanctitatis, ac miraculorum, declarare pro Sanctis, eosque uti tales colendos, & venerandos decernere.

Sacra rituum Congregatio, ut res hæc plane amplissima, atque gravissima rite, sancteque conficiatur, prohibet omnibus, & singulis personis Ecclesiasticis tam Sæcularibus, quam Regularibus, etiam Sancti Joannis Hierosolymitani, Societatis Jesu, vel aliorum quantumvis speciali nota dignorum, ne audeant ipsi per se, aut per alios capere informationes super Sanctitate, aut miraculis alicujus defuncti, neque ullo modo exquirere, aut obtinere ad hunc effectum extrajudiciales testificationes, aut subscriptiones, sub pœnis arbitrio S. Congregationis infligen. Quod si Superiori Sacristæ,

seu

seu alteri Officiali illius Ecclesiæ, in qua requiescit corpus ipsiusmet defuncti, vel alterius etiam Ecclesiæ, fuerint revelata aliqua miracula, seu Prophetiæ dona, possint ea recipere sub sigillo secreti ab ipsis tantum relatoribus, in quorum gratiam contigisse narrabitur. Teneantur tamen, quam primum commode poterunt, eadem deferre, vel obsignata transmittere Episcopo loci cum expressa declaratione, quod revelationes sic, ut supra, receptæ non faciant aliquem probationis gradum, etiam cujusvis longissimi temporis cursu.

Quod Decretum cum fuerit ad notitiam Sanctissimi D. N. Urbani Papæ VIII. deductum, Sanctitas Sua illud approbavit, ac imprimi, & ubique publicari mandavit, Die 12. Martii 1631.

Litteræ pro Patriarchis, Archiepiscopis & Episcopis,

ADmodum Illustris, & Reverendissime Domine, Cum quotidie magis notum fiat, quanta sinceritate mentis, & maturitate cognitionis incipere, & prosequi deceat eorum causas, qui diem ultimum obiere non sine aliqua populis relicta opinione Sanctitatis, & quam accurate, fideliterque in re tanti momenti adhiberi testes, & in examen vocari conveniat, Sacra Rituum Congregatio (facto prius verbo cum Sanctissimo) ne aliquis subrepat abusus, jussit, Amplitudinem tuam hac peculiari Epistola fieri certiorem de iis, quæ in adjuncto Decreto continentur, nempe ut curet, ne in posterum ulla ex parte adversus illud a quopiam in tua Diœcesi aliquid committatur, sed ab omnibus omnino inviolabiliter observetur; &, quando apud Amplitudinem tuam ab aliquo petitum fuerit, ut velit inquirere in Sanctitatem vitæ, & miracula alicujus, qui cum prædicta fama obiisse dicatur, quoniam nimia plerumque proclivitas, atque celeritas occasionem errori præbet, non prius generaliter super vitæ Sanctitate inquiri permittat, quam particulariter de alicujus virtutis eminenti gradu, aut peculiari aliquo miraculo præcedat famæ comprobatio, prout prudentiæ tuæ magis expedire videbitur. Quod per te ipsum exequi Sacra Congregatio summopere exoptat; sed, si ob invaletudinem, sive ob legitimum aliud, & grave impedimentum id conficere non valebis, super quo conscientiam tuam onerat eadem Congregatio, poterit Amplitudo tua delegare Vicarium tuum Generalem, vel alium in dignitate Ecclesiastica constitutum, qui delegatus, sive ille sit Vicarius, sive cujuscumque dignitatis, cum aliis ad minus duobus doctis Viris, altero scilicet Magistro in Theologia, altero vero Graduato, vel Licentiato in Jure canonico, rem totam ita peragere debeant, ut omnes sua nomina subnotent post subscriptionem cujuscumque testis, antequam discedant a loco ipsius examinis. Curabit insuper Amplitudo tua, ut testes omnes, quæcumque habent, explanate, & per extensum deponant, nec se referant ad attestationes redditas, neque eis recitentur, quæ alias ipsi deposuerunt. Postquam vero fuerint per Amplitudinem tuam, vel per alios a Te ex causis supra narratis subrogatos acta completa, secreto retineantur, præstito etiam juramento a Notariis, & testibus, se nemini promulgaturos, quicquid ipsi scripserint, & respective deposuerint, vel de quibus interrogati fuerint. De his autem actis per Te, aut jussu tuo confectis certiorem statim reddere debebit Amplitudo tua Summum Pontificem, eaque, quanto citius poterit, authentice transcripta, ac sigillo obsignata ad Sac. Rituum Congregationem transmittere. Originalia vero eodem modo consignata, & in capsa clausa pluribus clavibus, quæ diversis ad arbitrium tuum custodiendæ tradantur, in Archivo Patriarchali conserventur. Notum tamen sit Amplitudini tuæ, neque per hanc Epistolam, neque per aliquid in ea propositum voluisse Summum Pontificem, neque Sacram Rituum Congregationem tribuere, aut augere jurisdictionem, seu facultatem, quæ alias Episcopis competere posset. Atque, ut Litteræ nulla in posterum oblivione deleantur, sed semper in recordatione vigeant & tua, & tuorum deinceps successorum, dabit operam Amplitudo tua, ut illæ quanto citius tam in Curia tua Patriarchali, quam in Archivo Capitulari ad perpetuam rei memoriam asserventur. Vale. Datum Romæ die 12. Martii 1631.

Amplitudinis tuæ Uti frater.

Declarando, per hujusmodi Decreta, & Ordinationes non censeri Ordinariis aliquam novam facultatem concessam ultra eam, qua de jure eis competit.

Postquam vero Apostolica Sedes apposuerit manum in aliqua ex prædictis Causis, non poterit Ordinarius amplius in ea quoquo modo se intromittere, nec etiam ad effectum conficiendi particularem processum super cultu non adhibito, qui formandus erit per eum, cui per Summum Pontificem, vel per Sacram Rituum Congregationem hujusmodi facultas fuerit delegata.

Relationes Auditorum Rotæ, Informationes in Facto, & in Jure, & aliæ quæcumque Scripturæ tractantes de causis Beatificationum, & Canonizationum imprimi omnino prohibentur ante earumdem causarum terminationem.

Decreta super hac materia extendenda per Secretarium S. Congregationis concipiantur semper nomine Congregationis per verbum (Videtur) *vel simile, servata in unoquoque negotio suprema determinatione Summi Pontificis post factam relationem Sanctitati Suæ.*

Quando Cardinales Ponentes causarum erunt absentes a Curia, pro interponendis Decretis necessariis in causis hujusmodi, poterit adiri Cardinalis præfectus pro tempore Sacræ Congregationis, ut illa interponat pro Cardinali absente.

Promotor Fidei (ut melius hujusmodi causæ in posterum discutiantur) teneatur in scriptis proponere difficultates eorum, quæ continentur in quolibet processu.

Substituto Promotoris Fidei pro quolibet processu ab eodem Substituto examinando per Procuratores causarum persolvatur stipendium decem ducatorum.

Sanctissimo D. N. sic annuente, indultum est Protonotariis de numero Participantium,

Primo, quod in processibus fabricandis, & præcipue in examinandis testibus super Martyrio alicujus Servi Dei, hic in Curia omnino intervenire debeat R. P. D. Protonotarius pro tempore S. Congregationis.

Secundo, quod examen prædictum debeat esse subscriptum ab ipso D. Protonotario, alias examen nullam faciat fidem.

Tertio, quod Notarius, qui examen prædictum recipiet, in hoc actu ipsi Domino Protonotario subordinatus censeatur, & reputetur.

Item mandatum est, ut declamationes de rebus profanis, & plerumque de atrocioribus criminibus confictis, & imaginariis, quæ fieri solebant in Consistorio publico ab Aulæ Consistorialis advocatis, quando Legati Sedis Apostolicæ in eorum reditu ad Urbem excipiuntur in eodem Consistorio, vel quando per Summum Pontificem traduntur Pilei Cardinalitii novis Cardinalibus creatis, vel admittuntur Legati Principum ad præstandam obedientiam Sedi Apostolicæ, abrogentur omnino, & earum loco subrogentur propositiones causarum Servorum Dei, qui fama Sanctitatis conspicui mereantur adscribi in numero Sanctorum, sive Beatorum; pro quibus poterunt instare apud Summum Pontificem advocati, petendo, committi, prosequi, vel expediri respective causas arbitrio Sanctitatis Suæ.

Et, facta per me Secretarium infrascriptum de præmissis omnibus relatione Sanctissimo cum interventu R. P. D. Cerri Fidei Promotoris, Sanctitas Sua approbavit, abrogando ea, quæ his contraria existunt, & imprimi mandavit. Hac die 12. Martii 1642.

I. Card. Sacchettus.

Loco ✠ sigilli.

Julius Cincius Secr.

AP-

UAB Biblioteca de Ciències Socials

APPENDIX SECUNDA.

DECRETA

NOVISSIMA

SACRÆ RITUUM CONGREGATIONIS

Servanda in cauſis Beatificationum, & Canonizationum Sanctorum,

EDITA JUSSU SANCTÆ MEMORIÆ

INNOCENTII XI.

Et ab eodem laudata, confirmata, & approbata;

De quibus paſſim in hoc Opere, maxime vero in Lib. 2. ſuperiori.

SANCTISSIMUS D. N. Innocentius XI. provide conſiderans, quod in tota Eccleſiæ gubernatione nihil majus, aut gravius ſit, quam homines declarare pro Sanctis, eoſque uti tales colendos, & venerandos decernere, & perpendens, quod, licet fel. rec. Urbanus VIII. de conſilio Congregationis Sanctiſſimæ Inquiſitionis nonnulla ſuper hoc ediderit Decreta, ſubindeque Sac. Rituum Congregatio alias Ordinationes fecerit ſecundum caſuum contingentias a Summis Pontificibus approbatas, nihilominus experientia docuit, quod adhuc nonnulla deſiderantur pro meliori cauſarum hujuſmodi directione, idcirco juſſit, materiam diligenter diſcuti primum in Congregationibus particularibus, deinde vero in generalibus, prout factum fuit: & ſub diebus 9. Julii, & 6. Auguſti 1678. emanarunt Reſolutiones ſequentes, ſi eidem Sanctiſſimo placuerit, publicandæ.

Primo. Animadvertens eadem Sacra Congregatio, quod neceſſarium ſit, ut proceſſus auctoritate Ordinaria fabricandi conficiantur cum maxima diligentia, cenſuit, mandari Ordinariis locorum, ut ultra teſtes inductos a Poſtulatoribus, teneantur ipſi quoque inquirere, ac examinare alios teſtes bene inſtructos ſuper vita, & moribus Servi Dei; &, ſi aliquid repererint in contrarium, quod ipſis videatur relevans, ſuperſedeant in ulteriori inquiſitione, donec Sacra Congregatio ab eis certiorata per litteras mandet, quid agendum ſit.

Secundo. Hujuſmodi diligentias ſervari vult etiam in proceſſibus auctoritate Apoſtolica faciendis a Judicibus delegatis, quibus per litteras particulares Sacræ Congregationis enixe commendari debeat: & idem faciat Promotor Fidei in litteris ſcribendis Subpromotoribus.

Tertio. Et pro majori cautela præſcribi debeat in Litteris Remiſſorialibus, quod non ſolum Interrogatoria retineantur ſemper clauſa, & ſigillata cum ſigillis eorumdem judicum, non aperienda, niſi in actu examinis, & claudenda in fine, ſed ulterius depoſitiones ipſæ, antequam proceſſus ſit abſolutus, in fine cujuslibet ſeſſionis claudi, & ſignari debeant cum ſigillis Judicum, nec poſſint aperiri, niſi in præſentia ipſorum in principio cujuslibet examinis, & ſeſſionis, ac hujuſmodi diligentiæ fieri debeant etiam in proceſſibus fabricandis in Curia. Iidem Judices, prout etiam Subpromotores, & Notarii, tam in partibus, quam in Curia, ac teſtes, & in Curia etiam Protonotarius, debeant ante inchoationem proceſſuum præſtare juramentum de ſervando ſecretum religioſe, ſub pœna excommunicationis ipſo facto in caſu contraventionis incurrendæ, juxta formulam ejuſdem juramenti imprimendam in fine Decretorum, & pro omnimoda obſervantia tranſmittendam Judicibus delegatis in ipſis Litteris Remiſſorialibus, & Subpromotoribus in litteris Promotoris.

Quarto. Conſiderans quoque Sacra Congregatio, quod principale fundamentum in cauſis Beatificationum, & Canonizationum conſtitui debet in fideli interpretatione proceſſuum extero idiomate confectorum, & quod, licet ex laudabili obſervantia Interpres ſemper fuerit electus ab Eminentiſſimo Ponente, citato, & audito Reverendo Patre Fidei Promotore, nihilominus ſuper hoc Decreta generalia nihil diſponunt; idcirco decrevit, quod in poſterum in qualibet cauſa Interpres eligatur ab Eminentiſſimo Cardinali Ponente, citato, & audito Reverendo Patre Fidei Promotore, & pro majori cautela, poſtquam interpretatio fuerit facta, revideatur ab aliquo viro probo, & perito, qui ſecrete ad hoc officium aſſumatur ab eodem Eminentiſſimo Ponente, &, ſi reperiatur aliquis error ſubſtantialis, Interpres ſevere puniatur arbitrio Sacræ Congregationis: per quem Eminentiſſimum deferri debeat tam Interpreti, quam Reviſori juramentum de fideliter ſibi munus commiſſum adimplendo; quibus etiam eadem Sacra Congregatio aſſignavit mercedem pro ſuis laboribus, nempe carolenum unum pro quolibet folio reducto, ita ut facies ſit linearum 24. & linea ſyllabarum 16.

Quinto. Adverrens etiam, quam neceſſaria ſit diligens cuſtodia Proceſſuum originalium, decrevit, quod ii, ſicuti etiam Interpretationes originales illorum, qui ſunt extero idiomate confecti, retineri debeant in Archivo Sacræ Congregationis in Vaticano in loco clauſo, & ſeparato ab aliis ſcripturis, nec poſſint amoveri, niſi de ordine Eminentiſſimi Cardinalis Ponentis, vel ad inſtantiam R. P. Promotoris, ad effectum videndi, quatenus opus ſit, & deinde reportandi; cujus Archivi duæ ſint claves, una penes Protonotarium Apoſtolicum, qui pro tempore intervenerit Sacræ Congregationi, & altera penes Secretarium, & clavis loci, in quo cuſtodiuntur dicti proceſſus, ſtet penes eumdem Protonotarium, alterius vero, in quo retinentur aliæ ſcripturæ Sac. Congregationis, penes Secretarium.

Sexto. Idemque Protonotarius curam habeat revidendi Inventarium dictorum proceſſuum, & quatenus non adeſſet, illud diligenter fieri mandet cum quatuor copiis, quarum una ſtet penes eumdem Protonotarium, altera penes Promotorem, altera penes Secretarium, & quarta in eodem Archivo; & in fine anni iidem Protonotarius, Promotor, & Secretarius revidere debeant dictum Inventarium, & conferre cum Proceſſibus, ad effectum recognoſcendi, an aliquid deficiat, & curandi, ut reportentur, & Secretarius referat in prima ſequenti Congregatione.

Septimo. Cum pluries dubitatum fuerit circa intelligentiam Decretorum pag. 28. quod non prius Sedes Apoſtolica moveri ſoleat, quam Reges, Principes, & aliæ perſonæ authenticæ, & honeſtæ inſtanter ſupplicaverint Summo Pontifici, & tunc etiam non ſtatim, ſed expectare, quod diu pulſetur, nam ſi perdurabunt miracula, & ſupplicantium inſtantiæ, tunc ſummus Pontifex, ſi ei videbitur, committit cauſam Sacræ Congregationi; ideo, ſi ita Sanctiſſimo viſum fuerit, cenſuit eadem Sac. Congregatio, Commiſſionem non eſſe ſignandam, niſi poſt elapſum tempus decem annorum a die præſentationis proceſſus auctoritate Ordinaria fabricati, & cum præcedenti rigoroſa diſcuſſione ejuſdem proceſſus cum Scriptura, & Summario, & inſuper habitis poſt decennium a die fabricationis illius novis litteris Epiſcoporum circa percrebreſcentiam famæ ſanctitatis, & miraculorum, ac devotionis populi enixe pro Beatificatione, & Canonizatione inſtantis: niſi tamen in aliqua cauſa ex peculiaribus circumſtantiis, Sac. Congregatio exiſtimaverit, anticipari poſſe tempus in diſcuſ-

cuſſione proceſſuum auctoritate ordinaria confectorum, & Sanctiſſimus hoc approbaverit.

Octavo. In cauſis Servorum Dei ante Decreta ſel. rec. Urbani Octavi introductis non ſignentur Commiſſiones reaſſumptionis, niſi prius per Sac. Congregationem examinatis proceſſibus tam auctoritate ordinaria confectis, quam auctoritate Apoſtolica, quatenus adſint.

Nono. Cum in Decreto approbato a ſel. rec. Urbano VIII. die 12. Martii 1631. impreſſo in libello pag. 57. Sacra Congregatio cognoſcens, quod in hac re, utpote graviſſima, rite, ſanctèque procedendum eſt, prohibuerit omnibus, & ſingulis perſonis Eccleſiaſticis tam Sæcularibus, quam Regularibus, quantumvis ſpeciali nota dignis, ne audeant per ſe, vel per alios capere informationes ſuper Sanctitate, aut miraculis alicujus, nec ullo modo exquirere, aut obtinere ad hunc effectum extrajudiciales teſtificationes, aut ſubſcriptiones, ſub pœnis arbitrio ipſius Sac. Congregationis infligendis, illud confirmando juſſit, quod hujuſmodi extrajudiciales atteſtationes non ſolum exquiri, aut obtineri non valeant, ſed rurſus, quod hactenus obtentæ, ſive in futurum obtinendæ non faciant aliquem gradum probationis, nec inſeri poſſint in proceſſibus tam ordinaria, quam Apoſtolica auctoritate fabricandis.

Decimo. Subpromotor Fidei a Reverendo Patre Promotore deputatus, cui onus incumbit primo loco ſpoliandi, & examinandi proceſſus, (ex quibus pendet Beatificationum, & Canonizationum ſubſtantia) ad effectum referendi eidem Promotori, debeat hujuſmodi munus diligentiſſime, ac cum omni rigore adimplere, ac Summaria, quæ ſolent a procuratoribus fieri, antequam typis mandetur, conferat cum proceſſibus, ſubſecuta atteſtatione, quod fuerunt per ipſum reviſa, & in quolibet folio ſe ſubſcribat: eamdemque diligentiam conferendi cum exemplari manuſcripto iterum faciat, poſtquam fuerint impreſſa, cum iterata ſubſcriptione in fine, quam ſubſequatur ſubſcriptio, & ſigillum Secretarii, nec ante prædictas ſubſcriptiones poſſint tam Summaria, quam Informationes publicari ſub graviſſimis pœnis tam quoad Poſtulatores, quam etiam quoad Impreſſorem arbitrio Sac. Congregationis, ſeu Eminentiſſimi Cardinalis Præfecti infligendis. Idemque Subpromotor (quatenus ipſe D. Promotor ex diligenti, & accurata reviſione proceſſuum, quam facere ſolet, neceſſarium, vel opportunum duxerit) teneatur aliud Summarium objectionale ad comprobationem oppoſitionum conficere, quoad Sac. Congregatio plurimum expedire cognoſcit ad hoc, ut veritas magis eluceſcat. Et pro quolibet proceſſu ab eodem Subpromotore examinando in quolibet dubio perſolvatur ei ſtipendium decem ducatorum auri præſcriptum in Decretis generalibus pag. 62. cum declaratione tamen, quod reſpectu proceſſuum auctoritate Apoſtolica in ſpecie, qui pluries ad diverſum effectum examinari debent, dictum ſtipendium debeatur pro tribus dubiis tantum, nempe prima vice, quando diſputatur validitas, ſecunda vice, quando diſputatur de virtutibus, ſeu de martyrio, & cauſa martyrii, & tertia vice, quando diſputatur de miraculis, quamvis diſputationes alicujus ex dictis dubiis pluries reiterari contingat, ſeu eadem dubia in diverſas inſpectiones pro faciliori reſolutione dividantur.

Undecimo. Et, quia materiæ gravitas, & dignitas expoſcit, ut pertractetur, & dirigatur a Viris notæ probitatis, experientiæ, & peritiæ, cenſuit Sacra Congregatio, quod ad conficiendum tam Informationes in facto, quam Summaria, in quibus potiſſime conſiſtit cauſarum pondus, aſſumantur ſolum Procuratores Collegii Sacri Palatii Apoſtolici; tribuendo Poſtulatoribus libertatem eligendi ex dicto cœtu, quem voluerint, dummodo quilibet ex eis non poſſit eodem tempore patrocinari plures cauſas, quam quatuor ad hoc, ut eis facilius operam dare poſſint, ſub pœna inhabilitatis amplius ſcribendi in caſu contraventionis: & liceat Partibus in quocumque ſtatu cauſæ, rationabiliter tamen, & prævia licentia Eminentiſſimi Ponentis, mutare Procuratorem, dummodo alius in ejus locum ſubrogandus ſit de eodem Collegio, & non habeat in totum plures cauſas, quam quatuor.

Duodecimo. Advocati vero ad ſcribendum in Jure aſſumi debeant ad libitum Poſtulatorum, dummodo ſint ex Collegio Sac. Conſiſtorialis Aulæ, vel ex duodecim aliis approbatis a Sac. Congregatione: ita tamen, ut quilibet eorum ſex tantum cauſas patrocinari poſſit.

Decimo tertio. Pro mercede autem prædictorum, ac etiam Notarii Sac. Congregatio juſſit ſervari Taxas ab ea diligenter reviſas, quæ, ut omnibus innoteſcant, typis mandari debeant, & in fine Decretorum inſeri.

Decimo quarto. Cum etiam obſervatum fuerit, ſæpe Poſtulatores dare ſcripturas Medicorum, vel Chirurgorum pro confirmatione miraculorum, & ex alia parte non fuerit ſolitum reſponderi per Peritos ejuſdem profeſſionis, ideo videtur neceſſarium ad hoc, ut reſpondeatur ſecundum artem, quod Eminentiſſimus Ponens deputet ex officio, ſecreto, ac prævio juramento alium Medicum, & Chirurgum celebriorem, qui reſpondeat pro veritate ad effectum videndi, an aſſerta miracula excedant vires naturæ.

Die 15. Octobris 1678. facta per me infraſcriptum relatione Sanctiſſimo præfatorum Decretorum cum eorum integra lectura, Sanctitas Sua laudavit, & approbavit, atque ſervari mandavit, & publicari.

Jo. Baptiſta de Luca Auditor, & Secretarius Memorialium.

Locus ✠ Sigilli.

Bernardinus Caſalius Sac. Rit. Congregationis Secretarius.

Forma Juramenti Judicum ante inchoationem proceſſuum.

EGo infraſcriptus, tactis Sacroſanctis Evangeliis coram me poſitis, juro, & promitto, fideliter adimplere munus mihi commiſſum circa fabricationem proceſſus in cauſa Beatificationis, & Canonizationis Servi Dei N. juxta formam Decretorum Sac. Congregationis Rituum, & præcipue noviſſimorum, quæ confirmata fuerunt a Sanctiſſimo D. N. Innocentio XI. Necnon juro, & promitto, religioſe ſervare ſecretum tam de contentis in Interrogatoriis, quam de teſtium depoſitionibus, ſuper iiſdem, & ſuper Articulis, nec de iis loqui cum aliqua perſona, exceptis aliis Judicibus, & Subpromotore, ac Notario pro eodem proceſſu deputatis, & in Curia excepto etiam Protonotario, ſub pœna perjurii, & excommunicationis latæ ſententiæ, a qua non niſi a Summo Pontifice (excluſo etiam Majori Pœnitentiario) præterquam in mortis articulo, abſolvi poſſim. Et ita promitto, & juro: ſic me Deus adjuvet, & hæc Sancta Dei Evangelia.

Idem Juramentum præſtabitur a Subpromotore, & Notario, & in Curia etiam a Protonotario, mutatis mutandis.

Forma Juramenti Teſtium.

EGo infraſcriptus, tactis Sacroſanctis Evangeliis coram me poſitis, juro, dicere veritatem tam ſuper Interrogatoriis, quam ſuper Articulis, ſuper quibus examinabor, necnon ſervare ſecretum, nec alicui penitus revelare tam contenta in iiſdem Interrogatoriis, quam reſponſiones, ac depoſitiones a me factas, ſub pœna perjurii, & excommunicationis latæ ſententiæ, a qua non niſi a Summo Pontifice (excluſo etiam Majori Pœnitentiario) præterquam in mortis articulo, abſolvi poſſim. Et ita promitto, & juro: ſic me Deus adjuvet, & hæc Sancta Dei Evangelia.

UAB Biblioteca de Ciències Socials

APPENDIX TERTIA.

ANTIQUA VITA BEATI ARCHANGELI CANNETI

CANONICI REGULARIS CONGREGATIONIS SALVATORIS

Inserta in Proceſſum Auctoritate Ordinaria confectum die 2. Maji 1617. a Vicario Generali Epiſcopi Eugubini,

De qua ſuperiori Lib. 2. Cap. 18. num. 19.

Vita, & Morte di Frate, overo del Beato Archangelo da Bologna Canonico Regolare della Congregatione di S. Salvatore, raccolta da diverſe perſone degne di fede, per un devoto Religioſo dello ſteſſo Ordine, & Congregatione.

FU' il Padre D. Archangelo da Bologna Figliuolo di Facino della nobile Fameglia de Canedoli della Città di Bologna; Quale dalla ſua pueritia fù ſempre devoto, & ſpirituale, & molto dedito al Culto Divino, quale ſendo ancora di tenera età, per le parti, che in quel tempo regnavano nella Città di Bologna, gli fu amazzato ſuo Padre, & Fratelli. Et ſendo gionto à una certa matura età, conſiderando, & conoſcendo li travagli, & pericoli di queſto Mondo (come haveva già viſto, & provato in parte, & li continui lacci del Demonio) inſpirato dallo Spirito Santo, diſpoſe nell'animo ſuo farſi Religioſo, & in ſe ſteſſo riſoluto preſe, & ſi veſtì dell' Habito de' Canonici Regolari della Congregatione di S. Salvatore, & con molta Devotione, e Santità l'anno 1484. ſi fece Canonico. Et accadendo, che per ſanta Obedienza fu mandato ad habitare à Venetia nel Monaſterio di S. Salvatore; Et vedendo il Prelato di eſſo Monaſterio la ſua integerrima Vita, & ſue ſpirituali attioni, & buoni coſtumi, & ſendo ancor giovinetto gli dette l'offitio di ricevere i Foraſtieri, quale con ogni charità, & amore faceva l'offitio di Marta verſo gli Hoſpiti. Accadendo in quel tempo, che quelli, che già havevano amazzato ſuo Padre dimoravano per tempo avanti in Venetia, & havendo già queſti tali gran domeſtichezza con il Prelato del Monaſterio, & un giorno dal detto Prelato quelli furno convitati à pranzo con lui nel Monaſterio, & F. Archangelo per eſſere quello, che attendeva, & ſerviva ai Foraſtieri, biſognava, che ſerviſſe à tavola. Dove mirando, & riguardando quelli tali più, e più volte, riconobbe uno di quelli eſſere quel tale, che amazò ſuo Padre, à tale che ſe gli commoſſe il ſangue, e molto tentato dal Demonio di far la vendetta dei ſuoi Conſanguinei contra quel tale. Il devoto Frate Archangelo temendo più Dio, che il Mondo, con l'ajuto del ſuperno lume, volſe ſuperare la diabolica Tentatione del Demonio, che già gli haveva meſſo nel Cuore, in queſto modo la ſuperò, che vedendoſi acceſo, & contaminato dalla colera, finſe eſſerli venuto un accidente, & una indiſpoſitione, ſi ritirò da ſervire à tavola per non vedere quelli tali. Dove che col Divino ajuto fuggì, & ſuperò tal Tentatione di vendetta, che lui haveria facilmente potuto adempire, ſecondo, che 'l Diavolo li metteva nel cuore contro quelli tali. Finito il Pranzo, & licentiati li detti Hoſpiti, il Prelato andò à viſitare Fra Archangelo domandandoli la cauſa del ſuo male, al quale li narrò tutto il fatto, à tale che il Prelato reſtò molto admirativo, & molto commendò la ſua conſtantia. Accreſcendo ogni giorno di bene in meglio nel ſanto propoſito, & continuamente nella Devotione, & Humiltà, fù fatto Sacerdote, & con quanta devotione, & humiltà preſe tal Ordine Sacerdotale, ſi tace, reputandoſi di tale dignità eſſer'indegno: Et vedendo, che il converſare, & pratticare con gli altri Frari gli raffreddava lo ſpirito del buon propoſito, perchè lui deſiderava, & apperiva luoghi ſolitarij, per darſi meglio alla Vita Spirituale, la Santa Obedienza lo mandò a ſtantiare nel Monaſterio di S. Antonio di Venetia, nel quale Monaſterio ſtette per anni tre, poi fu mandato à S. Salvatore di Venetia, & ivi dimorò per anni cinque; Poi ritornò al Monaſterio di S. Antonio, & ivi ſtette per ſpatio di anni dui; Di poi fu meſſo per il Monaſterio à Treviſi, & ivi dimorò anni tre. Et quantunque tali mutationi li foſſe moleſto, e grave, però non mancò mai del ſuo buon propoſito, la notte, & il giorno mai mancava per ſuo ſolazzo di ritrovarſi in Choro à laudare, & benedire il Signor Dio, & à tutte l'altre offervanze della Congregatione, & per ſua devotione ogni giorno celebrava la Meſſa, & pregava il Signor Dio, che li deſſe gratia di patienza, & che gli preparaſſe in qualche luogo una ſtantia ſolitaria per poſſer meglio vacare, & darſi meglio alle ſue Devotioni, & Orationi. Sentendo dire à molti, come à Gubbio vi era un noſtro Monaſterio di S. Ambroſio molto propitio, & atto à chi ſi voleſſe dare alla Vita Solitaria, & Contemplativa, e molto devoto ſito, nel qual luogo per alhora non vi ſtava il Priore, ma ſolo doi Frati, & dal Monaſterio di S. Secondo era dato, & adminiſtrato il vitto, & veſtito, perchè tutta l' Intrata, & facultà, che gode il Monaſtero di S. Secondo, era del Monaſterio di S. Ambroſio. Ma per eſſer il Monaſterio di S. Secondo più capace di habitatione, la Congregatione dette, e conceſſe dette intrate, & facultà al detto Monaſterio di S. Secondo. Intendendo queſto F. Archangelo, ſupplicò con grande inſtantia al Reverendiſſimo Padre Generale, & Viſitatori della Congregatione, che per loro benignità li voleſſeno compiacere di andare, & poſſere habitare al detto Monaſterio di Santo Ambroſio, acciò nel ſervitio ſpirituale meglio ſi poteſſe eſſercitare. Dove che l'anno 1498. conſeguì tal gratia, & ivi per ſpatio di ſette anni continui habitò, dandoſi a continui digiuni, vigilie, & Orationi, Aſtinenze, & Meditationi, e parte del giorno à grandi eſſercitij corporali per maceratione della carne, per ridur'il corpo alla ſpiritual ſervitù. Nel qual luogo cavò, & fece una ciſternetta per ſuo ſervitio, qual poi fu reſtaurata la bocca, & intorno l'anno 1502. & ivi vi edificò una celletta ſequeſtrata dalla commune habitatione, dove lui ſtava parte del giorno alle ſue Orationi, & Contemplationi. Vedendo il Nemico dell' humana Natura Diavolo Infernale, che tanto aſſiduamente ſi dava al ſervitio dell' Altiſſimo, meſſe in mente alli RR. Padri per cattiva ſuggeſtione d'alcuni ſuoi emuli, che lo doveſſino levare da S. Ambroſio, allegando alcune falſità contra di F. Archangelo, à tale, come naturalmente l' humana perſona è più dedita à credere al male, che al bene, di maniera che hebbe più forza la bugia, che la verità. L' anno 1505. per ſanta obedienza dalli Reverendi Padri fu mandato al Monaſterio di S. Salvatore di Venetia, & ivi habitò per un' anno ſempre col ſuo ſolito obſequio verſo il Signor Dio. L'anno 1506. vedendo, & udendo li Reverendi Padri la ſua buona vita, & ſuoi buoni eſſemplari coſtumi, lo fecero Vicario del Monaſterio Noſtro di S. Daniel in Monte, fuora della Città di Padova per ſpatio di dieci miglia contra ogni ſuo volere, & contra ogni ſuo deſiderio, nel qual luogo

luogo dimorò per un'anno. Poi fu fatto Vicario del Monaſterio dell'Iſola fuori della Città di Vicenza ſette miglia, & ivi dimorò per dui anni ſequenti, cioè 1507. & 1508. Ma di tale offitio, & manco d'alcun'altra ſorte di dignità, fù mai anſioſo, & deſideroſo, ma gittato da ſe ogni ſorte d'ambitione, & calpeſtato, e meſſo ſotto à piedi ogni ſorte di dignità; ma tutto il ſuo intento, e deſiderio, altro non era, che la ſolitaria vita, altro non deſiderava, che la quiete dell'animo per poſſer meglio congiungerſi con il ſuo Creator Dio. Altro non deſiderava, non appetiva, che la ſtanza del Monaſtero di S. Ambroſio, qual vedeva eſſer molto atta, & commoda alla Contemplatione, ſi come era la ſua buona volontà, & intentione (che certo è luogo da ridurſi, e darſi alla vita contemplativa) Alla quale intentione, e giuſta dimanda li ottimi, & RR. PP. di quel tempo lo volſero conſolare, maſſime accertati, che le calunnie dei ſuoi Emuli erano falſiſſime, & anco accioche appreſſo l'onnipotente Dio mandaſſe in ſalute della Congregatione li ſuoi infocati, e degni Preghi. L'anno dunque 1509. fu rimeſſo al ſopradetto Monaſterio di S. Ambroſio, con un Compagno detto F. Antonio Maria da Padova, nel qual luogo ſecondo il ſuo Coſtume, & riſcaldato più che prima nel divino Amore, giorno, e notte non ceſſava dalle ſue ſante Operationi, & Orationi della ſua vita ſpirituale. Era in quel tempo uno Eremita nominato F. Thomaſo da Fabriano, perſona idiota, del terzo Ordine di Penitentia di S. Franceſco, quale habitava alla Chieſa di S. Nicolao in una Caſella ſequeſtrata à canto il Monaſterio, che à lui era già ſtata donata con alcun' Horto, quale per tempo avanti era ſtato huomo cattivo, & ridottoſi alla vita ſolitaria, quale per la buona fama udita di F. Archangelo, molto deſiderava havere ſua amiſtà, quale ogni giorno andava à Santo Ambroſio à udire la Meſſa, che Fr. Archangelo continuamente ogni giorno celebrava. Et havendo pigliato ſua domeſticanza dopo Meſſa ſpeſſo havevano Spirituali colloquij inſieme, & da lui ſi confeſſava. Et accoſtandoſi alla familiarità, & ammonitioni, avertimenti, & eſſempi del devoto Padre F. Archangelo, di modo che di lupo diventò Agnello, & in tal modo ſi riduſſe alla vita ſpirituale per mezzo delle buone ammonitioni, & eſſempi del Padre F. Archangelo, che nella Città di Gubbio era tenuto perſona molto ſpirituale. Qual F. Thomaſo molte attioni ſpirituali ha riferito della Vita del Padre F. Archangelo, e teſtificò che per mezzo ſuo ſi era ridotto buon ſervo di Dio, & haver ſuperato molte acerbe Tentationi Diaboliche. Et accreſcendo ogni giorno la fama della bontà del P. F. Archangelo, la quale riſplendeva à tutti per li buoni eſſempi, & ſpirituali parlari, che à tutti dava mirabili, & ſpirituali contenti, & ſpecialmente à quelle Signore d'Urbino, maſſime la Signora Ducheſſa Eliſabetta Gonzaga Vedova per la morte del Duca Guidobaldo ſecondo Duca d'Urbino, & la Signora Emilia di Caſa Pia moglie del Signor Antonio Feltrio, alle quali Signore era molto caro, al quale preſtavano molta fede per la ſua buona vita, che loro vedevano & che univerſalmente ſentivano raccontare.

Qual Signora Emilia donò al Monaſterio di S. Ambroſio tutto il corpo del Divino Offitio ſtampato, & annotato, & ligato tutto in Corame Roſſo. Et molte altre perſone, che nelle loro afflittioni, e travagli à lui ricorrevano, & à tutti dava ſperanza, e conforto, di modo che tutti ſi partivano conſolati, & allegri; in tutte le coſe, che prediceva, venivano ad effetto, che molti dicevano, che lui haveva lo ſpirito di Profetia. Riferiſce F. Thomaſo Eremita come Franceſco Maria Duca d'Urbino intendendo il buono odore della ſantità del P. F. Archangelo, che molte coſe lui prediceva (come che haveſſe ſpirito Profetico) dove che acceſo di molta fede, e devotione, ſendo in una guerra molto pericoloſa, della quale temeva aſſai; mandò un ſuo fidato à Gubbio al P. F. Archangelo per conſiglio, & che doveſſe fare oratione per lui. Al quale riſpoſe il P. F. Archangelo, che ſendo lui huomo peccatore, non meritava eſſere eſſaudito; ma che lui non mancaria di fare la Charità, & obedienza, e diſſe à quel mandato, che doveſſe ritornare à lui il giorno ſeguente à S. Ambroſio; Il P. Archangelo ſi miſe in oratione, & ivi ſtette in oratione per ſpatio di 9. hore continue. Et il giorno ſeguente riferì à quel Mandato, che diceſſe al Signor Duca, che li ſui negotij paſſariano bene, & così fu fatto.

Si come la lucerna ardente non può ſtare aſcoſa, così la fama del Padre F. Archangelo ogni giorno più acreſceva. Eſſendo un certo Fiſico alhora Medico della Città di Gubbio, nominato m. Antonio di Nicolò Acquiſti da Caſtiglione Aretino, quale haveva condotto à Gubbio tutta la ſua Famiglia, & il P. F. Archangelo per cagione d'una ſua Infirmità haveva fatto amicitia con queſto m. Antonio, quale talvolta volontieri haveva colloquio col P. F. Archangelo, maſſime per haver ſentito la ſua buona fama di ſua Vita; Et havendo queſto m. Antonio la ſua moglie d. Mathia, & una ſua Nuora d. Maria Chriſtofana moglie di Baldo ſuo Figliuolo, due venerande, e devote, & ſpirituali donne, le quali havendo per mezzo del d. m. Antonio molta famigliarità con una Monaca del Monaſterio di S. Spirito di Gubbio, quale era molto ſpirituale, & era tenuta per ſanta, & con lei hebbero colloquio inſieme raccontandoli le ſue tribulationi, & come deſideravano vedere, & parlare con il P. F. Archangelo, che intendevano, che era appreſſo Dio di Santa Vita, ma intendevano, che lui non parlava à Donne. Riſpoſe quella Santa Monaca, che ogni volta che voi li volete parlare, io vi farò una poliza, & quantunque io non l'habbia mai viſto, nè parlato, ma come li darete la mia poliza per parte mia, lo vederete, e parlarete.

Andando le devote donne à S. Ambroſio, & ricevuta la poliza, venne alla porta con gran domeſtichezza, & benignamente aſcoltate le loro gran tribolationi, & affanni molto le conſolò, di maniera che reſtorno molto ſatisfatte, e tutto quello, che gli prediſſe venne ad effetto.

Havendo d. m. Antonio Acquiſti una Figliuola, la quale la voleva maritare, la qual fanciulla deſiderava più preſto farſi Monacha, che maritarſi, il Padre F. Archangelo gli diſſe più volte à m. Antonio, & à M. Mathia ſua Madre, che il Signor Iddio voleva per lui detta Fanciulla Vergine, & non maritata, & non credendo alle parole del P. F. Archangelo; di modo che ſtatuito il giorno di far lo ſpoſalitio, la Fanciulla s'infermò, & in brevi giorni rendette lo ſpirito al Signore ſuo ſpoſo, ſi come gli haveva predetto il P. F. Archangelo.

Eſſendo il Magnifico Giuliano de Medici Fratello di Papa Leone X. a queſti tempi in la Corte della Città d'Urbino quando quella fioriva d'huomini Illuſtri virtuoſi, e dotti: qual Magnifico Giuliano per le parti era ſtato cacciato, & eſpulſo dalla Città di Fiorenza; Et ſentendo la buona Fama del P. F. Archangelo da molti, & ſpecialmente da quelle Illuſtri Donne, e la Signora Ducheſſa Eliſabetta, & la Signora Emilia, fù eſſortato, che andaſſe a viſitare à Gubbio il P. F. Archangelo, che da lui ſaria molto conſolato. Dove che il Magnifico Giuliano non volſe tradire alle molte eſſortationi di molti altri ſuoi Amici, andò à Gubbio à ritrovare, & viſitare il P. F. Archangelo, & à lui eſpoſe, e narrò tutti li ſuoi travagli, e la ſua mala fortuna, & dolendoſi aſſai della ſua diſgratia, con molte parole delle ſue tribolationi. Il P. F. Archangelo, inteſo che hebbe il tutto, lo conſolò aſſai, che ſteſſe di buona voglia, & che ſi confidaſſe in Jeſu Chriſto, & che il giorno ſeguente doveſſe ritornare a S. Ambroſio, e dopò molti colloquij il Magnifico Giuliano ſi partì molto ripieno di conſolatione. Il giorno ſeguente ritornò il Magnifico Giuliano al P. F. Archangelo, e dopò molte parole ſpirituali, gli diſſe, conſolatevi nel Signor Dio, & in lui ſperate, ſappiate, come voi preſto ſarete conſolato, & la voſtra caſa più che mai ſarà eſſaltata, & ogni voſtra tribulatione tornerà in gaudio, & allegrezza, & non varcò molto tempo, che ſuo Fratello fù fatto, e creato Papa, e fù nominato Papa Leon X. Et ſendo ritornato il Magnifico Giuliano in Fiorenza con molto faſto, & con molto honore, & gloria. Et ricordandoſi di tutto quello, che gli haveva predetto il P. F. Archangelo, in queſto tempo venne à morire l'Arciveſcovo di Fiorenza, & il Magnifico Giuliano, quale per la generoſità dell'Animo, & memorevole dei Benefitij, mandò un ſuo Servitore à Gubbio con denari, & cavalcature al P. F. Archangelo, che lui non reſtaſſe per cauſa alcuna, che lui doveſſe andare à Fiorenza. Et giunto a Fiorenza al noſtro Monaſterio di S. Donato in Scopeto, fù dal Prelato benignamente ricevuto, & riposato alquanto, poi andò à viſitare il Magnifico Giuliano, & con quanta allegrezza, & amorevolezza, & grata accoglienza hebbe à vedere il P. F. Archangelo, non ſi potria narrare, e dopo molti parlamenti gli narrò qualmente ſendo morto l'Arciveſcovo di Fiorenza, deſiderava, che lui foſſe,

UAB Biblioteca de Ciències Socials

fosse, & accettasse l'Arcivescovato. Il P. Archangelo, che non appetiva, nè desiderava simili offitij, & dignità, & con molte efficaci ragioni li contradisse non esser buono, nè atto, nè sufficiente à tal dignità, & mai ad alcune sue ragioni volse consentire, come quello, che haveva calpestato, & conculcato sotto à piedi gli honori, & glorie del mondo, sapendo di quanto gravoso peso, & di quanta importanza era l'esser Pastore, & havere à render ragione dell' Anime à se commesse. Ma ben desiderava, che il Monasterio di S. Ambrosio havesse tanta rendita, che vi potesse stare, & habitare, & vivere cinque, overo sei Frati; & desiderava che in essa Chiesa di S. Ambrosio gli fosse date, & concesse tutte le stationi, e perdoni, che erano dentro, e di fuori della Città di Roma. Il Magnifico Giuliano gli promise, che di tal domanda, che haveva fatto, stesse sicuro, che juxta suum posse, operaria con il Pontefice, che conseguiria il suo desiderio, & volendo altro, che domandasse. Il P. F. Archangelo disse, che per alhora non voleva altro, & stando alquanti pochi giorni, desiderava ritornare alla sua solita quiete, & orationi, e tolto licentia si mise in camino, insieme col suo Compagno F. Antonio Maria da Padova, per ritornare à S. Ambrosio; Et per la strada gli prese la febre, di maniera che à pena si condusse a Castiglione Aretino, & con figurtà andò à casa di Baldo Figliuolo di m. Antonio Acquisti (ma già m. Antonio era morto) dal quale fù benignamente ricevuto, & accarezzato similmente da do: Mathia, & do: Christofana moglie del d. Baldo, che già à Gubbio con esse haveva domestichezza. Dal qual Baldo, & sue donne sempre gli fù amministrato tutto quello, che alla sua infirmità faceva bisogno, con tanta charità, quanta mai si può dire. Et stando così ammalato, parlando do: Mathia domesticamente con il P. F. Archangelo, dicendo, Padre mio dubito rimaner cieca, per quanto li medici mi hanno detto; Et io più presto mi eleggeria la morte, che restar cieca, perchè non mi sento habile con patienza sopportare tale infirmità. Et pregava, & si raccomandava, che pregasse Dio per lei; e più volte replicando, che lei più presto moriria, che vivere in quella cecità. Et rispondendo il P. F. Archangelo, tanto che più presto vorreste la morte, che perdere la vista, della qual cosa spero nel Signor Iddio, che ci concederà questa gratia, che Voi domandate. Et nel tempo, che la luce gli cominciò fortemente à mancare lei s' infermò, in breve tempo morse, e tutti quelli di casa si ricordarono de le parole, che il P. F. Archangelo gli haveva predetto. Et lamentandosi Baldo sopradetto con il Padre F. Archangelo di sua Madre, ch' ella era molto strania, & crudele verso di lui, & dei suoi Figliuoli; Il P. Archangelo rispose, Figliuol mio habbiate patienza, accarezzate vostra Madre per amore di Dio, che poco tempo vi darà fastidio, & in breve tempo, come è detto di sopra, morse. Accrescendo di giorno in giorno la febre, & il male l' aggravava, non mancando però la cura de' Medici, & Medicine, & buon governo, & buona servitù, che gli facevano quelle spirituali donne con amore, e charità incredibile. Et conoscendo lui esser a l' ultimo della vita sua, disse à quelle donne, Madre, e Sorelle mie Mathia, e Christofana, voi poco tempo mi cibarete. Et quelle timorosamente rispondendo; Noi forse non vi satisfacemo, ma noi pigliaremo altre donne, che faranno, & vi governaranno meglio di noi secondo il vostro gusto. Rispose il P. Archangelo, io son stato governato, & cibato benissimo à sufficienza in tutte le cose, il Signore Iddio ve lo rimeriterà per me. Et così stando, & conoscendo il suo ultimo giorno chiamò F. Antonio Maria suo compagno, & gli disse, andate presto, & scrivete al R. Padre Generale in mio nome per l' ultima mia lettera, & similmente al Signor Duca d' Urbino in mio nome, che questa sarà l' ultima, che io gli scrivo. Ma quello, che in esse lettere si conteneva, non s' è possuto sapere. Andando F. Antonio Maria a fare la S. Obedienza dello scrivere, secondo che gli era stato imposto, più volte lo fece sollecitare, perchè lui si sentiva voler render l' Anima, & lo spirito al suo Signore Iddio. Ultimamente non havendo pienamente scritto lo fece venire à se, che l' ajutasse à vestire, & vestito prendendo il suo bastone si mise à sedere, dicendo al suo Compagno, che gli raccomandasse l' Anima (ma prima haveva ricevuti tutti li Sacramenti) & lui rispondendo Amen. Et così dicendo, In manus tuas Domine commendo spiritum meum, spirò, rendendo l'anima al suo Creatore Dio, à dì 16. d' Aprile. Et alli 17. Aprile, dal sopramemorato Baldo Acquisti, secondo il costume della S. Christiana Chiesa, honoratamente fece preparare gli effequij nella Chiesa di S. Francesco, con quante Messe, & Religiosi, che dentro, e fuori di Castiglione si puote havere, & nella d. Chiesa di S. Francesco fu messo in una cassa non sotto terra, ma fu fatto un deposito, & ivi con molto honore racchiuso dentro. Certi suoi vestimenti di sarza, che erano restati in casa del detto Baldo, quali erano tutti tenghiati, & mangiati dalle tarme, quali tenevano con devotione, quali da un nostro Padre furono brusciati; & vi è restato il suo bastone, il suo Brachiere, & le sue Calze di lino, sane intiere, dalli piedi fino alla cintura non scavezze, quali tengono per memoria del P. Archangelo.

Sentendo li nostri Reverendi Padri di S. Secondo, e tutta la Città la sua morte, si procurò di farlo portare a Gubbio. Ma prima avanti fosse levato dalla Chiesa di S. Francesco di Castiglione, ove era stato fatto il Deposito, bisognò dare à quel Guardiano del Monasterio di S. Francesco, nominato Fra Marco, Ducati tre per mancia per l' amor di Dio. Et così honoratamente si partirono da Castiglione, & per strada dove passavano gli era fatto molto honore, e riverenza, si come era condecente, & che meritava la sua Santa Vita. Et sentendo li Consoli della Città, che alhora risedevano nel Palazzo della Communità, come tal Corpo era appresso alla Città di Gubbio, per il buon odore, e Santa Vita, che nella Terra haveva sempre dato; ordinorono con tutto il Magistrato insieme, che tutta la Chieresia, Preti, e Frati, & Fraternite andassino incontro à quel Santo Corpo, & farli quell' honore, che meritava la sua integrità di Vita; Et li Nostri Frati insieme con f. Antonio Maria, che mai per strada non l' abbandonò, & gli altri Religiosi, che in Gubbio si trovavano, con gran pompa, e fausto di tutta la Città l'accompagnorno al Monasterio di S. Ambrosio, strada à quel tempo molto ardua, e faticosa, & ivi nella Capella della Madonna fu collocato, all' ultimo quasi del Mese d' Ottobre 1513. con gaudio, & giubilo spirituale.

Un certo Cecco da Cortona lavoratore de Frati di S. Pietro de Gubbio, quale stava alli Puchelli, contado della Corte della Città, essendo attratto d'una Gamba, che andava con li bastoni, cioè croccie, raccomandandosi al B. Archangelo, mentre che il suo Corpo era portato a S. Ambrosio alla sepoltura, & accompagnandolo il prenominato Cecco, se li raccomandò con gran devotione, pregando, che li fosse restituita la sanità, fu liberato per li meriti suoi, avanti che il predetto Corpo giungesse alla Chiesa, & ivi lasò le croccie, overo bastoni, & se n' andò a casa sua sano, e salvo, come se mai non havesse havuto tale infirmità, & fu dei 1513. Et di più ancora si avoti della Rottura, e fu integramente sanato.

Un F. Silvestro del 3. Ordine di S. Francesco, quale habitava nel Monasterio di S. Nicolò appresso S. Ambrosio, & essendo rotto dalle parti di sotto da tutte due le bande, mentre che accompagnavano il B. Archangelo alla sepoltura, se gli avoti con grandissima devotione, se lui fosse sanato di quella rottura, che gli faria fare una Tavoletta, e fatto che lui hebbe il Voto, fu liberato per li meriti del B. Archangelo.

Un Nepote di Cecco da Cortona essendo rotto, fu raccomandato al B. Archangelo, fu liberato.

Una Donna moglie di Bartoccio del Zeppa dal Bottone della Villa di casa Morcia Contado di Gubbio, essendo un suo Figliuolino infermo, cioè tutto rotto, e guasto dalle parti di sotto, lo raccomandò al B. Archangelo, che pregasse Dio, che gli volesse donare la sanità, che lei farebbe dipingere il miracolo in una tavola, & la metteria alla sua Sepoltura, & faria celebrare una Messa in la Chiesa di S. Ambrosio, & fatto il Voto fu liberato da quella Infirmità a dì 8. di Genaro 1514.

Un povero vecchio, quale haveva perso la vista, si raccomandò con fede, & gran devotione, che Dio gli restituisse il lume de gli occhi, & fatto che lui hebbe il Voto di portarli una tavoletta col miracolo dipinto, fu illuminato per li meriti del B. Archangelo.

Una Donna, la quale haveva un suo figliuolino rotto dalle parti di sotto, fece voto al B. Archangelo, che se il suo Figliolino fosse liberato da quella infermità, che lei faria dipingere il miracolo, & fatto che lei hebbe il voto, il Figliuolo ribebbe la sanità.

Una Donna, la quale per otto anni era ſtata affatturata, & ſtava continuamente fuora di memoria, in modo tale, che ſempre deſiderava di far male, & era del continuo tenuta legata, & non trovando alcun remedio al ſuo male, ſu avotita al B. Archangelo con gran devotione, & per li meriti ſuoi da Dio ſu integramente liberata da quella Infermità.

Uno da Urbino, il quale era venuto nudo a viſitare il Corpo del B. Archangelo, gli fu domandato dalli Fratì la cauſa, perchè haveſſe fatto tal voto: riſpoſe, che per tal voto il B. Archangelo, l'haveva liberato dal mal caduco, & queſto fu del 1521.

F. Andrea da Civitella, quale ſtava per Conventuale à S. Ambroſio, eſſendo aggravato da una gran Febre, & afflitto da grandiſſimi dolori di capo in modo, che non trovava luogo, ſi raccomandò à Dio, & al B. Archangelo, e ricevette la ſanità.

Una Donna, quale haveva doi Figliuoli, quali erano in diſcordia infra loro, per volerſi partire d'aſſieme, & la predetta Madre ne haveva gran dolore nel ſuo Cuore, dubitando, che non ſi amazzaſſero inſieme, & fece voto al B. Archangelo ſe ſi pacificavano inſieme, ſenza farſi diſpiacere, che lei porteria un Cuore di cera alla ſepultura del B. Archangelo, & ricevette la gratia.

Una Donna, quale era inferma, & haveva portato un Verme in Corpo doi anni, & gli dava molta moleſtia, & non l'haveva mai poſſuto gittar fuora, ſi avotì al B. Archangelo, & ſubito lo vomitò, & lei fece fare un Verme d'Argento.

Un huomo, ch'haveva una Figliuola, la quale era ſtata da ſei meſi cieca, ſuo Padre fece voto di mettere una Torcia alla ſepultura del B. Archangelo, che lui pregaſſe Dio, che illuminaſſe la Figliuola, e fatto il voto, ritornò la viſta alla Figliuola per gratia di Dio, & per li meriti del B. Archangelo.

Una Donna del Contado di Peroſa, la quale era gravida, & ſtette inferma dalla Quareſima fin' alla Feſta di S. Giov. Baptiſta, & non poſſeva per alcun modo guarire, & ſtava ſpeſſe volte, come morta, fu dalli ſuoi Parenti devotamente raccomandata al B. Archangelo, che ſe lui guariva, verria à viſitare il Corpo ſuo, & gli offerirebbe la Camiſa, & una Veſte, che portava in doſſo, & gli offeriria un doppiero, & così fece, & fatto il voto fu liberata.

Una Donna, quale haveva portato una grave infermità in un braccio, fece voto al B. Archangelo, ſe lei guariva, che li portaria un braccio di cera, & fu liberata da quella infermità per li meriti del B. Archangelo.

Uno de Peroſia gli fu data una gran Ferita ſu la Teſta, in modo, che ſi credeva morire, non trovava ripoſo, fece voto al B. Archangelo, ſe lui guariva, che verria à viſitare la ſua ſepoltura, & li porteria una bella Teſta di cera, & fatto il voto, par che gli ceſſaſſe il dolore della Ferita, & preſto fu liberato per li meriti del B. Archangelo à dì 23. d'Agoſto 1522.

Berardino d'Aſſiſi ſe voto al B. Archangelo di venire ſcalzo alla ſepoltura ſua, ſe lui impetrava gratia da Dio, che lui, & il Figliuolo faceſſino pace con un ſuo nemico, & fatto il voto ricevette la gratia, fu del Meſe d'Agoſto 1522.

Un giovane ſi tagliò un ginocchio con un' Accetta, rimaſo ſtroppiato, ſi raccomandò al B. Archangelo, & fu liberato.

Un Giovane del Contado di Gubbio eſſendo gravemente Infermo di Febre, di modo che ſtava per morire, e già ſegnato con la Candela benedetta, fu avotato al B. Archangelo, che ſe lui guariva, veniria a farli dire una Meſſa, & offerirli una candela d'un bolognino, & fu ſanato per gratia de Dio, & per li meriti del B. Archangelo à dì 5. Marzo 1525.

Angelo di Betto da Foſſato haveva una ſua Figliuola d. Agoſtina, la quale haveva havuto paura, & portò queſta Infermità 3. anni, il Padre la votò al B. Archangelo, e fu liberata 1532.

Un'huomo chiamato Pantaleone da Foſſato, havendo un ſuo Figliuolino aggravato di Febre, in modo, che ſtette tre giorni continui per morire, & non pigliava cibo, fu avotito alla Madonna, & al B. Anchangelo, ſe lui guariva menarlo à viſitare la ſepultura del B. Archangelo, & farli dire una Meſſa, & fatto il voto, il Figliuolino cominciò à pigliare il cibo, & preſto fu ſanato per li meriti della Madonna & del B. Archangelo.

Fù referto, che un certo m. Benedetto di Ser Reſtoro da Fiorenza, ſendo ammalato della rottura à mal modo, & non trovava alcuno rimedio, che volendoſi far caſtrare, li Medici dubitavano della ſua vita, per eſſer lui di grande età, & portando il male adoſſo ſtava continuamente in gran dolore, e tormento. Et andando a Caſtiglione Aretino per certe ſue facende, & intendendo la fama del B. Archangelo, come ad altri, per la Fede grande, che havevano havuta in lui, & à molti haveva preſtato, & fatto molti benefitij; dove che acceſo di devotione, & intendendo, come in caſa di m. Antonio Acquiſti vi era il Brachiere, che portava il Beato Archangelo, & havendo fede, che portando d. Brachiere lui guariria di quella Infermità. Qual Brachiere dimandandolo à quelli di caſa di m. Antonio, gli fu preſtato, quale lo portò circa 20. giorni, overo 30. & con l'ajuto di Dio, & meriti del B. Archangelo, fu liberato di d. Infermità della Rottura.

F. Pier Franceſco da Bologna.

F. Antonio da Bergamo.

F. Gio. Andrea da Venetia Bagnao.

F. Thomaſo da Fabriano del terzo Ordine di S. Franceſco di Penitentia Eremita habitante a S. Nicolò.

Betto di Compagnone ſuo Familiare.



UAB Biblioteca de Ciències Socials

APPENDIX QUARTA.

VITA SANCTI BOLONII, SEU BONONII

Extracta ex Archivo Capituli Cathedralis SANCTI EUSEBII VERCELLENSIS,

Et ad Auctorem missa ab Eminentissimo Domino

CARDINALI FERRERIO

EPISCOPO VERCELLEN.

De qua superiori Lib. 2. cap. 18. num. 20.

Extracta ex Archivo Capituli Cathedralis Sancti Eusebii Vercellen. In Codice pervetusto characteribus antiquis in pergameno manu conscripto, in quo habetur Textus Sacer Libri Sapientiæ, & Libri Job, & in quo leguntur gesta, & passiones multorum Sanctorum, post vitam Sancti Augustini legitur vita Sancti Bononii Abbatis, prout sequitur.

Incipit Vita Sancti BONONII Abbatis.

BEATUS igitur Bononius, Bononiæ oriundus fuit, ibique a pueritia se sub Monastico prætextu Divinæ Servituti mancipavit. Inter cujus crepundia plurima claruere virtutum insignia. Quod a primæva ætate meditatus quid futurus erat sicut legerat, utpote omnem vitam Sapientis esse meditationem mortis, quotidie moriebatur mundo, ut viveret Christo. Quatuor principales virtutes Scripturarum assertionibus noverat appetendas, prudentiam, justitiam, fortitudinem, temperantiam, ita sibi invicem connexas, & mutuo cohærentes, ut qui unam non habuerit, omnibus careat. Quas omnes sic habuit vir Venerabilis, ut tamen emineret in singulis. Mundum, & ea quæ mundi posthabuit, Domino adhæsit, Sæcularia judicia contempsit. Legerat enim primam virtutem Monachi esse, hominum judicia contemnere, & semper Apostolicam Sententiam ad memoriam revocare, Si adhuc hominibus placerem, Christi Servus non essem. Cumque per annos aliquot in eadem Urbe in Monasterio Sancti Stephani carnem suam crucifixisset, & ætatis ac morum perfectione adoleviſſet, charismata meliora æmulatus excellentiorem viam est aggressus. De terra, & cognatione sua, & patria Domo exiit, trans maria secessum Solitudinis juxta Babylonem elegit ibi, freno durioris, & super modum continentioris vitæ corpus suum perdomuit, omnibus carnis illecebris triumphato agonitheta expugnavit. Fama igitur ejus boni odoris per totam Ægypti regionem flagrante, Principes Ægypti, & potior pars populi mira dilectione cœperunt eum amplecti, adeo ut darent ei optionem quod vellet faciendi. At cum frequenter hoc facerent, gavisus Sanctus Pater Bolonius Deo gratias egit, per quem barbarica feritas quievit, & in mansuetudinem conversa siluit, insuper inter sævitiam barbarorum intrepidus maneret ad perficienda universa opera Christianorum. Primum itaque suarum virtutum Spirituale jecit fundamentum laborando ad reparationem Ecclesiarum barbarica vastatione dirutarum. Idem quamplurimas reparavit, monasterium condidit, in quo Abbatem, & Monachos ordinavit, quorum vitam secundum regulam Sancti Benedicti instituit, de loco ad locum transibat, Verbum Dei seminabat, fides credentium crescebat, ad quorum informationem multis signorum miraculis coruscans alios ad fidem trahebat, & sicuti ager terræ bonæ fructum centesimum, sexagesimum & trigesimum producebat. Cumque quadam die ingressus navem cum mercatoribus illius Regionis Alexandriam peteret, valida & inevitabili procella subito æquore turbato nullam evadendi jam spem habentes clamabant omnes in tanto discrimine constituti dicentes, Serve Dei ecce miserabiliter perimus, & tu nobiscum, sed secundum tuam prædicationem, talem credimus Deum tuum, si oraveris ad eum, liberabit te, & nos tecum, & liberati vovemus nos Sacramentum Baptismatis a te omnino suscipere, & perfecte credere in eum. Ad cujus orationem repente vehemens maris commotio sedata siluit, & navis a Deo directa, felici cursu portum Alexandriæ sicut optaverant intravit. Et statim de navi egressis, ac de manu mortis Deo miserante ereptis, vir Dei sæpe memorandus Sacramenta Baptismatis tradidit. Per totam Alexandriam rumor beatæ ejus opinionis sonuit, quia per eum multa virtutum signa ibi Dominus ostendit. Et ne humanus favor, ut sæpe assolet, ejus mentem velo insolentiæ obduceret, clam locum deseruit, pristinam Babylonis solitudinem repetens, vigiliis, jejuniis, orationibus & universis sanctis operibus vacavit, vias vitæ quam plurimis monstravit, atque ut omnes lucrifaceret vir justus, omnibus est omnia factus. Non adulatione per potentiam appetebat potentes, nec fastidio aspernabatur. Superbos, & insolentes, memor illius invectionis, quam comminatus est Dominus, populi seductoribus dicens, væ vobis qui consuitis pulvillos, & cervicalia sub omni cubitu ad decipiendas animas, ecce ego disrumpam eos de brachiis vestris, ut non ultra capiatis animas volantes, quoniam nec prospera extollere, nec adversa noverant inclinare; pauperes sustentabat, divites ad benefaciendum admonebat; mollia strata non habebat, sed supra duram humum, subjecto cilicio, & lapide capiti subposito quiescere consueverat, si quies est dicenda, quæ jugibus orationibus dies & noctes continuabat, & membra sua mortificabat, secundum illud Davidicum, Lavabo per singulas noctes lectum meum, lacrymis stratum meum rigabo. Per idem tempus per universam Ægyptum erat ingens luctus, inter Babyloniorum enim ac Romanorum Reges gravissimæ seditionis creverat tumultus, & facto conflictu inter eos, plurimi Ægyptiorum occubuerunt, Romani vero multi perierunt, & triumpho Christianis non feliciter succedente, multo plures in Captivitatem ducti sunt, inter quos Petrus Divæ memoriæ Venerandus Antistes Vercellen., vinctus, & carcere retrusus aderat, qui nimia necessitate coactus, cautissime inquirebat, si quem forte Christianum in eadem Regione invenire posset, cujus consilio fretus liberari sperabat, & incessanter ex hoc ad Deum miserabiliter suspirabat. Sed quia certum, imo & certissimum est, quod Deus in se sperantes non deserit, Sanctum Bolonium ibidem esse Domino revelante cognovit, quem ad se devotissime accersivit, & causam Captivitatis, ac miseriæ suæ ac cæterorum per ordinem innotuit; postremo ut sibi, & reliquis per misericordiam consenderet rogavit, videlicet, ut Paganorum nexibus absoluti de tam durissima Captivitate exirent, & in patriam duce Deo, & Sancto Bononio redirent. Tunc Pater Sanctissimus magistris Carceris pretium dedit, & locum ad Captivos consolandos

dos introeundi accepit. Cum quadam die Rex Babylonis per pomerium arboribus, quibus balsamum funditur, consitum nimia jucunditate deambularet, gratiosiores Domestici ejus, inspirante Deo, quadam concordiæ regula ad invicem consentientes supplices rogabant eumdem Regem, ut Votis Sanctis Bolonii adquiesceret, Captivos, videlicet Christianos Vinculis Carceris absolutos eidem traderet, & in patriam redeundi licentiam eis cum eodem beatissimo Dei cultore, clementer concederet. Tunc Rex uxoris, & domesticorum precibus motus, Sancto Bolonio adquievit, Captivos sibi quos tenebat reddidit, insuper navigium quo singuli ad sua remearent, & omnia navigantibus necessaria contulit. Igitur Sanctus Bolonius navem ingressus Jerosolymam venit, & inde pertransiens in montem Sinai locum suæ habitationis elegit, ut sicut Moyses ibi olim susceperat legem Dei, in eodem loco Christi Confessor adipisceretur gratiam Spiritus Sancti, deinde venit Constantinopolim. Tunc Custodes navium, videntes tantam multitudinem Captivorum pavescentes speraverunt paratas esse adversus eos insidias inimicorum, & exceptoribus ad palatium missis, ex Imperiali edicto omnes sunt capti, & carcerali custodiæ mancipati. Cumque illius Urbis Dei cultores ereptionis eorum causam Deo monstrante cognoscerent, apud Imperialem potestatem operam dederunt, ut injuste capti absolverentur, & in patriam suam cepto cursu feliciter reverterentur. Quorum precibus Imperialis potestas annuit, omnes enim de Carcere eductos absolvit, & ex ærario Imperii ditatos navigio quo advenerant, cum omnibus quibus indigebant misericorditer restituit. Inde cum gaudio singuli ad propria sunt reversi. Petrus Vercellen. Episcopus pristinæ suæ Sedi jure est restitutus, & ibi præfuit multis temporibus. Interim Servus Dei Divinæ legi se mancipaverat in monte Sinai, ubi tantarum virtutum signis claruit, quibus totam Jerosolymarum viciniam sacrosanctæ opinionis bono odore replevit. Non multo post Vercellen. Diœceseos Locedien sis Abbas obiit. Post cujus obitum Petrus prænominatus Pontifex, nunciis ad eum directis, eumdem ad se accersivit, & nimiis & inevitabilibus precibus eum rogavit ut defuncto Abbati succederet, & locum, & omnes Commissos secundum Deum regeret. Cumque circa se Dei voluntatem intelligeret, nec diutius resistere posset, invitus pater Monachorum effectus multis ibidem cœpit coruscare virtutibus. Sed hostis antiquus, qui omnino, sicut suum est, invidet bonis operibus, adversum Sanctum Pastorem, pugnæ conflictum adsumpsit, & Monasterium quodam procellæ turbine commovit. Ille vero memor illius Evangelici, si persecuti vos fuerint in una Civitate, fugite in aliam, Scandalum humiliter declinavit, atque inde recedens in partibus Tusciæ habitavit. Ubi reparato ad plenum Monasterio, & secundum legem Dei, & Sancti Benedicti institutum, sicut consueverat ubivis locorum, claruit multorum indiciis signorum. Interim dum prioris loci commotio sedata quievit, & Domino revocante ad Monasterium Locedien se rediit, ut ibi plantatos Clementia supernæ dispensationis ramos itidem diffunderet piæ conversationis, & per multa annorum curricula plurima ibi fulgerent virtutum suarum insignia. Ille Angelicus vir semper latere quærebat, illud commemorans, Cum feceritis, quæ præcepi vobis, dicite: Servi inutiles sumus, quod debuimus facere, fecimus. At cum multo tempore ad construendum Domicilium Dei, vivis, & insensibilibus lapidibus laboraret, & in omnibus irreprehensibilem se exhiberet, & jam tempus immineret, ut remunerante Deo sui Agonis bravium reciperet, consummato opere fratribus valefecit, & spiritum Deo reddidit anno Domini 1026. Post cujus obitum evidenter apparuit quantus, & qualis in vita fuit. Nam ad ejus Sepulchrum plurimas ægritudines curatas novimus, & de die in diem meritis ipsius fidem credentium informari gaudemus, sicut olim verbis Sanctæ prædicationis, etiam nunc miraculorum signis. Dæmonia fugantur, Cæci illuminantur, qualibuscumque morbis languidi curantur, & manifeste Sanctificatus Sanctis in Cælo est coæquatus. Post cujus transitum Ardericus Vercellen. Ecclesiæ Venerabilis Episcopus Divino Spiritu illustratus, ut debitam devotionem erga tantum Christi confessorem impenderet, super Sanctissimum ejus Corpus Altare erigendum, & dedicandum devotissime adjudicavit. Clero igitur, & populo totius ordinis, & ætatis, ac utriusque sexus in unum convenienti, ex hac causa verbum fecit, ut conniventia, ac faventis resolutione plebis firmaretur exordium tantæ religionis. Sapientia itaque Sacrosancti Pastoris, & plausu totius gregis competenter sancitum est, ut idem Pius Pontifex, ut rata fieret ejus Sententia, & populi obedientiam ex hoc adquireret, Apostolicam auctoritatem, quæ supereminet omnem Sæculi potestatem, & ut religio esset devotior, & Beatissimi Bolonii Commemoratio celebrior, idem memorandus Pontifex Romam abiit a Domino Joanne Summo Pontifice, & Universali Papa Apostolicam auctoritatem adquisivit, & inde regressus summa gratia, & totius plebis lætitia Altaria erexit, & consecravit adjuvante Domino nostro Jesu Christo, qui cum Patre, & Spiritu Sancto vivit, & regnat in sæcula sæculorum. Amen.

In alio Codice pariter Characteribus antiquis in Pergameno manu conscripto, in quo leguntur gesta, & miracula aliorum Sanctorum, post vitam Sancti Philiberti Abbatis habetur de Sancto Bolonio Abbate, prout sequitur.

Incipit Vita Sancti BOLONII Abbatis, quod est tertio Kalendas Septembris.

NOCTURNIS igitur hymnis, atque laudibus, temporibus peractis, mos erat Beati Bolonii moratorio remorari, ubi vacans uberrimis fletibus, & oraminum obsecrationibus pro statu Sanctæ Dei Ecclesiæ, & omnibus fidelibus vivis, atque defunctis, quanto secretius valebat non humanæ laudis appetitum desiderans, dum jugiter supplicabat. Ea vero dum hæc agerentur frater quidam nomine Liutefredus vir magnæ reverentiæ provectæque ætatis, cupiditate victus, videns pulchram candelam in Candelabro fubripuit, & extinxit, atque in sinu repositi suo.

Quod dum faceret, Dei justo, & occulto judicio meruit percuti ab Angelo. Hoc autem ipsum latuit tunc temporis nil mali sentientem. Sed & candelæ ablatio, & Angeli percussio Beatum non latuere Bolonium, cujus perpurus mentis intuitus, omni luvione pulsa, sedulo in extasi raptus Cælestia penetrabat, quippe ejus Sancta vita nec etiam levi famine erat maculata. Mane autem facto, primaque hora diei celebrata, ac facta fratrum ex more collatione, Beatus Bolonius in eorum resedit conventu. Et dictis dicendis, & juste misericorditer correctis corrigendis, ut pater filium, & fratrem præfatum pro candelæ subreptione clementer increpavit. Qui licet invitus tamen reddidit quod fuerat jussus. Inde vero egressus, & singulis, ad sibi injuncta peragenda occupatis, quibusdam ex ipsis ad se accersitis, quod in eo factum esse cognoverat, Vir Dei inhærendo aperuit dicens, filioli scitote fratrem illum modo infirmaturum, & hac de clade vix mortem evasurum, ite, & ei luctum in domo infirmorum construite, eumque cum magna diligentia custodite. Qui suscepto, & peracto jubentis Imperio, eidem jam aliquid mali patienti occurrentes, quæ a Dei famulo audierant, & fecerant innotuerunt. Ipse namque non multa adhuc infirmitate se videns gravari sibi relata per nimium parvi pendit, & non futurorum ipsius præsagio, sed amentiæ stultiloquio deputavit. Qui graviter crescente dolore, ut sententia Viri Dei esset veridica, ita est ea die viribus corporis destitutus, ut de ejus vita funditus desperaretur, sicque per multos dies mansit. Et ut ipse postea solitus erat referre, nunquam ea de infirmitate convalescceret, & proculdubio credi licet, nisi Beatus Bolonius suis meritis, & orationibus pro eo intercederet.

Aliud quoque narro miraculum, quod valde constat venerandum; beato namque Bolonio ab adolescentia sua omni tempore corpus suum cum vitiis, & concupiscentiis crucifigente, omnino spretis quatuor præcipue victibus, scilicet carnibus, adipibus, ovis, & caseis, dum morem abstinentiæ vini in Paschali festivitate vellet observare, quo tantum in diebus quibus Eucharistiam accipiebat propter stomachi eversionem permodicum gustando, vase vix semisse apparente utebatur, non ei permisit Clementia superna. Qui dum in præfata die, rite celebratis mysteriis Divini Officii ad mensam accessif-

ceſſiſſet, & miniſter juxta conſuetudinem in duobus vaſis in uno vinum, in altero vero aquam bibere detulit. Quod vas videlicet aquæ, dum facto Signo Sanctæ Crucis, ori admiſiſſet, eam vinum factam invenit. Accitoque miniſtro dixit, cur mihi ſolita conſuetudine aquam non propinaſti? Qui reſpondens ait, etiam Domine Pater, en inquit, Vir Dei experire, & ſi ſit aqua, an vinum per temetipſum addiſce. Ille vero bibere non diſtulit, & inveniens aquam vinum factam, multa admiratione perculſus obſtupuit. Et accipiens ſciſum foras vinum ejecit, atque ad fontem recurrens, inde aliam limpham beato Bolonio reportavit, quam Signo Sanctæ Crucis facto, & nomine Sanctæ Trinitatis invocato cum iterum ad os miſiſſet, inventa eſt optimi meri ſaporem habens. Tunc vir ſæpe memorandus tanquam irato animo dixit, non tibi amens vinum, ſed aquam præcepi deferre. Scio inquam miniſter valde admirans Domine Pater ſcio, teſtem Deum invoco, quia & illa & hac vice, ego ipſe ad fontem ivi, & meis manibus aquam extraxi, & huc ad te devexi. Beatus vero Bolonius illi non credens rurſus aliam imperavit aquam afferri; quæ & ipſa converſa in optimum vinum, propriam mutavit naturam. Quo viſo Beatus Vir, cujus voluntas fuit in lege Domini die, ac nocte, maximum habuit ſtuporem, atque recognita Dei pietate circa ſe miſerationem agente, ei grates dignas retulit. O Virum vere per omnia laudandum cunctorumque bonorum laudibus extollendum, ſcriptum eſt enim ut illicita committentes licitis interdum non utantur. Ipſe enim hujus præcepti non immemor, ut quotidie mortuus mundo, viveret Deo, hanc auctoritatem tranſiliens, etiam in die Reſurrectionis Dominicæ nedum in aliis, ac ſi illicita committeret, pleriſque licitis nullo modo fruebatur. Maxime cum ea die peccatoribus venia indulgentiæ conceditur, & animabus jam carne ſolutis cauſam purificandi pro commiſſis ſupplicio deputatis, requies exhibetur. Quin etiam hominum favorem effugiens, ut hæc indulgentia a Deo ſibi præſtita omnes lateret, eundem miniſtrum qui ſolus hoc noverat ad ſe vocavit, & ne quouſque hominem exiret divulgaretur interdixit.

Beatus Bolonius pro cauſa Monaſterii cum ſuis militibus in itinere directus, a quodam ruſtico in hoſpitio devote eſt receptus. Cui ſuiſque refectis, appropinquante nocte, Domus parvitate in ea jacendi facta difficultate ſub dio lecta præparata fuerunt, ſed ruentibus Cæli imbribus in eiſdem quieſcere nequiverunt. Domum igitur introierunt, & utcumque valuit ibi ſe quiſque collocavit. Chriſti vero Servus Bolonius ſuper quoddam vaſculum, ubi panis ſolebat confici, ſua ſancta membra dedit quieti, pro cujus honore vas illud poſtea veneratione habitum, donum non filendum accipere meruit, deinde dum panis ſubcinericius ex uſu ibi pararetur, operante Divina Clementia abſque levamine perſæpe fermentatus eſt repertus, ut qualis, ac quantus eſſet vir ille, quem ſuſtulerat, inſinuaretur. Quod inſolitum, & inauditum videntes illius Domus homines multum admirari cœperunt, ſed recolentes Beatum Bolonium ibi ſuperjacuiſſe, id ejus meritis fieri non dubitaverunt. Qui donec in carne manſit ſui Domini acceptam pecuniam, non intra abſcondendo, ſed negotiando quantum potuit multiplicare ſtuduit, unde recepta mercede in Cælo, & in terra honorari, & exaltari meruit.

Fuit quoque fœmina liberorum procreandorum aviditate plena, ſed a propaginum fœcunditate per multorum annorum curricula aliena. Quæ prolem gignendi medicinis ſuſceptis fruſtra concipiebat, & pariebat, quia ſibi juſto Dei judicio prohibente diu vivere nequibant. Illa vero ſuorum pœnitens commiſſorum, audita ſancta opinione Beati Bolonii ad eum devenit, & ſupplex ejus meritis provoluta, cujus rei gratia adveniſſet patefecit. Quam ſuis ſanctis inſtructam monitis, ei indicta pœnitentia in ſuis ſacris orationibus Dei prædictus famulus ſuſcepit, eamque cum gaudio ad propria remiſit. Et quouſque vixit concipiens, & pariens meritis Domini Confeſſoris filiis, & filiabus non caruit. Nec mirum ſi tanta, ac talia valuit obtinere apud Dominum, cum ipſe ſemper fuiſſet bonæ terræ ager, qui ſuſcepto ſemine, centeſimum obtulit fructum.

Quodam tempore dum contigit, eum iter facere, & in quodam vico ad domum cujuſdam cauſa hoſpitandi declinare, auditum eſt a quadam femina febricitante eum ibi adeſſe. Quæ feſtinans eo venit, & quis eſſet ſuſurrus aquas ejus manibus perquirendo invenit. A quo dum peteret aquas ejus manuum, ſciebat enim plurimos ſoſpitatem conſeguutos per hauſtum earum, reſponſum eſt illi, hoc minime facere audeo, quia coram eo, ſolito more in terram projicio, ſed me ei aquas dante, prope adeſto, & dum in terram fudero, brachiale extendens non tantum ſponte, ſed caſu, & tamen quo plus latenter poteris eam ſuſcipe, domumque regrediens ablue, atque eandem lavaturam confidenter ebibe, quia ſine ſpe poſſibilitate vana eſt petitio cujuslibet cupiditatis. Quæ ſiquidem mulier viſa non multum diſtare ab ea, quæ accedens retro tetigit fimbriam Domini, fecit quod ſibi fuerat imperatum, & illico convaluit, atque ei Dominus priſtinam ſanitatem ſui famuli meritis reddidit.

Inter cetera quæ refero, nec illud ſilendum puto, quod meæ accidit Matri interceſſione illius. Quæ cum eſſet frigoretica, & nimis inde laboraret, ad eum venit, atque ſuis ſe orationibus commendare ſtuduit. Quam ipſe vir venerabilis ſatis benigne gratanterque ſuſcipiens, ſeque Dominum pro ea rogaturum promittens, tali prorupit in voce: Vade, & amplius noli febricitare. Continuo namque melius habuit, & citius inde profecta convaluit.

Alio quoque tempore, dum idem beatus vir iter faceret, contigit ut apud quoddam Caſtrum, in quadam domo ad hoſpitandum declinaret. Ubi opacæ noctis tempore, tanta lucis claritas ſuper eum refulſit, ut a quibuſdam non longe manentibus tota illius domus fabrica, in qua excubaverat, igne conſumi putaretur. Qui conſurgentes ſub celeritate illuc perrexerunt, ſed ab eorum oculis ſublato lucis ſplendore eam inuſtam invenerunt. Quam videlicet claritatem nulli conſtat dubium fuiſſe ob ejus merita. Nec mirum, cum ipſe Dei famulus a puerili ævo, toto conamine opera tenebrarum perfecte abjeciſſet, & armis lucis, & fidei optime indutus eſſet. Hoc idem & poſt ejus tranſitum in cellula, in qua dum in corpore viveret recumbebat, frequenter, & a multis viſum eſt. Unde aperte patet, quia ibi Sancta ſtuduit, & opera a Deo ſatis placita ab eo ſunt peracta.

Cum idem Dei famulus alio etiam tempore eſſet apud quemdam vicum in domo cujuſdam matris familiæ, ab ea multis rogatus eſt precibus ut ibidem dignaretur prandere. Qui ejus obſecrationum inſtantiam videns, votis ipſius adquievit. Menſa namque appoſita, ad prandendum diſcubuit. Ubi autem conſumpta eſſent edulia quæ haberi poterant, ſi ficus quiviſſet habere inquiſivit. Cui quidem ſuus pater a prædicta Matrona paulo ante ut ficus Dei famulo miſſus reſpondit. Ego enim ad colligendum ivi, ſed omnibus diligenter circumſpectis, & immaturis repertis neminem ſumpſi, cui Vir Dei, Vade ait, & collige, nobiſque huc defer. Presbyter vero Sancti Viri præcepto obediens, ad eaſdem quas adierat ficus rediit, & ut eodem referente cognovi tot in eis maturas invenit, quot Viro Dei, & omnibus qui cum eo erant ſufficere potuerunt. Unde credentium fides informari ſimul debet, & augmentari. Nam unicus ſummi Patris omnium Dominus Servo ſuo præſtitit, quod ipſe quærens fructum in ficulnea ſibimet non exhibuit. Spopondit enim in ſe credentibus, Opera quæ ego facio, facietis, & majora horum facietis.

Quoniam aliqua quæ vivus peregerat prout quivimus ſummatim ſcribendo perſtrinximus, ad recolendum ea, quæ poſt tranſitum egit, Domino adjuvante ſtylum vertamus.

Anno igitur Incarnationis Dominicæ Milleſimo, Vigeſimo Sexto tempore dormitionis ſuæ in Domino accedente, gaudentibus Angelis, & flentibus populis, Beatus Bolonius tertio Kal. Septembris ad omnium bonorum remuneratorem feliciter perrexit, braviumque ſui agonis, ut optimus athleta accepit. Quo defuncto, ita confeſtim ejus Sanctitatis fama totam per provinciam circumquaque eſt diffuſa, ac ſi præcones mitterentur, quibus is objiſſe, & per eum ſigna fieri narrarentur. Quod audiens quidam validis compedibus vinctus, atque in carcerali cuſtodia magna cum diligentia poſitus, cœpit ingemiſcere pectuſque pugnis tundere, & ad Deum toto mentis affectu preces fundere. Si vera inquiens ſunt Chriſte, quæ de famulo tuo Bolonio auditu comperi, ejus quæſo meritis, & interceſſione, fac miſericordiam mihi, ut per me liberatum a tantis quibus crucior doloribus nomen tuum, & Servi tui magnificetur, & hoc miraculum tuæ dexteræ potentia factum cunctis intimetur, ut majora his quæ fieri in præſentiarum perhibentur, ejus interventu futura eſſe ſperentur. Hoc autem cum diu eſſet oratum, ſolutis vinculis Domini miſeratione, tantique Confeſſoris ſupplicatione ſe exauditum cognoſcens, abſque mora exiit, & eiſdem vinculis ſumptis ad ejus Sacri Corporis tumulum feſtinato greſſu devenit, & ibi eadem, quæ

mul-

multo tempore manserunt, suspendit, ac gratias agens Deo Sanctoque Confessori Bolonio, qualiter ei accidit per ordinem nobis narravit.

Eodem vero anno quo ipse Sanctus Dei Bolonius ex hac vita ad ineffabilem polorum gloriam migravit, quidam Frater, cui ipse habitum Sanctæ Conversationis tradidit, adeo acri dentium dolore torquebatur, ut etiam inediam diesque, ac noctes continuatim insomnes duarum hebdomadarum spatio pateretur, atque ei omni quiete amota per Cœnobii circuitum quasi amens vagaretur. Nocte autem quadam post multam fatigationem dum caput in gremio infirmorum servitoris ponens modicum somni caperet, apparuit ei Sanctus Bolonius, qui festinus surgens, ut sibi per somnium videbatur, ob honorem tanti Patris ad ejus sacra vestigia osculandum prorsit. Sed eum Vir Venerabilis amiciter per mentum accipiens erexit. Ad cujus tactum illico omnis dolor est fugatus, simulque Frater ille infirmus a somno quo tenebatur est excitatus. Hoc autem facto obsequentem sibi vocavit dicens, jam enim Sancti Bolonii visione, & consolatione omni dentium careo dolore. Sicque sospitate recepta in eadem omni vitæ suæ tempore mansit.

Quædam fœmina ab adolescentia conjugio copulata videns sibi non nasci filios, neque filias, una cum viro suo nimio tædio, ac mœrore afficiebatur. Hæc autem ut sui uteri sterilitatem amitteret, dum multa illicita, quæ putabat prodesse, faceret, cognovit se in vanum laborare, quod tentaret velle Dei per sua maleficia superare. Meliore siquidem consilio Divinitus inspirata erogans multas eleemosynas pauperibus, ac insistens assiduis orationum precibus, se funditus vertit ad Deum, qui solus est verum, & unicum miserorum præsidium. Non multo post tempore evoluto dum sopita dormiret, vidit in somnis, quod si ex stillicidiis pluviæ stillantis a domo in qua vir Beatus degit, haberet, atque potaret, a suo desiderio fraudata non esset. Quæ a somno expergefacta, visionem suam non distulit intimare marito. Tempore namque opportuno adveniente, una cum viro suo ad jam memorati patris Monasterium devenit, atque ex aqua quam desiderabat, per quendam sibi norum ab ea rogatum accepit. Qua denique exhausta, domumque regressa, paucis transactis diebus concepit, & peperit, atque intervenientibus beati Bolonii meritis, utriusque sexus prole deinde fœcunda permansit.

Homo quidam erat fratricidii pœnitens, qui habebat mucronem, cum quo peremerat fratrem fixum in ferreo circulo circum dextrum brachium strictius posito, cute, & carne jam supereminente. Hic cum esset in septimo pœnitentiæ suæ anno, multorum Sanctorum Ecclesiarum limina calcando in die ejus natalis venit, ubi beati Bolonii corpus jacet humatum. Qui flens, & ejulans ex intimo cordis, alta trahens suspiria, Dominum precabatur, sibi propitium fieri intercessione sui tanti famuli. Cumque diu orationi instaret, & Sanctum Confessorem Bolonium in suo suffragio invitaret, & Christi Clementia subveniente, coram multa turba virorum, & mulierum circulus repente fractus, & valde abjectus a brachio cecidit, qui ante ejus Altare ad hujus rei memoriam multo tempore pependit. Unde intelligi datur, quia similiter ab animæ reatu eadem hora est liberatus.

Eodem quoque die quidam ab infantia mutus proprii sermonis recepit usus, a cujus ore multum sanguinis decidit, quod signum fracturæ linguæ vinculi extitit. His namque visis miraculis quippe majorem spem, & fidem in Deo amplioremque devotionem, & venerationem in ejus Confessore inde habentes cum gaudio ad propria redierunt. Tua sunt Domine Jesu Christe hæc opera, & cui vivo semper adfuisti, nunc mortuum magnificas, a quo hac in vita degente fideliter magnificaberis. Qui lucerna lucens non sub modio latuit, sed super candelabrum positus, omnibus in domo tua nobiliter splenduit.

Alio vero anno in die natalis ipsius, dum ex multis partibus Orbis plurimi ad ejus Sacri Corporis tumulum confluerent Dominum adoraturi, & confidentes ejus interventu, ab instantibus, & futuris malis posse liberari, ipsius suffragia rogaturi, quædam fœmina a Dæmonio vexata multis Ecclesiis pretiosissimorum Sanctorum petitis, a nemine illorum ejus depulsione concessa, illuc deducta est. Cujus Ecclesiam mox ut fuit ingressa, Dæmon se graviter torqueri, & ardere orationibus Bolonii vociferans incessanter clamabat. Per triduum autem ibi stetit, & Sancti Confessoris supplicatu multis coram præsentibus, ab ea illud vomente cum sanguine pietas Divina Dæmonium ejecit. A quo plasma Dei jam diu possessum corde fugiente magnus factus est strepitus. Coronam argenteam super altare ejus dependentem percussit, & auditis, & visis ictibus, ipso non viso ictore, miro modo in unum collegit, & tamen non eam omnino dissolvit.

Alia quoque fœmina dum jacens in partu sitiret aquam petiit, eamque oblita facere Signum Sanctæ Crucis bibit, sicque spiritus Fumaret, quo nomine ipse interrogatus se vocari perhibuit, eam invasit malignus. Quam post partus purificationem ad quandam Ecclesiam in ejus honore dedicatam, perductam a Presbyteris, Monachis, & ceteris fidelibus prius facta Oratione, & omnium Sanctorum invocatione, per virtutem Domini nostri Jesu Christi conjuratus, coactus, & confusus Dæmon Sancti Confessoris interventu deseruit, & confusus ut fumus, a quo videtur vocabulum sumpsisse, evanuit, nec ad eam ultra redire præsumpsit.

In eadem quoque Ecclesia aliud constat esse actum miraculum multa admiratione venerandum. Erat quidam Villicus cujusdam Marchionis, vir multæ crudelitatis, qui ut aliquid sibi quolibet ingenio raperet, ad eas partes ubi Ecclesia beati Bolonii sita est se ire disposuerat. Quem illuc venturum homines qui ibi habitabant cognoscentes, quæque sua mobilia fugientes ad suprascriptam Ecclesiam detulerunt. Circum quam dum multi sues adessent, & ut illorum est, rimando per Ecclesiæ Cœmeterium discurrerent, ipsius muros tetigerunt. Unde quodam contagio ita in renibus sunt percussi, ut inde sanguis omnem vim amitterent, & ea die, excepta una sue, cuncti interirent. Quam videlicet suem dum rusticus cujus erat mirabiliter contractam, & moribundam videret, votum vovit Domino, & Sancto Confessori Bolonio quod si inde convalesceret unum e prioribus quos fœtu gigneret in ipsius Ecclesiæ servientium stipendio offerret. Facto autem voto mox ipsius sus sana efficitur. Quibus villico dictis non fuit incredulus illis. Nec mora, confestim equum ascendit, & quod cognoverat auditu, ut certius sciret venit cognoscere visu. His denique visis, quodam tunc timore, & amore compunctus, ecclesiam est ingressus. Vovitque Domino, & Sancto Bolonio, hominibus in illius Ecclesiæ finibus commorantibus se unquam nil mali facturum, & a gravitate sua deinde cessaturum. Qua ex re evidenter ostenditur quantæ gratiæ, & cellitudinis beatus sit Bolonius apud Omnipotentem Dominum, qui ejus vitam a quibusque custodivit immundis, cujus Sacra loca immundos sues non passus est tetigisse impune. Unde quorundam hominum feritas minueretur, & sub ipsius obtentu viventibus securitas, & protectio major tribueretur.

Tantorum fama miraculorum longe lateque diffusa, quidam adolescens Adam nomine confidens se Sanctissimi Confessoris meritis ab infirmitate sua liberari, advehitur. Qui pene etiam ab ipsis cunabulis ita erat contractus, ut cohærentibus calcaneis, natibus non plantis passus faciendo, sed scamnellis, manibus subpositis rependo incederet. Tribus denique diebus continuatim, & noctibus, ad memorati, & memorandi almifici Confessoris altaris crepidinem jacens, ipsius suffragia postulans, quod optaverat Domino largiente sui famuli intercessione accipere meruit. Cui hora suæ curationis redeunte sospitali vigore, tantus æstuationis calor adfuit, ut etiam interulam, qua erat indutus exueret, & nudus maneret, hiems tamen erat. Sanitate vero concessa, recessit ab eo caloris nimietas, sicque sospitati redditus in eadem penes nos usque hodie manet, sui Sanatoris Ecclesiæ serviens, & Deo, & ipsi gratias referens.

Per idem tempus alius quoque æger nomine Heli ætate grandævus, miserabili, atque diutina forte diræ Pestis damnatus advenit. Qui utrorumque pedum officio carens, genua per terram trahendo, & manibus scamnella habendo incedere solitus erat. Hic accedens ad Sacri Corporis Confessoris sepulchrum ejus postulavit auxilium, cujus ad nutum, gratia sanitatis est donatus pristina. Qui in eadem adhuc degens, Deo, & ipsi Sancto Bolonio pro sua erectione laudes refert, & quidquid servitii potest, ipsius Ecclesiæ servientibus devote exhibet.

Quadam die Comitissa quædam nomine Vuaza Wilielmi Marchionis uxor multis stipata militibus venerat oratum ad Ecclesiam ubi beati Viri Corpus jacet humatum. Quæ dum super Altare ejus missas celebrari faceret, & præsens ibi cum suis, & aliis pluribus adesset, quidam mendicus ferens filium in scapulis, cujus pes, & manus sinistri lateris paralytico morbo aruerant, eam adiit, & ab ea alimonia sibi, & nato petiit. Illa vero pietatis viscere immota non solum ei non tribuit, verum etiam increpanter, & exacerbanter propter suam im-

improbitatem, ut a ſe diſcederet præcepit. Non mihi eſt inquiens tantarum copia opum, quæ mihi, & omnibus a me petentibus ſufficere poſſit. Præſtantius enim eſſet te iſtius Sancti Confeſſoris rogato Suffragio, ut tuo ſanitatem reddat filio, Domini miſericordiam implorare, qui dando poſtulata non minus theſaurizat Pſalmographi præconio impleto dicentis, Tibi enim Domine derelictus eſt pauper, pupillo tu eris adjutor. Homo autem ille quod audivit, facere non diſtulit. Filium ſiquidem de ſcapulis deponens propter Sacri Corporis tumulum proſtravit, ac genibus flexis, & precibus fuſis, demum ad petendum eleemoſynas hac, & illac per Eccleſiam feſtinando diſcurrit. Interea dum pater abeſſet, opitulantibus meritis almi Confeſſoris, præfato puero ſummi Dei bonitas non tarda fuit, & cui eleemoſyna denegabatur, ut claudo ad portam templi ſedenti, argento, & auro carius, membrorum ſcilicet ſanitas donatur. Hoc namque viſo miraculo magnus eſt factus plauſus exultationis ad laudem, & gloriam omnium Creatoris ejuſque Confeſſoris. Mox autem hujus facti fama per cunctorum aures volitante illuc ab omnibus concurritur, inter quos, & pueri pater regreditur, quid vero, & qualiter actum ſit exquiritur. Tunc præfata Comitiſſa, quomodo ſe res habuit cunctis exquirentibus innoteſcere non piguit. Taliter vero Omnipotens Deus, qui mira cuncta diſpenſatione agit, hoc miraculum mundo propalari voluit, ut ſervus ſuus hic veneratior, & celebrior haberetur. Et quia teſtante Scriptura, Signa infidelibus dantur, ut ab infidelitate declinantes diſcant ſperantes in Domino non deficere omni bono, Cujus laus, & gloria per cuncta ſæcula ſæculorum. Amen. Explicit vita Sancti Bolonii Abbatis.

F. Carolus Vincentius Ordinis Prædicatorum miſeratione Divina Tituli Sanctæ Mariæ in Via Presbyter Cardinalis Ferrerius Epiſcopus Vercellenſis &c.

Univerſis, & ſingulis fidem facimus, ac atteſtamur, præmiſſa omnia fideliter extracta fuiſſe ex vetuſtis Codicibus prædeſignatis in Archivio hujus Noſtræ Cathedralis Eccleſiæ ab antiquo fideliter, & tuto adſervatis: in quorum omnium, & ſingulorum fidem has dedimus, & Sigilli Noſtri munimine voborari juſſimus. Dat. Vercellis ex Palatio Noſtro Epiſcopali die vigeſima ſeptima menſis Julii milleſimo ſeptingenteſimo trigeſimo ſecundo.

F. C. V. Cardinalis Ferrerius Ep. Verc.

I. F. Novareſe Cancellarius.

UAB Biblioteca de Ciències Socials

APPENDIX QUINTA.

OFFICIUM PROPRIUM SANCTI BONONII,

Quod olim in Eccleſia Vercellenſi recitabatur,

Et de quo ſuperiori Lib. 2. Cap. 18. num. 20.

Extracta ex Archivio Cathedralis Euſebianæ Vercellenſis de S. BOLONIO, ſeu BONONIO Abbate Leucedienſi.

In Antiphonario antiquo, in quo leguntur geſta Sancti Euſebii, notis muſicalibus ſignato, poſt antiphonam Sancti Bartholomæi Apoſtoli, habetur Antiphona Sancti Bolonii, ut ſequitur:

Rubr. in S. Bolonio.

Antiphona.

PASTOR inſignis meritis, & laude digne Boloni, ſupplicanti Populo clementi pietate ſubveni, ut plebs ad te clamans, pium patronum, verumque interceſſorem ſe apud Dominum in quocumque diſcrimine ſentiat.

In Miſſali antiquo ſecundum ritum Euſebianum ſub die 30. Auguſti hæc habentur.

Rubr. S. Bolonii Confeſſoris.

Oratio.

DEus Mundi auctor, & conditor, qui hodiernam diem præclaræ feſtivitatis Beati Bolonii migratione conſecraſti: præſta nobis, quæſumus, ut cujus annua celebritate, devotis exultamus obſequiis, ejus ſuffragiis, tuæ pietatis conſequamur auxilium. Per Dominum &c.

Secreta.

OMnipotens ſempiterne Deus, qui Beatum Sacerdotem, & Confeſſorem tuum Bolonium, & Sacerdotii officio, & fidei munere ſublimaſti, tribue ſupplicibus tuis, ut quidquid peccati contagione contractum eſt in nobis, ipſo pro nobis interveniente ſolvatur. Per Dominum &c.

Poſtcommunio.

EXaudi nos Domine Sancte Pater Omnipotens æterne Deus, & Beati Sacerdotis, & Confeſſoris tui Bolonii meritis hanc plebem tua ſolita miſeratione cuſtodi, benignitate conſerva, pietate ſalvifica, ut in æterna illi patria jungatur patrono, cujus hic exultat in feſto. Per Dominum &c.

In Libro antiquo inſcripto: Liber orationum, ſeu precum: poſt orationem SS. Martyrum Felicis, & Adaucti legitur, ut ſequitur.

Rubr. eodem die S. Bolonii Abbatis.

Oratio.

AUctor omnium bonorum Deus, qui omnibus humiliter te invocantibus clementer ſubvenis: præſta, ut ſicut Sanctum Confeſſorem tuum Bolonium exultare facis in gloria, ſic ejus interventionibus cuſtodire digneris Sanctam Eccleſiam tuam ab hujus ſæculi illecebris impollutam. Per Dominum &c.

In vetuſtiſſimo Codice ſignato Breviarium ſecundum uſum Eccleſiæ Vercellen. *antiquiſſimis Characteribus, & vix intelligibilibus in pergameno conſcripto, ſub 30. Aug. habetur Officium Sancti Bononii Abbatis, ut ſequitur &c.*

Antiphona. Paſtor Inſignis &c.

Oratio. Auctor omnium bonorum.

Deinde, poſt commemorationem SS. Felicis, & Adaucti, leguntur Lectiones, ut ſequitur.

Rubr. Incipit vita S. Bononii Abb.

Lectio Prima.

BEatus igitur Bononius, Bononiæ oriundus fuit, ibique a pueritia, ſe ſub monaſtico prætextu, Divinæ Servituti mancipavit, inter ejus crepundia, plurima claruere virtutum inſignia.

Lectio Secunda.

QUod a primæva ætate meditatus, quid facturus erat, ſicut legerat, utpote omnem vitam ſapientis eſſe meditationem mortis, cotidie moriebatur Mundo, ut viveret Chriſto.

Lectio Tertia.

QUatuor principales virtutes Scripturarum aſſertionibus noverat appetendas, prudentiam, juſtitiam, fortitudinem, temperantiam, ita ſibi invicem connexas, & mutuo cohærentes, ut qui unam non habuerit, omnibus careat: quas omnes ſic habuit vir venerabilis, ut tamen emineret in ſingulis.

Prædictæ Lectiones in Breviario Euſebiano typis impreſſo Venetiis anno 1504. cum Privilegio Canonicorum Sancti Euſebii Vercell. leguntur, ut ſequitur.

Lectio Prima.

BEatus igitur Bononius Bononiæ oriundus fuit: ibique a pueritia ſe ſub Monaſtico habitu, Divinæ ſervituti mancipavit. Inter cujus crepundia plurima claruere virtutum inſignia. Qui a primæva ætate meditatus, omnem vitam Sapientis eſſe meditationem mortis, quotidie moriebatur Mundo, ut viveret Chriſto.

Lectio Secunda.

QUatuor principales Virtutes Scripturarum aſſertionibus noverat appetendas, prudentiam, juſtitiam, fortitudinem, temperantiam, ita ſibi invicem connexas, & mutuo cohærentes, ut qui unam non habuerit, omnibus careat: quas omnes ſic habuit Vir venerabilis, ut tamen emineret in ſingulis.

Lectio Tertia.

MUndum, & quæ Mundi ſunt poſtpoſuit: Domino adhæſit: Sæcularia judicia contempſit. Legerat enim primam virtutem Monachi eſſe hominum judicia contemnere, & ſemper Apoſtolicam Sanctimoniam ad memoriam vocare, Si adhuc hominibus placerem, Chriſti Servus non eſſem.

UAB Biblioteca de Ciències Socials

APPENDIX SEXTA.

PROPRIÆ LECTIONES,

QUÆ RECITANTUR IN OFFICIO

SANCTI PETRI EPISCOPI VERCELLENSIS,

& in quibus plura habentur de Sancto BONONIO.

Quarum nempe Lectionum mentio facta est superiori Lib. 2. Cap. 18. num. 20.

PETRUS Episcopus Vercellensis, Patriæ Cæleſtis ſitiens præclaris Religionis ſtudiis ſe in Epiſcopali munere excitavit ad omnem eximiam Pietatis Chriſtianæ exercitationem. Is aliquando Peregrinationis Hieroſolymitanæ religioſo deſiderio ductus Babyloniam venit, quo tempore Chriſtianorum Copiæ a Babyloniorum Rege magnam cladem acceperunt; in qua ipſe cum ceteris multis captus eſt. Itaque vinculis, & compedibus aſtrictus in carcerem detruditur, ubi profuſis lacrymis continenter Deum orans, Divino admonitu, in ea Regione Monachum Sanctum, Bononium nomine, eſſe cognovit, cujus opera inde liberaretur.

DIvina igitur ope ad liberationis ſpem excitatus, ſuppliciter cum Beato Bononio egit, ut ad ſe veniret. Qui, perſpecta Sanctiſſimi Epiſcopi religioſa pietate, cognitaque cauſa, quamobrem is, & ceteri Chriſtiani eo loco in vinculis eſſent, huic, & illis opem ferre non deſtitit. Primo enim id a Cuſtode impetravit, ut ſibi ad eos conſolandos aditus in carcerem patefieret; tum Regis domeſticos, qui plurimum apud illum gratia poterant, precatus, hoc effecit, ut Petrus Epiſcopus, & reliqui Chriſtiani e cuſtodia liberarentur. Quamobrem data abeundi facultate, Beatus Antiſtes, quo magis ad omnem ſpiritualis Diſciplinæ exercitationem inſtrueretur, Sanctum Bononium ad Religionis ſtudia optime eruditum ſecum ſocium, & comitem adhibuit.

ITaque Navim Epiſcopus cum Bononio, ceteriſque Chriſtianis conſcendens Hieroſolymam venit; ubi totus meditationis ſtudio deditus, Domini Sepulchrum in primis, & reliqua illius Sacra rerum geſtarum Monimenta, ac ſingula Loca Sancta, quæ abſens intima pietate coluerat, præſens veneratus eſt religioſe. Quibus omnibus incredibili mentis ardore perluſtratis, inde Conſtantinopolim appulit. Unde Beatus Bononius, cum Hieſolymæ deſiderio ob loci Sanctitatem teneretur, eo rediit, indeque ad Sinai Montem. Sanctus autem Epiſcopus Vercellas tandem venit ad Eccleſiam ſuam. Paucis vero diebus, cum Abbas Locedienſis Monaſterii obiiſſet, hic Hieroſolymam certos homines miſit, qui illum Vercellas perduxerunt. Cujus religioſa, ſanctaque conſuetudine, & frequenti congreſſu Beatus Antiſtes ita perpetuo uſus eſt, ut Bononii ſocius vocitatus ſit. In omni autem Epiſcopali Officio ad Dei in primis Religionem, atque ad Gregis ſalutem Petrus Epiſcopus attentiſſimus, Eccleſia Vercellenſi pie, rectèque adminiſtrata, Sanctitatis laude clarus obiit in Domino Idibus Februarii.

UAB Biblioteca de Ciències Socials

APPENDIX SEPTIMA.

RELATIO ROTÆ AUDITORUM IN CAUSA BEATI PETRI REGALATI,

In qua ante judicium latum de Casu excepto a Decretis URBANI VIII. jam fuerant discussæ, & approbatæ Virtutes. Edita scilicet fuit relatio ipsa a Bollandianis ad diem 30. Martii, sed non integra: quare integra datur in hac Appendice ex Typis Romanis anni 1630.

Beati autem PETRI REGALATI, *necnon ejusdem Relationis mentio habita est superiori Lib. 2. cap. 24. num. 47.*

De Sanctitate Vitæ, & Miraculis Servi Dei F. PETRI REGALATI Auctoris Regularis Observ. S. FRANCISCI in Hispania Relatio ad Sanctissimum D. N. URBANUM VIII. Pont. Opt. Max.

Joannis Baptistæ Coccini Decani
Philippi Pirovani) *Rotæ Auditorum.*
Clementis Merlini

Extendit idem Reverendiss. D. Coccinus Decanus Anno 1630.

Sanctiss. Domino Nostro URBANO VIII. Pont. Opt. Max.

ECCLESIA, Pater Beatissime, quam in Sororem, & Sponsam secundis sibi nuptiis elegit Deus (*a*) hortus est, sed conclusus, fontes habet, sed signatos, ne scilicet furtiva voluptatum blandimenta, aut venenosa impuritatis contagia se se ingerant. Hausit hortus iste e Franciscanæ Religionis fonte tamdiu fœcundos latices, quousque prima sinceritatis, puritatisque retinuit signacula, quæ Seraphicus ille Parens in ipsius orificio posuerat adversus peccatum. (*b*) Sed, ubi superioribus sæculis humanæ fragilitas naturæ fontem hunc aquæ vivæ non consignatum, vel custoditum reliquit, (*c*) cisternasque sibi fodit dissipatas, quæ aquas continere non valent, ecce fons turbatus pede, & vena corrupta, (*d*) conversaque in sanguinem flumina ejus, & imbres, ne hortus Ecclesiæ biberet. Non diutius tamen hortus iste Franciscanum sitivit ad fontem, quando eum, revocatis antiquæ disciplinæ laticibus, nonnullorum replevit pietas; quos inter Servus Dei Frater Petrus Regalatus apud Hispanos fontis ejusdem flumina derivavit foras, (*e*) & in plateis divisit aquas pristinæ restitutas puritati, ab omnique sordium fermento emundatas, atque sanatas (*f*) ut in eis non esset ultra mors, neque sterilitas, sed viverent omnia, ad quæ torrens iste in fonte prioris Sapientiæ redundans veniret. (*g*) Hunc igitur de horto Ecclesiæ, quem Tu rite claudis, reseraque, Pater Beatissime, optime meritum tuos sistimus ad pedes, ut, quemadmodum ille sitienti effudit aquas Ecclesiæ, & anhelantem, (*h*) afflictamque Divinæ Sponsæ animam suavissimo potu replevit, sic fiat ipse tamquam hortus irriguus, & sicut fons aquæ *non deficientis in gloria militantis* Ecclesiæ. Id enim jure merito insignis adeo Viri Sanctitas deposcit, quæ non tam virtutum ornamentis, quam miraculorum splendoribus elucescit, ut manifeste constat ex serie Relationis istius, quam ad tria potissimum Capita revocabimus.

Agemus enim in primo de virtutibus, quæ sunt in canonizando omnino necessariæ, cum in illis excellentia vitæ, ac totius Sanctitatis fundamentum consistat. In secundo ea deducemus argumenta, quæ ad ejusdem Sanctitatis probationem maxime conferunt, nempe famam ipsius Sanctitatis, Sepulchri, Reliquiarumque venerationem; ac tandem miracula in promovendo ad Canonizationem pariter necessaria, ut docent Canonistæ *in cap. 1. de Reliq. & vener. SS.* ubi Innoc. *n.* 1. Hostien. *n.* 5. *ante fin.* Joann. And. *n.* 14. Anchar. *n.* 5. & passim in aliis Relationibus fuit firmatum. In tertio autem, & ultimo agemus de validitate processuum, ac legitimo testium examine.

DE VIRTUTIBUS IN GENERE.

SEd, antequam ad præcipuas Servi Dei virtutes accedamus inspiciendas, pro clariori dicendorum intelligentia nonnulla de virtutibus in genere breviter præmittemus. Sanctitas enim nihil aliud est, quam generalis quædam virtus complectens omnium virtutum actus, quos per imperium ordinat in bonum Divinum, hoc est omnium virtutum opera refert in Deum, S. Thom. 2. 2. *q.* 81. *art.* 8. *in corp.* ac propterea exigit primario Fidem, cum Spe tamen, & Charitate conjunctam; cum, proprie loquendo, aliæ virtutes sine Charitate non sint virtutes, idem Angelic. Doctor 1. 2. *qu.* 65. *art.* 4. & facit Text. *in cap. Ubi sane fides* 11. *quæst.* 3. & Gloss. *in cap. Sales circa med. in verb. Finem, de consecr. dist.* 4. Ac ideo Fides Spei & Charitati conjuncta Fides viva appellatur, idem S. Thom. 2. 2. *quæst.* 4. *art.* 4. S. Antonin. *part.* 4. *tit.* 2. *cap.* 1. *in princ.* & tres istas virtutes Theologicas nuncupamus, quia scilicet Deum habent pro objecto, in quantum per eas recte ordinamur in Deum, vel quia a solo Deo nobis infunduntur, & a sola Divina revelatione in Sacris Scripturis traduntur. S. Thomas 1. 2. *q.* 65. *art.* 1. *in corpore*.

Requirit insuper Prudentiam, Temperantiam, Fortitudinem, atque Justitiam, non quatenus sunt in Deo, in quo vocantur exemplares, cum in ipso Deo sint rerum omnium, & per consequens harum quoque virtutum exemplaria, sed in quantum conferunt ad perfectionem status hominum, in quibus Cardinales nuncupantur, quia scilicet sunt principales, & tamquam fontes bonarum operationum, & solidum mentis nostræ fundamentum sustinent, ac in his totius boni operis structura consurgit. S. Gregor. 2. *Moral. c.* 36. *circa princip.* S. Thom. 1. 2. *quæst.* 61. *n.* 2.

Virtutes autem habentur ab omnibus dupliciter. Uno modo communi & humano; & sic dicuntur virtutes politicæ, ex quo homo est animal politicum. Alio modo excellenter, seu eminenter, quasi modo divino; & tales

(a) Cant. 4. d. (b) Ps. 38. (c) Hier. 2. c. (d) Cant. 4. d. Psal. 41. 2. (e) Prov. 5. c. (f) 4. Reg. 2. d.
(g) Ez. 47. a. b. Prov. 25. d. (h) Isa. 59. c.

tales virtutes a Philoſopho 7. *Ethicor.* heroicæ, ſeu Divinæ appellantur. Modus vero iſte, ſeu ratio habendi virtutes hujuſmodi heroicas eſt duplex. Unus, prout homo eſt intendens ad talem perfectionem quaſi divinam; & ſic dicuntur virtutes purgativæ. Alius vero, prout homo aſſecutus eſt terminum dictæ tendentiæ, quantum poteſt habere in præſenti vita, & ſecundum hoc dicuntur virtutes purgati animi, quales habuit Beatiſſima Virgo, & aliqui in hoc mundo perfectiſſimi (S. Thom. 2. 2. *qu.* 61. *art.* 5.) ita ſcilicet, quod Prudentia ſola Divina intueatur, Temperantia terrenas cupiditates neſciat, Fortitudo paſſiones ignoret, Juſtitia cum Divina Mente perpetuo fœdere ſocietur, eam ſcilicet imitando.

Ad effectum vero Canonizationis virtutes iſtæ purgati animi non ſunt neceſſariæ, ſed ſufficit, eas eſſe purgatorias, quæ ſunt pariter virtutes heroicæ; nempe ut Prudentia mundana omnia Divinorum contemplatione deſpiciat, omnemque animæ cogitationem in ſola dirigat Divina, de qua Sanctus Paulus in *Epiſt.* 2. *ad Corinth. c.* 4. *Non contemplantibus nobis, quæ videntur.* Temperantia vero relinquat, quantum natura patitur, & quæ corporis uſus requirit, de qua idem Apoſtolus *in Epiſt. ad Timoth. c.* 6. *Habentes alimenta, & quibus tegamur, his contenti ſimus.* Fortitudo autem talis ſit, ut anima non terreatur propter exceſſum e corpore, & acceſſum ad Superna, de qua idem *Epiſt.* 2. *ad Corint. c.* 5. *Audemus magis peregrinari a corpore, & præſentes eſſe ad Dominum.* Juſtitia denique, ut tota anima conſentiat ad hujuſmodi propoſiti viam, de qua pariter ipſemet Apoſt. *ad Philippen.* 1. *Cupio diſſolvi, & eſſe cum Chriſto.* Ita angelice S. Thom. 1. 2. *qu.* 61. *art.* 5. *in corpore.*

Iſtæ porro virtutes inter ſe adeo ſunt connexæ, ut Prudentia non vocetur, quæ juſta, temperans, & fortis non ſit; nec perfecta Temperantia dicatur, quæ non ſit juſta, fortis, & prudens; nec Fortitudo integra exiſtimetur, quæ non ſit juſta, prudens, & temperans; nec vera juſtitia appelletur, quæ non ſit temperans, fortis, & prudens: ut egregie more ſuo idem Angelicus Doctor *loco citato.*

DE VIRTUTIBUS IN SPECIE.

ET PRIMO DE FIDE.

His igitur ad claram intelligentiam præmiſſis, nunc ad particularem inſpectionem Virtutum Servi Dei Regalati veniamus; &, cum prius diſcutiendæ ſint Virtutes Theologicæ, prima ſeſe nobis offert Fides, quæ Virtutum omnium eſt baſis, & fundamentum, & ſine qua impoſſibile eſt Deo placere, ut teſtatur Apoſt. *ad Hebr. c.* 11. Hanc igitur eamdem præcipuam inter virtutes ſperandarum rerum ſubſtantiam, argumentum non apparentium definit idem Apoſt. *l. c.* S. Thomas 2. 2. *q.* 4. *art.* 1. Magiſter ſentent. *in* 3. *diſt.* 23. S. Bonaven. *ibid. art.* 1. *q.* 1. Antonin. *in* 4. *parte tit.* 8. *c.* 2. Hæc, quemadmodum unico Divinæ Veritatis fundamento nititur, ita ad intellectum pertinet, & in ſpeculativa conſiſtit, S. Thom. *ubi ſupra art.* 2. *ad* 3. Ideoque per eam, tamquam per mentis habitum, inchoatur in nobis vita æterna faciens intellectum non apparentibus aſſentire, ut dicit Angelicus Doctor *l. c. q.* 4. *ar.* 1. & tradunt Canoniſtæ *in cap. Firmiter de Summ. Trinitat. & Fide Cathol.*

Hanc igitur Virtutem in Servo Dei Regalato effulgere, comperimus ex infraſcriptis.

Ortus eſt enim Vallifoleti in Regno Caſtellæ ex legitimis, fidelibus, Catholicisque Parentibus, ut de auditu a ſenioribus, antiqua traditione, publica voce, & fama, ac communi opinione deponunt in Proceſſu ſuper primo Articulo primus, ſecundus, tertius, & alii teſtes, qui optime probant, ut inferius firmabitur in Articulo famæ Sanctitatis. Ad quorum teſtium confirmationem accedit Hiſtoria Vitæ hujus Servi Dei inter excellentias Civitatis Vallifoletanæ idiomate Hiſpanico conſcripta a R. P. F. Antonio Daza Ordinis Sancti Franciſci de Obſervantia, & Provinciæ Conceptionis apud Hiſpanos Præfecto, ejuſdemque Ordinis Generali Chronologo, qui *Cap.* 2. præfatæ Hiſtoriæ ex multorum teſtimonio, ac ſcriptis pro certo aſſerit, hunc Servum Dei, qui quandoque a Patris cognomine Regalatus, a Matris gentilibus de Coſtanilla, a Conventus nuncupatione Pincianus, ac ut plurimum a loco originis more Religioſorum Vallifoletanus appellatur, Patrem habuiſſe Petrum ex nobili, & antiquo Regalatorum genere, Matrem vero de Coſtanilla probos Chriſtifideles, & fortunæ bonis admodum affluentes, adeoque eleemoſynarios, ac pauperibus benevolos, ut in copioſa bonorum erga eoſdem pauperes diſpenſatione adminiſtratores potius, quam fortunarum ſuarum domini viderentur; hos vero fuiſſe incolas, & naturales Civitatis Vallifoletanæ, & tam ipſos, quam eorum Parentes, Avos, Proavos, alioſque Majores Chriſtianæ Fidei puritatem profeſſos, ex quo Hiſpaniæ primum eamdem Catholicam Fidem receperunt: cui quidem Hiſtoriæ credendum eſt, ut in Articulo famæ Sanctitatis comprobabimus.

Sinceram natalium nobilitatem conſequuta eſt Fides infuſa per Baptiſmum, & per Confirmationem conſolidata.

Fuit enim hic Servus Dei Vallifoleti baptizatus in Parochiali Eccleſia Sancti Salvatoris, ac opportuno tempore confirmatus; ut pariter de auditu a ſenioribus, ac publica voce, & fama deponunt teſtes ſuperius deducti, & concordat eadem Hiſtoria Vitæ *d. Cap.* 2. Quæ probatio circa Baptiſmum, & Confirmationem licet abunde per ſe ſola ſufficiat, augetur tamen ex pluribus concurrentibus. Et primo, quia, cum notiſſimum ſit, parvulos in Regnis Hiſpaniarum Regi ſumme Catholico ſubjectis conſueviſſe baptizari, & confirmari, hinc legitime reſultat præſumptio ejuſdem Baptiſmi, atque Confirmationis; quia, licet quis non præſumatur baptizatus, & confirmatus ex regul. quod ea, quæ ſunt facti, non præſumuntur, ut in puncto eſt Text. in *cap. Parvulos, diſtinct.* 4. attamen hæc regula locum ſibi non vindicat in conſuetis & communiter accidentibus, in quibus etiam ea, quæ ſunt facti, præſumuntur, ut tradunt Bald. in *l. Incendium, in fine, C. Si cert. petat.* Jaſon in *l. Sciendum, num.* 2. *ff. de verb. oblig.* Secundo, quia in defuncto Baptiſmus præſumitur, *cap. Si eas*, ubi Gloſſ. in *verſic. Contendimus, de conſecr. diſt.* 4. & Gloſſ. in *cap. Preſbyteri, in fine in verbo Conſecretur* 68. *diſtinct.* Caſtellan. *de Canonizat. Sanctor. quæſt.* 4. §. *Quæro juxta præmiſſa, verſic. Contrarium eſt verum.* Tertio concurrit optima Parentum qualitas ſuperius ponderata, quæ violentam Baptiſmi præſumptionem inducit, *c. Veniens, in fin. de Presbyt. non baptiz.* Caſtellan. *loco citato, verſ.* 2. *per text.* Ex quibus omnibus aperte conſtat, in Servo Dei probatam remanere Fidem per Baptiſmum infuſam, ad tradita per Butr. in *d. cap. Veniens, num.* 5. *de Presbyt. non bapt.* Jaſon. *conſ.* 77. *lib.* 3. Caſtell. *ubi ſupra d. quæſt.* 4. §. *Quæro, juxta præmiſſa.*

Infanti jam conſpeximus infuſam, nunc tenellam atque creſcentem Fidem in puero Regalato nobis oſferunt prima educationis cunabula: etenim ab iiſdem Parentibus, & præſertim a Matre, quæ ſola, defuncto poſtmodum Patre, in Filii cura atque inſtructione ſucceſſerat, pie ac catholice educatus teneram adhuc puritiam timore Dei, ac in Beatiſſimam Virginem, & Sanctos omnes devotione imbuit; ut ſuper 2. idem 1. 2. 3. & alii teſtes deponunt. Sed adultam quoque intuemur, dum properantes in adoleſcentiam, conſtantes in virilitatem, recedentes in ſenectutem annos ad majores virtutes, & Sanctitatem felici exemplaris vitæ periodo provexit; ut pariter iidem, & quamplures alii teſtes ſuper 3. deponunt. Sanctioris vitæ tamen exemplum clarioribus virtutum incrementis tunc demum præſtitit, cum, relictis Mundi hujus illecebris, (*a*) quicquid habuit maſculini ſexus, ſe ipſum ſcilicet, conſecravit Domino ingrediens Religionem Seraphici Patris Franciſci de Obſervantia, in qua, poſt ſuſceptum illius habitum, Profeſſionem emiſit; ut ſuper 4. & 15. iidem, & alii teſtes deponunt, & clare deducitur ex Scriptoribus, quos inferius in Articulo famæ Sanctitatis ſubjiciemus. Unde hinc ſatis intelligimus, qualis fuerit in hoc Dei Servo Fidei ſplendor, dum tam claris virtutum omnium radiis effulget: ad ſupremum enim virtutum omnium exemplar, hoc eſt ad Divinæ Bonitatis Naturæque imitationem non alia, quam Fidei ipſius, ſeſe efformare potuit luce, quæ ipſi pariter ad humanarum rerum humilitatem, & religioſæ vitæ ſublimitatem cognoſcendam in Mundi tenebris ſplenduit. Fides enim eſt oculus animæ, & lumen mentis, ut docent Sacri Doctores in Luc. *cap.* 11. Hujuſmodi namque conſilia, per quæ homo relinquit omnia, ut cum Petro ſequatur Chriſtum, (*b*) & cum Apoſtolo in Dei laudem ſervus omnium efficiatur, (*c*) non ſine divino recipi perficique poſſunt auxilio, ac præcipue non ſine Fidei conſtantis impulſu, ut teſtatur S. Antoninus in *Summa part.* 4. *tit.* 8. *cap.* 3. §. 2. Ad com-

pro-

(a) Exod. 13. b. (b) Matt. 19. c. (c) 1. ad Corinth. c. 9.

probandam denique Virtutem Fidei conferunt Miracula Regalati viventis interceſſione a Deo operata, quæ inferius ſuo loco proponemus: hæc enim non ſine magna Fide fieri, aut impetrari poſſunt a Deo, S. Anton. *loco mox allegato*, §. 7. & habetur Marci ult. *Signa autem eos, qui crediderint, hæc ſequentur. In nomine meo Dæmonia ejicient, linguis loquentur novis, ſerpentes tollent &c.*

Cum vero hujuſmodi virtus ad tria reducatur Præcepta, quorum primum eſt Credere, ſecundum Scire, tertium autem debito & opportuno tempore Confiteri res Fidei:

Quantum attinet ad Primum, ultra argumenta, quæ ex ſuperius deductis eliciuntur, conſtat, Ragalatum huic credendi præcepto ſatisfeciſſe, dum maxima devotione toto vitæ ſuæ curriculo ſanctiſſima frequentavit Sacramenta, ad quorum pariter frequentiam cæteros quoque hortabatur, ut ſuper 7. deponunt iidem 1. 2. 3. & alii teſtes; ac inſuper, dum Myſteriorum omnium Fidei, præſertim vero Sanctiſſimi Domini Noſtri Jeſu Chriſti Incarnationis, Nativitatis, Paſſionis, Mortis, Reſurrectionis, & Aſcenſionis contemplationi devotiſſime vacabat, alioſque ad idem hortabatur, ut ſuper 8. iidem teſtes deponunt, & præ ceteris primus, qui ſubdit, in hanc uſque diem in Conventu Domus Dei de Aquilera aſſervari, & publicæ venerationi exponi quædam ſudariola, quibus amantiſſimus hic Dei Servus detergebat lacrymas ſibi manantes ex oculis, dum Paſſionem Domini Noſtri Jeſu Chriſti meditaretur: ſuper quo concordat Hiſtoria vitæ *Cap.* 10. & Viſitatio Sepulchri in Proceſſu *fol.* 406. Devotionis enim ardor in Sacramentorum frequentiam, ac Fidei Myſteria abunde teſtatur deliteſcentem in corde animoque vividæ fornacem Fidei.

Quantum vero attinet ad Secundum, per quod res aliquas Fidei ſcire tenemur, S. Thom. 2. 2. *quæſt.* 2. *art.* 5. 6. 7. & 8. Sanchez *in Summ. lib.* 2. *cap.* 2. & 3. Vir Dei Regalatus illi etiam ſatisfecit, cum non tam Sanctitate, quam Scientia floruerit, ut teſtatur Marianus Florentinus in ſuis *Chronicis lib.* 5. *cap.* 20. quæ manuſcripta hic in Urbe aſſervantur in Bibliotheca Collegii Fratrum Minorum Strictioris Obſervantiæ ad S. Iſidorum, & Speculum Fratrum Minorum, ſeu Firmamentum Trium Ordinum *fol.* 37. *part.* 1. & fuerit plenus ſpiritu Dei, ut refert Fr. Petrus Rodulphus Tuſſinianen. *Hiſtoriæ Seraph. Relig. lib.* 2. *tit. de Regular. Obſerv. Novæ Familiæ apud Exteras Nationes, fol.* 154. Et de hoc tanto minus videtur dubitandum in Viro Religioſo, cui ad ſalutem neceſſaria optime cognita, perſpectaque eſſe, credendum eſt; & maxime in Servo Dei Regalato, qui non ſolum religioſæ vitæ inſtitutum profitebatur, ſed in eadem Religione Prælaturam obtinuit, ex cujus debito ad aliorum inſtitutionem tenebatur, S. Thom. 2. 2. *q.* 2. *art.* 5. & ejuſdem Religionis reformationem mire provexit, ut inferius dicetur.

Denique explicitam hanc credendarum rerum ſcientiam in Regalato comprobant devotiſſimæ illæ meditationes, quibus, ut dictum eſt, Myſteria Fidei contemplabatur.

Tertium vero, & ultimum Fidei præceptum, quod in externa ejuſdem Fidei confeſſione conſiſtit, Regalatus quoque adimplevit; quia in Catholicæ Fidei puritate ad obitum uſque ſemper vixit, non ſolum credendo, ſed illam etiam omni loco, & tempore confitendo, ut ſuper 6. deponunt iidem 1. 2. 3. & alii teſtes, ac etiam defendendo, ut ſuper 32. idem primus teſtis aſſerit.

DE SPE.

NUnc ad Spem gradum faciamus, quæ Theologicas inter virtutes proximum Fidei locum obtinet, noſque Deo facit adhærere, prout eſt nobis principium perfectæ bonitatis: per Spem ſcilicet divino innitimur auxilio ad Beatitudinem obtinendam, ut loquitur S. Thom. 2. 2. *q.* 17. *art.* 6. *in corpore*. Hæc definitur eſſe certa expectatio futuræ Beatitudinis ex gratia, ac meritis proveniens, Magiſter in 3. *ſent. diſt.* 26. *cap.* 1. S. Thom. 2. 2. *q.* 17. *art.* 2. qui hanc definitionem colligit ex Apoſtolo 1. *ad Timoth. cap.* 1. dicente, *Scio, cui credidi, & certus ſum, quia potens eſt depoſitum meum ſervare*. Illius vero objectum eſt vita æterna, ut comprobat idem Apoſt. *ad Hebr.* 6. *Habemus ſpem, ſicut ancboram animæ, tutam, ac firmam, & incedentem ad interiora velaminis*; hoc eſt incedere facientem ad Beatitudinem Cæleſtem, ut *ibidem* Gloſſ. exponit, & confirmat S. Thom. *loco citato*: quod quidem objectum principaliter conſiſtit in Gloria animæ, non autem in gloria corporis, idem S. Thomas *ubi ſupra art.* 5. *ad* 1. & *q.* 18. *art.* 2. *ad* 4. & *in* 3. *part. q.* 7. *ad* 1.

Hunc vero Dei Servum habuiſſe certam futuræ Beatitudinis expectationem, & in vitam æternam, tamquam in Gloriam animæ, ſuas cogitationes direxiſſe, apparet:

Quia, ut 3. 15. 18. & alii Teſtes ſuper 9. deponunt, tota illius Spes erat in eo, qui bonus eſt Dominus in ſe ſperantibus, & animæ quærenti eum. (*a*) Ipſius erat finis Deo inſervire, & conſequi Cæleſtem Gloriam, in qua Sancti exultant, & qua, cum apparuerit, Juſti ſatiantur: (*b*) Vincenti enim dat Dominus edere de ligno vitæ, quod eſt in Paradiſo non deficientis, & interituræ-numquam voluptatis. Nec ſolus ad fontem Beatitatis confidebat, ſed alios quoque ad ſperandas aquas futuræ Gloriæ hortabatur ſubjiciens omnium menti, quam vanæ, fugaceſque eſſent Mundi hujus illecebræ, & quam celeri curſu blandimenta ſæculi tranſirent: quod facto etiam generoſe comprobavit, dum, ut jam diximus, abjectis eliminatiſque e cordis ſui domicilio voluptatibus humanis, Franciſcano habitu aſſumpto, ſe totum religioſæ mancipavit ſervituti, in qua Fidei perſpicaci lumine futuræ Gloriæ libertatem agnoſcebat. Hinc porro manabat etiam contemptus ille, quo mundana omnia deſpiciebat, eadem pro nihilo reputans, ſcienſque (*c*) bonum eſſe confidere, & ſperare in Domino, quam in hominibus, atque Principibus. Ipſe enim vera poſſidebat bona, dum timebat Deum, (*d*) & ab omni recedens peccato bonum faciebat. Divites namque eguerunt, & eſurierunt, inquirentes autem Dominum bonis non minuentur.

Hancque Servi ſui Spem, & confidentiam ſingulari teſtimonio comprobavit Deus. Quadam enim vice Regalatus, dum Conventui domus Dei de Aquilera præſideret, expertus eſt Divinæ Bonitatis providentiam panem, qui jam omnino defecerat, nec aliunde ſperari poterat, abunde miniſtrantem, ut inter miracula ſuo loco dicemus, & ſuper 35. deponunt iidem teſtes, nempe primus, 2. & 3. qui in facto proprio non minoris admirationis eventum recenſet. Nempe de *Anno* 1550. *aut* 1551. maxima annonæ caritate ingruente, dum ipſe una cum Fratribus, aliiſque domeſticis fame quaſi periret, Matrem, cui omnes in depoſcendo pane erant aſſidue moleſti, exemplo ſuperioris facti ſuaſiſſe, ut ad Regalati interceſſionem confugerent; quo peracto, cum eadem Mater teſtem ſibi ſocium eſſe juſſiſſet ad perquirendum illic in via fruſtum aliquod panis, invenerunt tres panes, qui domum allati, & inter ſexdecim, & amplius perſonas diſtributi non modo omnibus ad ſatietatem ſuffecerunt, ſed etiam ſuperfuerunt. Quod factum idem teſtis ad miraculum refert, non tam ob inventos in maxima illa penuria, ac eorumdem raritate panes, quam ob præſtitam tot perſonis, & vehementer quidem eſurientibus, ſaturitatem.

DE CARITATE.

EXaminanda ſupereſt Caritas, Virtutes inter Theologicas ordine quidem poſtrema, ſed nobilitate, neceſſitateque nulli inferior, ut teſtatur Apoſt. 1. *ad Corinth. Si linguis hominum loquar, & Angelorum, Caritatem autem non habuero, factus ſum velut æs ſonans, aut cymbalum tinniens; & ſi habuero prophetiam, & noverim myſteria omnia, & omnem ſcientiam, & ſi habuero omnem Fidem, ita ut montes transferam, Caritatem autem non habuero, nihil ſum; &, ſi diſtribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, & ſi tradidero corpus meum, ita ut ardeam, Caritatem autem non habuero, nihil mihi prodeſt: Caritas patiens eſt, benigna eſt*, &c. cum aliis, quæ idem Apoſtolus ſuaviter ſubjungit; & late etiam ejuſdem Caritatis laudes, & excellentiam proſequitur Proſper *de vita contemplativa*, ut habemus *in cap. Caritas extr. de pœnit. diſt.* 2. cujus dicta videntur tamen intelligenda de Caritate perfectiſſima, quæ in hac vita haberi non poteſt, ut probat Text. *in cap. Caritas in quibuſdam, de pœnit. diſt.* 2. quamvis perfecta habeatur, ut bene explicat D. Auguſt. in *cap. Qui vult facere, cum tribus aliis ſeqq. de pœnit. d. diſt.* 2.

Caritas igitur eſt dilectio, qua diligitur Deus propter ſe,

(*a*) Thren. 3. c. Pſal. 16. (*b*) Apoc. 2. b. (*c*) Pſal. 117. (*d*) Job. 4. d.

se, & proximus propter Deum, vel in Deo, Magist. sentent. *in 3. distinct. 27.* quem sequuntur omnes communiter: & circa duo mandata adimplenda versatur, quorum primum Dei respicit dilectionem, quod est primum & maximum in lege mandatum, Deut. 6. alterum vero ad proximi dilectionem pertinet, Matth. *cap.* 22.

DE CARITATE IN DEUM.

QUantum ergo attinet ad dilectionem in Deum, in hac sane amantissimus Dei Regalatus præcelluit. Etenim, cum sciret, in hoc apparuisse Dei Caritatem in nobis, (a) quoniam ipsum suum Filium primogenitum misit in Mundum, ut vivamus per eum propitiatorem, scilicet pro peccatis nostris, quæ, licet essent tanquam aquæ multæ, & flumina, non potuerunt tamen Divinam extinguere, (b) vel obruere Caritatem; ideo quasi reciproco dilectionis jure totus in Amorem Divinum erat intentus. Nec illi satis erat, Amoris ejusdem incendia in suo sinu concepisse, sed vehementer optabat, in alienis etiam pectoribus easdem ardoris flammas accendere, quas ideo, adhibitis hortationibus, sensim in illorum insinuabat animos; &, quemadmodum totus ipse in Amore Divino residebat, sic linguam continere non poterat, quin vere ex abundantia cordis de eodem semper Amore loqueretur, quem mente, sinu, animoque gestabat assidue: ut prædicta omnia super 11. deponunt 1. 2. 3. & alii Testes.

Ejusdem insuper Regalati Caritatem in Deum deprehendimus non solum ex vehementi illo affectu, (c) quo Domum Dei, hoc est, honorem zelabat illius, qui diligentes se diligit, & se honorificantes glorificat, qui quidem zelus maximum Amoris suggerit augmentum, ut in *cap. Quid crudele*, 22. *q.* 4. sed etiam ex divinis meditationibus, quibus Verbum Dei, licet humanis absconditum oculis, non Amoris tamen luminibus celatum contemplabatur, & vi quarum suaviſſima pediſſequam meditationis rapiebatur in ecstasim, hoc est, deserto exteriori homine, sui ipsius supra se voluptuosa quadam elevatione ad superintellectualem Divini Amoris fontem ferebatur; ita namque ecstasim, quam mortem philosophicam Platonici nuncuparunt, definit Bonavent. 2. *tom. tract. de septem gradib. contemplationis*, & Divini Amoris insatiabili saturitate reficiebatur; ut super 12. prædicta omnia deponunt 1. 2. 4. & alii testes.

Quod sane mirum non est: quoties enim Christum vera Fide contemplamur, toties ille cordi nostro insidet, dicente Apostolo, *Qui adhæret Domino unus spiritus est*: & si desiderium in Amoris plenitudine compleatur, delectat animam, cujus elevationis corpori sarcina ancillatur: & ideo non potest ad tantæ contemplationis dulcedinem cor sæcularibus plenum negotiis aspirare; sed oportet, ut Sæculo moriatur, ut soli Deo per tantas meditationes, & desideria Supernis inhæreat, ut inquit D. Hieronym. ad Virgines Deo dicatas.

Perfecta denique ejusdem Viri in Deum Caritas intelligitur ex eo, dum religiosæ, & quidem austerioris vitæ institutum amplexus inediam, vigilias, labores, corporis non tam nuditatem, quam afflictationem, ceteraque hujusmodi dilexit, quæ gradus esse ad perfectionem Caritatis in Deum obtinendam, tradit S. Thom. 2. 2. *q.* 186. *art.* 1. cum ille Divinæ Dilectionis præceptum optime dicatur adimplere, qui pro Amore Dei suæ ad tempus saluti non parcit, se ipsum periculis, atque tribulationibus tradit, qui facultatibus propriis, parentibus, ceterisque hujusmodi renunciat, ut eleganter dicit Text. in *cap. Caritas*, *in fin. de pœnit. dist.* 2. Qui enim Divino famulantur servitio, ad amabilem perfectionem uniuntur, teste Dionysio *cap.* 6. *p.* 1. *in fin. Eccl. Hierarch.* quia status Religionis institutus est ad perfectionem adipiscendam per quædam exercitia, quibus tolluntur impedimenta perfectæ Caritatis, quæ ejusdem Religiosi status est finis, S. Thom. *loco citato in respons. ad* 3. In quo quidem Religionis statu Servus Dei Regalatus vovit, servavitque, ut dictum est, Paupertatem, Obedientiam, ac Castitatem; quæ, sicuti ad perfectam Caritatem pertinent, Bagnes *secunda* 2. *quæst.* 23. *artic.* 3. ita etiam demonstrant, amantissimum Dei Regalatum perfectam erga eumdem Deum Dilectionem habuisse, ut arguit S. Thomas *ubi supra*, *artic.* 7.

DE CARITATE IN PROXIMUM.

MAximum, primumque Divinæ Dilectionis præceptum alterum consequitur mandatum illud, quo tenemur Proximum nostrum, sicut nos ipsos, diligere; hoc est, ut quem potuerimus, hominem beneficentia, consolatione, vel informatione doctrinæ, vel disciplinæ coercitione adducamus ad colendum Deum. Quod equidem Servus Dei Regalatus plenissime observavit: non ignorans enim, (d) in Proximi dilectione Legis adimplementum consistere, ex quo, si diligamus invicem, Deus in nobis manet, & Caritas ejus in nobis perfecta est: propterea semper animarum intentus erat saluti, cujus in tempore Proximi sui casum haud reveritus verbum non retinuit, (e) quin immo præbens exemplum bonorum operum omnes ad pœnitentiam inducebat, ut super 13. deponunt 2. 5. & alii.

Hujusmodi vero Caritas præcipue eluceſcit in operum pietatis, atque misericordiæ exercitio, quo passim Regalatus detinebatur. Infirmis enim, ac Carceratis visitandis, Hospitalibus frequentandis, Inimicis reconciliandis, alendis, vestiendis, excipiendisque non tam hospitio, quam salutaribus, & solatoriis verbis Pauperibus, redimendisque Captivis assidue vacabat; & non tam in amicorum, inimicorumque salutem, atque subsidia, sed in Defunctorum etiam suffragia, orationes, lacrymas, jejunia, disciplinas, & alia hujusmodi offerebat, ut super 14. deponunt 1. 2. 3. & alii Testes: & præ ceteris idem 2. subdit, amantissimum Proximi Regalatum consuevisse Pauperes, atque infirmos sibi in itinere obvios in Conventum traducere, ubi manibus propriis eorum pedes abluebat, osculoque excipiebat, ita ut nonnullorum ulcera ad saluberrimi oris contactum sanata fuerint, ut testatur etiam Historia vitæ *Cap.* 11. ac insuper quadam vice eumdem Servum Dei Regalatum jam senem, & ægrotum, quadraginta quatuor leucarum itinere denudatis pedibus absoluto, hac solum de causa Fratrem Lopium de Salazar Socium sibi, ac familiarem adiisse, ut Dei servitio vacaret, ac animarum consuleret utilitati, ut etiam confirmat eadem Historia vitæ *dicto Cap.* 11. ubi ejusdem Fr. Lopii testimonium inseritur.

Piam vero Regalati non tam viventis, quam defuncti in Proximum dilectionem insigni Deus Omnipotens comprobavit gratitudinis testimonio. Vivens enim, cum quadam vice panis, ac carnis frusta Pauperi cuidam in habitus complicato limbo recondita deferret, in Vicarium Conventus incidit, a quo interrogatus, quid illic repositum gestaret, misericors in Pauperes Regalatus, ut Superioris vitaret indignationem, cujus periculum suspecta in Pauperes fecerat prodigalitas, respondit, flores deferre: sed, Vicario rei veritatem oculari fide inquirente, cum Regalatus sinum habitus explicuisset, compertum fuit, providam Bonitatis Divinæ clementiam panem in candidas, carnem vero in purpureas rosas alieno prorsus tempore admirabiles commutasse; ut super 38. deponunt 3. 23. & 60. & concordat eadem Historia vitæ *dict. Cap.* 11. *prope finem*, ut inferius in miraculorum discussione dicetur.

Defunctus vero pietatem etiam in Proximum retinuit. Cum enim Pauperi cuidam Fratres conventus Aquileriæ eleemosynam denegassent, confugit Pauper ille ad Sepulcrum Servi Dei, & ad illud orans exclamavit, Si tu, o Sancte viveres, eleemosyna mihi non deesset. Tunc autem, Sepulchro mirabiliter aperto, protulit brachium Regalatus, & manu panem Pauperi porrexit; brachioque statim repositio, Sepulchrum clausum est: ut inferius in miraculorum disquisitione dicemus.

DE VIRTUTIBUS CARDINALIBUS.

ET PRIMO DE PRUDENTIA.

POst Theologicas proxime succedunt examinandæ virtutes Cardinales, quas ad integrandum Sanctitatis ædificium in Servis suis collocat Deus.

Has inter primum obtinet locum Prudentia, quam S. Thom. 2. 2. *q.* 47. *art.* 2. definit rectam agibilium rationem, finem, ejusque cognitionem præsupponentem, ex quo, tamquam ex principio, rationem mediorum ad finem sumit: quæ quidem definitio venit intelligenda

(a) Joan. 4. b. (b) Cant. 20. g. (c) 1. Reg. 2. (d) Joan. 13. c. Joan. 4. cap. in fin. (e) Eccl. 4. cap. in fin.

genda de pertinentibus ad veram, perfectamque Prudentiam, eam scilicet, quæ in omnibus habentibus gratiam reperitur, & quæ ad bonum totius vitæ finem recte consiliatur, judicat, & præcipit, quæ sola etiam dicitur Prudentia, S. Thom. *loco citato art.* 14.

Hæc igitur in Servo Dei Regalato abundanter eluxit: nam, ut superius dictum est, ipsa pueritiæ exordia inter recta, & munda opera informata, crescentibus annis, ad majores provexit virtutes; quæ, sicuti a vitiorum contubernio alienationem continent, sic nobis evidenter ostendunt, Regalatum a primis usque vitæ suæ cunabulis ea amplexum esse media, quibus optatum perfectionis finem assequeretur, quod, ut diximus, ad Prudentiam pertinet, prout etiam operationes hujusmodi, quæ in virtutum exercitatione consistunt, sunt effectus particularis Prudentiæ, ut considerat S. Antoninus *part.* 4. *tit.* 2. *cap.* 5. §. 4. & 5.

Insuper caute ambulans, (a) non ut insipiens, sed ut sapiens, ac redimens tempus in dierum malitia, non conformatus huic sæculo, sed reformatus in novitate sensus sui, ut probaret, quæ esset voluntas Dei bona, beneplacens, atque perfecta, se ipsum, ut diximus, a Mundi abdicavit periculoso consortio, vitamque suam, tamquam in securitatis asylum repositam, Deo consecravit Franciscanam Religionem ingrediens, in qua Professionem emisit; ex quibus, omnibus particularis argumentum Prudentiæ resultat, cum vitam meliorem, & perfectiorem elegerit: ii enim habendi sunt sapientiores, quam reliquum mortalium vulgus, qui se ipsos a Mundi segregant consortio, & vitam suam Deo consecrant, ut inquit S. Gregor. Nazianz. in *Oratione de laudibus Basilii*.

In eadem vero Religione in publicis, privatisque actionibus, atque consiliis prudenter ita se gessit, ut non solum unionis cultor fuerit reputatus, ut super 15. deponunt 2. 3. 4. & alii, sed etiam Fr. Petro de Villacreces vitæ probitate, & miraculorum fama insigni, primoque apud Hispanos Regularis Observantiæ promotori, & Eremitorii Domus Dei, & Scalæ Cæli Vicario salutarem, ac sedulam præstiterit operam in provehendo, amplificandoque ejusdem Observantiæ Instituto, ut in *Chronicis suis* testantur Petrus de Salarar, Fr. Franciscus Gonzaga, Fr. Petrus Rodulphus Tussinianen. & Petrus Gonzalez *locis inferius subjiciendis* in Articulo famæ Sanctitatis. Quin immo, eodem Fr. Petro de Villacreces defuncto, in eorumdem Eremitoriorum regimine propter insignem Prudentiam fuit Regalatus unanimi omnium consensu subrogatus, ut dicit idem 2. Testis super 15. & concordant Petrus Gonzalez, & Fr. Franciscus Gonzaga *locis inferius deducendis*, ac etiam Historia vitæ *Cap.* 8.

Insignem quoque Prudentiam Regalatus ostendit in afferendis proximo suo opportune subsidiis; etenim ante tempus non judicabat, nec temeritate judicii præveniebat culpam: (b) in quo enim judicio quis judicat, judicatur, & eadem mensura metietur. Ideo sermone, nec minus opere fratri suo detrahebat, aut eumdem in errorem illapsum contemnebat, ne contemptus asperitas spem tolleret emendationis; quin immo omnia in meliorem semper partem interpretabatur; si quando aliquos alienæ detrahentes famæ audisset, placidæ admonitionis medelam maxima caritate, atque amore insinuabat; virtutis gratiam, peccati odium, Legisque Divinæ observantiam sensim in hominum animos ingerens, discordes, & inimicos suis hortationibus ad pacem, concordiamque reducebat. Ita super 18. primus, 2. 3. & alii testes, &c.

DE JUSTITIA.

PRudentiam Justitia consequitur, quæ Morales inter virtutes primum jure merito locum sibi vindicat, S. Thom. 2. 2. *q.* 58. *art.* 12. Justitia enim habita, omnes aliæ virtutes habentur, secundum Divum Ambrosium in *Hexamer. Ubi est Prudentia, interdum est malitia; ubi Fortitudo, ibi iracundia; ubi Temperantia, ibi impietas; ubi autem Justitia, ibi omnium virtutum est concordia*, & comprobat Augustin. *lib.* 4 *de Civitate Dei*, & facit elegantissimus Textus in *Auth. ut omnes obediant Judic. Provinc. in princ. Coll.* 5. Hæc secundum D. Thomam, & alios communiter definitur esse constans, atque perpetua voluntas Jus suum unicuique tribuens. Partes illius integrales sunt virtutes illi annexæ, nempe Religio, Pietas, Observantia, Veritas, Gratia, seu Gratitudo, Vendicatio, Amicitia, Liberalitas, ut docet idem Angel. Doct. *l. c. q.* 80. *art. unico*.

Hinc Justitiæ nobilitatem Regalatus optime cognoscens, & animadvertens scire Justitiam radicem esse immortalitatis, ut invenire Vitam, & Gloriam, sequutus est illam per assequutionem partium illius.

Nam, quantum attinet ad Religionem, per quam debitus Deo cultus redditur, actus illius tam interiores, quam exteriores in Servo Dei comperimus; interiores quidem, cum præcipue in Deum, ac Beatissimam Virginem devotionis affectu orationi diu, noctuque assidue adeo vacaret, ut passim inter orandum suavissimam raperetur in ecstasim, ut dictum est, & totam vitam orando transigeret, ut super 21. deponunt 1. 2. 3. & alii testes; exteriores vero, quia in Cultum Divinum ad orationem, divinaque officia assiduus adeo, attentusque incumbebat, ut nihil, vel parum dormiret, comederetque, ut super 22. asserunt iidem testes. Religionem quoque Regalati testatur Gonzaga, qui eum summæ Religionis Virum appellat, ut inferius videbitur.

Pietatem vero atque observantiam, per quam Parentibus, Consanguineis, ac Superioribus debitus honor, ac cura exhibetur, non defuisse intelligimus Regalato, qui debitam Superioribus suis obedientiam semper præstitit, ut super 2. & 23. 1. 2. 3. testes asserunt; qui circa reliqua omnia pietatis, & misericordiæ opera continue versatus est, ut super eodem 23. prædicti testes deponunt, qui denique Justitiam adeo dilexit, ut semper actiones suas ad reddendum non tam Deo, quam Proximo justum direxerit obsequium: ideo enim peccatum, quo mediante Deus, Proximusque offenditur, tali prosequutus est odio, ut in eo aliquid peccati visum nunquam, auditumque fuerit, ut 3. & alii super eodem 23. deponunt.

Nec illi defuit pœnitentia, quæ, in quantum respicit debitam Deo satisfactionem in spiritu contribulato, pertinet ad vindicativam, quæ est pars Justitiæ, & per quam improbos, hoc est, pravos sensuum affectus nobili castigatione ante occupamus, atque reprimimus: quod sane Regalatus præstitit, dum vivens in continuis vigiliis, jejuniis, afflictationibus corpus suum ferreis vinctum catenis, ciliciis præcinctum, flagellis ad sanguinis usque effusionem edomitum, humi ad duram vere quietem prostratum redigebat in servitutem, quæ liberum vitæ cursum naturaliter impediebat; ut super 24. iidem, & alii testes deponunt.

Nec defuerunt Regalato ceteræ partes Justitiæ, quas late in *Art.* 5. enumeratas comprobant 2. 3. 7. & alii testes.

DE FORTITUDINE.

PRudentiæ, Justitiæque proxima est Fortitudo, quam D. Thom. 2. 2. *qu.* 123. *art.* 7. *in corpore* animi firmitatem importare docet. Partes illius integrales sunt quatuor; scilicet quoad actum ingrediendi fiducia, atque magnificentia; quo vero ad actum substinendi patientia, atque perseverantia. Versatur enim circa ardua, atque terribilia, facitque, ut animus, nec parve timendo, nec temere audendo, deficiat a bono opere, S. Augustinus *lib.* 83. *q.* 31. & juxta S. Thom. *loco citato*, *artic.* 3. & 4. animum in gravibus, & maximis periculis firmat, timorem cohibet, audaciamque moderatur.

Hanc sane Omnipotens Deus, cujus oculi contemplantur universam terram, præbuit Servo suo Fortitudinem; quia perfecto corde credebat in eum, tamquam in firmamentum, refugium, & liberatorem suum. (c) Intrepido enim, fortique animo laboribus, & periculis ob amorem Dei, & animarum salutem libentissime se exponebat, ut super 25. iidem testes deponunt; quod comprobat magnanime exceptum, fortiterque, nec sine difficultatibus provectum Reformationis Institutum, in quibus superandis difficultatibus nulli parcebat labori, ut testatur Gonzal. *Histor. Montis Cælii Beatæ Virginis de Saliceto lib.* 2. *c.* 7. *fol.* 225. quod etiam confirmat laboriosum illud quadraginta quatuor leucarum iter, quod in postrema senectute ob amorem Dei, & animarum progressum denudatis pedibus, & infirmo corpore confecit, ut jam diximus.

Impavido quoque, ac forti animo adversitatum procellas, persequutionum tempestates, inimicitiarum turbines, infirmitatum denique impetus sustinuit; & sese in omnibus voluntatis Divinæ suaviter omnia disponentis arbitrio commisit, ac conformavit; ut super 26. iidem testes deponunt.

DE

(a) Apost. ad Rom. 12. (b) Jacob. 4. c. (c) Neem. 8.

DE TEMPERANTIA.

POstrema ex virtutibus Cardinalibus supereſt Temperantia, quæ generaliter ſumpta dicitur moderatio quædam, quam in operationibus, paſſionibuſque humanis ratio ponit; quod omni virtuti Morali commune eſt. Si vero conſideretur antonomaſtice, in quantum ſcilicet refrænat appetitum ab his, quæ maxime alliciunt hominem, & in quantum verſatur circa delectationes moderandas, & ſic circa bonorum ſenſibilium concupiſcentias, atque triſtitias ex eorumdem bonorum privatione, ſeu abſentia manantes, eſt ſpecialis virtus, ut docet S. Thom. 2. 2. *qu.* 141. *art.* 2. *in corpore*.

Hæc ſane Regalato non defuit, qui non ſolum abſtinuit ab omni ſpecie mala, & ab omnibus iis, quæ militant adverſus animam, hoc eſt a peccatis, quæ nunquam a ſe ipſo admiſſa odio particulari proſequebatur, ut ſuperius ex teſtium depoſitione ſuper 23. *Articulo* collegimus, ſed eam quoque abſtinentiæ partem mire profitebatur, quæ ex ſuo nomine ciborum ſubtractionem importat, juxta D. Thom. 2. 2. *qu.* 146. *art.* 1. per quam ſcilicet caſtigatur corpus non ſolum contra luxuriæ illecebras, ſed adverſus etiam gulæ obleclationem, quo in tentationum lenocinia homo fortius inſurgat, & Diaboli proculcet irritamenta. Regalatus enim in cibo, potuque temperantiſſimus aſſiduis vacabat jejuniis, quæ pane, & aqua tranſigebat, e quibus etiam per integros abſtinebat dies, ita ut virium debilitas ad vitæ ſuſtentationem non ſufficere, & cum Davide poſſet dicere (*a*) *Genua mea infirmata ſunt a jejunio, & caro mea immutata eſt propter oleum*: oleum ſcilicet lacrymarum. Eamdem porro moderationem oſtendit non ſolum in veſtitu, cujus humilitas, atque paupertas deprehenditur ex inſpectione Veſtium, quæ in hanc uſque diem, tamquam Reliquiæ, aſſervantur in Conventu Aquileriæ, ſed in omnibus etiam aliis actionibus ſuis; ut ſuper 27. iidem teſtes deponunt. Quod vero triſtitias ex bonorum ſenſibilium privatione naſcentes vir Dei non ſenſerit, ſatis ſuperque conſtat ex eo, dum Religioſæ, & auſterioris vitæ inſtitutum, hoc eſt Franciſcani Ordinis aſperitatem in primævum a ſe rigorem quoque reſtitutam amplexus, æquo hilarique animo mundanis renunciavit illecebris, & aſſidua jejuniorum, pœnitentiæ, ceterarumque mortificationum exercitatione ab omni voluptatum, ſenſualitatiſque contubernio revocavit.

DE CETERIS VIRTUTIBUS, AC SUPERNATURALIBUS DONIS.

PAR erat, ut in eo, qui Theologicarum, ac Cardinalium virtutum radiis tam mire eluceſcit, ceterarum quoque non deſiderarentur ſplendores virtutum, quibus ad exemplar perfectiſſimum lucida Sanctitatis lampas ſuper Eccleſiæ candelabrum poſita exardeſceret.

Et, quoniam in præcedenti virtutum diſquiſitione orationis, devotionis, pœnitentiæ, mortificationiſque ſplendida conſpeximus lumina, ideo, his poſthabitis, ad ceterarum lucem oculos convertamus.

Et primæ ſe nobis offerunt Obedientia, Paupertas, & Caſtitas, quæ, ut nuncupatis votis Religioni, Deoque promiſerat Regalatus, ita religioſiſſime obſervavit. Exactiſſimam enim Obedientiam Prælatis, ac Superioribus ſuis præſtitit: Paupertatem non ſolum ad Religioſi Inſtituti præſcriptum retinuit, ſed in tenuitate victus, in veſtitus vilitate, ac in humilitate ſpiritus, qua temporalia quælibet contemnebat, eamdem quoque Paupertatem profeſſus eſt; ut ſuper 16. 13. 4. & 6. deponunt. Caſtitatem vero, ac pudicitiam toto vitæ ſuæ ſpatio integre adeo cuſtodivit, ut non modo peccatorum ſordes, ac immunditiam a corporis, animique ſui conſortio eliminaverit, ſed otioſum ne quidem verbum admiſerit. Immo in exemplum honeſtatis, modeſtiæque omnibus factus aliorum quoque mores, verba, atque ſermones ad ſui ſimilitudinem, ac formam vere honeſtiſſima trahebat violentia, ita ut coram ipſo quilibet ad tam bonam non fallacis imaginem ſpeculi ſeſe efformaret, componeretque; ut ſuper 17. 1. 2. & 3. teſtes deponunt.

Præcedens Regalati modeſtia exigit, ut proponamus etiam Humilitatem, quæ ad eamdem modeſtiam pertinet, tamquam pars illius, S. Thom. 2. 2. *q.* 161. *art.* 4. & eſt virtus, quæ animum format, ne immoderate ad excelſa tendat, S. Thom. *ubi ſupra art.* 1. reſpicitque ſubjectionem hominis ad Deum, propter quem aliis humiliando ſe ſubjicit, Viger. *de Virtut. temper. cap.* 7. §. 5. *verſ.* 8. S. Antonin. 1. *part. cap.* 12. Hanc vero præ ceteris dilexit Regalatus: aſpernabatur enim, fugiebatque humanas laudes, quia Deus (*b*) qui fecerat magnalia, laus erat illius; quin immo reputabat ſe maximum peccatorem, &, quamvis contemneretur, non indignabatur, ut ſuper 19. iidem teſtes referunt.

Hæc porro Humilitatis virtus nos commonet, ut, omiſſa aliarum virtutum enumeratione, quas longa ſerie in 5. *Articulo* expreſſas Regalati animum cumulatiſſime exornaſſe aſſerunt 2. 3. 7. & alii teſtes, tranſitum faciamus ad inſpicienda Dona ſupernaturalia, quæ Omnipotens Deus concedit iis, qui in ſpiritu humilitatis, & manſuetudinis ſibi deſerviunt. Inquit enim Dominus, *Ad quem reſpiciam, niſi ad humilem, & quietum, ac paventem ſermones meos?* & faciunt ponderata per Clement. 1. *lib.* 8. *Conſtit. Apoſtolic.*

Hic igitur Dei Servus inſignitus fuit a præpotentis dextera pluribus donis ſupernaturalibus, ut ſuper 28. deponunt 1. 2. 3. & alii teſtes: præ ceteris autem dono Prophetiæ, ac Revelationis, quod ad Sanctitatis probationem maxime confert, Auguſtinus de Ancona *de Poteſtate Eccleſiæ q.* 15. *art.* 3. & 5. Cum enim Divinis Chori Officiis intereſſet in Conventu Tribuli, vulgo *dell' Abrojo*, cui tunc præſidebat, Fratribus communicavit, ſibi revelatum, Mulieris cujuſdam in flumine Duria ſubmerſæ animam ſalutis ſtatum adeptam; & ideo una cum dictis Fratribus in proximi fluminis ripam profectus, ejuſdem fœminæ Cadaver inventum ſepulturæ mandavit, ut ſuper 33. deponit 3. 6. 13. 17. & 20. qui ſubdunt, hujuſmodi factum inter alia miracula depictum conſpici in Monaſterio Aquileriæ, ut etiam colligitur ex Viſitatione Sepulchri in proceſſu *fol.* 405. & concordat hiſtoria vitæ *Cap.* 12. & alii Scriptores, & Hiſtorici inferius ſubjiciendi *in Articulo famæ Sanctitatis*. In poſtremo quoque vitæ termino conſtitutus, cum Fratres Extremæ Unctionis Sacramento inſtarent ipſum inungere, prædixit, mox affuturum Epiſcopum Palentinum miſſum a Deo, ut illud ſibi miniſtraret, ideoque tantiſper expectarent, prout ſtatim idem Epiſcopus advenit, & Sacramentum miniſtravit, ut inferius in miraculorum diſquiſitione videbimus.

Inſuper amore Dei accenſus, ut dictum eſt, non ſolum divinas inter contemplationes rapiebatur in ecſtaſim, & ſuaviſſimo in Deum mentis exceſſu reficiebatur, ſed eædem amoris flammæ, quæ pectus accendebant, orantis etiam, & in ecſtaſim rapti faciem miris adeo ſplendoribus illuſtrabant, ut cubiculi terminos ſupergreſſæ, & rurſum liberiori aditu erumpentes ſpeciem luculenti procul exhiberent incendii; proximi vero incolæ ſuppetias adverſus ignem laturi cum accurriſſent, eas ſolummodo flammas invenerunt, quas in Regalati cubiculo ferventis orationis ardor excitaverat, ut inferius in miraculorum inſpectione conſtabit.

Unde ex his omnibus vitæ excellentiam in Servo Dei Regalato abunde comprobantibus abſoluta remanet Prima Pars hujus Relationis: nunc igitur ad Secundam progrediamur.

DE FAMA, COMMUNIQUE OPINIONE SANCTITATIS.

HActenus, Pater Beatiſſime, Regalati Sanctimoniam ſingulari Virtutum fide comprobavimus: nunc ea ſubjiciemus argumenta, quæ ad generalem Sanctitatis ipſius probationem maxime conferunt, Famam nempe, communemque Sanctitatis opinionem; quæ, ſicuti viventem Regalatum fuerat comitata, ſic defunctum majoribus etiam incrementis proſequuta eſt, & quam in promovendis ad Canonizationem neceſſariam eſſe, ex pluribus concludit Caſtellan. *de Canonizat. Sanctor. q.* 5. *verſic. Ex his colligitur*, & plurimum ad Sanctitatis probationem conducere, tradit Auguſtinus de Ancona *de Poteſtate Eccleſiæ q.* 15. *art.* 3. & 5.

Hanc igitur Famam, communemque Sanctitatis opinionem luculenter deprehendimus tam ex teſtibus in proceſſu examinatis, quam ex iis, quæ extra proceſſum apud Scriptores, & Hiſtoricos habentur.

Et, quantum attinet ad teſtes, ex illorum depoſitionibus conſtat, Servum Dei Regalatum, emenſo feliciter

(a) Pſal. 108. d. (b) Deut. 10. d.

humanæ vitæ ſpatio, poſt ſuſcepta Eccleſiæ Sacramenta in Aquileriano Conventu ſanctiſſime in Domino quieviſſe, & ob Famam Sanctitatis ipſius in univerſo Populo excitatam omnes, qui illuc ex diverſis partibus confluxerant, quæſiviſſe aliquid de ejus veſtimentis pro Reliquiis aucupari: ita ſuper 30. primus, 3. & 4. Quæ quidem Fama, communiſque opinio conſtanti perpetuitate in illis Regionibus duravit, ita ut numquam ſimilis erga alium Sanctum viſa fuerit devotio Fidelium; ut deponit ſuper 31. ſecundus, & comprobat tertius dicens, Servum Dei Regalatum Sanctum fuiſſe reputatum, & nunc eſſe, & tamquam Beatum, & Sanctum hodie etiam ab omnibus Fidelibus venerari. Nec ſolum in civitate Oxomenſi, ſed in univerſo etiam Regno Caſtellæ, aliiſque adjacentibus Provinciis apud omnes utriuſque ſexus Fideles tam Eccleſiaſticos, quam omnium ſtatuum, ordinumque Sæculares quoſcumque hic Servus Dei communiter, palam, & publice tam vivens, quam defunctus centum, & octuaginta annorum circiter continua ſucceſſione reputatus eſt, & nunc reputatur Virtutibus omnibus ornatiſſimus, inſuperque in maxima Sanctitatis opinione habitus fuit, hodieque habetur; ut ſuper 32. primus, 2. & 6. Quæ quidem Fama remanet abunde probata, cum Teſtes de univerſi Populi opinione deponant; licet ad iſtum effectum ſufficeret depoſitio de majori parte Populi, Jo. de Anan. *conſ.* 1. *num.* 8. *verſ.* 2. *Quod Fama*, Alex. *conſ.* 166. *num.* 9. *verſ. Præſertim cum Fama*, *lib.* 6.

Et, quamvis iſti Teſtes, prout etiam alii omnes, in toto examinis decurſu plerumque deponant de auditu a fide dignis, & a Majoribus, qui referebant, id ſe a ſuis antiquioribus audiviſſe, & conjunctim de Librorum, Scripturarumque inſpectione, atque lectura, ſimulque de traditionibus antiquis, de certo, publico, notorio, ac de publica, & indubitata voce, communique reputatione; attamen, cum verſemur in antiquis, viventiumque memoriam longe excedentibus, nempe ultra centum, & quinquaginta annos ab obitu hujus Servi Dei, bene probant; cum geſta antiqua probentur per Teſtes de publica voce, & fama deponentes, Innoc. in *c. Veniens*, *num.* 6. *verſ. Et non mireris*, *de verb. ſignific.* Abb. in *c. Inter dilectos*, *num.* 6. *de fide Inſtrum.* Felin. in *c. Veniens*, *il* 1. *num.* 26. *de teſtib.* & *in c. Cum cauſam*, *n.* 9. *verſ. ſed dicas*, *de probat.* Bart. & alii in *l. Si arbiter*, *ff. eodem tit.* Aretin. *conſ.* 37. *num.* 4. Rimin. Jun. *conſ.* 23. *num.* 290. & *ſeqq. lib.* 1. Bellam. *dec.* 70. Caſſand. *dec.* 2. *de probat.* Caputaq. *dec.* 344. *num.* 3. & 347. *num.* 4. *par.* 3. Put. *dec.* 74. *num.* 2. *lib.* 1. & *dec.* 62. *num.* 4. & *dec.* 348. *num.* 1. & 2. *lib.* 2. *in correct.* Seraph. *dec.* 449. *num.* 3. & paſſim in terminis Canonizationum Majores noſtri firmarunt, & nuper fuit late deductum in Relatione B. Gregorii Papæ X. in Articulo Sanctitatis in genere. Quod quidem tempus antiquum in Teſte, ſecundum opinionem Rotæ, eſt ſexaginta annorum. Veral. *dec.* 5. *num.* 3. *part.* 3. Put. *dec.* 103. & *dec.* 506. *num.* 2. *lib.* 2. *in nov.* Paul. Granut. *Theoremat.* 22. *num.* 4. & 5. Farinacc. in *Prax. Crimin. tit. de teſt. quæſt.* 78. *in fin. num.* 145. & ſæpiſſime in cauſis Canonizationum Majores noſtri pariter firmarunt, & nos quoque teſtati ſumus in Relatione B. Thomæ de Villanova in Articulo Fidei.

Quod vero attinet ad Scriptores, & Hiſtoricos, quibus ſtandum eſt, l. 1. *ibi*, *a quibuſdam Scriptoribus traditum eſt*, *ff. de offic. Præf. Prætor.* Abb. Felin. Dec. & alii in *c. Cum cauſam*, *de probat.* Decian. *conſ.* 21. *num.* 29. *vol.* 1. Hieronym. de Monte Brixiano *de Finib. regund. cap.* 62. *num.* 6. Faber. in §. *Item pretium*, *num.* 5. *Inſtit. de empt.* & *vend.* Garz. *de nobilit. Gloſſ.* 18. *num.* 10. Roderic. Suarez *alleg.* 8. *num.* 11. Addentes ad Lup. in *Rub. de donat. in introduct. num.* 2. Lafarte *de Gabellis in Præfat. n.* 23. & 25. Caputaq. *dec.* 190. *par.* 2. Zerol. in *Prax. par.* 1. *in verb. Arma*, *verſ.* 2. & paſſim in aliis Sanctorum Relationibus firmatum fuit, & nuper fuit etiam late deductum in præfata Relatione B. Gregorii Papæ X. *loco allegato*; quod tamen venit intelligendum, quando verſamur in facto antiquo, & hujuſmodi Scriptoribus, atque Hiſtoricis fuit ab antiquo fides adhibita, ut late per Felin. in *c. Ex parte*, *n.* 49. *verſ. Et dum ſupra tactum eſt*, *de reſcriptis*, cum hinc evidenter pateat, hujuſmodi Sanctitatis famam non ſolis hominum mentibus animiſque contentam in membranis etiam domicilium vel immortalitatis duratione perennius, vel gloriæ incrementis amplius ſibi comparaſſe; ideo, omiſſis iis, qui ex profeſſo vitam Regalati ſcripſerunt, nempe Fr. Antonio Daza, & aliis, qui penes præfatum Conventum Aquileriæ manuſcripti aſſervantur, hic aliorum Sanctitatem Regalati teſtantium ſubnectemus verba, ad latinum tamen ſermonem translata, quibus credi poſſe cenſuimus, tum quia verſamur in antiquis, tum etiam quia ipſorum qualitas ſufficientem illis fidem conciliat, maxime cum eorum auctoritas adminiculative ſolum adhibeatur.

Ex Fratre Marco de Lisbona Epiſcopo Portuen. in Chronicis Fratrum Minorum, *Lib. I. Cap. X.*

Fr. Petrus Regalatus, ſeu Vallifoletanus Magiſtrum habuit Fratrem Petrum de Villacreces. Orationi potiſſimum, atque contemplationi a prima uſque juventa virtuti deditus vacavit. Aliquoties in domo Aquileriæ, cui præſidebat, & in Conventu Tribuli quatuordecim leucarum ſpatio diſtante eodem mane Capitulum habuit. Spiritu prophetiæ potitus nocte quadam, dum in Choro Tribuli horis matutinis intereſſet, præfocatam mulierem per flumen Duriam deſcendere cognovit, & una cum Fratribus ad flumen accedens, eam educi, & in loco ſacro humari mandavit, juſtiſque perſolutis, ſignificavit, eam, priuſquam præfocaretur, peccatorum pœnituiſſe, acceptamque a Deo fuiſſe pœnitentiam. Per Quintanilliæ Oppidum tranſiens in reditu admiſſurum ſe ſpopondit quemdam Religionis Habitum avide expoſcentem: ſed rediens, cum defunctus hominem inveniſſet, aperiri juſſit Sepulchrum, aſſerens, mortuum ſibi deberi; apertoque Sepulchro, eumdem Religioſorum Habitu indutum invenerunt, quem ſæcularibus indutum veſtimentis humaverant.

Idem Lib. III. Cap. LXI.

In Conventu Aquileriæ ab hac vita migravit ad Dominum Fr. Petrus Regalatus die Martis, quæ Annum 1456. concluſit. Quam fuerit accepta Deo vita illius, maxima teſtantur miracula quinto ab obitu illius menſe ſubſequuuta, quorum plurima manu publici Tabellionis deſcripta, & authenticis Teſtibus approbata ſunt: quæ Documenta in præfato Conventu aſſervantur. Valetudini reſtituit Mancos, ac Debilitatos quadraginta ſex; in ultimo vitæ termino conſtitutos ſex; binos Surdos ſimul, ac Mutos; Cœcos quinque; tres Paralyticos; duos Morbo Comitiali laborantes; Surdos quatuor; Diſtortos tres: geminos a Lepra, unum a podagra; alium a Febri Ethica abſolvit: tres ruina compreſſos ſanavit: manuum, capitiſque tremorem a tribus abſtulit: tribus ægre parientibus opem tulit: quatuor a Quartana: quinque a crurum, brachiorumque ægritudine; duas mulieres a pectoris infirmitate vindicavit: unam manu mancam, ac mutam; alteram energumenam; aliam dementem: duos homines a Renum languore; binos infantes ab innata deformitate; & quatuordecim alios variis a morbis liberavit. Quamplurima alia patravit miracula, quæ non fuerunt deſcripta: ſed quarto decimo ab obitu illius die res mira admodum evenit, ut publico penes eumdem Conventum documento conſtat. Vicarius ejuſdem Conventus Aquileriæ, ut Servo Dei devotis ſatisfaceret, duobus Fratribus juſſit, ut Sepulchrum illius aperirent, & nonnullas tam ex Habitu, quam e Corpore reliquias deſumerent: & cum terram educere incepiſſent, ſuaviſſimum ſenſerunt odorem, qui eo magis augebatur, quo ſanctum ad Corpus accedebant. Vicarius autem a Fratribus accerſitus, ut pretioſum odorem percipieret, ſe jam a cubiculo uſque præſenſiſſe illum aſſeruit; & duo illi Fratres multis etiam ab illinc diebus eamdem ſenſere fragrantiam: Vicarius vero, cum Reliquias in cubiculum proprium detuliſſet, propter odoris vim magnam a ſomno arcebatur. Cum autem ſanctum iſtud Corpus de mandato Iſabellæ Reginæ Catholicæ translatum fuiſſet in Sepulchrum affabre admodum elaboratum, in quo adhuc quieſcit, repertum eſt omnino integrum, atque incorruptum; & tunc, cum juſſu præfatæ Reginæ quatuor digiti fuiſſent a dicto Corpore amputati, manavit ſanguis adeo recens, eoque colore, ac ſi vivo prodiiſſet e corpore: ex quibus digitis unum Regina habuit; alter repoſitus eſt in loco, in quo Corpus erat antea reconditum; duo alii in Sacrario Aquileriæ remanſerunt, quorum alter fuit poſtea delatus ad Sanctum Franciſcum Matritanum, & in Sacrario oſtenditur.

Ex Libro inſcripto Speculum Minorum, *ſeu Firmamentum Trium Ordinum*, *part.* 1. *fol.* 32.

Alii Viri præcellentes ſcientia, & Sanctitate floruerunt eodem

eodem tempore, utpote B. mem. P. F. Petrus de Regalata, qui innumeris miraculis claruit in vita, & post mortem. Familiæ Domus Dei specialis Pater, patronus, & ædificator extitit, & in eadem Domo Dei honorifice est tumulatus.

Ex Chronicis Regis D. Joannis II. Castellæ, Cap. XXXII. fol. 330.

Fr. Petrus de Villacreces fuit magnus concionator, probatæque admodum vitæ. Illum subsequutus est B. Petrus Vallisoletanus, qui tam vivens, quam defunctus fertur magna patrasse miracula, quorum aliquibus interfuit Inricus Manriquez Episcopus Jacen. postea Archiepiscopus Seguntinus, Prælatus admodum insignis, & fide dignus.

Ex Chronicis manuscriptis Mariani Florentini penes Bibliothecam Fratrum Minorum Strictioris Observantiæ ad S. Isidorum in Urbe.

Fr. Petrus de Regalada scientia, & Sanctitate floruit isto etiam tempore (1450.) in dicta Provincia S. Conceptionis, qui innumeris miraculis claruit in vita, & post mortem. Familiæ Domus Dei specialis Pater, patronus, & ædificator extitit, & in eadem Domo Dei honorifice est tumulatus.

Ex Fratre Petro Rodulpho Tossinianen. in Historia Seraphica, Lib. II. tit. de Regulari Observantia Novæ Familiæ apud Exteras Nationes, fol. 154. a terg.

Adjutusque est P. F. Petrus Villacrecius opera subsidiaria F. Petri a Regalada Pinciani non ab eo & nomine, & re ipsa dissimilis. Ambo spiritu Dei pleni.

Ex Petro de Salazar in Chronicis Provinciæ Castellæ Ordinis Sancti Francisci, Lib. III. Cap. XII. fol. 157.

Fratri Petro de Villacreces pariter fuerunt socii, eumdemque plurimum in Reformatione Observantiæ coadjuvarunt Fr. Petrus de Regalada, & Fr. Petrus de Sanctoyo Sanctitate, & Virtutibus insignes.

Ex Fratre Francisco Gonzaga de Origine Seraphicæ Religionis, par. 1. fol. 9.

Adsequutus (Frater Petrus Villacrecius) deinde hominem sibi per omnia similem, ac omnino secundum cor suum, nempe summæ Religionis Virum, ac Patrem Fratrem Petrum a Regalada Pincianum, qui & spiritu prophetico donatus fuit, illum suis moribus, ac piissimis desideriis informavit, ejusque opera summe adjutus, &c. Is igitur tantus Pater, postquam omnia pro facta sibi facultate suavissime dispositset, neophytum gregem suo successori, atque carissimo discipulo, Patri videlicet Petro Pinciano, committens in Minoritico Conventu, qui Hispanico idiomate Pennafiel nuncupatur, diem vitæ suæ clausit extremum, &c.

Idem dicta par. 1. in Catalogo Beatorum Seraphici Ordinis, fol. 99.

Beatus Petrus a Regalada Hispanus miræ Sanctitatis Vir, atque Regularis Observantiæ apud Hispanos Auctor Virtutibus insignis sanctissime quievit.

Idem in 3. par. Conv. 17. fol. 869.

Quemadmodum B. Pater Petrus Villacrecius Pennafelianum, & B. Petrus a Santoyo Pincianum suis funeribus illustres reddunt, ita quoque B. Petrus a Regalada (cujus Chronicorum nostri Ordinis Auctor 3. sui Operis parte meminit, nosque in Castellæ Provincia mentionem fecimus) præsentem Conventum suo obitu summopere commendat. Nam, ut primum 30. Martii, anno vero Domini 1456. diem clausit extremum, miraculis coruscare cœpit. Quadraginta siquidem, & sex utriusque sexus homines omnino Contractos, tres Paralyticos, duos itidem Leprosos, aliosque quamplurimos gravissime Febricitantes integræ sospitati restituit. Insuper & Surdis auditum, & Mutis affatum, & Cæcis visum, atque Claudis rectificationem suis meritis a Deo Opt. Max. omnium bonorum largitore impetravit. Præterea mortali adhuc carne indutus, dum præcedentis, atque præsentis Domuum, quarum altera ab altera 40. eoque amplius milliariis distat, Vicarium ageret, ad utriusque loci Fratres infra horam Capitulum de religioso more habuit; atque sæpius, strato supra Duriam flumen palliolo, ex una in alteram ripam se transtulit. Cujus denique Corpus, cum per aliquot annos in communi Fratrum Sarcophago jacuisset, inde ad Alabastrinum Sepulchrum opera Sereniss. Elisabethæ Hispaniarum Reginæ fabrefactum translatum extitit; ubi & in maxima veneratione tum a Sæcularibus, tum quoque a Fratribus habetur, & innumera fere miracula contigerunt, atque adhuc hodie contingunt.

Ex Petro Gonzalez in Historia Montis Cælii B. Virginis de Saliceto, Lib. II. Cap. VI.

Humana fragilitas, quamvis vitæ circumscripta limitibus, superiorem consequuta agilitatem, & Cælestium particeps gloriæ, Fidem patratis in alienam opem miraculis insinuans, eloquenti sane testimonio aperit, Sanctum Fratrem Petrum Regalatum Christi sequutum esse vestigia, &c.

Et inferius.

Quare applausus, Fideliumque pietas, tribus eum a Cœlo donatum, contemplabatur, virtute, qua Mancos, Claudos, atque Contractos ad ambulandum restituit; admirabilique vita, atque Orationibus ægros sanavit; Prophetiæ Spiritu, quo futura prospiciebat, prout quando una cum Fratribus e Conventu Tribuli post horas matutinas recitatas egressus est ad ripam fluminis Duriæ, ut mulieris ex desperatione demersæ corpus exciperet, asserens, eam, dum se præcipitem ageret, pœnituisse, ideoque ex Divinæ misericordiæ impulsu sepeliendam, &c.

Et inferius.

Quintanillæ vero Adolescens, cui Regalatus Habitum Religionis promiserat, prædefunctus, cum a Regalato tamquam proprius vindicaretur, aperto Sepulchro, inventus est Religioso Habitu indutus.

Et inferius.

Tandem, ut omnibus constaret, asperitatem, tolerantiam, atque humilitatem Sanctum hunc Angelicæ consortem Naturæ in agilitate itinerum fecisse, cum Aquileriæ Vicarium ageret, a Deo tamquam illius minister obtinuit, ut brevi intervallo locorum distantiam suppleret, & injunctum officii debitum impleret, &c.

Et inferius.

Post felicem vero obitum innumera patravit miracula fanans Surdos, Cæcos, ac Mutos, &, ut inquit Gonzaga, Surdis auditum, Mutis affatum, Cæcis visum, & Claudis rectificationem concessit. Hodie sanctum illius Corpus conquiescit in Alabastrino Sepulchro ipsi extructo a Regina Isabella in Conventu Aquileriæ, in quo in dies novis effulget miraculis ad devotionis incrementum, Religionis honorem, & Divinæ gloriam Majestatis.

Unde negari non potest, quin ex præfatis omnibus resultet plena probatio Famæ Sanctitatis, quam etiam testantur Judices Remissoriales in fine processus *fol.* 408. afferentes, Servum Dei Regalatum communiter haberi pro Sancto.

De Frequentia Populi ad Sepulchrum, ejusdemque Sepulchri, necnon Reliquiarum, & Imaginum Veneratione.

Post Virtutes, communemque hominum opinionem proximum ad Regalati Sanctimoniæ probationem præstat nobis argumentum Veneratio, qua homines interne conceptam ex virtutibus opinionem Sanctitatis exteriori testantur expressione; quæ sane Veneratio erga hunc Dei Servum insignis esse deprehenditur.

Siquidem non solum in illius obitu ex diversis partibus gens plurima ad Sanctitatis Famam accurrit, sed ad illius etiam gloriosum in terris Sepulchrum maximus Fidelium numerus assidue confluxit, ac confluit, ut illius Corpus veneretur, seque ejusdem intercessioni devote commendet; ut super 30. deponunt 1. 3. 4.

ſuper 31. iidem 1. 2. & 3. ac ſuper 32. idem 1. & 7. qui de viſu ſubdunt, Philippum Tertium Regem Catholicum, ac Reginam Margaritam Auſtriacam una cum Archiepiſcopo Toletano, Sedis Apoſtolicæ Nuntjo, quamplurimiſque aliis Epiſcopis ac Proceribus dictum Sepulchrum viſitaſſe; in quo concordant ſuper eodem 32. *Artic.* 8. 12. 13. 14. 15. 16. 17. 18. 19. 21. & 26. qui ſubjungit, decem annorum ſpatio prædictos ſexies idem Sepulchrum viſitaſſe: quem etiam univerſi Populi concurſum, & frequentiam ad dictum Sepulchrum comprobant Judices Remiſſoriales in Proceſſu *fol.* 408. *terg.*

Nec vanas, aut fruſtratorias fuiſſe viſitantium commendationes, & preces, oſtendunt innumera circa idem Sepulchrum appenſa a Fidelibus Vota, ut ſe eorum factos compotes teſtarentur, de quibus ſuper eodem 3. *Art.* deponunt teſtes ſuperius allegati.

Hæc autem Veneratio uniformis etiam colligitur in Reliquias hujus Servi Dei: omnes enim in illius obitu quærebant aliquid de ejus Veſtimentis pro Reliquiis deſumere, ut ſuper eodem 30. iidem 1. 3. & 4. hodieque Fideles ad præfatum Sepulchrum confluunt non ſolum ut Corpus venerentur, ſed etiam Reliquias, nempe Sanguinem, Digitos, Cucullum, Pallium, Calceos, & alia hujuſmodi, de quibus in Viſitatione Sepulchri *fol.* 406. *a terg.* & deponunt ſuper 15. 2. & ſuper 31. 3. 1. & 2. qui de viſu, & facto proprio ſubjungit, eam eſſe Populi in hunc Dei Servum devotionem, ut Fideles ad Sepulchri illius viſitationem confluentes nolint inde recedere, niſi ipſis ejuſdem oſtendantur Reliquiæ, quas ut videant, ac venerentur, ſolent multo temporis ſpatio expectare; prohibetur enim aliquando, ne oſtendantur, ut in Conventu naſcituri tumultus evitentur, &c.

Has vero inter Reliquias inſignem admirationis obtinent locum præfati Digiti, qui in hanc uſque diem incorrupti, integrique aſſervantur, necnon Cucullus, qui adhuc propria ſervatus in integritate, & miri odoris fragrantiam emittens viſitur: quarum Reliquiarum contactu Fideles paſſim obtinent gratias quamplures, & nonnulli priſtinæ ſanitati reſtituuntur, ut prædicta omnia teſtantur ſuper 41. & 42. 1. 2. 11. ac 18. Quin immo Reliquiæ hujuſmodi aliquando per Præſidem Conventus Aquileriani ad Philippum Quartum nunc Hiſpaniarum Regem Catholicum in Arandæ de Duero Oppido tunc gravi infirmitate laborantem delatæ, illique impoſitæ eumdem ad ſomnum revocarunt, a quo experrectus ſtatim in melius progredi cœpit, integreque convaluit; ut ejuſdem Sereniſſimi Regis Majeſtas piiſſimo teſtatur affectu in Litteris ad Excellentiſſimum Comitem de Monterejo apud S. V. Oratorem ſuum tranſmiſſis, & concordant ſuper 42. 2. Teſtis, ſuper *60. 6.* & 11. & ſuper *61. 9.* ac tandem Hiſtoria Vitæ *Cap.* 15.

Nec intra Corpus, aut Servi Dei Reliquias Fidelium Veneratio contenta eſt; ſed ad illius etiam Imagines devota propagatione proceſſit, non ſine inſigni conceptæ de Sanctitate opinionis argumento. Imagines enim, teſte Baſilio *lib. de Spiritu Sanct. Cap.* 18. ad exemplar referuntur, ita ut, cum Picturam in Imagine cernimus, ad veram formam, cujus Imago eſt, mentis oculo tranſeamus, eum, quem Cælo frui credimus, & apud Deum Interceſſorem elegimus, pie venerantes, non ipſi quidem Picturæ Venerationem attribuentes, ſed ejus Imaginem pro noſtro erga eum, qui ſe nobis benignum Interceſſorem exhibet, amore, atque benevolentia complectentes, ut loquitur S. Joannes Damaſcenus *in vita Barlaam cap.* 19. *verſ. Venerandam*, & facit illud Senecæ *Epiſt.* 64. *Quidni ego magnorum Virorum Imagines habeam incitamenta animi, & natales celebrem?*

Imagines vero hujus Servi Dei variis in locis pictas, impreſſaſque conſpici, & conſervari, prout extant, ſuper 31. deponunt 3. & ſuper 32. 1. 3. 5. 9. 14. 16. 20. qui ſubdit, ſolitum fuiſſe Servum Dei Regalatum pingi cum flammis, & ſplendoribus ignis, 23. qui teſtatur de Picturis antiquis, & recentibus, cum quo concordant 24. 28. ac 31.

Quæ omnia clarius etiam comprobantur ex ſerie Viſitationis Sepulchri in proceſſu *a fol.* 402. *uſque ad fol.* 408. in qua Notarius, ac Judices referunt, inveniſſe Sepulchrum Servi Dei ex Alabaſtro elaboratum, & ad menſuram hominis elevatum, in cujus cacumine expoſita conſpiciebatur Statua Regalati, & in ejus ſuperiori parte legebatur Inſcriptio in eodem Alabaſtro inciſa continens ejuſdem Regalati laudes, indicanſque, ipſius Oſſa in eodem Sepulchro conquieſcere, quod Comitiſſa de Haro extruxit. Præfatæ vero Inſcriptionis tenor in eadem Viſitatione ſubſtantialiter relatus per hæc formalia verba habetur:

Jacet ornata Caro, fulgent oſſa quieta, perſeverans Chriſto ſervivit, Mundum ab Infantia fugiens, bonoreſque deſpexit miſerabilis ſæculi. Petrus Regalatus Vicarius de Domo Dei, & Scala Cæli; hic finivit ſub Regulæ Paupertate S. Franciſci, nullum ſæculi quærens præmium; ob gratiam Chriſti, Comitiſſa de Haro adornavit Sepulchrum, in præmium orat pro ea aſſidue Chriſtum, laboribus carnis finem dedit die 2. Reſurrectionis Domini MCCCCLVI. Anno.

Cui quidem Inſcriptioni in antiquo adeo lapide inciſæ plena fides adhibenda eſt; Bald. *conſ.* 319. *vol.* 5. Bart. *conſ.* 135. Abb. in. *c. Quanto, num.* 10. *de Jurejur.* & Gloſſ. in *c. Cum cauſam, in verb. Per libros, de Probat.* Brixianus *de finibus regend. cap.* 63. *num.* 2. Guidop. *deciſ.* 341. *num.* 3. Zerol. in *Prax. part.* 1. *verb. Arma, verſ.* 2.

Ulterius in eadem Viſitatione ſupradicti referunt, in præfato Sepulchro inciſa eſſe plura ejuſdem Regalati miracula, quæ pariter in Tabulis duabus antiquis deſcripta, ac etiam aliis in locis tam Sacelli, quam etiam Conventus, & Eccleſiæ Aquilerianæ depicta conſpiciuntur.

Item circa dictum Sepulchrum innumera adeſſe Vota, lintea ſepulchralia, antiquiſſima fulcra ac baculos; necnon compoſitos ex cera pedes, manus, crura, brachia, aliaque hujuſmodi illic a Fidelibus in recuperatæ valetudinis ſignum, receptarumque Regalati interceſſione gratiarum fidem appenſa.

Imaginem pariter ejuſdem Servi Dei antiquiſſimo opere in Sacrario dicti Conventus reperiri depictam, Diademate, Splendoribuſque Caput ornatam (& hoc quidem in ſignum Regni ſpiritualis, & conſequutæ Beatitudinis argumentum, ut tradit Caſtellanus *de Canonizatione Sanctorum 9. quæſt. principali, verſ. Conſequenter etiam*) & in pœnitentis ſpeciem vultu admodum extenuato expreſſam cum Inſcriptione hujuſmodi: *Anima mea liquefacta eſt tamquam cera liqueſcens in medio ventris mei.*

Plures inſuper magna Veneratione, atque ornatu aſſervari Reliquias ejuſdem Servi Dei, nempe Sudariolum, quo inter meditationes abſtergebat lacrymas, & alterum, quod ſuppoſitum manantem excepit ſanguinem, cum de mandato Reginæ Iſabellæ Manus a reliquo Corpore Regalati amputata eſt, necnon Calceos, Cucullum, Pallium, ac Digitos.

Tabulam præterea admodum antiquam, in qua legebatur inſcripta quædam Antiphona, Oratio, & Verſiculus in laudem Regalati compoſitus.

Ac denique in aperitione Capſæ, in qua recondita erant Oſſa Servi Dei, optimum ſenſiſſe odorem, magnamque fragrantiam; quæ quidem fragrantia, odoriſque ſuavitas ex aliis etiam Reliquiis mirabiliter, & ſupra omnem naturæ conditionem manans, ut dicunt ſuper 41. & 42. 21. 18. & 2. & concordant etiam Judices Remiſſoriales in Proceſſu *fol.* 408. *terg.* inſitæ velut Divinitatis eſt augumentum. Nam, ut inquit Bozius *de Signis Eccleſiæ lib.* 15. *Sign.* 64. *cap.* 8. Sicuti, ne quid ad ſummam felicitatem Corporibus Sanctorum reſurgentium deſit, atque ut ad eorum ſenſus jucundiſſima quæque deferantur, Deus illud conſtituit, ut ex iis, & aliis corporibus, & circumſtantibus odor ſuaviſſimus emittatur; ſic, ut rei hujus aliquod pignus in terris habeamus, mirabiliter providit internum, ut, quamvis naturaliter a defunctorum Cadaveribus fœtor intolerabilis manare ſoleat, a Corporibus tamen Sanctorum mirifici odores, nullamque cum cæteris habentes affinitatem affluentur. Plura in hujus rei teſtimonium exempla de Corporibus Sanctorum Dyſibodi, Leontii Epiſcopi, Humberti, Magdalenæ, Bernardini Senenſis, aliorumque affert idem Bozius, & per Majores noſtros, ac per nos etiam paſſim in Sanctorum Relationibus ponderatum eſt. Unde ex his omnibus negari non poteſt, quin inſignia in hoc Servo Dei Regalato concurrant argumenta Sanctitatis.

DE MIRACULIS.

SEd tranſitum faciamus ad miracula, quæ, ſicuti magis certam atque indubitatam Sanctitatis fidem afferunt, ſic juxta S. R. E. Ritum, & Sacrorum Canonum Sanctiones in promovendis ad Canonizationem requiruntur, DD. in *cap.* 1. *de Relig. & Venerat. Sanctorum* & de communi omnium ſententia teſtatur Caſtel-

UAB Biblioteca de Ciències Socials

Caſtellan. *loco ſæpius citato, quæſt.* 5. *verſ. Quinto*, neceſſaria. In quo quidem Articulo, omiſſis conſulto diſputationibus, quæ miraculorum eſſentiam, requiſita, operationes, gradus, probationemque reſpiciunt, de quibus Majores noſtri, & nos quoque in præcedentibus Sanctorum Relationibus diſceptavimus, nonnulla ſubjiciemus miracula ex illis, quæ Omnipotens, & in Sanctis ſuis mirabilis Deus, Regalato intercedente, operatus eſt. Innumera enim glorioſum hunc Servum Dei patraſſe miracula, colligitur ex teſtium depoſitionibus, de quibus in proceſſu, ex Hiſtoricorum relationibus ſuperius inſertis, ac eorum præcipue, qui vitam Regalati ſcripſerunt, ac denique ex tenore ſupra ponderatæ Viſitationis, in qua non ſolum exprimuntur miracula in Sepulchro Alabaſtrino antiquo opere inciſa, quorum ſingularis habenda eſt ratio, ut de Inſcriptione ejuſdem Sepulchri jam fuit conſideratum, & plura alia referuntur in Conventu, atque Eccleſia depicta, necnon duabus antiquis Tabulis deſcripta, quæ Tabulæ, ſi neceſſaria concurrant requiſita, ſolent fidem mereri, ut nuper fuit firmatum in præcitata Relatione Beati Gregorii *in primo miraculo*, ſed Notarius teſtatur, in Archivio Conventus Aquileriæ vidiſſe, ac reperiri Librum in forma authentica, in quo habentur centum, & ſexdecim miracula Regalati interceſſione operata, ac legali Notariorum manu ſcripta, illaque poſtmodum Anno 1456. coram Alphonſo Fernandez Vicario, & Judice Eccleſiaſtico Oppidi de Aranda, ac Joanne Martinez de Sancto Dominico Rectore Villænovæ, Didaco Diez de Palacios, necnon Joanne Sanchez de Aranda publicis Notariis fuiſſe auctorizata, & approbata; ac tandem Anno 1550. coram Petro Alphonſo de Alameda Archipresbytero, & ejuſdem Oppidi de Aranda Judice Apoſtolico, & Licentiato Franciſco de Villa Fag Correctore, necnon coram Chriſtophoro Ortunno, Ferdinando Hermoſo, & Gregorio de Aranda Regiis Actuariis, & Notariis Apoſtolicis fuiſſe tranſumptata, & utrumque Librum, tam Originalem, quam tranſumptatum, in publica forma reperiri ſignatum, atque authenticatum, &c. Proponemus igitur primo loco nonnulla ex miraculis, quæ Regalatus vivens, Deo operante, patravit: ſecundo autem loco aliqua ex iis ſubnectemus, quæ idem Deus Omnipotens defuncti Servi ſui interceſſione operatus eſt.

MIRACULUM PRIMUM IN VITA.

Panis, ac Carnis fruſta Pauperibus diſtribuenda in Roſas convertit.

MIſericors fuit adeo in Pauperes Regalatus, ut illius liberalitas prodigalitatis ſuſpicionem aliquando injecerit: quadam enim vice reſidens in Conventu Tribuli, cum Triclinii reliquias, hoc eſt nonnulla panis, & carnis fruſtra in Habitus complicato limbo clam recondita deferret, incidit in Vicarium Conventus; a quo interrogatus, quid illic repoſitum geſtaret, ut Superioris vel evitaret indignationem, cujus periculum ſuſpecta in Pauperes liberalitas fecerat, vel nimiam in Pauperes ſolicitudinem, Deo inſpirante, redargueret, reſpondit, ſe Flores deferre: ſed, Vicario rei veritatem eo magis inquirente, quo Flores erant ab eo tempore alieni, cum Regalatus ſinum Habitus explicuiſſet, compertum fuit, Divinæ Providentiam Bonitatis panem in candidas, carnem vero in purpureas Roſas commutaſſe. Ita ſuper 38. *Art.* de auditu a ſenioribus fide dignis, de publico, ac notorio, publicaque, & indubitata voce, & fama, necnon antiquis traditionibus concludunt 1. 3. 9. 11. 12. 13. 15. 17. 23. 25. atque 60. teſtes, qui ſubdunt, hoc factum inter alia miracula depictum conſpici; cum quibus concordat Hiſtoria Vitæ *Cap. XI.*

Id vero adſcribendum eſſe miraculo, patet evidenter, cum vires naturæ omnino excedat, non quidem quoad ſubſtantiam facti, cum natura valeat creare Roſas, ſed quoad ſubjectum, in quo evenit, ex quo natura ex fruſto panis, aut carnis Roſas creare non poteſt; ut in ſimili de pecuniis in roſas converſis ponderavimus in Relatione Sanctæ Eliſabethæ Reginæ Portugalliæ in poſtremo miraculo in Vita. Nec peregrina, aut aliena a Caritate ſunt hujuſmodi miracula: qui enim quinque Panes multiplicavit, Aquam Ægypti tranſmutavit in ſanguinem, Virgam in ſerpentem, Flammamque in rorem tranſtulit, multo facilius glorioſa hujuſmodi operatur miracula, ut Eleemoſynæ virtutem, ac meritum comprobet, ut inquit Auctor in Vita Joannis Eleemoſynarii *cap.* 9. ubi quid ſimile refert de ſtanno in argentum converſo per eleemoſynam Joannis, & e contrario non diſſimilia etiam operatur crudelis erga Pauperes avaritia. Aliquando enim, dum Nauclerus quidam Pæperi eleemoſynam negaret ſimulate prætexens, ſibi nihil præter lapides ſuppetere, ſtatim omnia, quæ in Navi erant comeſtibilia, in ſaxa, & lapides converſa ſunt; ut teſtatur Gregorius Turonenſis *de Gloria Confeſſorum cap.* 108. in Hiſtoria Patrum *fol.* 350. ſubdens, impudentem avaritiam pauperem feciſſe hominem, qui non porrigendo Pauperi, putavit ſe poſſe fieri ditiorem.

Nec reprehendenda, quin immo commendanda eſt hæc Regalati liberalitas in Pauperes: licet enim Religioſus non poſſit eleemoſynas facere ſine conſenſu Superioris, ut de Filiofamilias tradit S. Thom. 2. 2. *qu.* 32. *art.* 8. *in reſponſione ad* 3. attamen, ut inquit idem S. Doctor, Concluſio non habet locum in modica eleemoſyna, quam Filius præſumere poteſt Patri non diſplicere, Alexand. de Ales 4. *par. memb.* 4. *art.* 3. *in reſolutione*, prout etiam non habet locum, quando Filiusfamilias illam eleemoſynam, quam facit bona fide, credit ratam habiturum Patrem, Azor. *Inſtit. Moral. par.* 2. *lib.* 12. *cap.* 10. *poſt princ.* & conſentit Leonardus Leſſius *lib.* 2. *cap.* 12. *dub.* 1. *num.* 79. In propoſito autem, cum eleemoſyna eſſet de fruſtis panis, ac carnis, quæ in menſa ſuperfuerant, ut declarat 9. Teſtis, & Hiſtoria Vitæ *d. cap. XI.* negari non poteſt, quin eſſet admodum modica, & ſic nulla ratione contra permiſſionem Superioris, cujus ſolicitudo in hoc caſu verſabatur circa ſuſpicionem exceſſus, & profuſæ prodigalitatis: & tollit omnem difficultatem miraculum ipſum, quod non permiſſiſſet Deus, ſi vel circa leviſſimam rei illicitæ materiam potuiſſet verſari; maxime cum id omne a Regalato præſtitum cenſeri poſſit, Deo inſpirante, ut meritum Caritatis Servi ſui in Pauperes comprobaret.

MIRACULUM SECUNDUM IN VITA.

Orans in ecſtaſim rapitur, ingentemque diffundit ſplendorem.

SÆpenumero, dum Orationi, cui impenſe addictus erat, Regalatus incumberet, in ſuaviſſimam mentis ecſtaſim raptus eſt, in qua dum conſtituras eſſet, facies ejus ad ſimilitudinem flammæ coruſcans ingentem late ſplendorem diffudit, qui Cubiculi clauſtro non concluſus, ſed, perruptis tecti retinaculis, ſurſum in liberiorem aeris campum erumpens, luculenti ſpeciem ignis procul adſpicientibus præbuit. Accidit quadam nocte, ut Incolæ Oppidi de Gomiel de Mercado Monaſterium Oppidi de Aquilera, in quo Petrus morabatur, magno fulgore collucere animadverterent, idque incendio conflagrare exiſtimantes, feſtini ad opem ferendam accurrerent. Hi, poſtquam, emenſo, quæ locorum diſtantia erat, mille quingentorum paſſuum ſpatio, ad Cœnobium pervenere, nullum ibi ignem, aut ignis veſtigium reperientes manifeſte perſpexerunt, eam luminis claritatem a Regalati Cubiculo effundi. O nobilem Servorum Dei prærogativam! Quid mirum ab illo pectore vitiorum flammas exulaſſe, in quo tam ardentia Divini Amoris incendia conciperentur? Aderat tunc temporis in Oppido de Aquilera Epiſcopus Burgenſis, cujus in Diœceſi Regio erat; qui, ut tam inſigne miraculum ex illis, qui viderant, intellexit, ab eis enixe petiit, ut, ſi denuo id videri contigiſſet, illico certiorem ſe facerent, uti & ipſe pulcherrimo ſpectaculo frueretur. Nec diu Præſul expectavit. Ecce in ſequenti nocte beatum iteratur Incendium: accurrunt, quibus hoc muneris erat impoſitum; Epiſcopo rem ſignificant: domo is egreditur; quod optaverat, videt; neque ſe continet, quin exclamet: Jure Monaſterium hoc Domus Dei vocari poteſt, in quo talis Dei Servus inhabitat. Epiſcopi vocem Populi conſenſus excepit, atque ex illo Cœnobium hoc Domus Dei vulgo appellari cœpit, hodieque appellatur.

Ita de auditu a ſenioribus fide dignis, qui afferebant, id audiviſſe a Majoribus, qui propriis oculis viderant, de publico, ac notorio, publicaque voce, & fama ſuper 12. 7. 25. 15. 9. 13. 60. & alii deponunt, qui etiam paſſim ſubdunt, inter cætera miracula picturis expreſſa Regalatum hodie cum iiſdem flammis orantem depictum conſpici in Conventu Aquileriæ. Hi vero teſtes, cum verſemur in antiquis, ultra centum, & quinquaginta annos, optime probant, ut ſuperius firmatum fuit in *Art. famæ Sanctitatis.*

Ad

Ad quorum teſtium confirmationem primo accedit fides Notarii in viſitatione Sepulchri in proceſſu *fol.* 404. qui teſtatur, intra Eccleſiam Conventus Aquilerіæ reperiri majorem Picturæ Tabulam, quæ Servum Dei in oratione flammas, ſplendoreſque fundentem repræſentat cum Inſcriptione miraculum ſuperius enarratum continente.

Secundo concurrit Hiſtoria vitæ *Cap. X.* ubi aſſeritur, id non tam in Conventu Aquilerіæ, ſed etiam in Cœnobio Tribuli hoc eſt, *dell' Abrojo*, eveniſſe.

Id vero adſcribendum eſſe miraculo apertiſſime conſtat: ab humani enim corporis natura omnino alienæ ſunt prodigiales hujuſmodi flammæ, quas nullo enutritas alimento non alius ardor confovebat, quam ille, cujus Incendiis Regalatus gloriari poterat dicens, *Cor meum concaluit intra me, & in meditatione mea exardeſcet ignis*; ille ſcilicet ignis, qui circa ipſius Caput ad deſignanda futuræ Beatitudinis auſpicia præluxit: eorum enim Vultus cum Radiis pinguntur, qui Beati reputantur, teſte Caſtellano *de Canonizatione Sanctorum 9. quæſt. principali verſ. Conſequitur etiam, in fine*, ut ſuperius dictum eſt.

Sed iſta eſt vulgaris Sanctorum prærogativa, ut futuræ Beatitatis gloria, properata vororum felicitate, interdum Corporibus illorum communicetur, ſeque ut prodat, eluceſcat interdum luce quadam mirabili, & conſpicua; ut elegantер dicit Thomas Bozius *de Signis Eccl. lib.* 15. *Sign.* 61. *cap.* 5. inter exempla plurimorum, qui flammis, & ſplendoribus emicare videbantur, referens, Bononium Abbatem, cum ſe aliquando ex itinere in Diverſorium ad orationem recepiſſet, maxima undique luce fuiſſe circumdatum in ipſa nocte; quocirca vicinos exiſtimantes, locum conflagrare incendio accurriſſe, ut illud extinguerent. Simile etiam de Seraphico Franciſco recenſet, quo de rebus cæleſtibus in menſa loquente, abſtracti ſunt omnes a ſenſibus, viſa omnia circumcirca ardere, & ingens undique incendium excitari: accurrunt undique Aſſiſiates, ignem nullum vident, ſed cunctos in Divinorum obtutu defixos. Subdit inſuper, Antoninum Archiepiſcopum Florentinum, dum precaretur Deum, cœleſti quodam lumine viſum totum Cubiculum perfundere; pariterque Ignatium Loyolam viſum eſſe aliquando in precibus nocte intempeſta, nonnullis ipſum de induſtria obſervantibus, tota facie mirum in modum radiare. Ita ut hinc intelligamus, Corporibus Sanctorum viventibus quandoque communicari Beatorum Corporum dotes, eumque ſplendorem, quo in ſæculorum æternitates poſt reſurrectionem fulgebunt.

MIRACULUM TERTIUM IN VITA.

Defuncto, & jam ſepulto dat habitum S. Franciſci.

CUm aliquando ab Oppido de Aquilera ad Oppidum Abroyo Regalatus iter faceret, perque locum, cui Quintanilla nomen eſt, tranſiret, acceſſit ad eum Juvenis quidam non modico profitendi Franciſcanum Inſtitutum deſiderio flagrans, utque ad ſuſcipiendum habitum admitteretur poſtulans. Agnovit Petrus pietatem rogantis, &, ſe quidem, cum reverteretur, habitum ipſi daturum reſpondit; ceterum illa ipſa hora ſe in Franciſcanam eum recipere Familiam. Pervenit ad Oppidum de Abroyo Petrus, ibique dies aliquot moratus eſt. Interim Juvenis præfatus moritur, ac ſepulturæ traditur. Revertitur Petrus, perque locum illum tranſiens ex Propinquis intelligit, Juvenem exceſſiſſe cum vehementi Franciſcani habitus deſiderio. Quibus reſpondens Regalatus, Jam meus eſt, inquit: eum enim in Religioſorum numerum receperam, habitumque ei conceſſeram. Perſtabant illi, &, eum re vera Habitum non accepiſſe, ajebant. Tum Petrus, Accepit, inquit; eoque nunc indutus eſt: aperite Sepulchrum, ſi libet, & inſpicite. Aperuerunt itaque Propinqui Sepulchrum; &, quem ſindone involutum humaverant, Franciſcano indutum habitu repererunt.

Factum iſtud conludunt teſtes, ut ſupra, de publica voce, & fama, & aliis, deponentes, nempe ſuper 60. *Art.* 2. 3. 17. 23. 26. & alii; quorum plurimi teſtantur, id factum reperiri depictum inter alia miracula in eodem Conventu Domus Dei de Aquileria: cum quibus etiam ſuper hoc concordat viſitatio Sepulchri in proceſſu *fol.* 403. *terg.* Accedit etiam auctoritas Hiſtoricorum ſuperius relatorum, qui idem factum recenſent, nempe Fratris Marci de Lisbona, Fr. Petri Gonzalez, & Hiſtoriæ vitæ *d. Cap. X. fol.* 91.

Id vero miraculoſe factum, patet evidenter: in defuncti enim Cadavere Veſtium mutatio nullo naturæ miniſterio adjuta ad illius ſolam dexteram referenda eſt, qui Fidelium vota, immutatis etiam hæſitantis ejuſdem naturæ legibus, facile exaudit, & pronos in ſe ipſum Religioſorum affectus pro effectibus acceptos munifice, libenterque compenſat.

Quod vero Religionis iſte Habitus Regalati interceſſione fuerit defuncto Juveni conceſſus, in aperto eſt: cum id ſe omnino in reditu facturum promiſiſſet, & a ſe præſtitum indicaverit Regalatus.

MIRACULUM QUARTUM IN VITA.

Unius horæ ſpatio duorum, & quadraginta milliarium iter abſolvit.

PRæerat Petrus eodem tempore duobus Cœnobiis, loci videlicet Domus Dei de Aquilera nuncupati, & loci Tribuli, vulgo de Abroyo, in Regno Caſtellæ. Examinanda erant ſtato tempore pro Religioſorum more acta ſingulorum, & providenda, quæ ad Cœnobiorum regimen viderentur neceſſaria, quod vulgo Capitulum habere dicimus. Munere ſuo Petrus jam hac in re functus erat in loco de Aquilera, cum illico iter verſus locum de Abroyo, ac diſcalceatus arripuit, ibi quoque ea, quæ ex re forent, exequuturus. Sed noluit Divina Bonitas, corpus illius fatigari, cujus ſpiritus amando non fatigaretur, Servumque ſuum minore, quam unius horæ, ſpatio ad locum de Abroyo (duorum, & quadraginta milliarium Italicorum iter eſt) traduxit; adeo ut, qui in loco de Aquilera hora ſeptima matutina Capitulo, ut vocant, præfederat, hora octava in loco de Abroyo eodem officio fungeretur.

Ita more ſolito de publica voce, & fama, aliiſque ſuper 34. deponunt 3. 12. 13. 18. 25. 60. & alii; cum quibus concordant Fr. Marcus de Lisbona, Fr. Franciſcus Gonzaga, Fr. Petrus Gonzalez *locis ſupra citatis*, & Hiſtoria vitæ *d. Cap. X. fol.* 92. *terg.*

Iter hujuſmodi quadraginta duorum milliarium tam brevi unius horæ ſpatio naturaliter abſolvi non poteſt, quamvis perniciſſimus in curſum Equus adigeretur; ideoque multo magis eidem impar itineri dicendus eſt ſenex pedibus denudatis, viribuſque infirmis incedens: unde jure merito id miraculo adſcribendum eſſe, cenſuimus. Breviſſimo enim temporis intervallo ex aliis in alia loca tranſferri, id humanis corporibus nullatenus conceſſum: id tamen Corpora Beatorum rediviva facillime aſſequentur, & dicto citius, quocumque animus ferret, ibi continuo ſe ſiſtent. Interim vero, ut aliquod tantæ rei pignus habeatur, hanc etiam miræ agilitatis dotem viventium Sanctorum Corporibus communicare Deus interdum ſolet, ut his plane verbis teſtatur idem Thomas Bozius *de Signis Eccleſiæ lib.* 15. *Sign.* 61. *cap.* 5. quo referente, Apoſtoli per diverſa Orbis loca diſperſi eodem tempore in ſublime arrepti Hieroſolymis ad obitum Sanctiſſimæ Virginis convenerunt; Theodoſius Cœnobiarcha Ponticus ſæpius, cum longiſſime diſtaret, re vera apparuit petentibus opem ſuam: & Sanctus Antonius Ulyſſiponen. Patavio Ulyſſiponem divinitus nocte una eſt delatus, prout etiam teſtatur Petrus Gonzalez *loco ſupra citato*, *fol.* 224.

MIRACULUM QUINTUM IN VITA.

Flumina, extenſo ſuper undas Pallio, tranſgreditur.

QUotieſcumque iter faciens ad Duriam, aliave Flumina Regalatus perveniſſet, ac Navicula, qua veheretur, non eſſet ad manum, Pallium ſuper undas extendebat, illudque, aquis prius Cruce ſignatis, una cum Socio inſiſtens ad alteram ripam nulla madefactus undarum adſpergine deferebatur. Par erat, ut ei, qui puro Deum corde coleret, obſecundaret unda, venti adſpirarent, ipſa rerum natura ancillaretur.

Ita ſuper 36. pariter de publica voce, & fama more conſueto deponunt 3. 4. 7. 8. 10. 11. 13. 18. & alii; ex quibus nonnulli, nempe 3. 4. 7. 13. inter alia miracula id quoque depictum eſſe, aſſerunt, prout & conſtat ex Viſitatione Sepulchri *fol.* 404. *terg.* & concordant Petrus Gonzalez, Petrus de Salazar, & Frater Franciſcus Gonzaga *locis citatis*, & Hiſtoria vitæ *loco pariter allegato.*

Cum naturalibus principiis omnino repugnet, ut aquæ ele-

elementum corpore ſuſtineat graviora, quæ ſuopte nutu ima petunt, ideo Regalatum ſuper aquas profundas, nulla vi natationis, vel alia re ſuſtinente, miraculoſe cenſuimus ambulaſſe dexteræ auxilio illius, (a) paterna cujus providentia ab initio cuncta gubernat, quoniam dedit in Mari viam, & inter fluctus ſemitam firmiſſimam oſtendit, quia potens eſt ex omnibus ſanare, etiamſi ſine Rate quis adeat Mare; (b) qui ſiccavit Mare aquam abyſſi vehementis; qui poſuit profundum Maris viam, ut tranſirent filii Iſrael liberati. Hanc enim agilitatis dotem Sanctorum Corporibus communicare Deus interdum ſolet, ut ſuperius ex Bozio deduximus: quo etiam teſte *loco præcitato*, Quirinus Martyr alligatus ad ſaxum, demerſuſque in flumen enatavit, & placide ſuper aquas ambulavit, ſuſtinentibus ſaxum, ferentibuſque undis; & Maria Ægyptiaca ſuper Jordanis aquas, ſigno Crucis impreſſo, bis aſcendit ſuper eas, & ambulans liquidum ſuper Æquoris fluctum ibat, quaſi per ſolidum iter, ut refert Hieronymus, ſeu quivis alius *in illius vita cap.* 22. *&* 23. Franciſcus Abbas flumen tranſmiſit ſuper aquas deambulans, Beſarion Chryſoroan fluvium pedibus tranſivit, ut in Vitis Patrum *lib. 6. libello* 2. *num.* 2. *fol.* 649. & proximum magis eſt factum S. Raymundi de Pennaforte, qui Pallio quoque inſiſtens Mare transfretavit, ut in ipſius Sanctitatis Relatione Majores noſtri ponderarunt.

MIRACULUM SEXTUM IN VITA.

Religioſis pane deſtitutis ſuccurrit.

Hiemali quadam die in Monaſterio Domus Dei de Aquileria panis, cereaque edulia, quibus Religioſi veſcerentur, omnino defecerant, nec aliunde poterant adferri, cum eſſent omnia nivibus obſita, & aquis impedita. Præſidebat Monaſterio Petrus, qui, ſigno, quo ad menſam Religioſi vocarentur, dari juſſo, Patrem miſericordiarum orare cœpit, ut egenti Familiæ ſuæ ſubveniret. Interim, dum Religioſi, qui ſe ad menſam audierant invitari, ſe invicem circumſpiciunt, pulſatur oſtium. Accurrit Oſtiarius, quid hoc rei eſſet, inſpecturus, & ecce Mulam pane onuſtam ſine Agaſone, aliove duce ad oſtium ſtantem. Agnitum eſt miraculum, accepti panes, ſtatimque Mula evanuit: Religioſi vero abunde refecti ſunt.

Ita ſuper 35. de publica voce, & fama, & aliis deponunt 13. 20. 21. 24. 25. 26. 60. & alii; qui etiam teſtantur, hoc inter cetera miracula Servi Dei interceſſione a Deo operata depictum in eodem Conventu Aquileriæ reperiri; cum quibus concordat Hiſtoria vitæ *Cap. XII. fol.* 100.

Mulam vero iſtam, quæ inter indigentis naturæ anguſtias poſt ſuppeditatum abunde panem evanuit, miraculoſe tranſmiſſam cenſuimus ab illius providentia, qui ſe timentibus dat eſcam, & mandat nubibus deſuper, Januas Cæli aperit, ut pluant filiis Iſrael manna ad manducandum, panem Cæli dans ei, & cibum mittens in abundantia. Sic enim, teſte Hieronymo, Corvus leniter ſubvolans panem Paulo Primo Eremitæ defert: & Deus Optimus Maximus, ut refert Ruffinus Aquilejenſis, annonam cæleſtem præbuit in deſerto cuidam Monacho, qui ſupernum Regem pervigilibus præſtolabatur excubiis; ut enim cibi uſum naturæ poſcebat neceſſitas, ingrediens ſpeluncam inveniebat menſæ panem ſuperpoſitum miræ ſuavitatis, mirique candoris: & ſimile narrat Palladius Helenopolitanus Epiſcopus de Abbate Joanne, cui dabat Deus ſuper menſam panem duorum, vel trium dierum, ut & videretur, & eſſet, eoque uteretur, & ingrediens ſpeluncam, quando ſentiebat corpus indigere, inveniebat nutrimentum: prout etiam eveniſſe narrat Abbati Eliæ, ad quem cum plures Fratres acceſſiſſent, pane deficiens, ingreſſus Cellam mœrore animi confectus ob penuriam cibi invenit tres recentes panes illic poſitos, quos lætus accepit, & appoſuit; cum autem viginti Viri comediſſent ad ſatietatem, ſuperfuit unus, quo de menſa ſublato, uſus eſt vigintiquinque diebus.

Hanc vero Mulam Regalati interceſſione tranſmiſſam fuiſſe mirabiliter, ſatis indicant convocati ad imparatam menſam juſſu illius Religioſi, necnon ad Deum ab ipſo preces emiſſæ.

MIRACULUM SEPTIMUM IN VITA.

Prædicit adventum Epiſcopi Palentini, & Gibboſum ſanat.

Decumbebat ex lethali morbo Petrus; cumque jam Sacroſanctæ Euchariſtiæ Viatico munitus eſſet, ac Religioſi Extremam ei Unctionem præpararent, eos ipſe admonuit, ut expectarent pauliſper, adventare miſſum a Deo Epiſcopum Palentinum, a quo ſibi hoc Sacramentum impertiretur. Nec mora, adeſt Epiſcopus Nepotem ſuum ſecum adducens peſſimo deformem Gibbo. Extremam Unctionem Petro Epiſcopus contulit, eumque deinde rogavit, ut Nepoti ſuo ſanitatem a Domino impetraret. Oravit Regalatus, adfuitque Servi ſui precibus Deus: etenim qui curvus eo, atque Gibboſus venerat, rectus inde, omnique a Gibbo liber receſſit.

Ita de publica eadem voce, & fama, aliiſque, ut ſupra, deponunt ſuper 29. 3. 6. 9. 14. 16. 18. 20. & alii, qui ſubdunt, factum iſtud inciſum conſpici in Sepulchro Servi Dei, ac etiam inter miracula in eodem Conventu Aquileriæ depictum eſſe, prout etiam comprobat Viſitatio Sepulchri *fol.* 402. *&* 404. *terg.* & concordat Hiſtoria vitæ *dicto Cap. XII. fol.* 101. *terg. & Cap. X. fol.* 90. *terg.*

Secundum Philoſophos de futuris contigentibus nulla eſt certa, & determinata veritas, cum humani intellectus cognitio ad ea proſpicienda non extendatur, quæ divina, vel humana voluntate futurum ſortiuntur eventum: prout idem etiam Divina teſtatur Sapientia apud Iſaiam, dum Simulacrorum redarguens mendacia, (c) *Annunciate*, inquit, *quæ ventura ſunt in futurum, & ſciemus, qui Dii eſtis vos*. Hinc fit, ut jure merito exiſtimemus, futurum Epiſcopi Palentini adventum miraculoſe revelatum Servo Dei, qui etiam, ut ſupra attigimus, Prophetiæ dono inſignitus fuit a Deo optimo Maximo, qui futurarum rerum oracula Dilectis ſuis pandere conſuevit; ut de Aloyſio Bertrando, Catharina Raconiſia, & aliis refert idem Bozius *loco ſuperius allegato lib. 6. Sign. 19. cap.* 2. & per nos etiam ponderatum fuit in *Relationibus Mariæ Magdalenæ de Pazzis, ac B. Catharinæ de Ricciis*, & factum huic ſimile de Euſebio Cæſarienſi narrat Hieronymus in *Vita Baſilii cap.* 5. Cum enim Baſilius una cum Eubulo ad Cappadocenſium Regionem properaret, jam jamque ingreſſuri eſſent Cæſarienſium Civitatem, in Viſione noctis revelatus eſt tunc Epiſcopo ipſius Urbis Euſebio eorum adventus.

Subſequutam pariter Gibboſi curationem miraculoſam fuiſſe, cenſuimus non tam ex qualitate morbi, qui propter induratam, atque conſolidatam membrorum attractionem difficillime medicamentis curatur, ut tradit Hieronymus Capivacc. in *Prax. lib.* 1. *cap.* 25. Fernel. *de part. morb. & ſymptomatib. lib.* 5. *cap.* 3. §. *Convulſio*, ſed quia eadem curatio abſque medicamentis ſtatim poſt preces Deo porrectas a Regalato ſubſequuta eſt; quæ inſtantanea ſanatio ab hujuſmodi morbis omnino aliena, ut teſtantur Capivacc. & Fernelius *locis citatis*, & tamquam excludens miniſterium naturæ per temporaneas, & ſucceſſivas alterationes operantis, ex Ariſtotele *lib.* 4. *Phyſicor. cap.* 14. miraculum arguit, Archidiacon. in *c. Nec mirum, num.* 6. *&* 8. *& ibidem* Bellam. *num.* 5. 26. *qu.* 5.

Quod autem curatio hujuſmodi miraculoſa Regalati interceſſione emanaverit, abunde teſtantur & præcedens ipſi facta commendatio, & porrectæ ab eodem preces.

MIRACULUM PRIMUM POST MORTEM.

Defunctus Pauperi panem porrigit.

Acceſſit aliquando ad Monaſterium de Aquilera poſt Petri obitum Mendicus quidam eleemoſynam, ut fieri adſolet, ab Oſtiario petens: ſed, cum jam inter eos, qui priores venerant, quicquid eleemoſynæ dari poterat, diſtributum eſſet, nihil recepit; vicemque ſuam dolens Eccleſiam ingreſſus eſt, poſitiſque ad Regalati Sepulchrum genibus, Si tu, Beate Dei Serve, inquit, viveres, procul dubio neque ego fame perirem, & mihi eleemoſyna non deeſſet. Ad quæ verba

(o rem

(a) Sap. 14. 3. (b) Eſai. 52. d. (c) Cap. 41.

(o rem præclaram!) apertum eſt Sepulchrum, brachiumque ſuum Petrus excruit, & panem unum Pauperi porrexit; quem cum ille accepiſſet, brachium Regalatus retraxit, clauſumque eſt Sepulchrum, uti prius. Magnam profecto caritatem viventis fuiſſe oportuit, cujus tam inſigne documentum præbuerit mortuus.

Ita de auditu, ac publica voce, & fama, ut ſupra, deponunt ſuper 43. primus, 2. 6. 9. & alii, qui pariter teſtantur, hoc etiam inter alia ejuſdem Servi Dei Miracula depictum reperiri; ſuper quo concordat Viſitatio Sepulchri *fol.* 405. *terg.* & Hiſtoria vitæ *Cap. XIII. fol.* 103. *terg.*

Miraculoſum ſane, & adverſus omnia naturæ principia eſſe conſtat, ut nullo ejuſdem hæſitantis naturæ miniſterio Marmoreum aperiatur Sepulchrum, & Cadaver vitalibus fungatur officiis, ac ſi vivido adhuc revocatæ humanitatis ſpiritu regeretur. Sed iſta Divinæ Dexteræ in Sanctorum gloriam paſſim obvia: Sancti enim, quamvis ex hac luce migraverint, dormire tamen, ac quieſcere dicuntur, ut, ſimul ac Deus adnuerit, exurgant, & ad peragenda vitæ munia procedant; ut inquit idem Bozius *locis citatis lib.* 15. *Sign.* 65. *c.* 9. qui plura in hanc rem adducit exempla de Dionyſio Areopagita, Urſo, Victore, ac Sociis capita obtruncata manu geſtantibus, de Abacino æternam ſibi vitam in obedientiæ præmium conceſſam e Sepulchro reſpondente, & aliis.

MIRACULUM SECUNDUM POST MORTEM.

Sanguis recens e Regalati Corpore ſextum, & trigeſimum annum ſepulto emicat.

POſtquam Petrus, expleto vitæ curriculo, Cæleſtem migravit in Patriam, Corpus ejus ſepulturæ datum eſt in loco, in quo cæteri ejuſdem Cœnobii Religioſi humari conſueverant: ubi cum per ſex, & triginta annorum ſpatium quieviſſet, Iſabella Caſtellæ Regina Fama Sanctitatis Servi Dei, quæ late per Hiſpanias percrebuerat; excita ad Venerabile illius Corpus inviſendum ſe contulit. Quod cum, ipſa rogante, exhumatum eſſet, ſuavem emiſit odorem, & ita tractabile fuit, ut recenter ſpiritu deſtitutum videretur. Dum Regina, ut aliquid inde Reliquiarum ſecum auferret, dexteram Manum abſcindi, ſibique tradi, petiit. Mirandum dictu! cum abſcinderetur Manus, magna inde recentis, vivaciſque Sanguinis copia profluxit, pannoſque Brachio ſuppoſitos ubertim madefecit, qui in hodiernum uſque diem in eodem Monaſterio de Aquilera aſſervantur, Advenisque oſtenduntur. Regina vero ad digniorem tam Venerabilis Corporis cuſtodiam, Alabaſtrinum ei Sepulcrum conſtrui curavit, ſubque Altari majori, ubi nunc viſitur, collocari.

Ita more ſolito deponunt ſuper 40. 1. 2. 3. 18. 22. & alii teſtes, & concordat F. Marcus de Liſbona, & Petrus Gonzalez *locis ſuperius inſertis*, necnon Hiſtoria vitæ *Cap.* 15. *fol.* 130. & Viſitatio Sepulchri *fol.* 406.

Poſt animæ ſeparationem a Corpore jure merito Cadaveris corruptionem natura depoſcit, ut ex pulvere compactum in pulverem redigat. Hinc ſane intelligimus Regalati Corpus a corruptionis labe per tot annos vindicatum opera illius, cujus admirari libet providentiam, qui tot Cadavera Sanctorum abjecta, inhumata, per multos annos omnibus temporum, aeris, aquarum, beſtiarumque injuriis obnoxia, incorrupta prorſus, nullaque ex parte læſa conſervat, juxta illud (quod tamen de Chriſto intelligendum eſſe, dixit Gloſſ. in *cap. Et hoc diximus, in verb. Deſcendo*, 17. *q.* 7. (a) *Non dabis, Sanctum tuum videre corruptionem*; ut ad propoſitum ponderat idem Bozius *loc. cit. lib.* 15. *Sign.* 63. *cap.* 7. ubi id de Zacharia Propheta, Gereone, Cutberto Lindisfarnenſi, Albano Martyre Britanno, & aliis innumeris teſtatur, & per Majores noſtros, ac nos etiam paſſim in Sanctorum Relationibus fuit conſideratum: unde, id miraculo adſcribendum eſſe, dicit D. Thom. 2. 2. *qu.* 178. *art.* 1. *ad* 3. *& in* 1. *par. qu.* 100. *art.* 4. *in corpore, & in Opuſc.* 2. *cap.* 136. & facit Gloſſ. *cap.* 1. *in verb. Sedis Apoſtolicæ, de Reliq. & Venerat. Sanctorum.*

Odoris quoque ſuavitas, quæ incorruptionis dotem ſubſequuta eſt, tamquam Corporibus Sanctorum plerumque conceſſa, pariter miraculum arguit; ut late ſuperius ex eodem Bozio ponderavimus, cum de Reliquiarum egimus Veneratione.

Sed incorruptionis dotem, odoriſque fragrantiam excedit Sanguinis quaſi recentis ex eodem Regalati Corpore effuſio poſt tam diuturni temporis intervallum: quod ſane cum poteſtatem ſuperet naturæ, quæ, ſicuti Cadaveris incorruptionem non admittit, ita multo magis Sanguini in Cadavere diutius conſervando eſt impar, hinc clare cognoſcimus, id miraculoſe factum ab illius Dextera, qui Corpora Sanctorum, quamvis vitali ſpiritu deſtituta, plurimis amplificavit ornamentis, quæ maximam cunctis incuterent admirationem, ſimulque ſingularia præſtarent beneficia; juxta illud Eſaiæ, *Videbitis, & gaudebit cor veſtrum, & oſſa veſtra, quaſi herba, germinabunt*; ut pariter conſiderat idem Bozius *locis citatis cap.* 10. ubi non tam Sanguinem, quam alios etiam humores ex plurium Sanctorum Corporibus mirifice manantes recenſet.

MIRACULUM TERTIUM POST MORTEM.

Sanguinis Fluxu laborantem, mortique proximam ſanat

ANna Bertanda Incola Oppidi de Gorniel de Hizan, diuturno ſanguinis fluxu affecta, poſt experta varii generis remedia, eo devenerat, ut jam jam moritura putaretur. Aderant Infirmæ nonnulli Franciſcanæ Familiæ Religioſi, qui ex Monaſterio Oppidi de Aquileria advenerant, ut ei in his, quæ ad Animæ ſalutem pertinent, præſto eſſent. Ad quorum unum ſe Anna convertens, Pater, inquit, velim, Beatum Regalatum pro me roges: ego, ſi mihi ſanitatem ille a Deo impetraverit, ad Sepulchrum ejus inviſendum pedibus accedam. Attulerat unus e præfatis Religioſis Cucullum a Regalato geſtari ſolitum, eumque Infirmæ admovit: illa vero a Fluxu convaluit, priſtinamque recepit ſanitatem.

Ita ſuper 48. concludunt 7. qui per 14. annos bona ejuſdem Annæ adminiſtravit, & deponit de viſu; 8. ejuſdem Annæ Filia, quæ pariter deponit de viſu; 13. ejuſdem & Annæ Affinis, qui deponit de auditu ab ipſa Anna, & ab aliis, & de publica voce, & fama; de qua deponunt non ſolum prædicti teſtes, ſed etiam primus, 3. 14. 15. & alii.

Hujuſmodi vero ſanationem miraculoſam eſſe, cenſuimus, quia Fluxus iſte ſanguinis, qui Ægram paſſim torſerat, & ſæpius ad extremum vitæ ſpiritum redegerat, jam factus erat naturaliter adeo inſanabilis, ut, quamvis plura fuiſſent adhibita, expertaque varii generis remedia, nihilominus illa nihil proficerent. Accedit inſuper Medicorum judicium, qui de ſalute Infirmæ deſperaverant. Quibus tamen non obſtantibus, Ægra adeo convaluit, ut, licet per plures annos poſtea ſupervixerit, numquam tamen eodem amplius morbo, qui antea ipſi paſſim erat obvius, laboraverit; ut aſſerunt iidem 7. & 8. teſtes.

Hinc etiam miraculo fidem adſtruit brevi tempore, & abſque ulla medicamentorum applicatione ſubſequuta ſanitas, ut dicit idem 8. teſtis, cum certum ſit, vim morbi diuturni Naturæ viribus, vel Medicorum pharmacis expelli non poſſe, niſi longo temporis ſpatio, Fernel. *de part. morb. & ſymptomatib. lib.* 5. *cap.* 3. §. *Convulſio*, Capivacc. in *Prax. lib.* 1. *cap.* 25. & ſic multo difficilius abſque iiſdem Medicorum pharmacis, quæ maxime purgativa morbi iſtius natura poſcere videbatur, ex quo ſanguinis iſte fluxus ad vitioſam ipſius ſanguinis qualitatem venit referendus. Unde cum nullo rite operantis naturæ, artiſve miniſterio, ſed ad ſolam Cuculli applicationem Ægra tam cito, atque integre convaluerit, utique id divinitus per merita, & interceſſionem Regalati fatendum eſt a Deo emanaſſe: quod comprobant præcedentes Infirmæ preces, ac votum, necnon Cuculli contactus; maxime cum omnes teſtes uno ore aſſerant, ſanationem fuiſſe miraculoſam.

Neque obſtat, curationem non fuiſſe inſtantaneam, quia non eſt neceſſe, miraculum fieri in inſtanti, ſed ſufficit, fieri ſucceſſive, juxta Archidiac. in *c. Nec mirum* 26. *q.* 5. ubi arguit ad partes, & ita videtur concludere: & hanc opinionem tenet Bellamera in *cap.* 1. *de Reliq. & Vener. Sanctor.* Franciſcus de Panvino in *Relatione Sancti Bonaventuræ in* 2. *parte quæſt.* 5. quos refert, & ſequitur Caſtellan. *de Canonizatione Sanctorum 6. quæſt. princip. art.* 3. *verſ. Quæro, an ſit neceſſe.*

Quod tamen intelligi debet, dummodo, ut in caſu iſto, eo

(a) Pſal. 15. c.

sto, eo præcipue tempore, licet longiusculo, contingat, quo ex natura rei contingere non potuisset; ut advertit Bellamer. in *d. c. Nec mirum*, *num. 5. vers. Sed quæro*, 26. *q.* 5. & fuit sæpius in aliis Relationibus ponderatum, & nuper in Relatione Ancillæ Dei Catharinæ de Ricciis in 3. *Miraculo*.

MIRACULUM QUARTUM POST MORTEM.

Ulcera incurabilia sanat.

JOanna Garzia Incola Oppidi de Gomiel de Mercado in Regno Castellæ miserandum in morbum incidit, ventre tam fœde exulcerato, ut septem in eo foramina conspicerentur: pessima erant, perque illa cibi, potusque excrementa egerebantur omnia. Adhibita sunt per multos menses varii generis remedia; quibus nihil proficientibus, incurabilem eum morbum Medici pronunciarunt. Joanna hoc in statu constituta de ope Regalati implorandæ cogitare cœpit, ac Sepulchrum se illius visitaturam promisit, ægreque impetrata a Patre venia, Equo imposita est, fasciis arctissime circumligata, ne intestina offenderentur. Pervenit ad Ecclesiam Monasterii de Aquileria, ibique, criminibus Pœnitentiæ Sacramento deletis, Sacrosanctaque Eucharistia susceptа, ad Petri Sepulchrum se contulit, seque illius intercessioni enixis pro sanitate a Deo obtinenda precibus commendavit. Nec frustra; siquidem illico foraminosa consolidata sunt ulcera, morboque omni depulso, pristinæ incolumitati Joanna restituta est.

Factum istud deponit de facto proprio super 7. 53. Testis, nempe eadem Joanna Garzia; de certa scientia, & de visu 54. scilicet Mater ejusdem Joannæ; 55. Consobrina ipsiusmet Joannæ de publico, & notorio, prout etiam 6. super 60. & depictum reperitur inter alia miracula in præfato Conventu Aquileriæ, ut testatur dictus testis 54. & concordat visitatio Sepulchri *fol.* 404. *terg.*

Sanationem hanc fuisse miraculosam, & non absimilem ei, quam de Andrea Apostolo Ulcerosum sanante recensет Abdias primus Babyloniæ Episcopus in Historia Apostolica *lib.* 3. demonstrat primo qualitas ipsius morbi, qui, cum esset diuturnus, transitumque feciſſet in habitum, difficulter sanari poterat: Ulcera enim, quæ longo tempore durant, difficulter sanari possunt, ut generaliter affirmat Galen. in *Aphoris. Hippocrat. lib.* 4. *Comment.* 6. *Aphoris.* 45. & Avicenn. *lib.* 4. *Sect.* 4. *tract.* 3. *cap.* 1.

Quam curationis difficultatem comprobant etiam adhibita in vanum remedia, & Medicorum assertiones; de quibus deponunt eadem Joanna, & illius Mater.

Secundo comprobat instantaneus sanationis modus; Ulcera enim fuerunt statim absque ullo medicamento perfecte conclusa, ut eadem Joanna asserit, & de visu sequenti die testatur illius Mater. Unde miraculum remanet plene probatum ex supra deductis; maxime cum morbus iste non solum instantaneam, sed etiam brevem curationem excluderet, ut notat Joannes Fernelius *de externis Corporis affectibus cap.* 9. *fol.* 641.

Id vero Regalati tribuendum intercessioni testatur præcedens Infirmæ in Servo Dei confidentia, illiusque intercessionis invocatio, cui ut se Ægra commendavit, statim se convaluisse cognovit, ut eadem Joanna deponit.

MIRACULUM QUINTUM POST MORTEM.

Claudum sanat.

FRanciscus Garzias Incola loci de Sutillo in Regno Castellæ, cum pessime ex utroque crure laboraret, adeo ut progredi sine fulcris minime valeret, ad opem Petri Regalati, cujus fama Sanctitatis per eas Regiones erat celeberrima, confugit, & equo vectus ad illius Sepulchrum contendit; ubi cum per novem horas (Novenam vocant) intimo cordis affectu ei se commendasset, ut sanitatem sibi a Divina impetraret Clementia, repente ab omni crurum infirmitate, & claudicatione liberatus est, pedibusque domum reversus, fulcris ad miraculi memoriam relictis. Factum de visu recensет super 44. 11. Testis, Filia ejusdem Francisci, 12. Filius pariter ejusdem, qui deponit de propria scientia; 3. qui quoad morbum, & recuperatam sanitatem deponit de visu, quo vero ad modum deponit de auditu ab eodem Francisco; & de publica voce, & fama deponunt 5. 6. & alii.

Hanc quoque sanationem miraculosam demonstrat tum qualitas morbi, tum modus curationis brevi adeo novem horarum intervallo absque ullo medicamentorum ministerio obtentæ. Certissimum est enim, convulsionem, seu membrorum attractionem nec facile, nec confestim, adhibitis etiam medicamentis, curari; ut tradit Hieronymus Capivacc. in *Praxi d. lib.* 1. *cap.* 25. Fernel. *de partium morbis, & symptomatibus lib.* 5. *cap.* 3. §. *Convulsio*.

Unde, cum factum istud naturæ vires, facultatemque excedat, referendum procul dubio venit ad Dexteram illius, qui virtutem curationum hujusmodi in se ipso inchoatam, ut patet apud Matth. *c.* 11. in Dilectos suos passim transfert: sic enim omissis consulto Apostolorum gestis, ut de Petro habetur *Act.* 3. & refert Abdias Babylonius in *Historia Apostolica lib.* 1. *in princ.* & de Joanne *in illius vita* Prochorus *cap.* 6. Germanus Altissiodorensis, ut refert Beda in *Historia Anglor. lib.* 1. *cap.* 21. Elasii Filium, quem in ipso flore adolescentiæ, arescentibus nervis, & contracto poplite, debilitas invaserat, sedere compulit adtrectans poplitem debilitate curvatum, & per tota Infirmitatis spatia medicabili dextera percurrens; unde salubrem tactum festina sanitas subsequuta, ariditas succum, nervi officia receperunt, & in conspectu omnium incolumis Patri restituitur. Idem de quodam viro Dei Joanne recensет Palladius in *Historia Patrum sect.* 56. de Sancto Martino Turonensi Antistite Gregorius ipsius Successor *de Gloria Confessorum cap.* 11. & de Abbate Juliano Theodoretus in sua *Religiosa Historia Sect.* 2. *versus fin.*

Id vero ad Regalati intercessionem referendum comprobant præcedens commendatio, & per novem horas ad illius Sepulchrum preces porrectæ.

MIRACULUM SEXTUM POST MORTEM.

Puerum submersum resuscitat, &c.

NOvissimis quoque hisce temporibus, Anno videlicet salutis 1627. Servum suum Deus præclari miraculi gloria illustravit. In Oppido, cui Gomiel de Mercado vulgo nomen est, Fons quidam extat publicus Sancti Petri nuncupatus. Ad hunc cum aliquando Puerulus triennis nomine Joannes Joannis Reinosi Filius seu ludendi gratia, ut fieri solet, seu aliquid quidpiam facturus accessisset, in vas, quo aqua Fontis excipitur, decidit, ibique submersus est; ubi cum per trium fere horarum spatium (ut ex supputatione temporis, quo domo egressus fuerat, conjectari potuit) jacuisset, Puella quædam ad Fontem venit aquam de more hausturа, quæ tristi spectaculo conterrita, ut Puerum agnovit, clamoribus, & ejulatu cuncta complevit. Advolant vicini: jacebat miserus sub aqua supinus, atque ore aperto, nec facies ab aquarum superficie multum aberat, quæ modico tinctæ sanguine cernebantur. Extractum est itaque Corpusculum, &, ore deorsum verso, inter manus eorum, qui accurrerant aliquandiu suspensum, ut aqua effluereret: verum, cum ne gutta quidem exiret, nec ulla in eo motus, aut vitæ vestigia conspicerentur, cum planctu, & lamentationibus quamdam in Porticum delatum est. Accidit, ut Pater Didacus de Ordonnez Vicarius in Monasterio Domus Dei de Aquilera præfatum per Oppidum ad obeunda munera sibi a Monasterii sui Præside commissa transiret. Is, cum frequentem Mulierum turbam tristem, & attonitam ad eamdem Porticum confluentem videret, quid hoc rei esset, ab adstantibus petiit, casumque edoctus est. Sensit Didacus, interius se moveri, ut Puero vitam per merita Regalati, de quo in Sanctorum numerum referendo recenter tunc agi cœperat, a Divina postularet Clementia; propiusque accedens ægre per confertam multitudinem ad Puerum pervenit. Luridum erat, ac frigidum Corpusculum, inversi tumebant oculi, distentus aquarum copia turgebat venter: auxit lugubris adspectus Didaci misericordiam, speque vehementiori ad vitam Puero recuperandam animum ejus inflammavit. Accessit, diligenterque tenella membra pertractavit: quæ ubi frigida, rigentia, omni arteriarum pulsu destituta, vitaque omnino spoliata reperit, silentio manuum collisione indicto, ad circumstantes conversus, Quando (inquit) nullum jam, nisi a Deo, remedium sperari potest, Servo ipsius Regalato Puerum hunc commendemus. His dictis, quotquot aderant, una cum Didaco enixe Deum precati sunt, ut Regalati intercessione, ac meritis Puero vitam reddere dignaretur, ac promiserunt, si voti compotes fierent, Puerum se, necnon Sindonem,

qua involutus erat, ad ejuſdem Sepulchrum delaturos. Tum Didacus junctis manibus Signum Crucis ſuper Puero formans, In nomine Patris (inquit) & Filii, & Spiritus Sancti, ad interceſſionem & per merita B. Regalati, Deus tibi vitam impertiatur: ac deinde bis Pueri aures oſculatus arctiſſime eum amplexus eſt. Mirandum dictu! ſtatim Puer clamorem edidit, caputque movens Didacum intuitus eſt, poſtque dimidium horæ quadrantem lætus, ac rubicundus, nec ulla læſionis, alteriuſve incommodi veſtigia præferens evaſit, inque miraculi memoriam Habitu S. Franciſci indutus, ac deinceps Regalatus vulgo dictus eſt.

Hæc deponit idem Fr. Didacus Ordonnez 59. Teſtis tam in proceſſu, quam in repetitione illius facta hic in Curia, & concordat 49. Teſtis Maria Gonzalez de Penillos, quæ prima vidit Puerum ſubmerſum in Fonte, 48. Maria Caſſada, quæ Puerum extraxit e Fonte, 45. Dominicus de Reynoſo Avus Pueri, 47. Maria de Segobia Avia, 50. Stephanus Botero Patruus magnus Pueri, 46. Bartholomæus de Sanctes Comes Fratris Didaci Ordonnez, qui omnes deponunt de viſu, & certa ſcientia; cum quibus etiam conveniunt ſuper 60. 2. & 4. ſuper 61. 17. 21. & 22. & concordat Hiſtoria Vitæ *ad fin. fol.* 134.

Dubitari non poteſt, quin Puer iſte fuerit ad vitam revocatus miraculoſe; eum ſecundum Philoſophos a privatione ad habitum non detur regreſſus, & ſecundum Fidei dogmata, niſi finis hujus Mundi advenerit, humanum genus a ſomno mortis non evigilabit, ut in *cap.* 1. *col.* 2. *de Summ. Trinit. & Fid. Cath.* & facit illud Job 15. *Donec atteratur Cælum, non evigilabit, nec conſurget de ſomno ſuo*. Ideoque, cum id naturæ vires, facultatemque omnino excedat quoad factum, ut inquit Archidiac. in *c. Nec mirum 26. qu.* 1. merito adſcribendum eſt illi, (a) cujus Vox cedros Libani confringit; qui mortificat, & vivificat, deducit ad inferos, & reducit; qui Divinæ Vocis oraculo prope Lazari ſepulchrum intonans repente compulit eum, qui quatriduo in monumento jacuerat, caput, pedibus, manibuſque ligatis, extollere e ſpelunca, ut habetur Jo. 11. qui Filio Matris ſuæ unico maximo ejuſdem Parentis dolore e vivis erepto placidiſſimo Vocis ſonitu vitalis auræ ſpiritum reſtituit; eademque ad Dilectorum ſuorum preces paſſim etiam præſtare conſuevit. Etenim Elias Propheta Maximus, ut Sacræ teſtantur Hiſtoriæ 3. *Regum* 17. expandit ſe, & menſus eſt tribus vicibus ſuper Puerum, precibuſque ad Deum emiſſis, ipſum jam mortuum, tunc vero Matri ſuæ viventem, ſpirantemque reſtituit: Eliſeus quoque, ut eædem teſtantur Hiſtoriæ 4. *Regum*, Sunamitidis Filium, quem, ipſo prophetante, pepererat, univerſæ viam *carnis ingreſſum, poſitis oculis ſuper Pueri oculos*, manibuſque ſuper manus, incurvans ſe ſuper eum ad vitam revocavit: ſic etiam Thomas Apoſtolus proſtratus in oratione, apprehenſa manu Mulieris, eam ſuſcitavit, ut refert Abdias Babylonius *Apoſtolic. Hiſtoriæ lib.* 9. Philippus pariter ad Statuam Martis deductus, ut ad ſacrificandum compelleretur, Pontifici Filium, qui ignem miniſtrabat, & duos Tribunos a Dracone divinitus immiſſo occiſos ſuſcitavit, ut recenſet idem Abdias Babylonius *loco allegato cap.* 10. & Matthæus Filium Eupheniſſæ Reginæ Æthiopum, apprehenſa illius manu, *in* nomine Jeſu Chriſti Crucifixi ad vivos revocavit, ut teſtatur idem Abdias *loc. cit. c.* 7. & factum noſtro ſimillimum de Joanne Apoſtolo, & Evangeliſta recenſet Prochorus in illius *Vita c.* 37. cum enim Filius cujuſdam Sacerdotis fuiſſet Dæmonis opera in quodam Balneo ſuffocatus, audienſque Sacerdos, proprium Filium ſuffocatum eſſe, cucurrit ad Balneum, &, ut Filium humi jacentem vidit, dolens, & triſtis receſſit, confugiens ad Joannem, qui, apprehenſa manu Adoleſcentis, dixit: In nomine Domini Noſtri Jeſu Chriſti Filii Dei ſurge, & illico vivus ſurrexit.

Nec viſum fuit nobis, dubitari poſſe de obitu Pueri iſtius; cum ſatis evidentia mortis ſigna concurrant. Primo, quia, ut conjectari poteſt a tempore, quo receſſit a Domo, diuturni temporis ſpatio demerſus in Fonte permanſit; ut dicit 47. Teſtis Maria de Segobia Avia Pueri, quæ deponit de tribus horis.

Secundo, quia inventus eſt jacens immobilis, ſub aqua ſupinus, expanſis brachiis, ore aperto, atque aquæ ſuppoſito, necnon comperta eſt aqua ſanguine tincta; ut de viſu deponit 49. Teſtis Maria Gonzalez, quæ prima illum vidit, 48. Maria Caſſada, quæ illum extraxit e Fonte, & de auditu ceteri teſtes.

Tertio, quia, poſtquam e Fonte extractus fuit, inventum eſt illius Corpuſculum aquarum copia turgidum, omni ſpirituum motu deſtitutum, facieque lurida, ac nigricanti, oculiſque ad terrorem inflatis, necnon frigidis, ac rigentibus membris; ut de viſu præfati teſtes concludunt.

Quarto denique, quia teſtes omnes conveniunt, ut præ ceteris bene explicat idem Fr. Didacus Ordonnez, prædictum Puerum abſque ulla difficultate fuiſſe mortuum.

Unde, circumſcripto etiam reſurrectionis ipſius miraculo, quod abunde remanet probatum ex deductis, cum, his non obſtantibus, vix Signo Crucis in nomine Sanctiſſimæ Trinitatis ſuper ipſo firmato, Puer non ſolum clamorem ediderit, ſed poſt dimidium horæ quadrantem lætus, ac rubicundus, nec ulla læſionis, aut alterius incommodi ſigna præferens evaſerit, ex hoc ſolo probatio miraculi reſultat, cum naturaliter in Corpuſculo tam languido non poſſit dari brevis adeo regreſſus ad primum ſtatum: quæ enim longo tempore, & vehementioribus affectibus tenuantur corpora, lente reficere oportet, 2. *Aphor.* 7. ut in iſtis terminis de duobus Pueris ad vitam revocatis, & ad primum vitæ ſtatum intra breve ſpatium reſtitutis diximus in Relatione B. Thomæ de Villanova in *primo Miraculo poſt mortem*.

Hoc autem miraculum Regalati meritis, & interceſſioni tribuendum ſatis comprobant porrectæ ad ipſum preces, & Voti nuncupatio, &c.

DE VALIDITATE PROCESSUS, AC LEGITIMO TESTIUM EXAMINE.

RElíquum eſt, Pater Beatiſſime, ut poſtremum faciamus gradum ad tertiam, ultimamque hujus Relationis partem, in qua nobis agendum ſupereſt de Validitate proceſſus, ac legitimo Examine teſtium, ex quibus tum Vitæ Sanctitatis, tum miraculorum deductæ ſunt probationes.

Et, quantum attinet ad proceſſum auctoritate Apoſtolica fabricatum in Regno Caſtellæ Veteris, & in Oppido de Aranda Diœcelis Oxomen. cenſuimus, de illius Validitate dubitari non poſſe.

Poſtquam etiam S. Veſtra Supplicibus totius Ordinis Minorum S. Franciſci de Obſervantia Libellis benigne inclinata Sacræ Rituum Congregationi hujuſmodi cauſam commiſit, ut in eodem proceſſu *fol.* 2. fuerunt in vim præfatæ Commiſſionis per eamdem Sacram Congregationem de Anno 1627. expeditæ Litteræ Remiſſoriales directæ Reverendiſſ. DD. Epiſcopis Oxomen. & Valliſoletano, necnon Archidiacono, Decano & Sacriſtæ præfatæ Cathedralis Eccleſiæ Oxomen. cum facultate, ut *duo ex illis* juxta præfatam S. Veſtræ Commiſſionem conjunctim procederent, ut *a fol.* 1. *uſque ad fol.* 18. Quæ litteræ Reverendiſſ. Domino Martino Manſe de Zuniga Epiſcopo Oxomenſi, necnon Doctori Alphonſo de Portillo ejuſdem Oxomenſis Eccleſiæ Theſaurario præſentatæ fuerunt per Fratrem Didacum Ordonnez, tamquam Deputatum, in hac cauſa a Religione Procuratorem, & pro illarum exequutione inſtantem *dict. fol.* 18. *tergo* & docentem de legitimo Mandato Procuræ *fol.* 21. *tergo* a præfatis Judicibus admiſſo *fol.* 23. *tergo*.

Nec aliquam facere difficultatem debet, quod Doctor Alphonſus de Portillo enuntietur Oxomenſis Eccleſiæ Theſaurarius, de quo Litteræ Remiſſoriales non loquuntur, quæ ſolum fuerunt directæ Archidiacono, Decano, & Sacriſtæ; quia advertendum eſt, apud Hiſpanos Sacriſtam appellari Theſaurarium, cum vocabulum Sacriſtæ apud eoſdem infimi miniſterii ſignificationem recipiat, ut teſtantur Curiales in Fide exhibita, de qua in proceſſu *in principio*; & removet omnem difficultatem alia Fides ipſiuſmet Epiſcopi Oxomen. de qua in proceſſu *loco allegato*, qui teſtatur, præfatum Doctorem Alphonſum de Portillo eſſe Sacriſtam in eadem Eccleſia Oxomenſi, & Theſaurarium nuncupari, nomenque Theſaurarii, & Sacriſtæ eſſe unum, & idem, qui ſenſus nec eſt alienus a Jure Canonico, ut patet in *cap. Perlectis ad fin.* 23. *diſt.* in quo Sacriſta Eccleſiæ appellatur Theſaurarius, & late proſequitur Petrus Gregorius Toloſanus *Syntagmat. Juris univerſi part.* 2. *tit. de Perſonis lib.* 15. *cap.* 39. *num.* 4.

Cum vero Judices præfati acceptaſſent, atque aperuiſſent dictas Litteras *fol.* 19. *terg.* pro illarum exequutione deputarunt Notarium, ac Nuntium *fol.* 20. qui jurarunt de fideliter exercendo officium *d. fol.* 20. *&* 21.

Elege-

(a) Pſal. 28.

Elegerunt insuper, ac deputarunt pro loco loci Audientiæ, & Examinis testium Capellam, & Oratorium Domus Episcopalis, quæ loci deputatio tamquam de substantia Judicii erat necessaria, *cap. Statutum*, §. *In nonnullo quoque de Rescript.* Rot. *dec.* 15. *num.* 1. *de offic. deleg. in nov.* pro diebus vero Audientiarum deputarunt omnes, & singulos dies non feriatos, & pro hora horam octavam de mane usque ad undecimam, & ab hora secunda de sero usque ad quintam *fol.* 23. *terg.*

Et coram iisdem Judicibus factus fuit in præfato Oppido de Aranda processus iste, qui, Procuratore prædicto instante *fol.* 408. *terg.* & prævio Judicum Decreto *fol.* 409. necnon deputatione Notarii ad collationandum *d. fol.* 409. *terg.* ac ejusdem Notarii juramento de fideliter exercendo *fol.* 410. fuit transumptatus, ac cum Originali collationatus per Notarium causæ, & alterum deputatum; qui post subscriptiones, & apposita Judicum Sigilla *d. fol.* 410. se ipsos subscripserunt *d. fol.* 410. *terg.* & *fol.* 411. & de fideli collatione, atque auscultatione testantur, cum tamen ad effectum, ut processus iste diceretur esse in forma probanti, sufficeret subscriptio Notarii de illo rogati, ut tradunt communiter Scribentes in *Auth. Si quis in aliquo*, *C. De edendo*, Rot. *dec.* 1. *de fid. instrum. in nov. & dec.* 4. *eod. tit. in antiq.* Verall. *dec.* 170. *part.* 1.

Demum vero clausus, & sigillatus cum attestatione a tergo trium publicorum Notariorum circa legalitatem Judicum, Notarii causæ, & Adjuncti *fol.* 411. *& seq.* una cum Litteris eorumdem Judicum Remissorialium, de quibus in eodem proceff. *fol.* 1. fuit præsentatus in S. Rituum Congregatione, ut in principio Actorum in Curia; ac demum, instante eodem F. Didaco Ordonnez, uti Procuratore, ac Mandatum exhibente *d. fol.* 1. *terg.* fuit apertus *fol.* 2. &, de mandato ejusdem Sac. Congregationis deputato Interprete, commissum fuit examen super illius recognitione *fol.* 3. qui quidem interpres debitum præstitit juramentum de fideliter interpretando *d. fol.* 3. & dictum processum una cum Litteris Judicum a se fideliter interpretatis, ut testatur *fol.* 413. reportavit *d. fol.* 3. *terg.* & processus iste formiter recognitus *d. fol.* 3. *terg.* 4. 5. 6. per sex testes dicentes, se habere notam Manum, Personas, & Signa, quod sufficit, Put. *dec.* 1. *de fid. instrum.* Acchil. *dec.* 2. *eodem tit.* fuit tandem Rotæ Auditorio per eamdem S. Congregationem remissus *fol.* 6. *terg.*

Quantum vero attinet ad testes, censuimus, illos, exceptis tamen 41. 42. & 59. fuisse rite, ac recte examinatos: fuerunt enim formiter examinati, ea scilicet diligentia, quæ in hujusmodi gravioribus casibus requiritur ad Text. in *cap. Venerabili de Testib.* & tradita per Castellan. *de Canoniz. Sanctor.* 7. *quæst. princip. vers. Quæro, qualiter Testes*, nempe prævia eorumdem inductione facta per Procuratorem, ac Citatione, seu Monitorio per Judices decreto *fol.* 24. *&* 25. *terg.* & per Cursorem, sive Nuntium contra quemlibet eorum personaliter exequuto *a fol.* 27. *terg. usque ad* 34. *terg.* Quæ quidem Citatio, & Monitorium, tamquam de substantialibus Judicii, erant omnino necessaria, Innocen. in *cap. Tua de cohabit. Cleric. & Mulier. & in cap. Ad nostram num.* 3. *col.* 1. *de Jurejur.* Qui omnes testes formiter jurarunt de veritate dicenda, prout requiritur, cum in juramento depositionis substantia consistat, *cap. Nuper de Testibus*, *l. jurisjurandi*, *C. eod. tit.* & singillatim fuerunt examinati, prout necesse est ex eodem Text. in *cap. Venerabili de Testibus*, *& ibid. Gloss.* Castellan. *ubi supra*, *vers. Singillatim*, deponentes primo juxta Interrogatoria, deinde super Articulis in Remissoria contentis, ut ex serie depositionis eorumdem testium *a fol.* 44. *usque ad fol.* 400.

Et, quoniam Fr. Didacus Ordonnez in hac causa Procurator 59. testis, quem superius, inter exceptos recensuimus, non fuerat legitime, ac rite examinatus ex eo, quod super Interrogatoriis non fuerat examinatus, prout omnino necesse erat juxta formam Litterarum Remissorialium, quæ ad unguem servanda est, *cap. Cum delicta*, *de Rescript.* Rot. *dec.* 8. *de dolo*, *& contumac. in nov.* Verall. *dec.* 143. *& dec.* 250. *par.* 3. ideo, cum idem Fr. Didacus esset præsens in Curia, visum fuit Sac. Rituum Congregationi, ejusdem testis repetitionem nobis committere; ad quam, servatis de Jure servandis, Nos Joannes Baptista Coccinus Decanus, & Clemens Merlinus Auditor processimus, ut in processu *ad finem Actorum in Curia*: & licet D. Philippus Pirovanus pariter Auditor impeditus non interverit, attamen, duos ex Nobis interveniisse, censuimus sufficere, cum S. Rituum Congregatio eamdem Nobis repetitionem simpliciter commiserit; quam Commissionem interpretati sumus tamquam dependentem a prima, in qua Nobis datur facultas, ut duo etiam, tertio impedito, procedamus, & sic intrat Regula, quod Clausulæ appositæ in prima Commissione censentur in omnibus aliis subsequentibus repetitæ, Ægid. *dec.* 41. Cassador. *dec.* 8. *num.* 5. *de rescript.* Ptolom. *dec.* 30. Rot. *dec.* 321. *num.* 1. *p.* 1. *& dec.* 43. *n.* 1. *&* 2. *p.* 2. *divers.* Ex quibus constat, testes rite, ac recte examinatos; cum de jurisdictione Judicum, qui illos examinarunt, appareat ex dd. Litteris Remissorialibus eisdem, ut supra, directis, & de forma per eosdem rite servata ex testium inductionibus, citationibus, juramentis, ac depositionibus primo super Interrogatoriis, & deinde super Articulis.

Non obstat, quod aliqui ex testibus, nempe 1. 2. 30. 43. & 59. hic in Curia repetitus sint ejusdem Ordinis, cujus est Regalatus, ideoque in ipsis videatur cadere suspicio affectionis ad causam; quia, cum de singulari ipsorummet Religioforum commodo non agatur, pro Religioso, & super Religiosi virtute testimonium ferre non prohibentur, Felin. in *c. Insuper*, *num.* 2. *& 6.* ubi etiam Abb. *num.* 2. Butr. *num.* 1. Joann. Andr. *num.* 1. Henric. Boich. *num.* 11. *de Testib.* Bald. *cons.* 391. *n.* 1. *lib.* 1. *& cons.* 443. *num.* 1. *lib.* 5. Alex. *cons.* 68. *sub num.* 14. *lib.* 2. & passim in aliis Relationibus fuit dictum, & nuper in Relatione Ancillæ Dei Catharinæ de Ricciis.

Nec replicetur, quod saltem dictus Fr. Didacus hic in Curia repetitus, tamquam Procurator in causa, veniat excludendus ex Regula, quod Procurator in causa, quam agitat, vel agitavit, testis esse non possit pro Domino, *c. Romana*, *de Procurat. in 6. l. fin. ff. de Testibus* cum aliis innumeris, quæ possent allegari; quia prædicta Regula non obtinet locum, quando, ut in casu isto, cum dicto Procuratoris concurrunt testes idonei, ad tradita per Joann. de Amicis *cons.* 120. *num.* 11. *post* Bald. quem allegat in *l.* 1. *col.* 1. *C. de Testibus* Hector Æmilius *de Testibus in verb. Advocatus*, *num.* 46. Quod maxime procedit, quando, ut pariter in casu isto, Procurator est bonæ conditionis, & famæ; nam, si Sollicitator in his terminis a ferendo testimonio non repellitur, ut post Roman. *cons.* 420. tradit Gabriel *conclus.* 12. *de Testibus*, multo minus debet repelli Procurator, qui minus testimonium ferre prohibetur, quam Sollicitator, Rot. *dec.* 154. *in nov.* Roman. *d. cons.* 420. *n.* 1. & in simili, quod, licet testis domesticus regulariter a testimonio repellatur, admittatur tamen, si sit probatæ vitæ, & opinionis, tradit idem Rom. *d. cons.* 420. *num.* 5. Marsil. *in l.* 1. §. *Ad quæstionem*, *col.* 2. *&* 3. *ff. de quæstionibus*, & post eos Gabr. *concl.* 10. *num.* 19. *de Testib.* & ad propositum faciunt cumulata per Aym. *cons.* 56. *num.* 13. *&* 14. & in puncto dicit Joseph Ramonius *cons.* 68. *num.* 15.

Ex quibus, firmata tam processus, quam Examinis testium Validitate, absoluta quoque remanet tertia, & ultima pars hujusmodi Relationis. Unde, cum Regalati virtutes, atque miracula, quæ S. Vestræ oculis subjecimus, satis testentur, qualem sibi Cælo gloriam fortunatissimus hic Christi Affecta comparaverit, hoc unum superest, ut eumdem infallibili suæ non errantis vocis Oraculo Terris æque gloriosum reddat. Censemus enim, causam in eo statu esse, ut possit S. Vestra, quandocumque sibi placuerit, ad ulteriora procedere, &c.

Jo. Bapt. Coccinus Rotæ Dec.

Ph. Pirovanus Rotæ Auditor.

Clemens Merlinus Rotæ Auditor.

UAB Biblioteca de Ciències Socials

APPENDIX OCTAVA.

RELATIO ROTÆ AUDITORUM IN CAUSA BEATI GREGORII PAPÆ X.

In qua approbatis Virtutibus ante Decreta URBANI VIII. poſt eadem Decreta pronuntiatum fuit ſuper Caſu ab iiſdem excepto. Relatio ipſa manuſcripta extat apud Auctorem, & edita etiam fuit poſt Vitam ejuſdem Beati compoſitam ab Antonio Maria Bonuccio Presbytero Societatis Jeſu.

Hujus autem Beati, necnon prædictæ Rotæ Auditorum Relationis mentio facta eſt ſuperiori Lib. 2. cap. 24. num. 131. & ſequentibus.

BEATI GREGORII Papæ Decimi Placentini Vitæ, Virtutum, ac Miraculorum Relatio facta Sanctiſſimo Domino noſtro URBANO PP. VIII. per Sacræ Rotæ Auditores Jo. Baptiſtam Coccinum Decanum, Philippum Pirovanum, & Clementem Merlinum ad effectum Canonizationis ejuſdem.

UT Stella differt a Stella in claritate (Beatiſſime Pater) ſic inter Hominum merita, qui in Eccleſia Dei ceteris Sanctitate prælucent, diſcrimen neque exiguum, neque obſcurum eſt. Aliquorum virtus magna eſt illa quidem, ſed circumſcripta loco, ſed definita perſonis, atque ut oculis, ita imitationi ſubtracta; aliorum vero latiſſime patet, in populorum conſpectu, exemploque verſatur, omnium ſaluti, commodiſque dirigitur. Etenim ad magnitudinem virtutis æſtimandam multum facit & publica hominum utilitas, & locorum amplitudo, & occaſionum opportunitas, & quidam quaſi ſplendor, & excellentia, qua non magis gradu hominibus præſtant homines, quam virtutes aliæ inter alias obtinent principatum: &, quemadmodum vitia non paria ſunt omnia, immo infra vitium eſſe aliquid aſſerunt Sapientes, quod hominem infra homines deponat, & quaſi ferarum in numero conſtituat, ideoque feritati nomen indiderunt; ita plane diſputant de virtutibus, inter quas eſſe affirmant aliquas, quæ hominem extrahant ab hominibus, atque inter Heroes, ſive (ut Priſci loquebantur) Semideos extollant, eaſque propterea nobiliori appellatione Heroicas nominarunt. Horum in numero, quos magnæ, principeſque virtutes ſupra ceteros extulerunt, quam merito reponatur Famulus Dei Gregorius Decimus Pontifex Maximus, facile aſſentietur, quiſquis ſecum reputabit, nihil ab eo ad Sanctitatis palmam contendente, ac Dei gloriam, obſequiumque ſpectante, nihil certis locorum anguſtiis concluſum, nihil paucorum hominum commodis definitum, ſed ampla, & publica omnia, omniumque utilitatem, fructumque complexa. Italiæ Populi ex atrociſſimis bellis ad pacem ſæpenumero revocati: Græcorum Imperator, ac Natio univerſa ad concordiam cum Romana Eccleſia reducti: ad Syriæ expeditionem, ſacrumque bellum Populi, ac Reges inflammati: Pontificiis Comitiis ratio, leges, locus accurate præſcripta: in Concilio Lugdunenſi, cui Pontifex ipſe, Græcique Imperatoris Nuntii interfuere, quamplurima ad Eccleſiæ dignitatem, amplitudinemque decreta: nulla pars Chriſtianæ Reipublicæ prætermiſſa: Pauperes a Potentiorum vi acriter defenſi: ad Captivorum libertatem cura, & pecunia liberaliter impertita: Catholici Principes, Regeſque, ac Cæſares nunc, depoſitis armis, inter ſe reconciliati, nunc ab uſurpatis Eccleſiæ bonis abſterriti, ſemper officii, & pietatis admoniti: univerſus ſibi commiſſus Chriſti grex aſſiduis ad Deum precibus, ſimulque indefeſſa vigilantia, & caritate cuſtoditus. Quid hæc aliud prædicent, quam excellentium virtutum, ac Sanctimoniæ inſignis Heroem poſitum a Deo ſuper Eccleſiæ candelabrum, ut omnibus, qui magna hac Mundi domo continentur, ſuæ beneficentiæ radios longe, lateque diffundat?

Verum, ne aut rerum a Gregorio geſtarum varietatem, & copiam complexione confundamus, aut graviſſimas Sanctitatis Veſtræ curas prolixitate fatigemus, partite, ac breviter omnia comprehendendo, Relationem univerſam dividemus in partes quatuor; quarum prima Proceſſuum Validitatem, ſecunda Gregorii Vitam, tertia ejus virtutes, quarta miracula complectetur.

De Proceſſibus Remiſſorialibus, & Compulſorialibus, Placentino, & Aretino, de illorum legitima fabricatione, & de valido examine Teſtium.

DE Validitate Proceſſuum, & Actorum ſumma cum ratione ſolemus diligenter quærere, & inveſtigare, tamquam de baſi, ac fundamento veritatis geſtorum per Dei Servos; quæ veritas per teſtes, Inſtrumenta, & Acta nobis innoteſcere debet, ut inde ex probatis in Judicio, non autem ex his, quæ privatim, ac particulari ſcientia perceperimus, ſententiam dicamus, c. *Judicet* 3. q. 7. S. Thom. 2. 2. q. 67. art. 2. Jo. Major in 3. *ſententiarum diſt.* 33. q. 4.

Poſtquam igitur placuit Sanctitati Veſtræ ex particulari ſuo Reſcripto Sacræ Congregationi Rituum Cauſam Canonizationis ſan. mem. Gregorii X. committere cum ſufficienti, & legitima juriſdictione eidem data procedendi tam in Curia, quam extra ubique locorum, & teſtes in partibus per Epiſcopos, ſeu alias Perſonas in Dignitate Eccleſiaſtica conſtitutas ab ipſa Congregatione deputandas vigore Litterarum Remiſſorialium examinandi, & Jura, & Scripturas in univerſis locis compulſandi, exinde ab eadem Sacra Congregatione emanarunt Litteræ Remiſſoriales, & Compulſoriales pro Diœceſibus tam Placentina, quam Aretina; & primo pro Placentina ad inſtantiam Petri Mariæ Campi Canonici Placentini, & Hortenſii de Comitibus Cauſidici pariter Placentini Procuratorum Capituli Eccleſiæ Placentinæ, & Cleri totius Civitatis, & Diœceſis, ac Communitatis Civitatis Placentinæ directæ Joanni Linato Epiſcopo Placentino, Publio Petrejo Stirpio Archidiacono, ac Mauritio Baldino Decano Dignitatibus in eadem Eccleſia Placentina exiſtentibus; & pro Aretina ad inſtantiam Andreæ Lippii, Jacobi Buralii, & Æmilii Vezzoſii Procuratorum Civitatis Aretii directæ Antonio de Ricciis Epiſcopo Aretino, Æmilio Guadagno Canonico Aretino, & Ludovico Gualterio Præpoſito pariter Eccleſiæ Aretinæ; in quibus reſpective litteris præſcripta legitur certa forma ſervanda in utroque proceſſu tam Remiſſoriali, quam Compulſoriali: quibus abſolutis per Judices delegatos, & ad eamdem Sacram Congregationem tranſmiſſis, aperti fuerunt, & de ordine ejuſdem recognitæ Manus Notariorum, & Judicum, Sigilla, & Legalitates per teſtes habentes notam manum, ut ex Regeſto, & juxta ſtilum Curiæ, de quo teſtantur Put. *deciſ.* 18. *de fide Inſtrument.* & Veſtr. *in ſua praxi lib. 6. cap. 1. num.* 8. Et, cum eadem

Sacra

Sacra Congregatio inveniſſet in proceſſu fabricato Aretii nonnullos defectus, nempe circa deputationem Notarii, qui ex forma Litterarum Remiſſorialium debebat eſſe Apoſtolicus, vel Eccleſiaſticus, & tamen Notarius Imperialis, & Ducalis tantummodo nuncupabatur, quamvis eſſet Curiæ Epiſcopalis Cancellarius; ſecundo, quia in eodem proceſſu deerant illa verba: *Saltem coram fide digno Notario Apoſtolico, ſive Eccleſiaſtico, a vobis &c.* tertio non apparebat aliquod Mandatum ſpeciale in proceſſu auctoritate Apoſtolica fabricato, ſed tantum fuit productum primum Mandatum, ſeu electio per Conſilium Civitatis Aretii in perſonas diverſorum facta; quarto Judices interpoſuerunt Decreta horis Tertiarum, & Veſperarum, cum tamen Citationes continerent terminum de mane hora ſexta; quinto nonnulli teſtes fuerunt citati ad ſubjiciendum ſe examini pro die quarta, & juramenta, & examen recepta fuerunt ſub die vigeſima octava; ſexto deficiebat in tertio teſte verbum hoc: *Admiſſus per Dominos Judices:* ſeptimo, quia unus ex Procuratoribus fuit examinatus uti Medicus; ac demum, quia in eiſdem Litteris Remiſſorialibus ab Urbe tranſmiſſis erratum fuerat in Nomine Judicum delegatorum, quamvis Cognomen eſſet idem, prout expreſſum legitur: ſupplicatum fuit Sanctitati Veſtræ pro ſanatione, abundando in cautela, ne unquam poſſet dubitari de Validitate proceſſuum; &, ea obtenta, Sacra Congregatio auctoritate Sanctitatis Veſtræ ſanavit prædictos defectus, præter quintam nullitatem teſtium extra terminum examinatorum; exinde eadem auctoritate & quintam ſuſtulit; ac poſtmodum ex novo Sanctitatis Veſtræ Reſcripto, & auctoritate iidem proceſſus ad nos tranſmiſſi fuerunt, ut de Validitate eorum, Sanctitate Vitæ, & Miraculis in dictis proceſſibus contentis Relationem faceremus.

Quare dicimus, conſtare de Validitate utriuſque proceſſus tam Remiſſorialis, quam Compulſorialis, & de legitimo, rectoque teſtium Examine, quia forma data in litteris fuit ſervata, & ordo juris in procedendo non fuit omiſſus; quibus concurrentibus, pro Validitate ſemper pronuntiandum eſt, *cap. Cum dilect. de Reſcript.* Caputaq. *deciſ.* 143. *n.* 5. *part.* 3. Bald. in *lib.* 2. *column. final. Cod. Quomodo, & quando Judex, & in c.* 1. *Qui ſucceſſ. teneantur in uſib. feud.*

De Juriſdictione autem Sacræ Congregationis, & Judicum ab ea delegatorum dubitari non poteſt, quia per Reſcripta ſufficienter illa tribuitur, Innoc. in *c. Cum M. in fine de Reſcript.* Caſſand. *dec.* 1. *eod. tit.* & fluit a Summ. Pont. qui eſt fons Juriſdictionum *c.* 1. 22. *diſtinct.* Menoch. *de Præſumpt. lib.* 2. *præſumpt.* 14. *num.* 2. Maſtrill. *de Magiſtris lib.* 2. *cap.* 2. Et, cum Litteræ Remiſſoriales fuerint Judicibus præſentatæ, & ab eiſdem acceptatæ, firmata remanſit Juriſdictio, Clement. 1. *in verb. Receptis de Procur.* Caſſador. *deciſ.* 8. *num.* 12. *de reſtitut. ſpoliat.* Gabr. *de execut. rei judicat. concluſ.* 3. *n.* 3. cum qua, ad ulteriora procedendo, Notarios, & Nuntios deputarunt, recepto ſolito juramento de fideliter eorum officio exercendo; mox loca, & dies Audientiarum deputarunt: Procuratores vero nominati coram Delegatis comparuerunt, & eorum Mandata exhibuerunt, ut in Placentino *fol.* 11. & in Aretino *fol.* 26. qui poſtmodum comparentes inſtiterunt pro receptione teſtium, & juramentorum delatione; & conſtat ex eiſdem proceſſibus, valide, & juris ordine ſervato, illos fuiſſe receptos; quia quilibet fuit citatus ad ferendum teſtimonium, & omnes juramenta vere præſtiterunt, tactis Scripturis per Laicos, & per Religioſos more Sacerdotali manu ad pectus poſita; deinde fuerunt interrogati primo ſuper Interrogatoriis pro forma in Litteris Remiſſorialibus datis, deinde ſuper aliis, poſtremo ſuper Articulis: quibus peractis, Procuratores inſtiterunt pro tranſumptione proceſſuum, quæ per Judices delegatos fuit decreta, & ad eum effectum deputatus fuit Notarius, qui cum Notario actuario ad collationem deveniret; quæ poſtmodum facta fuit, prævia auſcultatione, *fol.* 53. in Placentino, *& fol.* 208. in Aretino; & clauſi, & ſigillati traditi fuerunt Portitori, recepto ab eo juramento de fideliter eis conſignandis, prout vere Sacræ Congregationi conſignati fuerunt.

Proceſſus etiam Compulſoriales valide fabricatos exiſtimamus, quia conſtat eiſdem de tenore Litterarum Compulſorialium inſertarum in Litteris Remiſſorialibus, de acceptatione per eoſdem Judices delegatos, Notariorum, & Curſorum deputatione, de citatione eorum, penes quos Scripturæ compulſandæ reperiebantur, ut illas exhiberent, & de exhibitione conſtat, & de recognitione earumdem per teſtes valide examinatos, de Decretis Judicum ſuper extractione, collatione, & auſcultatione, quæ executioni mandata fuerunt per Notarios deputatos cum receptione ſoliti juramenti; quibus peractis, clauſi fuerunt, & ſigillati, & Portitori conſignati, & Sacræ Congregationi tranſmiſſi, & ab ea, ſervatis ſervandis, recogniti: quæ omnia, & formæ datæ in litteris, & diſpoſitioni Juris convenire comperimus.

Proceſſus vero noviſſime factus in Civitate Aretina, & Nobis præſentatus ad probandam publicam vocem, & famam quoad particularia miracula habet eamdem formam probantem: rite, rectoque teſtes in eo fuerunt examinati, & valide recognitæ ſunt Manus Judicum, & Notariorum, ac Legalitates; quia ſervata fuerunt omnia in litteris deſiderata, & quæ ex diſpoſitione Legum pro forma dantur ſecundum ponderationem ſupra factam.

Nunc ad alteram Relationis partem gradum faciamus.

De Nativitate Beati Gregorii Papæ Decimi, ejuſque pueritia, & adoleſcentia, ac in Virtutibus progreſſu.

NAtus eſt hic Dei Servus in Civitate Placentiæ Regionis Italiæ, Provinciæ vero Lombardiæ citra Padum, ex nobiliſſima, & antiqua Vicecomitum progenie, legitimis Conjugibus, & juxta Ritum S. R. E. baptizatus, Thealdi, ſeu Theobaldi nomine ſuſcepto, pie, ac laudabiliter ab eiſdem educatus eſt; qui in puerili ætate, quantus futurus eſſet in oculis Dei, præclara exhibens indicia Clericalem Habitum ſuſcepit, ut de ſorte Domini eſſet, & Chriſti Eccleſiæ inſerviret, ſeque, & alios virtutum ductu regeret, ac Regnum cum Deo haberet. Adoleſcens ab humanioribus litteris ad liberales diſciplinas gradum fecit, & in Jus Canonicum aſſiduus incubuit, non tam ut mentem paſceret, quam ut per cognitionem Canonum, & Decretorum Deo utiliorem ſe præberet. Sed prædictis non contentus ad perfectiora reſpiciens, ad quæ propria virtute, & viribus pertingere haud facile ſperaret, audita Concivis ſui Jacobi Cardinalis Pecoraria Epiſcopi Præneſtini vita, & ſanctitate, ſummo ſtudio, ſe illi adjungi, curavit; cui dum inſerviret, adeo dulcia fuerunt ſaucibus ejus colloquia Domini, ut facile eiſdem virtutibus imbueretur, quibus vir ille præclarus ornatus erat. Invaleſcente poſtmodum gravi, & infeſta perſecutione contra Romanam Eccleſiam, quam ei Federicus Imperator acrius inferebat, idem Epiſcopus Præneſtinus, per Gregorium Nonum commiſſo ſibi Legationis officio, pergens ad Franciæ, & Germaniæ Regna Domui, & Familiæ ſuæ Dei Servum præpoſuit, &, vacante Archidiaconatu in Eccleſia Leodienſi, ea Dignitate illum condecoravit. Redeunte demum a munere ſuæ Legationis Jacobo Cardinale, Archidiaconus in Regno Franciæ morbo implicitus non ſine Divini Numinis providentia remanſit: mox valetudini reſtitutus Theologiæ Pariſiis operam dedit, ubi munus Magiſtri adeptus, & in ea Urbe, & Leodii, alibique verbo, ac exemplo omnes, & præcipue Reges, & Principes ad Terræ Sanctæ recuperationem vehementer accendit; & ipſe Archidiaconus, dum Laicos adeo fervore Fidei incenſos proſpicit, non minori inflammatus ardore intrepidus Maris periculis ſe exponens eo etiam pervenit, ubi verbo, & opere Reges, & Principes animavit, ne Terram, in qua Dei Filius natus eſt, & ubi Sacramentum Redemptionis noſtræ patraverat, a Saracenis poſſideri, & detineri permitterent: & factum eſt, ut Dei Servus his intentus, incenſo quidem amore, viribus tamen imparibus, dum tam gravem provinciam inconcuſſo animo aggrederetur, a Cardinalibus, qui Viterbii in eligendo Summo Pontifice diſſidebant, quamvis abſens, & multis ignotus, Divino Spiritu afflante, qui homines, non ubi ſint, ſed qui ſint, expendit, ad apices Summi Apoſtolatus eveheretur; ut, quem zelus Domus Dei comedebat, dextera Domini exaltaretur, ac Domui Domini præficeretur.

Quantos vero labores, quæ incommoda in his itineribus ſuſtinuerit, quibus Virtutibus, & Cæleſtibus Donis divinitus inſignitus Pontificatum adminiſtraverit, de illis ſingillatim in hac tertia Relationis parte agendum erit.

De Virtutibus Theologalibus, & primo de Excellentia Fidei B. Gregorii.

SI hæc Virtus per ſuas partes examinetur in Servo Dei, nempe per actus credendi, ſciendi, & res Fidei confitendi, & quæ definitur ſubſtantia ſperandarum rerum, argumentum non apparentium, dum per illud movetur intellectus ad bonum, inhærendo veritati per ſolam Dei au-

Dei auctoritatem revelatæ, ut docet S. Thomas 2. 2. *qu.* 4 *art.* 1. Hoſtienſ. & Innocent. in *c. Firmiter de Summ. Trin. & Fide Cathol.* Azor. *Inſtit. Moral. tom.* 1. *lib.* 8. *cap.* 7. *quæſt.* 1. Sanchez in *Summa lib.* 2. *c.* 1. *in princ.* eiſdem ſatisfeciſſe, Acta proceſſuum plene juſtificant.

Præcepto credendi ſatisfactum exiſtimamus, quia ex piis, & catholicis Parentibus natus eſt, & juxta Ritum S. R. E. baptizatus, Clericali poſtmodum corona inſignitus, mox ad Sacros Ordines promotus, & denique Pontifex creatus; quæ omnia fuerunt articulata in utroque proceſſu Remiſſoriali Aretino, & Placentino *art.* 11. & probata per teſtes de publica voce, & fama, qui in antiquis, & excedentibus hominum memoriam ſupra annos 300. ut hic, ſolent concludenter probare, ut infra, cum de Articulo Sanctitatis in genere tractabimus, opportune ſubjiciemus: nam prædicta deponunt in Proceſſu Remiſſoriali Aretino I. Teſtis *fol.* 38. II. *fol.* 44. III. *fol.* 51. IV. *fol.* 58. V. *fol.* 66. VI. *fol.* 73. VII. *fol.* 80. VIII. *fol.* 90. & in Placentino Remiſſoriali VI. Teſtis *fol.* 67. VII. *fol.* 72. IX. *fol.* 83. & confirmant Litteræ Sacri Collegii ad eumdem de ipſius Electione, quæ in Regeſto Vaticano aſſervantur, quarum etiam partem refert IX. Teſtis in Placentino Proceſſu Remiſſoriali *ſuper* 26. *fol.* 84. &, dum de ſorte Domini factus eſt, Deique Miniſter evaſit, ejuſque vices in Terris gerere cœpit, per virtutem intellectualem adhæſiſſe dicitur his, quæ a Deo ſunt revelata, ut per Caritatem, tamquam Fidei objectum, forma ejuſdem Fidei in eo perficeretur, & per eam Deum cognoſceret, ut dixit S. Gregorius *ſuper Eccleſiaſtic. Homil.* 3.

Verum & de ſecundo præcepto, quod eſt ſciendi res Fidei, credimus, ex eiſdem proceſſibus abundanter conſtare; quia in Theologo, Concionatore, & Dei Vicario non ſunt movendæ quæſtiones implicitæ, vel explicitæ ſcientiæ, ſed agendum de tertio præcepto, nempe Fidei confeſſione, in qua B. Gregorius per dilectionem, & honorem Dei ſui tam magna operatus eſt in vita ſua, ut cum Paulo *ad Galatas c.* 2. exclamare poſſet: *Vivo autem jam non ego; vivit vero in me Chriſtus.*

Nam inſignem Beati Pontificis Fidei confeſſionem, præter Verbi Dei prædicationem, dum adhuc eſſet Archidiaconus, & ad Chriſtifideles cohortationes ad Sacram Militiam contra Saracenos ſuſcipiendam, oſtendunt publica, & ſolemnis ipſius, & Patrum in Concilio Lugdunenſi aſtantium Fidei profeſſio, de qua *cap. Unico de Summ. Trinit. & Fide Catholica in* 7. ejuſdemque Pontificis zelus, lacrymæ, labores immenſi, exhortationes, miſſiones, inquiſitiones pro eadem Fide a barbaris Nationibus profitenda, & amplexanda; quæ, tamquam ordinata ad ſignificandum id, quod Beatus Vir interius gerebat, bene inferunt ad actum Fidei, qui ſecundum S. Thomam 2. 2. *quæſt.* 3. *art.* 1. eſt conceptus interior eorum, quæ ſunt Fidei, a quo exinde emanat ſermo confitentis, ut loquatur, quod credidit, ut in *Pſalm.* 115. David loquens de iſto interiori conceptu dicit: *Credidi, propter quod locutus ſum*, & Apoſtolus 2. *Corinth. cap.* 4. referens eadem verba: *Habentes* (inquit) *eumdem ſpiritum Fidei credimus, propter quod loquimur.*

Quare Beatus Pontifex, ut omnes eumdem ſpiritum Fidei haberent, Palæologum Græcum Imperatorem interpellavit lacrymis, & profundis ſuſpiriis immenſi Dei bonitatem invocans, ut ipſe, in cujus unitate fundatur Fidei veritas, ſuam, ſanctamque, atque Catholicam reintegrando, uniret, & uniendo reintegraret in ſinu ejus Populis univerſis Latinis, & Græcis ſpecialiter adunatis in Fide integra, Spe ſolida, & Caritate ſincera. Cujus verba, quaſi alterius Danielis, ex die, quo poſuit cor ſuum ad intelligendum, ut ſe affligeret in conſpectu Dei ſui, exaudita fuerunt. Litteris namque ab eodem Palæologo per Nuntios acceptis, unus ex eis, ſe viva voce a dicto Imperatore in mandatis habere, referens, quod poſſet jurare in animam ipſius, ſi Domino Papæ placeret, profeſſus eſt, Fidem Romanæ Eccleſiæ, quæ lecta fuerat in Concilio, tenere dictum Imperatorem, & Imperium, eamque perpetuo ſervaturos, Papa ſtatim alta voce, *Te Deum laudamus*, incipiente, & ſtante ſemper erecto, ac ſine Mitra cum multa devotione, & lacrymarum profuſione, Choro proſequente, ac complente, unde & in voce exultationis dictus Dei Servus erumpens poſtea in Epiſtolis ad eumdem Palæologum inquit, O utinam, Fili, tibi pateret ad plenum, cum quanto in his occurrit tripudio eadem Eccleſia nuper in Lugdunenſi Concilio congregata! O, ſi voces Pſallentium inibi, Deumque, flexis genibus, nudatiſque capitibus, laudantium, præcipue Prælatorum, in tuis ſonuiſſent auribus, & revelata facie ipſorum oculos deducentes quaſi aquarum exitus inſpexiſſes! profecto prudenter adverteres, quod erant eorum lacrymæ tam exceſſivi doloris indices, quam adeptæ lætitiæ proditrices: & in aliis Epiſtolis ad Andronicum ejuſdem Palæologi Imperatoris Primogenitum: Habes, Fili, unde in Domino tuo exultes, & fatearis humiliter, tibi de imminenſo ipſius dono conceſſum, veræ Fidei agnoſcere veritatem: ac demum in Epiſtolis ad Prælatos Græciæ: Illi ergo laus, illi gloria, qui largitor bonorum omnium tantam nobis, & vobis largitus eſt gratiam, ut nos in hæc tempora reſervaverit, ut diem hunc nobis videre conceſſerit, quem videntes ſumus in immenſum non indigne gaviſi, ex immenſitate gratiæ menſuram lætitiæ metientes.

Abagham Tartarorum Regem pie & ſuppliciter cohortatus ad Fidem Sanctam ſuſcipiendam reduxit; cujus Nuntiis tempore congregati Concilii advenientibus, & ad eumdem Regem mox remiſſis, B. Pontifex ei ſignificavit, quam contrito corde, & humiliato ſpiritu exoraverit Altiſſimum, ut ipſe, qui eſt lux vera omnem hominem venientem in hunc Mundum illuminans, & eis, & ſuis ſua pietate concederet, ſic ſemper in lumine vultus ſui lumen agnoſcere, quod in ſuis beneplacitis ambulantes ad exaltationem Fidei Chriſtianæ, & eorum ſalutem indefeſſo propoſito intenderent.

Spiritu fremens contra blaſphemantes Nomen Salvatoris invehebatur dicens: Proh dolor! deteſtabilius ſolito blaſphematur in Gentibus Nomen Chriſti, cum jam non tam verbis, quam rebus ipſis, & factis Chriſtianis inſultetur ab Infidelibus, & dicatur: Ubi eſt Deus eorum?

Et non minori indignatione commotus contra arma deferentes Saracenis comminabatur, Horribile ſcelus (inquiens) & execrabile crimen merito reprobandum, quod nonnulli maledictionis alumni, ſolo nomine Chriſtiani, victualibus, armis, vaſis navalibus, & aliis neceſſariis cauſa damnati quæſtus Chriſti muniunt inimicos.

Contra quos ſolertius invigilans, ne per eorum cum Fidelibus converſationem Chriſtiana Religio infici poſſet, aut aliquo modo fermentari, diſtricte Ordinariis præcipiebat, ut diligentius inquirerent, omnia ſingillatim deſcriberent, conſilia de remediis adhibendis ſuggererent, & ad ſe per fideles Nuntios tranſmitterent.

Quæ omnia teſtimonio Vaticani Regeſti de Geſtis per eumdem B. Pontificem *a pagina* 58. *uſque ad* 182. comprobantur: quorum poſtmodum ſonus in omnem terram exivit, poſtquam ex omni Natione Scriptores eadem geſta, & virtutes recenſuere, de quibus mentio in Articulo de Sanctitate in genere habebitur; & in ſpecie de Palæologo, ejuſque, ac Regis Tartarorum Nuntiis teſtantur Ptolem. Lucen. in *Annal. Lucen. & Vit. Pontif.* Matth. Weſtmonaſt. *in Floribus Hiſt.* Simon Majol. Epiſcopus Vulturarien. in *Dedicatoria ad Pium V. in Comment. Concilii ejuſdem Gregorii* X. Jacob. Zenus Epiſcopus Patavinus Bibliothecæ Vaticanæ Præfectus in *Vita ipſius Gregorii*.

Et magnum Fidei Zelatorem eumdem declarant Sanctiſſimi Crucifixi oſcula, & amplexus, & Beatiſſimæ Virginis Mariæ ſalutatio, dum ſpiritum emiſit; ut deponunt teſtes in Aretino, nempe I. *fol.* 39. II. *fol.* 44. III. *fol.* 52. IV. *fol.* 58. V. *fol.* 67. VI. *fol.* 74. VII. *fol.* 81. VIII. *fol.* 90. & vita manuſcripta in Placentino compilata *fol.* 96. *a tergo* eadem omnia recenſet. Ita etiam eumdem appellant Fidei magnum Zelatorem S. Antonius Archiepiſcopus Florentinus *Hiſt. part.* 3. *tit.* 20. *cap.* 2. Jo. Pineda in *Monarchia Eccleſiæ part.* 3.

De firmiſſima Spe Beati Gregorii.

HÆC virtus in Dei Servo fuit perfectiſſima, qui ſemper gaudens in Spe futuræ Beatitudinis magnas ante Deum operatus eſt virtutes. Viri enim Sancti, & Amici Dei magnam lætitiam habent, & non ſine lætitia, & gaudio in ipſa Spe, ut dicit D. Bernardus *ſerm.* 37. *in Cantic.* & Apoſt. *ad Roman.* 12. *Spe gaudentes*: & Propheta *Pſalm.* 121. tanta ſpe lætatur, dum gaudet in his, quæ ei dicta ſunt, *In Domum Domini ibimus*: & cum de rebus ſanctis gaudium ſit ſtilla, & gutta de illo flumine, cujus *impetus lætificat Civitatem Dei*, ut dicit idem D. Bernard. in *ſerm. Non eſt Regnum Dei eſca & potus*. Hinc B. Gregorius ab impetu fluminis aquarum Spiritus Sancti lætificatus de certa expectatione futuræ Beatitudinis factus Mons Sion non innitebatur propriæ prudentiæ, ſed in Domino ex toto corde fidu-

fiduciam habebat, absque dubitatione, & hæsitatione ardua aggrediebatur, urebatur ardentissimo desiderio migrandi ex hac vita, ut esset cum Christo. Quæ omnia tam ex Indictione, & Conclusione Concilii Lugdunensis, quam ex Peregrinatione per eum suscepta, dum in minoribus esset, in Terram Sanctam pro salutis suæ remedio, ex prædicatione Verbi Dei ad eamdem etiam Spem alios inflammando, sic elucent, ut alia probatione non egeant.

Et nihilominus in Servo Dei Virtutem hanc in summo gradu perfectam pronuntiant

Susceptio oneris Pontificalis; ad quod cum sufficere non posse præsciret, levando oculos ad montem Dei, unde opportunum illi proveniret auxilium, & hoc humiliter petiit, devote speravit, & Divino munere obtinuit:

Laborum perferendorum securitas; sub Spe namque illius, qui dat lapsis virtutem, & sub fiducia illius, qui de sua misericordia omnes confortat, onera parvi pendit, & labores consideratione calcavit, debilitatemque propriam contempsit, ut inde & Reges, & Prælati sub eadem Spe, ac virtute animati ab itinere ad Concilium Lugdunense pedem non referrent:

Pacis conciliandæ sollicitudo; cum & sub Spe illius, cui est facile (ut ipse ajebat) res etiam desperatas sine moliminis tarditate perficere, complurium dissidentium corda indissolubilis caritatis bitumine univerit:

Obsecrationes ad Reges, & Principes, ut per misericordiam Jesu Christi, & ob immarcescibilis coronæ Gloriæ fiduciam propositum succurrendi Terræ Sanctæ efficaciter implerent:

Missiones Fratrum Minorum in Germaniam, quorum labores humano affectu pensando, paterna quidem pietate illis commiserabatur; sed altius considerationis oculos levando, attendensque, illos in servitio illius laborare, cui numquam sine remuneratione servitur, congaudendum illis potius existimavit, quod magnitudine laborum certam immensæ retributionis Spem tenerent, per quam & ipsorum laborantium zelus accendebatur.

Quæ omnia pariter & Vaticana Regesta *a pag. 1. usque ad* 182. & Historici referendi in Articulo de Sanctitate in genere commemorant, aliaque inferius dicenda clarius esse comprobabunt.

De immensa Caritate Beati Pontificis in Deum.

Nisi Caritatem habuero, nihil sum, dicit Apostol. 1. *ad Corinth. cap.* 3. quia vere est aliarum virtutum totum continens, & *Vinculum perfectionis*, idem Apostol. ad Colossen. *cap.* 3. & S. Doctor 2. 2. *q.* 23. *art.* 6. dicit, quod est ceterarum Virtutum Mater, & est illa, quæ nos Deo conjungit, ut illum summum Bonum diligamus propter ipsius Bonitatem, reliqua autem omnia in ipso, & propter ipsum: in qua virtute quantum profecerit Sanctus Pontifex, & quem gradum eminentiæ pertigerit, ut anima illius esset pretiosa in conspectu Dei, sequentia facile justificant.

Primo enim hujus divini Amoris indicia desumuntur ex eo, quod, dum ætatem puerilem vix pertingeret, Habitum Clericalem suscepit, ut Deo, & Ecclesiæ serviens per ardentissimam voluntatem serviendi, & Deo placendi ex puro famulatu uniretur ad amabilem perfectionem: quod vere postea consequutus est, quia Divino Amore adeo incensus fuit, ut ei videretur continua Dei præsentia frui, & quasi impatiens cupiebat dissolvi, & esse cum Christo, juxta ea, quæ refert S. Bonaventura *proc. 6. Relig. cap.* 8. & hoc idem Beatus ipse Pontifex Patribus in Concilio aperte manifestavit, ut legitur in vita ejus compulsata in Placentino processu Remissoriali *fol.* 95. & Litteræ Sacri Collegii idem comprobant.

Secundo Divini Amoris ardor eo magis detegitur, quia Dei Servus fuit vigilantissimus Mandatorum Divinorum observator, &, quantum potuit, alios ad eamdem observantiam impulit; ut per consequentiam observationis Præceptorum mereretur ore Salvatoris Dilectus pronuntiari, secundum illud Joann. in *Evang. cap.* 14. & Sancti Gregorii in *Homil.* 30. *super eodem Evang. Qui diligit me, sermones meos servabit:* & inde per repromissionem frueretur Divina præsentia, ut in eodem Evangelio subjungitur: *Ad eum veniemus, & cum eo mansionem faciemus.* Et de hac accurata diligentia, & ferventi desiderio deponunt oculo testes in Aretino *super* 1. & 3. *respective Articulis*, & legitur in ejus vita manuscripta compulsata in Placentino *fol.* 92. 93. & 95. & Litteræ Vaticani Regesti *pag.* 243. scriptæ ad Jacobum Aragoniæ Regem idem testantur, in quibus Regem illum vehementissime reprehendit ob adulterium, Dei ultionem comminando, & Pastoralis officii executionem promittendo.

Tertio vehementius apparuit Beati Pontificis Amor in Deum ex desiderio ejusdem Omnipotentis Dei gloriæ, ac laudis, & ut Terra Sancta vindicaretur e manibus Infidelium; cujus rei gratia, dum in minoribus esset, in Palæstinam se contulit, & creatus Pontifex firmo proposito decrevit, ut probat IX. testis in Placentino *super 16. Articulo fol.* 83. vita ejusdem Beati Pontificis compulsata *fol.* 95. & Martinus Polonus, ac Ptolemæus Lucensis, ambo in *Vita Gregorii Decimi*, & Bernardus Guido Ordinis Prædicatorum Episcopus Lutevensis in *Chronolog. Rom. Pontific.* & eadem Vaticana Regesta *pag.* 51. 101. 115. 116. 120. 195. in quibus referuntur luctus, lacrymæ, singultus, suspiria Beati viri tam super Civitatem Hierusalem, quam super Cleri, & Populi perditos mores, quos reformare intendebat, ac providere etiam, ne propterea blasphemaretur in Gentibus Nomen Christi, & ibi præsertim, ubi idem Salvator *factus obediens usque ad mortem, saturatusque opprobriis, clavis affixus, aceto, & felle potatus, confossus lancea in Crucis patibulo tam diræ mortis passionem subiit mysterium Nostræ Redemptionis perficiens, sine qua parum Nobis Nativitas profuisset; excitante ob id Pontifice ipso Principum, & Regum animos, & cunctorum Christifidelium ad vindicandas Redemptoris Nostri injurias, & redimenda ignominiosæ conculcationis opprobria.*

Quarto heroici Amoris signum desumitur ex rerum temporalium contemptu, qui fuit maximus in Servo Dei, ut probant IX. testis in Placentino *super 16. Articulo fol.* 83. & in Aretino octo priores testes *super* 1. & 3. *Articulis*, & ex Historicis tradunt Jacob. Zenus Episcopus Patavinus in eumdem Gregorium Decimum dicens: *Humana omnia contemnens de Cœlestibus cogitabat.* Greg. Polyd. in suo *Gregoriano Addit.* Vincent. Belluac. in *Spec. Hist. lib.* 31. *cap.* 14. Non enim auro, aut argento, vel pretiosis quibusque inhians, sed Dei Omnipotentis gloriam, & honorem quærens in perfecta Caritate Creatori se conjungebat: quod non nisi semotis omnibus impedimentis, & hujusmodi compedibus, contingere posse, affirmavit S. Doctor 2. 2. *quæst.* 176. *art.* 6.

Quinto flammæ Divini Amoris tunc vehementius eruperunt, cum de Sacro Generali Concilio Lugduni ineundo cogitare cœpit B. Pontifex, in quo de morum Reformatione, de Cultu Divino augendo, de Græcorum reconciliatione, de Tartaris ad Fidem reducendis, de Sacra Expeditione obeunda pro vindicatione Terræ Sanctæ, de Romano Imperio firmando agendum erat; quæ postmodum ad gloriam Dei Omnipotentis re ipsa complevit: nam & pro Reformatione morum, & ut dissiparet consilia Gentium, ac ambientium artes compesceret, ne Ecclesia Dei suo Pastore diutius careret, formam Conclavis in posterum servandam ordinavit per Decreta in *cap. Ubi periculum* §. *Cæterum*, & §. *Quia vero, de Elect. in* 6. &, ne Domus Dei esset Domus confabulationum, sed orationis, per aliud decretum in *cap. Decet Domum, de Immunit. Eccles.* eadem confabulationes prohibuit, & quæcumque alia, quæ possent Divinum turbare Officium, aut oculos Divinæ Majestatis offendere: similiter pro Divino cultu augendo Litteras ad Provinciales Ordinum pro Jesu Christi Cruce prædicanda destinavit, quæ in Compulsoriali Placentino leguntur *fol.* 103. &, ut secura Deo serviretur libertate, complura alia Decreta pro Ecclesiastica libertate firmavit, nempe *cap. Sciant cuncti*, & *cap. Generali Constitutione de elect. cap. Absolutionis de iis, quæ vi, metusve caus. fiunt. cap. Hoc consultissimo de reb. Eccles. non alienan. cap. Quicumque de sentent. excommunic. cap. Unico de injur. & damn. dat.* Græcam Ecclesiam cum Latina univit, in qua reconciliatione Patres Græcæ Ecclesiæ in signum unionis confessi sunt, Spiritum Sanctum a Patre, Filioque procedere, & Symbolum solemniter in Concilio decantarunt: Nuntii vero Tartarorum intra Concilium baptizati ad propria redierunt: Terram Sanctam iterum invisere, & adire statuit recuperationi illius intentus, ut a Christianis liberius posset habitari; quæ omnia probantur ex Actis ejusdem Concilii, & Historici testantur, qui de hujusmodi Concilio, & Gestis in eo scripserunt, nempe Martinus Polonus, Ptolemæus Lucensis, Bernardus Guido, & alii, qui suo loco ponentur: & demum Imperium Romanum firmavit, & primitus in Austriacam Domum contulit; ut commemorant Ferdinan. de Castil. *Histor. S. Dominici part.* 1. *lib.* 1. *lib.* 3. Alphons. Ciaccon. in *Vita Beati Pontificis*, Gonzal. de Illescas

leſcas *Hiſtor. Pontific. lib.* 5. Ex quibus omnibus Servi Dei perfectionem in vinculo Caritatis colligimus; cujus mens verba, & opera ſemper eo tendebant, ut Deus laudaretur, & glorificaretur *non quærentis, quæ ſua ſunt, ſed quæ Jeſu Chriſti*, per effectus veri Amoris, & Dilectionis, quæ, *patiens eſt, benigna eſt, omnia credit, omnia ſperat, omnia ſuſtinet*, ut Apoſtol. 1. *ad Corinth.* 13. nobis inſinuat.

De perfectiſſima Caritate Servi Dei in Proximos.

DUo ſunt, in quibus pendet univerſa Lex, & Prophetæ, dicit Dominus in Evangelio Matthæi *cap.* 22. *Diliges Deum ſuum*, de quo jam diximus, *& Proximum ſuum, ſicut ſeipſum*: & hoc etiam poſtremum, examinando comperimus, B. Greg. obſervaſſe.

Primo enim perfectiſſima hæc Caritas in Proximum probatur ex immenſo deſiderio, quo urebatur, de ſalute univerſorum, nulla habita exceptione perſonarum, ſequendo Apoſtoli dictum *ad Romanos cap.* 1. *Græcis, ac Barbaris, Sapientibus, & inſipientibus debitor ſum*; ut enim Deo reconciliarentur, & in Deo eſſent, inceſſanter Verbum Dei prædicabat tam in Ditione ſui Archidiaconatus, quam Pariſiis, & in Terra Sancta, Pontifexque creatus in Concilio Florentiæ, & alibi, ut per auditum intraret Dilectio, & per Dilectionem Præceptorum Dei obſervatio, juxta illud Joann. *c.* 14. *Qui audit verba mea libenter, ille diligit me: & qui habet mandata mea, & ſervat ea, ille eſt, qui diliget me: & cap.* 15. *Si præcepta mea ſervaveritis, manebitis in dilectione mea.* Quod quam in ſummo gradu præſtiterit B. Pontifex, & maximo zelo, & vigilantia continuaverit, probant Hiſtoria Vitæ compulſatæ in Placentino proceſſu *fol.* 92. *&* 94. Paul. Æmil. *de reb. Francor. lib.* 7. Marcus Guatius in *Chronic.* Platina, & Ciaccon. in *Vita ejuſdem B. Pontificis*, & Concio ipſa ad Florentinos habita de anno 1273. quæ refertur per Sanctum Antoninum *Hiſtor. part.* 3. *tit.* 20. *cap.* 2. &, ut vitia exſtirparentur, ſuis Litteris commonuit Prælatos ad Concilium acceſſuros, ut, quinam in Provinciis, ſeu Diœceſibus ſuis committerentur exceſſus, diligenter obſervarent, & remedia, vel conſilia, quibus illis eſſet occurrendum, ſecum afferrent; quæ maxime ad notitiam perfectæ Caritatis pertinent, ut Proximus in Deo ſit, & maneat per obſervationem Præceptorum, ut S. Doctor dicit 2. 2. *quæſt.* 25. *art.* 1. &, ne ſalutaris eſca deficeret, eadem etiam Vaticana Regeſta teſtantur *pag.* 6. 16. 94. 95. quam ſollicite, & aſſidue Beatus Vir premeretur, ne viduatæ Eccleſiæ longæ vacationis diſpendia paterentur. Per hoc enim gratum ipſi Deo (ajebat ille) præſtatur obſequium, proſpero ipſarum Eccleſiarum ſtatui providetur, & Grex Dominicus ſub Paſtoris providi regimine poſitus ſalubriter gubernatur.

Secundo eadem fervens Caritas probatur, quia de Proximo adeo ſollicitus fuit, ut ad ſingulos quaſi manum extendens illos curare ſatageret. Nam ad Palæologum Græcorum Imperatorem ſcribens, de Nuntiis pro unione ad eum miſſis ſic ait: Magnificentiam tuam monemus, rogamus, & hortamur in Domino Unigenito Dei Filio Jeſu Chriſto per ſuæ Crucis myſterium, & immenſum Redemptionis humanæ beneficium in Caritatis viſceribus obſecrantes, quatenus ipſos benigne recipiens, & ad illum reſpiciens, ſalutis, & pacis Auctorem, qui operatus eſt in medio Terræ ſalutem, qui oriens ex alto pacem ſibi acceptam, & ab omnibus acceptandam eam in ortu ſuo Angelico miniſterio bonæ voluntatis hominibus nuntiavit, & inter homines converſatus verbo docuit, prædicavit exemplo, ut ad ovile Domini redeas. Et ad Cham Tartarorum Imperatorem nedum Litteras Paſtorales direxit, ſed magnos etiam Theologos Ordinis Prædicatorum, qui tunc in Civitate Acri commorabantur, nempe Fratrem Nicolaum de Vicentia, & Fratrem Gulielmum de Tripoli, cum facultate ordinandi Eccleſiam Dei: Placentinos autem Concives ſuos nondum ex ſuſcepti Paſtoralis Officii debito, ſed etiam ex ſingulari, quem erga eos gerebat, Caritatis affectu monuit, & hortatus eſt ad odia deponenda, ut ex Litteris in Placentino Remiſſoriali adductis *fol.* 73. Leodienſem etiam Epiſcopum de incontinentia redarguit per Litteras eum commonens, ut jam reſipiſceret, motus non ſolum ex Officio, ſed ex ſincera Caritate, quam erga Epiſcopum, & Eccleſiam illi commiſſam habebat; quæ Litteræ in Vaticano Regeſto ponuntur, & ab Hiſtoricis etiam recenſentur, nempe a Joanne Hocſemo *Hiſtor. Leodien. tom.* 2. *cap.* 9. *pag.* 299. prout & de Litteris, ac Nuntiis, ut ſupra, ad Magnum Cham miſſis teſtantur Marcus Paulus Venetus *de Region. Orient. lib.* 1. *cap.* 5. & Joann. Baptiſta Ramus. *Navigat. vol.* 2. *in princip.* Vaticanaque Regeſta habent *fol.* 115. illum quoque Reginam Franciæ S. Ludovici relictam ſuis Litteris admoniſſe, ut intentæ conſiderationis oculos haberet ad Redemptorem Dominum Noſtrum Jeſum Chriſtum, & ipſum gereret in ſuis viſceribus figuratum, ſua beneplacita proſequi delectaretur, & provide proſpiceret, quod hujus Mundi figura præterit, quodque abierunt, & abeunt Reges, & Principes.

Tertio argumenta Caritatis magis comprobantur ex vigilanti ſtudio animos componendi, ut per pacis donum gratiſſimum liberius Deo ſerviretur: Eccleſiæ namque Prælatos inter ſe de Juriſdictione, & temporalibus ſuarum Eccleſiarum juribus diſſidentes compoſuit; Regum, & Principum inimicitias ſedavit; Populorumque, & Provinciarum inteſtina odia, & factiones exſtirpavit.

Referunt enim Vaticana Regeſta *a pagina prima uſque ad paginam* 246. eumdem B. Pontificem Archiepiſcopum Toletanum, & Archiepiſcopum, & Provinciam Narbonenſem concordaſſe; Toletanum pariter, & Tarraconenſem ſedaſſe; Archiepiſcopum Lugdunenſem, & Capitulum de temporalibus contendentes conciliaſſe; Lites inter Metenſem Epiſcopum, & Ducem Lotharingiæ, & Comitem Barenſem terminaſſe.

Inter Reges autem Henrici Regis Angliæ Filios, Eduardum, & Edmundum, ad fraternam dilectionem reduxit; Reges Bohemiæ, & Hungariæ diſſentientes univit; Rodulpho Imperatori, & eidem Bohemiæ Regi obtulit ſe promptum pacem inter eos tractare; erga Palæologum Græcorum Imperatorem, & Philippum Imperatorem Conſtantinopolitanum, & Carolum Siciliæ Regem idem præſtitit officium; &, ut fœdera plenioris concordiæ firmarentur inter Regem Portugalliæ, & Prælatos illius Regni, optataque pax, & concordia ſequeretur, omnino voluit, & ut Viri providi, & fideles ab eo cum ſufficientibus Mandatis ad ſe ipſum mitterentur; inter Regem, Reginamque Daciæ, & eorum Prælatos pacem quoque iniit; per Regem Norvegiæ, & Archiepiſcopum Nidroſienſem diſſenſiones ſuſtulit; ac Regem Navarræ, & Ancherum Presbyterum Cardinalem Sanctæ Praxedis, & Capitulum Trecenſis Eccleſiæ Sancti Urbani ſuper juribus, & proprietatibus dictæ Eccleſiæ contendentes in tranquilla pace poſuit, Rege tunc afferente, ſe concordiæ inclinatum precibus ipſius Sanctiſſimi Patris Gregorii Summi Pontificis.

Populorum denique bella, odia, & factiones diſſipavit: nam Venetos, & Januenſes initio fere ſui Pontificatus compoſuit; Florentinos Guelphorum, & Ghibellinorum reſpective partes ſectantes ad ſinceram pacem reduxit graviſſimis pœnis munitam adverſus ejuſdem violatores; Aretini quoque, Peruſini, & Urbevetani, jubente Beato Viro, conſimili vinculo colligati fuere; Placentini autem Concives ſui in factionibus diu diviſi, ut concordia amabilem fraternitatem firmarent, quam maxime optavit, & ſummis viribus procuravit, quæ omnia, ultra Vaticana Teſtimonia, comprobant etiam Vita ejuſdem manuſcripta in Placentino proceſſu *fol.* 93. Sanctus Antoninus in ſua *Hiſtoria part.* 3. *tit.* 20. *cap.* 43. Platina, Ciaccon., & alii in *Vita ejuſdem Pontificis.*

Quarto accedunt cura exactiſſima, & Pietas erga Pauperes; nempe eleemoſynarum largitiones, pedumque eorumdem Pauperum quotidianæ ablutiones relatæ in ejus Vita manuſcripta, & compulſata *fol.* 98. in Placentino, ubi & IX. teſtis *ſuper* 16. *Articulo deponit fol.* 83. & Ptolem. in *Annal. Lucen.* ſcriptum reliquit, B. Gregorium Decimum primum fuiſſe, qui ſolemnem ordinavit eleemoſynam in Romana Curia, ad quam faciendam quendam Fratrem Converſum inſtituit Ordinis Prædicatorum, cui nomen Frater Joannes, quem de Partibus Ultramontanis ſecum duxerat.

Et magis ſpecifice Vaticana Regeſta *pag.* 165. 181. 189. enuntiant Beati Viri Pietatem perfectam, & ſinceram Caritatem injungentis quibuſdam Viris, de quorum integritate confidebat, ut mille marcas argenti a Piſanis Eccleſiæ Romanæ, & ſibi debitas inter diverſas Pauperum ſpecies ejuſdem Civitatis diſtribuerent, ut in multitudine miſeranda omnes comprehenderet; nempe Infirmos, quos in Hoſpitalibus ægritudinis lectus detinebat; alios, quos erubeſcentia palam mendicare non ſinebat; tertia portio erogaretur pauperibus Puellis maritandis; quarta vero inter Pauperes communes diſtribueretur. De qua etiam ſingulari pietate Beati Viri, ac eleemoſynis erga Pauperes in ſpecie teſtantur Martin. Polon. Bernard. Guid. Platina, Ciacconus, & alii in *Gregor. X.* Joann. Andreas, & Gemin. in *cap. Ubi periculum de Elect. in 6.*

Quinto lacrymæ ejuſdem Beati Pontificis, ſummi Amoris

moris indicium, confirmant hanc erga Proximos Dilectionem, & Caritatem: descendebat enim ad partes Lombardiæ, & videns Provinciam illam diffidiis, & armis miserrime agitatam flevit super eam, & spiritu infremuit vehementer, & ad cogitanda remedia, quibus mala ingruentia sopirentur, se totum dedit; quemadmodum &, audita morte Sancti Ludovici Francorum Regis, maximo dolore angebatur, quia & Proximorum adjutor, & Ecclesiæ defensor defecerat, ut legitur in Vita compulsata in Placentino *fol.* 94. & 95. nec minori premebatur ob damnum inæstimabile ab Ecclesia Dei perpessum ex obitu Fratris Bonaventuræ Cardinalis, & Episcopi Albanensis, qui postea Sanctus declaratus est, ut ex Notula Actorum Lugdunensis Concilii colligitur relata in *Tomo 4. Conciliorum Romæ impressorum anno* 1628. *fol.* 83.

Sexto Inimicorum, & Persequutorum Dilectio justificat in altiori gradu Divinam hanc in Servo Dei virtutem: nam, dum adhuc esset Canonicus, & Archidiaconus Leodiensis, & excessus illius Episcopi audiret, redarguit eum in Capitulo, a quo pede calcatus fuit; qua de re cum Inimici Episcopi vellent super eum irruere, ut illum occiderent, se oppositit Archidiaconus, ut in *Histor. Leodien. tom.* 2. *cap.* 7. refert Joannes Hocsemus. Creatus exinde Pontifex de Infidelium conversione, & Perversorum reditu ad Sanctam Ecclesiam adeo gaudebat, ut non solum ad petitam misericordiam inclinaret, verum etiam exultaret in illo, qui eos revocasse dignatus fuerat ab initio, & ad viam reduxerat salutis; sic enim paratus de longinquo redeuntibus apertis occurrere brachiis in amplexum illos lætanter excipiebat.

Henricum Episcopum Londonienſem, qui excommunicationem incurrerat, eo quod tempore turbationum Angliæ non publicaverat Censuras a Legato latas contra Barones Regni turbatores, sed eis potius adhæserat, celebrando etiam in contemptum Ecclesiastici Interdicti, Episcopum Ciceſtrenſem, & Henricum electum Trevirenſem ob easdem causas Censuris innodatos, alioſque Populos aberrantes, & ad gremium Sanctæ Ecclesiæ redeuntes more pii Patris offensarum immemor benigna dissimulatione transiens, remissis injuriis, pro filiis habuit: quæ omnia colliguntur ex eisdem Vaticanis Regestis, *pag.* 27. 28. 71. 92. 164. 182. & idem referunt Platina, & Ciaccon. in *Vita ejusdem Beati Gregorii Decimi*, & Sanctus Antoninus in sua *Historia part.* 3. *tit.* 20. *cap.* 2.

Septimo pro coronide tantæ virtutis concurrit Pietas immensa Beati Pontificis erga Defunctos, pro quorum Animabus ita anxius, & sollicitus fuit, ut etiam in Concilio Generali decreverit, per universum Mundum Missas celebrari pro Animabus eorum, qui mortui fuerant, adveniendo, stando, vel recedendo a Concilio, ut ex Actis ejusdem.

De Virtutibus Cardinalibus, & primo de Prudentia.

Deus Caritas est, & qui manet in Caritate, in Deo manet, & Deus in illo: 1. Joannis 4. Et *ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia*: ut Apostolus meminit *ad Roman.* 11. ita ut qui perfecte vivit in Caritate, Virtutes omnes Morales possidere, fatendum sit secundum veriorem, de qua per Sanct. Thomam *par.* 2. *qu.* 65. *art.* 1. & 3. In qua Caritate cum jam firmaverimus B. Pontificem maxime excelluisse, per consequentiam admittere possumus, insimul cum Caritate & Prudentiam hanc a Deo divinitus in animam Servi Dei fuisse infusam.

Verum, sicuti Moralis est, & de ea agendum est per suos actus, nempe per consultationem, electionem & imperium secundum Arist. *lib.* 6. *Ethic. cap.* 9. & 10. & Sanctum Doctorem 2. 2. *q.* 47. *ar.* 13. dum dicit, quod recte consiliatur, judicat, & præcipit, credimus, Beatum Pontificem in hac etiam virtute excelluisse.

Nam, quod per consultationem investigaverit media ad finem optimum totius vitæ, jam patet, dum Religiosam vitam a teneris annis sibi proposuit, tamquam medium tutissimum, ut inde de sorte Domini fieret, novum hominem indueret, & Angelicam vitam inchoaret: &, quod per electionem magis apta ad Dei honorem, & Animarum salutem seligeret, probant gesta in regimine Subditorum suorum in Archidiaconatu Leodiensi, quæ habentur in ejus Vita compulsata in Placentino *fol.* 92. & narrantur per VI. testem *super* 2. *fol.* 69. & IX. *super* 17. *fol.* 81. in Placentino; probant itidem missiones de persona Beati Pontificis, dum in minori statu existeret, in Angliam cum Ottobono Cardinali expedito per Clementem Quartum, ut tollerentur diffidia inter Regem illum, & Primates, prout fuerunt sublata, ut deponit in Remissoriali Placentino IX. Testis *fol.* 82. Vita manuscripta compulsata *fol.* 93. Ciacon. in Vita ejusdem in verbo *Ottobonum Fliscum*; & accedit Legatio eidem commissa ab eodem Clemente Quarto, sive a Sacro Collegio, Sede Vacante, in partibus Syriæ, quam referunt Marc. Paul. Venet. & Joannes Bapt. Ramus *locis supra relatis*, ac Jacob. Bos. in sua *Histor. Equit. Hierosol. part.* 1. *lib.* 10. S. Antonin. *part.* 3. *tit.* 20. *cap.* 2.

Sed fundamentum summæ Prudentiæ istius B. Pontificis magis elicitur ex imperio, dirigendo voluntatem ad executionem eorum, quæ Dei gloriam, & Fidei propagationem, & Animarum salutem respiciebant; nempe ex celebratione Sacri Generalis Concilii Lugdunensis, in quo interfuerant 500. Episcopi, 60. Abbates, & Prælati mille circiter, & vocati fuerunt Sanctus Thomas de Aquino, qui in itinere decessit, Sanctus Bonaventura, qui in ipso Concilio diem suum clausit, Beatus Albertus Magnus, & alii Sanctissimi Viri, ut inde cum saniori deliberatione consiliata, & judicata ad operandum præciperentur, quæ proprie secundum D. Thomam 2. 2. *q.* 47. *art.* 8. pertinent ad Divinam Prudentiam: sicque Sanctissima Decreta universo Orbi saluberrima emanarunt tam respectu regiminis, & gubernii, quam pro morum reformatione necessaria; nempe Forma Conclavis in posterum servanda in *cap. ubi periculum de Elect. in* 6. ad tollendas longissimas Sedis Apostolicæ Vacationes, cum ea per triennium fere miserabiliter vacasset, Residentia habentium Curam Animarum, & Ordo Sacerdotii, & ne plures Curatæ haberentur, *c. Licet Canon. cap. Nemo deinceps de Elect. in* 6. Prohibitio Usurarum, *cap. Quamquam de Usur. in* 6. Declaratio, quod non valeat excommunicatio in Participantes, nisi fuerint nominatim moniti, *cap. Constitutionem de sentent. excommun. in* 6. & alia quamplura extant Decreta in 6. Decretalium registrata, quæ omnibus patent; & in eodem Concilio finem imposuit longissimo Schismati occasione Imperii tam per præceptum ab eodem Beato Pontifice Electoribus transmissum, quam per confirmationem Rodulphi ab illis electis, & Expeditionem insuper Sacri Belli in Saracenos decrevit: prout hæc omnia habentur inter Acta ejusdem Concilii in *præalleg. tom.* 4. *Conciliorum, Romæ impressorum*, & ponunt etiam Historici omnes, & signanter Martinus Polonus, Ptolomæus Lucensis, Bernardus Guido, Platina, Ciacconus, & alii in *Gregorio Decimo*; & de vocatione S. Thomæ, & S. Bonaventuræ ad præfatum Concilium meminit Breviarium Romanum in *Lectionibus de eorum Festivitate*, Historiaque præfixa ipsi Concilio *in tomo prædicto*; & de præcepto Electoribus facto Gerard. de Rot. in *Annal. Histor. Austriac.* depositque IX. testis in Placentino *super* 16. *fol.* 82.

De Justitia.

Hæc Virtus cum soleat dividi per Aristot. 4. *Ethic. cap.* 2. & per S. Thomam 2. 2. *q.* 58. *art.* 5. & *quæst.* 61. *art.* 1. in legalem, distributivam, & commutativam; & legalis definiatur ea esse, per quam omnium virtutum actus ad bonum commune ordinantur, distributivæ vero sit dirigere distributionem omnium bonorum in partes Reipublicæ, & commutativæ multos actus inter Privatos subordinare; in prima parte mirabiliter Dei Servum excelluisse, comperimus, quia totus fuit in communi bono ordinando, nempe in depravatorum morum correctione, pro qua ab eo emanarunt tot Leges, Decreta, & Constitutiones, de quibus in 6. Decretalium *sub diversis titulis* supra in *Articulo Prudentiæ* narratis, similiter in Divino Cultu augendo, in quo zelantissimus fuit, in conversione Infidelium, & subsidio Pauperum, ita ut vere omnium esset unus Pater, & Pastor, non habita Personarum exceptione: nam & ad Imperatorem Græcorum misit quatuor Fratres cum litteris, & formula Fidei pro firmanda, & perficienda unione, ut jam in *Articulo de Fide* diximus, & in Syriam ad Christifideles pro Terræ Sanctæ succursu subsidium transmisit, ut testantur Vaticana Regesta, Annal. Eccles. ad *annum* 1272. Bosius in sua *Histor. Equit. Hierosol. part.* 1. *lib.* 10. & primus fuit, qui deputavit Officiales pro eleemosynis Pauperibus Jesu Christi erogandis, ut diximus in *Articulo de Caritate in Proximos*.

In aliis vero partibus, nempe distributiva, & commutativa, quæ, sicuti in ratione Justitiæ particularis in communi conveniunt, sic quoque conveniunt in eo, quod utraque respicit debitum aliquo modo, quatenus per eas redditur alicui, quod suum est, vel ad quod habet jus, uno modo ratione contractus, alio æqualitatis constitu-

endæ, & in his Beatus Pontifex fuit etiam vigilantiſſimus.

Et primo, dum adhuc eſſet in minoribus, Leodii reſidens in Dignitate ſui Archidiaconatus Vir Sanctus, & Juſtus fuit; cum ea, quæ pro juriſdictione ſui Tituli dirigenda erant, erga bonos, & malos reſpective ſumma cum integritate compleverit, ut deponunt VI. Teſtis in Placentino *ſuper* 2. *fol.* 69. & IX. *ſuper* 16. *fol.* 81. & legitur in ejus vita compulſata *fol.* 92.

Et deinde Pontifex creatus, quod debitum erat Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, ſubtrahi non permiſit; nam a Cardinalibus Viterbii poſt Pontificium ſuſceptum requiſitus, ubi Coronam recipere vellet, Viterbii, an Romæ? ſic reſpondit: Scitis, Fratres Cariſſimi, quod Imperator Conſtantinus, Mundi Monarcha, ex Imperiali Vertice Coronam depoſuit, & eam ex ſua munificentia contulit Beato Silveſtro tunc Romano Pontifici in ſignum decoris Regii, & Dominii temporalis; &, quia iſtud in Urbe factum dignoſcitur, ſuadet ratio, monet æquitas, & requirit honeſtas, quod ibi ipſa Eccleſia in noſtra perſona, licet indigna, hujuſmodi debeat Diademate inſigniri. Quæ verba ponuntur in ejus vita compulſata *fol.* 94. *a tergo* in Placentino, & referuntur per teſtes in Aretino *ſuper* 7. & 8. *Articulis*.

Poſtremo fuit *diligentiſſimus* defenſor Jurium Eccleſiæ; nam a Carolo Rege Siciliæ debitum fidelitatis juramentum pro Regno Siciliæ exegit, ſimiliter & a Rodulpho Cæſare pro Imperio, & Terræ Sanctæ ſuccurſu juramentum voluit, & a Jacobo Rege Aragoniæ tributum annuum Cameræ Apoſtolicæ perſolvendum petiit, ut probant Ferdin. de Caſtillio in *Hiſtor. S. Dominici part.* 1. *lib.* 3. *cap.* 29. Joann. Marian. *Hiſtor. de reb. Hiſpan. lib.* 3. *cap.* 22. & alii, ac vita in Placentino compulſata *fol.* 94. *verſ. Completis*, & *fol.* 96. *verſ. Poſt hæc*, & per eamdem rationem reddendi cuique, quod ſuum eſt, vel ad quod jus habet, Leodienſem Epiſcopum, & Federicum Abbatem S. Pauli de Urbe propter exceſſus ab ipſis commiſſos compulit reſpective cedere Eccleſiæ, & Abbatiæ, ut teſtantur Acta Concilii Lugdunenſis ſuperius relata.

Quibus accedit Affabilitas, quam inter finitimas Juſtitiæ partes Sanctus Doctor ponit 2. 2. *quæſt.* 80. & partem Juſtitiæ potentialem appellat; quæ in Beato Pontifice fuit eminentiſſima, ex quo per eam a S. Ludovico Rege fuit ſemper humaniſſime in minoribus receptus, ut habetur in ejus vita manuſcripta, & apud Ciacconum in *Gregorio Decimo*, deponuntque teſtes in dicto Placentino proceſſu V. *ſuper* 4. *fol.* 66. VI. *ſuper* 2. *fol.* 69. VII. *ſuper* 26. *fol.* 75. & IX. *ſuper eodem* 26. *fol.* 84. & alios Reges, & Principes ad ſe alliciebat, quos inter ſe diffidentes in pace firmiſſima conciliavit, & ad veritatem Fidei reduxit, ut diximus in *Articulo de Caritate in Proximos verſic. Secundo eadem*.

De Fortitudine eximia.

EST hæc Virtus in ordine inter Cardinales tertia ſecundum S. Thomam 2. 2. *qu.* 123. & ab eodem dicitur eſſe audaciæ moderatrix, & timoris expers; in qua Beatus Pontifex mirabiliter ſe geſſit aggrediendo arduа cum ſumma fiducia, & magnanimitate, & ea ſuſtinendo cum perfecta patientia, & perſeverantia.

Nam, quam ardua aggreſſus fuerit, & magna cum fiducia, ac magnanimitate complerit, eadem Vaticana Regeſta *a pag.* 52. *uſque ad pag.* 246. teſtantur, Actaque Concilii in *præallegato* 4. *Tomo Conciliorum* commemorant, S. Antonin. Archiepiſc. Florent. *Hiſtor. part.* 3. *tit.* 20. *cap.* 2. Joann. Magnus Gothæus Upſalen. Archiepiſcopus de *Vitis Pontificum Upſalen. lib.* 3. & ponuntur multa per Joannem Marianam *de rebus Hiſpan. lib.* 13. *cap.* 22.

Nempe Jacobo Aragoniæ Regi, cum adeo libidini intentus eſſet, ut Uxorem Vaſſalli ſui abduxiſſet, cum eaque conſuetudinem haberet, præcepit, ut adulteram dimitteret; eoque negligente, mandavit, ut, ſi ante octavum diem, poſtquam litteras accepiſſet, eam non dimiſiſſet, ut viro ſuo reconciliaretur, Archiepiſcopus Tarraconenſis, & Epiſcopus Dertuſenſis in eum Anathema diſtringerent, & locum, ad quem ille, vel illa adultera divertiſſet, Eccleſiaſtico Interdicto ſupponerent.

Alphonſum Luſitaniæ Regem, qui Bracharenſem, Conimbricenſem, Viſenſem, & Lamecenſem Eccleſias poſſeſſionibus, & reditibus exuerat, nonnullaque alia commiſerat, Beatus Pontifex redarguit, uſque dum a violandis perſonis, & rebus Eccleſiaſticis abſtineret; tum injuriarum, ac damnorum nomine iis, quos affecerat, ſatisdaret, ſeverius admonuit: quod ſi contemneret, Priori Cœnobii Ulyſſiponenſis Ordinis Prædicatorum, & Cuſtodi, atque Guardiano Ordinis Minorum, ut Cenſuras Eccleſiaſticas in eum promulgarent, & Sacra omnia Regno Portugalliæ interdicerent, omnino mandavit.

Alphonſum alterum Caſtellæ Regem, qui & ſe inſcribere Romanorum Regem, & Imperiali Sigillo uti audebat, ſimili modo abſterruit, litteris ad Archiepiſcopum Hiſpalenſem datis.

Carolum Siciliæ Regem, ne Jura Beneventanæ Eccleſiæ uſurparet prohibuit per litteras Anagnino Præſuli, ac Decano Antiocheno directas.

Ottocarum Bohemiæ Regem redarguit, quod in ipſum Papam commotus per litteras ſignificaſſet ſe nolle illius ſententiæ ſuper negotio Imperii Romani acquieſcere.

Magnum etiam Norvegiæ Regem, ne amplius Eccleſiis in contemptum Eccleſiaſticæ libertatis gravamina imponeret, continuit per litteras ad Archiepiſcopum Nidroſienſem.

Philippum Galliæ Regem, ut Comitatum Venaiſſinum Eccleſiæ Romanæ ab Alphonſo Comite Pictaviæ ejus Patruo raptum, & eidem Philippo Regi ex teſtamento relictum reſtitueret, commonuit per Nuntium Guilelmum Matiſconenſem Apoſtolicum Capellanum, ac Generalem Cauſarum Sacri Palatii Auditorem; quo audito, Rex non modo ea, quæ injuſto titulo poſſidebat, ex integro reſtituit, verum etiam poſtulanti Pontifici auxilia pro Terræ Sanctæ recuperatione promiſit, & ſubmiſit ex variis litteris ſubinde datis.

Electoribus Imperii Romani diu vacantis uti Electionem differentibus præcepit, Eccleſiaſticis quidem ſub pœna privationis Officii, & Sæcularibus ſub pœna Excommunicationis, ut omni cunctatione poſtpoſita, Eccleſiæ Advocatum darent, nempe Imperatorem, comminando inſuper, quod alias hæc ipſe faceret; & illi mandatis paruerunt, quia non multo poſt, habito inter eos tractatu, in Regem Romanorum elegerunt Rodulphum Comitem de Hauſpurg.

Rodulphum poſtea ab eis electum, & ab ipſo Pontifice confirmatum, niſi præſtituto tempore in Italiam adveniſſet cum Germanico Exercitu pro Sacro Bello in Saracenos agendo, & in Urbe ſe præſentaſſet pro Corona Imperiali ſuſcipienda, cerriorem fecit, ſe illum & Excommunicatione, & Imperii privatione mulctaturum.

Stephanum Hungariæ, & Ottocarum Bohemiæ Reges inter ſe contendentes cum Beatus Pontifex invicem conciliaſſet, & pacis fœdera inter illos firmaſſet, Archiepiſcopis Pragenſi, & Strigonienſi, ac Epiſcopis Olomucenſi, & Vacienſi in mandatis dedit, ut pacem hujuſmodi ſub cenſuris, & pœnis ab omnibus inviolabiliter obſervari facerent.

Hugonem Cypri Regem Coronam Regni Hieroſolymitani in præjudicium Mariæ Natæ olim Iſabellæ Magnæ Hieroſolymitanæ Reginæ affectantem peremptorie, ut ſe Apoſtolico conſpectui præſentaret, citari mandavit ex litteris ad Archiepiſcopum Nazaræum datis.

Valdemarum Sueciæ Regem Libertatis Eccleſiaſticæ, & Pontificiæ Auctoritatis contemptorem, jam miſerabile mancipium omnium enormium flagitiorum effectum, per ſuos Legatos Regia Auctoritate privavit, in ejuſque locum Ladislaum Magnum ipſius Fratrem prudentia, juſtitia, & æquitate, pietateque longe inſigniorem ſufficit.

Henricum Daciæ, ſeu Danorum, & Sclavorum Regem ob Archiepiſcopi Lundenſis, aliorumque Prælatorum ab illorum Sedibus ejectionem, & bonorum Eccleſiaſticorum privationem per Apoſtolicæ Sedis Legatum Excommunicatione perculſum approbavit, & in ſe poſtmodum reverſum a Cenſuris, integra libertate Eccleſiæ præſervata, abſolvit.

Contra Palæologum Græcorum Imperatorem tam pro Unitate Fidei, quam pro defenſione Primatus Eccleſiæ Romanæ viriliter inſtitit, ac inſtanter ſollicitavit; & tandem, Deo dante, quod humilibus precibus, & continuis lacrymis expoſcebat, feliciter obtinuit.

A Duce Venetorum per Apoſtolica Scripta petiit, ne ſineret, per aliquos Venetos Arma, Ferrum, Lignamina, Naves Saracenis deferri, vel aliter quoquo modo illis auxilium impendi.

Ducem Brabantiæ Eccleſiæ Leodienſis libertatem turbantem, & Homines Villæ Sancti Trudonis multipliciter vexantem, tempore præſertim Concilii, quo Epiſcopus Leodienſis aberat, increpuit acerrime, ut ab omni moleſtia in Bonis, & Juribus dictæ Eccleſiæ, & potiſſimum reſpectu Villæ Sancti Trudonis ſe abſtineret.

Ducem Lotharingiæ, & Comitem Barenſem, qui L-

Epi-

Epiſcopum Metenſem defenſioni Terræ Metenſis Eccleſiæ inſiſtentem violenter invaſerat, & carceri mancipaverat, in priſtinam libertatem ut eum reſtituerent, coegit, recepta ulterius ab eis promiſſione, & obligatione de Apoſtolico Mandato ſuper præmiſſis obſervando.

Ducibus quoque, ac Regibus, & Imperatoribus ſub pœna Excommunicationis ipſo facto incurrendæ præcepit, ne Guidonem de Monforti, qui Henricum de Alemannia Viterbii in Eccleſia occiderat, aliquo modo reciperent, aut recipi permitterent.

Januenſes, & Florentinos, Piſanos, Bergomenſes, Papienſes, Urbinates, & alios Pacis violatores, Libertatis Eccleſiæ turbatores, aut alias contumaces Cenſuris diſtrinxit, & Civitates eorum Interdicto ſuppoſuit.

Ex quibus, Divina hæc virtus quam perfecte fuerit in Servo Dei, facile dignoſci poteſt, cum per eam Majeſtate ſuperbos terruerit, & perverſorum iniquitates irruperit, conſtantiæ ſuæ, ac magnanimitatis immenſam a Deo reportans remunerationem.

Verum & ex aliis hæc virtus non minus in Servo Dei eluxit, per patientiam nempe, ac ſufferentiam, & perſeverantiam in adverſis, ut inter eaſdem paginas Vaticani Regeſti commemoratur; adeo ut, quo magis ſe offerrent labores, itinera, peregrinationes, pericula, ægritudines, eo fortior, & robuſtior redderetur.

Labores immenſos ſuſtinuiſſe illum, facile probant geſta in eodem Concilio Lugdunenſi, nempe morum Reformationes, Decreta, Conſtitutiones pro Eccleſia, & ejus Libertate ſublevanda, Conciones item ad Reges, & Principes excitandos ad Sacram Militiam ſuſcipiendam contra Saracenos, & Infideles, & demum cum præclaro Sanctitatis ipſius Elogio Litteræ Innocentii Quinti ejus in Pontificatu Succeſſoris (de quibus in *Codice Vaticano* Marini de Ebulo *pag.* 47.)

Itinera vero, & Peregrinationes probantur ex Legationibus per eum in minori ſtatu initis cum Cardinale Jacobo in Galliam, & Germaniam, & cum Cardinale Ottobono in Angliam, cum quibus aſſociatus in parte ſollicitudinis fuit: Vita manuſcripta in Placentino *fol.* 91. & 93. & IX. Teſtis in eodem proceſſu *ſuper* 16. *fol.* 81. & 82. *Gregorio Nono & Decimo*, & Matthæus Weſtmonaſterienſis in *Floribus Hiſtoriarum ad annum* 1267. Et Pontifex creatus Florentiam profectus eſt, ut Cives illos ad concordiam reduceret: S. Antoninus *Hiſtor. part.* 3. *tit.* 20. *cap.* 2. Joannes Villanus, Platina, Ciacconus, & alii in *Gregorio Decimo*.

Nec pericula ingentia defuerunt, quæ ipſe, veluti Fortitudinis inexpugnabilibus armis accinctus, nequaquam extimuit, quia poſt mortem S. Ludovici de Brundufio diſcedens intrepidus tranſivit ad Terram Sanctam Palæſtinam, ut Chriſtifideles opera, & conſilio adjuvaret, ſpretis omnino Maris periculis; quod refert Auctor vitæ manuſcriptæ in Placentino *fol.* 94. & deponit IX. Teſtis in eodem *ſuper* 16. *fol.* 82. necnon Matthæus Weſtmonaſterienſis *loco ſupra citato*, & Jacobus Zenus in *Gregorio Decimo*: & creatus Pontifex non pertimuit eadem Maris, & Itinerum pericula, præcipue in reditu tam ex Terra Sancta tempore hiemali, quam ex Lugdunenſi Concilio, tranſiens per diſcrimina Montium Galliæ, & Tuſciæ in ſpiritu Fortitudinis, ac zelo, & amore ſuæ Eccleſiæ; ut narrant idem Auctor vitæ manuſcriptæ *eodem fol.* 94. & *fol.* 96. Chronic. Man. in eodem Placentino compulſatæ *fol.* 100. Bernardus Guido, Onuphrius Panvinus *Addition. ad Platinam*, & alii in *Gregorio Decimo*, necnon Litteræ ejuſdem Gregorii ad Palæologum Græcorum Imperatorem in Vaticano Regeſto *pag.* 58. *n.* 37.

Denique ægritudines fuerunt Beato Pontifici comites, & eas recenſet ipſemet Beatus vir in litteris tam Regi, quam Reginæ Angliæ directis, & in proceſſu habito in die Cœnæ Domini *anno* 1272. & in alio Lugduni *anno* 1273. reſpective publicatis: nam Urbevereti, Bononiæ, Lugduni, & demum Aretii ob labores in ſenili ætate perpeſſos graviſſimis febribus tentus fuit, ſed nuſquam ab opere abſtractus Dei Eccleſiam regendi, cujus Pontifex factus fuerat, & Rector. Quod etiam diſertis verbis teſtatus eſt idem Innocentius Quintus, tanquam ocularis teſtis, in prænarratis litteris ad Reges, & Prælatos tranſmiſſis, ſtatim ſequuto obitu ipſius Gregorii.

De Temperantia admirabili.

CArdinalium virtutum hæc eſt poſtrema, quam Ariſtot. 3. *Ethic.* appellat mediocritatem circa tactus, guſtuſque voluptates, & S. Doctor 2. 2. *qu.* 141. *art.* 1. illam dicit moderationem, ſeu temperiem, quam ratio ſacit: & hanc moderationem, & temperiem in excellenti gradu fuiſſe in Beato Pontifice, ex probatis comperimus.

Fuit enim hic Dei Servus temporalium rerum maximus contemptor; quod, cum pertineat ad abſtinentiam, inter partes ſubjectivas Temperantiæ ponitur ab eodem Sancto Doctore *dicta qu.* 141. *art.* 1. &, hanc eſſe veram ſpiritus paupertatem, definiunt D. Ambroſ. *Homil. lib.* 5. *in Lucam cap.* 6. & D. Hieronymus in *Matthæum c.* 5. relati ab eodem S. Doctore 2. 2. *q.* 19. *art.* 12. nam, cogitante Innocentio Quarto de removendo Epiſcopo Placentino, uti minus canonice inſtituto, Theobaldo huic (tunc Archidiacono) liberaliſſime Eccleſiam illam obtulit; ſed ipſe recipere noluit, ut in vita ejuſdem compulſata *fol.* 92. & etiam refert Ciacconus in *Gregorio Decimo*. Verum, eamdem abſtinentiam magis practicaſſe, dignoſcitur in confirmatione electionis Rodulphi Regis, in qua, reprobatis Nuntiis Regis Hiſpaniæ, & Regis Bohemiæ ad Imperium Romanum enixe aſpirantium, ſprevit munera ipſius Ottocari Bohemiæ Regis, ut ſcribit Siffridus Presbyter in *ſua Epit. lib.* 2. &, eamdem abſtinentiæ virtutem fuiſſe peculiarem in Beato Pontifice, ut ab omni munere manus ſuas excuteret, auroque, aut argento non inhiaret, humanaque omnia contemneret, narrant vita compulſata *fol.* 98. Jacobus Zenus Epiſcopus Patavinus, Platina, Ciacconus, & alii in *Gregorio Decimo*, Teſtis in Remiſſoriali Placentino IX. *ſuper* 16. *fol.* 90. & Joann. Andreas in *c. Ubi periculum. de Elect. in* 6. ac denique, quam ſumme hanc virtutem coluerit, particulari etiam Conſtitutione declaravit in *c. Exigit perverſorum audacia de Cenſ. in* 6. & Decreto idem ſpeciali, quo Familiaribus, & Domeſticis ſuis eamdem munerum receptionem vetuit, ex prædicta vita compulſata *eodem fol.* 98.

Præterea & ſeverius adhuc hanc virtutem obſervavit in ſe ipſo; nam ſingularis quidem eſt virtus Temperantiæ in abſtinendo, ſed illa, quæ ſubtrahit, tanto erit perfectior, quanto magis de convenienti ſubtrahit: D. Thom. 2. 2. *q.* 146. 147. & 149.

Erat enim parciſſimus in loquendo, ut non, niſi ædificationis gratia, & ſale diſcretionis condita, ab eo verba proferrentur, ſermoque ejus eſſet viri perfecti in verbo non offendentis. Eadem quoque abſtinentia utebatur in ſubtrahendo ſe a cibo, & potu, unica, tenuique comeſtione in die contentus, & quidem ab omni ſenſus delectatione abſtracta, dum per Sacræ Scripturæ lectionem in Menſa divinæ meditationi intentus tantummodo guſtaret, quam ſuavis ſit Dominus, & quam dulcia eſſent Verba Domini faucibus ſuis, naturalis delectationis tunc oblitus; ut ipſe propterea Aſtantibus ſæpe referre ſoleret, ſe neſcire, quid in ea comeſtione tunc ſumpliſſet: quod legitur in ejus vita compulſata in Placentino *fol.* 98. & idem deponunt III. teſtis *ſuper* 18. *fol.* 62. & IX. *ſuper* 16. *fol.* 83. in dicto Remiſſoriali Placentino, & alii in Aretino *ſuper* 15. *Articulo*.

De puriſſima Caſtitate Beati Pontificis.

CAſtitatem eſſe partem ſubjectivam Temperantiæ, ponit Sanctus Thom. 2. 2. *quæſt.* 143. *art.* 1. adeoque Jeſu Chriſto gratam, ut illius candore delectetur: &, a Deo Omnipotenti hac etiam virtute Beatum Pontificem fuiſſe ornatum, facile ex ſequentibus probari poteſt.

De ea enim deponunt octo teſtes in Remiſſoriali Aretino *ſuper primo*, & *ſequentibus Articulis uſque ad* 23. dum, reſpondendo, dicunt ſe credere, etiam contenta in *Articulo* 16. eſſe vera, tam ex publica voce, & fama, quam ex Hiſtoriis, ad quas ſe referunt & teſtes in Remiſſoriali Placentino, nempe VI. *ſuper* 2. *fol.* 69. VII. *ſuper* 15. *fol.* 74. IX. *ſuper* 26. *fol.* 84. affirmantes Beatum Virum ſpeculum honeſtatis fuiſſe, & quod numquam, ut creditur, criminis contagione pollutus fuerit; & in vita ejuſdem compulſata *fol.* 91. dicitur, quod ab Infantia vitam ita inſtituit ab omni immunditia liberam, ut in ejus Juventutis flore ob hanc ſingularem vitæ munditiam ceteris norma, & ſpeculum honeſtatis eſſet: & *fol.* 98. ſubditur: In carne quoque ſua ſervavit munditiam, nulla unquam, ut creditur, criminis contagione pollutam.

Quod etiam videtur ex circumſtantiis ſummæ honeſtatis, & modeſtiæ, ac prædicationis Verbi Dei convinci, ne, dum aliis hanc virtutem prædicaret, ipſe reprobus efficeretur, & ex morum correctione contra Reges, & Eccleſiaſticos ſimili immunditia notatos, de qua diximus in *Articulo de Fortitudine*. Unde facile colligi poteſt, quo odio oderat crimen hoc, per quod Anima ſeparatur a Caritate Chriſti.

Quam caſtitatis, & Virginitatis probationem Dominus Noſter dignatus eſt etiam manifeſtis indiciis comprobare, ex mirabili illius Corporis Integritate, & Incorruptione per annos tercentum, & amplius conſervata, de qua deponunt octo teſtes in Aretino Remiſſoriali *ſuper* 24. *Articulo*: &, quamvis non ita integrum ejus Corpus a paucis annis videatur (quod forte propter frequentem Fidelium ad ejus Sepulchrum acceſſum, & luminum intus poſitorum calorem, Coronarumque contactum contigere potuit) hoc tamen minime tollit præmia Puritati Corporis iſtius Beati Pontificis correſpondentia, quia, niſi adſit aliquid prohibens, ſicut homo non poteſt evadere mortem, ita nec putrefactionem, nec corruptionem, ut notat S. Thom. *ſuper* 3. *ſent. Diſtinct.* 21. *art.* 2. *ad* 4. & ad comprobandam Sanctæ Tereſiæ Virginitatem fuit hæc Corporis Incorruptio ſimili modo ponderata in ejus Relatione in *Articulo de puriſſima Caſtitate.*

De profundiſſima Humilitate Beati Pontificis.

Diſcite a me, quia mitis ſum, & humilis corde, dicit Dominus Noſter in Evangelio Matthæi *cap.* 11. quia per hanc ſanctam virtutem vere Animus firmatur, ne inordinate extollatur ad ſenſibilium concupiſcentiam, ut explicat S. Thom. 2. 2. *quæſt.* 161. *art.* 1. & 4. in qua quantum Beatus Pontifex profecerit, ſequentia demonſtrant.

Ore enim proprio ſolebat ſui ipſius diffidentiam, indignitatem, & inſufficientiam fateri, ut probant ejus vita compulſata *fol.* 94. *a tergo*, & Litteræ ab eodem Beato Pontifice directæ ad Patriarcham Hieroſolymitanum *de anno* 1272. in Regeſto Vaticano, ſequendo reſponſa B. Joannis Baptiſtæ in Evangelio Joannis *cap.* 1. *Non ſum, non ſum, ſum vox clamantis in deſerto:* & Apoſtol. *ad Philippen. cap.* 2. *In humilitate Superiores ad invicem arbitrantes:* & Prophetam in *Pſal.* 21. *Sum vermis, & non homo; opprobrium hominum, & abjectio plebis.*

Ex eadem humili cogitatione, & ſui ipſius diffidentia Eccleſiam Placentinam ab Innocentio Quarto ſibi oblatam recuſavit; & eadem ratione electioni in Summum Pontificem reſtitiſſet, niſi majori virtute victus, zelo ſcilicet reparandæ calamitatis Eccleſiæ Dei triennio vacantis, commotus fuiſſet, ut Litteræ ejuſdem Beati Pontificis teſtantur ad Palæologum Græcorum Imperatorem, & ad Patriarcham Hieroſolymitanum, necnon Archiepiſcopum Senonenſem, & eorum reſpective Suffraganeos, de quibus in Vaticano Regeſto *pag.* 58. & 121.

Et agnoſcens eamdem infirmitatem in ſe ipſo, cum eſſet Summus Pontifex, quæ in aliis eſſe poſſet, ſequendo Apoſtol. *ad Hebr. c.* 5. ſeipſum Deo, & aliorum orationibus commendabat; quæ proprie ad agnitionem virium deficientium pertinent, & humilitatem indicant; ut in *Pſal.* 25. 37. & 101. Rex David prænuntiat.

Et formam Servi accipiens Pauperibus Jeſu Chriſti miniſtrabat, & pedes eorumdem quotidie propriis manibus abluebat, ut vita ejus compulſata commemorat *fol.* 98. In cujus operis exercitio hæc virtus maxime elucebat, cum fuerit ab eodem Domino Noſtro cœpta, & præcepta in Evangelio Joannis *c.* 13. *Scitis quid fecerim vobis?*

De Sanctitate Beati Pontificis in genere.

PRobationem hanc genericam non, niſi ex pluribus argumentis, impleri poſſe eo modo quoad probandam Famam, Reputationem, Nobilitatem, Virtutem, & ſimilia, voluerunt Bald. in *l. Providendum C. de Poſtul. & in leg.* 1. *C. de Dignit. num.* 97. Guidopap. *deciſ.* 88. Covarruv. *lib.* 1. *var. reſol. cap.* 16. *num.* 10. quippe quæ pendeat ab opinione hominum, quæ ex diverſis ſoleat colligi; quod etiam ponderarunt Majores noſtri in Relationibus Sanctorum Hyacinthi, Raymundi, Iſidori, Tereſiæ, & B. Juliani.

Inter alia autem argumenta cum virtutes ipſæ Theologicæ, & Cardinales primum obtineant locum, quandoquidem illæ neceſſario probandæ ſint, non minus, quam miracula, in canonizando Dei Servos, *c.* 1. *de Reliq. & Venerat. Sanctor.* Gloſſa communiter approbata in *cap.* 1. *in verb. Sedi Apoſtolicæ eod. tit. in* 6. ubi Hoſtienſ. *num.* 5. Joann. Andr. *num.* 4. Archidiac. *num.* 5. Bellam. in *cap. Venerabilis num.* 2. *de Teſtib.* Troil. Malvet. in *tract. de Canonizat. Sanctor. dub.* 3. *num.* 1. & 73. Caſtill. *eod. tract. quæſt.* 4. *principal.* & *quæſt.* 5. *verſ. Quinto neceſſarium eſſe*, Caſſan. in *Catalog. glor. mundi part.* 3. *conſid.* 50. Maſcard. *de probat. concluſ.* 262. *num.* 2. Pavin. in *Relat. S. Bonaventuræ part.* 1. *art.* 8. & 9. & idem fuit dictum in Relatione S. Reginæ Eliſabeth *in princ.*

Primum argumentum deſumimus ex probatione virtutum hujus Beati Pontificis, quas in ſummo gradu exiſtere, ſupra deduximus, & per quas viri fama boni a ceteris in veneratione habentur, quippe qui conſiderantur in multis laboribus, & vigiliis, in moribus caſtis, in ſtrenuis actibus, *cap. Miramur* 61. *diſtinct. cap. Quatuor* 12. *quæſt.* 2.

Secundum eſt fama communis, reputatio, & vox Populi, & quidem Catholici, Sanctos venerantis; quæ moveri non potuit humano affectu vel cupiditate lucri temporalis, ſed ſolo pietatis, & Divini Amoris deſiderio, acclamantis per continuata tempora a die obitus iſtius Beati Pontificis, qui contigit die 10. menſis Januarii 1276. ipſum ab omnibus communiter habitum, & reputatum fuiſſe pro Beato, & Sancto, & quod Populus cum magna devotione interceſſioni illius ſe commendat: ita teſtes in Remiſſoriali Aretino *ad* 5. *Interrogatorium*, & *ſuper* 26. *Articulo* concludenter deponunt, nempe I. *fol.* 36. II. *fol.* 48. III. *fol.* 49. IV. *fol.* 54. V. *fol.* 62. VI. *fol.* 70. VII. *fol.* 76. VIII. *fol.* 87. XI. *fol.* 91 X. *fol.* 96. XI. *fol.* 99. XII. *fol.* 102. XIII. *fol.* 106. XV. *fol.* 111. & XVI. *fol.* 113. & in Remiſſoriali Placentino decem teſtes idem confirmant *ſuper* 26. *Articulo* I. *fol.* 56. II. *fol.* 58. III. *fol.* 61. IV. *fol.* 64. V *fol.* 65. VI. *fol.* 69. VII. *fol.* 71. VIII. *fol.* 79. IX. *fol* 80. X. *fol.* 89. Quam probationem, cum verſemur in antiquiſſimis, nempe ſupra annos 350. a die obitus Beati Pontificis, viſum fuit hic firmare, eſſe plenam, & concludentem in materia Canonizationis, prout & illam, quæ deducitur per Hiſtorias antiquas, & approbatas; ut propterea, cum contigerit ſuper eiſdem probationibus firmare factum miraculorum, de veritate iſtarum concluſionum hæſitandum non ſit. Hanc igitur concluſionem, quod geſta antiqua probentur per teſtes deponentes de publica voce, & fama, firmarunt Innoc. in *cap. Veniens num.* 6. *verſ. Et non mireris, de verb. ſignific.* Bald. in *l. Inſuper num.* 2. *C. de rei vendic. & in l. Proprietatis num.* 4. *C. de probat.* Abb. in *c. Inter dilectos n.* 6. *de Fid. Inſtrum.* late Felin. in *cap. Veniens num.* 16. *de Teſtib. & in cap. cum Cauſam n.* 9. *verſ. Sed dicas, de probat.* Marſil. in *rubr. C. eod. num.* 214. Roman. *Conſ.* 109. *verſ. Aut enim*, Alex. in *l. Rem, quæ nobis, num.* 18. *ff. de acquir. poſſeſſ.* Gabr. qui plures refert, *Concl.* 1. *n.* 84. *de Præſcript.* latiſſime Maſcard. *de probat. concluſ.* 752. *n.* 7. & *ſeq.* Bellamer. *deciſ.* 70. Caſſador. *deciſ.* 2. *de probat.* Caputaquen. *deciſ.* 344. *n.* 3. & 347. *n.* 4. *part.* 3. Seraphin. *deciſ.* 449. *num.* 3. Put. *deciſ.* 62. *n.* 2. *lib.* 2. *in correct.* Et quod Hiſtoriæ, & Chronicæ ſimiliter probent, & illis ſit ſtandum, dixerunt Gloſſ. in *cap. Inter dilectos* §. *Sed contra, in verbo Magis &c.* & ibi Butr. & Abb. *num.* 17. *in fine, de Fid. Inſtrum.* Gloſſ. in *c. Cum cauſam, in verbis Per libros antiquos*, ubi Doctores communiter *de probat.* Specul. §. *Videndum verſ. Nono per libros &c. de probat.* Geminian. in *cap. Placuit num.* 2. *diſt.* 16. & *in c.* 1. *num.* 2. *notabil. diſtinct.* 27. & *in c. Adſit num.* 2. *diſtinct.* 50. Præpoſ. in *præm. decret. in princ.* Felin. in *cap.* 2. *in fine verſ. Et Dicit; de Reſcript.* Bart. in *l. prima n.* 22. Jaſ. *num.* 25. Dec. *num.* 76. Rip. *num.* 72. & 74. *ff. Si cert. petat.* Bald. in *l.* 1. *num.* 2. *ff. de Offic. Quæſtor.* Marſil. in *rubr. C. eod. tit. num.* 213. Pariſ. *conſ.* 1. *num.* 50. *libr.* 1. Collegium Paduan. poſt Conſ. Zabarell. *conſ.* 2. *num.* 53. Bellam. *deciſ.* 70. *num.* 2. Soccin. in *regul.* 21. *in litter. l. incipit libri, ſeu ſcripturæ in* 2. *fallentia*, Menoch. *conſ.* 378. *num.* 8. Maſcard. *de probat. concluſ.* 287. *per tot.* Gratian. *Diſcept. Forenſ. c.* 893. *num.* 7. Caſtell. in *tract. de Canonizat. Sanctor. quæſt.* 7. *verſ. Quæro, an in Canonizatione Sanctorum:* quorum dicta procedunt, etiamſi Chronicæ, vel Libro Hiſtoriali non reperiatur inſcriptum nomen Auctoris, Panvin. in *Relatione S. Bonaventuræ fol.* 20. *verſ. Ad octavum*, quem ſequitur Felin. in *dicto cap.* 2. *in fine de Reſcript.* & prædictas concluſiones Majores noſtri ſequuti ſunt in Relationibus Sanctorum Bonaventuræ, Franciſci de Paula, Homoboni, Hyacinthi, Raymundi, Franciſcæ Romanæ, Tereſiæ, Franciſci Xaverii, Iſidori, & noviſſime in Relatione Sanctæ Reginæ Eliſabeth in *Articulo de Sanctitate Vitæ in genere*; ex quibus credimus, de illis in præſenti non poſſe dubitari.

Tertium deducitur argumentum ex Hiſtoriis, & Scriptoribus, qui ab obitu ejuſdem emanarunt; ex quibus facile probatur, quod hæc Sanctitatis fama non ſe continuit in Placentino, aut Aretino Populo tantum, ſed per Or-

per Orbem universum diffusa continuat, dum ex omni fere Natione scripserunt de Virtutibus, Gestis, & Sanctitate hujus Beati Pontificis, nempe Itali, Hispani, Galli, Germani, Poloni, Flandri, Angli, Britanni, & alii, quos placet seriatim hic secundum Nationes referre pro gloria hujus Sanctissimi viri, & Ecclesiæ Dei, qui mirabilis est in sanctis suis.

Ex Italis Scriptoribus.

SAcri Collegii S. R. E. Cardinalium Litteræ ad ipsum Gregorium Decimum tunc Thealdum Leodiensem Archidiaconum pro ejus electione ad Pontificem datæ anno 1271. Septembris mense *ex Regesto Vaticano* Marini de Ebulo *pag.* 45.

Marcus Paulus Venetus *de Region. Oriental. lib.* 1. *cap.* 5.

Ptolemæus de Luca ex Ordine Fratrum Prædicatorum Episcopus Torcellensis, & Bibliothecæ Vaticanæ Præfectus in *Vitis Pontificum*, *in Gregorio X.*

Idem Auctor etiam in *Annalibus Lucensibus*.

Ricobaldus Ferrariensis in sua *Historia*.

Ricordanus Malaspina in *Historia Florentina cap.* 196. *& sequent.*

Joannis Papæ XXII. Litteræ ad Archiepiscopum Pisarum, & Episcopum Mutinensem pro ejusdem Gregorii Decimi Canonizatione instituenda 6. Idus Maji 9. Pontificatus datæ, *ex Regesto Vaticano*.

Codex Statutorum Civitatis Aretii anno 1327. conditorum *lib.* 2. *in stat. num.* 42. *&* 48.

Joannes Andreas, & Geminianus in *c. Ubi periculum de Election. in* 6.

Andreas Dandulus Dux Venetiarum in suo *Chronico*.

Franciscus Petrarcha in *Vitis Pontificum*, *in Gregorio X.*

Nicolaus Politorus in suo *Chronico*.

Joannes Villanus *Historia Florentina lib.* 7.

Bartholomæus Pisanus Ordinis Fratrum Minorum *lib.* 1. *Conformit. S. Francisci fructu* 8.

Flavius Blondus Forolivienſis *Decad.* 2. *lib.* 8. & etiam *lib. de Regione Lombardiæ*, *ubi de Placentia*.

Leonardus Aretinus *Historiæ lib.* 3.

Sanctus Antoninus Archiepiscopus Florentinus *Hist. part.* 3. *tit.* 2. *cap.* 2. ponens formalia verba: Fuit autem Vir optimus, & procul dubio Sanctissimus, ingentis animi quidem contra Christiani Nominis Inimicos. Et quoad illius Sepulchrum addidit: Sepultus est Aretii summa cum veneratione, multaque circa illius Corpus miracula postmodum subsequuta fidem ejus Sanctitatis indubiam præbuere.

Jacobus Zenus Episcopus Patavinus, & Bibliothecarius Vaticanus in *Vitis Pontificum*.

Baptista Platina in *Gregorio Decimo*.

Joannes Franciscus Panvinus Sacræ Rotæ Auditor in *Relatione S. Bonaventuræ part.* 1. *art.* 4. *& part.* 2. *art.* 7.

Joannes Philippus de Lignamine Messanensis in *Chronic.*

Robertus Licienſis Ordinis Minorum Episcopus Aquinas in *Sermone de S. Bonaventura*.

Marcus Antonius Coccius Sabellicus *Ænead.* 9. *lib.* 7.

Podius Floren. in *Historia Florentina*.

Marian. Floren. Ordinis Minorum *Chronic. lib.* 3. *cap.* 1.

Raphael Volaterranus *Comment. lib.* 22.

Paulus Interianus *Histor. Genuen.*

Joannes Stella Venetus in *Vitis Pontificum*.

Thomas Radinus Todiscus Placentinus Ordinis Prædicatorum Sacri Palatii Magister in *Siderali abysso cap.* 49.

Paulus Æmilius Veronensis *de rebus Francorum lib.* 7.

Alexander Geraldinus Episcopus Civitatis S. Domnini in *Vitis Pontificum*.

Polydorus Virgilius Urbinas *Historia Anglicana*.

Bernardinus Franciscus Cipellarius Buxetanus in *Panegyrico S. Antonini Martyr. lib.* 3.

Hieronymus Perbonus Marchio Incisæ, & Oviliarum Dominus *lib.* 2. *Oviliarum pag.* 30.

Augustinus Justinianus Genuensis Episcopus Nebiensis *Histor. lib.* 3.

Marcus Geratius in *Chronic.*

Bartholomæus Bagarottus Placentinus in *Chronic. Placentin.*

Joannes Hieronymus Albanus (postea Cardinalis) in *libro de Cardinalatu ad Paulum Tertium*.

Rolandus Malavolta *Histor. Senen. part.* 2. *l.* 3.

Joannes Baptista Ramusius *Navigat. vol.* 2. *in princip.*

Cyprianus Manentus *Historia Urbevetana*.

Honuphrius Panvinus Veronensis Ordinis Eremitarum S. Augustini in *Epitome Romanorum Pontificum*, & etiam in *Notis ad Platinam*.

Joannes Tarcagnotta *Hist. Univers.*

Umbertus Locatus Episcopus Balneoregiensis *de Origin. Placent. pag.* 181.

Simon Majolus Episcopus Vulturarienſis in *Epistola ad Pium Quintum*, & etiam in *alia ad pium Lectorem*, *& in Notis Commentariorum in Concilium Lugdunense ipsius Beati Gregorii*, & in *Libro* quoque *de Sacris Imaginibus cent.* 13. *cap.* 15.

Gaspar Bugatus Mediolanensis *Histor. Univers.*

Carolus Sigonius Mutinensis *de Regno Italiæ lib.* 20.

Franciscus Sansovinus in *Chronic. Univers. part.* 2.

Petrus Pizarius Sentinas in *Annal. Genuens.*

Joannes Baptista Pegna *Histor. de Principibus Estensibus lib.* 3.

Pompejus Pellinus *Histor. Peruf. par.* 1. *l.* 4.

Angelus Constantii *Hist. Neapolit.*

Elias Capreolus *Hist. Brixien.*

Petrus Rodulpus Toffinianensis Ordinis Minor. Episcopus Venusinus *Histor. Seraph. lib.* 1.

Gregorius Lombardellus Ordinis Prædicatorum in *Vita B. Franchi Senensis cap.* 7.

Antonius Cicarellus Sacræ Theologiæ Doctor in *Vitis Pontificum*.

Franciscus Gonzaga Ordinis Minorum Episcopus Mantuæ *Histor. Seraphicæ Religionis*.

Mutius Panza in sua *Bibliotheca Vaticana par.* 2. *disc.* 12.

Joannes Petrus Massæus Bergomensis Societatis Jesu in *Vita S. Thomæ Aquinatis*.

Joannes Petrus Stupanus Sacræ Theologiæ Doctor in *Compend. Instit. Pontif.*

Thomas Costa Neapolitanus in *Epitome Vit. Pontif.*

Jacobus Bosius Eques *Histor. Relig. Equitum Hierosolymit. part.* 1. *lib.* 10.

Cherubinus Gherardatius Ordinis Eremitarum S. Augustini *Histor. Bononiens. lib.* 7.

Hieronymus Menghus Ordin. Minorum in *Thesaur. Cæles. Mariæ Virginis lib.* 2. *cap.* 24. *& sequent.*

Gregorius Polydorus Pistorienſis Ordinis Eremitarum S. Augustini in suo *Gregoriano*.

Scipio Ammiratus Florentinus *Histor. Florent.*

Joannes Nicolaus Dolionus in *comp. Historic. part.* 3.

Gaspar Sillingardus Episcopus Mutinensis in *Catalogo Episcoporum Mutinensium*.

Bartholomæus Dionysius de Fano *Histor. par.* 2. *cap.* 153. *& sequent.*

Joannes Baptista Signius Canonicus Regularis S. Salvatoris *de Ordin. & Statu Canonico lib.* 1. *c.* 14.

Marinus Sanutus Patritius Venetus *Histor. Orient. tom.* 2. *lib.* 3. *cap.* 13.

Hippolytus Donesmundus Ordinis Minorum *Hist. Eccles. Mantuæ part.* 1. *lib.* 4.

Historia præfixa Concilio Lugdunensi secundo *tom.* 4. *Conciliorum*, *edita Romæ anno* 1612.

Antonius Possevinus Junior Philosoph. & Medicus Mantuanus *Histor. Gonzag. lib.* 2.

Archangelus Gianus Florentinus in *Annal. Ordinis Servorum par.* 1. *lib.* 4. *cap.* 3.

Franciscus Longus a Coriolano Ordinis Minorum Capucin. in *Breviario Chronologico*.

Philippus Ferrarius Ordinis Servorum in *Catalogo Sanctorum*.

Bassianus Gattus Placentinus Monachus Sancti Hieronymi Erem. in *Poemate Matris Dei lament.* 5. *num.* 50. & etiam in *Indice litteræ G. Bononiæ impresso*.

Pandulphus Ricasolus Canonicus Florentinus in *Vita B. Philippi Benitii lib.* 2. *cap.* 12.

Nicolaus Baccetius Florentinus ex Ordine Cistercien. Abb. *Histor. Septimian. lib.* 7.

Ex Hispanis Scriptoribus.

Fr. Nicolaus Cardinalis de Aragonia in *Collect. lib. existente in Bibliotheca Vaticana*.

Bernardinus Gomesius Episcopus Albaratinensis in *Vita Jacobi Regis Aragonum lib.* 19.

Petrus Mexias in *Vita Rodulphi Imperatoris*.

Fr. Marcus Ulyssiponensis Episcopus Porti in Lusitania in *Chronica Fratrum Minorum part.* 2. *lib.* 2. *cap.* 7.

Joannes Pineda in *Monarchia Ecclesiast. part.* 3.

Ferdinandus de Castillo *part.* 1. *Historiæ Generalis Ordinis S. Dominici lib.* 3. *cap.* 9. *&* *cap.* 39. *cum sequent.*

Gonzalus de Illescas in *Histor. Pontific. part.* 1. *lib.* 5. *cap.* 40.

Alphonsus Ciacconus Ordinis Prædicatorum in *Vitis Pontificum*, *in Gregorio Decimo*.

Joannes Mariana Societatis Jesu *de Rebus Hispanicis lib.* 13. *cap.* 22.

Petrus

Petrus Ribadenerius Societatis Jesu in *Flore Sanctorum, in Vita S. Bonaventuræ*.

Ex Gallis.

Gulielmus de Mangis Monachus S. Dionysii in *Vita Philippi Regis Franciæ Filii Sancti Ludovici*.

Gulielmus Duranti cognomento Speculator in *Comment. ad Concilium Lugdunense ipsius Gregorii Decimi*.

Bernardus Guido Ordinis Prædicatorum Episcopus Lutevensis in *Chronol. Pontif. Rom.*

Vincentii Belluacensis Additionator in *Speculo Historiali lib.* 31. *cap.* 14.

Robertus Gaguinus *Historiæ Francorum lib.* 7.

Nicolaus Ægidii Secretarius Regius in *Annal. Franciæ*.

Christophorus Ropiniacus Cosageus Præses, & Consiliarius Regius *de Re Sacerd. seu Pontific. lib.* 2. *c.* 30.

Franciscus Belforestius *Cosmograph. tom.* 2.

Franciscus de Roliers Archidiaconus Tullensis *tom.* 3. *Stemmat. Lotharingiæ Ducum*.

Gilbertus Genebrardus Theolog. Paris. *lib.* 4. *Chronol.*

Jacobus Severtius Theolog. *Histor. Chronolog. Antistitum Lugdunensium part.* 1. *num.* 86. *& part.* 3. *cap.* 1. *sect.* 5. §. 1. *& seqq.*

Gabriel Michael Andegavensis in *Tabula Chronol. Parisiis impressa* 1615.

Leonardus Coqueus Theolog. Ordin. Eremit. S. Augustini in *Antimorneo tom.* 2.

Henricus Spondanus Episcopus Apamiensis in *Auctario Chronologico ad Annales Baronii*.

Claudius Robertus Presbyter Lingonensis in *Gallia Christiana, ubi de Episcopis Leodiensibus*.

De Germanis.

Henricus Stero Monachus Althaensis in *Chronico sui Cœnobii*.

Annales Dominicanorum Colmurensium *par.* 1.

Siffridus Presbyter in *Epitome lib.* 2.

Joannes de Susato Ordinis Prædicatorum in *Chronic. Magistri Generalis dicti Ordinis*.

Wernerius Rolevinchus in *Fasciculo temporum*.

Hartmanus Schedeluis Doctor in *Chronico universali*.

Chronic. generale antiquum totius Mundi *impress. ann.* 1495.

Joannes Trithemius in *Chronic. Monasterii Hirsaugensis*.

Paulus Langius Cigneus Monachus Bozaviensis in *Chronica Citizensi*.

Georgius Wicellius in *Epitome Romanorum Pontificum*.

Franciscus Joannettus J. U. D. *de Pontif. Rom. cap.* 162.

Antonius Bonefidius J. C. *de Jure Orient. in Sanctionibus Imperatoris*.

Sebastianus Verronius Præpositus Friburgensis in *Chronico Eccles. & Monarch. lib.* 8.

Gerardus de Roet *Histor. Austriaca lib.* 1.

Severinus Binus Canonicus in *Concilio Generali tom.* 3. *part.* 2.

Christophorus Hertmannus Monachus S. Benedicti in *Annal. Eremi Deiparæ Matris Monasterii in Helvetia*.

Petrus Opimereus in *Opere Chronologico*.

Jacobus Gretserus Societatis Jesu in *Examine Monasterii Plesseani cap.* 55.

Ex Flandris.

Joannes Investitus S. Joannis de Warnans *Histor. Leodiensis*.

Joannes Hocsemius *de Gestis Pontif. Leodiens. tom.* 2.

Magnum Chronicon Belgicum *anno* 1607. *impressum tom.* 1. *pag.* 260.

Jacobus Meyerius in *Annal. Flandricis lib.* 9.

Richardus Vassiburg. Archidiaconus Virdunensis in *Antiquitatibus Belgicis*.

Joannes Molanus in *Natal. Sanctor. Belgii die* 10. *Januar.*

Ferreolus Locrius Paulinus in *Chronico Belgico*.

Sacrarium Sanctorum Patriæ Leodien. *anno* 1618. *Leodii impressum*.

Aubertus Myræus in *Fastis Belgicis*.

Ex Polonis.

Martinus Polonus Archiepiscopus, & Pœnitentiarius Papæ in *Chronico Romanorum Pontificum*.

Abraham Bzovius Ordinis Prædicatorum in *Annal. Eccles. tom.* 13. *& in Historia Eccles. lib.* 6.

Ex Anglis.

Matthæus Paris. Monachus S. Albani in *Historia sua*.

Matthæus Westmonasterienſis Monachus S. Benedicti in *Floribus Historiarum lib.* 2.

Thomas Walsinghamus Monachus in *Historia Anglicana*.

Nicolaus Harpsfeldius *Hist. Eccles. Anglicanæ*.

Ex Britannis.

Joannes Riochus Ordinis Minorum Minister Provincialis in *Compendio temporum, & Histor. Eccles.*

Ex Hibernis.

Lucas Wadingus Ordinis Minorum *tom.* 2. *Annal. dicti Ordinis*.

Ex Scotis.

Petrus Kintire Sacerdos in *Oratione de Laudibus, Vita, & Morte Gregorii Decimi*.

Martinus Scotus Ordinis Cistercienſis in *Chronica Martiniana*.

Joannis Fordani Continuator *Histor. Scotiæ*.

Gilbertus Brunus in *Anacl. Historiæ Scotorum Eccles. p.* 57.

Jacobus Gordonius Societatis Jesu *Chronologia*.

Thomas Dempsterus J. C. Baro de Muresch. Eques Aurat. *Hist. Eccles. Gentis Scotorum lib.* 6. *num.* 555. *pag.* 296. *& lib.* 10. *num.* 780. *pag.* 422.

Ex Græcis.

Michaelis Palæologi Græcorum Imperatoris Litteræ Responsivæ ad ipsum Gregor. Decimum in *Regesto Vaticano*.

Nicephorus Gregoras Consiliarius Imperatoris Andronici Junioris *lib.* 5. *Histor. Rom. post princ.*

Annalium Glycæ Continuator.

Quartum elicitur argumentum ex quamplurimis antiquis Instrumentis, Decretis, Statutis tam generalibus Civitatis Aretii, quam particularibus inter Artes ejusdem Populi enuntiativis cum titulo Beati, & Sancti, quæ per tempora emanarunt *ab anno* 1327. *usque ad annum* 1550. de quibus habetur in Compulsoriali Aretino *a fol.* 192. *usque ad fol.* 203. & in Placentino *fol.* 106. apparet de Rogitu publico Placentiæ *anno* 1395. in honorem hujus piissimi Viri nedum cum titulo Beati, sed etiam sanctæ recordationis: ex quibus in jure non minus plene probatur Fama antiqua, quam per testes de ea formiter deponentes, prout firmant Bald. in *l. Cum aliquis num.* 4. & apertius Salicet. *num.* 3. *vers. Si tamen plura*, Castrens. *num.* 6. *C. de jur. deliber.* Crávett. *de Antiqu. temp. part.* 1. *vers. Ampliatur nunc num.* 14. Caputaquen. *decis.* 344. *num.* 2. *&* 342. *num.* 4. *lib.* 3.

Quintum deprehenditur ex Tabula vetustissima Sepulchro Beati Pontificis appensa; & ab anno 1276. usque in præsentem diem conservata, in qua sunt scripta miracula quamplurima, quæ Dominus Noster Jesus Christus facere dignatus est meritis Viri Dei diversis personis singulari devotione, & affectu Beato Gregorio se devoventibus; quæ procul dubio pronuntiant, Sanctitatem Beati Pontificis multis Dei sigillis obsignatam, & probatam fuisse, & de quibus erit agendum, cum de miraculis in specie tractabitur: interim tamen, tamquam antiquissima, in Aretino processu exemplata *fol.* 159. cum longinquitate temporis fulciatur, & conservata fuerit, titulus appellari debet secundum Baldum *cons.* 310. *An Patronatus lib.* 5. Bartol. in *l.* 1. *fin. princip. ff. de bonor. poss. secundum tab.* Alber. in *l. in finalibus ff. finium regun.* Cravett. *cons.* 158. *num.* 4. Ripa in *l.* 1. *num.* 73. *ff. si cert. pet.* & per consequens, tamquam inscriptio in antiquo opere facta, probat, Gloss. in *cap. Cum causam, de Probat. in cap. Ad audientiam, de Rescript. cap. Cum olim, de Censib. cap. Sane* 24. *qu.* 2.

Sextum se præbet argumentum ex Litteris Joannis Papæ XXII. sub data 6. *Idus Maji* 1326. in quibus ipse fama Sanctitatis Beati Pontificis motus causam inquisitionis faciendæ de ejus Vita, Conversatione, & Miraculis commisit; quæ cum non, nisi probata fama Sanctitatis, tamquam ex præambulo necessario ad Inquisitionem, & Processum Apostolica auctoritate faciendum, soleat concedi, ut dicit Panvin. in *Relatione S. Bonaventuræ*, & illam esse expectandam, voluerint Hostiens. & alii adducti in Relatione Canonizationis S. Franciscæ Romanæ *part.* 3. *art.* 7. consequitur, satis constare de hac fama Sanctitatis in genere, ex quo, ea supposita, Litteræ Commissariæ emanaverint: quibus accedit Testimonium Sedis Apostolicæ permittentis, illum, uti Beatum, in Veneratione haberi, diem ejus Natalis celebrari, Statuas erigi, & inter alias Sanctorum Imagines coli; quæ etsi non sufficiant, ut in Catalogo Sanctorum relatus dici possit, ex illis tamen Sanctitatis maximum resultat argumentum, cum is honor non nisi Sanctis cum Deo regnantibus tribui soleat, ut notant in *cap.* 1. *de Relig. & Venerat. Sanctor.* Hostiens. *num.* 5. Joann. Andr. *num.*

num. 3. Caſtellin. *de Canoniz. qu.* 1. *verſ. Et fiat certa die.*

Septimo magis hæc Fama comprobatur ex confluentia piorum Fidelium ad Sepulchrum Beati Pontificis omni tempore nedum ex Aretina ipſa Civitate, ac finitimis Etruriæ partibus, ſed ex aliis quoque Regionibus, & Provinciis remotiſſimis cum oblationibus Cereorum, & Lampadarum ardentium in ſignum acceptorum beneficiorum, gratitudiniſque, ac devotionis erga Dei Servum, accedente ejuſdem Sepulchri ornatu in die obdormitionis illius, de quibus omnibus deponunt Teſtes in Remiſſoriali Aretino, nempe I. *ſuper* 25. *Artic. fol.* 39. II. *ſuper* 26. *&* 28. *fol.* 46. *&* 47. III. *ſuper* 28. *fol.* 53. IV. *ſuper* 28. *fol.* 60. & VI. *ſuper* 28. *fol.* 74. quorum depoſitiones comprobantur ex Viſitatione Sepulchri in eodem Remiſſoriali Aretino *fol.* 190. in qua Judices delegati referunt, circa Sepulchrum vidiſſe multas Tabellas depictas, & alia Vota argentea, & ex aliis materiis appenſa ad Sepulchrum Beati Pontificis demonſtrantia gratias ab Omnipotente Deo meritis, & interceſſionibus ejuſdem a diverſis Fidelibus acceptas: quæ omnia ſolent augere uniformem Populi opinionem, & devotionem, ut in Relatione Beati Juliani fuit ponderatum.

Octavo concurrunt Conſtitutiones, Statuta, & Decreta ſuper celebratione Feſti Beati Pontificis; quæ cum fieri non ſoleant a Magiſtratibus, & Univerſitatibus, niſi cum magna facti veritate, & cognitione, & Virorum frequentia, non videtur hæſitandum, quin præceſſerit fama Sanctitatis, & Miraculorum, ex qua moti præſumuntur ad piam, & laudabilem ejus Memoriam conſervandam; ex Statutis namque antiquis Aretii *anni* 1345. in Aretino Proceſſu *fol.* 192. *a tergo* referuntur formalia verba *rubric.* 39. *lib.* 2. *De honore faciendo Beato Gregorio Papæ Decimo:* Statutum eſt, quod omni anno expendantur in Feſtivitate Beati Gregorii de Havere Communis centum libræ in Ceris, quæ debeant offerri dictæ Feſtivitati ſuæ. Et ex Statuto Artis Fabricantium *de anno* 1386. *fol.* 183. in eodem Aretino inter Feſtivitates obſervandas ordinatur dies Feſtivitatis Beati Gregorii de menſe Januarii, & ex Statutis Artis Lanæ ejuſdem Civitatis compilatis *de anno* 1407. & in Remiſſoriali *fol.* 177. *a tergo* ſimilis Ordinatio deſumitur venerandi Feſtum Beati Pontificis.

Nono prædictis accedit obſervantia continuata ab anno 1276. immediate poſt obitum Beati Pontificis uſque in præſentem diem, quæ veritatis hujus famæ Sanctitatis fideliſſima eſt interpres: nam Tabula Miraculorum appenſa Sepulchro Beati Pontificis habet formalia verba: In nomine Dei Æterni. Amen. Anno Domini 1276. Indictione quarta Domino Innocentio Papa Quinto reſidente: Infraſcripta ſunt Miracula, quæ Dominus Noſter Jeſus Chriſtus fecit meritis Beati Gregorii Decimi in perſonis infraſcriptis, quæ ſe cum reverentia devoverunt Beato Gregorio ſupraſcripto. Et cum eadem Tabula concordant aliæ duæ ſimiles in Vaticano Tabulario, & in Bibliotheca Patrum Oratorii de Urbe conſervatæ exprimentes Diem, Annum, Indictionem, & Pontificatum, & nonnulla Miracula ex ſupradictis relata in eodem primo Proceſſu Aretino *fol.* 159. *ad* 165. & exinde emanarunt Statuta Civitatis Aretinæ, necnon & Artium *de anno* 1327. incipientia, & continuantia in Reformationibus eorumdem *uſque ad annum* 1560. & Confirmationem de Feſto celebrando, & Ordines de Cera offerenda in die Feſti; quæ omnia in Aretino compulſata leguntur ſingulis fere annis: ex quibus duo ad majorem Sanctitatis famam probandam inferuntur, nempe obſervantia morti Beati Pontificis proxima, & continuatio abſque intermiſſione per trecentos, & ulteriores annos, quæ ſolent effectum obſervantiæ plene comprobare, Cravett. *conſ.* 101. *num.* 3. Bald. *conſ.* 245. *num.* 2. *lib.* 3. Rotæ *deciſ.* 301. *num.* 8. *part.* 1. *recent.*

Decimum & ultimum argumentum præbent Supplicationes Principum tam Eccleſiaſticorum, quam Sæcularium pro Servi Dei Canonizatione; cujus Sanctitas ſicuti per Orbem univerſum divulgata eſt, ita Principes ex eodem Orbe univerſo ex diverſis Provinciis ſupplicarunt pro gratia referendi Sanctiſſimum Virum in Sanctorum Catalogum. Humiliter enim preces porrexerunt Ferdinandus Archiepiſcopus, & Elector Colonienſis, Capitulum, & Eccleſia Leodienſis, Ordines Prædicatorum, Minorum, & Servorum, Imperator, Rex Chriſtianiſſimus, Rex Catholicus, Reſpublica Veneta, Magnus Dux Etruriæ, Dux Parmæ, & Placentiæ, ipſaque Placentiæ Civitas, Capitulum, & Clerus Placentinus, Civitas, & Capitulum Aretinum, Reſpublica Genuenſis, & alii Proceres: ex quibus bene concluditur hæc generica Sanctitatis probatio, ut quartam Partem ingredi facile poſſimus.

De Miraculis poſt obitum Beati Gregorii Papæ Decimi.

CUm de Miraculis poſt mortem tantum hic agendum ſit, poſſunt facile omitti quæſtiones, quæ ſolent moveri, an ſufficiant miracula ad canonizandum, ſi probentur facta in vita tantum illius, vel etiam requiratur, ut eadem probentur poſt mortem. Similiter neque eſt immorandum in diſcutiendo requiſita ad miraculum probandum neceſſaria, quia hæc ſæpius fuerunt examinata in aliis Relationibus, ſignanter in illa S. Andreæ Corſini, & B. Thomæ de Villanova Epiſcopi Valentini, quæ facile ad manus deferri poſſunt. Viſum tamen fuit non incongruum, hic ſubjicere tenorem Tabulæ appenſæ ad Sepulchrum Beati Pontificis, cum de miraculis in ea contentis particulariter ſit agendum.

Tenor Tabulæ appenſæ ad Sepulchrum Beati Pontificis compulſatæ in Proceſſu Aretino.

APud Aretinam Civitatem Tuſciæ depoſitio Corporis Beatiſſimi Gregorii Papæ Decimi de nobili genere Vice-Comitum de Placentia, qui cum eſſet Archidiaconus Leodienſis exiens in Civitatem Achon cum Chriſtianis contra Saracenos a Cardinalibus in Civitate Viterbienſi miraculoſe fuit electus in Papam, & cum Summo honore Romæ coronatus. Fecit autem Lugduni ſolemne Concilium, ubi inter alia cum Imperatore, multis Regibus, & Baronibus pro recuperanda Terra Sancta paſſagium ordinavit, & perſonaliter illuc iter arripiens, & recedens Anno Dom. 1276. in Civitate Aretii migravit ad Dominum, ſepultuſque eſt in Eccleſia Cathedrali.

In Nomine Dei Æterni. Amen. Anno Domini 1276. Indictione quarta, Domino Innocentio Papa Quinto reſidente. Infraſcripta ſunt Miracula, quæ Dominus Noſter Jeſus Chriſtus fecit meritis Beati Gregorii Papæ in perſonis infraſcriptis, quæ ſe cum reverentia devoverunt Beato Gregorio ſupradicto.

I. Die Martis decimo die exeunte menſe Aprilis D. Lamandina Uxor Ghirardutii de Civitate Florentiæ, quæ vexabatur a Dæmonio, & vexata ſteterat ſpatio 25. annorum, ſicut ipſa mulier in verbo fidei affirmabat, meritis Beati Gregorii ſupradicti, cui ſe devovit, liberavit eam Deus: prædicta teſtificati fuerant Anchiere Tarnaldi, Landus filius fratris Orlandi, D. Mengharda Riccomanni, & Accurſius Clericus Majoris Eccleſiæ Aretinæ.

II. Dicta die Martis D. Imeldina olim Venturæ Braumantis de Caſtro de Comis Communitatis Aretii, quæ vexabatur a Dæmonio, meritis Beati Gregorii ſupradicti, cui ſe devovit, liberavit eam Deus: prædicta teſtificati ſunt Gherardutius Faber filius Bencivenis, Ventura filius Joannis, Coppis filius Velli, & Benvenuta uxor Bencivenis Mater dictæ Imeldinæ, qui viderunt eam dæmoniacam, & poſtea ſanam.

III. Die Lunæ 27. Menſis Aprilis Adalert mulier Theutonica filia Herrigi de Civitate Ruodolinghenæ diſtrictus Comitis de Feringhene, quæ veniebat a Civitate Romana, & viſitaverat limina Beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli, & etiam S. Nicolai, aſſociata, juravit tacto libro per Deum vivum, & per Jeſum Chriſtum ejus Filium, & per B. Virginem Mariam ejus Matrem, & per omnes Apoſtolos, & Sanctos, & Sanctas Dei, computato eidem Mulieri Sacramento per Joannem Theutonicum, qui ſciebat linguam latinam, quod ipſa Mulier non vidit aliquo modo neque Cælum, neque Terram, neque Solem, neque aliam rem exiſtentem in Mundo, jam ſunt octo anni elapſi, & veniendo ab Urbe avocola cum Societate ad Civitatem Aretinam venit ad monumentum Beati Gregorii ſupradicti, cui ſe cum reverentia devovit, quod idem redderet lumen oculorum ſuorum, & facto voto ſtatim meritis Beati Gregorii ſuprædicti aperti ſunt oculi ſui, & vidit Cælum, & Terram, & homines, & mulieres, & omnia quæ reſpiciebat. Et idem Joannes Theutonicus juravit ad Sancta Dei Evangelia, quod ipſa mulier ſic juraverat, & juravit, quod vidit eam cæcam, jam ſunt quatuordecim dies in Urbe: Et hæc omnia teſtificati fuerunt Reugo Joannis de Franchi ſorte de Alemania, & multi alii, qui venerant, & duxerant eam ad Urbem, & liberata eſt prædicta Mulier præſentibus DD. Caccia Plebano de Sancto Donato, de Martinellis Canonico Aretino, Orlandino Plebis Pontenano, Coppo Velli, & coram magno numero hominum, & mulierum, & juravit coram Domino Bono Præpoſito Aretino, Rainerio de Greſſa, & Donato de Martinellis Canonicis Aretinis, & coram multis aliis.

IV. Die Lunæ prædicta D. Iſamberga uxor olim Joannis de Caſtro Bibienæ, quæ vexabatur, & vexata extiterat

terat a dæmonio jam sunt decem anni, & ultra, sicut ipsa mulier in verbo fidei affirmavit, meritis Beati Gregorii supradicti, cui se devoverat, stando sub monumento ejusdem, liberavit eam Deus. Prædicta testificatus fuit Joannes filius Sodi, Pace filius Benamati, & Arlottus ejus frater, & Benamatus prædictus, & Bonus de Piscinale, dicentes, quod viderunt eam dæmoniacam, & postea sanam.

V. Die Veneris prima die mensis Maii Benintende filius Benincasæ de Vocognano dixit suo juramento, quod jam sunt quinque anni, & plus, quod propter gravem infirmitatem, quam habuit, aliquo modo non potuit ire, nec redire sine baculo, sine scaccis, & quando ibat cum scaccis, semper ibat contortus, & gibbus, & adeo incurvatus, quod quasi retinebat caput, & faciem suam juxta Terram, & aliter non poterat ire, nec se erigere. Et veniendo, & stando cum magna reverentia ad monumentum Beati Gregorii supradicti, cui se devovit, & invocando auxilium suum, meritis ipsius liberavit eum Deus a dicta infirmitate ita, quod libere sine baculo, vel alio adjutorio prædictus vadit, & redit quocumque vult. Omnia testificatus Arengutius Albergatore Nepos dicti Benintendis, D. Subilia uxor dicti Arengutii, Giana famula dicti Arengutii, & multi alii, qui viderunt eumdem sic infirmum, & contortum, & modo sanum, & hæc testificati fuerunt coram Raynerio de Gressa, & Donato de Martinellis Canonicis Ecclesiæ Cathedralis Aretinæ, & multis aliis.

VI. Die Veneris prima die Maii Domna Bona uxor quondam Donati Notarii de Civitate Aretii de Populo S. Petri Parvi dixit, & affirmavit suo juramento, quod ipsa sine aliqua interpolatione stetit avocola, & amisit lumen oculorum suorum, jam est unus annus & plus, ita quod aliquo modo non potuit videre, & veniendo, & stando sub Sepulchro Beati Gregorii Papæ Decimi supradicti, cui se devovit cum magna reverentia, meritis ipsius Beatissimi Patris Deus liberavit eam stando sub monumento ejusdem, ita quod bene vidit, & cognovit omnes res, quæ sibi monstrantur; & prædicta juraverunt sic esse vera Domna Guidalotta uxor Capardini, quæ fuit de Senis, quæ moratur cum ipsa D. Bona in domo, & D. Imelda uxor Rubei Sbragernæ, D. Servita filia olim Orlandi, & D. Bruna uxor Guidonis Furnarii, & hæc testificatus fuit in verbo fidei D. Amadeus Prior S. Petri parvi Sacerdos dictæ D. Bonæ, & postea juraverunt, & testificati sunt præsentibus DD. Rainerio de Gressa, Donato de Martinellis, Henrico, & Uberto Canonicis Majoris Ecclesiæ, & multis aliis.

VII. & VIII. Die Lunæ quarta die mensis Maii intrantis Druda Uxor Amici de Rocha de Vezzano, & Vivella filia Baldutii dicti loci in verbo veritatis, & in Judicio, quod deberent recipere in die judicii, dicunt, & affirmant, quod ipsæ steterunt vexatæ, & occupatæ a *spiritibus malignis pluribus temporibus*, & specialiter ipsa Druda dixit, quod steterat vexata ab ipsis spiritibus bene per quinque annos, & Amicus Maritus Drudæ, & Bonansegna filius Ognibene de Rocha prædicta testificati sunt eodem modo, dicentes dictas mulieres verum dixisse, sicut viderant, & audiverant, & meritis Beati Gregorii supradicti, cui se devoverunt sub monumento suo, liberavit eas Deus; testificati fuerunt hæc præsentibus DD. Bonsignore Primicerio, Donato, & Herrigo Canonicis, & multis aliis.

IX. Die Lunæ Prædicta D. Bonasia uxor Galgani de Castilione Filiorum Alberti dixit suo juramento, quod vexata stetit ab immundis spiritibus bene per triginta annos, & plus, vel alia crudeli infirmitate detenta stetit a tempore, quo visa Eclipsis universalis usque ad primum diem Dominicum mensis Maii proxime præteritum extitit sic vexata, & multorum Medicorum... requisita non potuit liberari. Veniens prædicta Mulier... Gregorii supradicti, & devovit se Deo, & Beato Gregorio, & ab... ab ipsa infestatione Dæmonum meritis B. Gregorii supradicti est liberata, adeo rejectando per eos multum a longe plus, quam posset pati humana natura, multis astantibus, & videntibus hominibus, & mulieribus, quæ erant sub Tumulo ipsius Beatissimi Patris; & audivit vocem dicentem supradictæ Mulieri; Bonasia surge, & ter saluta B. Virginem Mariam, quoniam liberata es, & ipsa Bonasia subito surrexit, quasi terrens homines, & mulieres, infirmos astantes subtus sepulchrum prædictum, & liberavit eam Deus ab ipsa infirmitate, sive infestatione Dæmonum: & hoc testificantur Orlandinus quondam Pretatii de Castilione, & Domna Encasa uxor... Pisani, quæ erat secum sub prædicto monumento, & hæc omnia dixit coram D. Bonsignore Primicerio Aretino, Presbytero Joanne Mansionario Majoris Ecclesiæ, Jacobo Clerico, & Fratre Andrea de Florentia de Regula Apostolorum, & coram multis aliis.

X. Die 13. mensis Maii intrantis Baldusinus filius olim Orlandi Civis Aretinus de Populo S. Michaelis, & D. Jacopina ejus uxor, dicunt & affirmant in verbo veritatis, & in Fide Jesu Christi, quod Neria eorum filia fuit adeo contracta in omnibus membris suis, quod non potuit se erigere, nec ire aliquo modo sine adjutorio hominis, vel mulieris, & faciendo dictam filiam apportare a quadam Serva dicti Baldusini ad monumentum Beati Gregorii supradicti, cui devoverunt dictam eorum filiam, stando sub ejus monumento meritis ipsius liberavit eam Deus, ita quod per se sine adjutorio alicujus potest se erigere, & libere ire. Et hæc testificatur fuisse vera D. Beneludus Orlandus quondam Jacobi, Rainerius olim D. Ubertini, & plures alii testes.

XI. Die 9. mensis Maii intrantis Rubertus quondam Cambii de Florentia dicit, & affirmat in verbo veritatis, quod stetit surdus, & non audivit aliquem hominem loquentem, jam sunt sexdecim anni, & plures, & veniendo ad sepulchrum Beati Gregorii supradicti, cui se devovit, & tangendo ejus sepulchrum, & stando sub eo, audivit quemdam sonitum locustæ, & cicadæ, & ab ipsa hora in antea meritis Beatissimi Patris Gregorii Dominus sanavit eum, & reddidit ei auditum, ita quod bene audit, & intelligit omnia, quæ sibi dicuntur ab hominibus. Et hæc testificatus est in præsentia DD. Raynerii de Gressa, Donati de Martinellis, & Uberti, Canonicorum, & plurium aliorum.

XII. Die 9. prædicti mensis Joannes olim Tucciardi de Rancho dixit, & affirmavit in verbo Fidei & veritatis, quod ipse stetit surdus, & non audivit aliquam vocem, jam sunt XXI. anni, & veniendo ad monumentum Beati Gregorii supradicti, cui se devovit, & stando sub sepulchro ejusdem Beatissimi Patris, & tangendo ipsum monumentum, subito liberatus est ita, quod bene audit omnia, quæ sibi dicuntur meritis ipsius Beatissimi Patris, & hæc dixit præsentibus D. Uberto Canonico Aretino B. M. Bonfiolo, & Ruberto quondam Cambii.

XIII. Nona die prædicta Joannes Petri de Carpignado Plebatus Plebis S. Petri de Massa dixit, & affirmavit, quod stetit avocolus, & non potuit videre, jam est annus, vel parum minus, ita quod non videbat lumen, & veniens ad monumentum Beatissimi Patris Gregorii supradicti, cui se devovit, & stando sub monumento prædicto, & tangendo ipsum monumentum, meritis ipsius subito liberatus est, ita quod bene videt. Et hoc testificatus fuit Timideus, & D. Berta uxor ipsius Timidei.

XIV. Die 10. mensis Maii Margarita uxor Joannis Saviæ de Castro Plebis de Massa Trebaria dixit & affirmavit, quod ipsa non potuit loqui aliquo tempore vitæ suæ aliquo modo, vel audire: veniens ad Sepulchrum Beati Patris Gregorii supradicti devota fuit; & stando sub eodem sepulchro, & tangendo illud meritis ipsius Beatissimi Patris Gregorii liberavit eam Deus ita, quod loquitur, & bene audit. Et hoc testificata fuit Litiaria ejus Soror coram D. Bonsignore Primicerio, Raynerio de Gressa, & D. Donato de Martinellis, Canonicis Aretinis.

Præterea notum sit omnibus videntibus, seu legentibus istam Chartam, quod multa alia miracula per merita prædicti Sanctissimi Patris Gregorii Decimi fecit Deus, quæ longissimum esset narrare, & quia non posset hæc brevis Charta multa ejus miracula ad plenum continere, ideo quicumque ejus miracula ad plenum noscere desiderat, ad Sacristam hujus Ecclesiæ accedat, qui sibi plenos Codices miraculorum prædicti Beatissimi Papæ libenter ostendet.

PRIMUM MIRACULUM.

Mulier obsessa a Dæmone, & vexata per viginti quinque annos continuos meritis Beati Pontificis liberatur.

LAmandina Uxor Gherardutii Florentina, cum vexaretur a Dæmone, & vexata stetisset per viginti quinque annos, meritis Beati Gregorii, cui se devovit, liberata remansit.

De operatione miraculosa non dubitavimus: nam fugare Dæmones non est humanæ virtutis, sed inter miracula facta per Salvatorem computatur, ut in Evang. Matthæi 8. *Obtulerunt ei multos dæmonia habentes, & ejiciebat spiritus verbo. Et cap. 9. Ecce obtulerunt ei hominem mutum dæmonium habentem; & ejecto dæmonio, loquutus est mutus. Et cap. 12. Tunc oblatus est ei dæmonium habens, cæcus, & mutus, & curavit eum, ita ut loqueretur, & videret.* Vel computatur inter miracula eorum, quibus a Deo potestas data est, ut in Evangelio Lucæ *cap.* 10. *Ecce do vobis potestatem calcandi su-*

di ſuper ſerpentes, & ſcorpiones, & ſuper omnem virtutem inimici, & nihil vobis nocebit. Et Matthæi *cap. 10. Convocatis duodecim Diſcipulis, dedit eis poteſtatem in ſpiritus immundos, ut ejicerent eos.* Similiter apud Acta Apoſtolorum inter miracula Diſcipulorum ponitur Dæmones ejicere, dum ſola Philippi prædicatione Dæmonia de corporibus exibant.

Factum probatur, nempe infirmitas obſeſſæ, & liberatio, ex depoſitione teſtium in ſecundo proceſſu Remiſſoriali Aretino de publica voce, & fama; in ſpecie de liberatione Lamandinæ Uxoris Gherardutii I. *ſuper primo Articulo fol. 26.* IV. *fol. 44.* V. *fol. 50.* & in genere per relationem ad Tabulam Sepulchro Beati Pontificis appenſam deponunt teſtes ejuſdem ſecundi Remiſſorialis Aretini, II. *fol. 34.* III. *fol. 39.* VI. *fol. 57.* & in primo Remiſſoriali Aretino IX. *ſuper 27. fol. 94.* & in Placentino IX. *ſuper 26. fol. 85.* & ulterius dicunt, contenta in Articulo eſſe vera de publica voce, & fama; quod ſufficeret, ut adhuc videantur in ſpecie deponere ſuper articulatis miraculis, Bald. *conſ. 56. num. 12. lib. 4.* Caſſador. *deciſ. 3. num. 9. de probat.* Rot. *deciſ. 578. num. 1.* coram ſan. mem. Papa Gregorio XV. quorum dicta plene, & concludenter probare, cum verſemur in antiquiſſimis ſupra 300. annos, firmavimus ſupra in *Articulo de Sanctitate in genere*. Quibus convenit Tabula ad Sepulchrum Beati Pontificis appenſa pariter ſupra 300. annos conſervata ſub data *anni 1276.* quarta Indictione Pontificatus Innocentii Papæ Quinti, in qua formalia verba ponuntur: Die Martis decimo die exeunte menſe Aprilis 1276. Domna Lamandina Uxor Gherardutii de Civitate Florentiæ, quæ vexabatur a Dæmonio, & vexata ſteterat ſpatio 25. annorum, ſicut ipſa mulier in verbo fidei affirmabat, meritis Beati Gregorii ſuprafcripti, cui ſe devovit, liberavit eam Deus: prædicta teſtificati fuerant Anchiere Tarnaldi, Landus filius fratris Orlandi, Domna Mengharda Riccomanna, & Accurſius Clericus Majoris Eccleſiæ Aretinæ. Secundo concurrunt aliæ duæ ſimiles Tabulæ conſervatæ in Vaticano, & in Bibliotheca Oratorii Eccleſiæ Vallicellanæ: in Vaticano quidem Codice *num. 3457.* in Vallicellano autem *littera C. 16. fol. 155.* ubi eadem verba enuntiantur. Ex quibus enuntiativis antiquiſſimis non minus deſumitur probatio, quam ex ipſa teſtium depoſitione, cum habeant vim famæ probatæ, Caſtrenſ. in *l. Cum aliquis n. 6. C. de Jur. delib.* Alexand. *conſ. 90. n. 1. & 2. lib. 6.* Cravett. *de Antiq. temp. part. 1. verſ. Ampliatur nunc n. 8. & 14.* Soccin. *conſ. 86. n. 1. lib. 1.*

Neque dubitavimus, hanc Tabulam Sepulchro Beati Pontificis appenſam antiquiſſimam eſſe, & in ſua antiquitate veriſſimam, non obſtante, quod data in ea poſita *anni 1276.* non ſoleat probare antiquitatem ſecundum Put. *deciſ. 186. lib. 3. & 439. lib. 1. & 9. de Fid. Inſtrumentorum*; quia, cum ex pluribus remaneat adminiculata, ceſſat exceptio, & periculum antidatæ, ex eodem Put. & aliis allegatis in Firmana Juriſpatronatus *prima Decembris* 1589. coram bon. mem. Penia: nam hæc eadem Tabula, dimiſſa copia ad Sepulchrum, fuit conſervata in Archivio Operæ publicæ Majoris Eccleſiæ Aretinæ, a quo Archivio, uti bene cuſtodito per Perſonam particulariter deputatam, ſolet recipere robur veritatis in qualibet ſui parte, Auth. *Ad hæc C. de Fid. Inſtrum.* Cravett. *conſ. 158. n. 4.* Gabr. *de probat. concluſ. 5.* Put. *deciſ. 430. & 441. lib. 2.* & *384. lib. 3. in correctis*; rurſum aliæ duæ ſimiles cum eodem Anno, Indictione, & Pontifice, ut dicebamus, conſervantur in Vaticano, & Vallicellano; & de hac ipſa Tabula mentionem facit Joannes Molanus in *Natalibus Sanctorum Belgii* dicens illam authenticam, & fide dignam miraculis plenam, ponens eamdem datam; & de antiquitate concludunt teſtes in Remiſſoriali Placentino, VI. *ſuper 27. Art. fol. 70. a tergo*, VII. *fol. 77.* IX. *ſuper 26. fol. 85.* & in primo Aretino I. *juxta 5. fol. 37. a tergo*, V. *juxta 5. fol. 64. a tergo*, & duo alii teſtes Compulſoriales ſuper recognitione dictæ Tabulæ in eodem proceſſu, V. *fol. 144.* & VI. *fol. 146.* & Atteſtatio Notarii Actuarii eodem proceſſu *fol. 159.* & in ſecundo Remiſſoriali Aretino I. *ſuper primo, fol. 25. a tergo*, & VI. *juxta 5. fol. 57.* de publica voce, & fama antiquiſſima deponentes. Ex quibus omnibus credimus, & datam, & antiquitatem Tabulæ eſſe probatam, & illi propterea, junctis maxime teſtibus in ſpecie, & in genere de fama, & publica voce miraculi deponentibus, fidem adhibendam, *cap. finali in princ. n. 24. quæſt. 2.* ubi Gloſſ. in *verb. Diptychis*, Speculator *de probat. §. Videndum reſtat num. 12. verſic. Per Libros antiquos, & antiquas Scripturas*, Cravett. *de Antiquit. tempor. part. 1. ſect. 8. Datur limitatio num. 12.* Rota *deciſ. 482. num. 4. part. 1. Recent.* ubi antiquæ Inſcriptioni poſitæ in Eccleſia multum defertur; & in Auguſtana Parochiali 18. Aprilis 1603. coram Epiſcopo Atrebatenſe, & in Bareuſ. Juriſdictionis 16. *Februarii* 1609. coram bon. mem. Cardinali Sacrato in ſpecie ponderantur hujuſmodi Tabulæ, quæ ſolent in Eccleſiis, vel Sacriſtiis conſervari; Duran. *de Rit. Eccleſ. Catholic. lib. 2. cap. 43. num. 8. & 9.* & ſimilem probationem fuiſſe admiſſam, teſtantur Relationes S. Raymundi *Art. 10.* in qua extabat Liber miraculorum ejuſdem Servi Dei, & S. Hyacinthi in *tertio Miraculo*, ubi deſumitur ſeries miraculi ex Libro vetuſto vitæ ejuſdem Sancti.

Quod ſi adhuc deſiderentur adminicula, credimus, plura concurrere, & quidem urgentia; nam Joann. Andr. *cap. Ubi periculum num. 1. de Elect. in 6.* teſtatur, ſuo tempore Inquiſitionem ſuper Sanctitate, & miraculis hujus Beati Pontificis fuiſſe commiſſam tunc Archiep. Piſano & Epiſc. Mutinenſi. Sed magis urget obſervantia tanti temporis, quo iſta Tabula per Ordinarios appenſa ad Sepulchrum fuit tolerata; cujus veritas niſi fuiſſet patens, & notoria, non permiſiſſent ipſi, tanto tempore illam appenſam ab omnibus legi & in publico conſervari, Bald. *conſ. 310. lib. 5.* Dec. *conſ. 135. num. 1.* Joann. de Anan. *conſ. 86. circa finem*, Ferrett. *conſ. 293. num. 9.* & ad rem hanc eadem ponderatio fuit facta in Relatione S. Andreæ Corſini *part. 5. §. 1.* Demum magis comprobat teſtimonium Eccleſiæ in celebrando Feſto Beati Pontificis per 300. & plures annos in illius honorem, & cum Oblationibus; quod per ſe ſufficeret ad dandam fidem Scripturæ, quamvis informi, dum obſervata fuit Sanctitas in illa Tabula enuntiata, Bald. *conſ. 400. n. 1. lib. 4. & conſ. 401. num. 9. lib. 5.* Cravett. *conſ. 101. num. 4.*

Neque poteſt dubitari de ſubſtantia miraculi ex eo, quod teſtes tam in ſpecie, quam in genere ſe referant ad Tabulam, & Tabula non juſtificet infirmitatem Obſeſſæ, niſi per aſſertionem illius, cui in re tam gravi, prout eſt in miraculo concludendo, ſtandum non ſit, ne ſit in facultate unius Mulierculæ declarare miraculum, ubi non eſt aliter probatum:

Quia miraculum non deſumitur ex Tabula, prout eſt probandum, ſed prout jam eſt ſequutum, & perfectum, ita ut, ſi ſubſtantialia miraculi in Tabula non exprimerentur, nihilominus probaret factum jam perfectum; ut dicimus de probanda venditione perfecta ex Apoca, quamvis ſubſtantialia venditionis non contineantur in ea, Ægid. *deciſ. 690. num. 8.* Curt. Jun. *conſ. 168. num. 10. & 11.* Rip. in *l. Admonendi num. 154. ff. de Jur. juran.* & idem Rota firmavit *in Pariſien. Pecuniavia 30. Martii* 1612. coram D. Coccino Decano, & in *Romana Palatii 6. Junii* 1618. coram bon. mem. Cardinali Sacrato. Animadvertimus præterea, aſſertionem iſtius Mulieris non eſſe ſimplicem, ſed in verbo fidei confirmatam, quod idem importat, ac juramentum, Gloſſ. in *cap. Pervenit in verb. Religionem fidei de fidejuſſ.* Gemin. in *cap. 1. num. 3. de ſpecul. in 6.* Bald. *cap. Litteras num. 13. de præt.* Afflict. *deciſ. 389. num. 2.* Surd. *deciſ. 225. num. 2.* & addimus, in factis antiquis probari infirmitatem, & Infirmi liberationem ex atteſtatione illius tantum, qui gratiam recipit, ubi aliæ probationes deficiunt, ut in Relatione S. Raymundi *par. 2. Octavo miracul.* & S. Ignatii in *Secundo miraculo* fuit admiſſum.

SECUNDUM MIRACULUM.

Aretina Mulier, quæ a Dæmone vexabatur, Voto facto, libera remanſit.

EAdem die Martis, exeunte Menſe Aprilis 1276. Domna Imeldina olim Venturæ Bramantis de Caſtro de Comis Comitatus Aretii, quæ vexabatur a Dæmonio, meritis Beati Gregorii ſupra ſcripti, cui ſe devovit, liberavit eam Deus: prædicta teſtificati fuerunt Gherardutius Faber Filius Bencivenni, Ventura Filius Joannis, Coppis Filius Velli, & Benvenuta Uxor Bencivennis Mater dictæ Imeldinæ, qui viderunt eam dæmoniacam, & poſtea ſanam. Hæc pariter ſunt verba deſumpta ex eadem Tabula, & leguntur in aliis duabus conſervatis in Vaticano, & Vallicellano Oratorio, & concurrunt teſtes de hoc miraculo in perſona Imeldinæ facto, particulariter deponentes de publica voce, & fama in ſecundo Remiſſoriali Aretino, I. *ſuper 2. Articulo fol. 26.* IV. *fol. 44.* & V. *fol. 51.* & in eodem proceſſu II. *fol. 34.* III. *fol. 39.* & VI. *fol. 57.* in genere deponunt de Dæmoniacis liberatis interceſſione hujus Beati Pontificis; & in primo Remiſſoriali Aretino idem dicit IX. teſtis *fol. 94.* dum deponit de Mangarda Ricommana adſcripta pro teſte, a qua ille teſtis aſſerit ſe origi-

originem ducere, & in Remiſſoriali Placentino IX. teſtis *ſuper 26. fol.* 85. qui enumerat quinque Dæmoniacos liberatos, & in ſpecie de contentis in Tabula ſupradicta: quibus accedunt eadem adminicula in primo miraculo ponderata, nempe admiſſio Tabulæ per tempus ſupra 300. annos, obſervantia, & continuatio Sanctitatis, Oblationes, & Feſtorum celebrationes, teſtimonium Eccleſiæ, & alia deducta in *Articulo de Sanctitate in genere*; quæ ſolent ſupplere defectum probationis, quatenus de ea poſſit dubitari, *l. Inſtrumenta C. de probation.* Crav. *de Antiq. temp. par.* 1. *Viſo de verbis num.* 7. Rot. *deciſ.* 751. *num.* 1. *&* 813. *part.* 1. *diverſ.*

Neque dubitandi cauſam præbent illa verba Tabulæ, quod teſtes afferant, illam vidiſſe dæmoniacam, & poſtea ſanam, quaſi abſque eo, quod non reddant cauſam ſcientiæ, non ſit fides adhibenda, dum hæc cognitio non cadat ſub ſenſu corporeo; quia, ut diximus in *primo miraculo*, non deducimus miraculum, prout eſt probandum, ſed prout jam eſt perfectum, concurrente depoſitione teſtium & in ſpecie, & in genere cum aliis adminiculis ſupra in *primo* ponderatis, ex quibus de perfecta, & plena probatione illius non poteſt dubitari.

TERTIUM MIRACULUM.

Mulier Theutonica ab octo annis Cæca lumen recipit.

ADalert Mulier Theutonica filia Henrigi, de Civitate Ruodolinghenæ diſtrictus Comitis de Feringhene, quæ veniebat a Civitate Roma, & viſitaverat limina Beatorum Apoſtolorum Petri, & Pauli, & etiam Sancti Nicolai, aſſociata, juravit tacto libro per Deum vivum, & per Jeſum Chriſtum ejus Filium, & per B. Virginem ejus Matrem, & per omnes Apoſtolos, & Sanctos, & Sanctas Dei, computato eidem Mulieri Sacramento per Joannem Theutonicum, qui ſciebat linguam latinam, quod ipſa mulier non vidit aliquo modo neque Cælum, neque Terram, neque Solem, neque aliam rem exiſtentem in Mundo, jam ſunt octo anni elapſi, & veniendo ab Urbe avocola cum Societate ad Civitatem Aretinam venit ad Monumentum Beati Gregorii ſupraſcripti, cui ſe cum reverentia devovit, quod eidem redderet lumen oculorum ſuorum, & facto voto ſtatim meritis Gregorii ſupradicti aperti ſunt oculi ſui, & vidit Cælum, & Terram, & homines, & mulieres, & omnia, quæ reſpiciebat. Et idem Joannes Theutonicus juravit ad Sancta Dei Evangelia, quod ipſa Mulier ſic juraverat, & juravit, quod vidit eam cæcam jam ſunt quatuordecim dies in Urbe: & hæc omnia teſtificati fuerunt Reugo Joannis de Franchefort de Alemania, & multi alii, qui venerant, & duxerant eam ad Urbem, & liberata eſt prædicta mulier præſentibus DD. Caccia Plebano de Sancto Donato, de Martinellis Canonico Aretino, Orlandino Plebano Plebis Pontenanò, Coppo Velli, & coram magno numero hominum, & mulierum; & juravit coram D. Bono Præpoſito Aretino, Raynerio de Greſſa, & Donato de Martinellis Canonicis Aretinis, & coram multis aliis. Hæc omnia ſunt verba Tabulæ ſupradictæ rei totius geſtæ narrativa; cum quibus conveniunt teſtes ſecundi Proceſſus Remiſſorialis Aretini de publica voce, & fama in ſpecie hujus miraculi deponentes, ſcilicet I. *ſuper* 3. *Articulo fol.* 26. II. *fol.* 35. IV. *fol.* 44. V. *fol.* 57. & ex eodem proceſſu in genere de ſanatione Cæcorum deponunt III. *fol.* 40. VI. *fol.* 57. & in primo proceſſu Aretino in genere de contentis in Tabula deponunt I. *ſuper ultimo fol.* 42. II. *fol.* 47. III. *fol.* 53. IV. *fol.* 60. V. *fol.* 68. & in Remiſſoriali Placentino III. *ſuper* 26. *fol.* 62. VI. *ſuper ultimo fol.* 70. VII. *fol.* 79. IX. *fol.* 89.

Neque dubitavimus, quin actio ipſa reſtitutionis luminis tam in ſe ipſa conſiderata, quam etiam quoad modum operandi contineat miraculum; quia, etſi natura poſſit dare lumen corpori, non tamen cæcæ, & dare vitam, non tamen mortuo, ut dicit S. Thom. *part.* 1. *quæſt.* 105. *art.* 8. *in corpore verſ.* 2. & propterea cum excedat vires naturæ creatæ, & nos miraculo adſcribendum cenſuimus, ſequendo D. Thomam ſupra allegatum, & Canoniſtas communiter in *cap.* 1. *de Reliq. & Venerat. Sanctorum in 6.* Quibus adducti Majores noſtri in conſimili Miraculo idem dixerunt in *Relationibus Sanctorum Caroli Cardinalis Archiepiſcopi Mediolani, Reginæ Eliſabeth, & Beati Felicis de Cantalicio.*

QUARTUM MIRACULUM.

Mulier de Caſtro Bibienæ per decennium a Dæmone vexata, ſtando ſub Monumento Beati Pontificis, liberatur.

ISambe[illegible]vex[illegible]ata extiterat a Dæmonio jam ſunt decem anni, & ultra, ſicut ipſa mulier in verbo fidei affirmavit, meritis Beati Gregorii ſupradicti, cui ſe devoverat, ſtando ſub Monumento ejuſdem, liberavit eam Deus. Prædicta teſtificatus fuit Joannes filius Sodi, Pace filius Benamati, & Arlottus ejus frater, & Benamatus prædictus, & Bonus de Piſcinale, dicentes, quod viderant eam dæmoniacam, & poſtea ſanam. Hæc ſunt pariter verba deſumpta ex Tabula ſupradicta, cujus fidem *in primo miraculo* ex multis comprobavimus, & operationem miraculorum in *ſecundo* firmavimus: & de infirmitate, & liberatione ejuſdem Iſambergæ in ſpecie deponunt teſtes excedentes annum quinquageſimum afferentes, audiviſſe a Majoribus ſuis, qui etiam a Majoribus audierunt, Iſambergam a Dæmone vexatam interceſſione Beati Pontificis fuiſſe liberatam, nempe I. in ſecundo Remiſſoriali Aretino *ſuper* 4. *fol.* 27. IV. *fol.* 45. & V. *fol.* 51. in genere autem de Obſeſſis liberatis, & per relationem ad Tabulam deponunt eodem Proceſſu II. *fol.* 35. III. *fol.* 40. VI. *fol.* 58. & in Informativo Aretino VIII. Teſtis *ſuper* 8. 9. *&* 10. *Interrogat. fol.* 71. & in Remiſſoriali Placentino IX. *ſuper* 26. *Artic. fol.* 85. Nec in ipſa Hiſtoria in Tabula perpetuata hoc ipſum miraculum probatione deſtitutum reperitur, quia legitur in ea etiam juramentum Obſeſſæ per verba *in verbo fidei*, quæ, ut & illa *in verbo veritatis*, & *ſub comminatione futuri Judicii*, juramentum important *c. Etſi Chriſtus*, ubi Abb. in *6. notab. de jure juran.* Seraphin. *de privileg. juram. Privileg.* 95. *n.* 7. & adnotati ſunt quinque teſtes afferentes, quod illam viderunt Dæmonicam, & poſtea ſanam; cum quibus convenit, ſaltem in genere, Vita manuſcripta ejuſdem Pontificis in Placentino compulſata, & conveniunt etiam modernis temporibus circumſtantiæ in miraculo enuntiatæ tam reſpectu temporis anni 1276. quo currebat Indictio quarta, ut ex Joanne Lucido *de Emend. temp. part.* 2. quam reſpectu Caſtri prædicti.

Nec refert, quod teſtes dixerint, vidiſſe eam Dæmoniacam, abſque ratione eorum dicti, prout neceſſarium eſt, quando materia non cadit ſub ſenſu corporeo; quia huic objecto ſatisfecimus in *primo ſimili miraculo* ex juramento Obſeſſæ, ex Scriptura enuntiante factum perfectum, & ex eo, quod Infirmæ credatur, quando deſtituatur factum alia poſſibili probatione: & nunc addimus tolerantiam Hiſtoriæ narratæ per tot ſæcula, & teſtimonium Eccleſiæ in celebratione Feſti hujus Beati Pontificis; ex quibus credimus, non poſſe dubitari de veritate facti in Tabula enuntiati.

QUINTUM MIRACULUM.

Gibbus, & Contortus, ſtando ad Sepulchrum Beati Pontificis, ſanus ſurrexit, & abiit.

BEnintende filius Benincaſæ de Vocognano dixit ſuo juramento, quod jam ſunt quinque anni, & plus, quod propter gravem infirmitatem, quam habuit, aliquo modo non potuit ire, nec redire ſine baculo, ſive ſcaccis; & quando ibat cum ſcaccis, ſemper ibat contortus, & gibbus, & adeo incurvatus, quod quaſi retinebat caput, & faciem ſuam juxta Terram, & aliter non poterat ire, nec ſe erigere: & veniendo, & ſtando cum magna reverentia ad Monumentum Beati Gregorii ſupraſcripti, cui ſe devovit, & invocando auxilium ſuum, meritis ipſius liberavit eum Deus a dicta infirmitate ita, quod libere ſine baculo, vel alio adjutorio prædictus vadit, & redit quocumque vult. Prædicta omnia teſtificantur Arengutius Nepos dicti Benintendis, Domna Subilia Uxor dicti Arengutii, Giana Famula dicti Arengutii, & multi alii, qui viderunt eumdem ſic infirmum, & contortum, & modo ſanum; & hæc teſtificati fuerunt coram Raynerio de Greſſa, & Donato de Martinellis Canonicis Eccleſiæ Cathedralis Aretinæ, & multis aliis. Miraculum articulatum, & totam ſeriem rei ſic geſtæ narrat eadem Tabula, cujus fidem ex antiquitate, tolerantia, obſervantia, & aliis adminiculis ſupra probavimus; & junctis teſtibus de publica voce, & fama in ſpecie hujus miraculi, & aliis in genere deponentibus, etiam per relationem ad Tabulam, credimus, ſufficienter factum probari, ſequendo Gloſſ. in *cap. Cum cauſam de probat.* Bellam. *deciſ.* 70. Caſſad. *deciſ.* 2. *de probat.* cum aliis in *Articulo de Sanctitate in genere* relatis: nam in ſecundo Remiſſoriali Aretino deponunt in ſpecie I. teſtis *ſuper* 5. *fol.* 28. IV. *fol.* 45. V. *fol.* 52. & ex eodem proceſſu in genere II. *fol.* 35. III. *fol.* 40. & VI. *fol.* 58. & VIII. teſtis ex Informativo Aretino *juxta* 8. 9. *&* 10. *Interrogatorium fol.* 71. & IX. in Remiſſoriali Placentino *ſuper* 26. *Artic. fol.* 83. cum quibus etiam convenit Vita ejuſdem Beati Pontificis manuſcripta in Compulſoriali Placentino regiſtrata. At cum miraculi ſeries deduceretur ex Codi-

cibus

cibus antiquis, fuit recepta in multis Relationibus Sanctorum, Hyacinthi *verſic. Primum ergo ad laudem*, Sancti Raymundi, Sancti Iſidori, & Sanctæ Reginæ Eliſabethæ.

Nec dubitavimus, ex facto probato colligi miraculum, quia infirmitas Gibbi, & Contorti cum proveniat a nimia humiditate, vel ſiccitate, Savonarol. in *prax. tract. 6. de agritud. nervorum cap. 2. rubr. 2. verſ. Cauſæ*, ex naturæ viribus, aut medicinali cura vis morbi in inſtanti expelli non poteſt, ſed longo temporis ſpatio curatur. Et idem fuit obſervatum in Relatione Beatæ Mariæ Magdalenæ de Pazzis in *tertio miraculo in Vita*, & in Relatione B. Joannæ de Cruce in *quarto miraculo poſt mortem*, & de valde Contorto in Relatione Sanctæ Tereſiæ in *quarto miraculo*.

SEXTUM MIRACULUM.

Aretina Mulier Cæca, ſtando ſub Sepulchro Beati Pontificis, illuminatur.

BOna Uxor Donati de Civitate Aretii de Populo Sancti Petri parvi dixit, & affirmavit ſuo juramento, quod ipſa ſine interpolatione ſtetit avocola, & amiſit lumen oculorum ſuorum, jam eſt unus annus, & plus, ita, quod aliquo modo non potuit videre; & veniendo, & ſtando ſub Sepulchro Beati Gregorii Papæ Decimi ſupradicti, cui ſe devovit cum magna reverentia, meritis ipſius Beatiſſimi Patris Deus liberavit eam, ſtando ſub monumento ejuſdem, ita, quod bene videt, & cognoſcit omnes res, quæ ſibi monſtrantur: & prædicta juravit, ſic eſſe vera, Domna Guidalotta Uxor Capardini, quæ fuit de Senis, quæ moratur cum ipſa Domna Bona in domo, Domna Imelda Uxor Rubei Sbragernæ, Domna Servita Filia olim Orlandi, & Domna Bruna Uxor Guidonis Fornari; & hoc teſtificatus fuit in verbo Fidei Don Amadeus Prior S. Petri parvi Sacerdos dictæ Domnæ Bonæ. Hujuſmodi miraculum eodem modo ex Tabula ſexto loco deſumptum nititur eiſdem probationibus, nempe teſtium depoſitioni in ſpecie & in genere de voce, & publica fama, & teſtimonio antiquæ hujus Tabulæ: nam teſtes in ſecundo proceſſu Remiſſoriali Aretino in ſpecie deponunt de illuminatione hujus Mulieris cæcæ meritis ejuſdem Beati Pontificis de publica voce, & fama, & de audito a Majoribus, prout I. *ſuper 6. Artic. fol.* 28. IV. *fol.* 46. V. *fol.* 52. & in genere ex eodem proceſſu II. *fol.* 35. III. *fol.* 40. VI. *fol.* 58. in Placentino IV. *fol.* 85. deponit de tribus cæcis illuminatis, & in Aretino Informativo VIII. teſtis *fol.* 71. & de cæcis illuminatis idem refert Hiſtoria Vitæ ejuſdem Beati Pontificis compulſata in Placentino *fol.* 98. Et huic miraculo conveniunt enuntiata in Statutis Aretinis *de anno* 1536. impreſſis, & depoſitio teſtis I. proceſſus Remiſſorialis Aretini, a quibus fit mentio Eccleſiæ Parochialis S. Petri parvi, de qua enuntiatur hæc Mulier cæca, & Rector, ſeu Prior, qui teſtimonium ſuper miraculo perhibuit: ita ut, cum verſemur in antiquiſſimis ſupra 300. annos, ut in aliis miraculis hujus Tabulæ firmavimus, & teſtes de auditu, & fama, & Hiſtoria plene probant; &, junctis ſupradictis, eo plenior remanet probatio, quia conjecturæ, & præſumptiones valde coadjuvant enuntiativas, & dicta teſtium de auditu, & publica voce, & fama, *cap. Cum cauſam de probat.* & Seraphin. *deciſ.* 75. Rota *deciſ.* 694. *num.* 7. *part.* 2. *recent.* & in Relationibus Sanctorum Hyacinthi, & Raymundi, fuit firmatum.

SEPTIMUM ET OCTAVUM MIRACULUM.

Duæ Mulieres a Dæmone vexatæ poſitæ ſub Monumento Beati Pontificis liberantur.

DRuda uxor Amici de Rocha de Vezzano, & Vivella filia Baldutii dicti Loci in verbo veritatis, & in Judicio, quod deberent recipere in die Judicii, dicunt, & affirmant, quod ipſæ ſteterunt vexatæ, & occupatæ a ſpiritibus maliguis pluribus temporibus, & ſpecialiter ipſa Druda dixit, quod ſtetit vexata duodecim annis, & plus, & Vivella ejus Nepos dicti loci dixit, quod ſteterat vexata ab ipſis ſpiritibus bene per quinque annos; & Amicus Maritus Drudæ, & Bonanſegna filius Ognibene de Rocha prædicta teſtificati ſunt eodem modo dicentes, dictas mulieres verum dixiſſe, ſicuti viderant, & audierant; & meritis Beati Gregorii ſupradicti, cui ſe devoverunt ſub monumento ſuo, liberavit eas Deus: teſtificati fuerunt hæc præſentibus Dominis Bonſignore Primicerio, Donato, & Henrico Canonicis Aretinis, & multis aliis. Cum hujuſmodi narrativa, quæ legitur in ſupradicta Tabula, concurrunt depoſitiones teſtium in ſpecie de hoc miraculo deponentium, & aliorum in genere, & per relationem ad Tabulam de publica voce, & fama in Civitate Aretii, & in locis originariis Mulierum, in quarum perſonis miracula contigerunt; & veritati prædictorum conveniunt etiam conjecturæ Vitæ Beati Pontificis manuſcriptæ. De publica voce, & fama in ſpecie deponunt in ſecundo Remiſſoriali Aretino *ſuper 7. & 8. Articul.* I. *fol.* 28. IV. *fol.* 46. V. *fol.* 52. & in genere ex eodem proceſſu II. *fol.* 35. III. *fol.* 40. VI. *fol.* 58. & IX. teſtis in Remiſſoriali Placentino *fol.* 85. Nec deſunt infirmarum Obſeſſarum atteſtationes, & juramenta, & atteſtationum per Viros Religioſos receptiones. Ex quibus viſum fuit, ad hujus miraculi, ſeu duorum miraculorum ſubſiſtentiam ſufficientem concurrere probationem, cum verſemur in antiquiſſimis, ut in aliis miraculis fuit jam dictum, & fugare Dæmones non ſit humanæ facultatis, ſed Divinæ, ut ſupra in *primo miraculo* fuit jam firmatum.

NONUM MIRACULUM.

Mulier per triginta annos a Spiritibus immundis vexata interceſſione Beati Pontificis liberatur.

BOnaſia uxor Galgani de Caſtilione Filiorum Alberti dixit ſuo juramento, quod vexata ſtetit ab immundis Spiritibus per triginta annos, & plus, vel alia crudeli infirmitate detenta ſtetit a tempore, quo viſa Eclipſis Solis, uſque ad primam diem Dominicam menſis Maji. Extitit ſic vexata, Deo, & Beato Gregorio ſe devovit, & ab ipſa Dæmonum infeſtatione liberata fuit, & audivit vocem ſibi dicentem: Bonaſia, ſurge, & ter ſaluta B. Virginem Mariam, quoniam liberata es. Et ipſa Bonaſia ſubito ſurrexit, quaſi terrens homines, & mulieres, infirmos aſtantes ſubtus Sepulchrum prædictum, & liberavit eam Deus ab ipſa infirmitate, ſeu Dæmonum infeſtatione: & hoc teſtificantur Orlandinus quondam Pretatii de Caſtilione, & Domna Encaſa uxor Piſani, quæ erat ſecum ſub prædicto Monumento; & hæc omnia dixit coram D. Bonſignore Primicerio Aretino, Presbytero Joanne Manſionario Majoris Eccleſiæ, Jacobo Clerico &c. Et hac Hiſtoria, tamquam deſumpta ex Tabula prædicta in Compulſoriali Aretino poſita, & concurrente probatione Teſtium de fama, & publica voce deponentium tam in ſpecie, quam in genere, & enuntiativis vitæ ejuſdem Beati manuſcriptæ, tolerantia, obſervantia, & teſtimonio Eccleſiæ roborata, dicimus, factum miraculoſum probari: nam teſtes in ſpecie de Bonaſia deponunt in ſecundo Remiſſoriali Aretino *ſuper nono Articulo*, nempe I. *fol.* 29. IV. *fol.* 47. V. *fol.* 53. & ex eodem Proceſſu II. in genere *fol.* 35. III. *fol.* 46. VI. *fol.* 58. & in Informativo Aretino VIII. *ſuper* 8. 9. *&* 10. *Interrogatorio*, & in Remiſſoriali Placentino IX. *ſuper* 26. *Articulo fol.* 85.

Neque credimus quidquam obſtare, quod Hiſtoria ſupradicta narret, quod Bonaſia ſtetit vexata per triginta annos, vel alia crudeli infirmitate detenta; quaſi dubitari poſſit, an vere fuerit obſeſſa, cum potuerit alia infirmitate detineri, quamvis gravi, & crudeli:

Quia, etiam quod agatur de crudeli infirmitate ſupra triginta annos continuata, quæ nulla Medicorum arte ſanari potuit, ut eadem Hiſtoria præſupponit, & in inſtanti, ſtando ſub Monumento Beati Pontificis, liberata fuerit, non minus exiſtimavimus miraculum; ſed verius credidimus, ex ſignis in ſerie miraculi narratis nos verſari in Obſeſſa a Dæmone, quia evomuit multa, quæ humana natura non patitur, & deinde vocem ſalutarem audivit, Bonaſia; ſurge, & ter ſaluta B. Virginem Mariam, quoniam liberata es; quodque ad hanc vocem ſurrexit, ac terruit homines, & mulieres ſub Monumento adſtantes, ita ut hæc magis Dæmoniacam reſpiciant, quam naturali infirmitate perturbatam.

DECIMUM MIRACULUM.

Puella membris contracta, ſtando ſub Monumento, meritis Beati Pontificis ſanatur.

BAldufinus filius olim Orlandi Civis Aretinus de Populo S. Michaelis, & D. Jacopina ejus uxor, dicunt, & affirmant in verbo veritatis, & in Fide Jeſu Chriſti, quod Neria eorum filia fuit adeo contracta in omnibus membris ſuis, quod non potuit ſe erigere, nec ire aliquo modo ſine adjutorio hominis, vel mulieris, & faciendo dictam filiam apportare a quadam Serva dicti Baldufini ad monumentum Beati Gregorii ſupradicti, cui devoverunt dictam eorum filiam, ſtando ſub ejus monumento, meritis ipſius liberavit eam Deus, ita quod

per se sine adjutorio alicujus potest se erigere, & libere ire. Et hæc testificantur fuisse vera D. Beneludus Orlandus quondam Jacobi, Raynerius olim D. Ubertini, & plures alii Testes. Hujus Miraculi factum desumpsimus ex eadem tabula, prout jacet, in ordine decimum; & pro cujus probatione deducimus ea omnia, quæ superius in aliis miraculis fuerunt dicta, nempe Historiam antiquæ Tabulæ ad Sepulchrum Beati Pontificis appensæ, Testes in specie, & singillatim de hoc miraculo deponentes de auditu, & publica voce, & fama in Loco Infirmæ una cum aliis in genere de communi reputatione, & fama veritatis miraculorum deponentibus cum aliis adminiculis, & circumstantiis ad factum pertinentibus. Testes in specie *super* 10. *Articulo* in secundo Remissoriali Aretino deponunt hoc, I. *fol.* 29. IV. *fol.* 47. V. *fol.* 57. & ex eodem processu in genere II. *fol.* 35. III. *fol.* 40. VI. *fol.* 58. quod semper audierunt a suis Majoribus, & Senioribus, qui etiam a Majoribus suis audierunt, miraculum supradictum sequutum ad Sepulchrum Beati Pontificis, & quod de eo tam in Civitate Aretii, quam in Locis circumvicinis extitit, & extat publica vox, & fama: quibus accedunt VIII. Testis in informativo *fol.* 71. & IX. in Remissoriali Placentino *fol.* 85. & Historia ipsa Testibus munita, & in sua narrativa verificata quoad diem, Indictionem, Pontificatum, Sepulchri situationem, nempe super columnis positi, Parochiam Sancti Michaelis, Oppidum Massæ; quæ omnia probantur ex Relatione Notarii in primo Remissoriali Aretino *fol.* 190. & ex Testibus ejusdem Processus, III. *juxta* 5. *interrogatorium fol.* 50. & IV. *fol.* 56. V. *fol.* 62. VI. *fol.* 71. VII. *fol.* 78. VIII. *fol.* 88. XIII. *fol.* 106. & XVII. *fol.* 118. Unde, jungendo Historiam Tabulæ antiquissimæ cum Testibus de publica voce, & fama, & aliis supra in *primis miraculis* ponderatis, factum credimus concludenter probatum ex conclusionibus supra firmatis: & de miraculosa operatione non dubitavimus tam quoad infirmitatem, quam quoad modum, cum in utroque casu vires naturæ, & humanæ artis excedat, ut de consimili miraculo fuit firmatum in Relationibus Beatorum Bertrandi in *XV. Miraculo*, & Pasqualis in 4. & 5. & Mariæ Magdalenæ de Pazzis in *tertio Miraculo*, & Sanctæ Teresiæ in *quarto*.

UNDECIMUM MIRACULUM.

Cæcus, stando sub Monumento Beati Pontificis, & illud tangendo, statim lumen recipit.

JOannes Petri de Carpignalo Plebatus Plebis S. Petri de Massa dixit, & affirmavit, quod stetit avocolus, & non potuit videre, jam est annus, vel parum minus, ita quod non videbat lumen, & veniens ad Monumentum Beatissimi Patris Gregorii supradicti, cui se devovit, & stando sub Monumento prædicto, & tangendo ipsum Monumentum, meritis ipsius subito liberatus est ita, quod bene videt. Et hoc testificatus fuit Timideus, & D. Berta uxor ipsius Timidei. Ad probationem hujus miraculi, quod in eadem Tabula in ordine decimum tertium recensetur, concurrunt eædem probationes, nempe Historiæ, Tabulæ, Testium in specie, & in genere de publica voce, & fama deponentium; nam I. in secundo Remissoriali Aretino *super* 11. *Articulo fol.* 30. IV. *fol.* 47. V. *fol.* 53. in specie hujus miraculi deponunt de publica voce, & fama, & auditu a Majoribus antiquis, & in genere ex eodem Processu II. *fol.* 36. VI. *fol.* 59. cum quibus conveniunt VIII. in Informativo Aretino *fol.* 71. IX. in Remissoriali Placentino *fol.* 85. & Historia vitæ ejusdem Beati Pontificis manuscripta compulsata in Placentino, Tabulæ ipsæ Ecclesiæ Aretinæ Vaticani, & Vallicellæ, & alia adminicula supra ponderata, quæ sufficere credimus ad antiquissimi facti probationem, ficuti in præcedentibus firmavimus: & ad qualitatem miraculi, & illius subsistentiam, ultra jam dicta de aliis Cæcis in *tertio*, & *sexto*, ad duo advertimus, quæ miraculum celebre, & admirandum magis reddunt, quod ad contactum Sepulchri, & statim Cæcus lumen recepit. Per contactum est quidem modus operandi miracula communicatus Humanitati Sanctissimi Domini Nostri Jesu Christi, ut docet D. Chrysostomus *Hom.* 5. *in Sanctum Marcum*, & Sanctus Cyrillus *lib.* 2. *in Sanctum Joannem cap.* 4. quem dum Sanctis suis Deus communicat, ille dicitur excellentior modus operandi miracula, qui ad illa potestative, seu tamquam instrumentum physicum concurrit, Divus Gregorius 2. *Dialogorum cap.* 4. & S. Doctor *quæst.* 3. *de malo art.* 3. & 2. 2. *quæst.* 83. *art.* 1. Cum igitur Deus per contactum Sepulchri Beati Pontificis miraculum perfecerit, ostenditur, illi suam virtutem communicasse, & donum dedisse Servo suo operandi miracula. Et non minus celebre miraculum præsignat operatio salutis in instanti, cum ille modus superet omnes vires naturæ creatæ secundum Divum Thomam *part.* 1. *quæst.* 105. *art.* 3. *versic. Tertio modo*, & fuit observatum in Relationibus S. Teresiæ in *tertio Miraculo*, in Vita B. Joannæ de Cruce in *ultimo miraculo post mortem*.

DUODECIMUM MIRACULUM.

Mulier Muta, & Surda a nativitate, stando sub Sepulchro Beati Pontificis, & illud tangendo, sanatur.

MArgarita uxor Joannis Saviæ de Castro Plebis de Massa Trebatia dixit & affirmavit, quod ipsa non potuit loqui aliquo tempore vitæ suæ, aliquo modo, vel audire; veniens ad Sepulchrum Beati Patris Gregorii supradicti devota fuit; & stando sub eodem Sepulchro, & tangendo illud meritis ipsius Beati Patris Gregorii liberavit eam Deus ita, quod loquitur, & bene audit. Et hoc testificata fuit Litiana ejus Soror coram Bonfigliore Primicerio, Raynerio de Gressa, & D. Donato de Martinellis Canonicis Aretinis.

Factum desumpsimus ex eadem Tabula in ordine 14. & Miraculi veritatem comprobamus ex eisdem fere argumentis, & probationibus, nempe Testium in specie, & genere deponentium, ex Tabula antiquissima ad Sepulchrum appensa, & in tribus Archivis conservata, Aretino, Vaticano, & Vallicellano, adminiculis, & circumstantiis in aliis miraculis ponderatis: nam specifica probatio de auditu, & fama publica hujus miraculi in Loco Infirmæ, & Partibus vicinis datur in secundo Remissoriali Aretino *super* 14. *Articulo* per I. Testem *fol.* 31. IV. *fol.* 48. V. *fol.* 54. & ex eodem processu in genere per II. *fol.* 36. VI. *fol.* 59. qui bene concludunt, quod semper audiverunt a suis Majoribus, & Senioribus, qui etiam a Majoribus suis audiverant, miraculum supradictum ad Sepulchrum Beati Pontificis sequutum fuisse circa personam nominatam, & semper habitum, & reputatum pro vero miraculo sequuto ad intercessionem Beati Pontificis, & quod tam in Civitate Aretii, quam in Locis circumvicinis extitit, & extat publica vox, & fama. Concurrit præterea Historia vitæ manuscriptæ ejusdem Beati Pontificis compulsata in Placentino, ubi formalia verba habentur: Ad tumulum ejus Cæcis lumen, Claudis gressus, Mutis verbum, & Surdis auditus miraculose reddantur. Et in Informativo Aretino VIII. Testis *fol.* 71. & in Remissoriali Placentino IX. *fol.* 85. Ex quibus omnibus junctis remanet probatum hujusmodi factum, quæ in antiquissimis solent implere probationem, ut in conclusionibus supra in aliis miraculis fuit firmatum.

Neque de sufficienti probatione in hoc miraculo dubitavimus ex eo, quod Tabula, ex qua deducitur factum, enuntiet unicum testem, & fœminam absque juramento.

Quia fundamentum probationis hujus facti deduximus ex testibus de publica voce, & fama ad hæc usque tempora in Civitate Aretii vigente, ex Historia continuata per plura fecula, tolerantia Ordinariorum, testimonio Ecclesiæ in Festis hujus Beati Viri celebrandis, in Oblationibus, & aliis supra ad famam Sanctitatis relatis; & nihilominus etiam defectus juramenti in antiquis non tollit adminiculum desumptum ex dictis Testium, Ripa in *l. Admonendi num.* 200. *ff. de jur. jurand.* & numerus testium cum qualitate sexus fœminei non obstat, quia duo concurrunt, nempe Margarita, quæ in propria persona miraculum recepit, & Soror ejus Litiana, qui numerus in qualibet materia sufficit, *l. Ubi numerus ff. de Testibus*. Ad qualitatem autem sexus non attenderunt Majores nostri, prout in Relatione S. Raymundi in *tertio Miraculo*, ubi Mulieres admissæ fuerunt, & miraculum fuit probatum per depositionem duorum testium, qui erant Vir, & Uxor, in quorum personis contigerat miraculum, & S. Hyacinthi *versic. Ad tertium modum, in* 7. & 8. *Miraculo*, quæ fuerunt firmata ex depositione duarum Mulierum, in alio quidem Matris, & Filiæ, & in altero duarum Sororum, in quarum altera miraculum contigerat.

Nos autem, attenta facti probatione, existimavimus, pro miraculo esse judicandum; & concurrit gravitas infirmitatum auditus, & loquelæ, & sanitas in instanti recepta ad contactum Sepulchri: & hujusmodi infirmitates sic a nativitate provenientes remediis naturalibus curari non possunt secundum Hippocr. 3. *de Articulis* §. *Oportet autem & incurabilia cognoscere num.* 68. Galen. 3. *Prognost.* 26. & idem fuit dictum in Relatione S. Teresiæ in *quarto Miraculo post mortem*. Unde, cum excedat vires totius naturæ creatæ, miraculo adscribendum venit, S. Thom. *par.* 1. *quæst.* 105. *art.* 8. *in corpore*, *vers. Secundo aliquid*.

DE-

DECIMUM TERTIUM MIRACULUM.

Mulier ſiniſtro fœtu laborans, morti proxima, Voto per Fratrem illius facto, interceſſione Beati Pontificis, fœtu emiſſo, ſalva, & incolumis remanſit.

ALexandra de Spadariis Nobilis Aretina Uxor Joannis Antonii de Lappolis, cum jam concepiſſet, adveniente tempore partus 3. Mart. 1625. cœpit doloribus maximis torqueri, & exinde Infans in utero tranſverſus brachium emiſit. Die ſequenti hora decima in eodem ſitu cum brachio emiſſo exiſtens fœtus mortuus eſt; fœtumque exanimem ſuſtinens illa maximis doloribus agitata, & viribus deſtituta emittere non potuit. Deplorato miſerabili caſu hujus Mulieris per Obſtetrices, & Medicos adſtantes, & deſperatam ſalutem Conſanguineis lugentibus, Frater illius Canonicus, & Sacerdos Aretinus Sororem de inſtanti tranſitu monuit, & Animam illius Deo commendare ſatagit. Verum paulo poſt circa horam primam noctis idem Canonicus ab ea receſſit in proximum cubiculum, ubi aderant plures Sanctorum Imagines; & cum ad pedes Crucifixi proſtratus pro ſalute Sororis preces effunderet, & auxilium Beati Pontificis imploraret, ſtatim illi renuntiatur, fœtum mortuum ab utero Matris egreſſum fuiſſe, Muliere ſalva, & incolumi.

Factum probatur ex depoſitione quatuor teſtium, nempe ipſius Canonici Fratris, duarum Obſtetricum, & Phyſici, qui Infirmæ aſtiterunt, & viderunt Mulierem in initio dolorum, exinde brachium Infantis emiſſum, & per diem integram mortuum, eamdemque viribus deſtitutam, doloribus confectam, & animam agentem: poſtquam autem Canonicus Frater diſceſſit ad orandum, viderunt eam poſt partum ſanam, liberam & incolumem. In circumſtantiis etiam bene concordant, nempe de die tertia Martii, quo cœpit dolores pati, & de miſſione brachii, & quod die ſequenti hora decima fœtus obierit, ac poſtmodum, quod hora prima noctis ſubſequentis Canonicus tranſierat in proximum cubiculum, & eadem hora prima ſequuta fuerit fœtus emiſſio, & Mulieris liberatio.

Neque veritatem facti obſcurare poteſt Canonici depoſitio, quod circa horam primam noctis ipſe aſtabat Sorori adhuc fœtum in utero habenti, Obſtetrices vero & Phyſicus deponant de partu ſequuto hora prima noctis; quia eorum dicta bene inſimul conveniunt, nec aliquam patiuntur contrarietatem propter illam dictionem (circa) quæ ſuſtinet actum intra modicum tempus ſufficiens ad compatibilitatem depoſitionum arbitrio Judicis determinandam: Menoch. *de arbitr. lib. 2. caſu* 57. Cæſar de Graſſ. *deciſ. 6. num. 4. de Teſtibus*, Rota *deciſ.* 344. *num.* 10. coram Papa Gregorio XV. Unde, cum & in ipſa hora prima Canonicus adſtaret, & in fine potuerit recedere, & orare, & ſtatim ante lapſum horæ fœtum Mulier emittere, bene ſe compatiuntur depoſitiones; maxime quia iſtud intermedium tempus determinatur, & reſtringitur per Obſtetricem ſecundam teſtem ad quartam partem unius horæ, quo temporis ſpatio Canonicus potuit abeſſe, orare, & gratiam impetrare.

Et nos attenta probatione facti, conſultiſque primariis Phyſicis ſuper qualitate infirmitatis, & deſperata in eo ſtatu ſalute Parturientis, cenſuimus, pluribus ponderatis miraculum eſſe Servi Dei interceſſione patratum.

Primo, quia figuram partus, de quo agitur, præ omnibus difficillimam eſſe, omnes Medici conſentiunt, ex quo brachium porrexerat Infans, ita ut non, niſi capite in ſcapulas complicato, exire cogeretur, quod nec attentari ſine maxima Matris pernicie, & attentatum ſuccedere non potuiſſet, quam ſi ad naturalem ſitum, & figuram reductus fuiſſet: Hippocr. *lib. 1. de Morb. Mulier. & de Nat. Puer. Infant.* Paul. *lib. 3. cap. 66.* Ætius *ſermone 16. cap. 22.* afferentes fœtus hujuſmodi, naturali ordine non ſervato, qui eſt, ut, capite primum producto, reliquum corpus ſubſequatur, comitari plerumque morte Infantis, vel Matris, vel utriuſque.

Secundo, quia Infans brachium emiſerat, & tranſverſus in utero die 3. Martii 1625. ſiſtebat, & in eadem figura exiſtens die ſequenti hora decima mortuus repertus fuit, ut deponunt Obſtetrices, & Medicus ſuper hoc facto examinati, & ſupra relati; quo caſu idem Hippocr. *dicto lib. 1. de Morb. Mul.* dicit: *Quicumque fœtus mortui manum foras protendunt, eam optimum quidem fuerit, ſi id fieri poſſit, intro retrudere, & has partes in caput vertere; ſi vero hoc fieri non poſſit, ſecare.* His plane verbis conſtat, difficultatem in caſu noſtro ad impoſſibilitatem reduci, in quo nedum manus, ſed brachium probatur emiſſum: & cum Hippocrate communis eſt Medicorum opinio, Paulus *lib. 6. cap. 74.* Ætius *lib. 6. cap. 23.* Avicenna 21. 3. *tract. 2. cap. 14.* Savonarola *tract. 6. cap. 21. rubr. 41.*

Tertio, quia Mater fœtum jam mortuum in utero per diem ſuſtinuerat, qui tamquam fœtens, internam corruptionem arguit: unde venter Parturientis tumidior factus fuit, & vires illius omnino labefactatæ, ita ut etiam animam ageret, ut deponunt omnes teſtes *ſuper* 27. Et, cum ad partus actionem requiratur calor vegetus, & fortis nedum Matris, ſed etiam ipſius fœtus, ut dicit Hippocr. *eodem lib. 1. de Morb. Mulier.* jam patet, altero mortuo, & fœtente, & Matre in extremo poſita, utrumque defeciſſe, & conſequenter actionem pariendi non ad vires Infantis, vel Matris eſſe referendam, ſed Divino auxilio eſſe tribuendam.

Quarto ſucceſſit ſubita partus emiſſio non excedens quartam partem unius horæ, ut deponunt teſtes ſupra relati: quæ actio cum inter figuras pariendi omnium difficillima, ut Infans, capite in ſcapulas complicato, exire cogatur, communi Medicorum ſententia reputetur, conſequitur etiam impoſſibile, ut tam brevi tempore matura ſuum proſequatur effectum.

Quinto contigit hæc emiſſio fœtus, Matre ſtatim ſalva remanente, & ad hunc uſque diem ſana exiſtente; quod ſecundum artem fieri non poterat, ſed vel illa perire, vel uterus totus exulceratus remanere debebat, vel, alio majori morbo corripi eam neceſſe erat.

Quæ omnia, ſimul ſaltem, ponderata primariis Phyſicis viſa fuerunt miraculum concludere; & nos in eamdem ſententiam venimus, ſequendo illorum judicium, tamquam in arte Peritorum, *l. Septimo menſe*, ubi Bald. in *ultima additione ff. de Stat. Hom. l. prima ff. de ventr. inſpic. cap. Propoſuiſti de probat.* late Pariſ. *conſ. 56. num. 13. lib. 2.* Boer. *deciſ. 223. num. 21.* Rota *deciſ.* 125. *num. 9.* coram ſan. mem. Gregorio XV. & in caſibus minorem difficultatem in figura habentibus idem fuit reſolutum, ut in Relatione Sancti Raymundi *Miraculo undecimo*, ubi agebatur de Infante in caput ferente, qui modus naturalis eſt, & in Relatione Sancti Caroli *Miraculo* 54. in qua agebatur de fœtu tranſverſo abſque alicujus membri emiſſione; & in Relatione Beati Franciſci Borgiæ *Miraculo primo*, qui caſus præſenti conſimilis eſt, ex quo Parturiens Puerum mortuum in utero geſtabat venientem ex tranſverſo cum brachio jam emiſſo.

Neque dubitavimus, miraculum ad interceſſionem Beati Pontificis ſucceſſiſſe, ex eo, quod de antecedenti deprecatione, & Voto in illius honorem per Canonicum emiſſo, viſitandi ſcilicet illius Sepulchrum una cum Sorore, & Tabellam in ſignum impetratæ ſalutis appendendi, deponat ipſe ſolus Canonicus; quia, cum ipſe etiam ſolus ſe contulerit in proximum cubiculum, ita ut caſus aliunde probari non poſſit, quam per illius dictum, & hanc qualitatem, & circumſtantiam omnes teſtes ſupra relati concludant, ſitque Sacerdos, & vir probatæ fidei, ſueritque ſolitus in ſuis neceſſitatibus confugere ad præſidium Beati Pontificis, & deponat de facto proprio, & de actu interno, ſtandum eſt teſtimonio illius ad perfectam probationem inducendam, Caſtr. in *leg. Quicumque Cod. de ſerv. fugit.* Gabriel. *de Teſtib. concl. 1. num. 18.* Et quod de miraculo ſequuto in perſonis aſſerentium eorum proprio teſtimonio credatur, ſæpe fuit admiſſum apud Majores noſtros in Relationibus Sancti Franciſci de Paula *pag.* 44. Sancti Hyacinthi *ad finem*, Sancti Raymundi *art.* 8. Sanctæ Franciſcæ Romanæ *Miraculo octavo*, Sancti Caroli *Miraculo* 18. Sanctæ Teresiæ *art.* 3. in prima Relatione Sancti Ignatii *Miraculo ſecundo*, & Sancti Franciſci Xaverii *Miraculo nono.*

Hæc habuimus, Beatiſſime Pater, quæ de Beati Gregorii Decimi Proceſſibus, Vita, Virtutibus, ac Miraculis dicenda propoſuimus; ex quibus ſæpe expenſis, canoniceque confectis, referri poſſe Beatum Virum in Sanctorum numerum, rite cenſuimus, modo Sanctitas Veſtra, cui traditæ ſunt Secretorum Cæleſtium Claves, hac ſuper re aperiat Chriſtiano Populo Divinitatis Oraculum. Et ſane divinitus factum videtur, ut in hæc tempora reſervaretur is, quem ſua olim ætas Regum Pacificatorem, Conciliatoremque Populorum experta eſt; ut inter hoſce, qui Italiæ imminent, Bellorum apparatus, & Urbani ſapientia in Terris, & e Cælo Gregorii patrocinio tuti ſimus.

AP-

UAB Biblioteca de Ciències Socials

APPENDIX NONA.

EXEMPLAR TABELLÆ TESTIUM,

De qua ſuperiori Libro 2. Cap. ultimo in fine;

Quæ ſcilicet Sacrorum Rituum Congregationi exhibetur, cum agitur de validitate Proceſſuum auctoritate Apoſtolica, & Ordinaria confectorum, ubi Teſtium Nomen, Cognomen, Ætas, Inductio, *Citatio*, Juramentum, & Examen indicantur.

Porro Tabella hæc, quæ pro Exemplo datur, exhibita fuit Sacrorum Rituum Congregationi in Cauſa Beatificationis, & Canonizationis Venerabilis Servi Dei Fratris Gundiſalvi Diaz de Amarante Laici Profeſſi Ordinem Beatæ Mariæ de Mercede Redemptionis Captivorum, quando propoſitum fuit Dubium,

An conſtaret de validitate Proceſſuum auctoritate Apoſtolica in ſpecie, & Ordinaria reſpective conſtructorum, Teſtes eſſent rite & recte examinati, & Jura legitime compulſata &c.

Sed conſimilis Tabella exhibetur eidem Sacræ Congregationi in omnibus Cauſis, cum agitur de validitate Proceſſuum ſive per Dubium ſeparatum, ſeu particulare, ſive cum de validitate opus eſt habere ſermonem, puta, cum agitur de *Signatura Commiſſionis*, vel de fama Sanctitatis in genere.

UAB Biblioteca de Ciències Socials

TABELLA TESTIUM

Examinatorum in Processu Apostolico.

Num.	*Nomen, Cognomen, & Ætas.*	*Inductio.*	*Citatio.*	*Juramentum.*	*Examen.*
1 *Ex Tomo* 2.	D. Alphonsus Fernandez de Heredia Magister Campi annorum 70. Proc. fol. 10.	Die 29. Aprilis 1687. Proc. fol. 1.	Die 29. Aprilis 1687. Proc. fol. 3. ter.	Die 29. Aprilis 1687. Proc. fol. 4. ter.	Die 30. Aprilis 1687. Proc. fol. 6. ter.
2	D. Maria Cavallon Civitatis Regum ætatis annorum 74. Proc. fol. 66. ter.	Die 17. Maji 1687. Proc. fol. 53. ter.	Die 21. Maji 1687. Proc. fol. 59. ter.	Die 21. Maji 1687. Proc. fol. 61.	Die 23. Maji 1687. Proc. fol. 62. ter.
3	Rev. D. Baccalaureus Augustinus de Almendares Civitatis Regum, & Sacerdos annorum 27. Proc. fol. 105. ter.	Die 24. Maji 1687. Proc. fol. 97. ter.	Die 24. Maji 1687. Proc. fol. 99.	Die 24. Maji 1687. Proc. fol. 100.	Die 26. Maji 1687. Proc. fol. 101. ter.
4	Admod. Rev. Pater Magister Fr. Joseph Barrazza Sacerdos Regii Ordin. B. Mariæ de Mercede Redemptionis Captivorum, & Qualificator S. Officii annorum 51. Proc. fol. 134. ter.	Die 24. Maji 1687. Proc. fol. 97.	Die 6. Junii 1687. Proc. fol. 126. ter.	Die 6. Junii 1687. Proc. fol. 128. ter.	Die 7. Junii 1687. Proc. fol. 130. ter.

TABELLA TESTIUM

Examinatorum Auctoritate Ordinaria, & compulſat. in Proceſſu Apoſtolico.

Num.	*Nomen, Cognomen, & Ætas.*	*Inductio.*	*Citatio.*	*Juramentum.*	*Examen.*
1 *Ex Tomo 9.*	Reverendus Pater Frater Franciſcus de Oroſco Religioſus Profeſſus, & Prior Ordinis Sancti Dominici annorum 32. Proc. fol. 6. ter.	Die 4. Maji 1618. Proc. fol. 6.		Die 4. Maji 1618. Proc. fol. 6.	Die 4. Maji 1618. Proc. fol. 6. ter.
2	Reverendus Pater Frater Lopez de Salinas Religioſus Profeſſus dicti Ordinis annorum 40. Proc. fol. 8.	Die 4. Maji 1618. Proc. fol. 8.		Die 4. Maji 1618. Proc. fol. 8.	Die 4. Maji 1618. Proc. fol. 7. ter.
3	Reverendus Pater Frater Gaſpar de Vargas Religioſus Profeſſus dicti Ordinis annorum 29. Proc. fol. 9.	Die 4. Maji 1618. Proc. fol. 9.		Die 4. Maji 1618. Proc. fol. 9. ter.	Die 4. Maji 1618. Proc. fol. 9.
4	Reverendus Pater Frater Franciſcus de Soliva Religioſus Profeſſus dicti Ordinis annorum 54. Proc. fol. 10. ter.	Die 4. Maji 1618. Proc. fol. 10. ter.		Die 4. Maji 1618. Proc. fol. 10. ter.	Die 4. Maji 1618. Proc. fol. 10. ter.

Finis Libri Secundi.